Ξ - 174

Digitized by Google

2

2.

5-174

REGNI HUNGARICI HISTORIA,

Poſt obitum glorioſiſsimi

MATHIÆ CORVINI

REGIS XXXIV.

Quo Apoſtolicum hoc Regnum Turcarum potiſſimùm armis barbarè invaſum,

LIBRIS XXXIV.

RERUM IN PANNONIA, DALMATIA, TRANSYLVANIA, Moldavia, Boſnia, Illyrico, cæteriſque confiniis integrum ultra ſæculum, ab Anno 1490. geſtarum locupletiſſimis exactè deſcripta

A

NICOLAO ISTHUANFFIO

PANNONIO, EJUSDEM REGNI PROPALATINO, & octogenario milite excellentiſſimo:

AC PROINDE VEL OCULARIS IPSE TESTIS, vel certâ ſcientiâ omnium ejuſdem Regni Provinciarum deſcriptiones, mores & conſuetudines: Urbium, arciumque ſitus ac munitiones: fluminum ortus ac tractus; prœliorum denique, expeditionum, & rerum domi bellique geſtarum commentaria abſolutiſsima, ad omnimodam Lectoris ſcientiam eleganti ſtylo ediſſerit.

ACCEDIT HAC POSTREMA ET NOVISSIMA EDITIONE Potentiſſimæ, Imperatoriæ, & Auſtriacæ Triadis

LEOPOLDI I. MAGNI, JOSEPHI I. & CAROLI VI. REGIS XLVII.

AUCTARIUM,

Uſque ad Annum M.D.CC. XVIII. & ultimam pacis Paſſarovicenſis concluſionem,

Quo totum hoc Hungariæ Regnum victricibus hujus Auſtriacæ Triadis armis glorioſè devictum, & Turcicis manibus potentiſſimè ereptum, cum tota Tranſylvania, Dalmatia, Boſnia, Moldavia, Servia, &c. pacificæ nunc vivit libertati,

LIBRIS XV.

Sincero, veraci ac nitidiſſimo ſtylo deſcriptum

Per R. D. JOANNEM JACOBUM KETTELER,

Illuſtris Collegiatæ Eccleſiæ S. Gereonis Coloniæ Vicarium.

Cum Indice Rerum & Verborum locupletiſſimo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus HENRICI ROMMERSKIRCHEN Bibliopolæ

Anno M. DCC. XXIV.

SERENISSIMO ET EMINENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. CHRISTIANO AUGUSTO,

Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali; Nationis Germanicæ Protectori; Archi-Epiſcopo Strigonienſi, & Sacri Romani Imperii Principi, S. Sedis Apoſtolicæ Legato nato, Primati Regni Hungariæ, ejuſdémque ſummo, & Secretario Cancellario; Epiſcopatûs Jaurinenſis Adminiſtratori; Comitatuum Strigonienſis & Jaurinenſis ſupremo, ac perpetuo Comiti; Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, etiam Angariæ & Weſtphaliæ; Landgravio Thuringiæ; Marchioni Miſniæ, Superioris inferiorisque Luſatiæ Comiti; Principi Hennebergenſi; Metropolitanæ Electoralis Eccleſiæ Colonienſis Præpoſito & Theſaurario, & ibidem Illuſtris Eccleſiæ ad S. Gereonem Decano, Comiti Marchiæ, Ravenſpergæ & Barby; Domino Ravenſteinij, Balliviæ Thuringenſis Locumtenenti, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliario actuali intimo, & ejuſdem ad Comitia Univerſalia Imperij Plenipotentiario Principali Commiſſario, &c. &c.

Sereniſſime Eminentiſſime Princeps ac Domine Domine Benigniſſime &c.

QUam olim Regni Hungarici Hiſtoriam, *SERENISSIME EMINENTISSIMEQUE DOMINE* à Clariſſimo Rerum in ſuperiori & inferiori Pannonia cùm pace, tum Bellô geſtarum ſcriptore, duce, comite, teſte

Nico-

Epiſtola

Nicolao Isthuanffio Tabulis teſtamentariis conſignatam, ab Humanitate Illuſtriſsimi Petri Pazmanni ſub id tempus Archi-Epiſcopi Strigonienſis, Prædeceſſoris Tui, nec non litterarum Cuſtodis Religioſiſſimi utraque Reſpublica & togata & ſagata accepit, fovit, & coluit; eandemmet non modò tanta, quanta ab Authore relicta eſt, ſed (ne alienam maſſam repinſuiſſe videremur) ultra ſæculi periodum protenſam cum ſubmiſsiſsima ſacræ Purpuræ Tuæ exoſculatione Tibi redonatum concedo. 'Nec ſuperi Boni! injuriâ:

Unda ſuum fontem quippe reverſa colit.

Etenim cui inter Viros Principes, inter Purpuratos Patres, inter omnes Illuſtrioris mortalitatis ordines illam ipſam Pannoniæ Tuæ Hiſtoriam importunè magis opportunéque conſecrarem, vel in pleno meridie neutiquam diſpicio; quin *SERENISSIMÆ EMINENTIÆ TUÆ* non ſolùm communi Gentium jure aut populari Conſuetudine, ſed lege patria, jure domeſtico illa tota debetur, vel obiter attentô, quòd primùm Divi LEOPOLDUS & JOSEPHUS primus feliciſſimæ recordationis Imperatores, quà Hungariæ Reges Te Cardinali Archi-Epiſcopo Strigonienſi, Leopoldo Colonitſchio viventi Coadjutorem, fatis jam functo Hungariæ Primatem, & Archi-Epiſcopum continuò eſſe & haberi voluerint: Dein quòd Tibi inauditô à ſæculis Exemplô ſacras Majeſtates, Auguſtiſſimum CAROLUM Sextum, hodie feliciſsimè Regnantem, Poſonii in ampliſsima illa Regum ſede, Hungarorum Regem ejúſce Nominis Tertium coronâſſe, unóque vertente biennio Auguſtiſsimam Imperatricem ELISABETHAM CHRISTINAM more patrio inunxiſſe obtigerit Eminentiſsime CHRISTIANE AUGUSTE! qui pro Sotere Chriſto verè *CHRISTIANUS*, pro Auguſtiſsimo benè *AUGUSTUS*: id eſt pro Deo & Cæſare utrumque implevisti. Quibus Coronationum ſolemniis ritè peractis alteſatus CAROLUS optimè adſectus inter alia ſummæ Clementiæ argumenta Diplomate ſancivit Archi-Epiſcopos Strigonienſes perpetuis temporibus ſore habendos S. R. I. Principes, & cui inauditum ſit, quod heri (ut ajunt) & nudius tertius geſtum eſt? per Te nimirum navibus & quadrigis hoc eſt ſummo ſtudio, ſummáque feſtinatione nuper contendentem, Ampliſsimum Hungariæ Regnum: Ut tranquillitatem victricibus LEOPOLDI MAGNI, & hodiedum glorioſiſsimè Regnantis CAROLI VI. armis quâ fundatam, quâ propagatam perpetuò deinceps ſartam tectamque conſervaret; hæreditariam Coronæ ſucceſsionem, non extante Maſculo (quem caſum Superi Boni avertant! votis omnibus precor) ad Principes etiam Fœmi-

minas Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ devolutum iri optavit, decrevit, & unanimi Statuum ac Ordinum omnium conſenſu proclamavit. Sanè in hac vaſta rerum & verborum copia conſtitutus ad extranea divergium facere, religioni mihi duxi, *SERENISSIME EMINENTISSIME DOMINE!* vel hôc ſolô Nomine, cæteris intactis, quòd Primas Hungarici Regni, quòd Archi-Epiſcopus Strigonienſis Coronationum Regiarum Antiſtes præfulgeas, NICOLAUS ISTHUANFFIUS Tibi ſacer eſto; neque profectò *SERENISSIMA TUA EMINENTIA* poſthumum ejus Officium & Opus ſervi orcini dedignabitur, qui, cùm in vivis ageret, nunquam deſtitit, ut verus Hungarus Regum ſuorum MAXIMILIANI & RUDOLPHI partes ſequi, obire, tueri, & calamo & gladio, primùm Aulæ Hungariæ Secretarius, dein Propalatinus Pannoniæ, in utraque demum hac Minervæ ſchola Miles octogenarius & veteranus; ſi Horatius rectè canit Lib. IV. Ode VIII.

Dignum laude Virum Muſa vetat mori.

Certè ille Tuus ISTHUANFFIUS Tuâ valentiſſimâ authoritate, & Auguſto Nominis aſylo protectus emori nunquam debet. Iterum obteſtor iterumque! *TUA MECÆNAS GRATIOSISSIME!* in litteratos & litterarum fautores Clementiſſima Humanitas per Orbem Europæum decantata (ne cæteras Virtutes Eminentiſſimas extra ſphæram activitatis meæ, ut cum Philoſophis loquar, poſitas præfidenter attingam me paulò liberiùs, at citra faſtidium) id quod in gratiis longè maximis collocatum volo, exaudiat differentem: Oſtiarios hìc & ſordidos Dedicatores, qui Principum ac Patronorum aures inſanis tantùm Titulis & conſarcinatis, ne dicam chimæricis laudationum generibus inferciunt, quin ſtrumam dibapho ſæpe obtegunt, minimè ſecutus ſum, benè memor illius Ovidiani Lib. 7. Metamorph. de Theſeo Athenienſium Heroë:

Si titulos, annósque tuos numerare velimus,
Facta prement Annos,

At ingenua Tenuitas mea ſatis ſibi eſſe voluit, ſi eos ſolùm Dignitatum, Laudum & Virtutum characteres, qui ad rem propoſitam faciunt, ſuperficiàrio colore in tabulam demiſſiſſimè conjecero: Non adulationibus & palpamentis, quæ à Bonorum Principum veſtibulis perpetuô exiliô deportata ſunt, tuum Tibi *SERENISSIME EMINENTISSIME DOMINE!* ISTHUANFFIUM commendare ſtatum mihi eſt; ſed jure ago (dediſti enim clementiſſimè veniam Tuî in jus

vo-

vocandi) jure Patrio atque Privilegio Nationali, ſiſto Patriotam illum & indigenam, Cæſaribus & Regibus olim amicum, Prædeceſſoribus Tuis, Petris Pazmannis familiarem, unáque genii & ingenii harmoniâ cum eo conjunctiſsimum, illum, inquam, ſuopte quali quali meritô commendatum, operâ Ketteleriana auctum & climatum, meis verò impenſis conſummatum Hiſtoriographum *SERENISSIMA TUA EMINENTIA* Regnô & Civitate velut poſtliminio reſtituere, méque ad Sacræ Purpuræ Baſium ſerenâ fronte admittere velit, jubeátque, qui ſum

Sereniſsimæ Eminentiæ Tuæ

Coloniæ Ubiorum
hâc 22. Februarij
Anno 1724.

Humillimus perpetuóque fidelis
HENRICUS ROMMERSKIRCHEN.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUm ſopitis penè omnibus in Europa bellis Orbis jam univerſus aliquot ab hinc ſæculis; hoc verò præcipuè tempore in unam oculos convertat Pannoniam, bellorum veluti ſimul & calamitatum theatrum: quàm hinc diverſæ ex Europa Chriſtiani nominis gentes ac nationes pro reipublicæ Chriſtianæ ac Pannoniæ ſalute; illinc barbari ab ultimis Aſiæ, Syriæque & Ægypti finibus exciti adeò pertinacibus animis armiſque inter ſe contendant: operæ me tibi pretium facturum exiſtimavi, ſi nobile illud Regnum opibus, ac militaribus olim, & nunc viris florentiſsimum; ditiſsimum frugum, animalium, fluminum, piſcium, rerum denique omnium fœcunditate; urbibus verò ac munitionibus cùm arte tùm naturâ validis nulli ſecundùm, accuratè & copioſè deſcriptum proponerem, ut plenam & planam tàm geſtarum quàm gerendarum rerum cognitionem & ſcientiam poſsis percipere. Hujus autem rei, regnique Hungarici copioſiorem planioremve quàm in Nicolai Iſthuanffii hiſtoria notitiam me judice non invenies; utpote qui illuſtri in Pannonia loco natus (ut vitam auctoris ſimul tribus, quod ajunt verbis exprimam) in prima juventute ſua Patavii, Bononiæque humaniores æque ac ſublimiores ſcientias hauſit, tum verò etiam Græci Latinique ſermonis fuit peritiſsimus. Linguas fermè omnes Europæas, vaſta quadam ingenii capacitate, ne dicam, felicitate complexus, ſexaginta inſuper propemodum annis in aulis verſatus eſt. Primum à ſecretis rerum Ungaricarum Divis, MAXIMILIANO ac RUDOLPHO, Imperatoribus fuit; tum per omnes honorum ac dignitatum gradus eò pervenit, ut factus Conſiliarius ac Locumtenens officii Palatinalis, Prætoriâ quâdam authoritate jura Ungaris dixerit. Juventutem in armis exercuit, ac in arce Szigeth ſub Illuſtri Comite Nicolao Zrinio (cùm aliis rebus, tum vel maximè Szigethianæ obſidionis conſtanti tolerantiâ celebratiſsimo heroe) prima militiæ rudimenta poſuit, atque ad extremam uſque ætatem, octogenarius viridi ſenectâ miles, nullis ferè celebrioribus expeditionibus abeſſe voluit. A RUDOLPHO Imperatore non ſolùm aliis graviſsimis negotiis adhibitus, ſed & Tranſſilvaniæ dirigendæ Commiſſarius, & pacis cum Turca ineundæ Tractator nominatus, ſummâ cum prudentiæ & dexteritatis laude in omnibus, . apud omnes, omnium teſtimonio eſt verſatus: unde factum ut non aliorum inſtar hiſtorias rumore collectas, aut mendace famâ hauſtas ſcripſerit; ſed pleraque quibus interfuit, aut præfuit, quorum origines, initia ac progreſſus exploratos habuit, ad amicorum inſtantiam, venerandus ſenex, poſteritati commiſerit. In cujus ſcriptione quid magis mireris, ambigere poſsis: Veritatémne nullâ paſsionum aut affectuum nube fuſcatam? an claram, nervoſam, ſuccinctamque brevitatem, rerum tamen omnium domi bellique geſtarum copiam? an ſingularem modeſtiam, ſenilemque ac maturam prudentiam, præcipitis expertem temeritatis, & judicandi præfidentiæ? Jure igitur merito non exiguæ illud mihi duxi felicitatis, quòd hiſtoricum hoc Opus, ab auctore, dum morti vicinus eſſet, Illuſtriſsimo olim Strigonienſi Archiepiſcopo Petro Pazmano, ſuo ante hac amico, benevolentiâ, mutuâque ſtudiorum & ingeniorum harmoniâ ſibi conjunctiſsimo teſtamento legatum; ex hujus autem munere ad manus noſtras integrum devenerit, quò tibi nunc illud in meliores diſtinctum paragraphos & annos tum ad æmulam pacis bellive artem, tum etiam variarum gentium ac regnorum notitiam liceat communicare. Vale, & fruere.

CONTENTA HUJUS OPERIS.

PRimo & ſecundo libris continentur res geſtæ ab anno 1490. uſque ad annum 1493.
Libro tertio comprehenduntur res geſtæ ab anno 1493. uſq; ad annũ 1500.
Quartus & quintus complectuntur res geſtas ab anno 1500. uſque ad annum 1514.
Sextus proſequitur res geſtas ab anno 1514. uſque ad annum 1521.
Septimus liber & octavus edunt res geſtas ab anno 1521. uſque ad annum 1527.
Nonus & decimus eloquuntur res geſtas ab anno 1527. uſque ad aunum 1530.
Liber undecimus in rebus ab anno 1530. uſque ad annum 1533. geſtis eſt occupatus.
Liber duodecimus deſcribit res geſtas ab anno 1533. uſque ad annum 1535.
Liber decimus tertius res geſtas ab anno 1535. uſque ad annum 1540. deducit.
Liber decimus quartus res geſtas ab anno 1540. uſque ad annum 1542. pertexit.
Liber decimus quintus res geſtas ab anno 1542. uſque ad annum 1544. continuat.
Liber decimusſextus & decimusſeptimus res geſtas ab anno 1544. uſque ad annum 1552. ob oculos ponunt.
Liber decimusoctavus anni 1552. hiſtoriam perſtringit.
Liber decimusnonus ab anno 1553. uſque ad annum 1557. progreditur.
Liber viceſimus ab anno 1557. uſque ad annum 1562. pergit.
Liber viceſimusprimus hiſtoriam ab anno 1562. uſque ad annum 1564. provehit.
Liber viceſimusſecundus hiſtoriam ab anno 1564. uſque ad annum 1566. texit.
Liber viceſimustertius annum 1566. abſolvit.
Liber viceſimusquartus ab anno 1567. uſque ad annum 1572. hiſtoriam nectit.
Liber viceſimusquintus ab anno 1572. uſque ad annum 1585. deſcendit.
Liber viceſimusſextus ab anno 1585. uſque ad annum 1590. hiſtoriam proponit.
Liber viceſimusſeptimus ab anno 1590. incipiens, in anno 1594. definit.
Liber viceſimusoctavus ab anno 1594. uſque ad annum 1595. enarrat.
Liber viceſimusnonus anni 1595. hiſtoriam habet.
Liber triceſimus annos 1596. & 1597. percurrit.
Liber triceſimusprimus hiſtoriam ab anno 1598. uſque ad annum 1600. ediſſerit.
Liber triceſimusſecundus annos 1600. & 1601. exequitur.
Liber triceſimustertius hiſtoriam annorum 1602. 1603. & 1604. expromit.
Liber triceſimusquartus hiſtoriam anni 1605. cum non paucis ſequentibus, uſque ad Mathiam Rudolphi II. Imperatoris fratrem, profert.
Sequuntur Epitomes Librorum XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. quibus ab Auctore breviter exponuntur Anni 1607. 1608. 1609.
Liber triceſimusnonus continuat hiſtoriam ab anno 1610. uſque ad annum 1620.
Liber quadrageſimus refert geſta ab anno 1620. uſque ad annum 1626.
Liber quadrageſimusprimus deſcribit annum 1626. uſque ad annum 1645.
Liber quadrageſimus ſecundus oſtendit geſta anni 1645. uſque ad annum 1664.
Liber quadrageſimus tertius proponit annum 1664. uſque ad annum 1666.
Liber quadrageſimus quartus continet annum 1666. uſque ad annum 1679.
Liber quadrageſimus quintus enarrat acta anni 1679. uſque ad annum 1684.
Liber quadrageſimus ſextus profert hiſtoriam anni 1684. uſque ad annum 1685.
Liber quadrageſimus ſeptimus continuat annum 1685. uſque ad annum 1686.
Liber quadrageſimus octavus (erroneè hic, & in ſequentibus 47) exponit annũ 1686. uſq; 1688.
Liber quadrageſimus nonus (48.) tradit annum 1688. uſque ad annum 1691.
Liber quinquageſimus (49.) producit acta ab anno 1691. uſque ad annum 1703.
Liber quinquageſimus primus (50.) percurrit annum 1703. uſque ad annum 1713.
Liber quinquageſimus ſecundus (51.) proponit annum 1713. uſque ad annum 1717.
Liber quinquageſimus tertius (52.) ediſſerit annum 1717. & concludit annum 1718.

Vale Lector, & Annalibus Ungaris ob bonum publicum tum latino, tum luce donatis, utere & fruere.

REGUM HUNGARIÆ
INTROITUS ET EXITUS.

SAnctus STEPHANVS Rex & Apoſtolus Ungarorum, coronatus anno ſalutis 1001. mortuus 1038.

PETRVS REX II. Ungar. coronatus an. 1038. privatus coronâ 1041. coronatus ſecundò 1044. mortuus 1047.

ABA REX III. Ungarorum, coronatus anno 1041. obiit 1044.

ANDREAS Rex IV. Ungar. coronatus anno 1047. obiit 1059.

BELA Rex V. Ungar. coronatus anno 1059. obiit 1063.

SALOMON Rex VI. Ungar. coronatus anno 1063. privatus coronâ 1073. obiit 1077.

GEYSA Rex VII. Ungar. coronatus anno 1073. obiit 1076.

S. LADISLAUS Rex VIII. Ungar. coronatus an. 1076. obiit 1096.

COLOMANNUS Rex IX. Ungar. coronatus an. 1096. obiit 1114.

STEPHANVS II. Rex X. Ungar. coronatus an. 1114. obiit 1131.

BELA II. cæcus Rex XI. Ungar. coronatus an. 1131. obiit 1141.

GEYSA II. Rex XII. Ungar. coronatus an. 1141. obiit 1161.

STEPHANVS III. Rex XIII. Ung. coronatus an. 1161. obiit 1173.

LADISLAVS II. Rex XIV. Ungar. coronatus & mortuus 1173.

STEPHANVS IV. Rex XV. Ung. coronatus an. 1161. privatus corona 1173. eand. recepit & obiit eod. anno.

BELA III. Rex XVI. Ungar. coronatus an. 1173. obiit 1196.

EMERICVS Rex XVII. Vngar. coronatus an. 1169. obiit 1200.

LADISLAVS III. Rex XVIII. Vng. coronatus an. 1200. obiit 1201.

ANDREAS II. Rex XIX. Vngar. coronatus an. 1201. obiit 1235.

BELA IV. Rex XX. Vngar. coronatus 1235. obiit 1275.

STEPHANVS V. Rex XXI. Vng. coronatus 1275. obiit 1278.

LADISLAVS IV. Rex XXII. Vng. coronatus 1278. obiit 1290.

ANDREAS III. Rex XXIII. Vng. coronatus 1290. obiit 1301.

WENCESLAUS Rex XXIV. Vng. coronatus 1301. obiit 1307.

OTHO Rex XXV. Vng. coronatus 1305. corona privatus 1308.

CAROLVS I. Rex XXVI. Vng. coronatus 1310. obiit 1342.

LVDOVICVS I. Rex XXVII. Vngar. coronatus 1342. obiit. 1382.

MARIA Rex XXVIII. Vng. coronatus 1382. privatus eadem. 1384.

CAROLVS II. Parvus, Rex XXIX. Vngar. coronatus 1384. obiit 1385.

SIGISMVNDVS Rex XXX. Vngar. coronatus 1387. obiit 1437.

ALBERTVS Rex XXXI. Vngar. coronatus 1438. obiit 1439.

LADISLAVS Poſthumus Rex XXXII. Vng. coronatus 1440. obiit 1457.

VLADISLAVS I. Rex XXXIII. Vngar. coronatus 1440. obiit 1444.

MATHIAS Corvinus Rex XXXIV. coronatus 1464. obiit 1490.

ULADISLAUS II. Rex XXXV. Vngar. coronatus 1490. obiit 1516.

LUDOVICUS II. Rex XXXVI. Vngar. coronatus 1505. obiit 1526.

JOANNES de Zapolya Rex XXXVII. Vngar. coronatus 1526. privatus 1527. reſtitutus 1530. obiit 1553.

FERDINANDUS I. Rex XXXVIII. Vng. coronatus 1527. obiit 1564.

MAXIMILIANUS Rex XXXIX. Vng. coronatus 1563. obiit 1576.

RUDOLPHUS Rex XL. Ung. cor. 1572. cedit coronam Mathiæ 1608.

MATHIAS II. Rex XLI. Ungariæ coronatus 1608. obiit 1619.

FERDINANDUS II. Rex XLII. Vngar. coronatus 1618. obiit 1637.

FERDINANDUS III. Rex XLIII. Vngar. coronatus 1625. obiit 1657.

FERDINANDUS IV. Rex XLIV. Vng. coronatus 1647. obiit 1654.

LEOPOLDVS Rex XLV. Vngar. coronatus an. 1655. obiit 5. Maji 1705.

JOSEPH Rex XLVI. Vngar. coronatus an. 1687. obiit 1711.

CAROLVS Rex XLVII. Vngar coronatus an. 1713. vivit & regnat feliciter.

AR-

ARCHIEPISCOPATUS
REGNI HUNGARIÆ DUO:

Strigonienſis, Regni Primas, habet ſuffraganeos Epiſcopos:

Agrienſem.
Quinqueeccleſienſem.
Veſprimienſem, qui Reginæ Cancellarius eſt.
Jaurienſem.
Vacienſem, &
Nittrienſem.

Colocenſis ſeu Bachienſis habet ſuffraganeos Epiſcopos:

Zagrabienſem
Tranſilvanienſem
Varadienſem.
Chanadienſem.
Suidnicienſem.
Boſznenſem, aliàs Diacojenſem, &
Sirmienſem.

In Croatia & Dalmatia Archiepiſcopus Jadrienſis habet Epiſcopos ſuffraganeos:

Anſarenſem, Veglienſem, & Arbenſem.

Archi-Epiſcopus Spalatenſis habet ſuffraganeos Epiſcopos:

Tragurienſem.
Scardinenſem.
Tininienſem.
Novenſem.
Sibinicenſem.
Temnenſem.

Segnienſem.
Almiſienſem.
Modruſienſem.
Macarienſem,
&
Pharenſem.

Archi-Epiſcopus Raguſinus habet ſuffraganeos Epiſcopos:

Stagnenſem.
Roſonenſem.
Tribunicenſem.
Catharienſem.
Bacenſem, &
Biduanenſem.

Tom. 2. Decretor.

COMITATUS Regni Hungariæ enumerat Verbecius ſequentes:

Sirmienſis,	Moſonienſis,	Scepuſienſis,	Szolnoc exte-	Solth,
Valko,	Jaurienſis,	Thornenſis,	rior,	Kis heves,
Poſga,	Comaroniẽſis,	Vyvar,	Bihor,	Nahy heves,
Verocze,	Piliſienſis,	Borſodienſis,	Kraſzna,	Saros,
Baronya,	Peſthienſis,	Gômerienſis,	Berenſis,	Chongrad,
Bachienſis,	Poſonienſis,	Ung,	Bekes,	Haronenſis,
Bodrog,	Nittrienſis,	Bereg,	Zarand,	Maczo,
Tholna,	Barſienſis,	Ugocha,	Chanad,	Orbacz,
Alba Regalis,	Honthenſis,	Maramaros	Torontal,	Kraſſo,
Veſprimienſis,	Neugradienſis,	Szathmar,	Themeſienſis,	Orodienſis,
Somogy,	Zolienſis,	Szabolcz,	Strigonienſis,	Kovinienſis,
Szala,	Lipthovienſis,	Szolnoc me-	Zeurenienſis,	Ztebernik.
Caſtriferrei,	Arva,	diocris,	Zemplenienſis,	
Sopronienſis,	Thurocz,		Thrinchiniẽſis,	

Comitatus Regni Sclavoniæ.

Criſienſis. Zagrabienſis. Varaſdienſis.

Comitatus Tranſſylvaniæ.

Kolos,
Doboka,
Szolnoc interior,
Thorda,
Kikellô,
Albenſis,
Hunyad.

NICOLAI

NICOLAI ISTHUANFFI PANNONII, HISTORIARUM DE REBUS HUNGARICIS

LIBER I.

PANNONIÆ Regnum, ex quo Chriſtianam religionem amplexum eſt, ſemper nobiliſſimum atque florentiſſimum habitum fuit, diuque Chriſtianam Rempublicam adverſus barbarorum incurſiones armis defendit: donec enormi rerum omnium negligentiâ, ac deinde cruentis inteſtinarum factionum diſſidiis, diverſarumque partium ſtudio in ſummum diſcrimen venit libertatis ſaluriſque amittendæ. Nam cum Matthias clariſſimus, fortiſſimuſque Rex, hoſtes ac perduelles ſuos vi atque armis domuiſſet, Polonos, & Bohemos procul finibus ſubmoviſſet, Pajazetem Turcarum principem ad amplectendas pacis conditiones compuliſſet, ipſeque in medio ferè ætaris flore fato functus pacatum regnum reliquiſſet: proceres Pannoniæ, ac nobilitas quietem, & tranquillitatem nacti adeo corpora atque animos laxaverant, ut labante ſenſim militaris diſciplinæ atque religionis cura, quibus ille regnum ſtabiliverat, non aliud quàm ſuis commodis atque avaritiæ ſtudere, nec, tametſi hoſtes terrâ marique imminerent, quiſquam eorum Remp. capeſſere; ſed omnia per otium, & ignaviam tranſmittere, regiam auctoritatem magiſtratuumque honores non ad publicum decus, ſed ad privatum quæſtum revocare; denique rempubl. ex bona deterrimam reddidiſſa viderentur. Et quo magis libidini atque luxuriæ ſuæ fræna laxarent, quum Matthiam mors inopinata oppreſſiſſet; aliis compediroribus, atque ipſo etiam Joanne Corvino, Matthiæ filio, ante legitimas nuptias genito, præteritis: Uladislao Caſimiri regis Poloniæ filio, tunc Bohemis imperitanti, quietis, & otii appetentiſſimo homini, regnum detulêre: eumque ſuffragantibus Beatrice Regina, quæ illius nuptias appetebat, earumque ſpe haud dubia ſuſtentabatur, & Stephano Zapoliano Palatino Comite Scepuſienſe, quem largitione, & ingentibus promiſſis in partes traduxerat, Albæ ſolenni ritu ſacro diademate ornavere. Nec multò pòſt exarſit magnum, & multiplex bellum, cum uno eodemque tempore hinc Maximilianus Cæſar tanti nominis, & dignitatis princeps; illinc vero Albertus eodem quo Uladislaus patre Caſimiro genitus, ad occupandam armis Ungariam animum adjeciſſent. Ille enim vicini opportunique regni jura, quæ ob redditam coronam ſibi, patrique Friderico Imperatori communibus omnium votis delata eſſe prætendebat, armis proſequi decreverat: hic verò oblatam ſibi regiam poteſtatem lubrica paucorum quorundam procerum fide à fratre præoccupatam graviter ferebat. Et Maximilianus quidem audito Mattbiæ obitu, nullam ſibi moram interponendam ratus, legiones à Suevis, & Vindelicis conſcribit, equites ex tota Germania evocat, tormentorum curruluum, & commeatus magnam vim navigiis imponendam curat, ac ſumma celeritate, ſecundo Danubio in Auſtriam devehitur; miſſiſque idoneis hominibus de adventu ſuo Viennenſes certiores reddit: ſimulque ſtudia, & mentes eorum pollicitis ingentibus ſibi conciliat.

Matthias Rex obit, An. 1490.

Uladislaus Caſimiri Regis Poloniæ filius Matthiæ ſuccedit.

Præerat urbi cum ſumma poteſtate Matthiæ Regis nomine Stephanus Zapolianus Comes Scepuſienſis Palatinus, idemque præfectus ærario, quem Ungari ob inveteratam ejus officii dignitatem Theſaurarium vocabant: vir omnibus bellis ſpectatæ fidei, & virtutis: ſed cujus omnis exiſtimatio, una hac deſertæ, neque viriliter defenſæ Viennæ infamia, ſine merito ſugillari poſſit. Ad eum ab amicis, atque adeo præſidiariis quibuſdam Germanicæ peritis linguæ deferebatur, Cives occulta perfidia laborare: ejus rei indicia eſſe, quod nocturni cœtus ac conciliabula paſſim incannit, & civium domus armatis compleantur, erectique ſint omnium animi ad rerum novarum expectationem. Quibus permotus rumoribus, prætori urbis Johanni Ibermano edicit, ut cum decemvirum Collegio, penes quos juris dicundi poteſtas, & portarum cuſtodiæ habebantur, ſequenti die, ſummo mane, domi ſuæ, quam in urbe amplam, & magnificam, amœnoque verſus Danubium proſpectu habebat, præſto adſint, eſſe de quibus cum illis agi opus ſit. Eos igitur, ſceleris cogitati conſcientia dejectis animis advenientes ſeverioribus verbis caſtigat, quod nefaria conſilia de prodenda Civitate agitare ferantur, debere ipſos meminiſſe, quam clementem, & liberalem Matthiam Regem experti fuiſſent, qui libertates eorum, & immunitates non tantum ratas habuiſſet; ſed novis ſuperadditis benignè auxiſſet: eoque vel ſuperſtite, vel poſtea fatis concedente, quam ipſe placidum, & mite in illos imperium exercuiſſet; itaque ejuſmodi defectionis conſiliis abjectis, ſi meliores felicioreſque eſſe vellent, poſitis armis pacem colerent. Sin minus, ſe extemplò in eos, ut omnium hominum ingratiſſimos, ac extrema quæque promeritos crudeliſſime animadverſurum. At illi compreſſa

Urbi Viennenſi præeſt Stephanus Zapolianus Comes.

Cives defectionẽ ad Cæſ. Maximilianũ moliuntur.

Quos comes acrioribus verbis perſtrictos abs ſe dimittit.

preſſa, quantum poterant, fraude perplexo titubantique ſermone, ſe omnium adverſus rempubl. conſiliorum immunes eſſe, jurejurando affirmare: nec ſumma liberalitate, & indulgentia ſibi ipſis imperitatum, inficias ire; quod vero milites ex urbana juventute perpaucos ſtipendio conduxerint, putare id ſibi per ioterregni tempora licuiſſe, ut opportune collocatis præſidijs, res ipſorum in tuto eſſent, ſe ſummis precibus ab eo contendere, ne adverſis de ſe rumoribus, qui nullo certo auctore orirentur, credere vellet.

Dimiſſis hac ſimplici interminatione decurionibus, equum poſcit, & armatus in arcem defertur, ibi præfecto, ac quadringentis Ungarici nominis militibus ſtipendia perſolvit: eoſque ſpe maturi auxilii, & præmiorum oneratos, arcem novo Regi Ungariæ contemptis omnibus periculis ſervare jubet: ipſe navibus conſcenſis, ſecundo amne Budam contendit: quo Hadvigam uxorem, lectiſſimam fœminam è Teſſinienſium ducum familia, regiæ ſtirpis oriundam, & liberos antea præmiſerat. Non defuere ea quoque tempeſtate viri graves, & cordati, qui majorem in Stephano militaris prudentiæ ſimul, & ſeveritatis vim deſiderarent, utpote cui initia ſeditionum, auctoribus oppreſſis, ex diſciplinæ præſcripto, maturè extinguenda, ac urbis defenſio ad extremum uſque ſpiritum toleranda fuiſſet. Sed ipſe Bohemico, ut credi par eſt, auro captus, ſibique potius privatim, quam Reipubl. conſultum cupiens, tantæ urbis, & provinciæ ubertate agri, & rerum omnium copia, nolli Germanicarum ſecundæ, jacturam parvi fecit. Cui vero præfecturæ munus concrediderit, Annalium ſcriptores, nec ipſe Bonfinius eorum temporum æqualis, tradit in quibuſdam tamen anootamentis Ladislao Uporio ei nomeo fuiſſe invenio; ſed quibus nec præſtare fidem, nec derogare auſim. Cognito Zapoliani diſceſſu, qui fugæ erat ſimilis, Decuriones ingenti cura, & metu liberati, in Curiam conveniunt, ac multo ſonitu æris campani populum ad arma coocitant, portas majori numero militum muniunt; aquilas, Romani Imperii inſignia, per frequentiores urbis regiones circumferunt, Friderici, & Maximiliani Cæſaruo Auguſtorum nomina magnis clamoribus ingeminant, domos & hoſpitia Ungarorum diripiunt: demum duos è Senatorum numero ad Maximilianum in Caſtris ad Clauſtrum Neoburgum, rerum urbanarum ſtatum anxio pendentique animo expectantem, citatis equis ire jubent: qui ſeque, & Civitatem in ejus poteſtate eſſe nuncient: eumque hortentur, ut quam fieri poſſit ocyſſime, in Urbem venire maturet.

Viennenſes concitato tumultu, domos Hungarorum diripiunt

Cæſar collaudatis Vieonenſibus, nihil cunctatus, aſſumpto ſolo prætoriano, & aulico comitatu, alaque una equitum, viæ ſe dat: tormenta currulia, atque exercitum ſine mora ſubſequi jubet, & quum ad urbis portam, quæ à Turre Rubea nomen habet, eſſet perventum, à Decurionibus ſenatuque, & omnibus ordinibus cupidiſſime excipitur: indeque ſub umbella, ſuſtentantibus eam prætore, & aliis Civitatis principibus, in templum, quod divo Stephano protomartyri ſacratum, media in Urbe magnificentiſſimum, ac ſumptuoſa præaltaque turre longè elegantiſſimum habetur, fauſtis Senatus populique, & omnium ordinum acclamationibus, & plauſu deducitur. Ubi primum omnium gratias Deo Opt. Max. egit, quod terram patriam, & provinciam ſui ac majorum ſuorum altricem, à cujus conſpectu tam diu exulaverat, divino numine recuperare licuiſſet.

Se & ſua Cæſ. poteſtati ſubmittunt.

Poſtero die tormenta, quæ jam advecta erant, duabus ex partibus, arcis mœnibus protinus admoveri, eamque iis conquaſſari jubet. Verum tribunus ac Centuriones qui in arce erant, advertantis Maximiliani fama, ac civium rebellione nequaquam animis fracti, omnia quæ tolerandæ obſidioni neceſſaria ducebant, ſumma ope celeritateque curaverant, tormenta idoneis in locis collocaverant, eaque corbibus vimineis craſſioribus ingeſta terra oppletis, nota ratione, obſepſerant: impigreque ſeſe ad defenſionem præparaverant, uſque adeo ut hoſtes difficiliorem quam putarant oppugnationem experirentur. Germani cum ſuperior murorum pars ferreis globis decuſſa eſſet; ut præſente Cæſare, quantum virtute viribuſque valerent, oſtenderent, ſcalas derepentè arripere, ac acerrimam impreſſionem, vel injuſſu ducum, facere cœperunt: ſed propugnatorum fortitudine repulſi, multis acceptis vulneribus, multiſque interfectis, incepto deſtiterunt. Quanquam autem Cæſar hoc accepto detrimento, ſatis caſtigatam militum temeritatem arbitrabatur, eos tamen acri ſermone increpavit: vetuitque ne amplius, niſi juſſu ſuo, tale facinus aggredi auderent. Ad inviſendos deinde aggeres, & muniriones, è quibus tormenta explodebantur, profectus, quædam obſtacula correxit, & eam mœniorum partem quæ inter templum Divi Auguſtini atque ipſam Arcem, verſus ſolem occidentem, erant, utpote debiliorem acerrimè verberari juſſit. Interea per transfugas Ungaricæ linguæ gnaros tentari propugnatorum animos placuit: eiſque oblata incolumitate, rerum omnium liberum abitum offerre, ſi reddita arce gratiam potius quam vim Cæſaris experiri mallent. Sed illi miro ſilentio uſi, nec verbum quidem ad ea reſponderunt. Jam aliquot dies præterierant, ex quo Cæſar Viennæ hærebat; quum novæ Civitatis ſeu Neoſtadii nuntii in Caſtra venerunt, ſe quoque compulſis in Arcem Ungarorum præſidiis, Urbem felici aſtutia occupaſſe adferentes, proinde ſi manum aliquam militarem eo mitteret, fore, ut arx quoque rebus neceſſariis ac commeatu deſtituta, in poteſtatem veniret. Quod poſtquam Cæſar læto animo audiviſſet, eorum petitioni paruit, miſſiſque quatuor centuriis militum, arcem obſidione arctiori premi juſſit.

Cæſ. Maximilianus urbe occupata, arcem obſidet.

Interea cum Viennæ aſſidua tormentorum vi, magna in muris ſtrages edita eſſet, ut Cæſar ipſe, & duces poſſe irrumpi exiſtimarent; tribunis militum cohortiumque præfectis ad ſe vocatis mandat, ut in ſequentem diem ſupremi certaminis aleam omnibus viribus tentare, ac in arcem omninò evadere conentur. Signo igitur dato, ſublatiſque vexillis, ac magno tympanorum ſonitu, clamoreque edito, milites ad pugnam alacriter procurrunt, & per murorum ruinam aſcendere ſumma ope nituntur. Aderat Cæſar ipſe hortator acerrimus, auguſta ſua dignitate, oriſque & vultus majeſtate, tanto nomine dignus, præmia militibus, prout cujuſque virtus atque opera enituiſſent, pollicens; pugnatum eſt diu, & acerrimè, nec Ungari magno præſentique animo moram dimicandi fecere, multis horis neutro inclinante victoria.

Cum

Cum autem ancipiti in certamine feſſis, & vulneratis integri ſubmitterentur, & Germani ſubinde numero viribuſque aucti, ſigna in ſuperiorem muri partem certatim inferrent, contineri Cæſar non potuit, quin ſe pugnantibus immiſceret, ac militis ſimul, & ducis munia fortiſſime obeundo, militum animos ad virtutem, & rem gerendam inflammaret, quo in certamine vulnus in humero accepit, quod quanquam non erat lethale; tamen milites, ea re intellecta remiſſius pugnam capeſſebant: ipſeque prælio excedens receptui cani juſſit. Periêre ex Germanis paulo minus centum, duo ſigna capta. Ungaris quoque haud incruenta ea victoria ceſſit; compluribus ex ipſis interfectis, & multo maxima parte vulneribus debilitata. Quapropter tribunus, & Centuriones, mutuo habito colloquio, quum mœnia non in uno loco quaſſata, & diruta cernerent, ac de auxiliis omnino deſperarent: heſternoque prælio vix non manu captam arcem memoria recolerent, aliam oppugnationem minime ſibi exſpectandam tempeſtive decreverunt, ne poſtea nullam à Cæſare ſaucio, ob idque graviter exacerbato, miſericordiam conſequerentur, ſicque poſtero die qui fuit obſidionis decimus, è muro de deditione agere cœperunt. Neque ægre impetratum, ut tradita arce, omnes incolumes in patriam, aut quo vellent, libere demigrarent.

Cæſar in oppugnanda arce vulnus accipit.

Hungari ſe Imp. dedunt.

Per hunc modum quinquennio poſtquam arx, & civitas in Regis Mathiæ poteſtatem venerat, Maximiliano reddita eſt, & noſtri ea exceſſere. Eodem quoque tempore arcem Neoſtadienſem Ungari, qui in præſidio erant, iiſdem conditionibus dediderunt, ut incolumes cum armis, & impedimentis dimitterentur: quum ad extremam omnium alimentorum inopiam redactis nulla ſpes auxiliorum affulſiſſet. Nec multo poſt Joannes Tarcianus, è Tarcia ſuperioris Pannoniæ familia nobili, & honeſta oriundus, ſed inefficacis vir ingenii oppidum Pruccum, à ponte ad Laitam flumen denominatum, ſupina ſua incuria, ac clancularia Germanorum fraude amiſit. Is enim cum ſacri audiendi cauſa ex arce ad templum, quod in oppido habetur, incautius, quam temporis, & rerum ſtatus poſtulabat, progreſſus eſſet, à Civibus per inſidias interceptus, vinculiſque conſtrictus fuit: nec ulla alia conditione liberatus, quam ut arcem cum tormentis, & omnibus munimentis traderet, res ſuas, & militum, qui in præſidio erant, quo vellet, aſportaret. Sicque brevi interjecto tempore Maximilianus trium inſignium Auſtriæ Civitatum imperio, ſere ſine ſuorum ſanguine, facillime potitus; & abeuntibus noſtris fidem egregie ſervavit. Cætera quoque oppida, & municipia, aut metu excedentibus præſidiis, aut fæde ſeſe dedentibus, parvo negotio, & labore, in ejus ditionem redierunt; quum novus Rex, ac Comes Scepuſienſis, cæterique duces Ungari, pari ſocordia atque ignavia agitati, maturam, uti debebant, opem ferre neglexiſſent. Cæſar incredibili celeritate, tantam adeptus victoriam, quanquam magnopere lætaretur, quia tamen ex vulnere nondum convaluerat, & ruinis murorum, quas ingentes brevi tempore ediderat, reſtaurandis incumbebat, aliquot dierum moram ſibi interponendam cenſuit, ut interea exercitus quoque pauliſper conquieſceret, & ex copioſiſſimæ urbis commeatu, cibariis aliiſque rebus neceſſariis recrearetur.

Cujus fides, & Neoſtadienſis arx acceſſit. Et Pruccum.

Cætera que Auſtria oppida Hungaris adempta ſunt.

Sed Uladiſlaus, & Ungarorum proceres, repentino hoſtium impetu, ac proſperis eorum ſucceſſibus conſternati, non ut decebat, exercitum comparare, neque auxilia ſuis laborantibus mature adferre, nec denique pro veteri gentis gloria acie confligere: verum abjecto degenerique animo, legatos ad Maximilianum expedire decreverunt. Itaque mittuntur Stephanus Criſpus Sirmienſis Epiſcopus, variis functus legationibus, ac Joannes Sullemburgus Bohemicus Cancellarius, viri graves, ac Maximiliano cogniti; qui forte eo die Viennam appulere, quo Cæſar capto Clauſtro Neoburgo, eodem venerat, arcemque obſidione cingere ſtatuerat. Hos Cæſar haud cunctanter admiſit: & quum nomine Uladiſlai regis Ungariæ eum initio ſermonis ſalutaviſſent, non tantum alienato, ſed contumaci propemodum animo negavit illum legitimo jure regnum acquiſiviſſe, quod multis ante annis, parenti ſuo adhuc ſuperſtiti Friderico Imperatori Auguſto, ac demum ſibi, votis & ſuffragiis univerſorum ordinum, juſta perpetuæ hæreditatis prærogativa, ac tabulis rite confectis, ſi Mathias abſque prole deceſſiſſet, delatum foret. Poſtea tamen recollecto, & mitigato animo, legatos verba proſequi permiſit. Qui exorſi à vetuſtiſſimis fœderibus, quæ inter Cæſares, & Bohemiæ Reges aliquot antè ſeculis icta, & poſtea ab ipſis confirmata fuiſſent; quibus caveretur, ſi quæ inter ipſos ſive de finibus herciſcundis, ſeu de provinciarum ſucceſſione, aut aliis rebus graviſſimis controverſiæ orirentur, eas non vi, & armis, ſed arbitrario vicinorum principum interventu dirimendas eſſe, propoſuêre illis Uladiſlaum in hac quoque diſceptatione, cuncta ex æquo, & bono componere, quam ancipiti bellorum ſorti ſubjicere malle. Tabulas quibus Cæſar jus ſuum tueatur, vel ex peritiſſimorum Juriſconſultorum ſententia, viribus deſtitui, utpote, quæ non ſpontaneis, ſed coactis ſuffragiis editæ, conſenſu nobilitatis ac populi caruerint: qui eas cum ſumma indignatione exploſas rejecerint, vix prohibiti, quin interficiendis legatis, qui tabulis conficiendis affuerant, violentas manus injeciſſent. De Auſtria eas inter Fridericum Auguſtum, ac Regem Mathiam icti fœderis conditiones intervenîſſe, ne illa, niſi aliquot myriadum ſumma pecuniæ depoſitæ, adimi ab Ungaris poſſit. Proinde ſe à Cæſare etiam atque etiam obnixe petere, ut depoſitis ſimultatibus atque offenſionibus, ancipiti jure ſuo decedere, æquiſſimaſque Uladiſlai, & Ungarorum rationes admittere; potiuſque arma in barbaros Turcas jam Sirmio, & vicinis Iſtro provinciis imminentes, ſacro indicto bello, convertere vellet.

Legati à Uladiſlao ad Cæſ. miſſi rebus infectis redeunt.

Legatorum oratio.

Ad ea Cæſar, paucis in deliberando diebus interjectis, durius, quam legati ſperarant, reſpondit: ſe aliis in rebus Uladiſlaum amici fratriſque loco habuiſſe ſemper, & deinceps habiturum; ſed juribus ſuis, quæ ad regni Hungarici hæreditatem non ambigua, ut ipſi dicerent, ſed clara admodum, & perſpicua haberet, nullis petitionibus, nullis minis, nulla periculi denuntiatione deceſſurum: Uladiſlaum Bohemiæ regno ampliſſimo, cum annexis provinciis, utraque Sileſia, Moravia, duabuſque Luſatiis contentum eſſe debere: æquo conſentaneum videri, ut aliis quoque id prometitis ſceptra, & imperia gubernanda permittat. Quod ſi aliena ſibi vendicare pergat, tum ſe aliis adhibitis

Ad eam durius Cæſar reſpondet.

principibus brevi curaturum, ot libidini ambitionique ejus obviam eatur. Legati hoc reſponſo rebus infectis dimiſſi, cum in itinere certis nuntiis intellexiſſent, Uladislaum ad exequendos veterum more coronationis ritus Buda Albam eſſe profectum, ut illius ſolennibus intereſſent, ac regem de irrito legationis exitu edocerent, relicta ad levam Budenſi via, Albam contenderunt. Quo delati quum eſſent, Regi, & proceribus peragenda primum coronatio, deinde cætera poſt eam in accuratiorem deliberationem revoranda viſa fuere.

Uladislai inauguratio Albæ magno ſplendore celebratur.

Omnis ordo totius coronationis atque ſeries ex præſcripto librorum pontificiorum pendet, illincque deſumi, & perfici ſolet. Ejus vero caput, & ſumma eſt, ſacratis aotiſtitibus verba jurisjurandi, prælegentibus, regem fide ac Sacramento obſtringi, quod Religiooem Catholicam, ac omnes ordines in ſuis libertatibus, regnique fines, & limites pro virili defenſurus ſit: ac jus æquabiliter dicundo omnibus ex æquo juſtitiam adminiſtraturus. Quibus verbis prolatis ſacra capiti ejus corona imponitur. Sacram appellatam tradunt, quod cum eam Romæ fabrefactam Benedictus Pontifex ejus nominis ſeptimus, Meſconi, ſeu ut à Polonis nominatur Mencislao eorum principi mittere animo deſtinaſſet, cœlitus admonitum, ut illa potius Stephanum Pannoniæ principem ornaret, qui recens religionem Chriſtianam ſuſcepiſſet. Nec me operæ pretium facturum reor, ſi omnes cæremoniarum partes ſingillatim ac minutatim perſequar. Illud non prætermiſerim, Uladislaum cum alias ubique tum Albæ exquiſitiſſimis honoribus, ac omnium ordinum lætitia plauſuque exceptum: Nam prætetquam quod vulgi innumera multitudo ad ſpectandam regiæ inaugurationis pompam confluxerat: oemo ferè fuit ex Bohemia, Sileſia, Moravia, ac ipſis Pannoniæ finibus, qui ea tempeſtate longè lateque patebant, alicujus famæ, aut nominis nobilis, ſenator aut eques, qui non ad cohoneſtandam, & ornandam eam celebritatem certatim nomina daret.

Corona Ung. cur ſacra dicatur.

Laurentius Sirmii Dux, & Blaſius Magiarus huic pompæ non interfuere.

Unus Laurentius Sirmii dux, quem Poloni, & Bohemi Friſtacium ab oppido ejus vocare ſolent, ob veteres ſimultates cum Uladislao ſuſceptas, intereſſe noluit, quæ poſtea in apertum bellum erupêre; Laurentiumque ipſum in maximum vitæ, & fortunarum diſcrimen præcipitavêre, ut poſtea commemorabimus. Blaſius Magiarus, ab Alberto Uladislai fratre, eodemque regni competitore, & æmulo, in partes traductus, ſimili contumacia abfuit. Hic eſt ille Blaſius præfectorum Matthiæ Regis pugnaciſſimus, conſilioque, & manu promptiſſimus, quem Matthias ex gregario milite, ſola virtutis commendatione, ad ſummos militiæ honores, & divitias promotum, emenſo, & enavigato è Semenſi Dalmatiæ portu, mari Adriatico in Italiam ire juſſerat, cum duobus millibus peditum Ungarorum, adverſus Turcas, qui Hydruntum in Salentinis maritimam civitatem ceperant; atque ipſe, compulſis ad deditionem barbaris, victor, & magis à Ferdinando Aragonio, Siciliæ, Neapoliſque rege, Matthiæ ſocero, excultus muneribus cum triumpho redierat.

Cum Joanne Corvino pacis initæ conditiones.

Cum Joanne Corvino Uladislaus, non multis ante coronationem diebus, opera Sigiſmundi Quinque Eccleſienſis, & Urbani Agrienſis Epiſcoporum, oportune pacem fecerat, neceſſariam potius quam honeſtam, iis, quæ extrant, conditionibus; conceſſa nimirum ei, & de manu tradita, omni ultra Dravum flumen Illyrici ditione, uſque ad Dalmatiæ limites, & oram Adriatici maris: ita tamen, ut ſi abſque liberis, ſicuti evenit, decederet, omnia ad regnum Ungariæ revolverentur. Is igitur, uti erat miti liberalique ingenio, obliterata offenſarum memoria, inſtructiſſimo equitatu, validiſque peditum deſcriptorum cohortibus, pompam omnem ſtudioſo animo condecoravit: ipſique ante alios omnes geſtandæ coronæ munus delatum fuit. Zapolianus, qui Palatinatum, primam ſecundum Regem dignitatem, obtinebat, ac Stephanus Bathorius, re & cognomine cælebs. Paulus Quiniſius, Bebecus, Gerebus, ac cæteri, quos longum eſſet commemorare, quum poſt tot, & tantas auſpiciis Matthiæ regis victorias, ex diverſis hoſtibus devictis reportatas, & ſpolia adempta, opulentiſſimi evaſiſſent, ornatiſſimas & ipſi equitum alas adduxerant; quæ prætetquam quod generoſiſſimis equis, undique magno ſumptu conquiſitis conſtabant: tum vero militum gladii, mucrones, ſicæ, ſecures, clavæ ferreæ, atque equorum frena, frontalia, cæteraque inſtrumenta auro atque argento elaborata, miroque ſplendore fulgentia cernebantur. Admirationi etiam exteris hominibus erant hippopotamorum caudæ, pectinibus mollitæ, ac equorum pectoribus appenſæ. Ea animalia io vaſtis Nili fluminibus, rara captu naſcuntur, idque genus ornamenti equeſtris, & magnum obtinere pretium, & apud Turcas, & Pannonios etiamnum in uſu eſſe videmus; fuêre copiæ non ſolum elegantia apparatus divites, & dignæ admiratione; ſed etiam numero minime contemnendæ; Decem enim millia equitum facile expleviſſe dicebantur.

Hippopotamorum caudæ.

Decem millia equitum adfuiſſe dicuntur

Neque Bohemorum, Moravorum, & Sileſiæ agminum numerus longe Ungariæ erat inferior: ſed qui atris in morem Germanorum armis, veſtibuſque protectus, Ungarorum varietate, & fulgore omnium judicio vinceretur. Suadebant nonnulli ex ducibus, hoc eodem exercitu Maximiliano obviam eundum, ac collatis ſignis acie decernendum; ſed Uladislaus otii, & quietis cupidior, incertum quibus de cauſis Budam redeundum exiſtimavit: vel quod Maximilianum Auſtriâ recepta contentum, arma ulterius minime promoturum arbitraretur; quanquam à legatis, qui ab eo paulo ante redierant, indomitos illum ſpiritus gerere, & ad proferendum imperium hoſtilia animo agitare iotellexiſſet.

Igitur peracta coronatione, paucos dies Albæ moratus, Budam ſe cum exercitu recepit. Nec multo poſt nuntii è diverſis partibus, alii poſt alios adcurrere, qui multiplicibus belli procellis regnum agitari premique adferebant.

Jac. Siculus, & Chriſtoph. Frangepanus aliique ad partes Cæſ. deſciſcunt.

Nam Jacobus Siculus, quem Matthias Racoſpurgo, ac Petoviæ, nec non Stiriæ à ſe ſubjugatæ præfecerat, accepta, in præmium defectionis, duarum artium Ormoſdi, & Borhni in Stiria ditione, & Chriſtophorus Frangepanus, Segniæ, Vegliæ, Modruſiæque Comes, multis in Dalmatia, & Illyrico arcibus, & clientelis potens, cum Joanne Halapſiuio, aliiſque compluribus, ad partes Maximiliani tranſiiſſe, atque illum ſponte concitarum, ad aſſerenda jura ſua, & proſequendum bellum acrius ſtimulare dicebaotur. Civitas quoq; prope Collegium ſacerdotum Zagrabiæ, ſupra collem à Bela Rege condita, quem montem græcum vulgo vocaot, Germanis intromiſſis, pari ſcelere Uladislai partes deſeruerat.

Quan-

Quanquam autem Uladislaus ante coronationis ſuæ tempus, Albertum fratrem cum octo millibus Polonorum equitum, ad Peſtana uſque ſuburbia, hoſtiliter urendo obvia & prædando, adventantem, ac regnum ſibi à paucis quibusdam plebeiis hominibus populari acclamatione delatum, armiſque repetere conantem primum per legatos ultro citroque commeantes, deinde mutuo habito, ad ripam Danubii ulteriorem, colloquio, certis oblatis conditionibus pacatum reddidiſſet; ita ut ille quinto, poſtquam venerat, die, in Poloniam pedem referret:

Uladiſlai, & Alberti fratrum de regno certamina.

quia tamen à Uladislao fratre conditiones non fuiſſe adimpletas querebatur, ſuaſu, ut ferebatur, Philippi Callimachi, è ſancto Geminiano Hetruriæ oppido oriundi, viri docti, ac Varnenſis hiſtoriæ ſcriptoris elegantiſſimi, cujus conſilio utebatur, bellum renovare, reſumptiſque armis omnia turbare, & in ſuperiore Ungariæ regione Caſſoviam Urbem acri obſidione cinxiſſe nuntiabatur. Comperio apud authores fide dignos, quod Bonfinius reticet, Glogoviatum in Sileſia principatum illi fuiſſe promiſſum, ſi bello abſtineret: neque tamen ad condictum diem traditum, eamque fuiſſe cauſam renovati belli.

Albertus Caſſoviam obſidet.

Cui fratrum diſſenſioni Caſimirus, utriuſque parens, incertum quas ob cauſas, haud diſſimulanter connivebat; ac Uladislaum odio proſequi ingratumque appellare, & Alberto copias militares & pecuniam, ad ſtipendia militum aperte ſubminiſtrare dicebatur.

Beatricis Reginæ 400. equites à Magiaro funduntur.

Et acciderat iiſdem diebus, quod quum Beatrix regina quadringentos expeditos equites, ſua pecunia conductos, audita Caſſoviæ obſidione, illuc miſiſſet, ut obſeſſis auxilio eſſent, ſimul ut Uladislao gratificaretur, ii à Blaſio Magiaro, cum veteranorum valida manu, ad partes Alberti forte tranſeunte, in itinere deprehenſi, non multo negotio funderentur, equiſque, & armis, impedimentiſque omnibus exuti dilaberentur. Verum Blaſio hæc victoria ultimum operum fuit; eodem enim itinere gravi morbo correptus, quod Alberto ejusque partibus magnum attulit incommodum è vita exceſſit:

Magiarus obit.

hærede omnium bonorum, unica filia nomine Benigna, teſtamento relicta: quam eventu ſterilem Paulo Quiniſio, præfecto Temeſuarii nuptui tradiderat.

Beatrix acriter matrimonium promiſſum ſollicitat.

Hæc omnia adverſa accumulavit Beatricis Reginæ importunitas, magna Uladislai Regis cura doloreque, quæ tunc Strigonii in arce ſe continebat, & fœdera conjugii ſibi promiſſa frequenter, & fere impudenter flagitabat; quæ niſi conſequeretur, ſe una cum arcibus, quæ in ejus poteſtate habebantur, commutata voluntate ad hoſtes tranſituram comminabatur.

Tantis difficultatibus circumventus Uladislaus, non ſe animo demittit, ſed ſuaſu ſenatorum, quibus fidebat, quorumque conſilio utebatur, Poſonium ſe confert: & ſine mora ſex vel ſeptem cohortes veteranorum peditum, quos Matthias Rex ad imitationem Janicerorum Turcicorum, perpetuis ſtipendiis, ad quatuor millium numerum, alere ſolitus erat, quæ Nigræ vocabantur, quæve eo tempore in agris Poſonio ac Tirnaviæ ſubjacentibus in ſtativis erant, præſenti pecunia conducit, iis conditionibus, quibus interregni tempore à Jano Epiſcopo Varadienſe inauctorati fuerant.

De Beatrice diſputatum eſt in ſenatu acriter in utramque partem, an illa ulteriori ſpe conjugii ſuſtentari deberet, aut aperte nudatis ſenſibus repudii conſilia ei offerenda. Neque Rex ipſe negabat à ſe illi ſpem præbitam, ut facilius Regni jura adipiſci poſſet: ætate tamen ejus, & importuna ſterilitate terreri, ut alieno ab ea ſit animo.

Inanibus autem promiſſis lactata fruſtratur.

Itaque cum ſententiam Ungarorum, & Bohemorum ſingillatim exquiſiviſſet, omnibus, præter paucos, quos illa muneribus corruperat, contentionibus, ſummo ſilentio decernitur, ad ſpeciem officii convenendam eſſe, ac compoſito ad diſſimulandum animo ſpecioſa verba ei danda, quæ demum factis minime ſint reſponſura. Cum autem ſecundo Danubio Budam reverti ſtatuiſſet, & Strigonium, ubi illa erat, præteriri nequiret, literas ſua manu ſcriptas ad eam dedit, quibus ſe brevi apud eam futurum ſignificabat, ac in negotio, cujus lætum exitum tantopere deſideraret, eas rationes initurum, quibus ea haud dubie contenta eſſe poſſet. Ad eam igitur Strigonium divertens, paucis, quos chariores habebat, arbitris adhibitis, & dextra data, ſpondere ſe dixit, ipſam ex ordinum regni voluntate in Conjugem accepturum, cum primum à tot, & tantis hoſtilium bellorum procellis quies aliqua aut otium pararetur. Quibus verbis atque aliis accommodatis exhilarata, cum ad communes epulas amanter invitavit: Sed Uladislaus varios belli rumores cauſatus, quibus iter accelerandum eſſet, eodem die Viſſegradum citatis remis navigavit: ibique ea nocte tranſacta, ſequenti die Budam tenuit.

Uladiſlaus ad Caſſoviā obſidione eximendam inſtructo exercitu contendit.

Delinita in hunc modum ad præſens Beatrice, nihil Budæ moratus, cum jam exercitum, quem ad certum diem ex omnibus provinciis ad oppidum Hathuanum, ſexto à Buda milliari diſſitum convenire juſſerat, cum nigris cohortibus ac prætoriano comitatu, ad ſolvendam Caſſoviæ obſidionem proficiſci feſtinavit. Cumque prima poſt diſceſſum ab urbe caſtra metaretur, Stephanus Zapolianus Comes Scepuſienſis, & Palatinus, cum mille equitibus, ac quatuor millibus & quingentis peditibus adfuit, & ſe cum rege conjunxit. Quæ res Uladislaum magna affecit lætitia, adeo ut hilari ſermone vultuque gratias ei ageret, quod ad eum tanta celeritate tantiſque viribus adventare maturaſſet.

Maximilianus interea copiis comparatis in Hungarum irrumpit.

At Maximilianus ſuis rationibus inſiſtere certus, ex hac Uladislai profectione, occaſionem gerendi belli oblatam ratus in Ungariam irrupit; exercituque ubique militari via ducto, tertiis caſtris Sopronium venit, nobili vino, & ubertate agri oppidum celebre. Quod quidem quum vim, & impetum ejus ſuſtinere non poſſet, ac abſente Rege, auxiliis juvari poſſe deſperaret, celeriter deditionem fecit; ea conditione, ut Cives & incolæ toto eo bello, neque Cæſaris, neque Uladislai partes ſequerentur;

Sopronium.

cui conditioni Maximilianus abſque cunctatione, plurimis admirantibus, ſubſcribere non dubitavit.

Sabariā.

Inde Sabariam ductus exercitus, eaque debili ac vetuſto muro, pauciſque militibus cuſtodita, ſine ulla mora portas aperuit.

Vaſuarum occupat.

Deinde ad oppidum Vaſuarum, quod caſtrum ferreum vocant, Arrabonem flumen ponte trajecit, ibique biduum moratus, Ladislaum Caniſianum, & Nicolaum Secium, claros nobilitate, & opibus viros, ac Bartholomæum Berislavum Priorem Auravæ, ſed qui privatis potius quam publicis commodis conſultum volebant, cum eorum militibus in caſtra recepit. Quæ cum Uladislao crebris nunciis allata eſſent, re cum principibus ducibuſque ſuis communica-

ra, non inanibus conjecturis illum ad urbem Albaoam oppugnandam, uti poſtea evenit, properare exiſtimarunt: idque eò proclivius, quod Joannem Viceſium Veſprimienſem antiſtitem, aſtutia Jacobi Siculi, ac ingentibus Cæſaris pollicitis deceptum, ſecus quam ſactatum virum decebat, ſumma levitate Germanis hoſtibus adhæſiſſe intellexiſſent.

Alba munitur.

Mittuntur igitur ad muniendam præſidio rebuſque neceſſariis Albam è veſtigio Stephanus Bathorius, ac Paulus Quiniſius, ambo virtute domi militiæque viri inſignes, qui cum primum omnium mœnia, & propugnacula, ut in longa pace neglecta, reparanda cenſuiſſent; ſummam etiam tormentorum, & ſulphurei pulveris penuriam in urbe eſſe deprehenderunt. Itaque ad ea curanda, & adminiſtranda noo modicam vim pecuniæ civibus imperaruot; quos tamen ad eam præſtandam opinione ſua duriores invenerunt, eo quod omnes eorum opes, & facultates, quæ alioquin non immodicæ erant, ad coronationis pompas, auctumque & amplificatum cuſtodiarum numerum, cæteraque innumera onera, plus æquo attritas, & exhauſtas eſſe affirmarent. Cum autem nec temporis brevitas erigendis munioonibus opportunitatem coocederet, & ab exploratoribus ac agricolis in urbem metu Germanorum confugicoribus Maximilianus non procul abeſſe diceretur, Bathorius & Quiniſius collatis cooſiliis, Albæ potius jacturam quam Budæ, quæ rebus omnibus vacua erat, minoris ducentes, relicto albæ quingentorum quinquaginta quinque militum præſidio, ac defenſione urbis prætori, & decurionibus, ac præſidii præfectis commendata, Budam ejus muniendæ ac tuendæ cauſa contenderunt. At Cæſar paucis interpoſitis diebus, quatuor ſigna peditum Suevorum ad oppugnandam Caſtri ferrei arcem reliquit: caſtraque Albam verſus promovit: & per ſaltus illius anguſtias, qui à lupo nomen habent, & haud procul à Caſtro ferreo abſunt, lentis paſſibus iter fecit: quandoquidem inclinante in brumam authumno, tormenta, & impedimenta, humida, & cænoſa tellure, magoo jumentorum labore ægerrime vehebantur.

Cæſar Albæ oppugnandæ caſtra promovet

Abeunte Cæſare Suevi milites; quum excubias negligentius agitarent, & vinum, quod eo autumno ubertim provenerat largius, & liberalius potarent, quodque præcipuam eis exitii cauſam peperit, hoſtes temerarie, & inſolenter contemnerent, ſingulare acceperunt detrimentum. Nam præſidiarii, qui ex paucis veteranis, ac quibuſdam vagis abſque ſtipendio peditibus, nec non eorum, qui metu hoſtili ſeſe cum ſarcinis, & conjugibus, parvuliſque liberis illuc receperant, agreſtium oumero conſtabant, viſa Suevorum negligentia, non dubitavere, quin erumpendum, & reprimendam eorum temeritatem judicarent. Itaque ſilentio obſcuræ noctis egreſſi, in ignaros, & nihil tale expectantes, magno ſublato clamore irruerunt. Accinxere illi tameo ſe ad pugnam, ac gladiis, & ſcloperis rem gerere, ſeque egregie tueri ceperunt. Sed quum urgente hoſte in unum globum coire noo poſſent, & modo huc, modo illuc, diſſipatis promiſcue & manipulatim certandum eſſet, ad extremum terga vertere, fuſoſque & fugatos, ac caſtris, & impedimentis exutos, Ungari ad Arrabonis uſque pontem, quem neceſſe erat fugientibus tranſire, propinquioreſque ſylvas proſequuti ſunt, magna pro Germanorum numero cæde edita; multi in fuga, ac demum errabundi per montes, & ſylvas ab iratis agreſtibus, quos variis modis vexatos ſpoliaverant, crudeliter cæſi, pauci ſylvarum latebris tecti, aut melioris fortunæ beneficio ſervati, ad Cæſaris caſtra pervenerunt.

Cæſareani à præſidiariis caſtri ferrei non levem accipiunt cladem.

Jam Cæſar in conſpectum Albæ venerat, Caſtraque in ſubjectis Urbi campis opportuno loco poſuerat, quum ab exploratoribus, transfugarum ſpecie clam ſubmiſſis, certo intelligit ſuburbana tecta, quæ ad Bacaniam portam inſtar oppidi ampla erant, flammis abſumpta eſſe, quod ab ea parte Germanos Urbem oppugnaturos crediderant: ſed in mænibus nulla fere tormenta collocata, aut ſi quæ ſint, pilas eorum ferreas anſerini ovi magnitudinem vix æquare: tum nihil quod ad ſuſtinendam obſidionem è diſciplina militari neceſſarium foret, haberi paratum: adeoque inter cives, & præſidiarios milites inteſtina odia gliſcere. Albana urbs in locis limoſis paluſtribuſque ſita, duabus utrinque paludibus, incertæ altitudinis, equiti pariter & pedio inviis, cingitur: quorum uni Soſto, quæ orientalior eſt, alteri Ingovano nomen eſt, quæ ambæ ex fluvio Sarvizio, æque paluſtri ac cænoſo, carectiſque & arundinetis impedito (qui è Balachone lacu, quem fluvius Sala efficit, prorumpens prope Bacham oppidum Danubio miſcetur) occultis & ſubterraneis quibuſdam meatibus ortum ducere, ac in latis cavarum vallium ſpatiis perpetuo ſtagnare creduntur. Hæc autem Alba duplici ratione Regia appellata eſt, tum quod in ea priſci Reges Pannoniæ ſacro diademate caput cingebantur, & cum vita functi fuerant ſepulturæ quoque honorem accipiebant: tum vero ad differentiam alterius inferioris, quæ ad Iſtri Savique confluentes poſita, ab antiquis Taurunum, nunc à Germanis Græca, atque ab Ungaris Nandoralba, à Thracibus Belgradum, vocari ſolet.

Albanæ urbis ſitus.

Cæſar ab exploratoribus edoctus, Albanos rerum omnium neceſſariarum inopia premi, rem cum tribunis, & Centurionibus Suevorum, & è Vindelicia militum communicandam cenſuit: Simulque propoſuit urbem in manibus eſſe, ſi ipſi viri fuerint, proinde ſe eam ipſis diripiendam conceſſurum, ſi primo coogreſſu, conſcenſis mænibus eam expugnaverint; ſed ita ut à templorum direptione prophanas manus abſtinere, nec quenquam ex civiom oumero, barbaricum in morem ſervituti mancipare debebant. Qua voce ſimul, & lucri cupiditati inflammati, animis frementes, & pugnam poſcentes, verſus urbem citato gradu progrediuntur. Quo animadverſo cohortes Ungaricæ iiſque permiſti nonnulli ex Albana juventute Cives, tyrocinio quidem alacres, ſed rei militaris imperiti, uſque ad ſuburbia, quæ ut diximus ſubjectis ignibus concremaverant, fatali errore ducti, urbe egredi, & prælium tentare decrevetuot. Sed Germani numero plures, & multis retro actis ſtipendiis exercitati, denſatis agminibus, & longioribus haſtis inſtar hericii prætentis, valida etiam ſclopetariorum manu de more permiſta protecti eorum impetum fortiter exceperunt. Nec diu ſuſtinuere certamen Ungari, tametſi aliqoantiſpet præſenti animo ſeſe defendiſſent: quin crebra ſubditaque glandium procella vulnetari, plurimis cadentibus, terga verterent, & effuſa fuga ſeſe in urbem recipere cogerentur: Jam cupide fugientium ve-

ſtigiis

ſtigiis inſiſtentibus Germanis, ut multi ex victoribus immiſti Ungaris in urbem irrumperent: & cum ſubductilem pontem, qui catena ſuſpenſus attolli portamque, claudere ſolet, Ungaris fugientibus ſoblevare non permitterent, ibidem in fruſta conciderentur. Ab ejus pugnæ læto ſucceſſu Germani milites, & imprimis Conradus Langus Suevicæ legionis tribunus, velut omine accepto concitati, præterito, quod ad dextram intrantibus erat propugnaculo, quodque ab Ungaris metu, & pavore conſternatis deſertum erat, ad mœnia urbis defenſoribus vacua certatim provolant: ac in foſſas, quæ præaltis, & limoſis aquarum gurgitibus plenæ erant, ſeſe dejiciunt: in quibus quum multi periiſſent, alii contempto diſcrimine, partim haſtis ſubnixi, partim natantes foſſarum marginem ſuperant, aliisque poſt alios confeſtim ſuccedentibus, murum nemine defendente occupant: deſilienteſque globo facto portam effringunt, & commilitones ſuos atque turmas cataphractorum equitum, qui foris ad incerta belli excubabant, intromittunt. Ungari conſpectis in muro ſimul, & oppido hoſtibus, fracti animis, deſperataque ſalute, arma fœdè abjecêre, & ad quærendas latebras diffugêre. Nec mora Germani ad diripiendam urbem converſi, præſidiarios omnes reſiſtere auſos, & obvium quemque inuſitatâ crudelitate trucidârunt; ita ut nec ſexui, nec ætati barbarâ rabie, & feritate parceretur, quicquid cladium unquam, quicquid calamitatum captæ direptæque urbes à barbaris victoribus pati ſolent, ad omnia irarum, invidiæ atque avaritiæ, & crudelitatis exempla, id omne infelix Albanorum Civitas abunde pertulit; luctus ubique, & pavor, & ejulantium fœminarum, & puerorum clamor auditur: tum truculentæ, & aſperæ militum trucidantium, & rapientium voces. Nec à templorum donariis ac vaſis Deo dicatis impias manus abſtinniſſent, niſi Cæſar eos, qui tale facinus patrare auſi eſſent, laqueo ſe puniturum ſeverâ voce edixiſſet. Dominicus loci Antiſtes, trepidus & exanimis in præaltam turrim ſe receperat, raptis ſecum cum ſuis privatis, tum publicis templi ſupellectilibus, quæ ambæ erant admodum opulentæ; ex qua turri prodiens ab adveniente triduo pòſt Cæſare ita ſervatus eſt, ut ſubſtantia ſua omni, ac ſacerdotiis exutus, ſolum vertere cogeretur, templorum donariis, quæ reperiri poterant, mox redditis. Edixit deinde Cæſar, ut omnes Cives & incolæ urbis, domos quiſque ſuas repeteret, omnibuſque priſtina libertas, fundique & agri redderentur. Sed in tanta rerum & fortunarum clade, hominumque cædibus, pauci qui edicto parerent, apparuêre.

Alba à Cæſ. occupatur.

Et miſerandum in modum à milite victoriâ efferato diripitur

Capta & direpta in hunc modum Albâ, (quum nondum à coronatione Uladiſlai bimeſtre ſpatium temporis præteriiſſet) ac tot & tantis ſpoliis locupletato exercitu. Cæſar ad obſidendam Budam ſine mora proficiſci ſtatuerat; & ſi adhibita celeritate eo copias adduxiſſet, non parva erat ſpes illius potiundæ, quæ inſtar Albæ rebus neceſſariis improviſo deſtituta erat. Sed militari ſeditione, quæ pro prædæ diviſione inter equites, & pedites exarſerat, prohibitus fuit, eaque mora urbi ſaluti fuit: quam Bathorius, & Quiniſius interea rebus omnibus ad tolerandam obſidionem neceſſariis, ac cibariorum omnis generis copia abunde comportata, reparatiſque propugnaculis, & mœnibus longe omnium ocyſſime, & maxima diligentia muniverant. Seditioni cauſam præbuit equitum cataphractorum poſtulatio, qua prædam communi virtute partam, communiter etiam dividendam urgebant, recuſante peditatu eam in commune conferre. Quum verù tribuni, & Duces Cæſaris, voto equitum ſatisfaciendum, prædamque omnem in forum comportandam eſſe, ut ex æquo divideretur, juberent, Suevi, & Vindelici cò acriùs tergiverſari, neque dicto audientes eſſe: ſuo ſanguine, & virtute captam urbem, ſibique omnem prædam promiſſam dictitantes, ſe id quod in equitum poteſtatem veniſſet, quodquidem haud contemnendi momenti eſſet, minimè repetere, quamvis illi à ſuis commilitonibus poſt captam urbem forent intromiſſi: communi militatis diſciplinæ uſu, ac conſuetudine ubique terrarum, & gentium receptum eſſe, ut quum urbes expugnantur, aut quum juſta acie confligitur, luctum omne militi, cujus virtute illud acquiritur, cedat: ſtipendia ipſis multa deberi, neque unquam eorum ſolvendorum ſpem eſſe nullam, tum etiam hoc exiguum commodum, virtute partum, ſibi invideri & extorqueri. Quum hæc atque talia in coronis atque conciliabulis militum jactarentur, neque aliud quam Dux aliquis aut anteſignanus eis deeſſe videretur, nox miſcendæ ſeditioni apta ſupervenit. Cujus obſcuritate adjuti ſoluto imperio, inſalutatis præfectis & tribunis, agminatim domum redire cœperunt: jamque vaſtiſſimos fines Sylvæ Bacaniæ attigerant, qui non procul Alba longe, lateque porriguntur, quum Cæſar equitibus, ut eos inſequerentur, juſſit, ſuoque nomine monerent, ut collectis animis dolore inani aut errore corruptis, pertinaciæ finem imponerent, reverſique ad officium ſtipendia ſua integra, quæ eſſent in numerato, ad ſe reciperent. Sin minus, nuſquam terrarum ac gentium locis ac latibulis ſeſe abdere poſſent, è quibus non ab ſe ſtatu ad certum ſupplicium, uti caſtrorum, & militiæ deſertores, extraherentur. At illi mandatis ſurda aure rejectis, per tranſverſa itinera, colleſque & tramites, qua cuique viſum, ire dilabique perrexerunt.

Cæſar à Buda obſidione militari ſeditione inhibetur.

Quæ ex prædæ diviſione coorta Cæſareum exercitum diſſolvit.

Supra hanc cohortium fœdam conſternationem, & diſceſſum, Cæſar tunc rei pecuniariæ egentiſſimus vehementer erat ſollicitus, unde illis, qui in officio permanſerant, militibus ſtipendia perſolvenda eſſent, verebaturque, ne illi etiam concitata ſeditione importunè dilaberentur. Igitur Quinque eccleſias ad Sigiſmundum Epiſcopum nuntios mittere placuit, qui mutua ſexaginta millia aureorum ab eo peterent. Erat is Joannis Erneſti è Suevia oriundi, ſed Regno Ungariæ inſiti Civis, multaſque arces & ditiones adepti filius, quem Ungari Hamponem appellabant, quique paucos ante annos vita functus erat, ingentemque auri argentique vim à patre relictam, ac è ſacris redditibus collectam poſſidere dicebatur: homo inſigni prudentia & probitate, atque Uladiſlao ſumma fide obſtrictus. Huic Archiepiſcopatum Salisburgenſem in Germania ampliſſimum, & opulentiſſimum promittebat, ſi ſibi extrema neceſſitate circumvento deeſſe nollet. Verum Sigiſmundus ne patriæ ſuæ, ac novi Regis æmulo atque hoſti pecuniam, nervos rerum gerendarum ſuppeditare videretur, eaque re non famæ ſolum, ſed & ſalutis ac fortunarum diſcrimen ſubiret, ſe apud Maximilianum ac-

Cæſ. rei pecuniariæ inopia laborans, ab Epiſcopo Quinque Eccleſienſi fruſtra mutuum petit.

commodatiſſimis, quibus potuit, verbis excuſavit.

Ex exercituum ex Hungaria re bene geſta reducit.

Itaque hiſce rerum difficultatibus preſſus, & ulterioris belli gerendi cogitationes omittere coactus, Viennam, unde venerat, repetendam, reducendaque caſtra decrevit, valido relicto Albæ præſidio: paululumque progreſſus arcem Pauli Quiniſô, quæ Vaſonum appellatur, ex itinere miſſis aliquot cohortibus Germanicis in poteſtatem redegit. Ex Suevis autem, & Vindelicis peditibus, qui ſeditione facta caſtris ſe invito exceſſerant, quos aut in itinere aſſequutus eſt, aut demum Viennæ deprehendit, ad proximas ſalices laqueo ſuſpendi juſſit, præfectis ductoribuſque ordinum, ut altius penderent, proceriores deligens, aut aliis ſuppliciorum generibus necavit.

Seditioſoſque variis ſuppliciis caſtigat.

Demum dimiſſis ad hiberna militibus Comitia Auguſtam Vindelicorum Germaniæ principibus cæteriſque ordinibus indixit, in quibus pecuniam, & copias ab iis poſtulavit, quibus Regoum Ungariæ occupatum Auſtriæ propinquæ annecteret. Sed cum Principes negarent ſe contra Uladislaum, tanquam Regem Bohemiæ, & Septemviratus, Electoriſque Romani Imperii officio, & dignitate fungentem arma ſumpturos, incepto deſtitit: nec multo poſt ad amplectendas pacis conditiones animum adjecit, quas antea reſpuerat; quanquam ut hoc ejus propoſitum quam occultiſſimum aliquamdiu haberetur, magnopere vellet. Sed tandem cum ex comitiis Auguſtanis voö, & deſiderii ſui impos rediſſet, proceribus Ungaris quibuſdam, quos ad eum tranſiiſſe retulimus, ſe non alienam à pace, & concordia mentem gerere ſecreto patefecit, ſi ea bonis, & ab æquitate oon alienis conditionibus tranſigi poſſet: utque id iis, quos in partibus Uladislai amicos haberent, ſignificare poſſent, poteſtatem fecit.

Interea Uladislaus, ubi quæ Cæſar agebat, ex certis nuntiis accepit, ſimulque de periculo Albanorum certior redditus eſt, minime rebus ſuis diffiſus, omiſſa in præſens Caſſoviæ liberandæ cogitatione, omnino reverti, & Albanis opem ferre decrevit, ac è veſtigio cohortes nigras Danubium tranſire juſſit. Verum quum eodem tempore, & circumvallatæ urbis, & captæ direptæque famam audiviſſet, milites, qui Danubium trajeceraot, mox redire, ac caſtra Caſſoviam verſus promoveri juſſit, ut Alberto fratri bellum denuo reparanti occurreret, re Albana ad reditum illinc ſuum dilata. Corvinum autem cum ornatiſſimis copiis Comaronio, ubi tum habitabat, adventantem læto vultu excepit, convivioque adhibuit. Progreſſus deinde haud cunctanter primo Hatuanum oppidum, dein Agriam pervenit: atque iis in locis nihil moratus Caſſoviæ appropinquavit, eo animo atque conſilio, ut cum Alberto fratre, ſi ille in aciem prodiret, fortunam belli experiretur; quum in caſtris haberet amplius XVIII. millia armatorum, præter illos, qui indies è variis locis certo expectabantur.

Tartari ex Alberti caſtris villas viciniores ferro flammaque depopulantur

Circumſederat jam complures dies Caſſoviam Albertus, admotiſque tormentis mœnia conquaſſaverat: atque interea miſſis per omnem regionem expeditioribus equitibus, imprimis verò Tartaris, villas prædari, & urere, fruges in caſtra convehere, quæ convehi atque aſportari nequirent, corrumpere: quum Uladislaum fratrem adventare didiciſſet, decrevit ſub ipſis Caſſoviæ mœnibus quamprimum manus conſerere. Habebat in Caſtris præter Polotiorum turmas haud aſpernandas, non parvam Scytharum ſeu Tartarorum manum, io quorum virtute, & agilitate plurimum confidebat. Nihil vilius, & contemptius Tartaris primo aſpectu poteſt eſſe; equis enim utuntur contemnendæ ſtaturæ degeneribus, & ſtrigoſis, eiſque ut plurimum caſtratis, ſtapedas, quibus pedes equum aſcenſuri induunt, faginos; fræna è funibus cannabinis, cæterumque apparatum omnem abjectiſſimum habent, paucis qui ditiores ſint exceptis; niſi quod jacula & ſagittas adverſi æque ac averſi, & fugientes, arcubus corticeis peritiſſime contorquent, & ad ſubitarias pugnas, ac populandos agros, inquietandaque & laceſſenda hoſtium caſtra quam aptiſſimi habentur.

Adventante propius Uladislao Albertus ad tuendam nominis ſui famam pertinere ratus eſt, ſi ipſe quoque circumvallatæ urbis mœnia relinqueret, ac patentibus in campis pugnæ poteſtatem offerret. Igitur omiſſa obſidione, eo ubi Uladislai caſtra collocata erant, cum exercitu profectus, tanta propinquitate ſua caſtra hoſtilibus contulit, ut equorum hinnitus, ac militum clamor, ipſeque caſtrenſis fremitus facile exaudirentur; principes tamen & duces, priuſquam ad arma concurreretur, fratribus tam pie, quam prudenter admonitis ſuaſerunt, ut ſi mutuæ eorum lites, & diſcordiæ extra Martis aleam, quæ anceps plerumque, & lubrica eſſe ſolet, componi tranſigique poſſent, experiri non gravarentur.

Uladislaus caſtra ſua fraternis confert, ſeque ad prælium accingit.

Sed dum de iis conſultant, ac deliberant, & legati ultro citroque commeant, Albertoque jubente, tormenta è vineis & aggeribus, ut caſtris præſidio eſſent, extrahuntur: ex altera parte ſtante explicatis ordinibus, erectiſque ſignis utrinque acie minutioribus præliis, & emiſſis tormentorum pilis ferreis inter bina caſtra certabatur. Id conſpicati è mœnibus ac templorum turribus, qui in præſidio Caſſoviæ eraot, animadverterunt Polonos tormentorum atque aggerum cuſtodiæ exiguum militum numerum reliquiſſe, itaque nulla facta mora, globo denſato eruperunt, & quum magnum atque cruentum certamen edidiſſent, omnibus tormentis majoribus, quæ iſthic erant, puncto temporis potiti ſunt.

Præſidiarii Caſſovienſes, eruptione facta hoſti tormenta eripiunt.

Nec mora, ligneas etiam quadrangulares turres, numero duodecim, quas Poloni mœniorum fere altitudinem æquantes è materia, & ceſpite erexerant, adorti, eadem celeritate expugnarunt, injectoque pulvere ſulphureo, quem hoſti ademerant, ſuccenderunt, incolumeſque in urbem reverterunt. Eodem quoque tempore, inter duo caſtra Tartarus equo vectus Ungarorum fortiſſimum, ſi quis inter eos baberetur, ad ſingulare certamen identidem magno clamore provocabat. Contra hunc Demetrius Jaxitius, Matthiæ Regis alumnus, multiſque editis facinoribus clarus equitum præfectus, ſumma alacritate in medium prodiit; Tartarumque haſta equo deturbatum celerrime confecit, victorque rediens à ſuis magna congratulatione exceptus eſt.

Laxitius cum Tartaro ſingulari certamine congreſſus victor evadit.

His in hunc modum adminiſtratis, Albertus ſive metu adverſi prælii perculſus, ſeu potius certæ pacis, concordiæque conſilia, dubio bello præferens, literas ad fratrem ſcripſit, eaſque ſagittæ alligatas in Uladislai caſtra jaculandas miſit, quibus ſe pacem æquam, & honeſtam non abnuere ſignificabat, colloquiumque à fratre petebat. Quod quidem ab Uladislao, apud

quem

quem nihil prius, potiuſque pace, & quiete erat, multis de cauſis facile impetravit: quarum ea præcipua erat, quod aſperrima, & rigidiſſima hyeme, quantam non ulla hominum ætas meminerat, domum properaret, ut Albæ recuperandæ conſilia ſuſciperet, cujus paludes, foſſæque frigoris vi concretæ, etiam curulibus tormentis quantumvis immani pondere ſuſtinendis facilem viam præberent. Igitur extenſis in eum finem inter duo caſtra tabernaculis, Albertus in equum ſublatus, ad Uladislaum prior venit. Diſceptavêre diu fratres de mutuis diſſidiis, nemine præter Valentinum Epiſcopum Varadinenſem adhibito arbitro; quum alter adepta Ungariæ corona, legitimum ſe Regem creatum eſſe diceret; ille ſibi quoque delatum regnum eſſe, ſed ab iiſdem qui detulerant, perfidioſa prævaricatione interverſum quereretur; cujus jura non proſequi degeneris animi eſſe judicaret: nec tamen arma ſe fuiſſe reſumpturum, ſi frater conditionibus, quas in agro Peſtano pepigiſſet, ſtare voluiſſet. Demum poſt multas contentiones ad priora pacta ſponſioneſque ab ambobus recurſum eſt, eiſque denuo confirmatis pax coaluit, nimirum ut in Sileſia principatus Glogoviæ, cum certis ditionibus & oppidis Alberto cederet, donec & ipſe Rex crearetur, & Uladislao fratri, tam hujus fœderis, quam principatus jure obſequium clientelæ præſtaret. Adjectum verò ut Alberto quotannis tria millia aureorum nummûm penderentur; miſſusque è veſtigio Joannes Sullenburgus, Bohemicus Cancellarius, cum aliquot Collegis, à quibus Alberto Glogovia, & alia oppida ſine mora conſignarentur. Interea autem donec promiſſa præſtarentur oppida Saroſium, Eperieſſium, & Sibinium, quod minus dicitur, Alberti in poteſtate eſſent. Multi tamen fuêre ex principibus & ducibus, qui hanc pacem non fore diuturnam præſagirent, quæ Caſimiro, amborum patre inconſulto, nec forte probaturo, concluſa ictaque eſſet, quem Uladislao filio occultis de cauſis infenſum eſſe noſſent; is autem eo tempore longiſſimo terrarum tractu diſſitus aberat in Lithuania, cum Ruſſorum principibus ab eo diſſidentibus bello contracto.

Pax certis inter utrumque fratrem conditionibus ſancitur.

Diremptum hoc modo fuit colloquium, paceque ut diximus firmata, Uladislaus Caſſoviam ingreſſus eſt, ac Cives ſimul, & præſidiarios ob ſervatam fidem multis verbis collaudavit, ac novis immunitatibus muneribuſque donatos, ut etiam inpoſterum in officio permanerent, benigno ſermone admonuit, rebuſque iſthic compoſitis, Budam verſus iter intendit. In itinere autem Bohemorum ſeu Nigrorum copias, in agris inter Agriam, & Vaciam, jucunda amœnitate, & fertilitate omnium pulcherrimis in ſtativis reliquit: ita ut brevi ſe eos in caſtra deducturum, ſtipendiaque debita perſoluturum polliceretur.

Cum Budam veniſſet, Beatrix Regina inquieto atque importuno animo moræ impatiens, iterum maximè urgere cœpit; ut quum fraterno bello finem impoſuiſſet, promiſſas nuptias acceleraret, ne ipſa ſpe votoque fruſtrata ad res novandas animum adjicere compelleretur. Eo nuntio acrius quam quiſquam putaret Uladislaum mente perculſum ferunt, uſque adeo ut privatum eum dolorem, liberatæ Caſſoviæ, & pacis cum fratre initæ lætitia lenire nequiverit. Coacto itaque Senatu, collatiſque ea de re conſiliis, Strigonium, ubi illa morabatur, contendit; eamque magnificè conſolatus oſtendit nondum pacem partam eſſe, quum Albana urbs Budæ tam vicina, tum arces complures inter flumina Savum, & Dravum ſitæ ab ho[illegible] Germano teneantur: præterea certiſſimis nun[illegible]s Turcarum princeps Bajacetes innumerabilibus copiis ad obſidendam Nandoralbam venturus dicatur: inteſtina inſuper bella timeri; æquum igitur eſſe, ut publica vota, & conſilia privatis anteponat, & nuptiarum diem patienti animo expectandam putet: Se pacatis & in tranquillo poſitis rebus omnem daturum operam, ut Reginam neque ſtudii, amoriſque erga eum ſui, nec hujus quantæcunque moræ pœniteat. Ea verba non ſine profunda diſſimulatione prolata, æſtuantem Beatricis animum utcunque placavêre: quæ quum Uladislao maturum feliceinque reditum precata eſſet, ac magnificis eum muneribus excoluiſſet, poſt tridui moram dimiſit, atque ipſe Viſſegradum ac deinde Budam reverſus eſt.

Regina Uladislaum, domum reverſum, iterum interpellat, ut promiſſas nuptias quamprimum acceleret

DE REBUS HUNGARICIS,

LIBER II.

POſt Caſſovienſem pugnam adverſo eventu ab Alberto pugnatam, pacemque inde ſubſequutam, bellum quidem Polonicum in præſentia ſedatum, ſed minimè in futurum ſublatum multis videbatur, quod Civitates Alberto traditæ, Polonorum militum opera cuſtodirentur, qui ut plurimum contumelioſi ac inſolentes raptu vivere, nec pacem cum vicinis pati conſuevisſent, & Albertum à Caſimiro patre inſtigatum occaſiones belli inſtaurandi quærere haud obſcuris argumentis comperiſſent. Quæ rametſi Uladislaum quoque non latebant, paternis tamen atque fraternis adverſum ſe conſiliis nonnihil connivendum, temporique cedendum putabat, donec bellum, quod Albæ recuperandæ cauſa contra Maximilianum ſuſcipere in animo habebat, commodius inferre gerereque poſſet. Ægrè enim ferebat aſſiduas Germanorum eruptiones, quarum incommoda, & detrimenta omnes populi, qui Albaniæ Budenſique viæ imminens totuſque Simigienſis ager, nobili & generoſo vino celebris, graviſſimè patiebantur: & ipſi hoſtes non ita pridem Alba egreſſi, Paxum oppidum ad ripam Danubii ſitum diripuerant: & ex improviſo capta arce Ozota, Nicolaum Hedervarium, nobilem divitemque virum, unà cum filio adoleſcente captum abduxerant: atque ut in propoſito perſiſteret, non parum confirmabatur tum abſentia Maximiliani Cæſaris, qui Belgicis tumultibus, & diſ-

& diſſidiis compulſus, ſumma adhibita celeritate in Brabantiam; vicinaſque provincias contendiſſe nunciabatur: Addebatque animos victoria non ita pridem à ſuis circa Albam de Germanis parta, veluti omine totius belli feliciter conficiendi. Nam quum Milos Belmuſius, equitum levis armaturæ ductor fortiſſimus, natione Thrax, aut ut nunc loquuntur Raſcianus, ac Valentinus Querejus in ſatis magnam populantium Germanorum manum incidiſſent, & ſulphureum pulverem, ac ſclopetorum ardentes funiculos, quo teli genere Germani valebant, denſus & ſubitus imber extinxiſſet, hoſtes victi terga dederant, pauciſſimique fuga ſalutem adepti, cæteri ad unum cæſi aut capti omnes, reliquis, qui domi erant, documento fuēre, ut poſtea cautius, rariuſque excurrerent.

Bathorius juſſu Regis Albam obſidendam ſuſcipit.

Budæ igitur nondum exactis brumalibus diebus, quos ob inuſitatum rigorem, & aſperitatem, Albano bello gerendo aptiſſimos eſſe cenſebat, primum omnium curata re pecuniaria, cujus inopia vehementer laborabat, Bohemicis, Nigriſque cohortibus ſtipendium perſolvit, ac Stephanum Bathorium, tradito ei totius exercitus imperio, tormentiſque ac omni caſtrenſi apparatu, Albam verſus contendere, urbemque arcta obſidione circumvallare juſſit: Quiniſioque, quem ad comparandas ex inferiore Pannonia copias miſerat, ut adventum ſuum adductis copiis maturaret, perſcripſit. Aliis quoque ducibus, & tribunis in mandatis dedit, ut quilibet coacto militum, quanto majori poſſet numero, in caſtra Albam ſine mora adventarent: quo etiam ipſe non multo poſt cum Prætorianis, & ſtipendio conductis levioris apparatus equitibus venturus eſſet. Bathorius Buda profectus, exercitu ad oppidum Banhidam convenire juſſo, eique unius diei quiete conceſſa, inſtructis agminibus, ac ſignis de more explicatis, tridui ſpatio Albam pervenit: ac ab ea parte, qua Budam ſpectat, idoneo in loco inter paludes conſedit: eademque nocte ne operæ ex urbe tormentis peti poſſent, vineas, & aggeres militum opera & agricolarum labore extruere cœpit; quibus brevi ad finem perductis, tormenta majora in iis aptè collocavit, eiſque muros concuti imperavit. Muniriones etiam ſeu turres è materia quadrangulares, neceſſariis in locis præaltas, terra ingeſta foſſaque circumducta, erexerat, quales à Polonis Caſſoviam irrito conatu oppugnantibus inſtitutas fuiſſe retulimus, ex quibus omnis Germanis in muro conſiſtendi, ſeque defendendi facultas eripiebatur. Jam mœnia ab una parte tormentis perforata, late hiatum dederant, quum Quiniſius, quem Rex Bathorio collegam, ipſo id expetente, dederat, cum quinque millibus ſelectiſſimorum veteranorum in caſtra venit: quum ex itinere ad Sigiſmundum Epiſcopum Quinqueeccleſienſem in officio, uti Rex, & nonnulli proceres rebantur, vacillantem, juſſu regio, divertiſſet; Sed Quiniſius de ejus conſtantia, & fide locupletiſſimum ſe teſtem undecunque profeſſus, eum apud Regem omni concepta ſuſpicione liberavit. Triduo ante Quiniſii adventum Rex ipſe Bathorium ſubſequutus, quintis caſtris Albam pervenerat; ac ab altera oppidi parte, quæ ad portam Baconianam pertinet, caſtra fixerat, non procul ab ea palude, cui Soſto nomen eſt, ut propinquiore aquatione uteretur: eo inſtituto ordine, ut Bathorius, & Quiniſius ab una parte, ac Rex & Stephanus Zapolianus, qui cum tribus millibus militum utriuſque ordinis, biduo poſt Regem advenerat, ab altera oppugnationi urbis ſingulari cura, & induſtria, incumbendum ſibi proponerent. Germani interea, qui in oppido erant, incredibili ſtudio & diligentia propugnare, hoſtium conſilia ſcrutari, iiſque occurrere, & mœnia vi tormentorum concuſſa, & confracta, contextis roboribus, ſpatiiſque eorum terra oppletis, militari opere, diſciplinaque reficere, & ad omnes occaſiones ſumma vigilantia intenti eſſe.

Jam caſtra Regia, confluentibus quotidie novis copiis maxime accreverant, ita ut numerum quadraginta millium militum, abſque lixis, & calonibus, ac tumultuaria agreſtium hominum turba facile æquare crederentur: & ab ea etiam parte, qua Rex & Palatinus curabant, murus lato patefacto aditu verberatus, apertuſque erat. Igitur Regii milites magno animorum ardore pugnam poſcebant, ut pro direpta crudelem in modum Alba, ac trucidatis commilitonibus, Germanos pari illata clade ulciſcerentur. Et Quiniſius copiam pugnæ dandam eſſe, & ſumma crudelitate Germanos ad unum omnes interficiendos prædicabat: erat enim Germanis ob captam direptamque Arcem ſuam maxime infenſus. Verum Rex continendos à pugnæ caſibus milites multis de cauſis cenſuit: tum quod eorum cædibus, & ſanguini parcendum exiſtimaret: tum vero quod Germanos brevi urbis deditionem oblaturos haud dubie ſperaret. Nec Regio judicio, paucis interjectis diebus, eventus defuit: nam urbis oppugnatione dies noctéſque non intermiſſa haud multo poſt Germani urbem ſe ſervare poſſe diffiſi, ad Comitem Scepuſienſem, ac Bathorium nuntios miſerunt, colloquiumque de Urbe reddenda poſtularunt. Quo conceſſo, alii potiores miſſi, quinque dierum inducias obſeſſis dari petivere, ut de conditionibus interea deliberari utrinque poſſet. Quæ mora tametſi nimis longa eſſe videretur, tamen non abnuente Rege admiſſa fuit. Intra eos dies tandem in has conditiones convenerunt, ut Germani urbe tradita, cum omnibus ſuis impedimentis, incolumes in Auſtriæ fines ire poſſint: Utque eis ad impedimentorum vecturam ſex, & triginta plauſtra cum jumentis attribuerentur: templorum ſpoliis, ſi quæ adhuc intacta ſupereſſent, ac ab hominibus ſervituti mancipandis, abducendiſque abſtinerent; haſce conditiones, quanquam militibus, qui ſe è Germanorum præda, & ſpoliis ditandos ſperaverant, ingratas, Rex ratas habuit, quo citius Alba potiretur, Germanoſque additis comitibus in tutum abire permiſit, poſtquam undecim fere menſibus eam tenuiſſent, & omnem circa regionem uſque ad Budæ ſuburbana, rapinis, incendiis, & populationibus hoſtiliter habuiſſent.

Germani de urbe dedenda cum Rege paciſcuntur.

Mox Alba capta, Veſprimium, Vaſonium, ac Sabariã Regis recipiunt.

Albâ recepta, Germani milites, qui in arcis Beſprimii præſidio erant, quod & locus ad defendendum minus erat idoneus, nec rebus neceſſariis inſtructus, incolumitatem ſuam, rerumque omnium pacti, deditionem fecerunt. Paulus etiam Quiniſius, Vaſonum arcem ſuam, diffugientibus Germanorum cohortibus, nullo negotio, recepit. Sabariam verò milites Thomæ Jaurienſis Epiſcopi, qui ex veteranis Illyrici nominis ſtipendio collectis conducti erant, obſcuriore nocte aggreſſi, per ſcalas ſcandentes repente cœperunt, cæſis aut captis omnibus ad unum Germanis; ex quibus circiter octoginta

cap-

captivi in caſtra abducti fuēre : ſed paulò poſt, jubente Rege, liberi & incolumes in patriam redieruot.

Rex gravi dyſenteria corripitur.

Per hunc modum Uladiſlaus receptis eadem celeritate, quâ Cæſar anno ſuperiore ademerat, omnibus locis, liberatæ à Germanis Pannoniæ citerioris laudem rulit. Verùm eiſdem in caſtris ſebri primum tentatus, non multo poſt in gravem morbum incidit, profluvioque ventris admodum periculoſo laborare cœpit; uſque adeo, ut nonnulli de ejus vita planè deſperarent, manaretque in vulgum fama eum è vivis exceſſiſſe: aut omni ſpe ulterius producendæ vitæ ſublata, propediem exceſſurum. Ipſe tamen in villa Laurentii Sirmii Ducis Bathoreæ, ab illius patre, medio inter Albam & Beſprimium itinere, inſanis ſumptibus extructa jacebat: ita ut adhibitis medicis, ac imprimis Joanne Manardo Farrarienſe, quem doctrina experientiaque artis inſigni inter primos habebat, feliciter curaretur.

à Joan. Manardo ſanitati reſtituitur.

Turcarum incurſiones ab Emerico Derencenio, aliiſque Ducibus felici pugna repreſſa.

Interea à Turcis, qui duces, ac milites ad obſidendam Albam vocatos didicerant, variæ fiebant excurſiones; viciſſim Ungarorum etiam alæ & cohortes, quæ præſidii cauſa domi remanſerant in Turcarum ditionem ultra Iſtrum oblatis occaſionibus excurrebant. In quibus ut Turcæ ſæpè repulſi, & victi; ita nonnunquam, uti evenire plerumque ſolet, victores evadebant. Nam cum Taurumnum, & Temeſuarum nocturnâ expeditione urendo agros, & populando excurriſſent, ac Stephani Bathori villas rapinis, incendiiſque deformâſſent, abductiſque multis incolarum millibus non longè à Varadino actis prædis eſſent reverſi : illud incommodum Emericus Derencenius Illyrici præfectus, quem Banum Ungari vocant, cum Bernardo Frangepano, Caroloque Corbaviæ Comitibus, aliiſque Croatiæ Regulis, majorique hoſtibus illato detrimento rependerunt. Cum enim Turcæ ad Hunam fluvium, qui è Dalmatarum montibus ortus, ſinuoſo curſu per intima Croatiæ defluens, modò lenis, & placidus, modò citatis aquis celerior, ſub arce Dubicia Savo miſcetur, Croatiam à Sclavonia dividit, magno numero populando vagarentur, à noſtris, quos modò nominavimus, occidione deleti ſunt; captis hoſtium mille quingentis, totidemque cæſis, reliquis in profluente Huna ſubmerſis. In ea quoque Illyrici parte, quam modo Sclavoniam vocant, Corvinus, qui ſyncera & inconcuſſa fide Uladiſlai partes ſequebatur, Zagabriam, quæ ſe hoſtibus dediderat, ac à ſexcentis Germanis militibus cuſtodiebatur, obſidione cinxerat, ne illinc à Cæſareanis aſſiduæ rapinæ fierent, ac frumentariæ convectiones interciperentur. Cum autem Jacobus Siculus, quem ad Cæſarem redditis ei Petovia & Racoſpurga defeciſſe docuimus, obſeſſis auxilio veniſſet, ab eodem Corvino fuſus, fugatuſque fuit : & Zagabrienſes ſpe dejecti, omiſſaque pertinacia deditionem fecerunt, Germanis incolumibus in patriam irrepermiſſis.

Huna flumen.

Zagrabia, profligato Siculo, à Corvino recipitur.

Paulus Quiniſius omnem inter Savū Danubiumque regionē pacat.

Porro quum Quiniſius in inferiori Ungaria, adhibito ſibi Petro Colocenſi Archiepiſcopo, quem à Matthia Rege ob arrogantiam & loquacitatem, qua Beatricem offenderat, ac ob literas Turcici fœderis perperam deſcriptas, grado pulſum, captumque in Arvenſi carcere Uladiſlaus ad Alexandri ſummi Pontificis preces, poſt ſextum carceris annum dimiſerat, recepta Alba domum rediiſſet, Laurentium Sirmii Ducem, Lupum Deſpotam, Nicolaum Hedervarium, paulo ante à Germanis dimiſſum, aliosque nonnullos proceres, ſe pro eis vadem ſponſoremque futurum profitendo ad officium reduxerat; omnemque eam inter Danubium Savumque regionem, nobilitate Sirmienſis vini, ac ubertate ſoli celeberrimam, authoritate ſola abſque ullis armis pacaverat : adeo ut Uladiſlaus ſingulari felicitate, ſublatis bellorum procellis, opimam pacem & quietem afflictæ Ungariæ peperiſſe videretur : niſi illa inconſtans, & lubrica ſpes hominum, haud diuturna lætitia lactando, brevi tempore eluſiſſet. Joannes tamen Halapſitius, quem alio nomine Quishorvatum vocabant, ac Stephanus, & Georgius fratres ejus, omnibus æquioribus conditionibus rejectis, in partibus Cæſareanorum pertinacius ſibi perſiſtendum duxerunt : ideoque pulſi in exilium, mulctatique bonis, omnii ſi pace facta illa receperunt.

Excepto Halapſitio, & fratrib. qui Cæſari conſtanter adhærent

Nondum Uladiſlaus valetudinem recuperaverat, concedentibus tamen medicis, ut rediret, conſcenſis curribus, & lento confecto itinere, Budam pervenit. Jam falſis de eo vitâ functo rumoribus credens Albertus, ea capta occaſione, toties damnata fatis arma reſumpſerat, rebuſque novandis incumbebat, nec ſervata à fratre pacta tribus millibus aureorum nondum ſolutis objiciebat. Nunciabatur etiam Maximilianum è Belgicis regionibus reverſum arma parare; & irruptione in Moraviam facta, abactoque ingenti majoris & minoris pecoris numero, initium belli feciſſe : quanquam illum pacem, ſi æquis conditionibus ſtabiliretur, multi certis argumentis ducti credebant amplexurum. Stropeo erat in Poloniæ finibus Pereniana ditionis oppidum, illud excogitatis occaſionibus, quod ibi tutum in Poloniam iter non daretur, milites Poloni, quos Albertus Eperieſſio & Sibinio nondum deduxerat, obſediſſe, & quantis poſſent viribus oppugnare inceperant. Quod dum adoleſcentes Perenii defendere vellent, facto cum Polonis, antequam caſtra tormentaque collocarent, tumultuario prælio, miſerabilem in modum occubuiſſe dicebantur. Et Albertus neglecto fœdere nuper pacto, Caſſoviæ obſidioni imminebat, nobiliſſimamque illam, & totius Ungariæ fertiliſſimam generoſiſſimi vini proventu regionem, omnemque inter Caſſoviam & Tocajum tractum, in quo jucundum Liberi Patris cum Cerere certamen eſt, rapinis & prædis exagitabat, ac cum Vindemiæ tempus eſſet, duo millia, & eo amplius doliorum vini dulcioris per vim adempta in Poloniam miſerat, reliqua in uſus belli reſervaverat. ita ut novæ frequenteſque querelæ ad Uladiſlaum de illius hoſtilibus injuriis quotidie perferrentur, Caſimiro amborum patre hæc filiorum diſſidia diſſimulanter ferente; quanquam Alberti partes legatis tam ad Uladiſlaum quàm Ungaros miſſis ſuſtentare conatus, ſibi ea admodum moleſta eſſe, utque Albertus ab inferendis injuriis abſtineret, ſe omnem daturum operam pollicetur. Tantis ipſo in limine regni malis circumventus Uladiſlaus, quum tot hoſtibus ſibi undique imminentibus reſiſtere non poſſet : quod exhauſto ærario, ac enervatis gravitate tributorum populis, exercitui alendo non ſufficeret : pacem & fœdus cum Maximiliano componere decrevit; quum id Ducibus Principibuſque & omnibus, quorum conſilio utebatur, haud diſplicere intelligeret. Contra Al-

Albertus bellum inſtaurat

Caſſoviam obſidet.

& Tocajenſem tractum graviſſimè infeſtat.

Albertum verò copias comparandas, ejuſque conſiliis, & conatibus, bello armiſque occurrendum ſtatuit: ita tamen, ut miſſis prius ad eum legatis experiretur, an ejus animus ambitione atque avaritia procul ab æquo, & bono deductus, honeſtis denuo oblatis conditionibus ſanari poſſet. Quas ob cauſas Dominicum Albæ antiſtitem ac Mich. Palocium ad fratrem, & ad patrem legatos ire juſſit: iiſque in mandatis dedit ut primo Albertum circa Caſſoviam, rapto ſeque, & exercitum alentem, accedant, ac ne Ungaria excedat, rapiniſque finem faciat, bellum ei ac hoſtilia omnia denuntiat: deinde ad Caſimirum, qui ex Lithuaniæ oris reverſus jam Cracoviam venerat, proficiſcantur, ac ut Albertum dicto parere, & pactis fœderibus ſtare jubeat, ſummis precibus obteſtentur. Quod ſi ille, in inferendis tot tantiſque contumeliis pergat, tum verò à Caſimiro obnixius petant, ne apud eum Uladislaus fraudi habeatur, ſi fratribus ipſis Marte judice altercantibus, Albertum aliquod ſubire infortunium contingat.

Item ad Cæſ. de pace ſtabili ineunda.

Eodem tempore mittuntur legati ad Maximil. qui ei ſignificent, Ulad. quemadmodum ante bellum, ita hoc quoque tempore, à pacis & concordiæ ſtudiis nunquam abhorruiſſe: imo quadam naturæ ſuæ peculiari propenſione, quietis, & tranquillitatis cupidiſſimum ſemper fuiſſe. Itaque ſi Cæſari videatur, locum & tempus aliquod nominare, præfigereque velit, ad quæ ex utraque parte viri, conſilio graves, ac longo rerum uſu exerciti conveniant, ac omnibus viribus tentent, an pax inter ipſos coaleſcere, ac inteſtini belli incommodis exoptatus finis imponi poſſit.

Quæ oblationes quum Maximil. Cæſari, ejuſque parenti Friderico Imperatori Auguſto, cui eas communicaverat, probarentur; urbs Poſonienſis, ad quam Legati conveniant, pacemque & concordiam inter duos nobiliſſimos, & præpotentes Germaniæ atque Ungariæ popolos, Deo juvante, conſtituant, deligitur. Itaque conquiſiti ex Germaniæ provinciis undequaque viri graves, ac juriſconſulti longè omnium peritiſſimi, ac tribuni copiarum, Tobias Boſconicius, Matthæus Spaurus, Joannes Fuxmagetius, Bernardus Polhainias, Fridericus Comes Zolleranus, aliique complures, Poſonii ad diem affuêre. Ex partibus Uladislai & Ungarorum Thomas Bacocius, Epiſcopus Jaurienſis, Ungaricus, & Joannes Sullenburgus Bohemicus Cancellarius, Stephanus Bathorius Tranſylvaniæ præfectus, quem Vaivodam Ungari vocant, Ladislaus Orſagus, Ladislaus Roſgonius, Wilhelmus Paumkircherus, ejus Andreæ filius, quem paulo ante Fridericus Imperator, Græci Styriæ capitali ſupplicio affecerat, atque alii tam Ungari quàm Bohemi: quibus injunctum erat, ante diem eodem convenerunt. Fuit longa, & opinione hominum acrior inter legatos contentio, compluribus pertracta diebus, quum Germani eas poſtularent etiamnum conditiones & pacta renovari, quæ ante 28. annos Neoſtadii, ſuperſtite Matthia Rege, eoque adſtipulante, pro reſtituta corona erant concluſa: ut nimirum Regnum Ungaricum, ſi Matthias abſque liberis decederet, Maximiliano ejuſque hæredibus, perpetua juris prærogativa adjiceretur. Quod Legati Ungarorum nequaquam concedendum eſſe arbitrabantur; quum ea pacta, quibus inniterentur, à Friderico per vim potius extorta, quàm ab Ungaris ſponte conceſſa eſſe dicerent. Neque illum coronam aliter redditurum fuiſſe, niſi Ungari ejuſmodi poſtulationi quanquam iniquæ vel tunc tergiverſantes ſubſcripſiſſent. Contra Cæſareani rem omnem ad arma, & bellum denuo redituram affirmabant. niſi illæ conditiones repeterentur: neque eſſe ullam pacis coaleſcendæ formam aliam aut modum; conſultius itaque facturos Ungaros, ſi certam pacem dubiis ancipitis belli caſibus anteponant; eoque hæc utriuſque gentis pertinacia creviſſe videbatur, neutra jure ſuo vel latum unguem decedere volente, ut omnes re infectâ, & concordiâ deſperatâ dilapſuri exiſtimarentur.

Tranſactionis conditiones.

Poſtremò Ungari, ſive præteritorum malorum memoriâ, ſive futurorum metu compulſi, ſive quòd Uladisl. viridi adhuc & firmâ ætate liberis operam daturum, ſtirpemque ſuſcepturum providebant, Germanorum poſtulatis aures præbuêre, Regiſque authoritate accedente in eas, quæ publicatæ extant, conditiones tranſegêre, ut Uladislaus omnes, quotquot partibus Cæſareanis ſtuduiſſent, eaſque armis juviſſent, in gratiam reciperet, obliteratâ omni offenſorum recordatione: locis omnibus, quæ in Auſtria in eum uſque diem tenuerat, nullo ſibi retento jure, decederet: Regnum verò Ungariæ mortuo Uladislao aut ejus liberis, ſi quos eſſet progeniturus, ſimiliter decedentibus, ad Maximiliani nepotes, eorumque hæredes juxta formulam Neoſtadianæ tranſactionis certiſſimo hæreditarii juris ordine recideret: illique ut è veſtigio regni poſſeſſione potirentur, Palatinus, Interregis poteſtatem Rege vitâ functo, habere ſolitus, ac omnes potiores Magiſtratus, quos Ungari Nadreſpanos, Banos, Vaivodas, Capitaneoſque vocare ſolent, ſacramento ad obſervandam tranſactionem adigerentur. Alia, quæ ab iiſdem legatis acta tranſactaque fuêre, quandoquidem quibuſvis obvia in manibus habentur, ne longiores in commemorando ſimus, conſulto prætermittenda duximus.

Arbitri paci componenda utrinque delecti Poſonii conveniunt.

Ex hac tranſactionis formula aliquot poſt annos renovata, ſimul & conjugii jure, cùm Ludovicus Rex hujus Uladislai filius in campis Mohacianis cum hoſte congreſſus infelici caſu abſque hærede periiſſet; Ferdinandus Maximiliani è filio Philippo nepos, occaſionem Regni Ungarici invadendi arripuit, illudque maximis bellorum tumultibus involvit, quorum necdum finem ullum videmus. Legatis ad Uladislaum redeuntibus, quum conditiones nobilitati, ac aliis popoli ordinibus, ſicut cum Germanis convenerat; exponendæ eſſent, eorumque conſenſus poſtulandus, Uladislaus ad aream, quæ ante arcem inſtar theatri ampla, & turbæ quantumvis magnæ capax eſt, quam forum Divi Gregorii vocant, egreſſus, ordines qui convenerant, hortatus eſt, ut tempori neceſſitatique cederent, ac conditionibus aſſentirentur. Deinde Thomas Bocacius Epiſcopus, ac Stephanus Bathorius legationis Principes exorſi à cauſis, quæ ipſos ad tranſigendum cum Germanis impuliſſent, conditiones ordine propoſitas interpretari cœperunt: fuêre aliquamdiu attentè auditi; ſed quum ad eam partem ventum eſſet, quâ Regnum ad Maximiliani hæredes transferebatur, magno ſublato murmure & clamore *millies ſe morituros potiùs, quàm Germanorum ſervitutem ſubeant*, exclamârunt: & re propemodum ad ſeditionem ſpectante vix ab armis temperatum eſt: adeo ut legati inconditis vocibus & convitiorum plauſtris interpellati, nec vitæ

Quibus nonnullis factioſi aſſentire omnibus modis abnuunt.

ſalu-

ſalutiſque certi, vix ſpatium ſe in arcem recipiendi habuerint : neceſſeque fuerit Uladiſlaum ad eos ſedandos denuò in publicum prodire. Quanquam autem Regis præſentia qualecunque ſilentium attuliſſet, oe tamen inviri ad pacta approbanda cogerentur : partim in diverſum dilabi, partim mutuâ vociferatione, ut propoſito inhærerent, libertatemque tuerentur, ſeſe animare cœperuot. Ad extremum quum ex quamplurimis perpauci reperti fuiſſent, qui ſe voluntaoi regiæ obtemperaturos profiterentur, ac ad pacta jurejurando firmanda adduci poſſent, concione ſolutâ diſceſſum fuit.

At legaoi, quos ad Caſimirum & Albertum miſſos ſuprà retulimus, quum utrumque conveniſſent, magnifica & ſpecioſa ab utriſque verba factis contraria retulêre. Albertus enim ſe periculoſo fratris morbo, cui eum eeſſiſſe fama erat, adductum, belli inſtaurandi conſilia ſuſcepiſſe : ſed quum illum incolumem eſſe intelligat, armis abſiſtendum, agminaque retrò in Poloniam vertenda ſtatuiſſe reſpondit : Caſimirus verò legatis comiter habitis, ſe Albertum feriò commonefacturum dixit, ne deinceps oppida Uladiſlai uſurparet; ſed poſitis armis ad ſe in Poloniam, quo eum domeſtici etiam bellorum motus revocent, primo quoque tempore revertatur : quòd ſi paterna monita atque imperia contemnat, tum ſe nulla copiis ejus ſtipendia ſubminiſtraturum; ſed potiùs indicto bello, eum loco hoſtis habiturum.

Hæc quanquam legati cum ſpe Polonicæ pacis Uladiſlao retuliſſent; tamen variis nunciis & literis adferebatur, Albertum, poſt vaſtatas crudeliſſimis populationibus Ungariæ ulterioris oras, ad obſidendam denuò Caſſoviam properare. Itaque Stephano Comiti Scepuſienſi ac Palatino, quem gerendo bello præfecerat, in mandatis dat, ut omni adhibitâ diligentiâ curet, ne quid à Polonis detrimenti capiatur. Ille jam diu poſt renovatum cum Alberto fœdus ad incerta belli in Uogaria ulteriore cum exercitu relictus erat, & poſteà ſeptem millia Bohemorum militum, duce Nicolao Haubicio viro militari, ad eum pervenerant, unà cum auxiliariis Beatricis Reginæ pecuniâ conductis : ſed tamen nondum ex hibernis moverat, neque quicquam operæ pretii fecerat; ita ut plurimi mortales importunâ ejus morâ ac cunctatione territi, quemadmodum anno ſuperiori Auſtriam fœdâ ſegnitie ſocordiâque ejus amiſſam meminiſſent : ita oune quoque illum haud diſſimili oegligeotiæ morbo laborare ſuſpicarentur.

At ille vindicandæ Polonorum injuriæ, committendique prælii cupidiſſimus erat; Sed unâ maximè curâ angebatur, quòd milites Bohemici ſe ad pugnam prodituros oegarent, niſi debita eis ſtipendia ſolvereotur : ipſe verò pecuniæ repræſentandæ modum eo tempore nullum habebat. Igitur vocatum ad ſe Haubicium partim blandioribus verbis, partim certâ eâque brevi ſpe ſtipendiorum placat : deinde Centurioner, tribunoſque, quòd eorum linguæ gnarus eſſet, docet paucos poſt dies futurum, ut pecunia ad eorum ſtipendium obertim perſolvendum ab Uladiſlao curetur: ſeque ejus rei vadem & ſponſorem præbet : ita ut ſi Uladiſlaum, quod non ſit ſperandum, cunctari contingat, ipſe vel oppidis ſuis opulentiorum mercatorum pignori mancipatis, eos contentos redditurus ſit : nunc tantùm hoc ab eis ſummâ ope contendere, ne victoriam, quam propè in manibus habeat, indecorâ ſegnique tergiverſatione corrumpant; ſed potiùs animos ad certam ſpem ejus conſequendæ erectos promptoſque habeant : quâ Dei Opt. Max. beoeficio à perfidis totieſque victis hoſtibus reportatâ, faciliorem locupletatis futuram ſtipendiorum, præmiorumque expectationem. Hæc atque alia magnâ ingenii ſermoniſque gravitate diſſerendo, militum animos, qui dictis promiſſiſque ejus maximè fidebant, ad officium reductos facilè accendit, ut protinùs ſe imperata facturos ſummâ alacritate exclamareot. Tum verò tribunos & præfectos muneribus affectos, ut in ſequentem diem animos & corpora pararent, admonitos dimittit : cætera ſibi curæ fore pollicitus.

Habebat Albertus caſtra medio inter Caſſoviam & Eperieſſium itinere, ad amnem Tarciam, qui è montibus Carpatiis ortus, non procul Caſſovia in Hervatum fluvium ſe exonerat, multiſque in locis æſtate vadoſus eſt; Stephanus verò Caſſoviæ mœnibus adeò in propinquo conſederat, ut exercitus è foro ejus urbis neceſſariis rebus comparandis uteretur: jamque ad XVIII. millia hominum ad ejus caſtra convenerant, quorum virtute hoſtes Polonos ſe haud dubiè ulciſci poſſe ſperabat. Itaque ſequenti die ſole oriente copias omnes caſtris educit, eâ mente, ut æquo in campo cum Alberto & Polonis collatis ſignis confligat. Alberto, eùm hoſtes propius acceſſiſſe vidiſſet, quanquam vix quatuor aut quinque millia militum in caſtris habebat : cæteri enim prædâ ditati aut in Poloniam redierant, aut ob ſtipendiorum defectum dilapſi erant : tameo hoſtilis exercitus magnitudine & numero nequaquam perterritus, turpe & indecorum exiſtimavit retrò agmina vertere, aut ſe Eperieſſio aut aliis munitionibus includere, inque iis incommoda & pericula obſidionis tolerare. Sed communi ſuorum ducum uſus conſilio, ipſe quoque pugnam non eſſe detrectandam cenſuit : ſuoſque cohortatus eſt, ut ſicuo prioribus bellis egregiè feciſſent, ita audendo, atque ſtrenuè agendo, virili expeditoque impetu hoſtes adoriri, & qualemcunque fortuna belli finem dederit, experiri conentur. Ex adverſo Stephanus validâ ad cuſtodiam caſtrorum manu militum relictâ, dextrum corno cum Ungaris, & Beatricis Reginæ auxiliariis ſibi deſumit : in ſiniſtro Haubicium & Bohemos curare jubet; ac utrumque eotnu caraphtactorum turmis, ac veteranorum peditum agminibus firmat. Tum equiribus levioris armaturæ, qui veterani omnes, & Turcicis præliis exercitaoi erant, ut ſublato clamore procurrant, hoſteſque laceſſendo initium pugnæ faciant altâ voce pronunciat. Nec Poloni quicquam cunctati equitum impetum excipiunt, ac atrox imprimis & cruentum certamen oritur; ſuccedentibuſque mox Bohemis, primùm Poloni agilioribus ſuis equis Bohemos circumveniunt, eorumque equos per ilia transfodiunt i ita ut ii partim cæſi, partim pedibus pugnare coacti jam fugam proſpectarent; eùm à cataphractis, qui in ſubſidiaria acie locati erant, opportunè juvantur : tum verò etiam Stephanus cum Ungaris, cuneo facto, Polooos denſatis turmis adoritur, ac Ungaris, ut haſtas in adverſis hoſtium pectoribus perfringant, ac ſtatim gladiis rem gerant, imperat. Eo impetu magna in partibus Polonorum ſtrages edita eſt, quum ipſi oumero pauciores à pluribus vul-

Stephani Scepuſienſis atrox & cruentum cum Alberto prælium.

nerati atque interfecti admodùm laborarent. Ipſis tamen nondum deerat animus, quin cum Ungaris & Bohemis fortiſſimè dimicarent, ita ut utriſque pertinaci animo pugnam miſcentibus, ad ſerum diei ea protraheretur, pendente victoriæ eventu. Sed quum Stephanus ſclopetariorum cohortes, quas ad ſubſidia caſtrorum reliquerat, acciri, & glandibus plumbeis Polonos labore ac vulneribus feſſos ſubmovere ac proſternere juſſiſſet, tum omni victoriæ ſucceſſu deſperato, terga vertere, palanteſque & effuſè fugientes dilabi cœperunt.

Albertus fortiter pugnans profligatis ſuis, fugâ ſibi conſulit.

Albertus ipſe nullo aut optimi ducis, aut fortiſſimi commilitonis officio prætermiſſo, duobus equis pugnando amiſſis, & tertio ſub ventrem gravi vulnere debilitato, ſæpè certamen inſtaurare fruſtrà conatus, multis fortibus viris aut captis, aut interfectis, tandem amiſſo exercitu ſaluti ſuæ conſuluit, ac præcipiti fugâ cum viginti duobus equitibus è manibus hoſtium ſe proripuit. Nec multum abfuit, quin à Bohemis duobus, qui eum armis criſtiſque conſpicuum ſummo ardore perſequebantur, in fuga caperetur. quum gladium, quo ſe pugnando tuebatur, in duas partes diſſilientem fractumque amiſiſſet, niſi à Joanne Crupiſcio, equite Polono, qui ab ipſius latere nuſquam diſceſſerat, alium ejus generis, quem Poloni granatum vocant, accepiſſet, & eo ambobus Bohemis confectis, Eperieſſium, ubi carioris ſupellectilis, ac impedimentorum nonnullam partem reliquerat, pervenit. Stratis devictiſque Polonorum copiis, caſtra capta direptaque è veſtigio fuère, ac tormenta currulia, pulveriſque ſulphurei, & aliorum belli apparatuum ingens copia, quæ omnia ex armamentario Cracovienſi non ita pridem allata fuerant, poteſtati Victoris ceſsère. Captivi Ungari & Bohemi, qui in caſtris erant, eodem victoriæ curſu libertatem receperunt.

Eâdem nocte, ad cujus uſque crepuſculum pugnatum eſt, Stephanus cum Haubicio colloquutus, nullum fugientibus ac perterritis moræ ſpatium dandum arbitratus, victorem exercitum Eperieſſium verſus duxit, quum ſaucios & impedimenta in caſtris reliquiſſet, ac Albertum ibidem circumventum obſidere ſtatuit.

Eperieſſi obſeſſus arbitrio victoris ſe ſubmittit.

Sed is quum nullam rebus ſuis ſpem aut remedium ſupereſſe videret, ad arbitrium Victoris neceſſariam deditionem fecit. Cæterùm Stephanus per celerrimos equos, qui ſecundo aut tertio quoque milliari permutari ſolent, Uladislao ſignificavit debellatum eſſe, & Albertum in manibus haberi, ac quæ ejus ſit voluntas, exquiſivit. At ille majorem ex fratris incolumitate, quam ejus inſignis victoriæ proſpero eventu voluptatem, lætitiamque ſe percipere affirmans, nuntios celerrimè ad Palatinum & Haubicium cum ampliſſimis mandatis miſit, quibus cum Alberto pacem & fœdus perpetuum fieri, eaque ſtabilita, liberum illum in Poloniam dimitti jubebat.

Pax certa ſtabiliſque cum Alberto hiſce conditionibus firmatur

Itaque his legibus atque pactis Alberto datis, ejuſque jurejurando confirmatis pax conficitur: ut nimirum tormenta currulia, captivique omnes Alberto reddantur, ipſe civitates Saroſium & Sibinium, aliaque quæ occupaverat loca, deductis Polonorum præſidiis ſtatim reſtituat: juri omni ſuo, quod in Ungariæ regno ſe habere putat, in perpetuum cedat: ac fœdus fraternamque amicitiam cum Uladislao integram inviolatamque conſervet. Per hunc modum dimiſſus Albertus, quum per Scepuſienſem agrum itinere ſuſcepto redire in Poloniam inſtituiſſet, ſummis precibus à Stephano in arcem ſuam, à qua totus ille ager denominatur, invitatus eſt. Quibus quum humaniſſimè paruiſſet, atque ibi convivio regium in morem exceptus, ac muneribus ampliſſimis excultus fuiſſet, Stephanus equitum etiam alas quàm ornatiſſimas, qui eum ad limites uſque Polonicos, qui non procul Scepuſio abſunt, ſummo cum honore deducerent, adjunxit.

Sabaciâ Turci adorti repelluntur.

Duobus bellis altero pace factâ, altero verò Marte judice confectis, ac Turcis, qui repentè invadentes Sabaciam, unius diei noctiſque ſpatio acriter oppugnaverant, præſidii virtute rejectis, Uladislaus ad Calendas Februarias regni ordinibus Budam Comitia indixit.

Comitia Budam indicta.

In quibus Petrus Archiepiſcopus Colocenſis, veteris ſuæ dicacitatis & vaniloquentiæ non oblitus, cujus, ut diximus, diuturno carcere pœnas dederat, Beatricis Reginæ querelas refricuit, rogatis ordinibus, ut eam Uladislao in conjugem ducendam commendarent.

Beatricis Reginæ de connubio querela incaſſum renovata.

Sed recuſante nobilitate, ne Uladislaus offenderetur, res omnis in ancipiti hæſit; & comitia non multis pòſt diebus dimiſſa ſunt. Igitur Beatrix gravi ea cura ſauciato animo, cum quieſcere moramque pati non poſſet, Strigonio, ubi jam diu commorabatur, veterem Budam venit, ibique inſigne cœnobium ſacratarum virginum pro hoſpitio delegit, & à principibus nobilitatis, quos ſibi variis favoribus conciliaverat, ad eam venientibus, officioſè excepta ſalutataque fuit. Novam verò Budam, in qua regia ſedes fuit, propterea ingredi non eſt auſa, quòd metueret, ne clauſis portis aditu prohiberetur, nec ſine ignominia reverti cogeretur. Cùmque octo diebus iſthic extractis, nihil certi de ſuo negotio deliberatum cognoviſſet, tandem manifeſtè comperto verba ſibi dari, non ſine dolore & lacrymis, eò unde venerat, reverſa eſt: ac nullâ interjectâ morâ, literas ad patrem Ferdinandum Siciliæ Neapoliſque Regem per idoneos homines miſit, ſummis ab eo precibus contendens, ut miſſis ad Uladislaum legatis, toties promiſſas nuptias, ſuâ auctoritate, ad optatum finem deducendas curaret, aut quid in reliquum ſpei foret habendum diligentiùs exploraret.

Andreas Caraffa à patre Ferdinando hac de re ad Uladislaum venit.

Ille igitur poſtulatione & precibus filiæ adductus, quas haud iniquas arbitrabatur, Andream Caraffam, Comitem Montorii, virum ſummâ nobilitate & virtute in Ungariam mittit, qui Beatricis cauſam agat, ut Uladislaum amicè & leniſſimè ad jungendam ſecum affinitatem, ducendamque in conjugem Beatricem hortetur. Id ſi Uladislaus faciat, crebriſque ſuis pollicitationibus ſtandum exiſtimet, Ferdinandum ipſum ac filium Alphonſum, ejus accepti beneficii memoriam gratâ mente, cum immortali gratiarum actione, ſemper uſurpaturos. Ad ea Uladislaus, quum per aliquot menſes legatum apud ſe retinuiſſet, breviter reſpondit: agnoſcere nec diffiteri ſe Aragonios ipſos Reges tam patri ſuo Caſimiro, quàm ſibi omnibus in rebus, eâ quâ par eſt, amicitiâ & benevolentiâ conjunctiſſimos ſemper fuiſſe. Quòd autem in eo contrahendæ affinitatis vinculo non ſtatim animum ſuum explicare queat; petere magno ſtudio, ut patienter ferre memineriot, ſe propediem miſſo ad ipſos ſuo internuntio atque legato, quid ſui de conjugio conſilii ſit, denuntiaturum. Nec mul-

tò

Digitized by Google

Epiſcopus Nitrienſis cauſam, cur Regis ſui animus à Beatricis connubio abhorreat, S. P. Alexandro VI. & Ferdinando Regi apertè adſſerit.

tò pòſt autumno appetente, munus illud legationis Antonio Epiſcopo Nitrienſi demandatum fuit, quum Andreas Caraffa jam ad Ferdinandum perveniſſe exiſtimaretur, mandatis additis, ut primò Alexandrum Pontificem Maximum, qui antea Rodericus Borgia nuncupatus, iiſdem ferè diebus, Innocentio VIII. è vivis ſublato ſucceſſerat, & Ungaros ſingulari benevolentiâ in clientelam ſuſceperat, Romæ conveniret, ac deinde Ferdinando Rege convento, mentem Uladiſlai à Beatricis conjugio alienam, ejuſque cauſas abſque ullis ambagibus ordine explicaret.

Quæ Antonius ſummâ fide diligentiâque exequutus, Alexandrum primò adiit, ab illoque haud multò pòſt dimiſſus Neapolim venit, Ferdinandoque officiosè ſalutato, gravi oratione aperuit, Uladiſlaum eo eſſe animo, ut Beatricem ſororis amantiſſimæ loco ſemper ſit habiturus: ſed Bohemicis legibus ſeveriſſimè cautum eſſe, ne Rex Bohemiæ, viduæ cujuſpiam matrimonio implicetur: neque inter tantam tot Regum ſeriem legis prævaricatæ ullum extare exemplum: ideo ſe contra leges, ad quas juraſſet, innovare nihil poſſe. Ungarorum etiam votis prohiberi, Beatricis infœcundam ſterilitatem, quæ magno Reipublicæ ipſorum incommodo, Matthiæ fortiſſimi Regis orbitati cauſam præbuiſſet, ante omnia damnanoum. Conceſſurum ſe ut oppidis, arcibus, civitatibus, & quæcunque alia habet, omnibus uti frui libere queat dum vixerit: Non defuturam occaſionem, qua illa florentis Principis connubio, DEO juvante propediem potiatur. Uladiſlaum ab eo quibus oporteat, precibus petere, ne ipſi propterea paulò inhumanioris facti culpam adſcribat; ſed potiùs temporum ac bellorum neceſſitati, ac ſubditorum populorum ſingulari pertinaciæ tribuendum exiſtimet. Ferdinandus ſe in his rebus, quæ arduæ prorſus graveſque ſint, conſilio uſurum reſpondit. Ab Alexandro verò Pontifice, haud longâ interjectâ morâ, tale retulerat reſponſum, quale Uladiſlaum Caraffæ Ferdinandi legato dediſſe meminerat, nempe propediem fore, ut quæ mens ſua in cauſa Beatricis ſit, per nuntium in Ungariam expediendum brevi intelligat.

Favebat Alexander cauſæ Beatricis, quòd cum ejus patre amicitiam & fœdus iniiſſet; & Ferdinandus Pontificis filiis, ante adeptam ſacroſanctam dignitatem ſuſceptis, Franciſco nimirum, qui Princeps Candianus vocabatur, & Cæſari Borgiæ, cui Piceni & Flaminiæ, ac Æmiliæ regiones deſtinabantur, opes in regno Neapolitano ampliſſimas, ac urbes & oppida, copiarumque præfecturas liberaliter contulerat. Itaque remiſſo cum hiſce mandatis in Ungariam Nitrienſe, ad primi veris initia legatus à Pontifice Budam venit Urſus Urſinus, Romanæ ſtirpis vir nobiliſſimus: iſque omnium noxarum expiaöooem Pontificis oomine & auctoritate Uladiſlao obtulit, ſi ſumptis armis bellum Turcis inferret, omnibuſque aliis, qui ſacro eo bello intereſſe, Chriſtianamque Rempub. juvare vellent: ſimulque ſe privata à Pontifice mandata ad Uladiſlaum habere retulit, quibus cauſam Beatricis, Ferdinandi filiæ, eniχiſſimè commendaret, ne eam, cui toties ſpem conjugii multis verbis promiſerat, averſo animo nunc aſpernandum putaret: id ſummo Pontifici adeò gratum futurum, ut nunquam e-

Urſus Urſinus Pontificis legatus Regem ad bellum Turcicū, & Beatricem ducendam fruſtrà hortatur.

jus propenſi ſtudii memoriam animo ſit depoſiturus.

Ad ea Uladiſlaus, quanquam ſibi quotidianum cum Turcis bellum intercedat, ſe tamen non fore poſtremum, ſi ſummum ipſum Pontificem, ac Imperatorem Auguſtum, cæteroſque Reges & Principes Chriſtianos, unanimi voto bellum ſacrum contra veros hoſtes seriò parare animadverterit. Ad Beatricis Reginæ ouptias quod ſpectet, ſe jam per legatum mentem ſuam Pontifici ſimul & Ferdinando ita nudâſſe, ut quum eam abundè intellexerint, non ſit neceſſe in ea repetenda commorari; ſe in eodem propoſito adhuc perſiſtendum deliberâſſe, nec dubitare legatum ab eo tempore, quo in Ungaria fuerit, à diverſis proceribus tam Ungaris, quàm Bohemis intellexiſſe; excuſationes ſuas, quibus ad ſummum Pontificem, atque adeò Ferdinandum & Alphonſum Reges Aragonios uſus fuiſſet, non ex vano excogitatas, ſed arduas veraſque fuiſſe; quas ut illis denuò inculcare velit, ſe etiam atque etiam vehementer petere. Urſinus hiſce rebus auditis Beatricem mœſtam, ſeque deceptam anxiè conquerentem, quibus potuit verbis ſolatus, à Rege ſummo cum honore dimiſſus, redire in Italiam inſtituit, ſed in itinere cùm Villacum oppidum in Noricis Dravo fluvio impoſitum perveniſſet, io morbum incidit, diemque claudens extremum, eodem in loco ſepultus fuit. Ferdinandus quoque non multò pòſt, morbo ſenioque gravatus, diem ſuum obiit, regnique ſimul & Beatricis curam omnem Alphonſo filio reliquit; ſed qui Gallicis armis eo tempore ſummâ vi oppugnatus maximè infeſtaretur.

Urſinus Vilaci obiit.

Ferdinandi Regis Neapolitani mors.

Cæterùm eodem ferè tempore rarâ ævi illius felicitate, ac ingenti Chriſtiani nominis gloriâ, oovus orbis prioribus ſæculis incognitus, ſtupendâ Chriſtophori Columbi Liguris navigatione repertus eſt. Is enim quum à Ferdinando Hiſpaniæ Rege, ſuaſu Iſabellæ conjugis, cujus dotali jure regnum obtinebat, idoneam claſſem, nautas & milites, pecuniamque accepiſſet, oceano ſe credidit, & flexis in Occidentem velis, diu vaſtiſſimis fluctibus oberrando, nec leve à conſternatis animumque deſpondentibus ſociis vitæ diſcrimen adeundo, tandem deſtinatis animo terris potitus eſt. Alia ex parte ſub idem ferè tempus, Luſitani auſpiciis Emanuelis eorum Regis Indicas in Orientem navigationes, quas antea per mare rubrum ſoli principes Ægypti & Syriæ Mahometanæ ſuperſtitionis exercebant, merceſque Indicas Venetis tradebant, atq; illi ſuis claſſibus toti Europæ diſtribuebant, circumnavigatâ Africâ explorare cœperunt, & magno auſu, nec minore felicitatis eventu ad ſe tranſtulerunt. Sed quia inter claſſes duorum Regum cootroverſiæ finium herciſcundorum oriebantur, ne illæ ad arma concitarentur, Alexander Pontifex, ad cujus arbitrium conſenſus Regum diſceptationem detulerat, ita eam diremit, ut omnium regionum, quæ ad Occidentem repertæ eſſent, aut deinceps reperirentur, legitima poſſeſſio ad Hiſpaniæ Reges pertineret; quæ verò ad orientem ſolem vergunt, Luſitanis cederent: ea adjecta conditione, ut per idoneos ſacerdotes fundamenta Chriſtianæ religionis, inter illos rudes barbaroſque populos jacienda procurarent.

Novus orbis à Columbo detectus.

Triennio poſt anniſque inſequentibus, alii quoque Columbum authorem imitati, ultra & citra occiduas terras, variarum regionum ſitus &

Americus Veſputius Americam patefecit.

poſitiones explorârunt. Americus quidem Veſputius Florentinus ſub Zona torrida, quatuor navigationibus maxima & latiſſimè patentia terrarum ſpatia aperuit primus, provinciamque de ſuo nomine Americam appellavit; quæ ob ejus magnitudinem, quartâ cogniti orbis parte major eſſe exiſtimatur. Ferdinandi Magellani induſtriâ, velis verſus Auſtrum directis tranſitum ad Moluccas inſulas primùm invenit, & fretum anguſtum, quo illuc navigaverat, ſuo nomine Magellanicum appellavit. Petro Alvaro inventore Braſilia, Ferdinando Corteſio Mexicana ſub Cancro regna, & urbs Temiſtita inſtar Venetiarum medio in mari condita pari auſu & proſpero ſucceſſu adinventa patefactaq; fuêre. Præter hos æterni nominis viros non defuêre alii Hiſpani ac Luſitani generis ſolertiſſimi homines, quos audendo ac inuſitata nec antè viſa aut audita maria perluſtrando Chriſtianum nomen ultra Æquinoctialem ac torridam plagas, ac ad ipſos etiam anteà fabuloſos antipodas feliciſſimè extendiſſe pro comperto habemus. Quæ demum omnia ætate noſtrâ, poſtquam Sebaſtianus ultimus Luſitaniæ Rex, Joannis Regis filius, ex filia Caroli Quinti Imperatoris Joanna progenitus, qui orientales regiones obtinebat a Mauris in Africa cæſus, nullis relictis liberis extinctus eſt, ad unius Philippi Regis Hiſpaniarum Caroli V. Roman. Imper. filii imperium devenêre, quem hodie Regum præſtantiſſimum & potentiſſimum veneramur.

Gallicus morbus vulgatur

Sed ut hæc admiranda, ac propemodum divina novarum terrarum inventa, perpetuum decus Chriſtianæ Reip. attulerunt, ita morbum etiam illum inſuetum, qui per triſtia Gallorum bella in Italia primùm innotuit, nomenque ab ea gente recepit, ex illis noviter inventis orbis partibus ad nos allatum eſſe conſtans fama obtinuit, in quibus illum popularem & communem eſſe exiſtimant, eo virium & malignitatis ſucceſſu, ut in noſtris Europæ partibus per omnes paſſim provincias crudeliſſimè vim exercendo ſuam, multa millia miſerorum mortalium abſumpſerit: donec ab iiſdem locis, ubi origo mali emerſerat, certiora remedia, quorum ope miteſceret, adferrentur. Quanquam autem hæc ab inſtituti operis noſtri ſerie remotiora, & à multis ſcriptoribus literarum monumentis prodita ſunt; me tamen à legentibus veniam promeriturum reor, qui brevi, nec, ut opinor, injucundo diverticulo in mentionem illorum inciderim, quos æquiſſimorum cenſorum judicio, omnes omnium ætatum homines, nec ipſis priſcorum fabuloſis heroibus, Hercule & Libero patre exceptis, rerum nauticarum peritiâ, navigandique arte, atque ingentibus auſis, longo intervallo ſupergreſſos eſſe conſtat.

Martinus Exobonus à legatione Turcica redit. Bajazetis bellicus apparatus.

Dimiſſo Urſino, eoque in itinere è vivis ſublato, & rebus in hunc modum conſtitutis, Martinus Croborius, quem Uladislaus antè ad Bajacetem Turcarum principem miſerat, iis diebus, circumagente ferè ſe anno, Byzantio redit. Referebat is Bajacetem maximis terrâ marique factis apparatibus, primo verè ingens bellum Chriſtianis illaturum. Sed cuinam parti incumbendum decreverit, pro explorato nondum haberi. Taurino ſeu Belgrado ſuâ quidem ſententiâ non eſſe magnopere timendum, quòd Bajacetes ejus obſidendæ causâ cum maximis copiis, & armorum longè ingenti apparatu Hadrianopolim, ac demum Sophiam uſque proceſſiſſet. Sed auditâ Uladislai cum Maximiliano Cæſare & Polonis pace, qui in ipſum vires & arma conjuncturi eſſe ferebantur, eam expeditionem converſis armis in Venetos, eorumque in Peloponneſo, & Achaia urbes in aliud tempus diſtuliſſet. Ea fama non ſatis credita, quanquam vera fuit; neve Uladislaus imparatus reperiretur, ſi hoſtis arma in ſe vertiſſet, utpotè qui noſſet nullam, vel diligentiſſimam curam & vigilantiam adverſus Turcas ſuperfluam eſſe, eum ad finium cuſtodiam magis ac magis exacuit & incitavit. Itaque Nandoralbam miſſis rebus ſuſtinendæ obſidioni neceſſariis, ac omnis generis commeatu, nec non mille ſelectioribus Bohemis militibus, adverſus quodvis bellum munivit, præfectiſque juſſit, ut mœnia & propugnacula foſſaſque urbis è diſciplina reſtaurarent. Eodem modo Temeſuario, Iaiciæ, Severino, Sabacio, quæ quidem civitates Turcis propinquæ erant, proviſum fuit, iiſque qui in præſidiis erant, ſtipendia perſoluta: ita ut rectè omnia curata atque adminiſtrata fuiſſe viderentur.

Uladislaus Belgradum rebus obſidionis tolerandæ neceſſarius communivit.

Caſimirus Rex Poloniæ moritur.

Sed Uladislao his rebus peragendis intento, ac reſtituta, ut videbatur, in tutiorem ſtatum republ. acerbus & triſtis allatus eſt nuntius, Caſimirum patrem, dum ex Lituania reverteretur in Poloniam, ac Trocos unius diei à Vilna itinere perveniſſet, languere cœpiſſe, ac invaleſcente morbo è vivis exceſſiſſe. Quæ res eum incredibili dolore affecit: Tametſi enim ille, dum viveret, omnibus ferè in rebus nunquam conquieſcendo, ſed ſemper ei ex obliquo hoſtilia moliendo, inprimiſque Polonico bello Alberti partes enixè juvando eum perſequi non dubitâſſet: & quòd non occulti livoris pertinaciæque fuit, moriens condito teſtamento Uladislaum filium exhæredâſſet: ipſe tamen adverſus illum minimè contumax aut impius, veluti patrem ſingulari pietate colebat, ejuſque obitum moleſtiſſimè ferebat. Itaque Budæ celebratis magnificentiſſimo apparatu exequiis, illi prolixè parentavit, diuque mœrens ac lugens, intra privatos parietes ſe continuit. Orationem autem luculentam de ejus obitu, vita, laudibuſque Antonius Bonfinius, Hiſtoriarum ſcriptor eloquentiſſimus in funere, jubente Rege, recitavit. Mortuo Caſimiro ſecundùm ætatis prærogativam Uladislao jus regni polonici competebat; ſed ipſe illud in Albertum fratrem, à quo infinitas injurias, & quæque hoſtilia perpeſſus erat, omnium oblitus, liberaliter tranſtulit, miſſis ad comicia creando Regi Petricoviam indicta legatis. Et quum multò major pars ordinum Poloniæ, Alexandro natu proximo, aut Sigiſmundo, filiorum Caſimiri minimo, qui ambo demum regnavêre, ſuffragia deferenda exiſtimaret, quòd ſeveriore ac ſuperbâ Alberti naturâ oſtenderentur Uladislao tamen ac Elizabethâ, Regina ipſorum matre operam diligentem navantibus, Albertus regnum obtinuit, quum ab Uladislao & matre, opibus, pecuniâ ac militaribus auxiliis oportunè juvaretur.

Bonfinii oratio funebris de Caſimiro.

Albertus patri ſuccedit.

Intereà Segedino, quod eſt ad Tibiſcum flumen oppidum peramplum & celebre liberumque, aliiſque circumjacentibus agris, qui inter Danubium & Tibiſcum latiſſima, alendoque pecori maximè idonea in planitie ſunt, legati Budam venerunt, deplorantes ſe à Bohemicis Nigrorum cohortibus, quæ in hiberna ac æſtiva caſtra illis in locis regionatim diſtributæ erant, extrema rapinarum, incendiorum, cædium, avaritiæ exempla perpeti; adeò ut iis, qui ſub Turcarum imperio diram ſervitutem ſerviunt

viunt, tolerabilior vitæ eſſet conditio; ideoque ab Uladislao petere, ut eam immanem flagitioſiſſimorum hominum crudelitatem quamprimum coërcendam juberet; aut ipſis, qui jam graviſſimorum malorum incommoda ferre ampliùs nequeant, eoſdem armis belloque ulciſcendi poteſtatem concedat. Uladislaus graviter ſe militum licentiam ferre reſpondit, mandaturumque Paulo Quiniſio Temeſuarii præfecto, ac ſummo copiarum duci, ut illis ad officium reducendis omnem operam dare, & ſi dicto audientes eſſe negligant, etiam vim admovere non prætermittat. Itaque Quiniſius ad eos acceſſit, habitoque cum agricolis ſimul & militibus colloquio, præteritorum malefactorum obliviſcendum eſſe decrevit: rebuſque neceſſariis, quæ ad victum pertinent, omnibus æquo tolerabilique pretio conſtituto, quo divendi coëmique poſſent, coërcita in præſens militum licentia videbatur. Sed non multò pòſt perditiſſimæ ac ſeditioſiſſimæ multitudinis injuriæ ita recruduerunt, ut Quiniſius frequentiſſimis miſerorum hominum querelis & lachrymis fatigatus, arma vel invitus ſumere, & tot tantiſque malis finem imponere cogeretur. Igitur ſimulatâ excurſione, quam contra Turcas in animo haberet, copias ex militibus veteranis ac exercitatis colligit, cúmque ad Nigrorum caſtra, antecurſores explorandi causâ miſiſſet, eos caſtra vallo foſsâque muniviſſe didicit. Quo animadverſo, celeri nec importuno conſilio idoneum locum deligit, in quem equites, & ſclopetariorum cohortes agreſtiumque, qui tumultuariâ manu convenerant, opportunè collocat. Levem verò armaturam, cujus magna pars Thraces erant, ad hoſtes laceſſendos invadendoſque immittit.

Bohemicas Nigrorum cohortes Quiniſius caſtris exuit, ac profligat.

Nigri ſimul & equites Bohemi ad hoſtium conſpectum ferè omnes, denſato agmine, caſtris egrediuntur, ac præſentibus animis acerrimum certamen ineunt; cadentibuſque utrinque non paucis, Thraces, uti mandatum erat, ſimulato metu terga vertunt, favit aſtutis conſiliis arridens fortuna, ac Bohemi, Nigrique improviſo in inſidias præcipitati circumveniuntur, ac veluti indagine clauſi in orbem pugnare coguntur; & ſi vellent, fugam capeſſere nequeunt: nec tamen animis franguntur. Poſtremò Quiniſius ſclopetarios, & agreſtes falcatos, qui fœnatis falcibus in longurios tranſverſum adaptatis, gladiorum penuriâ utebantur, quoſque in inſidiis collocaverat, prodire, ac in Bohemos irruere præcipit. Tum verò Bohemi & Nigri labore feſſi, quum prægrandibus falcatis perticis equorum ſuffragines præciderentur, & ſclopetarii rem impigrè gererent, trucidatis ex eorum numero ampliùs ſexcentis, abjectis armis deditionem faciunt; caſtra prædæ & rapinarum plena capiuntur & diripiuntur. Quiniſius plurimos, quos maximè facinoroſos fuiſſe intellexerat, captos, in collibus eminentioribus, quos lata illa planities frequentes habet, multis erectis furcis, laqueo vitam finire, aut fractis cruribus & brachiis, rotis impoſitos ſcelerum pœnas dare cogit. Qui verò minus flagitiorum patrâſſe, minuſque delicti habere comperti ſunt, teſtificantibus id agricolis, ad Regis aut Palatini, aut ſua ſtipendia conſcribendos curavit: eo addito decreto, ut ſi deinceps vel unico teruncio vi ablato miſerorum agreſtium fortunis rapiendis inhiarent, ſimilem aliis ſociis è veſtigio pœnam ſubirent. Reliqui autem, qui per invia, aut ſaltuoſos tramites fugâ elapſi erant, improbitatis perfidiæque notati, nec uſpiam in numerum militum, aut honeſtioris conditionis hominum recepti, montes illos, qui inter Ungariam & Auſtriam, Moraviamque interjacent, ac Albi denominantur, catervatim obſederunt, viaſque latrociniis infeſtas reddentes, ab Auſtriæ Moraviæque præfectis capti, latronumque more damnati variis ſuppliciis periêre, atque hunc in modum maleficentiſſimi hominum generis perfidiæ meritis pœnis expiatæ vindicatæque ultimus finis impoſitus fuit.

Mors Imperatoris Friderici.

Sequentis anni æſtas Friderici Imperatoris Auguſti morte inſignis fuit: is vitiatæ tibiæ doloribus, anniſque & ſenio conſumptus Calendis Sextilibus è vivis exceſſit: ac Viennæ exquiſitiſſimis honoribus, inſignique marmoreo ſepulchro tumulatus fuit. Ejus funebri pompæ miſſi ab Uladislao Urbanus Epiſcopus Agrienſis, ac Nicolaus Banffius cum honeſtiſſimo comitatu interfuêre. Imperium Romanum Maximilianus filius excepit, ſeptennio ante Aquiſgrani Cæſar deſignatus; princeps pacis, bellique artibus clariſſimus.

Stephanus Bathorius ac Matthias Gerebus fato defunguntur.

Domi Stephanus Bathorius celebs ab effectu dictus, abdicatis paulò antè omnibus honoribus, ac Matthias Gerebus vir militiæ præſtans è vivis exceſsêre. Is erat Gerebus Petri frater, Regiſque Matthiæ conſobrinus, qui dum Iaicia, Boſnenſis regni urbs atque arx firmiſſima à Rege obſideretur, ac demum, ipſo Chriſti Dei natali die, deditione caperetur, Muſtavam tribunum Turcarum, qui ſcriptis ad Regem literis fortiſſimum quemque Ungarorum ad ſingularem pugnam ſibi offerri, elato animo poſtulabat; jamque Rex indignabundus, quòd nemo ex veteranis citatus ad nomen reſponderet, duces præfectoſque copiarum ſeverâ voce ſegnitiei increparet, repentè prodiit, cumque hoſte fortiter & intrepidè congreſſus eſt, opinioneque longiùs extracto certamine, quanquam vulneratus, victor tamen evaſit, hoſtemque equo deturbatum interfecit, & caput ejus ad Regis pedes projecit; à quo cùm ob admirandam juvenis virtutem, tum mutuam propinquitatem effusè læto, inſignem equum cum aureis calcaribus, ornamenta nempe equeſtris dignitatis de manu tradita, ſpectante exercitu, & collaudantibus omnibus, dono accepit.

Uladislaus animum ad ferendas emendandaſque leges adjicit,

Exinde Uladislaus factâ cum Maximiliano & Alberto pace animum ad condendas, reformandaſque leges convertit, iiſque in meliorem ſtatum redactis, demum venandi ſtudio, aliiſque remiſſioris & otioſæ vitæ voluptatibus, reipub. curâ aliis demandatâ, oblectari cœpit: quum in Dalmatia novi inteſtinorum bellorum motus, opinione hominum majores ſuborti fuêre: quibus dum lenta ac ſera remedia adhiberentur, tantæ cladis vulnus, quale à multis retroactis annis nemo meminerat, à barbaris hoſtibus accepimus.

Novi bellorum motus in Dalmatia.

Sed priuſquam eas res perſequar, ut omnia in aperto ſint, operæ pretium erit, ſi earum initia & occaſiones progreſſuſque altiùs repetendo, paucis abſolvam.

Joannem Corvinum Matthiæ Regis filium regnique competitorem, Uladislaus Beatricis Reginæ, & Stephani Comitis Scepuſienſis conſilio, armis, pecuniâque adjutus, non procul à Budæ campis victum, ac copiis omnibus exutum, ad amplectendas pacis conditiones, ac renunciandum regno coëgerat, eique, ut ſuprà retulimus, omnia quæ à Dravo flumine, uſ-

quę ad Dalmatiæ fines & Hadriatici maris litora ſita ſunt, regiâ prorſus poreſtate utenda contulerat. Erant in eo Illyrici tractu complures Italici atque Romani ſanguinis proceres, Frangepani, Urſini, Torqnati, quos vulgò Slunios, Blagaios, ac Carlovicios olim vocabant, ſed qui jam majori ex parte ſtirpitus intercidetunt, ac alii majorum gentium comites, quibus Bela Rex patriâ extorris, & in eas Adriatici litoris inſulas à Tartaris pulſus, ante quadringentos annos, quòd eorum opibus armiſque ſublevatus regnum repetiverat, ampliſſimas opes, latifundia, arceſque & civitates, atque inſulas, beneficiorum memor, liberaliter dederat; latâ lege perpetuæ immunitatis, ne ii, eorumque poſteri ad tribunalia quorumcunque magiſtratuum ad dicendam cauſam cogerentur: ſed privato ſolius Regis judicio & cognitioni reſervari cenſerentur.

Simultates inter Frangepanos Comites Bernardum & Joannem

Ortis igitur inter Frangepanos Comites Bernardum Joannemque privatarum ſimultatum causâ, controverſiis, quum ſæpè inter eos crudeliſſimè armis certatum fuiſſet, idque Corvinus deinceps præcavendum judicaret, eis ut poſitis armis, lites & diſceptationes ſuas, patriis legibus decidendas permitterent, ſæpiſſimè ac ſumma cum ſeveritate injunxit. At illi veteri Belæ Regis indulto ſubnixi; neminem ſe præter Regem, qui ipſorum lites dirimat, ne ſibi ipſis præjudicent, recognituros reſpondebant: quem graviſſimis curis, & bellorum tumultibus occupatum, privatis litibus decidendis vacare non poſſe ſatis intelligebant. Et Corvino, ut remiſſiùs ageret, occaſionem obtulerat, contrahendæ cum Bernardo affinitatis cogitatio, ut qui non multò pòſt filiam ejus Beatricem ex Veneta matre, elegantis & decoræ formæ virginem ſibi in conjugem ducturus erat; quandoquidem Blancæ Joannis Galeacii principis Mediolanenſis ſororis nuptiæ, Matthiâ mortuo, irritæ fuerant; eaque Maximiliano Cæſari collocata erat. Interea Iaiciæ præſidio, quæ Corvini ditioni erat attributa, Turcæ dies & noctes, tam apertâ vi, quàm occultis inſidiis adeò imminebant, ut niſi Joannis Guilani præfecti labore, vigiliis & induſtriâ, eis occurſum fuiſſet, qui militibus ſtipendii, & cibariorum inopiâ laborantibus, quòd omnis circa regio diffugientibus agricolis, vaſtata deſertaque eſſet, de ſuo providebat, civitas & arx incomparabilis ſtructuræ ac munitionis, unà cum aliis propinquioribus locis, quæ eodem in diſcrimine verſabantur, fame & rerum neceſſariarum penuriâ compulſa hoſtibus facile ceſſiſſet.

Corvinus Illyrici præfecturâ ſe abdicat.

Quibus rerum difficultatibus adactus Corvinus, omni Illyrici imperio, ac magiſtratui ceſſit: illudque Uladislao reddidit, contentum ſe fore affirmans oppidis clienteliſque ſuis, & ditione, quam privato jure, uſque ad eum diem tenuiſſet.

Emer. Derencenius cum Botho in ejus locum ſufficitur.

Mittitur itaque in Dalmatiam, eique conjunctas Croatiam & Sclavoniam Emericus Derencenius, qui cum collega Joanne Botho eas regiones adminiſtrer, jurique dicundo ſimul & tuendis finibus præſit, quod genus præfecti Banum maris propriè Ungari olim vocitabant, ſicuti Hiſpani Almirantem; vocabulo tamen poſtea ad alias etiam præfecturas, quæ in mediterraneis habentur, pedetentim derivato. Hi igitur infelicibus auſpiciis in partes Illyrici cum copiis delati, quanquam Turcas ad Hunam fluvium excurrentes aliquot ſecundis præliis ſubmoviſſent, primiſque initiis fortunam cœptis arridentem experti fuiſſent; ea tamen, ut ſemper eſt varia, mutabiliſque in deteriorem verſa, infelices eventus ſortiti, ambo brevi interjecto tempore hoſtium armis periêre.

Bernard. Frangepanum tumultuantem ad officiũ reducere ſtatuunt.

Priùs autem quàm cætera aggrederentur, rejecta in præſens importuna fori & tribunalium perplexitate, Bernardum Frangepanum, indomito animo hominem, Segniæ maritimæ urbis obſidioni incumbentem, armis illatis ad officium reducendum cenſuêre. Quibus rebus ille intellectis, Segnia relicta, ad ſua defendenda redire, ac ad Briniæ arcem ſe recipere fuit compulſus,

Bothus in Briniæ arcis obſidione perit.

ea eſt non procul à mari, cum ſubjecto oppido vetuſti operis, quam cùm Derencenius cum Botho collega perluſtraret, quâ parte commodior foret oppugnatio, & Bothus prope mœnia incautiùs verſaretur, plumbeâ glande ex arce emiſſâ ictus è veſtigio concidit.

Emericus Frangepanum ad deditionis conditiones compellit.

Ejus morte Derencenius collega, ac cæteri ordinum ductores exacerbati, multò majorem oppugnationem inſtituendam decrevêre, admotiſque tormentis Frangepanum ad accipiendas deditionis conditiones compulêre: eò quidem propetantiùs, quòd Turcam ulterioris Boſniæ præfectum, nomine Jacuppem exactæ virilitatis ſpadonem, magno exercitu ad vaſtandas depopulandaſque Illyrici; Carnorumque regiones, quæ erant in propinquo, irrupiſſe audiviſſent. Sunt qui illum ab obſeſſo Briniæ Frangepano clam evocatum prodiderint, eâ conditione, ut ſi illa in Carnos excurſione Briniæ obſidio ſolveretur, ſe in fidem clientelamque Turcarum conceſſurum promitteret. Verùm quoniam ipſe paulò pòſt adverſæ pugnæ, quæ cum Jacuppe pugnata eſt, in prima acie cum fratribus interfuit, neque in Turcarum annalibus quicquam tale, quo tanti Viri nomen meritò ſuggillari poſſit, reperire eſt: nos illum potiùs excuſandum, atque adeò tantæ culpæ infamiâ liberandum cenſemus, ejuſq; temeritati potius, quàm perfidiæ, infauſtæ pugnæ exitum tribuendum; ut qui antiquo ac nobili Romano ſtemmate progenitus multos poſteà annos vixerit, neque tam indigni facinoris nomine à quopiam vel inimiciſſimo in ſuſpicionem adductus aut inſimulatus fuerit.

Jacuppes Begus excurſionem in Carnos facit.

Confluxerant ad Jacuppem evocati ab eo è Thracia & Macedonia equites, qui à Turcis Acangii vocantur, ita ut decem millium equitum numerum copiæ ejus excederent: cum quibus tantâ adhibitâ celeritate verſus Carnos urbemque Labarum irrupit, ut priùs ingentem miſerorum populorum numerum abduxerint, quàm quiſquam hoſtes advenrare, aut adeſſe audiviſſet.

Erat in partibus Maximiliani Cæſaris Jacobus Siculus, qui contractâ celeriter quingentorum equitum alâ, ac non aſpernandis Germanorum peditum auxiliis hoſti occurrendum ſtatuebat; ſed ille incredibili uſus celeritate, abductis captivis, eodem quo venerat itinere, redeundum, vitandamque, ſi qua fieri poſſet, pugnam omnem ſibi propoſuerat. Jam hoſtes in Motruſienſem agrum revertendo pervenerant, valles potiùs dixeris, præaltis montibus in oblongæ coronæ ſpeciem circumdatas, cùm ſe à Derencenio, cum omnibus copiis tam ſuis, quàm auxiliariis, parato ad dimicandum animo expectari didicit. Aderat cum Derencenio Bernardus Comes Frangepanus, paulò antè, ut diximus, hoſtis, jam verò ſocius; ac Nicolaus & Joannes, ejus fratres, (quæ una res illum ab omni ſuſpicione Turcicæ ſocietatis facilè liberare videtur) cum ſuis Dalmatici & Illyrici nominis militibus. Carolus quoque Corbaviæ

Co-

Comes, è Torquatorum illuſtri familia; ac Petrus itidem Comes de Zrinio cum multa nobilitatis earum regionum parte; nec tamen ſupra agreſtium manum, octo millium numerum excedere dicebantur. Ferunt Jacuppem, quòd multò majores hoſtium copias eſſe exiſtimaret, non parvo metu perculſum; à Derencenio per nuncios è captivorum grege delectos, tutum ſibi ac exercitui iter poſtulaſſe: quod eam irruptionem non in partes præfecturæ ejus ſubjectas, ſed in Carnos feciſſet: illum verò, non niſi dimiſſis captivis, conceſſurum reſpondiſſe: cúmque convenire nequaquam poſſent, tum verò ad arma deventum. Porrò Derencenius, quum ſe & copiarum numero inferiorem, nec equitatus robore parem hoſtibus animadverteret, vitandum omne prælii diſcrimen teſtabatur, ac pedem referre, & caſtra ad Modruſiæ mœnia reducenda, donec id ab ipſis integris, ac ſilvarum & montium commoditate adjutis fieri poſſet, prudenter conſulebat: nec verendum eſſe; ut in eo receptu à Turcis impedirentur, qui nequaquam pugnæ avidi; ſatis ſe lucri reportaturos arbitrarentur; ſi cum captivis ac præda domum redire permitterentur. Hæc à Derencenio ſingulari prudentiâ; rectiſſimoque judicio præviſa erant, niſi fortuna ſanis conſiliis ſucceſſum eripuiſſet. Namque Bernardus Frangepanus pugnandum omninò; & in perfidos hoſtes audacter irruendum, captivoſque, & prædam omnem ab eis extorquendam; idque ad officium ejus pertinere diſſerebat, utpote, qui omnibus copiis cum imperio præeſſet. Quòd ſi ipſe inani metu conſternatus pugnam detrectet, ſe ſuis ſaltem cum copiis hoſtem exanimatum pavore, onuſtumque prædâ, & precario iter petentem, invaſurum: eum omnis accepti detrimenti culpam ſubiturum, ſeque ejus apud regem & principes, ſi fata è prælio ſalvum reduxerint, reum peracturum. Nonnulli etiam præfecti & centuriones Illyrici cum petebant, ne militum virtuti diffidere vellet, qui ſuperiori anno, ipſo duce, ad Hunam flumen eoſdem hoſtes ferè ad internecionem deleviſſent, & non exiguum rei militaris uſum habere viderentur. Quibus verbis irritatus Derencenius, ſe ea, quæ de vitando prælii periculo dixiſſet, non ſuæ ſed exercitûs ſaluti conſulendi ſtudio, in medium attuliſſe; quando tamen omnibus tam fixum & certum ineundæ pugnæ ardorem eſſe videat, ne inſolitæ formidinis aut ignaviæ notâ perſtringatur, ſe quoque neceſſitati, & infauſto, ut quidem animus præſagire videretur, certamini manus dare: precarique Deum Opt. Max. ut qui modò in caſtris tantoperè feroces & præfervidi fuerint, eundem in acie animum, eandem in dimicando conſtantiam retineant.

Derencenius & Frangepani hoſtes prædâ partâ redeuntes adorti, fuſi fugatique ſunt. Anno 1493.

Dum hæc à Ducibus diſputantur, Turcæ quadam veluti rabie efferati, è denſioribus ſilvis, per quas iter fecerant, egreſſi, acie inſtructâ, explicatiſque ſignis noſtros provocare ad prælium cœpêre; quòd metuerent, ne Jacobus Siculus (ſed is jam redierat) cum Germanicis copiis adventaret, ipſique à fronte & à tergo circumventi, & velut indagine clauſi manus conſerere cogerentur. Itaque Derencenius tribus agminibus, quæ in quadrata latera denſarentur factis, attolli ſigna & explicari, tubas canere, & primum agmen in hoſtes irrumpere jubet. Pugnatur diu & magnâ contentione; & Jacuppes ſuis laborantibus, jamque inclinatis, recenti equitum ſubſidio ſine mora ſuppetias ferens accurrit. Contrà Derencenius magnâ voce Bernardum Comitem appellans: Nunc inquit, fortiſſime vir, nutantem hoſtium aciem, ardenti animo invade, & qui pugnæ auctor fuiſti, victoriam etiam invictâ virtute nobis præſta. Nec mora, Bernardo in hoſtes ſe acriter inferente, atrox & cruentum certamen inſtauratur: quo diutiùs protracto, dum utraque pars ardentiſſimè præliaretur, ac Derencenius, ubi plurimum periculi imminere videbatur, accurrendo & ſuos cohortando aciem reſtitueret, ad extremum Joannes Frangepanus Cetinenſis, egregiè pugnans, ab haſtatis Turcis trajicitur. Ejus cadaver dum noſtri, ac imprimis Georgius Blatcovicius Nariſii in Dalmatia regulus, eripere conarentur Turcis contra auferre illud conantibus, cadente Georgio, pugna magis ac magis recrudeſcit. Poſtremò noſtri viribus impares, cum ipſo Bernardo terga vertunt, & fœdè profugiunt. Quæ res totam aciem, ordineſque, qui adhuc Turcarum impetum utrinque fortiter ſuſtinebant, mirum in modum perterrefecit, ſecumque in præcipitem fugam traxit. Derencenius cum tertio agmine, quod in ſubſidiis collocaverat, adhuc viribus integer accurrere, vociferari, fugam retentare conatus, dum fruſtrà omnia eſſe, ſeque nihil proficere videt, in confertiſſimos hoſtes irruit, eique cum fortiſſimis familiarium acerrimè pugnanti equus lanceâ confoditur, quo cadente, pedibus non minus acriter dimicando ſe tuetur; donec gladio, quo peririſſimè utebatur, capulo tenus perfracto, ab hoſtibus circumventus, non ſine vulnere capitur. Cui quum laboranti filius, quem unicum egregiæ indolis habebat, ac frater opem ferre vellent, cum paucis familiarium, qui ſupererant, equitum accurrere. Sed neque illi jam ab hoſtibus capto quicquam opis attulêre, & ipſi ambo circumventi, atque crudeliſſimè interfecti ſunt. Cecidêre ex noſtris præter Joannem Frangepanum, & Georgium Blatcuvitium, nonnulloſque clarioris nominis tribunos, 5000. hominum, & 77. Omnia ſigna amiſſa, ex hoſtibus mille aut eo ampliùs deſiderati: plurimi etiam vulneribus acceptis debilitati, domi vitam finivêre. Derencenius ipſe Banus, & Nicolaus Comes Frangepanus, cum multis nobilioribus equitibus Ungarici atque Illyrici nominis, inter captivos fuêre, hic demum multo auro ſe redemit: illum autem Jacuppes Byzantium, ad Pajaſetem principem, cum aliis captivis quamplurimis ac ſignis omnibus dono miſit. Ubi in carcerem ſeptem Turrium conjectus, tribus poſt menſibus mœrore animi, ob amiſſum exercitum, ac filium & fratrem trucidatos, contabuit, vitamque cum morte commutavit.

Joannes Frangepan. cadit.

Et Blatcovitius.

Derencenius fortiter prælians capitur.

Filio ac fratre interfectis.

Quinque millia ex noſtris periêre hac pugnâ.

Ejus cladis temeritate Frangepani acceptæ fama quam Budam allata eſſet, Uladiſlaum incredibili dolore affecit; neque enim ignorabat pleroſque omnia adverſæ fortunæ incommoda, ejus negligentiæ atque ſocordiæ tribuere: omniaque ejus dicta & facta in diverſum interpretari. Quod unum in præſens auxilium perditis rebus ferre poterat, ne provincia præfecto careret, Ladiſlaum Caniſianum in Illyricum miſit, qui illis regnis & oræ maritimæ cum poteſtate præeſſet: ſimul & Iaiciæ ac Segniæ tuendæ curam gereret: eique haud contemnendum equitum & peditum numerum in ſupplementum eorum, qui clade Derencenianâ perierant, attribuit; & ut qui primo quoque tem-

Rex hac clade auditâ Ladiſlaum Caniſianum Illyrico præficit.

Venetorum legati Budam adveniunt. Regeſq; Hungariæ ac Poloniæ ad bellum Turcis inferendum hortantur.

tempore illuc contendere maturaret, in mandatis dedit. Nec multo pòſt inſignes Venetæ Reipubl. legati Budam venerunt, Marcus Dandulus, ac Paulus Capellus, qui Uladiſlaum ad inferenda Turcis arma, certis conditionibus nomine ſenatûs, hortabantur. Quos, firmatâ veteri cum ſenatu amicitiâ, amplis muneribus donatos, dimiſit; poſtulatum tamen in Turcas ſociale bellum nec negare in præſens, neque polliceri viſus eſt: ſpem haud dubiam offerens, ſe brevi ea quoque in re æquiſſimis eorum petitionibus locum daturum. Indè legati Cracoviam, ut Alberto delatos regni faſces gratularentur, profecti, cum eo quoque de inferendo Turcis bello conſilia contulerunt. Nam Turcæ illis diebus Dyrrachio potiti, aliis etiam eorum urbibus terra marique magnis apparatibus imminebant. Et quum eodem tempore Pajazetis quoque legati inducias petentes adeſſent, diu ſuſpenſo animo Albertum tenuère, quid ſibi agendum, quidve decernendum, & utris gratificandum foret. Ad extremum Uladiſlai fratris conſilium ſequutus, certis de cauſis, Turcarum legatis triennales inducias dedit, eoſque dimiſit. Iiſdem diebus Uladiſlaus Epidaurios, civitatem maritimam, & ſuis legibus utentem, qui nunc Raguſini vocantur, id per legatos poſtulantes, in fidem clientelamque recepit, quum illa à multis ſæculis Pannoniæ Regum amicitiâ patrocinioque ſuffulta, clara potenſque evaſiſſet.

Uladiſlaus Raguſam in fidem clientelamque ſuam recipit.

Sub idem quoque tempus brumalium dierum, adſtrictis glacie fluminibus, Paulus Quiniſius aliquid tentandum ratus, copias præſidiariorum militum ad ſpeciem juſti exercitûs collegit, Rege prætorianas turmas cohorteſque ſubmittente, Danubiumque trajecit, ac majorem partem copiarum, verſus Samandriam excurrere, agroſque longè latéque vaſtare jubet, ipſe cum tribus millibus hominum ad ripam Danubii, multis extructis ignibus, caſtra locat. Illi proxima caſtella, in quibus Alibegus Samandriæ præfectus, ex Michalbegorum familia oriundus, vir domi militiæque clarus & opulentus, conjuges (nam complures ducere legibus permittuntur) liberoſque, & pretioſiorem ſupellectilem habebat, cum adjacentibus oppidis, nec opinato aggreſſi, tantâ adhibitâ celeritate cœperunt, ut Turcæ ſpatium arma capiendi, ſeque tuendi non habuerint, noſtrique captis aut ad unum interſectis omnibus, utroque caſtello, exiguo tempore interjecto, potiti ſint. Unum ad ſummam militum lætitiam cumulandam defuit, quòd filii ac conjuges Alibegi, per occultam averſæ portulæ ſemitam, deducentibus Eunuchis eorum cuſtodiæ propoſitis, ſub tumultu feliciter profugiſſent. Incredibilem in his caſtellis, ac vicinis oppidis vim prædæ fuiſſe repertam ferunt, ex eaque æquali diviſione diſtributa, univerſi milites præfectique, pecuniâ, veſtibus, armis, equis, pecore, captivis, cæteriſque id genus rebus abundè expleti, nullo accepto ab hoſte detrimento domum rediêrunt. Alibegus poſtero die cum octo millibus equitum, ut prædam extorqueret, injuriaſque ulciſceretur, noſtros inſequutus fuit; ſed quum jam anteà eos in tutum ſe recepiſſe, glaciemque è veſtigio diſſolutam comperiſſet, fremens & frendens, ſibique ac fortunæ iratus Samandriam reverſus eſt.

Quiniſius coactâ militũ manu verſus Samandriam excurſionem facit, atque Alibegi duo caſtella cũ magna præda occupat.

His rebus peractis, ac incolumi reducto exercitu, Quiniſius quum Taurunum veniſſet, ab iis qui cuſtodiæ, civitatis arciſque præerant, intellexit, nonnullos de prodenda Turcis arce, conſilia cum Alibego nefariè communicâſſe. Nec mora, implacabili in proditores odio incenſus, acerbiſſimis habitis inquiſitionibus, omnes cœpit: ac in convictos, confeſſoſque teterrima, nec unquam anteà ab ulla hominum memoria audita ſuppliciorum genera exercuit; ſcilicet ut inſtar vervecum ignibus toſti, à ſociis meditati criminis manderentur. Dum hæc Uladiſlao ſignificata fuiſſent, gratias Deo Opt. Max. habuit, ac collaudatis Quiniſio & militibus, Croatum militem, qui Alibegi caſtellum primus conſcenderat, multiſque affectus vulneribus nequaquam deturbari è muro potuerat, donec cæteri eum ſequuti conſcendiſſent, ducentis nummis aureis, ac veſte purpureâ donatum ſtipendioque auctum dimiſit.

Idem eos, qui Belgradum Turcis prodere ſtatuerant, inauditis ſuppliciis necat.

DE REBUS HUNGARICIS,

LIBER III.

Comitia Budenſia Anno 1493.

SUB id tempus Derencſenianæ cladis Uladiſlaus comitia Budam convocaverat, ad quæ frequentes ex omni ordine proceres convenerant, in quibus Stephano Criſpo Epiſcopo Syrmienſi, & Andreæ Bathorio, qui coronæ conſervandæ præerant, magiſtratu abdicatis, Thomas Bacocius Agrienſis Epiſcopus, Urbano iis diebus vitâ functo ſubrogatus, ac Stephanus Comes Scepuſienſis ſucceſsêre. Jamque abſolutæ deliberationes cùm privatæ tum publicæ erant, redigique ſaltem in ſcripta debebant, cùm principes & major Epiſcoporum pars in domum Laurentii Syrmii ducis, quam in foro Divi Georgii peramplam habebat, frequentes ſe contulerunt, quo Comes quoque Stephanus Scepuſienſis Palatinus venit, qui eo tempore cum Laurentio duce contractâ affinitate, vires, opeſque & ſenſus omnes arctiſſimè conjuxerat.

Corona Regia novi cuſtodes aſſignati.

In eo conventu procerum multi ſermones ultrò citróque habiti fuère, pleni irarum & contumeliæ in Uladiſlai otium, quibus ipſe mollis inertiæ, ac neglectæ Reipubl. infamia indignum in modum lacerabatur, quòd domi ſedendo, cum ſingulari regni detrimento, ac ſumma gentis Ungaricæ ignominia, quietem & deſidiam, ac venandi ſtudium, cæteraque remiſſioris vitæ oblectamenta, neceſſario bello præferret, Sileſiam, Moraviam & Luſatiam, ut de Auſtria taceamus, contra pacta initio regni ſtabilita Bohemis attribuiſſet: Turcarum incurſiones, quas Matthias Rex invictus, aut ipſemet, aut per legatos ſingulari felicitate avertiſſet, ejus negligentiâ ita invaluiſſe, ut

Graviſſima querela à proceribus Uladiſlao objecta.

quo-

quotidie graviores & funeſtiores ſentiantur: Principem Turcarum domeſticis atque externis bellis implicitum eſſe, ideòque benè gerendæ rei occaſiones, ſi iis uti noſſet, digito propemodum demonſtrari: regni proventus in res minimè neceſſarias vanaſque impendi: limites à vicinis Polonis & Bohemis per vim uſurpari: & quod vix ſine lacrymis effari poſſint, opulentiſſimum paulò antè, florentiſſimumque regnum, commutata cum Rege fortuna, ignobile exhauſtumque jacere. Et niſi obviam eatur, brevi fore, ut cum ſumma totius Reipublicæ Chriſtianæ pernicie & excidio, attritis convulſiſque opibus, concidat & evertatur; propterea ipſis rerum indignitate permotis æquum videri, ut de iis Uladislaus à Comite Palatino, ad cujus officium id propriè pertineat, communi ſtatuum nomine, è veſtigio & quidem ſeriò admoneatur. Quæ cùm Palatino præſente & audiente dicta eſſent, ipſe, ut erat cauto ſagacique ingenio, primùm deprecari cœpit grave iſtud legationis munus, quo proculdubio Uladislai aures atque animus læderentur. Poſtremo tamen proceribus, ne hoc abnueret, impenſiſſimè flagitantibus, morem ſe geſturum pollicitus, ſequenti die Uladislao in arce convento, omnia, quæ dicenda acceperat, paucis abſolvit.

Uladislaus refutat ſibi objecta.

Ad quæ Uladislaus, perturbato nonnihil animo, ita reſpondere viſus eſt, ut omnem culpam à ſe amoveret, ac proceribus ipſis, qui ſe otio atque avaritiæ corrumpendos dediſſent, fraudeque & malis artibus regnum prædæ loco habere cœpiſſent, eam haud diſſimulanter tribuere videretur; Se à triennio Reipub. curam domi militiæque eâ fidelitate diligentiâque habuiſſe, ut de ejus ſtudio, vigilantia, & ſi placeat, virtute fortunâque nemo ullam conquerendi cauſam habere potuerit. Receptâ enim Albâ, Caſſoviâ liberatâ, repreſſis hoſtibus, pace opulentiæ parente regno partâ, officio ſuo abunde ſatisfactum videri. Redditus Ungaricos ipſi quidem ingentes immenſoſque promitti, ſed nequaquam integrè adminiſtrari; hactenus ex Bohemiæ ærario. ſe atque exercitum majori ex parte ſuſtentâſſe: nec multum eſſe temporis, ex quo nactus quietem ſit, & eam ſe non inerti otio ac deſidià, ut ipſi objicere viderentur, ſed iis, quæ Reipub. Ungaricæ vel maximè conducant, tractandis peragendiſque tranſmiſiſſe. Ipſos potiùs accuſandos, qui contemptâ Regià auctoritate, poſthabitis legibus, neglectâ militiâ, avaritiæ ac rapinarum ſtudia conſectentur: & quod intolerabilius ſit, omiſſis naturalibus hoſtibus Turcis, qui magnis viribus undequaque ingruant, mutuis inter ſe armis digladiando, cædibus fortunarumque direptionibus hoſtilem in modum graſſentur. Sint modo, uti par eſt, dicto audientes, & pecuniam belli nervum, paciſque ſubſidium affatim ſubminiſtrent, ſe nullam occaſionem neglecturum, qua Turcis bellum inferatur, ne vel ipſe, vel proceres deſidiâ inſimulentur: poſtremò brevi tempore interjecto futurum, ut qui modò principibus ſuis contemptui eſſe cœperit, ſe virum Regemque eſſe teſtatum reddat.

Stephanus Palatinus arcem Sombor

His peractis ſermonibus, ſolutoque conventu, Palatinus arcem Joannis Corvini in Illyrico ab entis, Somboriam, edito in monte ſitam, nequaquam præmonito Rege obſedit: cui quanquam Uladislaus ſeveriſſimè interdixiſſet, ne arcem occuparet, quæ nullâ juris æquitate ad eum ſpectaret, ille tamen ſpreto Regis imperio, eam deditione præſidii in ſuam poteſtatem redegit. Oſualdus quoque Epiſcopus Zagrabienſis, ejuſdem Corvini oppidis per vim adimendis imminebat, nec Regis juſſu ab armis diſcedendum arbitrabatur. Laurentius verò Dux Sirmii, nec Levociam cum Rege venire, neque excurſantibus in Sirmio, & populabundis Turcis reſiſtere voluerat, & quoties de Rege meminiſſet, conviciis vituperanter ejus nomen proſcindere non dubitabat, ita ut Uladislaus his multiplicibus contumeliis exagitatus, certa ſibi, & dignitati ſuæ adverſus] conſpirantes, nec dicto obtemperantes præſidia comparanda cenſeret. Igitur gravi certoque conſilio per idoneos homines Maximilianum Cæſarem ſibi conciliat; deindè in Poloniam, ad Regem Albertum, reliquoſque literas dat, quibus ut Levociam urbem Polonis finitimam venire, iſthicque de rebus arduis ſecum colloqui velit amanter invitat.

Joanni Corvino eripit.

Epiſcopus etiam Zagrabienſis Corvini oppidis imminet.

Ducis Sirmii defectio à Rege.

Uladislai & Alberti Regum conventus Levociæ.

Ad diem igitur conſtitutum Albertus cum Sigiſmundo, & Friderico Cardinale, fratribus natu minoribus, ac Friderico Marchione Brandeburgenſi, ſororis filio, ad Uladislaum Levociam venêre, ibique publicè fœdera cum Polonis renovata ſunt, ac ludis & ſpectaculis aliquot dies inſumpti: privatim verò Reges ſecretis habitis colloquiis, ut ſe ad dignitatem ſuam ab inteſtinis factioſorum procerum inſidiis tuerentur: utque ſi neceſſitas poſtularet, ſtabiliendæ auctoritatis ſuæ causâ arma conſociarent, inſigni ſilentio decrevère. De bello etiam hoſtibus inferendo, quod à ſummo Pontifice imprimis expetebatur, conſilia contulère, amborum Regum animis ad id magnoperè inclinatis. Sed ne ejus ſuſcepti conſilii ſuſpiciones emanarent, ipſimet Reges vulgavère ſibiipſis permoleſtum accidiſſe, quòd tanto labore, tamque longinquis itineribus fruſtrà ſuſceptis abſque ullo Reipub. commodo diſcedere cogerentur. Fama tamen vel callidè ab Regibus diſſimulata emanavit, Uladislaum Alberto fratri eo in colloquio clam conceſſiſſe, ut prætextu belli Turcici, arces Achilleam, & Moncaſtrum in Moldavia, qua Tyras flumen, nunc Neſter appellatus, in Iſtrum illabitur, ſitas, quæ à Pajazete Turcarum principe, ſubinductis, vivente adhuc Mathiâ Rege, furtim captæ erant, recuperare, ſibique retinere liceret: idque conſilium de induſtria Ungaros celâſſe, quòd ii Moldaviam omnem, & eas præcipuè arces à Carolo, & Ludovico, ac Sigiſmundo Regibus reſtauratas munitaſque (quod inſcriptiones ſaxis portarum inciſæ hodieque teſtantur) ad ſe & regnum Ungariæ pertinere affirmarent, nec ei decreto ceſſuri viderentur. Et Albertus quidem magnis copiis & apparatu in Ruſſiam poſteà penetraverat: ſed multis fatigatus adverſis, morbo quoque gravi afflictus, poſtremò inſidiis Stephani Moldaviæ principis circumventus, re infectâ, nec ſine clade redierat: atque hæc res facilè ab Ungaris credita eos ab Uladislao alienavit.

Uladislaus ut arces Achilleã & Moncaſtrum invadat, Alberto concedit.

Palatinus, qui erat in propinquo, ad Reges inviſendos accedere non auſus, quòd Albertum ob ſimultates ex infelicitate prælii Caſſovienſis conceptas offendiſſet: Uladislaum verò ſubiratum, ad arcem Corvinianam contra edictum occupatam, exiſtimaret, petitâ eundi redeundique incolumitate, cum ampliſſimis & planè Regiis muneribus Levociam venit: adeò

Palatinus Reges viſit, & ſplendidis muneribus ornat

adeò ut mille ferè plauſtra, vino, hordeo, panibus, farinâ, variis piſcium generibus, cæteroque commeatu plena, Regibus dono daret, quæ in foro urbis longo ordine porrecta conſpicerentur. Fridericus porrò Cardinalis, duobus Regibus, fratribus ſuis, duobuſque longè clariſſimarum gentium populis audientibus, ſacris operatus, regna & imperia eorum Deo Opt. Max, ardentiſſimis votis commendavit: & deindè poſt exactum menſem, Uladislaus fratres arctè & amanter, ut lacrymæ non inanes emanarent, amplexus, ampliſſimis muneribus donatos dimiſit: ipſe Levociâ diſcedens, Caſſoviam venit, eoque Sigiſmundum Epiſcopum Quinqueecleſienſem, quem Budæ reliquerat, accerſivit, ut ejus conſilio uteretur: quo adveniente Varadinum, indeque poſt aliquot dies in Tranſilvaniam, quam more ſuo tumultuari cœperat, ut ejus tranquillitati conſuleret, iter inſtituit. In quam cùm veniſſet, alterum ex præfectis Ladislaum Loſſoncium, quòd cum Bertoldo Dragfio diſſideret, loco motum, ad aulæ ſuæ præfecturam tranſtulit, & Tranſilvanis pecuniam imperavit, quæ ab ipſis ſine mora curata eſt. Comparato eâ pecuniâ exercitu, & compoſitis Tranſilvaniæ rebus, ad inviſendas inferioris Pannoniæ arces, Temeſuarium cum copiis perrexit, atque à Paulo Quiniſio, vetere ejus loci præfecto, curru vecto (quòd jam pridem diſſolutis dextræ partis membris equitate non poſſet) cum ornatiſſimo apparatu militari, ac longè lautiſſimis convivus & epulis exceptus fuit.

Uladiſlaus fratres dimittit.

Tranſilvaniam nonnihil motam pacat.

Temeſuarium & Varadinum Petri adit.

Itum deindè eſt ad Petri Varadinum ſummo in montis jugo, ad ripam Danubii ſitum cum oppido ſubjacente. Quod utrum à Petro rege, aut alio ejus nominis principe conſtructum fuerit, annalibus nihil ea de re tradentibus, incertum eſt. Ibi cùm allatum eſſet Turcas Savo flumine trajecto, quod inuſitatis æſtatis fervoribus vadoſum ſe præbuerat, alteram in Illyrico & Carnis irruptionem feciſſe; re cum Paulo, quanquam linguâ & omnibus capto, communicatâ, quatuordecim millia equitum, quæ eo itinere conduxerat, ei ac Bertoldo Dragfio tradit, ac ut in Thraciam ac Bulgariam irrumpant, & obvia quæque ferro & flammis vaſtando populandoque percurrant, jubet. Qui in ulteriorem Danubii ripam effuſi, totoſque xv. dies impunè graſſati, tantam prædam congeſſerunt, hoſte nuſquam ſe in conſpectum dante, ut ei aſportandæ nec currus, nec jumenta ſufficerent, adeóque vile rerum pretium eſſet, ut quinque boves uno aureo venirent. Et Paulus quidem ulteriùs progrediendum, advectiſque è proxima Alba majoribus tormentis, Samandriæ mœnibus terrorem admovendum cenſebat: quod Pajazetes Turcarum princeps, illatis Caithbego Ægypti, Syriæque Sultano armis, Europæiſque omnibus Helleſpontum tranſire juſſis, omnem eam regionem præſidiis nudatam reliquiſſet. Sed quum ſocii prædam opulentam dimittere nollent, & eum ſequituros ſe negarent, pedem referre coactus, trajecto ad Taurunum Danubio, incolumem reduxit exercitum. Nec multò pòſt quum ad oppidum ſancti Clementis perveniſſet, quod eſt in citeriori Savi ripa poſitum, lethali febre, ultra priſtinum morbum agitatus, cùm malorum vim ſuſtinere non poſſet, extinctus fuit. Vir certè memorabilis, reique bellicæ peritiſſimus, utpotè qui per omnem ætatem ſummâ felicitate arma tractârit, ac è manipulario pedite omnibus honorum gradibus, ſola virtute duce conſcenſis, Temeſuario ac cæteris inferioris Pannoniæ limitibus per viginti quinque annos cum imperio præfuerit: nec unquam, quod mirum maximè, eventuque rarum ſit, adverſam fortunam expertus fuiſſe feratur.

Quiniſii ac Dragfſi excurſiones in Bulgariā

Undè ingens præda parta.

Pauli Quiniſii mors & elogium

Eo non ſine ſingulari Uladislai dolore ſublato, qui eum gerendo bello, quod jam diu in quoſdam reluctantes proceres coquebat, ducem animo deſtinaſſet, Baciam ductus exercitus, ibique per aliquot dies ſtativa ad ripas Danubii collocata, Baciæ tandem Uladislaus animi ſui propoſitum, de invadendo armis Laurentio Duce Syrmii, ac Bartholomæo Priore Auranæ, ordinis equitum Rhodiorum, & Joanne Halapſicio, cæteriſque Laurentianæ factionis proceribus vindicandis, detexit, adhibitis in conſilium Thoma Bocacio Agrienſi, ac Sigiſmundo Quinqueeccleſienſi Epiſcopis, quorum fidei prudentiæque maximè confidebat. Queſtus eum primò ad coronationis pompam peculiaribus nuntiis invitatum, miſtumè vetuiſſe; deindè Levociam, poſtremò Baciam eâdem pertinaciâ venire recuſâſſe, neque unquam dicto obtemperantem fuiſſe, dicta omnia & facta Regis perpetuâ obtrectatione ſuggillâſſe, & eum illoto ore bovem appellare non dubitârat. Nonnullos ab ærarii præfectis, ut impoſita populis tributa exigerent, miſſos, in oppido ſuo Chioro, haud procul Alba diſſito, crudeliter, ſed occultè interficiendos curâſſe: clancularia cum Turcis conſilia miſcuiſſe, qui nuper dum Sirmium incendiis & populationibus vaſtâſſent, intactique & integri abactâ prædâ revertiſſent, ejus bonis & fortunis pepercisſe ferebantur. Quæ omnia quum manifeſtis indiciis conſtent, nec ille diffiteri queat; quid aliud ſupereſſe, quàm ut criminis læſæ Majeſtatis damnatus meritis pœnis plectatur? Sigiſmundus ſententiam rogatus, conſilia Regia, veluti ſummæ plena prudentiæ haud cunctanter approbavit, addiditque ad deterrendos alios maturè facto opus eſſe: ſe ſingulari proſperè conficiendi belli ſpe teneri, cujus æquitate Rex ſuperior eſſe cenſeretur. Thomæ diverſa nonnihil erat opinio, omnia conſilio priùs, ac æquabili nec indecorâ compoſitione, quàm armis experiunda eſſe: nihilominùs tamen quicquid Uladislao viſum decretumque foret, paratum ſe ad omne diſcrimen eſſe, opeſque & induſtriam ſuam conſociaturum. Uladislaus ſuis ſuſcipiendi belli conſilus innixus, frequentiori convocato concilio, arma adverſus Laurentium, uti prorſus rebellem, cæteroſque inferenda promulgat: milites ex hibernis evocat, tormenta currulia, oppugnandis oppidis idonea, Budâ ſecundo Danubio devehenda curat: eorum magiſtros, imprimiſque Jacobum Morgebordenum præfectum armamentario, è Pruſſiæ urbe Monte Regio oriundum, cui Mathias Rex virtutem præmiis ornare ſolitus, arcem Rohonciam pro egregiè navata multis in obſidionibus opera dono dederat, ut cum his venire maturarent, hortatur, atque alia omnia gerendo bello neceſſaria, ſummâ diligentia adminiſtranda imperat.

Uladiſlai querimonia adverſus Laurentium Sirmii Ducem, & factioſos.

Anno 1494. Bellum adverſus Sirmii Ducem decernitur.

Et ſanè paucis diebus magnæ copiæ in caſtra confluxère, in quibus Petrus Gerebus, Regis Mathiæ conſobrinus, Nicolaus Banffius, Andreas Bothus, aliique complures præfecti & duces clari nominis fuère. Uladislaus his compara-

Copiæ contrahuntur.

Summa rei bellicæ præfectura Dragſfio mandatur.

paratis omnium copiarum imperium Bertoldo Dragſfio, Tranſilvaniæ præfecto attribuit: ac primò Villacum oppidum, quod Laurentii avita ſedes, totiuſque Sirmii caput erat, invadendum, arctique obſidione circumvallandum mandavit. Illud inſtar Budæ, ſitum eſt ſupra collem, Danubio imminentem, pulcberrimis & cultiſſimis vinetis circumjacentibus, in queis generoſiſſima vina, multis & longiſſimo terrarum tractu diſſitis nationibus olim expetita procreabantur; ſed jam à barbaris occupata, nullo culturæ honore, neglecta deſertaque jacent, & ſuam ſortem penè lugere videntur. Quæ ubi Laurentius per exploratores, quos in aula caſtriſque regiis habebat, intellexit, Futaco oppido, quod regios illud primum omnium invaſuros putaret, præſidio firmato, Villacum omnibus rebus tolerandæ obſidioni neceſſariis communivit, præfectiſque & militibus opportuni & celerioris reditûs ſui, auxiliorumque ſpe oneratis, ad Rahociam arcem ſuam in Illyrico non longè à Poſega ſitam contendendum exiſtimavit: ut eam quoque commeatu, belliciſque apparatibus & milite firmaret. Uxorem verò cum infante filiolo, qui paulò pòſt deceſſit, & imbelli familiâ, Nemetuivarinum, præaltæ rupi, ſed cui nulli montes contigui ſint, impoſitam, ideóque naturâ loci munitiſſimam, Stiriæque & Auſtriæ proximam miſit.

Villacum oppidum Ducis obſidetur

At Dragſfius poſt diem tertium prætерito Futaco, ante lucem in conſpectum Villaci oppidi pervenit: & milites extemplò illud aggredi jubet, quod non mœnibus, ſed ſimplici vallo munitum primo impetu capi poſſe non deſperaret. Verùm ea intempeſtiva ducis ac militum audacia eum habuit exitum, ut qui alacriter procurrerant, oppidumque temerè adorti fuerant, ab oppidanis, qui magno numero propugnabant, multis interfectis, multiſque vulneratis celeriter rejicerentur. Poſtero die militibus ſecures bipenneſque diſtributæ, quibus vallum dejicerent, pugnaque denuò inſtaurata, edicto imperatum, ut ſclopetarii ac ſagittarii iis, qui diſſecando vallo incumberent, auxilio eſſent, ac ſubmotis defenſoribus, neminem in vallo conſiſtere paterentur: eoque ordine, ſed majoribus viribus procurrentibus Regiis, patefactoque aditu, oppidani metu perculſi deditionem faciunt, præſidiariis celeri fugâ ſeſe in arcem recipientibus. Et ab oppidanis quidem violandis, juſſu ducis & præfectorum temperatum eſt: ſed pabula commeatuſque cujuſvis generis, ac res & ſubſtantia omnis puncto temporis prædæ avaritiæque militum ceſsêre.

Deditione civium capitur.

Multi ad Uladislaum à Duce deficiunt.

Capto oppido Uladislaus, qui eodem die in caſtra venerat, edixerat, nemini fraudi futurum, quicunque Laurentii partes intra XXX. diem deſeruiſſet, poſt illud tempus capitis fortunarumque omnium noxam imminere. Nec pauci extitêre, qui è veſtigio Laurentio relicto ad officium redierint, nonnullis propoſito perfidiæ ſceleri pertinaciter inſiſtentibus. Arx interea, quæ dupilci murorum ſerie munita erat, diligentiùs atque acriùs cœpta eſt obſideri, & Jacobo Morgebordino tormentarii negotii præfecto, ut majora tormenta propiùs mœnibus admoveret, imperatum: qui eùm impigrè operam navando circa templum Divo Stephano ſactum, quod medio in oppido erat, vineas aggereſque extruendos curâſſet, ac tormenta majora corbibus vimineis arenâ repletis ex diſciplina interjectis opportuno loco collocâſſet, mœnia magnâ vi quatere & diruere cœpit. Cùmque multi quotidie ex defenſoribus tormentorum globis interficerentur vulnerarenturque, ac mœnia non diu vim incidentium pilarum ſuſtinere poſſe viderentur, præſidiarii clam de deditione conferre cœperunt, ac decem dierum inducias à Dragſfio poſtulârunt; quæ eâ conditione conceſſæ fuêre, ut niſi interea à Laurentio auxilia adveniſſent, arx ſine ulla exceptione Regi traderetur.

Arx acriter oppugnatur.

Stantibus induciis præſidiarii milites eam partem murorum, quæ tormentis diruta erat, occultis, & ferè nocturnis laboribus ſingulari aſtutiâ reficiunt, & alias munitiones ita inſtaurant, ut tempore induciarum exacto, neque ullis Laurentii auxiliis apparentibus, deditionem tamen facere recuſarent. Quâ præſidii fraude perfidiæ proximâ deceptum ſe videns Dragſfius, ac propterea graviſſimè exacerbatus, acriorem oppugnationem inſtituere, mœnia perpetuis tormentorum ictibus labefactare, nec dies nec noctes ceſſare, denique hoſtes multâ arte fatigare. At Laurentius famâ capti oppidi, arciſque periculo permotus, conſilii inops, tantaque bello impar, ad Stephanum Comitem Scepuſienſem & Palatinum, cui affinitate arctoque fœdere privatim icto conjunctus erat, confugiendum, rebuſque ſuis extremo in diſcrimine verſantibus opem implorandam duxit. Qui precibus ejus lacrymiſque adductus, ſibi quidem militares copias ſubſidio contra Regem mittere minimè licere reſpondit, ne mox perduellionis reus agatur: ſenio autem morbiſque gravato iter in caſtra Regia ſuſcipere integrum non videri; hoc unum, quod in poteſtate foret, ei minimè denegaturum, ut legatos ad demulcendum ac deprecandum Regem quamprimùm amandaret, quem mitem ac benignum, citóque exorabilem exiſtimaret. Qui quum in caſtra perveniſſent, admiſſi à Rege, ea quæ à Palatino in mandatis acceperant, ordine narràrunt; quorum ſumma erat, Laurentium neque reum a quopiam peractum, neque damnatum eſſe; ſi quid noxæ feciſſet, juxta leges, ad ipſius Palatini tribunal, qui inter Regem & ſubditos, pro veteri regni libertate, ordinarii judicis locum obtineret, reum citari debuiſſe; quibus prætermiſſis, indictaque cauſa, apertum bellum ei nec opinam illatum; quæ cùm ad legitimi Regis officium minimè pertineant, ſed potiùs tyrannidis affectatæ ſuſpicionem multorum hominum mentibus haud obſcurè adferant; petere Palatinum, ut mitigato in præſens animo, ac bello in aliud tempus alioſque hoſtes dilato, cauſam Laurentii non Marte judice, ſed legum patriarum inſtitutis ac conſuetudine cognoſcendam ſtatuat. Uladislaus his legatorum verbis, ut arrogantiæ plenis, ſuprà quàm dici queat, permotus, vehementique bile tumens & iratus, quòd Palatinum Laurentiani ſceleris defenſorem profiteri auſum, ſuperbâque legatione auctoritatem ſuam planè violatam videret, brevibus reſpondit, ſe graviſſimas & multiplices Laurentii contumelias, de quibus bello perſequendis & caſtigandis anteà cum Palatino contuliſſet, nec potuiſſe; nec pro ſua dignitate, regnique Ungarici quiete vindicanda ulteriùs pati voluiſſe. Itaque ſe minis ipſius ac incepto minimè deterritum, ſumpta juſtis de cauſis arma, eò uſque prolaturum, donec perdomitis rebellibus, ac probè vin-

Cujus periculo Laurentius perterritus.

Palatini opem implorat.

Qui legatos ad Regem mittit.

Sed ii cũ ſumma Regis indignatione dimiſſi.

1494. vindicatâ regiâ dignitate, ſumma totius belli proſpero ſucceſſu terminetur. Proindè in ipſius Palatini arbitrio ſitum eſſe, an fidei obſequio ſe benignum & facilem; an verò contumacibus factis durum & implacabilem principem habere malit.

Indè Dragffius acriorem oppugnationem arcis inſtaurat.

Dimiſſis hoc duriori reſponſo legatis, Dragffio acriorem oppugnationem inſtituendam jubet, omnique ſtudio incumbendum, ut nullâ interjectâ morâ arce quoque potiatur. Quibus rebus cognitis, mater Laurentii grandior natu mulier, ex nobiliſſima Garanorum familia oriunda, quam ætate ſexuque ſuo ſecuram filius iſthic reliquerat, extremo metu perfuſa, Draffium ingenti vi pecuniæ oblatâ tentandum duxit, ſi obſidionem amovere, funeſtoque bello finem imponere poſſet. Sed ab homine minime avaro, ac honoris famæque amantiſſimo, contemptis muneribus, ac Regem rejecta fuit. Interim verò dum illa ad Regis animum explorandum ſupplex accedere conatur, Dragffius exterioris arcis muros vehementi pilarum procellâ dirutos cernens, ut non magno periculo irrumpi poſſe exiſtimaret, habito cum Rege cæteriſque ducibus conſilio, noctem obſcuram delegit, cujus tenebris tecti milites eam aggrederentur. Itaque primâ vigiliâ multis in locis ſimul procurrunt; & quanquam difficilis per ruinas aſcenſus foret, defenſoribus ſummâ virtute propugnantibus, tamen paucis amiſſis, ſed multò pluribus convulneratis capiunt, militeſque omnibus, qui in præſidio erant, arma projicientibus, ſeſeque dedentibus, utpote Ungarico ſanguine progenitis parcendum cenſent, eiſque civili temperantiâ in tutum abeundi poteſtatem faciunt. Supererat arx ſuperior nullis adhuc ictibus quaſſata, cujus expugnationem Dragffius longè difficiliorem futuram putabat; ſed metu perculſis, captæque exterioris arcis periculo territis nullam quietem dandam ratus, eam à militibus invadi jubet. Laurentiani quanquam per aliquot dies eam tueri poterant, ne tamen Dragffium nuper falſâ induciarum ſpecie deceptum magis irritarent, nec poſteà lenitati & gratiæ ullum locum apud eum invenirent, antequam illuceſceret, deditionem fecerunt eâ conditione, ut incolumes cum armis & veſtibus dimitterentur.

Laurentii matre nequicquam eum ingenti pecunia ut tentante,

Et repulſis propugnatoribus arcē inferiorem capit.

Superior verò deditur.

Uladiſlaus matrem Laurentii ſingulari benignitate excepit.

Per hunc modum Vilaco in poteſtatem redacto, Uladislaus ſequenti die ex caſtris arcem ingreſſus eſt, ibique matrem Laurentii grandævam, ſuam filiique fortunam lugentem, obviam habuit, quæ in genua procidens miſericordiam ejus multis cum lacrymis & gemitibus imploravit. Cui Uladislaus, bono ut eſſet animo, benéque de ſe ſperaret, juſſit. Se enim finitâ expeditione filii cauſam comitialibus judiciis more majorum cognoſcendam permiſſurum, & ſi ſuffragiis comitiorum inſons judicaretur, de damnis omnibus ſincerâ fide ſatisfacturum; ſin ille cauſâ caderet, ſalvis fortunis, ſolo capite ejus contentum futurum. Quibus dictis, & redditâ quæ ejus erat ſupellectili, eam Budam ducendam curavit, tribus oppidis, ex quorum redditibus ſe intereà ſuſtentaret, ei extemplò attributis. In arce præter trecentas veſtes variis pretioſiſſimarum pellium generibus ſuffultas, ac vaſa auro argentoque cælata, & non modicam ſignatæ pecuniæ copiam, tria millia doliorum laudati vini Sirmienſis, ac commeatus cujuſvis generis ingens numerus repertus eſt: quorum majorum partem Uladislaus ducibus & tribunis ac proceribus, qui fortem fidelemque in expugnaoda arce oppidoque operam navaverant, diſtribuit. 1494.

Indè S. Demetrii Lupus Deſpotes oppidum ditioni Regiæ ſubjugat

Cui etiā reliquæ Laurentii arces ſeſe ſubmittunt.

Ad oppidum verò ampliſſimum, quod à Divo Demetrio nomen habet, ac ad Savum flumen exporrectum, opportuno ad defendendas Illyrici Syrmiique regiones loco ſitum eſt; Lupum Deſpotem Thraciæ, ſed cujus majores regno per Turcas pulſi in inferiori Pannonia ſedes fixiſſent, copiis haud contemnendis ei traditis ſine mora expedivit, ipſeque illud dedentibus ſeſe præſidiariis nullo negotio in poteſtatem redegit, præſidioque impoſito ad Regem in caſtra reverſus eſt: Sic ut Uladislaus omnibus Laurentii arcibus & ditione, quas in Sirmio inferioriſque Pannoniæ partibus habebat, brevi temporis intervallo potitus, ſeque & ſuas injurias egregiè ultus eſſe videretur. Quibus in poteſtatem redactis ad oppida Joannis Halapſicii, quem Quishorvatum vulgò vocabant, invadendi eodem irati animi fervore defertur. Etat Quishorvatus ex inferiori Croatia mari proxima, non ignobili loco oriundus, ductâque uxore Laurentii Banffii ſenioris à Gara nuncupati filiâ, conjugii jure aliquot caſtella & oppida intra Savum Danubiumque flumina obtinebat, ac omnibus ferè bellis Mathiæ Regis ordines ducendo inclaruerat, vir rei militaris peritiſſimus, ſed qui factiones alere, vicinorum bona rapinis infeſtare, regiaque edicta ſingulari contumaciâ contemnere erat ſolitus.

1494. Hunc Quishorvatū contumaciam domat.

eumque omnibus arcibus quatriduo exuit.

Hunc igitur quatridui ſpatio omnibus arcibus & ditione exutum, Pannoniæ finibus excedere coëgit; Sed non multò pòſt magnorum Principum, & Maximiliani inprimis Cæſaris, Sigiſmundique fratris, Uladislai, qui poſt Albertum & Alexandrum Rex Poloniæ fuit, diuque & feliciter regnavit, commendationibus adductus, eum promittentem ſe omnibus, quos damnis & detrimentis affecerat, ſatisfacturum, ac inpoſterum dicto audientem futurum, in gratiam recepit. Per hunc modum omnibus Laurentii & Quishorvati arcibus brevi tempore interceptis, Uladislaus ad amplitudinem dignitatemque nominis ſui pertinere ratus eſt, ſi ulteriùs progredi, ac victoriæ proſperis ſucceſſibus uti maturaret. Itaque Vilaco, & cæteris locis eâ expeditione in poteſtatem redactis, Andream Botbum, virum militiæ peritum, ſibique imprimis fidum cum ſummo imperio præfecit; alias verò tres ejus arces munitiſſimis in locis ſitas tribus bellis eodem tempore aggredi, nec intereà cœpto deſiſtere, quàm ejus & cæterorum adverſæ factionis elatos ſpiritus retunderet, gravi conſilio decrevit.

Maximiliani Cæſaris, & Sigiſmundi Regis deprecatione in gratiam redit.

1495. Dragffium quidem, quem Vilaci obſidioni præfuiſſe diximus, in Simigienſem agrum cum iiſdem legionibus ire, ac arcem Vivariam, quæ à fluvio Capoſio nomen habet, eoque in inſulæ modum circumfluente ambitur, oppugnare jubet; eique Hippolyti Aeſtini Cardinalis Strigonienſis, Joanniſque Bornemiſſæ equeſtres copias attribuit. Hunc Joannem Bornemiſſam, quæ vox ſobrium atque abſtemium notat, è Tolnenſi pernobili oppido oriundum, Mathias Rex virtutis induſtriæque ejus admiratione captus, ex humili obſcuroque loco ad ærarii præfecturam promoverat; à Uladislao verò tantò in pretio atque honore habitus ſemper fuit, ut præter reddi-

Dragffius Caposvivariā arcem obſidet.

Joannis Bornemiſſa laus.

1495.

redditumm omnium procurationem ei coocteditam univerſis etiam ſecretioribus cooſiliis ante alios adhiberetur, & demùm à moriente liberorum Regiorum tutor atque curator ſingulari judicio conſtitueretur. Joſepho verò Somio, quem poſt Quiniſium paulò antè fato functum Temeſuarii præfecturâ donaverat, in mandatis dedit cum VI. equitum millibus, ac totidem pedibus ad obſideodum potiùs, quàm oppugnandum oppidum Nemetvivarium quamprimum proficiſcatur. Quod oppidum in plano quidem & patenti loco ſitum eſt, ſed arcem rupi prægaltæ, quæ ab omnibus circum montibus naturæ quodam miraculo ſeparatur, impoſitam habet; ita ut Joſephus locum naturâ ſimul & arte munitiſſimum contemplatus, nec ullâ hominum arte aut induſtriâ, ſed fame tantùm, ac rerum neceſſariarum penuriâ expugnari poſſe affirmaret: quibus tamen difficultatum caſibus Laurentius, qui cum conjuge, rebuſque carioribus eò ſe receperat, convectis omnis generis commeatibus, cæteriſque tolerandæ obſidiooi neceſſariis abundè tempeſtivéque proſpexiſſe dicebatur.

Joſeph Somius Nemetvivariũ obſidet.

Reſtabat arx Rahocia, Pogeſæ, uti diximus, propinqua, jugo editi montis ea quoque imminens, cujus oppugnationem Lupo Thraciæ Deſpotæ acerrimo bellatori, cum prætorianis ac Illyricorum copiis, ipſiuſque Corvini auxiliariis curandam committit. Ipſe verò ut Rabociæ oppugnandæ conſilia ſua præſentia urgeret, ducibuſque ad rem fortiter gerendam ſtimulos adderet, trajecto Dravo flumine Veruciam Nicolai Banffi arcem, quæ magnum ac populoſum oppidum adjunctum habebat, unius diei itinere Rahocia diſſitam tranſgreſſus eſt, eo animi propoſito, ut Laurentius cæterique tribus magnis exercitibus trifariam diviſis circumventi, aut dubiis & incertis rebus ſuis certa apud ſe miſericordiæ remedia quærere, aut adverſo belli exitu iniquiſſimam fortunæ conditionem ſubire cogerentur. Fama enim erat eos in finibus Auſtriæ & Stiriæ, conductis Germanis peditibus, aliiſque copiis, pugnæ fortunam teotaturos. Cùm Veruciam veniſſet, comitia ſimul judiciaque promulgavit, in quibus lites Illyricorum mutuas, & Oſualdi Epiſcopi Zagrabienſis cum quibuſdam proceribus controverſias diremit; neque quiſquam inventus eſt, qui ejus edictis non extemplò obtemperaret, poſtquam miſerabilis Laurentii immoderata paulò antè cupiditatis conditio atque fortuna omnibus documento exemploque eſſe poſſet.

Lupus Deſpota Rahociã arcem aggreditur.

Intereà quum Dragffius Capoſuarium negligentiùs, quàm pro diſciplina & vetere ſua gloria debebat, oppugnaret, contemptiſque hoſtibus ad nuptias quaſdam relaxandi animi causâ profectus, caſtris exceſſiſſet, à Davide Dombajo, Laurentii præfecto, viro impigro, & eâ potiſſimum obſidione clariſſimo, inſigne accepit detrimeotum. Is enim occaſionem rei novandæ nactus, dum luoa pernox eſſet, caſtra invadit, Regioſque ſommo ac vino, quod ibi laudatiſſimum naſcitur, ſepultos, & ſegniter ſe tuentes, expeditiſſimis peditibus ſternendos objicit, tormentis nullo negotio potitur; iiſque in Regios converſis omnia terrore ac tumultu complet: adeóque ut Regii Dragffianique in proximas ſilvas turpi & indecorâ fugâ ſalutem quærere cogerentur, cæſis fugatiſque iis, qui reſiſtere auſi erant: puncto temporis caſtra capiuntur & diripiuntur, tormenta currulia cum omnibus impedimentis in arcem à victoribus invehuotur, ac ruinæ murorum adhibitâ celeritate reficiuntur. Cecidêre inter fugiendum ex regiis, & Hippolyti Cardinalis equeſtribus copiis complures: multi etiam cùm in flumen Capoſium cæcis vadis limoque importunum pavidi ſeſe intuliſſent, diu cœno colluctati periêre, aut in manus hoſtium incidêre. Joannes Bornemiſſa cùm diu ſe ſuoſque defendiſſet, utque præ aliis tormenta conſervarent, commilitones hortatus eſſet, pugoamque fruſtrà reſtituere cootendiſſet, ad extremum deſertus à ſociis, & amiſſis XV. equitibus, neceſſitati ceſſit, & in tutum ſeſe recepit.

Dragffius in obſidione Capoſurvanenſi cæditur.

Dragffius amiſſis caſtris & impedimentis graviſſimo vindictæ dolore incitatus, non ſe animo dimiſit, ſed ſingulari uſus celeritate copias diſſipatas, præbito eis ſtipendio, denuò recolligit, tormeota & pilas ferreas pulveremque ſulphureum Quinqueeccleſiis advehenda curat, omnibuſque animi & corporis viribus nititur, ne Laurentiani hujus victoriæ ſucceſſu inſolentiores facti diutius lætarentur. Igitur hæc dies & noctes ſummo ſtudio agitanti, jamque exercitu reparato ad continuandam oppugnationem revertenti commodum advenêre miſſæ à Budeoſibus & Peſthanis tricenariæ cohortes quatuor militariter inſtructæ; quarum ope fretus oppidum denuò adoritur: crates vimineas latiores, tabulaſque pluteis craſſioribus duplicatas, quibus fluineo cœno, carectis & arundinibus impeditum ſubſternatur, pedibuſque militum firmaodis commoditatem præbeat, tumultuario agreſtium opere fieri curat; quibus perfectis acceptam ignominiam virtute & forti conatu delere cupidus, ſigna tolli, tubiſque & tympanis pugnæ ſignum fieri jubet. Et præſidiarii receno victoriâ elati ſe ad defendeodum egregiè comparant, acerrimumque initur prælium: quo fervente, multiſque utrinque cadentibus, tormentarius pulvis apud hoſtes, incertum quo caſu flammam corripuit, punctoque temporis vallum, commeatur omnes & munitiones cum magno fragore disjecit, atque arx ipſa undique ardere cœpit. Ea res propugnatorum animos, ipſumque Davidem præfectum, conſilii inopes maximè perterruit, & ad deditionis conditiones, quas anteà repudiârant, amplectendas impulit. Itaque ſummâ celeritate, datâ acceptâque incolumitatis fide, portæ demittuntur, Dragffiani in arcem admittuntur, obſeſſique & obſideotes repentè veluti ex mutuis hoſtibus amici effecti, æquato omnium labore ad extinguendum incendium properavêre. Quo ægerrimè compreſſo, regiis arcem occupantibus, Laurentiani, quà cuique viſum fuit, Dragffio eis datam fidem probè ſervante, incolumes cum rebus omnibus arce oppidoque exceſsère.

Obſidionem denuò renovat.

Pulvere tormentario fortè incenſo arx Dragffio deditur.

At Lupus Deſpotes diligentiùs acriúſque Rabociæ imminebat, ne Dragffii exemplo improviſum aliquod detrimeotum pateretur, excubias oportuois io locis collocare hoſtium conſilia per idoneos homioes explorare, tormeotis majoribus ad ſummi mootis juga collocatis muros quatere, ut Uladislaus in propinquo illorum ſtrepitum & fragorem facilè exaudiret. Præerat arci Ladislaus Bacocianus, vir togatus potiùs, quàm militaris, idcóque belli pertæſus; is miſſis ad Deſpotam nuntiis ſe io poteſtate regia futurum ſignificavit, ſi Nemethuivarii obſidionis exitum expectandum, oec intereà quicquam

Rahocia arcis obſidio.

1495. hoſtile Rahociæ inferendum putaret. Re ad arbitrium Uladiſlai rejectâ, cùm is nullam moram interponendam vellet, Rahocia quoque quanquam naturâ & arte egregiè munita, imbellis præfecti conſternatione & terrore deditionem fecit.

Etiam illa deditionem facit.

His rebus peractis Uladiſlaus remenſo iterum Dravo flumine, Quinqueeccleſias ſe cum prætorianis cohortibus ac equitum turmis contulit, quum paucis antè diebus Lupum Deſpotam pro navata fortiter eo bello opera collaudatum, magniſque donatum muneribus domum remiſiſſet, Calendis Martiis urbem ingreſſus ex literis & nuntiis Joſephi Somii intellexit, Nemethuivarii obſidionem (arcem eam Germani Guſſingam vocant) tantâ militaris induſtriæ ſolertiâ & labore ab ſe & exercitu initam continuatamq; eſſe, ut Laurentius rerũ deſperatione coactus inducias aliquot dierum poſtularet; quarum intervallo ad accipiendas qualeſcunque conditiones animum adjiceret, traditaque Regis arbitrio totius belli controverſia, ſe, caput & fortunas ſuas omnes gratiæ & clementiæ ejus committere vellet. Jam verò Uladiſlaus fractas tot adverſis ſucceſſibus conciſaſque Laurentii opes vireſque conſpicatus, manſuetiori indies animo iis, qui pro illo partes ſuas interponebant, aures præbere cœperat, eodemque ferè tempore, quo literæ Somii allatæ erant, Andreas quoque Bothus (is è Bainana familia, quæ jam à ſtirpe intercidit, clara imprimis & nobili ortus erat) Vilaco magnis itineribus ſupervenit. Hunc Laurentius, uti veterem amicum ad impetrandas aliquot dierum inducias arbitrum, ſummis precibus popoſcerat; iſque Regiæ clementiæ minimè diffiſus, laborem non invitus ſubierat. Sigiſmundo quoque Quinqueeccleſiarum Epiſcopo non inconſultum videbatur, conceſſo induciarum ſpatio experiri, utrùm diſceptatio omnis æquâ & honeſtâ pactione tranſigi, inteſtinoque bello exoptatus finis imponi poſſet: quanquam non deeſſent complures, qui blandiendo apud Regem adulandoque, vetera odia, recenteſque Laurentii injurias refricarent, ejuſque periculo magnoperè lætarentur. Igitur ſupplicibus votis Andreæ fanganus Uladiſlaus, uti erat ingenio miti & placabili, jamque Laurentium cumulatas temeritatis ſuæ pœnas dediſſe videret, concedendum arbitratus eſt, ut ad ſe venire, & rebus ſuis pertractandis componendiſque præſens intereſſe poſſet; Joſephoque mandavit, ut reducto ab obſidione exercitu, eoque in ſtativis per oppida propinquiora diſtributo, ac à maleficiis abſtinere juſſo ipſe ad Regem veniret, fideque publicâ interpoſitâ Laurentium ſecum adduceret.

Nemethuivarium graviter premitur.

Laurentius Dux Sirmii ad Regem pluribus deprecatoribus uſus accedit.

Quibus rebus ab Joſepho peractis, paulò pòſt Laurentius Nicolao Secio, & Joanne Quiſhorvato comitantibus Quinqueeccleſias venit, atque à proceribus, qui eum ſingulari honore exceperant, ad Regem deductus eſt: apud quem orationem habuit, ſibi ac præſenti ſuæ fortunæ accommodatam, quâ facti ſui rationes in prava & perverſa conſilia eorum, qui perturbatâ Republ. lætarentur, ſeditioſorum hominum transferret, quibus nulla transfuga inhoneſta, nullæ defectiones turpes, nullæ proditiones ſociorum & principum infames ducerentur; eorum ſe ſtudio & libidine tranſverſum actum. Sed ſuo exemplo, capitiſque & fortunarum, ac exiſtimationis, quæ vitâ charior eſſe debet, diminutione & periculo edoctum, aliis quoque jam documento eſſe poſſe; ita ſe facti pœnitentiâ ductum, ad ejuſque pedes procidentem, ſummis precibus contendere, ut quod ad pacem faciendam reconciliandamque concordiam opportuniſſimum judicaret, pro ſua Regia dignitate & clementia, qua Reges humanæ conditionis modum ſupergredi conſueviſſent, decerneret: ſe quidem quicquid ab ipſo decretum conſtitutumque fuerit, quod virum bonum deceat & pacis ſtudioſum, facilè comprobaturum. 1496. Quæ cum dixiſſet, hæſitantem adhuc Regem, & in deliberando quæ utilia, quæque honeſta eſſent, reſpicientem animadvertit, ideóque reſponſum certis verborum circuitibus differentem, quòd diceret ſe infinitis Laurentii contumeliis, quas enumerare longum eſſet, exacerbatum id bellum ſuſcepiſſe, ac Deo Opt. Max. æquiorem cauſam fovente ita geſſiſſe, ut dignitati ſuæ tuendæ abundè proſpectum ſit; nunc gratum ſibi magnoperè eſſe, quòd Laurentium haud ignobili animi propoſito reſipuiſſe, & ſibi exercendæ benignitatis occaſionem oblatam eſſe videat; proindè ſi deterſis odiis & injuriis ſincerâ mente ad officium redeat, daturum ſe omnem operam, ut gratiæ clementiæque Regiæ, quam deſiderare videatur, fructum primo quoque tempore cumulatè percipere poſſit, quando ſibi ab initio inteſtini ejus belli gerendi ſtudia, ad quæ invitus deſcenderat, magnoperè diſplicuiſſe teſtaretur. Deindè comiter appellatum in penitiorem cubili partem introduxit, ubi multa de variis rebus ab eo percunctatus, pacis & concordiæ concludendæ finem ad conventum Budenſem, utpotè frequentiorem, quem intra paucos dies futurum promulgaverat, diſtulit; eique ut diſcederet, Budamque ad diem rediret, permiſit. Eodem die Laurentio nondum profecto, Bartholomæum Berislavum Auranæ Priorem, è Rhodiorum equitum ordine, virum flagitioſiſſimum & maximè ſanguinarium, ſemperque cædibus, rapinis, rebuſque novis ſtudentem, clauſis civitatis portis, miſſoque ad eum capiendum Joſepho Somio, cuſtodiæ tradi, vinculiſque arctiſſimè conſtringi mandavit, captumque Budam tranſmiſit, ut ibi de eo Centumvirali judicio ſtatueretur. Non caruit gravi metu Laurentius, quanquam ſub fide publica eò vocatus, quin eandem carceris fortunam, malevolorum calumniis gravatus, ſubiret. Sed à Somio & nonnullis è ſenatorum numero, qui ei juſſu Regis prolixè cavebant, ne quid timeret, in ſpem erectus fuit; nec multò pòſt ei ad comitia Budam reverſuro abeundi poteſtas data.

Oratio ejus veniæ impetrandæ accommoda.

Regis reſponſio.

Quâ ad conventum Budenſem cauſa ejus differtur.

Aurana Prior in carcerem conjicitur.

Intereà Uladiſlaus his rebus ex animi ſententia adminiſtratis, Budam redire ſtatuit, ac itinere per Barham, Saxardiam, Albamque Regiam facto, primis menſis Aprilis diebus eò pervenit, atque ibi Petrum Moræum è Chiulana familia oriundum, quem ſuperiori anno ad Bajazetem Turcarum principem Conſtantinopolim miſerat, cum legatis Turcicis invenit. Venerant ii à Bajazete amplis allatis muneribus miſſi, in queis gladii aureis ac gemmatis vaginis, & cælata ex argento vaſa tentoriaque Babylonici operis acu ſcitè picta, aliaque id genus elegantia dona erant, decemque annorum inducias poſtulabant. Cum iis Uladiſlaus ſplendidè habitis, & veſtibus, argento pecuniâque donatis, triennales inducias pepigit, eâ conditione, ne intereà ulla vis aut excurſio fieret,

Legati Bajazetis Turci Uladiſlaum adeunt munera offerunt.

Triennales inducias obtinent.

1496. ret, & captivi Derencenianâ clade facti dimitterentur: quòd ſi producendæ longiùs, aut ante terminum intercipiendæ induciæ forent, id tribus antè menſibus utrinque ſignificaretur.

Dehortantur quidam Regem, ne belli contra Laurentium geſti rationem reddat.

Dimiſſis Turcis, Uladiſlaus ordinibus regni, qui frequentiſſimi convenerant, geſti cootra Laurentium belli, & factorum ſuorum rationes publicè dandas decreverat, ut obtrectatoribus malevoliſque ſuis calumniandi cauſas omnes præcideret. Sed Thomâ Agrienſi, & Sigiſmundo Quinqueeccleſienſi antiſtitibus, ac Joanne Bornemiſſi (cujus conſilio præ cæteris nitebatur) intercedentibus, ne regiam poteſtatem, cujus voluntas legibus ſoluta eſſe cenſetur, in dubium vocaret, incœpto ſuperſedit, nec quicquam de iis publicè referri voluit. Cæterùm magnis populi reluctantibus clamoribus & tumultibus, tributo ægrè per ſingulas domos agreſtibus impoſito, ac Dominico Albenſe, & Joanne Veſprimienſe antiſtitibus, aliiſque ordinatiis judicibus, imprimiſque Stephano Verbecio prætore, reformandæ legum multitudini, quæ corruptiſſimâ Republ. in immenſum ereverant, deſignatis, privata judicia, ad perdomandos & puniendos facinoroſos, ſumma cum ſeveritate exerceoda duxit: qui partim interregni tempore, partim ingruentibus Polonicis ac Germanicis bellis eò licentiæ evaſerant, ut bonis, & pacis quibuſque ſtudioſis nullum eſſet ab illorum immanitate & perfidia, etiam domi ſuæ effugium expectandum.

Quia Regis voluntas legibus ſoluta putatur.

Leges reformari, & judicia acerrimè in facinoroſos exerceri Rex jubet.

E quibus Poquius ſupremo afficitur ſupplicio,

Erat inter cæteros Petrus Poquius, è Mergeſſiorum prope Jaurinum gente qui bonis maliſque artibus in Corvini clientelam aulamque ſe inſinuaverat, atque ab eo oppidum & arcem Baimociam, non procul Nitria diſtantem gubernandam acceperat. Is à Joanne Giulano, Ludovico Saraceno, & Georgio Perneſſio, Corvini familiaribus, ſummis viris, proditionis ac perfidiæ accuſabatur, quòd Corvino in thermis, quæ prope oppidum jucundæ ac ſalubres habentur, lavanti, arcemque repetenti, contra fidem & jusjurandum de reddeoda præſtitum, reſtituere recuſâſſet, & quod capitalius erat, conductis ſicariis vitæ ejus inſidiatus eſſet. Quæ crimina cùm ille tergiverſando negandoque diluere conatus eſſet, tum illi productis teſtibus omni exceptione majoribus eum intentati ſceleris convicerant. Itaque Rege & judicibus pro tribunali ſententiam ferentibus eum vitæ exitum habuit, ut proditorum more in fruſtra ſecaretur. Quam pœnam ille pio patientique animo tuliſſe fertur.

Et in fruſtra diſſecatur.

Prior etiam Auranæ culeo inſutus ſubmergitur

Paribus Regis judicumque ſuffragiis Prior Auranæ, quem captum Quinqueeccleſiis, Budamque deductum retulimus, læſæ majeſtatis crimine convictus, damnatusque eſt; ita tameo temperatâ clementiæ cujuſdam genere ſupplicii gravitate, ut non in foro, ſpectante inconditâ plebe, ſed de nocte culeo inſutus in profluentem mergeretur; juſta quidem enormium factorum pœna irrogata, quum in partibus Savo ac Danubio interjectis, adulterina conflata moneta, auctoritatem regiam impudenter ſibi uſurpâſſe, ac mutua cum Turcis conſilia communicâſſe, honeſtiſſimas matronas virgineſque, vi priùs illatâ, necâſſe, ac hominum innocentum cædes varias nefariâ crudelitate patrâſſe fide dignis teſtibus comprobatus fuiſſet.

Scelera ejus.

Laurentius intereà mœſto vultu, obſoletâ veſte, pauciſque comitantibus obambulando rem ſuam procurabat, ſi quo modo Regem, & qui ferendorum in comitiis ſuffragiorum jus habent, ad miſericordiam flectere poſſet. Sed incertum quibus de cauſis Uladiſlaum, ſecus quàm Quinqueeccleſiis erat pollicitus, in conficiendo negotio, opinione perplexiorem durioremque inveniebat. Modo enim ſe velle illum in integrum reſtituere diſſerebat; modò certas conditiones adjiciebat, quibus parte oppidorum ademptâ illum mulctabat. Poſtremò rem omnem ad alia comitia, quæ in autumnum ſequentem indixerat, non ſine graviſſimo Laurentii dolore diſtulit; ſpe tamen firmâ oblatâ ſe ulteriori procraſtinatione non uſurum: quæ res quanquam rationibus Laurentii maximè aliena erat, cui oppidis ſuis & redditibus carendum erat; tamen ne Uladiſlao diffidere videretur, neve eum pravis malevolorum & invidorum ſuorum calumniis obnoxium, importunâ eâ ſolicitudine magis exaſperaret, eam quoque moram patienti animo expectandam arbitratus eſt. 1496.

Laurentii cauſa ad altera comitia rejicitur.

Exindè ſæviente Budæ ac propinquis in locis peſtilentiâ, in ſilvas Verteſias prope Sambucum oppidum longè latéque patentes ſeceſſit, ibique venando & aucupando totam ferè æſtatem traduxit: poſteà Chanadium, Segedinum, Baciamque repetivit, & illinc remenſo itinere, trajectoque rurſus Dravo Veruciam, Bahociam, Sabariam, atque indè Soptonium lentis itineribus reverſus eſt; & cùm Poſonium perveniſſet, Bohemorum Moravorumque conventum egit. Nec diu ibi moratus, dimiſſis Bohemis Budam, qua in urbe peſtilentia jam remiſerat, redeundum duxit, ibique frequentiſſimis comitiis ſtatuit, ut lites non litigantium aut judicum arbitrio, ſed ſumpto à vetuſtate earum initio finirentur. Quam rem utpotè æquitati apprimè conſentaneam, nunc quoque obſervari videmus.

Sæviente Budæ peſte,

Rex in ſilvam Verteſiã ſecedit.

Indè Poſonii conventum Moravor. ac Bohemorum agit

Budæ etiam comitia indicit.

In iis Comitiis Laurentio omnium ordinum ſuffragiis ſubnixo, licuit apud Uladiſlaum ſuas partes interponere, ut ſibi ſqualido & afflicto, fortuniſque omnis ſpoliato, jamque ampliùs uno anno infelicem ſuam ſortem lugenti promiſſæ & expectatæ clementiæ munus impartiretur. Taodem Thomâ Agrienſe Antiſtite, & Joanoe Bornemiſſâ, Andreâque Botho, impensè Laurentio faventibus, pax & concordia iis conditionibus tranſacta eſt, ut Laurentius omnibus arcibus, oppidis & ditionibus, quas ante bellum habuiſſet, etiam inpoſterum uti & frui poſſet; eundemque dignitatis gradum, quem ante bellum tenuiſſet, deinceps obtineret: quòd ſi abſque liberis decederet, uti poſteà evenit, omnis ditio ejus ad Regem, ejuſque ſucceſſores recideret; ita ut arcium & oppidorum præfecti, tam qui modo eſſent, quàm qui deinceps conſtituerentur, ad reddendas eo caſu arces jurejurando obſtringerentur: ac ſuper ejuſmodi tranſactione tabulæ à Thoma Agrienſi Epiſcopo, ejus temporis Caocellario ſolenni ritu confectæ publicatæque fuère. Tum demum Uladiſlaus ſingulari humanitate Laurentium ad jungendas dextras invitavit, eumque in gratiam receptum, convivioque adhibitum, ad præſtaoda obſequia blandioribus verbis cohortatus eſt, iſque poſteà, uti pacis ſtudioſum clientem decuit, donec vixit, tranſactionis formulas omnes ſincerâ fide adimplevit.

Series cauſarũ, in quibus Laurentius certis pactis conditionibus in gratiam recipitur

Laurentio per hunc modum in gratiam recepto, Uladiſlaus gravi curarum mole ſuble-

1497.

vatus videbatur; ſed Beatricis Reginæ ſolicitudo, quæ eum nullo intermiſſo temporis puncto premere ſolita erat, quietem animo nullam concedebat. Itaque cum iiſdem, quorum conſilio eo tempore utebatur, Thomâ Boccacio Epiſcopo Agrienſi, & Joanne Bornemiſsâ colloquutus, in comitia ad fanum Divo Joanni Baptiſtæ dicatum ex arce progredi, & de Beatricis conjugio, aliiſque, quorum cauſâ convenerant, mentem ſuam aperire, ſimulque vota ordinum exquirere decrevit; & Jano Epiſcopo Varadienſi concionis interprete uſus retulit, ſe quin Beatrici verba dederit, inficias ire non poſſe, uti anteà quoque non negaverit. Sed neque illam graviſſimis conditionibus, ad quas ſe obligaverat, ſatisfeciſſe unquam, quas ſi illa adimpleviſſet, meliori in ſtatu Rempublicam futuram fuiſſe, neque Auſtriæ tam ſegniter, tamque deſidioſè amiſſæ detrimenta ſubſequuta. Averſum ſe ab illa ducenda animum habere, cùm aliàs ob cauſas, tum quòd ingraveſcentis ætatis ac notæ infœcunditatis ſit; quæ etiam Mathiam regem orbum liberis reddiderit. Cur enim vel ſuo, vel Reipublicæ ac ordinum commodo ducenda ea ſit, ex qua nulla proles ſperari poſſit? & regnum ſe decedente non ſine bellorum procellis cladibuſque iterum exteris lacerandum exponatur, aut inteſtinis ſeditionibus collapſum intercidat, aut certè à Turcis Chriſtiani nominis hoſtibus, quod dirum infelixque omen Deus avertat, occupetur; ac per illud ad invadendas cæteras reipublicæ Chriſtianæ regiones porta pandatur? Illam quidem ſibi apud omnes ferè Chriſtianos Principes, ſed potiſſimùm apud ſummum Pontificem, aſtutæ ac indignæ viro principe perfidiæ crimen intentâſſe, & in ipſa etiam Ungaria contra ſuam dignitatem clam novis rebus ſtuduiſſe; quæ omnia ſe diſſimulando prætermiſiſſe, ne cum ambitioſiſſima muliere certamen ſuſcepiſſe videretur. Hanc igitur ſuæ voluntatis ſummam eſſe, ut ſi è Republica ipſis fore videatur, Beatricis conjugium omninò repudiandum, idque ei abſque ambagibus ſignificandum cenſeat. Sin ipſis ordinibus ſecus viſum ſit, futurum ſe ſemper in eorum poteſtate; quos certè exiſtimet tam propenſis in ſe animis eſſe, ut ſe liberos procreare, ſeque mortuo regnum illis potiùs, quàm exteris quibuſpiam deferendum præoptent. Tributum porrò, quod ab ipſis ſuo nomine petitum fuit, id ſe non ſuis neceſſitatibus avertendis petiviſſe; ſed ad exolvenda militum ſtipendia, ac arces hoſti finitimas muniendas: itaque ipſos haud abs re facturos, ſi ad illud ſciſcendum quamprimùm conſenſerint, quod ad ipſorum opem & ſalutem diſtribuendum, neque ad alia inſumendum ſit. Ad quæ proceres & nobilitas Uladiſlao reſpondêre, ſe de utraque re collatis ſententiis conſultaturos, ac quod ſibi, Reipubl. ac ipſius dignitati quàm conſultiſſimum videatur pro ſua erga ipſum ac Rempubl. fide & obſequendi ſtudio deliberaturos, perque Legatos certiorem eum reddituros.

Deliberationes de Beatricis conjugio.

Et de tributo imponendo.

Proceres decernunt Beatrici renunciandą eſſe omnia connubii jura.

Recipiente ſe in arcem Uladiſlao, cùm tribus ordine rogarentur, Uladiſlai mentem & conſilia de conjugio omnibus votis & ſuffragiis frequentes approbavêre, miſſiſque legatis indicavêre, ſi idem Uladiſlaus ſentiat, Beatrici renunciandą eſſe omnia conjugii jura, apertéque ſignificandum, ut illa aliam ſibi conditionem vitæ quærendam exiſtimet; ipſos verò ab Uladiſlao pro ſua fide & obſequendi ſtudio obnixè petere & obteſtari, ut de ducenda eleganti, & ſuo genio reſpondenti virgine, primo quoque tempore cogitare velit, dareque operam, ut fauſtâ prole ſuſceptâ, cui regnum juſto hæreditatis titulo relinquatur, felix fortunatuſque appareat. De tributo exigendo duriores ſe præbuerunt, neque ullo modo promittere illud voluerunt, niſi ab iis, qui ei colligendo diſtribuendoque præfuiſſent, rationes accepti & erogati referrentur: quandoquidem ipſi ſe ingentem pecuniæ vim in ærarium contuliſſe; Uladiſlaus contrà nonniſi LX. millia nummûm aureorum illata eſſe commemoraret: iis verborum altercationibus extracto comitiorum tempore, ac dilabentibus nuntiis, quorum ſuffragiis res decerni poterat; tota de tributo controverſia in medio relicta, rebuſque infectis diſceſſum eſt.

1498.

Controverſia de tributo, diſſidentibus ordinibus, in medio relicta eſt.

De conjugio Beatricis Uladiſlao ordinum conſilia magnoperè placuerunt ut ei tandem finis imponeretur. Quibus ad illam non multò pòſt delatis, ferunt querіbundam & lachrymantem, proſciſſo graviſſimis probris & execrationibus Uladiſlai nomine, dira omnia ei imprecatam, quòd ſe prolixis & falſis illius pollicitationibus perjuriiſque deceptam, nefariéque illuſam affirmaret; & ſe brevi ex ejus ingrati & perfidi hominis regno exceſſuram teſtaretur: ſicque illa, quæ ſuperſtite Mathiâ rege, modò Maximiliano Cæſari, modò Uladiſlao, ſeque & regnum occultis conſiliis deferre conabatur, ad extremum ab utroque ſpreta & neglecta, intempeſtivæ ambitionis ſuæ, ingratique erga virum animi meritas pœnas dediſſe viſa eſt, nec multò pòſt rebus in Pannonia diſpoſitis, neque Uladiſlao convento, in Italiam conceſſit, ibique occupato à Gallis Neapolitano regno, Friderici regis patrui ſui, ac totius domûs Aragonicæ, quæ centum & ampliùs annis ſteterat, miſeriis ruinæque interfuit, poſteaque in arce Ænatiæ inſulæ, quam olim Pithecuſas, nunc Iſclam vocant, vitam cum morte commutavit. Uladiſlaum verò Alexander Pontifex poſteà ab illius commercio abſolutum reddidit, eique ut aliam, quam vellet, ducere poſſet, pro ſacroſanctæ auctoritatis ſuæ poteſtate indulſit, ipſeque ad novas nuptias animum applicuit, ut paulò pòſt commemorabimus.

Beatrix Regina incaſſum ſui repudium deplorat.

In Italiam abit, ibiq; obit.

Mors Beatricis Reginæ 1508.

Inter hæc negotia Sigiſmondus Uladiſlai germanus frater, cui Glogoviam & Oppaviam dederat iiſdem ferè conditionibus, quibus eas anteà Albertus habuerat, Budam venit, ibique per aliquot menſes cum Rege fratre conjunctiſſimè vixit, & utriuſque Sileſiæ & Luſatiæ præfecturas gubernandas obtinuit, quas uſque ad illud tempus, quo regnum Poloniæ adeptus eſt, ſummâ æquitate rexit, ac tutatus eſt. Et quum circa eos dies accidiſſet, ut Tartari è Taurica Cherſoneſo geminatâ irruptione Ruſſiam Polonicæ ditionis provinciam longè latéque vaſtâſſent, ac altera ex parte ingentes Turcarum copiæ, duce Babbego cognomine Malcoſoglio, ejuſdem Ruſciæ oram, quæ ad Tyriam fluvium, hac ætate Neſtri nomine vocatum, circum Galliciam & Somboriam extenditur, magnâ hominum & pecorum abacta præda crudeliſſimè diripuiſſent, Reges Ungarus & Polonus fratres, vicinitate diſcriminis admoniti, miſſis ultrò citróque legatis, ac Sigiſmundo in id omni conatu annitente, fœdus renovârunt, ac contra Turcas & Tartaros,

Sigiſmūdus Luſatiæ & Sileſiæ præfecturam obtinet.

Tartarorum ac Turcarū irruptiones in Ruſſiam.

Polonia & Hungaria Regum fœdera adverſus communes hoſtes.

1499. ros, cæteroſque hoſtes mutua auxilia decrevêre. Cautum etiam in eo fœdere fuit, ne Regum alterutri ſine mutuo conſenſu, cum Turcis aut pacem facere, aut bellum gerere liceret. De Moldavia verò, cujus princeps Stephanus, militiæ quidem clarus, ſed mutabili ingenio fideque vir, deſerto Mathiâ Ungarorum rege, ad partes Polonorum tranſierat, eamque provinciam Polonis ſibi uſurpandi occaſionem dederat, conventum eſt, ut illa in poſterum in fide & clientela Regum Ungariæ maneret; ac eidem Moldavo ac Tranſalpinæ Valachiæ principi Radulom, ſi bellum à Turcis ingrueret, uterque Rex auxilium ferret. Atque hæc fœdera multis demum annis, uſque ad horum Regum exceſſum firma ſtabiliaque fuêre, donec invaleſcentibus Turcarum armis eæ quoque provinciæ cum inſigni Reipublicæ damuo hoſtibus Chriſtiani nominis ceſsêre.

Ut Moldavia in Hungarorum fide maneat.

Stephanus Zapolianus Hungar. Palatinus moritur, Relictis tribus liberis. Petrus Gereaus ei ſufficitur.

Circa eos dies Stephanus Zapolianus, Ungariæ Palatinus, Emerici cognomento, Diaci frater, qui eoam ipſe ante hunc Palatini honore functus fuit, Vir pace & bello clariſſimus; Scepuſii exceſſit à vivis, relictis tribus liberis, quos ex Haduige Præmislai principis Teſſinienſis filia ſuſceperat: Joanne nempè, qui poſteà Rex fuit, & Georgio, ac unicâ filiâ Barbarâ, quæ Sigiſmundo regi Poloniæ domum collocata eſt Succeſſit ei, ita Uladiſlao ac Ungaris cenſentibus, Petrus Viugartus, cognomine Gerebus; Mathiæ regis conſobrinus, qui vivo Mathiâ exercitûs Germanici præfecturâ functus erat, & ob ſingulares, quæ in eo erant virtutes, ampliſſimis laöfundiis, & arce imprimis Valpone ab illo donatus fuerat. 1499.

Ejuſdem anni autumno appetente, cùm ad annum ſæcularem; quem Alexander Pontifex maximus in annum ſequentem publicaverat, plurimi mortales teligione tacti, Polonique imprimis & Ungari Romam confluerent, circa forum Julium & Goriciam, in ipſo Italiæ limine, ubi nullum periculum metuebant, in hoſtes, Turcas inciderunt. Scanderbaſſa enim Varboſaniæ, ſeu ulterioris Boſnæ præfectus, natione Trapezuntinus, cum octo millibus expeditorum equitum, quos ex Illyrico; Triballis, Epiro & Acarnania, aliiſque partibus collegerat, eos obvios & inermes nullo negotio oppreſſit, cæſiſque eis aut captis Tiliaventum, Natiſonem, Sontium & Liquenöam, altiſſima flumina improviſus transjecit, ac uſque ad agrum Aquileienſem incredibili celeritate populabundus irrupit: nec Venetoruio præfectis ac præſidiariis obſiſtere, aut eos aggredi auſis, omnia cæde, ferro, flammis & formidine implevit, multaque millia captivorum abbuxit; & trucidatis in ripa Tiliaventi ſenioribus & imbelli turba, eodem quo venerat itinere reverſus eſt; oec tamen homini crudeli, & Chriſtiani nominis deſertori diuturna ea victoriæ lætitia fuit; namque non multò poſt in dirum morbum incidit, & erumpentibus toto corpore pediculis; impiam animam efflavit, medicis vel ex Italia accitis nullam ei opem ferre valentibus.

Scanderbaſſa in Forum Julii excurſiones.

Ejuſdem horribilis interitus, exphtriaſi.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER IV.

1500. ANNUS ſecularis milleſimus & quingenteſimus à partu Virginis, quem Alexander Pontifex Maximus de more condidit celebravitque, Europam ferè omnem & Aſiam variis bellorum procellis agitatam habuit, initio in Italia orto. Nam Ludovicus Sforcia, io quem Mediolanenſi Principatu exturbandum Veneti cum ſummo Pontifice, ac Ludovico Gallorum rege conjurârant, quo Venetos à propoſito inferendi ſibi belli averteret; Pajaxetem Turcarum Principem mulòs precibus & legationibus ad inferendum Venetis terrâ marique bellum incitare ac ſtimulare non intermittebat. Et barbarus quidem profetendi imperii avidus, tam eâ occaſione arreptâ, quàm quòd diceret Venetos Joanni Cernovitio, ac Nicolao Comneno Epirotarum regulis adverſus vicinos Turcas contra pactas ſecum inducias opem tuliſſe; brevi tempore validam claſſem Jonio & Ægæo in mari inſtruxit, ac ingentem terreſtrium copiarum molem ipſemet per Iſthmi fances in Peloponneſum adverſus Venetos duxit, ejuſque expeditionis is fuit exitus, ut Methone, Corone, Dyrrachio validiſſimis urbibus, aliiſque compluribus locis in poteſtatem redactis, claſſeque Venetorum mirabilem in modum disjectâ & fugatâ, Venetos Achaiâ & Ætholiâ, omnique Peloponneſo ejecerit, ac planè victor Bizantium tedierit. Veneti formidabili bello petiti perculſique ad Ludovicum Galliæ, & Ferdinandum Hiſpaniæ Reges, aliosque Principes implorandorum auxiliorum gratiâ legatos miſêre, ab iiſque & Hiſpano præſertim claſſem Conſalvo cognomento Magno Duce impetravêre, & quibuſdam inſulis ac urbibus recuperandis operæ pretium fecêr: poſtremò Petrum Paſchalicum ſummâ prudentiâ virum, legatum ad Uladislaum cum ampla poteſtate expedivêre, ut eum ad ſuſcipiendum contra Pajazetem & Turcas bellum incitaret: Is cùm Budam veniſſet, Thomæ primùm Strigonienſis Antiſtitis, deindè aliorum procerum Pannoniorum, qui apud Regem gratiâ & auctoritate plurimùm pollebant, animis ſibi conciliatis fœdus cum Uladislao percuſſit iis conditionibus, ut in Turcas ſtatim omnibus promotis copiis arma convertat: Senatus autem Venetus eandem peconiæ ſummam, quantam Mathiæ regi ſolvere conſueverat, in ſingulos annos centies mille nummos aureos numerare debeat, donec bellum confectum fuerit. Huic fœderi feriundo Uladislaus, Alexandri maximè auctoritate adductus, ſubſcripſit, qui & ipſe miſſo è Cardinalium ordine internuntio, ſe in triennium ſingula XL. millia nummûm aureorum ſubſidii nomine daturum pollicebatur. Itaque bellum licèt multis, qui Veneto nomini minùs favebant, diſcrepantibus decernitur; & in æde Divæ Virginis; quam Germanicam appellant, publicatur: Joanni Corvino Dalmatiæ & Illyrici protegi; quem Banum

Ludovicus Sforcia Bajazetem ad bellū Venetis inferendum ſollicitat.

Veneti fuſi ac fugati.

Aliorum Principū opem implorant.

Fœdus Uladislao Rege adverſus Turcas.

1500. noſtri vocant, Joſepho Somio Temeſuarii, Petro Comiti ſancti Georgii Tranſilvaniæ præfectis, aliiſque limitaneis pecunia in ſtipendium ad conducendos milites datur, & ut Turcis ubique quàm maximè noceant, edicitur. Inter hæc Alexander Pontifex Thomam Bacocium, qui Epiſcopatum Agrienſem cum Hippolyto Eſtenſi Cardinale, & Archiepiſcopo Strigonienſi paulò antè permutaverat, commendantibus Uladislao & Senatu Veneto; in numerum Cardinalium cooptat; & is tum vnti ſolvendi causâ, tum ut Alexandrum pro tanto munere præſens veneraretur, Romam contendit.

Thomas Bacocius Cardinalis creatur.

At præfecti Turcæ, qui Varboſaniæ & Samandriæ in omnes occaſiones excubabant, cognitis per exploratores ſuos Pannoniorum apparatibus, eùm exortum haud dubiè bellum arbitrarentur, priores & paratiores arma parant; ac quanquam major eorum pars ad Pajazetis claſſem & caſtra in Græciam diſceſſerat: tamen tumultuariam militum manum cogunt, Morolachios & Martalaſſios peditum genus rapto vivere aſſuetum, ac agreſtes undique ad certum diem adeſſe, & arma ſumere, equitum turmas, quæ domi ad tutandos fines relictæ erant, in caſtra convenire jubent, ac Iaiciam Boſnenſis regni caput adoriuntur, rati locum commeatu omni rebuſque ad defenſionem idoneis imparatum, priùs quàm ſuccurri à noſtris poſſet, facilè capi poſſe. Sita eſt arx Iaicia in edito monte ſaxeoque; & fama eſt, ab Italo architecto ad ſimilitudinem Neapolitanæ arcis, quæ ab Ovo nomen habet, olim ædificatam, ab ea nomen ſumpſiſſe, quandoquidem Iaiciam apud Illyricos ovum ſignificare certum eſt. Deſpectat urbem ad radices montis egregiè munitam, ſub quibus duo amnes navigabiles Verbanus & Pliva in unum concurrunt; quum non longo ſupra arcem intervallo, tertius in Verbanum amnis influat Boſſuta nunc dictus, quem veteribus Bacuntium vocatum quidam putant, demerſæ in eum Eliſabethæ reginæ Ungaricæ infelici caſu celebratum, qui poſteà omnes uno Verbani nomine accepto, latè patenti in planitie decurrentes, ad Gradiſcam Savo commiſcentur. Sed Corvinus, in cujus provincia belli initium ortum erat, & qui cupiens Regi gratum ſe oſtendere, curam tuendæ ejus provinciæ iterum ſuſceperat, Uladislao celeriter ſignificat, auxiliaque ſubmitti poſtulat, qui nobilitate omni arma capeſſere juſſa, obſeſſæ arci ſine mora opem ferendam mandat.

Iaiciam arcem Turcæ obſident.

Quæ quum ſegniter pro periculi magnitudine, ac tardiùs id exequeretur, Uladislaus miſſo Emerico Czoboro, qui reſtitantes vi adhibitâ compelleret, brevi ad Corvini caſtra haud contemnendum militum numerum coëgit. Petrus etiam Gerebus regni Palatinus CC. equites, & duas cohortes peditum expeditorum; & ipſe Corvinus tam è ſuis, quàm Frangepanum, Carloviciorum, Zrinianorum comitum, ac cæterorum procerum clientelis & militibus haud mediocres copias ſummâ celeritate comparavit: ita ut juſtum ferè exercitum contra hoſtes educere poſſe cenſeretur. Itaque cùm has copias in conſpectum urbis adduxiſſet, & hoſtes adventum ſuum minimè expectaturos exiſtimaret, illos magno & alacri animo obviam progredi, & prælii fortunam experiri velle animadvertit, quòd omnes caſtris egreſſos ſtructis ordinibus in acie ſtare videret. Ipſe quoque & cæteri copiarum duces aut vincere, aut mori parati, ſine mora quadratis agminibus occurrunt, ac ſublato utrinque clamore congrediuntur, diuque per aliquot horas fortiter pugnant. Sed quum Turcæ noſtrorum impetum nequaquam ſuſtinere poſſent, ac plurimi ex eis gladiis teliſque noſtrorum occumberent, tandem funduntur, tergaque dare, & quà quiſque potuit, in proximos montes & ſilvas ac convalles diffugere incipiunt. Noſtri inſequuti magnam eorum ſtragem ed int, partim cæſis, & captis quàmplurimis, partim in proximum flumen inſilire coactis; u i eûm impeditas utrinque ripas & noſtros inſequentes cernerent, aut abſumpti flumine periêre, aut cunctabundi, qua alveum amnis tentarent, à noſtris capti aut interfecti fuêre. Poſtremo à noſtris plenâ potitis victoriâ caſtra capta & direpta, in quibus ſuppellex militaris non magni momenti, ut in collectitio exercitu, reperta fuit; quam Corvinus præter tormenta aliquot currulia, quæ in arce collocari voluit, diripiendam militi conceſſit. Periêre ex Turcis ad quatuor millia. Sed neque noſtris incruenta illa victoria fuit; quandoquidem ex Corvini copiis ampliùs mille milites in prima acie deſiderati ſunt, nec multò pauciores ſauciati. Liberata per hunc modum Iaicia, Corvinus magnam ab omnibus laudem conſequutus, arcem, quà ictibus tormentorum hoſtilium quaſſata erat, refici, & commeatu aliiſque rebus muniri juſſit, eamque Joanni Girlano, Viro militari & induſtrio, ſibique imprimis fido, qui etiam anteà eam defenderat, tuendam attribuit. Uladislao autem equos & captivos inſignes, & militaria ſigna dono miſit. Quibus peractis, quòd res ejus domeſticæ ità poſtularent, primò Budam ad Uladislaum, à quo humaniſſimè ſuſceptus eſt, deindè in Tranſilvaniam profectus eſt.

Joannes Corvinus Turcas prælio cædit.

Et Iaiciam obſidione ſolvit.

Intereà Albertus Rex Poloniæ, de cujus cum Uladislao fratre pro regno Ungariæ bellicis contentionibus ſuperiùs memoravimus, repentinâ apoplexiâ vitam finivit. Cujus obitum Uladislaus, qua erat pietate, ægerrimè tulit, ac juſta funebria ei ſolenni ritu & apparatu perſolvit. Quanquam autem primogenituræ prærogativâ & legibus regni ſucceſſio Uladislaum reſpiciebat, quòd Albertus nullo hærede relicto deceſſiſſet: tamen ſeu ſolita rerum ſuarum negligentia, aut ne à fratribus Alexandro & Sigiſmundo adhuc ſuperſtitibus nimiæ ambitionis accuſaretur, aut certè tumultui belloque cuipiam præcavendo, pro regno petendo minimè ſibi laborandum exiſtimavit. Sed Poloniæ minoris incolæ annitente imprimis Petro Cmitâ, Poloniæ, ut vocant, Marſchalco, ſponte ſuâ illud ei detulêre, miſſis Budam legatis, Petro Miſcovio Palatino Lancicienſi, & Nicolao Urablovio Canonico Craccovienſi. Quos magnâ alacritate ſuſcepit, & regnum ſe accepturum reſpondit, viciniſque amicis & principibus, potiſſimùm autem Maximiliano Cæſari, & Ludovico Galliæ regi literas ſcripſit, quibus delatum ſibi avitum Poloniæ regnum ſignificabat. Sed quum poſteà certioribus nuntiis intellexiſſet, eorum ſententiam viciſſe, qui Alexandrum fratrem, Regem omnibus ſuffragiis prætuliſſent, ipſe quoque factum approbavit, & literas, quas ad amicos miſerat, ſingulari adhibitâ celeritate revocavit, collaudatos-

Albertus Rex Poloniæ obit.

Regnum Poloniæ fratri Alexandro cedit Uladislaus.

Digitized by Google

1501. datoſque Polonos, ut Alexandri coronationem maturarent, cohortatus eſt. Ad quam etiam Sigiſmundum fratrem Glogoviæ principem eo tempore Budæ agitantem, qui tam ſuo, quàm Uladislai nomine intereſſet, protinus amandavit. Ferunt Eliſabetham amborum matrem, ſummâ prudentiâ fœminam, ſe inter filios veluti arbitram interpoſuiſſe, ac ab Uladislao, ut cederet, & civilibus bellis, quæ procul dubio ſecutura eſſent, occaſionem abſcinderet, hayd difficulter obtinuiſſe. Quæ etiam eodem tempore Uladislaum filium monuiſſe dicitur, ut quum haud procul à quinquageſimo anno ætatem ageret, de ducenda conjuge cogitaret, ſuſceptiſque liberis regno ſibi & poſteris ſtabiliendo proſpectum vellet. Sed ad eandem quoque curam capeſſendam Maximilianus Imperator ex inimico & hoſte jam pridem amicus effectus, eum aſſiduè hortabatur. Delecta igitur ex Galliis Anna Aquitana regii ſanguinis virgo, ac itinere per Salaſſos & Allobroges in Italiam ac Venetias facto deducta eſt; ubi à Petro Lauredano Duce, ſenatuque Veneto ſplendidè ac magnificè excepta, muneribuſque exculta fuit. Deinde Budam felicibus auſpiciis pervenit, nuptiiſque regali luxu peractis, primo anno pulchram prolem ejuſdem nominis Annam enixa eſt.

Anna Candala Uladislao ducitur.

Non incongruum fore arbitror, quanam familia Anna hæc ortum duxerit, & qua generis propinquitate Regibus Galliæ juncta fuerit (poſtquam id ab aliis prætermiſſum video) brevi ſermone recenſere. Gaſto Foxius ex Ebroicenſi familia Regibus Galliæ & Navarræ propinqua progenitus, Leonoram Henrici Quarti Hiſpaniæ Regis filiam uxorem habuit, & ex ea Joannem Comitem Narbonenſem ſuſcepit, qui ex ſorore Ludovici Undecimi Regis Galliæ genuit Gaſtonem illum Fuſium, qui maximis rebus geſtis, priùs fortiſſimus Dux & Imperator, quàm miles, prælio Ravennate ab Hiſpanis fugientibus occiſus eſt; ac filias Germanam, Ferdinando Hiſpaniæ Regi, Maurorum domitori collocatam, ac Catharinam Guilielmo Comiti Candallano Vaſconi in Aquitanis nuptui traditam, quæ eidem Guilielmo Joannem Candallanum poſteriorem, & Annam hanc Uladislai Ungariæ Regis conjugem in Aula Ludovici Regis Galliæ à teneris educatam genuit. Quis autem Uladislao hanc ducendi auctor fuerit, non comperio, & Maximilianum minimè fuiſſe putem, eo tempore à Gallis vehementer diſſentientem.

Turcarum incurſiones in Poſegam & Valconem.

Paucis ante nuptias diebus Turcæ trajecto ad locum, qui Malomffalva dicitur, Savo, in Poſegam & Valconem Ungariæ regiones populabundi excurrerunt, & igne ferroque graſſati magnam undique formidinem incuſſerunt; ita ut etiam ii proceres, quorum curæ deducendæ Reginæ munus delegatum erat, non parum ſibi ac comitatui metuere cogerentur. Sed pauciſſimis pòſt diebus acceptum incommodum majoribus damnis & cladibus hoſti redditum eſt. Namque Petrus Comes ſancti Georgii, qui Tranſylvaniæ præerat, & Joſephus Somius Temeſuarii præfectus, & Joannes ipſe Corvinus, quem in Tranſylvaniam poſt ſolutam Iaiciæ obſidionem profectum eſſe diximus juſſu Uladislai, quem legatus Venetus ad inferenda ex fœdere Turcis arma aſſiduè incitabat, copias conſcripsêre, præſidiis etiam, quæ ducibus Petro Tarnoco, & Jacobo Gerliſtano Severini excubabant, in auxilium evocatis. Adjunxit etiam ſe & copias Georgius Caniſanus, qui Taurunum regebat, Milos verò Belmuſius, ac Marcus & Demetrius Jaxithii, ac Kadicius Boſithius, cum non contemnendo Thracum levis armaturæ equitatu advenêre. Conjunctis igitur viribus Danubium tranſiêre non procul eo loco, cui Haramo nomen eſt, inter Taurunum & Pauſovam ſito, arcemque Vidinam, quam in Bulgariæ limine poſitam Pannonii Bodonum vocant, improviſo aggreſſi, unà cum ſubjecto oppido, & amplis ſuburbiis parvo tempore cœpêre, Turcis omnibus aut captis, aut interfectis, atque oppidum & arcem injectis ignibus delevêre. 1501.

Repreſſa ab Hungaris.

Cladova quoque proximum oppidum, compluteſque villæ quaquaverſum adjacentes eandem fortunam ſubiêre. Nicopolis ſuburbia, quæ longè lateque habitabantur, unà cum frumento & reliquo commeatu jam ex agris in horrea collecto concremata ſunt. Urbs tamen & arx lateritio muro munita, quòd noſtri colubrinas, aut tormenta diruendis mœnibus non attuliſſent, capi non potuit. Mancipiorum, ac majoris minoriſque pecoris ingens numerus fuit: & Turcæ quidem ſub haſta veniêre, ſed eorum, qui Chriſtianam religionem Græcorum ritu colebant, ea eſt habita ratio, ut in Pannoniam cis Danobium tranſlati, ſedes & agros inter Temeſuarum & Nandoralbam haberent, colerentque. Hæc Budam per celeres nuntios allata, ac munera non parvi pretii ex ſpoliis hoſtilibus per duces dono miſſa, Uladislaum ſimul & ejus novam nuptam ſingulari lætitiâ affecerunt. Verùm quum milites cæſa Turcarum capita in ſignum victoriæ Regi miſſa ad ſpectandum, prope fontem, cujus aquas per plumbeos ſiphones in arcem perductas Regina bibere conſueverat, uti erant emarcida, tetrique odoris, effecêre, ut illa ab earum aquarum uſu poſteà perpetuò, dum vixit, abſtinuerit.

Cades Turcarum diverſis in locis.

Repreſsâ per hunc modum in præſens hoſtium audaciâ, res tam in Pannonia, quam Illyrico poſteà ſedatæ fuêre. Et Bajazetes è Græcia & Pelaponneſo victor Byzantium reverſus, cognitâ fratris ſui Giamis morte, qui annis retroactis acie victus ad Rhodios profugerat, & ab iis Innocentio ac demum Alexandro Pontificibus traditus erat, depoſitis belli cogitationibus ad reſtaurandam urbem, ingenti ſi unquam aliàs terræ motu quaſſatam animum intendit, ac occulta filiorum diſſidentium odia inſidiæque eum quàm maximè anxium ſolicitumque reddebant, quæ non multo interjecto tempore in apertum prorumpentes, vitæ ejus exitium, & maximas rerum mutationes attulêre, ut ſuo loco brevibus dicemus. Quapropter Achomates Purpuratorum princeps, & conſiliorum omnium arbiter & moderator, Senatui Veneto per idoneos homines ſignificavit, juſſu, ut eredi par eſt, Bajazetis, ſi de pacis conditionibus tractandis aliquem Byzantium mitterent, fore ut Bajazetem illis concedendis haud alienum reperirent, ſeque in perficienda re adjutorem obtulit.

Quòd ſi Regem Ungariæ unà, ut legatum mitteret, inducere poſſent, tum verò eò majore cum dignitate æquioribuſque conditionibus tranſigi poſſe. Itaque miſſi utrinque legati

Veneti pacem à Bajazete redimunt.

1502. gati; & Veneti quidem, quà tædio infelicis belli, quà exhauſti ærarii difficultate coacti, iniquiſſimis conditionibus pacem fecêre, tradito Turcis Nauplio, & ſanctæ Mauræ in Leucadia inſula arce; Uladislaus verò per Barnabam Belaium virum induſtrium, & multarum linguarum peritum, inducias octennales non ſine difficultate compoſuit, qui tandem mortuo Uladislao, ut poſteà dicemus, â Selimo dimiſſus, in Ungariam reverſus fuit. Apparuit autem ex eventu Venetos opportuno tempore hanc cum Turcis pacem feciſſe. Dum enim Alexander Pontifex Maximus veneno, quod aliis ipſe paraverat, imprudenter ſumpto è vivis exceſſiſſet, ei poſt Pium Tertium intra menſis ſpatium vitâ pariter functum Julius ſuffectus eſt, militari potiùs & bellicâ gloriâ, quàm ſacerdotali memorandus. Is capitali odio Venetum nomen proſequutus, Maximilianum Imperatorem, Ferdinandum Hiſpaniæ, & Ludovicum Galliæ Reges, cæteroſque totius ferè Italiæ & Germaniæ Principes certis de cauſis, & quòd ab iis complures Romanorum Pontificum urbes præter fas & æquum uſurpari diceret, adverſus illos concitavit. Quo lamentabili bello urbs eorum & Reſpublica toto orbe terrarum celeberrima & nobiliſſima ſupremam adiit cladem, nec multum abfuit, quin funditùs everteretur. Sed nos propoſiti noſtri memores, prætermiſſis alienis rebus noſtras proſequi pergemus.

Hungari octennales inducias obtinent.

Inſequentis anni principio Fridericus Card. Regum Ungariæ & Poloniæ frater extremum diem clauſit, vi & atrocitate ejus morbi, quem Gallico vigente in Italia bello exortum, indéque nominatum diximus. Ejus obitum Eliſabetha Caſimiri conjunx, tot Regum & ipſius Uladislai mater, inſigni in Deum pietate, moribuſque lectiſſimis, & ſingulari fœcunditate fœmina, Alberti Imperatoris, Duciſque Auſtriæ filia, non ſine ſummo filiorum dolore & luctu ſubſequuta eſt, quibus ductæ publicæ & celebres exequiæ. Sed & Joannem Corvinum, Matthiæ ex nobiliſſima Sileſiaca fœmina, ſed ignota filium, de quo ſuprà retulimus, intemperies ejus autumni, malignæque febres in ipſo ætatis flore rebus humanis exemere, quum XXXV. ætatis annum nondum expleviſſet. Reliquerat quidem liberos ex Beatrice Frangepana Chriſtophorum & Eliſabetham; ſed qui in tenera ætate fato functi, nomen & familiam ejus propagare non potuerunt. Viduam ejus integra ætate, formâ præcellenti, opibuſque & fortunæ bonis affluentem, poſtquam morientis Viri funera eluxiſſet, Uladislaus Georgio Marchioni Brandeburgenſi ſororis ſuæ filio connubio junxit, hæredemque omnium ex aſſe conſtituit. Verùm is prodigentiâ & luxu intolerabili effusè largiendo, inſanoſque ſumptus & immoderatos faciendo, omnem ſubſtantiam, quæ opulentiſſima & planè regia erat, paucorum annorum curriculo profligatam decoxit ac diſſipavit, poſtremòque nullis ſuſceptis liberis vitam finivit. In Dalmatia & Illyrici præfectura, quam Corvinus ſingulari cum ſui nominis laude geſſerat, & egregiâ virtute domi foriſque conſervaverat, Uladislaus ſuccedere juſſit Andream Bothum, & Franciſcum Balaſſium, cognomento Giarmathium. Qui quum Criſium veniſſent, quo in loco jus dici & concilia provinciæ agitari conſueverant,

Fridericus Cardinal. Uladislai frater moritur.

Eliſabetha regis Uladislai mater obiit.

Joannes Corvinus moritur.

Vidua ejus nubit Georgio Marchioni Brandenburg.

Andreas Bothus & rejecto Balaſſio, Marcus Mislenovicius Illyrico præfecti.

Andream Bothum nobilitas æquo animo admiſit; de Balaſſio, quòd vir crudelitate infami, & factiones alere diceretur, nec in provincia arcem aut ditionem poſſideret ullam, tumultuose reclamatum eſt, & Uladislao ſine mora indicatum, ut alium ejus loco mittere vellet; quòd cautum legibus eſſet, ne qui bonis carerent, eum magiſtratum gerere poſſent. Quod ille re compertâ haud cunctanter conceſſit, revocatoque Balaſſio, Marcum Mislenovitium è Camiſſacio Croatiæ nobili loco ortum, qui arcis Budenſis præfecturam obtinebat, Botho collegam futurum eò ablegavit; ſicque animos Provincialium facili negotio pacavit.

Interim dum comitiis Budæ operam navant, ad Uladislaum certis nuntiis adfertur, Petrum etiam Gerebum, regni Poloniæ Palatinum, quem in locum Stephani Comitis Scepuſienſis ſuffectum fuiſſe ſuprà docuimus, Matthiæ Regis propinquum in arce ſua Valpone vitam cum morte commutâſſe. Quæ res, quum ipſi imprimis Regi, tum verò omnibus propter egregiam viri virtutem, & bellicam fortitudinem gravis moleſtaque fuit. In ejus locum communibus ſuffragiis Vir gravis & ſeverus, Emericus Perenius ſublectus eſt, ejus Stephani Perenii filius, quem Matthias Rex ob conjurationem Caſimirianam adverſus ſe initam, in ordinem redactum, bonis omnibus ſpoliaverat: ita tamen ut poſteà huic Emerico, velut inſonti illa reſtitueret; qui etiam non multò pòſt viduam ipſius Gerebi Dorotheam Caniſianam connubio ſibi junxit; ſicque arce Valpone potitus eſt.

Obitus Petri Gerebi Palatini.

Emericus Perenius ei ſuccedit.

Stephanum quoque Moldaviæ Principem, quem vulgari nomine Vaivodam appellant, diuturnis articulorum doloribus, aliiſque morbis & ſenio afflictum, hoc tempore è vivis exceſſiſſe memoriæ proditum eſt. Fuiſſe is dicitur per omnem vitam diſciplinæ militaris ſcientiâ, & rebus bello præclarè geſtis inclytus & celebratus: namque hoſtibus omnibus, cum quibus arma contulit, ſemper admirabili virtute & fortitudine ſuperior evaſit. Matthiam Regem (quanquam aſtu potiùs & fraude, quibus uti ſolebat, quàm verâ vi) nocturno prælio apud Baniam Moldaviæ oppidum non procul à Sereto amne fuſum, & ſagittâ in incertum emiſſâ vulneratum, finibus ſuis ſubmovit; cum quo tamen ſine mora in gratiam rediit, vires ejus & arma veritus, clientelæque obſequium obtulit. Mahometis copias ingentes Moldaviam provinciam ſuam vaſtantes, cæſis ultra XXX. millibus Turcis vicit, & retrocedere coegit. A Tartaris tam Cherſoneſi Tauricæ incolis, & Nogais, quàm qui ad ultra Rha fluvium in Aſia ſedes habent, multis vicibus inſignes victorias reportavit. Poſtremò Albertum Poloniæ Regem, ut ſuprà retulimus, cæſis & captis ex ejus exercitu multis hominum millibus, ad Bucovinam ſilvam maximâ clade affecit: ita ut inter memorabiles ſuæ ætatis duces haud immeritò cenſendus eſſe videatur. Fluxa tamen fides & inſtabilis, moreſque efferi, & inſita ejus naturæ crudelitas rerum geſtarum famam & gloriam haud obſcurè eluebant; quum modo Polonis, modò Pannoniæ Regibus adhærendum duceret, neutris fidus conſtanſque; quum tamen palam eſſet, & nunc & ſuperioribus ſæculis Moldaviam & Valachiam montanam ſimul cum ipſa Tranſylvania, quæ

Obitus Stephani Moldavi.

Stephani Moldavi res præclarè geſta.

Moldavia, Walachia, & Tranſylvania Hungariæ attributa.

tres

treſ provinciæ antiquitùs uno Daciæ nomine cenſebantur, juri & ditioni Ungariæ attributas & adjunctas fuiſſe.

Bogdan filius ei ſuccedit.

Bogdanum filium unicum, altero captum oculo, ſucceſſorem hæredemque habuit; impatem militiæ, ſed iiſdem inconſtantiæ ac perjurii corruptelis: qui poſtquam Eliſabetham Uladiſlai & Alexandri Regum ſororem ducere vellet, in eaque impetranda repulſam tuliſſet, quòd illa alieni ritûs homini nubere nollet, à Polonis ad Pannonios deſcivit, & tractum maritimum Pocuce dictum bello aggreſſus domuit.

Certamina ejus cum Polonis.

Sed quum à Polonis iſthinc ejectus bellum necdum omitteret, Uladiſlaus miſſis Cracoviam ad Alexandrum Regem Oſualdo Corlatcovio & Barnabâ Belaio, nondum Byzantium profecto legatis, omnem illum motum pace induciiſque compoſuit; legatique à Bogdano miſſi ex Polonia Budam ad Uladiſlaum, illinc verò domum reverterunt: ſic ut Bogdanus utrumque Regem pro patrono recognoſcere, neutri tamen fas fidemque ſinceræ clientelæ aut amicitiæ ſervare videretur.

In comitiis Budenſib. de Sileſia, Moravia & Luſatia acriter diſceptatum eſt.

Cæterùm comitiis ejus anni in campo Peſthano, quem Racoſium a rivo ejus nominis vocant, habitis, de Moravia, Sileſia & Luſatia acriter diſputatum eſt. Nam nobilitatis ordines eas provincias à Matthia Rege imperio Ungarico, ex ſacroſancta Romani Pontificis auctoritate, armis acquiſitas avelli, ac Bohemiæ adjungi ægerrimè ferebant, Uladiſlaumque, ut pactorum fidem obſervaret, ſerio nec ſine tumultu admonebant. Sed is deſidioſâ taciturnitate vota & petitiones eorum, quanquam juſtas, alto ſilentio tranſmittere erat ſolitus magno omnium illorum dolore.

Ne externæ gentis Rex defuncto Uladiſlao eligatur, decretum.

In quo cùm Nobilitas ſummam ſibi & Reipublicæ injuriam fieri exiſtimaret, nec in præſens aliter ſibi conſulere poſſet, frequens in tabernaculum ampliſſimum publico concilio deſtinatum confluxit, ibique collatis omnium votis & ſuffragiis decrevit, ne impoſterum ullo unquam tempore, ſi Rex Uladiſlaus abſque hærede maſculo decederet, alienæ gentis & ſanguinis Regem ſibi deligendum proponerent: additâ atroci denuntiatione, ut qui contra hanc legem feciſſent, eorum bona fiſco addicerentur, ac ipſi, liberique & poſteri eorum univerſi aut perpetuo exilio, ſi capi non poſſent, aut capti præſentiſſimâ extremi ſupplicii pœnâ plecterentur. Hanc legem Thomâ Bocacio ſancti Martini in Montibus Cardinale, Archiepiſcopo Strigonienſe, jam Româ reverſo, atque aliis decem Epiſcopis, quadraginta Senatoribus, qui magiſtratibus fungebantur, nec non centum octoginta proceribus, & quamplurimis ex equeſtri ordine præſentibus, nec quoquam contradicere auſo ſaram, Stephanus Verbecius, regni prætor, eloquens, ſed factioſus vir ſtatim publicavit, Reipublicæ conſervandæ prætextu, ut ajebat, re autem verâ, ut Joannis Zapoliani Comitis Scepuſienſis jam pridem regnum affectantis ambitioni libidinique viam aperiret.

Ut Joanni Scepuſienſi Comiti aditus ad regnum pateſiat.

Aderant alii quoque ejuſdem factionis aſſeclæ, Tranſylvanique, imprimis Saxones & Siculi, qui magno conſenſu applauſuque legem promulgari ſublatis clamoribus jubebant; ſi qui contrà diſſeterent, iis vim, cædemque & extrema quæque intentantes.

Decretum etiam eſt, ut in omnes Pannoniæ tractus & regiones, quæ centenarium numerum excedunt, exemplaria hujus Senatuſconſulti, (ſic quibuſdam appellari placebat) deſcripta ſub ſigillo Comitis Petri de ſancto Georgio, generalis regni judicis, qui magiſtratus poſt Palatinum ſecundus & longè ampliſſimus habetur, primo quoque tempore mitterentur; ex quibus adhuc complura etiamnum extare procomperto habemus.

Uladiſlai ſegnities in ſeditionibus hiſce coercendis.

Quæ quum ad Uladiſlaum per ſecretos fideleſque homines perlata eſſent, tantum abfuit, ut initiis ſeditionum opprimendis obviam iret, exemplo in auctores ſtatuto, ut ne verbum quidem paulò ſeveriùs proloqueretur, id duntaxat diceret: Deo Opt. Max. ſe ac ſalutem ſuam & ſuorum curæ fore. Quamobrem etiam ab iis, qui ei favebant, tam præcipitis ſeu ignaviæ, ſeu cunctationis nomine contemptui habebatur. Et niſi Regina, virilis animi induſtriæque mulier, rerum domeſticarum & aulæ munia curamque ſuſcepiſſet, procul dubio in iis etiam, quæ ad quotidiani victûs neceſſitudines pertinent, acciſis per incuriam & inertiam ejus tributorum & vectigalium redditibus, aut ab rapaciſſimis & perditiſſimis præfectis procuratoribuſque in privatos uſus ſubreptis defectus quamplurimos conſequi neceſſum fuiſſet.

Ludovicus filius naſcitur.

Sed & illa, quum uterum gereret, non ita multò pòſt puerum peperit, incredibili patris lætitiâ; quem in gratiam memoriamque conſanguinei Galliæ Regis, Ludovicum nominavit. Diverſi ludi editi ac ſimu- 1505.
lachra præliorum, & congredientium per ludicrum armatorum magno apparatu & pompâ repræſentata, concurrentibus undique ad ſpectacula Polonis & Bohemis è vicinia, qui magna eorum pars fuêre.

Anna Regina ex partu obiit.

Quæ tamen gaudia mors ipſius puerperæ graviſſimis partûs doloribus accelerata paucos pòſt dies, prout ſunt rerum humanarum variæ incertæque viciſſitudines, vehementer corrupit, Rege in acerbiſſimos luctus & lachrymas converſo: quas auxêre nuntii e Lithuania Alexandrum fratrem, diſſolutis omnium membrorum compagibus, extinctum adferentes.

Quam conſequitur mors Alexandri Regis Polon.

Et quotacunque ſolatii pars fuit Sigiſmundus frater, quem unicè amabat, in illius locum à Polonis & Lithuanis Rex conſtitutus. Scriptis igitur literis, quibus electionem ſibi gratiſſimam eſſe oſtenderet, ad coronationem ejus Stephanum Telegdinum, ærario præfectum, qui ſuo nomine intereſſet, tempeſtivè ablegavit, eique in mandatis dedit, ut abſolutis apud Sigiſmundum negotiis, itinere per Moldaviam facto, ad Bogdanum diverteret, illumque in fide & officio contineret. Quibus ex ſententia confectis, Sigiſmundus regnum adeptus, Glogoviam ac Sileſiæ præfecturam Uladiſlao bonâ fide reſtituit.

Motus Siculorum in Tranſylvania.

Ludovico in lucem edito motus inter Siculos Tranſylvanos ſuſcitati, ac magno labore, nec ſine armis coërciti ſunt, quorum initia cauſaſque expediam. Cuni, ſive ut appellantur Cumani, ac Jaziges, quibus vetus nomen ſupereſt, in latiſſima planitie Tibiſcum & Danubium inter habitantes, ac Siculi, qui in Tranſylvania circa montem Aitoſſum Moldaviam ab ea dirimentem ſedes habent, veterumque Scytharum genus eſſe creduntur, recepto uſu, legibuſque antiquis, à ſingulis domibus, in queis patresfamilias morantur, ſingulum bovem dare debebant, quoties Regina maſculam prolem eniteretur, eò quòd pecu-

pecuariam exercendo magnum animalium numerum alere ſolent. Ejus rei haud contemnendæ utilitatis Rex ab amicorum intimis admonitus, ut boves exigerentur, edicto promulgavit, delectique ad id & miſſi homines idonei. Et Cuni quidem ac Jáziges, uti Budæ propinquiores: imperata exequuti, magnum boum numerum contulêre; Sed Siculorum pertinacia inſignis fuit, negantium ſe daturos, quòd nullus ipſorum quicquam tale factum meminiſſet. Contrà Regii dicere, Sigiſmundo & Ladislao utrique, ac Matthiæ nullos fuiſſe filius, nunc DEI Opt. Max. benignitate Uladislaum maſculo hærede auctum, nolle veteri uſui derogatum. Siculis in eadem obſtinatione, quaſi immunitates ſuas tuerentur, perſiſtentibus, regii vim intentare, pecora ex agris & ſtabulis abripere, denique ad arma ventum, & publicani, qui exactionem pecoris non intermittebant, partim crudeliter cæſi ſunt, partim qui ſuperfuère, provinciâ exacti ad Regem auxilia implorantes confugêre. Eum conſueta inertia, & recens amiſſæ conjugis dolore mœſtum, conſiliique inopem, amicorum præcipui ſuadendo & hortando perpulêre, ut quum hiſce privatorum commodorum rationibus publicum decus conjunctum ſit, ne ſeditio in majus creſcat, regiæ eſſe dignitatis ut armis vindicetur. Igitur Paulo Tomoræo, qui equitum præfectus tunc Budæ erat, in mandatis dat, ut cum pedeſtribus copiis, ac quingentorum equitum prætorianorum ala ornatiſſima in Tranſylvaniam quam maximè poſſit, juſtis itineribus proficiſcatur; cæteris verò Tranſylvanis, qui in fide permanebant, ut ſe copiaſque ſuas Tomoræo conjungant, perſcribit. Eunti Tomoræo Siculi inſtructâ acie, animis verbiſque feroces, prope oppidum, quod Forum Siculum vocatur, occurrunt, & magno ſublato clamore congrediuntur: pugnatumque eſt ſummâ vi utrinque. Sed ut Siculi numero & multitudine regiis longè præſtabant, ita etiam acie & viribus facilè ſuperiores evasêre. Tomoræus nullo vel egregii ducis vel militis fortiſſimi munere omiſſo, diu protracto certamine pugnans in acie perſtitit. Sed tandem fugæ initio ab auxiliariis facto, quum conſternatos & fugientes nullo imperio, nullâ vi retentare poſſet, deſertus à ſociis, & plus decem vulneribus ſuſceptis, ultimus in tutum ſe recepit. Verùm quum poſtea Rege jubente exercitum brevi tempore reparâſſet, atque majorem partem Thracum, Walachorum & Pannoniorum militum, qui Nandoralbæ, Temeſuari, Arſouæ, Severini, aliiſque finibus ſtipendia merebant, ideoque majorem militiæ uſum habebant, in caſtra adduxiſſet, magnâ clade Siculis illatâ, victos eos ac domitos imperata facere coëgit.

Siculorum patresfamilias ſinguli filio maſculo Regio nato offerunt bovem.

Siculi vaſi ac domiti.

Intereà Maximilianus Joannem Cuſpinianum urbis Viennenſis præfectum, juriſprudentiâ ac bonarum literarum ſtudiis clarum hominem, Budam miſit; partim ut Uladislaum ſalutaret, deque nato non ita pridem Ludovico lætitiam, quam Cæſar animo ingentem conceperat, declararet; partim ut Regis animum ob immaturum conjugis obitum triſtitiâ & mœrore confectum verbis ac oratione conſolaretur. Quem adventantem Uladislaus amanter complexus, in colloquium admiſit. Poſtulabat præter ſupradicta ab Uladislao aliquos ex ſecretioribus amicis ad Cæſarem mitti,

Cuſpinianus medicus fuit.

Cuſpinianus legatus Maximiliani ad Uladislaum.

1506.

cum quibus de fœdere ſanciundo, eoque affinitate mutuâ confirmando, nec non de inferendo Venetis bello, qui præter multas Romani Imperii, ac domûs Auſtriacæ urbes & provincias, Dalmatiam ad Ungaros legitimo jure pertinentem, per fraudem & dolum tenerent, conſultare decernereque poſſet. Uladislaus arbitratus illud fœdus, illam affinitatem ſibi ſuiſque incomparabili dignitati amplitudinique fore, paucorum dierum mora interjecta, ipſo etiam Cuſpiniano inter alios pauciſſimos in conſilium adhibito, Janum è provincia Moraviæ oriundum, anteà Epiſcopum Varadienſem & Olomucenſem, Matthiæque Regi omnium conſiliorum olim arbitrum, & Uladislao charum, ſed qui relictis Reipublicæ curis, ac aulæ moleſtiis vitam privatam amplexus, ad Monachos Divi Franciſci tranſierat, elegit; qui ad Maximilianum eo tempore Conſtantiæ prope Helvetios comitiis vacantem proficiſceretur, ac in arcano & occulto fœdus & affinitatem cum eo jungeret. De Venetis bello perſequendis, quos non ignoraret ex finitimorum Regum & Principum ditionibus inſolenter uſurpatis imperium ſuum condidiſſe, Dalmatiamque præter omne jus faſque occupatam tenere, ſe propediem legatos ad Cæſarem miſſurum reſpondit, qui de ſocietate belli, ejuſque gerendi modo & conditionibus tranſigant.

De fœdere adverſus Venetos, & de affinitate mutua jungenda.

Quamvis autem hæc ſummo ſilentio tegerentur, ne in vulgum emanarent; plures tamen è Senatu Pannonico & Bohemico ea ſubodorati, Regem adière, ſuadentes, ne ſe & regna ſua Germanis infenſiſſimis hoſtibus traderet vellet, qui nomini Ungarico & Bohemico ſemper invidiſſent; eaque regna non ſolùm infeſtis armis, ſed etiam per varias & iniquas artes ad ſe transferre conati eſſent, tanta inter has nationes à multis retrò ſæculis odia & ſimultates vigere, ut nunquam in mutuam gratiam redigi, vel in unum coaleſcere poſſint, ipſum hoc fœdere vel arctæ affinitatis vinculis conſtricto, non tam ſuæ & regnorum ſuorum quieti & tranquillitati conſulere, quàm faces, quibus illa aliquando arſura ſint, & penitùs conflagrent, ſubminiſtrare. Quæ tamen dehortamenta ipſe, ut omnia cætera, tacitus tranſmiſit, ac in propoſito perſtitit. Et Janus ad Cæſarem profectus, omnia ex animi ſententia perfecit; ita tamen ut negotium non exigui momenti aliquamdiu in maximo ſilentio habitum ad illud tempus, quo conventus Principum primâ quaque occaſione inſtitui poſſet, prorogaretur, ſicuti de eo in proceſſu operis narraturi ſumus.

Quam diſſuadent nonnulli proceres.

At Cæſar cùm Uladislaum in mittendis legatis, quibuſcum de Veneto bello tractaret, diem de die ducere conſpiceret, eumque ſocii & confœderati aſſiduè monendo & hortando per nuntios & per literas urgerent, nec ipſe ignoraret magnum rebus gerendis adjumentum Pannonicâ ſocietate acceſſurum, miſſo eodem Cuſpiniano in mandatis dedit, ut Uladislaum acriùs & frequentiùs ſtimulando ad mittendos legatos cum plena poteſtate induceret, nec interea ab eo diſcederet, donec Cæſar ea quoque in parte voti compos redderetur. Qui mandata peragendo, ac gravi ſermone ob oculos proponendo, nullam juſtiorem ſuſcipiendi belli cauſam videri poſſe, quàm perpetuos majorum ſuorum hoſtes, nobiliſſimi Dal-

Cuſpinianus iterum legatur ad Uladislaum de bello adverſus Venetos ſuſcipiendo.

1507. Dalmatæ regni iniquos detentores ulciſci, ac adverſus eos juſta arma ſumere, qui ſuis finibus minimè contenti, aliena rapere, & ſubditis aliorum ſub jugum miſſis ſeverè ac crudeliter imperitare conſuevíſſent. Dalmatas veteres ſocios nomini Ungarico etiamnum addictiſſimos eſſe, ut quamprimùm inter ſe copias & ſigna militaria exercitumque Uladiſlai conſpexerint, abſque cunctatione Venetorum jugum excuſſuri, ac ad ipſius imperium promptiſſimis animis redituri exiſtimentur. Quibus ad ſpectatæ victoriæ finem ritè perducendis Summum Pontificem, ac Hiſpaniæ & Galliæ Reges, cæteroſque Italiæ & Germaniæ Principes communibus viribus auxilia collaturos, eoque confecto bello, ad extirpandos Chriſtiani nominis hoſtes terrâ marique arma converſuros. Eandem quoque ſocietatem Julius Pontifex, & Ludovicus Galliæ Rex per legatos maximo ſtudio expetebant, facilemque futuram victoriam promittebant, quòd eâ tempeſtate Reſpublica Venetorum ad extremum diſcrimen redacta, vires, opeſque omnes amiſiſſe diceretur. Quibus rationibus perſuaſus, quanquam cunctabundus, & plurima tergiverſatus, quòd multos ex ſenatoribus in contrariam ſententiam ire animadverteret, tandem manus dedit, & Petrum Beriſlaum Albæ Regiæ Antiſtitem, ac Ambroſium Sarcanum Poſonienſis arcis & urbis præfectum, viros graves ſe miſſurum pollicitus eſt, cùm primùm Cæſar, qui tum Oeniponte erat, Viennam rediiſſet.

Fœdus Uladiſlaus cum Cæſare ſancit.

Cæſari brevi reverſo ii præſto fuère, fœderibuſque percuſſis, quibus Cæſar, Pontifex, & Reges, quos modò nominavi, Uladiſlao Venetis bellum inferenti, pecuniam, commeatum, claſſes, exercitum, & omnis generis auxilia, certis æquiſque conditionibus dare tenebantur, non diu morati domum reverterunt. Itaque Uladiſlaus, ne ſociis deeſſe videretur, licèt aliud in animo haberet, frequenti Principum Senatorumque ſuorum numero convocato, Petrum Paſchalicum, qui Venetæ Reipublicæ nomine complures apud eum annos legati munere functus erat, ad ſe vocari jubet, conſcenſoque tribunali per epiſtolarum magiſtrum ei proponit, ſe pro recuperando Dalmatiæ regno ſtatuiſſe Reipublicæ Venetæ bellum inferre, eaque de cauſa ſocietatem cum ſummo Pontifice, ac maximis Europæ Regibus Principibuſque iniviſſe; ſi Veneti ſuâ ſponte illud ex æquo & bono reſtituere velint, ſe eis amicum futurum; ſin in retinendo obſtinatiùs perſiſtant, experturos brevi quàm præſtet id pacatè reſtituere, quod bello & armis retinere non poſſint. Legatus quum reſpondere ad ea vellet, cauſamque & jura ſenatûs tueri, Uladiſlaus eum prohibuit, & è tribunali deſcendens in interiorem cubiculi partem ſe recepit, quò nemini, præter ſummè neceſſarios, aditus patebat.

Venetarum rerum ſcriptor gravis Petrus Bembus Cardinalis prodidit memoriæ, extitiſſe nonnullos è ſenatu Pannonico (quod inſigne dehoneſtamentum, ac collabentis jam tum Ungarorum diſciplinæ manifeſtum indicium videtur) qui ad legatum ſecretò detuliſſent, bono animo eſſet, Regem bellum quidem indixiſſe, ne apud ſocios fœderis ea res ſibi fraudi eſſet; ſed non illaturum; quod ſummâ difficultate & inopiâ ærarii premeretur. An 1507. autem ea fuerit intermiſſi belli, promiſſorumque violatorum cauſa, pro comperto non habeo; multi potiùs Senatorum avaritiæ, ac ſolitæ Uladiſlai ignaviæ & otii cupidini tribuendum exiſtimavère.

Radulo Walachiæ Princeps ad Uladiſlaum venit.

Per eos dies Veneti belli rumoribus, qui paſſim increbuerant, excitus Radulo Tranſalpinæ Walachiæ, quæ etiam Montana vocatur, Princeps, tam clientelæ ſuæ, quæ antiquo jure Reges Ungariæ reſpicit, declarandæ cauſa, quam pro aliis rebus ad Uladiſlaum Budam venit, equos militares regio more inſtratos, ac aſturcones optimi generis, acinaces auro gemmiſque ornatos, aliaque dona adferens, verſatuſque apud Regem aliquamdiu manſit, auctus officiis honoribuſque. Poſteà Thomâ Boccacio Cardinale, Petro Comite ſancti Georgii, ac Joſepho Somio, de quibus ſuprà retulimus, nec non Moyſe Buslavio præfecto aulæ, & Benedicto Batriano, qui in ærarii præfectura, Stephano Telegdino magiſtratu abeunte, ſucceſſerat, obnixè eum commendantibus, oppidum ſatis frequens & celebre Aldiodum cum amplis latifundiis redditibuſque in Tranſylvania ſitum, à Rege, donativi nomine, quòd ejus quoque hæredes ſequeretur, obtinuit. Fuerat Aldiodum anteà Joanni Tarciano è regione Pannoniæ ſuperioris, Polonis vicinæ Sacoiiana, nobili viro, ab Uladiſlao certis conditionibus collatum, quo tempore is Siculorum Comes, uti vocant, jus illis populis dicebat. Sed quum Raduloni oppidum iſtud propinquius commodiuſque eſſet, Rex Joannem Tarcianum partim præſenti pecuniâ pro eo numerata, partim traditâ ei arce Onodiâ contentum reddidit. Quo munere Radulo lætus, gratiis Uladiſlao actis in ſuam provinciam incolumis reverſus eſt. Neque ea liberalitas & munificentia fruſtrà fuit, quandoquidem ille non immemor muneris ſui non tantùm erga Uladiſlaum Regem grati animi meritis officiiſque propenſiſſimum ſe præbuit; verùm etiam in partibus Ludovici filii & ſucceſſoris uſque ad extremum vitæ regnique ejus finem integrâ conſtantique fide permanſit.

Aldiodum oppidum ei donatur.

Mors Beatricis Reginæ. 1508.

Cæterùm vix profecto Budâ Radulone, certioribus nuntiis allatum eſt, Beatricem Reginam Matthiæ Regis viduam, quæ Uladiſlaum multis modis exercuerat, in Italia è vivis exceſſiſſe. Quo animo ejus exceſſum tulerit Uladiſlaus, non ſatis conſtitit. Nam ipſe ad mœrorem triſtitiamque compoſitus, tam læta quàm triſtia proindè tolerabat. Nulla quidem ſigna affectûs alterutrius edidit; crebro tantùm queſtu & ſuſpiriis fatum amiſſæ conjugis proſequutus, publico abſtinebat; nec lugubres veſtes mutare, non promiſſam cæſariem barbamque attondere, & in adminiſtrandis Reipublicæ curis fatiſcebat. Itaque Principes Pannonici, & ex amicis præcipui, quos è Bohemia & Moravia convocaverat, eum gravi oratione in ſpem erigere conati, ut diuturno dolori modum ponere, dignaque Rege conſilia capere vellet, cohortabantur. Sed ipſe, uti ſolebat, incertum an inſolito curarum pondere feſſus, aut ætatis ingeniique imbecillitate vacillans, vel aliis cauſis ad eorum preces, non aliud quàm ſe cogitaturum, quid facto opus ſit, brevi ſermone reſpondebat; ita ut plures ex circumſtantibus eum vel conſilio,

vel

1508. vel induſtriâ ſanari aut erigi poſſe deſperarent. Poſterâ die frequentiores redeunt tam Bohemi, quàm Ungari, & Thomas Cardinalis Strigonienſis, cujus conſilio plurimùm tribuebat, pro omnibus ſeriò & graviter verba
,, facere cœpit: neſcire ſe, nec videre cauſas,
,, cur iis animi perturbationibus & rerum tædio
,, afficiatur, nullâ virilis ac regiæ con-
,, ſtantiæ ratione habitâ, nec degeneri animo
,, ſuis ac Ludovici filii rebus quàm optimè con-
,, ſultum velit. Quin potiùs ſpe & voto, quod
,, ſummis à DEO Optimo Maximo precibus
,, ſemper optaverat, potitus, ſucceſſoremque
,, & hæredem populis ſuis relicturus, lætari
,, magis, ac Cœlitibus gratias agere deberet.
,, Adeſſe præcipuam partem ſenatorum è re-
,, gnis, provinciiſque ſuis conſtantiâ & fide er-
,, ga eum inviolabili; quos ad lætitiam ſuam,
,, quam nato hoc puero ſingularem concepe-
,, runt, non ſolùm verbis, ſed re ipsâ teſtifican-
,, dam, ſtatuiſſe conjunctis ſuffragiis in ſolatium
,, paternæ pietatis, ipſo adhuc vivo videnteque
,, infantem, rariſſimo ad poſteros exemplo,
,, conſortem utriuſque regni declarare, ac dia-
,, demate regio ornare. Proinde æquiſſimum
,, eſſe, ut ipſe luctum atraſque veſtes exuat, &
,, regio ac illuſtri ornatu in publicum prodeat,
,, atque adeò unà cum ipſis vota Deo nuncupet,
,, ut publicam hanc arridentis fortunæ felicita-
,, tem, populorum ſuorum paci & quieti neceſ-
,, ſariam, quàm diutiſſimam eſſe velit. Non
,, defutura reliquorum, qui modò abeſſent, ſtu-
,, dia & voluptates; ſupereſſe prompta & pa-
,, rata præfectorum ac tribunorum militiſque
,, obſequia: de antiſtitibus, quorum animos
,, ipſe jam dudum exploratos haberet, nihil eſſe
,, dubii. Emergeret igitur dolore, luctibus, ſi-
,, lentio, ſolicitudine, ipſiſq; tantæ dignitatis or-
,, namenta filiolo ſponte deferentibus, eâ oris
,, vultuſque ſerenitate affulgere contenderet,
,, quam & res ipſa tanti momenti meritò poſtu-
,, laret, & ipſi de ſuo Principe & Rege pro tam
,, magno pioque obſequio expectare dignum
,, congruumque exiſtimarent.

Thomæ Cardinalis oratio ad erigendū recreandumque è mœrore Regem.

Cardinalis hujuſcemodi ſermonibus, ceu ſtimulis torpentem ejus animum excitâſſe viſus eſt, & receptis veluti ſenſibus, ſomnoque diſcuſſo, deſiderabile iſtud officii genus, quod optare ipſe debuerat, ultrò delatum, gratiſſimo & jucundiſſimo animo ſe accipere & amplecti reſpondit, futurumque ſe in eorum poteſtate, & ea quæ conſulerent, ſedulò facturum, dummodo id, quod viciſſim pollicentur, maturè fideliterque exequantur. Se quidem ipſis uti ampliſſimis graviſſimiſque viris, quin conſtantiſſimè voluntatem judiciumque ſuum tueantur, nequaquam diffidere; petere tamen ut ad celebritatem coronandi filii, quæ perinde ad ſuam & Ludovici filii laudem, gloriamque, quàm ad publicam populorum ſuorum concordiam & quietem pertineat, ritè perficiendam breve tempus ſtatuant; ſibi curæ fore, ut tam ipſe, quàm Ludovicus, ſi Superis benè juvantibus ætate creſcere, & ad ſperatam bonæ indolis frugem ſe educante pervenire poterit, fructum & præmium tanti beneficii omnibus clementiæ, liberalitatis, & regiæ munificentiæ exemplis publicè privatimque quàm cumulatiſſimè perſolvant. Poſtquam proceres dimiſit, & ut in diem ſequentem adeſſent, mandavit; tum verò comâ & barbâ nitidè excultâ in medium prodiit, ſumpſitque purpuram & trabeam, eoſque in convivium adhibuit. Nec multâ morâ 1508.

Uladiſlaus veſtitum lugubrē deponit.

interjectâ frequentibus ſuffragiis decernitur, imminente vere ad diem Divi Gregorii memoriæ ſacrum, Albæ Regiæ Ludovicum bimulum, adhucque in cunabulis inter nutricis fœminarumque miniſteria agitantem, ſacro diademate ornandum; biennio verò pòſt Pragam deducendum, ut ibi quoque Rex declaratus regium inſigne ritè accipiat. Lætus utriuſque gentis conſenſu Uladiſlaus primum omnium cunctis Pannoniæ regionibus & provinciis, quas ipſi comitatus appellant, edicit, ut ad eum diem Albam ad Coronationis ſolennia, ſolo familiarium comitatu adveniant; quod eam certis de cauſis abſque exercitu armis peragendam decreviſſet. Convenêre ad diem tantâ frequentiâ, ut urbs ſatis ampla multitudini capiendæ haud ſufficeret; ſed omnia ferè ſuburbia longè latéque complerentur.

Ludovici pueri coronatio.

Emericus Perenius Palatinus pro ampliſſimi magiſtratûs ſui officio populum, vellent, juberentne Ludovicum Regem eligere, & Coronâ inſignire, denuò interrogavit. Quum omnes ſe velle, jubere, exclamâſſent, tum Cardinalis tenerum caput coronâ circumdedit, quod adhuc ei geſtandæ imbecillom erat, Regemque Pannoniæ nomine omnium ſalutavit. Pro filio, qui per ætatem nondum prima verborum initia balbutire poterat, pater jusjurandum de more præſtitit, ſervandis regni immunitatibus, & finibus non ſolùm regundis, ſed etiam ampliandis. Paulò pòſt eodem in templo, ubi hæc agebantur, Ludovicus Helianus Vercellenſis, Ludovici Gallorum Regis legatus, vir eloquens & eruditus è ſuperiore loco orationem habuit elegantem, quæ publica extat. In ea Ludovicum puerum è tot clariſſimorum & fortiſſimorum Regum ſanguine & progenie ortum, qui præter proprium Galliæ regnum in Syria, Palæſtina, Hieroſolymis, Sicilia, Neapoli, denique in Pannonia ſuperioribus ſæculis quàm feliciſſimè regnâſſent, ab majorum ſuorum virtutibus, & rebus præclarè geſtis minimè degeneraturum commemoravit. Et utinam DEUS Optimus Maximus votis ejus ſingulari pietate ſuſceptis benignè annuiſſet; verùm erat in fatis, ut Chriſtiana Reſpublica inſignem hoc Rege cladem à barbaris acciperet, & nos unà cum eo periremus.

Ludovici Heliani Regis Gallor. Legati oratio in laudem Ludovici

Abſolutis Albæ rebus Budam reverſus eſt, atque ibi liberis ſuis Ludovico & Annæ aulam ſeparatam à ſua, & peculiares miniſtros inſtituit; quorum præfectum Stephanum Iſthuanffium jam natu grandiorem, qui tempore Matthiæ Regis variis officiis & magiſtratibus functus, in bello Polonico Uratislaviæ inſignem operam navaverat, conſtituit; ita tamen, ut ſumma rerum omnium & educationis penes unum Bornemiſſam, quem præ cæteris valde charum habebat, relinqueretur; de cujus origine ſuprà retulimus. Proinde, 1509.
cùm tempus eundi in Bohemiam ad coronandum Ludovicum appeteret, tempeſtivè paratis ad iter neceſſariis, & iis quos intereſſe volebat, admonitis, ut ad certum diem & locum convenirent, viæ ſe dedit, ac per Moraviam modicis factis itineribus Pragam venit, iiſdemque modis Ludovici coronatio

Ludovici coronatio Bohemica.

1510. quartum jam annum agentis peracta eſt, quibus in Pannonia celebrata fuerat.

Certamē inter Bohemos & Ungaros fœdiſſimum.

Deindè quum epulis Regio luxu & apparatu in multam noctem protractis lætitiæ parens Bacchus animos incendiſſet, diſcedentibus convivis in parte urbis, quæ minor vocatur, levi de cauſa ingens primò rixa, atque adeò atrox demum facinus inter Ungaros & Bohemos repentè exortum eſt, & exiguâ morâ concurrentibus majori numero Bohemis quindecim ferè ex Ungaris trucidati ſunt. Et ipſe Stephanus Bathorius Comes Temeſienſis non leve ſalutis diſcrimen adiit, quum fugiendo, & poſt tergum reſpectando nummos aureos ſpargeret, ut iis inſequentium curſum retardaret, ſicque amiſſis aliquot familiaribus ægrè ſe in arcem reciperet. Cæteri cædis & caſûs ſociorum ignari, partim in triviis platearum, partim per hoſpitia miſerabilem in modum interficiebantur; & niſi prætoria cohors properè advolando auxilio adveniſſet, longè atrociora patrabantur. Occiſorum corpora in dextra parte templi Divo Thomæ Apoſtolo dicati tumulata ſunt, quod Ungarorum Sacellum etiamnum vocatur. In criminis auctores juſſu Regis prætores triplicis urbis graviſſimè animadverterunt, ac captos & damnatos exquiſitiſſimis ſuppliciorum generibus ſuſtulerunt; ita ut major pars cute novaculis detractâ, pars uncis ferreis in crucem ſublati crudeliter interirent, & cum iis, qui capitis duntaxat pœnâ plectebantur, mitiùs nec adeò ſeverè actum eſſe putaretur.

Cùm autem rerum Bohemicarum ſtatum diuturniori ſuâ abſentiâ perturbatum compoſuiſſet, præfectóſque ampliſſimâ tam jurisdicundi, quàm cenſuum adminiſtrandorum poteſtate conſtituiſſet; Germaniæ Principes, qui ferendis Cæſari eligendo ſuffragiis adhiberi ſolent, Marchionem Brandeburgenſem, Palatinum Rheni, & Ducem Saxoniæ, à quibus in Bohemia certæ & amplæ ditiones beneficiario jure poſſidentur, in clientelam de more recepit. Et iis rebus peractis, venatu, aucupio, reliquiſque ejus generis otii oblectamentis, quorum erat cupidiſſimus, diutiùs in Bohemia morandum ſtatuebat. Verùm ab Ungaris ad redeundum ſolicitatus voto eorum ſatisfaciendum exiſtimavit. Itaque eodem per Moraviæ fines, quo venerat itinere ad Stanislaum Turzonem Epiſcopum Olomucenſem Cremſirium divertit, à quo regium in morem honorificentiſſimè & ſplendidiſſimè exceptus eſt, ibique Joannem Comitem Scepuſienſem, Tranſilvaniæ præfectum, è Trincinio, ubi ſedem & ditionem habebat, cum CC. equitum comitatu obvium habuit, officii, ut ipſe præferebat, declarandi causâ, re autem verâ, ut vir profundæ ambitionis, ob idque regnandi libidine ardens, amplitudinem ſuam & divitias oſtentando voluntatem ejus de collocanda ſibi filia exploraret, cui etiam dona haud contemnenda attuliſſe ferebatur.

Joannes Cepuſ. Comes nuptias filia Uladislai affectat.

Quæ machinamenta Rex ſolito more diſſimulando, & in aliud tempus differendo, facilè eluſit, & cœptum iter proſequutus Joanni poteſtatem dedit reverti, ne vel Trincinium, vel ſe Budam comitari vellet. Eo tamen certis de cauſis domum redeunte, ipſe cum liberis Budam incolumis remeavit, reſque Pannonicas ope divini Numinis quietas & tranquillas reperit; quòd eo tempore Turcarum Princeps Pajazetes cum novatoribus Mahometanæ ſuperſtitionis Perſis ac Haſanis, Caiphæ filio Schacbocule quodam ejus novitatis auctore, bellum in Phrygia & Armenia magnia viribus gerere diceretur.

Induciæ cum Turcis prorogata.

Quum Budam veniſſet, opportunè brevi pòſt ſupervenit legatus Turca, inducias & pacem poſtulans; quòd triennium prioribus pactis præſtitum effluxiſſet: quam Uladislaus haud longâ interpoſitâ cunctatione non invitus ad aliud inſequens triennium conceſſit, legatúmque muneribus & pecuniâ donatum dimiſit; ipſéque eâ curâ ſolutus otio & quiete fruebatur.

Epidemica lues in Hungaria.

Sed quum atrox peſtilentia urbem invaderet, & totâ ferè Pannoniâ cumprimis graſſaretur, non tam ſibi, quàm liberis metuens, Poſonium unà cum illis conceſſit, mitigandæ ejus tempus exſpectaturus. Sed quum & iſthic non in vulgum tantùm ſæviret, verùm etiam Deſiderius Landereſius Allobrox, ex Cubiculi familiaribus, qui cum Regina demortua è Gallia in Ungariam venerat, vi atrocis morbi correptus eſſet (qui tamen medicorum ope convaluit) versùs Moraviam iter fugæ ſimile intendit, & in oppido, quod Broda Ungarica appellatur, incolumitatis causâ aliquamdiu hæſit.

Quâ territus Uladislaus in Moraviam primò,

Illinc Proceribus & Nobilibus Pannonicis per litteras mandavit, ut quum ſibi metu mali morbi è regno exeundum fuiſſet, ſe abſente in Reipublicæ adminiſtratione Emerico Perenio Palatino, & Thomæ Cardinali Strigonienſi obtemperarent. Se quidem in animo habuiſſe ne ulteriùs proficiſceretur; emerſiſſe tamen negotia gravioris momenti in Sileſia, quorum causâ cum liberis chariſſimis Uratiſlaviam quamprimùm ire cogatur.

29. Jan. 1511. indè in Sileſiam cōtendit.

Eò igitur brumalibus diebus profectus complura, quæ in abſentia ſua exorta erant mala, adhibitis remediis correxit, ac cùm poſtremo à Tiſſinenſi, Brigenſi, Lignicii & Munſterbergi, cæteriſque Principibus & nobilitate Sileſiæ convocatis clientelæ ac beneficiarii juris nomine juramenta exigere vellet, Epiſcopi, & potiores è Pannonia viri ac Magiſtratus, qui in ejus comitatu erant, interceſsêre; & ut illod Regni Ungariæ nomine exigeret, magnâ vi & contentione petivêre: propterea quòd Mathias Rex eam provinciam certis conditionibus regno Ungariæ acquiſiviſſet, quibus nondum ſatisfactum eſſet.

Diſceptatio inter Hungaros & Bohemos de Sileſia.

Contrà Bohemi & Moravi Sileſiam ſemper Bohemici juris provinciam fuiſſe, neque id in dubium vocari debere; ſi Mathiæ Regi, aut Pannoniæ Regibus quippiam juris in ea conſtare poſſit, quum hoc tempore utrunque regnum uni Regi pareat, per idoneos magni nominis arbitros, aut juris divini humanique peritos controverſiam ex æquo dirimi poſſe, ſi quæ ſucceſſu temporis oriretur. Sed quum utriuſque gentis ſtudia & contentiones acriùs invaleſcerent, nec altera cedere alteri vellet, Principéſque & ipſa civitas Uratislavienſis in ancipiti hærerent, res tota in aliud tempus delata eſt; ita ut Rex & Ludovicus, ad quem tametſi adhuc tantis rebus imparem æquè ac ad patrem diſceptationis ſumma pertinebat, infectis rebus diſcedere, domúmque redire cogerentur.

Uladislao è Sileſia reverſo Adniga è Principum Teſſinenſium familia Regibus Poloniæ propinquitate juncta originem ducens, vidua

1511.

Barbara Stephani Scepuſ. Comitis filia Sigiſmundo Regi deſpõdetur.

Stephani Zapoliani Comitis Scepuſienſis, præſtantiſſima mulier, privato primùm conſilio cum fratre ſuo Caſimiro de tradenda in matrimonium Sigiſmundo Regi Poloniæ filia Barbara agere cœpit; deindè etiam re cum Uladiſlaò Rege, Sigiſmundi fratre majore natu per Michaëlem Hamelium, Budenſis urbis primarium ſacerdotem, quem vulgari nomine Archipresbyterum vocant, natione Germanum, ſecretò communicatâ, ardentiſſimis votis & precibus oravit, ut fratri ducendæ virginis auctor eſſe vellet. Et quum Uladiſlaus Adugam ipſam & filiam virginem, omnibus raræ pudicitiæ, ſingularis in Deum pietatis, & morum honeſtiſſimorum dotibus, commendante eas Reginâ conjuge ſuâ pridem fato functâ, præditas ac mirificè ornatas pro comperto haberet; petitioni illius admittendæ haud difficilem ſe præbuit, miſſiſque ad Sigiſmundum iiſdem Caſimiro Principe, & Michaële Hamelio privatim legatis, voluntatem ſuam propenſam ei ſignificavit, & ad exequendum cohortatus eſt. Sigiſmundus, qui fraternis conſiliis amanter obtemperare erat ſolitus, haud invitus conſenſit; brevique curavit, ut ſponſa Regio more Cracoviam adduceretur. Miſſi igitur in Ungariam Joannes Lubrantius Epiſcopus Poſnavienſis, Chriſtophorus Sidlovicius Sendomirienſis, & Lucas Gorcanus Poſnanienſis præfecti, ſplendidiſſimo comitatu Trincinium pervenêre; & traditam eis ſponſam ad Sigiſmundum perduxêre, comitantibus illam Adugâ matre, ac avunculo Caſimiro, & Joanne Zapoliano fratre DCCC. equitibus, armis, equis, aureo & argenteo apparatu inſtructiſſimis. Currum elegantiſſimi operis, quo Puella in Poloniam veheretur, Uladiſlaus liberaliter donaverat, ac Joannem Turzonem Epiſcopum Uratiſlavienſem, & Ambroſium Sareanum Comitem Poſonienſe tu legatos, qui ſuo nomine nuptiis intereſſent magno fraternæ benevolentiæ & amoris indicio, cum regiis & pretioſis muneribus adjunxerat. A Thoma etiam Cardinale Strigonienſi, Georgio Sacmario Quinqueeccleſienſi Epiſcopo, qui Sigiſmundo Hamponi nuper è vivis ſublato ſucceſſerat, ac reliquis Ungariæ Epiſcopis, magnoque Pannoniæ Palatino & Principibus certatim legati, & munera magni pretii miſſa.

An. 1512. ſponſa in Poloniã deducta cũ ſplendido comitatu.

Non defuêre qui hoc conjugium tanquam Regio thoro impar contumelioſis verbis ad invidiam obtrectarent; & Maximilianus Cæſar imprimis eâ tempeſtate cum Sigiſmundo Rege ſimultates exercere ſolitus, de eo obloqui acerbiùs inter familiares ferebatur. Sed Barbara Regina brevi temporis ſpatio inania famæ, & obliquos de ſe rumores vitâ innocentiſſimè actâ, ac ſingulari erga virum fide & conſtantiâ, cæteriſque ſummis virtutibus facilè refutavit; nec quicquam ad tantæ felicitatis cumulum ei defuiſſe videtur, quàm quòd immaturâ morte erepta maſculam prolem relinquere non potuerit. Joannis certè Comitis Scepuſienſis animus jam dudum ambitione, ac dominandi cupiditate flagrantiſſimus, tam familiæ ſuæ potentiâ ac amplitudine immenſarum opum, quas à patre & patruo partas habebat, quàm Regiæ hujus affinitatis occaſione ceu incitamento quodam in ſpem novarum rerum erigi & inflammari cœpit; prout conſilia ejus occultorum plena ſcelerum proceſſu temporum non ſinè ſumma rerum divinarum & humanarum confuſione, ac miſerabili patriæ excidio in apertum prorupêre.

Hoc conjugio Jo-

An. 1512. annis Scepuſ. Comitis ambitio aucta.

Sub id tempus cùm Andreas Bothus, & Marcus Miſſenovicius è Camiſſacia Dalmatiæ regione ortus, qui præfecturam Illyrici gerebant, quos Pannonico nomine Banos vocant, Andreas quidem in arce ſua Steniſnacia morbo diuturno oppreſſus; Marcus verò dûm equum currentem circumageret, cjus lapſu luxatâ cervice repentè exanimatus è vivis exceſſiſſent, Uladiſlao curam reliquêre alios ei Magiſtratui præficiendi. Petrus igitur Berislaus, Epiſcopus Veſprimienſis, quòd ex iis partibus originem duceret, & ditione ac clientelis polleret (traditâ juſſu Regis Joanni Bornemiſſæ, quâ anteà fungebatur ærarii præfecturâ) delectus eſt, qui unus utriſque ſufficeretur. Et quum in provinciam veniſſet, brevi occaſionem virtutis fortitudiniſque ſuæ declarandæ fortuna ei obtulit: Nam quum Turcæ magno numero Savum trajeciſſent, & regionem inter Savum & Hunam fluvios, (hunc à priſcis Valdanum olim appellatum fuiſſe quidam putant) adjacentem paſſim popularentur, ac ferro & igne vaſtarent, collectis quantis in re ſubitanea & tumultuaria potuit, copiis, eos non procul ab arce & oppido Dubicenſi, ubi Huna in Savum influit, adortus eſt, inſigníque editâ pugnâ hoſtes fudit atque fugavit, & fugientes longè latéque perſequutus, ampliùs duo millia eorum interfecit, captis quamplurimis, & multò maximâ parte in Savum demersâ, paucis natando evadentibus; ita ut hoſtes audaciæ perfidiæque ſuæ, & violatarum induciarum cumulatas pœnas dediſſe viderentur. Atque hac ſtrage perculſi, ſimul etiam qualicunque induciarum vi coërciti, excurſionibus & prædis agendis aliquamdiu abſtinuerunt.

Banis Illyrici è vivis excedunt.

Berislaus Epiſcopus Veſprimienſis eis ſuffectus.

Turcarũ deprædationes ab illo repreſſa

cũ 2000. ſtrage.

Uladiſlaus poſt hæc otium nactus, ac aſſiduis ſuorum precibus adductus, ad leges reformandas animum applicuit, & earum compilandarum, & in ordinem redigendarum negotium Stephano Verbecio prætori, viro docto & juriſperito commiſit, cujus ingenuo labore & diligentiâ collectæ, tribus libellis deſcriptæ fuêre. Sed priùs quàm eis ſummam manum imponeret, libellum Decreti tripartiti nomine appellatum Decemviris patriarum legum peritis perlegendum diſcutiendumque dedit, eorumque calculo & judicio approbatum ita confirmavit, ut ejus uſum in foro & judiciis ubique recipi debere lege latâ publicaret. Quod in hunc uſque diem in cauſis forenſibus & controverſiis dijudicandis obſervatum eſſe videmus.

Leges Hungariæ à Stephano Verbecio digeſta in III. libris.

DE

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER V.

1513.

DUM hæc in Pannonia geruntur, & in Italia Julius Pontifex, & Maximilianus Cæſar, aliíque confœderati Principes, mutatn aoimo contra Gallns, eorúmque Regem Ludovicum Italiâ expellendum civilia arma exercent; Pajazeti Turearum Principi, devictis & pulſis Sahocule, aliiſque Tureicæ ſuperſtitioois perturbatoribus ex Aſia reverſo, bellum inteſtinnm ambitione & truculentiâ Selymi minoris filii repentè exortum eſt, quantò minos antè proviſnm, tantò ſævitiâ ac ſceletis atrocitate erudelius & terribiliuś. Quod quidem parricidiale bellum eo eventu & fiue terminatum eſt, ut Pajazeti jam ſeoio, morbia & articulornm doloribus gravatu, Selymos prætoriano milite ae purpuratis partim metu, partim largitione & ingentibus promiſſis in partes, tradnctis, theſautom omnem & imperium nefariè extorqueret, eúmque ad natale ſolum Didymotichum ſecedere volentem, veneno pharmacis indito tolleret, & ſiattes Achomatem, quem pater ſucceſſorem deſtinaverat, & Corcuthum majores natu, eorúmque liberos omoea & nepotes impio bello proſequutus, crudeliſſimè interficiendos curaret, ſolúſque ipſe imperio per ſcelus potiretur. Cujus quidem exeerabilis dominationis ſeriem & cauſas non eſt mihi animua referre, poſtquàm nee rebus Ungarieis, quas ſcribere inſtitui, quadrare videntue; & ab aliis compluribus, Jovioque imprimis eleganniſſimo & eruditiſſimo ſeriptore, & ante illum Tuberone, eorum tempore æqualibus, prolixo ſermone commemoratæ leguntur. Id tantùm cum ingenti animi dolore admirari ſubit, potentiſſimos Chriſtiani orbis Reges & Principes priſtinæ virtutis memorea, veterúmque diſcordiarum oblitos, opportunâ bujus inteſtinæ inter barbarus belli oceaſiooe arreptâ, tam pia quàm neeeſſaria arma unanimi voto nequaquam ſumpſiſſe, viréſque & opes ſuas adversùs diram eam & immanem belluam minimè conſociâſſe; quæ ab eodem tempore in tantam potentiam & imperii amplitudinem excreviſſe videtur, ut jam ipſis omnibus, eorúmque regnis & populis terrâ marique maximè formidabilis immioeat.

Pajazeti Selymus filius imperium eripit.

Unus è privatorum ordine Thomas Cardinalis Strigonienſis, ſi fraterna barbarorum bella ceſſarent, Panooo1am patriam eâ tempeſtate foris quidem otio, domi autem luxu & avaritiâ Principum fœdè laboraotem periculu proximiorem futuram ceroebat, ideóque remedia tempeſtiva quærenda, ac concitandos adversùs coomunem bumani generis hoſtem Chriſtiaoos Principes, ſummi Pontificis ope & auctoritate arbitrabatur. Rege igitur convento ſe iterum Romam iturum & operam diligentem navaturum profeſſus eſt, ne tam inſignis tamque commoda invadendi hoſtis opportunitas negligeretur. Adornatâ profectione, & rebus ad iter oeceſſariis ſumptuosè comparatis, magnâ etiam aſſumptâ equitum & domeſticorum catervâ, curruumque apparatu, (erat enim ex optimis plurimorum ſacerdotiorum proventibus ditiſſimus) urbem Romam versùs contendit. Non defuêre plerique, qui eum oon petendorum auxiliorum gratiâ Romam iter ſuſcepiſſe dicerent; ſed ut ſe & divitias ſuas, quæ erant ampliſſimæ, oſtentando, ac multum auri largiendo, ad ſummi Pontificatûs faſtigium perveniret; quibus artibus Alexandrum, qui ante Julium regnavit, uſum fuiſſe, & voti compotem factum meminiſſet. Sed nos rem ineompertam in medio relinquemus.

Thoma Cardin. Strigonienſ. legatio Romam, ut

1513. *Chriſtianos Principes ad bellum Turcicum ope Pontificis conciteet.*

Quum in Venetorum ditionem perveniſſet, Senatus eum ſplendidè & lautè ubique excipiendum curavit, quòd multis officiorum generibus ei devinctus eſſet, miſſóque ad eum cum muneribus Vincentio Guidotti Decemvirûm Secretario, qui Budæ per aliquot annos Reipublicæ cauſâ agitaverat, expetenti ei triremem rebus omnibus exornatam, quâ Anconam, & indè ad Ædem Divæ Virginis Matris Lauretanæ toto orbe celeberrimam veheretur, dari juſſit: in qua ipſe cum priori parte ſuorum commodè proſperéque navigavit, ceteróſque è comitatu terreſtri itinere adventantes, ſacris interim operatus Laureti expectavit. Exceptus eſt Romæ hilari fronte à Cardinalibus, ac Julium de more veneratus, in aula Pontificia magno ſplendore & munificentiâ fuit fermè ultra annum; ita ut ſumptuum magnitudine, menſæ lautitia, ac conviviorum frequentiâ, aliiſque ſimilibus aulæ illecebris, cuivis Romanorum procerum, quorumvis judicio, æquaretur; cúmque Maximilianus Cæſar Matthæum Langum Cardinalem Gurcenſem pacis tractandæ cauſa in urbem miſiſſet, Julius eum cum Cardinale Anagnino ad medium milliarium Gurcenſi, velut Cæſaris perſonam ſuſtinenti, honoris cauſa obviam miſit, iique illum intermedium ad Vaticanam aulam deduxerunt, in qua eum Julius hoſpitio excepit.

Dum Thomas Romæ moratur, & ſuſceptum auxiliorum negotium lentiùs quàm pro neceſſitate promovet, Julius ſenio ac multis laboribus confectus in morbum incidit; quumque ultimum vitæ terminum ſibi imminere animadverteret, commendatâ Cardinalibus qui aderant, urbe & Chriſtianâ Republicâ, xx. die Februarii moritur. Cardinales conclavibus de more incluſi comitia habuêre, ac his unà Thomas Strigonienſis interfuit, non parva, ut quidem tunc inter populares ſuos ferebatur, ſpe potiundæ ſupremæ in terris dignitatis. Verùm non multò pòſt Joannes Medicæus, Laurentii Medicæi, ampliſſimi, & toto terrarum orbe clariſſimi viri filius, annos natus nondum quadraginta, juniorum Cardinalium ſuffragiis Pontifex eſt declaratus, & poſt trigeſimum diem ſingulari pompâ & ſplendore, qualem à multis ſæculis Roma non viderat, Leonis Decimi nomine aſſumpto, coronatus. Solennia ejus pompæ Thomas etiam, & quidem non

Julius Pp moritur.

Leo X. eligitur 1514.

ultimo inter cæteros loco eum dignitate celebravit; atque iis peractis, quum eum non ſolùm domeſticæ & privatæ res, ſed etiam publicæ Uladiſlai Regis & regni ejus rationes ac neceſſitudines domum revocarent, non magno labore apud novum Pontificem agendo perfecit, ut qui exercitu ac præſenti pecuniâ eo tempore rem Ungaricam, ob conſumptos ab Julio omnes ærarii & vectigalium fructus ac reditus juvare nequaquam poſſet; nec ulla melior ſpes animis Principum conciliandis, inque Turcam concitandis aſſulgeret, auctoritate Pontificiâ ſacrorum diplomatum munera impertiret, quibus eis, qui contra Turcas arma ſumpſiſſent, univerſorum criminum veniam; qui verò decoram pro tuenda religione Chriſtiana mortem obiiſſent, æternam felicitatem polliceretur.

Thomas Cardin. Strigonienſis univerſorū criminū veniam ad bellum Turcicū euntibus impetrat.

His rebus confectis, non diu Romæ moratus in patriam rediit, domíque paucos dies quietis causâ ſubſtitit, indè Budam ad Uladiſlaum venit. Cui rationibus Romani itineris laborúmque ſuorum redditis, ea quæ à Pontifice auxilii obtinuerat, prolixè declaravit. A Rege autem in mandatis accepit, ut convocato frequentiori concilio ea proponat, & quibus modis commodè inchoari perficique poſſint, ex ſenatûs ſententia exequatur. Quo convocato, & Rege præſente diploma profert, utque prælegenda publicandáque cenſeat, hortatur. Videri ſibi quum à Pontifice nulla alia in præſentiarum auxilia expectanda ſint, exhauſto admodum ejus ærario, & vectigalibus apud fœneratores paſſim oppignoratis, ita ut etiam futurorum redituum ſpes adempta ſit, & Principes mutuis bellis occupati de Pannoniæ periculis parum aut nihil penſi habeant, rem fore apprimè tempori & occaſioni accommodam, diſſidentibus Turcis, ſi exercitus gratuitò comparari, & contra hoſtes bello inteſtino occupatos in aciem produci poſſint, poſtquam conducendo militi ſumptus publicè deſint: Se non dubitare, quin brevi ſatis magna multitudo voluntariorum militum in ſpeciem juſti exercitûs confluat; curaturumque ut eis de præfecto & duce idoneo, reíque militaris perito proſpiciatur: qui eos probè armatos ad ſimulacra pugnæ cienda, dum aſſueſcant & addiſcant, aliaque militaria munera, caſtrenſéſque labores obeundos inſtruere: poſteaque ex Regis Senatúſque ſententia eò, quò neceſſitas poſtulabit, opportunè ducere queat. Quibus ſi milites limitanei cum hoſtibus pugnare ſoliti, ac ſtipendiariorum aliquantula manus addatur, ſperare ejuſmodi copias, quanquam collectitias, veteranis immiſtas, ad retundendos infenſiſſimorum hoſtium conatus, quorum magna pars in Aſiam trajecerit, ſatis validas futuras. Ad ea Rex taciturnus & in humum proſpectans, ne verbum quidem prolocutus eſt.

Cæterùm ſenatorum magna pars, qui otio & avaritiâ corrupti regnum prædæ loco habebant, pedibus in Cardinalis ſententiam ire, ejus curas & labores apud exteros Principes pro patria exantlatos laudare, & in cœlum ferre; eam viam ad refrenandas hoſtiles excurſiones, avertendáque pericula Reipublicæ quàm aptiſſimam reputare; poſtremò ut incepto pergat, ac ſalvâ Regis voluntate edictum Pontificium primo quóque tempore promulget, hortari. Pauci, qui Rempublicam pluris faciebant, quàm ut ei aſſentarentur, altiùs penitiúſque omnia conſideranda, nihilque temerè decernendum ſuadebant, ne dum patriæ conſultum vellent, vires opéſque ejus, quæ exiguæ adhuc ſupereſſent, funditùs enervarent, & bellum, quo hoſtes arcere pararent, in ſeipſos & in propria viſcera converteretur. Inter quos Stephanus Telegdinus, quem ærarii præfecturâ, ac Polonicâ legatione functum eſſe docuimus, rogatus ſententiam in hunc modum loquutus fuiſſe dicitur: "Niſi apud eos, qui rerum Ungaricarum conditionem perturbatiſſimam non ſolùm perſpicuè cernunt; ſed etiam ſummo cum dolore ſuo, & rerum fortunarúmque jactura vitæque periculo experiuntur, verba mihi facienda eſſent, malorum noſtrorum ſeriem & cauſas longiore oratione proſequerer; nunc quando vobis omnia adeò cognita ſunt, ut ægerrimè tolerentur, paucis ad ea, quæ modò inter conſultandum dicta propoſitáque fuêre, quæ ſentiam, eloqui non dubitabo."

Stephanus Telegdinus diſſuadet exercitū hunc voluntariorum eſſe cogendū.

"Et ut brevibus abſolvam, multa me dehortantur, quin votum ſuffragiúmque meum veſtræ deliberationi de conſcribendo hoc genere militum adjiciam. Equidem ſi indultum iſtud Pontificium, uti veſtrûm majori parti placere animadverto, publicatum fuerit, conventurus ad edictum haud paucos homines facilè conceſſero; ſed quos & quales? egentiſſimos quoſque, capitalia auſos, & qui ob ſcelera domo pulſi, vagi, obærati, lenones, fori incolæ, ignominiâ exilioque notati, quibus nulla niſi in facinoribus & flagitiis ſpes reliqua ſit. Agreſtium quoque & agricolarum ſatis magnam manum brevi temporis ſpatio in caſtra venturam inficias non ivero; ſed qui aut laboris fugiendi, aut privatas injurias ulciſcendi causâ, aut impunitate ſcelerum, & vitandi ſupplicii metu & munimento nomina dent. Quos ſi nobilitas ſibi debitos labores, ſuorúmque agrorum culturam, & alia, quæ per illos perfici ſolent, omiſiſſe conqueretur, idque extremæ noxæ damnóque ſibi futurum objiciet, aut priùs quàm ad caſtra properent, captivitate anticipet, aut ceu fugitivos repetat, atque uti ſolet, neceſſarios & propinquos eorum domi vinculis, carcere, catenis contrictos coërceat; (libet enim hæc omnia recenſere, quanquam acerba avaritiæ & impotentis noſtri dominatûs exempla) tum verò putabitiſne plebem inconditam, & colluviem tumultuariam, eámque armatam in officio poſſe contineri? an minimè in nobilitatem imperum facturam, & ſuos ab injuria vindicaturam? an protervos, furore & rabie percitos, juſſis veſtris, aut quorumcunque ducum imperiis obedientes fore creditis? an negabitis cæteris diverſarum gentium commilitonibus, quos è Polonia, Moravia, viciniſque regnis & provinciis nomina daturos credibile eſt, futuros auctores, ut vel levi de cauſa illatam, (ſic illi nominabunt) contumeliam ulciſcantur, & ferrum in hoſtium perniciem deſtinatum, in noſipſos convertant, atque illud noſtro & conjugum, fratrum, liberorúmque & neceſſariorum noſtrorum cruore cædéque commaculent? Utinam falſus ſim vates, atque hæc dira omnia, quæ horrens refero, Deus immortalis à cervicibus noſtris longè ſubmoveat; ſed tamen quin evenire poſſint, pro incredibili rerum humanarum inconſtantia haud facilè quis abnue-

1514. „abnuerit. Quid igitur faciendum exiſtimas? „dicet ex vobis quiſpiam: Ego profectò Pontificium Indultum aut ſilentio in præſens tegendum conſulerem, aut ita promulgandum, „ut non eis, qui arma in Turcas ſumpſerint, ſed „qui aurum, argentum, pecuniam, & quæ in „eam converti poſſunt, in ſtipendia militum „contribuerint, noxarum expiatio, æternæ„que ſalutis felicitas promittatur. Si enim in „manus furioſorum & perditorum hominum „arma ultrò dederimus, ad eorum quæ ſuprà „retuli, malorum exempla in nos exercenda „ſimul licentiam & impunitatem concedemus, & nosipſi Rempublicam ſceleſtiſſimis „prædonibus dilacerandam & evertendam „trademus. Quod ſi nihil horum ab iis nunc „extimeſcendum ſit, non tamen video, cur non„dum expleto induciarum, quas cum Tur„cis triennales habemus, tempore, & rebus „diſceſſu hoſtium in Aſiam, nonnihil tranquil„lis, tali exercitu valdè opus ſit; quum ſi pecu„niæ contribuantur, magis illæ tum ad belli „uſus, tum pacis ſubſidia conducant. Intereà „nobis etiam ipſis ſummâ ope adnitendum eſt, „ne ut hactenus, neglectâ Republicâ, priva„tim ad avaritiæ ſordes, & habendi libidinem „uſque adeò temerè ruamus; ſed ad graviſſi„ma imminentium periculorum à cervicibus „noſtris propulſanda mala, quicquid habe„mus, quicquid poſſidemus, ad tuendam „dulciſſimam patriam, tanquam boni & Rei„publicæ amantes cives, promptiſſimis ani„mis conferamus, & optimo Regi noſtro, quem „hîc præſentem cernimus, auctores ſimus ex aliis „burum regnorum & provinciarum redditibus „idem benevolè præſtandi, ne hoſtis acerrimus „& infenſiſſimus tranſmarino bello confecto „ſeſe explicet, & nos imparatos obruat. Quod „etiam ut pro veſtra & patriæ permanſione, pro „aris & focis ab interitu vindicandis faciatis, „etiam atque etiam vos hortor & obſecro. At„que hæc quidem mea eſt ſententia; id tamen, „quod tu Rex optime, voſque omnes faciendum deliberaveritis, Deum Optimum Maxi„mum fortunare cupio. Cum hæc magno directoque animo diſſeruiſſet, nequicquam tamen diſſuadere potuit; Rege ipſo & Senatoribus majori ex parte in Cardinalis Sententiam fatali deliberandæ rei pertinaciâ inclinantibus.

Diploma Pontificium paſſim promulgatur.

Sequenti die Cardinalis templum Divi Sigiſmundi magno comitatu ingreſſus, ſacris peractis Pontificis indultum pro concione promulgat, ac non ſolùm in templis, quæ Budæ & Peſthi habentur, ſed ubique in majoribus collegiis ſacerdotum, quæ vulgò Capitula & Conventus appellantur, tam ſuæ legationis, quàm Regiâ auctoritate curat publicandum. Idem ab Epiſcopis paſſim in Pannonia ubique fieri jubet.

ingens multitudo confluit.

Convenêre ad caſtra brevi tempore plurimi variæ ſortis mortales religionis prætextu compluribus locis; ſed in agro & ſuburbanis Peſthanis multò maxima pars, Varadini item, & Albæ, & Colociæ non contemnendus numerus. Et jam Cardinalis de duce quærendo vehementer erat ſollicitus, ne aut ſine capite dilaberentur, aut aliquod peſſimum facinus deſignarent; quum ipſi manipularios, ſignoferos, centuriones, teſſerarios, minorumque munerum militiæ curatores delegiſſent.

Georgius Siculus exercitui præficitur

Quod quum Cardinalis animo aſſiduè volveret, ſors aut fatum, aut caſus aliquis ei hominem obtulit, quem militiæ ſuæ inauſpicatæ fatalem ducem præficeret, Georgium Siculum, Doſam cognomine, è Dalvoco oppido inter Siculos Tranſſilvanos haud poſtremo oriundum, qui eo tempore turmæ equitum Taurini ſeu Nandoralbæ præerat, egregium quidem ipſum, niſi ad id bellum malas artes attuliſſet.

Ejus ſingulare certamen cum Turca.

Is quum ex provocatione Alim Epirotam Samandriæ equitum, quas Beſlias Turcæ vocant, præfectum ſingulari certamine victum occidiſſet, priùs dextra illius manu loricatâ immani vulnere uno ictu detruncatâ, Budam ad Uladiſlaum venerat, præmia rei benè fortiterque geſtæ poſtulaturus. Quæ operâ & ſtudio Cardinalis haud ægrè obtinuit, accepitque à Rege duplex ſtipendium, ac cum torque aureo purpureas veſtes auro intertextas, & calcaria & enſem, dignitatis equeſtris inſignia de regia manu tradita, ac pagum inter Nandoralbam & Temeſvarium ſitum, in quo xL. incolarum fundi numerarentur; inſuper ut in ſcuto & gentilitiis familiæ inſigniis manum cum acinace præciſam, cruoreque madentem, ſigna & memoriam virtutis fortitudiniſque ſuæ geſtaret, conſecutus eſt. Nec multo labore cum eo tranſactum eſt, ut præfecturæ honorem in novo exercitu obire vellet, operâque & induſtriâ ſuâ rem Chriſtianam & Pannoniam præſertim labentem juvare.

Thomas Cardinalis illum cruce inſignit.

Igitur Cardinalis in eadem Divi Sigiſmundi æde, ſacris priùs ſolenni more celebratis, vexillum album cum cruce prægrandi purpurea ad hoc Romæ præparatum, Georgio de manu porrigit; alteramque crucem æquè purpuream, ſed minorem, ipſius pro altari in genua provoluti paludamento, ſe ſpectante, à ſuo ſartore aſſuendam curat; additiſque ad Deum pro ipſius ac totius expeditionis felici ac proſpera fortuna precibus in caſtra dimittit, quæ erant in agro Peſthano, ſeque ex Regis voluntate brevi mandaturum pollicetur, quid porrò fieri oporteat. Ibi Georgius tyrones convocatus hortatur, ut crucibus purpurei coloris ipſi quoque pectora muniant; quo ſigno ab aliis dignoſci queant, dictóque ſint audientes, ſe brevi effecturum, ut fidei religioniſque ſuæ, quâ divinitùs tacti, pia adverſus Turcas arma ſumpſiſſent, minimè pœniteat; ſed ejus pietatis digna præmia conſequantur. Et quum vulgo innotuiſſet creatum à Cardinale exercitûs ducem, virum militiæ clariſſimum, qui nuper præcipuum Turcam ſingulari pugnâ victum occidiſſet, in caſtra veniſſe, multò plures undequaque ad eum confluxêre; adeò ut memoriæ traditum ſit, intra menſis ſpatium ultra xL. hominum cruce ſignatorum millia una in caſtris viſa eſſe præter illos, qui haud minore numero circa Varadinum, Albam, Coloциam & Baciam, aliaque loca ſumptis crucibus ſe aggregâſſe nunciabantur, & propterea bellum cruciatum vulgò denominatum.

40000. cruce ſignatorum intra menſem concurrunt.

Adjunxêre ſe illis plurimi quoque ex ordine minorum ſacerdotum ac ſacrificulorum, qui quotidie in caſtris magno multitudinis concurſu ſacra facere conſueverant. Georgius eùm caſtra in militarem formam redacta compoſuiſſet, tyroneſque variis exercendo laboribus, quantum anguſtiis temporis licebat, expeditiores redditos, armis, telis, & rebus neceſſariis inſtruxiſſet, à Cardinale, aut ab Rege, quid fieri juberent, expectandum cenſuit: & Gregorium fratrem ad ſe vocatum in exercitu legatum conſtituit.

1514.

Nobilitas ruſticis interdicit ne militatum abeant.

Intereà cùm agreſtes catervatim ad caſtra quutidie properarent, & neglectis omnibus non niſi grandævos ſenes, ac mulierum & parvulorum gregem, aut infirmiſſimum quemque domi relinquere viderentur, coacta nobilitas obviam ire, in eos, quos aut domi reperire, aut ex caſtris redeuntes deprehendere poterant, crudeliter ſævire cœpit, eo fine, ut ad priſtinæ conditionis ſervilia miniſteria redigerentur; neque enim per ſeipſa agros vineasque colere, aut fruges demetere, res ſibi inconſuetas valebat, & aliis in operibus, quæ ab agricolis obeuntur, inſigne detrimentum patiebatur. Quas ob cauſas frequentes querelæ ad Georgium deferebantur ab tyronibus, petentibus, ne ipſis quòd in caſtra veniſſent, fraudi & crimini eſſet.

Laurentius ſacerdos Georgium, ut nobilitatem coerceat, hortatur.

Poſtremò Laurentius ſacerdos è Ceglegdio oppido, cujus ut dudum cogniti familiaritate utebatur, & cui tyronum præcipui quotidie de illatis ſibi ſuisque à nobilitate graviſſimis contumeliis lamentari non deſinebant, ſæpiſſimè ad ulciſcendas ſuorum injurias, & compeſcendam nobilitatis inſolentiam, ſuadendo & gravi ſermone cohortando incitare & „exacuere non prætermittebat. Se ad Regia & „Cardinalis edictum arma in hoſtes ſumpſiſſe, „verùm à nobilium petulantia omni genere „crudelitatis prohiberi, ne imperata exequi „poſſint; neque ſolùm caſtris adeundis arce„ri, ſed ad ſordea ſervilium operum adigi; id„que adeò ſeverè & crudeliter, ut profici pa„rentis nihil poſſit: Quæ ſi tolerentur, gra„viora imperia immineant, quibus in ſangui„nem & bona miſerorum hominum ſæviant: „modò nobilitatem, modò ejus procuratores „perditiſſimum hominum genus vim & con„tumelias miſcere, nihil cupidini, nihil im„manitati eorum invium aut exemptum, anteà „in corpora tantùm exercitam crudeliſſimi do„minatùs libidinem eſſe, nunc etiam ſaluti & „felicitati animarum poſt hanc vitam avarè & „crudeliter invideri: ne videlicet ſummi in „terris Paſtoris & communis omnium paren„tis indulgentiâ uti & frui permittantur. Ip„ſum à Deo Optimo Maximo è cœlo demiſ„ſum eſſe, qui tot tantisque miſeræ plebis „ærumnis morte ipſâ gravioribus avertendis, „acerriméque vindicandis vires facultatésque „omnes intendat, & arma ac exercitum, quæ „divinitùs, & auctore, ut credi par eſt, Nu„mine, in manibus & poteſtate habeat ad pœ„nas à ſceleſtiſſimis hominibus exigendas, ac „eorum intolerabilem ſuperbiam cum ſumma „crudelitate conjunctam perdomandam, o„miſsâ aliâ omni cogitatione, convertenda „exiſtimet.

Gregorius fratrem dehortatur ab hujuſmodi conſiliis.

His atque talibus Georgius non parum animo moveri viſus eſt. Sed cùm ſermoni interesset Gregorius ejus minor natu frater ac legatus, placidiore ingenio conſilióque vir, increpito vehementiùs Laurentio, animum illius alioquin ferocem, & rerum novarum cupidum, quantum verbis & oratione poterat, mi„tigabat: Hujuſmodi conſilia periculoſa eſſe „plerumque, & fœda inceptu, fœdiora exi„tu: nobilitatis partes armis & bello defen„dendas Regem & Proceres procul dubio om„nibus viribus ſuſcepturos eſſe; tyrones iſtos „plebeios adverſùs veteranum militem, & „nobiles in armis ætatem agitare ſolitos, quid „aliud facturos, quàm ut abjectis armis in fu„ga & latebris ſalutem quærant, captique & cæſi ac debellari acerbiſſimas temeritatis ſuæ“ pœnas perſolvant. Se quidem, ſi quid tale“ in animum induxerit, quod præter officium“ & fidem ſit, quanquam eum ut fratrem ſin-“ gulari amore complectatur, protinùs caſtris“ exceſſurum, neque unquam illius inſtinctu“ in Rempublicam, Regem, fratres, amicos,“ populares que ſuos gladium vaginâ eductu-“ rum.“ At Georgius, ad quem graviores indies querelæ ab agreſtium turba veris falſa miſcentium adferebantur, ſeu Regis inertiæ contemptu, nobilitatisque odio, ſeu rerum novarum cupiditate, vel aliis de cauſis depravato animo, ſeu quòd intellexiſſet Regi in animo eſſe, ut exercitus, cui præerat, in Croatiam ad ferenda adverſùs Turcas Tininienſi urbi acerrimè incumbentes auxilia, primo quoque tempore duceretur, neque ipſe tam longum & difficile iter ſubire vellet, ſalubriora conſilia rejecit, & quod diu occultaverat plenum diri facinoris conſilium, pectore exprompſit, nefariisque armis in nobilitatem verſis, agreſtibus in eam, prout cuique animus ferebat, omnibus crudelitatis & ſævitiæ modis graſſandi & debacchandi licentiam conceſſit.

Sed inſuper habito ejus conſilio arma in Nobilitatem convertit

Buda & Peſthi ſuburbia deprædatur.

Nec mora, in Budæ & Peſthi ſuburbanis nobilium domos magno impetu de improviſo invadentes ſpoliare, incendere, ac obvios ex eorum numero quosvis exquiſitis tormentis cruciatos interficere cœperunt.

Edicta regia adverſùs Georgium & cruce ſignatos.

Quæ quum ad Regem & Cardinalem certiſſimis nuntiis perlata eſſent, perturbato animo, id quod erat, ſuſpicari, cruce ſignatos unà cum duce eorum rebellâſſe, edicto vetuêre, ne ampliùs quiſpiam cruce ſignaretur, Georgioque cum ſuis omnibus, niſi intra paucos dies ad ſaniora conſilia redirent, aquâ & igne interdixerunt, eosque hoſtium loco haberi voluerunt.

Diviſis copiis omnia ferro, flammâ, rapinisq. vaſtat.

Georgius quum hæc cognoviſſet, non diu in propinquis Budæ locis moratus, exercitum bipartitò, ut commeatui commodiùs eſſet proviſum, diviſit, ac duobus agminibus, ſed admodum validis, Segedinum verſùs contendit, & Laurentium presbyterum (ſic enim eum vocabant) in Baciam, Barnabam verò ſimili nomine verſùs Agriam proficiſci juſſit, ut copias, quæ in illis locis convenerant, ad ſe adducerent. Gregorium autem fratrem, à militibus Ghezzonem appellatum, qui nefaria ejus facta conſiliaque vehementer improbabat, invitum & renitentem apud ſe retinuit. Quacunque autem iter factum eſt, omnia rapinis, prædis, populationibus, incendiis longè latéque infeſta reddidêre, ut villæ & prædia, ac domus nobilium injectis ignibus conflagrarent, & ardentia tectorum culmina ac flammæ Budam uſque conſpicerentur. Ambroſium Sabereſium civem Peſthanum cum tribus legionibus in iiſdem caſtris reliquit, ac ut illa muniret, & in omnes partes arma oſtentando, & prædas agendo, metum & formidinem circumferret, in mandatis dedit, ne quid de ſuis conſiliis à Rege & nobilitate ſciri certi poſſet.

Nicolaũ Tornalium Nobilem interimit.

Quum autem Nicolaum Tornalium, nobilem equeſtris ordinis virum, qui de eorum itinere explorati nihil habebat, Varadino venientem fortè fortunâ obvium habuiſſent, neque is fugâ conſulere ſibi potuiſſet, captum ac omnibus ludibriis & conviciis oneratum verberatumque ad Georgium adduxerunt, qui illum extemplò interfici juſſit. Progrediendo demum & ubique terrorem ſpargendo,

aliquot

1514. aliquot minora caſtella, & domos foſsâ & vallo munitas, quales paſſim in Pannonia à nobilibus habitantur, facto impetu expugnârunt, in quibus præter commeatum omnis generis, & variam ſupellectilem, veſteſque & pecuniam, pulveris quoque ſulphurei non parva copia, & tormenta aliquot currulia, quæ falconetæ vocantur, quibus hactenus caruerat, inventa ſunt; quæ Georgius ad futuros belli uſus ſecum avehi juſſit. Poſtquam Segedino appropinquâſſet, ad oppidum frequens & populoſum, quanquam nullis cinctum mœnibus, foſsâ tamen circumductâ & vallo egregiè ſe muniverat, latronumque adventum ſumptis armis & paratis animis expectabat, aggredi illud non eſt auſus, quòd in eo præter civium & incolarum magnum numerum ad tria millia piſcatorum habitare, & omnes egregiè ſeſe defenſuri dicerentur. Ibi enim amnes aliquot, ſed inter reliquos Maryſus ex Tranſilvania navigabili alveo decurrens, Tibiſco miſcentur, maximamque piſcium copiam nutriunt.

Segedinum aggredi haud audet.

In tanta rerum perturbatione Rex & Cardinalis metu conſternati, ac conſilii propemodum inopes, Senatum frequentem convenire jubent. Major illius pars cenſebat Emerico Perenio Palatino poteſtatem dandam, ut daret operam, ne quid Reſpublica detrimenti pateretur. Aliis conſulentibus, quum Palatinus ſenio & ſæviſſimis articulorum doloribus obnoxius, ideóque ſellâ geſtari ſolitus, belli munia exercere non poſſet; & ipſa immanium latronum colluvies in Tranſilvaniam Georgii ducis ſui patriam iter intendiſſet, Joanni potiùs Comiti Scepuſienſi bellum demandandum. Nonnulli auxilia à Maximiliano Cæſare ſponte & offerente, & Sigiſmundo Rege Poloniæ petenda exiſtimabant. Sed Joannem Bornemiſſam ſenem, cui Uladiſlaus plurimum tribuebat, ſententiam rogatum in hunc modum loquutum ferunt:

Conſultat de bello adverſùs rebelles ſuſcipiendo.

Joannis Bornemiſſæ ſententia.

„Quum ingruentis
„neceſſitatis vis fores pulſat, atque adeò acri-
„ter urget, omnem prolixæ conſolationis
„moram excludit; ſed fortitudine atque au-
„daciâ opus eſt. Audiviſtis à pleriſque, qui
„ante me ſententias dixerunt, ſceleratos agre-
„ſtes jugum excuſſa, & arma contra Regem
„& communes Dominos cepiſſe; interfici no-
„biles, rapi eorum filias virgines, divelli li-
„beros à parentum complexibus, templa, do-
„mos exſpoliari, cædibus, incendiis, luctu,
„cadaveribus, cruore omnia miſceri. Sed quid
„dico, audiviſtis? imò ſævas domorum con-
„flagrationes, & flammantia tecta è feneſ-
„ſtris conſpexiſtis, vulnera, verbera, exilia
„quamplurimorum cum parvulis liberis &
„conjugibus fugientium, lachrymas & eju-
„latus oculis vidiſtis; cujuſmodi miſerorum
„hæ duæ urbes etiamnum plenæ ſunt, atque
„indies amplificantur. Equidem ita exiſti-
„mo omnes cruciatus, omnia tormenta mi-
„nora hiſce facinoribus eſſe, atque etiam ra-
„riſſimis & crudeliſſimis pœnarum generibus
„vindicanda. Sed quum res, ut ſuprà memo-
„ravi, celeritatem expetat; an adhuc ab ex-
„teris Principibus auxilia expectanda arbitra-
„bimini? quæ quum tarda incertaque ſunt,
„tum verò donec internuntii eunt & redeunt,
„& tempus teritur, & latronum vires ita cre-
„ſcunt, ut neque nos, neque Rex noſter in-
„clytus, ac liberi ejus intra ipſas urbes tuti &
ſecuri vitam agamus. Proindè quum ſcele-" 1514.
ſtiſſimus latronum ductor verſùs Tranſilva-"
niam deflexiſſe nuncient, cenſeo Joanni"
Scepuſienſi Comiti, in cujus provincia bel-"
lum futurum apparet, quàm maturrimè e-"
dicendum, ut Siculos, Saxones, Ungaros,"
Thraces, & ſtipendiariorum promptiſſimos"
milites è Temeſvaro, Nandoralba, Seve-"
tino, Arſuva, cæteriſque locis in unum co-"
gat, ejúſque nefariis conatibus obviàm"
eat. Ego contra has perditorum hominum"
copias, quæ in agro hoc tranſdanubiano"
prædando vagantur, ſine mora cum præto-"
rianarum cohortium & equitatûs agmine,"
item clientelis, quas tam meo, quàm re-"
gio nomine haud contemnendas in obſequio"
& poteſtate habeo, progrediar: nec du-"
bitabo, quin nobiles frequentes armis captis"
ſeſe mihi adjungant; præterquam quòd Bu-"
denſes, ac aliæ civitates impigrè auxilia"
collaturæ ſunt: quas omnes ut ſine quam-"
promptiſſimè & quàm celerrimè præſtent,"
regia mandata ſeriò incitabunt: iis verò"
perduellibus, qui in conſpectu Regis no-"
ſtri nefaria arma exercere, Remquepublicam"
ſummâ perfidiâ exagitare auſi ſunt, perdomi-"
tis (quod mihi haud factu difficile futurum"
animus præſagit) ſpes me magna tenet, fore"
etiam ut de aliis, qui paſſim latrocinantur, ac"
de univerſi belli ſumma haud incertam victo-"
riam reportemus."

Quæ quum Regi & Senatui placuiſſent, ſtatim per celerrimos nuntios Joanni Scepuſienſi denuntiatur. Sed is animadverſo periculo exercitum jam antè ſponte convenire juſſerat, intentuſque in omnes occaſiones, conatibus hoſtium avertendis invigilabat. Palatinus pedibus totiſque artubus captus, de iis, quæ in Senatu acta erant, certior redditus, auxilia ſine mora miſit: cætera nobilitas, quæ in propinquo erat, armata brevi Budam confluxit; nec Budenſes & Peſthani in adjungendis peditum cohortibus defuêre. Bornemiſſa ſummâ adhibitâ celeritate, nec expectatis, quæ in itinere erant, auxiliis, Danubium trajecit. Franciſcus Batianus, & Ladiſlaus Moræus, juvenes cubiculo regio aſſueti, ea in expeditione prima militiæ rudimenta poſuêre. Primò itum eſt haud longiùs, quàm ad Peſthana ſuburbia è regione Budæ, interfluente Danubio in planitie ſita. Nec mora, Paulum Tomoræum, quem legatum in exercitu eſſe juſſerat, cum equitum ala verſùs caſtra hoſtium, quæ in propinquo erant, proficiſci, & eorum conſilia explorare jubet; ipſe cum exercitu ſubſequitur.

Quæ Joanni Scepuſ. Comiti id bellum demandatur.

Copiis regus coactis Paulus Tomoræus caſtra hoſtium in Peſthanis ſuburbiis expugnat

Præerat perduellium caſtris Ambroſius Salereſius, civis olim Peſthanus, quem Georgius legatum ibi reliquerat, vir haud ambitioſus aut turbulentus. Priùs quàm ipſe ſignum pugnæ dediſſet, agreſtes audito hoſtium advento arreptis equis turbidi & feroces, quanquam militiæ rudes, in Tomoræum feruntur, & ab eo non magno negotio funduntur: cæſis ex eorum numero compluribus, cæteris in caſtra refugientibus: captivis verò ad Bornemiſſam ductis, inter quos Sacerdos quidam erat: quos quidem ipſe, intellectis priùs ab eis quæ ſcire volebat, interfici juſſit. Ulteriùs verò progreſſus, & Ambroſium explicatis ſignis, & more militiæ ordinatis agminibus venientem conſpicatus, uti erat pio, &

rebelleſque cadit ac fugat.

1514. miti, literiſque exculto ingenio, priùs quàm acie decertaret, tentandos ejus & perduellium animos exiſtimavit, ſi quo pacto ad ſanitatem reduci poſſent, & bellum citra cædem & ſanguinem conficeretur. Itaque mittit præcones, quos ſecum habebat prætorianos, Ambroſio cognitos, per quos pollicetur illis omnibus regio nomine veniam, ac noxæ impunitatem, ſi poſitis armis ad priſtina obſequia reverterentur. Quòd ſi eis bona pacificaque conſilia amplecti cordi ſit, abjectis armis in dextram partem confeſtim digrediantur: qui verò in pertinacia & obſtinatione perſiſtere decreviſſent, & ad ſiniſtram deflexiſſent, eos ſe hoſtium loco habiturum minatur. Ambroſius qui non perverſo animo, ſed religionis ergò cruce ſumptâ ſe cæteris aggregaverat, gravi ſermone, ut Bornemiſſæ ſalubria monentis conſilia amplecti vellent, nec incertam Martis aleam temerè ſubirent, admonuit. Et agreſtium plurimi ejus verbis perſuaſi, tum verò inſtantis pugnæ metu unà cum Ambroſio factâ deditione in dextram partem ſeceſsêre.

Complures turbidi & præferoces aliorum proditionem increpare, probris & convitiis Ambroſii nomen proſcindere, ac poſtremò ad ſiniſtram flectentes prælium poſcere. In quos quum Bornemiſſa ad incutiendum terrorem tormenta diſplodere juſſiſſet, ac tubæ & tympana concrepuiſſent, promptiſſimos leviorios armaturæ equites præeunte Tomoræo immittit, ipſe cum cataphractis, reliquoque exercitu ſubſequutus eos in veſtigio adoritur. Non tulêre agreſtes vim & impetum noſtrorum, vixque tentato certamine perturbari, & loco ſubmoti terga dedêre. Magna ſtrages inconditæ multitudinis, præſertim peditum, qui effugere non poterant, edita, ita ut campi cadaveribus ſtrati paſſim cernerentur. Caſtra, quæ carris muniverant, capta fuêre & direpta. Sed Bornemiſſa fugientes ultra ſilvam Irſazegam inſequi prohibuit, receptuique cecinit. Partâ victoriâ poſt paucos dies triumphanti ſimilis Budam incolumem reduxit exercitum. Captivorum autem partem auribus & naſo mutilatam, ut aliis exemplo eſſent, dimiſit; nonnullos, qui facinoribus inſignes erant, juſſu Regis & Senatûs magiſtratibus tradidit, de quibus ſupplicium ſumptum eſt. Hoc ſucceſſu, ceu fauſto totius belli finiendi omine Nobilitas aucta animis, variis in locis proſperè cum iiſdem agreſtibus conflixit. Milites quòque Hippolyti Eſtenſis Cardinalis, qui tunc Agrienſem Epiſcopatum tenebat, in ſubjectis Agriæ campis, nec non Franciſcus Perenius Varadienſis Antiſtes, non procul Varadino conjunctis cum Emerico Cibaco, Paulo Artandis, Benedicto Bajonio, & Nicolao Gleſano viribus magnâ cæde hoſtes profligârunt, ut diſſipati & malè habiti, pars ad caſtra Georgii ſeſe proriperet, pars in Polonia, aliiſque remotioribus locis latebras quærere cogeretur.

Profligata & alibi in diverſis locis rebellium copia.

Intereà Georgius nihil tot uſque adeò funeſtis & aſperis ſuorum ſucceſſibus fractus, evitato, ut diximus, Segedino, Chanadium iter flexit, atque oppidum illud amplum, ſed nullis cinctum mœnibus, parvo negotio cepit atque diripuit; graſſatus in omnium domos & facultates, ſed præcipuè ſacerdotum. Urbis Epiſcopus Joannes Chaquius, vetuſtâ & nobili familiâ oriundus, cùm ſe in arcem trepidus recepiſſet, & obſidionem aliquamdiu toleraſſet, ad extremum commeatu & rebus neceſſariis deſtitutus, effugere, quò ſors tuliſſet, potiùs quàm perfidis latronibus deditionem facere, conſtituit. Et quum noctis tenebris tectus lembum paucis comitantibus conſcendiſſet, quò Maryſium amnem, qui è Tranſſilvaniâ profluens arcem & oppidum præterlabitur, ſuperare, & ad proximos montes tutioraque loca evadere poſſet, infelici caſu in agreſtes incidit, à quibus captus, & multis affectus probris & contumeliis ad Georgium perductus eſt; quem is poſt multa verbera & cruciatus indutum ſtolâ ſacrâ ac infulâ (gemmis tamen & unionibus magni pretii, quibus ornata erat, ſacrilegâ manu detractis) peracutâ ſude per inguina adactâ indignum in modum interfici juſſit. Similì modo in quoſdam Nobiles, ſummo loco natos, Georgium Docium, & Petrum Ravaſdium parem exercuit crudelitatem, nec cuiquam Nobilium pepercit, aut ullam lenitatis aut clementiæ laudem quæſivit, quanquam ſæpiùs à Gregorio fratre nimiæ ſævitiæ incuſaretur. Hunc vulgò Gerzonem vocabant, & militabat in caſtris planè invitus, frequenterque illum, ut ad frugem & ſaniora conſilia rediret, fruſtrà hortabatur. Sed Georgius omnem iram vindictæque ſuæ odium in Stephanum Telegdinum effudit, quem in Senatu contrarias Cardinali partes ſequutum, promulgationem Indulgentiarum diſſuaſiſſe ſuprà retulimus. Eum ſiquidem domum proficiſcentem cùm in itinere agreſtes intercepiſſent, novo, & in hanc diem inaudito tormentorum genere, & quod non ſolùm oculi honeſtorum hominum, ſed etiam piæ aures averſentur, è medio tollendum curavit. Funibus enim per teſtes & membrum genitale in præalta furca ſuſpenſus, vir clariſſimus, & eâ calamitate prorſus indignus, ſagittis & ſclopetis ſpectante Georgio miſerabiliter interfectus fuit. Nec minore crudelitatis exemplo uſum ferunt Laurentium Presbyterum, Georgii aſſeclam, & ex amicorum intimis præcipuum. Quum enim prædandi causâ caſtris exiiſſet, Nicolaum Zolomium, virum præclaræ & antiquæ nobilitatis, cum tribus fratribus germanis domi inventum, injecto tectis igne cum familia omni & ſupellectili, quam agreſtes diripere non poterant, concremavit. 1514.

Georgius Chanadium oppidum capit & diripit.

Epiſcopum ejus Joann. Chaquiũ palo in inguina adacto occidit.

Eâdem crudelitate graſſatur in alios Nobiles.

Singulari verò & barbaro exemplo in Steph. Telegdinum.

His in hunc modum non ſine divinarum humanarumque rerum confuſione peractis, Georgius an in Tranſſilvaniam patriam cum exercitu ire, aut iiſdem in campis inter Chryſium & Maryſium fluvios terrorem belli circumferre conſultius foret, diu deliberavit: poſtremò ſententiam Laurentii Presbyteri, qui iis diebus ex Bachienſi provincia redierat, copiaſque haud contemnendo numero adduxerat, Antoniumque Longum, ut cum reliquo peditatu ſpectabundus ſubſequeretur, hortatus fuerat, probavit. Is declinatâ Tranſſilvaniâ, in qua Scepuſienſis parato exercitu conatus ejus obſervare ferebatur, iiſdem quibus erat in locis bellum gerere, & Temeſvarinum, ſi quâ arte capi poſſet, tentandum ſuadebat: quòd Stephanum Bathorium abeſſe, nec urbem rebus neceſſariis ſatis munitam intelligeret. Si verò ceptis fortuna minimè reſponderet, tum verò tutum ad proximos Turcas re-

ceptum

ſeptum habere poſſet. Sed Stephanus hujuſmodi belli rumoribus excitus, uſque ad Naglacum caſtellum, Joannem & Marcum Jaxitios conveniendi cauſâ venerat, ut quorſum agreſtium conſilia tenderent, certiùs intelligeret. Itaque quum ab exploratoribus didiciſſet, latrones in ejus perniciem omnia machinati, continuato dies & noctes itinere Temeſuarium reverſus eſt, & ſe ac ſuos ad ea, quæ ſuſtinendæ obſidioni neceſſaria erant, accinxit. At Georgius motis Chanadio caſtris, quæ ex tot tantiſque rapinis, commeatu, & rebus omnibus neceſſariis abundè inſtructa erant, Idibus Junii ad campum Ulicianum, haud procul ab arce & flumine Temeſo conſedit. Sequenti die propiùs urbem movit, & tormenta curulia protrahi, iiſque mœnia concuti imperavit. Oritur Temeſus in alpibus Tranſalpinæ Valachiæ & Severino oppido vicinis, Barzaque & Beogu, aliiſque ignobilioribus amnibus in ſe receptus, juſtæ magnitudinis alveo decurrens, nomen propinquæ urbi præbet.

Georgius Temeſuarium obſidet.

Quum difficilima futura videretur oppugnatio, quòd locum naturâ munitum veteres Pannoniæ Reges contra vires Turcarum jam tum plus ſatis invaleſcentes, arte & opere munitiorem reddidiſſent; cogitavit flumen aliò derivare, ut ab ea parte oppido minùs munito potiretur. Habebat in caſtris operas innumeras, quibus in loco paulùm ab arce diſtante, quem nimirum majores falconum aut colubrinarum pilæ attingere non poſſent, propoſitum opus aggreditur. Erat res in ſummum adducta periculum: quandoquidem tot millibus agreſtium ſine intermiſſione labori incumbentibus perfici inceptum opus poſſe videbatur; quum Bathoriani animadverſo diſcrimine ab arce ſimul & oppido erumpentes, tam eos, qui operi intenti erant, quàm qui armati in ſtationibus, ut tutò operarentur, excubabant, magnâ editâ ſtrage in fugam conjecerunt; ac palantes & perterritos, priùs quàm ex caſtris auxilium adferri poſſet, magna ex parte trucidârunt. Tametſi autem ea res in irritum ceſſiſſet, Georgius tamen cœptæ oppugnationi acriùs inſtare, mœnia majoribus colubrinis concutere, ſuos animare, eiſque urbem opulentam diripiendam polliceri.

Verùm Stephanus de ſua, & ſuorum, urbiſque ſalute ſolicitus, à Comite Scepoſienſi, qui in propinquo erat, opem implorandam ſtatuit: quanquam æmulatione honoris, ut fieri ſolet, ac aliis de cauſis non leves inter eos ſimultates intercedebant. Igitur miſſo ad illum nuntio cum litteris, quanto in diſcrimine verſetur, ſignificat, petitque & obteſtatur, ut oblitus privatæ diſſenſionis ſeque & Rempublicam à perditiſſimorum latronum furore & rabie vindicare velit. Joannes igitur, quem noſtri à præfectura Tranſſilvaniæ Vaivodam, hoc eſt ducem appellant, & nos deinceps eo modo nominabimus, ſepoſitis in præſens Reipublicæ causâ privatis affectibus, maturam laborantibus opem ferre decrevit, vehementer eum ad id impellente Verbecio regni prætore, cujus conſilio plurimùm tribuebat, qui eo tempore in Trànſſilvania manebat. Nec mora, juſto exercitu tormentorúmque apparatu inſtructus ſummâ celeritate continuatis itineribus progreditur, cæteriſque ducibus, ut ad Portam ferream conveniant, edicit. Locus eſt in finibus provinciæ, ubi quondam Joannes Hunniades, dux bello clariſſimus, ingentes copias Mehemetis Turcarum principis deleverat. Indè ad planiora & patentiora loca alpium radicibus ſubjecta cum exercitu perventum. Nobilitas etiam omnis odio ingenti, ac vindictæ cupidine incitata, atque adeo Franciſci Vardani Albæ Juliæ Epiſcopi milites & copiæ, admirabili conſenſu certatim nomina dantes in caſtra properavêre: tantâ quidem alacritate, ut nemo omnium domi relictus eſſe videretur.

Stephanus Bathorius copias auxiliares à Joanne Comite Scepuſ. petit.

Quum menſe Julio in maximis Solis ardoribus haud procul à conſpectu urbis explicatâ è diſciplinâ & directâ acie, concrepantibus tubis & tympanis, pomeridiano tempore in eoſdem Uliciæ campos perventum eſſet, Georgius, qui eo die lautè epulatus, vino uſque ad temulentiam ſe ingurgitaverat, viſis hoſtibus nihil ſe animo dimittere, ſed properè prælii ſignum dare, agmina equitum & peditum in ordinem diſponere, & quantum crapulæ plenus poterat, ſingula ducis munia obire. Adjuvabatur tamen Geczonis legati & fratris, & Laurentii presbyteri operâ ſtudióque, qui agreſtium animos per ſe ad certamen paratos acrioribus verbis hortando & animando ſtimulabant; illum diem, illam pugnam fore, quæ ipſis eorúmque poſteris ingentem gloriam allatura ſit, ſi in virtute & dextris, victoriáque ſalutem quæſiverint; ſin degeneres, turpique formidine perterriti fugam circumſpectent, tum verò exilium, egeſtatem, compedes, fœdæque necis laqueos, morteque ipsâ graviora ſupplicia expectanda. Ex adverſo Vaivoda ſuos quàm breviſſimè cohortatus, meminiſſent, inquiebat, quàm multos inſontes & innoxios, genere opibúſque clariſſimos viros, omnium mortalium peſſimi latrones inauditâ morte ſuſtuliſſent: nunc tempus adveniſſe, ut eis omnibus, ac flagitioſiſſimo imprimis eorum duci, nobilitatis ſtirpes exſcindenti, ac Regnum Ungariæ affectanti acerbiſſimas pœnas irrogent; neque quicquam dubitent in eos, qui jus faſque exuerunt, ac ſe Deorum atque hominum impios hoſtes declarârunt, ferrum ſtringere; quum certum ſit eoſdem conſcientiâ ſcelerum exagitatos è veſtigio terga daturos.

Joannes Vaivoda Georgium aggreditur.

Poſtquam hæc dixiſſet, dextrum cornu Jacobo Banffio Lindusno legato ſuo; ſiniſtrum Lucæ Quiſmariano, veteranorum ſuorum præfecto curandum commiſit, ipſe in medio conſtitit, aciemque ita extendit, ut eâ in longum directâ à fronte ſimul & utroque latere hoſtes invaderentur. Pari modo in partibus agreſtium factum eſt, ita ut Georgius mediam aciem teneret, Gezo ejus frater & legatus, ac Laurentius presbyter duobus extremis cornibus præeſſent. Structis in hunc modum ordinibus, & exardeſcente certamine agreſtes ſpe & expectatione diutiùs acriúſque pugnavêre, noſtrorúmque impetum diu tantis animis viribúſque ſuſtinuêre, ut victoria in ancipiti eſſet. Ad extremum Vaivoda prætorianum militem ac Siculos equites & limitaneos equis armiſque validiores, ac uſu armorum cauſæque æquitate ſuperiores immittit; quorum gladiis quum plurimi occumberent, plures vulneribus debilitarentur, vacillare aliquantum ac loco pelli cœpêre; denique inſtantibus pertinaciter Vaivodanis effuſa fuga ſequuta eſt. Fugientes Georgius, vixdum exhalato vino, hinc indè obequitans,

Acies utrinque inſtruitur.

Acriter pugnatū.

Tandem rebellibus

in fugam conjectis.

quitans, & vociferans, retentare fruſtrà conatus, à Petro Petrovitio, turmæ equitum præfecto, equo deturbatur, & non ſine vulnere capitur. Eandem adverſæ fortunæ calamitatem ſubiit etiam Gezo, præmium invitæ & inauſpicatæ militiæ conſequutus, quum captos & ipſe in manus hoſtium vivus deveniſſet. Quæ res Vaivodæ incredibilem lætitiam attulit: nihil enim magis omnibus votis exoptabat, quàm hos ambos perduellium duces & anteſignanos in poteſtate habere; quam ob cauſam poſteà Petrovicium ad ſummos honores evexit. Erat is ex Poſega provincia Ungariæ oriundus, Vaivodæque ſanguine junctus. Cæteri ab exercitatis nobilibus, & milite naturâ feroce in fuga cæſi & obtruncati, campos cadaveribus accumulatos replevêre: plures hauſit prætereffluens Temeſus amnis, quum tranſire conantes ab inſequentibus militibus aut trucidarentur, aut aquarum vorticibus crudeliter immerſi interirent. Alii, quorum magnus numerus fuit, abjectis armis, ſublatíſque manibus, & in genua provoluti cum multis lacrymis miſericordiam & veniam implorabant; qui tamen ab inclementibus & iratis militibus aut in veſtigio cæſi, aut inſtar pecudum gregatim in caſtra abacti, ac compedibus & catenis constricti fuêre: pauci notitiâ locorum ac viarum freti, aut qui priores fugam cœperant, ægerrimè evasêre, inter quos Laurentius presbyter, pernici uſus equo (quod unum ad ſumma vota Vaivodæ defuiſſe viderur) non eâ, quâ alii fugiebant, viâ; ſed Danubium & Bachiam versùs curſum intendit, quibus in locis ſocios eſſe ſciebat, ac felici ſuâ ſorte inſequentium manus effugit. An verò Bathorius ſub tempus pugnæ ex arce & oppido in hoſtes eruperit, uti quidem militiæ mos & jura exigere videbantur, non traditur.

Georgius & frater ejus vivi capti.

Reliqui obtruncati, diſſipati, & in fluvio Temeſo periêre.

Laurentius presbyter fugâ evaſit.

In caſtris Georgii ſupra opulentam prædam & tormenta currulia, aliúmque apparatum ingentem promiſcuæ multitudinis ingens numerus captus eſt: plurimi enim conjuges & parvos liberos in caſtra adduxerant, ne domi relicti ad ludibrium & libidinem nobilitatis exponerentur; quorum maxima pars partim ferro, partim fame periit. Georgius cum Gezone fratre, ac poſt eos alii captivi inſigniores catenis & reſtibus nexi in conſpectum Vaivodæ adducuntur. Et Georgius quidem conſtanti vultu, fortique animo eum ita alloquutus fertur; „Non peto abs te, invicte Vaivoda, ut mihi „parcas; utere enim in me jure tuo prout vo„lueris: hoc unicum, quantum poſſum, poſtulo, „ut æquior in Gezonem eſſe velis; quem, pa„lam eſt omnibus, meis in caſtris invitum, & „à me vi coactum militâſſe. Vaivoda ſe in eos pro meritis agere velle reſpondit, & ut in carceres diſtribuerentur, mandavit, in quis duo fratres honeſtiori quidem, ſed cæteri arctiore cuſtodiâ aſſervati fuêre.

Georgii apud Vaivodam pro fratre interceſſio.

Sequuti erant caſtra Vaivodæ quàm plurimi ex vagis illis, quos Ciganos vulgus appellat, viliſſimum & abjectiſſimum hominum genus incertæque originis, in Tranſilvania ac utraque Valachia tortorum infamem operam exercere ſolitum. His Vaivoda negotium & curam excarnificandorum captivorum committit. In Gezonem tamen non niſi capitis ſupplicio animadverti jubet, quòd vera eſſe intellexiſſet, quæ à fratre in eo excuſando dicta eſſent. Horret animus recensêre dira, enormia, & hactenus nunquam viſa vel audita miſerorum ſupplicia: tametſi enim extrema quæque promeriti forent, homines tamen Chriſtianos & prope tam atrocem Isnienſium clementiâ & commiſeratione temperare æquum fuiſſet. Atrocius ſiquidem circiter 40. ex captivis, in obſcuros carceres condunt, & quidem tales, qui privatis Georgio miniſteriis addicti fuerant; & quindecim dierum ediâ maceratos diſcruciant, ut demum eis, ſi quos fortè tam diu in vivis eſſe contigiſſet ſemiambuſta viventis & ſpirantis Georgii membra mandenda & deglutienda efferrent.

Ciganorum miniſterium in caſtris Georgii.

Enormia & crudelia de captis ſupplicia ſumpta.

Sed ex 40. infeliciſſimorum hominum numero, reliquis fame tabeſcentibus & demortuis, non niſi novem ſuperfuêre: inter quos Laurentium quendam fabrum ferrarium, qui illius equos ſoleis munire ferreis ſolebat, provectiſſimâ ætate jam ſenem, dum pueri eſſemus, olim vidimus. Intereà ab iiſdem tortoribus rudi è ferro ſolium, & corona ſceptrúmque, regia inſignia conflantur; in quod Georgius nudus inſeritur, coronáque igne candenti reſplendens capiti imponitur; adducuntur novem illi infelices, qui ſupererant, luridi fame enecti, ſemineces, umbris hominum ſimiles, ac ut artus Georgii, qui ignito ferro tacti, ſtridorem quendam cum nidore emittebant, dentibus & morſu apperant, ſimúlque deglutiant, jubentur; niſi faciant ſtrictis enſibus minabundi carnifices, & ſtatim occiſuri imminent. Quod ubi metu mortis fecêre, dimiſſi quidem fuêre, inter quos faber ille ferrarius fuit; ſed tres, qui abominabilem offam non deglutiverant, illicò cæſi fuerunt. Georgius non flere, non ejulare, non horreſcere viſus; tantùm catulos caninos abs ſe educatos probroſè appellans conticuit; ac forcipibus ignitis identidem lancinatus, poſtremò cum intolerandos dolores ferrè ampliùs non poſſet, animam efflavit. Sed in eum vel jam vitâ functum impenſiùs ſævitum eſt; cadaver enim ejus latronum & proditorum more in fruſtra diſſectum fuit; quæ Budam, Peſthum, Albam & Varadinum miſſa, furcíſque ſuſpenſa præeuntibus ſpectaculo ludibrióque fuêre. De cæteris quòque pari acerbitate pœnæ exactæ ſunt, ut multò maxima pars in furcas, aut iis deficientibus in proximas arbores, injectis collo laqueis ſuſpenderentur; pars ſudibus ſeu palis infixi miſerabilem in modum interirent. Hunc exitum habuit factis ſuis congruum Georgius Siculus inauſpicati belli funeſtus author & concitator, cujus formidine Pannonia omnis contremuerat; quo in bello variis præliis ad 40. hominum millia cecidiſſe feruntur.

Præcipuè verò de Georgio duce eorum.

At Bathorius ereptus graviſſimo periculo, immortales Vaivodæ gratias pro tanto beneficio, allatíſque opportuno tempore auxiliis agere, nunquam apud ſe intermorituram ejus memoriam teſtari, ſeque impoſterum ad ejus obſequia quàm promptiſſimum polliceri. Ad ea Vaivoda breviter pro ſe & modicè diſſeruit; poſtremò illud à Bathorio contendere viſus eſt, ne magiſtratum, aut quampiam officii functionem ſe ignaro aut inconſulto ambiendum exiſtimaret; neve oblatam acciperet; ab ſe verò mutuam gratiam amicitiámque exſpectaret; ad quod quidem Bathorium ſe obſtrictum reddidiſſe ferunt. Quibus artibus non aliud quærebatur, quàm ut hoc ſibi conciliato æmulo, velut obice amoto, minorem ad parandum ſibi regnum difficultatem experiretur, ad quod bonis malíſque artibus aſpirabat: hi enim duo viri eâ tem-

Bathorii & Vaivoda pollicitationes mutuæ.

1514. tempeſtate, genere, ætate, divitiis pares, animi etiam magnitudine atque ambitione æquè inter ſe certabant; quibus deinde patriam & Rempub. peſſum dedère. Audito victoriæ ſucceſſu Uladislaus, magno affectus gaudio, auxilia quæ è Bohemia & Moravia duce Bartholomæo, filio Victorini Ducis Munſterbergenſis convenire juſſerat, reverti imperavit.

Laurentius presbyter & Antonius Longus belli conſilia renovant

Cæterùm Victoriâ potitus Vaivoda reditum in Tranſſilvaniam parabat, quum literis & ſermone multorum ad eum perfertur, Laurentium presbyterum è pugna elapſum, in provinciam Baciam contendiſſe, atque iſthic in agro Colocienſi cum Antonio Longo, ſeditioſorum duce, improſperè tentata belli conſilia iterum inſtaurare, réſque novas moliri. Antonius enim Ulicianâ Georgii & ſociorum clade in itinere auditâ, cum copiis verſus Colociam ſeſe receperat. Quo cognito Jacobum Banffium legatum ſuum, virum promptum & impigrum, ad debellandos eos mittendum decrevit, majore copiarum parte, & præſertim equitatûs ei traditâ. Qui ſuſcepto continuatóque itinere, uti erat oſtendendæ adversùs communes hoſtes virtutis cupidiſſimus, paucos poſt dies in Baciam pervenit. Ubi intellecto eos non procul ab oppido Apathio in caſtris eſſe, duobus millibus paſſuum prope conſedit; nec niſi unius noctis ſpatio militibus quiete conceſsâ, in eos inſtructis ordinibus proceſſit. Tametſi autem hoſtes adversùs victrices firmáſque copias prælii fortunam tentaturos non putabat: verumtamen Laurentius & Antonius nihil ſuperiore clade ſociorum, ac fœdiſſimo ducis interitu perturbati in aciem prodeuntes, pugnam minimè detrectavère, concurſúmque eſt ab effetatis hominibus tantâ obſtinatione, tantíſque ad dimicandum animis, ut duabus aut ampliùs horis victoria in neutram partem inclinare videretur. Poſtremò equus Antonii glande trajicitur, noſtrique globo facto eum circumſiſtunt & capiunt.

Jacobus Banffius eorum copias diſſipat ac delet.

Antonius Longus captus.

Altero ex ducibus amiſſo ſupererat adhuc Laurentius, & ſuos nutantes ac perturbatos, ne Antonii periculo terrerentur, voce, manu & clamoribus hortabatur. Sed dum inclinatos ſiſtere, præliúmque reparare contendit, atrociori exorto certamine multi ex parte agreſtium occumbunt, & ipſe in capite vulnus accipit. Ejus cruore fœdatam faciem ſocii conſpicientes, lethalem plagam rati, & velut ambos duces amiſiſſent, metu perculſi, quà quiſque poterat, effusè fugere cœperunt: ipſe etiam deſertus à ſuis, quò ſors tuliſſet, profugere potiùs, quàm ad non dubiam diræ necis calamitatem ſeſe dedere maluit. Banffius fugientes inſequi prohibuit, ſeu quòd milites longioris viæ tædio laboréque fatigatos, ac ſanciatos complures haberet, ſeu quòd cædibus ac ſanguini miſerorum agricolarum parcendum cenſeret. Caſtra hoſtium, & prædam omnem militibus ob benè navatam operam conceſſit. Antonius Budam perductus ſcelerum pœnas in quatuor fruſta diſſectus fœdâ morte perſolvit. Laurentium verò presbyterum, quonam in loco, quove mortis genere perierit, nemo ſcire potuit. Eum quidem è prælio aufugiſſe, neque ad Turcas tranſiiſſe conſtat. Sed an fugiens ſibi mortem conſciverit, ac deſperabundus ſe in Danubium præcipitaverit, quum à nemine poſteà viſus ſit, incertum habetur. 1514.

Laurentius vulneratus fugæ ſe dat.

Hoc modo Vaivoda, quanquam tantâ partâ victoriâ effusè lætaretur, ac inteſtino bello, captis & ſupplicio affectis immanium latronum ducibus, proſperum finem Deo juvante impoſitum, prorſúſque debellatum eſſe exiſtimaret; præter opinionem tamen fit certior, inter Veſpriminum & Albam, circa ſilvam Bacaniam agreſtes, Dominico quodam duce, cui Salſo cognomen fuit, prædas agere, & non ſolùm in domos Nobilium & facultates incendiis cædibuſque graſſari; ſed etiam à ſacris templis, eorúmque donariis diripiendis impias manus minimè continere. Quamobrem Gotharo Sitqueio, ſuo in arcibus Papa & Somlione præfecto dat in mandatis, ut quum ex ſolo Papenſi oppido præter ſolitum præſidium quingentos civilis mercatoriique ordinis equites educere poſſit, exules & ſeditioſos illos invadere, pulſóſque & disjectos meritis pœnis afficere contendat. Qui quum Albenſibus civibus, & Joanne Goſtonii Epiſcopi Jaurienſis milite conjunctis conſiliis & viribus imperata exequi conatus, aliquot etiam tormenta curulia unà protrahi juſſit, ac tumultuariam colluviem, nullis more militiæ excubiis in caſtris agitantem ſine cunctatione aggreſſus, parvo negotio diſſipavit. Tormenta enim callido, ſed pio conſilio, quo minus ſanguinis funderetur, non pilis ferreis, ſed ſtramine & herbâ viridi, aut detritis laceríſque pannis, idque genus quiſquiliis implenda curavit: ac cùm propiùs mutuum in conſpectum ventum eſſet, in eos diſplodi & exonerati præcepit. Quo facto tantus terror pavidos, & inſolito tormentorum, quanquam inanium fragore ac fumo, militaríque fremitu perterritos invaſit, ut nullo contracto certamine abjectis armis, omni ſpe ſalutis in curſu & pedibus poſitâ turpiſſimè diffugerent; pauci dum ſe ad defenſionem parant, inter quos Dominicus, à fugientibus proculcati interfectique ſunt: neque poſteà uſpiam viſum, aut auditum fuit, aliquam manum agreſtium, nedum armatam, ſed neque inermem juſto aliquo numero congregari ac convenire in unum auſam fuiſſe: ſic ut Vaivoda perduelles & ſeditioſos armis egregiè ultus, liberatæ à tanto diſcrimine patriæ laudem tuliſſe haud abs re cenſeri queat; quanquam id omne grati animi officium, reíque gerendæ ardens ſtudium, non ad privatum quæſtum, ſed eidem patriæ, reíque publicæ Chriſtianæ commodum, ante omnia jure meritóque offerre atque impendere debebat.

Agreſtes circa Albam Veſpriminumque tumultuantes pulſi fugatique ſunt tormentis herbâ pannis & ſtramine oneratis.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER VI.

Scepuſienſis Co-

SOLUTA per hunc modum Temeſuari obſidione, ac deletis ad internecionem agreſtibus Scepuſienſis Comes, idémque Vaivoda, magnus & clarus anteà, major & clarior haberi cepit:

mitis laus à vulgo.

1514. cepit : ſpéſque omnes Pannoniorum in eo ſitæ eſſe videbantur, hunc ſolum aſperrimo bello prudenter ſuſcepto, & feliciſſimè confecto priſtinam libertatem eis reſtituiſſe prædicabant, à cæteris alieno ſanguine & labore partum victoriæ decus invidioſè obtrectari, ſibique indigniſſimè arrogari; Regem togâ rarum, ad bella ſegniorem quàm pericula requirant, intra parietes ſedendo deliteſcere : hunc avertendis malis, tutandæque Reip. in omnes occaſiones excubare, ideóque ei ob vetera & recentia in Remp. benefacta, propulſatúmque ab eorum cervicibus ferrum, ſummi imperii præmia æquo jure deberi; hæc atque talia imperitum, maliſque moribus imbutum vulgus, publicè privatímque jactare, ejus dicta factáque in cœlum extollere.

Verbecius & Zobius ejus partibus addicti.

Flagrantiſſimi autem in ejus amicitia præ cæteris habebantur Stephanus Verbecius Prætor regni, ac Michaël Zobius, publici judicii aſſeſſor: ambo factioſi, ac linguâ & moribus, fidéque venales & inimodici; quibus cùm tumultus & res novæ placerent, multitudinis animos commemoratione virtutum ac fortunarum, liberalitatíſque illius, quòcunque volebant, impellere poterant, nemine ex regiis obſiſtente. Sed & Vaivoda comi ſermone, nec abſurdo ingenio, facili aditu, opibus, claritudini, gloriæque ejus reſpondentibus, occultâ largitione, aliíſque artibus partium ſuarum ſtudioſos ſublevare nitebatur. Regias partes Joannes Borneniſſa, exactæ ætatis & prudentiæ ſenex, & Thomas Cardinalis, aliique pauciſſimi ex Senatorio ordine, quantum poterant, ſuſtentabant. Verùm eo tempore Cardinalis auctoritas non tantùm valdè imminuta, ſed maximo odio ac invidiæ, atque adeò periculo expoſita erat; quòd ferè ab omnibus initia & origines abominabilis belli, ipſius ambitioni atque importunitati tribuerentur. Quamobrem dolos & inſidias veritus Strigonii, duplicato præſidii militaris numero ſeſe continebat.

Borneniſſa & Cardinalis regiam auctoritatem tuentur.

Sclopetorum diſploſio in Regiam.

Hæc ad Uladiſlaum certiſſimis indiciis perlata, ab eo, quemadmodum alia omnia ſimplici taciturnóque ingenio negligebantur. Accidit autem iis diebus, dum tempus comitiorum, quæ ad Octobrem menſem indixerat, appeteret, jámque multi ex diverſis regni lateribus conveniſſent, ut Rege ad ſummum diei crepuſculum ſacra audiente, incerti homines in cubiculum regium ſclopetis duobus grandiores glandes diſploderent, rati, ut credere par eſt, Regem iſtic eſſe : quod quidem atrox facinus quum vitreis feneſtris magno cum ſtrepitu diſſilientibus, & glandibus in parietem conjectis innotuiſſet, ejus auctores quanquam diligentiſſimè quærerentur, nuſquam tamen inventi fuêre. Suſpicio in Vaivodanos extitit, quanquam non ſat certis nixa fundamentis. Excitatus tam atroci caſu Rex Cardinalem & Joannem ad ſe vocat, ipſiſque ſuam ac liberorum ſuorum ſalutem commendat; quove modo res ſuas ſtabilire ac communire queat, exquirit. Ad quæ illi reſpondiſſe dicuntur, ſeveritate, & paucorum quorundam, qui licentiâ abrepti inſolentiores ſpiritus gererent, pœnâ & ſupplicio opus eſſe ſibi videri, niſi Vaivodam maximum ex magno fieri velit. Verùm quoniam mite ingenium habeat, nec ullius præclari auſi capax ejus natura ſit, utpotè qui vel enormium criminum delictis parcendum putet; ut breviter, quod ſentiunt, eloquantur, ei etiam atque etiam animo proſpiciendum eſſe, ut ſibi liberiſque ſuis amicos & neceſſarios parare ſtudeat, in quibus ſenectuti ſuæ ſolatia, & liberis tuta præſidia collocentur : cœptámque cum Maximiliano per mutua connubia affinitatem ante omnia ad effectum perducat : quâ unâ re cavendis adverſariis atque opprimendis optimè proviſum fore. Quòd ſi Sigiſmundus frater, quamvis apud eum ſoror Vaivodæ matrimonio collocata habeatur, in conſortium conſiliorum accedat, quòd eum pro ſingulari prudentiâ, ac erga fratrem amore facilè facturum arbitrentur, tum demum ad omnes inſidias procul avertendas, vitamque in tuto agitandam reliqua omnia in proclivi fore.

Borneniſſa & Cardinalis Regi auctores ſunt, ut affinitatem cum Maximiliano Imp. jungat.

Cuſpinianus ea de re legatur ad Uladiſlaum.

Dum de his Uladiſlaus anxio animo conſultat, opportunè Budam venit miſſus à Cæſare Joannes Cuſpinianus, tum victoriam de crucigeris agreſtibus partam gratulaturus, tum ut de mutuis fœderibus propinquitatis vinculo confirmandis cepta jam pridem ſuperioribus annis per Joannem olim Epiſcopum Varadienſem conſilia atque pacta bono fine terminaret. Petebat autem Cæſaris nomine diem & locum colloquio deſignari, ad quem ambo convenirent, rémque tranſactam quidem, ſed tot annis intermiſſam finirent. Eodem etiam ferè tempore Chriſtophorus Sidlovicius Sendomiriæ præfectus à Sigiſmundo fratre legatus advenit, ac lætiſſimum nuntium de Moſchis, eorúmque Rege Baſilio apud Smolencum oppidum ultra Boriſthenem ſitum, à Polono memorabili pugna devictis & profligatis attulit. Quæ duæ res Uladiſlaum ſupra domeſticæ victoriæ lætitiam ingenti gaudio mirificè recrearunt. Itaque negotio cum iiſdem communicato, atque etiam fratris legato in conſilium adhibito, Cuſpinianum dimittit, nihilque ſibi gratius, nihil optatius ejus adventu, ac commemoratione componendi per connubia fœderis, accidiſſe ſignificat. Hoc à Maximiliano expetere, ut quum Sigiſmundum fratrem colloquio & tranſactioni intereſſe vehementer cupiat, deterſis, quas hactenus ob amicitiam cum Moſcho Sigiſmundi hoſte contractam aluerit, ſimultatibus odiíſque, cum eo in gratiam redire velit. Quo autem tempore, quove loco colloquium inſtituatur, id ſe totum arbitrio ac voluntati Maximiliani permittere, dummodo nolit illud quàm longiſſimè protractum. Cuſpinianus non diu Budæ moratus, de iis quæ egerat, Maximilianum certiorem facit; à quo reſponſum eſt, ſe comitiis Romani Imperii Auguſtæ Vindelicorum eo tempore occupari, venturum tamen Viennam ad Quadrageſimæ tempus. Porrò de Sigiſmundo, pro quo Uladiſlaus tantoperè laboraret, nolle eum eſſe ſolicitum, quem ipſe promptè & benevolè in gratiam recepturus, & deinceps loco fratris habiturus ſit.

Poloni legatio de victis profligatíſque Moſchis.

Quæ omnia Cuſpinianus miſſis unà literis Maximiliani, Uladiſlao ſignificavit : & Sigiſmundus à fratre ſolicitatus è Lithuania, ubi eo tempore Moſchici belli causâ cum Regina Barbara conjuge, Vaivodæque Tranſilvaniæ ſorore agebat, Cracoviam venit, quò ad eum miſſus eſt ab Uladiſlao Bohemicus Cancellarius Ladiſlaus Sterenbergus, qui eum rogaret, ne ab hoc itinere ſuſcipiendo alienum animum habere vellet, fœderique feriundo adeſſet. Quod ſanè ille amori ſfraterno ſe tributurum recepit : quanquam ut ſe excuſaret, nec Maximiliano

1515.

Sigiſmūdi Regis in Hungariam adventus 1515.

vel reconciliato, & amicitiam promittenti crederet, complures è Senatorum numero ſuadeerent. Itaque cum mille quingentis equitibus ſpendidè exornatis, ſupra aulæ regiæ comitatum, itinere per Moraviam facto, ad initium menſis Martii Tirnaviam Pannoniæ oppidum venit. Ubi eum Georgius Marchio Brandenburgicus, utriusque Regis è ſorore Sophia nepos, ac Georgius Sacmarius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, idémque regius in Pannonia Cancellarius obviàm progreſſi, nomine fratris pro dignitate exceperunt; indéque Poſonium deduxerunt, quò Uladislaus paulò antè cum liberis appulerat, ad èumque ſalutandum cum Ludovico filio, jam tunc nonum ætatis annum agente, extra urbem profectus, eumque arctè & amanter complexus ad hoſpitium deduxit.

Poſonii à fratre Uladislao excipitur

Transegère complures dies in urbe Poſonienſi duo fratres, fortiſſimarum nationum Reges, adventum Cæſaris expectando: interdum ſeriis graviſſimarum rerum conſiliis pertractandis operam dantes: interdum verò remiſſo animo ludis & ſpectaculis intenti.

Langus Cardinalis ab Imperatore miſſus ejus moram excuſat.

Intereà Matthæus Langus Epiſcopus Gurcenſis, & S. Angeli Cardinalis, Cæſari imprimis charus, ac omnium ejus conſiliorum moderator, à Cæſare ad Reges miſſus Viennam, ac deinde Poſonium venit. Is propediem Cæſarem adfore nuntiavit, ſeque intereà moræ huic excuſandæ miſſum: quòd ſi Regibus videatur (ut tempus longiorque mora negotio quopiam agendo redimatur) conficerentur fœderis ac connubii tabulæ, ac Cæſari metterentur perlegendæ. Quibus confectis Gurcenſis Cardinalis menſe Aprili Viennam reverſus, tabulas ad Cæſarem Auguſtam miſit per Wilhelmum Rogendorfium, qui mutatis ad celeritatem jumentis, quatriduo illud iter ſatis magnum confecit.

Fœderis & connubii tabulæ ad Cæſarem Auguſtā miſſæ.

Abeunte Cardinale grave & atrox incendium Poſonii fortuitò exortum, majorem partem civitatis abſumpſit: interque cætera arſit Uladislai hoſpitium cum multarum, quæ invaleſcente igne eripi non poterant, rerum jactura.

Incendium Poſonii in Regia.

Sed Poloni impigèrem gerentibus, ædes, in quibus Sigiſmundus diverſabatur, intactæ manſêre: quin iidem Poloni cæteras etiam domos, quas vagantia & ventis perflata incendia corripuerant, acerrimè defendebant. Sed ſiſti ac reprimi ignes vix biduo potuêre. Erant complures, qui incendii hujus cladem Uladislao infauſti alicujus ominis prænuntiam fore portenderent: quòd non civitas tantùm ipſa, ſed etiam quo privatim utebatur hoſpitio, conflagraſſet.

Dum Regibus gravis & tædioſa expectatio eſſet, Gurcenſis iterum Poſonium ſecundo flumine menſe Majo delatus, Cæſarem graviſſimis rebus diſtrictum ad eos venire hactenus non potuiſſe retulit: ſed fœderis atque conjugii tabulis ſubſcripſiſſe, petereque ut ipſi eas ſubſcribendo confirment; ipſiusque tardiorem adventum æquo animo ferant: conaturum illum, ut brevi, mutuâ eorum conſuetudine & alloquio quàm jucundiſſimè perfruatur. Præſtitêre id Reges, ac Cardinalem muneribus excultum dimisêre.

Cæſar Viennam advenit.

Poſt ejus diſceſſum Cæſar toto menſis Maji atque Junii decurſu expectatus, frequentibus literis & nuntiis ſpem certam ſui adventûs præbuit, tandemque ad diem decimum Julii Viennam appulit.

Legati rego ad eundem.

Ad eum Reges ternos legatos ex Optimatibus ſelectos è veſtigio mittendos decrevêre: Uladislaus quidem Georgium Sacmarium Epiſcopum Quinqueeccleſienſem, Ungaricum, ac Ladislaum Sterenbergum Bohemicum Cancellarios: Sigiſmundus verò frater ejus Joannem Lubrancium Epiſcopum Poſnanienſem, Lucam Gorcanum Poloniæ præfectum, ac Chriſtophorum Sidlovicium, quem non ita pridem ſummum in regno Poloniæ Cancellarium conſtituerat. Qui eodem die Viennam profecti, perorante Georgio Cæſarem ſalutârunt, Regesque illius reditui gratulari, & quid fieri velit, jam pridem ſolicitis animis præſtolari retulerunt. Quibus Cæſar per Petrum Mottam, Theologiæ, ut appellare ſolent, Licentiarum, genere Hiſpanum, brevi ſermone reſpondit, gratiſſimam ſibi accidiſſe Regum in propinquo præſentiam: miſſurum ſe paulò pòſt legatos, qui ipſius voluntatem & poſtulata eis exponant. Qui triduo pòſt Poſonium venientes, Cæſaris nomine poſtulabant, ut Reges Viennam venirent, & Uladislaus ad Pruccum, Sigiſmundus ad Hamburgum, Auſtriæ oppida, hoſpitiorum commodiùs diſtribuendorum gratiâ ſeorſim iter facerent; deinde verò certum locum in finibus, ad quem Cæſar declarandi amoris & ſtudii ſui causâ obviam profecturus eos exciperet, deſignabant. Legatorum princeps erat Chriſtophorus Archiepiſcopus Bremenſis è familia Brunſuicenſium Ducum oriundus, adjunctosque habebat præter Wilhelmum Bavariæ Ducem ipſius Cæſaris è ſorore nepotem, multos alios ampliſſimi undecunque nominis & dignitatis viros.

Reges, approbatis iis quæ Cæſar per legatos poſtulaverat, diverſis itineribus præſcripto in loco priores adfuêre; nec diu moratus Cæſar ad eundem locum venit. Videre erat patentibus in campis ſplendidiſſimas & ornatiſſimas trium populorum equeſtres pariter & pedeſtres copias mutuâ æmulatione armis, equis, & omni apparatu inſtructiſſimas, adeò ut omnes qui aderant, ſe nunquam eo ſpectaculo quicquam pulchrius aut elegantius vidiſſe teſtarentur. Nec mora, Cæſar primò omnium Uladislai liberos, Ludovicum & Annam, deinde Uladislaum, poſtremò Sigiſmundum ſingulari amore humaniſſimè complexus, per Cardinalem Gurcenſem, ut ſecum unà Viennam venirent, hortari cepit. Sed quum Uladislaus de ſuorum, qui aderant, conſilio ea in re durior appareret, quòd inſidias vereretur, Sigiſmundus Rex difficultatem omnem facilè ſuſtulit; ſe enim Cæſari nihil diffidere, imò quò Cæſar juberet, ſe iturum teſtatus, fratri quoque ut idem facere vellet, auctor fuit. Quæ ejus promptitudo Cæſari longè omnium gratiſſima accidit; ita ut ſe ejus benevolentiæ nunquam fore immemorem diceret, effecturumque ne Sigiſmundum conceptæ de ſe ſuaque integritate ſpei & fiduciæ unquam pœniteret.

Imperatoris & duorum regum Uladislai & Sigiſmundi cōventus Viennæ.

Alterâ igitur die Viennam pervenerunt, & Cæſar tantos hoſpites exquiſitiſſimis honoribus proſequutus, die XXII. Julii, qui memoriæ Divæ Mariæ Magdalenæ dicatus eſt, ad inſigne Divi Stephani templum deduxit. Ubi Thomas Cardinalis Strigonienſis Mariam Cæſaris ex Philippo filio neptem Ludovico Uladislai filio ritè deſponſavit.

Maria neptis Cæſ. Ludovico deſpōſata

Cæſar autem Carolo, aut certè Ferdinando, alteri ex nepotibus, ejuſdem Philippi filiis, Annam Uladislai filiam ſe in matrimonium collocaturum conceptis verbis repromiſit: eâ pactâ utrimque lege, ut regnum Hungariæ, ſi ſtirps Ludovici, uti evenit, interiret, deficeretque, ad eum Cæſaris nepo-

1515.

Et Anna Carolo vel Ferdinando repromiſſa.

nepotem, qui Annam ducturus eſſet, eorumque liberos certo juris hæreditarii nomine reciperet. Deinde publicatis per Cuſpinianum pacis & cognationis fœderibus de induciis cum Moſcho, & pace cum Venetis facienda, conveniendisque demum communi conſenſu in Turcas armis tractatum eſt. Et quidem opportuna ejus ſacri belli occaſio divinitùs oblata eſſe videbatur, dum Selymus Turcarum Princeps

Pacta conventa de ſucceſſione.

deductis ex omni Europa copiis militaribus, adversùs Perſas & Aladeulum Dulgadiriæ provinciæ in majori Armenia Principem civile bellum gerebat. Sed gliſcentibus inter Chriſtianos Principes privatarum diſcordiarum perpetuis fomitibus, opportuna rerum gerendarum conſilia ad non dubiam Reipublicæ perniciem neglectui habebantur.

Regum abitus.

Cæſar confectis hunc in modum rebus, cum ſingulari amoris & benevolentiæ ſuæ teſtificatione, paucos poſt dies Uladiſlaum dimittit; atque is cum Ludovico filio, relictâ apud Cæſarem Annâ filiâ, ut cum Maria deſignata ſibi nuru uſque ad nubilem ætatem ſimul educarentur, Budam incolumis pervenit. Sigiſmundus autem, cùm eum aliquot diebus importuna Danubii exundatio Viennæ detinuiſſet, itinere per Moraviam facto, à Stanislao Turzone Epiſcopo Olumucenſi lautiſſimo exceptus hoſpitio, in ſuum regnum reverſus eſt. Sed & Cæſar paucis pòſt diebus inſtitutâ Oenipontem profectione, Annam & Mariam Reginas ſimul educandas ſecum abduxit; neque poſtea diutiùs moratus ad bellum contra Venetos majoribus viribus proſequendum, Tridentinis jugis deſcendens in Italiam contendit.

Anna & Maria Reginæ ſimul educata.

Quæ dum agerentur, Emericus Perenius Palatinus, quam dignitatem ſupremam eſſe, Regiæque proximam, ſuprà dictum eſt, ſæviſſimis articulorum doloribus vexatus, Poſonii ſubſiſtere erat coactus. Is cum contractam cum Cæſare affinitatem, ac ſucceſſionis jura in ejus nepotes translata cognoviſſet, ſeu occultâ ambitione ductus, ſeu Vaivodæ inſtinctu, ſive ſic fieri oportere arbitratus, quum nec equo inſidere, nec pedibus incedere poſſet, *per fora & plateas civitatis paſſim curru circumvectus, contractibus illis à Cæſare & Regibus initis, quibus regnum Ungariæ ad* exteros transferretur, ſe tanquam Palatinum, cui id muneris & officii incumbat, nomine Statuum & Ordinum regni altâ voce contradicere proclamavit; idque concurrentibus ad ejus rei ſpectaculum variis hominum generibus & turbis, ſæpiùs repetivit; poſteàque ſecundo Danubio Budam deſcendit. Quæ res ad Cæſarem & Uladiſlaum perlata, non parvam animis eorum perturbationem moleſtiamque attulit, veritis, ne ea temporis proceſſu ſibi ſuiſque nepotibus fraudi eſſe poſſet. Igitur Uladiſlaus conſilio juſſuque Cæſaris eum ad ſe vocatum prolixiore ſermone ejus intempeſtivi facinoris reprehendit, quòd novas & juſtas, quas ad ſtabiliendam ſuam & liberorum ſuorum dignitatem rationes magno labore gravibuſque impenſis, nec improvido judicio quæſiviſſet, ipſe privatâ ambitionis temeritate corrumpendas exiſtimaſſet, multitudinique promiſcuæ ad ſeditionem vel nunc, vel inpoſterum concitandam non levem anſam præbuiſſet. Velle itaſe, ut recollecto animo ceptum opus retractare, ſibique & ſuis datâ ſolenni revocationis ſyngraphâ cavere haud cunctetur. Sed ille pro inſita naturæ ſuæ ſuperbia negavit ſe à ſuſceptis conſiliis vel latum unguem diſceſſurum; addiditque inflatiore mentis duritie nihil majeſtatem ejus veritus, ſe etiam in futuris comitiis publicas nobiliſſimæ nationis ſuæ libertates, ne inauſpicatæ exterorum poteſtati ſubjiciantur, ſi aliter ſubvenire nequeat, publicâ factâ contradictione defenſurum: neque detrectare, quin ſuo erga patriam & Remp. voto ac pietati vel honeſtâ morte ſatisfaciat; quum jam ſenio morbisque gravatus non longum vitæ finem ſibi expetendum arbitretur.

Perenius Palatinus fortè an Vaivoda impulſu, pactionibus à Cæſ. & Rege initis repugnat.

Reprehenſus ideò à Rege,

& ut revocet antè cœpta, imperatum,

quod conſtanter abnuit.

Hæc ad Cæſarem perlata, ſolicitum eum diu tenuêre, cogitantem quibus modis atque artibus Palatinus deliniri, & in partes traduci poſſet; commeantibusque ad Uladiſlaum ultrò citròque literis & nuntiis, mutuo tandem conſilio tentandum illius animum & expugnandum largitione muneribùsque decrevêre. Itaque re deliberata Uladiſlaus arcem Saroſiam edito in monte ſitam, vicinamque civitatem Eperieſſiam ex altu proſpectantem hæreditario jure ei promittit, ſimulque effecturum apud Cæſarem (is ejus offerendi muneris primus præcipuuſque auctor erat) ut ex uberiore ejus benignitate titulis & honoribus auctus ſacri Romani Imperii Princeps & Dux Saroſienſis impoſterum appellaretur. Quibus rebus Emerici animus avaritiâ atque ambitione præceps eò eſt adductus, ut diceret ſe fœderi & contractui Viennenſi, privato quidem ſuo, ſed nequaquam Palatinali nomine ſubſcripturum. Verùm Principes arbitrari, ſi promiſſa ei reddantur, fore ut ille quoad ſubſcribendam ſyngrapham in eorum ſit futurus poteſtate, arcem quidem Saroſiam ei tradidêre. Sed dum ſolennes literæ & diplomata Principatûs à Cæſare expediuntur, & ad illum perferuntur (quæ quidem expedita, nec tamen ad eum morte præventum perlata eſſe ſatis conſtat) ipſe in gravem morbum incidit, quo paulò pòſt Budæ è vivis exceſſit; condito priùs teſtamento non obſcuræ ambitionis ſimul & arrogantiæ pleno: quandoquidem in eo Uladiſlaum anxio ſolicitoque animo petebat, ne funus ſuum ad ripam uſque Danubii proſequi dedignaretur; Proceres verò & Primores ſigillatim, ut trajecto Danubio ad Peſthana uſque ſuburbia comitarentur; tum quot ceræ arderent, quot currus, quot atrati famuli, qui numerus cantorum & ſacerdotum, quantum itineris uno die faciendum, quibus in locis ſubſiſtendum eſſet, adeò exquiſitè minutatimque præſcribebat, ut à nonnullis ſato functus haud immeritò rideretur. Uladiſlaus tamen ſingulari pietate filium Ludovicum ad Danubium uſque funeri deducendo adhibuit; atque illud in templo Terrebeſiano, quod ipſe memoriæ & honori Divi Pauli primi heremitæ à fundamentis conſtruendum curaverat, conditum fuit. Mortuo Perenio Joannes Vaivoda, & quos factioni ſuæ addictos habebat, ad res novandas, regnumque tumultibus & diſſidiis exagitandum occaſionem invenêre. De quibus priùs quam agamus, operæ pretium fore duco, ut detrimentum, quod Palatino adhuc ſuperſtite à Turcis inſigne accepimus, quò breviùs potero, abſolvam.

Tentatur largitione & capitur.

Obitus ejus & ſupremum elogium vanum & ambitioſum.

Clades à Turcis accepta duce Vaivodâ.

Per eos enim dies, quibus Reges Cæſaris adventum Poſonii expectando tempus otio pariter & negotio tranſigunt; Vaivoda quia prima belli adversùs agreſtes proſperè ſucceſſerant, fortunam eodem ſemper tenore totius rei principia ſubſequuturam arbitratus, bellum in Turcas ſuſcepit, & ad obſidendam arcem æquali ferè intervallo inter Taurunum & Sa-

man-

1515. mandriam ſitam, animum adjecit, quæ à Turcis & Thracibus Dalmatisque Cavalla appellari ſolet, à noſtris verò Sarno vocatur. Sciebat enim majorem Turcarum numerum trajecto Helleſponto in Aſiam transfretaſſe; ſed tamen qui domi in præſidiis relicti erant, frequentibus ac etuentis excurſionibus & latrociniis inferioris Ungariæ ditiones infeſtas plerumque ex eo loco reddere conſueverant. Hæc eſt ea arx, in quam Mahometes Turcarum Princeps, Conſtantinopolis expugnator, avorum noſtrorum memoriâ ab obſidione Tauruni per Huniadem & Capiſtranum cum damno & ignominia rejectus ſauciatusque, ſeſe è fuga receperat.

Cavallam ſive Sarnonem arcē obſidet Vaivoda.

Hujus belli prætextu Vaivoda à Regibus benignè & benevolè invitatus, Viennenſi conventui intereſſe recuſavit; tametſi ea ſubeſſet verior cauſa, ne regia virgo, cujus ipſe thorum & nuptias tantopere expetiviſſet, in conſpectu ſuo alteri, ut contigit, deſponderetur; idque adeò in arcano potiſſimùm quærebat, ut ſi captâ arce victor rediiſſet, captando popularis multitudinis favorem, rebus faciliùs potiretur. Itaque aliquot cohortes peditum validas ex Tranſilvanis conſcribit, ſuos etiam clientes armatos, qui ad aliquot millia cenſebantur, ac equites è Siculis convenire jubet: Emerico Enningio, cognomine Turco, Tauruni præfecto, ut ad certum diem & locum, ſimul cum dimidia præſidii parte exercitui reliquo ſe conjungat, edicit; tormenta curulia quaſſandis & disjiciendis mœnibus idonea convehat, in mandatis dat; ſed is cætera exequutus, ipſe adverſa impeditus valetudine venire non potuit: admonuit tamen Vaivodam, ne ex eo loco tam celebri, tamque Turcis vicino res neceſſarias temerè exportaret, ex cujus ſalute & permanſione cæteræ Pannoniæ ſalus & conſervatio pendere videretur.

Contractis igitur copiis ad decem millium equitum & peditum numerum, Nonis Julii Danubium trajecit, & tertiis caſtris ad Cavallam ſeu Sarnunem pervenit, tanto ſilentio, ut Turcis, qui Samandriæ ac aliis locis in præſidiis erant, de ejus itinere nihil planè conſtaret. Michaël etiam Paxius cum equitibus levis armaturæ ex arce Challia, quæ Franciſci Haraſtii ſoceri erat, nec non multis aliis nobilibus viris ſponte ſe ei conjunxit. Prolatis igitur tormentis, ac Jacobo Banffio Vaivodæ legato impigrè rem gerente, arx concuti cœpta eſt, brevique temporis ſpatio tantum mœniorum dirutum dejectumque, ut Turcæ, quanquam egregiè ſe tuerentur, de conſervanda tamen ea non parum deſperarent. Præerat Samandriæ Balibegus è familia Iahia apud Turcas celebri oriundus, quem à puſilla corporis ſtatura Cuſſuccum, hoc eſt, parvum cognominabant, vir acerrimus. Ad eum Cavallenſes per averſam poſtulam, quæ Danubium reſpiciebat, occultos nuntios de nocte, quò tenebris tecti tutiùs commearent, mittebant, rem in ſummum adductam periculum ſignificantes, ſimulque maturam opem implorabant. Is de obſeſſæ arcis ſalute ſolicitus, quanquam meliore militarium copiarum parte deſtitutus eſſet, præſenti tamen animo omnes qui domi erant relicti, properè convocat, & præter martalocios pedites latrocinando & rapiendo vivere ſolitos, agreſtium etiam hominum è Thracia & Bulgaria haud contemnendam manum, more militari inſtructam, ſub ſignis ad ſe venire jubet.

Balibech Samandriæ præfectus Turcis ſuccurrit.

Iſthuanf. Hiſtor.

Sed quum tumultuario ejuſmodi militum genere ſe Pannoniis imparem eſſe animadverteret, ad dolos & fraudes converſus, certos è ſuis Thracibus Græci ritûs Chriſtianos ſubornat, qui ſpecie transfugarum in caſtra Vaivodæ ſe conferant, & apud duces ac militum præcipuos famam viresque hoſtium mentiendo pejerandoque in immenſum efferant, augeantque, venire magnis itineribus juſto cum exercitu Balibegum, ad ſolvendam obſidionem tantâ obſtinatione, ut omnes quamprimùm in mutuum conſpectum ventum fuerit, ſine ulla cunctatione prælii fortunam experiri, & vel vincere, vel in veſtigio honeſtâ morte occumbendum eſſe ſtatuiſſent. Qui quum rem haud ſegniùs, quàm edocti erant, perfeciſſent, tantus repentè pavor Vaivodæ animum occupavit, quamquam aliàs intrepidum, perturbavitque, ut tormenta ex aggeribus ſtatim retrahenda, & cum exercitu retrocedendum eſſe juberet; niſi Michaël Paxius, virtutis & fortitudinis eximiæ juvenis, ne tantum flagitii admitteret, ut ne viſo quidem hoſte fœdam fugam capeſſere inciperet, gravi increpitum ſermone retinuiſſet: Is enim ut omnes in caſtris manerent, nec incertæ transfugarum fidei inniterentur, ſed animos & corpora ad pugnam pararent, duces pariter & milites hortabatur, nec potuiſſe tantum hoſtium numerum tam citò contrahi, ut ipſis, ſi viri eſſe velint, quicquam nocere poſſint, affirmabat.

Et eo quidem die Turcæ ex induſtria in conſpectum non venêre, ita ut dilata quidem, ſed non prohibita Pannoniis imminens clades videretur. Nocte, quæ ſequuta eſt, Balibegus ſuorum aciem promoveri juſſit, ac multò majori parti militum pedeſtris ordinis ardentes tædas ac faculas, quarum magnum numerum agreſtibus comportandum imperaverat, attribuit; centuriamque peditum ſelectorum per ſecretos prope Danubium tramites in arcem immiſit in ſupplementum præſidiariorum, qui aut perierant, aut ſauciati uſui eſſe non poterant. Ipſe verò ſilenti agmine progreſſus, cùm ignes in tenebris majorem vero ſpeciem procul intuentibus redderent, nec noſtri, qui majorem hoſtium exercitum pro ignium numero eſſe putabant, quid caperent conſilii, præ metu ſatis diſcernerent, paulò ante illuceſcentem auroram aggerem, in queis tormenta erant collocata, magno ſublato clamore aggreditur. Ibi pugnatum eſt acriter pro eorum numero, qui ex noſtris ad cuſtodiam tormentorum excubabant. Sed quum pauci admodum eſſent, facilè à barbaris, qui numero ſuperabant, partim cæſi, partim in fugam conjecti fuêre. Michaël Paxius clamore ac ſcloperorum ſtrepitu excitatus, auxilium allaturus, cum ſua peculiari turma adcurrit, & rejectis magnâ vi Turcis tormenta recuperat. Verùm cùm illa rotis imponi, atque iis aſportandis equos & jumenta aptari curat, lapideâ falconis pilâ ex arce in incertum emiſſa caput ictus interficitur. Eo cadente prælium redintegratur, inſtantibusque & acriùs urgentibus Turcis noſtri loco pelluntur. Ibi Gaſpar Paxius, Michaelis frater, loco pulſos & fugientes retentare conatus, & ipſe ab aliquot haſtatis Turcis confoditur, & occumbit, cæteri turpiter profugiunt. Quamquam autem hoſtes ſuæ paucitatis conſcii, fugientium tergis minimè inſiſterent, ſatis ſe lucri & gloriæ, liberatâ arce & captis tormen-

Balibegus caſtra noſtra oppugnat.

tis,

1515. tis, adeptos eſſe rati : quantus fuit tamen Vaivadanorum metus & conſternatio, ut ſociorum clade nequaquam permoti, in ſola fuga ſpem & ſalutem ſuam collocarent, & nemo ad ſocios periculo eximendos reverteretur. Caſtra & tormenta impedimentaque omnia parvo labore hoſtibus ceſsêre : ita ut Vaivoda ante partam de victia agreſtibus gloriam, ac virtutis & fortitudinis opinionem, non toto vertente anno, re contra veros hoſtes malè geſtâ, obſcuraſſe aut amiſiſſe cenſeretur.

Vaivodani caſi & in fugam conjecti.

Ejus adverſæ pugnæ fama Regibus Poſonium illata, priuſquam cum Cæſare in colloquium venirent, ob dolorem amiſſorum militum, jacturamque tormentarii apparatûs, gravis moleſtaque fuit : quanquam Uladislaus ambitioni & ſuperbiæ æmuli atque obtrectatoris ſui non parum ex de re deceſſiſſe in arcano lætaretur. Fuêre nonnulli, qui Vaivodam dolo ceſſiſſe, exercitumque hoſti prodidiſſe ſuſpicarentur : quòd cum iis jam tum occulta parando regno conſilia miſcuiſſe, & Jacobum Banffium in illius tentorio duos præcipui nominis Turcas, ſplendidè veſtitos, ac nocte intempeſtâ ad colloquium admiſſos, paulò ante prælium conſpexiſſe diceret. Sed quum ipſe & nunc & poſteà regnum adeptus, id conſtantiſſimè negâſſe vulgò ſit : nos in tam ancipiti incompertaque re nihil pro certo affirmamus.

Vaivoda ſuſpectus de clandeſtinis cum hoſte conſiliis.

Soror ejus Barbara Poloniæ Regina, ac mater Adviga, quæ adhuc ſuperſtites erant, tum ob hanc improſperè tentatam expeditionem, tum ob privatæ pœnæ divinitùs, ut credi par & congruum eſt, inflictæ gravitatem, multis lachrymis ejus caſum deploravêre. Ferunt enim illum, poſt deletos agreſtes, & fuſum innoxium plurimorum ſanguinem, Euchariſtiam, dum ea à ſacrificante ſacerdote aſtantibus populis oſtenditur, mirum dictu, toto biennio videre non potuiſſe. Unde ipſum ac incomparabiles & religioſiſſimas, quas nominavi, fœminas, erogato in egenos ac Monachorum & ſacratarum Virginum Collegia magno auri pondere, obtinuiſſe aſſiduis ſuis & piorum precibus jejuniiſque, ut ſacroſancti ejus myſterii priſtinus conſpectus illi redderetur. quæ ambæ ejuſdem anni autumno non ſine magno omnium, ſed Sigiſmundi Regis imprimis ac Vaivodæ dolore è vivis exceſsêre.

Euchariſtiam tota biennio videre haud potuit.

Barbara ſoror ejus Regina Polonia, & Hedvigis mater obeunt An. 1515.

Is erat eâ tempeſtate rerum Ungaricarum ſtatus, quando Uladislaus ex Auſtria Budam ſe contulit. Nec tamen quæſitæ tanto labore affinitatis, ac ictorum foderum fructu diu lætari potuit : Octavo enim poſtquam redierat menſe eum domi otioſè morantem, ac quis in Perenii demortui locum deligendus eſſet, cunctando & procraſtinando deliberantem lentæ primùm febres, deindè acerbiores quàm unquam anteà nervorum dolores invaſerunt; poſtremò prævalentibus imbecillis ſenectæ morbis alterum & ſexageſimum ætatis annum agentem, octavo Idus Martias extinxerunt. Fuit per omnem vitam Rex maximè omnium mortalium otio & quieti addictiſſimus, ut ſuprà memoravimus, uſque adeò, ut eum cum amicis & conſiliariis de ordinanda Republica, aut rebus ſeriis vel modicum ſermonem conferre, aut aliquantiſper colloqui tæderet. Et dum vixit, tam ſui incurioſus erat, & regni negligens, ut diſciplinam militarem, majorumque ſtatuta ſuſque deque haberet,

Uladislaus Rex moritur 6. Martii Anno 1516.

Segnities, & rei militaris neglectas in Uladislao

nec procerum diſcordias ac avaritiam; potentiorumque in miſeros violenta imperia, 1516.
aliaſque tales longâ pace & otio, ejuſque præſertim nimiâ indulgentiâ enatas malorum radices extirparet, aut pleroſque eorundem recalcitrantes, debitæque obedientiæ oblitos compeſceret; ſed potiùs eis ad exercendum omne genus avaritiæ, libidinumque & rapinarum frenos laxâſſe cenſeretur. Quòd ſi rem militarem ab initio ritè colendam ſuſcepiſſet, florentibus adhuc regni viribus, & auxiliis fœderatorum accedentibus veteres limites, qui ab Adriatico mari ad Euxinum Pontum olim extendebantur, Deo benè juvante recuperari valuiſſent. Eſt quidem haud inficiandum, regnum eodem in ſtatu, quo illud à Mathia magnanimo & bellicoſo Rege acceperat, ſalvis confiniis integrum ab eo relictum : verùm tamen id neque induſtriæ, neque virtuti ejus; ſed quòd Selymus Aſiaticis bellis toto ſeptennio occupatus, ab Europæ regionibus, ac Pannonia armis invadenda abſtinuiſſet, tribuendum videtur. Hunc in modum Ludovico filio non niſi decimum ætatis annum agenti ſceptra reliquit, acciſis, vel hinc indè direptis redditibus, ac proceribus varias in partes diſſidentibus, & confuſione rerum omnium notabili. Quæ res haud multò pòſt nobiliſſimi & opulentiſſimi Principatûs perniciem & excidium acceleravêre.

Ludovicus Uladislao patri ſuccedit anno ætatis decimo.

Intereà Ludovicus juſtis funeribus parenti Albæ perſolutis Budam redit, comitantibus eum Thomâ Cardinale Strigonienſe, ac Georgio Marchione Brandeburgenſe, cui Uladislaus avunculus erat, ac Joanne Bornemiſsâ, quibus eum pater moriens tuendum educandumque commiſerat : ita ut omnes æquè à Maximiliano Cæſare novæ cognationis vinculis obſtricto, ac Sigiſmundo Rege patruo protegerentur, donec ætas Ludovici firmando imperio maturior redderetur. Aderant Legati Cæſaris & Sigiſmundi, Andreas quidem Baronius è Sicilia, à Cæſare bellis Italicis vehementer occupato miſſus, Joannes verò Laſcus, & Chriſtophorus Sidlovicius à Sigiſmundo peregrè in Lithuaniam profecto, ad eum conſolandum de obitu patris amandati. Cum quibus de ordinando regni ſtatu, ac educando Rege frequens ſenatus à tutoribus coactus fuit : nonnullis & potiſſimùm iis, qui factionem Vaivodanam per fas nefasque alendam ſuſceperant, Gubernator eligendus videbatur, veteri Huniadis exemplo, Republicâ domi foriſque adminiſtrandâ donec Rex adoleſceret.

Legati Cæſaris & Sigiſmundi ad Ludovicum.

Quibus conſiliorum ambagibus neminem alium, quàm Vaivodam tacitis votis deſignabant, cui nemo opibus ac auctoritate, nemo clientelis ac ditionibus, earumque amplitudine iis temporibus conferri poſſe videbatur. Cæteri, apud quos artes Vaivodæ regnum ambientis ſuſpectæ, & pueri Regii cura potior erat, magnum Palatinum, quem Uladislaus morte præventus nominare non potuerat, creandum cenſebant, ita ut ille domi foriſque officio ſuo, quod eſt ampliſſimum, fungeretur; verumtamen pueri tam tituli Regii prærogativa, quàm imperii ſumma poteſtas ſalvæ & integræ eſſent. Huniadianum porrò exemplum novo huic non ſatis conforme videri; propterea quòd eâ tempeſtate poſthumus infanſque Rex extra terminos

Vaivoda ad Gubernatoris munus adſpirat.

Pan-

1517.

Pannoniæ abductus in cunabulis ſervaretur; quum exadverſo Ludovicum præſentem, lætæque & generoſæ indolis ſpeciem præferentem, & brevi, Deo juvante, ad maturam frugem perventurum præ oculis quotidie haberent.

Cùm diu variis diſparibuſque ſententiis altercando tempus extraxiſſent, neque tamen ſatis convenire poſſent, quòd & legati domum properarent, nec ſe à ſuis Principibus abundè inſtructos affirmarent, quodque erat gravius, Bohemi, Moravi, & Sileſi non adeſſent, ſenatuſconſultum factum eſt, ut ea conſultatio ad frequentius concilium in campo Peſthano futurum, quo etiam Bohemi convenirent, prorogaretur. Quo adveniente, ac præcipuis Bohemorum legatis præſentibus, nobilitas armata è campo ad urbem atque arcem venit magno numero, conveniendi, ut dicebat, Regis causâ, eumque ad comitia vocandi. Sed à Paulo Tomoræo, qui arci præerat, paratis ad explodendum in turbam tormentis, tandemque ſubmotis, qui pontem inſedeſant, juſſu Bornemiſſæ ita rejecta eſt, ut complures in foſſam præcipitarentur. Cùm autem Bornemiſſa pro Rege comitiis in poſterum diem interfuturo vadem ſe & ſponſorem præſtitiſſet, acquievère.

Concilium Peſthanum.

Palatini dignitas.

Inſequenti die Rex comitiis interfuit, ac dictis per ſuffragia ſententiis ea poſtremò magna cum contentione vicit, quæ creandum Palatinum cenſuiſſet; quæ dignitas quanquam regiæ ſubjecta eſt, ei tamen proxima eſſe cenſetur. Namque interregni tempore jus indicendorum comitiorum, ac prima & potiora in creando Rege ſuffragia habet; prætereà domi inter Regem atque ſubditos (eſt enim apud Pannonios in uſu, Regem, ſi quid contra leges faciat, legibus ſubjici) juris adminiſtrandi poteſtate fungitur: foris autem & in caſtris ſummum imperium, ſummam rerum bellicarum adminiſtrationem obtinet; adeò ut ſontes punire, ac benè de Republica meritis præmia decernere, fundoſque, qui xx. aut xxx. agricolarum tuta colentium capaces ſint, jura hæreditarii nomine conferre poſſit. Præterea ſupra opima & larga ſtipendia è fiſco & ſalis fodinia dari ſolita, inſulæ etiam duæ in ora Dalmatiæ antiquitùs ei magiſtratui erant attributæ, quæ tamen ab aliquot retrò ſeculis per Venetos uſurpatæ nunc quoque detinentur.

Palatinatum ambit Vaivoda.

Aderat Vaivoda his in comitiis, & cùm Gubernatorem ſe fieri non poſſe contrariorum ſuffragiorum interceſſione, quæ factionem ejus ſuperabant, animadverteret, ad Palatinatum conſequendum tacitè contendebat. Sed quum tam Regis, quàm procerum utriuſque nationis vota ambitioni potentiæque ejus adverſari pro comperto haberet, quorum maxima pars ad Stephanum Bathorium inclinabat, nuntios ſecretò ad illum mittit, multa pollicendo, admonendoque promiſſorum, quæ armis agreſtium in ſummum adductus periculum obleſſuſque ſibi dediſſet; nempè magiſtratum nullum ſe inſcio aut inconſulto petiturum, aut oblatum accepturum; proindè ut memor eorum ſibi æquo animo cedendum exiſtimaret, hortabatur. Verùm Bathorius Cardinalis & Bornemiſſæ ſuaſu, qui diſturbandis Vaivodæ conſiliis invigilabant, breviter reſpondit, ſe eam dignitatem nec unquam ambiviſſe, neque ſi offeratur, repudiaturum, ne degeneri animo & ignavo ei ſe imparem eſſe fateretur. Quo reſponſo Vaivoda facilè intellexit, alios quoque eſſe, qui cum eo ambitione, honorumque & dignitatum aviditate ſimul & dominandi libidine haud mediocriter certandum eſſe exiſtimarent.

1517.

Sed Stephanus Bathorius ei præfertur.

Igitur Bathorius præterito Vaivodâ Palatinus declaratur uno Regis & ſenatûs nobilitatiſque conſenſu (exceptis Vaivodanæ addictis factioni, qui repulſam ægrè tolerabant) ſimulque in comitio ſacramento adigitur ad Rempublicam ſecundùm leges rectè fortiterque gerendam. Quam rem ægerrimè ferens Vaivoda, bile tumidus ac indignabundus extemplò cum ſuis domum diſceſſit. Hæ fuère cauſæ diſcordiarum & contentionum inter Vaivodam & Bathorium, ac maximarum ærumnarum noſtrarum initia, quibus tandem effectum eſt, ut regnum Ungariæ pace & concordiâ diſturbatâ miſerabilem in modum quaſſatum ac dilaceratum penèque everſum videatur.

Unde diſſidia & Hungariæ ruina.

Ludovici præclara indoles

Ludovicus intereà, quantum per ætatem licebat, præceptis inſtitutiſque Bornemiſſæ informatus, ſeriis & gravibus de Republica conſiliis ſeſe immiſcere, ſupplicum libellorum expeditioni vacare, miſeros & calamitoſos ſublevare, clementiæ & liberalitatis indicia præbere, pietati & religioni imprimis ſtudere. Et ſanè evaſurus in optimum Regem foret, niſi à Georgio Marchione Brandeburgenſe conſanguineo, & uno è tutoribus à ſeriis & bonis principiis ad vana & ludicra importunè avocatus abſtractuſque fuiſſet. Ille enim propinquitate ſibi juncti Regis teneram ætatem non ad jucunda duntaxat venationis aucupiique exercitia utique ſuis temporibus viro principi concedenda: ſed etiam ad eas, quibus ipſe aſſueverat, compotationes & ſaltationes, ac hiſtrionum & ludionum vanitates exercendas, ſymphoniacorumque ac cytharædorum concentus, aliaſque ejuſmodi vitioſas voluptatum illecebras, quibus pueriles animi capi & ineſcari ſolent, magno ejus & Reipublicæ incommodo tranſverſam agebat; ita ut ille ejuſmodi delitiis imbutus, ſæpenumero curas graviores & munia Reipublicæ aliis adminiſtranda delegaret, gementibus Cardinale & Bornemiſſâ, aliiſque bonis, qui pupilli Regis corruptos mores, perdendæ Reipublicæ inſtrumenta fore providebant.

à Georgio Marchione Brandeburg. depravata.

Legati Hungarici ad Bohemos de actis in concilio Peſthano.

Eodem tempore mittuntur in Bohemiam Ladiſlaus Salcanus Epiſcopus Vacienſis, nec non Blaſius è Raſca, Tavernicorum, quos vocant, Magiſter (cujus magiſtratus officio liberarum civitatum juriſdictio, ſalvâ ad Regem appellatione concredita eſt) qui Bohemos de his, quæ in comitiis Peſthanis de creando Palatino ac regia poteſtate Ludovico permiſſa acta fuère, edoceant; horienturque ut ſimili promptitudine ipſi idem faciant, & Ludovicum anteà ab ipſis ritè electum, coronâque inſignitum Regem debitâ fide amplectantur, ac poſitis inteſtinis diſcordiis mutuâ pace & tranquillitate fruantur; tum verò etiam, ut æs alienum ab Uladiſlao ad Reipublicæ neceſſitates evitandas contractum, ne illud in immenſum accreſcat, fœneratoribus diſſolvendum decernant. Illos verò, qui latrocinia exercendo, rapinis & cædibus tam Moraviam, quàm Ungariam infeſtam redderent, vel ad officium reducant, vel omninò extermineut. Si autem tantas vires non habeant, Ludovi-

Tavernicorum officium quale.

1519. cum eis auxilia miſſurum: jamque habere in mandatis Epiſcopum Nitrienſem, & Ladiſlaum Orſagum, Michaëlem Podmanicium, Chriſtophorum Comitem Bozinienſem, ut à Bohemis & Moravis admoniti cum ſuis copiis ſine mora concurrant.

Summa rerum delata Ludovico Regi à Bohemis.

Bohemi quamquam Regis ætatem adminiſtrando regno imparem judicarent, ne tamen fide & promptitudine Ungarorum ſtudiis inferiores eſſent, ſe liberam, nec ullis gubernatoriis legibus circumſcriptam ſummæ poteſtatis adminiſtrationem ei detulerunt; eâ adjectâ conditione, ut primo quoque tempore in Bohemiam veniret, & iſthic convocatis regni ordinibus denuò ſe juramento ad ſervandas leges libertatesque eorum obſtringeret. De exſolvendis paternis debitis daturos ſe operam, ut ea quoque in parte deſiderio ejus ſatisfaciant; ſed id tamen fieri, niſi præſente Rege rationibusque coràm ſubductis nequaquam poſſe. Conaturos porrò ipſos, ne intra ejus adventum aliqui inteſtini ſeditioſique motus oriantur, aut ſi qui exorti eſſent, mox ſopiti componantur. Quod ad quoſdam, qui vias obſiderent, latrociniisque in obvios paſſim graſſarentur, attineret, auxiliis externis non eſſe opus: ſe enim illis compeſcendis ita jam anteà proſpexiſſe, ut quum vagos & latibula captantes per vias & compita ſilvasque perſequi difficillimum fuiſſet, eorum domicilia & receptacula, arcesque numero quinque diruiſſent, latronesque ipſos partim è medio ſuſtuliſſent, partim exilio mulctâſſent.

Maximilianus Imp. obiit An. 1519 12. Jan.

Dum hæc in Ungaria Bohemiaque aguntur, Maximilianus rigidâ & nivosâ hieme ex Italia Oenipontem venit, indè Viennam petiturus. Sed quum in itinere ad oppidum Auſtriæ ſuperioris Welſium perveniſſet, in morbum incidit; & non multis, poſtquam ægrotare cepiſſet, diebus, initio anni menſeque Januario è vivis migravit, vir omnibus belli pacisque artibus præſtantiſſimus.

Albertus Cardin. Moguntinus Ludovicum ad comitia Regis Rom. creando dicta vocat.

Ejus obitum quum complures certiſſimi nuntii ad Ludovicum pertuliſſent, poſtremò ex literis Cardinalis Alberti Archiepiſcopi Moguntini, cujus in convocandis Romani Imperii Electoribus, & creando Cæſare ſumma auctoritas eſt, certiùs cognovit; quibus literis Maximilianum ab hac luce deceſſiſſe ſignificabat, ac eum, veluti Bohemiæ Regem, unum ex ſeptemviris Electoribus ad Calendas Junias Francofurtum Germaniæ urbem ad Mœnum flumen ſitam vocabat, ut cum ipſo reliquiſque collegis de eligendo Cæſare conſilia & vota ſociaret, aut ſi propter arduas cauſas id fieri nequeat, legatum cum plena poteſtate mittat.

Ladiſlaus Sterenberg. à Ludovico ad comitia mittitur.

Ludovicus domeſticis curis impeditus, & nondum ad tantas res tractandas firmâ ætate, legatum eò miſit Ladiſlaum Sterenbergum, ſuum in Bohemia Cancellarium, cum mandatis, ut ſuo nomine Carolum Auſtrium Hiſpaniæ Regem, Mariæ ſponſæ ſuæ fratrem, ac Maximiliani è filio Philippo nepotem Cæſarem eligendum proponeret, cui ſumptus ex ærario Bohemico dati.

Habebat Carolus competitorem Franciſcum Galliæ Regem, qui auro præbito quorundam ex ſeptemviris animos ſibi conciliaverat; ſed adnitentibus Moguntino, ac Friderico Saxoniæ Duce, ipſiusque Luduvici legato, Carolus decem & novem annorum juvenis, Imperator eſt ſalutatus; qui poſteà

Carolus V. electus.

cæteros ante eum multis ætatibus ſceptris potitos, fortitudine ac rerum pace belloque præclarè geſtarum gloriâ longo intervallo ſuperâſſe, aut certè æquâſſe viſus eſt. 1519. Cujus repulſæ & irriti conatûs dolore Franciſcus cauſas altè concepti in Carolum odii arripuit, illumque graviſſimis bellorum procellis exagitandum ſuſcepit, Carolo adversùs eum egregiè ſe defendente. Quòd ſi duo ii Principes, omnium noſtræ ætatis maximi ac bellicoſiſſimi, eas vires, eos exercitus, quibus inter ſe dimicando civilia arma impotenter exercuerunt, contra veros Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes Turcas unanimi voto convertiſſent, facilè eos non Byzantio ſolùm, ſed totius Europæ atque Aſiæ finibus ejicere atque exturbare potuiſſent.

29. Julii Barnabas Belaij legatus reditus Conſtantinopoli.

Ejuſdem anni ætate jam adultâ Barnabas Belaius, quem ſuperioribus annis ab Uladiſlao ad Pajazetem induciarum componendarum causâ miſſum eſſe docuimus, ambobus illis Principibus demortuis, menſe Julio ad Ludovicum reverſus eſt. Erat is Severini oppidi, quod eſt ad Danubium in finibus Valachiæ Montanæ ſitum, præfectus, quo in loco pontis à Trajano Imperatore admirabili opere conſtructi veſtigia quædam adhuc ſupereſſe dicuntur; inciderarque ejus adventus Conſtantinopolim in illud tempus, quo Selymus, patre Pajazete nefariè è medio ſublato, imperium per ſcelus & nefas occupaverat, ac adversùs fratres parricidale bellum gerendum ſuſceperat. Et initio ſanè ſe priùs de concedendis induciis deliberare non poſſe reſponderat, quàm videret, quònam ſe belli fortuna inclinaret. Sequeretur igitur caſtra, & tum demum dijudicante Marte cogniturum, à quonam illæ petendæ forent. Partâ verò etiam victoriâ nequaquam tamen illum dimittere voluit, donec domitis & interfectis duobus Sultanis Ægyptum & Syriam imperio ſuo adjeciſſet. Quibus in bellis & prœliis ferè omnibus illum ſecum circumtulit: & poſtremò memorabili etiam illi pugnæ intereſuit, quâ Memphim urbem expugnavit, atque adeò Mammalucorum nomen internecione delevit.

Alkairum.

Deinde ſeptennio ferè exacto, eum honorificè ac lautè ſemper habitum, conceſſis octennalibus induciis remiſit: in quibus præter Pannonios, Veneti, Rex Poloniæ, Cæſar, cæterique Principes Chriſtiani comprehendebantur; ſolis exceptis equitibus Rhodiis, in quos jam tum haud obſcurè bellum moliebatur.

Dimiſſus à Selymo cum octennalibus induciis.

Sed priùs quàm illud inferre potuiſſet, menſe Septembri ejus anni, dimidio nimirum anno poſt dimiſſum Barnabam, in oppido Thraciæ Civilio peſtilentem in morbum incidit, & nec quicquam proficientibus medicis extinctus eſt; tali Dei Optimi Maximi judicio, ut quanquam homo vanæ & Mahometanæ ſtirpis ſuperſtitionisque eſſet, quo loco cum patre paucos ante annos nefariis armis conflixiſſet, ibidem repentè moriens impietatis & ſceleris meritas pœnas daret.

Selymi mors 1519.

Barnabas in Ludovici aula deinde multis annis clarus, omnibusque gratus vitam tranſegit, multaque ei & Proceribus aulæ de Turcarum atque Mammalucorum ſeu Circaſſorum (utroque enim nomine appellabantur) rebus & moribus, qui anteà apud eos erant obſcuriores, fœcunditateque Ægypti ſoli, & Nili incrementis, atque aliis talibus narrare ſole-

1519. ſolebat; quem quidem Danubio majorem eſſe, aut latiori alveo, pluribúsque quàm Danubium oſtiis decurrere, & mari miſceri, conſtanter negabat.

Solimanus Selymo ſuccedit.

Succeſſit Selymo unicus filius ex Præcopire Tartari Principis Alpii Sulthani filia genitus Solimanus, XX. circiter annorum ætate, quem Amaſiæ in Cappadocia pater educandum curaverat; ita ut eodem ferè tempore & menſe Conſtantinopolim triremibus advectus imperare cœperit, quo Carolus Aquiſgrani primâ, ob idque ferreâ Romani Imperii coronâ inſignitus fuerat; eratque fama Solimanum militari diſciplinâ, bellicisque rebus patri diſſimillimum futurum, quòd literis potiùs & Philoſophorum placitis, quàm militaribus exercitiis juvenilem ætatem agitaſſet. Verùm ea opinio ſive per Rhodios equites, ſive per Venetos mercatores temerè in vulgum ſparſa quàm à vero aliena fuerit, res ab illo geſtæ, ac memorabiles de nobis terrâ marique partæ victoriæ abundè declararunt.

Hungarorum adverſa in Boſnenſi regno fortuna An. 1520.

Inſequens annus initium belli attulit, turbatis in regno Boſnæ rebus: quod regnum majorum noſtrorum temporibus, deficiente Thomæ Regis ſtirpe, ac Stephano Mreſicio, à Mahomete Turcarum principe, cute detractâ interfecto, ad Regum Ungariæ ditionem redactum erat: hactenus enim abſente in Aſia Selymo Rex & Proceres, futurorum immemores, ac induciis confiſi arces finitimas, & quæ tuendo regno erant neceſſaria, neglectui habebant. Erat Srebernicum in Boſna

Srebernicum à Turcis captum.

versùs Thraciæ & Bulgariæ fines circa Savum flumen ſitum, auri atque argenti fodinis clarum & celebre oppidum, à quibus etiam nomen ducit, quod à Sigiſmundi Imperatoris temporibus præſidio militari Ungarico cuſtoditum fuit; hoc autem tempore incuriâ præfecti Thomæ Mathuſnaii in Turcarum manus incidit. Quum enim is præfecturam ejus, & duarum quæ erant in vicinia arcium Teſſenii & Socolii haberet, nec integrum numerum præſidiariorum militum ſervaret, commeatusque convehendi nullam curam habuiſſet, & quod erat gravius, injuſſu Regis ac Palatini relictis in ſumma rerum omnium confuſione militibus in Ungariam profectus fuiſſet, Balibegus Turca, de quo ſuprà retulimus, Samandriæ, & Muſtaphas Varboſaniæ præfecti, re intellectâ, communicatisque ſecretò conſiliis, cum valida manu equitum & peditum Srebernicum noctu aggrediuntur; rati ſe appoſitis ſcalis primo impetu eo potituros. Sed quum pauci, qui locum tuebantur, acerrimè repugnarent, obſidione arcem cingere inceperunt, omni ope conati, ne cui egredi, aut commeatum importare liceret; quumque noſtri hoc modo circumvallati per decem dies famem & inediam tolerasſent, neque ſpes ulla auxiliorum deficientibus omnibus alimentis ſupereſſet, acceptâ à Turcis incolumitatis fide ſeſe dediderunt; quibus ea more Turcarum ſervata eſt: quum omnes contra fas fidemque extemplo trucidati eſſent, nemine conſervato, niſi quos fortè puerilis ætas, aut formæ præſtantia commendaſſet.

Tiſſenii & Socolia arces ab Hungaris deſerta, & à Turcis invaſa.

Teſſenienſes & Socoliani intellectâ Srebernicenſium fortuna, quòd & pauciſſimi eſſent, neque modum defendendi ſui ullum haberent, incenſis arcibus fugâ ſibi conſuluêre. Sed obſidentibus vias Turcis atque indigenis, qui magna ex parte ad Turcas defecerant, pauci in tutum evadere potuerunt: ſicque eæ arces à centum & ampliùs annis per noſtros defenſæ, ſupinâ præfecti incuriâ periêre. Ludovicus ob eas amiſſas Thomam exilio mulctavit, bonaque ejus fiſco addixit, ex quorum numero arcem Niunam, quæ in provincia Valcovariana eſt, Stephano Queſerio juniori, Michaëlis Epiſcopi Boſnenſis fratri germano donavit.

Turcæ, occupato facili labore Srebernico, tam æquâ & propitiâ fortunâ ampliùs utendum rati, Jaiciam quoque ſimili fraude circumveniendam, aut ſi arx præalto in monte ſita intercipi non poſſet, oppidum tamen conſcenſis per ſcalas mœnibus ex improviſo diripiendum decreverunt. Præerat Jaiciæ Petrus Que-

Turcæ Jaiciam infelice ſucceſſu tentant.

glevitius, vir acerrimus & militaris, qui clade Derencſeniana acceptis illatiſque vulneribus elapſus, poſteà eum locum cum CC. equitibus, ac paulò ampliori numero peditum tuendum ſuſceperat. Cùm is Varboſaniæ (eſt oppidum ſatis amplum in ea Boſnæ parte, quam indigenæ Hercegovinam, alii ducatum ſancti Savæ vocant) ſcalas complures fieri ab exploratoribus cognoviſſet, hoſtiles inſidias veritus, ſuos in omnes occaſiones paratos eſſe, ac equos continuè ſtratos eſſe jubet, excubias duplicat, ac mœnia, quæ erant humiliora, ſelectis ex ordine peditum manipularis, cuſtodienda attribuit. Cùm Turcæ per montes & ſilvas in vallem quandam haud procul ab oppido perveniſſent, noctem ibi tranſigere voluêre, ut poſteà quod in animo ſtatuerant, ante auroram aggrederentur. Non potuêre tamen rem tanto tegere ſilentio, quin exploratoribus Petri, quos identidem ad perluſtranda inſidiarum loca mittebat, dolus innoteſceret: à quibus re intellecta, centum equites tenebris tectos, duce Blaſio Cherio Ungaro, legato ſuo exire, & ultra vallem ab hoſtibus inſeſſam ſilentio conſiſtere, ac cum ipſe ſignum exploſo tormento dediſſet, hoſtes à tergo adoriri jubet. Ipſe verò in hoſtes pari aſtu utendum ratus, paulò ante diei crepuſculum complures mulieres & puellas ex urbe emittit, eaſque, quia fortè dies feſtus erat, choros ducere, ac intentâ voce canere præcipit, admonitas, ne quid timeant, poſtquam ipſe eis tempeſtivè ſubſidio eſſet venturus. Turcæ mulieres ab oppido procul diſceſſiſſe, ideóque inſidiis opportuniores conſpicati, mutato oppidi adoriundi conſilio, relictiſque ſcalis in eas rapiendas irruunt. Mox Queglevitius ex urbe provolans, à fronte; equites verò, quos noctu ultra vallem in inſidiis collocatos diximus, à tergo circumfuſi eos inopinato & repentino terrore perculſos, conſiliique inopes ita profligavêre, cæſis aut captis ferè omnibus, ut pauci, qui rem malè geſtam domi ſuis nuntiarent, ſuperfuiſſe viderentur.

Sub finem ejuſdem anni Turcæ limitanei, qui in præſidiis locorum Boſnæ agitabant, ſeu novo Principi Solimano operam navare cupidi, ſeu ſolita proferendorum finium libidine, in oppidum Tininium excurſionem fecêre ad-

Tininiū oppidum Turcæ diripiunt & exurunt.

modum cruentam, illudque nocturno tempore adorti, quòd à paucis defenderetur, non magno labore ceperunt, cæſiſque incolis, vel in ſervitutem abductis, direptoque & incenſo oppido, nemine obſiſtente, incolumes receſſerunt. Eſt Tininium ſedes Epiſcopi ad Titum fluvium, molis verſandis idoneum, adjacens,

1520. jacens, qui ex montibus illis propinquis ortum ducens, & ab indigenis Dalmatis hoc tempore Querca appellatos, non procul ab urbe Sibenico in Adriaticum mare provolvitur. Nec hoſtea tot tanniſque, & tam peſſimis facinoribus contenti, Pethium, quod Gregorii Orloucii caſtrum opportuno loco ſitum erat, ſimili fraude occuparunt; quòd & illud ut cætera omnia negligentiùs cuſtodiretur, eique militare præſidium impoſuerunt. Cùm autem Petrus Berislaus Epiſcopus Veſprimienſis, & Illyrici totius præfectus contracto ſat valido militum numero, ulterioribus hoſtium conatibus reſiſtere, & amiſſa recuperare contenderet, in itinere apud amnem Coreniciam in inſidias præcipitatus atque interfectus fuit.

Item Pethium Caſtrum.

Cædes Petri Berislai 1520.

Quibus rebus contra inducias patratis, territus Ludovicus, & quòd per certos exploratores Solimanum magnos bellicos apparatus terra marique facere, claſſem comparare, armamentaria reficere comperiiſſet, & certam conſtantemque famam ſpargi, illum vel ſibi & Pannoniis, vel equitibus Rhodiis arma inferre conſtituiſſe, Legatum ad Leonem X. Pontificem miſit Stephanum Verbecium, regni Prætorem, de quo ſuperiùs memoravi. Is cùm in urbem veniſſet, Leonem, audito Selymi atrociſſimi hoſtis obitu, ſacrum in Turcas bellum apud Chriſtianos Principes per literas & legatos ſponte urgentem, & ipſum votis & ſupplicationibus uſque adeò intentum reperit, ut è Vaticano ad Sanctæ Mariæ, quam Majorem vocant, ædem diſcalceatus, nudiſque pedibus proceſſerit, Deum Optimum Maximum fuſis precibus & lachrymis orando, ut revocatâ animis Chriſtianorum Principum priſtinâ concordia & pietate, eos ad inferenda arma Turcis veteris hoſtibus concitaret. Hinc captâ occaſione Verbecius apud Pontificem totis viribus contendit, ne Ludovico ac Ungaria periclitantibus deeſſe vellet. Sed cum non diu Romæ detentum Leo remiſit, & ſe cauſæ publicæ juvandæ minimè defuturum reſpondit; brevique miſſurum legatum, à quo Ludovicus mentem & voluntatem ſuam in eum valdè propenſam, & planè paternam intellecturus ſit; ſimul & auxilia, quæ in præſens fieri poſſent, accepturus.

Ludovicus Verbecium ad Leonem X. legatum mittit,

ut Hungariæ periclitanti adſit.

Cur autem Verbecium in urbem mittendum, & tantæ legationis munere Vaivodanam factionem, cujus ille caput erat, extollendam atque augendam cenſuerit, non reperio, quòd id à nemine traditum ſit; & ſatis mirari nequeo, niſi quòd quoſdam è majoribus dicere meminerim, illum inopiâ ærarii regii adductum, eam legationem propriis ſumptibus ſubiturum obtuliſſe, ut eâ prompti animi declaratione Regi ſe inſinuare, & conſilia ac ſtudia ſua blandiendo atque adulando magis occultare poſſet. Nec multò pòſt venit Budam à Leone miſſus Thomas Vius Cardinalis ſancti Sixti Cajetanus dictus, certum auxi pondus adferens, ac nomine Pontificis Ludovicum exhortans, ut Turcas, ſublato formidabili hoſte Selymo, languidiores redditos è propinquo armis aggrederetur; effecturum ſe, ut cæteri quòque Principes Chriſtiani, ſociatis terrâ marique viribus, idem faciant. Cardinalem in Ungariam profectum ſequutus fuit Thomas Nadaſdius honeſtâ nobilique familiâ juvenis, eo animi propoſito, ut interpretis munere fungeretur, qui paulò antè bonarum literarum addiſcendarum cauſa Romam venerat, & poſteà in patria Pannonia ad ſummos honores & dignitatem Palatinalem conſcendit. 1520.

Thomas à Vio Cajetanus Budam ad Regē venit.

Dum Ludovicus virium ſuarum haud ignarus, de his rebus conſilia agitat, ſupervenit Solimani internuntius Berhamus Chauſius, ut Turcæ nominant, cum honeſto ſuorum comitatu, & literis, quibus ſe patri ad beatorum ſedes translato (ſic enim ſcribebat) Dei nutu ſucceſſiſſe, & inducias cum eo initas obſervare decreviſſe ſignificabat, dummodo idem ex parte Ludovici fieri videat; hortarique eum fraternè, ut mutuam pacem tam per ſe, quàm per ſuos ſervandam colendamque jubeat. Quæ quidem legatio quanquam prætextu induciarum miſſa eſſe videbatur, re tamen verâ haud obſcurè illud quærebatur, ut Ludovici conſilia, ac rerum Ungaricarum ſtatum faciliùs ſcrutari, ac ſi quæ auxilia à reliquis Principibus, & potiſſimùm à Carolo Cæſare expectarentur, diligentiùs explorare poſſet.

Turcici legati vel exploratoris Budam adventus.

Inducias ſubdolè petit:

Suadebat Poloniæ Rex Sigiſmundus oratoribus Ludovici Petricovium ad comitia miſſis, ut Ludovicus non inhærendo pollicitis aliorum, maturè rebus ſuis proſpiceret, curaretque factis induciis, ut tyrannus ille furorem ſuum aliò converteret, aut in ſe converſum ipſe propulſare poſſet; ſe opem adferre nullam poſſe, quòd cum eodem tyranno pacem pepigiſſet, quam integrâ fide violare non liceret. Itaque Ludovicus Cajetano ad ſe vocato per Thomam Cardinalem Strigonienſem reſpondit, Turcas, quàmvis inducias offerant, tamen perinde eſſe, ſive ipſe bellum adverſùs illos moveat, ſive in otio & quiete degat, poſtquam certiſſimum ſit copias Aſiaticas per Helleſpontum in Europam tranſire, ut brevì ad obſidionem Tauruni ſive Albæ Græcæ cum reliquo exercitu adducantur, ita ut ſibi vel invito tuendi ſui cauſa arma ſint ſumenda: petere autem à ſummo Pontifice vehementer, ut ſe & regnum ſuum tanto diſcrimini expoſitum, copiis, armis, pecuniâ juvare, & Cæſarem ac alios Principes ad conferenda auxilia incitare velit; ne eo propugnaculo amiſſo, nobiliſſimi regni pernicies & ſupremum excidium ſequatur: & ex eo cæteræ quoque provinciæ Chriſtianæ Reipublicæ perfidi & truculenti hoſtis rabiem & vaſtitatem perſentiant, & ſerò jacturam religionis ac ſacrorum deplorent.

quas ut amplectatur Ludovicus, Sigiſmundus auctor eſt

Quo reſponſo Cardinalis à Rege & Cardinale Strigonienſi, cæteriſque Optimatibus mirificè excultus, muneribuſque donatus Romam reverſus eſt. Cajetano modicis itineribus Romam repetente, & ad Ludovicum de incredibili Turcarum apparatu crebrioribus nuntiis adcurrentibus, Thomas Bacocius Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis annis ſenioque confectus moritur: ita ut ingentibus, quæ mox ſubſequutæ ſunt, malorum procellis & cladibus ſubtractus, ad tranquillum quietis portum tempeſtivè migraſſe cenſeatur. Prodierat quidem ex humili loco apud Erdodium oppidum Bertoldi Dragffii ditionis, ſed qui induſtriâ ac laboribus aſſiduis, obſequiiſque regnanti Mathiæ charus, atque ab eo Jaurienſi Sacerdotio donatus: deinde Uladiſlao omnium conſiliorum particeps & arbiter, Ludovicique filii curator, maximis accumulatis divitiis in amicitiam Veneti Senatûs, ejuſque demum ac Uladiſlai commendatione ad Cardinalatûs faſtigium pervenerit, & propinquis ſuis com-

Cardin. Cajetanus diſcedit.

Thomas Bacocius Cardinalis Strigonienſis moritur.

Tenuis ejus origo,

& fortunarum acceſſiones.

1521. complures arces, amplamque ditionem comparaveverit: quos etiamnum inter Pannoniæ proceres opibus & dignitate conſpicuus florere videmus. Adeptus eſt poſt ejus mortem ex Ludovici liberalitate ampliſſimum Strigonienſe Sacerdotium Georgius Sacmarius, antè Cancellarius, vir gravis & doctus, & prudentiâ ſingulari.

Georgius Sacmarius Strigonienſ. Archiepiſcopatū obtinet.

Eodem anno Sigiſmundus patruus auctor Ludovico fuit, ne Mariam ſponſam matrimonii jure domum ducere, ſororemque Annam Ferdinando Auſtriæ Principi, cui ex duobus fratribus ea obvenerat, celebratis nuptiis reddere cunctaretur. Idipſum Bornemiſſæ & Senatoribus Ungaricis vehementer probabatur, qui illum ab otioſis & inanibus voluptatibus ad Rempublicam ſeriò adminiſtrandam revocare contendebant, idque ductâ ab eo conjuge, ſe haud ægrè conſequuturos arbitrabantur. Re itaque ad Ferdinandum delatâ, atque ab eo approbatâ, utraque virgo Lincium menſe Junio adducta, & ambarum nuptiæ honorifico quidem lautoque apparatu, ita ut nec ſpectaculorum varietas, nec equeſtres ludi, nec alia lætitiæ ſigna defuerint; ſed non planè regio pompoſoque, pro temporis turbulenta conditione, apparatu peractæ fuère, propterea quòd jam tum Solimannus cum ingentibus copiis ad obſidendam Nandoralbam adventare, nec procul abeſſe nunciaretur. Ferdinandus Lincii per aliquot dies cum Anna ſua ſubſtitit, continuatis varii generis hilaritatibus; Ludovicus verò Mariam conjugem ſecundo Danubio Poſonium uſque deducendam curavit, eò uſque obviàm progreſſus, cumque Poſonio diſcedens, terreſtri itinere ad Villam Sarvam die Veneris divertiſſet, quo die Chriſtiani carnibus abſtinere ſolent, ab Ambroſio Sarcano lauto convivio exceptus eſt, admirante Reginâ plurimos varii generis piſces, & imprimis marinos illos cetaceoſque ab Euxino Ponto in Danubium commeare ſolitos, qui vulgari nomine Uſones appellantur, ac deinde per mediam inſulam, quam Danubius in multiplices prægrandeſque alveos à Poſonio ad Jaurinum uſque & Comaronium diffuſus, ibique Vagum flumen in ſe recipiens, maximam & latiſſimam efficit, in qua CCLVII. pagi habentur, Budam contendit. 1521.

Ferdinandi & Ludovici Regum nuptiæ cum Anna & Maria Reginis.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER VII.

Vellem ut præpotentis quondam fortiſſimæque gentis res geſtas, & varias earum viciſſitudines literarum monumentis tradenti jucundiora argumenta ſuppeterent; partæ nimirum inſignes de barbaris victoriæ, finium dilatationes, provinciæ adjectæ, & alia quæ tam mihi molliendo labori, quàm legentibus oblectamento forent; verùm contraria omnia & improſpera fatigant animum, velut in parte malorum verſantem, ac lachrymas & commiſerationem eliciunt continuatæ clades, crebræ & funeſtæ urbium populorumque vaſtationes, fuſi & fugati exercitus, ac poſtremò miſerabilis innocentiſſimi Regis in acie cæſi interitus. Quæ dura adverſæ fortunæ tela Deus Optimus Maximus ſcelerum acerrimus vindex uſque adeò iratus in nos ſui ublitos exercet, ut jam ſpoliati veteri gloriâ, ſimul & libertate, perpetuo in ſqualore volutemur, nullâ ſecuritatis ſpe, ſed magnâ divinæ ultionis urgente pœnâ. Verùm iſtiuſmodi querelæ etiamſi veræ neceſſariæque ſint; quia tamen ſeræ admodum, ideóque inefficaces videri poſſint: nos eò, quò inſtituti noſtri ratio poſtulat, progrediamur.

Iiſdem ferè diebus, quibus Ludovicus abductâ ſponsâ reverſus eſt, & ingentes à Solimanno armorum apparatus ad obſidendam Nandoralbam fieri nunciabantur; duo erant præfecti, quibus tuendæ ejus urbis munus delatum erat, Emericus Enningius cognomento Turcus, & Franciſcus Hedervarius; quorum ille egregiâ laude adminiſtratâ provinciâ ante aliquot dies è vivis exceſſerat, relicto filio juvene Valentino; hic verò certis de cauſis, & incertum an non imminentis obſidionis metu perculſus, à Rege ſucceſſorem ſibi mitti poſtulaverat, nec tamen eo expectato domum ſe receperat. Cùm autem Ludovicus Andream Bathorium Comitem Zaemarienſem, Stephani Palatini patruum, qui præfecturam tam celebris loci obiret, commeatumque & futuræ obſidioni neceſſaria compararet, præſidia augeret, muros & propugnacula reſtauraret, iſthuc miſiſſet, ſummâ contumaciâ non obſcuræ perfidiæ proximâ à Valentino & Hedervario non fuit admiſſus; idque ſuaſu Blaſii Sulyocci: cujus veluti propinqui conſiliatio utebantur; quòd dicerent Emerico Enningio Valentini patri, atque adeò ipſi etiam Hedervario in ſtipendia non contemnendam pecuniam ab Rege deberi; ita ut Vir clariſſimus, re infecta indignabundus reverti ſit coactus; & neque illi contumelioſi mandatorum regiorum contemptores ullam defendendæ urbis curam ſuſcepère, & alios eam ſubire paratos nefariis conſiliis avertère. Quæ res procul dubio excidium urbis longè clariſſimæ ante omnia maturavit.

Solimannus ad Nandoralbam obſidendam ſe accingit 1521.

Andreas Bathorius à Turco & Hedervario Nandoralba excluditur.

Adminiſtrabant præfecturæ munus duo illorum legati, Blaſco nempè Olahus, ac Michaël Moræua, homo facinoroſus, obſcuri, & non multò antè gregarii nominis & conditionis viri; quorum hic poſteà ad Solimannum nefariè transfugiſſe fertur, ac in ejus locum conſenſu militum Joannes Morgajus ſucceſſit: in arce autem Joannes Bothus è Bainana familia oriundus rea curabat. Hi crebrioribus nuntiis & literis opem à Rege, ac pecuniam & tormenta cum pilis & pulvere ſulphureo, quòd ea ſuperioribus annis à Joanne Zapoliano,

1521. liano, præfecto Tranſilvaniæ, in Sarnonis ſive Cavallæ obſidione amiſſa eſſent, imprimis poſtulabant. Et pecunia quidem in ſtipendium miſſa fuit; tormentaque curulia, & pulveris ſulphurei complures cadi cum pilis, ligonibus, batillis, ſecuribus, cæteriſque ejuſmodi inſtrumentis navibus impoſita; ſed ea omnia tam lentè adminiſtrabantur, ut dum nautæ & remiges conquiruntur, dum trierarchis, qui ſecuritatis cauſâ adhibebantur, pecunia procraſtinando perſolvitur, dum alia ex aliis impedimenta ſuperveniunt, expediendarum navium occaſio maximo Reipublicæ detrimento prætermiſſa eſt: cujus quidem exitialis negligentiæ crimen Emericum Fortunatum, divitem hominem, qui è Judæo non ita pridem Chriſtianus factus, ærarii præfecturam poſt Joannem Bornemiſſam gerebat, vehementer gravavit: ejuſque criminis ille poſteà meritas pœnas quanquam ſeras dedit.

Lentè in rebus ſuſtinendæ obſidionis neceſſariis expeditum.

Hac in perturbatione & confuſione erant res Nandoralbæ, quum Solimanum relictâ Hadrianopoli, quò exercitum ex omnibus locis convenire juſſerat, vigeſimus quintis caſtris Samandriam appuliſſe allatum eſt. Aſt Ludovicus conſiliis ſuorum adductus, Berhamum Chauſium legatum Solimani, quem induciarum prætextu ad explorandas ejus vires ſuperiori anno veniſſe diximus, ad arcem Tatam perductum, cum univerſo comitatu clam interfici, ac in prægrandem piſcinam, quæ à parte orientali arcis mœnia alluit, ne veſtigia cædis extarent, projici juſſit. Ad omnes autem provincias regni ſeu regiones mandata dedit, ut omiſsâ omni mora, majori quò poſſint militum numero Tolnam ſub ſignis conveniant: quod eſt oppidum frequens & clarum ad Danubii ripam infra Quinqueeccleſias poſitum. Ad quem locum ipſe quoque ſuppetias Nandoralbæ allaturus propediem venturus ſit. Sed homines Reipublicæ & patriæ immemores, potiùs avaritiæ & ſolitæ cunctationis ac deſidiæ morbo obnoxii, adeò negligenter ea exequuti ſunt, ut pauci admodum ex iis, qui in propinquo habitabant, obtemperarent: quum tamen eo tempore ex Pannonia ſola LX. amplius millia armatorum facilè convenire, & in aciem produci potuiſſent.

Berhamus legatus Solimani clam è medio tollitur.

Situm eſt Taurunum, ſeu ut à noſtris nunc appellatur, Nandoralba aut Belgradum ad Savi & Danubii confluentem, in ea Thraciæ regione, quæ ab illis Covinum vocatur, dirutum quidem olim ab Ungaris, quo tempore cum Græcis & Thracibus, ac Bulgaris frequenter pro eo dimicatum eſt; ſed poſteà à Stephano Nemania, Boſnæ Rege, ac Thraciæ Deſpote, cognomento Bano, Ludovici primi Regis Ungariæ ſocero reſtauratum fuit. Sigiſmundus deinum Imperator, ejuſdem Ludovici gener, opportunitate loci & ſitûs allectus, factâ cum Georgio Deſpote, Nemaniæ ſucceſſore permutatione, & traditis illi ampliſſimis in Pannonia ditionibus, illud regno ſuo Pannonico addixit. Habet in eo confluente, velut in extremo promuntorii angulo urbem antiquæ ſtructuræ, multis turribus & duplici muro munitam, quæ duabus ex partibus, iis, quos dixi, fluviis alluitur; arcem verò, quâ terræ jungitur edito in colle excelſis turribus, quadrato è lapide conſtructis, iiſque compluribus ſatìs firmam; quarum quæ præcipuæ ac munitiores erant, altera Neboiſa, quæ vox intrepidam

Belgradi deſcriptio

ſignificat, altera à milio, quòd ibi magna copia ad varios uſus recondi ſoleat, Miliaria vocabatur. Suburbia autem etiam hodie longè lateque panduntur, ut vel illa duntaxat ſpeciem maximæ cujuſdam urbis referre videantur. 1521.

Solimanus è caſtris Samandrianis Pyrrhum Purpuratorum Principem cum valida copiarum parte præmittendum duxit, qui ſitum loci contemplaretur, ac tormentis idoneo in loco collocatis urbi oppugnandæ initium daret; Achomatem autem alterum Purpuratum cum equitatu Macedonico & copiis, quæ Magiſtro equitum Græciæ ſubſunt, quem illi Beglerbegum vocare ſolent, ad oppugnandum Sabacium ire juſſit, traditis ei aliquot mediocribus colubrinis, quòd illud à paucis præſidiariis cuſtodiri intellexiſſet; eo propoſito, ut præcluſis omnibus aditibus nemo illinc Taurunum deſcendere, nemo ſecundo amne Savo commeatum, aut res neceſſarias importare poſſet. Ipſe eos triduo pòſt ſequutus, arcem & urbem in diverſis partibus copiarum ſuarum multitudine quaquaverſum circumvallavit, & naves ac biremes prædatorias è Ponto ad oſtia Danubii, atque illinc adverſo flumine advectas, per Danubium atque Savum opportunis in locis diſpoſuit, tantâ animi pertinaciâ, ac majorum ſuorum æmulatione, ut urbem quanquam validam & munitam, cui perdomandæ abavus Murathes, ac proavus Mahometes fruſtrà inſudaſſent, omninò expugnandam capiendámque conſtituiſſe videretur. Noſtri quoque ex adverſo pari conſtantiâ eam defendendam ſuſcepêre, omnéſque ſacramento adacti, juravêre ſe nunquam deditionem facturos. Sed illud inprimis animos eorum magnopere anxios & ſolicitos reddebat, quòd præter urbanam turbam, quæ ex Ungaris & Thracibus, linguâ, moribus, rituque ſacrorum inter ſe diſſidentibus conſtabat, præſidiarii milites in tam magno capacique loco DCC. numerum vix æquabant, quum auxiliorum expectatio, circumvallatâ jam ab hoſtibus arce, conclamata prorſusque irrita eſſet. Commeatus quoque non ſatìs abundans, & tormentorum pulveriſque ſulphurei minor, quàm pro neceſſitate erat, numerus.

Belgradi obſeſſi initia.

Achomates quum Sabacium appuliſſet, & caſtris poſitis tormenta protrahi, propiúſque admoveri juſſiſſet, propugnatores ſpe & opinione ſuâ conſtantiores reperit: quamquam enim pauciſſimi eſſent, & centum peditum, ac aliquot equitum numerum nequaquam ſuperarent, tamen erant ex fortiſſimis & ſelectiſſimis viris Ungaris, quibus Simon Logodius è regione Budæ proxima, quod Piliſſium vocatur, oriundus, vir, ut exitus declaravit, fortis & conſtans præerat; qui ibidem Nicolao Quendæo ſuccedens, præfecturæ munus per aliquot retroactos annos ſecundâ nominis famâ adminiſtraverat. Sabacium in inſula, quam Savus efficit, poſitum eſt, quinque milliarium majorum intervallo à Nandoralba verſus meridiem, quod Sabacius Turca Samandriæ præfectus, juſſu olim Mahometis, qui ab obſidione Tauruni fruſtrà tentatâ, accepto etiam vulnere, repulſus fuerat, commodo ad infeſtandas Syrmii & Illyrici oras, loco conſtruxerat. Ab Ungaris à conditoris nomine Sabacium appellatum eſt, quum Turcæ illud alio nomine nuncupent. Quinquennio, poſtquam conditum fuit, à Matthia Rege fortiſſimo magnâ

Achmed Baſſa Sabacium obſidet.

Sabacii ſitus & varia fortuna.

gnâ vi expugnatum, ac præſidio munitum fuit, atque ab Ungaris ad hoc uſque tempus fortiter conſervatum, vel eo præcipuè auxilii adminiculo, quod Sigiſmundus Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Hamponis filius, de quo ſuperiùs memoravimus, ad ejuſdem Sabacii & Taurini mœnia munienda, dena millia nummûm aureorum teſtamento tam piè quàm opportunè legâſſet, atque illa à Joanne Gulano teſtamentario, uti bonum virum decuit, integrâ fide, ſed per partes exoluta fuiſſent.

Simon igitur adventu Turcarum minimè territus, ſeſe ad defenſionem parare, hoſtes propiùs accendere auſos telis miſſilibus & ſclopetis arcere, majoribus colubrinis aggeres & corbes hoſtium diſſipare, in ſumma rem egregiè fortiterque gerere, adeò ut Achomates, quum primis conatibus fortuna non arriſiſſet, grandiora tormenta è Solimani caſtris impetrare & advehere cogeretur. Quibus allatis quietem præliorum militi intereà dandam ratus, donec mœnia ferreis pilis ad ingreſſum uſque aperirentur, iis jaciendis in muros certare, & obſeſſorum pertinaciam frangere conſtituit. Quo conatu dies & noctes nequaquam intermiſſo, tantum mœniorum dirutum eſt, ut impetum à militibus in arcem fieri poſſe exiſtimaret. Sed magna erat in ſuperandis foſſis difficultas; quæ quum aquâ plenæ eſſent, aſcenſuris ad murorum ruinas aditum omnem præcludebant. Igitur ex utriſque caſtris magnum numerum agreſtium ex Græcis, Thracibus & Bulgaris coactum ad cædendam materiam in proximos ſaltus ire, eamque cæſam camelis, burdonibus & plauſtris comportare juſſit, ut eâ foſſæ interjectis falcibus & virgultis, ac terrenis aggeribus, tumultuario opere implerentur. Dum illi labori hoſtes interdiu noctuque incumbunt, eumque magna ex parte abſolvunt, noſtri paucitatis ſuæ ac penuriæ rerum neceſſariarum, quibus materia ſuccendi, & hoſtiles conatus eludi poſſent, probè gnari; tum verò vigiliis & continuis laboribus adeò feſſi, ut vix corpora ſuſtinerent, mutuâ per conjunctas dextras fide datâ ſe in hoſtes irrumpere volentes, extremum virtutis ac fortitudinis exemplum edituros, eiſque commorituros juravêre. Poterant quidem cymbis & navigiis, quæ erant in promptu, Savum flumen tacito ſilentio trajicere, ut fuga ab hoſte nequaquam ſentiretur, ſed viri ſpectatæ virtutis æternam ſui nominis memoriam ad poſteros tranſmittere, Sabaciumque hoſtibus multo ſanguine emptum relinquere maluerunt. Itaque hoſtes de integro per oppletam foſſam magnâ vi irrumpentes, noſtros animis & viribus paratos in omnem prælii eventum invenêre; cruentiſſimumque certamen editum eſt, cadentibus utrinque quamplurimis, & præſertim veteranis Janicerorum, qui ſunt prætoriani ordinis pedites, & qui Perſicis atque Ægyptiis bellis exercitati, primas pugnæ partes ſibi depopoſciſſe dicebantur. Sed quum plurimi à paucis, & recentes ac integri à feſſis & ſauciis ſuſtineri non poſſent, tandem promiſſæ fidei & invictæ virtutis memores, nihilque de deditione aut fuga cogitantes, univerſi ad unum uſque in ipſa murorum ſtrage, & eo, quem viventes tenuerant loco, haud inulti cecidêre. Ex Turcis ſiquidem præter eos, qui præteritis oppugnationibus interierant, eo die ultra ſeptingentos deſideratos eſſe planè conſtat, ſupra ſauciatorum ſatis magnum, pro noſtrorum paucitate, numerum.

Præſidiarii in Sabacio defendendo mortem fortiter oppetunt,

eiſque cæſis occupatur.

Sabacio in poteſtatem redacto Solimanus Savum ponte ex navibus facto ſternendum, copiaſque tranſjiciendas exiſtimavit: ut citeriore quoque è ripa urbem oppugnaret, & Ludovico, ſi auxilio obſeſſis venire vellet, pugnæ poteſtatem præberet, & oppidanis eò majorem formidinem incuteret. Cæterùm quum flumen intumuiſſet, rapiditate & mole aquarum ruptis funibus, priùs quàm copiæ tranſirent pons facilè disjectus, navesque & tabulata in Danubium abrepta fuêre. Sed Solimanus cunctas ſpernitates, dummodò urbe potiretur, ſuâ vi & induſtriâ ſuperare certus, contemptis eorum vocibus, qui inania rupti pontis omina in religionem verterent, eum craſſioribus funium retinaculis adhibitis, ac ferreis clavis ac trabibus, quibus tranſverſim naves utrinque conjungerentur ſolidioribus, firmâ compage denuò reficiendum imperavit. Quo confecto ipſemet cum Prætorianis militibus, & majori exercitûs parte tranſjecit, ac Pyrrhum purpuratum, qui ex ulteriori fluminis parte oppugnationi continuandæ incumberet, in ulterioribus caſtris reliquit, dato ei negotio, ut locum pluribus eodem tempore ex partibus ſine intermiſſione majoribus tormentis concutiendum juberet.

1521. *Savum ponte ſternit Solimanus.*

Per hunc modum trajecto Savo Solimanus è Thraciæ locis in vicinum Sirmium, regionem tam amœnitate ſitûs, quàm vini generoſi proventu, pecoriſque & omnium rerum ad victum neceſſariarum copiâ nobiliſſimam & pulcherrimum delatus eſt; cùmque Sumonium oppidum haud procul caſtris abeſſet, indignum fore ratus, ſi illud ob oculos ſitum, inquietandis, (quod fieri cœptum erat) & carpendis pabulatoribus ſuis immineret, miſſo Samandriæ præfecto Balibego illud obſidione cingi imperavit. Et quum infirmis mœnibus & vetuſtate corruptis debile eſſet, ut non facilè impetum hoſtilem ſuſtineret, incolæ pactâ cum Turcis incolumitate, ut cum ſarcinis ſuis in tutum abire poſſent, oppidum dedidêre. Sed partim trucidati extemplò omnes, partim in ſervitutem abrepti, ac in caſtris ſub haſta divenditi fuêre: ita ut eis acerbam potiùs mortem oppetere, quàm ſe barbaricæ fidei committere longè ſatiùs fuiſſet. Oppidum ſuccenſum atque igne conſumptum eſt.

Sumonium oppidum in Sirmienſi regione Turcæ occupant.

At Ludovicus, quanquam adverſâ valetudine tentaretur, tamen Tolnam profectus erat, & quum ad eum lentis ac tumultuariis agminibus pauci ex proceribus adventâſſent, Stephanum Bathorium Palatinum firmiori cum copiarum parte Sirmium verſus proficiſci, & dare operam juſſit, ne hoſtis, nullo qui reſiſteret obviam prodeunte, impunè graſſaretur. Qui quum non procul à ſancti Demetrii oppido in Turcas ac ipſum Balibegum igne & ferro obvia quæque vaſtantem incidiſſet, commiſſâ cum eis pugnâ ſuperior evaſit, & diffugientibus primo impetu hoſtibus (quòd ii cum eo latiſſimo, ac primæ poſt Regem dignitatis viro longè ampliores copias eſſe putarent, & fraudes & inſidias ſpectarent) ad Regem reverſus eſt cum aliquot præcipuis captivis, à quibus Sabacium in hoſtium poteſtatem deveniſſe, & Solimanum citra & ultra Savum bina caſtra locaſſe, Nandoralbamque pluribus ex partibus obſideri, & tormentis concuti intellectum eſt. Redeunte Tolnam ad Regem Palatino, atque in morbum importunè incidente, Balibegus auctis copiis excurſiones in Sirmium repetendas redintegrandaſque

Balibegus à Palatino fugatur.

Balibegus excurſionem in

1521. daſque cenſuit, & nemine obvio tractum illum fœcundiſſimæ provinciæ omnem quaquaverſum ferro & flammis adeò deformem reddidit, ut Saloneamenium, Culpenicum, Barigium, Perquaſium, & ipſum ſancti Demetrii oppidum ceteramque ditionem Laorentii ducis, & alia quæque concremaret atque deleret tantâ hoſtilis animi crudelitate & invidiâ, ut materiam etiam omnem, quæ à vi ignis illæſa ſupererat, in proximos fluvios, ne ea incolis redeuntibus uſui eſſe poſſet, præcipitare juberet.

Sirmium redintegrat, omniaque ferro & flammâ vaſtat.

Intereà Solimanus magnâ curâ & ſolicitudine oppugnationi intentus ſuos ut operi inſtarent, partim minis durioribus, partim promiſſis & præmiis incitare non deſinebat. Et licèt illinc Pyrrhus, hinc verò in ejus conſpectu Achomates capto Sabacio reverſus, quaſſandis mœnibus egregiam indefeſſamque operam navarent; noſtris tamen inſigni virtute ſeſe defendentibus, ac ruinas mœniorum, quæ ab hoſtibus interdiu edebantur, noctè diligenter reparantibus, longior indies & difficilior oppugnatio reddebatur; adeò ut nec Turcæ duces magnâ capiendæ orbis ſpe tenerentur: quanquam id metu Solimani, à quo non dubiæ mortis diſcrimen deſperatis ac ignavis erat ſubeundum, ſilentio tegere viderentur. Jam enim trigeſimus dies iriræ oppugnationis prætierierat; & oppidani multas & frequentes hoſtium irruptiones magnâ ex eis multitudine trucidatâ egregiè repreſſerant.

Beligradenſes acerrimè Turcarum impreſſiones repellunt.

Dum Solimanus cogitationi ſimul & operi redigendæ in poteſtatem orbis impensè pertinaciterque vacat, nectamen voto deſiderioque potitur, duo Thraces, ſeu proditionis præmiis allecti, ſive metu periculi ex oppido ad eum opportuno tempore tranſfugiunt. A quibus quum obſeſſos rei frumentariæ anguſtiis, ac pulveris ſulphurei inopiâ premi cognoviſſet; tum verò etiam urbem ab eis locis, quibus tormenta in eam exploderentur, propter mœniorum firmitatem fruſtrà peti edoctus eſt. Quod quidem certiſſimum erat; ea ſiquidem tam operâ & ſtudio Mathiæ clariſſimi Regis, quàm poſteà impenſis & pecuniâ Sigiſmundi Epiſcopi Quinqueeccleſienſis, qui moriens ad illa reſtauranda haud contemnendam pecuniæ ſummam, ut paulò antè diximus, legaverat, adeò permunita fuerant, ut omnem vim tormentorum contemnerent. Addebant tranſfugæ noſquam debiliorem eſſe murorum partem, quàm quà Savus prætetlaberetur: quòd eos veteres præfecti ingentis fluminis objectu ſatis eſſe tutos putâſſent; id quod etiam à pluribus Turcis, qui per varios caſus intercepti ſervituremque in urbe perpeſſi pecuniâ ſe redemerant, gnarique locorum erant, pro certo affirmabatur. Itaque Solimanus quum tranſfugæ haud vana & incomperta adferre viſi eſſent, rei gerendæ avidus, tormenta in eam inſulam, quæ è regione Savi in Danubium illabentis protenditur, extemplò provehi, & conſtructis ſinnoſis aggeribus mœnia illinc acerrimè verberari imperavit. Quæ res, uti improviſa, ſupra cæteros defectus, inſtantemque, uti jam apparebat, famem, oppidanis ingentem metum atque formidinem incuſſit. Carebant enim majoribus colubrinis & tormentis, quibus hoſtium munitiones ſe diſturbare poſſe exiſtimarent; quòd eorum potior pars ad Sarnonem ſeu Cavallam fœdâ Vaivodæ & noſtrorum fugâ turpiter amiſſa, nec alia in eorum locum fœdiore negligentiâ advecta repoſitaque fuiſſent.

Duo Thraces urbem produnt.

Cùm Turcæ conſilium tranſfugarum ſequuti, ex inſula inceſſanter murum per ſe ſatis debilem concuterent, neque oppidani ut in re trepida animos ad defendendum ſatis expedirent, poſt frequentes ingentium pilarum ictus derepentè prolapſus latèque dejectus eſt, lætis ac vociferantibus hoſtibus. Ejus hiatu perterriti, ac animum deſpondentes oppidani, qui maxima ex parte, uti dictum eſt, Thraces erant, nullum introrſus è ceſpite aut materia aggerem terrenum, vel aliquod more militiæ munimentum extruere, hoſtibuſque opponere contenderunt; verùm attoniti & ſtupidis ſimiles incertum timore aut perfidiâ agitati, ſuccenſâ aliquot locis urbe, antequam hoſtes per diruta mœnia apponere ſcalas, ac impetum aſcenſumque parare, aut vim admovere conſpicarentur, notabili ignaviâ ac dedecore ſeſe in arcem recipere cœperant. Blaſco & Bothus ac Morgajus præfecti celerem eorum deſperationem admirati execratique; eos ut deſertores, arcis ingreſſu initio prohibere conati, utpotè quibus eadem rerum inopia, idem famis inediæque metus imminebat: poſtremò ſuorum paucitate adducti, quò plures ſocios propugnatoreſque haberent, quamquam non majori uſui aut commodo ſibi futuros, quàm in urbe erant, non ſine cunctatione admiſêre. Nec mora, Turcæ ignibus conſpectis magno clamore ſublato, id quod erat oppidanos metu perterritos orbem deſeruiſſe ſuſpicati, eâdem aperti muri ruinâ, quamquam nemine reſiſtente, ægrè tamen, nec ſine ſumma aſcenſûs difficultate ſuperatâ in urbem irrupêre, ac portam, quæ è regione arcis ſolem orientem reſpicit, ſociis qui ſubſequebantur, disjectis repagulorum obicibus aperuêre, per quam cùm magnus tam equitum quàm Janicerorum ac cæterorum Turcarum numerus certatim irrueret, maximum detrimentum acceperunt. Nam ex arce in conſertiſſimos tanta pilarum mediocrium & minorum multitudo inſtar procelloſæ grandinis conjecta fuit, ut octingenti ex Janicerorum promptiſſimis deſiderati fuiſſe ferantur, præter equites Spaboglanos; qui prætoriani ſunt, & eos quos barbari Acangios appellare ſolent. 1521.

Thraces oppidani metu urbem deſerunt, & in arcem refugiunt.

Potiti oppido Turcæ duces, arcem aggeribus tripartito erectis, tribus ex locis magnâ vi tormentorum diruere cœpêre, ut præſidiarii uno eodemque tempore tribus graviſſimis oppugnationibus ſatigati atque fracti ad deditionem compellerentur, aut vi factâ ſubigerentur. Neque tot ac tantis illatis incommodis ſatiati, turrim etiam eam ſimul concutiendam ſuſcepêre, quam Miliariam vocari ſuprà retulimus. Ei turri Jacobus Utiſſenitius è Camiſſatia Croatiæ provincia, non procul à Scardona Cliſſiaque diſtante oriundus, ejus Georgii monachi, qui poſteà Ordinem Divi Pauli primi Eremitæ ſequutus, à Joanne Zapoliano regnum adepto, Epiſcopatum Varadienſem, ſummoſque honores conſequutus, ac in adminiſtratione tutelæ unici filii relictus fuit, germanus frater, vir fortis & militaris præerat. Is quum in defenſione ejus turris impigrè verſaretur, & hoſtibus non levia damna inferret, Turcæ falconetas, quæ pilas anſerini ovi magnitudine evomebant, in turrim templi Divi Franciſci, quod erat ex oppoſito arcis, paris ferè altitudinis, funibus magno ergatarum ac agreſtium labore protraxêre; atque illinc diruendæ Miliariæ crebris ictibus incubuêre, ut Jacobus & ſocii in ſtatione vix conſiſtere poſſent.

Hinc arcem Turcæ aggrediuntur.

1521. poſſent. Et ipſe intrepido animo conatibus hoſtium fruſtrandis obviam ibat, & qua murorum pars dejiciebatur, materie ac plateis craſſioribus, & aliis quæ in tanta rerum penuria ad manus haberi poterant, reficere & munire contendebat, cum ex adverſo majoribus falconetis, quæ Turcas ab opere & campanaria illa turre exturbare poſſent, magno ſuo & arcis detrimento careret.

Hungari ſtrenue ſe tuentur, & hoſtiles oppugnationes magno auſu excipiunt.

Blaſco & Borhus præfecti ſumma induſtria ac aſſiduo labore milites per ſtationes paſſim excubantes, quorum jam vix CCCC. ſupererant, inviſere, atque ut officio & muneri tuendæ patriæ debito egregiè fungerentur, exhortari; ſaucios medelis adhibitis ſolari, integris animos addere, ſua munia pro temporis conditione & neceſſitate, ea fide, virtute & diligentia obire, ut hactenus ritè omnia adminiſtrata eſſe viderentur, & XX. hoſtiles impetus in arcem & urbem acerrimè illatus, invicto corporum & animorum robore & conſtantia pertuliſſent. Protractâ præter ſpem hoſtium oppugnatione tormenta quidem nequaquam ceſſabant, quin continenter ex iis jacularentur; ſed & pluribus è locis miſſilia tela, ac tubi pice & ſulphure, aliaque materia ignem facilè concipiente repleti in arcis tecta jaciebantur, ad noſtros variè diſtrahendos, conceptoque igne incendia latè excitabant, ſic tamen ut à noſtris, quamquam numero paucis, quum complures cadi aquâ pleni ad eum uſum in promptu eſſent, haud ſine labore extinguerentur, eaque cum hoſtibus & ignibus colluctatio biduum ferè duraret.

Jam ipſe Solimanus, quamquam gloriæ & famæ obtinendæ urbis cupidiſſimus, tot irritis ſuorum conatibus permotus, Ungaros ad mutandam fidem, aut ad urbis deditionem ſubigi poſſe vix ſperabat; ne tamen difficultatibus rerum victus ab incepto deſiſtere videretur, eodem in pertinaci ſtudio continuandæ oppugnationis perſiſtendum ſibi judicabat. Et quum Ludovicum clariſſimæ orbi, quam ipſe Pannoniæ clavem meritò appellabat, collecto exercitu opem allaturum crederet, ac ea ſuis fortiſſimi quique aut trucidati periiſſent, aut vulneribus debilitati operam præſtare non poſſent, oppugnationi inſtare, & ab aggrediendis mœnibus aliquamdiu ſalubri ſibi & ſuis morâ abſtinere decrevit, eo conſilio, ut integras vires adventanti Ludovico ad non dubiam victoriam opponere poſſet. Quæ res noſtris aliquantum quietis ac nonnihil ſpatii attulit, quo tanta mœniorum loca, aut dejecta diurnis nocturniſque operibus reſarciendi ac muniendi. Jam XL. dies obſidionis agebatur, quum noſtri in hunc, quem diximus, modum, non tantùm cum ſumma acerrimorum hoſtium pertinacia; ſed cum inedia ac ſiti, cum rerum omnium aſperitatibus dimicabant, neque tamen à Ludovico ulla ſpes auxiliorum apparebat. Quare Solimanus iterum ad priſtina expugnandæ arcis conſilia converſus, aut vincendum, aut ſuis omnibus occumbendum eſſe edixit.

Chriſtianus apoſtata Solimano, ut cuniculis actis arcem ſubruat, ſuadet.

Sed quum neque ſic contra obſeſſos extrema omnia pati ac perferre paratos quicquam proficeret, & in ſumma rerum omnium deſperatione verſaretur, ad extremum quidam, incertum Gallusne vel Italus (nam Turcæ utramque gentem Francos appellant) ex iis, qui Chriſtianâ Religione abjuratâ Mahometanæ ſuperſtitioni ſe addixerunt, ad Pyrrhum & Achomatem, cæteroſque duces profectus, atque ab iis veniâ petitâ in colloquium admiſſus: quædam ſe in medium allaturum, ſi ab ipſis audiatur, propoſuit, juſſuſque paucis dicere. “Quum bellis in Italia geſtis juvenis, inquit, interfuerim, non corporis duntaxat viribus, ſed ingenio res bellicas geri ac adminiſtrari didici; proinde quando hoſtium animos nec tam diuturnis aſperſimilique malis frangere ac debilitare hactenus potuiſtis, nec aperta vis proceſſit, quiddam ſei vos admonendos duxi, haud equidem vobis ignaræ, verùm inter curas multiplices fortè & labores memoriæ obliteratæ, ut nempè occultis in imo actis cuniculis, ab ſubjecto interturlum pulvere ſulphureo mœnia & propugnacula ſubvertatis. Hac arte, non aliâ, pertinaciæ obſeſſorum finem imponetis, & Solimanus ſi hîc vincet, Pannoniam omnē vincet.” Quum haud importuna loqoutus eſſe cenſeretur, collaudato eo, ac ſi conſilio eventus reſpondeat, ingentibus promiſſis confirmato, duces rem ad Solimanum detulêre. Ejus aſſenſu mox quæſiti & venire juſſi foſſores, ac adhibitæ militum æquè ac agreſtium operæ, cuniculos ad fundamenta Miliariæ ſubterraneos, magnâ curâ nec minore ſilentio moliri inceperunt. Sed vel quòd noſtri nondum ejuſmodi militaris fraudis gnari eſſent, ſeu quòd batillis & ferramentis operi neceſſariis deſtituerentur, quibus contraſios de more militiæ cuniculos agerent; mirum ſanè accidit, non ſolùm fodientes ſub terra, ſed egerentes etiam humum hoſtes, obſeſſos latuiſſe. Sed & hoſtes ſingulari aſtu, crebris tormentorum bombis, ac tubarum tympanorumque ſtrepitibus, ac magnis ſublatis clamoribus ſpeciem irruentium præbebant, ne incluſi fodientium & labori intentorum ſonitum admota aure caperent, aut illiſam ligonibus humum moveri animadverterent.

Quo tempore Jacobus Utiſſenitius hoſtilem fraudem ſuſpectans, properè mœnia conſcendit, proſpectandoque & vigilando cum ad umbilicum uſque extaret, & incautiùs in defenſione turris verſaretur, ab Janiceris, qui ab exteriori parte ſinibus aggerum protecti, ad ſingula quæque intentiſſimè excubabant, plumbeâ glande trajectus, magno ſociorum dolore interficitus. Eo cadente ſulphureus pulvis, qui in cuniculum convectus erat, ab hoſtibus immiſſo igne incenditur, ingentique fragore & ſtrepitu, inſtar fulguris & tonitrui edito, certa pars propugnaculi in ſublime jacta puncto temporis diſturbatur & corruit. Tametſi verò in hunc modum quaſſata turris concidiſſet, incredibili tamen caſu ingreſſuris hoſtibus aditum nequaquam patefecit; ſed potiùs tantâ opportunitate introrſum procidens novam ac inſperatam munitionem oppoſuit, ut irruptionem longè quàm anteà difficiliorem effeciſſe videretur. Sed tamen obſeſſis & præſertim Thracibus ejuſmodi rerum inſolentibus, ab imis radicibus exciſæ turris ruina, uſque adeò ingentem formidinem & terrorem incuſſit, ut conſternati fractique animis, & omni prorſus fidei ac virtutis conſtantia turpiter excuſsâ, nec habitâ ullâ ſociorum Ungarorum ratione, literas ſagittis alligatas ejaculati, ac de deditione cum hoſtibus nefaria conſilia miſcere non dubitarent. Quæ res à præfectis non aliter intellecta eſt, quàm quum è munitionibus hoſtes egreſſos, ac ſupra corbes vimineos, quibus tormenta interpoſita erant, erectos, Solimani & Purpuratorum fidem, prout obſeſſi peterent, certiſſimam magnâ voce efferre

Thraces de deditione cū hoſtibus conſilia miſcent.

1521. efferre, ac vitæ rerumque omnium incolumitatem prolixè polliceri audiviſſent: quapropter quum ipſi nihil ſe tale petiviſſe ſcirent, & re cognita periculoſi ſubdolique conſilii auctores capere, & in carceres conjicere vellent, parum abfuit, quin re inter mutua jurgia ad non dubium inteſtinæ ſeditionis diſcrimen deducta, & jam inclinatis ad arma proditoribus, à Thracibus, qui ferè omnes unanimi perfidia complices ſuos ab injuria tueri propoſuiſſent, in fruſta conciderentur. Itaque ad preces & ob-

Quam præfecti Hungari omnibus diſſuadent modis.

„teſtationem verſi, eos per immortalem Deum „Divosque omnes non ſine fletu & lachrymis „orabant, ne quum pluribus retroactis annis „decora pariter & dedecora militiæ, tum verò „in præſenti atrociſſimæ obſidionis mora fri„gus, æſtum, ſitim, famem, vulnera, cæte„raſque diuturni laboris & pertinaciæ moleſtias „longâ perſeverantiâ & æquo animo pertu„liſſent, & tantam egregii nominis & con„ſtantiæ laudem eſſent conſequuti, nunc non „magnu procumbentis pariens lapſu fracti ani„mis & perterriti veteris & recentis gloriæ nomen obſcurare & amittere vellent: non eſſe ejus caſum tantoperè formidandum, quum irruptum ſecus quàm optaviſſent obſtruxiſſe viam ponùs, quàm aperuiſſe cenſeantur; ut facilè videre ipſis liceat, ſupereſſe adhuc tantum alimentorum, ut parcis & frugi militibus, quales ipſi ſint, ſuſtentandis ad aliquot inſequentes dies ſufficctura eſſe videantur: Intereà Deum Optimum Maximum egregiæ fortitudinis & conſtantiæ viris præſenti numine aſſuturum, in cujus poteſtate ſitum ſit, terribilem hoſtium ferociam miro modo fruſtrari, ut vel ignobilis moræ pertæſi, vel invictæ virtutis noſtræ conſtantiâ deterriti, non ſine ignominia ab incepto ſuo diſcedant: cujus quidem navatæ à nobis fortiter operæ præmia, opes, honores, divitias, præfecturas, ampliſſima bona, & denique firmiſſimum gratiæ locum & præſidium à celſiſſimi Regis noſtri liberalitate certiſſimo jure expectabimus. Itaque ſpem præmiorum, perpetuæque laudis, quæ vera & præclara animorum excitatrix habetur, ac dedecoris metum, qui acerrimus & ipſe ignavis ſtimulus eſſe ſolet, præ oculis noſtris habeamus, ac prout Chriſtiani nominis milites decet, ſingulari tolerantiâ omnem utriuſque fortunæ eventum ſubeundum decernamus. Si verò, quod omen Deus clementiſſimus avertere velit, nobis adverſa, hoſtibus autem ſecunda omnia eveniant, jure meritoque præſtabilius eſt, ut in veſtigio præclaræ virtutis, tutandæque Chriſtianæ Religionis atrociſſimo mortis genere trucidemur, animis noſtris ab hoc corporum ergaſtulo in cœlum illicò migrantibus, quàm ferociſſimo & infideliſſimo hoſti ignominioſam deditionem offeramus, apud quem moris ſit & conſuetudinis, atque adeò pro lege habeatur, fidem mille juramentis firmatam fallere, doloque & perjurio deceptis inſolentiſſimè inſultare, vimque & crudelitatem ferinam exercere.

His atque aliis talibus Thraces ſanati, aut fatalis ſententiæ ſuæ decretum animis eorum convelli nequaquam potuit, quin ſumma totius eorum conſilii erat, ut quum numero Pannonis ſuperiores eſſent, etiam ipſis invitis & reluctantibus cum Solimano & Turcis tranſigere maturarent. Eorum igitur diſceſſione Blaſco, & Bothus, ac Morgaius, cæterique Pannonii adacti, ne domi intra mœnia deſerti & proditi à ſociis, foris verò à truculento hoſte uno eodemque tempore expugnati, ex- 1522.

tremæ ſortis aleam ſubire cogerentur; ipſi quoque de tradenda arce, & tranſigendis deditionis conditionibus cum Thracibus convenire, eiſque aſſentiri coacti fuêre. Nec mora re è muris ſignificatâ, præfecti Janicerorum, qui tormentorum atque aggerum cuſtodiæ præerant, ad Purpuratos Pyrrhum & Achomarem accurrentes, litteras ſecuritatis Solimani manu & ſigno firmatas, quibus litteris Nandoralbanis univerſis, atque eorum conjugibus & liberis, rebusque & ſarcinis omnibus, quocunque vellent, libera exeundi poteſtas concedebatur, abſque longiori mora attulêre; & ſi qui ex ipſis ac potiſſimùm Thracibus manere in urbe mallent, eâdem quâ ante bellum conditione habitare permittebantur. Profectione in diem ſequentem inſtitutâ, qui fuit XXIX. menſis Auguſti, cùm inter armatos Janicerorum, & reliquorum Turcarum ordines inclinante jam ſole progredi juberentur, Ungari contra fidem datam omnes exemplò cæſi atque interfecti fuêre, magnâ Thracum quoque parte eandem diræ cædis & lanienæ fortunam miſerabili caſu ſubeunte; præter paucos, quibus ingraveſcentis ætatis prærogativa arbitrio ducum Turcicorum, ut in urbe manerent, præſidio fuiſſe viſa eſt. Blaſconis & collegarum, ac præcipuorum militum capita ante Pyrrhi tentorium ſudibus præfixa ſpectaculum exercitui præbuêre. Monachis etiam Græcis, quos Calogeros vocant, qui templum à veteribus Thraciæ Regibus conſtructum tenuerant, Divam Peream, ut ipſi appellabant, quam ſingulari veneratione colebant, ſeu potius ejus integrum corpus à multis ſæculis ibi conſervatum currui impoſitum, eò quò voluerunt auferre, permiſſum fuit. Quod an Conſtantinopolim, vel quemnam alium in locum delatum fuerit, quandoquidem ea de re conſilium Patriarchæ Conſtantinopolitani exquirendum erat, non ſatis compertum aut exploratum eſt.

Belgradum deditur 29. Auguſti.

Præſidiarii contra fidem datam trucidati.

Per hunc itaque modum urbs & arx longè omnium celeberrima & opportuniſſima, publicæ negligentiæ atque inertiæ culpâ in poteſtatem barbarorum devenit, ut eâ amiſsâ miſeriis cladibusque noſtris, quas poſteà innumerabiles æquè ac crudeliſſimas à perfidis barbaris paſſi ſumus, & quotidie adhuc patimur, lata & patens porta panderetur. Solimanus juventæ vigore fervidus, ac initium Imperii tali tantâque inſignis victoriæ amplitudine auſpicatus, incredibilem animo lætitiam concepit, & apud ſuos, atque omnes adeò mortales magnum & glorioſum nomen adeptus eſt; quòd talem urbem primis conatibus, felicique virtute ſub jugum redegiſſet, quam majores ſui multis victoriarum triumphis & bellis formidabiles, magno ſæpiùs impetu, maximisque exercitibus fruſtrà, nec ſine gravi damno & ignominia tentandam ſuſcepiſſent. Cæterùm quum & autumni tempus appeteret, & domeſticis curis domum revocaretur, urbem cum arce expurgatam, & quantum brevitate temporis licebat, reſtauratam, Balibego, de quo ſuprà ſæpiùs retuli, Samandriæ quondam præfecto tuendam defendendamque commiſit.

Balibego Belgradum committitur.

1521.

Solymanus Conſtantinopolim reverſus.

miſit, valido præſidio militum, ac rerum neceſſitatum apparatu ei relicto; ipſeque domum reverſus filium nonum ætatis annum agitantem è vivis exceſſiſſe in itinere ſummo animi dolore intellexit: ita nimirum alternante vices fortunâ, ut lætis triſtitia, ac proſperis adverſa miſcendo, rerum humanarum inconſtantiam evidenter demonſtraret.

Rhodienſem expeditionem molitur.

Exercitum in ſuas ſtationes & loca dimiſit, ita ut primo vere, vel quando ſibi videretur, ad imperium parati & inſtructi adeſſe poſſent, quòd Rhodum jam tum omninò expugnandam decreviſſet, ex qua Cruciferos equites terrâ marique in ipſius ditionem varias & nimis funeſtas excurſiones facere didiciſſet.

Amiſſo Belgrado, Ludovicus quamquam ſupra graviſſimi morbi periculum, in quem ob caſtrenſium laborum incommoda, ac immoderatum autumnalium fructuum eſum inciderat, tanto etiam accepto detrimento, vehementi dolore affectus eſſet, nihilo tamen minus, quum abeunte victore hoſte ferum bellum futurum animadverteret, copias ſuas in opportuna loca diſtribuit; ac imprimis Varadino Petri, ac Vilaco (quod in ruinis veteris Sirmii ſitum eſſe creditur) militare præſidium impoſuit; quòd ex iis locis vigilando & agendo excurſiones hoſtium, quæ à Belgrado deinceps haud dubiè erant expectandæ, averti poſſe viderentur.

Ludovicus æger animo Budam redit.

Quibus rebus peractis, quum præter cæteras difficultates major legionum pars variis vulgatiſque morbis langueret, ducesque ac præfecti fermè omnes, atque ipſe Palatinus corpore ægri, & animis dejecti decumberent, morientiumque cadaveribus caſtra quotidie complerentur, ſummâ animi ac vultûs triſtitiâ adverſis rerum ſucceſſibus contractâ Budam lentis itineribus reverſus eſt, & à mœſta civitate pro luctuoſa temporis conditione modico apparatu exceptus.

à Georgio Marchione ad ludicra avocatur.

Exindè Georgius Marchio Brandenburgenſis, tanquam ſolatium, & cladis oblivionem allaturus, eum ad ludos & ſpectacula revocare cœpit. Verùm maximis indies rerum difficultatibus ingruentibus, cùm à Joanne Bornemiſſa nutritio ſæpius admoneretur, è ludicris, quæ illi ſectanda propoſuiſſet, ingentia Reipublicæ mala & detrimenta oritura, idque etiam Maria conjux identidem inculcaret, ad Rempublicam capeſſendam magis provehebatur.

repugnante Bornemiſſâ ac Mariâ Reginâ.

Comitiis poſteà habitis, quum Valentinus Turcus ſeu Enningius Emerici filius, ac Franciſcus Hedervarius, quorum incuriâ & inobedientiâ Belgradum amiſſum erat, citati non comparuiſſent, omnium ſuffragiis proſcripti, & bona eorum publicata fuêre.

Valentinus Turcus & Hedervarius proſcripti.

Rex Valentini bona Franciſco Banianio, Hedervatiana verò Paulo Baquitio, poſtquam ſub id tempus à Turcis ad Ungaros tranſfugiſſet, dono dedit. Et Franciſcus quidem in exilio periit; Valentinus verò, quòd juventæ vitio potiùs, & malorum hominum pravis conſiliis, quàm ſponte deliquiſſet, ductâ etiam in conjugem ex Reginæ aula Marci Pemphlingeri filiâ, in gratiam receptus fuit. Poſteà de exercitu conducendo, rebuſque bellicis ritè adminiſtrandis, cæteriſque neceſſitatibus conſilia habita ſunt, decretumque ut ad Ferdinandum Auſtriæ principem, Mariæ Reginæ fratrem legati mitterentur; qui Ludovici nomine ab eo peterent, ut quum Illyrici confinia, Turcis cùm anteà, tum verò capto Belgrado maximè expoſita ob ærarii penuriam, & quòd longiùs diſtarent, commodè ſuſtentari nequirent, eorum curam uſque ad aliquod tempus haud gravatim ſuſciperet; ea potiſſimùm de cauſa, quòd ipſius populis, qui in Hiſtria & Carnis eſſent, ex eis ſi ab hoſtibus caperentur, magnum imminere periculum certò conſtaret.

Iſthuanſ. Hiſtor.

1521.

Ferdinando Regi aliquot Illyrici arces tuendæ ab Hungaris datæ.

Quod quidem à Ferdinando abſque difficiliori cunctatione factum eſt; ac Segnia, Cliſſia, Crupa, Lica, Jaicia, aliæque complures arces & urbes in tutelam acceptæ, præſidiariiſque militibus ſtipendia liberaliter ſoluta.

Lutherus oritur.

Cæterùm ante quadriennium in Germania exortum fuit atrox & periculoſum in religione diſſidium, authore Martino Luthero Saxone Monacho Auguſtiniano, quàmvis contra ſacram ſummi Pontificis auctoritatem, Divæque Virginis Deiparæ, ac Divorum cultum, cæteraque præcipua Chriſtianæ religionis capita non tantùm concionibus & diſputationibus publicè habitis; ſed etiam editis & publicatis libellis & novas diuque antè exploſas opiniones diſſeminâſſet; eò perfrictiore fronte & audaciùs, quòd à Friderico Duce Saxoniæ præter Chriſtiani Principis officium acerrimè defenderetur. Quanquam verò ipſe primùm Romæ à Leone ſummo Pontifice, & poſteà à Carolo Cæſare Vormatiæ, nec multò pòſt à Franciſco Gallorum Rege Pariſiis proſcriptus eſſet, ejuſque libelli damnati & exuſti; tamen tanti mali labes per clanculatios ejus ſectæ homines, qui paſſim ei nomina dabant, in Pannoniam etiam pervaſiſſe ferebatur.

Lutheri dogma damnatum in Comitiis à Ludovico.

Quod cùm Ludovicus cognoviſſet, iiſdem in Comitiis lege latâ quæ extat, ſanciendum curavit, ne à quopiam perverſum atque prædamnatum dogma reciperetur; ejuſque ſectatores, ſi qui eſſent, ignibus addicti cremarentur.

Ludovici Regis legati ad Comitia Wormatienſia miſſi.

Miſit etiam paulò pòſt menſe Aprili, ex Conſilii ſeu Comitiorum decreto, Legatos ad Carolum Cæſarem, ac Principes Germaniæ, quos Electores vocant, Vuirmatiæ congregatos, Gregorium monachum Franciſcanum, ex nobili & clara Comitum Frangepanorum familia Archiepiſcopum Coloçenſem, ac Ladiſlaum Sterenbergum Bohemicum Cancellarium, & Hieronymum Balbum Præpoſitum Poſonienſem, ut contra Turcas auxilia implorarent.

1522.

ob auxilia adverſus Turcas impetranda.

Ad quorum preces publico Pannoniorum nomine factas, eleganti à Balbo recitatâ oratione (is poſteà Epiſcopus Tergeſtinus, poſtremò verò Gurcenſis fuit) promptis Germanorum omnium ſtudiis decreta fuêre, initio menſis Maji, auxilia haud contemnenda: ſed ea, ſive quòd eodem tempore Solimanus Rhodum cum ingentibus copiis invaſurus diceretur, ſive aliis de cauſis in Pannonia nuſquam fuêre conſpecta.

Rhodus obſidetur à Solimano ſub Lisladamo.

Et quamvis Rhodus à fortiſſimis equitibus albâ cruce inſignibus, eorumque principe, quem ipſi Magnum Magiſtrum vocant, Philippo Villerio Lisladanio natione Gallo (qui Fabricio Carreto Marchioni Finariæ, claris natalibus in Liguria orto ſucceſſerat) acerrimè & pertinaciſſimè defenderetur

1522. retur, tamen poſt toleratas ſex menſium atrociſſimæ oppugnationis aſperitates, nemine ex Principibus Chriſtianis in auxilium clariſſimæ urbis adcurrente, quòd ii civilibus bellis implicati, arma inter ſe dimicarent, in manus Solimani devenit, eò graviore Chriſtianæ Reipublicæ contumeliâ & dedecore, quòd dirus hoſtis equites ab omnibus deſertos, ac rerum omnium neceſſariarum inopiâ adactos, ipſo Chriſti Dei natali die deditionem facere compuliſſet. Eâdem ſummi infortunii clade inſula Cos, Hippocratis patris, ac cæteræ eorundem Equitum ditiones, quas in Caria, Halicarnaſſo, aliiſque Aſiæ locis habebant, ſimul in hoſtium poteſtatem conceſſerunt.

Ludovici Regis cum Maria conjuge profectio in Bohemiam.

Intereà Ludovicus Bohemorum precibus & legationibus impulſus, unà cum Maria conjuge in Bohemiam proficiſci, & res ejus regni diuturnâ Regum abſentiâ conturbatas in meliorem formam & ordinem redigere decrevit. Itaque inſtitutâ ad certum diem profectione, comitante conjuge Pragam venit, & à Bohemia non mediocri lætitiâ & applauſu exceptus, ac in arcem deductus eſt. Quamvis autem vix quadriennis puer, ſpondente pro eo patre, ut diximus, diademate regio inſignitus fuiſſet; viſum tamen fuit Senatui Bohemico & proceribus, ut priuſquam inſtitutam reformandæ Reipublicæ curam aggrederetur, juramentum repetere, atque ad obſervandas leges & immunitates denuò ſe obſtrictum reddere maturaret. Quâ re peractâ, & diſſidentibus inter ſe de ordine coronationis, ac geſtandis regni inſignibus Senatu & Equitibus, Rex paludamento, coronâ, ſceptroque, & cæteris ornamentis ad ſe receptis, uſque indutus controverſiam diremit; ac deindè ipſo è ſolio ſpectante, Stanislaus Turzo Olomucenſis Epiſcopus Reginam coronavit.

Juramentum Bohemis renovat.

Regina coronatur.

Quibus rebus confectis, convocato iterum Senatu Bohemico, adhibitiſque in conſilium Andreâ Borgonio Siculo Cæſaris legato, ac Alberto Marchione Brandenburgenſi Pruſſiæ Duce, quem Sigiſmundus Poloniæ Rex legatum miſerat, ac Ladislao Salcano Epiſcopo Vacienſi, cujus conſilio libenter utebatur, Res Bohemicas compoſuit; ita ut motis loco iis ferè omnibus, qui ad eam uſque diem magiſtratus & præfecturas obtinuiſſent, ne uno aut altero abdicato cæteri ſe injuriâ affectos conqueri poſſent, aut ſuffectis in eorum locum aliis, qui idonei videbantur, regnum Carolo Duci Munſterbergenſi, Georgii Regis nepoti, Bohemicæ originis, adminiſtrandum committeret, indito ei novo nomine, ut pro præfecto Capitaneus Pragenſis appellaretur.

Bohemiam Carolo Duci Munſterbergenſi gubernandam committit.

Confectis in hunc modum in Bohemia rebus, in Pannoniam reverti, ac in itinere ad Stanislaum Turzonem Olomucium divertere conſtituit. Ad quam urbem potiores ex Iglavia cives ad certum diem ad ſe convocandos cenſuit, quos quum adveniſſent, ſeveriſſimis verbis caſtigavit, quòd ſpretis veteribus divinarum legum interpretibus ad novas & depravatas, ob idque à ſummo Pontifice & Cæſare damnatas Lutheri opiniones tranſiiſſe dicerentur. Sed illis ſub extremi ſupplicii pœna mandare, ut quam primùm ad ſanitatem redeant, & illius dogmatis ſectatores procul à ſe & civitate arceant. Interim verò Joannem Speratum, qui illis mutandæ religionis occaſionem attuliſſet, captum & vinculis conſtrictum Olomucii reliquit.

Iglavienſibus, ut Lutheranâ ſectâ ſe abdicent, imperat.

1522. Speratum auctorem hæreſis carceri mancipat.

Reverſo in Ungariam, ac quemnam in locum Petri Berislavi, Proregis Illyrici non ita pridem à Turcis interfecti conſtitueret, deliberante, non parum ea in regione detrimenti acceptum eſt. Nam Turcæ Oſterviciam arcem cum oppido in ſubjectis Licæ & Carbavæ campis ſitam, quam olim Bela Rex, dum à Tartaris in Dalmatiam pulſus per ea loca cunctaret, oportuno loco condiderat, improviſâ, eâque nocturnâ irruptione ceperunt; tum quòd à paucis defenderetur, tum verò quòd milites quidam corrupti, ad quos vigiliæ ejus noctis pertinebant, locum hoſtibus introeundi ſumma cum perfidia dediſſent. Tentaverunt eodem tempore per ſimilem fraudem etiam Tininum, Scradinum, & Crupam nec opinato occupare; ſed virtute præſidiariorum, & præcipuè Germanorum, qui ab Auſtriæ Principe Ferdinando erant impoſiti, magna cum cæde rejecti fuêre. Itaque Joanni Carlovicio, è Romano Torquatorum genere orto, Ciryaci illius magni, qui Andreæ ſecundi Regis tempore claruit, pronepoti, ac Franciſco Battianio, in Uladislai patris aula, ac deindè cum ipſo ſimul à teneris educato, viris domi militiæque claris provinciam adminiſtrandam tuendamque demandavit.

Turcæ in Illyrico Oſterviciam arcem invadunt.

Carlovicio ac Battiano Illyrici præfectura demandata.

Inſequens annus Georgii Sacmarii Archiepiſcopi Strigonienſis morte inſignis fuit, qui condito teſtamento LX. millia nummûm aureorum, præſtantis formæ & puritatis, qui imagine corvi annulum roſtro prementis, Mathiæ nempè Regis notâ ſignati erant, ad redimendas arces, quæ pro corona Ungarica Friderico Cæſari & Auſtriæ Principibus oppignoratæ ſunt, legâſſe proditur. Sed eam pecuniam Ludovicus ad ſe receptam, cùm nihil de arcibus redimendis tranſegiſſet, ad varios uſus, & imminentia à Solimano graviſſimi belli neceſſitates impendit, atque arces ipſæ amplæ & celebres uſque ad hunc diem ab Auſtriacis detinentur. Erepto fatis Georgio Strigonienſem dignitatem adeptus eſt Ladislaus Salcanus, Luduvico charus, quem ſuorum conſiliorum moderatorem habebat. Exceſſit non diu pòſt è vivis Georgius quoque Frangepanus, Colocianus Archiepiſcopus, quem annis anteà circiter duobus Vormatiam ad Carolum Cæſarem miſſum fuiſſe diximus.

Georgii Sacmarii Strigonienſis Archiepiſcopi mors & legatum.

Ladislaus Salcanus in ejus locum ſubrogatus.

Obiit & Georgius Archiepiſcopus Colocenſis.

Quia verò amiſſo Belgrado non Bacis tantùm & Colocia, quæ duæ Archiepiſcopales ſedes habebantur, ſed etiam proximæ regiones frequentioribus hoſtium excurſionibus & rapinis obviæ expoſitæque erant; ideòque acri & induſtrio viro, qui non ſolùm ſacerdotii auctoritate, ſed etiam armis militarique virtute provinciam tueretur, committendæ videbantur; diu quæſitum eſt ab ipſo Rege & aliis multis, quinam illi ſufficiendus videretur: poſtremò omnium votis & ſuffragiis Paulus Tomoræus Regi commendatus eſt, quòd is anteà clarus & inſignis equitum ductor, arciſque Budenſis præfectus, commutato vitæ militaris inſtituto ad religionem Monachorum, qui à Divo Franciſco nomen ducunt, pio ſalubrique conſilio tranſiiſſet, omniumque judicio ad id muneris aptiſſimus haberetur. Sed quoniam fatale Ungaris Tomoræi nomen nos admo-

Paulus Tomoræus illi ſuffectus.

1522. admonet, ut pauca de eo dicamus, haud incongruum ei memorando hunc locum fore putamus.

Tomoræi origo & varia fortuna.

Nobili & honeſtâ familiâ Tomoræâ, è Gemerienſi provincia ortus, in Tranſſilvania contra Siculos, & bello ab agreſtibus concitato fortem operam navavit; deindè aliis præliis conſilio manuque juxta haud ſpernendus, literis latinis eruditus, animo ingenti induſtrioque fuit; cùmque nobilem in propinquo puellam Puthooquianam (id familiæ nomen eſt) ſibi ducendam deſpondiſſet, illaque ante nuptias immiti morte erepta eſſet, ad alterum prædivitis viduæ matrimonium uxorem applicuit. Verùm quum illa etiam, antequam conjungerentur, pari fato diſceſſiſſet, inſperato duarum ſponſarum obitu territus, quaſi divinitùs ab ineundo conjugio prohiberetur, ſe perpetuò cælibem victurum, ac religionem quampiam ingreſſurum votis nuncupatis profeſſus eſt. Indè quum Bartholomæus Prior Auranæ, ex Equitum Rhodiorum Ordine, qui cælibem vitam agunt, diem ſuum obiiſſet, ejus dignitatem, quanquam ſingulari ſtudio & maximis precibus contenderet, à Ludovico conſequi nequaquam potuit, quòd eam Mathiæ Baracio diſpenſatori ſuo diu ante promiſſam alteri nequaquam dare poſſe reſpondiſſet.

locus corruptus videtur.

Igitur quum huic quoque petitioni fortuna ſucceſſum eripuiſſet, Vilacum ſe contulit ad Cherium, quæ in Sirmio ſunt, ubi celebre Capiſtrani inter Divos relati templum ſepulchrumque habebatur; ibique ſumpto Monachi habitu, circumtonsâque comâ religioſum atque auſterum vitæ genus amplexus eſt, eique ſingulari erga Deum fide & pietate, omnibuſque officiis, quæ ſacro viro conveniunt, ſatisfecit. Eum igitur vel reluctantem, ac ingenuè ſe excuſantem Ludovicus, adhibitâ etiam, quò magis obtemperaret, Legati Pontificii auctoritate, collegio Monachorum exemptum, Colocenſi dignitate, ac earum partium militari præfecturâ honeſtavit, quibus uſque ad ſuum & Ludovici interitum domi forìſque cum laude præfuiſſe viſus eſt.

Paulus Baquitiinus cum fratribus à Turcis ad noſtras deſciſcit partes.

Nec multò poſtquàm Tomoræus in Frangepani locum ſucceſſit, ac Baciam adventavit, Paulus Baquitius è Thracia nobili & militari Græci ritûs ſtirpe ortus, quum Turcarum inſolentias ferre ampliùs non poſſet, apud quos in ſuſpicionem mutatæ fidei inciderat, crebris Tomoræi literis & nuntiis, non inſcio Rege, ſollicitatus, cum quinque fratribus egregiæ virtutis fortitudiniſque viris, Petro, Clemente, Manuele, Demetrio & Michaële in Ungariam venit, ſuperatis ingenti animo, ſed magna cum difficultate, Turcarum inſidiis, quas ei per omnia ferè itinera & compita collocaverant. Ei Ludovicus Laccum in Semigio ſitam arcem, quam cum ſuis inhabitaret, liberali munere aſſignandum curavit, donec ampliora dare poſſet, atque ii poſteà omnibus bellis fortem fidelemque operam Reip. navavêre.

Michalbegoglius Sirmium ferro flammâque depopulatur.

Ejuſdem anni autumno Ferhates, quem Turcæ à familiæ ſtemmate Michalbegoglum cognominabant, è Varboſania Boſnæ provincia, cui præerat, aliiſque finibus, collecto exercitu, XV. circiter equitum millibus, ac mille peditibus trajecto Savo in Sirmium irrupit, ac obvia quæque igne & ferro vaſtare, oppida populari, ac magno abacto pecorum numero hoſtiliter graſſari quaquaverſum cœpit, relictâ apud naves, quibus copias trajecerat, peditum dimidiâ parte. Sed priùs quàm hoſtes iter verſus Savum intendiſſent, Tomoræus de eorum conſiliis & conatibus per exploratores certior redditus, ſuis, ut parati & inſtructi ad imperia eſſent, in mandatis dederat: prætereà Laurentium ducem Sirmii, Jacobum Banffium, aliosque, ut certo loco, quanto poſſent militum numero conſiſterent, ſeque ibidem præſtolarentur, admonuerat. Ipſe cum ſuis copiis, ac turma equitum Pauli Baquitii fratrumque ejus, ac Raditio Boſithio, claſſis Danubianæ, quæ poſt captam Nandoralbam ad Varadinum Petri excubabat, præfecto, ad conſtitutum locum prior venit. Franciſcus Bodo, Joannes Callaius, ac Stephanus Bardius clari equitum præfecti ei ſe in itinere conjunxerunt. Sed Laurentius valetudine & affectâ ætate impeditus eò ſe conferre non potuit, Thomam tamen Boſniacum, ſuorum militum præfectum cum equitibus utriuſque armaturæ, ac cohortibus ſclopetariorum maturè tranſmiſit. Itaque quum è peditibus pugnacem & impigrum quemque ſelegiſſet, eos Georgio Battianio præfecto Varadini Petri attribuit, additis mandatis, ut Turcas, qui ad navium cuſtodiam relicti erant, aggredi, eiſque fugatis naves ripæ ſubducere, aut ſi integræ capi nequeant, inutiles reddere conarentur.

Tomoræus collectis temerè copiis hoſtes reprimit.

Quibus diſpoſitis ipſe in Ferhatem, incendiis & populationibus longè latèque metum & pavorem circumferentem, caſtra exercitumque movere, ac cum eo prælii fortunam experiri conſtituit; quum id omnibus ad unum præfectis probari intellexiſſet, cumque uno aut altero milliari confecto in hoſtium antecurſores incidiſſet, ii nullo exſpectato noſtrorum congreſſu, retrò quà venerant, præcipiti fugâ ferri, ſuos de Ungarorum adventu certiores reddere, & ut deprehenſis in crimine accidit, inter ſpem metumque pavidè fluctuari cœpêre. Ferhates ſuos palantes, ac prædâ captiviſque onuſtos in ordinem aciemque cogit, atque in noſtros omnibus copiis provehitur. Sed quum propiùs ventum eſſet, Turcis noſtrorum acie conſpectâ animus concidit, ſimulque captivi omnes vinculis exuti dimittuntur (neque enim noſtris incumbentibus trucidari poterant) prædaque, quò expeditiores ad prælium forent, ad ſilvam Poliacam, quæ iſthic viæ militari imminebat, projici jubetur.

Tomoræus ac Banffius obequitantes, ut ſceleratiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, latrociniis & rapinis infames, qui ſocios & innoxiam plebem crudeliſſimè & avariſſimè cædere, atque in diram ſervitutem abducere conati eſſent, intrepidè invadere, eorumque cæde & ſanguine manibus miſerorum hominum parentare, deque immanibus humani generis prædonibus acerbiſſimas pœnas exigere ne dubitarent, ſuos ſublatâ voce cohortabantur. Tum verò Bodonem & Bardium in hoſtes ruere, inque eorum adverſis pectoribus haſtas perfringere, ac poſteà gladiis rem gerere jubet; ipſe cum reliquo exercitu eorum veſtigiis inſiſtere pergit. Quanquam autem Turcæ pugnam ægerrimè ſuſtinerent, quia tamen nullus fugæ locus, naveſque procul erant, certamen ad occaſum ferè Solis protraxêre. Verùm poſteà ſclopetariorum vim,

1522. toties improſperè tentatam, majoribus viribus denuò oppugnandam decrevêre, tati inteſtinis Ungarorum à Rege juvene diſſenſionibus, eorumque fatali negligentia facilè in poteſtatem redigi poſſe, eaque capta ſe totius Boſnæ & Illyrici imperio haud magno labore potituros.

Turca Jaiciam obſident.

Igitur Uſreffus Varboſaniæ præfectus in locum Ferhatis nuper ſuffectus, cum Sinano Monaſterii, qui locus in Acarnanis Epiri montana parte eſſe dicitur, ac Balibego Taurunni ac Samandriæ præfectis, collatis in unum ſententiis ac viribus, coactoque ad XX. & ampliùs millium Turcarum exercitu ad obſidendam Jaiciam contenderunt. Majora etiam tormenta currulia octo, præter minores colubrinas, ac inſtrumentorum oppugnandis urbibus haud parvam copiam in caſtris habebant. Nondum ſe Jaiciæ præfectura abdicaverat Queglevitius, vir fortis, & qui in omnes hoſtium conatus intentiſſima cura vigilaret; habebatque legatum Blaſium Cherium Pannonium, pari fortitudine virum inſignem. Is paucis antè menſibus à tribuno Turca, qui à ſuis Gem vocabatur, ad ſingulare certamen provocatus, congreſſusque, quum nec inopinata ſorte unà cum equo humi procidiſſet, pedesque cum equite iniqua conditione pugnaret, ſiniſtrum hoſtis crus uno ictu, immani illato vulnere detruncaverat, ita ut pes imus ſimul cum calceamento & calcari decideret, atque ille eodem momento exanimaretur.

Hi Regem de conſiliis hoſtium tempeſtivè certiorem reddidêre, ac ut auxilia in tempore mitteret, multis precibus poſtulavêre. Intereà Petrus de frumento, farina & commeatu, pecoriſque certo numero, ex remotioribus locis, atque ex ſuis fundis (proxima enim quæque fugientibus metu hoſtili incolis deſerta erant) in arcem convehendis proſpicere, quæve neceſſaria tolerandæ obſidioni erant, ſumma diligentia induſtriáque curare. Jam Turcæ ab aliquot diebus muros urbis atque arcis ab ea parte, qua Corvini tempore oppugnatos meminerant, continuis tormentorum ictibus diruere cœperant: quum Ludovicus haud ignarus, quantum momenti in conſervando eo loco poſitum eſſet, quanquam Proreges Illyrici ſumma poteſtate, ùt diximus, Joannes Carlovicius, & Franciſcus Battianius deſignati eſſent, nec quicquam de eorum fide, ac militari virtute dubitaret; munus tamen ferendorum obſeſſis auxiliorum Chriſtophoro Comiti Frangepano ante alios committendum duxit. Cujus quidem viri virtutes ne ſileantur, non incongruens fore crediderim, hoc loco paucis expedire.

Chriſtophorus Frangepanus obſeſſis ſuppetias ferre jubetur.

Is ſuperioribus annis Maximiliano Cæſari cum Venetis acerrimum bellum gerenti operam præſtitit, à Bernardino patre equis, armis, pecunia adjutus inſtructuſque, Cæſarianarum partium ſtudioſiſſimus ante omnes habitus eſt, adeò ut Maximilianus ſingularis judicii Princeps, eum ſui exercitûs, quem in Foro Julio, ac Hiſtria & Carnis habebat, ducem deſignare, eaſque provincias defendendas ei committere non dubitaret. Cui oneri ille tam Cæſaris, quàm aliorum judicio egregiè ſatisfecit: nam Venetorum copias Paulo Maufrono, & Balthaſare Scipione ducibus, Maranum Cæſaris oppidum in Foro Julio, ad intimum maris Adriatici ſinum, atque Aquileiæ paludes ſitum, terra marique haud ſegniter oppugnantes, vulnerato Scipione, fuſos & fugatos obſidionem ſolvere coegerat, trireme una præcipuæ celeritatis ab eis capta, militumque majori parte cæſa. Oſophum Venetarum partium oppidum, aſperitate loci & opere muniiſſimum, parum aberat quin ad deditionem compuliſſet; niſi Bartholomæus Livianus Venetorum Imperator cum tota mole copiarum auxilium ei ferre maturaſſet. Præterea poſt pulſos à Marano Venetos, vigilando & agendo cuncta, quæ ab ora maris ad Opiterginos montes, & ad ſuperiora Carnorum juga vergunt, uſque ad Liquentiam flumen in poteſtatem Cæſaris redegerat: poſtremò eùm Altinarium fines, & ſaltuoſa Carnorum perambularet, ut ad renovandum bellum populos concitaret, ab Epirotis Equitibus, qui Venetorum ſtipendia merebant, in inſidias præcipitatus, non ſine vulnere captus fuit. Sed quum à Venetis, quibus infenſiſſimum ſe hoſtem exhibuiſſet, libertatem nullis aliis conditionibus, niſi pace cum Cæſare factâ, & captivis utrimque dimittendis recuperaturus eſſe videretur, eaque res ſpe ſuâ diuturnior, ac indies magìs in ambiguo eſſet, mirà nec infelici aſtutia vinculis & carcere ſe expedivit. Uxor ſiquidem è Vindelicia Gurcenſis Cardinalis ſoror, virilis ingenii fœmina, Venetias accerſita, quum in carcere eum muliebri veſte induiſſet, caputque & genas ſubtili linteo obvolviſſet, deceptis aut corruptis cuſtodibus virum eduxit; iſque paratis ad fugam navigiis ſumma celeritate ſe ad mare proripuit, & directu versùs Tergeſtum Cæſarianæ ditionis oppidum curſu unà cum conjuge in tutum evaſit.

Elogium ejus & res geſtæ.

Ad hunc itaque tanti nominis virum quum à partibus Ferdinandi Auſtriæ Principis, ad quem, cedente fatis Cæſare, jus atque hæreditas illarum provinciarum reciderat, in patriam rediiſſet, quòd diſciplinæ militaris, ac ductandi exercitûs magnum uſum & peritiam habere diceretur, Ludovicus literas ac nuntios mittit; preces & promiſſa addit, ac ut Jaicianis laborantibus opem ferat, ab eo magnopere contendit; neque is pro ſumma in patriam charitate, ac erga Regem ſtudio id oneris ſubire detrectavit. Igitur Carlovicio & Battianio de Regia voluntate facilè ei cedentibus, copias undique contrahit, veteres duces & præfectos Petrum Cruſitium à Cliſſia, Gregorium Orloucium Senia maritimis locis evocat, Frangepanos gentiles ſuos cum amplis clientelis, nec non Georgium Baglaium, Joannemque Zrinium Comites, Matthiam Baracium Priorem Auranæ, ad capienda arma, & ferendum laborantibus auxilium incitat: nobilitatem armatam ſub ſignis in caſtra properare jubet; ita ut paucis diebus ſatis amplam manum militum in ſpeciem juſti exercitûs coëgiſſe videretur. His copiis idoneum tormentorum, & ſulphurei pulveris, pilarumque numerum comportandum curat, ac civitatibus vecturam imperat, inſtructoque in ordinem exercitu progreditur; ſic ut de veteri officii ſui prærogativa Carlovicius & Battianius, tanquam provinciarum præſides, in quibus bellum gerebatur, cum ſuis militibus antecederent; medio loco tormenta, & onerarii currus commeatu onuſti collocarentur; ipſe eos non procul ſequeretur, ad danda & accipienda minori negotio imperia; poſtremum verò agmen ab equitibus & peditibus ſarcinariorum jumento- 1522.

 rum

1522. rum præſidio attributis more militiæ clauderetur. In hunc modum progrediente exercitu, qui circiter XVI. millium hominum numerum conſtituebat, à Dubicia juſtis paſſibus, quantum montana & ſaltuoſa loca concedebant, facto itinere, ſeptimis caſtris obſeſsâ urbe haud procul conſedit; ibique cùm ejus diei reliquum & inſequens nox proceſſiſſet, quiete militi conceſsâ, diſpoſitiſque per loca idonea excubiis, cætera in diem craſtinum diſtulit.

Poſtero die Turcæ valido equitum numero noſtris obviàm prodiêre, cum quibus ſecundo prælio certatum fuit, noſtrique captis & interfectis ex hoſtium numero pleriſque ſuperiores evaſêre. Cùm autem Frangepanus obſeſſos jam panis & cibatiorum penuriam ſentire intellexiſſet, opportuniorem occaſionem quærebat, quâ invectis ſubſidiis eos recreare poſſet. Itaque parte copiarum caſtris ſubſidio relictâ, cum reliquis in lunatam aciem compoſitis arcem verſus provehitur eo propoſito, ut Turcas prælio intentos diſtinere, ac eò faciliùs, quod volebat, ad effectum perducere poſſet. Cùm ad prata ſeu viridaria, quæ Regia vocantur, perveniſſet, Petrum Cruſitium, attributis ei paditum validis cohortibus, ut cum commeatu, quem ad faciliorem vehendi commoditatem clitellariorum equorum dorſis impoſuerat, in urbem evadere tentet, in mandatu dat. Ipſe cum Joanne Tahio, quem Prior Auranæ Baracius ſuî loco in caſtra miſerat, & cum reliquo exercitu ad turcica caſtra, quæ ad meridionalem plagam locata erant, iter intendit.

Jaicia repulſis Turcis commeatum infert Frãgepanus. Quod Turcæ conſpicati, caſtris tumultuariè effundi, nec certamen detrectare inceperunt. Noſtris idem animus, eadem mens fuit, qui hoſtium impetum promptiſſimè excipientes ampliùs tribus horis acerrimè pugnavêre, & Turcas, ne commeatus inferri poſſet, magnâ vi prohibere conatos, quum etiam ii, qui in arce oppidoque erant, eruptione factâ exiiſſent, vehementique illatâ impreſſiona, plurimiſque occumbentibus ſubmoverunt; ita ut Chruſitius feliciter urbem intraret, & depoſito commeatu, ac certâ pulveris ſulphurei copiâ, nec non centuriâ ſclopetariorum ibidem relictâ, incolumis ad ſuos rediret, & à Frangepano duce, cæteriſque ſociis ſingulari gaudio exciperetur.

Quâ confectâ re tametſi Turcæ toties expectatam capiundæ urbis occaſionem ſuâ etiam confeſſione haud obſcurè amiſiſſe viderentur, rati tamen noſtros invectis ad urbem alimentis contentos, eâ quâ venerant viâ redituros, eiſque abeuntibus ſa obſidione continoatâ aut vi, aut dolo, aut certè deditione locum expugnaturos; incepto nequaqnam abſcedendum exiſtimabant, & omnia quæ ad oppugnaſionam opos eſſe videbantur, nequaqnam ceſſantibus tormentis ſummâ vi ſummàque curâ adminiſtrabant. Contrà Frangepanus cætarique duces pari obſtinatione in id omnibus viribus ſibi incumbendum ſtatuebant, ut Jaicianos, qui ſpem omnem in eorum dextris collocaverant, periculo exemptos omninò liberarent.

Prætererant complures dies, poſtquam in conſpectum Jaiciæ perventum erat; ſed ex quo in viridariis regiis conſediſſent, tres jam dies totidemque noctes tranſegerant, adeò propè collatis caſtris, ut clamores & fremitus caſtrenſes mutuò exaudirentur, noſtrique & hoſtes eodem flumine equos & jumenta aquarent: quæ res minutis præliis exercendis non levem quotidie occaſionem adferebat. Eò autem adducta res erat, ut ſi hoſtis in aciem prodiret, Frangepanus ſpem de obtinenda victoria certam ſibi promitteret ob inuſitatam & incredibilem ſuorum pugnam poſcentium promptitudinem & audaciam. Sin minùs, eum ad conſerendas manus provocandum, atque univerſæ pugnæ caſum ſubeundum judicaret, quòd intelligeret à certiſſimis exploratoribus, qui magnis affecti præmiis ſingula hoſtium conſilia ſcrutabantur, nec non transfugis quotidie adventantibus, Turcarum vires dilabentibus peditibus, qui è numero Uſcocorum & Morolachorum, ac ejuſmodi collectitiorum hominum genera conſtabant, indies decraſcere; nec ullis Imperiis contineri in officio poſſe. Quam ob rem ſuis, ut in diem ſequentem armis animiſque parati ad pugnam ſint, edicit, ac ante auroram paucis ſuos cohortatus, ut memores eorum, quæ anteà magnâ ſæpè gloriâ geſſiſſent, animos certâ ſpe vincendi confirmarent; neque partam per tot annos militiæ laudem infeſtiſſimis hoſtibus cedendo, abjicere aut corrumpere paterentur: quos toties & nuper in Sirmio præclarè deviciſſent, tubis ac tympanis crepantibus ſignum invadendi hoſtis indicit.

At Turcæ audito fremitu & tubarum clangore dubii animis, utrùm noſtri ſe ad profectionem parare, an rem ferro decernere in animo haberent, ad omnem fortunæ eventum ſeſe abſque mora comparare, arma clypeoſque induere, & equis properè conſcenſis imperia Ducum expectare. Tum inalbeſcente cœlo cùm noſtros plenis paſſibus, ac expanſis equitum alis in aciem prodire conſpexiſſent, præcedebant autem, ut diximus, Carlovitius & Battianius agmina, caſtris repentè effundi cœpêre, vix inſtruendis ex adverſo aciebus ſpatium nacti, niſi Uſreſſus, ac circumcurſantes ii, quos ipſi Chauſios vocant, & Balibegus eos tumultuantes compoſuiſſent. *Prælium acre ineutur.* Noſtris in confertos hoſtes acerrimo impetu ruentibus, pari utrinque pertinaciâ & vario eventu aliquot horis pugnatum eſt. Opportunè autem Frangepanus duos mediocres falcones ad proximos colles protrahi juſſerat, quibus hoſtes à latere petebantur, eorumque pilis ferreis ante congreſſum multi ex hoſtibus ceciderunt, inter quos Uſreſſi legatus propinquitate ei junctus unà cum equo diſcerptus interiit; quo cadente hoſtium acies nutare cœpit. Quo animadverſo Frangepanus ſublato clamore, ne victoriam, quæ jamjam in manibus eſſet, remiſſiùs inſtando, interpellarent, ſuos animare; idem cæteri duces agere, & ubi opus eſſet, pugnam reſtaurare, milites ſpei plenos verbis factiſque accendere.

Tandem quum ſigniferis cæſis aliquot à noſtris capta eſſent ſigna, hoſtes diſſipantur, tergaque dantes præcipiti fugâ in montes & ſilvas quà quiſque viam invenire poterat, feruntur. *Turci cæduntur, & multis amiſſis in fugam conjiciuntur.* Uſreſſo & Balibego periti locorum & viarum ad evadendum adjumento & ſaluti fuêre. Sinanus interſecto, quo vehebatur equo, quum alterum prementibus noſtris conſcendere non poſſet, pedes & leviter ſaucius profugit, diuturniſque erroribus per avia & deſerta loca circumactus ægrè ad ſuos pervenit. Magna promiſcui & gregarii militis ſtrages paſſim edita, caſtra & tormenta, ac non parva commeatûs

copia

1524. copia tentoriaque, & omnia impedimenta in noſtrorum poteſtatem devenêre. Sed Frangepanus fugientes ultra Bacuntium amnem proſequi prohibuit, quòd ſolutâ urbis obſidione, eâque commeatu & rebus neceſſariis munitâ ſatisfactum famæ & gloriæ ſuæ arbitraretur. Eis tamen, qui hoſtibus metu perterritis, & paſſim errantibus, acriùs inſtandum putarent, facilè id conceſſit, plurimi ex eis eùm eo die, tum inſequentibus capti ac è fuga retracti ſunt, aut repugnantes interfecti. Noſtrorum pauci interiêre, complures tamen ſauciati.

Jaicia ſolutá obſidione rerum copiá munita.

Munera Ludovico ex victoriæ proventu ampliſſima miſſa ſunt, & inter alia tentorium Uſreffi, elegantiſſimi operis, acu pictum cum LX. ſignis militaribus, ac tubicinibus ac tympaniſtis, tormenta in arcem urbemque collocata. Frangepanus munita rebus neceſſariis Jaiciâ, præſidióque firmatâ incolumem reduxit exercitum, ita ut Carlovitius & Battanius, qui progredientia agmina eundo præceſſerant, iidem priſcæ conſuetudinis ordine obſervato redeuntium terga tuerentur. Ludovicus ſupra Sirmienſem hæc quoque geminatâ victoriâ felix & incredibili affectus lætitiâ, Deo Optimo Maximo actis publicè gratiis enim pro fortiter navata opera, partoque de hoſtibus inſigni triumpho collaudatum, ſtipendiiſque & muneribus liberaliter excultum, novo titulo honeſtavit, ut regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Defenſor appellaretur. Carlovitium quoque & Battianium, cæteroſque duces partim bonis & latifundiis, partim præfecturis & ſtipendiis pecuniaque donavit. 1524.

Uſreffi tentoriū ex ſpoliis Ludovico Regi donatum.

Frangepanus Defenſor Sclavoniæ deſignatus.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER VIII.

Quietiores poſteà res ab externo hoſte aliquamdiu fuêre, ejus ferociâ duplici clade repreſsâ, ac Solimano, redactâ in poteſtatem Rhodo, domeſticis rebus otioſè vacante; niſi inteſtinarum ſeditionum turbulentiſſimæ tempeſtates, quæ nonnihil conticuiſſe videbantur, ſubitò exortæ, Reip. tranquillitatem non mediocri invecto malorum turbine agitare ac perturbare cœpiſſent. Nam Stephanus Verbecius, neque jactatæ tot incommodis & periculis patriæ charitate permotus, neque maximis à Rege juvene beneficiis acceptis mitigatus, Vaivodanæ factionis ſtudia, ejus ut palàm erat, opibus ſubnixus, majore quàm anteà conatu viriumque contentione ad ſummam obtrectationem & contemptionem partium Regiarum reique publicæ perniciem refricanda atque amplificanda ſuſcepit.

Verbecius Vaivodanæ factionis moliriones iterum exſuſcitat.

Tametſi autem boni publici causâ, promovendæ Reip. ſe laborare præ ſe ferret; re tamen vera eò contendebat, ut quum Ludovicus quartum jam annum ductâ uxore nullam prolem ſuſcepiſſet, ſi quid ei humanitùs contingeret, Vaivodæ ad conſequendum regnum certiora fundamenta jacerentur, traductâ in ſuas partes nobilitatis ac popularium hominum voluntate. Cui rei perficiendæ ille, ut dictum eſt, variis artibus ambiendo, donando, apertis clanculariiſque largitionibus animos hominum oppugnando, omnem quam poterat operam aſſiduè impendebat.

Tentaverat Ludovicus Verbecium datâ ei arce Dobravinâ, quæ prope Zolium inter montanas civitates habetur; delato inſuper ad eum honeſtiſſimæ Romanæ legationis munere, delinire: ſed vir contrariarum partium ſtudiis inveteratus, planèque obſtinatus, nullis benignitatis obſequiis placari potuit. Vim verò in præſentiarum adhibere minimè conducebat, quòd ille magnis non ſuis duntaxat, ſed etiam Vaivodæ clientelis, ac popularis factionis aſſeclis ſtipatus, paratis etiam armorum præſidiis ſe defenſurus videretur, tantamque ſeditionem concitaturus, quam vix à Rege juvene, nec ullam inter ſuos auctoritatem obtinente, & proceribus, qui regias partes utcunque defendendas ſuſcepiſſe videri volebant, avaritiâ atque deſidiâ cumprimis laborantibus, ſedari atque ſopiri poſſe in aperto eſſet.

nequicquam eū largitionibus deliniente Ludovico

Erant complures hujus facinoroſi conſilii participes; ſed inter primos Michaël Zobius, ac plerique alii nobiles; quorum animos ambitione atque avaritiâ depravatos, non inopia aut alia neceſſitas, ſed magis ſpes Vaivodanæ dominationis, & conſequendorum magiſtratuum ac honorum ad res novas incitabat; nec pati poterant æquo animo Bathorium ſupremo Palatinatûs honore potiri, ad quem in creando Rege primas & potiores partes pertinere, quemque ſuis votis & conſiliis vehementiſſimè obſtare non ignorarent. Ei igitur ante alios perniciem machinabantur; ſed ipſe frequentioribus armatis cuſtodiæ adhibitis, ne circumveniri poſſet, intentiore curâ advigilabat, Regique potiſſimùm & amicis ſe ac ſalutem ſuam commendabat.

Cùm igitur Comitia ad campos Peſthanos, qui Racoſii à præterfluente ejus nominis rivo appellantur, indicta eſſent, frequentes è Pannonia & Illyrico Proceres convenêre; inter quos Chriſtophorum Comitem Frangepanum partâ nuper Jaicianâ victoriâ clarum Ludovicus admodum benigno vultu, neque vulgari honore excepit. Deinde ad ſtipendia militum, & ſupplementum Danubianæ claſſis, mittendaſque ad Summum Pontificem & cæteros Principes pro auxiliis petendis legationes, cæteraſque publicas neceſſitates, pecuniam & ſumptum poſtulavit: poſtremò in eos, qui Regis aut Palatini mandatis ſurdâ aure obauditis periclitantem Remp. aut cunctantes, aut ſerò, aut nullâ ope adjuviſſent, pœnam, quâ in eos animadverteretur, ſtatui petivit, ac deinde Budam ſe recepit.

Comitia in campis Peſthanis habita.

Tum verò Verbecius anſam expoſtulandi, ac concitandæ multitudinis ſe nactum arbitratus, quòd prætoriâ poteſtate cæteros anteſtaret, in hunc modum ad populares ſuos loquuturus fertur: " Equidem dum præteritorum annorum

Verbecii oratio vi-

1524. *[illegible] ac ſeditioſa.*

„norum recordatio animum ſubit, ac majorum noſtrorum res domi foriſque præclarè geſtas, quibus apud cæteras gentes magni clarique fuêre, animo contemplor, ac cum his noſtris temporibus componere ſoleo, continere me haudquaquam poſſum, quin haud mediocrem vim lachrymarum profundam, quòd eos ingentibus bellis pro Republica Chriſtiana prudenter ſuſcepria, ac ſumma virtute & felicitate confectis, fuſis fugatiſque barbarorum exercitibus, hoſtibus & æmulis ſub jugum miſſis, benè geſta & defenſa Republ. æternam nominis famam ad poſteros tranſmiſiſſe videam. Ladislaum enim, qui inter Divos numeratus eſt, ut cæteros omittam, Cumanos & Tartaros, aliaſque barbaras nationes Ponti accolas, innumerabilibus copiis Pannoniam depopulantes, repetitis vicibus ad internecionem deleviſſe, opimis ab hoſtium duce ſpoliis relatis legimus. Andream libertatis nobilitatiſque noſtræ auctorem, ad recuperandam à Chriſtiani nominis hoſtibus Syriam & Paleſtinam, ſanctamque urbem Hieroſolymam vires & arma cum cæteris Chriſtianis Principibus conſociaſſe, victoremque cum incolumi exercitu & triumphantem rediſſe. Carolum & Ludovicum ejus filium recuperata à Venetis Dalmatia, promotiſque ultra Adriaticum Tyrrhenumque mare armis, Siciliam Neapolimque obtinuiſſe ſatis pro comperto habemus. Et ne vetuſtioribus commemorandis tempus extraham, mea memoria Mathias clariſſimus & fortiſſimus Rex noſter hoc regnum ſuum, patriam hanc noſtram Pannoniā ſola ejus ope, viribuſque & ſubſidiis adjutus non ſolum ab infido & truculento hoſte Turca protectum reliquit, Jaicia Sabacioque receptis, eorumque exercitibus aliquot magno prælio ſuperatis; verùm etiam Ferdinando Regi ſocero ſuo contra Turcas, qui Hydrontum in Salentinis urbem ceperant, auxilia haud contemnenda tranſmiſit, quibus hoſtium ferocia repreſſa, & è Italiā excedere coacti fuêre. Taceo Auſtriam clariſſima & munitiſſima urbe Vienna capta in poteſtatem redactam, Moraviam & Sileſiam provincias Regno adjectas, victorias de Polonis ac Bohemis reportatas: domi perduellibus domitis, pacem & tranquillitatem partam: ſuos, qui bellicis in rebus fortem operam navaverant, ditatos, ærarium plenum, Remp. in tuto relictam. Quæ quidem complures ex vobis, qui variis bellis ab eo geſtis, ſingulari ejus benignitate remunerati interfuiſtis, adhuc meminiſſe, ejuſque memoriam grato animo retinere & colere haud dubitaverim; ſed quænam mutati in deterius principatûs cauſæ extiterint, quidve converſo rerum ſtatu Remp. domi conſilio, foris viribus imminutam & labefactatam reddiderit, dubitare forſitan quis poſſet. Verùm jam primum ſatis conſtat, ea tempeſtate Remp. hominibus integra fide & virtute ſpectatiſſimis, quorum animi non ambitione, non avaritia, aut ſimilibus flagitiis cooperti eſſent, demandari conſueviſſe; aut ſi quid tale contrà emerſiſſet, non ſine acerbitate vindictæ coërcitum. Sua Senatoribus, ſua equeſtri Ordini jura inviolata fuiſſe: potentiorum vis ne imbecilliores opprimeret, providebatur: pecuniæ & proventus Regii è fodinis auri, argenti, æris, ferri, ſalis, plumbi per idoneos homines abſtinentiſſimis manibus colligebantur: pecoris majoris minoriſque ingens numerus, regia vectigalia auctiora cumulatioraque reddebat: ut aulæ etiam neceſſitatibus ſuſtinendis ſupereſſet. Qui ærario præficiebantur, Principis animo oculiſque omnia perluſtrantis curæ & imperio parere gnari, quantum impendio diligentiâque poterant, non ſibi, ut nunc fit, ſed Reip. pecuniam, nervos rerum, cumulandam exiſtimabant: ita ut bellis aut ſuſcipiendis, aut propulſandis parata ea ad publicos uſus haberetur: novæ ac inuſitatæ contributiones, ne avaritiâ aut crudelitate magiſtratuum regno turbando occaſio eſſet, bonorumque ademptione, ſi majeſtatis quæſtio eximatur, procul aberant. Bonis conſiliis proſperè cuncta procedebant, nec adeò à magiſtratibus proprii lucri & commodi, quàm quæ Reip. conducebant, certa ratio habebatur. Contrà hoc tempore eò magis noſtrorum hominum, qui Remp. adminiſtrant, avaritiam & habendi libidinem deteſtari lubet, & certè juvat, qui optimi Regis noſtri juvenili ætate abuſi posthabitâ Reip. curâ regnum prædæ loco habere nec verentur, nec erubeſcunt: peſſimi nimirum homines facinoris impunitate freti, qui Regem juvenem, & per ætatem conſilii inopem, nec uſu rerum, experientiâ, judicio, ſolerti ingenio, aliiſque vitæ munimentis, quæ progreſſu temporis & ætatis acquiri ſolent, vigentem, ideòque refrænandis eorum ſceleribus minùs validum eſſe videant. Unde fit, ut jam rapaciſſimis & crudeliſſimis homuncionibus, nec recutitis & ſemijudæis præcluſo aditu honores & magiſtratus pateant: quibus ſi quæ vel levis neceſſitudo ingruat, exhauſto eorum peculatibus ærario, ad conflandum cum magno fœnore æs alienum illicò ſit confugiendum. Quæ quidem mala non lamentis, aut muliebribus querelis tranſmittenda; ſed præſenti ope avertenda ſunt: nam niſi id primo quoque tempore fiat, & ab ejuſmodi harpyiarum inexplebili ingluvie, ope & prudentiâ veſtrâ liberemur, non procul dubio peribimus; aut, ſi verius dicendum eſt, jam perimus.

Quapropter viri præſtantiſſimi, ſi vobis cordi eſt, ut maximè eſſe debet, patriam oppreſſam reipſa juvare; ſuadeo & hortor, ut excuſſâ, quâ hactenus torpuiſtis, deſidiâ, animos ingentes ac invictos reſumatis, & mecum unà ad promovendum bonum publicum, cujus res imprimis agitur, impigrè accingamini. Sed quia brevitas temporis tantam moram concedere non poſſe videtur, ut tot tantiſque malis avertendis tam repentè conſuli, aut manus admoveri poſſint: poſtquam perniciosiſſimum genus hominum, qui Regem dies & noctes circumſiſtunt, nec optimis conſiliis aures præbere patiuntur, conatui noſtro vehementer officiat: cenſeo ut ad xv. ab hinc diem omnes quotquot hic ſumus, facta ſeceſſione ad oppidum Hathuanum diſcedamus, atque ibi extra æmulorum invidorumque noſtrorum oculos de remediis bono publico ſtabiliendo neceſſariis mutua conſilia & opes conferamus: eâ abſentibus & recuſantibus acerbitate pœnæ irrogatâ, ut quicunque ad eum diem conſilio noſtro intereſſe noluerint, & bonum publicum communi conſilio præſentes juvare neglexerint, bonorum ademptione, & graviſſimo honoris exiſtimationiſque diſpendio, ac perpetuo exilio plectendi jam nunc lege lata pronuntientur. Quod ad me attinet, viri præſtantiſſimi, nequaquam committam ut aliquid in me induſtriæ,

fidei,

1524. „fidei, & erga communem patriam pietatis & of-
„ficii deſiderari queat; quin potiùs omne meum
„ſtudium, diligentiam, opes, facultates pro eo
„ac debeo, vobis ac patriæ, quâ nihil charius
„habeo, trado atque devoveo: ita ut ſi opus fore
„videbitur, vitam ipſam atque animam pro ea
„profundere non ſim recuſaturus.

Conſpiratio adverſus Regem boni publici causâ.

Vix hæc finierat, cum omnes magno aſſenſu ejus ſententiam approbavêre, ſublatoque clamore extemplo dilabi cepêre. Inter quos primus omnium Michaël Zobius collectis ſarcinis & impedimentis viæ ſe dedit; cæteris identidem admonitis, ut quos patriæ amor ac honoris cura tangeret, ſe ad Hathuanum euntem ſequi quamprimum maturarent. Rex auditâ Verbeeii & nobilitatis conſpiratione, hominis ambitioſi inconſtantiam perfidiæ conjunctam deteſtatus, mutuo cum ſuis habito conſilio Palatinum ad eos retinendos Danubium ſine mora trajicere juſſit. Sed jam complures unà cum ſeditionis auctoribus, citatis equis paſſim diſceſſerant: qui vero adhuc in comitiorum loco haud pauci relicti erant, vix contineri potuêre, quin manus ab eo temperarent, ab inconditis certè clamoribus, & conviciis ac probris minimè abſtinuerunt, pauciſſimis e prudentiorum numero, ne ſe nefariæ ſeditioni, cujus Rex & ſenatus propediem acerrimi futuri eſſent vindices, in patriæ perniciem, & Regiæ auctoritatis contemptum adjungere vellent, perſuaderi potuit.

Hatvvanum conjurati ſecedunt.

Atrocis rei novitate perculſus Ludovicus, quum ſenatum quid faciendum cenſeret, propoſuiſſet; atque is ad multum diei deliberando proceſſiſſet, Rege ſe intereà in proximum cubiculum recipiente, parum abfuit quin aliud facinus ferè par, aut niſi properè ſedatum foret, neſcio an non majus & atrocius deſignatum foret: duobus clariſſimis viris primùm ad rixas & jurgia, deindè ad manus, poſtremò ad arma rem deducentibus.

Rixa inter Archiepiſcopum Strigonienſem & Comitem Frangepanum.

Nam quum Ladislaus Salcanus Archiepiſcopus Strigonienſis, & Chriſtophorus Comes Frangepanus, incertum quas ob cauſas acrioribus animis verbiſque inter ſe diſputando contenderent, nec alter alteri quicquam cedere vellet, Salcanus barbam Comitis, quam è captivitate Veneta elapſus promiſſam gerere continuaverat, liberiore manu attrectando violare auſus fuit: quâ contumeliâ ille iratus, uti erat injuriæ cujuſvis impatiens & iracundus, faciem ejus pugno ſeu palmâ viciſſim contudit. Cùm uterque ſublato clamore familiares clienteſque ſuos, qui in atrio complures gladiis accincti erant, convocaret, omneſque etiam, ad quos nihil ejus rei pertinebat, ignari caſûs, diſtrictis enſibus ac capitis ut fit, quæ quiſque poterat, armis, diſcurrerent: Rex audito ſtrepitu, ac inconditis ad arma conclamantium vocibus admirabundus accurrit, & ponere omnes arma extemplò ſub pœna capitis jubet. Tum verò re penitùs intellectâ quòd utrumque patrem appellatum ſingulari amore & benevolentiâ proſequeretur, novo nec opinato caſu vehementer eſt perturbatus. Et quum uterque de illata injuria queſtus, ultionem flagitii poſtularet, Ludovicus anceps animi & dubius, nec alterutrum offendere promptus, diu quid faceret, in ambiguo hæſit: poſtremò Frangepanum quòd ſarratum viſum inſolentiùs, quam par erat, læſiſſe videretur, in cuſtodiam ejus turris, quam, quòd imperfecta tecto careat, Maneam vulgus appellat, deducendum decrevit. Ubi quum per triduum fuiſſet, ac pro eo Franciſcus Battianius cum Carlovicio, cæteriſque Croatiæ Regulis & Comitibus vadem ſe præbuiſſet, eâ conditione dimiſſus eſt, ut ad certum diem, quem Rex juſſiſſet, ſe juri ſiſteret. Atque is, quum ſe gravi injuriâ affectum putaret, inſalutato Rege indignabundus domum redire, atque ad Ferdinandum, à quo venerat, ſe recipere maturavit. 1524.

Pugna inter Bornemiſſæ & Battianii famulos.

Inter miniſtros etiam Joannis Bornemiſſæ & Franciſci Battianii, ante arcis portam levi de cauſa diſcordiæ tumultuſque exorti ad arma erupêre, debilitatique vulneribus complures, ac plerique cùm curari non poſſent, interiêre. Sed & promiſcuum vulgus, cui nihil modicum aut temperatum eſt, eò inſolentiæ proceſſerat, ut poſthabitis legibus & magiſtratuum auctoritate, ac quod intolerabilius erat, ipſius Regis imperio atque edicto peſſima & indigna quæque facinora perpetrare nequaquam vereretur.

Promiſcuum vulgus Bohemici Cancellarii ſupellectilem diripit.

Nam & Adami de Novadomo, Bohemici Cancellarii, cui Ludovicus in arce hoſpitium dederat, currus & res omnes, ſupellectilemque ingentis pretii, cùm in Bohemiam redire vellet, facto impetu repentè diruit & diſſipavit; repulſis qui prohibere conabantur, portæ præſidiariis. Et niſi prætoria cohors ſceleratos prædatores armis ſubmoviſſet, noviſſimum id ei in Pannoniam iter fuiſſet.

Emerici ærario præfecti domum expilat.

Nec multò pòſt Emerici Fortunati domum valdè locupletem (quem è Judæo Chriſtianum factum ærario poſt Joannem Bornemiſſam præfuiſſe docuimus) magnâ armatorum multitudine nefariè invasêre, magniſque probris & maledictis Belgradi amiſſionem ejus culpæ & crimini objectantes, flagitioſiſſimè diripuêre: ablatis ex ea præter alias immenſi pretii res ampliùs ſexaginta millibus nummûm aureorum veteris ideòque probatiſſimæ monetæ: ſicuti ipſe domo profugiens, malè mulctatus cruentatuſque cum fletu & lacrymis affirmabat, undè ei maturatum exitium; nam ejus accepti detrimenti ingenti dolore victus, vir notabilis avaritiæ, ac ideò auri quàm vitæ cupidior, non multò pòſt è vivis exceſſit. Multa prætereà peſſima dictuque enormia flagitia effrenis juventus, ac plebis indiſcreta multitudo nuſquam caſtigatâ licentiâ deſignavit; quæ defleri magis quàm defendi poſſunt:

Miſerabilis Hungariæ ſtatus.

nemo ſiquidem ſalutis & permanſionis Reip. curioſus erat; nemini civilis concordiæ ſtudium inerat. Sed omnes (neque iis qui ſacerdotii honore cæteros anteeunt, exceptis) libertate & licentiâ laſcivire, diſcordias agitare, ſua curare, peſſimis quibusvis ſermonibus aures præbere, denique otium & luxum cupere, diſciplinam & laborem aſpernari. Scio pleraque eorum, quæ paulò antè memoravi, parva forſitan & levia nonnullis videri, ac vix digna quæ literis mandentur: non tamen ſine uſu fuerit hæc quoque veluti fatalia exempla ad poſteros tranſmitti, ex quibus quaſi initiis nobiliſſimi Regni excidium manifeſtè appareat.

Rex Gallorum Franciſcus captus.

Intereà certis nuntiis allatum eſt, Franciſcum Gallorum Regem, dum Ticinium magnis viribus obſideret, à Caroli Cæſaris copiis obſeſſæ urbi opem ferentibus profligatum, ac infelici ſuâ ſorte, inſigni verò Cæſarianorum gaudio, captum eſſe.

Brodericus legatus ad Clementem Papam.

Quum autem eodem tempore Ludovicus ad Clementem Pontificem, in urbem opis implorandæ gratiâ legatum mitteret Stephanum Brodericum Epiſcopum Vacienſem, dedit ei in mandatis, ut Franciſcum in arce Piſleone, quæ ad Abduam flumen ſitum eſt, cuſtodirum convenire, ſuoque nomine conſolari: operamque

& ſtu-

1525. & ſtudium omne ſuum, ſicubi ea uſui eſſe poſſint, offerre non prætermitteret. Quæ res Franciſcu Regi non mediocri ſolatio fuit; ita ut ſi aliquando ope divini Numinis libertatem conſequeretur, juveni Regi, ſibique ſanguine juncto, ejus benevolentiæ pietatiſque erga ſe ſtudium omnibus grati animi officiis recompenſaturum polliceretur.

Franciſcum nomine Ludovici Regis viſit & conſolatur.

At Verbecius & Zobius cùm maximâ coactâ armatorum multitudine Hathuanum perveniſſent, de Republica aſſerenda, ejuſque ſtatu reformando conſilia inter ſe agitare cœperunt: ac paribus votis & ſuffragiis decreverunt, ut omnes, qui hactenus quocunque magiſtratu functi eſſent, eo ſe ſtatim abdicarent: exceptis Tranſſilvaniæ atque Illyrici præfectis; aliique in eorum locum a reformatoribus boni publici, quo nomine ſeſe appellabant, ſublegerentur. Nec mora Stephanum Bathorium ambitûs lege damnatum Palatinatûs dignitate privant: eamque ipſi Verbecio, quamquam ſpeciem recuſantis & inviti præferret, cum plena poteſtate attribuunt: ac poſteà ſeditioſiſſimos quoſque & audaciſſimos è nobilitate ſeu Equeſtri ordine deligunt, Budamque ad Ludovicum & proceres, qui cum eo erant, quorumque conſilia metebatur, expediunt; qui eos ad Comitia Hathuanum boni publici promovendi causâ invitent.

Verbecius ac Zobius omnia turbulentis conſiliis Hatvvani turbant.

Regem & proceres ad comitia Hatvvani vocant,

Sed Rex ad ea Comitia, quæ factioſi & maleferiati homines contra leges injuſſu ſuo promulgâſſent, ſe nequaquam iturum reſpondit; contrà ut potiùs, ſi nollent majeſtatis læſæ crimine damnari, ſolutis comitiis domum quiſque ſuam repetat, eis ſeverè mandavit. Sed refractarii ac pertinaces homines, nihil intermiſſâ ſeditione, alios legatos è ſeditioſis iterum ad Regem mittere decreverunt, publicâ novi Palatini ac nobilitatis fide interpoſitâ, Regi ſecurum iter & reditum promittentes; ſimulque eo admonito, ne adventum ſuum longiùs differendum exiſtimaret; nam ſi venire ad ſuos nollet, qui non aliam ullam ob rem, quàm Regiæ & Reipubl. ardentiſſimo ſtudio promovendæ in unum conveniſſent, ſe cum univerſa manu armatæ nobilitatis Budam venturos.

boni publici obtentu.

Rex in re tam ancipiti quid caperet conſilii, per ætatem non ſatis expediebat: neque enim inconſtantis & indiſcretæ multitudinis fidei tuto ſe committendum ducebat: & ſi illi Budam veniſſent, ab armatis & furore exagitatis majores & atrociores tumultus, rerumque omnium confuſionem metuebat. Et ſanè non parvâ admiratione dignum videtur, tantam in Rege, aut ſi eum ætas aut inexperta juventus excuſet, in proceribus, conſiliorum arbitris, negligentiam aut deſidiam viguiſſe, ut non ſtatim perduelles bello & armis perſequendos, ac de eis juſtas pœnas exigendas eſſe exiſtimaverint. Sed ejus ſæculi depravati mores, ac omnium ordinum par incuria, propriæque rei ſtudium hæc mala invexiſſe, ſibique ac patriæ extremum interitum peperiſſe videntur. Itaque adductus conſilio ſuorum Hathuanum eſt profectus, arce ac urbe Budenſi, & Reginâ Joanni Bornemiſſæ ac Alexio Turzoni, quem ærario præfecerat, commendata.

Cùm in conventiculum ſeditioſorum ventum eſſet, ii ſingulari ambitione atque impudentiâ perorante Verbecio, quæ ab ipſis decreta erant, enumerare, atque ut iis conſentiat, petere; ac ſive indulſerit, ſive abnuerit, ſe ea retenturos, quæ in commune quàm maximè conducant, ſuperbo ore dicere. Ad ea petito deliberandi ſpatio per Ladislaum Strigonienſem Archiepiſcopum reſpondit, ſe nullas recipere conditiones, nullis ſubſcripturum decretis, quæ injuſſu ſuo, abſente ſe, per factionem & ſeceſſionem in ſuam contumeliam & contemptum authoritatis majeſtatiſque ſuæ turbulenter conſtituta ſint: neque ſe paſſurum, ut Stephano Bathorio, quod nulli antè Ungarorum ejus faſtigii viro contigerit, magiſtratus Palatinalis tantæ dignitatis abrogetur: quem ipſe conſentientibus regni ordinibus, & ſi quid ad ſtabilimentum pertineat, etiam Bohemis ac Moravis adſtipulantibus ei detulerit; quove ille hactenus ſummâ fide & æquitate functus ſit. Proindè ſe in eum finem illuc veniſſe, ut eorum conventicula irrita reddat: ſimulque eis ſub læſæ majeſtatis noxa jubeat, dilabantur è veſtigio domos ſuas, ac poſt certum tempus Budam veniant, ibique ſe præſente & moderante, de Reip. ſalute & permanſione, ſi quid velint, deliberent; hanc ſeceſſionem peſſimi exempli etiam apud poſteros fore; ſeque, ni reſipiſcant, ejus acerrimum fore ultorem.

Rex Hatvvanum ſe confert.

Seditioſis per Archiepiſcopum Strigonienſem acriter abſiſtit.

Cùm hæc dicta eſſent, nullâ factâ morâ, conſcenſis curribus, eâdem quâ venerat viâ Budam reverſus eſt. Cùmque dies comitiis præſtitutus adveniſſet, etiam eorum magna pars, qui cum Verbecio & Zobio in partes ſeceſſerant, pœnitentiâ tacti adfuêre. Sed quum cæteris ſilentio prætermiſſis Verbecius & Zobius veluti perduellionis capita ſemel atque iterum citari, ad nomen non reſpondiſſent, ſingulorum ſuffragiis proſcripti & in exilium pulſi ſunt: & hic quidem in exilio non multò pòſt è vita migravit; ille autem in Tranſſilvaniam ad Vaivodam profugit, à quo liberaliter exceptus fuit. Prætura, quam Verbecius per multos annos adminiſtraverat, poſtremò turbator pacis & tranquillitatis fœdaverat, per Ludovicum Nicolao Turocio delata: Stephano autem Bathorio magiſtratus Palatinalis, ſedente pro tribunali Rege, maxima cum honoris præfatione reſtituta eſt: & omnia quæ Hathuani per ſeditioſos decreta erant, antiquata. Ludovicus his remediis quanquam mitioribus, ac duorum tantùm exilio contentus, turbatas res & ruentes, modico in præſens levamento paravit: ita tamen ut majora & atrociora inobedientiæ ac contemptûs ſigna in communem perniciem vergentia haud obſcura cernerentur: & ejuſmodi rerum confuſiones & perturbationes futuram, jam jamque haud procul diſtantem Reip. cladem prænunciarent.

Factioſorum magna pars delavitur.

Verbecius & Zobius ſeditionis faces proſcribuntur.

Verbecio prætura adempta Turocio confertur.

Palatinus in integrum reſtituitur.

Dum in hunc modum res turbidè ac negligenter adminiſtrantur, ineuntâ adhuc hyeme nunciatum eſt, Solimanum maximos in Europa & Aſia belli apparatus facere, ſuiſque copiarum præfectis, ut parati & rebus omnibus inſtructi ſint, in mandatis dediſſe: ſe ad prima veris initia in caſtra deſcenſurum, ac more majorum expeditionem contra hoſtes ſuſcepturum: famam autem conſtantem ſpargi, eum ob cæſos legatos Ludovico & Pannoniis denuò infeſta arma illaturum. Eadem ad Tomoræum & Vaivodam Tranſſilvanum à certiſſimis exploratoribus, quos magnis impendiis apud Turcas alebant, ſecretò allata, à Bogdano etiam Moldaviæ, & Radulone Tranſalpinæ Valachiæ Principibus, Ludovico clientelæ nomine antiquitùs ſubjectis confirmabantur: qui ſe ab hominibus ſuis, quos cum annuis tributis Conſtan-

Bellum Mohacienſe 1526. Clades Mohacienſis.

1526. ſtantinopolim miſiſſent, non ita pridem reverſis haud diſſimilia didiciſſe ſignificabant.

Solimani expeditio in Hungariam

Appetebant jam pedetentim haud dubia veris ſigna, quum Tomoræus non contentus ea per literas & nuntios frequenter ſignificâſſe, levioribus ad celeritatem quadrigis conſcenſis, menſe Martio ad Ludovicum venit, qui tunc in Viſegradienſi ad Danubium palatio amœniſſimo cum Regina erat: retulitque Solimanum propediem cum exercitu in Pannoniam omninò venturum: poſſe eum tranſitu Savi prohiberi caſtellis in citeriori ripa idoneis in locis è materia extructis, ac mediocri colubrinarum apparatu & præſidio munitis, ſed ad tantum opus perficiendum vires ſibi exiguas eſſe: operæ quidem & diligentiæ, quam Reipublicæ pariter & Regi debeat, ſe minimè parſurum, ſi juſto ad reſiſtendum comparato exercitu, rebusque neceſſariis juvaretur. Quanquam non deerant, quæ hæc Tomoræi conſilia fruſtrà ſuſcepta in effectum deduci poſſe negarent: & Solimanum Belgrado jam & Sabacio potitum, tot tantasque copias ſecum raptare ſolitum, nullis obicibus, quin Danubium aut Savum tranſiret, retardari aut prohiberi poſſe contenderent.

Ludovicus comitia indicit.

Itaque Rex tanto imminente periculo permotus, adhibitis in conſilium iis Proceribus, qui cum eo erant, Regni Ordinibus comitia ad diem Divo Georgio dicatum ſine mora per literas indicit, graviſſimis cauſis, quæ ſe ad indicendum compellerent, brevi ſermone enumeratis. Frequentes ex omni ordine cùm conveniſſent, ſe iturum in caſtra, viresque tam ſuas, quàm aliorum Principum undequaque collectas hoſtibus oppoſiturum prompto animo obtulit: atque ii viciſſim ſeſe cum eo unà profecturos, omnemque fortunæ aleam ſubituros, communibus ſuffragiis decrevêre. Dies quoque calendarum Julii, ad quem exercitus ad Tolnam conveniat, deliberatur; quod erat ampliſſimum ad ripam Danubii oppidum.

Exercitum & res bello neceſſarias comparat.

Dimiſſis Comitiis ad comparandas res bello neceſſarias applicat: prætoriano militi, ut armis equisque ſe inſtruant, edicit: tormenta bellica in meliorem formam conflanda reſtauranda que, pulveremque ſulphureum majori copiâ undique convehendum, naves tam bello, quàm pontibus conſtruendis idoneas, ac tabulata pluteosque conficiendos curat. Budæ, Peſtho, cæterisque civitatibus imperat, ut jumenta & equos robuſtiores ad tormentorum curruum & pilarum ferrearum vecturam tempeſtivè curent.

Bohemorum & Moravorum auxilia ſollicitat.

Bohemos & Moravos literis & nuntiis frequentioribus hortatur, & urget, ut quum non Pannoniæ ſolum, ſed etiam ipſis & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſummum diſcrimen impendeat, de ferendis adverſùs communem hoſtem auxiliis, ac ad diem & locum conſtitutum expediendis omnem curam & diligentiam adhibeant.

Item Sileſiorum & Luſatiorum.

Ut in Sileſia ac Luſatia, quæ provinciæ equitatu ante alias pollebant, idem fiat; datis ad earum provinciarum præfectos peculiaribus mandatis, jubet. Accuratiùs etiam & diligentiùs in Senatu actum eſt, quis ducendo exercitui imperator aut dux eſſet eligendus, quòd Vaivoda cum Palatino magnis contractis ſimultatibus & odiis diſſidere, nec alii ex noſtratibus, aut Bohemis ad tantum obeundum munus idonei facilè reperiri poſſe viderentur. Cum ſententiæ variarent, poſtremò, ut alter ex duobus clariſſimis bello viris, aut ſi id Reipublicæ expediret, ambo deligerentur: 1526.

Comes Frangepanus & Nicolaus Comes à Salmis Duces bello gerendo petiti.

Chriſtophorus nempè Comes Frangepanus, de cujus virtutibus ſuprà retulimus, & Nicolaus Comes à Salmis, qui Carolo Cæſari operam militarem navans, quum in pugna Ticinenſi Franciſcum Regem Gallorum manu cepiſſe diceretur, maximè inclaruerat, ac præcipuum in re militari ductandoque exercitu nomen erat adeptus. Verùm hic affectæ ætatis valetudine, quâ minùs commodâ utebatur, ac Principis Ferdinandi obſequiis, quibus erat addictus, ſeſe excuſavit; ille verò nondum obliteratâ carceris memoriâ, in quem ſuperiori anno, ùt diximus, ob rixam cum Ladislao Archiepiſcopo Strigonienſi contractam juſſu Ludovici conditus fuerat, non quidem conditionem apertè recuſâſſe; ſed ſe conſilio uſurum, & brevì de ſua voluntate eum certiorem redditurum reſpondiſſe dicebatur.

Clemens Papa.

Ante omnia Clementem Pontificem ſummis precibus fatigavit, ut eam pecuniam, quam ſacro huic bello juvando in Pannoniam miſerat, quanta præſens neceſſitas poſtularet, ſummâ ſuperadditâ augere & amplificare vellet.

Carolus V. Imp.

Ad Carolum Cæſarem, quòd anno ſuperiori contractis cum Iſabellâ Emanuelis Luſitaniæ Regis filiâ nuptiis in ulterioris Hiſpaniæ Bœthicæ urbe Granata eo tempore eſſet, ob anguſtiam temporis & itinerum difficultatem mittere non potuit; per literas tamen non tantùm ſuas, ſed Mariæ conjugis egit cum eo quàm diligentiſſimè:

Rex Ferdinandus

ſed Ferdinandum Principem Auſtriacum, qui in Comitiis Spiræ Cæſaris fratris legatum agebat, ac cæteros Germaniæ Principes,

Germaniæ Principes.

miſſo ad eos per equos diſpoſitos Thomâ Nadaſdiu, urgere, & acriùs ſolicitare non deſtitit, orando & obteſtando, ne in auxiliis, quæ promiſerant, expediendis tardarent, aut moram diuturniorem committerent; quandoquidem adverſis rerum Ungaricarum ſucceſſibus, tantundem ferè periculi provinciis Auſtriacis & Germaniæ finibus quantum ſuis procul dubio pararetur.

& Sigiſmundus patruus,

Sigiſmundus Poloniæ Rex, vicinus idemque patruus, in propinquo regnabat, armis viriſque potens; ſed induciarum Turcicarum vinculis ante aliquot annos uſque adeò irretitus, ut eas potiùs inviolatas ſervare,

ut Hungaris in extremũ diſcrimẽ adductis opem ferant, rogantur.

quàm laborantibus Ungaris & Reipub. Chriſtianæ in diſcrimen adductæ opem allaturus crederetur: ne ſcilicet arma barbarorum & vires in ſe ac ſuos populos concitaret. Suis tamen, qui voluntariam militiam exercere, ac ad corporis ſtipendia in Pannoniam ire vellent, facilè indulſit: quorum ut numerus, ita ſubſidium exiguum fuit.

Imploratur & Franciſcus Gallorum Rex.

Haud diſſimiliter per Oratorem in Galliam celerrimo curſu expeditum, Franciſco Regi arctâ ſibi conſanguinitate juncto, qui nuper è captivitate Cæſaris, in libertatem reſtitutus erat, ut eorum, quæ in cuſtodia Piſleonina, ſi recuperare libertatem poſſet, de vindicanda à barbaris Pannonia fuiſſet pollicitus, meminiſſe, ſibique hoc tempore opis vel maximè indigenti ſubvenire vellet, demiſſis precibus in memoriam revocabat.

Ut donaria eccleſiarum in neceſſaria belli ſubſidia convertantur, decernitur.

Et quia pecunia ad bellum in ærario ob præfectorum malam adminiſtrationem deerat, decretum in comitiis fuit, Regique permiſſum, ut donaria, resque aureæ & argenteæ templorum, quæ à piis mortalibus ad uſus divinorum miniſteriorum antiquitùs data eſſent, ſi ita Reip. neceſſitas poſtularet, Rexque & Senatus cenſuiſſet,

1526.

ſet pro certa parte in ſtipendia militaria ac varias belli neceſſitates verterentur. Quod ut permiſſu & auctoritate ſummi Pontificis veluti ſacrorum Principis extra aliquam piaculi noxam fieri poſſet, Joannes Antonius Burgius, Pontificius apud Ludovicum legatus, ſummâ adhibitâ celeritate, brevì obtinuit: delectique ad exigendas ex ſemeſſe res, iiſdem comitiis ſunt (quæ tamen à Sscerdotibus Reip. ſupremam neceſſitatem expendentibus haud gravatim proferebantur) Ladislaus Macedonius, Epiſcopus Sirmienſis, ac qui in monetam conflandas curarent, ac eâdem formâ militibus dividerent, Nicolaus Gerendius, ac Franciſcus Docius, Urbani quondam Theſaurarii ex fratre nepos, ſupra hæc omnia præfecti ærario, majoribus Sscerdotum collegiis, quæ Capitula ac Conventus vulgò appellantur, & Præpoſitis, Abbatibus, aliíſque locupletioribus decreto ſenatûs pecuniam imperârunt. Liberæ demùm civitates, quotquot in Pannonia erant, nec non incolæ Saxonicarum in Tranſilvania civitatum, mercatores etiam & pecuarii ad contribuendum, ultra ſolitum adacti fuère: adeò ut brevi interjecto tempore tantum auri atque argenti accumulatum fuerit, ut non impar neceſſitati ſumma omnium judicio collecta eſſe videretur: niſi fatalis in exequendo mora interceſſiſſet, eamque incredibilis hoſtium in progrediendo celeritas anteverteſſet.

Aderant enim intereà nuntii cum literis à Tomoræo, Vaivodaque & aliis miſſi, qui Solimanum juſtis itineribus cum exercitu adventare, nec jam procul Tauruno eſſe affirmarent. Legati verò, quos in Galliam & Germaniam miſſos retulimus, nulla ſe à Principibus auxilia hactenus præter tarditatem & procraſtinationem obtinuiſſe ſignificabant. Bohemi & Moravi, quanquam ſæpiùs mandatis regiis urgerentur, pari ſegnitie moram trahebant. Nec multò pòſt alii poſt alios nuntii ſupervenêre, à quibus ad Regem certò perlatum eſt, Solimanum ad Belgradum ſeu Taurunum perveniſſe, jámque Savum tranſire cepiſſe. Quâ hoſtis velocitate permotus, ac planè perturbatus, ne ſi omnes copias ac impedimenta cum tormentis ibi trsjiceret, Dravum quòque eâdem celeritate ſuperaret, ac ſpe & opinione celeriùs Budam versùs appropinquaret: Ambroſium Sarcanum, ſummæ auctoritatis virum, ad Palatinum, qui tunc in arce fratris ſui Georgii Bathorii, Babocia, prope Dravum ſita, copias cogebat, magnis itineribus properare juſſit: ut copiis ex Simigio, Baronienſi, Tolnenſi, Saladienſi ac vicinis regionibus ſeu provinciis exercitum quamprimùm comparare, & hoſtem Dravi tranſitu, quantum poſſet arcere contenderet: quod oppido Eſſeco occupato, ac idoneis præſidiis firmato fieri poſſe exiſtimabat: ſe quòque non aliud expectare, quàm quoad ſuorum auxilia majori numero conveniant, quibus in caſtra receptis poſtpoſitâ omnis moræ difficultate propediem ad eas partes ſubſidio venturum. Palatinus, quamquam æger pedibus, mandata Regis exequi promptus, provincialibus illis mandavit, ut quamprimùm armati ad ſe properarent, ut Turcas Dravum ponte conſtruere conaturos prohiberent; aut ſi id, ut erat res ancipitis plena periculi, minimè ſuccederet, aliquot tamen dierum ſpatio, minutis præliis, ac minorum falconum pilis diſtentos, injecta mora retardaret. Sed quum provinciales incredibili

Rex Palatino mandat, ut hoſtem Dravi tranſitu arceat.

Sed pro-

ſegnitie mandata negligerent, neque ſe niſi ad Regem in caſtra conventuros dicerent, fruſtrà omnis labor ſuſceptus fuit: ipſéque incuſatis illis, ut deſidioſis & pigris, ad Regem Budam cum ſuis copiis contendit.

1526.

viaciales ejus mandata raſuper habent.

Intereà Solimanus trajecto Savo, & minoribus caſtellis quibuſdam facili negotio occupatis Varadinum Petri obſedit. Id oppidum eſt in Danubii ripa præalta poſitum; cui Georgius Benedicti Alapii, in familiam Battianiam adoptati filius, militari induſtriâ ac conſtantiâ juvenis cum non adeò magno militum numero præerat. Cùm autem tam ex continentis, quàm Danobii partibus, è quibuſdam biremibus & velocibus ferreæ pilæ in arcem magnâ vi conjicerentur, & mœnia vetuſti operis jam à decem vel pluribus diebus quaſſata decidiſſent, ut irruptio tentari poſſe videretur: Janiceri obſeſſos hortari cepêre, interpoſitâque fide promittere, quòd ſi arce excederent, liberi & incolumes, quò vellent abire permitterentur. Verùm quum illi, ut perfidis & ſceleratis hominibus, quibus nulla fides, nulla pacta, nihil recti & æqui ineſſet, ſe & ſalutem ſuam commiſſuros negarent, potiusque honeſtam mortem oppetere mallent, hoſtes magno ſublato clamore, itâ & furore percitti mœnia aggredi cepêre. Noſtri ad defendendum accingi, ſclopetis & colubrinis, aliiſque telis miſſilibus ſe & arcem tueri. Ad extremum ſpectante Solimano pauciores à multitudine ſuperati, & ad unum omnes interfecti fuère.

Solimanus trajecto Savo Varadinum Petri obſidet,

idque omnibus cæſis expugnat.

Ludovicus amiſſo Varadino Petri vehementer perturbatus & anxius, cum Prætorianis, & quæ cum Palatino convenerant, aliiſque, quas habere potuit, copiis Tolnam proficiſci conſtituit, ratus nobilitatem auditâ ſuâ in caſtris præſentiâ majori ſtudio & celeritate conventuram. Sed illa tantâ in rebus tam urgentibus ignaviâ & pigritiâ laborabat, ut quamquam Calendæ Juliæ diu præterierant; nemo tamen præſtituto die locóque priùs adfuit, quàm Regem eò veniſſe intellectum eſſet. Itaque ad XV. Julii, qui dies XII. Apoſtolis dicatus eſt, aſſumpto ſecum Palatino, ac Archiepiſcopo Strigonienſi, cum tribus circiter hominum millibus Budâ exceſſit, nec niſi in propinquo ſuburbano Ambroſii Sarcani, quod Erdum vocant, uno ab urbe milliari conſedit: quo in loco equum generoſiſſimum abſolutæ nigredinis & præſtantiſſimum, quem præ cæteris chariorem habebat, quamquam nullo ejus morbo antè animadverſo, repentè exanimatum amiſit. Quam rem complures ut malè ominatam in pejus interpretati fuère. Deinde poſt aliquot dies in aliud ſuburbanum Erchium progreſſus eſt, ibique aliquantum ſubſtitit, expectans ut nobilium præcipuis confluentibus caſtra majori numero militum augerentur. Sed præter Andream Bathorium cum non contemnenda ala equitum & peditibus adventantem nemo alius ad imperata comparuit. Ex eo loco Palatinum Tolnam præmiſit, ut ſe ibi expectaret, intereaque nobilitatem ad arma bellúmque concitaret, cæteráque neceſſaria & commeatum curaret. Poſt aliquot dierum inutilem moram mota exindè ſunt caſtra, itinere penes ripam Danubii facto, ad oppidum Pentelam, quod extantibus adhuc murorum reliquiis vaſtáque ruderum mole, antiquis Potentianam dictam fuiſſe nonnulli exiſtimant, primâ Atilæ cum Romanorum ducibus pugnâ nobilitatam.

Nobilitatis ſegnities in cogendo milite.

Rex Budâ ſe movet.

Intereà Franciſcus Battianius Illyrici præfectus, de more ejus gentis comitia ad oppidum

Franciſcus Bat-

Ra-

1526.

...tiantus conventum in Illyrica indicit, ut ſuppetiæ Regi ferantur, & Frangepanus Regis copiis cum imperio præeſſet, decretum

Racciam non procul Poſegâ diſtantem indixit: in quibus cum Chriſtophoru Comite Frangepano, ipſius potiſſimùm & Catlovitii collegæ operâ & ſtudio tranſactum eſt, ut copias, quæ ex Dalmatia & Illyrico cogerentur, ad Regem in caſtra perduceret, & iſthic imperatorio munere fungeretur; trecenaque millia nummûm aureorum in ſingulos menſes, donec bellum finiretur, decreta: inſuper ſancitum, ut nobilitas omnis viritim, & è plebe quinta pars idoneis inſtructa armis ad diem divo Jacobo Apoſtolo dicatum in caſtris adeſſet; & ſi quæ neceſſitas Reip. majorem numerum auxiliariorum requireret, permiſſum eſt quibuſdam præcipui nominis & auctoritatis viris, ut domi manere poſſent, ac quando à Rege juberentur, cum cætera nobilitate plebéque, quæ domi relinquebatur, in caſtra ſinè morâ properarent. Fuêre autem ex Criſienſi tractu, qui eo tempore longè latéque patebat, delecti Joannes Erneſtus cognomine Hampo, Sigiſmundus Paganus, Stephanus Praſciocius, & Balthaſar Hobettinus. Ex Vecaldienſi Ladiſlaus Ratcaius: ex Zagrabienſi verò Nicolaus Voicovitius, Adami protonotarii filius. Prætereà juſſus eſt ad eum diem cum ſuis & ejus tractûs copiis Joannes Banffius è Verucia adeſſe; idémque Manhiæ Bacacio Priori Auranæ injunctum, qui tamen valetudine impeditus ſui loco Joannem Tahium miſit, atque is ſatis validam equitum & peditum manum tempeſtivè adduxit.

Joannes Vaivoda etiam in Tranſilvania copias cogit

In Tranſilvania nihilòſecius Vaivoda, quantâ maximâ poterat diligentiâ & ſolertiâ, exercitum comparare, eique alendo neceſſarios commeatus locis idoneis convehere, milites clientéſque ſuos peculiares, quorum haud contemnendum numerum ex ſuo alebat, ad ſua caſtra convocare; Siculos, Ungaros, Saxones, Valachos ad arma capienda ſedulò ac ſeverè compellere. Sed antequam Rex Budâ moviſſet, eum per Gaſparem Vingartum, prægustatorem dapis ſuæ ſeriò admonendum curaverat, ut cum exercitu ad ſe venire maturaret; ex adverſo incertum quibus auctoribus, quove ſuaſore datis ſecretò litteris juſſerat, ut cum ſuis & Radulonis Tranſalpini copiis trajecto Danubio Thraciam & Bulgariam omnem populari, ignéque & ferro vaſtare vellet, ut hoſtis ſuorum periculo adductus, à Pannoniæ finibus abſtinere, & ad ſuos defendendos retrocedere cogeretur. Quod quidem conſilium quamquam plerique rerum bellicarum & Turcicarum periti, ut ſerum, anceps & inutile planè damnabant, neque facilè credebant hoſtem, ſuperatis Danubio ac Savo, jam intra viſcera Pannoniæ graſſantem, ullo ſuorum periculo ad reducendum exercitum cogi poſſe; quia tamen Ladislao Archiepiſcopo Strigonienſi, cui illud communicaverat, probabatur, per Urbanum Battianium, qui tunc fortè in Moldaviam ac Valachiam pro urgendis auxiliis mittebatur, ut ſi è Repub. fore videretur, tentandum atque aggrediendum ſuſciperet.

Poſt paucos dies miſſo rurſus ad eum Stephano Bathorio Somliano, ejus Stephani, qui poſteà in Polonia regnavit, patre, ut poſtpoſitis omnibus aliis rebus & curis ad ſe in caſtra properaret, imprimis vehementer jubebat. Quæ res Vaivodæ animum ſuſpenſum anxiumque tenuit, quum confuſus in hac mandatorum diverſitate fluctuaret; adeò ut ipſe quò minùs infauſtæ pugnæ intereſſe potuerit, Regi potiùs talia tamque diſcrepantia nuntianti, quam

Cur Vaivoda pugnæ non interfuit.

ſuæ tergiverſationi aut malignitati (quod poſteà à pleriſque objectum ei fuit) & tunc & poſteà tribuere ſolitus fuerit. Itaque conſultiſſimum fore ratus, ſi Regis mentem, miſſo ad eum peculiari ſuo homine exploraret ac cognoſceret, Georgium Bacium, ſcribam ſuum, ad eum in caſtra, quæ adhuc ad Pentelam erant, celerrimè tranſmiſit, qui ipſum in hac mutatione & perplexitate conſiliorum hærere admodum, nec quid eſſet faciendum, deliberare poſſe referret; ſimulque adjiceret, ſe ad omnia exequenda promptum, dummodo quidnam aggredi jubeat, planè certiùs explicet: illud enim de invadendo à tergo hoſte, ac Thracia & Bulgaria vaſtanda conſilium & ſerum eſſe, & longè quàm anteà facto difficilius; Radulone jure fœderis cum Turcis initi, quamquam invito ad caſtra Solimani unicum quem habebat filium mittere coacto. Commodiſſimum igitur & ſaluberrimum ſibi ante omnia videri, ut copias quamprimùm ex omnibus locis in unum contrahat; poſſe ex Ungaria & Bohemia, provinciiſque eò ſpectantibus, item ex Illyrico & Dalmatiæ partibus tanta auxilia brevi convenire, ut ſi his, quas ipſe è Tranſilvania ducturet, ac quæ in regiis caſtris jam haberentur, copiis conjungi, ac in una caſtra recipi queant; pares acerrimo hoſti vires in aciem producere, & de victoria benè ſperare poſſet. Quæ quum à Bacio cognoviſſet, eodem tempore ad oppidum Felduarium, perindè ad Danubii ripam poſitum, caſtra promovit, adducto ſecum Bacio; eumque illinc ad Vaivodam dies & noctes continuato itinere reverti juſſit, adjuncto ei, quò major mandatis ineſſet authoritas, ac eò citiùs ad Regem veniret, Joanne Statilio, Petri Berislavi, & Martini Bani, qui Belliccoſus dictus fuit, è ſorore nepote.

Vaivoda nuntiat ad Regem.

Per eoſdem nuntios dedit mandata tam ad univerſos Tranſilvanos, quàm ad Epiſcopum Joannem Goſtonium, & alios privatim, ac etiam (ſic ipſomet ſuadente) ad Vaivodam, ut ſub læſæ Majeſtatis pœna ſtatim promotis caſtris ad Regem properarent. Mittuntur etiam in partes Dalmatiæ & Illyrici ad Battianium, & Chriſtophorum Frangepanum, aliòſque Proceres, cum formulis ſimilium mandatorum, ne quid moræ in veniendo committant, in qua ineſſe ſummum periculum videretur. Et Ladislaus Macedonius ad Reginam magnâ celeritate remittitur, ut illa fratrem Ferdinandum, ejuſque in Auſtria præfectos urgeat pro auxiliis, aut potiſſimùm tormentis curulibus mittendis, quorum in caſtris parvus admodum numerus erat, utique Bohemos è propinquo cùm per litteras, tum per nuntios ſolicitet, præcipuè verò Joannem Mezericium, ut eas peditum cohortes, ad quas ſtipendium ab ipſa ex privato ſuo acceperat, quamprimùm in caſtra conduceret.

Rex novis mandatis urget, ut ſtatim promotis caſtris ad Regem properet. Mittit & in Illyricum, ad Ferdinandū & Bohemos, ut auxilia omni morâ abjectâ ſubmittant.

Quibus in hunc modum curatis quum Solimanum capto Varadino Petri ad Vilacum oppugnandum vires ſuas admoviſſe intellexiſſet, eâ quòque re haud parum animo conſternatus, exercitum promovit, nuſquam à Danubio ob commodiorem vehendi commeatus & aquationem diſcedendo, ac Idibus Auguſti ad Paxum, ibique non ampliùs biduum moratus, Tolnam pervenit, quod oppidum nobile, & omnibus rebus, quæ ad victum & caſtrorum neceſſitates pertinent, cùm anteà, tum præſertim eo tempore, quo Ludovicus cum exercitu eò

1526. expectabatur, refertum atque abundans erat.

Tolnam diverſæ Regis copiæ confluunt.

Rex Tolnam veniens Palatinum, quem ex ſecundis caſtris præmiſſum diximus, obvium habuit, ac paulò pòſt complures etiam alii ex proceribus explicatis, ſignis ac plenis benèque inſtructis ordinibus adfuêre. Inter quos Georgius Zapolianus, Comes Scepuſienſis, Vaivodæ Joannis frater germanus, cum mille ducentis ſclopetariis, ac trecentorum plus minus equitum ala ſupervenit. Annibalem etiam è Cypro inſula celebri oriundum, Carthaginenſem cognomine, cum ſuis copiis, & iis, quas Leonardus Gnojenius Polonus ducebat, quæ omnes Pontificiâ pecuniâ conductæ erant, & quatuor millia peditum ſelectorum conſtituebant, Ludovicus benignè ſuſcepit, & liberaliter habuit. Eodem tempore Paulus Vardanus Agrienſis, ac Franciſcus Perenius Varadienſis Epiſcopi, aliique utrinſque ordinis proceres armati in caſtra pervenêre.

Vilacum Turcis deditur.

Nec multò pòſt Vilacum quoque à perterrefactis noſtris, & diuturniorem obſidionem ferre non valentibus hoſti deditum eſt. Quam obrem quonam modo hoſtes Dravi tranſitu ad Eſſecom prohiberentur, qui Savum nemine qui reſiſteret obvio tranſiiſſent, frequenti Senatu conſultatum fuit. Id oppidum Romanorum olim coloniam fuiſſe, Murſamque appellatam Lazius exiſtimavit.

Eſſecum munitum ac Palatino imperatum, ut Dravi tranſitu hoſtem prohibeat.

Placuit autem Regi & Senatui, ut Palatinus, quemadmodum initio belli demandatum fuerat, occupato Eſſeco, ac præſidio militari tormentiſque munito, daret operam, ne hoſtis tranſire poſſet, aut ſi propter ingentes ejus copias vireſque arceri nequiret, moram tamen aliquam injiceret, donec copias, quæ ex variis locis expectabantur, in caſtra reciperet. Is quamquam podagricis doloribus & minimè commodâ valetudine vexaretur; juſſis tamen regiis ſine mora parere, nullum laborem detrectare, cæteris bonum exemplum præbere.

Sed Hungari Palatino obtemperare detrectant.

Sed erant in exercitu ſemina diſcordiæ ex ſeditioſis quorundam colloquiis jacta, qui nobilitate & proceribus corruptis indignas per contubernia voces ſpargebant, ſe nequaquam cum Palatino, verùm cum ipſo Rege in aciem & bellum prodire aſſuetos; hanc ipſis immunitatem ſalvam inconcuſſamque hactenus perdurâſſe, nec nunc violari permittendum. Quæ quum à proceribus ambitione diductis, proniſque omnium animis acciperentur, nec res procul ſeditione abeſſet, Palatinus, qui jam ad Mohacium cum ſua peculiari ala equitum & cohortibus proceſſerat, cùm nemo eum ſequi vellet, amiſsâ occaſione prohibendi à Dravo hoſtis, reque infectâ ad Regem in caſtra reverſus eſt.

Tomoræus hoſtium conatus inhibere conatur.

Tomoræus inter hæc, quum Varadinum Petri manu captum, ac Vilacum hoſtibus deditum accepiſſet, quamquam haud multò plura duobus millibus equitum in caſtris haberet, & peditum major pars in arcibus periiſſet, in alteram Danubii ripam caſtra ſua tranſtulit, ut quantum poſſet hoſtibus tam terrâ, quàm Danubio infeſtandis aut retardandis incumberet. Habebat etiam claſſiculam ex iis navigiis, quas Saicas aut Naſades vocant, ſatis firmam, cui Radicius Boſitius veteranus trierarchus Thrax præerat, ſed quæ cum hoſtili claſſe, utpote quæ è biremibus prædatoriis, quibus in mari pyratæ utuntur, ac aliis majoribus navigiis conſtaret, minimè conferri poſſe videretur.

1526.

Rex ſuorum ignaviam liberè carpit.

At Ludovicus ſuorum inobedientiâ, ac rei indignitate commotus, iráque percitus, in Senatu in hæc verba prorupit: "Video equidem in meo exercitu nulla diſciplinæ militaris veſtigia ſupereſſe, nihil modeſti, nihil quieti eſſe, omnia, quod ominari nollem, ad perniciem & ruinam compoſita, ut quum præſentiſſima neceſſitas arma hoſti inferre ſuadeat, libertates neſcio quas ignaviæ inertiæque ſuæ prætendant, ac vitam caputque meum diſcrimini objiciendum expectant. Verùm ne quid in me deſiderari queat, qui huic Reipublicæ & communis ſalutis cauſa venerim, cras DEO benè juvante eò cum ipſis progrediar, quò ipſi ſine me ire recuſant." Quæ Regis verba partim multo plauſu, partim non ſine admiratione eorum, qui intererant, excepta fuêre: ac è veſtigio dies craſtinus profectioni publicatus.

Batham verſus caſtra promovet.

Itaque Tolnâ digreſſus, Saxardium, nobile Monachorum Benedictinorum collegium, ac deindè Batham binis caſtris perventum eſt: imperatumque iis, qui per vicina loca ſparſi erant, ut ſine mora Bathani venirent: miſſuſque fuit Georgius Palinæus Epiſcopus Boſnenſis, qui Tomoræo Regis nomine juberet, ne ſuas copias regiis conjungere diutiùs cunctaretur. Quoniam autem Salmenſis Comes valetudine ſe excuſaverat, & Frangepanus nondum ad Regem pervenerat, quibus, ut antè dictum eſt, Senatus totius exercitûs curam, atque imperium deferendum cenſuerat, Ludovicus quum Batham veniſſet, nec res ulterius ſine publico detrimento differri poſſe videretur, in accuratiorem deliberationem deducendam cenſuit: ita ut omnium vota & ſuffragia ſecretò & ſeparatim exquireret, ac demum judicio calculoque ſuo metiretur.

Tomoræus & Georgius frater Vaivodæ duces exercitûs æquato imperio conſtituuntur.

Quæ quum majori ex parte ad Tomoræum inclinare, à nonnullis etiam Georgium Comitem Scepuſienſem nominari animadvertiſſet; duobus illis omnium copiarum imperium detulit, convocato exercitu publicavit. Quanquam autem uterque haud quaquam fictis & ſimulatis verbis ſe excuſaret; alter inexpertam juventutem, quòdque nec arma niſi in ludis & ſpectaculis induiſſet; alter vincula religionis, quam profiteretur, & imperitiam ac inhabilem labori ætatem cauſabatur; eminere alios, multis partibus ſuperiores, Palatinum, qui præſens ſit, & Vaivodam, quem brevi adfore ſperet, ambos ductandis exercitibus peritiores, & multis magniſque conflictibus ſæpè victores: Se juvenem minutis & ſubitariis excurſibus ac prœliis exercendis intentum fuiſſe; ſed juſtos exercitus ne conſpexiſſe quidem: proindè tantum onus humeris ſuis longè impar nequaquam ſuſcepturum, etiamſi capitis & vitæ diſcrimen ſubeundum ſit. Sed Rex in ſententia perſtitit, ac ſeriò mandavit ut ambo curam exercitûs æquato imperio adminiſtrent: quorum alter Georgius, quum diu pertinaciter recuſâſſet, ita demùm conſenſit, ut ſe illud muneris non diutiùs geſturum profiteretur, quàm quoad Vaivoda frater, aut Frangepanus adveniſſent. Paulò pòſt duces caſtris metandis locum capturi Mohacium proficiſci juſſi ſunt.

Mohacii ſitus

Fatalis nomini Pannonico is locus, ab occaſu Solis Quinqueeccleſias urbem celebrem, ab oriente alterum Danubii latus, (nam non

procul

1526. procul ſupra oppidum in duo ſcinditur, & inſulam efficit) à meridie Dravi ultra & Illyrici partem, quæ Sclavonia vocatur, reſpicit, interpoſitâ latâ planitie, nullis ſilvis aut vepribus impeditâ, quam tamen interſecat amnis, quem incolæ Caraſſum vocant, adeò paluſtris & ſtagnans, ut diſcernere, etiamſi diligentiùs intuearis, nequeas, in quam partem fluat, arundinetis & carectis, profundoque cœno impervius, niſi hieme, dum gelu conſtringitur. Ultra hunc Caraſſum Tomoræi caſtra erant, in queis præter peditum haud adeò magnam manum, ſeptem plus minus millia equitum habebantur; quos aut ipſe initio collegerat, aut Petrus Perenius Temeſuarii præfectus adduxerat, quoſque ſimul cum claſſe ab ulteriori Danubii ripa cis flumen trajeciſſe retulimus. Duces adhibito etiam Leonardo Gnoſenio, ejus rei, ut ferebatur, admodum perito, locum metandis caſtris commodum delegêre, deſignatis ſtativis, ubi ſinguli tendere, ubi currus, equos, impedimenta tabernaculaque collocare poſſent.

Tomoræi caſtra regiis conjungi abnuunt.

Quâ confectâ re, ac per collegam & Leonardum Rege certiore reddito, Tomoræus cum Petro Perenio ad ſua caſtra profectus eſt, ubi convocatis tribunis ac præfectis cùm regiam de conjungendis utriſque caſtris, & ſuam quoque voluntatem ſignificâſſet, eos ſpe ſuâ duriores, dictoque minus audientes reperit: nam omnes fremere, indignari, ambiguis clamoribus ſententiam conjungendorum caſtrorum impugnare, hæc eſſe perdendæ Reipublicæ, & interpellandæ victoriæ haud levia indicia, abduci ſe à conſpectu hoſtium, cum quibus, ſi ſe viros eſſe meminiſſent, fortiter congrediendum eſſet, non retrocedendum: Principes, qui hæc conſulant, otio & inertiæ aſſuetos, de fuga potiùs, quàm pugna, aut cruentandis enſibus cogitare: ideòque peſſima & flagitioſa conſilia Regi ſuggerere, ſe verò caſtra nequaquam moturos, ut terga hoſtibus invadenda obvertant, ſed Regem ad ſe expectaturos. Veniat modò, nec dubitet ſuis auſpiciis, & DEI Optimi Maximi ope victoriam in manibus fore. Superbire quidem hoſtem ingenti numero, & vi incunditæ multitudinis; ſed eam è viliſſimæ plebis colluvie hominum turbam eſſe imbellem, nudam, inermem, quorum vix decimo, aut vigeſimo cuique arma in promptu ſint. Certum ſiquidem & exploratum eſſe, omnem Turcicæ militiæ florem, ac fortiſſimum quemque militum primò in expugnatione Belgradi, ac deindè ſub Rhodo interiiſſe. Orare ſe duces & obteſtari, ut Regem ante omnia hortentur, ne ſe ab inerti turba ſacerdotum, ac aliorum, qui vitandæ pugnæ, expectandorum ſociorum auctores ſint, ſeduci ac decipi patiatur, ſed ceſſura proſperè omnia exiſtimet, ſi ipſe pugnaturus ad eos primo tempore proficiſcatur. Pervicaces, ac ſtolidè feroces militum animos mitigare conatus Tomoræus nihil profecit, qui eò acriùs adventum & præſentiam Regis præliumque expoſcebant; ſuam verò ad Regem profectionem renuebant.

Dum hæc in caſtris ultra Caraſſum arrogantiùs, quàm par erat, & ſtolidiùs agitantur, Regis exercitus ad Mohacium progreſſus, loca unicuique attributa, expanſis in ea planitie paſſim tentoriis ac tabernaculis occupaverat. Verùm ipſe Rex in Vdlanuvana Niculai Macedonii domo cum familiari ſuo comitatu, paucíſque aliis ſeſe continebat, incurſurus haud dubiè in maximum diſcrimen, ſi id hoſti non procul caſtra habenti cognitum aut exploratum fuiſſet. Sed fortuna rerum humanarum ac bellicarum dominatrix, atque id, quod fatum vulgò dici ſolet, ad alium locum ejus exitum diſtulêre, in quo pro patria, pro aris & focis, proque religione Chriſtiana honeſtiùs & glorioſiùs moreretur. Intereà ex ulterioribus caſtris ad Regem de nocte repentè venit Michaël Podmanicius à Tomoræo & aliis miſſus, Solimanum cum majori copiarum parte Dravum tranſiiſſe referens, ac ſummâ celeritate reliquum exercitum in tranſeundo occupari. Eos itaque petere, ut ad ſe veniat, & de ineunda pugna, quæ jam ulteriùs differri nequaquam poſſit, quamprimùm cogitet. 1526.

Ludovicus prælii aleam tentandam negat,

Ludovicus in re tam trepida & ancipiti, quid facto opus eſſet, cogitabundus aliquamdiu perſtitit; deindè cum paucis, quos ſecum habebat, rem communicavit. Neque enim ei placebat, quamquam juveni, & rem militarem tum primùm experto, caput ſuum & vitam, remque publicam univerſam unius pugnæ diſcrimini exponere; ſæpèque Vaivodæ & Frangepani, ac ipſius Sigiſmundi Regis patrui, aliorumque conſilia repetebat, ſuadentium per nuntios, & Statilium paulò antè à Vaivoda reverſum, ne copias in aciem priùs produceret, aut rem ferro decerneret, quàm omnia auxilia contraxiſſet, & viribus hoſte haud inferior exiſtimaretur; damnantiumque eorum imprudentiam & temeritatem, qui ſe & exiguas, quas adhuc habebat, copias intempeſtiva ac inſania conſiliis ad locum hoſtibus tam propinquum adduxiſſent. Expectandum donec ipſi advenirent: quorum alter ex Tranſſilvania juſtum exercitum quadraginta circiter millium armatorum, alter ex Illyrico quindecim millia utriuſque armaturæ militum adducturus ſit: in quibus vel præcipua obtinendæ victoriæ ſpes collocari queat; & ut de Bohemiæ & Sileſiæ equitatu ſileant, ſuo adventu, cùm vires & exercitum auctum iri, tum verò ferociam hoſtium obtundi poſſe non diffiderent. Hæc haudquaquam inania verſabantur animo; ſed contrà, niſi ea, quæ Podmanicius attulerat, exequeretur: ii qui pugnam & ſupremi certaminis aleam tam temerè expetebant, omnem rei malè geſtæ, ac prætermiſſæ occaſionis culpam ſibi uni attributuri eſſe videbantur.

antequam univerſa conjungantur copiæ.

Sed alii temerè de ſumma rerum decertandum ſtudent & evincunt.

Itaque iis conſiliorum difficultatibus, tantoque periculi imminentis metu obrutus, Stephanum Brodericum Epiſcopum Vacienſem, cui non ita pridem amplum & honorificum Cancellarii munus dederat, eâdem nocte in caſtra properè miſit, ſuaſurus ſuo nomine belli ducibus, ac Palatino & Archiepiſcopo Strigonienſi (à quorum nutu pendere cæterum vulgus non ignorabat) ut ſi Bohemus expectare nollent, ſaltem auxilia, quæ Vaivoda & Frangepanus brevi adducturi ſperarentur, præſtolari; & dilato aliquantiſper prælii caſu caſtra in tutiorem transferri locum paterentur. Quæ Cancellarius diligenter executus fuit, enumeratiſque omnibus calamitatum & ma-

1526. lotum generibus, quæ ex infelicitate prælii, ſi (quod DEUS Optimus Maximus procul abeſſe vellet) hoſtis ſuperior evaderet, ſequutura eſſent, id quod paucitate regii exercitûs, ac hoſtium multitudine collatâ magnoperè foret extimeſcendum: nequaquam tamen perſuadere potuit, ut vel tantillum moræ admitterent: adeò bona conſilia fruſtrà erant; univerſis inani & fatali certaminis aviditate correptis, & fermè inſanientibus. Diluculo itaque appetente, Rex de his à Cancellario edoctus, & ſua conſilia rogationesque prudentiæ plenas nullum apud temerarios homines pondus habuiſſe dolens, mœſtusque ad Mohacium in caſtra venit: & quod naves, quibus tentoria ejus & impedimenta vehebantur, nondum appulerant, ad domum, quam Epiſcopus in oppido ſatìs commodam habebat, divertit; nihilque cunctatus Palatinum & Senatores, atque alios, qui ex equeſtri ac militari ordine uſu rerum factisque præſtare videbantur, convocari juſſit, ut cum illis de ſumma rerum deliberaret: fuêre etiam adhibiti nonnulli ex Bohemis & Moravis, qui partim in Regis miniſterio anteà erant, partim verò auditâ expeditionis famâ ſuiſmet ſtipendiis militaturi ſponte advenerant. Actum eſt in Senatu & diſceptatum diligenter, an expectanda auxilia eſſent propediem adfutura, caſtraque in tutiorem locum transferenda, & pugnâ abſtinendum: an verò cum hoſte jam duobus nonniſi milliaribus diſtante, nec fortaſſis pugnæ occaſionem dilaturo, imparem belli fortunam tentare expediret?

Rex Mohacium venit.

De ſummâ rerum deliberat.

Aderat his conſultationibus Tomoræus ex aliis caſtris eam ob cauſam accerſitus, neque ipſe à conſerenda pugna alienus, non ſine ſumma Regis & paucorum quorundam tunc præſentium admiratione, qui ſanioribus conſiliis innitebantur. Terruerat etiam Regem, alioquin de tota belli ſumma ſupra ætatem rectiſſimè ſentientem, ac ſuas & hoſtium vires æquâ lance penſantem, ideòque iis non ſatìs fidentem, vox Joannis Pterii, fratris germani ejus Ludovici, qui Franciſci Battiani in Illyrico legatus erat; is enim ſuperioribus annis clade ac cæde Petri Berislavi Bani à Turcis captus, & Mahumetanam ſuperſtitionem amplecti coactus, iiſdem ferè diebus, quibus hæc agitabantur, relictis Turcis, apud quos ductâ uxore ſuſceptisque liberis ordines duxerat, ad caſtra Tomoræi transfugerat, & ad Regem deductus erat. Cùmque ab eo quæſitum eſſet, quid ſibi de exitu pugnæ ambiguo polliceri auderet, reſpondiſſe dicebatur in modum ſequentem: Se quidem non libenter metum aut pavorem animis Chriſtianorum inditum injicere, ne ab hoſtibus hunc in finem ſubornatus exiſtimari poſſet; quòd tamen veritati vel maximè congruum ſit, ſe eloqui non dubitaturum, tantum eſſe hoſtium numerum, ut ſi omnes ligatis poſt terga manibus vincirentur, ita ut nec gladios ſtringere, nec armis ſumptis ſe tueri poſſent; à tantulis tamen copiis, quas Rex haberet, tridui ſpatio vix hoſtes trucidari atque interfici poſſe viderentur. Itaque Rex Tomoræum pugnæ avidum à propoſito dehortaturus interrogat, quantum numerum hoſtium haberi in caſtris putaret? centum quinquaginta millia hominum reſpondit; ſed eorum majorem partem lixis, calonibus, Bulgaris agreſtibus, ac dedititiis ruſticis conſtare, qui inermes & imbelles non arma tractare conſueverint, ſed equorum, mulorum ac camelorum curæ & ſervilibus miniſteriis addicti in aciem nequaquam producantur. Rurſus quot deindè millia armatorum prælio ciendo aptorum cenſeri poſſe putet? rogatus, ſeptuaginta millia inquit. At quum Rex eundem quoque numerum ſuis viribus & copiis longiſſimè ſuperiorem eſſe ſubinferret: cætera Deo Optimo Maximo committenda eſſe, qui ſuos non derelinquere, ſed potiùs opem ferre conſueviſſet, Tomoræus adjecit. Sed Rege ad hæc aut talia iterum replicante, certis conſiliis & ratione innitendum magìs, quàm fortunæ, quæ ut plurimùm lubrica inconſtansque ſit, rem committendam eſſe: reſpondit, debere nobis utriuſque fortunæ documenta exemplo eſſe, ut obſequium potiùs cum ſecuritate, quàm contumaciam cum pernitie eligendam cenſeamus; poſteà motis leviter humeris ſubticuit, ſic tamen, ut Rex ipſi & majori parti Senatûs & præfectorum temerariæ ac ancipitis pugnæ conſilia fatali obſtinatione infixa animo probari animadverteret. 1526.

Tomoræus pugnæ cupidus, hoſtium copias elevat.

Intereà dum in hunc modum à Rege & Senatu diſputatur, venêre ex ulterioribus caſtris nuntii è præcipuis, communi nomine ad Regem & Senatum miſſi; quos quum Rex intromitti juſſiſſet, monuêre eos, & qui aderant omnes, ſuorum commilitonum nomine, ne Regi auctores eſſe velint detrectandæ pugnæ, ſed confeſtim adducto Principe eò veniant, caſtraque caſtris conjungant, & propitiam fortunam, quam DEUS Optimus Maximus contuliſſet, obviis ulnis amplectantur, neve de victoria quicquam dubitent. Quòd ſi quipiam fortè aliud perſuadere conentur, paratum eis eſſe exitium: ſeque adversùs cunctatores arma è veſtigio converſuros. His in hunc modum nullâ Regis aut Senatûs habitâ ratione expoſitis, iiſque, qui ſaniora conſilia amplectebantur, tam atroci denuntiatione deterritis, vel invito Rege pugna decernitur, nullâ ſpe expectandorum auxiliorum, nec Vaivodæ aut Frangepani adventûs.

Fatalis prælii committendi ardor.

Circa eoſdem dies Ludovicus Pterius à Battiano præmiſſus, ut in caſtris locum deligeret, retulit Battianium cum copiis ſuis auxiliaribus, quas pro brevitate temporis conſcribere potuerit, adventare, nec procul abeſſe, ita ut intra triduum adfuturus ſit. Chriſtophorum Comitem Frangepanum, & Joannem Carlovitium cum exercitu, viris, armis, & bellico apparatu haud contemnendo ſubſequi: jamque Chriſium non procul à Dravo oppidum attigiſſe, conſultiſſimum futurum ſi illi omnes expectentur. Ac Battianius ita ut nuntiaverat, triduo ante diem pugnæ cum hoſtibus ineundæ præſtitutum, qui Dominicus erat, cum tribus millibus equitum, & mille peditibus advenit, cùm ſubſequenti die Mercurii pugnatum ſit. Cum eo unà Joannes Tahius, & Joannes Banffius advenêre, cum multis aliis; & Sigiſmundus Paganus, quem cogendis pluribus auxiliis relictum domi diximus, moræ pertæſus Battiano ſe conjunxit, & poſteà in conflictu occubuit. Altero die Simon Epiſcopus Zagrabienſis cum Petro Erdodio fratre copias ſuas adduxêre: & Joannes Botnemiſſa nutritius Regi alumno trecentos equites expeditos duce Stephano

Battiani & Frangepani copiæ non longè abeſſe nuntiantur.

Copiæ Regis auctæ.

1526. phano Acelio miſit, cum decem millibus auteorum extremi loco muneris. Joannes Saracenus duobus millibus peditum ſagittariorum, quos per oppida ad Dravi decurſum ſtipendio conduxerat, adductis, necnon Philippus Moræus Epiſcopus Quinqueeccleſienſis cum Ladislao Moræo fratre, multisque alus ſeſe Regi conjunxêre: atque ita numerus copiarum auctus eſt, ut ſumma totius exercitûs ſex & viginti millium hominum numerum nequaquam ſuperare videretur.

26000. hominum in exercitu regio

Non eſt profectò mirandum has tam parvas copias, numero & viribus longè inferiores, cum tam ingenti Turcarum multitudine, ac militibus, qui in diverſiſſimis orbis terrarum partibus per varias victorias & triumphos exercitatiſſimi haberentur, ac quadruplo noſtrorum numerum excederent, temerè nimis congreſſas, victas & profligatas ſuccubuiſſe: ſed eorum potiùs arrogantiam & inſaniam damnandam & deteſtandam arbitror, qui potentiſſimi hoſtis vires elevando & contemnendo, ſibique de victoriæ ſucceſſu ſtolidè blandiendo iniquiſſimam dimicandi conditionem ſubire, quàm optimi & cordatiſſimi Principis, inviti, & ferè cladem præſagientis perſonam eò pertrahere maluiſſent, unde pedem referre ſine manifeſtiſſimo ſalutis diſcrimine, ac acerbiſſima rerum omnium conturbatione nullo modo liceret. Jam enim duobus milliaribus non magnis bina caſtra diſtabant; adeò ut & ſerum tedeundi conſilium hoſte tergis inſiſtente, & falſa atque importuna ſpes repellendi hoſtis, vel prudentiorum hominum æquiore judicio cenſeri poſſet: ſic ut Franciſcus Perenius Epiſcopus Varadienſis, elegans & non indoctus juvenis, quaſi futuri mali præſcius, cum diem, quo pugnabitur, viginti ſex millium Martyrum Ungarorum celebri memoriæ, qui pro Chriſtiana Religione occubuiſſent, faſtis inſcribendum, ideòque ad eam rem impetrandam Stephanum Brodericum Cancellarium, ſi ſuperſtes & incolumis è prælio evadat, Romam mittendum eſſe haud inſulſo ingenio, nec vano præſagio dixiſſe memoretur.

Viginti ſex millia Martyrum Hungarorum ex Epiſc. Perenii præſagio in faſtos referenda.

Poſtquam decretum eſt totam rerum ſummam ſolius fortunæ arbitrio committendam eſſe, Tomoræus ad ſua caſtra continuò profectus eſt, ut ea reducta paoliſper regiis conjungeret: quod ut facere vellent, tribunis militum ac nobilitatis ægrè, nec aliter quàm certiſſimâ ſpe futuri prælii oblatâ perſuadere potuit: factumque eſt ut Rex ſua paulò ulteriùs promoveret, & illa à Tomoræo ad eundem locum duobus aut tribus paſſuum millibus infra Mohacium retraherentur, relicto inter utraque caſtra certo quodam, haud magno tamen intervallo. Eodem die naves oneratiæ cum tormentis curulibus majoris minoriſque generis, ac pulveris ſulphurei complurius cadis, aliiſque rebus bello neceſſariis appulêre: quæ etiam novem bellica juſtæ magnitudinis tormenta, pilaſque ferreas, & haſtatum pedeſtrium certum numerum, quæ Viennæ juſſu Ferdinandi Principis ſubminiſtrata erant, ſecundo flumine advehebant; quibus tutò devehendis ducenti pedites Alexii Turzonis cum aliquot campeſtribus machinis adhibiti unà venêre. Is enim cum Thoma Salahazio Epiſcopo Veſprimienſi, & Joanne Bornemiſſa jam provectæ ætatis ſene, & tum febri moleſtâ im-

Caſtra regia conjuncta.

portunâque tentato Budæ apud Reginam relictus eſt. 1526.

Eo in loco tridui ſpatium, priuſquam pugnaretur, conſumptum eſt, noſtris & hoſtium caſtris tam propè collocatis, ut eorum propinquitas minutis certaminibus quotidie occaſionem daret; in quibus quidem (quod mirum dictu eſt) incertum virtutene an vi noſtrorum, vel fortuitò aut ſponte cedentibus Turcis noſtri ſemper ſuperiores evadebant, pulſis & fugatis, captiſque ac interfectis quàm plurimis ex hoſtium numero: ita ut eo qualicunque ſucceſſu elati animis, præfecti & milites magis ac magis ferocire, pugnamque poſcere, & Regem ac duces, ne eam differre vellent, importunis plerumque ac inconditis clamoribus urgere non dubitarent. Intra iſtud triduum belli duces cum Rege & Senatu, cæteriſque qui militaris diſciplinæ ſcientiâ, fortibuſque auſis ante alios clari erant, de conſtruendis aciei ordinibus ſubſidiiſque ejus, de collocanda extra periculum ac incolumi conſervanda Regis perſona, de idoneo tormentis capiendo circuitu quo majori hoſtium detrimento exploderentur, de caſtris præſidio muniendis, deque locis idoneis unicuique agmini aſſignandis conſilia contulêre. Nonnulli ſuadebant Regi cum aliquot millibus equitum procul ab acie conſiſtendum eſſe, atque aliquot milites ſimilibus regiis armis induendos, ut quum turmæ pugnando, ut fit, miſcerentur, hoſtibus Regem diſcernendi facultas ſublata eſſet: ſed quum neutrum primoribus nobilitatis ac tribunis & præfectis ordinum placiturum videretur, quanquam aliqui ut non inſalubre conſilium ſatis probarent, omiſſum fuit. Igitur ad diem XXIX. menſis Auguſti D. Joannis Baptiſtæ ab Herode Antipa decollati memoriæ ſacrum, à ducibus in aciem prodituris deliguntur tres ordinum ductores, Gaſpar Raicanus, Valentinus Enningius, qui & Turcus vocabatur, ac Joannes Callajus, cognomento Miles, acerrimi & pugnaciſſimi viri, ac Regi inprimis fideliſſimi, qui nihil aliud muneris haberent, quàm corporis regii cuſtodiæ intenti, ſingulari induſtriâ & virtute curarent, ut ſi ita fortè ferente fortunâ res ad fugam inclinare videretur, regem periculo exemptum, ad inchoata reſervare, & in tutum perducere poſſent.

In velitationibus Hungari ſemper ſuperiores.

Regii corporis cuſtodiæ tres ordinum ductores attributi.

Aciem autem in hunc modum inſtrui placuit: (licèt Leonardus Gloſeuius, ut ea utrinque curribus catenatis vallanda, ac intra eorum ſepta certandum ſuaderet, idque conſilium Paolo Baquirio, & Radicio Boſitio, qui aliquot legitimis Turcarum Principis Selymi præliis interfuiſſe dicebantur, probarent) ut ea quàm fieri latiſſimè poſſet, ne ſcilicet hoſtis lunatâ ſuâ acie circumvenire noſtros poſſet, extenderetur; primique agminis dextrum cornu Battianus Dalmatiæ & Illyrici præfectus, ex antiqua conſuetudine, cum Joanne Tahio ac ſuis Illyrici nominis militibus curaret: ſiniſtro, quod Vaivodæ, ſi adeſſe potuiſſet, deſignatum erat, Petrus Perenius præeſſet. In hoc agmine, quod decem millia armatorum militum habebat, complures ex Primorum ordine, præter Andream Bathorium, Palatini patruum, Antonius Palotius, Franciſcus Drugetus, & Thomas Secius, aliique celeberrimi viri cenſebantur. Tomoræus tamen, & Scepuſienſis nullum ſibi certum locum deſumpſe-

Acies regia inſtructa.

1526. rant, ut huc atque illuc, ubi magis conſultum ac neceſſarium fore videretur, in acie & pugna diſcurrendo, & volitando rem commodiùs adminiſtrarent.

Secundum agmen ex totidem fere millibus equitum conſtabat, in quo & Rex erat, & Epiſcopi fere omnes, & rogatorum varii generis hominum magnus numerus, cum Petro Corlatcovio, & Andrea Trepca Polono Aulæ præfectis; ponè ſequebantur alii aut cubiculo regio aſſueti, aut diverſis ejus miniſteriis addicti, cum ſuis quiſque militibus, triplici ordine diſtincti: eiſque Nicolaus Tarcianus è provincia Satoſſienſi vir nobilis & fortis præerat.

Rex in medio ſtatuitur.

Rex ipſe in medio ſtatuebatur, tam corporis & armorum ſpecie, quàm cæterà ſpectabilis: cui proximus ab ono latere erat Palatinus, ab altero Archiepiſcopus Strigonienſis: à tergo verò præter prænominatos cuſtodiæ regiæ adhibitos, Stephanus Schecæus Bohemus, Joannes Cetricius Sileſius, cubicularii, Stephanus Mailaꝛus diſpenſator, ſed vir militaris, ac Gaſpar Guvatus, ſtabuli magiſter adhærebant; quibus mille & ampliùs equitum cataphractorum pulcherrima ala præſidio conjungebantur: inque medio hujus ſecundæ aciei, quæ locum ſubſidiariæ implebat, ingens vexillum Divæ Virginis Matris imagine deaurata conſpiciendum, à Joanne Dragffio, Bertoldi, de quo ſuprà retulimus, filio, prætorii præfecto, ſuſtinebatur: cui de veteri more calcaria detracta erant, eo ſcilicet monimento, ne de fuga cogitaret.

Signifero calcaria detracta, ne fugam cogitet.

Cuſtodiæ præſidioque caſtrorum duo millia peditum, præter lixas & calones, reliquoſque, qui variis miniſteriis fungebantur, relicta erant, eaque curribus catenâ conjunctis undique muniebantur.

Locus pugnæ.

Locus autem pugnæ in latiſſimis, & patentiſſimis illis campis Mohacio ſubjectis, delectus fuit, qui uno ab oppido milliari noſtrate, dimidio autem à ripa Danubii abeſſet. Tormenta currulia mediocria, quorum ad octoginta habebantur, inter primam & ſecundam aciem idoneo in loco collocata erant; quanquam ut ſtatim poſt principia collocarentur, plures cenſebant, ut priuſquam ad manus deventum eſſet, ea in hoſtes non tantùm terrendos, ſed quò magis noceretur, ſauciandos & debilitandos explodi aut exonerari poſſent.

Rex caſtra obequitat, & luſtrat.

Regem obequitantem, & ordines perluſtrantem (de cujus præſentia complures ſubdubitare videbantur) Palatinus concionabundus, manuque omnibus oſtendens præſentem adeſſe, ad omnemque belli fortunam cum ipſis paratum referebat:

Palatini oratio ad milites.

neque pro ſacroſancta Religionis, & Reipublicæ Chriſtianæ defenſione, pro aris & focis, ac pro ipſis & eorum conjugibus liberiſque, proque regno Pannoniæ cæteriſque provinciis caput & vitam ſuam extremo diſcrimini exponere recuſaturum, clarâ voce teſtabatur: itaque agerent quoque patres in pugnando ſuas, veluo viros undecunque fortiſſimos deceret: ſeque Ungaros eſſe meminiſſent, qui eoſdem hoſtes fœdiſſimæ & abominandæ ſuperſtitionis homines ſæpe ad internecionem cecidiſſent; non debere eos terreri multitudine hoſtilium copiarum, neque enim in numero tantùm, ſed & in robore ac invictâ militum virtute victoriam ſitam eſſe: Deum immortalem pro juſta cauſa, pro vera Religione, proque libertate pugnaturis præſenti ope adfuturum, & de perfidis hoſtibus, pro diræ dominationis libidine, injuſta arma inferentibus, per eorum vindices dextras, ſupplicia, & pœnas procul dubio ſumpturum. 1526.

At Solimanus quanquam à noſtris tympanorum ſtrepitu, & tubarum clangoribus ad certamen provocaretur; tamen incertum quibus de cauſis ab exortu ſolis, ultra meridiei tempus in caſtris ſilentio ſeſe continuit, adeò ut noſtri longioris moræ pertæſi, neque eo die illum pugnæ poteſtatem facturum exiſtimantes, receptui canendum, & in caſtra redeundum cenſerent. Erat inter Ungaros & hoſtium caſtra collis quidam in longum porrectus, qui mutuum aſpectum oculis eripiebat, nec ſciri poterat, quid eâ prodeundi in aciem tarditate hoſtes molirentur; utrum noſtros caſtra fortè repetentes à tergo adoriri, aut in caſtris nihil tale metuentes noctu aggredi vellent, aut certè longâ prælii expectatione fatigatos uno eodemque acerrimo impetu invaderent.

Jam ſol in occaſum inclinabat, quum equeſtre hoſtium agmen ſatis validum, per ſubjectam collibus vallem quandam tacitè procedebat; ita ut illud non niſi ab haſtarum ſummitate, quæ eminebat, conſpiceretur. Tomoræus eâ re animadversâ, ex prima acie ad Regem provolans, Gaſparem Raſcanum, Valentinum Turcom, & Joannem Callaium, nominatim appellatos, quibus anteà Regii capitis cura demandata erat, cum ſuis equitum alis procurrere, ac quorſum illi tendant, diligenter explorare, & ſi poſſint ab incepto revocare jubet.

Regis cuſtodes aliò avocantur à Tomoræo.

Illi impoſiti ſibi graviſſimi muneris haud immemores, recuſato quantum honeſtè poterant, procurſu, quum Tomoræum eadem identidem repetere, neque Regem ducis imperio contradicere animadverterent, ne quod ſingulari judicio detrectabant, id ignaviæ tribueretur, ſubditis calcaribus equos incitarunt; id fore putantes, ut ad Regiæ perſonæ incolumitatem defendendam idoneo tempore reverterentur. Verùm eâ intempeſtivi imperii, ac interrupti ordinis importunitate effectum eſt, ut neque ad officium ſuum, quod Regi ab ſe præſtari vel maximè cupiebant, redire, nec quò hoſtis pergeret reſcire, aut aliquid ei nocere potuerint; eodem enim puncto temporis ex Solimani caſtris terribile claſſicum concrepuit, clamor extolli, & exercitus magnus & formidabilis equitum, & peditum prætorianorum per collem ſeſe demittere, ac in noſtros rectà procedere cœpit. Tum verò ambo duces ad Regem adcurrentes, hoſtem venire ad pugnam, nunc infeſtis ſignis concurrendum, nec de victoria dubitandum ingeminant. Ad quam vocem Rex intrepidus, nec quicquam cunctatus, ſalutare Chriſti Dei nomen invocari, attolli ſigna, inflari tubas, & tympana pulſari imperat, ac galeam poſcit; quæ quum capiti imponeretur, non parum vultu expalluit, ita ut ea res ab aliis, qui aderant, pro inauſpicato futuri mali omine notaretur.

Galeâ capiti impoſitâ Rex expalluit.

Hoſtes interea latè extensâ in lunæ creſcentis formam acie, juſtis paſſibus appropinquant, quumque propiùs ventum eſſet, magno ſublato utrinque clamore, ab anteſignanis & primo ordine concurſum eſt, tormentis priùs omnibus in hoſtes exoneratis; neque tamen ullo notabili illato damno: certatumque eſt ſummis utrinque viribus ampliùs horæ ſpatio, multò acriùs & vehementiùs, quàm pro noſtrorum

Prælium acerrimum conſeritur.

nu-

1526.

Equitum primum agmen in fugam actum,

numero; ita ut longè plures ex hoſtibus, quàm ex noſtris occumberent; & prætoris noſtrum equeſtre agmen, quod pugnam inchoaverat, terga dare cogeretur; ac ad Janiceros, qui in ſubſidiaria acie collocati erant, effuſa fuga proruere, atque adeò plurimi ex iis vi, & curſu equitum proculcarentur: noſtris ingenti animo, & viribus à tergo inſtantibus. Quâ fugâ hoſtium conſpectâ, Andreas Bathorius ad Regem citato equo repentè recurrens, fugere hoſtes, victoriam noſtram eſſe, promovendum gradum, & noſtros hoſtibus perſequendis inſtantes adjuvandos dicebat.

Janiceros inibat.

Rex eo nuntio recreatus, veluti ſpe receptâ, cum ſua acie quam maximè poterat procurrendo, ſuis ferre auxilium properat; & jam primum agmen, fugatis equitibus, etiam Janiceros loco movere ceperat, ita ut non procul ab eo loco, in quo Solimanus conſtiterat, pugnaretur; & accurrente Rege pugna magis ac magis recrudeſceret, nonnullique ex corporis cuſtodibus, quos Sulacos appellant, ibidem trucidarentur: cùm repentè è caſtris fugientes quamplurimi ex noſtris, capta ea, cæſosque ad unum defenſores, direpta tentoria, impedimentaque univerſa in poteſtatem hoſtium deveniſſe nuntiaverant: Illud enim agmen, quod per vallem tacitè progreſſum ſuprà diximus, ſeptem millium equitum numerum continebat, & Solimanus, duce Balibego Nandoralbæ præfecto, ad caſtra noſtrorum diripienda præmiſerat, ut noſtros duplici periculo circumventos diſtineret: atque is, interfectis caſtrorum præſidiariis, ea mano ceperat, victorque ſuos per contubernia ſparſerat; ſic ut tres illi duces à Tomoræo ad explorandum miſſi, quòd exiguam militum manum haberent, cum hoſte, antequam in caſtra impetum faceret, congreſſi facilè funderentur; & unus ex illis Callajus in pugna caperetur, ſed virtute ſociorum eodem momento libertati reſtitutus, cum reliquis ſociis ad Regem reverti contenderet.

Caſtra noſtra à Turcis capta & direpta.

In ea caſtrorum direptione Elias Gondoſſus culinæ Regiæ præfectus, coquorumque magiſter, viridis ſenectæ robore validus vigenſque, dum Regi, ut exiſtimabat, reverſuro, cœnam parat, inter culinæ inſtrumenta, & nondum paratas dapes, pugnans cum ſociis trucidatus eſt. Meliore tamen fato, fortunaque Antonius Segedinus, è Franciſcanorum familia Regi à ſacris concionibus, poſtquam cum aliis, qui cuſtodiæ Regiæ ſupellectilis relicti erant, adversùs hoſtes, diu multumque pugnaſſet, & prægrande vulnus in facie accepiſſet, poſtremò conſcenſo, quem ſors obtulerat, equo regio, è medio hoſtium ægrè profugit, & poſtea deformato vultu diu vitam protraxit.

Caſtrorum direptorum famâ, & tormentorum terrore, noſtra acies inclinatur.

Quum ad noſtros, qui in dextro cornu pugnabant, fama direptorum caſtrorum allata eſſet, eodemque tempore hoſtes ſua in noſtros tormenta tum primum exploſiſſent, ingenti terrore perculſi, & conſilii inopes (quamquam pilæ ſupra militum capita prætervolantes plus terroris quàm damni intuliſſent) inclinari cæpère, & plerique turpiter aufugere. Neque tamen ea fuga cæteris animos adimere viſa eſt, quin infracto animorum & virium robore pugnarent, & uſque ad tormenta magnam in prætorianis militibus ſtragem edendo proveherentur: nec procul erat, quin ea, à quibus vix octo aut decem paſſibus aberant, potirentur. Magna etiam equitum noſtrorum pars ad vallem cavam, quæ inter collem & paluſtrem quandam in propinquo lacunam erat, evitandarum pilarum cauſa ſeſe receperat, ſed hortatu ducum denuò pugnam inſtaurantium egregiè rem gerebat: quum iterum atque iterum tormenta hoſtium tonare, denſuſque per aërem fumus caliginem oculis inferre, & hoſtes recentes pro feſſis, ac integri in ſauciorum locum ſubmitti cæpère. Itaque jam ſole in occaſum tendente, quum tribus horis continuè pugnatum eſſet, tam illi, quàm alii, qui adhuc diverſis in partibus certamen protrahebant, pedem referre; deinde totus exercitus effuſâ fugâ dilabi cepit, & quà quiſque viam inveniebat, profugere. Rex, qui hactenus in acie conſtans perſtiterat, illinc ſe ſubduxit, nec ampliùs ibi viſus eſt, ſive progreſſus in primam aciem, quod fieri fortè potuit, & à multis affirmatur; ſive ab iiſdem, quos ponè tergum ei junctos fuiſſe dictum eſt, Slicco, Mailato, Cetricio ac ſtabuli præfecto, rebus jam deſperatis, in tutum, niſi fata obſtitiſſent, perducendus, ſublatus fuiſſe exiſtimetur.

1526.

Exercitus regius quà quiſque potuit fugit.

Regis fuga.

Hoſtes viſa noſtrorum præcipiti fugâ, incertum an pugnando feſſi, ac vulneribus debilitati (neque enim ipſis incruentum prælium fuiſſe certum eſt) vel fraudem ac inſidias ſubeſſe rati, diu ſe in acie continuère; nec niſi primis tenebris ingruentibus fugientes, & diſperſos inſequi cepêre. Ex peditibus, quorum XIV. millia fuère, vix bis mille evaſêre, obſcuræ noctis beneficio, ac effuſiſſimo imbre, qui poſt fugam cælo delapſus fuit, protecti. Inter quos Annibal Cyprius Pontificiarum pedeſtrium copiarum ductor, pernici uſus equo, amiſſis ſuis omnibus profugit. Tomoræus cum collega Scepuſienſi, infauſti præproperæ funeſtæque pugnæ auctores & duces, ac Joannes Dragffiua, prætorio præfectus idem & Signifer prætorianus, in prima acie cecidiſſe dicuntur, ſimul cum Antonio Palotio, Thoma Secio, Ambroſio Sarcano, Franciſco Drugeto, Gabriele Perenio, aliiſque compluribus ex Procerum ordine; ex qua tamen ſtrage Battianius & Tahius ægre ſeſe explicuère. Palsrini equus quum ardore ſolis, ac curſûs labore fatigatus, ampliùs ſeſſorem vehere non poſſet, hoſteſque inſtarent, à Paulo Caprario, familiare ſuo, equum recentem popoſcit, & impetravit; ipſeque licèt pedibus æger, adjutus tamen ab illo, properè eum conſcendit, & in tutum abiit, Caprario à Turcis capto & abducto; quem tamen ille ſuo ære redemit, & magnis affectum beneficiis, & honoribus exornavit; interque fugiendum in Battianium incidens, ſimul arubo Babutiam cum paucis admodum contenderunt. Haud diſſimili etiam fidelis obſequii genere Alexander Bacacius Joanni Banffio equum poſtulanti oportunè obtulit, quum equus illius laboribus & vulnere nimiùm debilitatus fatiſceret; & Joannes quidem vitato periculo manus hoſtium effugit, Alexandrum verò à Turcis captum grato animo redemit; & ædem, quam Divo Joanni Baptiſtæ in prælio, ſi incolumis evaderet, voverat, Lunduæ ædificandam dedicandamque curavit.

Peditum duodecim pen. millia cæſa.

Annibal Cyprius.

Tomoræus & Scepuſienſis, & alii complures Duces occubuêre.

Palatinus & Battianus unà fugiunt.

Rex cum paucis, quos à tergo ejus conſtitiſſe retulimus, in tanta rerum iniquitate, quam ſæpiùs ipſe prædixerat, fugâ ſalutem quærere

co-

Rex Hungariæ perit in Caraſſi paludibus.

conſtus, relicto ad dexteram Mohacio, citatis equis verſus Quinqueeccleſias curſum intendit; Sed quum in Caraſſum, paluſtrem & cœnoſum rivum, inter Mohatium & Chelliam vicum, incerto vado limoſoque præterlabentem veniſſet, iſque tum fortè à Danubii exundantis aquis, & repentino imbre, qui confecto prælio multo commiſtus grandine, & tonitru ceciderat, nonnihil accreviſſet, neque obſcuritas noctis, aut pavor inſequentium hoſtium vado explorando otium concederet, urgente fato, ea, qua ſors & fortuna tulit, tranſire, impeditioriſque ripæ aggerem ſuperare conatus, reflexis habenis, reſupinatóque equo, in profundiorem lutulenti amnis limum cecidit, ac degravantium armorum pondere, & equi colluctatione oppreſſus, miſerabiliter interiit: præſtantiſſimæ indolis atque ingenii Princeps, ac omnibus corporis atque animi dotibus inſignis, eoque infelici vitæ exitu indignus.

Hæc eſt illa memorabilis ſimul, & miſerabilis Muhaciana clades, qua antiquum gentis noſtræ decus, florémque nobilitatis, & militiæ, ac quicquid virium habebamus, una eaque funeſtiſſima dimicatione proſtratum amiſimus: cepimuſque cum inexpiabili ignominia noſtra, quà barbarorum intolerabile jugum, quà exterarum nationum ſervitutem ſubire ac perpeti: ita ut temerarios ac inſanos inauſpicatæ pugnæ auctores, qui optimum & manſuetiſſimum juvenem Regem hoſtibus mactandum obtuliſſent: ac patriam in has miſerias, & calamitates præcipitâſſent, jure meritóque omnibus diris devovendus cenſeamus.

20. millia equitum, & 12. millia peditum interiêre.

Periêre eo prælio partim in acie, partim verò inter fugiendum decem millia equitum, ac circiter 12. millia peditum: è nobilitate verò clari nominis amplius quingenti: præterea omnes ferè Epiſcopi, cum Ladislao Archiepiſcopo Strigonienſi: Franciſcus nempe Perenius Varadienſis, Blaſius Paxius Jaurienſis, Franciſcus Chaholius Chanadienſis, & Georgius Palinæus Boſnenſis, juris ſcientiâ clarus. Philippus Moræus Quinqueeccleſiarum Epiſcopus non ita pridem è legatione ad ſenatum, & Rempublicam Venetorum obita reverſus, quum multis acceptis lethalium vulnerum plagis ex acie ſe proripuiſſet, inter vepres, & querceta ſecus viam concidit, & expiravit, tonſoriſque qui ſocius periculi aderat, operâ frondibus & ramis arborum tectus, poſt hoſtium diſceſſum inventus fuit, ac ſepulchro conditus: tonſore mille nummos aureos, qui in morientis Zona erant, ſibi clam retinente.

Telequeſſius

Sed Emericus Telequeſſius, qui eo tempore inter equites Blaſii Paxii Epiſcopi Jaurienſis ſtipendia merebat, ac poſtea ad ſummos honores, ſupremámque imperatorii muneris dignitatem conſcendit, magna cum difficultate, ſed majore virtute ſalutem ſibi comparavit. Cùm enim inter fugiendum à Turca quodam præcipui nominis invaderetur, quanquam equo laboribus & curſu defeſſo, ſubſtitit tamen, hoſtéque pugnando cæſo atque interfecto, incolumis ceptum iter proſecuturus eſt.

Radich.

Radicius Boſithius Thrax, qui claſſi præerat, commendata veteranis trierarchis Ambroſio Fugaſſio, & Joanni Filleteſſio claſſe, & navalibus ſociis, inani ſpe victoriæ in primam aciem equo vectus proceſſit, ibique pugnans interfectus eſt.

Nobiles Primari trucidati.

Deſiderati ſunt ex prima nobilitate, Matthias Comes Frangepanus, Chriſtophori neceſſarius, Franciſcus Balaſſius, Michael Podmaniecius, Joannes Iſthuanffius Regis cubicularius, Gregorius Orloucius maritimæ civitatis Segniæ in Dalmatia præfectus, Nicolaus Tarcianus, Emericus Vardanus, Joannes Paxius, Nicolaus Forgatius, Joannes Tornallius, & plurimi alii, quorum recenſeri nomina nequeunt.

Joan. Pecrius.

Periit etiam primo in congreſſu Joannes Pecrius, quem paucis ante pugnam diebus à Turcis ad Regia caſtra transfugiſſe, & fama ingentis hoſtilium copiarum multitudinis Regem perterruiſſe docuimus.

Petrus Corogius ferreo ſtomacho

Præter alios è peculiari Regis famulitio juvenes, ut neque hoc prætermittamus, occubuit in fuga an in conflictu incertum, Petrus ille Corogius, admirabili & ſtupendo, planéque ferreo naturæ, ac omnia conficientis ſtomachi robore memorabilis, qui poſcente Rege juvene murea vivos, præciſáſque felium caudas, & abjecta in plateis canum cadavera, tetra ſanie, & tabo vermibúſque ſcatentia, abſque horrore atque ulla gulæ contumelia mandere, ac conficere erat ſolitus.

Corogii necem intulêre B. Gerardo.

In eo vetuſta nobilium Corogiorum progenies defecit, qui olim Andreæ Regis, ejus nominis primi tempore, dum Pannonii religionem Chriſtianam poſthabuiſſent, Divo Gerardo, ut crudelem ſic impiam necem intuliſſe memorabantur; ejuſque rei argumento fuiſſe, poſteros illorum in ſacellum ejuſdem divi memoriæ in colle urbi Budenſi oppoſito ædificatum, ſponte aut ſecus ingreſſos, continere ſe nequaquam potuiſſe, quin ſolutâ repentè alvo fœdè contaminarentur;

Memorabile ultionis divinæ in eorum poſteros exemplum.

regémque juvenem non ſinè multorum riſu ſimul & admiratione in hoc Petro ejus rei experimentum, facto ſæpius periculo, ſumpſiſſe. Cadavera Stephani Aceſii, & Andreæ Trepcæ natione Poloni, ac Petri Corlatrovii non procul ab ea Lacuna in qua Rex periit, inventa fuêre. Stephanus autem Sliccus, cum nonnullis è Bobemia & Moravia Nobilibus, qui initio belli ad Regem obſequii ergo venerant, pari fato interiit.

Cetricii indicio Regium corpus inventum.

Sed Cetricius paludoſum amnem ægre tranſiens, animadverſo Regis periculo, quum opem ferre non poſſet, locum diligenter notaverat; ita ut Regium corpus poſtea ejus indicio quæſitum atque inventum ſit.

Captivorum exiguus numerus.

Captivorum non adeo magnus numerus fuit; Solimani enim edicto, die eâ, quæ prælium anteceſſit, miſſi per omnia contubernia ii, quos Turcæ Chauſios vocant, ne quiſquam vivum hoſtem caperet, ſeverè prohibitum erat; poſt fugam tamen plerique intercepti; inter quos Nicolaus Hercegus, Bertoldus Maitenius, & Michael Imreffius, Niger appellatus: illum quidem Ibraimus purpuratorum Princeps, equo, gladióque & ſumptu donatum liberaliter dimiſit, duo alii pecuniâ ſe redemerunt. Duo etiam Poloni nobiles, cubiculi Regii familiares Pileccius, & Joannes Matiouſcius, perſoluto redemptionis pretio ad Reginam rediêre.

Tormenta etiam hoſti ob-

Tormenta omnia, tam quorum in acie uſus aliquis fuit, quàm quæ in caſtris & navibus collocata erant, hoſti ceſſere: quum Joannes

comes

1526.

venère. Comes Hardeccius iis præfectus.

comes Hardeccius curam eorum juſtò tardiùs ſibi concreditam exequi, ut par erat, non potuiſſet, perditiſque rebus ſaluti ſuæ fugâ conſulendum cenſuiſſet. Cùm autem cæſorum ingens numerus eſſet, ita ut tetro recentium tot cadaverum odore non campi ſolùm, ſed etiam aër ipſe infici & corrumpi videretur, ac poſt diſceſſum hoſtium magna canum multitudo ad ea voranda confluxiſſet, ut etiam vivi homines, viatoreſque eà iter facientes abſque vitæ periculo tranſire non poſſe dicerentur: Dorothea Caniſiana, Emerici Peretii Palatini vidua ſingulari pietate fœmina, Chriſtianorum hominum, qui pro tuenda fortiter patria occubuiſſent, miſerta, quadringentos homines pecuniâ ſuâ conduxit: qui ſtrata & jacentia paſſim corpora, ne ea feris ac alitibus, atque canibus lanianda, ac voranda relinquerentur, ingentibus factis ſcrobibus ſepelienda ſedulò curavit.

Dorothea Caniſiana cæſorum cadavera ſepulturæ mandari curat.

Vaivoda, Frangepani, Bohemorum ac Moravorum adventus poſt pugnam.

Jam Vaivoda cum exercitu Segedinum ad Tibiſci & Maruſi confluentem, nobile oppidum liberumque pervenerat, in quo ad XL. millia hominum cenſebantur, & Chriſtophorus Frangepanus XV. millia Illyrici nominis armatorum ad Sancti Andreæ oppidum, haud procul à Dravo ſitum adduxerat. Bohemi præterea & Moravi juſto numero, partim Albam Regiam, partim Jaurinum, ducibus Georgio Marchione Brandeburgenſi, & Adamo de Nova domo, attigerant, eoſque Sileſiaci equites cataphracti mox etiam ſubſequuturi dicebantur. Quòd ſi Tomoræus & reliqui præcipitis & funeſti prælii auctores has copias auxiliares exſpectare, quàm maleſanis conſiliis juvenis Regis immaturum interitum, & patriæ certum exitium procurare maluiſſent, commodiore utique fortunâ, & æquiore conditione certare, neque de ſucceſſu victoriæ magnopere deſperare potuiſſent.

Cùm ad jam dicti exercitûs duces infelix & lugubris adverſæ pugnæ exitus fama allata eſſet, omnes æquè attonitos & metu perculſos perterruit & perturbavit, ſic ut hi quidem omnes eò unde venerant, agminatim reverterentur. Sed Vaivoda ſuo uſus conſilio exercitum retinuit, & munitis caſtris aliquamdiu ad Segedinum ſtativa habuit, ut quorſum conſilia Solimani tenderent, ibi opperiretur. Fuère qui eum occulta cum hoſte conſilia jam tum tractare dicerent, ut poſtquam Ludovicus nullo hærede ſuperſtite fato functus eſſet, Solimani ope regnum conſequeretur; ſed quum necdum quicquam tale in apertum prodierit, ipſeque etiam adepto regio nomine id negaverit, nos rem dubiam pro certo affirmare non poſſumus. Nobilitatis ſanè animos ſtatim poſt præfatam cladem largitione ac peramplis muneribus, aliiſque bonis ſimul & malis artibus ſibi devincire non deſtitit, donec, ut mox apparuit, voto potitus eſt.

Vaivoda ſuſpectus de occultis cum Solimano conſiliis.

Regina Poſonium fugit.

Regina cum Joanne Antonio Burgio legato Pontificio, ac Thoma Epiſcopo Veſprimii, Alexio Turzone, ac Joanne Bornemiſſa, nondum quidem ſatis comperto Regis interitu, ſed id quod erat, multis indiciis ſuſpicata, trepidè ſe Poſonium recepit, rerum ſuarum majori parte navibus impoſitâ, adverſoque flumine vehi juſſa. Idem etiam locupletiores Cives Budenſes fecère, quibus tamen diripiendis Andreas Orbancius Strigonii præfectus, cæſo in acie Archiepiſcopo inſolentior effectus, non parum damni intulit, quum in naves impetum feciſſet; licèt homo abjectiſſimus & viliſſimus, Turcarum adventu cognito, arce urbeque desertâ perfidè aliò confugiſſet; camque vir humillimæ ſortis, ſed non mediocris conſtantiæ & fortitudinis Matthæus Magnus, eo nomine haud indignus, egregiè cuſtoditam conſervaſſet. Sed & Viſſegradum, in quo Regia corona, quam Pannonii ſacram vocant, antiquitus conſervari ſolebat, à Monachis Eremitis, qui è Collegio Noſtræo, illuc ut in tutiorem locum ſeſe metu hoſtium receperant, ac nonnihil commeatûs introduxerant, fortiter & ſummâ virtute, cum paucis quibuſdam agreſtibus defenſum fuit. At Solimanus dimiſſis in duas partes prædatoriis equitibus, quos Turcæ Acangios vocant, Balatonem lacum versùs, omnem regionem igne ferroque vaſtavit, abductiſque in miſeram ſervitutem incolis, longè latéque depopulatus eſt: ac altera ex parte circa Strigonium & Silvas Verteſias parem circumtulit formidinem.

Strigonium, & Viſſegradum egregiè defenſum

Turcarum excurſiones & populationes.

Nec uſpiam hoſtis ſævitiæ fortius, validiuſque obviam itum eſt, quàm ad Marothum, Archiepiſcopi Strigonienſis municipium, ſeceſſu & venatione ejus clarum: ad eum enim locum plurimi mortales, ex vicinis locis cum uxoribus & liberis confugerant, illudque valle & foſſa ſepiverant; quos quum hoſtes omnibus artibus & viribus illinc elicere conarentur, nec quicquam proficerent, quòd illi ſuam & conjugum, liberorumque ſalutem intrepidè & fortiter defenderent; multoſque ex hoſtibus interficerent, aut vulnerarent: ex Solimani caſtris majores colubrinæ ſine mora allatæ ſunt, iiſque miſerorum hominum pertinacia fracta expugnataque eſt, cæſis ad unum omnibus, inter quos Michaelis Dobozii eximia virtus, ac clarum facinus memoratur. Quum enim conjugem ſuam, ad equi clunes receptam, ſeque arctè complexam, pernicitate equi fretus in tutum abducere vellet, nec tamen evadere poſſet, cæſâ priùs uxore, ne eâ hoſtis potiretur, ſe in medium confertiſſimorum hoſtium intulit, parique fato ab iis trucidatus eſt.

Marothum ſumma vi expugnatum, trucidatis omnibus, qui eò confugerant.

Dobozii præclarum facinus.

Poſtea Solimanus revocatis ſuis, quos prædatum miſerat, ponte inter duas urbes facto Danubium tranſjecit, Budamque deſertam & incolis vacuam inviſit, regiamque celeberrimam, ædificiorumque elegantiâ & laxitate pulcherrimam, atque adeò ſitu & proſpectu amœniſſimo inſignem collaudavit: eâdemque vacuâ relictâ, nec ullo ampliùs loco tentato, depopulandi finem fecit: abductiſque Conſtantinopolim duabus ingenioſi operis Apollinis & Herculis ſtatuis, quas Matthiæ Regi, ejuſmodi elegantiarum ſtudioſo, Jacobus Tragurinus Dalmata ex ære fuſili artificioſè conflaverat, & deductis ex omnibus arcibus, quas hoc bello inter Dravum & Danubium ceperat, præſidiis, quòd & hiems appeteret, & domeſticis tumultibus à quodam Calendero Celebio in Aſia excitatis domum revocaretur, primò Adrianopolim, deinde cum victore exercitu Byzantium reverſus eſt.

Budam occupat vacuam Solimanus.

DE

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER IX.

1527. ORBATIS Rege per hunc modum Ungaris, diſcedenteque Solimano, Regnum undique dirâ belli clade vaſtatum nemini curæ erat, imbelléſque potentiorum violentiæ & injuriæ expoſiti, iniquam ſuam ſortem lugere, nec malorum remedia uſpiam exſpectare; pars Ferdinandum Auſtriæ Principem poſcere, pars regnum ad aliquem ex Procerum ordine tacitis votis translatum velle.

Battianus ad Clementem VII. irrita legatio.

Intereà Franciſcus Battianus Illyrici præfectus, donec res in quamcunque partem expediretur, Clementis ſummi Pontificis auxilia ad tuendos præfecturæ ſuæ fines, & potiſſimùm Jaiciam & Cliſſiam ob Turcarum viciniam in periculo conſtitutas, imploranda cenſuit, miſſo ad eum Thoma Camariano viro impigro, nobilique in ea Illyrici parte, quæ nunc Sclavonia vocatur, genere orto. Qui cùm Romam veniſſet, ac Regis interitum, quem jam Clemens non ignorabat, multis verbis deploraſſet, adventûs ſui cauſis explicatis, poſt non longam aut diuturnam moram, menſe Januario,

14. Januarii.

à Jacobo Sadoleto Cardinale Pontificis reſponſum literis comprehenſum intellexit, ſe auxilia quæ expetat, cupere ex animo poſſe ad eum primo quoque tempore mittere; ſed ſe, ſuaſque res, ſanctamque Sedem Apoſtolicam in eo ſtatu eſſe, eiſque perturbationibus & anguſtiis undique premi, ut multò magis alienâ egeat ope, quam ſuam cuique ferre valeat: ſi quando, Deo adjuvante, incommodis illis liberaretur, vireſque adeò debilitatas aliqua ex parte recuperet, atque etiam res Ungaricas in certo ac concordi aliquo ſtatu eſſe intelligat, quantum in ſe eſſet, eis non defuturum. Eo enim

Roma à Moncada opprimitur.

tempore Ugo Moncada Caroli Cæſaris in Regno Neapolitano præfectus, ac Pompeius Columna Cardinalis, Pontificem induciis dolosè conceſſis ineptè confiſum, in urbem irrumpentes penè oppreſſerant, ita ut Vaticano, ejuſque opulentiſſimâ ſupellectili direptâ, & inſigni templo Divi Petri impiè profanato, Pontifex in arcem molis Hadriani fugâ elapſus, vix ſaluti ſuæ conſulere potuerit. Battianus repulsâ intellectâ, quamquam ſe ab omnibus, ipſoque ſummo Pontifice, communi omnium parente, derelictum doleret, vigilando tamen & agendo eas arces, proviſo commeatu, ac aliis neceſſariis non ſine difficultate in præſens conſervavit.

Vaivoda regno inhiat.

Sed Vaivoda, qui Segedini retento exercitu ſtativa habuerat, hoſtiumque conſilia ſpeculabatur, exoptatam diu occaſionem arripiendi regni nactus, interituque Regis ſibi opportunè oblato haud obſcurè lætatus, Budam ire conſtituit. Ex itinere verò ad arcem oppidumque ſuum Tocajum, ſub quo Bodrogus amnis Ungo flumine auctus, ambo è montibus Carpathiis orti Tibiſco miſcentur, divertit, copiis in ſubjectis campis caſtra metari juſſis. Hunc in locum plurimos ex Proceribus ac nobilitate convocat: atque imprimis Petrum Perenium,

Petrum Perenium ſibi conciliat.

quem in ſervanda Viſſegradiana in arce Regni corona collegam habuerat, eâm multâ arte tentatum, ac ingentibus promiſſis in partem traductum ſibi conciliat. Is paulò antè cùm ex prælio Mohaciano domum profugiſſet, Antonii Palocii, qui eâ clade nullo relicto hærede perierat, arcem & oppidum Saroſpatacum armis occupaverat; neque aliter Vaivodæ poſtulatis conſenſurus videbatur, niſi eam arcis & oppidi jam dicti occupationem, tametſi contra leges factam, Regiâ, quam conſequi modis omnibus optabat, auctoritate ratam habuiſſet. Quod quum Vaivoda facilè ei indulſiſſet, Perenius haud minore ambitione, quàm avaritiâ, non ſolùm coronæ Regiæ poteſtatem obtulit; ſed etiam cæteris, qui convenerant, ſuadendo hortandoque auctor fuit, Vaivodam, præterito Ferdinando Principe Auſtriaco, Annæ Ludovici ſororis marito, Regem declarandi: eique confeſtim Vaivoda præfecturam Tranſilvaniæ, quam ipſe per plures annos adminiſtraverat, de manu tradidit; Temeſuariani autem Comitis & præfecti dignitate, cui Perenius præfuerat, adjuncto ſimul Epiſcopatûs Varadienſis titulo, Emericum Cibacum coboneſtavit. Erat is ex Ciboa familia Liguſticæ generis in Italia perilluſtri oriundus; cujus utpote majores ſimul cum Marchionibus Maſſæ ex Italia in Pannoniam migrantes, ſedes & domicilia in ea parte Regni, quæ Biharienſis dicitur, fixiſſent, & à Pannoniis luxato nonnihil nominum vocabulo, Cibaci & Maſſaij denominati ſint; quod ex eorum vetuſtis literarum monumentis clariùs conſtare perhibetur. Aderant præter Perenium & Cibacum alii quoque complures viri pace belloque præſtantes, quos in caſtra Ludovici Regis profecturos ſibi adjunxerat, Benedictus Bajonius, Paulus & Blaſius Artandii fratres, Joannes Gerendius, Franciſcus Bodo vir militiâ clarus, Nicolaus Gleſanus, Gregorius Peſchenius, Joannes & Gregorius Docius, Petrus Petrovicius, Lucas Qaiſmarianus, nonnullique plures, quos partim plurimis largitionibus, partim ampliſſimarum dignitatum conſequendarum ſpe ad ſe pertraxerat.

Perenius coronam regiam Vaivodæ offert.

Et Vaivoda præfecturam Tranſilvaniæ mandat.

Emericum Cibacum Temeſuarii comitis titulo ornat.

Emer. Cibaci familia.

Reliqui nobiles Vaivodæ partibus addicti.

Verbecius facilè princeps eorum. Ejuſdem oratio.

Sed ante alios omnes Stephanus Verbecius, vetus cliens, & partium ejus acerrimus propugnator, tam in caſtris & corona militum, ac nobilitatis, quam ubi ſe occaſio obtuliſſet, privatim ſingulos prehenſando, adeundoque, ne cuipiam ſuffragia addicerent, quàm Vaivodæ, qui nobilitate generis Regi Poloniæ" conjunctiſſimâ, rebúſque præclarè geſtis, &" Republicâ cùm à Barbaris aut Turcis fre" quenter, tùm verò ab horrendâ agreſtium" immanitate non ita pridem defenſâ & vindi" catâ, nemini eſſet poſtponendus, acri ſer" mone hortabatur, debere eos meminiſſe," quidnam ante aliquot annos, maximâ &" atroci indictâ pœnâ, communibus votis ſan" xiſſent, ne ſceptra dignitatemque Regiam,"

ullo

1527. „ullo unquam tempore, externæ nationis „Principibus deferrent; quòd ii avorum no„ſtrorum memoriâ, plerumque avarè, crude„liter, atque adeò infelicibus auſpiciis imperi„taſſent, ac diras calamitates regno invexiſſent; „recenti documento eſſe Uladiſlaum, qui mu„liebri planè ignaviâ, Regii nominis faſtigium „inglorius tenuiſſet; ut interim de infelicis „ejus filii temeritate ſileatur, quâ ſlurem mi„litiæ, & veterem virtutis ac fortitudinis glo„riam, quarum opinione hoſtibus quondam „terrori eramus, fœdè & turpiter amiſerit. „Providentiâ profectò ac benignitate propitii „numinis eveniſſe, ut hunc clariſſimum & „fortiſſimum virum, exitiali nuperrimi prælii „alcæ eximere, atque incolumem ſervare va„luerit, ſcilicet ut ſupereſſet, qui in hoc pu„blico luctu, fortibus conſiliis, & invictis ar„mis patriam labantem erigere atque ſtabilire „poſſet, velletque.

Hæc & alia ejuſmodi Verbecius nequaquam dicendi rudis, identidem ingeminando, animos omnium ac quorumcunque, quò volebat, flectere videbatur, & Vaivoda, comi, blandoque ſermone ſingulos alloquendo pollicitandoque obtinuêre, ut magno applauſu, magniſque ſublatis clamoribus Johannes Rex paſſim acclamaretur, decretumque omnium, qui Tocaji erant, ſuffragiis fieret, ut comitia Albam regiam coronando Regi, ad divi Martini ferias indicerentur; atque abſentes quicunque Proceres ad ea convocarentur. Itum eſt deinde Budam, quam cùm vacuam, miroque modo deformatam vidiſſet, cujus olim claritudinis & ſplendoris ipſe gnarus erat, lachrymas dicitur minimè tenuiſſe. Novum ergo principatum occupatâ arce exorſus, eam expurgatam præſidio impoſito firmavit: civeſque & incolas, qui in Germaniam variaſque regiones profugerant, revocavit; data ſpe laxandi ad certum tempus tributi. Indè ad comitia, ſuſcipiendo coronæ faſtigio indicta, iter aggreſſus eſt; jamque in eum Regii honores ab omnibus certatim cumulabantur.

Joannes Vaivoda Rex proclamatur Tocaji. Conventus ei coronando Albam Reg. indictus, Budam occupat, & præſidio militari firmat.

Albam cùm ventum eſſet, à Joanne Cetricio, qui fugæ Regis comes fuerat, Ludovici corpus in ea lacuna, in qua prolabente equo perierat, inveniri parvo labore poſſe intellexit; quòd locum illum ab ſe diligenter animadverſum fuiſſe affirmaret. Nec mora, certos Proceres, Cibacum, cui, ut diximus, Varadienſem, ac Joannem Saracenum, cui Quinqueeccleſienſem Epiſcopatus, quamquam profanæ conditionis hominibus, dederat, deligendos cenſuit, qui adhibito ſibi Cetricio Regium corpus perquirerent, & inventum Albam ad ſepeliendum quàm honeſtiſſimè adferrent. Quod quum inventum eſſet, ipſe antequam coronâ Regiâ inſigniretur, illud è ſabulo limoſiſque ſordibus bene lotum, & pretioſis odoribus ac unguentis delibutum, more regio ac prorſus ſplendido humare conſtituit, ejuſque rei Reginam, quæ Poſonii erat, admonuiſſe fertur. Sed illa certis de cauſis inſidias verita, è longinquo potiùs diram incomparabilis mariti mortem lugere voluit, quàm cum vitæ diſcrimine funus comitari.

Regium corpus inquiri mandat.

Alii referunt monſtrante quidem Cetricio, ſed Reginæ curâ ſtudioque corpus repertum, Albamque ſolemni funebris pompæ ordine deductum fuiſſe; ſed Reginam tumulando ei intereſſe, uti habebat in votis, nequaquam auſam, quòd ſe & ſalutem ſuam Joannis fidei, qui interea Albâ potitus erat, committere dubitaſſet. Quod quidem utrumque in ea temporum & rerum perturbatione evenire potuiſſe credibile, veroque ſimile videtur. Condito non abſque publico præſentium omnium luctu & lachrymis, in æde divæ Virginis matris, regio funere, in qua alii quoque Reges condi ſolebant, tandem coronatio peracta fuit, præſentibus ferè omnibus Proceribus, etiam iis, qui Ferdinando Auſtriaco, Annæque conjugi ejus in occulto favebant: ſed quia in ſuperiorem Germaniam profectus, procul comitia agitabat, quid haberet de repetendo Regno animi, non ſine ſummo dolore ignorabant. Eam autem è Pontificalibus libris depromptam Paulus Vardanus, quem Vaivoda Archiepiſcopum Strigonii declaraverat, ac Stephanus Broderieus, Epiſcopus Vacienſis, Joannes Statilius, quem ex præpoſito veteris Budæ Epiſcopum Albæ Juliæ non ita pridem fecerat, ſolitis ceremoniis perfecêre.

Alii Reginæ ſtudio erutum referunt, & Albæ ſepultum.

Inauguratio Vaivodæ.

Quà peractâ certioribus nuntiis intellexit, Palatinum Poſonii res novas moliri, nec niſi Ferdinando Rege in Ungaria declarato introductoque quieſcere velle. Quibus rebus permotus, communicato cum ſuis, & Chriſtophoro imprimis Frangepano, quem datis ei nonnullis Palatini arcibus ſibi conciliaverat, quid facto opus eſſet, perquirebat. Chriſtophorus magno exercitu, qui in promptu haberetur, in fines Auſtriæ & Stiriæ irrumpendum, eos ferro & flammâ vaſtandos, expugnandas arces, occupanda locorum præcipua, hoſtem exagitandum armis, & perterrendum cenſebat, neque expectandum, ut primùm ab illo invaderetur: quin potiùs omnibus viribus & artibus incumbendum, ut ille potiùs ſibi timere, ſuaque tueri, quàm aliis bellum inferre cogeretur. In quam ſententiam cæteri quoque, qui conſilio adhibiti erant, pedibus ire videbantur. Sed ipſe fatali ductus errore, mitiora conſilia ſequi, dimiſſiſque copiis, largiendo plurimum, & pollicitando adverſarum partium ſtudioſos beneficiis flectere, & ſibi devincire fruſtra conatus eſt; nihilque ſe iis artibus apud pertinaces & obſtinatos proficere, ſerò & nimis inani pœnitentiâ animadvertit; ſeque Frangepani conſiliis non paruiſſe ſæpe numerò deploravit.

Palatinus Poſonii res novas molitur.

Chriſtophorus Frangepanus Vaivodæ Auſtriã & Styriã vaſtandã ſuadet.

Sed illi non obtemperat

Quum poſt coronationem Budam rediiſſet, Antonius Rinco à Franciſco Gallorum Rege miſſus legatus, ad eum venit, facto per Dalmatas Rhaguſinos, ac Rhodopem & Æmum montea, ac deinde per Belgradum difficili admodum itinere. Hic eſt ille Rinco natione Hiſpanus, ſed qui à Cæſare ad Gallos transfugiſſet, quem poſt aliquot annos ſecundo Pado Venetias navigantem, & illinc Conſtantinopolim ad concitandos contra Cæſarem & Ferdinandum fratrem, Turcas contenderet, ad ejuſdem Padi & Ticini confluentem, ſimul cum collega Cæſare Fregoſio Ligure Hiſpani milites inſidiis circumventum è medio ſuſtulerunt; & id juſtâ quidem divini numinis vindictâ, ut qui miſeros totius Regni Hungarici populos, nihil tale meritos, in longè maximum & terribile fortunarum vitæque diſcrimen, impiâ legatione perducere, & feræ barbarorum immanitati diripiendos objicere voluiſſet. Is literas à Franciſco Rege publicè ad Ungaros, privatim etiam ad ſingulos attulit, Nonis Februarii apud

Antonius Rinco Franciſci Gallorũ Regis legatus ad Vaivodã venit.

Literæ Regis

1527. *Galliar. ad Hungaros.* Sanctum Germanum in Laia datas, ac à Robertteto ſcriba editas, quibus ille ſe maximo mœrore perculſum fuiſſe commemorabat, acerbiſſimo allato nuntio de Pannonico exercitu, ab infenſiſſimo Chriſtianæ fidei hoſte, Turcarum principe, profligato, magna cum nobilitatis ſtrage, infeliciſſimo Regis Ludovici, quod maximè moleſtum fuerit, fratris & conſanguinei ſui chariſſimi caſu. Sed in tantis miſeriis haud parum ſpei & conſolationis ſibi adferre, quòd audiverit Ungaros, principem iis viribus, eáque animi moderatione in Regem ſuum cooptâſſe, cujus virtute cum ſedatis, ſi quæ adhuc reſtarent, ſeditionibus, res domeſticas amplificare, tum à Turcarum incurſionibus & fines ſuos, & Chriſtianam Rempublicam, cujus firmiſſimum ſemper Pannonia propugnaculum extiterit, tueri facilè queant. Se itaque omni ſtudio hortari eos, ut Regi populari ſuo, cujus virtutem jam pridem perſpectam haberent, per quietem potiùs, quàm extero & ignoto per diſcordiam parere, atque alterius quidem præſentia beneficiis ornari, quàm alterius abſentis miniſtris prædæ eſſe malint. Ipſorum fidem atque honorem ſatis eos admonere, ne ad tanti momenti cauſam defendendam animo potiùs defuiſſe, quàm viribus caruiſſe videri velint.

Fœdus à Rincone inter Vaivodā & Gallum ſancitum. Poſtea ab eodem Rincone fœdus ſolenne inter Joannem Pannoniæ, & ipſum Franciſcum Galliæ Regem percutitur, Clemens Pontifex, ac Veneta & Florentina Reſpublicæ comprehenduntur, illúdque in æde divæ Virginis Matris, quæ Germanica appellatur, à Stephano Verbeccio, quem in præmium propugnatarum partium ſuarum Cancellarium ſuum nuper creaverat, conceptis verbis de ſcripto publicatur. Quæ omnia eò pertinebant, ut in Caroli Cæſaris invidiam, contumeliámque, animos Ungarorum à Ferdinando illius fratre, quò minùs ſceptris Pannoniæ potiretur, abſtrahere atque abalienare poſſet.

Interea ex adverſo Regina Maria, Ludovici Vidua, cohortante inſtigantéque Palatino, cui, ut diximus, odium capitale, ex mutuis ſimultatibus ortum cum Joanne intercedebat, *Comitia à Regina Maria Vidua Poſoniū indicta.* Comitia Poſonium, quo poſt cladem ſe receperat, creando Regi indicit, ac ea miſſis Reginæ ac Palatini literis & nuntiis ad omnes partes, ad menſem Decembrem promulgantur. Convenêre tantâ frequentiâ, quantam in ea publica calamitate, & in factiones diſtractis proceribus, vix extitiſſe crederes: *Proceres Ferdinandi partium.* Nam præter Palatinum, Franciſcus Battianius Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Prorex, deſerto Joanne, quòd de Ferdinandi animo antea non ſat ſibi liqueret, abſque mora cum Valentino Enningio, Turco cognomine, ac Urbano Battianio Balthaſaréque Banffio Thallociano Poſonium venit, inque partibus Ferdinandi conſtanter perſeveravit. Ludovicus Pecrius, Stephanus Giulanus, Gaſpar Zoborius, Emericus Variaſius Palatino vicariam operam præſtare ſolitus; præter hos Thomas Nadaſdius, Nicolaus Olabus Albæ Regiæ, ac Albertus Peregus Quinqueeccleſienſis Præpoſiti, Gaſpar Seredius, Franciſcus Niarius adfuêre, conſtantérque in partibus Ferdinandi permanſêre, uno excepto Enningio, qui fluxa inſtabilíque fide, modò has, modò illas partes ſequutus eſt. *Perenius ad Ferdinandum tranſit.* Petrum Perenium, cui coronæ regiæ conſervandæ munus erat concreditum, & qui eam nuper Joanni tradiderat, priſtina inconſtantis animi ambitione, atque avaritia laborantem, promiſſo ei Alexii Turzonis operâ, oppido & arce Saroſpataco (quod ille vehementer exderebat, ut ab utroque Rege conſequeretur, eáque de cauſa talem quæſtum fœdè exercebat) ac ſimul Tranſilvaniæ præfecturâ, Regina & Palatinus ad Ferdinandi partes traduxerant. Joannes quidem Bornemiſſa ſenio & quartanæ febris graviſſimis acceſſibus victus, jam è vita migrarat; Sed Joannem Salaium, Thomam Nadaſdium, ac Stephanum Mailatum, qui morienti præſto erant, ut arcem Poſonienſem cum Regiæ gazæ reliquiis, quæ ab eo iſthuc erant perlatæ, nemini alteri, quàm Annæ Reginæ Ferdinandi Principis conjugi conſervarent, traderéntque, ſacramento adegerat, atque illi hiſce comitiis præſentes, quantum poterant, Ferdinandi partes pro virili tuebantur.

His comitiis, quibus civitatum quòque quarundam liberarum legati, ac complures è vicinis regni partibus, nobiles viſi intererant, *Ferdinandus Rex declaratur abſens.* Ferdinandus Rex Pannoniæ in Germania abſens, quod felix fauſtúmque foret, ipſius primùm Palatini ſuffragio, ac demum votis & acclamatione omnium ordinum, magnâ publicæ lætitiæ ſignificatione, mirificóque omnium applauſu, & tormentorum fragore declaratus eſt, cum ea antiqui Juris regula, ejúſque interpretatione, ut quum comitia à Palatino, cujus officii prærogativæ id ante omnes alios incumbat, indicenda fuiſſent, iſque prima & potiora ſuffragia creando regi habuiſſet, quæ de veteri Regni more, atque legibus exquirenda fuiſſent; id tamen totum *Joannis electio irrita pronunciatur.* in eligendo Joanne neglectum eſſet; ideo eum vitio creatum, ejúſque acta omnia irrita eſſe, omnéſque & ſingulos, qui intra quadrageſimum diem deſertis ejus partibus ad officium redirent, ab illius obſequiis abſolvendos. Quâ *Revaii ſtudium.* in lege conſtituenda promulgandáque mirificum extitit ſtudium Franciſci Revaii, qui erat Palatino à ſecretis, viri acerrimi, ac quod caput erat, partium ſtudioſiſſimi, & municipalium legum peritiſſimi.

His rebus peractis, Regina & Palatinus crebris nuntiis & literis Ferdinandum, ut ad *Ferdinandus in Regnum vocatur,* capeſſendum Regnum veniret, votóque & deſiderio publico illorum, qui ipſum tam propenſis animis, & ſtudiis in Regem elegiſſent, ſatisfacere, & regnum ſupra alias diri belli clades, recentibus contrariæ partis & factionis injuriis expoſitum in priſtinam faciem vindicare vellet, admonere & ſollicitare non deſinebant: non deeſſe etiam in tanta ab hoſtibus ſtrage illata, copias & vires, quibus ejecto æmulo & hoſte, devictíſque adverſariis & rebellibus regnum adire & tueri poſſit: celeritate tantùm & ejus præſentiâ opus eſſe; ne ſi diutius immoretur, Joannes tumultuariè Rex nominatus, regnum, quod fraude & ambitione invaſerit, iiſdem malis artibus retinere ac ſibi ſtabilire queat. Eodem modo cæteri etiam copiarum duces & Principes, quos ſuprà nominavi, Ferdinandum ſuopte ingenio incitatum, ad novi regni dignitatem repetendam multis precibus & obteſtationibus ſtimulabant. Ille non diu cunctatus, ſejuris ſui, quod tam veteris tranſactionis, quæ poſtremo inter Maximilianum Cæſarem, avum ſuum, ac Uladislaum Regem conjugis ſuæ parentem

1527. rentem facta ſit, robore, quam hæreditare uxoria certum clarúmque in Regno Pannoniæ habeat, minimè oblitum fuiſſe reſpondit: Sed hactenus in adeundo Bohemiæ Regno, quòd favente Dei benignitate ſibi & conjugi ſuæ publico conſenſu delatum ſit, occupatum, neceſſariam moram feciſſe; jam tamen compoſitis ex animi ſententia rebus, & ſuſcepto ejus regni diademate, brevì iter in Ungariam ſuſcepturum, adductóque armato exercitu, ex ſolertia, iiſque viribus in aſſerendo jure ſuo uſurum, ut nihil eorum, quæcunque ad præclaræ erga ipſos ſuæ voluntatis teſtificationem pertinere viſa fuerint, neglectum videri poſſit: Ungariſque pro ſingularis erga ſe fidei, & ſtudii officiis omnem gratiam & benevolentiam tam privatim, quàm publicè obtulit.

Ferdinandus in Hungariam cum exercitu movet.

Nec multò pòſt è Bohemia & Auſtria, ac Noricis provinciis quæ ei parebant, contracto exercitu, ac è Rhetia & Vindelicia, Sileſiiſque equitum & peditum copiis adductis, quos Leonardus Felſius, & Joannes Catzianer, ac Wilhelmus Rogendorfius, Italicis bellis, ſecunda nominis fama, exercitati duces, atque alii minoris ordinis præfecti, tribuniquе conſcripſerant, Viennam appulit: relictáque ibi Anna conjuge, & paucorum dierum exercitui quiete conceſſa, Budam versùs ire conſtituit. Cùm autem ad diem divo Jacobo Apoſtolo ſacrum, in fines ſeu terminos, qui Auſtriam ab Ungaria dirimunt, inter oppidum Copcinium, & Laitam flumen haud procul à quadam turricula ſemidiruta perveniſſet, Palatinus cum ſatis magna procerum, ac nobilitatis manu, qui ſtudio videndi, & ſalutandi novi Regis militarem in modum armis ſcutiſque protecti certatim confluxerant, obviam proceſſit: ibique Thomas Salahaſius Epiſcopus Veſprimienſis, publico nomine Ferdinandi adventum gratulatus, regnum ei commendavit: utque ad veteres leges, & conſuetudines ubſervandas, decretáque Andreæ Regis, cognomine Hieroſolymitani, ſtabilienda, ſacramentum præſtaret, admonuit. Quod quum ſine cunctatione peregiſſet, diſploſis tormentis, excitatóque plauſu & vocibus, quibus ei fauſtum fortunatúmque imperium, & vitæ diuturnitatem precabantur, gratulabundi duces Germani, junctis dextris, ſeſe cum Palatini copiis, & Pannonicis cohortibus conjunxêre, caſtraque iiſdem in campis collocavêre.

Palatinus cum magna Procerum manu illi occurrit.

Inſequenti die promotis caſtris ulteriùs itum eſt, lentóque paſſu Calendis Auguſti, ad Ovarium, quod Germani Ungaricum Altenburgum vocant, Moſſovienſis provinciæ caput, ac Salomonis Ungariæ Regis ſeceſſu, & Morionis Marcolphi domicilio celebre, inſtructis in aciei formam ordinibus perventum, cujus portas Petrus Amadeus præfectus, jubente Palatino, ſtatim aperuit, novúmque Regem lætus excepit. Quo etiam Regina Maria ad inviſendum, ſalutandúmque fratrem, Alexio Turzone, & Nicolao Olaho comitantibus advenit, eodémque die Anna Viennæ felici partu filium peperit, cui, in memoriam avi paterni, Maximiliani nomen inditum fuit. Quam ob cauſam varii generis ludi, ac diverſa ſpectacula, equitúmque concurſus, & alia lætitiæ hilaritatiſque ſigna edita fuêre, Mariáque vidua Poſonium revertente, Ferdinandus Jaurino, Comaromio, &

Anna Regina Maximilianũ in lucem edit, Ferdinandus

Tata, quam olim Theodatam fuiſſe dictam quidam exiſtimant, ex itinere facili negotio in poteſtatem redactis, Strigonium perrexit: exceptuſque eſt à Paulo Vardano, ejus loci antiſtite ſingulari, incertum tamen an non ſimulata lætitia, vel metu tanti exercitûs perterrito, vel aliorum inſtabili exemplo. Perenius quòque eodem venit, ibique Ferdinandi & ſenatus auctoritate injunctum ei eſt, ut ad certum diem, quem brevì à Palatino cogniturus eſſet, coronam Regiam capiti Ferdinandi ſolenni more imponendam, Albam perferre non negligeret, cui rei præſtandæ ipſe datis ex condicto literis, fidéque interpoſita ſe obſtrinxit.

1527. *Jaurinum, Comaromium, Tatam, & Strigonium occupat. Perenio mandatum ut coronam Albam perferat.*

Deinde continuato lentiùs itinere, rectà Budam progredi cœptum eſt: adventúque eorum Joannes non parum animo conſternatus, quum copias, quas ad coronationis ſolennem pompam, & rerum ſuarum ſubſidia comparaverat, importuno conſilio dimiſiſſet, nec Frangepano ſalubria conſulenti paruiſſet, gemens doléniſque adventantem hoſtem Budæ nequaquam expectandum eſſe conſtituit. Itaque adverſæ fortunæ flatibus, ac duræ neceſſitati cedere coactus, cum Simone Epiſcopo Zagrabienſe, & Joanne Statilio, pauciſque aliis, quos ſecum habebat, Danubium trajecit, & mille paſſibus infra Peſtum ad Gubacium vicum caſtra metatus, pro auxiliis convocandis varias in partes mandata dedit, ac Franciſcum Drugetum cum non contemnendo militum numero, Lucámque Quiſmarianum, & Blaſium Artandium, cum CCCC. equitibus in caſtra recepit; quo in loco dum paucis diebus moratur, quendam Paulum Oquinum, quem Palatinus ad exploranda ejus conſilia, ac clientes ad defectionem ſolicitandos clam ſubmiſerat, deprehenſum ſupplicio affecit: cúmque longè minores, quàm pro neceſſitudine copias haberet, iis minimè confiſus, nec uſpiam conſiſtere auſus, versùs Hathuanum caſtra movit: atque illinc Franciſcum Bodonem, & Paulum Baquitium pugnaciſſimos duces, qui paulò ante ad eum venerant, cum equitatu miſit, qui progredientem in ulteriori Danubii ripa cum exercitu Ferdinandum ſpecularentur, ac de copiarum ejus numero, & apparatu certiora adferrent.

Ferdinandus ejus diſceſſu & fugâ cognitâ, XX. die Auguſti, divo Stephano primo Ungariæ Regi dicato; Budam juſtis paſſibus contendit: ſingularique felicitate, ſine cæde & ſanguine eâ potitus eſt; fuitque ibi ad duos menſes ordinandis, & res componendo. Eodem verò tempore promulgatis Budam comitiis, edixit omnibus ſub læſæ Majeſtatis pœna, ut intrà XV. dies, relictis Joannis Comitis Scepuſienſis partibus, qui jam fugâ & latebris ſalutem ſibi quæreret, ad ſe convenire, illúmque penitus abdicare velint; Sin minus, contumaces & deinceps apud eum perſeveraturos, ſe hoſtium & perduellium loco habiturum; eóſque vitæ & fortunarum omnium certiſſimum diſcrimen ſubituros. Poſtea ad Calendas Novembres Albam ad exequendam coronationem alia Comitia indixit. Quo profectus, quinta die ejus menſis, qui fuit dies Solis, ante diem divo Martino dicatum, adſtipulante & coronam proferente Perenio, de manu Pauli Vardani Archiepiſcopi Strigonienſis

Ferdinandus Buda potitur, fugato Vayvoda.

Alba coronatur.

1527.

ſolenni more accepit; nullis prætermiſſis lætitiæ, hilaritatisque ſignis; quæ in ejuſmodi pompis & celebritatibus fieri, & uſurpari conſuevêre: quam rurſus Perenius cuſtodiendam ad ſe recepit; nec tamen Viſſegradum, uti debebat, pertulit, ſed contra jus faſque, conivente certis de cauſis Ferdinando, apud ſe retinuit. Exinde quum Johannem ex Hathuno, ad Gengeſſum oppidum caſtra poſuiſſe, atque verſùs Tocajum iter inſtituiſſe didiciſſet, exercitum tam è Germanis quàm Ungaris conſtantem, iiſdem ducibus, quos jam ſuperiùs nominavi, cum inſigni tormentorum ac rerum bello neceſſariarum apparatu, ad perſequendum illum fugientem miſit: ita ut imperium totius exercitus penès Cocianum eſſet: ipſeque relicto Budæ Palatino, qui regnum ſuo nomine gubernaret; ac arce Budenſi fidei & cuſtodiæ Thomæ Nadaſdi traditâ, Viennam redire conſtituit.

Vavodam ut inſequãtur, ſuis jubet.

Tali Pannoniæ ſtatu, turbantibusque inter duos Principes rebus, bellum inteſtinum repentè exortum eſt, atrocitate improviſi ſceleris, & domeſticarum ſeditionum incremento haud contemnendum, cujus quidem initia finemque breviore quàm potero ſermone expediam; ut poſtea ad ejus pugnæ ſeriem, quæ ad Tocajum, valido duorum exercituum concurſu, ſummisque viribus pugnata eſt, redire poſſim.

Joannis Nigri Deſpota facinora.

Joannes quidem, cognomento Niger, natione Thrax, obſcuræ ſervilisque conditionis homo, quum ſe è ſanguine Principum Serviæ, qui Deſpotæ vocabantur, originem trahere, popularibus ſuis Thracibus, ſive Servianis perſuaſiſſet, magnâ eorum manu brevi coactâ; poſtremò vagis & errabundis militibus quarumcunque nationum aucto exercitu, vicinas civitates & oppida vexare ac diripere, pecoris majoris minorisque greges pellere, mercatoribus inſidias moliri, nobilium domos deprædari, non leges, non Principes vereri, Chriſtianos ac Turcas æquè pro hoſtibus habere; quoque major ei ineſſet auctoritas, ſexcentos juvenes, armorum & veſtimentorum ſimilitudine inter ſe pares, ideoque Turcarum in morem Janiceros appellatos, cuſtodiæ corporis adhibuit: aliisque ſervitiis & miniſteriis æquè ſplendidè uſus eſt. Et quoniam ſtatis temporibus unicuique ſtipendia perſolvendo fidem tuebatur, quæ è rapinis & alienâ injuriâ parabantur, major ad eum quotidie perditorum hominum concurſus fiebat; ita ut ejus exercitus decem millium armatorum numerum excedere judicaretur. Auxerat ei inſolentes ſpiritus, quòd uterque Rex ejus amicitiam ſocietatemque non mediocriter ambire & expetere contendebat. Sed poſtremò Ferdinandus, miſſo Francisco Revajo, eum certis conditionibus ſibi conciliavit: magno quidem vitæ periculo, ſi vacuus acceſſiſſet; utpote cui peracuta ſudes parata erat, quanquam hoſpitali menſæ cœnæque adhibito, in quam infigendus periret; niſi productis nomine regio multis muneribus & pecuniâ, hominem barbaricæ vanitatis opportunè placaviſſet.

Rapinæ & direptiones.

Ad Ferdinandũ deficit.

Quibus rebus intellectis Joannes, priùs quàm adventu atque armis Ferdinandi Budâ pelleretur, Petro Perenio ejus adhuc partes ſequuto mandaverat, ut cum Tranſilvanis & Siculis, tumultuariis latronum ducis conatibus obviàm iret. Qui contracto exercitu haud procul Segedino, in campis patentibus cum hoſte manus conſeruit; pugnatumque eſt magnis animis & viribus; poſtremò acies Pereniana à Nigro, ejusque copiis victa & profligata eſt, cæſo inter alios Franciſco Beſſeredio, viro militiæ claro, multisque captis; quos tamen pecuniâ mulctatos dimiſit. Deinde Emericus Cibacus, qui & Varadienſem Epiſcopatum & Temeſvarienſem præfecturam obtinebat, reparatis Perenii copiis, qui poſt eam pugnam ad Ferdinandum tranſierat, & collectis undique viribus, in iiſdem Segedini campis, cum eodem hoſte conflixit, eumque vulneratum terga dare coëgit, victis & pro majori parte interfectis ejus Janiceris, copiisque dilapſis. Sed cùm convaleſcens reliquias conciſi & diſperſi exercitûs iterum collegiſſet, & nocte intempeſtâ cum duobus circiter millibus ſociorum, Segedinum, quod mœnibus carebat, intraſſet; ibique domum Stephani Zacanii prædivitis & admodum pecunioſi mercatoris diripiendam oppugnaſſet, ab oppidanis profligata eſt ea latronum manus, & ipſe in femore minoris ſclopeti mortiferâ glande ictus, ſuccollantibus ſuis, ad pagum, cui Turrim nomen eſt, deductus fuit. Ubi quum illigato vulnere adhibitisque remediis curaretur, Valentinus Turcus, qui cum ſua equitum ala iis in locis eo tempore verſabatur, intellecto ejus caſu, ſummâ celeritate eò advolavit, eumque lectulo extractum interfecit, caputque Budam ſpectandum tranſmiſit: ut eâ inſignis prædonum ducis cæde, Clementis Baquitii, equitum ſuorum ductoris, paulò antè à Nigri Janiceris, tumultuariâ in pugnâ interfecti manibus parentaret, ſtudiumque ſuum erga Joannem, claro eo facinore edito, teſtatum redderet.

1527.

Vavoda copias, duce Perenio profligat.

Cibacus inſtauratâ pugnâ Nigrum ſuperat.

Vulneratus Niger interficitur à Turco.

Iiſdem etiam diebus Joannes, procurante Palatino, claſſe Danubianâ & navibus, quas Saicas ſeu Naſadas vocant, exutus eſt; quum Palatinus earum trierarchos Joannem Fillereſium, & Ambroſium Fogaſſium, de quibus ſuprà diximus, ſpe largioris ſtipendii, & latifundiorum corruptos, ac ingentibus quoque promiſſis oneratos, ut ad partes Ferdinandi tranſirent, operâ Stephani Revai, qui eadem in claſſe anteà trierarchum egerat, occultè perpuliſſet. Quod quum Joannes per certos exploratores cognoviſſet, in utraque ripa Danubii caſtella erigenda, & minoribus tormentis munienda curaverat: ac inter Budam & Peſthum longâ & craſſiore catenâ Danubium tranſverſim clauſerat, ut tranſeuntibus iter impediret. Verùm tanta fuit eorum audacia ac pertinacia, ut quamquam multi ex navalibus ſociis tormentorum pilis ex utraque fluminis ripa peterentur, ictique interirent: tamen conremptâ omni eorum injuriâ & periculo, catenæque etiam repagulis magna remigum vi ſuperatis adverſo flumine eniti, & Comarovium pervadere non dubitarent. Quibus Ferdinandus exceptis, & collaudatis, ſtipendia & præmia virium contulit; & trierarchis ſedes in oppido Sellicio ad Vagi fluminis ripam poſito gratanter attribuit, quæ & eorum hæredes ſequerentur.

Etiam claſſis Danubiana ad Ferdinandi partes tranſit.

At duces Ferdinandi continuatis itineribus, quantum peditatus gradum intendere poterat, ad Tibiſcum flumen pervenerunt, ad quod Tocaium ſitum eſſe in illius & Bodrogi confluente

retu-

1528. retulimus; ubi caſtra Joannis eſſe intellexerant. Jam is ex Tranſilvania, ac Siculis, & iis partibus, quæ circa Varadinum & Temeſuarum ei parebant, haud contemnendas copias in ſpeciem juſti exercitûs contraxerat, traditoque earum omnium imperio Franciſco Bodoni è Saracena familia, viro diſciplinæ militaris ſcientiâ clariſſimo, & ſibi imprimis fideliſſimo, caſtra in citeriore ripa Tibiſci locaverat, ponte flumine conſtrato, ut commeatus, & quæ eſſent neceſſaria commodiùs curarentur. Paulus Baquitius magni nominis vir, ſecundas in exercitu partes obibat; ita tamen ut Bodoni virtute, & militiæ uſu par, omnium judicio exiſtimaretur. Cùm uterque exercitus in mutuum conſpectum veniſſet, Bodo ſingulari peritia aciem inſtruxit, ut mediam ipſe cum Baquitio teneret, in cornibus Tranſilvani & Siculi, ac evocatorum ex multis partibus auxiliares copiæ pedeſtres conſiſterent, quibus Lucas Quiſmarianus præerat. Contra in Ferdinandi partibus Valentinus Turcus Bodoni oppoſitus, cum Ludovico Pecrio in medio conſtitit: dextrum cornu Cocianus, & Felſius cum Germanis, ſiniſtrum peditea ſclopetarii Germani firmabant, ac Quiſmariano directâ fronte opponebantur.

Prælium Ferdinandi, & Vaivodæ partium juxta Tocajum.

Structæ in hunc modum acies non multâ ducum cohortatione incitatæ concurrerunt, diuque certamen protraxerunt; eo eventu, ut diſploſa utrinque tormenta plus terroris quàm detrimenti inferrent, ſed alterius utrinque cornibus acies loco pulſæ profligarentur; Siculi enim equites in Stirianos magno illati impetu eos cedere coactos in fugam conjecerunt: & ex adverſo, quum Noricorum & Cociani vim Quiſmarianus nequaquam ferre poſſet, poſt diuturnam dimicationem peditatus fere omnis fuſus fugatuſque fuit. Eodem temporis momento Valentinus & Pecrius cum Ungaris vehementiori impetu in oppoſitam Bodonis aciem invecti, fortiſſimeque pugnantes, quamquam Bodo & Baquitius ſingulari fortitudine aliquandiu reſtitiſſent, aciemque perturbatam reparaſſent, victis & proſtratis equitibus totam aciem terga dare coëgerunt, adeo ut ab iis inſignis victoria pararetur. Quiſmarianus dum fugientem peditatum retentare vellet, à Joanne Strobelio centurione Germano in pugna glande trajectus ac interfectus eſt: & Ladislaus Geſtinus, è Bodonianis equitum alter ductor, pari fato occubuit: multique alii partim in acie, partim in fuga cæſi periêre. Joannes & Bodo, amiſſis tormentis & vexillis, rebuſque deſperatis pontem non ſine gravi vitæ periculo cum paucis fugiendo tranſiêre: quum & hoſtes à tergo vehementiùs inſtarent, & naves, è quibus pons ſupra Tibiſcum erat connexus, à quibuſdam militibus quos Valentinus ſpecie transfugarum in Joannis caſtra biduo ante miſerat, perforatis in fundo carinis, multum aquæ recepiſſent, nec multo poſt inutiles redditæ, demerſæque fuiſſent. Ipſe etiam Baquitius, quum diu fortiſſimè cum ſuis Thracibus pugnam ſuſtinuiſſet, tandem fortunæ ex profeſſo adverſæ ceſſit: & pontis tranſitu excluſus, quum omnia itinera hoſtium equitibus plena paſſim infeſtaque eſſent, variis erroribus actus, Segedinum profugit, ibique ſe incolumem ſervavit, donec opera Palatini, præfecturam Jaurini & largiora ſtipendia ei pollicentis, ad partes Ferdinandi tranſiret; in quibus poſtea uſque ad obitum ſtabili fide perſeveravit.

Iſthuanf. Hiſtor.

Vaivodani fuſi & fugati.

In hunc modum Joannes tam acerbè à fortunâ mulctatus, quamquam copias cum tormentis ac impedimentis omnibus puncto temporis amiſiſſet, ſalvo tamen adhuc & ſuperſtite Bodone, cui maximè fidebat, & à quo viciſſim conſtantiſſimè amabatur, exercitum reparare, & fortunam, quæ ei tam Budâ excedenti, quàm iterum neceſſaria arma ſumere coacto, tantopere adverſa infenſaque extitiſſet, tertiò experiri conſtituit: neque auſus ſalutem ſuam infirmis Tocaji mœnibus committere, ad Franciſcum Drugetum, quem cognatione & propinquitate ſanguinis contingere dicebatur, ejuſque arces Poloniæ conterminas (nemini præter Bodonem & pauciſſimos quoſdam re communicatâ) ſe contulit: ut ſi repetitis conatibus ſuis fortuna, ſolitâ malignitate illuſiſſet, in proximam Poloniam ſe expediret, ibique Sigiſmundi regis, cui olim ſororem in matrimonium collocaverat, tam opportunâ quam neceſſariâ ope juvaretur. Itaque depromptis, qui adhuc reliqui erant, theſauris, ac mutuò ſumptâ ab aliis pecuniâ, Bodonem ad conducendos milites, & reſtaurandum exercitum hortatur: ac per fideles & ſecretos nuncios literas ad Stephanum Batborium Somlianum, Gothardum Cunum, Cibacum, Gleſanum, fratreſque Attandios, alioſque, qui ex improſperæ pugnæ Tocaineæ ſtrage evaſerant, mittit: à quibus, ut Bodoni ſe cum copiis conjungerent, multis precibus & obteſtationibus obtinuit.

Vaivoda ſuos hortatur, ut copiis reparatis Bodoni ſe jungant.

Hiſce tumultuariis copiis coactis, Bodo denuò caſtra prope Tibiſcum, non procul Tocajo metatus, equites vagabundos & pedites, quos Haidones vocant, quam majori numero poteſt, ad ſtipendia convocat, iiſque aucto exercitu Tibiſcum tranſit. Sed ejus itinere cognito, Cocianus ac cæteri duces, qui Caſſoviæ ejus itinera & conſilia obſervabant, copias eduxerunt, ac verſus illius caſtra ſummâ celeritate contenderunt, quæ ad Zinam Palatini oppidum, inter Caſſoviam & Tocajum medio ferè itinere poſitum, haud procul à fluvio Hernato metata erant. Oritur is è Carpatho monte ac præter mœnia Caſſoviæ fluens, amnibus Tarcia, & quem purpureum vocant, aliiſque ignobilioribus alveo receptis, in Saionem primò, ac poſteà in Tibiſcum devolvitur.

Bodo iterum prælio fortunam tentat.

Cùm eò perveniſſent nullâ factâ morâ, ſtructis ordinibus Bodoni pugnæ poteſtatem præbuêre: neque is progredi, & manum conſerere dubitavit. Verùm inſolens & infeſta via fortunæ, quæ ejus partes jam pridem deſeruerat, ſupremis etiam ejus conatibus, haud diſſimili malignitate defuiſſe viſa eſt. Nam cùm in primo congreſſu equitatus ferè omnis incertum, fatali ne quapiam formidine, & pavore perterritus, vel proditione nonnullorum (quod fama tenuit) agitatus, vix tentato certamine turpiter profugere cœpit: ita ut nulla vi nulloque imperio Bodonis & aliorum præfectorum retineri ſiſtique poſſet: peditatu, quamquam tumultuario, & ex promiſcuæ plebis grege conſcripto, ab equitibuſque fœdè deſerto, prælium magnis animis viribuſque nequaquam intermittente. Unde Bodo eorum ignaviam perfidiamque deteſtatus, fatali forte equo, quo vehebatur, properè deſcendit, pedeſque inter pedites acriter dimicando, ne hoſtem formidarent, neve in pedum pernicitate, ſed in dextris & virtute victoriam ſitam eſſe arbitrarentur, voce & manu

1527. exemploque cohortabatur: cùmque diutius quàm hoſtes ſperarent, dimicaſſent, poſtremò Germanis Sclopetariis, & equitatu Ungarico, in feſſos ac debilitatos vehementius irruentibus, pedites quoque proteruntur, & diſſipantur; ita ut multo maxima eorum pars in pugna pariter & fuga cæderetur. Bodo quamquam amiſſo peditatu, & à ſociis equitibus deſertus, fremens ac frendens, fortunamque incuſans, fortiſſimè reſiſteret, ne vivus in hoſtium manus deveniret, ab equitibus tamen Pecriatije, & Antonio Muſtaphitio eorum ductore agnitus, atque captus eſt, quum omnibus ſere trucidatis, aut in fugam conjectis ſolus ſupereſſet. Regia ſigna & Bodonis, ac Statilij, auro purpureiſque coloribus diſtincta & fulgentia, cum reliquis fere omnibus peditum vexillis, nec non tormentis & alijs impedimentis in poteſtatem victoris devenêre. In partibus Ferdinandi præter paucos è Germanis peditibus in prima acie interfectos, nemo fere alicujus nominis aut dignitatis miles deſideratus, & vulneratorum non magnus numerus fuit.

Sed ejus exercitus vincitur.

Bodo capitur.

Poſt eam pugnam Ferdinandi duces victoriâ utendum rati, caſtra & exercitum ulterius promoverunt, ac Tocajum nullo negotio ceperunt: quod ij, qui ejus cuſtodiæ attributi erant, copiis profligatis, captoque earum duce, adverſæ & iratæ partibus ſuis fortunæ, ulterius reluctandum eſſe nequaquam cenſuiſſent. Deinde Agriam ductus exercitus, oppidumque dedentibus ſeſe incolis, nullo negotio occupatum eſt. Sed & arcis deditioni, quam Joannes Simoni Erdodio Zagrabiæ antiſtiti paulo antè dederat, milites præſidio impoſiti nullam moram fecêre; ita, ut Simon Zagrabiæ ſe contineret: & ejus unius pugnæ & victoriæ proventu, Tocaium, Agria, Hatuanum, Vacia, Novigradum, cæteræque arces, & omnis ager, uſque ad Budam & Peſthum, Danubiumque partibus Ferdinandi facilè accederent.

Ferdinandi Duces Tocaium capiunt.

Agriam,

Hatuanum, cæteraque oppida & arces ſubigunt.

Agriæ exercitui quies aliquot dierum data eſt. Ubi quum Bodo in liberiore cuſtodia detineretur, & ſe nequaquam elapſurum data fide obligaſſet, à Valentino Turco ad epulas invitatus, ac largiore vino obrutus, ejus ſponſionis immemor, noctu clam ſe ſubduxit, ac ad oppidum Gengieſſum tribus paſſuum millibus ab Agria diſtans pervenit. Ubi quum mentem ejus, excuſsâ temulentiâ, promiſſæ fidei recordatio ſubiiſſet, ſtatim imperato loci incolis curru & equis, non in tutum abire, ſed Agriam, unde venerat, ad hoſtes reverti ſtatuit, ſeque Valentino, ac Pectio, cum peditibus & equitum turmis, per ſilvas & montes, perque invia, & pervia loca eum ſollicitè quærentibus, ut fidem ſervaret, ſponte capiendum obtulit; ac deinde ab illis ad Ferdinandum cum vexillis & muneribus Viennam miſſus eſt: qui ſigna in æde divi Stephani, ad victoriæ monumentum, ſuperiore in loco collocari juſſit: ille verò in Novam Auſtriæ Civitatem perductus, ac in peramplam concamerati operis teſtudinem, clatris ferreis munitam, præcipuique nominis captivorum cuſtodiæ dicatam conditus eſt: ubi quum complures annos ſervatus, vel propoſitâ libertatis mercede, nullo modo induci poſſet, ut in Joannem ferrum ſtringeret, aut quod facilius factu, à Ferdinando miti & clementi ingenio Principe obtinere poterat, ut neutram ſequutus partem, poſitis armis domi quieſceret, obfirmato animo in carcere mori, quàm deſerto Joanne, cui ſacramentum dixerat, ingloriam vitam, ut dicebat, vivere maluit: ſicque ſeram inanis conſtantiæ laudem aucupans, in eadem cuſtodia fato functus fuit. 1527.

Bodo in Nova civitatis carcerem conditus, ibi fato defungitur.

At Joannes tantis calamitatum procellis exagitatus, ac adverſæ fortunæ inſperato turbine obrutus, auditâ Bodonis & exercitûs clade, ac partium ſuarum etiam in Illyrico adverſis ſucceſſibus, nihil moratus in Poloniam ad Joannem Tarnovium, caſtellanum, ut appellant, Cracovienſem, ac ſummum exercitûs Polonici ducem profugiendum duxit: virum magnanimum, & apud Polonos, poſt hominum memoriam, omni genere virtutum longè clariſſimum. A quo rex profugus, regnoque tam acerbè quàm infeliciter pulſus, non ſolùm humaniſſimo cum ſuis omnibus hoſpitio exceptus eſt tradita ei ad habitandum ampliſſima arce ſua Tarnoviâ: ſed etiam ſingulari & propemodum regia liberalitate rebus omnibus ad victum neceſſarijs adjutus, ac ab inſidijs inimicorum, quamdiu in Polonia exulavit, acerrimè defenſus. Neque ea Tarnovij hoſpitalitas ac præclarum ſummæ liberalitatis ſtudium Sigiſmundo Poloniæ regi ingratum, aut moleſtum accidit, utpote qui licèt ei, ne regnum Ungariæ multis rationibus Ferdinando debitum ambiendo affectaret, fruſtra ſuaſiſſet: hominem tamen arctâ ſibi affinitate junctum, in eas exilij neceſſitates præcipitatum, eo moderati animi judicio ſuſcipiendum, fovendumque exiſtimavit, ut profugo, exilii locum minimè invideret aut prohiberet, ut aliquid neceſſitudini & calamitati ejus tribueret; auxilia verò contra Ferdinandum omnino negaret, ne ſcilicet Auſtriacæ domus Principes, quibus veteri amicitia cum Maximiliano olim contracta, haud obſcurè favebat, & Carolum imprimis Cæſarem, cujus fortuna & opes ea tempeſtate in excelſo erant, offendere videretur. Sed antequam exilii ejus ſeriem, ac feliciora in repetendo regno conſilia & eventum commemorem, operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi res ab ejus ducibus eodem tempore in Illyrico improſperè geſtas brevibus expediam.

Joannes Vaivoda in Poloniam profugit ad Joannem Tarnovium.

A quo ſumma benignitate exceptus fuit.

auxilium tamen à Sigiſmundo denegatum.

Comes Chriſtophorus Frangepanus relictis Ferdinandi partibus, quas ob ſimultates non ſolutorum ſtipendiorum, aliaſque graviores cauſas deſeruiſſe videri volebat, à Joanne patrum Illyrici prorex, & Banus ut appellant, declaratus fuerat, ſumma omnium rerum poteſtate ei permiſſa, & arcibus ac agris quibuſdam Palatini, ut diximus, unà aſſignatis: iſque navandæ rei avidus Franciſcum Batthianium, quem à Ludovico rege eodem præfecturæ & magiſtratûs titulo cohoneſtatum, Ferdinandus quoque confirmaverat, ac alios Ferdinandum ſequutos armis & bello proſequi decreverat. Adhæſerant ei Joannes Banffius, Simon Epiſcopus Zagrabiæ, Joannes Tahius, ordinis equitum Rhodiorum Auranæ prior, Petrus Marcius Poſegæ Comes, natione quidem Ungarus, ſed qui ductâ Laurentij Garaij filia, ſedem & domicilium in Illyrico haberet, clienteliſque & equitum alis, eo tempore pollens, potenſque eſſet, ac Joannes Erneſtus, cognomine Hampo, qui ampliſſimas in Dravi ac Muræ peninſula arces & oppida obtinebat, atque è nobilitate alii complures ut tria millia equitum, & decem mille pedites in caſtris haberet: pecuniâ quoque à Joanne in ſtipendium miſſâ, alas equitum & certum peditum numerum conduxerat.

Frangepani in Illyrico nomine Joannis res geſtæ.

Proceres Vaivodanæ factionis in Illyrico.

Ex

1527.

Petrij arces patiſſimùm oppugnat Frangepanus.

Ex quibus juſto contracto exercitu, tormentiſque comparatis, Petrium ante omnes alios vi & armis exagitandum ſuſcepit, ejuſque arces Raſiniam, Culterocium, Petretium, ac Petrovinam expugnavit, ac inceoſas & concrematas ſingulari crudelitate ſolo æquavit, quod ſe ab illo iniquè laceſſitum ac inſidiis petitum conquereretur. Quum enim Frangepanus è caſtris ad Velicam Regiam, quæ eſt arx non procul à Savo amne, cum valida equitum ala ſpeculatum hoſtes profectus eſſet, Petrius è ſilva, in quam locatis inſidijs ſeſe abdiderat, ſubitò provolans tanto impetu pugnam iniverat, ut Frangepanus periculo proximus vix hoſtium manus evaſurus crederetur, niſi promptiſſimi militum equeſtris ordinis è caſtris in auxilium tempeſtivè accurriſſent. Vitato periculo exinde digreſſus, primò ad Criſium celebre oppidum caſtra poſuit; nec ibi diutius moratus omnia ferè loca, quæ ad Dravi decurſum ſita erant, expugnatis præſidiis, aut ſponte ſe dedentibus, occupavit; poſtremoque adversùs Battianium, quem cum exercitu, ac Germanorum auxiliis è Stiria, ac Carinthis & Carnis accitis, ad ripam Dravi prope Varaſdinum caſtra habere intellexerat, iter intendit.

Battiani copias cedere compellit.

Erant in Battianii caſtris præter Joannem Carlovitium collegam, & Joannem ac Nicolaum comites Zrinianos, Lucas Siculus Jacobi filius, Georgius Zlunius, è familia Frangepana, Chriſtophori adverſarum partium ducis propinquus, Franciſcus Blagaius, è Romana clariſſima Urſinorum gente originem ducens, Petrus Queglevitios, Jaiciæ præfectus, omnes viri clariſſimi, belloque & armis celeberrimi, & navandæ operæ cupidiſſimi. Accedebant etiam Germani auxiliares, duce Nicolao Comite Turriano; adeo ut Battianius & ſocii tam numero copiarum, quàm robore militum hoſtibus non impares eſſe cenſerentur. Sed illi incertum quibus de cauſis (quamquam ſi totius belli eventus reſpiciatur, utili admodum ſive caſu ſive conſilio factum eſſe conſtat) Frangepani adventantis fama perculſi, Dravum facto ponte tranſiêre, & ad Ormoſdum in Stiria ad ulteriorem fluminis ripam oppidum, ſeſe recepêre. Quorum diſceſſu cognito Frangepanus, quamquam pugnæ avidus, quod tamen flumen, hoſte utramque ripam obtinente, abſque manifeſto exercitûs detrimento periculoque tranſire non poſſet, eos inſequi deſtitit, & ad Samlacciam (quod erat peculiare ditionis Battianii hoſtium ducis oppidum) caſtra reduxit, ibique ducibus & proceribus, præfectiſque in conſilium adhibitis an hoſtis perſequendus, aut in regiones Ungaricas, trans Dravum ducendus exercitus eſſet, quod per occultos nuntios à ſtudioſis partium ad tranſeundum ſolicitarentur, iique ſe ad defectionem paratos eſſe ſignificarent, ad deliberandum propoſuit. Omnibus & ſibi imprimis conſultius viſum eſt, Varaſdinum obſidendum eſſe, ne quid à tergo hoſtile relinqueretur; & intereà iis, à quibus vocaretur, reſcribendum, ne quid in officio propenſioris voluntatis & ſtudii remitterent, & ejus adventum, qui expugnata urbecula brevi futurus eſſet, tacitis votis, paratiſque animis opperiri vellent. Itaque edito profectionis ſigno tormenta promoveri, & eorum magiſtros cum peditatu progredi jubet, ipſe cum equitatu ſubſequitur, & in agro ſuburbano haud procul caſtra locat.

1527.

Varaſdinum quando libertate donatum.

Varaſdinum ab Andrea ſecundo Rege, ac Bela quatro filio ejus, ante CCCC. fere annos conditum, ac libertate donatum eſt; quòd ejus loci cives, & incolæ hunc quidem, dum à Tartaris regno pulſus in Dalmatia exularet, omnibus fidei obſequiis percoluiſſent; illum verò captum & carcere in Quene clauſum (is locus ubinam ſit, & à quibus captum fuerit, reticentibus, ut multa alia, annalibus minimè conſtat, ſed ex veteri civitatis privilegio factum apparet) fovere & in libertatem aſſerere non deſtitiſſent. Situm eſt in planicie lata & amœna, habetque à dextra ſeptemtrionem verſus, minorem Dravi alveum, qui paulò ſupra oppidum in duas partes dividitur; à ſiniſtra, quæ hibernum Solis ortum ſpectat, ſummæ alpes provinciam Sagoriam à patentibus campis ſeparantes in longum protenduntur; inter quarum juga & urbem thermæ Conſtantinianæ habentur, aquæ Jaſæ, ut inſcriptio marmori inſculpta teſtatur, veteribus appellatæ; duplici & miro benignioris naturæ munere celebres, quod & calidis ferventibusque, & ideo ſalubribus admodum venis, è prærupto collium latere magna copia ſcaturiunt, & ſupra eoſdem colles, vineta egregii & præſtantis vini feracia, utili & quæſtuoſo accolarum labore coluntur.

Ejus ſitus.

Cives Varaſdinenſes Frangepano ſe dedunt.

Quæ dum fiunt, & duces æquè ac milites corpora curant, oppidani tolerandæ obſidioni impares metûque perterriti, Frangepano convento ſe portas exercitui nequaquam clauſuros nunciant; ſed ut arcem ei tradere poſſint, non eſſe in ſua poteſtate poſitum: præeſſe enim ei Palatini præfectos & milites, quibus una eaque obſtinata ſit animi ſententia ad extremum uſque ſpiritum eam defendendi. Frangepanus collaudatis civibus, quòd potiorem popularis quàm externi regis rationem habuiſſent; nec expectatis duræ obſidionis periculis, officium quod debebant exequi maturaſſent, cætera ſibi ſecundum Deum curæ fore reſpondit. Nec mora, trahente fato ad vineas & aggeres conſtituendos, in quibus pro diſciplinæ tenore, tormenta majora interjectis corbibus gleba & ceſpite repletis ſtatuerentur, conſcenſo equo cum paucis ire contendit.

Qui Arcis obſidionis intentus,

Palatinus arcem Paulo Capratio tuendam commiſerat, veteri clienti & fideliſſimo imprimis familiarium ſuorum, quem clade Mohaciana equo deſiliiſſe, eumque Palatino ad effugiendum commodaſſe retuli. Is eam commeatu rebuſque omnibus neceſſariis abunde muniverat, & ſclopetarios ſtipendio conductos idoneis in locis per muros collocaverat, admonitus ut in omnes occaſiones intenti vigilarent, & ipſe omnibus in locis ſedulus hortator & ſegnium ac torpentium acer & efficax ultor aderat. Ab iis quum Frangepanus ſerena luce operi intentus conſpiceretur, tres ſclopetarii longè omnium peritiſſimi tormenta minora in eum incautiùs progreſſum collimarunt, ex quibus unâ glande plumbeâ ictus lethale inter femus & umbilicum vulnus accepit. Sed diſſimulato caſu, compreſſoque plagæ dolore, equum adduci juſſit, & eo conſcenſo, rejectis qui officii cauſa ferre opem volebant, in caſtra reverſus eſt. Ad quæ quidem ejus ſanciri fama celeriter perlata omnium animos vehementer contriſtaverat. Eum enim cùm ſpecie proceri corporis, tum virtutis & fortitudinis laudibus inſignem, ac veluti communem diſciplinæ militaris magiſtrum omnes valde amabant. Itaque

Glande plumbea ictus letaliter,

1527. que cùm ad Prætorianûm tentorium equo deſcenderet, & eum Joannes Banffius ſublevare vellet, ab eo prohibitus eſt, cumque tam medicis, quàm ſibiipſi inſanebile eſſe vulnus videretur, relicta in præſens rerum privatarum cura, duces & militum præfectos ad ſe vocavit, &

Duces & militum præfectos hortatur.

cùm mœſti ac triſtes conveniſſent, gravi ſermone diſſeruit, ſibi quidem non ideo grave ec moleſtum accidiſſe, quod fortuna plerumque inſolens & infeſta bonis conſilijs ultimum ſibi vitæ finem attulerit, quum nec timere mortem ſciat, nec teles exitus pleriſque militeribus viris, & ducum ec imperatorum quamplurimis uſu veniſſe ignoret; & omnibus ſemel uno aut eltero genere mortis vita excedere neceſſe ſit; ſed animo præcipuè angi, & confici, quòd Joanni Regi operam quam ceperat, morte præventus præſtare nequiviſſet. Eos proinde omnes orare & obteſtari, ne illum deſerere velint, ſed oppido in poteſtatem redacto, continuata obſidione arcem quoque captam adjiciant. Se fato cedentem relinquere illis Joannem Tabinm, virum militiæ, rerumque uſu peritum, quem ſui loco exercitui præfuturum ſequi poſſint.

Ut Joannis partibus conſtanter adhæreant.

Ante omnia benevolentiſſimi regia, ſed iniquiſſimè regno exacti cauſam ſpectandam eſſe, enitendumque omnibus corporis & enimi viribus, ut retenta ei Illyrici poſſeſſione, & Ungaris ſponte operam promittentibus, in belli ſocietatem adſcitis, illum ab exilio, ſuperis bena juvantibus, rediviva virtute, & felicionbus armis in ſolium reponant; ut ab ejus rebus integris ac liberalitate ſingulari tam publicis omnium quàm privatis ſingulorum meritis perſolvendis certa præmia expectare poſſent. Poſtremo unum hoc extremi muneris officium ab ipſis univerſis etiam etque etiam vehementer petere, ut offenſarum, ſi quas animo concepiſſent, & injuriarum omnium, ſi quibus ſe affectos putarent, haud gravatim oblivisci, ſibique jam jam ed ſuperos in cœlum migraturo Chriſtiane pietate ignoſcere velint. Hæc quum dixiſſet intuentibuſque qui ederant omnibus rerum humanarum recordetione lacbrymæ obortæ eſſent, ipſe ſe in lectum compoſuit, ac non multo poſt deficiente voce, oculiſque & ſenſibus hebetatis, aliquandiu ſimilis exanimo jacuit, deinde eadem nocte à familiaribus eſſedo illetus, quum ad Martinantium pagum perventum eſſet, vir nobiliſſimus & fortiſſimus extinctus eſt magno ſuorum omnium dolore, incredibilique partium Joannis detrimento, quæ poſt ejus interitum indies in pejus ruere cepêre, ec poſtremo ivêre præcipites.

Frangepanus conſtanti animo mortem obit.

Ejus cadaver magnâ clientum veteranorumque militum freqnentiâ, ac multis cum lachrymis, quod nullam prolem reliquiſſet, ditione ejus omni ac perampla opibus Ferdinando fratri relictis, Modruſiæ tumulatum eſt.

Modruſiæ tumulatur.

Poſtero die Battianius, intellecto Frangepani interitu, Dravum iterum temenſus, quum illius morte copias omnes in veſtigio dilapſas, obſidionem ſolutam, pacata præter ſpem omnia reperiſſet, proſpero rerum ſucceſſu lætus, Criſium oppidum, antiquitus ed conventus celebrandos deſignatum, comitia indixit. Ad quæ frequentes proceres cùm conveniſſent, ab eo partim ſpe præmiorum & pollicitationibus perſuaſi, partim minis & extremorum quorumque denunciatione territi, annitente etiam omnibus viribus Petrio, ſuffragijs omnium concurrentibus, in partes Ferdinandi

Ejus copiæ dilabuntur.

Battiani[illegible] omnes [illegible] [illegible]

conceſſere, Joanne Banffio & Simone Epiſcopo Zagrebienſe exceptis, qui ſingulari pertinaciê omnibus contemptis periculis, ab Joanne quamquam exule & inope, avelli nullo modo potuêre. 1527.

excepto Epiſcopo Zagrab. & Banffio, ad Ferdinandi partes traducit.

His rebus confectis, pulſaque & devicta ubique tam in Pannonis, quàm Illyrico Joannis factione, Cocianus ed Scepuſium & Trincinium obſidendum atque expugnandum vires atque animum adjecit, quæ adhuc in poteſtate Joannis habebantur. Itaque aperiente ſe vete, cum victore exercitu, ec magno tormentorum epparatu Caſſoviâ profectus, Scepuſium, à quo Joannes cognominabatur, obſedit; cujus præſidiarii vix expectatis primis tormentorum ictibus, de dedenda arce prologui ceperunt: cum quibus Cocianus extemplò tranſegit, eoſque arce excedentes in tutum ire permiſit. Illinc Petrium præire jubet, attributa ei parte copiarum, atque is ex itinere Licavam & Hadrecum Joannis etces aggreſſus, parvo labore cepit; militibus qui in præſidio erant, eas abſque ulteriori cunctatione dedentibus; ac poſtea itinere ob continuas pluvias importunè cœlo dilapſas, longè incommodiſſimo, tormentis magnâ difficultate protractis, haud procul Trincinio perventum eſt.

Cociano Scepuſium deditur.

Præerant ejus cuſtodiæ Paulus Baraſcainus, ac Benedictus Coſarus, viri ecres & ſtrenui, cum bis mille & emplius peditibus Sclopetariis ſelectioribus, quos Joannes impoſuerat, arcemque ipſam uti ſedem ſuam peculiarem, abundante commeatu, atque omnium rerum, quæ tolerandæ obſidioni neceſſariæ erant, magnâ copiâ muniverat. Neque enim dubitabat, hoſtes quin eam prima nacta occaſione occuparent, minimè quieturos, armaque & vires omnes eò converſuros.

Inde Trincinium obſidet.

Veterem legionum ſtationem, aut coloniam ibi olim fuiſſe quidem exiſtimenta quandoquidem literæ Romanæ unciales cotibus inciſæ etiam hodie ſpectantur. Imminet autem in præalta rupe ædificatum Vago flumini, quod non procul à Vaſecio pago ortum, concurrente ex ſummis elpium jugis, quæ continuâ nive obſeſſæ etiam æſtate albeſcont, eliquod minorum rivorum ſocietate mox à fonte navigabile eſt; denique Nitria & Sithoa aliiſque amnibus receptis, prope Cometonium in Danubium influit, megnamque habet ratibus omnes res devehendi commoditatem; ſed à parte fluminis propter ſaxeæ crepidinis præcipitium, nullis viribus nullaque tormentorum vi expugnabile eſt.

Ejus ſitus.

Ab occidente verò, qua olim elegantes hortorum deliciæ atque embulecra cum lætis frondentium plantarum ac tiliarum umbraculis viſebantur, montem oppoſitum habet; è cujus cacumine pila tormentorum peti ac concuti poſſe videbatur. Verùm Stephanus Zapolianus Joannis pater, vir bellicoſus & experiens, re enimadverſa, conſtructo duplici muro, maximeque firmo, nec non profundiore foſſa utrinque parietibus ſaxeis ſuffulta, multis impendiis magnoque labore ita vitium correxerat, ut ea quoque ex parte non niſi ſummis longiſſimæ obſidionis viribus ſuperari poſſe cenſeretur. Ex hac hortorum, & viridariorum parte Cocianus cæterique duces, caſtris collocatis, tormentiſque editiorem in locum protractis, mœnia concuti juſſerunt.

Sed quum per triginta & amplius dierum ſpatium acerrimè oppugnâſſent, nec tamen quicquam detrimenti obſeſſis intuliſſent, Co-

ciatius

1527. cianus Valentino Turco, Pecrio, Seredio, cæteriſque ducibus militari conſilio adhibitis, quidnam faciendum, an retrahenda tormenta, & cum exercitu retrocedendum cenſeant; an ulteriùs fortunæ alea tentanda videatur, proponit, eorumque ſententiam exquirit. Quum ſententiæ variarent, & nonnullis irritæ obſidioni finis imponendus videretur; nonnulli verò locum commeandis exercitibus idoneum, ac loco opportuno in media Ferdinandi Regis ditione poſitum, minimè negligendum, hoſtibuſque omnino extorquendum contenderent; diu deliberati certi quippiam non potuit, Cociano hærente atque animi dubio: quum Gaſpar Czoborius, vir elegans & venuſtus ſententiam rogatus retulit, ſe inter familiares Joannis diu multumque Trincinii verſatum fuiſſe, omneſque arcis locos & angulos apprimè cognitos habere: ſed eam adeò munitam experimento didiciſſe, ut vi tormentorum diruì, aut irruptione tentari nequicquam poſſe arbitraretur: ſed nec lentæ obſidionis mora ad deditionem compelli, quòd præſidiarios vino, farina, carnibus, ac omni genere commeatûs adeò inſtructos eſſe intelligat, ut ſupra cætera omnia, in area arcis duo ingentes frugum acervi, nondum excuſſis granis, ad incertum obſidionis eventum parati habeantur, coriis bubulis madefactis ad ignem arcendum protecti; proinde ſibi videri non aliter noceri hoſtibus poſſe, quàm ſi tecta arte aliquâ ſuccendi poſſint, commeatibuſque igne conſumptis, à duris & pertinacibus arcis deditio metu inediæ exprimi queat: quamquam ipſe quoque tectorum faſtigia, ut omnes videant, vitriatis tegulis cooperta non facilè ignem conceptura videri poſſint.

Cùm hæc & alia Czoborius dixiſſet, Cocianus etiam olitorem nonnunquam opportuna loqui conſueviſſe joco præfatus, conſilium dimittit, ac Joannem Globicium, excubiarum tormentorumque præfectum, alioſque eorumdem magiſtros convocat; eiſque munera & magna præmia, ſi ignibus è pulvere ſulphureo, pice, reſina confectis, cæteriſque idgenus ejus alimentis arcem incendant, pollicetur. Erant in ſummis tectorum contignationibus complures feneſtellæ prominentes, & tunc ad captandum aërem & lucem fortè apertæ; in quibus omnis generis commeatus ſervabantur. In eas quum à magiſtris tormentorum globi complures igniti conjicerentur, fortè fortuna unus aut alter prægrandi lariceæ trabi inhæſit, aridaque materia puncto temporis flammam corripiente, priuſquam ab obſeſſis animadverti, aut ſuccurri potuiſſet, magna vis incendii totis tectis pervagari cœpit. Nec mora, popularis repentinâ ſtrage tectis in turres propinquas ſulphureis pulveribus ſervandis dicatas ignis incidit, ventis etiam juvantibus, eaſque terribili fragore disjecit, multis mortalibus improviſâ pernicie illatâ: adeò ut non ſolùm qui extinguendo igni incumberent, ſed etiam qui procul attoniti circumſpectarent, immanibus lapidum & materiæ fruſtis fragminibuſque tacti aut interirent, aut graviter vulnerarentur. Et quum nullâ ope, nulliſque remediis amburentium obvia quæque flammarum rapiditas ſiſti & coërceri poſſet: milites ſubterranea loca & ſcrobes quærendo ac latitando, liberam furenti vulcano graſſandi & ſæviendi viam dedêre; arxque ipſa momento temporis, parietinis tantùm ſuperſtantibus, cum commeatu & rebus defenſioni neceſſariis tota deflagravit, noſtris, quo majorem obſeſſorum animis formidinem ac terrorem incuterent, forinſecus majoribus tormentorum pilis frequentiùs & vehementiùs intonantibus. 1527.

Arx ignibus injectis miſerandū in modum conflagrat.

Itaque abſumptis terribili incendio rebus omnibus ad defenſionem neceſſariis Baraſcainus & Colaius perterriti, conſiliique inopes, atque à Valentino privatim amicéque admoniti, ne ſe Germanis, quorum ſocios & commilitones è propugnaculis variis miſſilium telorum ictibus interfeciſſent, miſerabiliter trucidandos objicerent; neve pro Rege exule, ac à diis & hominibus profligato & deſerto, pertinacibus inſaniſque conſiliis pereundum exiſtimarent, mutuo cum ſociis habito colloquio, de dedenda arce agere cœperant; nec multò poſt petitâ & acceptâ à Cociano cæteriſque ducibus fide, facilè tranſactum eſt, ut omnes quò vellent cum rebus & ſarcinis cujuſvis generis, ſi quæ forſan ab incendio ſuperfuiſſent, traditâ arce abire permitterentur: ſicque abeuntibus illis Cocianus, anteà oppido potitus, arcem quoque crudelem in modum deformatam, & adhuc quibuſdam locis fumantem ingreſſus pro Ferdinando Rege occupavit: præſidioque Germanorum militum impoſito, rebusque neceſſariis additis firmavit. Capto Trincinio reliquæ arces, quæ in utraque Vagi ripa complures habebantur, ejus exemplo in Ferdinandi Regis poteſtatem ditionemque facilè conceſſêre.

Cocianus arcem & oppidum occupat.

Dum hæc in Pannonia fiunt, & Ferdinandus tantis rebus, ſummâ felicitate & celeritate ſine ſuorum vulnere confectis, totius ferè Regni imperio abſque controverſia potitur, in Illyrico & Boſnæ partibus ingens detrimentum à Turcis in omnem occaſionem intentis, illatum eſt. Quum enim annis ſuperioribus Petrus Queglevitius Jaiciæ urbis atque arcis præfecturam, egregiâ fide & ſingulari fortitudine adminiſtratam, arcemque defenſam Ferdinando remiſiſſet: iſque eam Stephano Gorbonocii, imbellis inefficaciſque ingenii homini, commendantibus Cociano & Germanis quibuſdam, contuliſſet, Mahometes cognomento Jahioglis, Belgradi ac Samandriæ præfectus, Uſreſſus Varboſaniæ, ac Amurathes natione Dalmata è Sebenico alumnus ejus, Auranæ cæterique limitum duces, poſtquam Ungaros pariter & Germanos civilibus bellis, inteſtiniſque diſcordiis agitatos inter ſe dimicare, armíſque contendere cognoviſſent, ac Jaiciam ſub imbelli & incurioſo præfecto, nec præſidio, nec commeatu, rebusque neceſſariis ſatis inſtructam eſſe pro explorato haberent, contractis copiis & admotis tormentis arcem obſederunt: cùmque aliquot diebus mœnia concuſſiſſent, Stephanus rebus ſuis diffiſus, nec in Ferdinandi, aliis bellis occupati, abſentiſque ope ac auxiliis quicquam ſpei collocans, decimo oppugnationis die, de urbis arciſque deditione cum Turcis paciſci ac tranſigere decrevit. A quibus facili negotio conceſſum eſt, ut Stephano ac præſidiariis omnibus cum equis & ſarcinis, quas ſecum avehere poſſent, in tutum abire liceret, dummodo commeatus, & quæ in arce oppidoque erant tormenta ibi relinquerentur. Blaſius Cherius legatus, & Joannes

In Illyrico & Boſna ingens detrimentum à Turcis illatum.

Jaiciam obſident.

Stephanus imbellis præfectus eam Turcis dedit.

1527. annes Hobordauſtus equitum ductor, viri acres & militares obſidioni non interfuerunt; quòd ille futori neſcius, in Hungariæ provinciam Honteuſem, in qua domum habebat, profectus eſſet: hic verò ſingulari certamine cum Caſſono Turca, paulò ante obſidionem congreſſus, pro curandis vulneribus ſuis, quæ complura adverſo pectore, & quidem gravia acceperat, ſe ad medicos deducendum curaviſſet: qui ſanè deditioni nunquam conſenſuri fuiſſe credebantur.

Ei acceſſêre aliæ arces.

Auditâ Jaciæ deditione cæteræ arces, quæ eò pertinebant, numero duodecim, parom infami deditione, partim militum præſidianorum fugâ & metu in hoſtium poteſtatem devenêre, Bela-Jeſero, Orbavaciam, Socolum, Levacia, Serepvarum, Aparuoa, Perga, Boſſatium, & Grebeoum. Andreas quoque Radstovitius Banialueam, arcem ſatis firmam, cui præerat, unà cum oppido amplo, & in longum penès utramque Verbani fluminis ripam protenſo, pari ſegnitiâ & metu agitatus ſuccendit, & in tutum ſe cum ſuis proripuit.

Et Banialuca derelicta.

Qui deinde ferè omnes uti deſertores ſimul cum Stephano ignominia notati, in exilio periêre. In hunc modum Jaicia, Boſuenſis Regni caput, pro qua tot tantaque bellorum certamina contracta, tot obſidiones toleratæ, tantum roboris & virium inſumptum, tam multum ſanguinis effuſum fuit, torpiſſimoa præfecti ſocordia & ignavia non ſine ſummo dedecore noſtro, ac Reipublicæ detrimento, poocto temporis fœdè amiſſa eſt: ita ut Juannes quamquam in arce Tarnoviana apud Polonos extorris & exul, ſcriptis Ratisbonam ad Principes Romani Imperii, ſecunda die Reſurrectionis Domini literis, ac deinde Menſe Majo ad Carolum Cæſarem, ejus loci tam celebris jacturam, Ferdinando Regi acrioribus verbis vehementiùs objiciendam exprobrandamque exiſtimaverit. 1527.

Vaivoda Jaicia jacturam Ferdinando objicit apud Imperii Principes.

Eodem tempore, iiſdem hoſtibus ducibus, quos nominavi, ſedulam Solimano operam navantibus arces atque civitates Joannis Carlovitii in Croatia, quæ eſt Dalmatiæ mediterranea pars, ſitæ, Uduina, & Lica, ac Carbava, in qua ſedes Epiſcopi habebatur, eadem noſtrorum ignavia, Turcis occupantibus ceſſêre, Carlovitio ipſo in arce ſua Meduevara graviſſimo morbo oppreſſo, nec ſuis laborantibus opem ferente ullam. Cujus etiam morbi atrocitate anno inſequenti, vir nobiliſſimus, nullis relictis liberis, extinctus eſt: in eo progenies antiqua & illuſtris Cyriacorum ſeu Carlovitiorum ex Torquata veteri Romanorum familia originem ducens prorſus defecit: hæreditate ejus omni, quæ ſupererat, Joanni & Nicolao Comitibus Zriniianis, è ſorore illios progenitis obveniente; idque Ferdinando Rege liberaliter approbante.

Carlovitio arces quædam ademptæ à Turcis.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER X.

1528. ANNus jam ſe circumegerat, ex quo Joannem regno pulſum, ac in Poloniam profugientem, Tarnovius liberali hoſpitio fovere, ac omnibus officiorum generibus recreare non omittebat. Ad eum inviſendum ac conſolandum alii quoque quamplurimi procerum Polonorum certatim confluebant, conſcio, nec invito, ut diximus, Sigiſmundo; apud quem ſoror Joannis, lectiſſimis & ſingularibus corporis atque animi dotibus clariſſima fœmina anteà in matrimonio fuerat: adeò ut ejus quamquam exulis aula, non minore ferè quàm in Ungaris præſtantiſſimorum virorum cœtu, ad priſtinæ felicitatis ſimilitudinem vel maximè frequentaretur. Inter quos eminebat Hieronymus Laſcus Siradienſis Palatinus, vir & bello bonus, & conſilio ac rebus agendis prudentiâ & experientiâ ſingulari. Cum hoc ſimul & Tarnovio, viris clariſſimis, Joannes collatis ſermonibus, de amiſſi regni infortunio, ac exilii ſui ærumnis, repetendaque dignitate mœſtus ac lamentans ſæpe colloqui, & conſilia miſcere conſueverat.

Vaivoda conſilia cum Laſco de recuperando regno confert.

Qui poſtquam cum eo diu multumque deliberaſſent, nullam ei in Carolo Cæſare ſpem collocandam cenſuêre, utpote qui tametſi æquitatis & moderati animi nomine præſtantiſſimus Princeps habetur, tamen fratrem Ferdinandum quàm alium quempiam nobiliſſimo Ungariæ regno potiri mallet; & Ferdinandus naturâ imperandi avidus, deguſtatâ dominandi dulcedine nequaquam regni & regiæ dignitatis faſtigio ceſſurus crederetur. Franciſcum Gallorum Regem, & Clementem Pontificem ab ipſo Cæſare in multas & graviſſimas rerum difficultates, uſque ad carceris & captivitatis ærumnas adductos, via ſibi ipſis conſolere, nedum aliis opem ferre ullam poſſe; ut interea de Sigiſmundo taceant, quem licèt propinquum, tamen Auſtriacæ familiæ hoc tempore conjunctiſſimum, in hanc reducendi ipſius curam & & ſtudium multis de cauſis ſe immiſcere nolle, pro explorato habeant. Venetos autem, tametſi pactis ſpecioſo titolo fœderibus, mutuam amicitiam & auxilia obtuliſſent, quis niſi rerum imperitus, opem allaturos putet? quos potiùs alienorum periculorum otioſos ſpectatores ſemper fuiſſe certiſſimum ſit? 1528.

Sibi igitur quàm conſultiſſimum videri, ut opportuna exilii remedia apud Solimanum quærat, ac miſſâ legatione ab illo ſupplicibus votis ſibi conciliato opem & ſubſidia poſcat: nullum alium eſſe Principem, cujus armis & potentia Regnum amiſſum recuperari, ac contra imminentes hoſtes, & æmulos retineri poſſit: illum eſſe ingentis ſpiritus ac magni animi Principem, & quamquam religione à nobis diſſideat, tamen iis moribus præditum, ut ſine dubio ad miſerationem calamitatis ejus flecti ac induci queat; ſi pius precibus ac pactione annui tributi mollitèr emollitus, in partes traducatur:

Laſcus Solimani auxilia cenſet imploranda.

1528. ducatur: quemadmodum ejus rei in Valachiæ & Moldaviæ populis, eorumque principibus perſpicua documenta habeantur, quos clientes & beneficiarios appellatos ſuis legibus vivere permittat, & ſibi tributarios contra finitimos quoſvis armis belloque tueatur.

Addidit Laſcus promptiſſimo oblato obſequio, ſi Joanni placeat, ſe legationem eam, quamvis difficilem & laborioſam ſubiturum, & quantum in ſe ſitum ſit, ad optatum finem perducturum. Joannis actis impenſiùs gratiis, & petito ad deliberandum exigui temporis ſpatio, ſe, quid ſtatuendum cenſeat, maturè cogitaturum dixit.

Laſco legationem ad Solimanum commendat Vaivoda.

Nec multò pôſt collaudato Laſco, ac ingentibus pollicitis, ſi propitia fata proſperum conſiliis exitum darent, onerato, legationem ei committit; ſumptus neceſſarios ſuppeditat, ſupplices libellos exhibet, munera magni pretii aulæ purpuratis diſtribuenda dat, ejuſque ut fautoris & conſultoris fidei & induſtriæ ſeque & ſalutem ſuam, fortunasque omnes magno animi affectu commendat. Ferunt eum, quum poſt depromptum animi ſui votum, ac legationem decretam, Laſcum dimitteret, ad extremum illud Junonium ex Marone carmen, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo*, ſubtriſti vultu atque ore protuliſſe. Et quidem hoc conſilium, ſi Joannem reſpicias, utique commodum & utile; ſed ſi Chriſtiana Reſpublica ſpectetur, quæ hac barbari Principis expeditione in extremum conjiciebatur diſcrimen, prorſus funeſtum atque pernicioſum.

Porrò Laſcus rebus neceſſariis brevi tempore comparatis, trajectoque apud Seliſtriam Danubio per Bulgariam iter fecit; ac cùm Conſtantinopolim perveniſſet, primùm omnium

Grittum muneribus ſibi devincit.

ſeſe in amicitiam familiaritatémque Ludovici Gritti, datis muneribus, commodùm inſinuavit. Is erat Andreæ Venetiarum Principis filius, Bizantinâ matre natus, ac Turcicæ linguæ, utpote nativæ ac domeſticæ peritiſſimus, ac Ibraimo Purpuratorum Principi charus, nec Solimano incognitus; & eo tempore Petæ habitabat, in quo oppido hoſpitium haud procul ab ædibus Grittianis Laſco fortaſſis obtigerat. Hunc Laſcus de ſua legatione, ac Joannis paulò antè Regis exilio ac miſeriis, Italicâ uſus linguâ disertè & appoſitè edocuit; amboque deinde Ibraimum convenêre, eumque muneribus exultum placatumque induxêre, ut cauſam Joannis apud Solimanum tuendam defendendámque ſuſciperet, atque operam & ſtudium omne ſuum polliceretur.

Grittus & Laſcus Ibrahimo Vaivodæ cauſam enixè commendant.

Is Ibraimus poſt dejectum & loco motum Luphtim (propterea quòd uxorem, quæ Solimani ſoror uterina erat, cum ob fœdos puerorum amores reprehendentem pugno pulſaſſet) Purpuratorum Princeps evaſerat, & Solimani conſiliorum omnium unicus arbiter, eò quòcunque volebat, impellere poterat, ut planè ei dominaretur; quamquam humili loco natus, & puer à Scardere, quem anno ſeculari, ſuperatis altiſſimis Italiæ fluminibus & alpibus, per Euganeos, in conſpectum ferè Venetiarum irrupiſſe retulimus, Principi dono datus fuiſſet.

à Solimano & in Divano Laſcus auditur.

Hujus operâ & diligentiâ Laſcus, tridno poſtquam conſilia cum eo contulerat, ad Solimanum introductus, atque ab eo auditus, poſtea ad Divanum, quod publicum apud Turcas conſilium denotat, cui tunc Ibraimus præerat, rejectus fuit. Ubi quum diſertiſſimè & breviſſimè cauſam Joannis (præmonitus ne prolixè diceret) peroraſſet, proſpiciente & audiente è feneſtella ſuperioris loci Solimano, ac illum veluti clientem & beneficiarium in tutelam Solimani tradidiſſet, & quidquid tributi imperatum eſſet, id quotannis obedienter perſolvendum promiſiſſet, bene ſperare ab Ibraimo juſſus ad hoſpitium ſe recepit. 1528. Accidit autem, ut Grittus quoque iiſdem diebus unionum & gemmatum æſtimandarum cauſa, quarum Mangonii callentiſſimus habebatur, à Solimano arceſſeretur; & Joannis cauſam opportunam nactus occaſionem obnixè commendaret.

Vaivoda Solimani beneficiarius appellatur, & auxiliares copiæ ei promittuntur.

Exinde haud multo poſt tempore Purpuratis conſulentibus, Ibraimoque potiſſimùm ſummâ quâ pollebat auctoritate ſatagente, Joannes in clientelam recipitur, & Solimani beneficiarius appellatur, ac ineunte vere auxiliares copiæ ei in Regnum reducendo decernuntur, nullâ quidem eo tempore tributi factâ impoſitione; poſtremóque Laſcus veſtibus purpureis, auro intertextis donatus, ac convivio à Purpuratis Ibraimoque exceptus domum remittitur.

Hobordanſcus à Ferdinando legatus miſſus ad Solimanum.

Sed antequam Byzantio exiret, ſupervenit à Ferdinando Joannes Hobordanſcus legatus, qui gravi, & ſi prior veniſſet, non improbanda ratione regnum, quod recens legitimè adiiſſe videbatur, Solimani amicitia impetrata ſibi ſtabiliendum, ac jura, quæ in ejus hæreditate duplicia & firma habebat, ei proponenda, petendaſque more Majorum inducias cenſuiſſet. Erat Hobordanſcus naturâ ferox ac ſuperbus, ideóque Turcis minimè acceptus, qui homines Chriſtianos ad ſe venientes, nihil niſi demiſſum ac humile verbis, geſtu, factiſque præ ſe ferre volunt, ac quodam barbarici faſtûs imperio etiam adigere videntur.

Hobordanſci varia fortuna.

Iſte eſt Hobordanſcus, Jaiciæ olim equitum ductor, qui, ùt diximus, ſingulari & equeſtri certamine cum Caſſono tunc Præfecto turmæ, poſtea autem purpurato Budenſi, abdicatis ſcuto & thorace ac galea, ſed ſolis gladiis congreſſus, multis illatis, acceptiſque vulneribus victor evaſerat, tandem infami & fœdo vitæ exitu memorabilis. Nam quum proceſſu temporis Joannem Regem à Solimano reſtitutum, Budæ incertum ſponténe, an præmio ab aliquibus inductus, interficiendum ſuſcepiſſet, ſicaque ejus in ſagi manica inventa eſſet, captus & culeo inſutus, atque in Danubium merſus interiit.

Hic poſtquam ad Solimanum à Janitoribus brachia & manus de more ſuſtinentibus, introductus fuiſſet, legationem ita expoſuiſſe fertur, ut ipſius Solimani aures, nihil ſuperbi aut inſolentis audire ac ferre ſolitas, non parum offendiſſe videretur.

Ejus libertas in exponenda ſua legatione.

Petebat enim libero ore, uti fama fuit, & Joannes Sermegus eorum temporum æqualis id in ſuos annales retulit, ut amicitiam & inducias Ferdinando daret; eâ conditione additâ, ut iiſdem, quæ anteà Ludovicus Rex icerat, fœderibus renovatis, Albam Græcam ac cæteras arces Ludovici tempore captas, cujus ſororem Ferdinandus duxiſſet, liberaliter reddendas vellet, ſi ea viciſſim à Ferdinando obſervari poſtularet. Hæc legati oratio, quâ Belgradum repetebatur, ſi induciæ utrinque valituræ eſſent, tanquam ſuperba & inſolens Solimani animum, alioquin ferocem & indomitum, jámque anteà à Laſco præoccupatum,

1529. patum, vehementer exaſperavit, ita ut irâ atque odio exardeſcens, totus ad Joannem reducendum, & Ferdinandum Pannoniæ poſſeſſione pellendum atque exturbandum impelleretur; ac Hobordanſcum, uti inſolenter loquutum abire, finibusque ſuis excedere juberet; adjectis tumido ingenii faſtu minis, ſe primo vere Budam infenſo exercitu contra Ferdinandum profecturum; ubi collatis ſignis, ſi Ferdinandus ſuperior victorque evadat, ſeque victum trucidet, tum clavibus non Belgradi ſolùm, ſed cæterarum arcium facilè potiatur. Si verò Budæ non reperiatur, Viennam uſque proficiſcens perquiſiturus eum ſit.

Quâ Solimanus offenſus illum ſuis finibus excedere jubet.

At Laſcus, qui adventu Hobordanſci vel maximè erat perturbatus, verebaturque ne fœdera & pacta, quæ ipſe ſingulari ſollicitudine, & maximis laboribus ſancienda curaverat, illius conatibus irrita redderentur; ubi illum pro amicitia & induciis, à furibundo Solimani ingenio minas & hoſtilia quæque retuliſſe intellexiſſet, ſingulari perfuſus gaudio domum reverti maturavit; atque ex itinere nuntium ſummâ adhibitâ celeritate præmiſit, per quem Joannes avertere ab aſſiduo mœrore animum, ſpemque recipere juberetur; cætera verò & totum proſperæ legationis ordinem propediem ab ſe revertente intellecturus eſſet. Juſſerat autem Joanni Solimanus, ut ſibi cum exercitu in Ungariam ituro aut in campis Mohacianis, ſuâ victoriâ, & clade Ungarorum, ac miſerabili Ludovici interitu claris, aut alibi ſupra Budam occurreret: cætera quæ ad eum reducendum, Budæque in ſede collocandum pertinerent, ſibi curæ fore; literasque & ſyngrapham ad eum miſerat; quibus ſe eum, uti fratrem, in tutelam ſinumque ſuum recepiſſe, & ab omnibus defenſurum teſtabatur.

Laſcus Tarnoviam reverſus, de iis quæ Conſtantinopoli bono eventu peregiſſet, Joannem edocuit, iſque cum pro egregiè fideliterque navata opera, arce Dunaveciâ, ad Popradum amnem ſitâ, qui è Carpathiis montibus ortus, in Viſtulam haud procul urbe Cracovia influit, ac civitate Ceſmarca, quarum utraque in regione Scepuſiana habetur, liberaliter remuneratus eſt. Et quanquam hoc oppidum Ferdinandus Franciſco Battianio dederat, cives tamen capto, & in vincula conjecto Joanne Sancone Raguſinæ originis, qui nomine Battianii locum tuebatur, Laſcum intromiſerunt, eique deinceps paruerunt. At Hobordanſcus emenſo celeriter itinere, cùm Viennam rediiſſet, neque Ferdinandum ibi inveniſſet, quòd is Spiræ Nemetûm in ſuperiori Germania, Caroli fratris, Italicis bellis occupati, loco & nomine concilio præeſſet, nec à Viennæ præſidibus, quæ de irato Solimano, deque hoſtili ejus animo, & exercitu ſub Viennæ mœnibus propediem affuturo attuliſſet, ſatis crederentur, Spiram protinus advolare conſtituit, ut Ferdinando ea quæ non tantùm ipſius, ſed etiam univerſæ Germaniæ, ac Chriſtianæ Reipub. vel maximè intereſſent, coràm referret.

Laſcus legatione feliciter confectâ ad Vaivodam redit,

à quo arce Dunavecia, & oppido Keſmarka donatur.

Hobordanſcus ad Spirenſ comitia profectus celerrimè, Ferdinando Solimani minas & molitiones exponit.

Ferdinandus cùm Hobordanſci ſermonibus non mediocriter perculſus, tum verò, quòd illa eadem tam amicorum literis, quàm fideli exploratorum omnia perſcrutantium relatione de barbari ac tumidi hoſtis apparatibus perferebantur, omnem adhibuit curam & diligentiam, ut Viennam muniret, validiſſimoque præſidio impoſito tueretur. Ad quod perficiendum, quamquam ſegniores, quàm periculi magnitudo poſtularet, Germaniæ Proceres, Principéſque reperiebat; tamen præter ſolitum cunctatore, & adultâ jam æſtate exercitum lentis paſſibus promovente Solimano, ſpatium opportunè conceſſum eſt præparandi ea, quæ ad urbis ſalutem & defenſionem opus eſſe videbantur. Cujus quidem diuturnioria moræ variis artibus procuratæ, auctorem fuiſſe Ibraimum ferunt; qui quum Chriſtianis Principibus & populis impensè faveret, Solimani exercitum tardius promovere, & lentiori gradu iter capeſſere, quo Carolo Cæſari & Ferdinando ad reſiſtendum ſimul, & ad ſua defendenda tempus & otium ſuppeteret, inſtituerat, ne ab hoſtibus Turcis imparati præoccuparentur; ſicque confluxêre ſub id tempus ad propugnandam Viennam circiter XVI. millia peditum; equeſtris vero ordinis bis mille, ſelectiſſimi omnes ac fortiſſimi Germani nominis milites; quorum virtute ac viribus, ſecundùm divi Numinis opem, urbs celeberrima à clade & cæde conſervata fuit. 1529.

Viennæ præſidiū impoſitū 16000. peditum, & equitū 2000.

Interea dum hæc fiunt, & Solimanus ſpe tardius cum exercitu progreditur, Joannes Laſco cohortante iter in Hungariam ſuſcepit, utque verſus Lippam ab diuturniore exilio tutus & ſecurus ſe reciperet, obviàmque Solimano in Regnum reſtituendus occurreret, copias, quæ ſe concomitarentur, comparandas exiſtimavit. Sed imprimis rei nummariæ penuriâ vehementer premebatur, ita ut quum pecunia in promptu nulla omnino eſſet, ad conducendas cohortes, partim à Polonis, partim verò ab Ungaris, qui eum ſequebantur, eam mutuò petere, ac auream ſupellectilem, unionesque & gemmas magni pretii, quas dum regno pelleretur, fugiens ſecum aſportare potuerat, fœneratoribus oppignorare cogeretur. Igitur ægre & difficulter conquiſita pecunia, cohortes duas tricenarias militum mercede conducit: ipſique Simonem patriâ Athinenſem (locus eſt inter Cuſium & Poſegam) cognomento literatum, cui ut exilii & laborum omnium comiti & ſocio plurimum tribuebat, præficiebat; equitem prætorianum, quem non magno numero babebat, ei adjungit, ſimulque in Pannoniam ad Stephanum Bathorium Somlianum, Gothardum Cunum, Emericum Cibacum, ac cæteros, quos adhuc ſibi occultè favere ſciebat, literas dat, ut Simoni, quem ipſe ſequuturus eſſet, ſe & ſuas vires conjungere, ſeque brevì in Ungariam contendentem, ſub montibus illis, qui Poloniam ab Ungaria dividunt, circa Homonam expectarent. Eadem cum Franciſco etiam Drugeto propinquo ſuo per literas, & Georgium Monachum natione Dalmatam, ſecretò communicat, atque ne hæc in vulgus emanent, ſeriò admonet. Hi tumultuariam, quam poterant manum, ac ex agreſtibus majori parte coactam, & equites ſuos peculiares, quos alere ſuis ſtipendiis conſueverant, Gothardo, veluti Joannes mandaverat, attribuunt, atque is vitatâ ubique viâ militari, ac pagis viæ adjacentibus, factoque ut plurimum de nocte itinere, ad præſtitutum locum Simoni ſeſe conjungit, ita ut utriusque copiæ præter parvam equitum alam, vix duorum millium militum numerum æquare cenſerentur.

Vaivoda contractâ aliquâ militū manu in Hungariam iter ſuſcipit.

Optimates nonnulli Trāſilvaniæ ſuas copias Vaivodanis conjungunt.

His tantulis copiis Vaivodani progreſſi, cùm verſùs Caſſoviæ terminos perveniſſent, cavere nequaquam potuêre, quin à Stephano Revajo,

1529.

Vaivodani noſtros ſive accurrentes profligant.

vajo, Ferdinandi equitum præfecto, ac Hiſpanorum cohorte, quam Thomas Liſcanus ductabat, perſentirentur. Qui poſtquam cum Vaivodanis nullo ordine, nulla diſciplina pugnam iniiſſent, neque Hiſpanos, quamquam non procul advenientes, expectare voluiſſent, utpote qui hoſtium paucitatem ſtolidè ſuperbéque contemnerent, non magno negotio ab illis fuſi fugatique fuère: ita tamen ut ex noſtris non adeo multi perirent, ſed detertis equis, abjectiſque ſcutis in proximos ſaltus, ac Hervati fluminis nemora diſperſi palantéſque ſeſe proriperent, ac ægre pars Caſſoviam unde venerant, pars in vicinas civitates Lenociam & Eperieſſum, vitatu poſt longos errores periculo, reverterentur. Gothardus quum fugientes proſequi vellet, à Simone, qui ne tumultuariæ ſuæ cohortes ab veteranis Hiſpanis, iiſque peritis Sclopetariis circumventæ funderentur, metuebat, prohibitus eſt.

Joan. Vaivoda. hac victoria lætus, relicta Lippam ſe confert, ubi à compluribus optimatibus benigne excipitur.

Joannes oportuna hac ſuorum victoria audita nihil cunctatus, poſtquam gratias ingentes Tarnovio pro hoſpitalitatis ac beneficii munere egiſſet, neque ſe ejus unquam immemorem futurum promiſiſſet; conſtructáque ac eleganter exornata in templo Tarnoviano ara, memoriam extim ſui reliquiſſet; è Polonia diſceſſit, ac Laſcu cum ſua eum comitante, Simonis & Gothardi victricibus copiis ſe conjungens, rectâ Lippam contendit. Quo quum veniſſet, complures ex Tranſilvanis & Pannoniis proceribus ad eum gratulabundi confluxêre; ibique cum Joanne Solimani adventum expectavêre.

Epiſc. Zagr. Banffius, Talius, Marcus aliique Vaivodæ fautores, bello arcem Ferdin. in Illyrica rebus tenent. Arcem Græcum obſident. Hiſpani ſub comite Turriana oppidum ſtrenuè tuentur.

Quibus per hunc modum peractis in parte Illyrici, quam hac tempeſtate Sclavoniam vocari diximus, Simon Erdodius Epiſcopus Zagrabienſis, ac Joannes Banffius à Lidus, Joannes item Talius Auranæ prior, ac Petrus Marcus Poſegæ Valconariique Comes, aliique nonnulli, qui Joanni vel extorri, ac malè à fortuna mulctato datam fidem ſervaverant, quos interfecto anno ſuperiori ſub Varaſdinu Comite Chriſtophoro Frangepano in diverſas partes dilapſos fuiſſe memoravimus, audito Joannis reditu, ac Solimani in Ungariam adventantis, eumque in regnum reducentis fama, ſumptis animis, coactiſque copiis, *Montem Græcum*, oppidum in colle Zagrabiæ imminentem, quod erat in partibus Ferdinandi, ac à Nicolao Comite Turriano defendebatur, obſidione cingere decreverunt: quandoquidem à præſidiariis ejus loci nihil tutum, nihil pacatum circumjacentibus Savo regionibus delinquebatur; quin eas rapere, vaſtare, omniáque cædibus & rapinis infeſta reddere conſueviſſent. Erant cum Turriano circiter mille Hiſpani pedites veterani, Italicis bellis exercitati, inter quos eminebant viri acres & militares Ludovicus Davalus, Joannes Salina, Georgius Mauricus cohortium præfecti, nec non Mauritius & Chriſtophorus Aratidii, Garſias Guſmanus, Franciſcus Zapata ſigniferi, ac alii complures, qui oppidum ſuprà quam credi poſſit acerrimè tuebantur; adeò ut ſæpe oppido excurrere, multos ex hoſtibus cædere, ac obſidentes prorſus contemnere viderentur. Sed jam à ſpatio unius menſis obſidione toleratâ, conſumptiſque alimentis omnibus, nonnihil famis ſitiſque incommoda ſentire cœperant. Quare Turrianus neceſſitate circumventus, à Raubero Epiſcopo Labacenſi Carniæ præfecto, ac Leonardo Pullero ejus Legato per litteras nuntiósque auxilia & commeatum petere coactus fuit. Qui quum ſatis validas equitum cataphractorum alas terreſtri itinere, peditum verò Germanorum ſeptem millia ſecundo amne Savo, quò celeriùs adcurrerent, unà cum annona maturè deduxiſſent, Vaivodani eorum adventus famâ permoti, ne uno eodemque tempore à duplici hoſte, ab iis nimirum & Turriano ac Hiſpanis oppido excurrentibus circumvenirentur, obſidione ſolutâ, nec expectatis Germanorum copiis diſceſſerunt. Et ne metu ac formidine hoſtium ceſſiſſe viderentur, arcem ſanctæ Eliſabethæ, viæ, quæ penès Dravum ad Eſſecum ducit, impoſitam, quæve Ladislao Moræo parebat, qui eo tempore neutrarum partium aſſecla, ſed cædibus, rapinis, furtis & latrociniis infamis, omnibúſque exoſus habebatur, appoſitis ſcalis & repentinâ factâ irruptione ceperunt & diripuerunt.

1519.

Ideoque Vaivodani obſidionem ſolvunt.

Turrianus Zagrabienſ. arcem obſidet.

At Turrianus & Hiſpanicæ auxiliaréſque Germanorum copiæ, ut Simoni Epiſcopo & Vaivodanis par pari referrent, arcem Zagrabienſem, in qua templum egregii operis, divo Stephano Regi dicatum habetur, cum adjacente oppido, factis aggeribus & vineis, Nonis Julii obſidione cinxerunt. Sed quia majoribus tormentis, quibus mœnia concuſſa conciderent, magno ſuo incommodo carebant, minores tantùm colubrinas provehebant, iiſque in muros, & eos, qui in eorum pinnaculis verſabantur directis, jaculari & hoſtes terrere conſueverant. Hiſpani fodiendis etiam cuniculis rem aggredi, ac murum ſuppoſitis ſulphurei pulveris cadis ſubruere conabantur. Verùm præerat arci vir ſenex, ſed militaris Joannes Vagerovitius natione Crovatus, Thomæ olim Strigonienſis Cardin. alumnus, ac multis militaribus facinoribus clarus, qui contrariis cuniculorum ſuſſionibus Hiſpanorum conatus eludere, ac excurſionibus frequenter factis multos ex hoſtium numero incautiùs operi intentos trucidare, aut captos in arcem rapere ſolebat. Sed quum in dies non edulia ſolùm deficerent, ſed etiam pulveris inopia paulatim ſuboriretur; quandoquidem neceſſe erat eum in explodendis ex arce tormentis, ac minoribus quòque ſclopetis conſumi, inſuper milites aſſiduo labore, & vigiliis fatigari vix arci tuendæ ſufficerent; multique ex eis debilitati vulneribus operam præſtare non poſſent; præfectus tot tantiſque rerum neceſſariarum difficultatibus obrutus, ſacerdotem quendam ex compluribus, per obſcuram noctem fune de muro clam dimiſit, qui litteras ad Epiſcopum perferret, atque ab eo de arcis & præſidii neceſſitatibus edocto opem & ſubſidia imploraret: qui re proſperè & feliciter peractâ, ab Epiſcopo eadem ſollicitare reverſus, ac iterum demiſſo fune per mœnia pertractus, brevì adfutura obſeſſis auxilia nuntiavit. Fuit autem mirum imprimis hunc ſacerdotem, hoſtes & præcipuè Hiſpanorum ſolertiam & vigilantiam, tanta diligentia excubias obeuntium declinaſſe & fallere potuiſſe. Quamquam autem Epiſcopus & alii duces obſeſſos bene ſperare juberent, ſéque eis brevi venturos auxilio, etiamſi copiæ à Turcis petendæ forent, prolixè pollicerentur, atque eo nuntio eáque ſpe exhilaratus Vagerovitius, tormenta omnia magno cum ſtrepitu ac fragore exonerari juſſiſſet, aliáque ſigna lætitiæ, tubis ac tympanis canendo & obſtrependo, in-

1529. conditóſque clamores tollendo edidiſſet; tamen hoſtea iis viribus & conatibus, tantáque pertinacia obſidioni incumbebant, ut niſi arce capta nequaquam diſceſſuri viderentur.

A Rege Ferdinando, omiſſa obſidione ad Viennæ defenſionem avocatur.

Sed Ferdinandus ante omnia Viennæ defendendæ proſpectum cupiens, obſidentium pertinaciæ finem impoſuit: Quum enim Solimanum certiſſimis indiciis Viennam propediem obſidione cinctum cognoviſſet, Turriano & Hiſpanis, cæteriſque Germanorum præfectis ſerió dedit in mandatis, ut poſthabitis omnibus rebus, ipſáque obſidione in aliud tempus dilata, ſinè mora ad defendendam Viennam cum exercitu convolarent. Quæ res procul dubio Zagrabiæ alioquin magno conſtitutæ in periculo ſalutem & incolumitatem attulit; atque illi, uti juſſi erant, Viennam ire maturarunt; ac omnes, ſed Hiſpani imprimis, ſtrenuè dimicando, ac fortem & fidelem in tuenda ea urbe operam navando, immortalem ſibi laudem & gloriam peperêre.

Vaivoda Solimano in campis Mohacsianis occurrit ſupplex & venerabundus, una cum Hieron. Laſco. A quo benevolè excipitur.

Jam demeſſæ fruges & in horrea compoſitæ erant, cum Solimanus ingentibus copiis ſuperato Savo, in Sirmium venit, ibique paucos moratus dies, Dravum apud Eſſecum ponte ex navibus, & tabulatis confecto nemine reſiſtente trajecit, indeque lento gradu ad campos Mahocianos perventum eſt; in quibus Joannes cum iis, quas in magnis rerum ſuarum anguſtiis habere poterat, copiis (erant verò ad VI. millia hominum) ei ſimul cum Laſco venerabundus, & ſupplex cum pretioſiſſimis muneribus occurrit: á quo junctâ dextrâ, ſummâ cum benevolentiæ ſignificatione excipitur, ac ut animum recipiat, & bene ſperet, jubetur. Locus idoneus, in quo tendat, ei in caſtris deſignatur, cuſtodes ex ordine Janicerorum, qui eum ab omni vi, atque injuria defendant, adhibentur; quotidie varia ad uſum coquinæ, ac menſæ edulia, nec non aliquot oves ente detracta, ſaccati item & mellis, ac cereorum ad nocturni luminis uſum, certum pondus liberaliter miniſtrantur.

Inde continuatis itineribus Budam ductus exercitus: quem tametſi plurimi mortalium ex centum & quinquaginta millibus Turcarum conſtare affirmarent, ac Turcæ ipſi ſuas copias eum numerum duplo excedere falſo jactarent; conſtat tamen eos, qui ad ineundam pugnam, ciendúmque Martem idonei milites forent, dimidiam ejus partem vix conſtituiſſe: quum cæteram multitudinem lixas & calones, ac agreſtes, equis, camelis, & burdonibus curandis dicatos eſſe clarè appareret. Civium Budenſium magna pars, eorum præſertim, qui locupletiores erant, partim cladem ſuperiorum annorum perpeſſi, partim recenti adventantium hoſtium metu perterriti, Suevíque imprimis mercatores Strigonium vel Albam, aut Poſonium, indéque Viennam, vel ad ulteriora loca profugerant; ita ut dilabentibus incolis Turcæ primùm ſuburbia, & deinde civitatem à paucis militibus Germanis defenſam, parvo negotio expugnarent caperéntque: Thomas enim Nadaſdius, quem à Ferdinando, poſt Joannem pulſum, urbi atque arci tuendæ anno ſuperiori præfectum fuiſſe diximus, & Chriſtophorus Peſſererius, ac Joannes Traubingerus, duarum cohortium Germanicarum ductores, hoſtium ingenti numero & apparatu, ac inopinato adventu perculſi, poſtquam diu ac fortiter per aliquot dies repugnaſſent, poſtremò ſuæ paucitati diffiſi, urbe hoſtibus ultro relicta, ſeſe in arcem receperunt. 1529.

Buda Solimano deditur.

Eam ad voluptates & delicias potiùs priſcorum Regum, quàm arcendam vim conditam, Turcæ tum actis cuniculis, tum verò aſſiduis pilarum procellis ſubruere ab imo conati, omnibus viribus expugnare contendebant: ipſéque Nadaſdius nihil quod fortiſſimo duce, atque milite dignum videbatur, intermittere aut negligere contendebat.

Verùm fortunâ res Ungaricas ad fatale excidium turbante, dum impreſſioni ac impetui Turcarum ipſe ab una parte, cum certa manu militum hoſtibus reſiſtit, eóſque ſubeuntes è murorum ruinis, non parva edita cæde ſubmovet: ab alia verò parte Germani ægre hoſtes ſuſtinent; inter ipſam acerrimi conatûs dimicationem Turcæ Germanis, ſi certiſſimam mortem ſubire nolint, ſéque & arcem dedant, abeundi poteſtatem, & rerum omnium incolumitatem offerunt; idque litteris à Solimano editis, manúque ejus ſubſcriptis è veſtigio firmare pollicentur. Cùm aſſenſuri Germani eſſent, inopinatâ re excitatus Nadaſdius, irâ ſimul & dolore exæſtuans, ſevero eos vultu minabundus à deditionis conditionibus avocare contendit, ignaviam illis ſimul & perfidiam exprobat, ac tormenta in hoſtes dirigi imperat. Sed illi eum vociferantem comprehendunt, & in vicinum conclave fornicati operis conjiciunt: paulóque poſt cum Turcis de arcis deditione paciſcuntur: eóſque in arcem ſingulari ſuo dedecore, ſed ingenti hoſtium gaudio & lætitia intromittunt. Germani arce excedentes, intrà ambitum mæniorum templi Divi Joannis Baptiſtæ, omnibus ſarcinis armíſque exuti deducuntur, atque ibi diploma ſecuri diſceſſus expectare jubentur. Verùm ſolitâ Turcarum fraude & perfidiâ decepti circumventíque, paucis adoleſcentibus exceptis, omnes extra urbem deducti ad unum nefariè crudelitérque interfecti fuêre, pauciſſimis fugâ elabentibus.

Germani repugnante Nadaſdio, etiam arcem Turcis tradunt.

A quibus omnes perfidè trucidati ſunt.

Nadaſdius è concameratæ teſtudinis cuſtodia eductus ab Janiceris Ibraimo ſiſtitur: à quo intemperantiore ſermone increpitus, quòd Budam ſedem Regis Ungarici, Ungarus ipſe contra Joannem Regem Ungarum, ſimul & adverſus invictas potentiſſimi Turcarum Imperatoris copias pertinacia ſingulari defendiſſet, duobus Chauſis, ut Turcæ nominant, ac certò Janicerorum ſatellitio, penès ripam Danubii deducendus, per ſpeciem Joanni Regi tradendus, re tamen vera in ſubjectum flumen præcipitandus attribuitur, comitante eum ex famulis ſolo Franciſco Semico tunc adoleſcente, quem poſtea ad magnos honores provexit. Itaque multa & gravia animo verſans, repente in navim, quam prope ripam fluminis ſors & fortuna obtulerat, præceps inſilit, Janiceris eum retentare, arrepta ejus chlamyde contendentibus; ipſe tamen diſciſſa atque eis relicta veſte, navim impellit, & magna colluctatione cum fluvio habita, ſine ullo remigio circa veſperum in adverſam ripam, penès quam Joannes cum ſuis metabatur, ægrè delatus eſt. Eum tunc in tentorio cum Gritto cænantem reperit, ejúſque genibus provolutus, quamquam à Joanne ſub primum aſpectum vix cognitus, ob veteris offenſæ memoriam, Dydimus appellatus eſſet, veniam ab eo obtinuit, & apud illum diu in gratia ac pretio habitus eſt.

Nadaſdius, cùm jam ſubmergendus eſſet,

Elabitur è Turcarum manibus feliciter, & à Vaivoda ve-

Capta per hunc modum Buda, Solimanus victor, ſicuti Hobordanſco prædixerat, Viennam

1529.

Vaivoda Budam reſtituit, adjuncto eo Gritto cum Turcarum præſidio. *Solimanus.*

nam ire certus Joanni ut ad arcem occupandam, ſedémque ſuam repetendam contendat, læto animo jubet; iſque haud minore lætitia exequitur, Ludovicúmque Grittum cum tribus millibus Turcarum apud eum relinquit, unà cum Caſſono, de quo ſupra diximus, ac Nomillo trierarchis, quibus claſſem navium, quas ſaicas vocant, ad Danubii cuſtodiam dat, quod Joannes ejuſmodi claſſe careret; cætera autem ſe in reditu diſpoſiturum promittit.

Turcarum expeditio Viennam versùs.

Dum hæc in hunc modum geruntur, aderat dies Divæ Virginis Matris Nativitati dicatus, quum Solimanus Ibraimo dat in mandatis, ut exercitum in craſtinum diem ad iter Viennam ſuſcipiendum paret; iſque non per caſtra duntaxat, ſed & contubernia miſſis Chauſiis, mandata ejus publicanda curat, ita ut duo equitum magiſtri, Berhamus & Ibraimus, quos ipſi Beglerbegos vocant, ille Aſiaticus, hic verò Europæus, totum exercitum præcederent eo ordine, ut quo in loco antecedentia agmina meridiano tempore conſediſſent, ab iis poſtea totus, qui ſubſequebatur exercitus, in eadem caſtra reciperetur. Claſſis autem adverſo Danubio, magno remigum ac navalium ſociorum ac militum labore ſubſequi juſſa eſt, quæ CLX. navigiis conſtare dicebatur, præter onerarios lintres, quibus commeatus & caſtrenſes apparatus vehebantur.

Vardanus Archiepiſ. Strig. ſe Solimano dedit.

Hunc in modum incedentibus Turcarum copiis, cùm Strigonium perventum eſſet, earum adventu perterritus Paulus Vardanus Archiepiſcopus, tametſi antea ad Ferdinandi partes, deſerto Joanne tranſiiſſet, quum tamen ſe hoſtium viribus imparem, Ferdinandumque uni Viennæ conſervandæ intentum, ſibi ſeram opem allaturum videret, capto ex tempore conſilio, nunciis in caſtra ad Solimanum miſſis, Nicolao Gothoin & Ladislao Geſtino, ſe in ejus clientelam commendat; facilèque impetrato ejus patrocinio, ſimul & libero acceſſu, ſequenti die commendata bono eventui ac deinde induſtriæ & curæ Michaelis Muthnoquii, arce atque oppido Strigonienſi, cum trecentis equitibus totidémque peditibus in caſtra venit. Exceptus eſt magna totius exercitûs gratulatione & acclamatione; quod ſummum in Ungaria Chriſtianæ religionis antiſtitem, uti dicebant, ad ſuas partes tranſiiſſe lætis animis conſpicerent, ipſéque Solimanus eum comi blandóque ſermone in tentorio alloquutus ſolatúſque, ne quid adverſi ſuſpicaretur, caſtra ſequi juſſit: in quibus locus ei datus fuit non procul ab Ibraimo principe purpuratorum, ac inter Janicerorum contubernia; & præbita lautè omnia quæ ad victum pertinent: retentúſque eſt in iiſdem caſtris toto tempore, quo Vienna acerrimo, ſed irrito conatu oppugnata fuit. Promota demum caſtra per patentes inter Tatam & Comaromium campos, relicto ad dextram Danubio, quæ oppida, tametſi profugientibus ob metum præſidiariis vacua relicta erant, illa tamen hoſtes nequaquam occuparunt.

Lambergus Javarinum, arce incenſa, turpiter deſerit.

Præerat Jaurino Chriſtophorus Lambergus, qui cum militibus Germanis Ferdinandi nomine illud tuebatur; ſed is quòque inſolito pavore perculſus, incenſa arce cum ſuis Viennam profugit; cùm antea tormenta eòdem præmiſiſſet, ne illis hoſtes potirentur; nec id ei à Ferdinando & reliquis ducibus crimini datum eſt, ob liberatam ab immanibus Turcis urbem, ſupra quam dici poſſit vehementer exhilaratis, quamquam rem ſat mali ad poſteros exempli perpetraſſet. Eandem fortunam ſubiit Ovarium, ſive ut Germani appellant Altenburgum, quod à Maria regina dotali jure tenebatur, quódque à præſidiariis pari adductis formidine ſuccenſum, deſertúmque fuit. Horum exemplo omnia fere loca ultra Laitam flumen in Auſtriæ finibus, aut incendio flammiſque concremata, aut vacua relinquebantur: ſic ut accumulati per coloſeros agricolas, & in horrea ad faciendam ſementem congeſti farris, hordei, tritici acervi, ac alii omnis generis commeatus hoſtibus affatim ſuppeterent, & ab iis cuncta impune atque atrociter diriperentur. Quam ob cauſam ad inſequentem annum in tota fere Germania & Pannonia, magna omnium rerum & alimentorum penuria, & caritas, atque etiam inopia conſequuta eſt.

Eadem ignavia Altenburgum relictum.

Ad æquinoctium autumnale Solimanus propius urbem adventavit, ac Magiſtris equitum, quos nominavimus, edixit, ut ad mænia uſque urbis excurrendo, obequitandóque, & in obvia quæque armis ſæviendo terrorem circumferrent, donec ipſe cum tota ingentium copiarum mole ſubſequeretur. Non equidem hæc externa attingerem, neque immemor propoſiti, quo res Ungaricas conſcribendas ſuſcepi, his commemorandis immorarer, niſi iſta omnia ſic noſtris rebus cohærere viderentur, ut Auſtriæ vicina jungitur Pannonia, & parietibus proximis ardentibus, rem quaſi noſtram actam eſſe cenſuiſſem.

Deſcriptio obſidionis Viennenſis.

Paucis ante adventum Turcarum diebus, copiæ pedeſtres equeſtréſque, ut diximus, ad XVIII. millium numerum defendendæ Viennæ, ab ordinibus Imperii Romani atque à Ferdinando Rege, ſummâ ſollicitudine, magnoque ære conductæ in urbem confluxerant. Ex quibus quingenti equites cataphracti, XXVI. die Septembris, portâ Stubarum erumpentes, cum Turcis, qui procurrerant, improſpere pugnarunt, captis nonnullis & Chriſtophoro imprimis Sedlitzio, turmæ Hardeccianæ ſignifero, eo tamen poſt paucos dies ſolutâ obſidione à Solimano ad ſuos in urbem liberaliter remiſſo. Sed abiiſdem magiſtris equitum & hoſtium antecurſoribus, ac mox eorum veſtigiis inſiſtente reliquo exercitu Turcarum, Fridericus Rheni Palatinus, cui ut ſummo duci omne urbis & copiarum imperium concreditum erat, magno Viennenſium incommodo urbe excluſus fuit; Philippus tamen patruus, antea cum aliis, qui ad tuendam urbem concurrerant, ingreſſus, loco ejus præfuit, & æquato fere imperio penes eum Nicolaus Comes Solmenſis ſenior, qui Ticinenſi prælio, in quo Rex Franciſcus captus fuit, celebre nomen erat adeptus, Regémque ipſe cepiſſe ferebatur; ac ſecundùm eos Wilhelmus Rogendorffius, Italicis bellis liberatáque obſidione Gallorum Brixiâ clarus, & Joannes Comes Hardeccius, qui Mohaciano prælio interfuerat, exercitati peritíque duces, ac Joannes Cocianus Caroiæ præſes, nec non Nicolaus Comes Turrianus, quem ab Zagrabiæ obſidione cum peditibus Hiſpanis avocatum memoravimus. Sed & præter eos, quos antes recenſuimus Hiſpanos duces, ac Petrum Cuevam caſtrorum magiſtrum, alii quòque ejuſdem gentis præclaræ virtutis ac fortitudinis cohortium præfecti, ac centuriones Joannes

Duces Viennæ defendendæ præfecti.

Hiſpani egregiæ virtutis duces.

1529\. Aquilarius, Melchior Villarvelins, Petrus Navarrus, Alphonſus Heredia, Fardinandus Rotales, aliiſqua complures, Regi Ferdinando, uti materno genere ax Hiſpaniæ Regum progenia oriundo, ipſiúſque Cæſaris, qui Hiſpaniæ opulenta Regna avitis ſuis provinciis conjunxiſſet, fratri Germano, ſtrenuam operam bello navaturi præſto fuêra, fortiſſimè rem geſsêra. Præter Hiſpanos, & qui certatim ad tuendum patriæ decus nomina dabant, Germanos, unus Ungarici nominis Paulus Baquitius dux peritiſſimus, quem ante cladem Mohacianam ad Ludovicum Regem è Thracia veniſſe docnimus, juſſu Ferdinandi Regis, cum ſua peculiari ducentorum equitum ala, quæ ex Thracibus ferè conſtabat, condnctus fuit, qui Pontes Danubii expeditionibus ſuis equitibus tueretur.

Paulus Bacquitius Thrax.

Sed quum ii per claſſiarios Turcarum, ac navales ſocios numero longè ſuperiores concremati atqua diſſipati eſſent (quanquam Joannes Salaius, & Lupus Oderus Polonio exeuntes, diſpoſitis in ulteriori Danubii ripa copiis, ac juſto tormentorum apparatu è claſſe ægrè ſubeunte aliquot navigia perforaſſent & demerſiſſent, multis ex navalium ſociorum numero, ac aliis militibus interfectis) Baquitius ad cæteros ſe in urbem recepit, ibique quod fraudes & dolos, quibus Turcæ bello gerendo utuntur, egregiè callebat, cæteris magno ad res gerendas adjumento fuit. At Duces poſt contractam cum anteſignanis Turcarum leviorem pugnam, ne ſuburbia, quæ lata & ampla urbem circumcingebant, hoſtibus recipiendis ac inſidiis tendendis opportuna fierent, collatis conſiliis diruenda atque incendenda decrevêre, lugentibus miſeris civibus, qui ſe ſuis domiciliis, quæ magnis impenſis longóque labore conſtruxerant, crudeliter ſpoliari, fortunáſque ſuas à militibus diripi, aut flammis conſumi flentes atque ejulantes queritabantur. Quatriduo pòſt XXVI. die Septembris, Solimanus cum ingenti exercitu ſupervenit, ob continuos imbres, ac itinera profundo cæno impedita, lentiùs quàm volebat facto progreſſu, & circa urbem in coronæ ſpeciem omnibus viribus conſedit, ut nemo ingredi aut pedem efferre abſque præſenti periculo poſſe videretur: & Fridericus ipſe Palatinus cum Conrado Gotteſmanno, aliiſque militum præfectis ſecundo flumine deſcendere, & urbem arctiſſimè undiquaque obſeſſam ingredi fruſtra conatus, ad Crempſium oppidum, unde venerat, rediret.

Suburbia exuſta.

XXVI. Septemb. Solyman Viennam advenit.

Ibraimus loca caſtrorum eminus ſpeculatus, ea quadripartim in locis ſuburbanis metanda cenſuit, ſic diſtributis contuberniorum, & tabernaculorum ſpatiis, ut ad commodiorem aquationem ſibi à Danubio ad Montana uſque Calenpergæ arcis, jam dudum deſertæ, idoneum locum in longum extenſum caperet: Solimano verò, & aulico ejus comitatui cum prætorianis, quos ſpahoglanos vocant, pone divi Marci templum, ac publicam hoſpitalem domum, ad Danubium uſque deligeret. Sed Beglerbegi, qui Aſiæ & Europæ equitibus præſunt, ad citeriorem partem rivi ejus qui Viennam præterfluit, ac unum cum urbe nomen obtinet, conſidere & caſtra metari juſſi ſunt, uſque ad ſancti Ulrici templum ſuburbanum, contra turrim portámque, quam Carinthiacam vocant. Tertia caſtra Acangiorum, qui ſingulis aquis abſque ſtipendio militant, quibus Caſſonus ex celebri apud Turcas Mehal Begogliorum familia oriundus præerat, versùs ædem ſancti Viti, ad ſeptemtrionem porrigebantur. Ad portam Scotorum quartis caſtris locus longo intervallo, per prata penès ripam Danubii exporrectus Aſaporum, Volgarium nempe peditum ordinibus deſignatus erat, quibus certæ & validæ Janicerorum cohortes, ac agreſtes operæ fodiendis aggeribus & ſubterraneis cuniculis adjungebantur; ita ut campi & montes, ac ſuburbana loca innumerabilibus tabernaculorum umbraculis longè latéque implerentur, atque his omnibus extra tormentorum jactum aquandi, lignandi ac pabulandi facultas ſuppeteret. 1529.

Caſtra Turcarum quadripartita.

Et ſanè in hunc modum vallatis ab omni parte urbis mœnibus, quantum Solimano pertinaciæ ad premendam obſidione Viennam erat, tantum ad defendendam Germanis. Sed una res imprimis Turcas retardabat (ob quam etiam eorum conſilia & incepta fruſtra fuêra) quòd majoribus tormentis carerent, & ea quæ haberent currules colubrinas, campeſtribus potiùs prælus & congreſſibus, quam verberandis ſternendiſque muris opportuniores eſſent. Quod quidem opportunis Ibraimi conſiliis atque aſtu eveniſſe fama fuit; qui Chriſtianos barbaris ſuperiores fore ſciens, Solimano, apud quem gratiâ & auctoritate plurimum pollebat, compoſitis in calliditatem dolúmque ſermonibus, perſuaſiſſe dicebatur, ne ſolito majores apparatus ad capiendam urbem, neve multas copias cogendas exiſtimaret, quam nequaquam munitam, neque idoneis præſidiis firmatam, Germani ad primum caſtrorum conſpectum territi ultro dedituri eſſent; aut etiamſi nollent, ejus vel modicis copiis, ſed invicto militum robore ſuffultis facili negotio in poteſtatem redigi poſſet, idque conſilium Carolo Cæſari per idoneos homines ſignificâſſe; ſed hunc tali támque opportuna delendi barbarorum exercitûs occaſione, Gallicis bellis interpellatum, uti non potuiſſe. Quæ res ut fidem mereatur aliquam, ea quæ triennio poſt apud Cuſugum oppidum, quod Germani Guncium vocant, iterum itidem conatu à Solimano obſeſſum evenêre; & demum poſt detectam fraudem, ejuſdem Ibraimi crudelis & inexpectata cædes à Solimano illata, haud inefficacibus ſignis demonſtrare videntur.

Turcis majora tormenta deerant.

Ibrahimi, ut fertur, verſutia

Cùm igitur irritis minorum tormentorum pilis muri quamquam veteres, ac inepta ab imperitis quondam architectis arte conſtructi, dejici nequaquam poſſent; ſed pauci tantum, qui in ſummis propugnaculorum partibus interdiu conſpici poſſint, incertis plerumque ictibus peterentur; Turcæ poſita omni in cuniculis ſpe, ad eos fodiendos converti, ac factis per duo loca uno eodemque tempore ſubterraneis ſcrobibus, uno ad Carinthiacam portam, altero contra divæ Claræ templum, aiſque ſulphureo pulvere repletis mœnia ſubruere cœperunt. Sed Germani, uti erant ejuſmodi artificiorum apprimè gnari, deprehenſis diliganti curâ hoſtium conatibus, pares in contrarium cuniculos effodiebant, eorúmque exteriorem partem ingentibus arborum trabibus ſuffulciebant; eâque ratione, ut mœnia (ſi hoſtes ignem ſulphureo pulveri injeciſſent) extrorſum pronnerent, aditúmque hoſtibus difficiliorem redderent, efficiebant. Unde quum hoſtes utroque

Cuniculi à Turcis acti.

in

1529. in loco pulverem injectum ſuccendiſſent, ac mœnia multo fragore extrorſum concidiſſent, Turcæ per ruinas conſcendere conati, ab armatis & in hoſtem intentis Germanis facilè repulſi ſunt; fitque utrobique cruentum certamen; dum in cacumen evadere Turcæ, ex adverſo verò ſcandentes barbaros Germani longioribus haſtis & ſclopetis magnâ editâ ſtrage procul ſubmoverent.

Excurſiones noſtrorum in hoſtium caſtra.

Duobus hoc modo in locis rejecto non ſine plurimorum interitu hoſte, die, qui Divo Michaëli Archangelo ſacer habetur, Nicolaus Comes Salmenſis collato cum cæteris ducibus conſilio, duo millia peditum, & quingentos, duce Ecchio Raiſaco deligit, atque eos per Carinthiacam portam in hoſtes erumpere jubet, ut ſi quâ ratione poſſent aggeres, in quibus tormenta erant collocata, magno illato impetu aggredi, ac illis qui iſthic excubabant trucidatis aut loco pulſis tormentorum ora ac ſpiracula ſeu fiſtulas obſtruere, diſſectiſque rotis inutilia reddere conarentur. Sed quum diu atque acriter cum hoſte dimicâſſent, tormentis quidem officere nequaquam potuêre, quod ea à plurimis Janiceris ac Aſapis defenderantur: ſed interfectis ex hoſtium numero ampliùs ducentis, & pauciſſimis ſociorum deſideratis, in urbem rediêre.

Pari modo centuria Hiſpanorum, duce Ludovico Davalo, per eandem portam egreſſa, ſed alia incedens via, inter vineas, quæ plurimæ circa urbem ſunt, complores Turcas uvarum racemos, cujus ea gens avida imprimis eſt, colligentes interfecit. Sed in caſtris Turcæ ea profugientium tumultu, ac non nullis ſauciis, qui evaſerant, re intellectâ, in Hiſpanos ſeſe recipientes magno impetu irrupêre, magnoque cum his commiſſo certamine, quum ſe egregiè fortiterque pro eorum numero defendiſſent, quod omnes erant ſclopetarii, cadente ex eis uno tantùm Antonio Comargo Signifero omnes ſe in urbem receperunt.

Apoſtatæ urbem incendere moliuntur.

Intereà Turcæ artibus & dolis, ac fraude, ubi vires deeſſent, utendum rati, tres Germanicæ nationis homines, qui ad ſuam ſuperſtitionem deſciverant, Germanicis indutos veſtibus, tanquam qui è captivitate evaſiſſent, ad hoſtes mittunt, præſentique pecuniâ, ac multis & magnis promiſſis ſubornant, qui urbem pluribus in locis, injecto clam igne incenderent; præſcripto etiam tempore, quando ipſi magno impetu, magniſque ſublatis clamoribus in urbem irrupturi, Germani verò ad eam defendendam ora, atque oculos, vireſque omnes converſuri eſſent. Quod nefarium conſilium quum duces obſeſſi à quodam Turca, ejus rei conſcio, qui deſertis vanis Mahometi ritibus Calendis Octobris in urbem profugerat, divinâ, uti credi par eſt, providentiâ cognoviſſent, de conquiſitis illis ſceleratis, ac in quæſtione confeſſis ſupplicium ſumendum curaverunt.

Turcæ cuniculos iterum agunt.

Ab eodem transfuga opportunè etiam intellectum eſt, hoſtes iterùm novas res moliri, ac ad eandem Carinthiacam portam, ac alia loca, egeſta humo, ſubditiſque ſulphureis pulveribus in urbe capienda fortunam experiri decreviſſe; jamque ſummo quantum poſſint ſilentio in opera eſſe. Quod quum noſtri non ſolum infusâ in pelvim aquâ, ſi illa ſenſim criſpet, ac tympanis ſolo applicans, ſi eorum membranæ palpitent, notâ ratione diligentiſſimè diſcernere atque perſcrutari cœpêre: ſed etiam eruptione factâ, loca fodiendis ejuſmodi cuniculis ſuſpecta, oculis conſpicienda videre, ac perluſtrare voluerunt: quandoquidem hoſtes triduo antè, ex omnibus partibus, non ſolùm univerſis, quæ in caſtris habebantur, tormentis currilibus, ferreas pilas in mœnia contorſiſſent; ſed etiam ex aggeribus Janiceri ferè omnes minoribus ſclopetis, horrendum & inſolitum fragorem, cum ſummo obſeſſorum ſtupore edidiſſent, quam tem noſtri in eum finem fieri ſuſpicabantur, ut eò magis hoſtes, ea quæ ſub humo agerentur occultarent, nec à noſtris animadverti poſſent.

Itaque duces, mutuo conſilio, ad ſextum diem Octobris circiter octo millia peditum ſelegêre, iiſque Hiſpanos ferè omnes, id maximè expetentes adjunxêre: ſimulque portâ quam ſalinatiam vocant erupêre, eo propoſito, ut hoſtes, quos in ſuburbiorum ruinis atque aggeribus reperiiſſent, exturbarent, atque cæderent; ſimul & eos qui ſubterraneos cuniculos agerent, certiùs explorarent. Cum versùs Carinthiacam turrim, ac Regiæ arcis portam ad dextram partem divertiſſent, Turcas obvios in ſuburbanis locis, ac eorum ruderibus multâ ſtrage eduâ trucidarunt, & priùs quam in Caſtris hoſtes animadverterent, atque adcurrerent, etiam ad tormenta & aggeres expugnandos provehebantur, forte ac ſtrenuum facinus edituri. Sed accidit nec inopinato caſu, ut quidam milites magno ſublato clamore ſocios ut redirent, & aciem in meliorem formam componerent, inauſpicato cohortarentur; quorum inconditâ vociferatione cæteri milites, qui erant in procinctu, repente conſternati, quum ſocios ſubitaneum ex inſidiis hoſtium procurſum indicaſe, ideoque ut caverent, clamare falſo exiſtimarent; retrò in urbem citato gradu, referre cœperunt, uſque adeò confusè & inordinatè ut multi in foſſam proximam præcipites ruerent, ac gravibus protecti armis mergerentur, atque adeò plurimi interirent. Eorum receptum fugæ ſimillimum Lupus Hagus cohortis tricenariæ præfectus, ac Hiſpani retentare conati à ſupervenientibus ſummâ celeritate hoſtium equitibus circumveniuntur, quumque diu fortiter repugnâſſent, aliâ atque aliâ hoſtium manu adcurrente, Lupus quidem à ſociis deſtitutus, egregiè pugnans occubuit. Sed Hiſpani magnâ virtute dimicantes, paucis è ſuorum numero interfectis, poſtremóque Garſia Guſmano cadente, ſe eadem quà exierant porta ad ſuos receperunt.

Tametſi autem noſtri ſecus, quàm ſperarant, rem malè geſſiſſent, ac eis trepidè urbem repetentibus, à tergo hoſtes acriùs inhæſiſſent; ab Hiſpanis tamen ex egeſtæ ſub muro terræ cumulis animadverſum eſt, hoſtes alios cuniculos duobus iterùm in locis ad Carinthiacam & Stubarum, uti appellant, portam denuò moliri. Itaque Hiſpani arrepto repente vexillo, ad ea loca conglobati advolant: idem fit à Germanis, juſſa ducum impigrè exequentibus; ac ex adverſo contrarios cuniculos fodere incipiunt. Sed Turcis ad ſubruendum murum non procul à priore ruina ignem pulveri ſulphureo ſubjicientibus, ardentiſſimiſque animis patefactum locum adoriri & conſcendere conantibus, Germani magno numero à ducibus præſanti animo hortabundis opponuntur, parique robore & viribus cum hoſte propiùs accedere auſo manus conſerunt: oritur atrociſſimum

Turcæ factâ impreſſione, à

1529. certamen, ita ut permiſtis inter ſe confertim Turcis atque Germanis, uſuque ſclopetorum ſublato, res ad gladios & acinaces deduceretur: & Turcæ poſt terribilem admodum & cruentam pugnam è ruinis proturbari, præcipiteſque à noſtris fortiſſimis repellerentur.

noſtris egregiè repulſi ſunt.

Sed quum redintegrare prælium, atque iterum mœnia ſubire à præfectis Janicerorum ac Chauſiis, quorum officium eſt aciem inſtruere, & ad pugnandum milites incitare, truci feroque ululatu atque minis juberentur; ac feſſi, afflicti, & perterriti imperio parerent, ad extremum non fuſtibus tantùm ac ferreis, quas geſtare præfecti ſolent, clavis; ſed illatis etiam vulneribus, & nonnullis, qui lentiùs & ſegniùs gradum inferebant, crudeliter interfectis, ora & pectora ac gladios in hoſtem vertere, & irrumpere in urbem compellebantur. Tela etiam miſſilia ac tubi ſulphurei pulveris, igneæ reſina, & piceis tædis, novo artificio confectum evomentes in confertas propugnatorum cohortes, ut à tuandis mœnibus arceri quoquo modo poſſint, non ſine manifeſto noſtrorum periculo, frequentiſſimè jaciebantur. Sed vel ambuſtis, & laceratis plurimorum artubus, ac deformatis vultibus, Hiſpani & Germani Turcis ſuperiores, quum tribus horis abſque intermiſſione certâſſent, locum obtinuerunt: ac interfectis ex hoſtium numero amplius duobus millibus nec paucioribus ſauciatis eos fœda & præcipiti fuga pedem referre coëgerunt: ita ut ipſi Turcæ neque Rhodo, neque Taurino expugnatis, acriùs atque periculoſiùs pugnatum eſſe teſtarentur.

Turcæ acrius oppugnantes rejiciuntur.

Eodem etiam die, qui quartus Octobris fuit, ante ſolis occaſum, poſt cæſos ac repulſos à mœnibus hoſtes alii recentiores & integri ad continuandam oppugnationem ac opplendas foſſas advenêre, ne noſtris aſſiduo labore attritis & fatigatis quies aut ceſſatio ulla ſupereſſet. Nec mora, mulos & Camelos ac magnum jumentorum numerum, pedites item quos Aſapos & Sarhorios vocant, Janiceris intermixtis agreſtium Chriſtianorum è Bulgaria & Thracia ingentem multitudinem, qui ſervilibus miniſteriis addicti caſtra ſequi cogebantur, virgultis, terra, faſcibus, cæteraque id genus materia onuſtos foſſas urbis impleturos propiùs mœnia adegêre. Sed Germani atque Hiſpani diſpoſitis per mœnia & ſtationes in aciem ordinibus parati eos expectarunt: ac quum certis in locis tormenta opportunè collocâſſent, quibus ab utroque latere hoſtes peti poſſent; priuſquam Turcæ jumenta exonerare potuiſſent, exploſis tormentis magnam ſuorum partem diſcerptam pilis, & conciſam repente amiſêre. Et quanquam Janiceri operis permixti, ſclopetis rem gerendo, & ſagittis jaculando, opem laborantibus ferre conarentur, poſtremò tamen virtute noſtrorum, ac certiſſimis tormentorum ictibus, ingenti accepto detrimento fuſi, fugatique pedem retulerunt. Quo in certamine Ecchius Raiſaccus, egregiæ fortitudinis ordinum ductor, tribus ſimul glandibus adverſo pectore exceptis propitii numinis, ac ferrei thoracis beneficio ſervatus eſt.

Solimanus ſuis mandat ut omnibus viribus oppugnationem denuo aggrediantur.

Poſtero die Solimanus conſilia & incepta ſua fruſtra eſſe animadvertens, fremere atque indignari, quòd urbem nec arce, neque naturâ ſatis munitam, tantis, totieſque repetitis conatibus, tantâque cæde & ſanguine ſuorum in poteſtatem redigere nequiviſſet. Igitur purpuratos ſuos, Ibraimumque inter primos præcipuum, ac Janicerorum præfectum, & tribunos ad ſe in prætorianum tentorium vocatos acerbiſſimis verbis reprehendit, & ignaviæ atque inertiæ accuſavit; poſtremò ſeverâ comminatione dimiſſis imperavit, ut ſupremo omnium virium & exercitûs edito conatu, vel in urbem vi irrumpendum, vel in veſtigio ſibi moriendum ſtatuerent. 1529.

Dum hæc per Chauſios in caſtris publicantur, ac univerſi ad extremi certaminis fortunam experiundam animos & corpora parant, hoſteſque per triduum in ſilentio atque otio quieti tranſigunt: Paulus Baquitius petita à Philippo Palatino & Nicolao Salmenſi excurrendi facultate, verſùs Ibraimi caſtra, quæ ad Danubium ſub Colenpergæ dirutæ arcis ruinas erant metata, cum ſuis levis armaturæ equitibus, ac aliquot Joannis Coriani cataphractis Germanis profectus, Emericum Magnum, cui claudo cognomen, ob alterius pedis vitium fuit, alæ ſuæ legatum, uſque ad extremas caſtrorum hoſtilium partes, cum paucis expeditioribus equitibus procurrere juſſit. Turcæ in eos, ut fit, tumultuariis copiis repente invecti, terga dante de induſtriâ Emerico in inſidias, quas Paulus inter vinea collocaverat, deducuntur, in quos magno clamore, actique impetu illatus Baquitius proſperè certamen iniit, Turcaſque in præcipitem fugam converſos, uſque ad caſtra inſequutus, plurimos cecidit, ac captos in urbem perduxit; inter quos fuit ipſius Ibraimi tonſor, ei imprimis charus, qui poſteà magno ære ſe redemit. Ab iis opportunè intellectum eſt, Solimanum adhuc ſemel extremam certaminis aleam totis viribus tentaturum, quod ſi eum ſpe ſuâ & expectatione fruſtrari contingat, tum verò obſidioni ac pertinaciæ ſuæ finem facturum: quod non ſolùm hiemis tempeſtates, quæ indies imminerent, trahendo bello maximè noxias intelligat; tùm verò, ſi Carolus Cæſar, & Ferdinandus ac Germanici principes, ut fama eſt, integris & recentioribus agminibus, copias ſuas feſſas & debilitatas, atque adeò in longè minorem numerum redactas, invadant; victoriam in ancipiti fore haud diffiteatur.

Baquitij felix cum hoſte conflictus.

Quæ quidem omnia, ut captivi haud falſò comperta narraverant, paulò pòſt eventus comprobavit. Nam poſt tridui quietem militibus conceſſam, ad diem XIII. Octobris, purpurati & alii præfecti eos omnes, quicunque arma capere poſſent, omnibus caſtris exire, ſublatiſque clamoribus, & ingenti tympanorum & tubarum ſonitu, ac crepitantium ſclopetorum fragore, ad murorum ruinas, quas actis in imo cuniculis disjecerant, extremam editurus vim procedere juſſerunt. Quas tametſi noſtri noctibus, quæ anteceſſerant, magno militum & Civium labore contextis trabibus, ac vaſis terrâ repletis reficere, ac irrupturis, quod ſuſpicabantur, hoſtibus obicem, & novam veluti munitionem opponere contendiſſent: non tamen parum formidinis militibus incuſſit tantus hoſtium irruentium numerus, & in multa agmina diviſus barbarorum exercitus.

Turcæ ſupremam capiendæ urbis fortunam tentant.

Et ſanè quod metum haud leviter auxit, Turcæ aſſiduis colubrinarum ictibus turrim portæ Carinthiacæ, ex quâ anteà magnum illis detrimentum illatum; magnaque eorum ſtrages edita fuerat, puncto temporis disjecerunt:

Magno numero & conatu, ſed irrito.

eâque

1529. eâque concidente , magiſtris tormentorum eâ in parte defendendi muri facultatem omnem ademerunt , noſtroſque haud leviter perterruerunt: magno tamen ardore cohortantibus ducibus, animos collegêre , ac tam denſam & terribilem ſclopetorum procellam in hoſtes eminus effudêre , ut iis, qui primo ordine muros ſubiiſſent, maximâ ex parte conciſis & interfectis , cæteræ eos ſubſequi aut laborantibus opem ferre nequaquam auderent , ſed in fædam fugam conjicerentur. Quo animadverſo Ferhatus Janicerorum tribunus , ac Berhamus & Ibraimus Beglerbegi ſeu magiſtri equitum , quum in fugientes & pavidos ad pugnam reducendos fuſtibus & clavis nihil proficerent , ſicuti in proximo impetu acciderat , acinacibus vulnera ignavis ingerendo , pleroſque interfecêre. Sed perturbatos ac metu & pavore exterritos, propiùs muros nullo modo adigere potuêre : quum ſe ſuorum potiùs principum manibus & gladiis occombere, quàm Germanorum aut Hiſpanorum ſclopetis , aut verubus (ſic illorum longiores ſpathas appellabant) figi ac interfici malle reſpondeſsent ; ita ut Turcas, alioquin ſuis principibus dicto audientes , & in Chriſtianorum cædem atque ſanguinem inſita quadam & naturali feritate, & truculentiâ ultrò ferri ſolitos , divini numinis ope & providentiâ , tantum animis terrorem concepiſſe credi fas ſit.

At Solimanus ſpe potiundæ urbis ſuâ etiam confeſſione dejectus , pertinaciæ finem impoſuit, incuſataque fortuna , quæ lubrica & inconſtans conatus ſuos eluſiſſet , obſidionem ſolvere, & Byzantium reverti conſtituit. Itaque ad XIIII. diem Octobris qui fuit dies Jovis , obſidionis autem vigeſimustertius , extrahi aggeribus tormenta , & majorem partem navibus imponi, reliquâ ad caſtrorum neceſſitates unà vehi juſſit : ac ejuſdem noctis horâ decimâ (quod tam tumidum , elatumque barbari animum haud parùm pudeat) ſublatis ſilentio tentoriis impedimentiſque , & conclamatis vaſis , iter arripuit : tantâ properandi curâ , ut die quinto, in campis Budæ ſubjectis , quod triginta duorum millium paſſuum intervallum habetur , caſtra collocaverit.

Solimanus, ſolutâ obſidione, feſtinus abſcedit. Milliarium ſort.

Diſcedente Solimano , ex ejus caſtris ſeſe in urbem ſubduxêre , cum XXVIII. equitibus Georgius Seredius , Adamus Honorius, Georgius Hathalmius , ac Thomas Botnſeius, præcipui nominis equites Ungari , qui ſtipendiis Pauli Vardani Archiepiſcopi Strigonienſis merebant , eumque in caſtra Solimani concedentem ſequuti erant ; quod perfidiæ Turcicæ ſocii eſſe nollent. Sed quum duces de hoſtium conatibus & conſiliis eos percunctarentur : nihil aliud , quod illi ſuret , ſcire potuerunt , quàm abeunte Solimano , magnam exercitûs partem cum Ibraimo adhuc in caſtris ſe continere. Sed & is , poſtero Veneris die, cùm ſexaginta millibus Turcarum illum ſequutus eſt : ita ut terga antecedentium tueretur. Claſſis verò ſecundo Danubio deſcendit , eo conſilii decreto, ut Inſulam , quæ è regione Poſonii , medio in flumine jacet , citeriore in ripa curſum tenendo , celeriter prætervéheretur ; ne à Joanne Salaio & Lupo Odeto , loci præfectis , ſicuti eundo Viennam , ita in deſcenſu aliquod detrimentum pateretur.

Ungari aliquot à Turcis ad noſtros tranſeunt

Priùs autem , quàm Solimanus Viennâ ingloriùs diſcederet , Chriſtophorum Cetlicinm, quem in primâ excurſione , in poteſtatem hoſtium incidiſſe diximus , cum aliis quibuſdam captivis, veſte & ſumptu donatus , in urbem remiſit : quibus Ibraimus ejus omnium conſiliorum arbiter & conſcius , in mandatis dedit, referrent Viennam ducibus , non in eum finem Solimanum in Germaniæ fines exercitum adduxiſſe , ut Viennam caperet ; id enim ei facile factu fuiſſet ; & quod eam obſidione cinxiſſet, id exercendi militis ſui cauſa inſtituiſſe ; verùm eam fuiſſe illius mentem , ut cum Ferdinando æmulo atque hoſte ſuo controverſiam pro poſſeſſione Pannoniæ exortam in patentibus ejus urbis campis , Marte judice , terminaret. Proinde illum ad eandem dubiæ litis aleam dirimendam , non multò poſt in Germaniam rediturum, & collatis viribus atque armis qualicunque forte fortunam tentaturum. Sed eâ Viennenſes tanto periculo liberati facilè contempſerunt, ac Deum Optimum Maximum actis gratiis collaudarunt , qui urbem prælatam, opportunumque non Germaniæ ſolum , ſed totius Reipub. Chriſtianæ propugnaculum , ſingulari & manifeſtâ ſui numinis ope & favore clementiſſimè conſervaſſet.

Sedlitzius ab Ibrahimo dimiſſus.

1529. Cognito hoſtium diſceſſu , quum Paulus Bakitius , Joannes Cocianus , ac Sigiſmundus Vaixelpergus , expeditis & levioribus, ſed validis equitum turmis , eos aſſiduis laboribus feſſos inſequuti , ac magno animorum ardore adorti eſſent, plurimos ex eis trucidavêre, cum aufugere non poſſent , equis eorum , alioquin generoſis, ſed longâ inediâ ac laboribus adeò maceratis, & debilitatis , ut vix lentis paſſibus incedere valerent, ac Chriſtianorum captivorum haud contemnendum numerum libertati aſſeruerunt ; præcipuique nominis ac dignitatis Turcas, parvo faciliqne labore cepêre ; ac cum opima præda & ſpoliis in urbem rediêre : inter quæ præter inſigniores captivos videre erat, egregia Phrygii operis, acu picta tentoria, ac cæteram caſtrenſem ſupellectilem , etiam bonum numerum equorum , & camelorum , ac ſarcinariorum jumentorum : atque ii de diſceſſu hoſtium certiora ad ſocios attulêre. Referebant enim captivi Solimanum , ultra cæli autumnalis injurias, nivibuſque permiſtas pluvias , cæteraſque rerum neceſſariarum difficultates, penuriâ etiam commeatûs coactum , Viennæ obſidionem deſeruiſſe, & ex ejus copiis plures XX. millibus hominum, ac maximum jumentorum numerum deſideraſſe : Berhamumque magiſtrum equitum Aſiæ minoris , quam ipſi Natuliam vocant , in ſupremo oppugnationis conatu , ante triduum, in dextri pedis genu , craſſiori glande vulnus accepiſſe ; ac ex eo vulnere, nocte inſequenti, interiiſſe: eum Budæ aliquot diebus moraturum , exercitui quiete conceſſâ , ac deinde ſuſceptum iter continuaturum.

Noſtri expeditis equitum turmis Turcas inſecuti, plurimos eorum cædunt.

Viginti millia hoſtium in obſidione deſiderata.

Quarto pòſt die Fridericus Palatinus Rheni, quem ab imperii ordinibus , tuendæ Viennæ præfectum , ſed à Turcis ſpe celeriùs adventantibus , urbe excluſum Crempſii ſe continuiſſe retulimus , in urbem ad ſocios venit , eâque perluſtratâ , & ducibus atque militibus pro navatâ forti & conſtanti operâ prolixè collaudatis , in aliud haud ferè minoris momenti diſcrimen incidiſſe viſus eſt. Milites enim Germani, atque ii potiſſimùm , quos Conradus Gotteſmanus, ac Jacobus Berdenavius , ſtipendiis ſtatuum Romani imperii conductos ducebant, clanculariis primùm inter ſe ſermones miſcere , ac deinde

Milites præſidiarii Viennæ tumultuantur.

1529. quintuplex ſtipendium, ob toleratam obſidionem, ac tot hoſtiles oppugnationes fortiter ac viriliter repulſas, apertè, & majori, quam par ſit, tumultu poſcere; & ſi id denegetur, ſe tribunis necem illaturos, urbemque direpturos minari cœperunt. Nec mora, veterani etiam, qui complures annos ſub Leonardo Felſio in Pannonis militaverant, quos item Ecchius Raiſacus, tribunus adduxerat, ac ſeditioſiſſimi quique militum ſeſe illis adjungunt: tribunos vinciunt, niſique pecunia in veſtigio repræſentetur, ſe eorum cæde & ſanguine manus ſuas commaculaturos ferociter clamant.

Fridericus ad famam tam periculoſæ ſeditionis excitus, in forum, ubi convenerant, advolat; ac ne æterni nominis decus quod ſervata fortiter à barbaris urbe promeruiſſent, tam atroci facto fœdare vellent, neve Sacramenti militaris uſque adeò temere obliviſcerentur, multis verbis admonet. Sed illicò ſurdis auribus præteriis, planeque nihili ducere, irâ atque flagitio ardere, convitiis in duces & tribunos ingerere, atque adeò in adverſos, haſtas & ſclopetos obvertere, & intentare adeò ut princeps ipſe inſtar tribunorum haud mediocre vitæ periculum adiiſſe videretur. Sed demum, quum urbana plebs, ac Cives, extremo metu perfuſi, ſe ac ſalutem ſuam per frequentes nuntios etiam atque etiam ei ſollicitè commendare non ceſſarent, extremæ neceſſitati cedere coactus, duplex ſtipendium ſe illico perſoluturum pollicitus eſt.

Quos Palatinus, triplici promiſſo ſtipendio ægre placat.

Verùm quum neque eâ oblatione deliniri ac placari poſſent, & vehementiùs ac turbidiùs tumultuarentur, triplici ad extremum promiſſo ſtipendio efferatos eorum animos, ægrè ac difficulter pacavit.

Intereà Carolus Cæſar ex Hiſpania ſolvens in Italiam claſſe appulit, & primùm Genuæ ab Andrea Auria, præfecto claſſis, duce poſt hominum memoriam in mari omnium clariſſimo & fortunatiſſimo exceptus eſt; & deinde quum Parmæ, Placentiæque aliquamdiu ſubſtitiſſet, deliberabundus, utrùm ad patrimonii ſui provinciam, Viennamque defendendam cum exercitu Solimano occurrere, vel inſtitutam Florentinæ Civitatis obſidionem proſequi, ſimulque Coronationis ſuæ ſolennia peragere deberet; optatiſſimum è Ferdinando fratre nuntium accepit, Solimanum deſperatâ expugnatione Viennæ, retrò undè venerat, ire cœpiſſe; tumultuanteſque milites, præbitâ trimeſtris ſtipendii pecuniâ, ad officium reductos. Itaque graviſſimâ eâ curâ & ſolicitudine liberatus, inceptis conſiliis ſuis incumbendum ratus, coronam Romani Imperii de manu Clementis Pontificis Bononiæ ritè ſuſcepit, ac duces ſuos Philibertum Aurantium, & Alphonſum Vaſtium, ad obſidendam, domandamque Florentiam, quæ ejectis Medicis Juvenibus, ipſius Clementis Pontificis propinquis, à fide ejus diſceſſerat, cum validis copiis & magno tormentorum apparatu tranſmiſit.

Carolus V. Imperator in Italiam appulit.

Solimanus Ioanni Vaivodæ coronam ac regia inſignia Budæ confert.

At Solimanus Budam divertens, in arcem ex caſtris ſe contulit, Joanneque ibidem rege conſtituto, & in Clientelam, patrociniumque ſuſcepto, regium diadema, quod Ungari ſacrum appellant, ſceptrumque, & reliqua regni inſignia, atque ornamenta ei tradidit, ac aſtantibus Ibraimo & purpuratis, quos Veſirios vocant, proceres Ungaros, Joannis partes ſecutos, acciri juſſit: & brevi, ut ſolebat, ſermone, Joannem atque illos compellans per interpretem ita loquutus fertur: Rectè abs te factum eſt, Joannes Rex, quod calamitate oppreſſus, ac à Germanis regno ejectus, confugiendum ad me exiſtimaveris, meamque opem imploraveris; quàm ſecundùm Deum immortalem tibi adfuiſſe nunc expertus es. Itaque poſtquam bellum, quod reducendi tui causâ ſuſceperam, proſperè geſtum, atque confectum eſt, hodierno die, te in fratrem, & amicum meum recipio, regemque Budæ & in Ungaria declaro; operam & tutelam meam in poſterum quoque polliceor. Habes hic Coronam, ſceptrumque, ac cætera regia ornamenta, quæ ut accipias, ac beneficii mei memor eſſe velis, partoque meâ operâ regno diu fruaris, illudque ad poſteros feliciter tranſmittas, hortor & cupio. Vobis verò, proceres æquè jubeo, ut niſi ultorem hunc gladium experiri velitis (enſem quo erat accinctus manu oſtendens) huic regi veſtro omnem honorem deferre & obedire contendatis. Quibus dictis, hortatus eſt Joannem mitioribus verbis, quod in Barbaro principe haud parùm mirere, ut Paulo Vardano Archiepiſcopo Strigonienſi, quem ſecum Viennâ reduxerat, ac Petro Perenio, quem jure belli captum ei donaverat, clementer parcere, eoſque in gratiam recipere vellet. Quæ Joannes naturâ & ingenio minimè crudelis, aut cruentus facilè conceſſit, & utrumque junctâ dextrâ in priſtinum dignitatis locum reſtituit, ditionemque omnem poſſidere liberaliter permiſit; tametſi de eorum fide & conſtantiâ non parùm dubitare videretur.

Verba Solimani ad Ioannem Regem.

Archiepiſcopum Strigonienſem, & Perenium, ut in gratiam Vaivoda recipiat, jubet.

Quibus ad hunc modum peractis, ac Gritto, & duobus trierarchis, ut diximus, cum tribus millibus Turcarum apud Joannem relictis, haud diu moratus, iter inſtitutum proſequi, ac juſtis paſſibus Conſtantinopolim reverti maturavit. Quoniam autem in regiæ coronæ, ornatuſque ejus & Sceptri à Solimano Joanni traditorum mentionem incidimus, operæ pretium me facturum reor, ſi rem, uti geſta eſt, & quomodo eâ in manus barbarorum principis devenerint, hoc loco paucis referam.

Solimano quænam & quomodo Corona Hungarica tradita.

Cum Solimanus Joannem in regnum reducturus, exercitumque Viennæ mœnibus admoturus, in itinere eſſet, jamque Sirmium attigiſſet, Petrus Perenius, eo tempore in inferiori Pannoniâ, in arce Sicloſiâ, inter Quinqueeccleſias & Eſſecum ſita, haud procul Dravo flumine cum uxore & liberis agitebat: Et quoniam Ingentes Turcarum copias eà tranſituras, ſibi quanquam ſatis firma præſidia habenti, minimè expectandas arbitrabatur, ad ſuperioris Pannoniæ fines redeundum exiſtimavit. Itaque profectione ad Saroſpatacum inſtitutâ (quod quidem quamquam violenter uſurpatum, muris & propugnaculis in ſpeciem urbis formamque munire inceperat) diadema quoque regium, ac cætera ornamenta, quæ poſt Joannis & Ferdinandi coronationem, ab eo ad ſolitam arcis Viſſegradienſis cuſtodiam nequaquam perlata, ſed contra leges apud ſe retenta fuiſſe docuimus, ſecum ſcriniis recondita accepit. & in itinere ad Caidacium, haud procul Saxonâ, ad fluvium Saruiſium pernoctaturus divertit: erat is pagus anteà ſatis celebris, ſed poſt hanc Perenii calamitatem clarior & celebrior redditus. Quod quum Joannes Saracenus, qui eâ tempeſtate Quinqueeccleſienſem Epiſcopatum, Joannis permiſſu obtinebat, ducentis equi-

Perenio erepta

aqui-

1529. *corona ab Epiſcopo Quinqueeccleſienſi.*

equitibus, ac quingentis peditibus, quorum pars maxima ſcloperis inſtructa, pars ſagittarii erant, eadem nocte Perenium nihil hoſtile metuentem, ejúſque milites ſomno & vino gravatos aggreſſus eſt, cæſiſque nonnullis, qui ad primum tumultum arma ceperant, ac cæteris facilè fugatis, Perenium cum uxore & liberis, omníque gaza, ac diademate regio in poteſtatem redegit; captúmque Joanni Banffio Linduenſi Sopronitiæ ſervandum tradidit, quod civitatem Quinqueeccleſienſem minùs munitam exiſtimaret, quàm quòd tam opima præda in ea ſervaretur.

Cum autem Solimanus ad Campos Mohacianos perveniſſet, ei expetenti, ac ſeverè jubenti Perenius unà cum corona adductus fuit: atque is illum quidem Joanni donavit, hanc verò cum ingenti Ungarorum, nec hiſcere præ metu audentium, dolore ſecum abſtulit; ſed ita, ut non in eum, quem nunc diximus, modum præter omnium ſpem (quis enim ab avaro, atque ambitioſo ferocis barbari animo, tam nobile ac generoſum facinus expectare auſus eſſet?) ultro reſtituerit: Pereniumque ipſum in priſtinam gratiam recipiendum, auctoritate ſuâ, cui Joannes quicquam negare neque poterat, neque audebat, facili negotio obtinuiſſe videretur. Sed quum Perenius non multò poſt, haud ſinè ſumma animi ingrati ſignificatione, à Joanne defeciſſet, neque, ut neceſſe erat, ad Ferdinandi partes deſciviſſet, ſed neutrius aſſecla, peculiarem ſibi principatum, ac privati juris poteſtatem affectare, vanâ ambitione agitatus cœpiſſet, ſpe & expectatione ſua fruſtratus, in longè majores amiſſæ libertatis calamitates incidit; quemadmodum ſuo loco in proceſſu operis memorabimus: ita ut toto ærumnoſo vitæ decurſu nuſquam propitiâ arridentíque fortunâ uſus, tandem, ut ſunt occultæ principum voluntates, & erumpentia ex inſperato eorum odia, in vinculis & carcere Ferdinandi Regis, non tam ejus, pro quo captus erat, ſcelere, quàm multipliciter proditæ patriæ, invectíque in eam primitus Lutherani dogmatis reus, meritas pœnas expendiſſe, atque ibidem expiráſſe multorum hominum judicio cenſeretur.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XI.

1530.

REMOTO ad breve tempus metu Germanico, dilata quidem utrimque prælia, ſed nequaquam conſilia belli deſiiſſe videbantur; & Joannes, qui regnum duce & auctore Solimano recuperaverat, illud quibus poterat artibus ſibi firmare & ſtabilire contendebat. Itaque multiplici curâ & laboribus fatigatus, ad eum finem comitia indicit, ut communibus conſiliis & viribus retinendæ dominationis adminicula quærerentur.

Comitia à Joan. Vaivoda indicta.

Convenêre pauciores, quàm ſperarat: quandoquidem totue ferè Illyrici tractus, quem à Battianio & Peterio, quà promiſſis & largitionibus, quà minis & ferro compulſum ſub Imperium Ferdinandi conceſſiſſe memoravimus, & Ungaria ſuperior, ac quæ cis & ultra Danubium extenditur, nec ad ea comitia venit, nec à partibus Ferdinandi, quibus adhæſerat, ullo metu aut minis divelli potuit. Nonnulli tamen, exiguo numero, & qui ejus ſtudiis & factionibus inveterati erant, Stephanus Verbecius, Emericus Cibacus, Gregorius Peſthenius, & alii nonnulli præſto fuêre.

Ad quæ pauci ex proceribus conveniunt.

Nadaſdium quòque interfuiſſe conſtat, ſed quem planè invitum apud eum verſari quidam exiſtimarent, quòd nondum ſe à Ferdinandi Sacramento liberatum eſſe profiteretur. Artandii etiam fratres, & ea quæ Tranſilvaniam verſùs & Bihariam provinciam habitabat nobilitas, confluxêre. Nec tamen quicquam aliud decerni potuit quo pacatam totius regni ditionem conſequeretur, præterquam quod Joannem Banffium Linduanum Ungariæ Palatinum creavit, æmulatione, ut videbatur, Ferdinandi, in cujus aula Bathorius vetere ejus ſummi magiſtratûs dignitate conſpicuus, in pretio & honore habebatur.

In iiſdem Banſium Palatinum renunciat.

1530. Poſtea ad alias artes converſus, eos, qui in partibus Ferdinandi perſiſtebant, & vel toga ac pace, vel bello ac armis, & præclaris facinoribus inſignes cenſebantur, quos vi & armis non poterat, ingentibus promiſſis & largitione, arcium & oppidorum donationibus ad ſe pertrahere contendebat: ita ut multi privatis commodis illecti, patriâ ac repub. neglectâ, modò his, modò illis partibus, haud ſinè fœda fluxæ fidei nota, nullóque pudore adhæreſcere non erubeſcerent. Orta demum crudeliſſima diſſidia, inteſtinæ ſeditiones, rapinæ, ſacrilegia, mutuæ cædes, transfugia, ſcelerum impunitates, ceteráque civilibus bellis oriri ſueta malorum genera, regnum antea florens, & rerum omnium abundans peſſum dedêre, illúdque gliſcentibus per ſummam diſcordiam factionibus dilabi cœpit, ut jam penitus corruerit.

Interea Joannes Valentino Turco iratus, quòd relictis neceſſario tempore partibus ſuis, ad Ferdinandum transfugiſſet, nec ab aliis injuriis quotidie inferendis abſtineret, arma & bellum inferre decrevit. Itaque Thomæ Nadaſdio & Joanni Saraceno in mandatis dedit, ut copiis regionum ſeu provinciarum, ac peculiaribus ſuis equitibus primo quòque tempore congregatis, ac Franciſco Capolnajo, viro militari, ac forti alæ equitum ductore ſibi adjuncto, Valentinum inſidiis circumvenire, & capere, aut ſi id non ſuccederet, quocunque in loco reperiretur, obſidione premere, ac admotis tormentis expugnare conarentur. Eiſdem addidit Turcarum quòque equitum & peditum certam partem, ex eis, quos Solimanus Budæ reliquerat, duce Caſſono trierarcho, viro militiæ peritiſſimo, de quo antea diximus: ita ut omnes copiæ ad X. circiter millia armatorum conſtituere exiſtimarentur. Qui quum Valcotionum

1530. num in arce ſua Sigethana agitare cognoviſſent, eo cum exercitu contenderunt, ac tormenta cum pulvere ſulphureo & pilis neceſſariis ex urbe atque arce Quinqueeccleſienſi advehenda curârunt.

Vaivodana copia Valentinum Turcum Sigethi obſident.

Non latuêre Valentinum hoſtium conſilia; quibus certiùs exploratis, milites ſuos, quos continuè magno numero ex præda alebat, ad præſidia convocaverat, omnis generis commeatum, ac alia tolerandæ obſidioni, magna cura & diligentia curaverat. Cùm ſub arcem perveniſſent, eámque ab occidente, ubi ſilva Haſerdia, tota ex alniis conſtans ſita eſt, tormentis verberare cœpiſſent, difficiliorem, quàm putarent, oppugnationem reperêre: foſſæ namque ejus undique latæ ac aquis profundis, acervo & carectis impeditæ, militibus mœnia ſubire prohibebant, etiamſi ea tormentis dejicerentur, & Valentinus magnâ vi eam defenſurus credebatur. Atque is contemptis hoſtibus, facta cum ſuis eruptione, proſperè conflixit, complureſque ex hoſtibus, Turcis permixtos interfecit; Emericum verò, cognomento Magnum, cum XXV. circiter equitibus vivum cepit, qui certo equitum numero præerat, eúmque acerbiſſimis priùs convitiis proſciſſum è veſtigio interfici juſſit, caputque ejus conto affixum è muro hoſtibus ſpectandum expoſuit; ac cæteris captivis abſque pretio dimiſſis, Nadaſdio & Saraceno nuntiavit, ſe non aliam ob cauſam hoc crudelioris exempli facinus patraſſe, quàm quòd Emericum ante biduum Turcis Caſſoni equitibus, egregiæ indolis puerum Chriſtianum, iniquâ atque impiâ permutatione, pro quodam equo tradidiſſe comperiſſet, divino quoque judicio illum haud obſcurè plectente, poſtquam eidem equo inſidens, non ſeram ultricis fortunæ vindictam expertus eſſet. Duces in hunc modum à Valentino irritati, conſiliis collatis, oppidum atque arcem pluribus locis circumvallare, ac majoribus colubrinis quaſſare, neque niſi Valentino ad deditionis conditiones compulſo, illinc diſcedere decreverunt, quandoquidem mœnia ex vallo & vimineis cratibus, materiáque ferè conſtabant, unica turri lateritia, quæ erat in medio arcis, excepta: quam Valentinus mediocri machina verſatili muniverat, hoſtibusque magna ſæpe incommoda atque detrimenta inferebat.

Dum Joannis copiæ ſub Sigeto irritis conatibus tempus terunt, Ferdinandus magno ex Ungaria & Bohemia contracto exercitu, & haud contemnendis à Carolo Imperatore Auguſto, fratre, Germaniæque Principibus acceptis auxiliis, Budam obſidione cingendam, Joannémque Turcicis auxiliis confiſum, iterum Regno exturbandum ſuſcepit. Itaque Willielmum Rogendorffium, Italicis ad Veronam & Brixiam bellis, ac deinde recens toleratæ Vienenſis obſidionis nomine, clariſſimum expeditioni, belloque præfecit: iſque juſtæ tormentorum, ac commeatûs aliarumque rerum neceſſariarum apparatu navibus impoſito, eoque ſecundo Danubio deducto exercitum promovit: cúmque Strigonium perveniſſet, Paulus Archiepiſcopus, anno ſuperiori à Solimano ad Joannem perductus, eique commendatus, quum ſe Turcicæ ſocietatis vincula ex profeſſo abhorrere affirmaret, ad Ferdinandum iterum redit, ejuſque copias, conſilio, opibusque, & commeatu juvandas exiſtimavit.

Expeditio Rogendorffii prima Budenſis.

Ferdinanus Archiepiſc. Strigonienſ. ſe Ferdinando iterum ſubmittit

Nec multò poſt Rogendorffius, Strigonio facilè recepto, Viſſegradum obſedit, ac autumnales dies ſereniores, quæ in varias & graves tempeſtates ſubitâ converſione degenerare plerumque ſolent, in illius ac Vaciæ obſidione conſumpſit, ne quid à tergo hoſtile relinqueretur: & tandem calendis Novembris Budam delatus eſt. Quæ potiſſimùm mora ei multa incommoda attulit, totamque expeditionem maximis difficultatibus involvit; Joanni verò, & Budenſibus, Grittoque, qui rebus omnibus imparati erant, haud dubiam ſalutem peperit, ac ſpatium & commoditatem introducendorum militum & commeatuum præbuit: niſi enim ea mora interceſſiſſet, ipſi, quibus de Ferdinandi conſiliis & conatibus nihil certi atque explorati conſtabat, facili negotio opprimi potuiſſent. Aderant cum Rege & Gritto Proceres aliquot, Emericus Cibacus, Stephanus Verbecius, Simon Athimenſis, atque alii nonnulli, quorum operâ & diligentiâ, ea quæ ad defenſionem pertinerent, ſummâ celeritate curata, atque in urbem invecta fuêre: aggeres introrſus ad mœniorum firmitatem erecti, tormenta idoneis in locis collocata, diviſæ militibus ſtationes, iiſque duces, quibus parerent, aſſignati. Nimillo trierarchus cum ſua phalange Turcica, & navalibus sociis, à Solimano iſthuc impoſitis, ac juventute Peſthana, arma capere juſſa, in urbem introducti: ita ut ſumma ad octo ferè millia præſidiariorum accedere exiſtimaretur. Sed annona, & quæ ad victum ſpectant, brevitate temporis nequaquam concedente, tanta copia importari nequivit, ut ſubductâ hominum atque alimentorum ratione, vel ad dimidii menſis neceſſitates vix ſuffectura videretur: quod quidem perferendæ famis imminens periculum Grittum & alios nimiùm anxios & ſollicitos reddebat. At Rogendorffius tripartitò urbem oppugnare adortus, tribus in locis aggeres, in quibus majora tormenta collocarentur, fieri juſſit: quorum unus ab ea parte, qua ex urbe ad Logodium pagum itur; alter haud procul à mœnibus, ubi introrſus Orſagorum Procerum domus habebatur, inſtitutus eſt; tertius verò ad Septentrionalem urbis partem, in qua Blaſii Raſcani ædes conſtructæ erant; ex quibus mœnia continuis tormentorum ictibus ſine intermiſſione concutiebantur.

Buda fruſtra à Rogendorffio obſeſſa.

Joannes Rex tanto diſcrimine circumventus, quamquam præſenti animo, quantum poterat ſuis animandis, ac ut incommoda obſidionis brevì duraturæ æquo animo perferrent, erigendis minimè deerat; tamen de ſua urbisque ſalute ſollicitus, ad Nadaſdium & Saracenum, alioſque, qui Sigetanam obſidionem nondum intermiſerant, literas dat ſingillatim manu ſuâ breviſſimè ſcriptas, quarum hæc erat ſententia: Budam à Germanis obſidione cinctam eſſe ſcitote: & quamquam civitas adhuc in noſtra " eſt poteſtate; tamen ſi fideles eſtis, noſque ſal- " vos eſſe vultis, poſtpoſitis omnibus rebus, huc " adcurrite, aut potiùs advolate. " Has literas per expeditos, fidoſque homines ad Staniſlaum præpoſitum Albenſem mittit, ut Sigetum versùs ad caſtra mittendas curet: iſque per diſpoſitos equos, celerrimo curſu Tolnam mittit; atque illinc aliis equis permutatis eâdem celeritate in caſtra perferuntur. Nadaſdius, Saracenus, & Caſſonus Turca, relictâ confeſtim Sigeti obſidione, non ſine ſumma Valentini lætitia, Albam veniunt. Sed Capolnajus jam pridem ab adverſarum partium ſtudioſis

Vaivoda Nadaſdium cũ ſuis à Sigethana obſidione revocat.

1530. dioſis ſeductus, eodem itinere cum ſna equitum ala ad Rogendorffium, atque ad ſtipendia Ferdinandi Regis deſcivit. Et quum illi ex Albano Budam cum ſuis ingredi vellent, eaqne de re Rogendorffius certior redditus eſſet, miſſis in omnia itinera equitibus, tam Ungaris, quàm Germanis, collucatisque per varia loca inſidiis, eos ingreſſu prohibuit. Quo ab ſpeculatoribus, quos præmiſerant, cognito, Albam rurſus redierunt. Ubi quum quidam obſcuræ ſortis auriga, Blaſius Budanua ſe itineris ducem obtuliſſet, primò Nadaſdium cum ſuis equitibus, locorum & viarum notitiâ fretus, in urbem feliciter introduxit. Nec minore uſi fortunæ benignitate Saracenus & Caſſonus Turea triduo pòſt, eodem Blaſio duce, vitatis ubique inſidiis, cum incredibili obſeſſorum lætitia incolumes Budam intraverunt.

Nadaſdius & Saracenus Budam ſubſidio veniunt.

Nec multo pòſt Nadaſdius & Saracenus impetratâ à Rege & Gritto facultate, cum equitibus, quamquam paucis, & peditum ſelectiora manu in caſtra hoſtium excurrerunt; nt ſi quos ex eis interceptus in urbem ducera poſſent, ab iis de hoſtium conſiliis certiora cognoſcerent. Quod quum animadverſum in caſtria eſſet, Ungari levioris armaturæ equites, duce Balthalare Banffio Thallociano, viro impigro, & militari, ſummâ celeritate exierunt, pugnamque cum eis acerrimam contraxerunt. In qua Banffius Nadaſdium obequitantem, & ſuos magnâ voce cohortantem, ad perfringendaa in adverſis pectoribus haſtas, provocavit: nec ulla à Nadaſdio facta mora concurſum eſt, ac uterque ſuam in alterius ſcuto haſtam perfregit. Sed quum magna vis equitum Germanorum, qui brevioribus ſclopetis ab ephippio pendentibus utuntur, interea adcurriſſet, cadentibus ex utraque parte compluribus, illi in urbem, noſtri in caſtra redierunt.

Oppugnabatur interea urbs tribua ex partibua magna vi tormentorum; & jam à parte Logodiani itineris mœnia ad ducentorum paſſuum intervallum ita erant dejecta, ut magiſtri tormentorum, ac ipſe Rogendorffius haud irrito conatu irrumpi poſſe exiſtimarent. Et quamquam ob continuas pluvias, ac tempeſtates, ventorum ac nivium procellis intermiſtas, magno cœno viæ impedirentur, atque aſcenſuris in collem, cui urbs adjacet, mollis & lubrica tellus veſtigiis firmiter figendis obſtacet; nihilo tamen minus tribunis militum imperavit, ut in diem ſequentem, cum dimidia parte militum, murum, quà erat patefactus, duobus in locis aggredi, ac ſummâ vi oppugnare contenderent. Grittus ac Turcæ ab una parte mœnia diruta defendenda ſuſceperant: alteram autem partem ex adverſo ædium Orſagianorum, Cibacus, Saracenus, & reliqui Ungari tutabantur. Erant etiam in foro Divi Georgii diſpoſitæ ſubſidiariæ armatorum acies, quæ defenſoribus fortè laborantibus ad ferenda auxilia ſtatim adcurrerent. Aggreſſi magno impetu muroa Germani fortiſſimè dimicârunt: ita ut duabus ampliùs horis, æquo Marte certaretur, & plurimi utrinque caderent & vulnerarentur. Ad extremum fortuna Germanis adverſa, virtuti & conatibus eorum tantâ malignitate illuſit, ut repulſi ac rejecti, non ſina cæde & clade in caſtra compellerentur, ac complures ea ſeipſis milites ac centuriones & ſigniferus deſiderarent.

Germani ſtrenuè oppugnãdo urbem aggreſſi non ſine cade repulſi ſunt.

Rogendorffius eo conatu fruſtratus, incluſos lentâ obſidione fatigare decrevit, quum ſciret eos præter cætera incommoda, uſque adeò alimentorum omnium inopiâ laborare, ut jam multi fame tabeſcere atque perire dicerentur. 1530.
Jam qui erant ſuperſtites, alia deficientibus eduliis, equorum carnibus veſci cogebantur. Sed etiam equi, conſumptis omnibua pabulis, ſtrigoſi & macia enecti per urbis plateaa titubanti gradu hinc indè errantes, paſſim moriebantur, præter paucos potiores, ac nobilioris ſobolis, quibus pugillua alimenti nonnunquam dari ſolebat, ne interirent. Stanislaus tamen Præpoſitus Albenſis, ad levandam Regia inediam, certa obſonia, utpote Phaſianas aves, turdos, perdices, caſtanias, piſces ſale maceratus, panes alboa recens è clibano extractus, atque alia famis ſubſidia, quantum uno aut altero equo clitellario inferri poterat, per idoneos homines, ac Joannem Zermegum, qui poſtea hæc omnia poſterorum memoriæ tradidit, opportunè ſubminiſtrabat.

Penuria alimentorum Budæ.

Igitur extremis bujuſmodi anguſtiis compulſi Joannes & Grittus, per nuntios & literas partim ſecundo Danubio, qui frequentioribus pluviis excreverat, partim per continentem ſummâ celeritate miſſis, Mehemetem Jahioglem, Samandriæ ac Nandoralbæ præfectum, ut ad liberandos obſeſſos, & ad extremam rerum inopiam redactos, venire quamprimum maturaret, orare atque obteſtari non deſinebant: & Grittus literis Turcica lingua, ac Arabicis characteribus conſcriptis, quarum apprimè gnarus erat, vota & preces addebat, eumque, ut mandatorum Solimani memor eſſe vellet, hortabatur, cui procul dubio meritas pœnas eſſet perſoluturus, ſi Regem illius beneficiarium, tantis rerum difficultatibus laborantem deſeruiſſet. Dant etiam literas ad Joannem Banffium, paulò antè Palatini dignitate ornatum, ut collectis ad ſigna nobilibus, ac conductis ſtipendio peditibus, opem obſeſſis & extremè laborantibus ferre maturaret; qui præmiſſis nuntiis ſa in itinere eſſe, & ad ſuccurrendum venire ſignificaverat.

His in hunc modum geſtis, Mehemetes omnibus ferè ex Thracia & Boſna præſidiis deductis, ac à magiſtro equitum Europæorum Ibraimo acceptis copiis, iisque campeſtribus colubrinis munitis, adversùs Germanos iturus, decimis caſtris haud procul ab urbe conſedit, obſeſſosque de adventu ſuo certiores reddidit. Quo cognito Rex & Grittus decreverunt, ut quamprimum Mehemetes cum exercitu propiùs adveniſſet, urbe excurrerent, atque ſimul cum Turcis Germanorum caſtra adorirentur: quòd ob continuas frigidiorésque pluvias, profundo in caſtris oborto cœno, hominibus pariter & equis contabeſcentibus, robora & vires defeciſſe viderentur. Quorum omnium incommodorum cùm Rogendorffius probè gnarus eſſet, & inſtantem hiemem, & longè infeſtiores præteritis aëris injurias pertimeſceret; Mehemetis quoque & Turcarum vires, uti integras, minimè expectandas cenſeret; ſolvere obſidionem, ac in Auſtriam reducere exercitum inſtituit. Quod quidem tanta celeritate perfecit, ut vix tormentis in naves reponendis ſpatium ſupereſſet; ac multa caſtrenſis ſupellex, & plurimi milites morbis, aut vulneribus debilitati, hoſtibus crudeliter mactandi in tentoriis relinquerentur.

Mehemet Belgradi Præfectus ſuppetias fert.

Rogendorffius obſidionē ſolvit.

Diſcedentibus Rogendorffio ac Germanis, quam-

1530. quamquam Joannes & Grittus effusè lætarentur, abeuntes tamen perſequi, & à tergo laceſſere, fatigatóſque & ægros trucidare, uti maximè optabant, nequaquam potuêre; quòd equis fame enectis, ac defenſoribus longa inedia debilitatis, ſe eum laborem fruſtra ſuſcepturos intelligerent. Igitur noſtri, viam quam tenuerant, euntes, Strigonium pacato itinere rediêre: & Rogendorfius ſingula incedentium agmina expeditis equitum turmis, qui terga tuerentur, muniverat. Altera die, quæ ſequuta fuit, Mehemetes haud contemnendis copiis ſupervenit, & ſimul hoſtes diſceſſiſſe cognovit, ipſéque ac Rex, & Grittus mutuo ſibi congratulati, quid ulteriùs conſilii capiendum videretur, accuratè diſſeruêrunt. Et quoniam jam autumnus præcipitaverat, atque hiems pluvioſa indies magis magiſque ingruebat, Joannes illi gratias egit, quòd in ferenda ope, ſpei & expectationi ſuæ maturè ſatisfeciſſet, eúmque muneribus excoluit; ac ſuadere conatus eſt, ut conceſſa exercitui aliquot dierum quiete, lento gradu retrocederet, & cùm opus foret ejus ope iterùm reverteretur.

Mehemet cum Turcis vaſtando & depopulando omnia graviſſimam cladem infert Hungaris.

Sed Mehemetes Uſreffo Buſnenſi, ac Amurate Herceguvinæ præfectis (ſic Turcæ ulteriorem Boſnam ad mare vergentem vocant) auctoribus, ne fruſtra veniſſe viderentur, ad leniendos pro ſuſceptis longioris itineris laboribus militum animos, magnam & crudelem excurſionem depopulandis Ferdinandi regis ditionibus faciendam conſtituit. Itaque relictis impedimentis, ac peditatu, qui ſequi non poterat, in agro Peſtano expectare juſſo, cum reliquo exercitu ad ſiniſtrum Danubii latus, versùs Strigonium contendit, ac ſummâ adhibitâ celeritate, priuſquam ab incautis, nec tale quid expectantibus populis animadverti poſſet, inter Vagum & Nitriam fluvios, obvia quæque ntere, populari, ac vaſtare cepit, magna hominum multitudine partim cæſa, partim in ſervitutem redacta. Tranſgreſſus deinde populando & urendo Nitriam, loca ea, quæ circa Gimeſſum, ac Levam, & Sanctum Benedictum, quòd ad Granum flumen ſitum eſt, populoſa ac plena omnis generis commeatuum erant, pari detrimento affecit, terrore & formidine etiam civitatibus, quæ montanæ vocantur, non levi illato: Verebelum, Ciſarium, Marotum, Comiatum, abductis incolis omnibus ſuccendit. Converſus demum in alteram partem uſque ad Sentaviam, & Galgotium ac Thermas Peſthenienſes, eam omnem penès Vagi ripam regionem, oppidis, pagis, ac incolarum frequentia refertiſſimam, rerúmque omnium abundantiſſimam, incendiis, cædibus, rapinis longè latéque devaſtavit. Amuratem verò cum ſuis Hercegovinianis Baimotium versùs excurrere juſſit, locum iiſdem thermis, ac ortu Nitriæ fluminis clarum & nobilem, qui cùm oppidum, fugientibus in arcem incolis, vacuum reperiſſet, illud ſuccendit: ac cognito, majoris minoriſque pecoris magnam copiam ad vicinos montes, metu hoſtium actam eſſe, ea monſtrantibus indigenis, qui inter captivos erant, quæſita atque reperta abegêre. Eo autem miſerabilior clades atque atrocior fuit, quòd ea circa Natales CHRISTI DOMINI & DEI noſtri ferias contigiſſet; quibus paſſim incolæ genialibus jocis atque conviviis vacare conſueverunt, quæ in luctum & lachrymas inſperato converſa magis gravabant.

Poſtremò Turcæ amplius XV. dies paſſim impunè vagari, ac in obvia crudeliſſimè graſſari, ſupra ingentes abacti pecoris greges, abductis circiter decem millibus captivorum, Peſtum ad ſocios, quos ibi reliquerant, non onuſti tantùm, ſed expleti ditatíque prædâ reverterunt. 1530.

Decem millia hominum in ſervitutem abducta. Quibus viſis Vayvoda illachrymaſſe fertur.

Quos quum Joannes, tantam innoxiorum hominum utriuſque ſexûs multitudinem in diram ſervitutem trahentes eminus è feneſtrâ arcis conſpexiſſet, fertur lachrymas non continuiſſe: ac ad familiares ſuſpirans ac mæſtus dixiſſe; non ſe ejus cladis & calamitatis; ſed Ferdinandum ac Germanos cauſam eſſe: ſic culpæ ſuæ calvam, aut potiùs falſam prætexens excuſationem. Hæc eſt provinciæ ſeu regionis, quæ intrà Vagum & Nitriam ſita eſt, ac dino Mathiuſſii veteri nomine vocatur, gravis ac memorabilis clades ac vaſtitas; quam incolæ Mehemetis depopulationem, hâc quòque ætate vocant, non ſinè multo mærore animi, ejus memoriam proſequentes. Exinde Mehemetes prædâ ac ſpoliis onuſtus Nandoralbam incolumem reduxit exercitum, ibique diſtributis ac dividenditis captivis, & prædâ omni, copias ad ſua loca in hiberna dimiſit.

Maria Ludovici Regis Vidua in Belgium proficiſcitur.

Sub tempus hujus infauſtæ expeditionis exeunte anno, qui fuit triceſimus poſt mille quingentos à partu virginis, Maria regina, Ludovici regis vidua, quæ hactenus Lintii agitaverat, à Cæſare fratre in Belgium vocata eſt, ut Belgium & Burgundiam, ac provincias inferioris Germaniæ, fratris nomine gubernaret. Quam Ferdinandus Lintio profectus, uſque ad Rhenum fluvium comitatus eſt; illáque curam provinciarum, ſic jubente Cæſare, ſuſceptam, per viginti octo annos, inter varios bellorum civilium & Gallicorum tumultus, prudenter ac virili planè animo adminiſtravit: ac poſtremò Cæſare imperio cedente, ſimul cum eo in Hiſpaniam profecta, curis omnibus & negotiis abdicatis, inter ſacratarum DEO virginum clauſtra & cætus, eodem cum fratre Cæſare anno vitam piè feliciterque finivit.

Sequentis anni, Menſiſque Januarii primis diebus, dimiſſa in Belgium ſorore, Ferdinandus Coloniam Agrippinam venit, ibique Cæſare ita volente, in ſummo templo, ſuffragiis Electorum Principum, Rex Romanorum creatus, ac ſeptimo pòſt die, de more, Aquiſgrani, ritè coronatus eſt. Solent autem declarari, quamquam minùs frequentibus exemplis, Romanorum reges, ut Cæſaris abſentis vices gerant, ac ei decedenti ſuccedant. Non defuêre, qui hanc electionem improbare, irritámque reddere conarentur: atque inprimis Fridericus Saxoniæ Princeps, unus eorum, qui Cæſaris eligendi graviſſimo munere funguntur, cæteríque principes Lutheranæ ſectæ addicti, (qui eo tempore Proteſtantes vocabantur, ob frequentes quas in conventis, & ubique facere ſolebant, proteſtationes) quod eam vitio factam dicerent; ſed quia Cæſar ampliſſima in Hiſpaniis, & Italiâ, ac Belgio, aliíſque longè diſſitis partibus, regna ac ditiones habebat, quibus tuendis ac defendendis proſpiciendum eſſet, neque ſemper in Germania præſens eſſe poſſet, in ſententia perſtitit, conſultúmque ac neceſſarium putavit, ut Ferdinandum imperii conſortem, ac ſucceſſorem haberet: qui velut ſummæ virtutis ac fortitudinis princeps, ſe abſente, rebus præeſſet. Itaque rata fuit inauguratio ſimul & coronatio Ferdinandi, eáque dignitate in comitiis Ratiſponæ 1531.

Ferdinandus Rex Romanorum creatus.

functus

1531. functus cum Cæſare interfuit, Spira Nemetum eo à Cæſare translatis, ut propiùs Viennam, cùm res poſceret adventaret.

Comitia Ratiſponenſia.

Jam enim certiſſimis nuntiis intellexerat, Solimanum novam iterum atque ingentem expeditionem in Pannoniam facturum, juſſiſſeque, ut exercitus ex omni Europa Belgradum conveniat, Aſiaticos cum prætorianis ſecum ducturum, claſſem plurimarum biremium prætoriarum, ac ſaicarum quas vocant, onerariarumque navium, quibus tormenta ac reliquus belli apparatus adverſo Danubio vehantur, in promptu habere, & brevì, ut famâ ferebatur, in Germaniæ fines irrupturum, ut aut Viennam, à qua biennio anteà, non ſine ignominia rejectus erat, majore vi repetat, aut alium locum in Auſtriæ finibus oppugnet. Quæ gravissimi momenti res, diſputationibus Comitiorum de Religione, maximâ contentione agitatis, & quæ in longum temporis ſpatium protrahi videbantur, eum finem attulêre, ut Cæſare ægrè permittente, decretum fieret, ad publicam Germaniæ pacem in præſens ſtabiliendam, ne cuipiam moleſtia aut injuria, Religionis ergo inferretur, donec controverſiis ejus recens excitatis, in Generali Concilio, quod brevi à Summo Pontifice celebrandum ſperabat, debitus finis imponeretur. Quod quidem decretum ne fieret, procul dubio Cæſar erat interceſſurus, niſi periculoſiſſimum bellum Germaniæ cervicibus imminere videret, eique armis opportunè occurrendum arbitraretur, controverſiis in aliud dilatis. Hac intellecta dilatione, Proteſtantes erecti animis, ac magno ſe metu liberatos exiſtimantes, omne obſequium Carolo Cæſari, ac Ferdinando Regi, ad facienda imperata obtulerunt, ac auxilia contra Turcas Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes propenſiſſimè polliciti ſunt, quæ primis ſuffragiis detrectare videbantur.

Comes Nogarolus ac Lambergus legati ad Solimanum miſſi.

Ante hæc Comitia, Ferdinandus ad Solimanum mittendos cenſuerat Leonardum Comitem Nogarolum, nobilem Veronenſem, ac Joſephum Lambergum legatos, cum ampliſſimis muneribus, ac æquiſſimis de induciis & fœdere conditionibus. Quibus poſtquàm terreſtre iter per Ungariam, aut navigatio ſecundo flumine Danubio prohiberetur, quòd ea loca Joanni ſubjecta ab hoſtibus atque rebellibus tenerentur, per Illyrici fines pertexère, ac è Siſcia Coſtanitiam & Crupam, ad Hunam fluvium ſitas, ac Dubitiam, ubi Huna Savo miſcetur delati, trajectu Savo Belgradum pervenêre: indeque profecti inter Naudoralbam atque Samandriam Solimano occurrêre. A quo perhumaniter ſuſcepti, quum juſſu ejus, Ibraimo mandata expoſuiſſent, ab eo Solimani nomine reſponſa tulêre, ut caſtra ſequerentur; viſurum illum, quid de eorum poſtulatis decernendum foret.

Ut Solimani caſtra ſequantur, eis mandatum.

Fuêre complures, qui Solimanum non tam ſponte ſuâ, quàm Polonorum & Gallorum operâ concitatum, hoc bellum ſuſcepiſſe dicerent in Cæſaris & Ferdinandi odium, quorum amplitudini & felicitati inviderent, eoſque periculoſis bellorum cladibus involvi & implicari maximè lætarentur. Haud tamen temerè Sigiſmundum
1532. Poloniæ Regem tantæ malignitatis infamiâ criminandum ducimus; quum nihil, quod certò affirmari poſſit, de tanto tamque pio Rege hactenus auditum ſit. Ferunt tamen Franciſcum Regem, quamquam egregium aliàs Principem, Cæſaris tamen apertum æmulum, non hac tantùm tempore, ſed decennio etiam pòſt, aut ampliùs per Riconem legatum ſuum, auctorem fuiſſe Solimano in Pannoniam irrumpendi, ac vaſtatâ eâ, & captis Strigonio, Quinqueeccleſiis, atque Alba regali, validiſſimis urbibus non illam tantùm, ſed etiam Rempublicam Chriſtianam graviſſimè affligendi atque dilacerandi.

Franciſci Regis Gallorū inſtigationi hæc expeditio tribuitur.

Sed quòd Solimanus relicto Danubio, ac via militari, per devia & plana hinc inde errando vagatus ſit ſine ullo operæ pretio, eam veriorem & exploratiorem famam, inter ejus ætatis homines viguiſſe conſtat, miſſamque ad poſteros etiamnum vigere, Ibraimum purpuratum, tantâ illius gratiâ florentem, ut circumagere eum, quòcunque vellet, facilè poſſet; poſtquam à repetendæ ac populandæ Auſtriæ conſiliis avertere non potuiſſet; pro ſuo tamen erga Rempublicam Chriſtianam & Carolum Cæſarem ſtudio & amore, effeciſſe miris artibus, ut neque tanto exercitûs ac virium robore, quantum antea ducere erat ſolitus, neque ea militari diſciplina, qua neceſſe erat, deſtinatum animo bellum gereretur.

At Ibrahimus artibus ſperato ſucceſſu caruit.

Quem dolum ab illo inſtrui haud ægrè potuiſſe exiſtimari poteſt, qui ea tempeſtate toto ſummæ auctoritatis honore uſque ad invidiam pollens, potenſque cunctis non ſolùm Aulæ, ac prætorianorum militum ordinibus, maritimoque negotio, claſſibus, magiſtris equitum, Janicerorumque tribunis apertè dominaretur; ſed etiam omnes ærarii, ac theſauri ac proventuum rationes, ac provinciarum, magiſtratuumque jura, pacis denique & belli munia, ab ejus unius nutu ac poteſtate pendere viderentur: Solimano ei non ſecus, quàm haud incerto imperii conſorti omnia facilè indulgente. Quod quidem arcanum animi ſui inſtitutum fertur cum Cæſare Carolo Auguſto, per occultos nuntios, & maximè fidos mercatores, quàm ſecretiſſimè communicaſſe, quò audaciùs atque confidentiùs pro Germaniæ, ac totius Chriſtiani nominis ſalute, & gloria cum barbaris non ſine certa ſpe victoriæ confligere non dubitaret.

Cujus rei non vulgare indicium ex eo apparuiſſe videtur, quòd copias (quarum tametſi maxima erat apud imperitos, & credulos magnitudinis ac multitudinis fama, ea tamen minimè conſtans, neque vera) in diverſum diviſas, nullis tormentis, niſi paucis, iiſque tantùm campeſtribus muniviſſet, & longis itinerum ambagibus fatigatas, ad ignobilis oppiduli, cujus anteà vix nomen erat auditum, irritam oppugnationem, incommodiſſimo autumni tempore promoviſſet, quas ob rerum difficultates Solimanus cum ignominia, nec ſine clade retrocedere coactus fuiſſet. Quid etiam attinebat per nivoſas Stiriæ alpes exercitum raptare, & non ſolùm milites, ſed ipſum Solimanum, difficili & periculoſo altiſſimorum fluminum Muræ & Dravi tranſitu, natando in diſcrimen vitæ conjicere ac deinde per invios, magniſque paludibus impeditos Illyrici atque Poſegæ ſaltus circumducere, niſi eum Chriſtianorum Principum, ipſiuſque Caroli Cæſaris armis & viribus, ſi occaſione uti potuiſſent, ſimul cum feſſo & fame enecto exercitu trucidandum aut capiendum objicere voluiſſet? cur denique non eodem, quo venerat, itinere, ad claſſem Budæ relictam, breviori viæ compendio, redire tutius putaſſet, ac ſecundo Danubio impedimenta devehere, quàm ea per ſilvas & montes, fatiſcentibus camelis & jumentis, conculcanda ſuis, & hoſtibus diripienda projicere?

1532. Sed publicâ ſeculi noſtri infelicitate, reique publicæ Chriſtianæ infortunio factum videtur, quòd Cæſar copias ſuas, quas majores aut certè pares hoſtibus, ex Germanis, Italis, & Hiſpania contraxerat, ac Bohemorum, & Pannoniorum auxiliaribus copiis à Ferdinando fratre conductis, ad Viennam conjunxerat, ferociæ & viribus barbarorum opponere, ac patentibus in campis, uno nobiliore prælio, rem ferm decernere non potuerit: Solimano prætextu imminentes hiemis tempeſtates præcavendi, re autem verâ metu fortunam experiri non auſo.

Jam Turcica caſtra Samandriam pervenerant, quum Joannes duplici defectione Pauli Aregiepiſcopi Strigonienſis permotus, incertum ſponte ne, an Solimano jubente, Strigonium obſedit, rem ſuis viribus longè imparem aggredi non veritus; ſuiſque copiis, quas ex Tranſilvanis, ac Valachia, & Thracibus conſcripſerat, tria millia Turcarum, quos Solimanus Viennâ revertens apud eum reliquerat, adjunxit, univerſiſque Ludovicum Grittum præfecit; eo conſilio, ut ſi loco potiretur, eo velut obice rejecto, faciliorem Solimano viam ad Auſtriam invadendam aperiret: ſin minus, tali conatu uberiorem ejus gratiam promereri poſſet, ac fatigatis & imminutis iis, qui obſidebantur, commodior urbis capiendæ facultas ei adventanti præberetur. Præerat arci Thomas Liſcanus, genere Hiſpanus, cum præſidio militum Hiſpanorum circiter mille, quos Archiepiſcopus ſupra numerum ſuorum præſidiariorum, quibus Bartholomæum Cmamm præfecerat, ita jubente Ferdinando Rege, ac neceſſitate poſcente, in arcem receperat; ipſeque tutiorem in locum Poſonium erat profectus.

Vaivoda Strigonium obſidione premit.

Liſcanus Hiſpanus illi præerat.

Strigonium in ripa Danubii edito in monte ſitum, difficilem habet oppugnationem, tum quod firmis mænibus & propugnaculis cinctum eſt; tum quod quadripartito defendi à propugnatoribus poſſe videtur. Habet enim præter arcem, & ſatis amplam urbem, alium è regione arcis montem, qui à delubro, quod iſthic erat, Sancti Thomæ appellatur; præterea in ima montis, cui arx impoſita eſt, radice, Aquatiam, quam vocant, turrim, cum oppido egregiè munito, quod Danubius præterfluit; ſic ut quælibet ex his munitionibus, una ex alia commodè defendi poſſe videatur.

Strigonii ſitus.

Igitur Grittus arcem atque urbem muralibus tormentis quaſſare cæpit; ac terreſtribus pariter & navalibus copiis undique circumvallavit. Sed Hiſpani egregiâ virtute ac fortitudine mænia defendere, ac mirâ cum Ungaris conſenſione rem gerere, Grinianos procul muris arcere, nihil denique hoſtibus repellendis negligere. Tum Grittus ad fodiendos cuniculos, ac ſubruendos muros converſus, nihil operæ fecit; quandoquidem Hiſpani multo labore aliis effectis cuniculis occurrebant, ac nonnunquam in Grinianos egerendæ humo intentos, ſummâ agilitate & promptitudine erumpebant, eoſque trucidabant; ſicuti tunc accidit, quando Martinus Liſcanus, cognomento Muſica, Præfecti Thomæ germanus frater, qui poſteà interfecto Thoma præfecturam obtinuit, cum valida Hiſpanorum cohorte, in opus facientes interdiu erupit, interfectiſque quamplurimis, inter quos non pauci Turcæ ex claſſiariis Numilli, ac Gritti militibus erant, ac perfractis diſſipatiſque inſtrumentis, antequam Grittus, qui cum equitibus ſuis adcurrebat, ſubſidio veniſſet, incolumis in arcem reverſus eſt. Paucis etiam interjectis diebus Bartholomæus Croatus, 1532.
Ungaros Hiſpanis admixtos ducens, ſummoque diluculo ex arce egreſſus, in Turcas, qui ex claſſe defenſionem fecerant, ac ſuas ſtationes ad Danubii ripam in longum porrectas habebant, magno impetu irruit, multiſque ex eorum numero partim obtruncatis, partim captis, eos in naves fugere compulerat, tantâ præſtandæ operæ cupiditate, ut quum Tranſilvani equites tumultuario procurſu Turcis laborantibus opem laturi adveniſſent, à noſtris ſclopetorum uſum egregiè exercentibus funderentur, ac Bartholomæus reportata de utroque hoſte victoria, ſumma cum laude, nec ullo accepto detrimento ad ſuos reverteretur.

Grittus cum Turcis acriter arcem ac urbem oppugnat.

Quibus rebus fiebat, ut Grittus expectatione ſuâ capiendæ urbis dejiceretur, in eoque unam ſpem collocaret, quòd Hiſpanos ad alimentorum penuriam adigi, & fame ad deditionem compelli poſſe exiſtimaret. Nam paulò ante ex transfugis & exploratoribus, qui ex caſtris in urbem, atque ex urbe in caſtra clam commeabant, intellexerat, obſeſſos inopia rerum ad victum neceſſariarum premi, ac Petrum Parvum Quinqueecleſienſem, noctu emiſſum, Poſonium indéque Viennam ad Joannem Cocianum, qui urbis Viennæ, & omnium copiarum Ferdinandi præfecturam obtinebat, ad petenda ſubſidia, ſecundoque flumine demittenda profectum eſſe.

Quæ dum certis navigiis, unà cum commeatu devehuntur, eiſque præſidii & cuſtodiæ cauſa aliquot Naſadæ militibus plenæ attribuuntur, Grittus re per exploratores intellectâ, claſſem ſuam Turcicam, ducibus Caſſonu & Numillo trierachis, admixtis etiam Ungaris claſſiariis adverſo flumine eis occurrere jubet; quumque inter Comaronium & caſtra, paulò infra Labatlanum pagum, & Villamnovam duæ claſſes in mutuum conſpectum incidiſſent, quamquam erant ex trierachis & magiſtris navium, qui pugnam differendam, & Comaronium retrocedendum, pluresque ibi ſaicas, & majorem navalium ſociorum, ac militum numerum accipiendum conſulerent; neutra tamen prælium detrectante, magnâ vi actis remigiis concurrerunt: ac tametſi multi ex noſtris Grittianorum ſagittis transfixi, & ſclopetis vulnerati occumberent; tamen quod noſtrorum oculi exorientis ſolis radiis & ſplendore haud leviter perſtringerentur, & Grittianos ex adverſo nebula, quæ diluculo forte craſſior è flumine exhalaverat, quorſum dirigendæ proræ eſſent, vix diſcernere permitteret, ſatis longo tempore certamen protractum fuit. Ad extremum Grittiani ſuperiores, noſtros in fugam conjecêre, ac duce eorum Corpotano, Germanicæ ſtirpis, cum tredecim Naſadis, adverſo flumine ægre profugiente, cæteræ aut demerſæ, aut evadentibus in proximum ripæ continentem, nautis ac militibus, in hoſtium poteſtatem devenêre. Eo prælio proſperè confecto, Grittius Hiſpanorum conſtantiam domari tantum ſucceſſu poſſe arbitratus, opinione & ſpe ſuâ fruſtratus, eos obſtinatiores reperit; neque enim adeò edulia erant conſumpta, ut parcis & frugi hominibus, quales ipſi erant, per aliquot dies ſuffectura non viderentur. Itaque quum nihil cuniculis profeciſſet, & duo prægrandia tormenta, diſſiliente ob fervorem metallo amiſiſſet, ad lentæ obſidionis & oppugnationis conſilia, & moras deſcendit.

Claſſis noſtra commeatum devehens à Turcica vincitur.

Inte

1532.

Solimani in campos Mohacianos adventus.

Intereà Solimanus in campos Mohacianos, victoria ſua de Ungaris, & Ludovico eorum Rege partâ adeò ſibi gratos pervenit: in quibus dum per aliquot dies moratur, Petrus Perenius, ſortis & fortunæ ſuæ ignarus, ac nimiam in barbaro & perfido hoſte ſpem collocans, ad eum venit. Is ante diſceſſum Solimani è Byzantio, mediâ fere hyeme miſerat ad eum cum ampliſſimis muneribus Emericum cognomento Biesm legatum; petebatque ſe tàm à Ferdinandi, quàm Joannis clientela eximi, ac in peculiarem beneficiarium ſolius Solimani recipi, ita ut ſui juris princeps foret, cum pactione ejus, quod ſibi imponeretur, annui tributi; idque ne in apertum, niſi re impetratâ, prodiret, obnixè contendebat. Sed quum ea Joannes, ſignificante clam Ibraimo, didiciſſet, operâ & ſtudio Gritti, quem apud illum maximâ pollere auctoritate & gratiâ non ignorabat, ac largitione, qua apud Turcas natura avaros & inexplebiles, omnia obtinentur, effecit, ut Perenio iis omnibus, quæ petebat, rejectis, inſidiæ pararentur, duplicis tranſfugii notamque proditionis infamiam ei objectando.

Perenius, dum in peculiarem Solimani beneficiarium recipi contendit,

Poſteaquam ex arce ſua Valponia, haud procul Mohacio diſſitâ, in caſtra cum ſexcentis equitibus, eleganti & militari apparatu inſtructiſſimis venit, Chauſii, quorum inter alia multa id quoque muneris & officii eſt, locum tendendis tabernaculis dedêre. Sequenti die eum ad Ibraimum ire juſſum, inter circumſtantes longo ordine Janiceros, armis atque ſclopetis inſtructos incideret, priuſquam ad illius tabernacula itum eſſet, injectis manibus equo deturbatur, & capitur: ac inter Ibraimi ipſius, & Ferhatis Janicerorum tribuni tentoria, ceteris manipularis prætorianorum peditum cuſtodiendus traditur. Milites quoque qui eum ſequuti erant, armis & veſtimentis, pretioſioreque corporis cultu ſpoliari, vincirique, & reſiſtentes obtruncari cepêre; poſtquam attoniti, & nec opinantes tum primùm quid quantùmque immanium barbarorum fidei ac promiſſis credendum foret, extremo ſuo periculo experirentur. Inter cæteros Nicolaus Pectius nobili ortus familia, ac Stephanus Delius, veterani equites, mutuo ſeſe cohortati, ne veluti fœminæ ignaviter, inultique perirent, magno auſu ſtrictis gladiis irruentes in ſe Janiceros trucidavêre; diuque cum aliis pugnantes, à multitudine victi atque interfecti fuêre. Reliqui etiam eandem adverſæ fortunæ, ac diræ necis aut captivitatis ſortem ſubiêrunt; & Paulus Iſthuanffius auro ſe redemit.

Nefariè à Turcis proditus capitur,

Suis quà caſis, quà ſpoliatis.

Nam tametſi Solimanus Perenianos milites, ſalvis eorum equis, armis, rebuſque omnibus quamprimùm dimittendos edicto publicâſſet, in ſpeciem ſcil. ſervatæ, quam eis dederat, fidei: eos tamen Turcæ omnibus bonis indigniſſimè ſpoliatos aut diram ſervitutem pati, aut multo auro vitam & incolumitatem ſuam redimere, fide pluſquam Punicâ, coëgere. Ipſe remotis arbitris, ac ſublatis ſcribendi ad amicos, aut cum eis colloquendi, ſolatiis, mæſtus ac pavidus, ac Turcicæ ſocietatis pœnitens, quòd ſe ſalutemque ſuam infido, mobili ac fluxæ fidei tyranno temerè commiſiſſet, ſerò deplorabat. At Solimanus, cui illinc recedendum, & caſtra ulteriùs promovenda erant, poſt aliquot dierum moram cum Ibraimo colloquutus, Perenium cum aliquot è ſuis, qui adhuc ſupererant, ſub cuſtodia ad Joannem miſit, ut de eo, quicquid fieri vellet, ſe tamen præmonito, ſtatueret. Eum namque ob frequentes defectiones, & modò harum, modò illarum partium ſtudia Joanni inviſum eſſe non ignorabat.

Vaivodæ cuſtodiæ traditur,

1532.

Sed ea res Perenio utique in tantis miſeriis & calamitate non ſolùm ſolatio, ſed ſaluti imprimis fuit, & libertatis, de qua deſperaverat, recuperandæ ſpem non modicam attulit; neque ipſe opinione ſua, quam de Joannis clementia ac ingenii manſuetudine conceptam habebat, fruſtratus fuit. Concedente namque eo, nec demum improbante Solimano, filium ſuum ſeptennem, quem ex duobus natu majorem habebat, ſcitum puerum & eâ calamitate indignum, Franciſcum nomine, ut ſe redimeret, ac deinceps Joannis partes ſequeretur, pro obſide obtulit: quem Solimanus acceptum, ac Gritto, ut Byzantium adduceret, commendatum, ad ſuæ ſuperſtitionis vanitatem cogendum, circumcidendumque curavit; nec deindè nunquam ampliùs à patre viſum. Quæ quidem res utrique haud levem nominis & exiſtimationis notam apud pios homines meritò inuſſit, qui nullâ religionis ac pietatis curâ tacti, innocentem nobiliſſimi generis, ac Chriſtiani ſanguinis puerum impiis nominis Chriſtiani hoſtibus ad perpetuam perniciem tradidiſſent: nec facilè diſcerni queat, an illum quidem ingena frequentioris tranſfugii odium ad talis vindictæ cupidinem ſtimulare; hunc verò ſervitutis ac mortis metus, ſuſpicionis inſanus noxæ ac piaculo exemptum reddere, aut excuſare poſſit. Perenius ipſe incredibili ſubſtantiæ, facultatumque ſuarum diſpendio, ac detrimento affectus, ac acerbè filio mulctatus, poſteà fidem Joanni datam, ac toties interruptam redintegravit, & uſque ad illius obitum, utramque ſervavit.

ac filio obſide data ſe redimit.

qui ad Mahumeticam ſuperſtitionem adactus, nunquam ampliùs à patre viſus eſt.

Poſt hæc Solimanus caſtra è Mohacio movens, quum ab omnibus haud procul Buda iter facturus, ac Strigonium quod adhuc à Gritto obſidebatur, eoque ex itinere capto, rectà Viennam perrecturus crederetur, præter omnium opinionem relicto ad dextrum latus Danubio, ac totâ claſſe ibidem præſtolari juſſa, ad lævam deflexit, ſuaſu atque ſubdolis Ibraimi conſiliis, ut diximus, eò adactus, quibus potiſſimùm eo tempore regebatur. Quod quum Grittus ad Strigonium certa nuntia didiciſſet, & jam anteà de urbis expugnatione deſperâſſet, ab ulteriore incepto deſtitit, & tormentis ac aliis rebus in naves impoſitis, ſolutâ obſidione ad Joannem reverſus eſt; Solimanus verò Albam Regiam, Papam, Sarvarium abſque maleficio prætergreſſus, quod ea loca tunc Joanni parerent, ad Guntium, quod ab Ungaris Cuſugum vocatur, obſidione premendum, inopinatò exercitum duxit.

Grittus à Strigonii obſidione deſiſtit.

Soliman Guntium obſidione cingit.

Id oppidum eſt inter Sopronium & Sabariam, ſub monte ad amnem Gemmeum ſitum, qui ex alpibus, quæ ex Auſtria in Italiam euntibus tranſeundæ ſunt, oritur, ac Aureo & Perennæ amnibus prope Sabariam alveo receptis, ad oppidum Sarvarium Arraboni miſcetur: fuitque ſemper juris Pannonici, niſi quòd tranſactione inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Regem, pro diademate Regio inita, ad Auſtriam inter quinque alias arces pignori traditum fuit. Præerat Guntio Nicolaus Juriſſitius, è Segnia Dalmatiæ maritima Civitate oriundus patritii ordinis, qui multis antè annis Ludovico Rege ſuperſtite ad merenda ſtipendia

Nicol. Juriſſitius præter omnium

1532.

ſpem id acerrimè defendit.

Ferdinandi ſe contulerat, navata illi multis in locis forti fidelique opera, ac primùm à militibus Nicolizza appellatus, poſtea id nominis apud omnes obtinuerat. Erant mœnia non ſolùm ineptè antiquitùs conſtructa cum quatuor angularibus propugnaculis, rotundi operis, ac turri, quæ portæ imminet, ſed etiam nimia vetuſtate aliquot locis vitium fecerant: ad occidentem verò ſolem arx quadratæ formæ cum turribus, & foſſa circumducta habebatur; nec ea vel natura, vel arte ſatis munita. Huic inopi atque ignobili urbeculæ Solimanus ſuas vires, quibus ſe tot & tantas, ab omnibus quarumcunque nationum hoſtibus, cum quibus hactenus arma contuliſſet, victorias & triumphos adeptum ſuperbo ingenio gloriari erat ſolitus, ac quibus totius orbis terrarum imperium ſibi animo deſtinabat, haud ſine admiratione quamplurimorum admoveri juſſit.

Tametſi autem Nicolizza ſerò Turcarum conſilia exploraſſet, utpote qui talem tantumque exercitum, ac tam elati tumidique animi Principem barbarum non ad ſe, parvo aut nullo facto operæ pretio, oppugnandum; ſed aut Viennam iturum, aut ubi Carolum Cæſarem eum maximè ingenti armorum, bellique apparatu adverſùm ſe adventantem agitare intellexiſſet, ad ineundam celeberrimi ac nobiliſſimi de ſumma rerum certaminis aleam, ſuum omne robur converſurum credidiſſet; prout illum & ſermone ad Ferdinandi legatos habito, & literis barbarico faſtu exaratis facturum audiviſſet; tamen pro eo ac debebat, quum illum rectà ad ſe tendere animadverteret, erecto fortique animo propugnacula muroſque reficere, repurgare foſſas, tormenta idoneis in locis collocare, præſidium militare à Ferdinando Rege poſtulare. Qui tantæ rerum difficultati, quantum poterat, proſpectum cupiens, Longinum Puchamum, qui eo tempore in Salonoco oppido arceque agitabat, cum Germanorum militum centuria ad eum miſit. Ipſe quoque aliis centum peditibus, ſua pecunia conductis præſidium auxerat; ſed cætera manus, quæ tuendo oppido inerat, ex ordine civium ac urbanæ plebis conſtabat, paucis adjunctis è vicinia nobilibus, qui metu hoſtium è pagis, & infirmioribus caſtellis eò profugerant: ita ut omnium numerus, qui armis tractandis, & propugnationi idonei eſſent, octingentos, aut paulò ampliùs efficere videbatur; mulierum tamen & puerorum, ac imbecillium turbæ, pro loci conditione ſatis magna erat copia.

Cùm Ibraimus ſinnoſos aggeres de more fieri, corbes craſſiores terrâ repleri, ac tormenta ad ſua loca protrahi juſſiſſet, priùs ictibus mœnia conterri cœpta ſunt, ac oppugnatio aliquot in locis inſtituta. Sed ea difficilior erat, & tardior, quòd majora tormenta, muris diruendis idonea deerant, ab Ibraimo, ut quidem ferebatur, de induſtria omiſſa, ac colubrinæ campeſtres, pilam ovo anſerino haud majorem ejaculantes, plus terroris obſeſſis, quàm damni mœnibus inferebant.

Soliman Ferdinandi legatos è caſtris dimittit cū literis faſtûs & arrogantiæ plenis.

Quæ dum initio adminiſtrantur, Solimanus legatos Ferdinandi, nullâ pacis aut fœderis mentione è caſtris dimiſit, veſtibus auro intertextis donatos, deditque litteras ad Ferdinandum perferendas, ſuperbis plurimorum regnorum titulis adſcriptis refertas, purpureoque involucro tectas, quibus de fœdere cum legatis nihil potuiſſe tractari ſignificabat: quod eos in procinctu & itinere obvios habuiſſet; ſe ideo in Germaniæ fines cum exercitu veniſſe, ut toties expetitam pugnandi occaſionem, collatis utrinque viribus, ad nobilitandos æterna nominis fama Auſtriæ campos, experiri poſſet; utque victoriæ eventu, in quamcunque partem inclinante, fortuna ex ejus uſu declararet, quales & quæ à victore conditiones dandæ, viciſſim à victo accipiendæ viderentur. Porrò Ferdinandum rectè facturum, ſi ſibi certo in loco occurrat, ac cuinam communis Mars ac domina campi ſors faverint, is fortunarum gloriæque plenus ac triomphans domum revertatur.

Dimiſſis legatis, Ibraimus licèt uno eodémque tempore ſine intermiſſione mœnia verberaret, & cuniculis effectis, ſubjectoque igne ſubruere contenderet; tamen quum obſeſſi ruinas, terrenis aggeribus erectis, ac tabulatis, & id genus materia introrſus diligenter obſeptas muniviſſent; (neque enim Nicolizza oppidanorum, aut militum quempiam quieſcere, neque ipſis fœminis, quin operi inſiſterent, parcendum putabat:) poſtremò murum uno in loco hiantem, tum cuniculis, tum aſſiduis ictibus patefecit, & ut milites magnâ vi illum adorirentur, imperavit. Quod cùm illi impigre aggreſſi eſſent, Nicolizza ſuos, qui in præſidio erant, milites haud cunctanter eis oppoſuit, certamenque atrox & cruentum exortum eſt, uſque adeò, ut nutante victoriâ, cùm Janiceri ad ſummitatem muri pervaſuri viderentur, plures ex defenſoribus perterriti, fugienteſque captum oppidum, cæſos ſocios, ac debellatum eſſe ſpargerent. Quo rumore ſimul & metu perculſa multitudo fœminarum ac puerorum, imbelliumque ſenum, qui uno in loco haud procul à prætorio concluſi erant, ingentem ac inconditum clamorem ſuſtulerunt. Eo audito Turcæ, attonitis potiùs quàm pavidis ſimiles, impetum repreſſerunt, recentium militum ad auxilia accurrentium vociferationem eſſe rati. Quæ mora Nicolizzæ & defenſoribus animos auxit: & qui paulò antè mœnia vix tueri poſſe videbantur, quodam veluti miraculo, reſumptis animis viribuſque, hoſtes jam ſupra ruinam murorum aſcendere conatos, magnâ vi detrudere cœperunt. Et quamvis tribuni ac præfecti eos ad reſtaurandam pugnam, non verbis ſolùm hortarentur, ſed etiam clavarum ictibus, ac verberibus incitarent: fruſtra tamen omnibus tentatis, & hoſtibus retrocedentibus, prælium diremptum fuit. Ferunt equitem humanâ ſpecie majorem & auguſtiorem, ſplendentibus armis ex arce erumpentem pluriroſque in auxilium laborantium oppidanorum milites adducentem viſum eſſe: qui inſolitum Turcis pavorem & formidinem injeciſſet, ut præcipiti è mœnibus fuga retroceſſerint: eumque oppidanorum pleriſque, æquè conſpectum, qui Divi Martini tutelare numen, ad ferendum obſeſſis auxilium opportunè apparuiſſe, ſuiſque animos reſtituiſſe interpretabantur: ſicuti à pleriſque eorum id affirmantibus poſtea auditum fuit.

Juriſſitime Turcarū impreſſiones fortiter excepit & refellit.

Miraculum, Eques humanâ ſpecie auguſtior Turcis viſus, illorum impetum retudit.

Eo irrito conatu Ibraimus vehementer animo perturbans, ne obſeſſis quies ulla daretur, in diem ſequentem, in eadem mœnia impetum repeti jubet, ac ut milites ad ſolis exortum parati imperium expectent, edicit. Igitur appetente aurorâ, concinentibus tubis, & tympanis crepitantibus, milites prætoriani, cæterique, non eâdem, quâ aliàs animorum alacritate, veluti

Turcæ impreſſionem repetunt.

1532.

uti fortunam minùs ſecundam præſagientes, inire pugnam diluculo cepêre. Et noſtri heſternæ victoriæ divinitùs partæ memores, in irrumpentes, colubrinis & ſclopetis rem gerere, ac hoſtes magno detrimento afficere; ita ut interfectorum cadaveribus foſſæ implerentur. Itaque eâdem noſtrorum virtute & audaciâ viribuſque hoſtes repulſi & rejecti iterùm ſe in caſtra recepêre, fremente atque frendente Ibraimo, ac ignaviam prætorianis & aliis militibus cum ſummâ verborum acerbitate exprobrante: ſed qui ſe eum diis atque hominibus pro oppido pugnantibus bellum gerere, aut iis invitis vincere non poſſe reſponderent.

Sed noſtrorum virtute repreſſi receptui vanunt.

Igitur pòſtquam vim nequaquam procedere ſenſit, ad aſtum & artes converſus, Nicolizzam per idoneos homines, ad ſe in caſtra evocat, oblata ei incolumitatis ac liberi reditus fide. Is Turcarum inconſtantis fidei haud ignarus, petiis, datiſque obſidibus, & delata, ſi quid duriùs ſibi accideret, ad Longinum ſocium oppidi atque arcis cura, ad eum cum paucis egreditur. Eum Ibraimus exquiſito honore excepit, ac comiter habitum, de valetudine, deque aliis privatis rebus percunctatus, poſtremò ut oppidum, quòd à numeroſiſſimis & victricibus maximi Imperatoris copiis defendi nequaquam poſſit, omiſſa pertinacia, dedere malit, quàm extrema omnia expectare, admonuit. Sed is, appoſitis, quantum poterat, verbis, ſeſe excuſavit, quod fidem, quam in arce & oppido in clientela principis ſui Ferdinandi ſervando dediſſet, fallere non poſſet: & proindè etiam ſi id flagitii in mentem veniret, ſe tamen Hiſpanorum metu, quorum octo ferè centuriæ in præſidio eſſent (quamquam nemo ex Hiſpanis aderat) cohiberi, à quibus in veſtigio tanti ſceleris crudeliter interficiendos foret; itaque ſe ſuppliciter petere, ne notam tanti plenam periculi ſibi inuſtam vellet.

Ibrahimus juriſitus animum variis artibus, ut dedat oppidum, tentat.

Rurſus ad alias artes converſus Ibraimus, ſe nomine Solimani oppidum ei dono dare retulit; eâ conditione, ut partem aliquam prætorianorum militum in illud intromittere haud abnuat: ut ſemel aut iterùm nomen Dei unius in mœnibus proclament; eoque in ſpeciem & exemplum ſub jugum miſſi oppidi peracto; & illi revertantur, & paulò pòſt, relictâ obſidione, caſtriſque ſolutis, omnes cum principe ſuo, ad Caroli & Ferdinandi caſtra expugnanda cupias promoveant. Jam enim Carolum Cæſarem cum ingenti armorum apparatu Viennam adventare, non ſine metu, intellexerat. Sed quum Nicolizzam etiam in ea re concedenda duriorem animadverteret, ipſeque & Solimanus multis de cauſis, ante inſtantis hiemis procellas & incommoda, domum reverti properaret; tùm etiam non parùm fama adventantis longè maximi Chriſtianorum exercitûs terreretur: & Nicolizza Germanos atque Hiſpanos implacabili odio in Turcas incitatos id nequaquam permiſſuros reſponderet: poſtremò hoc tantùm obtinuit, ut manipulario uni aut alteri ex prætorianorum ordine ingredi liceret, in ſignum deditæ, ac in fidem & clientelam acceptæ civitatis. Qui ingreſſi ubi muros conſcendiſſent, ac ſublatâ voce numen cæleſte more ſuo invocaſſent, vexillum purpureum in medio literis Arabicis albi coloris, acu pictis conſpicuum, ibidem reliquerunt, & mox in caſtra abierunt. Quod quidem vexillum hodie quoque in templo oppidi ſervatum nos etiam vidimus.

Gunciâ obſidio aum magna ignominia ſoluta.

Poſtero die, qui fuit XXVIII. Septembris, ſummo mane Solimanus, non expectato reditu copiarum ſuarum, quas initio obſidionis, duce Caſſono Mialialbegoglin, prædatum miſerat, caſtra movit, non Budam aut Danubium verſus, ubi claſſem cum navalibus ſociis, & multò maximâ impedimentorum parte reliquerat, ac breviore & longè planiore viæ compendio exercitum ducere poterat; ſe ad Valeriæ Stiriæque montes, jam tum pleriſque in locis glacie nivibuſque oppletos directo itinere eoque maximis laboribus, multiſque incommodis per varios errores ſuperato & confecto, ut paulò pòſt memorabimus. Cujus quidem ancipitis periculoſique conſilii auctorem Ibraimum fuiſſe, conſtanti fama vulgatum poſteà fuit, qui Solimanum cum copiis, univerſoque exercitu, Carolo Imperatori, qui jam cum Ferdinando fratre, ac validiſſimis Hiſpanorum militum agminibus, Germaniæque totius, ac Pontificis auxiliis ex Italia Lincium, indéque Viennam appuliſſe nuntiabatur, objiciendum, ac ad internecionem delendum ultrò, ut diximus, circumducere dicebatur. 1532.

Soliman caſtra movet verſus Styria mantana

Difficilè impeditaque itinera.

De conſilio, ut ajunt, Ibrahimi

Habebat Cæſar in caſtris præter veteranos milites Hiſpanos, quorum virtute ac operâ multas victorias erat conſequutus, qui ad octo aut novem & millium bellatorum numerum facilè cenſebantur, ducibus Alphonſo Davalo, ac Antonio Leva viris bello ſpectatiſſimis; aliam quoque mille quingentorum peditum Hiſpanorum manum, qui per complures annos, duce Aloyſio Cueva, auſpiciis Ferdinandi in Pannonia militaverant: qui omnes prætorianis Solimani peditibus Janiceris facilè opponi poſſe judicabantur; utpotè qui illis nec virtute, nec uſu ac experientiâ, armorum ſclopetorumque, nec corporum agilitate, nec laborum tolerantiâ, ullâ in parte cedere viderentur. Equitatum levis armaturæ, Gallicis, Neapolitaniſque bellis duratum, & exercitatum, Ferdinandus Gonzaga ducebat, & Belgis ac Sequanis utriuſque ordinis militibus clariſſimi ſimiliter duces præerant. Auxiliis Germaniæ cum ſumma poteſtate imperabat Fridericus Palatinus Rheni, quæ ad XL. millia peditum, ac octo equitum cataphractorum conſtituebant, quos varii duces minoris nominis, ſed præclaræ exiſtimationis famæque, ac multis exercitati bellis, ducebant. Itali pecuniâ Cæſaris conducti ad ſexdecim peditum millia erant; quorum pars, magnâ alacritate militiam obibat, para poſt cognitum Turcarum diſceſſum minùs dicto obſequioque præfectorum parere videbantur. Pontificiæ copiæ; quas Hippolytus Mediceus legatus, Cardinalis Clementis Nepos conduxerat, præter Italorum valida agmina Ungarorum etiam equitum peltatorum & haſtatorum octo millia continebant, ſub ducibus Valentino Enningio cognomento Turco, ac Paulo Bâquitio, Balthaſare Banffio Tollociano, Franciſco Niatio, & aliis; quibus accedebant voluntarii ex Ungaris, & qui tam ſtipendiis atque ære Ferdinandi Regis erant conducti, quàm qui de bonis, fortuniſque ac facultatibus ſuis certum militum numerum in caſtra ducere tenebantur. Supra quorum omnium numerum, Bohemorum, Moravorum, ac Sileſitarum equitatus miro inſtructus ordine, ac cohortes, quas Sdulaus Lippa, ac Albertus Priſtenſcius inſignes viri ductabant, addebantur: ita ut præter ingentem tormentorum ac aliarum rerum bello neceſſa-

Cæſaris Caroli V. exercitus

Frid. Palat. auxilia Germaniæ ducitabat.

1532. tiarum apparatum, multi fide digni auctores, ac imprimis Jovius, qui huic bello cum Hippolyto Cardinale interfuit, Cæſarem, non deductis urbium ac finium præſidiis, nonaginta deſcriptorum peditum, ac triginta equitum armatorum millia unis ad Viennam caſtris habuiſſe, & in aciem producere potuiſſe conſtanter affirment.

Cæſaris copiæ cõſtabant nonaginta millibus peditum, ac triginta millibus equitum.

Invicta profectò acies, Carolo, præſertim Cæſare, tanti nominis & auctoritatis fortunæque Principe ductore, ac certiſſimæ de perfidis hoſtibus obtinendæ victoriæ omnino par; ſi mora omnis abeſſet, & præclara dimicandi, vincendique occaſio à Deo immortali oblata, paratis animis capta, nec importuna cunctatione interpellata fuiſſet. Multis ſiquidem millibus militum, tam in obſidione interfectis, quàm in caſtris vario vulgatorum morborum genere amiſſis, ac claſſe procul relicta, & miſſis cum Caſſono ad populandum ampliùs XV. millibus equitum, iiſque noſtrorum virtute conciſis & deletis, Solimani copiæ ad exiguum & ferè contemnendum numerum redactæ erant, ut via Chriſtiani exercitûs conſpectum, quin terga darent, tolerare potuiſſe cenſerentur. Quæ etiſtu cauſa eum, tanti aliàs faſtûs & arrogantiæ barbarum Principem, ad tam præcipitem ignominioſamque fugam ineundam coëgiſſe videtur: quamquam ipſe tegendo dedecori alias rationes prætenderet.

Caſſoni excurſio & deprædatio Lincium verſùs.

Sed nec Caſſonus & Acangu, qui ſunt prædatorũ equites, ſuo ære, ſed quintâ prædæ parte Principi attribuendâ militantes, quos Lincium verſùs ad depopulandam, vaſtandámque Auſtriam miſſos retulimus, meliore fato, eventuque rem geſſêre. Cùm enim evaſtatâ undique regione, ac cæſis aut captis incolis, concrematiſque pagis, ingenti onuſti præda ad Solimani caſtra redire properarent, quæ jam ſoluta eſſe, & Turcarum ſociorum exercitum, iter fugæ ſimile, retro unde venerat, ſuſcepiſſe ignorabant, primùm quidem cum Hiſpanorum quatuor cohortibus, ex iis, quæ ſub Aloyſio Cueva, nobili & impigro duce militabant, proſperè pugnavêre.

Hiſpanorũ quatuor cohortes à Caſſono fuſæ.

Nam cùm Caſſonus aquationis cauſa ad amnem quendam conſediſſet, Hiſpani præcipiti curſu, ac magno ſublato clamore irruentes, ipſos hoſtes Turcas nihil tale veritos, equiſque & corporibus curandis intentos, ſubitâ irruptione excitârunt; atque ii arreptis armis, cadente Ferdinando Gabrera, Sardiniæ præfecti filio, ac aliis Hiſpanorum præcipuis interfectis, profligavêre: nullam præ ignavia eis laborantibus opem ferente Gaſpare Rieciano, peditum Auſtriacorum præfecto, qui eos Turcis numero longè inferiores, è collibus propinquis impune trucidari conſpiciebant, nec auxilio adcurrebat.

Sed Caſſonus ulteriùs progreſſus, cùm ad montium convalles, quæ circa arcem oppidumque Starrenbergum habentur, perveniſſent, in Palatini recentiores copias, tormentis currulibus inſtructas, quæ haud procul aberant, incidit; ibique, ut promptiùs atque expeditiùs pugnaret, captivorum ſupra quatuor millia cujuſvis ſexûs immani truculentiâ & ſævitate interfici juſſit: partitusque copias in duo agmina, quo commodiùs ad caſtra perveniri poſſet, alterum ſibi delegit, alterum Petvisbego collegæ ducendum dedit; qui tamen pari cum eodem fato cum exercitu cæſus ab Hiſpanis & Germanis fuit: ipſe intempeſtâ nocte iter pertexit; ac mane cùm nebulam craſſiorem, quæ è proximis paludibus emerſerat, ſol exoriens radiis tepidioribus diſcuſſiſſet, Palatinum inſtructa acie ſe expectare animadvertit. 1532.

Cujus deinde tormentis Turcæ petiti, multiſque ex eorum numero interfectis perterriti, dum vitare pilarum ictus conantur, in proximas paludes metu adacti, partim cœno & turbidis lacunis, ſimul cum equis colluctantibus fœdè periêre: partim relictis equis, ſcutiſque pedibus evadere conati à Palatinianis, urgentibus, veluti clauſæ indaginibus feræ, paucis diffugientibus interfecti fuêre. Caſſonus ne vivus in poteſtatem Germanorum incideret, maluit fortiter occumbere, ac ſupremo virtutis, fortitudiniſque conatu edito, haud inultus à cataphractis trucidatus eſt: ejúſque criſta auro & gemmis ornata, ex ala vulturis conſtans, quæ vento mota ſe circumvertere ſolebat, Cæſari à Palatino ſubmiſſa, ejus in prælio cæſi fidem fecit.

Caſſonus cum ſuis trucidatus.

Turcæ amiſſo duce, ac majori ſociorum ſuorum parte tam in palude abſorpta, quàm Germanorum armis crudeliter cæſa, ii qui ſupererant, Oſman Agam ejus legatum ducem ſibi elegêre, à quo ad caſtra, quæ diſceſſiſſe neſciebant, perducerentur, qui poſtero die Ludovicum Lodronium Germanicæ legionis tribunum, cum ſuis peditibus, ac Joachimum Brandenburgenſem Principem, cum duobus millibus cataphractorum equitum obvios habuêre: à quibus Turcæ, quòd longa inedia aſſiduiſque laboribus nimiùm fatigatos equos ſemineceſque haberent, haſtiſque carerent, quas per varios ſilvarum ac montium anfractus, viarumque ambages perfregiſſent, inſtar pecorum trucidabantur.

Oſman Aga cũ reliquis Turcarũ victus

A Lodronianis & Brandenburgicis uſque ad ſatietatem cæſi, dum palantes & diſperſi ad campos, qui inter Thermas & Draiskitchen, oppida ſunt, ſeſe collegêre: dumque ſuperatis longè difficillimis periculis, ſe in tutum perveniſſe putarent, & equos ad paſcua & gramina carpenda duxiſſent, à tribus millibus equitum, Cociano urbis Viennenſis præfecto, ac Nicolao Comite Turriano ducibus, nec non Lupo Comite Montforno, ac Gregorio Loſenſtanio, novis nempe hoſtibus, inopinatò invaduntur, ac promiſcuè cæduntur: qui cùm partim pugnando occumberent, partim equis ſuis labori jam & parciſſimo victui aſſuetis, evadere conarentur, quod ſupremam eis attulit calamitatem, Ungari equites, veri eorum, ſed tunc haud expectati hoſtes, ſupervenerunt: qui ex inſidiis repentè prorumpentes, in eos prælus, vulneribus, laſſitudine, laboribus, & rerum omnium neceſſitatibus fractos & debilitatos acerrimum impetum fecêre: Quum à fronte Paulus Baquinus cum Petro fratre, à tergo autem Valentinus Turcus, Balthaſar Banffius, & Franciſcus Niarius, aliique duces, totius levis equitatûs pondere & robore incubuiſſent.

Qua in pugna Pauli imprimis eximia virtus enituit: ipſe enim Oſman Agam ducem hoſtium, criſtis armiſque & equi apparatu conſpicuum, proculque agnitum, haſta equo dejecit, ac humi proſtratum, oblongo pugione, quo ab ephippio pendente utebatur, properè confecit: cui equus illius aureis argenteiſque phaleris exornatus, armaque auro & gemmis ſplen-

& interfectus.

1532. ſplendentia, veluti opima ſpolia duci ab duce detracta, militum unanimi conſenſu & judicio, facilè conceſſa fuêre. Eundem in modum à Valentino atque cæteris Ungarorum ducibus, quos diximus, reliquiæ ter aut quater fuſi atque proſtrati Turcarum exercitus, ad internecionem deletæ ſunt: ita ut nemo ex quindecim millibus, qui vel cladis nuntium ad ſuum adferret, ſuperfuerit: niſi qui fortè ab Ungaris capti, ac diu in vinculis detenti, perſoluto redemptionis pretio, ad ſuos poſtliminiò rediiſſent: fuitque illud memorabile, ut omnes ferè diverſarum gentium milites, qui ad Cæſaris auſpicia, ſtipendiaque in caſtra undique confluxerant, hujus victoriæ gloriæque participes redditi, uberrimum virtutis ſuæ & fortitudinis fructum laudemque, deletis prædabundis omnibus barbarorum turmis, decerpſiſſe exiſtimarentur.

XV. millia prædatarum Turcicarum interempta.

Solimanus metu perculſus Muram fluvium trajicit.

Aſt Solimanus, poſt varios errores, multis magniſque affectus incommodis, ſæpeque reſpectans, num à Carolo Cæſare vel a tergo, aut a fronte, aut à lateribus invaderetur, Muram flumen apud Græcium Stiriæ urbem tumultuario auſu transjecit; quod flumen è præaltis ejus regionis alpibus originem ducens, ſeptem millibus paſſuum infra Petoviam, Romanam olim Coloniam, ad Legradum oppidum, in Dravum evolvitur. Hinc digreſſus, cum exercitu laboribus, vigiliis, inedia, cæli injuriis, ac rerum omnium fatigato, ad Marpurgum, quarto ſupra Petoviam milliari Dravo adjacens oppidum venit, ratus ſe iſthic pontem reperturum, quo flumen rapidum & profundum commodius tranſiri poſſet. Sed illum jam antea incolæ, adventu hoſtium cognito, unà cum ſublicis disjecerant; atque adeò omnes ubique lintres, cum pontonibus & navigiis cujuſvis generis, quæ paſſim reperiri poterant, ne hoſtibus uſui eſſe poſſent, ſuſtulerant, aut concremaverant.

Itaque Solimanus, dum pontes fierent, minimè exſpectandum exiſtimans, quòd & iter maturandum putaret, & materia deeſſet, ac in hujuſmodi re perficienda longam moram interventuram videret, flumen tranſnatando ſuperare decrevit; idque ex Ibraimi conſilio, qui illum à Chriſtianorum cervicibus ſublatum animitus cupiebat. Igitur ſupra eum locum ripæ, in quo ipſe ſe in fluvium erat demiſſurus, ſex millia equitum prætorianorum ingredi illud flumen imperat, ut minorem ejus impetum ac rapiditatem eo modo redderet: ipſeque poſtmodum inferiùs in ſpatio unius ſtadii cum Ibraimo, & pueris ac adoleſcentibus cubiculo aſſuetis fluvio ſe commiſit, & non ſine periculo in ulteriorem ripam, ſtupente & attonito exercitu, evaſit. Equites ſinguli, quorum equi adhuc vegetiores firmioreſque erant, mandato Principis ſingulos Janiceros in clunes equorum acceptos transjecêre. Multi peditum camelis, equiſque humilioribus, aut per utres, aut colligatos arundinum & virgultorum faſces, ut quiſque poterat, ægrè admodum, neque abſque ſalutis aut vitæ diſcrimine ſequuti ſunt: multi etiam vorticibus & impetu fluminis abrepti periêre. Cæteri, animadverſâ tranſitûs difficultate, captivos, quorum ſanè in caſtris non uſque adeò magnus erat numerus, ne moræ ac noxio oneri eſſent, interfecêre; ac jumenta feſſa laboribus, & impedimenta, quibus carere poterant, facilè reliquerunt: ita ut etiam multo maxima campeſtrium colubrinarum pars reliquiſque earum apparatus rapacibus aquis mergeretur. 1532.

Soliman fluvium Dravum non abſque periculo nando tranſmittit.

Superato tridui morâ in hunc modum Dravo, ab Oppido Marpurgo, uſque ad Santricium pagum difficillima, atque ſtrictiſſima via inter alpes & Dravum iter factum eſt, quæ multis in locis vix pediti ſuperabilis eſt; nuſquam autem pluribus, quàm uni aut alteri, aut ad ſummum tribus equitibus ſimul euntibus pervia. Emenſus demum aſperrimi itineris fauces Solimanus, à Santicio pago, in patentes & apertos Viciniæ & Varaſdini campos pervenit; atque in iis locis, quibus lentè procedentium copiarum poſtrema agmina à noſtris militibus carpendo aut cædendo nequaquam inquietabantur, aut in prætereuntes tormentorum pilis, jaculiſque abſtinebatur, ſicuti Varaſdini evenit, ubi Stephani Bathorii Palatini milites ſe quietos continuerunt, Turcæ ubique per pagos & agros quietè & abſque omni maleficio perrexerunt; ac poſtremò cùm ultra Varaſdinum ad Raſiniam perveniſſent, tertio infra milliari ſitam Ludovici Pecrii arcem, caſtra locaverunt: & quum pila ferrea ex arce in incertum emiſſa, Sabanus Turca adoleſcens, Teſterdari, qui ærario Solimani præerat, frater fortè fortuna interfectus eſſet, pedites prætoriani, ira ac vindictæ cupidine inflammati, arcem & oppidum repentino impetu aggreſſi, cæſiſque omnibus ferè defenſoribus, injecto deinde igne concremârunt. Ubi captus & abductus fuit Georgius Huſtius: qui poſtmodùm totum ferè Orientem uſque ad Indos pervagatus, peregrinationis & itinerum ſuorum commentarios poſteris reliquit.

Raſiniā arcem ferro & flammâ delent.

Huſti itinerarium.

Ibi Solimanus quum unius diei quietem exercitui conceſſiſſet, ſuadente Ibraimo, cùm ob commodiorem rei annonariæ, quâ non leviter laborabatur, procurandæ rationem; tum verò occultis conſiliis, ut ſi Caroli exercitus inſequeretur, Solimano detractis in eum modum & diſtributis copiis, vires ad reſiſtendum deeſſent, copias bipartitò diviſit; aſſumptiſque ſibi Spahoglanis & Janiceris, quo nomine equites pediteſque prætoriani cenſentur, & purpuratorum præcipuis, cæteras copias Ibraimo ducendas attribuit; iſque in ſequenti die inſtitutâ ad Herbartiam arcem, in dextram partem profectione, eaque ex itinere, quòd præſidiarii in appropinquantes tormenta diſploſiſſent, ac quoſdam Turcas interfeciſſent, capta & incenſa, Criſium, ac Gudocium, indeque Chaſmam, ac montem Claudium, & Velicam, ac poſtremò Zapoliam, Joannis Regis patriam, pacatis agminibus, prætervectus eſt: contrà Solimanus lævam in partem deflectens primò Caprontiam ac Veruciam, deinde per Poſegam provinciam inter Dravum & Savum flumina, lentis ſactis itineribus in Sirmium delatus eſt; amboque demum ad Belgradum appellentes eodem ferè tempore exercitus conjunxêre, poſteà mediâ ferme hieme Adrianopolim pervenêre. Hic tandem fuit illius tam ſuperbè & arroganter ſuſceptæ, quàm poſteà nullo operæ pretio confectæ, Solimani expeditionis exitus; cujus fama totum penè orbem terrarum perterruerat, ſed quæ documento fuit, ejus quoque vires nequaquam bello inſuperabiles eſſe: poſtquam omnem certaminis

Solimani copia bipartitò diviſa.

Mediâ ferme hieme Adrianopolim pervenêre.

1532. aleam vitando, Cæſaria Caroli Auguſti, Chriſtianorúmque Principum congreſſum tantopere formidaſſet.

Cæſar Lintii cognito Turcarum ſeu fuga, ſeu diſceſſu, ſumma adhibita celeritate, ſimul cum Ferdinando fratre, claſſe devectus Viennam venit, ibique militare concilium convocavit; in quo præter Fridericum Palatinum Rheni, qui Germanicis copiis præerat, ac Cocianum, Felſium, Rogendorffium, cæteroſque Germanos Proceres; aderant etiam ex Hiſpanis atque Italis clariſſimi duces, ac æternâ memoriâ digni, inter quos Ferdinandus Toletanus Albæ Princeps, equitum Hiſpanorum præfectus, Alphonſus Vaſtius, Antonius Leva, Hieronymus Maricaus caſtrorum magiſter, Ferdinandus Gonzaga equitum veteranorum levis armaturæ ductor, Joannes Bapniſta Caſtaldus, Martius & Camillus Columnæ pluréſque alii; qui auditâ Cæſaris contra Turcas expeditione, certatim nomina dando, alpeis tranſierant; ut eorum ſententias exquireret, quid cenſerent ulteriùs faciendum. Non defuêre complures ex variarum nationum ducibus, ſed ante alios Valentinus Turcus, & Paulus Baquitius, ac cæteri Ungari, qui hoſtem fugientem totis viribus perſequendum, ac ejus iter è Vienna, Linduam, Caniſamque eundo anticipandum eſſe contenderent; hoc tempus, hanc occaſionem eſſe divinitùs oblatam, quâ barbarus inſolenſque hoſtis, labore ac rerum inopiâ preſſus & fatigatus facilè deleri poſſet.

Conciliū militare de Turcis perſequēdis Viennæ à Cæſare habitum.

Sed Cæſar poſthabitis militaribus conſiliis, pacandæ Italiæ cauſa, ac aliis, ut dicebat, multis ac magnis de cauſis, & quòd peſtilentia in caſtris jam graſſari inceperat, in Italiam redire conſtituit. Quamquam autem Ferdinandus ab eo contendere non prætermitteret, ut poſtquam tot ac tanti exercitus tanto labore, tantiſque impenſis conveniſſent, nequaquam fruſtra coiviſſe viderentur, vellet adversùs Joannem, Solimani patrocinio ac auxiliis deſtitutum, omnem belli terrorem convertere, eúmque Budâ ac totâ Pannoniâ expellere; ipſe tamen in ſententia perſtitit; ita ut Italicas cohortes in Pannonia fratri militaturas relinqueret; Hiſpanos autem & Germanos ſecum in Italiam deduceret; quum præſertim eum ſereniora autumni tempora, ac viæ ſolito commodiores, ad capeſſendam maturandamque profectionem maximè invitare viderentur.

Cæſar in Italiam redit.

Italicas cohortes fratri relinquit.

Sed Italicarum cohortium dimidia ferè pars, quòd hibernam & longinquam in Pannonia militiam detrectaret, neque de ſtipendio cum eis conventum eſſet, auctore quodam milite Volaterrano, ſeditione factâ, ſpretoque ducum & Cæſaris imperio, in Italiam reditum ſuſcepit, ac ſumptis armis, Vaſtio & Caſtaldo cæteriſque præfectis ac tribunis eos nec verbis, nec vi retinere valentibus, ire perrexit; cæteris ſub Fabritio Maramaldo, ac Philippo Torajello, in officio permanentibus: ipſe autem per Veneti Senatûs fines Italiam ingreſſus, & ab eodem ubique ſingulari ſtudio & liberalitate exceptus eſt, nec tamen Venetorum urbes cum copiis, ne oneri ac ſumptui foret, intrare voluit, indéque ad Clementis colloquium, quod ille poſtulabat, Bononiam divertit; illinc Mediolanum, ac deinde Genuam eſt profectus, hoſpitio uſus ipſius Auriæ in ſuburbanis hortis, quos ille regio apparatu inſtruxerat: nec multo pòſt, triremibus Aurianis ad Stœchades inſulas, & ex iis ſecundâ tempeſtate, nec multis interjectis diebus in Hiſpaniam, à qua jam biennium abfuerat, incolumis pervenit. 1532.

Quarum magna pars dilabitur.

Inde in Hiſpaniā appellit.

Interea dum hæc per hunc modum geruntur, Cæſar jam antea quum de Solimani in Auſtriam irrupturi adventu certioribus nuntiis edoctus eſſet, injunxerat Andreæ Auriæ, viro longè omnium ætatis noſtræ clariſſimo, quem maritimo negotio & claſſi præfecerat, ut triremes ac plures onerarias naves militariter exornaret, ac adversùs Turcas in Græciam trajiceret, atque eam omni bellici terroris genere illato depopularetur, ac ferro igneque vaſtaret. Is itaque tum naturali in Turcas odio incenſus, tum rei gerendæ avidiſſimus, cum XXXV. onerariis, & XLVIII. roſtratis navibus in Siciliam venit, ibique parato nautico commeatu, ac aliis rebus neceſſariis, naves onerarias rectà ad Peloponneſi inſulas curſum dirigere juſſit, ipſe verò eas ſubſequuturus, Corcyram & Cephalenem prætervectus, Zacynthum appulit: quæ ſunt Venetorum imperio ſubditæ Ionii maris Inſulæ, ac à claſſe Veneta cuſtodiebantur: ſed cui ob fœdera quæ Senatus cum Solimano pepigerat, Cæſarianæ ſe conjungere integrum non erat.

Cæſaris claſſis adversùs Turcas, Duce Auria.

Cæterùm cùm claſſis Turcica ſeptuaginta triremium, quam Himerales ductabat, audito Auriæ adventu, Argolicum ſinum prætergreſſa Chalcidem fugâ petiiſſet: Auria apud Sphragiam inſulam ad explicanda conſilia ſe contulit: ad quem locum onerariæ quoque naves levioribus ventis perflatæ advenerâtunt. Complures ea trierarchis ac tribunis militum, Methonem oppugnandam ſuadebant, quam anno ſeculari à Pajazete principe expugnatam fuiſſe retulimus, atque imprimis Salviatus, Rhodiarum ſeu Melitenſium navium præfectus: ipſeque, quòd anno ſuperiore illius oppidi nocturno tempore felici dolo occupati, ſed ſtatim à Turcis recepti ſitum benè conſideraſſet, operam imprimis ſuam pollicebatur: Sed Auria, qui intentiores ei tuendo Turcas fore prævidebat, rejecto eo conſilio, Coronem aggredi & oppugnare decrevit.

Coronem oppugnat & occupat.

Itaque maximo tormentorum muralium apparatu, ac vix aliàs noſtrâ ætate viſo aut audito tam è claſſe, quàm è continenti urbem quaſſari juſſit. Nam è continenti quatuordecim, è claſſe verò centum quinquaginta majoribus tormentis mœnia verberabantur: eumque exitum oppugnatio habuit, ut poſt multas ac cruentas noſtrorum cum hoſtibus pugnas, ac plurimorum militum Centurionúmque utriuſque partis cædem, primò inſula oppido adjacens, in qua Græci habitabant, ac tunc à Turcis acerrimè defendebatur, refugientibus in oppidum hoſtibus, à noſtris caperetur. Et quum ſequenti die Haidares Spartæ, ſeu veteris Lacedæmonis, quam nunc Miſitram vocant, præfectus, accitâ è Megalopoli, ac Meſſene, cæteriſque Peloponneſi præſidiis, ſeptingentorum equitum alâ, obſeſſis ſubſidio veniſſet, atque ab Eraſmo Auria, Theodoroque Spinula in ſuburbanis rectis profligatus cæſusque eſſet, Turcæ qui in arce à Venetis olim in præalta rupe ad angulum urbis condita, ac in oppido erant, viſo ejus interfecti capite, ac aliorum commilitonum, deditionem fecerunt, ita ut incolumes cum armis, equis, ac rebus dimitterentur.

Occupatâ Corone, ac impoſito Hiſpanorum valido præſidio, eoque fidei & tutelæ Franſci

Men-

1532. Mendocii commendato, Auria iterum circumnavigata Zacyntho, claſſem ad oppugnandas Patras Achaiæ urbem direxit, quam Turcæ metu perculſi deſeruerant, ſeque unà cum oppidanis ad quendam ſub arcem munitiorem locum, foſſa, muroque munitum receperant: ac deſcenſione ex navibus facta, Hieronymus Tuttavilla Sarnenſis Comes, juſſu Auriæ milites expoſuit, ac tormentis octo majoribus murum vetuſtate debilem quatere cepit. Nec mora, quum Auriani milites certatim muros conſcenderent, hoſtes perterriti munitione eis relictâ, in arcem ſe receperunt; quæ ſanè non ſine labore ac difficultate capi potuiſſet, ſi Turcæ eam militari virtute tuendam ſuſcepiſſent. Verùm emiſſis ad Auriam legatis, ſe & urbem ac arcem haud cunctanter dediderunt: ita ut cum pueris & fœminis, ac ſingulis veſtimentis & gladiis abire in Ætoliam permitterentur, quam conditionem Auria ratam habuit, tantâ fide & ſeveritate, ut quendam militem fœminas arrogantiùs & petulantiùs ſpoliare conatum, exemplò corripi & interfici juſſiſſet.

Etiam Patras cepit.

Inde quum exercitus terreſtri itinere versùs Naupactum perrexiſſet, Auria autem triremibus eòdem devectus eſſet, duo caſtella muniriſſima quæ in anguſtiis freti illius habentur, & Achajam ab Ætolia interfluo mari diſtinguunt, ac Dardanelli vocantur; illud quidem factâ deditione, hoc verò tormentis admotis, muroque patefacto, & ſummâ militum vi & fortitudine expugnata ſunt.

Dardanelli capiuntur.

Interea Turcæ magno equitum & peditum numero ex Peloponneſo, ſociis in periculo conſtitutis opem laturi celeriter convenerunt, & quum in conſpectum noſtrorum ventum eſſet, ſublato clamore, veluti impetum facturi procurrerunt. Quibus quum Sarnenſis quatuor millia Hiſpanorum militum egregiè rem ſclopetis gerentium oppoſuiſſet, hoſtes nullo operæ pretio facto Naupactum redierunt, & noſtri cæſis omnibus Turcis, ſpectante prælium è prora prætoriæ triremis Auria, Caſtello potiti ſunt: in quo tormenta inuſitatæ magnitudinis Arabicis inſcripta literis reperta ſunt, quorum duo Sarnenſi & Salviato pro fortiter navata opera donavit; reliqua in portu Genuenſi, prope ædem Divæ Deiparæ Virginis, quam ipſe è manubiis piratarum à ſe ſuperatis condiderat, collocari juſſit. Nec multo pòſt, cùm claſſis versùs Sicyonem, atque Corinthum ubique terrorem circumferendo obvia ferro & igne vaſtaſſet, Auria acceptis à Cæſare literis, quibus ſuum in Italiam adventum, ac Solimani è Pannonia diſceſſum ſignificabat, & quòd hiems appropinquaret, Corone commeatu & rebus neceſſariis, quæ tolerandæ obſidioni opportuna fore videbantur, bene munita, ejuſque tuendæ cura Mendocio commiſſa, & eo, ſi obſidio ingrueret, de ferenda ope verbis ac promiſſis onerato, victor Genuam eſt reverſus.

Auria à Cæſare revocatur.

Corone Mendocio tuenda committitur.

Quum autem ea exeunte hieme, ſequentis anni æſtas appetiiſſet, claſſis Turcica, juſſu Solimani, qui amiſſam Peloponneſi partem ægre admodum ferebat, Gallipoli egreſſa Coronem vehementi obſidione terra mariſque cinxit; & Mendocius ſcriptis literis, tam à Cæſare, quàm à Petro Toletano Prorege Neapolitano; ſed ab Auria peculiariter opem implorabat, ac ut fidem ſuam liberaret hortabatur. Qua cognita re, Auria promiſſi memor Hiſpanos & Mendocium laborantes ſine mora auxilio juvandos cenſuit: & è Neapoli Meſſanam profectus, nequaquam expectata duodecim triremium claſſe Hiſpanica, quam Alvarus Bazanius juſſu Cæſaris erat adducturus, impoſita in naves veteranorum Hiſpanorum legione, qui emerita ſtipendia ſeditioſiùs quàm par eſt, flagitabant, & in Campania urbem Averſam diripuerant, ſtipendiis perſolutis, ac Roderico Macicao Cantabro duce eis conſtituto, in Græciam curſum intendit; Coronemque pulſa & fugata Turcarum claſſe, cui Luphtibegus, Gallipolis ad Helleſpontum præfectus, qui maris imperium tuetur, præerat, obſidione liberavit; ac educto Mendocio & ſociis, quibus anno ſuperiore urbem tuendam commiſerat, Macicaum cum legione Hiſpanica cuſtodiendæ urbi præpoſuit; ac re bene geſta cum ſuo & vetere exercitu Mendocioque Corcyram, atque inde in Italiam felici uſus navigatione contendit: conſolatus pro concione Græcos, hortatuſque incommoda belli, militiæque labores patienter tolerare, Hiſpanoſque mutua ope & conſilio juvare vellent; quandoquidem Cæſar tam ſua ſponte, quàm ipſo auctore, & & impulſore, adeo benigna in eos animi propenſione eſſet affectus, ut concedentibus fatis, propitioque numine, brevì in Græciam cum validiſſimis copiis trajicere, ipſoſque diuturna barbarorum ſervitute oppreſſos in priſtinam ac lætam libertatis conditionem vindicare ſtatuiſſet. Mentio incomparabilis viri, & res præclarè ab eo in Græcia geſtæ, me velut de ſpatio, ut plus juſto declinarem, abſtulêre. Sed quum hæc expeditio in commune Reip. Chriſtianæ commodum adversùs barbaros ſuſcepta, Pannonicis quodammodo rebus immiſta videri poſſit; ideoque eam perſcribi operæ pretium ratus ſim; hujus haud inamœni diverticuli veniam meritò à legentibus impetrabilem fore confido.

1533. *Corone à Turcis obſeſſa.*

ab Auria obſidione liberatur.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XII.

1533. DISCEDENTE inglorio, nec ulla re memorabili geſta, Solimano (inde enim diverterat oratio) ac claſſe, quam in Danubio inter Budam Peſthumque urbes reliqueſat, præcipiti ac ſubitario deſcenſu ſubſequi juſſa; Joannes omnibus ejus auxiliis, quibus magnopere confidebat, inſperatò deſtitutus, Ferdinandum retenta, quod ipſe vix fieri poſſe ſperaverat, Pannoniæ poſſeſſione, Italicis cohortibus, ac Germaniæ Bohemiæque auxiliis confiſum, ad invadendam Budam, ſeque regno expellendum omnes vires converſurum exiſtimabat; ideoque vehementer animo perturbabatur, ac cum Gritto, in quo magnam ſuæ incolumi- 1533.

1533. columitatis ſpem collocaverat, cæteriſque, quos habebat ducibus, conſilia frequenter & ſeriò conferre non intermittebat. Nec ejus votis & conſiliis aliud quicquam faviſſe, viciſſimque Ferdinandi conatibus importunè obſtitiſſe cognitum eſt; quàm inſtantis hiemis adverſas tempeſtates, quæ poſtmodum haud multis interjectis diebus ſævire incipientes, propoſita belli ſtudia in aliud tempus differre coëgerunt.

Itaque id nactus intervalli, ipſe imbecillitatis virium ſuarum, inopiæque ærarii conſcius, nec ſe Ferdinando tam ſuis viribus, quàm fraternis, & inexhauſtis Germaniæ auxiliis ſubnixo, parem futurum ratus, ad pacis cogitationes amplectendas animum applicuit, quum eas nec Gritto, nec aliis diſplicere animadvertiſſet. Quæ quidem conſilia etiam Solimano, & Ibraimo purpuratorum principi, per Tranquillum Andronicum, Gritti ipſius ſcribam ſignificata, nec ab illis improbata fuiſſe ferebantur. Igitur ad Ferdinandum haud multò pòſt miſit Hieronymum Laſcum legatum, eíque in mandatis dedit, ut primò annuas inducias, aut ſi id non poſſet, certè ſemeſtres peteret: iiſque obtentis, ad Carolum Cæſarem, ubicunque eo tempore reperiretur, ad ſolidam, certamque pacem ſtabiliendam proficiſceretur. Sed Ferdinandus, conceſſis annuis induciis, Laſcum ad Cæſarem ire nequaquam permiſit; verùm eadem, qua venerat, via ad Joannem redire juſſit: eo reſponſo addito, ut intra hoc tempus de modis ac firmitate pacis, tranſigendiſque ejus conditionibus tractaretur, neque interea Cæſar aliis graviſſimis rebus ſatis ſupérque occupatus, eâ curâ moleſtiâque intempeſtive gravaretur. Quæ res Joanni gravis imprimis ac moleſta accidit, adeò ut poſtea de ea injuria, veluti ipſe interpretabatur ſibi illata, apud Cæſarem, & nonnullos Germaniæ Principes, expoſtulando gravem querimoniam inſtituerit, ſic tamen ut tempori neceſſitatíque cedere, annuáſque inducias admittere cogeretur.

Laſcus à Joanne Vaivoda ad Ferdinandum de pace legatus mittitur; Sed annuæ ei induciæ tantùm conceduntur.

Quibus pactis Ferdinandus quidem Maramaldum & Torniellum cum Italicis legionibus, perſoluto ſtipendio, dimiſit; Joannes verò graviſſimo metu liberatus, Stephanum Brodericum Epiſcopum Vacienſem, & Stephanum Verbecium legatos ad eum miſit: qui cum eo æquas bonáſque conditiones haud aſpernante, poſt non longiorem moram, iis conditionibus convênere: ut donec firma ac ſtabilis pax iniretur, interim de injuriis, damnis, rapinis, cædibus, quæ, diviſa in partes & factiones republica, inſolentiſſimæ & crudeliſſimæ, ex utraque parte evenerant, jure decidendis, ac villarum, oppidorum, & ditionum poſſeſſione dijudicanda, bini utrimque juriſperiti, Strigonium mitterentur; & quicquid deliberarent, ab utrâque parte pro rato atque firmo haberetur. Quia verò Paulus Archiepiſcopus Strigonienſis, modò has, modò illas partes ſecutus, in graviſſimum Joannis odium, itámque incidiſſet, dum illi cauſis dijudicandis vacarent, placuit, ut arx & civitas Strigonienſis legatis Sigiſmundi regis Poloniæ, & Friderici Ducis Saxoniæ ſequeſtro ponerentur.

Controverſia de finibus, injuriis, damnis & rapinis, inter Ferdinand. & Vaivodam, decisa.

Convenêre Strigonium juſſu Ferdinandi, Franciſcus Revajus, prætor regni, ac Emericus Verattius, propalatinus; è partibus verò Joannis, Staniſlaus Albæ Antiſtes, ac Bernardus Baſajus, qui jus dicerent, ac controverſias litéſque dirimerent. Ab iis Paulo Archiepiſcopo ex æquo potiùs & bono, ſua reddita fuêre, ſublato ſequeſtro; & Gontium, ac alia quædam oppida in ſuperiore Pannonia, quæ à Joannis clientibus variis modis vexabantur, Alexio Turzoni adjudicata: Ladiſlaus autem Moræus, circa Albam, Quinqueeccleſias, ac Veſprimium, inſuper in Illyrico prædas agere, vias more latronum obſidere, à nobilibus captis, & in vincula conjectis pecuniam per tormenta extorquere, cædibus, incendiis in omnes obvios graſſari, divina atque humana immani crudelitate confundere erat ſolitus, jure convictus & damnatus latáque unanimi voto ſententia, utriuſque regis auctoritate proſcriptus fuit: permiſſúmque Joanni, ut in eum tot & tantorum ſcelerum auctorem, nec alterutrius partis aſſeclam illato bello, expugnatiſque ejus receptaculis, ſeverè animadverteret. Is igitur intellecto eum in Palota, arce duobus ab Alba milliaribus diſſita, (quæ urbs tunc ei parebat,) delitescere, nec adhuc à furtis, rapinis & latrociniis abſtinere, miſſo adversùs eum Hieronymo Laſcu cum exercitu, cui etiam Caſſonus Turca cum Claſſiariis & navalibus ſociis interat, obſideri & extrahi juſſit. Ferdinandi etiam juſſu, è montanis civitatibus ſeu fodinis miſſæ fuêre ad agendos cuniculos, quadringentæ operæ ex iis, quæ auro atque argento è terræ viſceribus eruendo vacare ſolent.

Ladiſl. Moræus proſcriptus.

In Palota arce obſeſſus.

Itaque oppugnatio eum habuit exitum, ut quum Laſcus tormentis parum proficeret, quòd arx ab obſeſſis acerrimè defenderetur; poſtremo cadente ictu majoris colubrinæ Gregorio cognomento Magno, ipſius Moræi legato, viro militari & impigro, obſeſſis & Moræo imprimis animi conciderent; ipſéque ſcelerum pœnas veritus, de fuga cogitaret. Jam enim etiam cuniculi, egeſta ab imis fundamentis humo, (quamquam labor arduus & difficilis eſſet ob duram & ſaxoſam tellurem) ad finem ferè perducti, & eis haud multa mora ſulphureus pulvis ingerendus erat; quum Moræus rebus deſperatis ſuos ad concionem vocat, diſtributóque eis multo auro, cujus vim ingentem è variis rapinarum generibus cumulaverat, ſe auxiliorum maturè adducendorum cauſa arce exiturum, brevíque reverſurum narrat: eos, ut interea ſeſe viros fortes, militéſque præbeant, admonet, ingentibúſque promiſſis onerat: útque majorem dictis ejus fidem habeant, ſe liberos ſuos ibi, velut obſides relicturum affirmat: atque ita peractis, è muro funibus demiſſus, in proximas ſilvas ſilentio delatus, ægrè admodum ad arcem Rahociam in Illyricum profugit. Non longè abierat, quum pulvis ſulphureus igne accenſus in ſubterraneis cuniculorum ſpecubus magnâ vi & impetu murum collabentem dejecit: ita ut ejus ſtrepitum & fragorem faciſè exaudiret. Nec mora, milites per ruinam mœnia conſcendentes, cæſis ad unum omnibus defenſoribus, arcem captam diripuêre. Multa Moræi ſupellex, eáque pretioſa atque opulenta aviditati militum ceſſit: filius & filia ejus, quos abiens, ne ſui milites de reditu ejus dubitarent, ibi reliquerat, quique in teſtudine quadam, quæ arcem intrantibus à dextra parte obvia habetur, clauſi erant, capti ac Budam ad Joannem adducti,

Ex arce funibus demiſſus

Ad arcem Rahociam fuga elabitur.

Arx capta, &

1533. adducti, uſque ad ejus obitum in cuſtodia ſervati fuêre. Arx demum ipſa ab Joanne rege Raphaëli & Joanni Podmaniciis fratribus dono data fuit; perinde ac Moræus, rapto vivere haud abhorrentibus, ut poſtea animadverſum eſt.

Podmanicius data.

Banffius Palatinus Vaivoda obit. Laſcus & Verbecius Grittum Hungariæ gubernatorem à Vaivoda conſtitui contendunt.

Coaleſcentibus in hunc modum induciis Joannes Banffius Lindnanus, quem ab Joanne Palatinum creatum fuiſſe ſupra retulimus, in arce ſua Saproncia, è vivis exceſſit, magno ejus dolore, quum eum præ cæteris ob fidem integritatémque charum imprimis haberet. Ejus obitu intellecto, Laſcus & Verbecius, Gritto aſſentari ſoliti, occaſione capta, regem adeunt, enumeratíſque ejus beneficiis, quæ in illum patria extorrem, regnóque pulſum, atque inter Polunos inopem vitam agentem contuliſſet, ſublevando nimirum & laborando apud Solimanum tamdiu, donec armis & viribus ejus reducendum curâſſet: ac præterea acerrima Germanorum obſidione, nuper ejus potiſſimùm opera ereptus, liberatúſque eſſet, grati erga illum animi ſigna aliqua edere: eúmque non Palatinum modo, quamquam ſupremum eum à regis dignitate, magiſtrum eſſe non ignorarent, ſed Gubernatorem, ampliſſimo collato titulo declarare; eíque regnum ſummo vicariæ poteſtatis jure regendum committere vellet. Cujus beneficii illum quàm maximè memorem fore pollicentur, quando nemo magìs idoneus videatur, qui apud Solimanum, atque omnium ejus conſiliorum moderatorem Ibraimum majori fide, ſolertia, atque diligentia cauſam ejus agere; & quum utrique cognitus, ac eorum linguæ gnarus ſit, vota ejus ac petitiones abſque interprete commodiſſimè explicare, ac ad optatum finem perducere poſſit. Quæ ab ipſis tametſi diſſimulanter, velut ignaro Gritto, propoſita fuiſſent; haud dubiè tamen ſubmiſſos, edoctóſque ab illo ſatìs certum perſpicuúmque erat. Ambitio enim nimia, naturæ ejus inſita, ac barbaricus ingenii faſtus, cui à teneris aſſueverat, nihil mediocre, nihil niſi amplum, ac magnificum expetebat: ita ut ingentibus pollicitis & largitionibus animos omnium aucupando (quod quidem croco quàm plurimo diſtribuendo, ac pecunia Veneta, quam Mocenicam vocabant, paſſim donanda faciebat) frequenter in ore haberat, jactarétque ſe propediem ad tantos ſummæ gloriæ, amplitudiníſque gradus, vel jure vel injuria conſcenſurum, quos alii aut ſummâ vi, aut hæreditate conſequi ſolerent.

Ad ea Joannes breviter, & paucis reſpondit, ſe quidem quin multa, & magna Gritti in ſe merita extent, minimè inficiari; ejúſque ſemper fuiſſe propoſiti, ut ſi patam non poſſit, magnam tamen & non vulgarem pro eis gratiam rependat, atque adeo apud omnes teſtatum reddat, eorum memoriam apud animum ſuum, & viguiſſe ſemper, nec unquam intermorituram eſſe, ne tamen inconſulto Senatu quicquam feciſſe videatur, ſe propediem eo frequentiore convocato voluntatem ſuam, quæ in eo extollendo & evehendo propenſiſſima eſſet, conſiliáque & cogitationes explicaturum, & ea facturum, quæ ad eum ornandum, & amplificandum, quàm maximè pertinere viſa fuerint. Nec multò pòſt Senatu coacto, cum prærogativa ſui ſuffragii, quo eum omnibus, quibus poſſet, honoribus, cumulatè ornaturum profitebatur, quonam modo officium Gubernatoris ei eſſet deferendum ſententias exquiſivit. Cùm eæ vehementer variarent, nec Laſco & Verbecio, niſi perpauci, conſentirent; & Nadaſdius quòque diverſam tueretur, tandem rogatus, in hanc ſententiam loquutus eſſe dicitur.

Vaivoda, Senatu coacto, id proponit.

Nadaſdii oratio diſſuaſoria.

Non me latet, optime Rex, difficile prorſus & arduum eſſe; conſilium tibi dare, in tanta præſertim re, quam in animo tuo ac nonnullorum, qui ante me dixerunt, quaſi præconceptam atque præjudicatam video; neque ego vulgi more magìs, quam acri judicio proloqui optaverim, Ludovici Gritti multa egregia in te merita & beneficia extare nequeo diffiteri; quandoquidem ipſe eorum partim locuplex eſſe teſtis poſſum, qui ea conſpexi, & eorum aliqua pars fui; partim ab plurimis mortalibus, graviſſimis viris, quibus illius dicta factáque, pro te ac dignitate tua, magnis laboribus, multo ſudore exantlata bene conſtant, accepi: & quod maximi ponderis eſt, nunc ex tua recordatione, atque ingennâ confeſſione non illibenter recognoſco. Verùm res ipſa & experientia, quæ merito rerum magiſtra dicitur, docuit verum illud indubitatúmque eſſe, quòd ab antiquis dictum, hodie quòque à prudentiſſimis viris repeti & uſurpari ſolet, imperium ſocios nec ſuſtinere, nec aliud aliis niſi invitè concedi ſolere. Et quamquam gratum & memorem erga benemeritos eſſe, parémque, aut majorem, ſi poſſis, gratiam rependere laudabile, planéque regium exiſtimo; ramen neque tibi ipſi cordato viro pervenè conſulendum eſt, ut quiſpiam ſuis ſe veſtimentis exuat ſpoliétque, & alios induat, & exornet. Nollem equidem derogare Gritto, quem pro viro claro, induſtrio, militari, deque te optimè merito & habeo & colo; neque mihi cauſas odii, aut malevolentiæ ullas dedit; ſed ſibi, ut regi optimo, ſalutíſque meæ auctori, ac cunctia fortunæ utriuſque viciſſitudinibus probe erudito nollem adeò derogatum, ut quando clemens, gratus, beneficúſque videri & eſſe cupis, ſic beneficium pervertas, ut illud ei obveniat, cui malo eſſe haud quaquam illicitum eſſe videatur: parúmque penſi habebat, utrùm bonus & ſtrennus, an verò formidabilis intolerandúſque evadat. Legibus quidem noſtris antiquiſſimis Veneti, à quibus originem ducit, à Repub. noſtra capeſſenda arcentur, ut noſti, & ſi maternæ ſtirpis genus reputaverimus, certè à nobis & ab omnium gentium, quæ Chriſtiano nomine cenſentur, religione, legibus, animis, moribus, natura denique ipſa diſſidere pro comperto eſt. Quæ etiam ſi minimè obſtiterint; Gubernatores tamen pueris principibus, quorum ætas imbecillis, regendóque regno infirma eſt, veluti magiſtri, & moderatores adjungi uſque ad adoleſcentiam ſolent. Sed quum te jam ferè quinquaginta annos, plus minùs natum, multa domi, multa foris, utriuſque fortunæ documenta ceperunt; reíque publicæ regendæ & gubernandæ ſcientiſſimum videamus, & veneremur; ſupervacaneum certè, etiam anceps & periculoſum cenſeo, hæc te atque talia conſilia animo agitare. Clementiæ igitur tuæ & probitati ante omnia diligenter providendum

1533. „dendum eſt, ut Grito aliis idoneis modis gratificeris, & ſatisfacias; quamquam nunc quòque omnia ei haud ſecus quàm tibi parent, „ipſe vectigalibus, portoriis, limitibus, militum ſtipendiis, & præfecturis, ærario, pacis „& belli muniis, populiſque tibi ſubjectis, pari „propemodum poteſtate dominatur: porrò „ne quid tibi ab externis adverſi impendeat, „quod maximè nollem, néve turbando aut „corruendo regno januam aperias, nobis Pannoniis tu ipſe, nemine adſcito conſorte, præſis, nos imperio regere perges, noſtræque „potiùs quieti & ſaluti, quæ cum tua conjuncta „eſt, quàm alienæ libidini atque ambitioni avaritiæque conſules, nam malis noſtris aut tu „ipſe mederi potes, & debes; aut ſi id nolis, aut „negligas, quod fieri minimè convenit, tum „omittenda omnibus aliis ea cura eſt. Quæ mihi „in pectore condita erant, ea tibi fideliter expromſi, nec placuit reticere; Cæterùm an „iis aſſentiare, nec ne, erit in tuo poſitum arbitratu. Sive autem hâc viâ, ſive aliâ meliore proceſſeris, eam tam tibi miſque omnibus, quàm reipub. utilem & ſalutarem evenire „opto.

Qua non admiſſa Grittus à Vairvoda Pannonia Gubernator deſignatur.

Poſtquam Nadaſdius dicendi finem fecit, plerique Senatorum, eum uti virum fortem, ea quæ dixiſſet, ſtudio & amore erga Regem, rémque publicam dixiſſe contendebant; neque eum in tantâ re gratiam, aut odium exercere voluiſſe. Verùm Joannes à Gritto, ac illis, quorum factiones valuêre, quóſque ſuprà nominavi, præoccupatus, rejectis majoris ac melioris partis ſuffragiis, illum Pannoniæ Gubernatorem declarat: idque à Verbecio, nunquam audaciæ ac factionum egente, publicari jubet, omnibúſque qui ſibi in Ungaria & Tranſilvania parebant, edicit, ut ei non ſecùs, quàm ſibi ipſi obſequia præſtent. Diploma etiam confici curat, quod ab ipſo ſubſcribente firmatur, ac ut Senatores adſcriptis ſuis nominibus æquè confirment, ſeriò injungit. Verùm Joannes Statilius Albæ Juliæ, quæ eſt in Tranſilvania, Stanislaus Varallius Albæ regiæ, ac Cibacus Varadini antiſtes, Simon Athinenſis, fratres Artandii Blaſius & Paolus, atque ipſe Nadaſdius, qui diverſam in Senatu ſententiam dixerant, non ſinè ſummâ regis offenſione nomina dare, aut ſigna apponere recuſarant: ſéque tantum flagitii, quòd aliquando in regiæ perſonæ perniciem eſſet redundaturum, minimè commiſſuros retulerunt.

Cum pluribus è procerum numero refragantibus.

Unde Gritti in eaſdem odium & ultio exarſit.

Quam ob cauſam Grittus graviſſimum in eos odium atque iram concepit, adeo ut procedente tempore, quum Simonem vectigalibus regiis, ac fodinis ſalis præfectum, peculatus inſimulâſſet, tanquam qui ærarium admiſſo furto compilaſſet; ratamen verâ, quòd in ferenda ſententia, ac ſtabiliendo diplomate contrarias partes eſſet ſequutus, inſcio, nec ſi ſciviſſet, conceſſuro rege, in præalta furca ſuſpendendum curavit: neque è Nadaſdio eandem ob cauſam necando ſceleratas manus abſtinuiſſet, niſi is à Tranquillo Andronico Tragurino, ipſius Gritti à Secretis, ut ſibi caveret, fuiſſet clam admonitus; ſicque metuens, ne à Gritto inſidiis circumventus, è medio tolleretur, ducta in partibus Ferdinandi uxore, Ladislai Caniſiani filia unica & perita à Joanne ad nuptias quamprimum conficiendas proficiſcendi facultate, ad patrios lares rediit, nec poſtea Joannis partibus, quas Turcarum adminiculis ſuſtentatas oderat, unquam amplius adhærere voluit. 1533.

& Simon Athinenſis, obtentu peculatus, furcæ affixus. Nadaſdius à factione Vaivodana deſciſcit.

Fratres Artandii extremo ſupplicio affecti.

Pari quòque odii, ac ſævitiæ tenore, de Paulo etiam & Blaſio fratribus Artandiis, qui ob meditatam, uti ferebant, ad partes Ferdinandi defectionem, à rege ſuſpicioſo in carceres conjecti fuerant, quamquam neque confeſſis, neque convictis, ſed quod, antequam caperentur, ne ille Gubernator crearetur, magnâ contentione obſtitiſſent, Joanne in venatione fortè abſente, atque earum rerum ignaro, extremum ſupplicium in foro ſumi juſſit. Quæ omnia Joannes, vel ex quadam animi ſimplicitate, vel metu Ibraimi, cui Grittus erat conjunctiſſimus, vel aliis, incertum quibus de cauſis pati & perferre erat ſolitus.

Grittus cum filio Perenio obſide Conſtantinopolim abit.

His rebus peractis Gritus quidem privatarum rerum cauſa, tum etiam ab Ibraimo accitus, Conſtantinopolim profectus eſt, filiúmque Perenii, quem à patre obſidis loco Solimano datum memoravimus, ſicut ab eo in mandatis habebat, ſecum unà abduxit: Joannes verò induciis nuper factis confiſus, pacandæ Tranſilvaniæ cauſa, quam denuo res novas moliri didicerat, relicto Budæ Gregorio Peſthenio, qui eam tueretur, Varadinum conceſſit.

Grittus Vaivodam ad pacem cum Ferdinando ineundam hortatur.

Ubi dum moraretur, ſignificatum eſt ei à Gritto, ſe incolumem in aulam Solimani perveniſſe, egiſſéque cum Ibraimo diligenter de ejus rebus, ac turbulento Pannoniorum inter duos reges ſtatu, proinde ſi pacem cum Ferdinando inire bonis conditionibus poſſet, Ibraimo placere, ut id quamprimum miſſis legatis experiatur: quòd ſi Ferdinandus pacem amplexurus videatur, & Corone Peloponneſi urbs, quæ anno ſuperiore ab Andrea Auria claſſis Cæſarianæ præfecto capta, ac valido Hiſpanicarum cohortium præſidio impoſito, rebúſque bello ſuſtinendo neceſſariis munita erat, à fratre Cæſare Turcis redderetur, fore ut decennales induciæ ei haud gravatim concederentur; quandoquidem Solimanus adversùs Perſas, eorúmque Regem Tahmaſſum, Hiſmaëlis Sophi filium, ac ſucceſſorem jam pridem acre bellum illaturus, & in partes Orientis omnes vires converſurus eſſet. Eandem quòque rem Clemens Pontifex apud Gritum, per Florentinos mercatores urgere non deſinebat: favebántque Gritus ac Ibraimus cauſæ, dummodo Corone recuperari poſſit: ex qua Macicaus & Hiſpani in ditionem Turcicam aſſiduè irrumpentes prædas agere, ac omnia igne & ferro vaſtare, Græcóſque vicinos ad defectionem ſolicitare non deſinebant.

Colocenſ. Archiepiſcopus ad Carolum V. legatus de pace miſſus.

Quæ quum Joannes intellexiſſet, miſſis ad Ferdinandum internunciis facilè impetravit, ut & induciæ ad inſequentem annum prorogarentur; & ſi quos vellet ad Cæſarem legatos in Hiſpaniam mittere, id ei tuto & citra quodvis impedimentum fieri liceret. Itaque non multis interjectis diebus, Franciſcum Colocienſem Archiepiſcopum, ordinis Divi Franciſci Monachum, ſed ex illuſtri comitum Frangepanorum familia oriundum, ad Cæſarem mittere decrevit; eique in mandatis dedit, ut ex itinere Ferdinandum conveniret, ac ſalutaret; ſéque brevì alios ad eum legatos miſſurum polliceretur. Colocienſis ex Liguria ſecundis ventis in Hiſpaniam delatus à Carolo ſupplex petiit, ut inter duos de regno Pannoniæ diſſidentes, ſe medium interponere vellet; pacéque & perpetuis

1533. tois fœderibus ictis, fratrem & eundem imperii conſortem ad eam amplectendam ſeriò hortaretur. Cæſar eum diutiùs minimè detinendum ratus, ſcriptis ad Joannem literis, quibus eam legationem, quæ utpote totius reipublicæ Chriſtianæ rationes complecteretur, ſibi curæ fore reſpondit, miſſurumque maturè ad fratrem legatos, qui ſuo quoque nomine illum ad tranſigendum hortentur.

Archiepiſcopus Lundenſis & Scepperus eadem de re à Carolo V. ad Regem Ferdinandum miſſi.

Igitur Joannem Archiepiſcopum Lundenſem, & Cornelium Scepperum, viros graves & prudentiâ ſingulari, ſine mora ad Ferdinandum delegavit: qui quum Viennam veniſſent, poſteà ad diem ab utroque rege conſtitutum Poſonium ſeſe contulêre. Advenit etiam eò Franciſcus Colocienſis, nuper à Cæſare ex Hiſpania reverſus, Stephano Broderico, & Laſco ac Verbecio collegis, à Joanne adjunctis comitatus, ii quum diu multumque de induciis, deque pace, & ejus conditionibus diſceptâſſent, convenire nequaquam potuêre: quod Ferdinandus per internuntium ſuum Hieronymum Jadrenſem Dalmatam, quem ſtatim ſolutâ Cuſegi obſidione, conſcio Cæſare, ad Solimanum miſerat, inducias Byzantii tractare inceperat, jamque non iniquis conditionibus ad effectum fermè perduxerat, idque Joannes ægre admodum ferebat, duobus in locis longiſſimo terrarum tractu diſſitis, eam tractari nullo modo aut componi poſſe dictitans, neque obtineri, niſi ſuo interventu ac opera: itaque ſuos etiam legatos Poſonio revocavit. Cæſariani tamen ab iiſdem obtinuêre, ut aliis abeuntibus Brodericus ibi relinqueretur, ut interim Ferdinandi mentem cognoſcere poſſent, ſi qua conveniendi ſpes ſupereſſet. Sed poſt paucos dies Joannes, illi quoque, ut cæteros ſequeretur, mandavit: ac in eum modum illi Budam, Cæſariani autem ad Ferdinandum, rebus infectis, Viennam rediêre: ſic tamen ut Cæſarianos peterent, ne redire properarent, ſed Viennæ aliquantiſper præſtolarentur: ſe enim ſperare Joannem acceptis, quas Byzantio indies expectaret, literis, propediem ad æquas tolerabileſque conditiones pacis deſcenſurum.

Cum Vaivoda Legatis Poſonii tractant, ſed irrita opera.

Mehemet Chauſius capita pacis cum Jadrenſi tractata Ferdinando Regi exhibet.

Intereà menſe Martio inſequentis anni venit Viennam Mehemetes quidam ex eorum ordine, quos Turcæ Chauſios vocant, nonnihil à Solimano ac Ibraimo literas, ac capita pacis, quam Jadrenſis cum Ibraimo & Grito tractaverat, deſcripta adferens: qui quum primus novæ ad Ferdinandum ac ante hac inſolitæ legationis munus attuliſſe viſus eſſet, ipſe adhibitis Cæſaris legatis, ac Modrucio Cardinale Tridentino, qui iiſdem diebus à Cæſare miſſus eò venerat, convocatiſque proceribus Hungaris, qui ſatis magno numero aderant, audiendæ legationi vacavit. Sedenti ſub umbella in throno aureis pannis ornato regi, adſtabant longo ordine à dextra parte Paulus Archiepiſcopus Strigonienſis, Ladiſlaus Macedonius Varadienſis Epiſcopus, Albertus Peregus Quinqueecclesienſis Præpoſitus, Aleſius Turzo, Franciſcus Battianius, Valentinus Turcus, Paulus Baquitius, Petrus Queglevitius, Balthaſar Banffius, Gaſpar Vingartus, Bonaventura Bathorius (cui abdicato eo nomine, poſteà à militibus Andreæ nomen inditum fuit) Nicolaus Caſtellanffius, Franciſcus Niatina, Antonius Loſſontius, Stephanus Mailatus, Franciſcus Revajus, & Marcus, Sebaſtianus, ac Stephanus Peniſſingerii, Suevi quidem origine, ſed in numerum

Legatio Mehemetis, actitis compluribus Proceribus Bohemis & Ungaris, audita,

Ungarorum jam olim adſciti, cæterique compluries domi militiæque clariſſimi viri. A ſiniſtra Bohemia datus erat locus, in queis Joannes Epiſcopus Uratiſlavienſis, Albertus Preſtenſcius, Joannes Flugus, Albertus Sliccus, Ladiſlaus Lippa, Jodocus Roſembergius, Joannes Cunſtatus, ac Mezericii fratres, eodem quo Ungari modo aſſiſtebant. Brevis admodum Mehemetis oratio fuit: Salutato enim nomine Solimani & Ibraimi, Ferdinando, ac redditis utriuſque literis, non pluſa locutum ferunt, quàm quòd ex iis, quæ in literis continerentur, mentem illorum de induciis eſſet cogniturus.

Paucis poſt diebus Ferdinandus, iiſdem Cæſaris legatis, ac Cardinale Tridentino, nec non proceribus, quos paulò ante nominavi, convocatis; pacis conditiones, quas Turca attulerat, per Joannem Hoffmannum, cujus conſilio plurimis in rebus utebatur, publicari juſſit; ita ut is Germanico ſermone eas recenſeret; Gaſpar Vingartus Ungaris, Georgius verò Sapca Bohemis interpretaretur. Fuêre autem ferè tales:

Pacis conditiones.

Principem Turcarum Solimanum recipere Clementem Pontificem in patrem, Carolum Cæſarem & Ferdinandum in fratres: Ludovico Gritto datum in mandatis, ut Joannem regem inducat ad cedendam Ferdinando partem eam Ungariæ, quam nunc habet, aut certè æquis legibus pacem ſtabiliat. Viciſſim à Ferdinando poſtulare, ut claves Strigonii ad eum mittantur, quas non aliam ob cauſam petat iterum remittendas quàm ad declarandam obedientiam: hanc pacem tamdiu, donec alteruter vivat, duraturam: aut quamdiu Ferdinandus voluerit. Cum Cæſare & Pontifice facturum etiam inducias ad ſeptennium, & diuturniores, ſi ei Coronem urbem reſtituerint: pro qua daturum ſe Cæſari vel Ferdinando in Ungaria duo longè quàm ſit Corone, uberiorem: prohibiturum quoque, ne Hairadenus pyratarum princeps, ac Mauri & Turcæ prædones litora Hiſpaniæ atque Italiæ infeſta excurſionibus atque rapinis reddant. De tributo annuo, ac Illyrico Turcis concedendo, ne verbum quidem; tametſi Laſcus, & Vaivodanorum pleriquc factiones alere ſoliti, non aliter coalituram pacem in vulgum impudenter ſparſiſſent.

Hæc etſi haud aſpernanda pleriſque viderentur; tamen Ungarorum animis haud levem ſuſpicionem ac metum incutiebat, inuſitata illa clavium Strigonii poſtulatio. Verùm Ferdinandus poſſe pro clavibus facilè, ſi ſit neceſſe, alias cuntici, & Ibraimum juraſſe maximo jurejurando, nullam ſubeſſe fraudem, Mehemetem internuntium XXIX. Martii dimiſit, datis muneribus, ac Comitibus itineris, qui claves, quas petebat, ei traderent: nec non literis, quibus Solimano, ut patri, ſe commendabat; ac quas dediſſet pacis conditiones, accepturum atque obſervaturum promittebat. Miſſurum etiam ſe idoneos homines ad Pontificem atque Cæſarem ſignificabat, eiſque pro virili auctorem futurum, ut reſtitutâ Corone, ejus voto ac deſiderio ſatisfiat. Eadem Ibraimo, & Grito reſcripſit: deque omnibus Hieronymum Jadrenſem certiorem reddidit: monendo eum hortandoque ut quem ceperat fœderis paciſque tractatum, indefeſſa laboris atque induſtriæ conſtantia, optato fine terminaret.

Strigonii claves oblata Solimano

Paulò poſt Nicolaum Comitem Salmenſem, Nicolai ejus, qui defenſa à Turcis Vienna, ante biennium è vivis exceſſerat, filium, Cubiculo

1534. Solimani continere, ac Turcarum ſimul & Venetorum ope, adverſus Ferdinandum & finitimos Germanos tueri armis, ac quod magis impium ac ſceleratum erat, ex eo regno Germaniam omnibus continui belli terroribus, & cladibus vaſtare, ac ſub jugum mittere poſſet.

Indè alpibus ſuperatis, quæ Valachiam inter & Tranſilvaniam jacent, apud Braſſonem urbem peramænam ad radices alpium ſitam, quæ à Saxonibus Coronæ dici ſolet, caſtra metatus, miſſis ad Emericum Cibacum literis, ſuum è Byzantio reditum, brevibus ſignificat, ac pro communicando cum eo de arduis negotiis ad ſe vocat. Is Tranſilvaniæ erat præfectus, & ſimul Epiſcopatum Varadienſem obtinebat, è Cibo Liguriæ celebri familia, ut aliàs diximus, originem ducens, & paulò ante expugnatâ è manibus & poteſtate nonnullorum rebellium arce Huniadiane, reſtaurandæ ac muniendæ illi operam adhibens ibi quieſcebat. Et quia Cibaco nequaquam erat incognitum, quanto in ſe odio flagraret Grittus, plures ob cauſas, tum quod in deferendo ei Gubernatoris officio adverſariarum partium fuiſſet, nec diplomati Joannis ſubſcribendo affuiſſet; tum verò etiam quòd ejus amicitiam veluti obtrectatoris honoris ac dignitatis ſuæ, ac more Turcarum parem pati recuſantis abhorrebat: propterea ad eum proficiſci minimè voluit, niſi priùs de ſecuro reditu datâ fide ſibi caveretur. Itaque miſſo ad Grittum Petro quodam Sacerdote, qui erat ei à ſacris, homine inefficaci infidoque, eum officioſè ſalutari juſſit, dicique ſe ejus reditui pro eo ac debeat gratulari; neque ſe poſſe provinciæ ſuæ nondum ex omni parte pacatæ finibus excedere: ſi tamen datis fidei literis ſecurus reddatur, daturum operam, ut explicatis, quæ in præſentiarum extarent, negotiis, ad eum ire queat. Igitur cùm Petrus ad Braſſonem eum conveniſſet, & quæ habebat in mandatis exponere cepiſſet; ab illo inſolenter atque iracundè interpellatus, proſciſſo conviciis indecenter Cibaci nomine, extemplo excedere caſtris, ac referre ei juſſit, ſe ia eum veluti deſpecto Solimani ac Joannis imperio, minùs ſibi obtemperantem, juſſaque ſua ſuperbè & contumaciter contemnentem, pro merito graviter animadverſurum.

Emericum Cibacum literis ad ſe vocat.

Petrus quum properè conſcenſo curru, quæ audiverat, relaturus in rurum abire vellet, Joannes Docius inſidioſè ac nefariè eum circumveniens interceſſit, ac Petrum ſcypho deaurato donatum, tenuiloque munuſculo corruptum, ad ſummam perfidiam vertit, eo nimirum malignè perſuaſo, ut Grittum de incolumitate ei præſtande ſibi juràſſe mentiretur. Erat Docius ventiloquus, mendax, & nequitiæ ſingularis, ac Cibaco cùm ob alias privatas ſimultates vehementer infenſus, tum verò etiam, quòd is olim in rixa ſeu contentione quadam, ei parùm honeſtè loquuto extenſa palma duplicem colaphum incuſſiſſet. Sic Cibacus nullum ſubeſſe dolum, nullam fraudem exiſtimans, ac proditori incautiùs, quam par erat & imprudentiùs fidem adhibens, cum ducentis equitibus ad Grittum ire decrevit, ac apud quoddam oppidum Saxonicum Felmerium, duobus à Braſſone urbe, ac Gritti caſtris, vel tribus ad ſummum milliaribus diſſitum conſedit: ita ut ad diem craſtinum, qui Divo Laurentio dicatus erat, ad petitum à Grito colloquium in tempore adeſſet. Erectis igitur extra oppidum, ad captendam in medio æſtûs fervoribus frigidiorem auram, tabernaculis, ejus diei reliquum tranſegit, ac in cœnatus quiet ſe compoſuit. 1534.

Cibacus à Docio circumvenitus.

Cum 200. equitibus ad Grittum ſe confert.

At Grittus adventu ejus cognito, & quod ipſe quidem vitandi æſtus cauſa ſub tentorio ageret, milites verò in oppido, ac paſſim qua cui liberet, ſtationes occupâſſent, Urbanum Battianium ac Joannem Docium adverſus diſperſos cum ducentis equitibus ſelectioribus, ſilentio proficiſci jubet, & quid fieri velit, eas edocet, atque tacitè id habeant, edicit. Illi ad devehendam ſecum Janicerorum cohortem, quo commodiùs pari cum equitibus paſſu iter facere poſſent, aliquot curribus imperatis, ac ale equitum Turcica aſſumpta, per obliquos notoſque tramites Felmerium perveniunt, ac de prima noctis vigilia Cibacum nullas ſuſpectantem inſidias, & in tabernaculo altum ſomnum capientem invadunt, pluribusque haſtis & ſclopetorum glandibus lethaliter confoſſum vulnerant; & cum eum licet adhuc ſemivivum, nec tamen ampliùs victurum cernerent, Stephanus Ghitius, Urbani equeſtris turmæ legatus, caput detruncat, & Thomæ Moræo militi ſuo dat, à quo illud vili involutum cilicio equeſtri ſellæ imponitur. Equites & famuli Cibaci ad clamores, & inconditas hoſtium vociferationes è ſumno experrecti, partim qui arma ad defenſionem ceperant, è veſtigio trucidantur, partim inexpectato, ſubitaneoque pavore exanimati in proximas ſilvas, aut quo licuit, nudi & inermes, palanteſque profugiunt: ſupellex ejus ac militum, ſimul & equi, ac cætera, quæ ibi erant omnia, à Grittianis in prædam vertuntur. Cæde peractâ ad Grittum reverſi caput crinibus ſuſpenſum ei oſtendunt: & is fortè tunc cum Laſco ſermones & conſilia, variis de rebus conferens, exitum rei anxiè præſtolabatur, cumque illud ad ſatietatem uſque intentis oculis avidè circumſpexiſſet, auferri poſtmodum præcepit; ſed ne inhumatum ſepulchri honore careret, Michaël Stranſius Coronenſis ſacerdos, quem Archipresbyterum vocant, re à Grito impetratâ, in majori urbis templo piè & honorificè ſepelivit, ſaxo ſuperimpoſito. Truncum verò à loco cædis paulò pòſt ſublatum Nicolaus Parocius, propinquitate & ſanguine illi junctus, ad oppidum Almaſum devehendum curavit, ibique ſingulari pompa & honore, nec ſine lachrymis tumulavit. Fuit per omnem vitam vir pius, & gravis, rexitque Epiſcopatum Varadienſem per multos annos, quamquam nullis initiatus ſacris, adeò accuratè & ſolerter impia quævis, & recens exorta dogmata procul arcendo, ut ne ab ullo quidem Epiſcopo diligentiùs ac vigilantiùs adminiſtrari regique potuiſſe ab omnibus creditum ſit.

Cujus juſſu nefariè in tentorio multis illatis vulneribus, trucidatur.

Ejus encomium.

Et ſanè eâ ac paulò ſuperiore tempeſtate, inter duorum regum contentiones, & diſſenſionum procellas, quibus omnia ſurſque deque habebantur, Epiſcopatus ferè omnes à militaribus prophaniſque hominibus, non ſine inexpiabili rerum divinarum injuria, ac peſſimo humanarum exemplo, hinc inde diſtracti erant. Agriam ſiquidem Perenius, poſt obitum Frangepani antiſtitis, vi occupatam obtinebat: Joannes Saracenus Quinqueecclesias, Nitriam Velentinus Turcus, Jaurinum & Sabariam, cæteramque Jaurienſem ditionem Paulus Baquitius, Albam Juliam Franciſcus Bodo, Chanadium Gaſpar Beruſithius æquè omnes prophani, quamquam armis & bello egregii, ſibi uſurpaverant. Quæ tamen flagitia dictu, factuque enor-

Epiſcopatus à profanis & militaribus hominibus occupatur.

1534. enormia, Ferdinandus rerum regnique potitus, quâ erat pietate fideque poſteà correxit, agendo providendoque, ut ea omnia loca ſacrans viris, & ejuſcemodi adminiſtrationi officioque idoneis redderentur.

Cibaci cædem primus omnium Stephanus Valenticius Thrax, equitum ductor, Joanni regi ſignificavit, qui exinde ſingularem animi dolorem concepit, ſtetitque aliquamdiu tacitus, quinam motus eam ob cauſam ſequerentur. Sed reliqui Tranſilvaniæ proceres, ac gentes univerſæ illum tam crudeli indignâque nece ſublatum ægerrimè moleſtiſſiméque ferre, indignari, fremere, ac æquiſſimo jure ad arma concurrere. Itaque ad urbem Cibinium frequentes conveniunt, ac unanimi voto cunctiſque omnium ordinum ſuffragiis ulciſcendam innocentiſſimi viri mortem decernunt; ſolennique & veteri gentis ritu cruentum gladium, per urbes, oppida, pagos, & quæque compita circumferri jubent, eo monimento, ut qui in bellum confeſtim nomina dare recuſarent, nec ſumptis armis confluerent, gladio ferirentur. Nec mora triumviri ſomendæ vindictæ deliguntur, Gothardus Cunus, Stephanus Mailatus, & Franciſcus Quendius. Quibus ſeſe quam cupidiſſimè ſocios adjunxêre Thomas Bernardius inter Siculos opibus & clientelis potens, ac Nicolaus Patocius Cibaci ipſius neceſſarius; Saxones item & Siculi omnes, nec non è provincia Biharienſi, multi ex proceribus Ungaricis, quos vivens Cibacus multis ſibi beneficiis obſtrictos reddiderat. Præter hos omnes Emericus Balaſſius, Lupus Betlenius, ac Michaël Banffius cognomine Loſoncius, haud contemnendas copias, ſummâ adhibitâ celeritate contractas, Cibinium in caſtra adduxêre. Mittuntur etiam continuatis dies ac noctes itineribus legati Nicolaus Cornisius, & Martinus Andraſius Siculi primores, ad Petrum Moldaviæ, & Radulonem Valachiæ principes, pro petendis auxiliis, quæ quidem illi promptis & alacribus animis abſque cunctatione promiſere; quod ob nimiam crudelitatem cum intoleranda ſuperbia conjunctam Gritto infenſiſſimi eſſent. Quocirca pauciſſimis diebus convenêre ingentes copiæ equeſtres & pedeſtres, armis & equis, quantum in tam brevi temporis ſpatio licuit, ſatis inſtructæ, adeò ut demptis Valachis, qui ad decem millium numerum eſſe ferebantur, quadraginta millia hominum bello aptorum, è Tranſilvania tantùm, intra octavum diem in caſtra confluxiſſe dicerentur.

Tranſilvani Cibaci necem vindicandam decernunt, Gentis ritu, cruenta gladio per urbes miſſo.

Triumviri Duces electi.

Copiæ cõtractæ ad 40000. excepto Valachico exercitu.

Tum verò Grittus, quum adverſus ſe non Tranſilvanos modò & Siculos, ac Saxonicas urbes, ſed etiam ultramontanos utriuſque Valachiæ principes, efferatis mentibus conjuraſſe videret, ſera ductus pœnitentia, incertuſque conſilii, nec quorſum fugam capeſſeret, ſatis gnarus, tandem viſo Cibinio, ubi exercitus à triumviris tumultuariè collectus in procinctu eſſe ferebatur, ad Megieſum urbem citatis paſſibus proficiſci conſtituit. Quo quum eſſet perventum, oppidani viſo Gritti adventantis exercitu, Turciciſque agminibus, & longiſſima Camelorum ac impedimentorum ſerie, ideoque vehementer exterriti, quod ſcirent in provinciæ totius conſilio cautum eſſe, ne uſpiam reciperetur, portas extemplo claudendas curavêre. Sed Grittus anxius & ſolicitus, ac ſibi & exercitui tam à tergo, quàm lateribus, ac undique timens, miſſo ad eos Urbano Battiſnio, ut in urbem reciperentur, inſtare; amicitiam omnem gratiſque animi obſequia offerre, nunquam ſe tanti beneficii futurum immemorem, polliceri. Sed quum nullis precibus, nullis promiſſis flecterentur; poſtremò ut prætor, & aliquot ex notis ſenatoribus, ad breve colloquium egrediantur, magnâ verborum contentione poſtulare. Victi tandem multis Battanii ſermonibus exeunt. Sed quum neque ſic adduci ad intromittendos eos, veluti proſcriptos, poſſent; alteráque ex portæ valvis adaperta regredi in urbem vellent, Grittus & Urbanus, cæteríque ſocii pariter & Turcæ, magno impetu magnâque vi irruentes, prætori ſimul & civibus immixti in urbem pervadunt, ac patefactis repagulis, rejectiſque qui reſiſtere volebant, omnem exercitum intromittunt.

Grittus Megieſum urbem dolo ac vi irrumpit.

Erat in colli ad Aquilonarem urbis partem templum, cum ædificiis, & propugnaculis antiquitus editiore in loco extructum, quo tum Grittus cum Janiceris ſeſe recepit, reliquâ exercitûs & impedimentorum parte inferiùs ad urbis defenſionem relictâ: eo conſilio, ut refecto muro, adjectiſque è militari diſciplina munitionibus, proviſoque neceſſario commeatu tantiſper ſeſe tueretur, donec ab Joanne & Turcis, Mehemete utpote Belgradi, ac Balibego Samandriæ præfectis, auxilia convenirent, ac inconditâ eâ hoſtium multitudine pulsâ atque fugatâ, ipſe periculo eriperetur. Verùm triumviri, cum Valachorum auxiliis & omni mole copiarum opinione celeriùs adventantes, munitiones, quas comportata materia egregiè contendebat, perficere nequaquam permiſere. Et milites citatis paſſibus, ac ſublato terribili clamore, ædificia & munitiones adoriri, ac temere oppugnare cœperunt. Et quamquam Mailatus ac Gothardus componere ordines, ac omnia ex arte & diſciplina aggredi eos debere dictitantes manu & voce, ne temerè procurrerent, hortari non deſinebant: tamen poſtquam dictis minùs obtemperarent, Grittus opera ſagittariorum, Turcarum, ac Janicerorum qui ſclopetis rem peritiſſimè gerebant, eos facilè repulit; quum vulnerati ac interfecti magnum detrimentum accepiſſent.

Tranſilvani tum arctâ obſidione premunt.

Igitur triumviri habito mutuo conſilio, commutatâ belli ratione, obſidionem inſtituunt; quum Grittum commeatu, ut in tanto rerum tumultu minùs proviſo, brevi inedia laboraturum, & vel invitum ac reluctantem ad deditionis conditiones deſcenſurum nequaquam ignorarent. Publicari etiam in caſtris & in urbe jubent, futuram omnibus, qui intra quatriduum ab ejus ſtipendiis & militia, miniſterioque deficerent, præteritorum impunitatem; poſteà ſe reliquos, qui in ejus fide permanſiſſent, hoſtium & perduellium loco habituros. Itaque Urb. Battiſnius & Peruſithius deſerto eo, ad noſtrorum & triumvirum caſtra profugiunt, cum compluribus ex numero Ungarorum, ac ſtatim in gratiam recipiuntur. Oppidani ſimiliter Turcas, qui in urbe relicti erant promiſcuè cædere aggreſſi ſunt: interfectiſque, qui in arcem evadere nequiverant ad unum omnibus tormenta aliquot currulia promovere, quibus quaſſari arx & dirui cœpta eſt: ſic ut Grittus duplici hoſte circumventus, & deficientibus alimentis, famem veritus ad extrema redigeretur: quamobrem per idoneos fidoſque homines profusè largiendo, ac multo auri pondere diſtributo, obſidentium animos ſibi conciliare aggreſſus eſt, ut eum filiis abire in tutum permitteretur. Sed quum apud efferatos homines vindictæ libido præva-

1534. prævaleret, omnia fruſtra fuère. Supra hæc incommoda laté arx corona caſtrorum præcingebatur, & oppidani quoque omnem exitum præcluſerant, ut nuſquam effugium patére videretur: Mailatus ſiquidem & Gothardus, ac Quendius cum majori copiarum parte à meridie, Valachi & Potocius à parte urbis Orientali: à ſeptemtrione verò Thomas Bernardius cum Siculis, in orbis ſpeciem vigilando & agendo acriter excubabant, ut nemo arce egredi permitteretur: introrſus idem fiebat, quum civibus aliquot præfecti cohortium Ungari eſſent attributi.

Per hunc modum quamvis ad extremas anguſtias redactus eſſet; omnia tamen obſidionis incommoda forti & patienti animo tolerabat; ſed poſtremò importuna febri oppreſſus, ac viribus corporis deſtitutus, antequam morbus magis ac magis invaleſceret, de evadendo cogitare cepit; ſuæque ac liberorum, quos ſecum habebat, ſaluti clancularia, ſi poſſet, fuga conſulere. Sed intereà dum id animo verſat, ac commodam elabendi occaſionem quærit, crepitantibus & mænia quatientibus tam foris, quam intra urbem tormentorum globis, murus arcis verſus ſolem orientem, repentè magno facto hiatu concidit. Quo animadverſo, milites vix expectato ducum imperio, factis agminibus, ac magno illato impetu, per apertum muri latus, & ruina certatim conſcendere cepêrunt. Quamquam autem Turcæ & Janiceri, ſupremo conatu edito, ſeſe acerrimè tuerentur, multoſque ex Tranſilvanis ſubeuntes, telis miſſilibus, ac ſclopetis vulnerare, ac interficere non ceſſarent; cùm tamen feſſis validi, ac ſauciis integri identidem ſuccederent, ac Turcis pugnando, laborandoque feſſis & defatigatis vires deficerent: poſtremo Tranſilvani ſuperiores victa eorum pertinacia, eos pedem referre coëgerunt. Itaque multò maxima eorum pars crudeliſſimè cæſa eſt: cæteri ad præaltam templi turrim ſeſe recepêre, ut illinc de deditione cum noſtris tranſigerent. Sed quum admotis majoribus tormentis ea quoque turris, magno cum campani æris fragore, & tinnitu, undique peteretur, abjectis armis ad arbitrium victoris ſeſe dedidere; adeò tamen omnes ſæva ulciſcendi libido inflammaverat, ut nemini prorſus parceretur.

Arce capta, Turciſque interfectis,

Sub hoc horrendo cruenti prælii tumultu Gritus cum filiis & quibuſdam familiarium evadere conatus, jam extra mænia evaſerat, victoribus ad rapiendam ſupellectilem, quæ omnium opinione pretioſiſſima erat, toto animi viriumque impetu intentis. Verùm quum ad Valachos, qui de more militiæ extimam oppugnationis, equis inſidentes, foris præſtolabantur, incidiſſent, ab iis extemplo capti, atque arcta in cuſtodia habiti fuère. Cæterùm cùm in caſtris de Grito capto vulgata fama eſſet, accurrere omnes ad triumvirum prætorium, duces juxta, ac militum multitudo, truci vociferatione, ac inconditis ſubinde vocibus acclamantes mactandam ditam illam hoſtiam Cibaci manibus eſſe. Joannes etiam Docius paulò pòſt è latebris, in quas ſe abdiderat, extractus, vivus in poteſtatem devenit. De quibus ſupplicium publicè ſumptum eſt, die, qui divi Michaëlis feſtum præcedit, Gothardo ac Mailato, cæteriſque jubentibus: ita ut à Cinganis, qui illis in regionibus tortorum, carnificumque munia exercere ſolent, Grito utrâque manu crudelem in modum præciſâ, poſtmodum caput detruncarent; ac Docius multis prius probris ac

Gritus elabi conatus, à Valachis intercipitur.

Et de illo ac Docio publicè ſuppliciũ ſumptum

contumeliis proſciſſus, eundem vitæ finem ſubiret. Ferunt cæſo Grito, in ejus caligis loculum à tortoribus inventum, in quo diverſæ immenſi pretii gemmæ, ad quadringenta aureorum millia, ab iis, qui viderant, æſtimatæ continebantur; quæ ab imperitis ac infamibus illis hominibus nullo in pretio habitæ periêre. Filios ejus Antonium & Andream, decorâ facie, ac egregia indole adoleſcentes ejuſmodi vitæ exitu indignos, paulò poſt in Moldaviam perductos, Petrus provinciæ princeps, privatis ſimultatibus cum patre eorum contractis, permotus, è medio tollendos curavit; quum nunquam poſteà à quoquam viſi fuerint. 1534.

Filii ejus à Moldavo poſteà è medio ſublati.

Fertur Solimanus nondum expugnato Megieſio Joanni mandâſſe, gravi cum comminatione, ut ſolvendam obſidionem, Gritumque periculo eximendum curaret. Sed illum reſpondiſſe, ſe in efferatos ob injuſtam Cibaci necem, & rabie quadam percitos populos nullum exercere poſſe imperium; intellexerat enim Joannes ex amicorum, quos Conſtantinopoli habebat, indicio, ſibi, niſi caveret, occultas à Grito imminere inſidias, ideóque æmuli & inſidiatoris ſui diſcrimine, atque incommodo parum aut nihil commoveri videbatur; hic finis funeſtus fuit ambitionis, ſuperbiæ, crudelitatis, & occultorum Griti conſiliorum, quæ tandem certiſſimam ei perniciem, quam aliis ille parare voluiſſet, peperêre: ita ut ab eo ſalubre & frugiferum capere poſſis documentum, ſupereſſe ſcelerum oſorem ſimul & acerrimum ultorem DEUM.

Sublato in hunc modum Grito, quum Joannes certis indiciis comperiſſet, Laſcum Cibacianæ cædis conſcium, ſuaſoremque fuiſſe, ægrè ferentem, quod præfectura Tranſilvaniæ, quam ipſe anteà geſſiſſet, occaſione Conſtantinopolitanæ legationis ab ipſo adminiſtratæ, Cibaco obtigiſſet, eum aliis de cauſis Budam evocatum in cuſtodiam conjici juſſit, brevi de convicto confeſſoque pœnas ſumpturus. Ad eum magno in diſcrimine vitæ, famæque, & exiſtimationis verſantem, Joannes Tarnovius Polonorum clariſſimus, qui Joannem exulem hoſpitio ſuſceperat, ac Mathæus Tarlo, cui multis æquè ab eo acceptis beneficiis multum debebat, tanto in periculo liberandum deprecaturi Budam venerunt. Quibus ille beneficiorum & meritorum non immemor, honoris cauſa obviàm proceſſit, eorumque precibus Laſcum, in quem ſanè graviter erat animadverſurus, liberaliter donavit, priſtinæque libertati dignitatique reſtitutum, è cuſtodia dimiſit: iſque cum viris longè clariſſimis in Poloniam diſceſſit. Tarnovium verò & Tarlonem, quum per complures dies magnis in lautitiis, ac exquiſitis honoribus habuiſſet, hunc quidem inſigni equo Thracio cum ornamentis omnibus ex auro fabrefactis: illum verò, uti veterem, beneficumque hoſpitem, rotundâ parmâ, gemmis, auro, unionibuſque egregiè ornatâ, & clavâ Damaſcenâ admirandæ pulchritudinis ac immenſi pretii, Gritianis nimirum exuviis, quas Byzantio diſcedens à Solimano acceperat, donatos, ad fines uſque Poloniæ ſuis ſumptibus, omni exhibitâ cum honoris tum liberalitatis teſtificatione, deducendos curavit. Ne autem provincia abſque magiſtratu eſſet, ejus adminiſtrationem & præfecturam Stephano Mailato, & Emerico Balaſſio, æquatâ poteſtate demandavit. Varadienſe verò Sacerdotium amplum, & opulentum Georgio Monacho, Heremitarum ordi-

Laſcus velut Cibaciana cædis conſcius, à Vaivoda in carcerem conjectus,

Tarnovii & Tarlonis interceſſione, præſenti vitæ diſcrimini eripitur, & in Poloniam diſcedit.

Tranſilvania præfectura Mailato & Balaſſio demandata &

1534. nis religioſo contulit; addito ſimul etiam officio, ac curâ ærarii. Námque in ejus viri opera, induſtriáque & fide plurimum ſpei atque fiduciæ jam pridem collocaverat.

Varadienſis epiſcopatus Georgio Monacho. Origo & vita ejus.

Non puto alienum fore ab inſtituto operis mei, breviter recenſere, cujus originis fuerit, quibúſque modis ad tantum dignitatis faſtigium conſcenderit, ut ludentis in rebus hominis fortunæ viciſſitudinem contemplari poſſimus. Is igitur in Mediterranea Dalmatiæ parte, Camiſſacii honeſtis, ac nobilibus parentibus ortus, cùm adhuc admodum puer eſſet, à patre, Gregorio Utiſſenitio, Joanni Corvino Matthiæ Regis filio commendatus, atque ab illo in Tranſilvaniam ad arcem ſuam Huniadianam miſſus fuit: ibique per plures annos in multis magniſque rerum anguſtiis, ut ipſe ingenuè fatebatur, ætatem agitavit: deinde quum vigeſimum annum attigiſſet, patrem à Turcis interfectum amiſit: relictóque Corvino, ad Stephani Zapoliani Palatini Viduam Hedvigam, Joannis ipſius, qui deinde regnavit, matrem, illuſtriſſimam & honeſtiſſimam matronam ſe contulit. Ibi Jacobum fratrem, qui Nandoralbæ ordines ducebat, in tuenda ab oppugnantibus Turcis Miliaria turre (quam rem ſupra retulimus) glande ſelopeti trajectum occiſúmque cognovit. Deinde tædio aulicæ vitæ affectus, in collegium monachorum Pauliani inſtituti, Ladium, quod inter Agriam, & Dieſgiorium habent, delatus, quum quatuor annos literas, quarum antea rudis erat, didiciſſet, ſacris initiatus eſt, ac varia officia & munia collegiorum ſingulari ſolertia, & diligentia obivit. Cùm verò Joannes Rex à Ferdinando & ejus copiis pulſus, in Poloniam profugiſſet, Georgius, qui tunc in Ceſtacoviano monaſterio degebat, in ejus amicitiam & familiaritatem devenit; atque ab eo in Ungariam ad res explorandas, & Jacobum Tornallium, Stephanum Bathorium Somlianum, Artandióſque fratres, ac cæteros ſecretiores amicos conveniendos, ac in fide & officio retinendos, repetitis vicibus miſſus eſt, pedibúſque iter confecit; & ſingularem fidem, induſtriam atque ſilentium in iis, quæ ſuarum erant partium, peragendis, declaravit; & exilium inopiámque ejus piè ſuſtentando, eoſdem & plures alios, ut Joanni ab exilio revertenti obviam cum copiis auxiliiſque venirent, auctorem ſe atque inſtigatorem præbuit; ſicut Joannes, ſi unquam regnum recuperare liceret, ejus tanti in ſe collati beneficii uberrima præmia redditurum ſæpe polliceretur. Itaque promiſſorum tenax & memor, ſublato è medio Cibaco, Varadinum atque ærarii præfecturam illi attribuit, ac moriens eum Iſabellæ conjugi, & unico, quem habebat, filio tutorem reliquit. Sed quum poſtea magnis rebus geſtis floreret, latéque nominis famam & gloriam propagaſſet, invidiâ ac obtrectatione, communi dignitatis malo nequaquam vitato, funeſtum vitæ exitum nactus eſt; quemadmodum ſuo loco referemus.

1535. Initio anni inſequentis, in ſuperiore Ungaria, ac in partibus Ferdinandi ingens, ſi unquam antea, detrimentum acceptum eſt, negligentiâ Gaſparis Seredii earum regionum, & urbis Caſſoviæ præfecti. Dum enim induciæ ab utraque parte lentiùs ac tardiùs procedunt, nec quicquam concluditur, facilè iis, qui partium ſtudia per fas nefáſque fovere conſueverant, occaſio turbandis ac innovandis rebus oblata fuit. Erat Leonardus Cecejus Joannis factioni ſtudiíſque addictus, vir acerrimus & militaris, nec procul Caſſovia limites ejus præſidio tuebatur. 1535. Is quoſdam milites Urbanos, quorum Gregorius Lonajus Princeps erat, cui Seredius cuſtodiam portarum urbis concrediderat, plurimâ legatione ac ingentibus magnorum munerum ac Pagorum promiſſis ad partes traduxerat, ut in prodenda urbe, ac intromittendis ſuis militibus operam impenderent. Cùm igitur Seredius Nagidam, duobus inde milliaribus diſtantem, inviſendæ conjugis cauſa seceſſiſſet, & Euſtathius quoque Feledius ejus legatus, vigentibus, ut quidem exiſtimabant, induciis, nullas ſuſpectando inſidias abeſſet; illi exoptatam opportunitatem nacti, idoneos homines ejus rei conſcios ad Leonardum mittunt, nunciántque, ut inſequenti nocte, quo majori ſilentio poſſit, ad urbem cum militibus maturè accedat. Ille obſcurâ nocte ſuſcepto itinere, ante diei crepuſculum, ſicuti erat conſtitutum, prope urbis portam, qua ad Eperieſſum itur, tacitis paſſibus, miróque ſilentio provehitur, cum quinque trecenariis ſelectiſſimorum militum cohortibus. Lonajus & proditores reliqui, portas urbis ſinè morâ Leonardo patefaciunt: adjuvat facinoroſa conſilia craſſior nebula, quæ diem obduxerat, ut intuentibus rerum aſpectum nonniſi proximè redderet; & is antequam à Civibus vel præſidiariis ſentiretur, in forum intento curſu procurrit; relicto ad portam Ladiſlao Quequedio, ne quemquam exire permitteret; & quos in ſubſidiis reliquerat, milites intromitteret. Ibi Joannis Regis nomen magnis vociferationibus ingeminando proclamant, ac obvios, qui è ſomno excitati, fortè ad clamorem prodierant, ſinè ullo diſcrimine trucidant, captáque Seredii domo, in quam magnum auri & argenti pondus, pretioſioréſque res collocaverat, ac prætorio occupato, totâ urbe puncto temporis potiuntur. Deinde ad eam diripiendam converſi, excruciatis miſeris hominibus, ut res abditas proderent, nec ſacris nec prophanis rebus parcunt, multo ubique innoxio ſanguine profuſo, uſque adeo ut nihil dici, fieríque poſſit, nulla immanitatis & avaritiæ exempla excogitari, quæ in miſeros cives, & præſidiarios infelicis urbis deſignata, editáque non fuerint: quæ etiam abſque multis lachrimis neque referri neque audiri poſſunt.

Caſſovia à Vaivodanis ex inſidiis intercepta & fœdè direpta eſt.

Urbe in poteſtatem redacta Leonardus Joannem de re proſpere geſta certiorem reddit, orátque ut equitum & peditum majora præſidia cuſtodiendæ urbi celeriter mittat, quæ brevi tempore accipit: ac ſimul ejuſdem præfectura ei, qui utpote tantam rem abſque ſuorum ſanguine patraſſet, demandatur: quam uſque ad ſuum è vivis exceſſum diligentiſſimè & accuratiſſimè adminiſtraſſe dicitur. Ferunt Joannem legatos ad Seredium miſiſſe, & ſi à Ferdinando deficeret, omnem ejus ſubſtantiam, quam Caſſoviæ amiſiſſet, redditurum promiſiſſe. Sed quum Seredius ſe deliberaturum reſpondiſſet, poſtero die legatis in ſecretiorem arcis Nagidæ partem deductis oſtendiſſe ciſtas & loculos grandiores, quos hordeo, farre furfuribúſque referſerat, ſupernè verò aurum & argentum, ac minoris monetæ aliquantulum, modicè ſuperjecerat, oſtenſíſque iis, hoc modo ludificatum legatos, ut diceret, magnopere decipi Joannem, qui exiſtimet magnam ſibi Caſſoviæ gazam reconditam periiſſe quum ipſimet videant, longè majorem partem adhuc ſupereſſe: itaque

Seredii commentum.

teſe-

1535. referant Joanni ſe non tantam rerum & pecuniæ jacturam paſſum eſſe, ut deſertor bonoris ac fidei, & transfuga eſſe vellet.

Saxones & Siculi ad Ferdinandum deficere ſtatuunt.

Induciis in hunc modum violatis, quum Ferdinandus opportunæ urbis amiſſione, ad nova conſilia capienda inclinaret, opportunè à Saxonibus & Siculis Tranſilvanis allatum eſt, ſe in ejus fidem & clientelam, deſerto Joanne conceſſuros, ſi aliquem magni nominis & auctoritatis virum in provinciam cum exercitu mitteret, à quo defenderentur. Itaque ipſe parem Caſſovienſi injuriam cladémque hoſti illaturus, Franciſcum Niarium delegit, ſed quum is valetudine ſe excuſâſſet, Balthaſari Banffio Thalloczano provinciam demandat, datiſque ei mille equitibus, totidémque peditibus, perſolutóque ſtipendio versùs Tranſilvaniam iter capeſſere jubet. Qui cum Tibiſcum trajeciſſet, Sacmarium & Nemethium oppida nocte intempeſtâ invadit, captáque & direpta ſuccendit, plurimi ex incolis fugientes, partim in Samoſio flumine, quod utrumque oppidum interfluit, partim incendio miſerabiliter periêre.

Sed Sacmarii direptione à Banffio facta, res interrupta fuit.

Quòd ſi Banffius abſque maleficio pergere, & ſuſceptum in Tranſilvaniam iter ſilentio, uti debebat, habebátque in mandatis, conficere maturâſſet, haud magno labore provincia occupari potuiſſet; conniventibus præcipuè, ut fama fuit, Stephano Mailato & Emerico Balaſſio; ſed cùm hoſtilis ejus in alienam ditionem irruptio, ac oppidorum conflagratio Joanni ſignificatæ eſſent, exercitu non contemnendo maturè collecto, & Gothardo Cuno tradito, obviam Banffii latrociniis eundum exiſtimavit. Banffius re intellectâ, templum, quod Sacmarii erat, vallo foſsáque munit, ac Matthiæ Croato, legato ſuo defendendum committit, ipſe adducendorum, ut dicebat, auxiliorum cauſa, ad Ferdinandum revertitur.

Cunus Vaivodæ dux Sacmarium obſidet & capit.

Gothardus Sacmarium cum exercitu perveniens, munitionem recens extructam obſidione cingere decrevit; ne ex ea milites latrociniis aſſueti Varadinum uſque, (ubi eo tempore Joannes degebat) excurrere, & prædis agere poſſent; cúmque omnibus viribus ei expugnandæ incumbendum putaret, apponere vallo ſcalas, & irrumpere milites jubet. Ex adverſo Matthias, & qui intus cum eo erant, ſeſe ac vallum ſummâ vi tueri, conſcendere conantes ſclopetis, lapidibus, ſagittis, ac aliis miſſilibus relis ſauciare atque deturbare: poſtremò cùm acerrimè inſtaret Gothardus, ac ſuos ad rem fortiter gerendam voce & exemplo cohortaretur, craſſiori ſclopeti glande in genu vulneratur, oſſe toto minutatim confracto; quamvis autem lethali vulnere ictus conciſdiſſet, à ſuis tamen ſublevatus eſt, nihiloque minus milites ejus repulſos è valli ſummitate Banffianos terga dare coëgerunt, & vallum manu captum eſt, trucidatis aut captis omnibus defenſoribus. Inter quos Matthias Croatus, ac Franciſcus Parlaghius nobili genere ortus, pluréſque alii capti fuêre.

Cunus lethali vulnere ictus obit.

Joannis ſævitia in captivos.

Victoriæ palmæque decus lethale ducis vulnus non parum deflorâſſe viſum: ex quo ipſe Varadinum delatus, poſt paucos dies maximo omnium & ipſius Joannis dolore vivere deſiit. Cùm Joannes à venatione rediiſſet, & Gothardum è vivis exceſſiſſe, & cervam cicurem, quam in deliciis babebat, & quæ, velut illa Sertoriana, equitantem & venantem aſſiduè comitabatur, præacutâ ſude in ventrem fortè defixâ periiſſe ſimul intellexit. Unde duplici affectus mærore, captivos omnes, quamquam antea nunquam ferox aut crudelis apparuiſſet, multis in agro erectis furcis, laqueo puniri juſſit. Matthias autem, quòd olim ſuas partes ſequutus ad hoſtes tranſfugiſſet, proditorum inſtar, craſſiore vero ligneo per ilia adacto interiit. Arduis tamen precibus, & multis lachrimis Ladiſlai & Bartholomæi Parlaghiorum impetratum ægerrimè eſt, ne frater eorum Franciſcus in furcâ penderet, ſed duntaxat capite plecteretur.

1535.

Felſius in ſuperiorem Ungariam cum exercitu miſſus.

At Ferdinandus his tantis incommodis, ac geminata contumelia laceſſitus & recuperandæ Caſſoviæ cura ſollicitus, Leonardum Felſium ducem in eam partem mittere decrevit; attributo ei Germanici exercitus robore, ac tormentis, & reliquo apparatu belli. Adfuêre ex Pannoniis Ludovicus Pecrius, Franciſcus Niarius, Balthaſar Banffius, cum equitatu Ungarico, equis armiſque probe inſtructo. Petrus quòque Baquitius, Pauli frater, ac Nicolaus Oſtroſitius, clari nominis equitum ductor, ſuos & Alexii Turzonis equites & milites tempeſtivè adduxêre. Itaque brevi in Scepuſienſem provinciam perventum, ibique aliquot dierum quiete militibus conceſſa, quo facilius impedimenta per alpes Braviſcas transveherentur, poſtea ad Sirocam ductus exercitus, inde tertiis caſtris Saroſia arx, quæ Perenianæ ditionis erat, adita.

Saroſia Perenii arx vi expugnata à Felſio,

Eam in excelſo monte ſitam admotis tormentis expugnare conſtituit, quòd à tergo nihil hoſtile relinquere vellet. Promotis igitur, magnâ jumentorum & militum vi laboréque ſupra montem tormentis, & aggeribus conſtitutis, arcem ferreis pilis verberari juſſit. Cùm difficilis videretur oppugnatio, quòd Pereniani quamquam pauci numero, pertinaciùs, quàm opinio erat, ſeſe defenderent: ad extremum quà humus mollior, nec ſaxoſa erat, mœnia cuniculis ſuffodi cepta ſunt, quod eùm obſeſſi nequaquam animadverterent, nec ſi animadvertiſſent, rerum ejuſmodi rudes occurrere contrariis effoſſis ſcrobibus ſcirent, injecti ſuccenſique pulveris tormentarii violentia murus corruit. Nec mora, milites accepto ſigno arcem, quà murus erat patefactus, invadunt & capiunt, & defenſores à Germanis crudeliter interficiuntur; pauci, qui in Ungarorum manus inciderant, conſervati, ac eâ lege, ne adversùs Ferdinandum arma ferrent, dimiſſi.

Copiæ à Vaivoda contractæ.

Dum Felſius expugnandæ Saroſiæ operam dat, Joannes non mediocri metu perculſus, ac de retinenda Caſſovia ſollicitus, ex Tranſilvanis & Ungaris, ac è Moldavia quòque equitum & peditum copias conſcribit, tanto numero & apparatu, ut quas Felſio & Germanis, non ſinè ſpe obtinendæ victoriæ opponi poſſe non dubitaret: eiſque præfecit, non ſatis probando conſilio, tres Duces Georgium Monachum Varadienſem antiſtitem, ac ipſum Perenium, & Franciſcum Bebecum, qui cùm tardius cum copiis progrederentur, Felſius impoſito captæ Saroſiæ præſidio, ad urbem Eperies cum exercitu procedit, ac caſtra ad urbis mœnia collocat, eáque foſſa ac vallo muniri jubet: præterea ingentem commeatûs copiam, è Scepuſio & aliis locis in caſtra convehendam curat, cujus haud contemnendus numerus etiam in urbe erat. Proviſis hoc modo rebus neceſſariis, ac ſtipendio militi perſoluto adventum hoſtium expectare, & cum eis acie confligere conſtituit.

Sed quum Joannis duces cum ingenti numero copiarum, in mutuum conſpectum veniſſent, Felſius viſâ earum multitudine, quod ſe impa-

1535. *Veliatoribus præliis cum Felſianis quotidie depugnat.*

imparem eis eſſe animadverteret, caſtris ſeſe continendo, conatus hoſtium eludebat: & illos magiſtri tormentorum egregiè rem gerentes, cumque opus eſſet, majores minoreſque colubrinas peritiſſimè vibrantes, tam caſtris quàm urbe procul ſubmovebant; minoribus tamen præliis quotidie ferè certabatur: & aliquando noſtri in hoſtes, ſæpe etiam illi uſque ad caſtra in noſtros procurrere, ac pugnare non dubitabant: in queis modò uni, ùt fit, modò alteri parti adverſa aut propitia incumbente fortuna, plerique capiebantur aut occumbebant. Conſumptis in hunc modum aliquot diebus, Joannis copiæ rebus deſperatis, & quòd tres duces diverſas ſæpe ſententias tueri, nec concordibus animis ſtudiiſque bellum adminiſtrare videbantur, ſe retro unde venerant, recipere ceperunt. Qua animadverſa re Felſius minimè ampliùs contineri potuit, quin abeuntium & tumultuantium hoſtium veſtigiis à tergo inſiſteret. Quos cùm haud procul Tocajo aſſequutus eſſet, duceſque cum parte copiarum Tibiſcum trajeciſſent, pars ad citeriorem ripam in caſtris eſſet, Felſius eos, qui nondum tranſierant, adortus, facili negotio perturbatos fudit & fugavit: ita ut pauci qui repugnare auſi eſſent, à noſtris è veſtigio capti aut interfecti fuerint: multo autem maxima pars in Tibiſcum præcipites acti, ac profundi fluminis aquis abſorpti tædè perierint; pauciſſimi verò in ulteriorem ripam enataverint. Aliquot clarioris notæ equites metu perculſi cum equis flumine hauſti miſerabiliter interière; inter quos Curniſius è Ruſca oriundus, Nicolaus Bathorius ex iis, qui Gagiani vocantur, Perenii alæ equitum ductor, Joannes Quequedius, & complures alii.

receptui canunt.

fuſi fugatique in flumine Tibiſco pereunt.

Quo in prælio præclara virtus Petri Baqnitii & Nicolai Oſtroſini, qui in prima acie conſtituti, fortiſſimè pugnavêre, ac totius equitatûs Ungarici enituit: ita ut ipſe imperator Felſius, quamquam parcus Pannoniorum laudator, victoriæ palmæque initium ipſorum virtuti, & fortitudini tribuere non vereretur. Nec ipſe victoriam feliciter partam proſequi deſtitit, cæterorumque ducum uſus conſilio, ad Tocajum oppugnandum, quod à Joannis ducibus metu ac pavore perculſis, nullo invecto commeatu, nec præſidio, aut rebus neceſſariis impoſitis, negligenter relictum erat, proficiſci decrevit. Quod etiam parvo labore captum expugnatumque fuit: dedentibus ſeſe præſidiariis, qui & pauci & rerum inopiâ adacti, ulteriorem obſidionem ejuſque incommoda ferre non potuerunt. Supererat Caſſovia, nuper admodum negligentia noſtrorum & fraude hoſtium improviſo intercepta. Ad quam recuperandam omnibus animi & corporis viribus intentus ferebatur, nec victis pulſiſque hoſtibus otium aut quietem dandam arbitratus, caſtra & tormenta eò promovere decreverat; cum Vacienſi pace à Cæſarianis & Joannis legatis opportunè concluſa, Ferdinandus Felſium cum exercitu revocavit: non ſine ſummo Joannis commodo, quem procul dubio poſt Germanorum victoriam, tam Caſſovia urbe, quàm tota ſuperioris Pannoniæ ditione ſpoliari potuiſſe pro comperto habebatur.

Tocajum Felſio ſe dedit.

Caſſoviã aggredi ſtatuit, ſed pace à Cæſarianis & Vaivodanis legatis facta revocatur.

Dum hæc alternante inter partes fortuna geruntur, ac Cæſar quidem Africanæ Algerii expeditioni, Solimanus verò in Aſia contra Perſas bello gerendo incumbunt, & induciarum ſeu pacis inter Ferdinandum & Joannem tranſigendæ tempus, non ſine graviſſimo utriuſque partis & populorum ſubjectorum incommodo & detrimento fruſtra elabitur, & occaſio reſtituendæ Corones, quam Solimanus expetebat, importunè prætermittitur, legati Joannis, quos ſuprà nominavimus, iterum ad legatos Cæſaris literas dant, quibus ſignificabant Joannem non privati commodi cauſa, ſed miſerorum hominum, qui frequentibus bellorum incommodis undique vexarentur, pacem exoptare, ſtatuiſſeque, ut non expectata Sulimani voluntate, cujus reditum jam ferè à biennio fruſtra expectaſſet, de firma pace primo quoque tempore, æquis conditionibus tranſigat: itaque petere, ut ad certum locum, & ſi ipſis videatur, Vaciam conveniant, & paribus utrinque conſiliis, tam ſalubri & ſalutari operi optatum finem imponant. Cæſariani Lundenſis & Scepperus, re cum Ferdinando communicata, ac ab eo approbata, relictis, quæ Cremniciæ & in montanis civitatibus habebant, Mariæ Reginæ negotiis, Vaciam convenêre; & quum diu multumque de conditionibus diſceptaſſent (illi enim dividendum regnum ſtatuendoſque limites, qui alterius partis ditionem ab altera dirimerent, poſtulabant; id quod vivens Gritus vehementer contendiſſe ferebatur: hi verò ex Pannoniorum procerum conſilio diviſionem certis de cauſis admittere nequaquam volebant) poſtremò quum utraque pars bellorum procellis & tumultibus fatigata, ad æquiores conditiones deſcendiſſent, contentioni finis eſt impoſitus, & in hanc ferè ſententiam conſenſêre: ut Joannes donec ſuperſtes eſſet, eâ regni parte, quam ad præſens obtineret, regiâ poteſtate potiretur, eique Ferdinandus regii tituli honorem literis & ſermone tribueret: poſt ejus obitum, totius regni poſſeſſio ad Ferdinandum & liberos ejus rediret. Si Joannes ductâ uxore maſculum hæredem relinqueret, Tranſilvania ejus ditionis foret: ac Joannis arces paternæ omnes illi reſtituerentur, quibus Ferdinandus in Sileſia Oppaviæ principatum, aut alium ſuperadderet. Si bellum à Turcis uni aut alteri inferretur, communibus viribus ei propulſando obſtringerentur. Huic tranſactioni ambo reges ſolenni ritu ſubſcripſêre; fueréque deinceps res in Pannonia aliquamdiu tranquilliores. *1535.*

Pacis Vatienſis conditiones.

Pax inter Joannem & Ferdinandum.

Paulò antequam pax ſtabiliretur, Stephanus Bathorius Palatinus, de cujus cum Vaivoda contentionibus ſuprà memoravimus, in arce Devenia ſupra Poſonium, ubi Danubius & Moravus flumina commiſcentur, quam Ferdinandus ei inhabitandam dederat, ſenio & articularibus omnium membrorum doloribus confectus, fato functus eſt, & Poſonii in majori Divi Martini æde tumulatus, relicta unica nubili filia Clara, quam è conjuge Sophia Conradi ducis Mazoviæ filia ſuſceperat, quæ etiam cùm ab Anna Regina amanter educaretur, jamque Carolo duci Munſterbergico deſponſata eſſet, pari fato patrem ſecuta eſt cum ſummo ſponſi & Reginæ mærore.

Mors Stephani Bathorii Palatini.

Exeunte hoc anno, Valent. Turcus, cùm naturali ſua mobilitate atque inconſtantia, tùm à Paulo Baquitio, inſigni, ùt dicebat, affectus contumelia, à quo ſe & ſalutem ſuam, inſidiis per ſubornatos ſicarios petitam querebatur, à Ferdinandi partibus ad Joannem Regem defecit. Cauſas autem fædi ejus transfugii, quo Valentini nomen haud obſcurè ſugillari meritò poteſt, breviter expediam. Erat dies memoriæ Divorum Petri & Pauli Apoſtolorum dicatus, Baquitii natalis, qui eo tempore Jaurino profectus in arce ſua Lacca degebat. Igitur Valentinum, quem in propinquo Sancti Ægidii Benedictino-

Valent. Turcus ad Vaivoda partes tranſit.

rum

1535. rum inſtituti monaſterio, quod Simigium vocatur, ab illo per vim & injuriam occupato morari intellexerat, ad celebrandum natalem invitavit: iſque curru vectus eò venit, quum locus ab altero non niſi mille paſſuum intervallo diſtaret. Cùm poſt geniales epulas & comporationes, convivíique hilariter peracti finem Valentinus rediret, ac fervore ſolis ſimul & vino incaleſcens, in curru dormitaret, Paulus Delius Thrax, Baquitii ipſius alæ equitum præfectus, cum tribus aut quatuor ſociis è proximis viæ dumis & nemore, in queis ſe occultaverat, mucronata ſecuri in eum vulnerandum improviſo irruit; ſed ictu fallaore, ſecuris lateri currûs tantâ vi impingitur, ut retrahi nequiret. Tum Delius relicto telo, & ſummâ vi concitato calcaribus equo, in proximas ſilvas fertur, ac profugit. An verò hoc tam atrox facinus juſſu Baquitii (quod de tantæ integritatis viro vix credi poteſt) vel privatæ alicujus injuriæ ulciſcendæ cauſa facere voluerit, hactenus incompertum: ipſe Baquitius tanti ſceleris ſe conſcium fuiſſe conſtanter negare ſolebat. Sed Valentinus ipſum ſacra hoſpitii & amicitiæ jura violaſſe, inſidiarúmque auctorem eſſe omnino affirmans, eum ad ſingulare certamen provocavit; nec Paulus pugnam detrectabat. Sed Ferdinandus re intellectâ, ſeriò & ſeverè utrique prohibuit, ne controverſiam duello vel armis, ſed legibus finirent, quam ipſemet pro tribunali regiâ auctoritate propediem eſſet cogniturus, jureque deciſurus. Verùm Valentinus moræ impatiens, vel hac, ut putabat, injuria exacerbatus, vel nimiâ ambitione ab æquo & bono procul abreptus, qua haud modicè laborabat, vel quòd ſe jam anteà occultis commerciis Joanni addixiſſet, relicto Ferdinando, ex arce ſua Sigethana Quinqueeccleſias, indè verò Budam diſceſſit; nullo dedecoris aut infamiæ metu. Joannes autem Huniadianam arcem in Tranſilvania, & Debrecenium oppidum, ejuſmodi transfugii præmia, ut alios quòque ad ſimilem proditionem invitaret, ei dono dedit. Nec tamen ea Joannis liberalitate & munere diu perfrui potuit, quandoquidem paucis pòſt annis à Solimano captus, ac veterum ſimul & recentium malefactorum pœnas luens, in ejus vinculis Byzantii expiravit. 1535.

Contentiones inter Pecrium & Furſtum. Nec diſſimili ferè eventu, haud multo pòſt tempore inter Ludovicum quòque Pecrium, equeſtrium Ferdinandi copiarum ducem, ac Mauritium Forſtum, Viti Furſti fratrem, qui Fracnoni & Quiſmartoniæ arcibus præerat, hominem ſuperbum & crudelem, acres levibus de cauſis rixæ & jurgia, demum contentiones obortæ; poſtremò inſidiis armiſque à Germano certatum. *Ex inſidiis oppreſſus Pecrius capitur à Furſto.* Nam quum ille par equorum jugalium è paſcuis clam à milite Pecriano abductum quereretur; Pecrius verò à ſuis factum percegaret, nec auctor liqueret; cùm Viennam ad Ferdinandum paucis comitatus proficiſceretur, ac ad oppidum Purpachium, haud procul à Lacu Fertone pernoctaturus divertiſſet, Mauritius ut erat turbido præcipitique ingenio, collecta ſclopetariorum aliquanta manu, armatiſque agreſtibus, in ejus quieſcentis hoſpitium nocte intempeſta furiosè irruit; interfectiſque iis, qui arma ceperant, Ludovicum nullas inſidias veritum illato etiam vulnere cepit: ac ad arcem Quiſmartoniam perduxit, ſauciatis & unà captis Petro Uſalto, Paulo Sarca, & Bartholomæo Horvatinovitio clari nominis equitibus, nonnulliſque aliis. Re ad Ferdinandum perlata, illum quidem dimitti liberum juſſit; ſed quum Ludovicus indignitate tam atrocis injuriæ exacerbatus, illum ad ſingularem pugnam provocaſſet, nec Germanus certamen abnueret, Rex intercesſit, ſeque totius illatæ perpeſſæque injuriæ ordinem, legibus pro tribunali cogniturum reſpondit. Verùm incertum quibus de cauſa, ſpes utriuſque per varias dilationes in longiſſimum protraxit; adeò ut nec eluſis nec adimpletis Pecrii petitionibus, ac tantæ injuriæ rationibus, ſegniùs & negligentiùs eas dijndicandas ſuſciperet, tamdiu donec exorto Turcico bello in irritum cederent, & ab omnibus ad illud ſuſtinendum & propulſandum, omiſſa quavis alia re, concurreretur.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XIII.

1535. CONFECTA pace, Ferdinandus moleſtiſſima ea curarum mole, qua inteſtinis diſcordiis, & civilibus armis fuerat dimicandum, levatus, ad provincias ſuas Croatiam & Poſegam, atque alias, quæ ad Illyricum vergunt, ab continuis Turcarum incurſibus defendendas, animum adjecit, quamquam necdum certum erat, an Solimano induciæ probarentur, qui eo tempore ex Aſiatica adversùs Perſas expeditione reverſus, animum in ea re ſuum nudare differebat. *Ibraimi & Gritti exitus funeſti.* Gritus etiam & Ibraimus, qui earum præcipui auctores fuerant, pari funeſti exitûs ſorte exſtincti erant: quorum ille ab iratis & efferatis veteris Daciæ gentibus, ultimo ſupplicio affectus erat, hunc autem Solimanus poſt detectam ejus proditionem & perfidiam, quibus ad ſe perdendum in utraque ad Auſtriam expeditione variis artibus uſus eſſe ferebatur, jugulari & in mare projici juſſerat.

Poſega eſt citerioris Pannoniæ regio, vicina Illyrico, quæ inter duo flumina Savum & Dravum paribus ferè intervallis ſita eſt. *Mehemet Jabioglis varia loca in Poſega occupat.* Huic provinciæ occupandæ Mehemetes Jabioglis Taurunі præfectus inhiabat per Turcas, quos magno numero, certiſq; ſtipendiis in oppido Eſſeco ſibi ſubjectos habebat, quibus accedebant Thraces & Martolocii, qui nulla mercede militantes, aut furari, aut rapto vivere ſolent. Eſſecum ad confinentes Danubii & Dravi ſitum Solimanus opportunitate loci captus, dum ab irrita Viennæ obſidione reverteretur, occupatum præſidio militari firmaverat. Itaque Taurino Eſſecum profectus, arcem Poſegani, à qua omnia regio nominatur, à paucis cuſtoditam aggreſſus, facili negotio cepit, impoſitiſque militibus, etiam Collegio Sacerdotum S. Petri Poſegani, quod in propinquo ad mille paſſuum ſpatium diſtabat, Sacerdotibus, trajecto Dravo, versùs Quinqueeccleſias, in tutiora loca profugientibus, eadem facilitate potitus eſt. Indè miſſis in Croatiam copiis, Bozcum & Berislonem oppida parvo labore militum in poteſtatem redegit; cum anteà Obrnvatium oppidum cum arce ſuperimpoſita per inſidias intercepiſſet; ex quibus omnibus

non

1537. non ſolùm Dalmatis & Croatis, qui Ungariæ Regi parebant, ſed etiam Venetorum quanquam fœderatorum ſubditis, per Uſcocos & Martolocios incredibilia detrimenta inferebantur.

Cliſſiam etiam premit.

Præter hæc omnia, ad intercludendam arcem Cliſſiam, intercipiendoſque ab ea commeatus, duo Caſtella prope Salonas clariſſimam urbem infra ſupraque Cliſſiam in Pannonica ditione extruendam curavit, ut ex illis ea arx in editiſſimæ rupis ſummitate inexpugnabili loco conſtructa, ubi Bela Rex à Tartaris olim pulſus liberos ſuos conſervaverat, continuæ atque perpetuæ obſidionis incommodis, ac fame & ſiti (quibus ſolis nec ulla alia vi expugnari poteſt) coacta in poteſtatem redigeretur. Cliſſiam Diocletiani Imperatoris, qui Chriſtianos olim tam impiè, quàm crudeliter perſequutus eſſe literarum monimentis traditur, patriam fuiſſe ſupra Salonas poſitam, & antiquis Diocletiam dictam doctiſſimus vir Stephanus Radetius Epiſcopus Agrienſis exiſtimavit.

Ferdinandi Regis exercitus Turcis oppoſitus.

His tantis ſub tractatu & ſpe pacis ac induciarum illatis injuriis laceſſitus Ferdinandus, duplici comparato exercitu, hoſtibus occurrendum decrevit; quorum alterum in Dalmatiam miſit; alterum verò versùs Poſegam Eſſecum proficiſci juſſit. Illi Petrum Cruſitium, ſuum Cliſſiæ præfectum, huic verò Joannem Cocianum Viennenſi obſidione toleratâ clarum præfecit. Nicolao autem Turriano Comiti, viro militiæ perito dedit in mandatis, ut eum ſua trium millium militum legione Germanica Cruſitio ſeſe adjungat. Paulus quoque Pontifex Ferdinandi precibus exoratus, ſua haud contemnenda auxilia miſit, duce eis conſtituto Luca Anconitano, cui tormenta bellica triremibus mari advecta, cum pulvere piliſque ferreis, & commeatu attribuit. Cùm igitur Cruſitius cum his copiis, duobus caſtellis expugnatis, earúmque munitionibus dirutis, Salonis immineret, Amurathes Uſrephi Boſnenſis præfecti alumnus, qui Verboſaniæ res curabat, cum mille equitibus, totidemque peditibus adversùs eos ab urbis mœnibus ſubmovendos, opportuniſſimo tempore ſupervenit. Nec mora, terribili impetu facto, & horrendo clamore ſublato noſtros adortus, tanto animorum & virium ardore percellere cepit, ut & Italis & Germanis reſiſtendi & repugnandi poteſtatem improviſa irruptione eriperet, iique omnes parvo labore fuſi & profligati terga vertere cogerentur. Cruſitius ut erat pugnax, ac manu & conſilio juxtà promptus aliquamdiu eos fugientes retentare fruſtra conatus, quum etiam Croati & Dalmatæ inſolito pavore exanimati, cæteris fugientibus ſeſe adjunxiſſent, ultimus concitato equo fugæ ſe dedit. Eum intento curſu ad propinquum maris littus fugientem, ac equo deſilientem, quoddam navigium, quod ex Italia venerat, excepit, & cum eo in altum provehitur. Sed tanta ſimul fugientium militum multitudo eandem in navim inſiluit, ut prægravante nimio pondere, nullâ vi, nullo remigum aut nautarum conatu è litore propelli potuerit; ſic ut Turcæ, qui eorum fugam pari curſus celeritate aſſequi contendebant, in navem vado & arenis inhærentem immobilémque inſilirent, ac Petrum præ aliis cognitum, quamquam ſe acerrimè defendentem, multis accurrentibus interficerent. Caput ejus Arhliaga equitum ductor incurvâ machærâ celeriter amputavit, truncoque in navi relicto Amurathi dono attulit: quod quum Amurathes Cliſſianis oſtendiſſet, ac ſe ut dederent, admonuiſſet, quum poſtea vi coactis nulla vitæ ſalus foret expectanda, ingenti terrore correpti, commeatúſque & præſertim aquæ inopiâ adacti (nam Amurathes exim præoccupato, fontem, qui proximè foris arcem ſcaturit, ne ex eo incluſi potarent, ademerat) arcem dediderunt: ſicque Cliſſia multis ſæculis à Pannoniis & Dalmatis magno labore egregiáque virtute defenſa, hoc miſerabili caſu in hoſtium poteſtatem devenit; corpus ejus, poſtea diſcedentibus Turcis noſtri apud Spalatum urbem ſepelivêre. Turrianus & Anconitanus equorum pernicitate freti, dimidia aut majori ſuorum parte amiſſa, magno labore & periculo in tutum evaſêre. Sed Cremonſius Turrianæ legionis legatus, & milites, qui unà ſe fugæ dederant, qui ducenti ferè erant, ad unum interfecti deletique fuerunt. 1537.

Turrianus & Cruſitius ab Uſrephi Boſnenſis alumno Amurathe profligati.

Cruſitius Cliſſiæ præfectus interficitur.

Capite ejus Cliſſianis oſtentato, arx inexpugnabilis Turcis deditur.

Idem Amurathes etiam Venetos cædit.

Paulò etiam antè quàm hæc gererentur, idem ille Amurathes, Venetorum copiis, duce Gabriele Ripa Veronenſi, Obrovatium oppugnare auſis, ſimilem cladem intulerat, eaſque primo impetu in turpem fugam conjectas tantâ earum ignaviâ diſſipaverat, ut ne ferrum quidem ſtringere, aut ora hoſtium intueri auſi eſſent, cujus tamen rei ſic malè geſtæ infelix Ripa, ſeveritate Piſanrii Venetæ claſſis præfecti, in ipſa prætoriæ triremis prora capite pœnas perſolvit. Hic Amurathes è Sibenico Dalmatiæ urbe maritima oriundus, in puerili ætate à Turcis captus, & Uſrepho Boſnæ præfecto donatus fuit: ac paulò pòſt ab eo ordinum ductor effectus, deinde multis aliis præliis, tum poſtremò clade exercitûs Cociani ad Eſſecum illata, magnam nominis gloriam adeptus fuit. Necdum enim malis noſtris ſatiata numina erant, ſed aliis ſuper alias cladibus prægravatos fatigabant: ſcilicet ut optimi Regis Ferdinandi cepta atque conſilia, vel prudentiſſimè ſuſcepta, optato eventu carerent, & fortiſſimæ Germanici atque Pannonici nominis gentes vetere ſua gloria ſpoliatæ, à longè paucioribus numero barbaris fœdè ſternerentur. Nam quum altera ex parte ab Cociano alter exercitus, genere & delectu militum, quàm numero validior, in Illyricum ductus eſſet, intercluſo commeatu, & enectis fame militibus adverſam tulit fortunam: ita ut duobus in locis duo exercitus admiranda barbarorum felicitate, & graviſſimo noſtrorum infortunio, atque detrimento turpiter fugati & cæſi delerentur. De quorum alterius ſucceſſu, jam brevibus commemoravimus: ſupereſt, ut alterum quoque bellum quomodo, quàmve triſti & luctuoſo eventu geſtum ſit (quoniam hoc anno pugnatum eſſe conſtat) quàm fieri poterit breviſſimè recenſeamus.

Amurathis origo.

Expeditio Cociani infelici eventu ſuſcepta.

Adultâ jam æſtate, ac meſſe triticea peractâ, quo faciliùs exercitui de commeatu proviſum foret, Cocianus omnes copias ad Captonciam civitatem convenire jubet: poſtea ipſe cum octo muralibus tormentis grandioribus, ac aliquot campeſtribus colubrinis, ac cæteris rebus bello neceſſariis, atque impedimentis tempeſtivè eòdem venit. Ludovico Pecrio Ungaricarum & Illyrici nominis copiarum præfectura cum imperio committitur; quòd nemo adhuc Banus eſſet declaratus in locum Franciſci Battiani, eo ſe magiſtratu abdicantis. Peditatum verò omnem regendum accepit Ludovicus Comes Lodronius, qui in Rhetia Tridentinis alpi-

1537. *Locronius, Selticus, Ungnadius, Magerus & Baquitius exercitus duces.*

alpibus, Italiæque proxima, ac Gallia Ciſalpina, qua Athєſis & Padus flumina decurrunt, peculiares ſuas cohortes conſcriptas collegerat; quæ magnum rerum bellicarum uſum habere ferebantur. Equitatus ex Bohemis conſcriptus Alberto Slicco parebat, quum è Stiria Joannes Ungnadius ejus provinciæ præfectus, & è Carinthia Eraſmus Magerus, qui etiam Fuchſtanus vocabatur, ornatiſſimos equites Germanos adduxiſſent. Paulus Baquitius ex Ungaria peculiarem validamque alam Thracibus veteranis intermixtam, & multis prælus exercitatam ſecum habebat: is quamquam paulò antè à Ferdinando vacationem militiæ impetraverat, nec in Illyricum proficiſci obligatus erat, tamen quia commune periculum urgebat, & cum Cociano jam indè ab urbis uſque Viennenſis obſidione, quam unà ſuſtinuerant, conjunctiſſimi armis erant, extraordinaria quadam conditione ultro militandum ſibi conſtituerat: & ab omnibus quantumvis nationum militibus, ob ſingularem fortitudinem & rei militaris peritiam, magno in pretio & honore habebatur. Curando commeatui Simon Epiſcopus Zagrabienſis erat præpoſitus, ut cum Jodoco Lilenbergo apud Germanos eodem munere fungenti, pari curâ & diligentiâ annonam adminiſtraret: eique ambobus adjuncti erant alii quatuor viri ex provincia, qui annonam & alimenta tam plauſtris quàm navigiis juſto pretio convehenda curarent: ea indicta minùs obedientibus pœna, ut ab iis commeatus abſque pretio adimeretur. Numerus equeſtrium copiarum tam gravis quàm levis armaturæ octo circiter millium equitum ſummam implebat, peditum verò omnis generis ſexdecim millia cenſebantur.

Equitum 8 millia, Pedites 16000. cenſentur

Cum iis Cocianus caſtra Caproncià promovit; & ultima die Auguſti ad Berſeciam caſtellum metatus eſt: ex quibus caſtris convectionem annonæ & rerum victui neceſſariarum, quarum jam tum non levis oborta eſſe videbatur penuria, datis in omnes partes literis & mandatis imperavit: illinc decimo pòſt die ad Veruciam lentis paſſibus ob tardiorem tormentorum curulium, & impedimentorum ſubvectionem eſt perventum; quo in loco majori eduliorum inopiâ laborari ceptum, ideoque Zagrabienſis & alii ſeverioribus verbis & literis perſtricti admonebantur, ut ipſum cibaria, quæ milites ſecum attuliſſent, quæve ad longius producti belli neceſſitates reſervare voluiſſent, jam initio expeditionis abſumi neceſſe eſſet, alia uti conſtitutum eſſet, maturè ſubminiſtrarent, ne ob rei frumentariæ tarditatem, aut victoriâ turpiter interpellatâ redeundum foret, aut invaleſcente fame tantus tamque florens exercitus, non virtute hoſtiũ, ſed ſuorum incuriâ & deſidiâ deleretur.

Annonæ penuria.

Interea dum commeatus ad Veruciam expectantur, Paolus Baquitius mittitur exploratum cum ſuis mille equitibus Ungaris, ac duabus expeditis Italicorum ſclopetariorum cohortibus, versùs Zopiam arcem, ut ſi quos ex hoſtibus captos in caſtra adducere poſſet, ab iis de hoſtium conſiliis certiora cognoſci poſſent. Quem ubi hoſtes conſpexère, totum exercitum adeſſe rati, corrupto commeatu, & incenſa arce aufugerunt. Eos tamen inſequuti equites Baquitii, complures partim interfecère, partim captos adduxère: à quibus idem, quod antea certorum exploratorum indicio compertum erat, cognitum eſt, Jahioglim & Turcas ejus eſſe mentis propoſitique, ut ad Eſſecum poſitis caſtris Cocianum ejuſque copias expectent, ibique prælii fortunam expetiantur. Interea equitum cataphractorum ala ſupervenit, quæ & alia auxilia ſubſequi, & commeatus non procul abeſſe nuntiabat. 1537.

Diſputatur interea militari in conſilio, an eadem via, uti planiore, vel relicta ad dextram Poſegk, quòd ei adeunda juga, & ſaltus Garavitii montis, qui Plinio olim Bebius dictus exiſtimatur, Poſegam à Sclavonia diſterminantis, difficili labore ſuperanda eſſent, progredi expediret. Omiſſa igitur Poſegana via, hæc quæ campeſtris & planior erat, eligitur; quando jam Zopia ab hoſtibus concremata, & ea ſublata difficultate longè commodior tranſituris eſſe cenſeretur: ſicque Sclavonico ad ſiniſtram itinere ſuſcepto, caſtra promoventur, & ut Ladislaus Moræus, nuper à duobus Regibus ob maleficia & prædas Pannoniâ, ùt diximus, in Illyricum pulſus, velut locorum peritus antecedat, jubetur; & illinc decimis caſtris ad Valponem, Pereniane ditionis locum pervenitur: qui eo tempore partes Joannis Regis ſecutus, ſuis tamen, qui ibi erant, præfectis dederat in mandatis, ut noſtros non commeatu ſolùm & rebus neceſſariis, ſed etiam operâ conſilioque juvarent. Ibi Craſſus flumen ponte erat ſternendus, quod limoſus & profundo cæno ſtagnans, carectiſque impeditus vado tranſiri non poſſet.

Dum pons conſtruitur, & conſilia de itinere progreſſuque caſtrorum conferuntur, ſeptimus dies tranſiit; nec tamen finis continuæ fit conſultationis. Alii enim urbe Eſſeco omiſſa ignobile quoddam caſtellum, ultra ſitum obſidendum cenſebant, alii expectandum Semburgum cum auxiliis, nec quid temere aut properanter agendum. Cæterùm complures, mora increpita, infeſta ſigna in hoſtem quamprimum vertenda dicebant, nec ceſſando ſingulis momentis, & ſingularum provinciarum ſenſim progredientia auxilia expectando tempus terendum: rem maturè ferro decernendam, quam ſi vitandum hoſtium congreſſum reformidato periculorum eventu cenſuiſſent ſanùs domi quieſcendum fuiſſet, autumnum jam præcipitare; & ſi hiems gerendis bello rebus adverſa, ſævis tempeſtatum procellis ingruat, cum duplici hoſte futuram difficilem dimicationem; temporis nimirum injuria, & recenti hoſtium è tectis erumpentium impetu; proinde Eſſeco, ubi hoſtes ſint, maturè admovendas manus: locum eſſe debilem, muris pervetuſtis, nullo munimento; ita ut hoſtes viſo tanto exercitu, tot currulibus tormentis inſtructo, aut protinus locum deſerturos, aut ſi reſiſtere velint audeántque, facilè disjici fugarique poſſint. Huic ſententiæ, major pars fervidis atque audacibus animis conſentiebant, & omnem vel unius diei moram tollendam, iterque ad Eſſecum juſtis paſſibus ſuſcipiendum ſuadebant.

Decernitur itaque recenſendas copias eſſe, & caſtra promovenda. Equitatus ad decem millia cenſus eſt; nam poſt diceſſum à Caproncia plures in caſtra utriuſque armaturæ equites auxiliares confluxerant. Sed peditatus præterquam quòd plurimi dilapſi eſſent, febribus ob nimiùm pomorum autumnalium eſum, ac cæteris vulgaribus morbis vehementer erat imminutus: & præter ægrotos cæterorum major pars inediâ, frigore, vigiliis, aliiſque incommodis adeò erat debilitata, ut tribuni præfectique eorum ad ſuſtinendas præliorum, aut ſaltem lon-

Eſſecum oppugnãdam decernitur.

gioris

1537. gioris & lutulenti itineris difficultates, parvam ſpem in eis habere viderentur. Valpone diſcedentes tridui cibaria milites parare, ſecumque ferre jubentur, & miſſis per caſtra tympaniſtis ac tubicinibus edicitur, ne quis, niſi cùm foret debellatum, hoſtem capere, aut prædâ ſe onerare auſit, deque alimentis brevi in magna copia adfuturis bene ſperare jubent.

Pervenitur tertio die in quædam prata, quibus à ſiniſtra Dravus, à dextra parte ſaltuoſa quædam loca & nemora, cum collibus incultis adjacebant, & altero ab Eſſeco milliari diſtabant. His in pratis, adventu noſtrorum audito, egreſſi Eſſeco equites Turcæ apparuêre; quos propiùs caſtra accedere non auſos, ſed ſublato ululatu diſcurrentes magiſtri tormentorum procul ſubmoverunt: poſtero die effuſi oppido hoſtes, minutioribus prælijs, duobus in locis certavêre cum noſtris equitibus, maximè Ungaris, intermixto etiam Germanorum certo numero; & multis utrinque cadentibus, noſtri in caſtra, hoſtes in oppidum, æquo Marte diſceſſerunt. Ad ejus diei veſperum Simon Zagrabienſis Epiſcopus in caſtra venit cum ſuis copiis, cujus adventu quanquam haud magnam annonæ copiam attuliſſet, apud milites tamen nonnihil recreatos timor inediæ antea conceptus minuitur.

Velitationes cum Turcis.

Sed quum hoſtes frequentiùs ad leviora certamina noſtros provocando excurrerent, noſtriſque & eorum equis gravia ſæpe vulnera inferendo, fatigarent debilitarentque, prohibetur ſeriò à ducibus, ne cuiquam extra caſtra ad prælium exire liceat; verùm rei tormentariæ præpoſitis committitur negotium, eos caſtris arcendi: qui cum eis procurrentibus deoſa majorum minorumque colubrinarum procella ſæpe detrimenta inferrent, pluréſque equi unà cum ſeſſoribus ferreis pilis icti diſcerperentur, Turcæ animadverſo periculo, navigia, quas Saicas ſeu Naſadas vocamus, pyraticis myoparonibus ſimilia, ad ripam ſtagni cujuſdam, quam Dravus in Craſſum flumen exundans efficit, Janiceris & Aſapis peditibus, Martolociſque plena promovent; per quos noſtri non ſolùm ſclopetis, ſed etiam minoribus falconum pilis, quos ſingulæ Naſadæ in prora habere ſolent, peterentur. Ex collibus etiam à dextra parte per diſpoſitos equites, noſtrorum agmina laceſſere & perturbare conabantur. Sed noſtri promoto exercitu, & inſtructa acie, tormentis majoribus in hoſtes directis, eos ſtagnum ſimul & colles deſerere, & utrobique fugam capeſſere cogunt; ſed pulſi & fugientes pagum, qui erat utriſque tranſeundus, ſuccendunt: ut ea noſtris inſequentibus injecta mora, tutior ipſis ad ſua fuga pararetur.

Tum Cocianus ſuperatis collibus ad planitiem aquationi ſimul & pabulationi idoneam caſtra transfert, à qua etiam nemora & ſilvæ ad lignationem non abeſſent. Hinc majus tormentum explodi jubet, periculum facturus, an pilæ ab ea diſtantia murum verberare poſſent, ſed majus eſſe intervallum loci, quàm quòd noceri oppido poſſit animadvertens, in aliam vallem caſtra promovere volebat. Sed cùm ejus adeundæ facultatem Mahometes, factâ è deſtructo templo munitione, caſtelloque erecto, & præſidio impoſito eripuiſſet; conſpicatus ultra oppidum aliam planiciem commodiorem, eò caſtra adducere, & tormentis collocandis locum quærere decrevit. Sed neque ea planicies commodè adiri poterat; quandoquidem ſi ea ſuperanda eſſet, via, quæ ad Valponem ducit, relinquenda erat: aliudque difficile & laborioſum iter ſuſcipiendum, & non parvus inediæ metus imminebat, ſi convehendi commeatus commoditas ab hoſte præriperetur. Dum ea de re diſputatur, nonnulli, ut fit, ingenii oſtentandi cauſa importunam eam ſententiam multis verbis confirmant, tranſeundum in eam planiciem dictitantes, ibique inſtruendam oppugnationem, & expectandos commeatus, hoſtem inediâ æquè laborantem brevi aut diſceſſurum, aut ad deditionis conditiones coactum iri: idque ſe à transfugis & captivis intellexiſſe, proinde ſibi videri, ut cùm tantum ſuperſit commeatûs, ne intra ſeptimum diem fames extimeſcenda ſit; intereaque & Sembergus venturus, & recentia militi obſonia adferenda ſperentur, tantam victoriæ occaſionem minimè negligendam: præſertim quum jam Octobri menſe ad exitum labente, hiems fores pulſet, & niſi quid egregii facinoris tempeſtivè tentetur, poſtea frigore tempeſtatumque incommoditatibus excludantur: interim non defore Thracum ſeu Raſcianorum ſtudia, qui operam ſuam ſi eò deſcendatur, omnem adferant, tam in ſuppeditandis commeatibus, quàm armis conſociandis, & in Turcas vertendis. Et ut ſententiam ſuam tuerentur, addebant hoſtium tormenta, quæ inuſitatæ magnitudinis, & ingenti numero eſſent, omnia ad eam partem, quà caſtra tranſirent, obverſa, noſtris inſigne detrimentum allatura. Itaque hæc præ aliis ſententia Cociano probatur; nec mora, poſtero die longiore capto circuitu inſtructis agminibus ad ulteriorem campum ire contenditur. 1537.

Mahemetes animadverſo noſtrorum diſceſſu, & re, ùt erat, ex conjectura cognitâ, mille equites expeditos, & Janicerorum ſclopetariorum manum, ad incommodandos, & carpendos noſtros, dum ſaltum ſuperant, immiſit: qui quum noſtros à lateribus, & à tergo undique infeſtarent, Cocianus eis ſubmovendis Bohemos ac Italos pedites opponit; ſed cùm Bohemi hoſtiũ ululatu & incurſibus, quibus nonnulli cædebantur, territi fugam dediſſent, Itali egregiâ virtute reſiſtunt; quibus laborantibus equites Mageriani ſubſidio accurrunt, Turciſque repulſis, & parvo accepto incommodo, ſaltum ſuperant: caſtriſque in plano campo poſitis, aggeres tormentis collocandis conſtruuntur; ut ſi hoſtis prodire in aciem velit, pugnandi poteſtas daretur. Verùm is cauto conſilio ſe & ſuos in oppido continet, haud ignarus noſtros jamdiu commeatûs inopiâ laborantes, & eâ indies creſcente, brevì cum ignominia, rebus infectis diſceſſuros.

Dum ibi hæret Cocianus, conſilii inops, nec à tot tantiſq; egregiæ fortitudinis ducibus quicquam ſalubris ac utilis conſilii adfertur, Balthaſar Banffius præpoſtera eſſe conſilia, quibus de victoria priùs, quàm de ſublevanda, quâ exercitus laboret, fame, ſermones conferuntur, dictitans, haud procul abeſſe Hermanum Caſtellum vetuſti operis ait, in quo magna ſit ab hoſtibus collecta commeatûs copia. Illud expugnandum & alimentis in eo repertis exercitum ſuſtentandum ſibi videri. Itaque laudato ejus conſilio, Cocianus de ſecunda noctis vigilia ſigna convelli jubet, & ſtructa acie Hermanum versùs caſtra movet, agminibus turbatis, & ſignis malè cohærentibus, ita ut carris & impedimentis confusè & perturbatè promotis, fugæ, quàm diſceſſûs ſpeciem præberet. Turcæ quamquam ex ſtrepitu ac clamore noſtrorum diſceſſum animadverterent, tamen quòd ſe obſidione ſolvi lætarentur,

Digitized by Google

1537. *Hermannum caſtellum noſtris deditur.* tarentur, tum quòd inſidias ſuſpectarent, nihil ſe commovent. Noſtri Hermanum priùs à Turcis, qui in præſidio erant, aliquot horis defenſum, poſtea deditione capiunt, & hoſtes qoò velint abire permittunt.

Sed quum commeatus non eâ copiâ repertus eſſet, qua laborant exercitui ſuccurreretur, decepti ſpe ſua duces, nec parum animo conſternati, ad alia rurſus conſilia confugiunt, & pontem amni vicino, qui iſthic excurrebat, qui tunc continuis imbribus intumuerat, imponendum, ad ampliſſimam commeatus copiam ea opportunitate habendam vertuntur. Ponte per tridui ſpatium opera fabrorum & militum inſtaurato, carrorum, quibus impedimenta vehebantur, multitudo tranſire incepit, & minora quoque tormenta. Sed octavum majus tormentum, cui Ferdinandi inſignia inciſa erant, ingenti pondere pontem fatiſcentem interrupit: quamobrem illud juſſu Cociani, ne eo hoſtis potiretur, malleis diſfractum eſt. Superato amne & ponte interrupto, ne Turcis inſequendi noſtros facultas eſſet, rurſus diſputatur, an relictis tormentis, ac ſpiraculis eorum ferro tranſfixis, ac ſcalis & pontonibus, aliiſque bellicis apparatibus igne abſumptis, expedito itinere ad Valponem, celerius redeundum ſit; vel, ut alii ſuadent, per Poſegæ fines iter inſtituendum, & Juanca olim Franciſci Zaii arce, qui eo tempore inter minores præfectos cenſebatur, ac oppido Gara, quæ pleniſſima rerum alendo exercitui erant, expugnatis, milites enecti fame recreari poſſent. *Noſtri, inopia commeatus caſtra movent.*

Cocianus repudiata priori ſententia huic adhæſit: ut ſi tormenta majora, rupto metallo, paribus portionibus in carros diſtribuantur, ſe ſi neceſſe ſit, vel ſuo ſumptu reſtauraturum pollicitus eſt. Nec mora, indicta profectione, frequentioribus locis, ob pondera carrorum & tormentorum ſubſiſtitur, quod mollitis aſſidua pluvia campis, eorum rota uſque ad axes cœno vorarentur. Juanca ex itinere facili negotio capitur; ſed neque in ea præter vini vehes aliquot aliud commeatus genus reperitur. Ibi inalbeſcente cælo, Turcæ truci ſublato ululatu noſtros invadunt; certatur aliquot in locis acerrimè, ſed ubi Bohemicæ Alberti Sliccii turmæ erant, longè urgentiſſimè. Ibi Petrus Raſchinios Alberti legatus barbaros ſubmovet: ſed illis iterum pugnam reſtaurantibus, atrocius & magis cruentum certamen oritur, ac ipſe fortiter pugnans interficitur. Tamen noſtri continuata profectione, quatuor carrorum ordines inſtituunt, qui progredientium latera protegant, & milites tutius inter curſantes barbaros propulſent. Sed quum frequentes tumuli & colles, ſaltibus & profundo cæno impediti occurrerent, ac hærentia impedimenta neceſſario iter remorarentur, Mehemetes, Amurates, & Caſſonus, qui relicta Buda in patriam Croatiam redierat, Janiceros & Thraces Martalocios, qui viarum & nemorum compendia noſſent, præmittebat, attributis eis minoribus falconetis; atque ii anguſtiis præoccupatis noſtros quàm maximè diſtinebant; qua barbarorum aſtutia noſtri multa ſæpe vulnera, multa detrimenta referebant: neque noſtri ad reſiſtendum ex præcepto Cociani conſiſtere audebant: ſed eundo & ſagittis, ac ſclopetis rem gerendo, quantum poterant ſeſe tuebantur. *Turcæ noſtros diſcedentes aggrediuntur.*

Inde quum ſuperatis ſaltibus & montium jugis ad patentiora loca perventum eſſet; equiteſque Ungari atque Illyrici, ſumma ira atque audacia pugnam cum hoſte conſererent, & viciſſim Turcæ frequentiores identidem adcurrerent, oblata edendæ nobilioris pugnæ cujuſdam occaſio videbatur. Ibi ante alios Paulus Baquitius, bellator inſignis, hortatu Cociani, qui ejus receptus & copiarum omnium curam ei concrediderat, dum ſuos & Germanos voce atque exemplo ad virtutem cohortatur, fortè à Janiceris, qui equitibus intermixti pugnabant, ſclopeti glande caput ictus, equo dejicitur. Eum prolabentē ſui ac alieni equites denſata acie certatim tueri conantes, à Turcis, qui magno numero & viribus dimicabant, rejecti ſunt, & illi caput celeriter detruncatum. Cecidêre in eo prælio dum Baquitio opem ferre volunt, Paulus Fodorus Veteranus ejus equitum ductor, ſimul cum ſuo, quem carum habebat, & Talpaſſum vocabat militari equo: Thodorus Peitius Thrax, & complures alii. Capti verò aliquot, inter quos Demetrius Scanderovitius, & Lupus Milola ſimiliter Thraces: nec non Paulus ille Delius, quem ante triennium Valentino Turco, è convivio Baquitii revertenti, inſidias ſtruxiſſe retulimus. Eum Valentinus ab Amurate, à cujus militibus captus eſt, mille aureis numis redimere volebat, ut in eum ſub quæſtione de ſcelere confeſſum animadverteret: ſed cùm ille virum militiâ ac armis clarum ad ſupplicium tradere nolet, Valentinus donatâ ei illâ pecuniâ è medio tollendum curavit. 1537. *Baquitius dux bello charus in prælio cadit.*

Baquitii cæde divulgata, cui nemo inter omnea noſtrarum copiarum duces, militari ſolertia ac ingentis animi fortitudine erat conferendus, magnus timor totis caſtris incuſſus eſt, quando nemo jam ſupereſſet, quo ductante, dimicanteq; victoria de Turcis ſperanda eſſet, nec etiam antea, niſi ab ejus ingenio profectū fuiſſe diceretur, quidquid proſperè, & cum aliquo fructu factum eſſet. Amiſſi ducis tanti caſu exacerbati Ungari & Thraces, ac ulciſcendi cupiditate incenſi, quamquam recentes Turcæ ſuis auxilio venirent, tantâ tamen vi hoſtes repulère, ut multis ſuorum amiſſis falcones currules, quibus adversùs noſtros jaculabantur, deſerere cogerentur: quos cùm pedites noſtri facto cuneo avehere juberentur, præ corporum & virium imbecillitate, ob inediam contracta, imperio parere non poterant: & ex adverſo Janiceri & cæteri hoſtium peditea vigore corporis animique præſtantes, non ſolùm falcones protegere, ſed etiam noſtris perſequendis & imperendis nullum finem facere.

His incommodis exagitati noſtri milites, quum nullis famis ſubſidiis, nec ulla ſpe auxiliorum ſuſtentarentur, omnes extremæ calamitatis luctuoſum finem expectabant; eoque celeriori deſperatione, quod hoſtibus à Belgrado & Samandria, ac illis Bulgariæ & Thraciæ limitibus, auxilia ventura: ſibi autem etiam ſocios, & præſertim Illyrici nominis equites, qui haud procul domo militabant, rebus deſperatis, indies dilabi, & ad ſuos reverti conſpicerent. Neque ad extremum Cocianus & Petrus, aut alii duces, in hunc modum miſere conſternatos milites, ſpe ulla, aut ſaltem mutuo colloquio, uti alias facere ſolebant, conſolari & erigere, & ipſi attonitis ſimiles, volebant aut poterant. Quum verò in ſubjectos Garæ campos ventum eſſet, à Thracibus ſeu Raſcianis, qui hinc inde commeabant, adfertur ſilvas proximas, per quas noſtris eundum eſſet, ſucciſis ingentium arborum prægnantibus truncis hoſtes præſepiſſe, ita ut non niſi redeundo ad Valponem (id verò etiam abſque tormentis, carris, & ſarcinis) ſaluti & re- *Noſtrorum deſperatio.*

1537. præciſũ, & cum aliis ad Solimanum miſſum. Captivi nobiliores

ptivis perduci; à militibus qui eum cuſtodiebant, juſſu Mehemetis interfectus, caputque ejus, ac Pauli Baquitii, & Eraſmi Mageri, cum captivis & ſpoliis pretioſioribus ad Solimanum dono miſſum eſt. Inter captivos nobiliores fuêre Ditmarus Loſenſtanius, Laurentius Strapergus, Leonardus Lambergus, Georgius Taiffelius, & Gebhardus Welzerus, equites clari, quorum duo poſtremi pro Murataga equitum ductore celeberrimo, qui in pugna quadam minutiori captus, apud Thomam Nadaſdium in vinculis detinebatur, permutatione factâ redempti fuêre: illi magno ex olum auri pondere ſeſe liberantes ad ſuos poſtliminio rediêre. Iſtud eſt funeſtum Eſſequianæ cladis detrimentum, cujus fama gravi cum mærore & luctu etiamnum per multas provincias memoratur: in qua quod nunquam anteà acciderat, fatone an ducis ignaviâ evenit, ut ne tentatâ quidem prælii fortunâ, florentiſſimus fortiſſimarum gentium exercitus ab hoſtibus deleretur.

Cocianus & Pecrius domum reverſi,

Poſtquam Cocianus & Pecrius è clade exercitûs, quem in hunc modum in hoſtilem terram, relictis à tergo arcibus Turcicis quamplurimis, incautè duxerant, elapſi eſſent, domum ſeſe recepêre: quam ille in Carnis, hic in Illyrico habebant. Sed quum à Ferdinando Cocianus quidem primò Viennam, Pecrius poſthæc Græcium Stiriæ metropolim accerſiti eſſent ut rationes amiſſi exercitûs, ac rei malè geſtæ redderent, confiſi in ejus regia clementia, neque ſubterfugere auſi, ſe judicio ſiſtere decreverunt. Et Pecrius quidem extemplo in cuſtodiam deductus fuit; & integros ſeptem annos in carcere Græcii & Oeniponti explevit: & diuturniore, atque acerbiore pœnâ fuiſſet affectus, niſi Ferdinandus precibus populorum totius Ungariæ exoratus, eum ob longas & varias carceris moleſtias, vel luminibus captum dimiſiſſet, reſtitutiſque omnibus bonis, priſtina etiam Dapiferorum magiſtri dignitate fungi juſſiſſet. Ferunt Ferdinandum mitem alioquin & benignum principem, ideò ſeverioris iracundiæ exemplum in illum ſtatuere voluiſſe, quòd ab eo in quodam convivio, cui Germani & Ungari præcipui nominis interfuiſſent, Pelbartus contemptim fuiſſet appellatus, quo nomine monachum olim Temeſuarienſem fuiſſe perhibent; egregium quidem illum & doctum virum, cujus ſacræ extant lucubrationes, ſed qui ab enormi & adunco naſo, deformique vultu paſſim rideretur. Uſque adeò de regibus & principibus, honeſtâ ſemper & minimè procaci linguâ loqui decet.

à Ferdinando, ob deſertum exercitum, in cuſtodiam conjecti ſunt.

Cocianus è cuſtodia elabitur.

At Cocianus quum Viennam veniſſet, tam regem ſingulari clementiâ ſemper quidem conſpicuum, ſed tunc ob deletum tam florentem exercitum, ac primarios duces, & nobiles aut captos aut interfectos juſtâ irâ exacerbatum, quàm ſenatores diverſis criminationibus ab ſe averſos reperit, & nullum excuſationibus ſuis gratiæ apud eos locum invenit. Itaque juſſo in cuſtodiam ire, adhibiti ſunt cuſtodes, qui ne elaberetur, diligenter curarent: neque tamen amicorum & affinium aditus ei prohibitus fuit, aut alia liberioris cuſtodiæ ſolatia, ita ut à nobilibus quoque matronis in ſpeciem viſitandi nonnunquam adiretur, unâque cum eis cibum ſumeret. Cumque indies de regis ac ſenatus clementia cauſæ ſuæ diffidens deſperaret, conſilium de fuga cepit, ac cuſtodes aut vino ſopitos, aut pictis chartis ludentes, eique rei, quam officio ſuo intentos eludens, deceptis etiam arcis urbiſque excubiis è feneſtra, (quam ferreis clatris munitã effringere quidem haud poterat, ſed quâ latericio operi ſaxum quadratum infernè committitur, perfoderat) ſe dimiſit, ac equis, qui per fideles ſibi miniſtros in fine ejus ſuburbii quod meridiem reſpicit, ſervabantur, conſcenſis, in turrim ſe recepit. *1537.*

Ferunt primariam fœminam, argenteis duabus lagenis incluſos funes ei clam ſubminiſtrâſſe vino ſuperinfuſo, quibus in evadendo uteretur. Ita quum undique à regiis quæſitus, ad carcerem & ſupplicium reducendus ſibi formidaret, ad Mehemetem Baſſam Jahioglim, qui tunc Nandoralbæ præerat, & à quo ad Eſſecum victus & profligatus exercitum deſeruerat, literas ſcripſiſſe dicitur, quibus illi ſignificabat, ſe ad Turcas tranſiturum, ſi ſtipendia ac honores ſibi darentur. Eas literas, addito etiam commendationis ſuæ certo teſtimonio, Mehemetes Conſtantinopolim miſit; atque iſthuc cùm paſſim ea res & conſilia Cociani de transfugio vulgi ſermone circumferrentur, Ferdinando innotuit: & quod ejus indignationem in majus odium auxit, ipſæ quoque Cociani literæ, per purpuratum Ajaſpaſſam, quem Vezirium vocant, ad eum miſſæ fuiſſe dicuntur. Rex igitur datis in omnes partes literis, eum capi, ac vinctum compedibus ad ſe adduci, aut ſi ſecus fieri non poſſit, priuſquam ad hoſtes tranſeat, è medio tolli jubet. Erat tunc Cocianus in arce Coſtanicia munito loco in Croatia ſita, quam fluvius Hunna circumfluit; & quæ olim ad Prioratum Auranæ pertinebat, ſed eo tempore ditionis Comitum Zrinianorum eſſet, per ſpeciem impetrati à Joanne Comite ibi hoſpitii; re tamen verâ, quo commodiùs fuga elabi, ac celeriùs è propinquo ad hoſtes tranſire poſſet. Rex itaque datis clam ad Nicolaum Comitem Joannis fratrem literis, ſe moleſtè graviterque ferre ait, datam illi eâ in arce habitandi facultatem, ſimulque negotium ei dat illius comprehendendi, aut è medio collendi. Is eò profectus in arcem admittitur, & quum à convivio Cocianus ſe in cubiculum recepiſſet, duos milites genere Croatos, Georgium Crabulſum, & Joannem Hoiſitium ad eum mittit, ipſemet in arcis porta ſubſiſtit, varios cum diverſis hominibus, ac cum ipſis portæ cuſtodibus ſermones conferens, ne quid ab illis, quo ſua conſilia turbarentur, periculi immineret. Duo illi ad ſuperiorem ædium partem conſcendentes ſe quædam ad eum pertinentia adferre ſimulant, cumque dimiſſis à Cociano arbitris ingreſſi ad eum eſſent, prior Georgius pugione eum vulnerat ſub ventrem; & quamvis plaga lethalis eſſet, tamen ipſe quoque arma quæ ad parietem non procul appenſa erant, arripere conans, à Joanne ſecuti per caput percutitur, & concidit: tum ejus cadaver in ſubjectam arcis aream projiciunt, caput deinde præciſum Viennam ad regem mittitur, quod ibi à ſorore ejus, quæ Ulrici Aitingeri conjunx erat, tumultuario funere ſepultum fuit. Ejus tamen hæreditatem omnem ac fundos in Carnis & Stiria filii ejus, quos tres reliquerat, Balthaſar, Lupus, & Joannes obtinuerunt. Ut perperam ii ſentire videantur, qui non ſine Comitis Nicolai injuria ditionem Cociani, ob obeiſum eum, Comiti ab rege attributam dicere audent. Rex deinde latâ lege, non tam ob rem ad Eſſecum fœdè & improſperè geſtam, exercitumque deſertum, quàm quòd certis argumentis, ac literis ejus manu ſcriptis meditati ſceleris & transfugii reus erat deprehenſus, jure cæſũ eſſe pronuntiavit.

Et ad Turcas defectionem molitur, ſcriptis ad Mehemetem litteris.

Cocianus, juſſu Ferdinandi, occiditur

Submiſſis à Comite Zerinio duobus militibus.

Aitingeri.

1538.

Clades à Venetis Turcis illata.

Reliquiis fuſi & profligati exercitûs, partim domos ſuas dilapſis, partim in biberna diſtributis, eam hiemem Turcæ victores pariter & noſtri quietam & tranquillam tranſegêre: fuitque noſtris quoracunque pars ſolatii, quod induciis Turcarum, quas cum Venetis habebant, in apertum bellum erumpentibus, Veneti Turcis ac Amurati, qui è Cliſſia recens in poteſtatem redacta, & è Nardino Jaderenſis agri municipio per proditionem occupato, Venetos multis injuriis exagitandos ſuſceperat, non mediocre detrimentum intuliſſent. Cùm enim Camillum Urſinum in Dalmatiam miſiſſent, qui cum imperio Jadræ præeſſet, is in finitimam Croatiam paulò poſt cum idoneis copiis miſit Julium è Montevecchio Umbriæ oriundum, qui ut erat vir militiæ peritus, non ſolum Obrovatium, quod nuper Veneti amiſerant, recuperavit: ſed etiam Oſtravitiam, quam Turcæ ſuperioribus annis à Pannoniis ceperant, manu captam, trucidatiſque omnibus defenſoribus, ſuccendit. Anteà quoque urbem Scardonam, juris Ungarici, ſeptem millibus paſſuum à mari remotam, in provincia Camiſſacis ſitam, Piſaurius Venetæ claſſis præfectus, repentino impetu invaſerat, & dejectis propugnaculis adapertoque muro, Turcas defenſionem parantes ad unum omnes interfici juſſerat; inter quos quidam Amuratis propinquus adoleſcens Turca ab Italis militibus cæſus fuerat. Urbs autem nudata mœnibus, ſimul cum Obrovatio, & Oſtrovicia, ex decreto ſenatus everſa fuit, ne iis locis inſtauratis, tam Venetorum maritimæ urbes & ditiones, quàm mediterraneæ juris Pannonici arces & agri continuis hoſtium latrociniis infeſtarentur.

Oppida à Venetis capta.

Dubicia arce Turcæ potiuntur.

Rejectis per Venetos ab ora maritima hoſtibus, Uſreffus & Amurates ad mediterranea Croatiæ copias reduxerunt; nec diu cunctati arcem Dubiciam, quæ æquè Prioris Auranæ Rhodiorum equitum inſtituti erat, ſed tum à Joanne & Nicolao Comitibus Zrinianis obtinebatur, obſidendam decrevêre: quod perpaucos in ea eſſe defenſores & exiguam commeatus copiam habere intellexiſſet: ita ut longiorem obſidionem ferre nequaquam poſſe viderentur. Itaque antequam Petrus Queglevitius, & Thomas Nadaſdius, qui in Illyrici præfectura Franciſco Battianio, ita jubente Ferdinando ſucceſſerant, opem ferre potuiſſent, arce ea opportuna ad confluentẽ Savi & Unæ ſita, parvo labore potiti ſunt. Cujus captæ famâ perterriti milites, qui Jaſenocii & Sobocii in præſidio erant, quæ arces in ripa Savi ſunt, ditionis procerum Sempcejorum, quòd multam pulveris ſulphurei copiam haberent, illis vacuis relictis atque ſuccenſis dilapſi fuêre. Quibus rebus permoti Queglevitius & Nadaſdius, ut Siſcis, Raſtovitia, cæteræque, quæ adhuc ſupererant arces, ipſaque Zagrabia imminenti periculo eximerentur, copias cogere, & Turcarum injuriis propulſandis obviam ire conſtituerunt.

Nadaſdius Battiano in præfectura Illyrici ſuccedit

Jaſenocium & Sobocium deſeruntur.

Nadaſdius Jaſenocium recuperat.

Sed illo ob valetudinem, qua nimis incommoda utebatur, domi ſubſiſtente, Nadaſdius Jaſenocium nec opinantibus Turcis aggreſſus, milites ut ſcalas apponere, & muros aſcenſu ſuperare contenderent, juſſit. Quorum, & præcipuè Marci Tomaſovicii præfecti eorum tantus ardor ſcandendi muros ac in arcem evadendi celeritas fuit, ut repulſis & diffugientibus, qui reſiſtebant Turcis, puncto temporis potirentur. Sed Nadaſdius præda quæ reperta erat, militibus diviſa, arcem ſolo æquavit.

Et ſanè noſtri reſumptis animis, ulteriùs progreſſuri erant, comparataque claſſicula earum navium, quas Saicas ſeu Nazadas vocamus, tam è flumine, quàm continenti inſtitutâ oppugnatione, Dubiciam recuperaturi videbantur, quum per exploratores, qui Belgrado haud procul abſunt distante venerant constanti fama adfertur Solimanum ingentibus iterum copiis & viribus in Pannoniam venire, jamque haud procul Samandria prima antecedentium agmina caſtris locum occupâſſe. Cæterum is terror noſtros juxta ac hoſtes in diverſum affecit, & noſtris quidem audaciam omnem interfregit: illos verò, ut ad Caſtra principis ſui tot partis victoriis læti proficiſcerentur, incitavit. Sed & Ferdinando ac Joanni gravis inceſſerat metus ne Solimanus ob confectas abſque ejus conſenſione mutuæ pacis conditiones, utrique iratus formidabile bellum inferret; & huic quidem eò gravior, quod Grittanæ cædis præcipuus auctor haberetur; cujus ulciſcendæ cauſa illum tantâ celeritate adverſus ſe venire ſuſpicabatur. Verùm quum Turcarum copiæ apud Siliſtriam ac inde per Brailanam Valachiæ inſulam, Danubium, factis pontibus, tranſiiſſent; intellectum eſt Solimanum in Valachiam majorem tendere, Petro Moldaviæ principi infeſta arma illaturum. Quòd etiam Luphtis, ſororius Solimani marito, qui jurgio uxoris, ut diximus, loco motus, ſupremam dignitatem purpuratorum recuperaverat, Hibraimóque ſucceſſerat, Joanni clam ſignificâſſe dicebatur.

Solimanus Petro Moldaviæ Principi bellum infert.

Duas Valachias, quæ hoc tempore Moldaviæ & Tranſalpinæ nomine cenſentur, ſimul cum Tranſilvania, veteres uno Daciæ nomine appellabant: fuiſſeque in eam Romanorum colonias deductas; præter innumera antiquitatis monimenta ſaxis & marmoribus inciſa, & adhuc extantia, illud etiam argumento & teſtimonio eſt, quod incolæ Romana lingua, quamquam corrupta, utuntur, quæ Hiſpanicæ & Gallicæ atque etiam Italicæ adeò ſimilis eſt, ut non magno labore ad mutuum ſermonis commercium intelligi queat. Moldavia mari nigro, ut nunc vocant, ſeu Ponto Polemoniaco propinquior, Tranſalpina Danubio contermina eſt, quo etiam à Bulgaria ſeparatur; & utraque Ungarorum regum clientelæ attributa, ab eo jam olim tempore, quo Conſtantinopoli Imperatores Chriſtiani florebant: à quibus Ungaro-Valachiæ vulgo nuncupabantur. Tranſilvaniæ urbes à Saxonibus incoluntur, veteremque Germanorum linguam retinent; non quidem, ut nonnulli perperam in literas retulêre, à Carolo Magno Imperatore Romanorum (neque enim Carolus inſignite unquàm in Pannonia ſeu Dacia bellum geſſiſſe idoneis teſtibus comprobari poteſt) ſed à Geyſa rege, divi Ladiſlai fratre, ante quadringentos & ampliùs annos eò deductis: prout earum urbium vetuſta, quæ extant, diplomata teſtantur. Cæteras partes Valachi & Siculi inhabitant, illi Romana, Ungarica hi utentes lingua, genus hominum ferè & bellicoſum, inter quos nemo alterum libertate aut nobilitate præit: ſed inſtar Helvetiorum, aut Scytharum, quos nunc Tartaros appellamus, omnes pari jure cenſentur: terra equis generoſis, auri, argenti venis divitibus, ſalis lapidei, argenti vivi, æris, ferri, plumbi fodinis inclita, & vini, frumenti aliarumque rerum neceſſariarum feraciſſima.

Dacia vetus.

Saxones à Geyſa rege in Tranſilvaniam deducti.

Conceperat autem odium & iram Solimanus adverſus Petrum, ob graviſſimas & innumera-

1538. *Solimani aditum in Moldavum quibus ex cauſis ortum. Petri ſcelera imputata quæ.*

metabiles querelas, quæ ad eum de variis & intolerandis illius flagitiis & facinoribus, tam à Sigiſmundo Poloniæ rege, quàm ab Joanne delatæ erant; in quorum fines, illius quidem in Pocuciana provincia, vaſtandos, & occupandos; hujus verò in Tranſilvania, expugnato & concremato oppido Praſmavo, ac urbe Biſtritia capta, præter omne jus fáſque deſignaverat. Ad hæc Griti cædem & prætorianos ſuos milites magno numero cum illo unà trucidatos, ab eo, qui utpote variarum nationum populos ad arma concitaverat, procuratam, patratámque objiciebat. Mercatores quòque Turcas prædivites, qui Ponticam navigationem exercentes, in ejus provincia negotiabantur, tam mutuo ære & ſorte, quàm fænore defraudatos, clancularis immiſſis prædonibus è medio ſuſtuliſſe; nonnullos verò, malis excogitatis artibus, manifeſtâ crudelitate inſontes trucidaſſe accuſabatur. Quamquam autem Sigiſmundus miſſis copiis, duce Joanne Tarnovio, viro undecunque clariſſimo, magna & memorabili pugna ad Obertinum commiſſa, ipſum & Valachos ad internecionem ferè cæcidiſſet; in qua Petrus ſuſcepto vulnere & amiſſis copiis, tormentíſque omnibus, quæ paulò ante Petro Perenio & Stephano Matlato, Ferdinandi ducibus, nihil ab eo hoſtile metuentibus, fraude dolóque ademerat, ipſe tamen quieſcere non poterat; nec ab invadenda, ac excurſionibus infeſtanda Pocucia abſtinebat, eam à priſcis Poloniæ regibus, proavo ſuo Stephano, pignori traditam eſſe referens. Unde Sigiſmundus, licèt hominem nullius fidei & conſtantiæ facilè compeſcere poſſet; ſalvis tamen fœderibus, ejus apud Solimanum malefacta accuſare, cujus eum clientem & beneficiarium non ignorabat, quàm ipſe immania ejus latrocinia & inſignes contumelias vindicare maluit. Adventu Solimani exterritus Moldavus, quòd ob inſignem crudelitatem, ſubditorum omnium animos à ſe averſos ſciret, ac certis argumentis reputaret fore, ut ſi ſe eorum fidei committeret, ab iis haud cunctanter, ad certam crudeliſſimi ſupplicii pœnam Solimano tradendus foret; conſilium de fuga ſumpſit; & cum pauciſſimis, quos fideliores putabat, per ſilvas & ſolitudines, ac altiſſimarum alpium ſumma juga, quæ Moldaviam à Tranſilvania ſeparant, ad Cicionem in

Petrus in Cicionem Tranſilvaniæ arcem ſe ſubducit.

Tranſilvaniam iter & fugam intendit. Ea arx Stephano Moldavo principi, tot & tantorum regum, & exercituum, ut ſupra annotavimus, victori, à Matthia rege dono data fuerat: & hactenus ex liberalitate regum Ungariæ, Petri nomine ſervabatur: in quam etiam futura proſpiciens, conjugem cum parvis liberis & cariore ſupellectile paulò ante præmiſerat.

Joannes his cognitis, magno ſolutus metu, Ferdinandum de Solimani conſiliis edocet; eum quidem in Moldaviam rectà contendere, ſe tamen vereri, ne miſſa ſub jugum illa, Tranſilvaniam quòque & vicinam Pannoniam invadat; igitur petere, ut juxta noviſſimi fœderis tabulas, mutuo ſibi auxilio eſſe velit: Ordinibúſque imperii auctor eſſe, ut auxiliares copiæ ſibi laboranti maturè mittantur; ſe ſupra militares ordines, quos in Ungaria & Tranſilvania certis ſtipendiis alat, alios quòque, quos poſſit omnes extemplo centuriaturum, armaturúmque; & ſi Ferdinandi ac Germanorum idoneis copiis juvetur, conaturum in loco tam opportuno, cum hoſtibus, & ipſo Solimano, extremam fortunæ aleam experiri. Ferdinandus adhæc reſcripſit, ſe diligentiâ & celeritate ſummâ curaturum, ut ad inſtantis meſſis initium tam ſua, quàm Germaniæ auxilia Budæ præſto ſint; in quibus peditum XLVIII. Equitum verò cataphractorum octo millia cenſeantur. Quibus rebus confiſus rectà Varadinum, atque illinc in Tranſilvaniam proficiſci conſtituit. Quacunque autem iit, omnes ubique ad arma ſumenda concitavit; brevíque in ejus caſtra confluxêre ad octoginta millia hominum. Hæc tamen majori quo poterat ſilentio, tectíſque conſiliis fiebant, ne divulgata ad aures Solimani perferrentur.

1538. *Ferdinandus & Joannes clanculum copias adverſus Solimanum conſcribunt.*

Porrò Solimanus quum Moldaviam attigiſſet, proceres provinciæ, quos Bojeros vocant, Suchanæ, quæ ſedes principis eſt, congregati, ei ſe ac ſua omnia tradunt; principémque niſi aufugiſſet, ei ſe unà daturos affirmantes, veniam impetrant, ac Stephanum Petri fratrem, antea à fratre pulſum, diuque Byzantii exulem principem accipiunt: eâ conditione, ut poſſeſſa, fiduciario nomine, provincia, decem millium aureorum numûm ſummam quotannis pendat. Solimanus ſinè ſuorum ſanguine, nec educto gladio, victoriâ potitus, direptis omnibus Petri theſauris, quos ille metu perculſus reliquerat, admonitóque, ut in fide perſiſteret, Stephano, remenſus Iſtrum per Bulgariam & Thraciam Byzantium eſt reverſus.

Solimanus Stephanum Petri fratrem Moldaviæ præficit.

Dum Iſtrum eodem ponte trajiceret, fama ad eum perfertur, Joannem cum maximis tam ſuis, quàm Ferdinandi copiis clauſtra alpium obſediſſe, ut ſi ipſe ad occupandam Tranſilvaniam vires exercitúmque convertiſſet, eum aditu provinciæ prohiberet, ac in illis alpium anguſtiis, quibus ipſe ingentes copias ſuas in ordinem, aciémque explicare non poſſet, belli fortunam experiretur. Quamobrem fremens ac frendens, iráque & odio exardens, Magiaralem Chauſium (ſic Turcæ prætorianos præcones vocant) ad Joannem miſit, ingratum eum, & deſertorem, beneficiorum immemorem appellans: proinde præcluſam ſibi omnem deinceps incolumitatis ſpem & exſpectationem fore; ſtatutúmque ſe brevì, ut dignitate regiâ exutus, & in ordinem redactus, ſolum vertat, aut in vinculis expiret; non hæc ſibi olim promiſſa data ab eo eſſe, ſed conſtantem amicitiam fidémque; quas quum ab eo proditas videat, celerem injuſtè ſuſcepti belli pœnitentiam eum propediem ſenſurum.

Solimani indignatio in Vaivodam, ob exercitum collectum.

Joannes à Luphti, quem ſibi ampliſſimis donis conciliaverat, admonitus, humilis & ſupplex ad ea reſpondit, ſe non contra Solimanum, quem vitæ & dignitatis ſuæ auctorem libenter agnoſcat & fateatur, neceſſarium bellum gerere; quis enim ſe ipſo magis ingratus, ſceleratúſque eſſe poſſit, ſi tantum flagitium in animum inducat? ſed ad perdomandas æmuli & hoſtis Moldavi contumelias, quibus inſolentiſſimè læſus eſſet, arma neceſſaria ſumpſiſſe, eúmque in Cicione obſeſſum habere; ita ut ſpem habeat, illum brevì è latebris, in queis ſe abdidit, extrahendi, non eſſe cur de ſua fide & conſtantia aliquid dubitet; quam ille ad extremum uſque ſpiritum inconcuſſam & inviolatam ſit retenturus.

Vaivodæ ſupplex excuſatio, & ipſi Solimano ad ſumendas de eo meritas pœnas annitendi.

Placato hunc in modum Solimano, eóque iter ſuum proſequente, Ferdinandus duo millia Equitum Ungarorum, qui omnes erant peltati atque haſtati, ducibus Franciſco Niario, Balthaſare Banffio, & Nicolao Oſtroſitio ad Joannem in Tranſilvania adhuc agitantem miſit, & cum his legionem Hiſpanicam ſelectiſſimam, quatuor millia veteranorum militum conti-

Ferdinandi auxiliares copiæ.

1538.

continentem; cui varii minores Duces præerant: omnibus tamen Aloyſius Cuevs vetus Tribunus, in obſidione urbis Viennæ, in qua egregiam operam præſtiterat, clarus imperitabat. Hi quum ad Debrecenium nobile imprimis & clarum oppidum perveniſſent, iſthic ſe & ſera attuliſſe auxilia, & Solimanum confectis ex animi ſui ſententia in Moldavis rebus, domum revertiſſe cognoverunt. Cæterum confiſi recentibus fœderum pactis, digno ſeipſis officio ſuſcepto nec id Ferdinando minùs gratum fore rati, Joannem, qui non procul ſub Cicione caſtra habebat, & Moldavum incluſum oppugnabat, ſalutare atque inviſere decreverunt. Itaque relictis Debreceni militaribus copiis, aliquot tantum clarioris nominis præfectis ſecum acceptis, per leviores quadrigas, quæ in eo oppido frequentes & miræ celeritatis laude celebres reperiuntur, in Tranſilvaniam properarunt. Eos Joannes blanda hilaríque fronte excepit, ac per aliquot dies apud ſe retentos convivio adhibuit, ac demum amplis muneribus donatos, ſummo cum honore dimiſit: itique ſimul cum Hiſpanis ad Ferdinandum incolumes redierunt.

Solymano Conſtantinopolim reverſo,

Nec multò pòſt Petrus, fracto longioris obſidionis incommodis animo ac ſuorum militum proditionem metuens, nec clementiæ Joannis diffiſus, ad victoris arbitrium neceſſariam deditionem fecit: quam tamen Joannes ea moderati animi æquitate admiſit, ut arcis poſſeſſionem apud conjugem ac liberos ejus relinqueret: ipſum autem de ſalute & incolumitate ſua, quã optimè ſperare juberet, effeciſſe ſe apud Lapheim, Baſſarum ſeu purpuratorum principem, effecturum etiam apud Solimanum, ne ipſi quicquam præter exilium mali eveniat. Petrus eum ſupplex & ad genua provolutus, humili oratione delinire conatus, orare & obteſtari, ut injuriarum quas ipſi graves & toleratu difficiles, inſanis uſus conſiliis, intuliſſet, penitus oblivиſci vellet; potiúſque ſummam verámque clementiæ laudem ei a fortunâ oblatam, regio animo exerceret; quando & ipſe olim adverſam expertus fortunam, rerum humanarum varias viciſſitudines optimè calleret. At Stephanus, quum fratrem in Joannis poteſtatem deveniſſe didiciſſet, nullâ interpoſitâ morâ, Solimanum certiorem reddit, atque ut illum ſibi tradendum imperet, orat. Iſle repetitis vicibus, ut vinctus ſub cuſtodiâ ad ſe mittatur, minaciter mandavit, immanitatis & ſcelerum ſuorum pœnas exſoluturus. Verùm Joannes, quum antea purpuratorum mentes, ac voluntates ampliſſimis muneribus præoccupaſſet, reſcribendo & deprecando effecit, ut Solimani animus, quem gravem in Petrum conceperat, mitigaretur: quum ſe illi ante confectas deditionis conditiones ſuam interpoſuiſſe fidem affirmaret, ne de ejus vitâ & ſalute quicquam adverſi ſtatueretur. Ita Solimanus eum in Galatam, quæ ab Italis & Liguribus, à quibus condita eſſe fertur, Pera appellatur, è regione urbis Conſtantinopolitanæ intermedio mari, ſitam relegavit.

domum etiam redeunt,

Petrus Vaivoda arbitrio ſe ſubmittit.

Petrus à Solimano in Galatam relegatur.

Interea in Moldavia quum Stephanus crudelius & atrocius, quàm ferri poſſet, ſubditis imperaret; utpote quos partim vel leviſſimis de cauſis, ſe præſente & ſpectante, extremis ſuppliciis immaniter trucidari juberet; partim ſuâ manu inter convivia & epulas trucidaret, facto paribus votis concurſu & impetu, interficitur: & Alexius quidam Eliæ quondam principis filius, qui metu Petri olim apud Polonos exulaverat, à Bojeris eligitur.

Stephanus ejus frater ob immanem in ſuos ſævitiem trucidatur.

Sed quum Petrus Byzantii Solimanum & purpuratos maximis muneribus & ingenti pecuniæ vi, à fœneratoribus Judæis, & mercatoribus Græcis, quorum ritum in religione ſequebatur, mutuò ſumpta, acriter oppugnare diceretur, ut in ſedem regnúmque reſtitueretur, brevíque faventibus aulæ principibus rediturus crederetur, Alexius & Bojerii, per internuntium Petrum Rubeum, Cibinienſis urbis prætorem, Ferdinandum urgere cœperunt, ſi eis idonea auxilia ſubmitteret, ſeſe in priſtinam ipſius, uti regis Pannoniæ, clientelam protinus conceſſuros; deſertíſque Turcis imperata ejus facturos. Quâ in re quum lentius, quàm Moldavorum res poſcebant, & tardius à Ferdinando deliberatur, fortè Turcis & Solimano totius legationis ſeries, & Moldavorum conſilia innoteſcunt. Quæ res Petro exuli magnũ adjumentum attuliſſe, ejúſque reductionem acceleraſſe viſa eſt: Solimanus enim Alexio & Moldavis, qui conſilia nefaria ab eo deficiendi agitâſſe ferebantur, admodum iratus, Petro regnum reſtitui extemplo mandavit, eíque reducendo præfectum ſtabuli ſui, unum ex præcipuis familiaribus delegit. Quem validis equitum prætorianorum turmis, quum Iſtrum trajeciſſe intellexiſſent, Moldavorum Bojerii, magnopere Turcarum arma formidantes, ſummo concepto ſcelere, obtruncandi Alexii conſilium inierunt, arbitrati ejus cæde apud reductum Petrũ ſeſe gratiam & benevolentiam adepturos; ita inſons, nec mortem promeritus miſer jugulatur; intereaque Petrus ſingulari felicitate in regnum reductus, & per Stabuli præfectum in ſedem ſuam Suchavienſem collocatus eſt. Quem cum multis magniq; pretii donis excoluiſſet, ac pecuniâ & auro, populis protinus avarè & crudeliter imperato donaſſet, Conſtantinopolim remiſit. Ipſe verò ſumma, quam ante legati diſceſſum aſturè compreſſerat, ſævitiâ & tyrannide, alios ex præcipuis alia de cauſa comprehenſos nefariè interfici juſſit, tantâ crudelis animi acerbitate & ſanguinis ſiti, ut tam arcis ipſius triclinia & palatia, effuſo cruore, quàm oppidi plateæ, occiſorum vel inſontium hominum funeribus complerentur.

Alexius ei ſuccedit. Alexius cum Moldavis ad Ferdinandum tranſire parat.

Quo cognito, Petrus Solimani copiis in principatum reſtituitur. Alexius à Bojeris interficitur.

Regnavit autem vir ſanguinarius, & divini ac humani juris & æqui expers, ab obitu Joannis ferè per decennium, nihil de ſolita ſua immanitate remittens, adeo ut poſtquam multò majorem nobilitatis partem falſis & confictis criminibus circumventam tyrannico more ſuſtuliſſet, conjuratione ſubjectorum populorum adversùs ſe facta, eadem quam in ipſos exercuerat, feritate trucidatus fuerit: delectu in ejus locum communibus ſuffragiis Alexandro principe, eámque electionem Solimano haud cunctanter confirmante: qui quum tolerabiliorem dominationem primis auſpiciis exercendo oſtendiſſet, diuturniori quòque tempore principatum adminiſtravit, donec à Jacobo Heraclida natione Græco per proditionem regno pulſus iterùm à Solimano, ad cujus opem confugerat, reſtitueretur, quemadmodum ſuo loco atq; ordine referemus.

Crudelitas ejus in nobiles, quæ ei exitium peperit. Alexandro Principe ei ſuffecto.

Poſtquam Joannes pacem cum Ferdinando compoſuiſſet, ac Solimanum quà precibus, quà multo auro reconciliaſſet, parto otio & quiete, conſilia ſuorum, & potiſſimùm Stephani Verbecii, cui multum tribuebat, ſequutus, cœlibatum abrumpere decrevit, & animum ad nuptias ducendámque conjugem applicuit. Itaque quum multis de cauſis Sigiſmundi Poloniæ regis filia Iſabella placuiſſet, quam ille è Bona regina, Joannis Galeacii Sforciæ, Mediolani principis filia

Vaivoda Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam Iſabellam ducit.

ſuſce-

1539. ſuſceperat, eam per legatos petere conſtituit. Miſſi igitur Stephanus Brodericus Epiſcopus Vacienſis, ac Stephanus Verbecius rem ex ſententia perfecerunt. Quum enim neque virgo regis, neque Sigiſmuudus pater votis abnuiſſet, nuptiarum celebritati tempus conſtitutum eſt, ultimus ante Quadrageſimæ initium, in qua Chriſtiano ritu à carnibus abſtinemus, ſolis dies. Qui quum in proximo eſſet, Joannes ad deducendam ſponſam legatos miſit, eundem Brodericum ac Petrum Perenium, & Stephanum Homonnaim cognomine Drugetum, iique eam è Polonia Caſſoviam, atque illinc Budam magnifico apparatu & luxu deduxerunt; Budæque tridui quiete ſumptâ Albam contenderunt; qua in urbe Joannes eorum adventum expectabat, eo conſilio, ut unà cum nuptiis coronatio quoque novæ nuptæ ſimul perageretur.

Albæ nuptiæ & inauguratio celebrata.

Erecta erant in campo Albano aliquot tentoria phrygii operis, eleganter acu picta, Solimani ac Ibraimi, dum floreret, munera, in quibus Joannes ſponſam excepit: ac poſt junctas dextras, & mutuos, haud tamen prolixos ſermones, reditum in urbem eſt; celebratiſque ſingulari pompâ nuptiis, primo die Solis, qui in Quadrageſimæ initium incurrit, in templum divæ Deiparæ Virginis itum eſt: ibique peractis ſacris nova nupta rite coronata eſt. Deinde abſolutis, quæ ad præſens neceſſaria eſſe videbantur, Budam reverſi ſunt: & ibi per multos dies, tripudia & ludi, ac cætera, quæ in ejuſmodi pompis fieri vulgus amat, omnia in regium morem continuata. Intererat nuptialibus choris cohoneſtandis nomine Ferdinandi legatus Gaſpar Seredius, vir apprimè dives & induſtrius; is quum inter compotandum, ut fit, de variis rebus ſermones confereret cum Perenio, haud obſcurè intellexit, illum ad partes Ferdinandi traduci poſſe, ſi ei Cancellarii munus concrederetur, quod tamen legibus, vel magis veteri conſuetudine, nonniſi ſacratis viris concedi ſolitum erat. Itaque vir aſtutus & prudens, nullâ interjectâ morâ, ei in ſecretiorem locum perducto ſtipulatâ manu promiſit munus illud, quod tantopere affectaret, traditure Ferdinando, ejus curæ & adminiſtrationis futurum, ſimul ac ipſe ad Ferdinandum rediiſſet. Contrà Perenius data dextra fidem dedit, ſi id impetratum foret, ſe confeſtim ad Ferdinandi partes tranſiturum, à quibus, niſi Seredius noſſet, non ſponte defeciſſet, ſed captus & Solimano traditus, ac nonniſi filio obſide dato liberatus, extremam neceſſitatem ſubire coactus eſſet. At Seredius quum ad Ferdinandum rediiſſet, cumque de his, quæ cum Perenio egerat, edocuiſſet, ea omnia à Ferdinando ſummæ benignitatis Principe obtinuit: qui Perenio, ſi ad ſe veniret, ſigilla ſua regia uti Cancellario daturum, per literas ſignificavit. Quibus rebus illectus Perenius, priuſquam Joannes in Tranſilvaniam proficiſceretur, veniâ domum redeundi petitâ, Ferdinando adhæſit, perinde officio functus eſt; ita ut cùm ipſe publicis aut privatis negotiis occupatus aulâ abeſſet, Joannes præpoſitus Lelezienſis vicariam ei operam præſtare eſſet ſolitus.

Perenius Cancellarii munere oblato, ad Ferdinandi partes à Seredio traducitur.

Mailatus & Balaſſius ad Ferdinandum moliuntur defectionem.

Quibus rebus dum vacatur, & Joannes genio indulgens liberis operam dare noſcitur, inopinatò ei nuntiatum eſt Stephanum Mailatum, & Emericum Balaſſium, quibus adminiſtrationem Tranſilvaniæ commiſerat, res novas & defectionem ad Ferdinandum moliri. Hunc enim Ferdinandus, operâ Melchioris fratris apud ſe militari præfecturâ fungentis; illum verò per Thomam Nadaſdium, Illyrici præfectum, cujus ſoror apud Mailatum in matrimonio habebatur, ad ſuas partes traduxerat: ita ut ſi Hiſpanicæ & Pannonicæ pedeſtres & equeſtres copiæ, quas Debreceni per aliquod tempus hæſiſſe diximus, in provinciam proficiſci maturarent, ſeſe majon cum Saxonum & provincialium parte, vires ſuas cum Ferdinandicis conjuncturos pollicerentur; quæ tamen jam anteà redierant. Sed Joannes ſummâ adhibitâ celeritate, præveniendos eos, & præoccupanda eorum conſilia arbitratus, relictâ Budæ novâ nuptâ, quæ uterum gerebat, illaque ſimul, & rerum urbanarum procuratione clariſſimis ſenibus Gregorio Peſthenio & Benedicto Bajonio commiſſa, in Tranſilvaniam cum aulæ comitatu iter inſtituit. Ab hoc Bajonio, quum Joannes, an pecuniam haberet, obiter olim quæſiviſſet, fertur reſpondiſſe, ſe quidem accumulando auro nunquam ſtuduiſſe, habere tamen in ſua ditione centum ſubditos, qui quando opus ſit, ſinguli millenos aureos ei quàm promptiſſimè numeraturi eſſent. Interim verò quas potuit copias magnâ curâ & celeritate conquiſivit: nec mora, Valentinum Eningium Turcum cognomine cum mille equitibus, totidemque peditibus, prope Huniadianum oppidum obvium habuit, cumque in exercitu legatum conſtituit.

Vaivoda illorum conatibus it obviam.

Diodum & Almaſſiam Balaſſii arces occupat.

Progreſſus in provinciam, accitis in caſtra Saxonibus & Siculis, quos Nicolaus Corniſius, & Martinus Andraſſius ductabant, arcem Emerici Balaſſii, quæ Diodum appellatur, quæque prima occurrebat, acri obſidione cingere decrevit. Sed qui ab Emerico tuendæ arci relicti erant, imbelles & hero ſuo ſimiles (erat enim Emericus calvitie & deformi vultu, inefficacique ingenio prorſus contemnendus; ſecus quàm fratres, qui clari militiâ habebantur, nec quod mereretur, collega Mailato additus erat, ſed gratiâ ac beneficio Joannis) abſque longiori cunctatione deditionem fecerunt: quòd ſe rebus omnibus ad tolerandam obſidionem neceſſariis carere dicerent. Eos Joannes in gratiam recepit, ſed arcem ſolo æquari juſſit; quæ ad noſtram ætatem diruta & vaſtata, neque deinceps reſtaurata conſpicitur. Alteram etiam arcem ejus Almaſſiam, eodem impetu obſideri juſſit, quæ eundem in modum capta eſt, ac funditus everſa; quam Rex Uladislaus olim Benedicto Battanio dederat; atque is pro ea aliam arcem Athenas dictam factâ permutatione cum Joſepho Somio tradiderat: cujus Somii neptis, Gaſparis filia apud Emericum in matrimonio habebatur, ejuſque jure poſſeſſionem arcis erat adeptus.

Balaſſius clementiam Vaivodæ implorat & obtinet.

His rerum ſuarum periculis territus Emericus, nec ullam niſi in Joannis clementia ſpem collocans, obſoletâ indutus veſte, ac penulâ vili ſuperinductâ, clàm omnibus in caſtra venit, ibique ad genua procidens, ambabus manibus apprehenſa regia veſte: Per ego te, inquit, “Deum immortalem, & fidem dextramque “tuam, perque omne fas precor, quæſoque, “ne ante oculos tuos pati me infanda quæque “patiare: ſed pro tua erga omnes inſigni cle- “mentia & pietate, me in gratiam receptum, “regio more conſerva, quem erroris & mutatæ “fidei vehementer tædet pœnitetque. Quod ſi “unquam ampliùs tanto me ſcelere implicave- “ro, tum verò quolibet cruciatu enecandum “jubeas licet.” Nonnulli ex Procerum numero

1540. addidêre preces, & Joannem, qui naturâ ad miſericordiam, quàm iram pronior erat, haud dubiè fleſêre; itaque Emerico quidem ignovit, ſed arcibus, quas modò ceperat, ademptis mulctatum eum adpræſens dimiſit.

Inde Mailati arcem Fogaras aggreditur.

Poſt aliquot dies caſtra promovit adversùs Stephanum Mailatum, qui ut collega Emerico, belli paciſque artibus longè erat ſuperior, viribúſque potentior, ita arcem ſuam Fogaras commeatu, milite idoneo, tormentis bellicis, aliiſque perferendæ obſidioni neceſſariis abunde inſtruxerat, foſſas repurgaverat, latioréſque reddiderat, vallo vimineos corbes terrà repletos addiderat; ita ut Joanni & ejus ducibus diuturnior future obſidio videretur.

Vaivoda gravis morbus.

Antequam ad Fogaras perventum eſſet, Joannes in caſtris graviter ægrotare cepit, capitis dolore, & vertigine haud leviter exagitatus, adeò ut aliquando tetrâ oculorum caligine obrutus, ac hebetatis ſenſibus proloquendo vix familiares agnoſcere videretur. Igitur medicorum ſuaſu in oppido Sebeſſo, quod Saxonicum vocatur, ſubſtitit, ibique curandæ valetudini operam dedit: ſed quæ nonnunquam commoda eſſe videretur, nonnunquam verò per quædam intervalla redeunte morbo ingraveſceret. Ipſe itaque adverſa impeditus valetudine, negotium dedit Valentino legato, ut obſidione dies noctéſque continuatâ, aut Fogaras ſummâ admotâ vi caperet; aut Mailatus ad deditionis conditiones compelleretur.

Iſabella Vaivoda conjux filiolum maſculũ enixa eſt, an 1540. 7. Julii.

Interea advolat Budâ lætiſſimus nuntius, Iſabellam felici partu elegantem maſculum enixam eſſe referens, quo ſolatio effusè lætus, adhibitis convivio Proceribus, liberaliùs vino indulſit; & morbum laceſſiviſſe viſus eſt: ipſe quidem in oppido, ingenti perfuſus lætitia, varios equitum haſtatorum concurſus, ludóſque militares fieri juſſit, eóſque ſpectavit; in caſtris verò Valentinus eadem ſigna lætitiæ certatim edidit, in quibus peltati equites haſtatique decurrere, & multus magnuſque tormentorum fragor, & tubarũ tympanorúmque clangor ſtrepitúſque fuêre.

Poſtero die, qui XXI. Quintilis menſis dies fuit, quum duo milites duello ſingulari dimicaturi eſſent, ab eoque jus & facultatem armis congrediendi poſcerent (mos enim erat in Pannonia, non Palatinum, non Prætorem, nun quemvis alium præter Regem ipſum, ſi præſens in regno ſit, eam duelli cauſam decidere) pro

Mors Regis Joannis 21 Jul 1540. in Scaſſebes anno ætatis 53.

tribunali ſedit: cúmque actione propoſitâ, controverſiam vel componere, vel illos inter ſe committere vellet, confuſâ & delirâ mente verba quidem haud ſatis intellecta proferre cepit, & caſuro ſimilis à familiarium intimis in cubiculum deductus fuit, in quo eâdem nocte è vivis exceſſit: quum annum ætatis quinquageſimum tertium abſolviſſet.

Joannis mores & ambitus. Teſtamento ejus pupillo & matri tutores conſtituti Georgius Monachus & Petrovitius.

Fuit Joannes per omnem vitam placido liberalique ingenio, moribúſque inculpatus, niſi quòd ante adeptum regii nominis faſtigium, & etiam dum regnaret, nimiæ ambitionis damnaretur; quâ quidem ab æquo & bono raptus, Turcicæ etiam ſocietatis male audiendo pœnas dedit; remque publicam Chriſtianam, cujus firmamentum eſſe debebat, ab eo barbaris immanibus proditam eſſe pleríque objiciebant: cujus tamen ſceleris notam, ipſe exemplo Galliarum Regis Franciſci defendere atque diluere ſolebat. Paulò pòſt apertum fuit ejus teſtamentum, quod antequam in morbum incidiſſet, condiderat: in quo Iſabellæ & infanti pupillo, cui Joan. Sigiſmundi nomen, ſic volente matre, inditum erat, ut in eo avi materni ſimul & patris memoria repeteretur; tutores eſſe jubebat Georgium Monachum Varadienſem Epiſc. de quo ſuprà retulimus, & Petrum Petrovitium, celebrem virum, jamque ad ſenium vergentem, ſibique propinquitate junctum: ita ut hic Temeſuarii præfecturam, ſummæ dignitatis & ampliſſimi censûs adminiſtraret: ille verò ærarium, vectigalia, arces, portoria auri & argenti, ſaliſque fodinas curaret, ac juri dicundo præeſſet; populiſque omnibus & liberis Saxonum civitatibus, Siculiſque ſummæ poteſtatis auctoritate imperitaret, donec pupillus adoleſceret. Porrò exercitui, caſtris, militiæque Valentinus, ut antea ſuperſtite Joanne, ita deinceps curandis operam dabat, neque ab obſidione Mailati diſcedendum putabat, occultato per aliquot dies Regis obitu.

Induciæ annuæ à Valentino cum Mailato factæ.

Qui cùm diutiùs ſupprimi non poſſet, inducias annuas, non detrectante Mailato, faciendas cenſuit, ut cadaver regium Albam commodiùs deferretur, ubi ſepeliri Reges, antiquo more conſueverunt.

Vaivoda corpus Albæ ſepultum.

Illud ergo Tutores, ac præfecti militiæ, Idibus Septembris, currui impoſitum ex Sebeſſo Saxonico Budam, & deinde Albam delatum exquiſitis funeris honoribus ac ſingulari pompâ humandum curaverunt: indeque Budam regreſſi, conſilio accuratè habito, eandem, quæ vivente Rege inſtructa & exornata erat, legationem ad Solimanum ire decreverunt: ac confeſtim Joannem

Eſſechius Quinqueeccleſ. Epiſcopus & Verbecius ad Solimanum legati miſſi.

Eſſechium Quinqueeccleſ. Epiſcopum & Stephanum Verbecium epiſtolarum magiſtrum iter Conſtantinopolim aggredi juſſerunt: additis, quæ Solimano & purpuratis offerenda eſſent, muneribus ampliſſimis; qui Solimanum de obitu Joannis certiorè redderent, & eum morientem, ut beneficiarium clientémque decebat, tam viduam ſuam & pupillum, quàm regnum in ejus tutelam teſtamento commendaſſe ſignificarent: ſimulque maturam implorarent opem, ſi fortè Ferdinandus Budæ ac Pannoniæ repetendæ conſilia agitare, ac viduæ arma inferre vellet.

Uſreſſi & Amurates excurſiones in Croatiam. Zrinium obſident fruſtra.

Quæ dum fierent, & Ferdinandus, auditâ Joannis morte, ad nova conſilia animum adjeciſſet & diligentiam ac curam in omnes partes majoribus intentus, nonnihil remittere cogeretur; Uſreſſus Boſnæ & Amurates Dalmata Cliſſiæ ſupra Salonas præfecti, occaſionem nacti, crudelem in Croatiam excurſionem fecêre, depopulatis & combuſtis circa oppidum Zrinium pagis quamplurimis. Et cùm neminem, qui reſiſteret, conſpexiſſent, advectis celeriter è Varboſania & jacta muralibus tormentis, rebúſque ad oppugnandas arces neceſſariis, Zrinium obſidere decreverunt. Sed cùm Nicolaus Comes Joannis frater natu junior, locum egregiâ virtute tueretur, & Joannes, qui foris auxilia procurabat, cum validis ſuppetiis brevì adventurus diceretur, omiſſa quam temere intulerant obſidione, & amiſſis è ſuorum numero quamplurimis & in iis aliquot clarioris nominis centurionibus & præfectis, re infectâ receſſerunt: ſicque ea regio hoſtili metu liberata per aliquod tempus in tranquillo fuit. Comites viciſſim Zriniani non multo pòſt coacto ex ſuis clientibus & amicorum auxiliis exercitu, Dubiciam & Camengredum ultra Hunam flumen ſita & ſuperioribus annis Turcarum armis erepta invasêre, ac oppida quidem ipſa, ſalvis arcibus igne & ferro vaſtavêre, abductis in ſervitutem quamplurimis hoſtium, multíſque pecoribus, ita ut parem aut majorem hoſtibus cladem intuliſſe haud dubiè cenſerentur.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XIV.

1540. CIVILA bellom, quod interventu pacis ſopitum aut intermiſſum videbatur, morte Joannis Regis, maximus invectis omnium rerum perturbatinnibus, vehementi repentinoque impetu recruduit: illúdque poſtea non Europam modò omnem, verùm etiam longinquos Aſiæ atque Ægypti populos immani rabie ad arma concitavit: nobiliſſiooque Paononiæ regno ſupramam cladem atque excidium attuliſſe viſum eſt. Ferdinandua ſiquidem, repetendi regni copidiſſimus, ac pacis fœderúmque cum Joaone pactorum vi ac robore ſubnixus, nuntiato Joannis obitu, occaſionem minimè negligendam ratus, quin arma pararet, illatoque bello jus ſuum proſequeretur, minimè dubuaodum exiſtimavit. Eum per ſe hehemeoter ad belli ſtudia propenſom, plerique Procerum Panoooiorum, qui ejus partes ab initio ſequuti erant, aſſiduè incitabant: & ante alios Alexius Turzo, Franciſcus Battianiua, Gaſpar Seredius, Balthaſar Banffius, Joannes Caſtellanffius, ac Franciſcua Niarius, cæterique duces, & turmarum præfecti, & ipſe potiſſimùm Perenius, paulò antè, ùt diximus, operâ Seredii ad partea traductus: ii omnes arripiendam tam commodam opportunamque occaſionem ſuadebant, utendumque conditionibua jam pridem icti fœderis, neque diutius procraſtinandum; quin ſi Regina renuat, & Budâ regnoque cedere nolit, vel invitam ad ſervandas conditionea compellendam: poſſe bellum ante hiemis adventum proſperè confici, ſi maturè inferatur, priùs nimirum, quàm legati impetratis Byzantio auxilia revertantur, aſperitatemque hiemis barbaros excluſuram. Qui etiamſi adveniant, & ſuppetias ferant, tantas eſſe Ferdinando vires, tantas tamque firmas à Carolo Cæſare fratre expectari equitum ac veteranorum peditum copias, & invicta Germanorum robora, ut nihil de felici expeditionis exitu ac victoria dubitandum videatur. Adfore Deum immortalem meliori cauſæ ac conſiliis, quæ æquitate ac juſtitiâ nitantur.

Ferdinandus ab Hungaris proceribus, ut regnū bello illato recuperet, inſtigatur.

Hæc atque alia talia non minore ſtudio atque contentione Germani quòque duces & præfecti ſoadebant, Rogeodorffius, Felſius, ac Nicolaus Comes Salmenſis, Nicolai ſenioris filiua, quem Cæſar paulò antè, quum ad eum de Corone Peloponneſi urbe Turcis reſtituenda legatua miſſus eſſet, ob eximias ejus virtutes & rei militaris peritiam in ordinem inſignium equitum, quos vocant, aurei velleris, allegârat, aliique complures, qui eo in bello aut primos honores, aut opimas præfecturas, ac turmarum ac ordioum & cohortium procuratiooes ſe conſequuturos ſperabant. Ejuſmodi etiam conſilia, quibua res omnis in una celeritate poſita eſſe cenſebatur, non tantùm præcipuis rogatis viris, ac ſingulari prudentia & rerum uſu peritis, qui Ferdinando Regi ab arcanis erant, vehementer non ſolùm probabantur: ſed etiam ipſe Ferdinandus inferendi atque gerendi belli juſti, ùt ferebatur, avidiſſimus erat. 1540.

Unus Hieronymus Laſcus, qui à Joanne rege, quòd Cibacianæ cædis à Grito patratæ conſcius fuiſſe diceretur, incarceratus, ùt diximus, ac ſupplicio deſtinatus erat, eamque ob injuriam, deſerto illo, ad Ferdioandum tranſierat, rem tam arduam, in qua de Pannoniæ Auſtriæque ſalure ageretur, conſilio potiùs ac ingenio, quàm armis tentandam arbitrabatur: idque Ferdinando & iis, qui non mediocrem apud eum auctoritatem obtinebant, palàm prædicabat, ac identidem perſuadere contendebat. Noviſſe ſe ingenium Solimani, moreſque intolerandâ inflatos ſuperbiâ, ſimulque purpuratorum bella ex bellis ſerere ſolitorum inexplebilem avaritiam; proinde longè conſultius futurum ſibi videri, regnum ab illo clientelæ potiùs, beneficiique nomine obtinere, idque ſe exiſtimare largiendo, ac inſitæ barbarorum animis vanitati aſſentando impetrari poſſe, quàm armis & bello, cujus eventus mille fortunæ caſibus ſubjiciuntur, dubia Martis alea extorquendum putare: vereri que imprimis ne bellum quod eo præcipiti repentinoque impetu inferatur, Turcarum formidabilia arma excitet, & alia ſubinde atque alia bellorum incommoda adferat, quibus non Pannonia ſolùm & Auſtria propinquior, ſed omnis ferè Germania in apertum diſcrimen rapiatur.

Laſcus bellum diſſuadet.

Quæ Ferdinandus cùm cognoviſſet, ita de his haud cuoctanter deliberavit, ut ea, quæ à Laſco in medium adferrentur, haud contemnenda eſſe diceret, & duplicem legationem ſine mora mittendam decerneret, quarum una ad Solimanum, altera verò ad Reginam inſtrueretur. Nec verò quiſquam potior Laſco viſus eſt, qui Solimani animum pertentaret, utpote, qui repetitis vicibus ſuſcepto eo graviſſimo munere, tam Solimano cognitus, quàm ejus purpuratis familiaris redditus eſſe cenſeretur. Itaque ipſe brevi paratis, quæ ad iter erant neceſſariæ, rebus Viennâ diſcedens, terreſtri itinere, per Illyrici fines Belgradum, atque indè Byzantium pervenit. Nicolaua verò Salmenſis Comes Budam ad Reginam mittitur, tabellaſque fæderis cum Joanne initi proferre jubetur, quibus ictum erat & tranſactum, poſt Joannem fato functum regni Pannoniæ jura & ſceptra ad Ferdinandum recidere, & ſi Joannea maſculam prolem relinqueret, ei Tranſilvaniam omnem & patrimonium familiæ Zapoliaoæ, quod erat longè ampliſſimum, ſimul cum Oppaviæ in Sileſia principatu tradendum eſſe, quæ Ferdinandus nihil cuoctatus ei ſit conceſſurus; dummodo ipſa regno, quod jam alieni factum eſſet juris, decedendum putet, neque rem ad arma deferri velit. Si verò ipſa legitimæ tranſactiona limites egrediatur, & quæ aliena ſint, reddere negligat; non defutura arma, quibus regnum multis modis, & potiſſimùm poſtremo icto fœdere ſibi debitum, ab Regina vel invita repetendum atque occupandum ſit, præſtare ſponte & ſine ambagibus remittere, quàm retinere, quod ab ea vi extorqueri poſſet.

Laſcus ad Solimanum ablegatur,

Nicol. Comes Salmenſis ad Reginam viduam.

Sal-

1540. Salmenſis quum Budam perveniſſet, difficilem admodum ad colloquium aditum habuit, non tam ipſius reginæ voluntate, quàm procurante id Georgio & proceribus, utpote quam recentis puerperii moleſtiis, ac deinde ob mariti mortem, nimio luctu & lachrymis obrutam, atrato in cubiculo, & obſcuro, ut nec ſolem lucémque admitteret, ſe ſolam continere, excluſa etiam familiarium conſuetudine, commemorarent. Sed regina re animadverſâ, tam illuſtris legati, quàm tanti nominis, à quo venerat, Regis & Cæſaris deſignati, ratione habitâ, nequaquam diutius dilato aditu, Salmenſem ad colloquium admiſit: eique legationem ſummo cum verborum honore explicanti, in hunc modum brevibus reſpondit, ſe tam repentino regis conjugis obitu viduam factam, ac diuturnis corporis atque animi doloribus perturbatam, in re tam difficili, ac prorſus ardua neſcire quidnam conſilii amplectendum ſit; niſi eam ad Sigiſmundum patrem referendam cenſeat; quem æqui & juſti adeò tenacem Principem ac Ferdinando & domui Auſtriacæ tam eſſe propenſum haud ignotum ſit, ut in hac controverſia diſceptatos atque arbiter neutri parti rejiciendus eſſe cenſeri queat; proinde ſe à Ferdinando demiſsè petere, ut tempus & ſpatium concedat, quo ille conſulatur, ne quid ab ſe in ſuum & pupilli unici, quem vita chariorem habeat, detrimentum præcipiti temeritate factum eſſe objici poſſit. Nec certè Ferdinandum egregiæ laudis famam adepturum, ſi tantillum moræ, aut temporis denegandum exiſtimet, & ad fœminam viduam, victam dolore & lachrymis, ac puerum in cunis vagientem, conſilii inopes, & opis egentes, armis & bello oppugnandos adveniat.

Regina negotium tanti momenti ad Sigiſmūdam patrem referendū cenſet.

Nicolaus hoc reſponſo dimiſſus, quum Ferdinandum de legationis exitu edocuiſſet, nec niſi injiciendæ fraudulenter moræ rem ad Sigiſmūdum reginæ patrem rejectam oſtendiſſet, qui tum in longinquis remotiſſimæ Lithuaniæ oris procul aberat, Georgium Monachum regnandi avidum, cæteros proceres in reginæ partibus avaritiæ deditos pro libidine cuncta agere, apud reginam nomen ſolum poteſtatis eſſe, malleque illos ibi participes qualiſcunque dominationis eſſe, quàm regis exteræ nationis aſſeclas; Addiditque ſibi quoque ſummè neceſſarium videri, ut ſpem omnem in armis & celeritate rei gerendæ collocet, ut illi priùs, quàm Conſtantinopolitanæ legationis eventum intelligant, aut arma expediant, Budæ & regni ipſius poſſeſſione debentur.

Nec mora, Ferdinandus, ſuppeditantibus pecuniam ad ſtipendia militum Cæſare & Germaniæ populis atque urbibus, cohortes conſcribit, equites ſub ſigna evocat, claſſem in Danubio inſtruit, commeatum ſatis amplum in naves oneraria congerit, ac juſtum exercitum ſecundo Danubio Strigonium dimittit, quæ urbs Paulo Antiſtiti parebat, Ferdinandi partibus maximè addicto. Præerat exercitui Leonardus Felſius, ſummo loco in Rhetia ſuperiore, Tridentinis alpibus atque Atheſi propinqua, quam nunc Tirolim vocant, oriundus, Italicis, Pannonicisque bellis, ut ſupra memoravimus, exercitatus. Is non tā urbem Budam expugnaturus, uti memorabat, quā ut experiretur, an regina, illato bellico terrore ad obſervandas fœderis conditiones & tradendū regnū adduci poſſet, Strigonio motis caſtris Viſſegradum venit, qua in arce edito in monte ſita, olim regiū diadema conſervari ſolebat.

Ferdinādus Rex militam copias cōſcribit.

Quibus Leonardus Felſius præfectus.

Viſſegradenſe palatium.

Erat infra eam arcem, in planicie, quam Danubius præterfluens irrigat, palatium à Carolo Andegavenſe rege Pannoniæ ædificatum, ſumptuoſiſſimi operis, ſpecie amœnitateque ſitûs, ac laxitate & pulchritudine ædificiorum toto orbe celebratum, in quo ille olim Caſimirum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ, ac Stephanum Nemagnam Boſnæ & Serviæ reges ſimul hoſpitio convivioque exceperat. Aquaria verò turris in medio monte infra arcem, ſatis ampla, paulò ſupra eam regiam, pari ferè intervallo ſita erat: ubi à præternavigantibus è Suevia & Auſtria mercatoribus portoria redimebantur; ac plurimum ſalis ad uſus culinæ regiæ exigi ſolebat. Huic turri præerat Valentinus cognomento Literatus, à Georgio Monacho impoſitus, qui directis ad Danubium tormentis, nec claſſi nec commeatibus, qui navibus impoſiti erant, tutò commeare, neque carros & impedimenta exercitûs, quæ terreſtri itinere ad oppidum Maroſſum, quod è regione ripæ fluminis adjacet, devehebantur, ſecurum tranſitum permittebat. Hanc Felſius & Germani imprimis occupandam cenſuerunt, ut tam claſſi & navalibus ſociis, quàm caſtrenſibus impedimentis tutum iter pararetur. Itaque promotis ad planiciem majoribus tormētis, & muro aliquot in locis perforato, poſt acerrimam decem dierum oppugnationem Valentinum Literatum ad deditionis conditiones compulerunt. De quibus cùm hoſtes è muri hiatibus proloqui cœpiſſent, Germani nihil eâ ſignificatione permoti, quod ampliùs ducentos è commilitonibus amiſiſſent, impetu per ruinas murorum impigrè facto, turrim ceperūt, cæſis quamplurimis: ita tamen ut ægrè admodū Valentinus cum præcipuis quibuſdam incolumis ſervaretur. 1540.

Viſſegradi turris aquaria oppugnata.

Ea capta & præſidio munita, Felſius cum exercitu progreſſus eſt, facto in ulteriori ripa itinere, Vaciamque ab hoſtibus deſertam facili negotio cepit: & deindè claſſis, cui Marius Speciacaſius Neapolitanus præerat, verſus Peſtum curſum direxit. Quam ab hoſtibus ſimiliter deſertā ſine ſuorum vulnere occupavit; ac converſa in citeriorem ripam claſſe, petiit quam antea exercitum præmiſerat, promotiſque tormentis, Budam obſidione cingere ſtatuit. Ibi Perenius cum quingentorum equitum ala, armis equiſque egregiè inſtructa, totidemque peditibus in caſtra venit, quem Gaſpar Raſcajus, Blaſii filius, & Gabriël Levacū ſuis equitibus paulò poſt ſequuti fuêre. Erāt caſtra ad Thermas ſuperiores prope Danubiū, nec procul urbe ac templo S. Trinitatis, occaſū verſus commodè locata: quarum thermarum digna admiratione natura eſt; quamquam enim ejus fontes vehementi fervore ſcaturiunt, adeò ut eorum aquis anſeres & ſues ejuſque modi animalia facilè depilentur, piſces tamen albos palmaris magnitudinis nutriunt, qui illæſi iis innatant, & ſi fortè capti in proximum Danubium projiciantur, frigidiorē aquam minimè ſuſtinent, & protinus expirant. Ad has thermas ſuperiores Felſius caſtra aliquot diebus habuit, obſidendo potiùs urbem, quàm oppugnando: & intereà ingentes prædæ pecorum & aliarum rerum à Germanis paſſim agebantur, qui omnibus inſontibus & immeritis æquè ac perduellibus nullo diſcrimine evaſtatis, innoxiam plebem intolerabilibus damnis & detrimentis afficiebant. Ex adverſo Valentinus, qui urbem tuebatur, validas equitum alas, quas audito Germanorum adventu, tempeſtive providque

Et capta.

Inde Vaciam & Peſthum occupat.

Budam obſidet.

Piſces in thermis Budenſibus.

1540. vidéque collegerat, in finitimos vicos emittebat, ut miſeros ab injuria tuerentur. Inter quos ſæpe cruenta admodum certamina fiebant, dum alteri rapinas quarumlibet rerum ægre ferre; alteri verò, quantum poterant, prohibere contenderent: Quin etiam in ipſis caſtris milites Germani in Ungaros ſocios, vel levi de cauſa gladios militari inſolentia & feritate ſtringebant, ac glandes emittebant, ut quoſdam vulnerarent, quibuſdam etiam necem atrociter inferrent; quamquam id eſſet ſub pæna capitis interdictum: adeo ut quadam in rixa, occumbentibus & vulneratis ex utraque natione quamplurimis, Felſius & Perenius adcurrentes, eamque ſedare conati, ille quidem in crure ſauciaretur, hic verò lapide in incertum jacto humerum ictus haud ſine vitæ periculo ſe in tentoris recepiſſent. Nec ſeditioni finis futurus videbatur, niſi claſſiarii & navales ſocii, quorum magna pars ex Italis & Hiſpania, ac Dalmatarum nonnullis conſtabat, in Ungarorum auxilium properè confluxiſſent, ac difficili labore eam ſedaſſent.

Interea ſedente in caſtris Germanorum exercitu cum jam non dubia hibernæ tempeſtatis ſigna, pluviis nive permiſtâ cadentibus, apparerent, Felſius acri exæſtuans curâ, quidnam quod ad rem bene gerendam pertineret, facto opus foret, cogitabat, cum præter ſpem & expectationem intellexit Balthaſarem Banffium, ex præcipuis Ungarorum ducibus, à Valentino vetere amico & contubernali invitatum, in urbem ingreſſum eſſe, & aliquantu pòſt in caſtra rediſſe; & non obſcurè dicere, ſe cum Valentino & Urbano Battianio, reliquiſque, qui in urbe ſunt, ducibus compotaſſe, præſidia concedentibus ipſis, ac oſtendentibus inſpexiſſe, tormenta, aggeres, propugnacula, defenſorum diſciplinam, numerum, præfectos oculis perluſtraſſe. Sed Budam niſi ampliore apparatu, ac commodiore anni tempore, & longè majoribus copiis expugnari poſſe, ſibi minimè videri. Ea res ad Felſium delata, viri erat ſuſpicaci ingenio, ac naturali adversùs Ungaros odio atque invidia incitatus, Banffium ad ſe vocatum acerbiſſimis caſtigavit verbis, quod ſuo injuſſu, ſeque ignaro urbem intrare, & cum hoſtibus mutua colloquia miſcere auſus eſſet; ſe ejus priſtinæ virtuti, ac univerſæ nationi tribuere, ne uti erat promeritus, in eum lege ageret prout ſtatuerat, velit; jubere tamen, ut protinus caſtris excedat; ei prout diſciplinæ militaris corruptori, nulla deinceps futura ſtipendia.

Banffium Felſius, quia Buda cum hoſtibus collocutus erat, caſtris excedere jubet. Budenſem obſidionem ſolvit.

Nec mora, eadem de cæteris Ungaris ſuſpicione laborans, & præcipuè de Perenio, qui ne ſummum virum tantâ injuſtum ignominiâ notare vellet, eum hortabatur; nihil ulterius tentata oppugnatione, irama & fremens tormenta ex aggeribus retrahi, & caſtra reduci imperavit; quibus reductis ſe iterum ad Viſſegradum convertit, tormentaque currulia magno jumentorum & agreſtium, ſimul & militum labore, ad cacumen præalti montis, cui arx ſuperimpoſita eſt, attrahenda curavit. Nec qui in præſidio erant, diu Germanorum vim tulêre, quum mœnia arcis frequentes ingentium pilarum ictus, quin deciderent, ferre nequiviſſent, ſicque brevi deditionem fecere. Perenius interea, gnaro Felſio, cum Albanis per literas & internuntios ſecretò tractabat, ut ad fidem Ferdinandi redirent; periculoſum ipſis & civitati fore, ſi pertinacia perſiſterent, pupillumque, donec adoleſceret, expectandum arbitrarentur; quum Ferdinandus ſua & Caroli fratris, ac totius Germaniæ viribus opibuſque innixus, in propinquo eis immineret. His & aliis talibus ſermonibus prætorem urbis Thomam Zegeſſum nonnulloſque alios ad ſuam ſententiam pertraxit. Itaque Felſius re cognitâ relictiſque Strigonii claſſe & impedimentis, expedito itinere Albam profectus, urbem in fidem recepit: relictoque cum præſidio idoneo ibi Georgio Vorencio, nobili Sileſio, equitum prætorianorum Ferdinandi præfecto, iterum Strigonium, atque inde Viennam reverſus eſt. Antequam rediret, Peſtum recentibus munitionibus & præſidio firmatum Othoni Foriſco, & Mario Speciacaſin claſſis præfecto mendum commiſit. 1540.

Vicegradum deditione capit. Albam Regiam, Perenii ſtudio, in fidem recipit.

Sed Valentinus quum occulta inter Albanos & Perenium conſilia agitari ſeriùs intellexiſſet, eò cum mille equitibus advolans, quod Civitas Perenii potiùs, qui erat Ungarorum ditiſſimus & ſplendidiſſimus, nuncque novo Cancellarii honore auctus, conſilia & auctoritatem, quàm illius ſequi maluiſſet, urbe excluſus fuit. Cujus contumeliæ cauſa, quum ſuburbana popularetur, Albani Perenianos equites & Germanorum alam, qui eos à populatione & vaſtitate mererentur, in urbem acceperunt. At Verbecius & Eſſechius Reginæ legati, ejus periculo & urbis obſidione intellectâ, Solimanum & purpuratos urgere, ne ſpe & expectatione ſua, quam in tutela potentiſſimi Imperatoris poſuiſſent, fruſtrarentur, auxilia poſcere, patrocinium atque arma flagitare. Solimanus, qui pupillum cum matre in ſuam tutelam recepiſſe non diffitebatur, ſuæ non ſolùm dignitatis, ſed etiam gloriæ eſſe ſtatuebat, eos ab omni injuria tueri: præſertim quum ab legatis intellexiſſet Uſreffum Boſnenſem, & Mehemetem Belgradenſem, & Amuratem Cliſſiæ præfectos, à Regina & Georgio Monacho ſolicitatos, iis rationibus ſeſe excuſaſſe, quòd imperatoris injuſſu, inconſultiſque purpuratis, copias è ſtationibus educere nefas putarent. Advocatis igitur legatis, ſe bellum Germanis illaturum reſpondit, quo eos ab injuria pupillo inferenda arceret, ſimulque vexillum, ac clavam argenteam, & acinacem, qui vaginâ auro & gemmis elaboratâ condebatur, regni nimirum à ſe dono dati inſignia tradidit: eodemque tempore Uſreffo, & Mehemeti, cæteriſque ſeveriſſimè mandavit, ut ſine mora eductis copiis, nec adverſæ hiemis tempeſtatibus cunctatis, Reginæ & pupillo, ſuis beneficiariis & clientibus opem ferre maturent; ſi enim tardiores & ſegniores in ea ferenda ſeſe præbuerint, ipſos haud incertam capitis pænam ſubituros.

Solimanus legatis pollicetur auxiliares adversùs Regem Ferdinandum copias.

Lætitiâ ſingulari perfuſi legati, cum hoc reſponſo, & muneribus ad Reginam reverti maturarunt. & adhuc haud procul Byzantio abierant, cùm Laſcus eòdem pervenit, qui in itinere morbo repentino correptus, Ptolomæo Ariminenſi medico familiarique ſuo ad purpuratos præmiſſo in mandatis dederat, ut interim dum ipſe adeſſe poſſet, purpuratos & potiſſimùm Luphtem eorum principem, quem antea magnis muneribus excoluiſſet, conveniret; & quæ ad conciliandos eorum animos pertinere viſa eſſent, majori, quâ poſſet diligentiâ ac dexteritate proponeret. Qui licèt nihil ad ſingularem diligentiam reliqui faceret, & non ſolùm purpuratos accedendo, prehenſandoque; ſed & ipſum Verbecium alloquendo, & quædam haud importuna in medium adferendo, induſtriam, ſolertiamque ſuam omnem impendiſſet; fruſtra tamen omnia fuêre. Quin ipſe Laſcus omni amiſſa gratia, ſecus

1540. *Laſcus in carcerem à Solimano detruſus eſt.*

[illegible]quam putaſſet, veluti transfuga, & partium Joannis Regis, quarum antea ſtudioſus fuiſſet, deſertor in carcerem ſeptem turrium, qui locus ad Propontidis oſtium ſitus eſt, extemplo conditus fuit.

At Turcarum duces Uſreſſus, & Mehemetes & Amurates adultâ hieme, nihil ejus aſperitate moti, copias ex hibernis eduxerunt, atque ad auxilia Reginæ maturè ferenda properarunt. Sed quum Tolnam perveniſſent; rigente glacie Danubio claſſis in vado & ripis hæſit, equique & jumenta flantibus atrociter ventis interire, commeatus corrumpi, & milites nimio frigore impediti officium non præſtare: quumque adversùs cæli injurias, & nivium ac ventorum procellas pugnare nullo modo poſſent, Reginæ, & Monachi, ipſiùsque Valentini permiſſu, in hiberna redierunt, magno accepto detrimento; ita ut miteſcente hieme, ante futuri veris initium ſeſe reverſuros pollicerentur: nec inconſtantiſſimo hominum generi fides defuit; nam ante veris

Anno 1541. Uſreph, Mehemetes, & Amurates Turcarum duces Reginæ ſuppetias ferunt. Vaciam capiunt Peſtum obſident, ſed inani conatu.

tempus advenêre, quibus Valentinus cum valida Ungarorum manu, ac tormentorum apparatu obviam progreſſus eſt; communibúſque viribus primo Vacia, minùs munita, cæſis præſidiariis, recepta eſt. Exinde trajecto Danobio Peſtum oppugnarunt: illud tamen defendentibus ſtrenuè Germanis, eorúmque duce Othone Fotiſco, capi non potuit: quòd Turcæ equites ſe in mænia impetum facere nequaquam teneri dicerent: pedites verò collectitii ex prædatorum genere, nec minis nec verberibus, ut aggredi vellent, adigi poſſent. Marius etiam Speciacaſius, præfectus claſſis, more Italico, erectis intrà urbem munitionibus & aggeribus, hoſtium conatus eludebat atq; evertebat. Nec multis poſt irritos hoſce conatus diebus, commeatu quòque deficiente, Turcæ inediam famémque haud mediocriter metuebant, quòd regina nondum matureſcentibus frugibus, & adhuc agris brumâ & frigore rigentibus, parcius alimenta ſubminiſtraret. Igitur conſilio inito, reſtitutis armamentis, quibus uſi in oppugnando fuerant, intrà ſuos fines ſeſe receperunt. Nec tamen defuêre complures ex Peſtani præſidii Ungaria atque aliis, qui diſcedentium terga invadendo noviſſimos carpere, & ad multum ſpatium cædere, aut captos reducere contenderent; inter quos Franc. Niarius, & Barthol. Croatus impigrè rem gerebant, quum Turcæ præter plures alios Achmatagam inſignem alæ præfectum, cogendo poſtremò agmini intentum, in receptu interfectum amiſiſſent.

Comitia Vormatiæ & Ratiſponæ.

Dum inter reginæ Ferdinandique copias in hunc modum dimicatur, Cæſar Vormatiæ primum, ac deinde Ratiſponæ conventibus Germaniæ habitis, cauſam religionis Chriſtianæ à Proteſtantibus, quo nomine Lutheranæ ſectæ addicti vocabantur, variis modis convulſam inſigni ſtudio & pietate tuetur, ac ſe ſimul & fratre Ferdinando præſentibus, ac diſceptationem auſcultantibus, in priſtinam formam reducere conatur; nec tamen, adverſariis ambages fallendæ fidei & diverticula quærentibus, voto potitur; Ferdinandus de Turcarum diſceſſu & rebus in Pannonia geſtis redditus certior, ad priſtina repetendi regni conſilia animum adjecit; ac collatis cum Cæſare fratre ſermonibus nequaquam incepto deſiſtendum, ſed bellum reſtaurandum decrevit. Nec mora contributa ab ordinibus Germaniæ pecunia, milites in ſupplementum Pannonici exercitùs conſcribuntur, & in Pannoniam terrâ fluminéque demittuntur; præficitúrque eis Willhel. Rogendorffius, aulæ regiæ præfectus, viridi ſenecta vir, ac bello Brixiano, auſpiciis Maximil. Cæſaris, ante triceſimum annum contra Venetos in Italia geſto, præclarum nomen adeptus; quum Brixiam ab Hiſpanis defenſam, atque à Gallis & Venetis acerrimè oppugnatam, invectis commeatibus, ac pecunia ad militum ſtipendia illata, obſidione liberaſſet; quamquam eum ſuperioribus annis Budam, incluſo ibidem Joanne rege infeliciter oppugnaſſe ſatis conſtaret. Felſio autem propterea prælatus eſſe videbatur, quod ætati ejus ac dignitati ſponte cedebat; quódque ille cum Ungaris & Perenio, imprimis ſummæ auctoritatis viro, contracta ſimultate diffidebat: quódque præcipuum erat, renum ac nervorum intolerandis doloribus afflictus, continuò ferè decumbebat; quos etiam cùm ſuſtinere nequaquam poſſet, biennio poſt Viennæ interiit.

1541. *Ferdinandus bellum Turcicum, duce Rogendorffio, inſtaurat.*

Rogendorffius igitur ſuſcepto eo graviſſimo munere, commeatum imprimis diligenter curat, qui devehi ſecundo flumine, ac exercitui quantumvis amplo ad trimeſtre ſpatium ſufficere poſſit; muralia tormenta majora cum rebus neceſſariis ex armamentario Viennenſi, jubente Ferdinando accepit, & in naves collocat, auxilia à Bohemis & Moravis ac Sileſia convocat, Ungaros, ut adventum ſuum Strigonii certo die exſpectent, admonet: ipſe Viennâ profectus, veterem exercitum ſub imperium accipit, & cum novo conjungit, Budámque versùs contendit. Sed urbem valde immutatam, ac novis propugnaculis peritè admodum munitam, reperit ſecus quàm ante decem annos eam irrito conatu oppugnando reliquiſſet. Nam ad magnatum Orſagorum ædes, è quarum regione mænia verberaverat, ingens è lapide constructa munitio viſebatur; & ad Sabatinam quòque portam, penès Judæorum plateam, quâ ad veterem Budam itur, juſtæ magnitudinis propugnaculum ædificatum erat, & portò ad orientem ſolem turris latericia ſatìs alta conſtructa arci imminebat; quæ & arci præſidio eſſe, ac liberam & commodam è Danubio aquationem obſeſſis præbere poterat; quæ tempore prioris obſidionis longo per urbem circuitu, non ſinè metu & periculo petebatur; quum commeantibus pilæ ferreæ circumvolitantes ſæpe perniciem adferrent. Quum Rogendorffius veteres oppugnandi vias erectis munitionibus & propugnaculis præſeptas animadvertiſſet, in proximum montem, qui à delubro Divi Gerardi, ab Ungaris idcirco interfecti, quòd ad Scythicam ſuperſtitionem relabi eos prohiberet, nomen accepit, protrahi tormenta, arcémque conquaſſari juſſit.

Buda novis propugnaculis munita.

Sed quia elegantiſſima atque ornatiſſima ædificia, ſi dirueret, aut nunquam, aut ſerò inſtauranda animo reputaret, & integra capere potiùs, quàm diruta mallet; nobiliſſimæ tot Regum & Principum Regiæ parcendum exiſtimavit: & animos Reginæ ac obſeſſorum ingentibus promiſſis, ac oblatione magnarum ditionum & principatuum tentandos duxit; eximiàmque Ferdinandi erga pupillum liberalitátem ac clementiam obtulit, quem in filium adoptaturus, & cùm adoleſceret, reddito ſecundùm fœdera ampliſſimo & ditiſſimo avitæ hæreditatis patrimonio, potentiſſimum Principem, collocata etiam ei filia, facturus eſſet. Sed quum ejuſcemodi verba ſurdis auribus audirentur, nec Georgius & Valentinus quicquam reſponderent; à monte

Rogendorffius variis promiſſis Reginæ animum tentat.

Gerar-

1541. Gerardo ad ſepulchra Judæorum caſtra movit; omnemque tormentorum apparatum tranſtulit: qui locus inter orientem & meridiem non incommodus caſtris locandis videbatur, niſi quod Danubio paululum relicto, aquatio ipſa, incumbentibus hoſtium equitibus, & tormentorum pilis volitantibus nonnihil difficilior reddebatur; cui tamen difficultati, diſpoſitis per idonea loca equitum præſidiis, haud nimio labore occurrebatur.

Oppugnationem inſtituit,

Duobus igitur è partibus inſtituta oppugnatione, Perenium & Bohemos, quibus Sdislaus Lippa præerat, eam murorum partem, quæ inter amplas Orzagorum ædes, prope Sabarinam portam, eminebat, quatere tormentis juſſit: ipſe cum Germanis arcem ex ea parte, qua horti Regii ſingularis amœnitatis viſebantur, tanta vi concutiendam ſibi ſumpſit, ut non ſolùm mœnia magno ſpatio perforata & perfracta conciderent; ſed is etiam agger, quem obſeſſi introrſus extruxerant, inopinato caſu in exteriorem partem prolaberetur.

cum murorum magna ruina,

Quæ res Valentino & ejus præſidiariis non mediocrem metum incuſſit, quod in extremum diſcrimen ſeſe conjectos viderent; neque reparandæ ei munitioni tempus ſuppeteret. Verùm Rogendorffius, vel quod omnia cunctanter lentéque adminiſtraret, vel quod tot tormentis frequenter exploſis, multa ſulphurei fumi caligine, pulvereque ex muri ruina oborto non animadverteret, procidentia mœnia, uti neceſſe erat, aggredi militer minimè juſſit; ſed ad ſequentem auroram diſtulit; intereaque ut corpora curarent, edixit: ita ut ea unius noctis mora, Valentinus & Petrovitius, cæterique urbis propugnatores, atque imprimis Georgius ipſe, qui depoſita cuculla, ac viridi veſte ſumpta, criſtatus atque armis protectus volitabat, coactis cujuslibet ordinis civibus, ac ipſo quoque imbelli mulierum ſexu, ſe ſpatium reſiciendis, & terra materiaque replendis mœnibus nactos fuiſſe apprimè lætarentur, ac opus tantopere neceſſarium, eadem nocte, adjuvantibus etiam militibus, tumultuariè & celeriter perficeretur.

quam urbis propugnatores ſedulò reparant

Unde irritus irrumpentium, licet animo magno, fuit conatus.

Illuceſcente aurora, Germani laudem & famam captæ urbis ſibi ipſis vendicaturi, nequaquam in conſortium admiſſis Ungaris, per acclivia & ruinas mœnia aggreſſi ſunt: & quamquam ſcalas, quas veſperi in ſilentio appoſuerant, à Budenſibus arreptas eſſe animadvertiſſent; tamen præſenti fortique animo, & tanta vi impetum fecêre, ut plurimi ex ipſis, in contiguas mœnibus domos pervaderent, cæteroſque humeris commilitonum innixos, per manus ſublevarent, ac vexilla in proſtratis murorum pinnaculis figere conarentur. Sed Budenſes ſingulari pertinacia irrumpentium impetum ſuſtinuêre; ita ut Georgio, Valentino, Petrovicio, Urbanoque Battianio, & cæteris ſumma virtute, ubi res neceſſitaſque poſcebat, propugnantibus, Germani, qui audaciſſimè proruperant, receptui canere cogerentur. Sed quum terga recipientium militum, ſimul & latera, immani ſævitia cædere, & ſclopetorum glandibus confertos petere & ferire non ceſſarent, fœda fuga conſequuta eſt; ut quò longiùs à mœnibus recederent, tanto graviore incommodo majorum minorumque colubrinarum ictibus ſternerentur.

Hieronymus Jaderenſis obit.

Quo in adverſo conatu Hieronymus Jaderenſis, quem ſuperioribus annis Byzantium pro impetrandis induciis à Ferdinando, haud ignaro Cæſare miſſum fuiſſe docuimus, quique in locum Marii Speciacaſii Peſti pro tutela urbis relicti in præfectura claſſis ſucceſſerat, aliquot vulnera ſuſcepit, ex quibus paucis pòſt diebus interiit. 1541.

Bohemi quoque cum Perenio ab altera parte repulſi.

Eâdem infelici ſorte Perenius quoque & Bohemi, qui inter Sabatinam portam & Orzagianam munitionem mœnia oppugnabant, pariter rejecti, nullo operæ facto pretio, ab incepto diſceſsêre. Deinde Rogendorffius, conſilio ſuorum uſus, quum tot tamque acres impreſſiones nequaquam proceſſiſſent, cuniculis & effoſſa ab imis murorum fundamentis humo, ſubjectoque ſulphureo pulvere, eoque ignem concipiente, mœnia proſternere, ſicque in urbem aditum parare conſtituit. Sed ea quoque re animadverſa, propugnatores contrariis effoſſionibus factis obviam iêre, quòd Georgius pleraſque operas, ex eorum numero, qui metallis fodiendis incumbunt, è Rivulis Dominarum (id urbis nomen eſt in confinio Tranſylvaniæ ſitæ, auri & argenti fodinis claræ) acciverat, eorumque labore Germanorum conatus, factis intus ſcrobibus, per quos incendia, invento meatu, ſpiraculoque evaneſcerent, eludebat.

Quibus rerum ſucceſſibus Budenſes elati, tantum audaciæ atque animorum ſumpſerant, ut non ſolùm contumelioſas voces in Germanos à muris ſpargere & proloqui, ignaviam & ſegnitiem eis exprobare; verum etiam ſæpius erumpere, & eorum aggeres & tormenta invadere non dubitarent.

Alimentorum penuria Budæ.

Sed in urbe jam ad tantam alimentorum inopiam deventum erat, ut civium & promiſcuæ multitudinis multò maxima pars, ſe ulterius famem ſuſtinere nequaquam poſſe clamaret; ideoque æquis ac honeſtis conditionibus de dedenda urbe cogitaret: tametſi Georgius & Valentinus Civer, quos ſuſpectos habebant, aut præbito commeatu delinire, aut dati in arce qualiſcunque officii ſpecie, ſub cuſtodia habere, & reliquos variis modis in officio continere non prætermitterent. Et neceſſitate in dies invaleſcente parum abfuit, quin urbs, quæ aperta vi capi nequaquam poterat, clancularia & inteſtina fraude proderetur.

Proditio Budæ Rogendorffii incuria improsperè cedit.

Erat in urbe Thomas Botnemiſſa, qui mercaturam exercendo brevi magnas opes & divitias, ac ſenatorium inter Cives ordinem erat conſequutus, & in foro majori ampliſſimam domum poſſidebat. Conjunctiſſimus autem erat Petro Palciano, qui eo tempore præturam, ſummum in urbe magiſtratum gerebat: ambo mutuo inter ſe colloquuti, nemine præterquam Benedicto Bacio, qui publico æquè officio à commentariis urbis fungebatur, in conſilium adhibito, ſe nequaquam paſſuros, ut urbs laude & gloria, ac priſcorum Regum domicilio toto orbe clariſſima & potentiſſima in Turcarum manus incidat, quos à Regina, & ejus præfectis aſſidue ad ferenda auxilia advocari, & brevi affore ſciebant; quin potius Germanis intromiſſis, cum quibus vetere amicitia, mutuiſq; commerciis, à tot ſæculis conjuncti eſſent eã conſervare conſtituerunt.

Itaque Franciſcum Revajum, qui in caſtris militari juri dicundo præerat, cuique ut veteri amico jam diu cogniti erant, intempeſta nocte ſecreto convenerunt; remotiſque arbitris, ſe dulcis patriæ, ac Chriſtianæ imprimis religionis amore, quibus nihil in vita prius potiuſque haberent, incitatos, urbem, ne in Turcarum poteſtatem redigatur, Germanis tradere decreviſſe dixerunt: de arce non audere quicquam polliceri, ſpe tamen haud parva teneri, qui urbem ceperint, arce quoque poſſe non magno labore potiri; proinde eſſe in ſua poteſtate, portulam

1541. quandam obſoletam, nemini fere, aut paucisſimis cognitam, quæ in area templi Divæ virginis genitricis, cognomento Germanicæ ſita ſit, in qua civium Germanorum ſepulchreta habentur; eam ſe ad conſtitutum certum noctis tempus adaperturos, iis conditionum legibus, ut mille ſelectisſimi è potioribus milites Ungarici nominis è caſtris ſummo ſilentio immittantur, qui cæteras urbis portas commilitonibus pandant, ſicque omnis exercitus ſubitario impetu irrumpat, cavendum porro eſſe, ne Germani interſint, quos & vocis fremitus & veſtium diverſitas etiam per obſcuram noctem facile arguant; ſe ob talem tamque inſignem navatam operam, non aliud poſtulare, quàm ut patriæ urbiſque libertas ac ſalus Ferdinando Regi, ejuſque ducibus cordi ſit, ſalvaque & inconcuſſa maneat. Quibus ab Revajo ad Rogendorffium ſub maxima ſilentii fide delatis, quum Revajus non aliâ ob cauſam à conjuratis milites Ungaros ad deſtinatum facinus exequendum delectos affirmaret, quam ut res majori ſilentio peragi poſſet; & Ungaros Civibus Ungaris minora incommoda allaturos, & ab hoſtibus ſimilitudine veſtium atque armorum deceptis, facilius admittendos exiſtimâſſent. Rogendorffius conſtituta inſequentis noctis hora decima, ſe & Perenium milites Ungaros notæ fidei & virtutis delecturos, & quæ fieri debeant, eis mandaturos eſſe pollicitus eſt.

Sed digrediente Revajo, & die ſequenti adveſperaſcente, ſecus quam promiſerat, nec cum Perenio, qui cùm exercitui Ungarico præeſſet, pari ferme cum eo poteſtate fungi videbatur, rem tanti momenti communicavit, nec Ungarorum opera, prout conſtitutum erat, & maximè neceſſarium uti voluit; ſed implacabili odio, & ſuſpicione erga Ungaros ductus, Revajo, & conjuratis, qui ſe vitamque & ſalutem ſuam fidei ejus crediderant, tam impudenter, quam importunè direptis, delectas Germanorum quatuor cohortes, quæ trecentos milites continebant, ſilentio ſuſpenſiſque paſſibus ad eam, quæ condicta erat, portulam præmiſit cæteris equitum præfectis, ac legionum tribunis, ut in omnia momenta parati eſſent, ac equos inſtratos haberent, tacitè, ſed admodum ſeriò admonitis. Nec Bornemiſſæ & Balciano fides, quam patrandæ perfidiæ dederant, ad idoneum tempus defuit; nam adaperta portula cohortes intromiſêre: quæ quum confertim ingredi cœpiſſent, conjurati, ubinam Revajus eſſet, (qui ſe cum cohortibus uſque ad veſtibulum portulæ iturum dixerat) ac tribunorum nomina, qui occupandæ urbi deſignati eſſent, trepidè & ſubmiſsè percunctarentur, atque anteſignani Germanicis aſperioris ſoni vocibus reſponderent, improviſo pavore attoniti & exanimes, relictis omnibus, nec non domo adita, ſubſtantiaque, quam locupletem habebant, omni poſthabita, (uxore etiam & unica filia Bornemiſſæ ab hoſtibus intercepta, quum Palcianus cælebs & liberis orbus eſſet) in caſtra ad Revajum profugere, flentes ac ſe deceptos, & urbem proditam, præcipuoſque ex civibus rei conſcios, hoſtibus ad certam crudelemque lanienam fœdè objectos eſſe quiritantes.

At Germanicæ cohortes, quum in forum perveniſſent, nec teſſeram quam à conjuratis diſcere debuerant, ab obviis, quanquam diſcinctis & inermibus peritam, reddere noſſent, primum à viliſſimis fori incolis, qui domiciliis carentes & vagabundi ad vinarias tabernas excubabant, animadverſæ, & fragminibus lapidum, ac volemis ſaxis petitæ vocem ſuſtulerunt, ac tympanis perſtrepêre, ac ſeſe mutuo ad pugnam incitare, & occurrentes trucidare cœperunt. Ad hunc nocturnæ & inexpectatæ perturbationis tumultum, & inconditas vociferationes excitatus Urbanus Battianius, qui ejus noctis excubias obibat, celeriter occurrit, adductæque eodem tempore ſunt à Petrovitio validæ equitum, atque peditum manus, quæ in foro Divi Georgii, arci propinquo, ad incerta belli vigilias agitabant. Quorum conſpectum atque vim non tulêre Germani, ſed ut deprehenſis in furto aut maleficio accidit, extemplo perterriti, projectis longioribus haſtis, fugere, & per eam, qua ingreſſi erant, portam evadere in caſtra contenderunt. Verum ea quum arcta nimis anguſtaque eſſet, & congerie haſtarum, quas primi abjecerant, ſequentes impedirentur, major eorum pars conciſa atque interfecta eſt; capti etiam haud pauci. Ex numero conjuratorum nonnulli Palciani prætoris familiares, & circitor publicus, qui claves aperiendæ portæ ſubminiſtraverat, oppreſſi atque intercepti; nam duo illi Thomas, & Palcianus, dum præter ſpem Germanos in porta conſpexiſſent, ſtatim re deſperata, ut diximus, profugerant. Germani in cuſtodiam traditi ſunt; de conjuratis acerbiſſimæ quæſtiones habitæ, variiſque & intolerandis cruciatibus eruta eſt totius proditionis ſeries, ac de confeſſis fœdum, & crudele ſupplicium ſumptum: ita ut Bacius qui infelici ſorte ſua in tutum ſe recipere non potuerat, latebris extractus, ſimul cum circitore inſtar proditorum in fruſta ſecaretur: cæteri verò, de quibus vel leviſſima ſuſpicionis conjectura fuiſſet, capite plecterentur. Palcianus & Bornemiſſa proſcripti, & perpetuo exilio mulctati, omnium verò bona, domus, fundi, merces, & quaſcunque habebant facultates, & in venditæ fiſcum relatæ. 1541.

Germani Budam ingreſſi repulſi & cæſi.

De conjuratis acerbiſſima ſupplicia ſumpta.

At legati Byzantio redeuntes, quum obſeſſa urbe Reginam adeundi copia non daretur, verſus Quinqueecclesias diverterunt, ut illinc de proſpero legationis ſuæ exitu, & de Turcicis auxiliis advenrantibus, certiorem eam redderent. Sed intellecto eam urbem ad Ferdinandi partes, civibus ſe dedentibus occupatam eſſe, ac valido præſidio teneri, trajecto Danubio ad tutiora loca ſe receperunt: nec multò pòſt alter ea legatis Eſſechius, ejus urbis Epiſcopus, tam gravi ætate, quàm mœrore animi victus è vivis exceſſit; eique Stanislaus Varallius, Præpoſitus Albenſis, liberalitate Ferdinandi, ad quem unà cum Albana urbe deſciverat, ſucceſſit.

Eſſechius & Verbecius legati Conſtantinopoli redeunt.

Eſſechius obit.

Interea Solymanus, quanquam Perſici quoque belli, quod cum Tahmaſſo Rege gerebatur, curis eodem tempore diſtinebatur, tamen cognito Reginæ & pupilli periculo, purpuratorum uſus conſilio, utrique bello occurrendum eſſe ſtatuit; & adverſus Perſas Solimanum Eunuchum Acarnanem, armis Turcicis in Indiam uſque adverſus Luſitanos promotis, clarum hominem, cum juſto exercitu miſit; Mahumetem verò unum ex purpuratis, qui Reginæ opem ferat, in Pannoniam ire jubet, ac in adminiſtrando bello alterum Mahumetem Belgradi & Samandriæ præfectum, cognomine Jahioglim, Ulamanemque Perſam transfugam, qui Uſteffo demortuo in Boſnenſi præfectura ſucceſſerat, attribuit. Ipſe verò Cæſaris & Ferdinandi ac totius Germaniæ vires, & arma haud parvi reputans, Hadrianopolim proficiſcitur, ſub-

Solimanus Mahumetē Baſſam in Hungariam mittit.

1541. ſubſidium, ſi neceſſitas ita ferret, duobus qui præceſſerant, exercitibus allaturus. Eodem tempore magno excogitato aſtu, fraudeque Stephanus Mailatus, à Turcis, adjuvante Petro Walacho Moldaviæ Principe, homine verſipelli, per inſidias interceptus fuit, ut mox referemus, ſi prius obſidionis Budenſis ſeriem & triſtem exitum narraverimus.

Rogendorſſius & Germani, cogoito Turcarum adventu, & coacto militari concilio, quidnam porro faciundum foret, diligenter & accuratè in utramque partem verbis & ſententiis diſceptârunt. Videbantur nonnullis caſtra Peſtum transferri debere, & ibi hoſtes præſtolari: quidam, qui uſu rerum & bellis Turcicis exercitati eſſe putabantur, vireſque hoſtium in immenſum, ut nonnunquam fieri ſolet, extollebant, Strigonium, & deinde Viennam redeundum, ac meliore fato fortunaque, & commodiore anni tempore repetendam obſidionem ſuadebant. Verùm Rogendorſſius plus ſuis quàm alienis conſiliis tribuere ſolitus, ſuperbo ore nihil tutum quod indecorum dictitans, impellente fato, ut Turcæ Pannoniæ regno potirentur, ad revertendum nullis rationibus induci potuit, ſed caſtra ad montis Gerardi radices iterum reduci juſſit, eo, quemadmodum dicebat, conſilio, ut hoſtes advenrantes, nec procul Danubio receſſuros, tormentis, quibus abundabat, à ripa fluminis arceret, aut temerè deſcendentes ad iniquæ pugnæ periculum adduceret. Caſtra enim opportuno loco metata eſſe dicebat, quibus à dextera parte mons Gerardus, majoribus colubrinis, aggeribuſque munitus, è leva Danubius præſidio erant. Alimentorum autem omnis generis, & bellici apparatûs tam in caſtris, quàm Peſti tanta copia erat collocata, ut ad aliquot menſes toto exercitui affatim ſufficere videretur.

Rogendorſſius, obſirmato animo Budenſi obſidioni incumbendum cenſet.

Adventantibus Turcis, Valentinus cum duobus millibus equitum obviam profectus, duos Mahumeres de Germanorum numero, & caſtris, aliiſque rebus, quas ſcire opus erat, edocuit: atque ii unà cum eo revertentes legatos cum muneribus ad Reginam misère: & continuato itinere caſtra ad Danubium, oblonga tentoriorum ſerie collocavère. Claſſis verò eodem tempore ad inſulam divæ Margaretæ, quæ Cepelia vocatur, pagos complures, & oppidum Covinum, ac templa & ædificia varii generis continens, & ad octo ferè milliaria Pannonica exporrecta appulit: ibique Turcæ in ipſius Danubii iterum in unum alveum confluentis, quodam veluti roſtro munitionem erexerunt; quam quidem Inſulam, ſi prior Rogendorſſius occupâſſet, ſicuti Perenius & complures ex Ungaris cenſebant, Turcæ nequaquam commodam caſtra metandi facultatem habuiſſe videbantur; quin potiùs claſſem fortè relinquere fuiſſent coacti, in qua commeatus & impedimenta vehebantur, qua re nihil Turcis incommodius, nihil pejus accidere potuiſſet. Sed triſtes eventus & clades cum plerumque reprehenſioni gravem notam adferant, tum verò etiam nemo tam providus oculatuſque eſt, ut omnia mente animoque proſpiciat.

Turcarum Budam adventus.

Erat in tanta caſtrorum propinquitate occaſio quotidie erumpendi, & minutis prælis tam in planicie equitibus, quàm ad munitiones peditibus certandi, quibus certaminibus Turcæ, prout alacriores Germanis, quorum corpora atque animi ſedendo jam diu & torpeſcendo maximè elanguiſſe videbantur, ſuperiores evadebant; quum ex adverſo Ungari, ſingulari promptitudine eorum impetum ſuſtinerent. Tranſierat jam ſatis multum temporis ab adventu Turcarum, atque iis & Budenſibus animi indies creſcebant, Germani verò ad fatale quoddam diræ cladis omen, animos adeò deſponderant, ut & viribus debilitati eſſent, & nulla aut receptus, aut belli rectè gerendi conſilia explicarent, ſed tormentis ſaltem majoribus utrinque certaretur. 1541.

Turcæ autem ſegnes Germanorum ſtationes è ſuperiore inſulæ parte conſpicati, mutuo habito conſilio, claſſem & navales ſocios, adjunctis compluribus è Janicerorum numero, eos adoriri juſſerunt. Et pene priuſquam ſentirentur, aut Germani concurrerent, ſupra ſexcentos milites amisère: cæteris tanto pavore perterritis, ut præcipiti fuga in caſtra ferrentur: nonnullique è ponte decidentes mergerentur, aut à claſſiariis & Janiceris, qui claſſem conſcenderant, ſclopetis & ſagittis confixi perirent. Turcæ conſpecta hoſtium formidine & fuga, maximo diverſis in locis ſublato clamore metum augere, univerſis noſtrorum caſtris ingentem tumultum excitare, tormentorum fragorem & ſtrepitum ubique ingeminare, munitiones denique noſtrorum magno & efferato impetu aggredi. Qua in rerum perturbatione & confuſione, quum hoſtes tenebris tecti impunè ferè graſſari viderentur, Germanorum reliqui & Bohemi, atque iis mixti Ungari celeriter accurrerunt. Sed quum vel conferti & conglobati vix hoſtibus acerrimè ſe inferentibus reſiſterent, Marius Speciacaſius Ferdinandi Speciacaſii Veſprimienſis Capitanei pater, claſſis præfectus iterum conſtitutus, ac Eberſtorphus caſtrorum magiſter, cum biremibus & naſadis, quas etiam ſaicas vocamus, quaſque ſupra navalium ſociorum numerum, delectis etiam aliis propugnatoribus impleverant, opportunè ſubſidium attulère: ac Turcis, qui è navibus deſcenderant, ac cadavera ſpoliabant, captaque tormenta avehere conabantur, tanta vi incubuère, redeuntibus ad pugnam etiam Germanis & Ungaris, ut compulſi ad naves, ac terra ſimul & flumine profligati, cladem, quam noſtris intulerant, prope æquatam, retuliſſe viderentur, & tormenta & inſulam victoribus relinquerent.

Certamẽ inter noſtros & Turcas.

Eo in certamine quatuor hoſtiles naſadæ demerſæ ſunt, tres captæ, & plurimi Turcæ, aut profluente abſorpti, aut tormentis diſcerpti periêre. Noſtris quoque haud incruenta pugna fuit, quum multi è ſociis navalibus, & reliquis militibus interfecti fuiſſent, & ipſe Eberſtorphus aliquot ſagittis corpore ſuſceptis, ſaucius pugna rediſſet. Exinde Turcæ quotidianis & continuis excurſionibus caſtra noſtrorum infeſtabant, & Ungari duce Valentino ex urbe frequentes erumpebant; & quadam die adjunctis ſibi Turcis, Perenianos è monte Gerardo depulère: eoque occupato, etiam ſuperiora caſtra ad Aquariam turrim invasère; uſque adeò ut Germanos, multa edita cæde, fugam capeſſere compellerent. Qua in pugna Peſtanorum tormenta majora Germanis magno uſui & adjumento fuerunt: iis enim copiæ Valentini petitæ, ac conciſæ, ſeſe non ſine jactura in urbem recepère.

Ferunt Valentinum: dum in urbem remeâſſet, Reginæ è feneſtra proſpectanti, ac collegis Monacho & Petrovitio enſem cruentum dex-

1541. dextramque ſanguine madentem oſtentâſſe, ac ab ſe talem tantamque cæſis Germanis ea die operam navatam dictitâſſe; ut pro ea certiſſima atque ampliſſima præmia & munera ab ipſis propediem repetiturus foret. Eodem etiam in prælio, dum præfectum copiarum Pereniana-rum Thomam Varcocium, Sileſium illum quidem, ſed à teneris annis à Perenio educatum, & ad honores evectum, inque clientum ſuorum numerum adſcitum, armis criſtiſque conſpicuum, & obequitantem vidiſſet, dixiſſe ſe pro vetere benevolentia & amore, quo illum & Chriſtianæ fidei cultores amplecteretur, petere, nuntiaret Perenio, ingentem illam belluam ab Oriente adventare; itaque, ſi ſapiant, reditum maturent, ne ab ea uno oris hiatu devorentur.

Solimanus cum ingentibus copiis in Pannoniam movet.

Solimanus enim nulla certa re de ſuorum conatibus cognita, cum prætoriano exercitu, aliiſque ingentibus copiis iter in Pannoniam ſuſceperat, ratus Germanos ad præbendam pugnæ poteſtatem adventum ſuum præſtolaturos. Itaque Perenius, re ad Rogendorffium delata, ſibi videri retulit, ut infauſta ea expeditione in præſens intermiſſa, de maturo receptu, & conſervando exercitu conſultaret: ne ingenti hoſtium multitudine, quam ſecum Solimanus traheret, repentino impetu circumveniretur. Quam famam dum Rogendorffius ab hoſte quidem acceptam, ſed ab aliis quoque amicis conſtanter allatam in conſilium retuliſſet, variare ſententiæ cepêre; omnes tamen Peſtum nocte tranſjiciendum putabant. Cujus ſententiæ Perenius imprimis auctor erat, ut ipſe Agriam, quam ea tempeſtate ſub poteſtate & ditione tenebat, profugeret. Germani verò Strigonium, atque inde Viennam ſeſe recipere poſſent. Unus Rogendorffius, inconſulto Ferdinando Rege, negabat ſe Budâ relictâ diſceſſurum. Igitur Nicolaus Comes Salmenſis, felici ſorte, cladi, quæ ſequuta eſt, non interfuturus, ad Regem Viennam mittitur.

Noſtri Peſthum trajiciunt.

Sed priuſquam is voluntatis regiæ tenorem referret, urgente metu, ſtatuitur, ut de nocte, ſplendente luna, quatuor vicibus Peſtum trajiciant. Conſtituti autem ſunt, qui navali negotio, & trajiciendo exercitui præeſſent, Georgius Varcocius, Thomæ qui jam inter Ungaros cenſebatur, patruelis frater, & Balthaſar Puchamius Auſtriacus. Sed Danubius ventis autumnalibus fluctuans, & navigiis infeſtus, nec conſtruendis pontibus, nec trajiciendis copiis commoditatem præbuit: Nam tranſeuntibus primis & ſecundis ordinibus, tanta vi intumuit, ut naves & tabulata, ruptis anchorariis funibus, irati fluminis impetu confeſtim raperentur.

Tametſi autem ex urbe navigia in unum ordinem tranſverſo fluvii curſu diſponi à noſtris hominibus eminus conſpicerentur; nequaquam tamen noſtros fugituros arbitrabantur: niſi id à tranſfugis quibuſdam, ad Monachum & Valentinum ſe proripientibus certius allatum eſſet: ab his duo Mahometes certiores redditi, totis pene copiis ad oppugnanda noſtrorum caſtra contendunt: tormenta omnia provehuntur, & truce ululatu ad ſtationes invadendas extemplo feruntur. Tum verò noſtris, qui ſuos conatus hoſti haud cognitos eſſe exiſtimabant, quorumque haud mediocris pars Peſtum tranſierat, & Rogendorffio, tum importunè febri correpto, tum fatali caſu, dum in tentorio literas ad Regem ſcriberet, aſſeris tormenti hoſtilis impulſu diſſilientis fragmine ſaucio animus concidit: nec cæterorum ducum ullum imperium fuit. Itaque noſtri illico, tam à Gerardo monte, quàm ſuperioribus caſtris fœde dejecti, præcipiti fuga dilabuntur, nec Budenſes occaſioni deſunt; ſed ab Aquaria turri decurrentes, ſtationes deſertas, conjectis in tentoria ignibus, incendunt. Monachus quoque terrorem noſtrorum novo terrore accumulans, fœni & ſtraminis acervos, qui ante ſtabula regia congeſti erant, haud ſibi importuno, ſed noſtris pernitioſo admodum funeſtoque conſilio, ſuccendit, ut collucente flamma Germani fugientes videri poſſent, ſclopetorumque & falconum pilis, certius & crudelius ſternerentur. Haud diſſimiliter à bipartitis Turcarum caſtris, inſulaque Cepelia, & è claſſe, cui Caſſonus trierarchus præerat. Germani pariter & Ungari, extremo pavore conturbati & exanimes, deſtinatis ictibus petebantur. 1541.

Quo deprehenſo, a Turcis & Budenſibus fuſi caſique ſunt.

Claſſis Germanica, deſperatis rebus, adverſo flumine incolumis in tutum evaſit, rejectiſque hoſtibus, qui harpagonibus & ferreis uncis, aliiſque id genus contis & armis naves comprehendere conabantur, Comaronium verſus curſum tenuit. Copiæ terreſtres captæ, aut ad internecionem cæſæ deletæque ſunt: exceptis iis, quos ad ſervitutem robur virium, aut ad ſpem libidinis, honeſtus elegansque vultus conſervavit; atque iis, qui abjectis ad terram armis ſeſe, ac vitam morte ipſa turpiorem ſervarent, deditionem fecerunt; qui quidem ad tria millia peditum Germanorum fuiſſe dicuntur, quos ad montem S. Gerardi fugientes & conglobatos, circumfuſi hoſtes, veluti indagine clauſos oppreſſerunt. Ungari quamvis magna ex parte variis in locis cecidiſſent, plures tamen à Budenſibus, & Valentini ac Monachi equitibus, à Turcis redempti, conſervatique fuêre. Perenius cum parte ſuorum Agriam pervaſit cum Varcocio; parum tamen abfuit, quin ab inſequentibus hoſtium equitibus caperetur: amiſit autem in fuga aliquot ex ſuis: inter quos Joannem Ferenbergum, adoleſcentem Germanum, qui poſtea ab eo redemptus ad militares honores conſcendit, & confinia Croatiæ præfectus adminiſtravit.

Perenius Agriam fuga evadit.

In ea nocturni terroris perturbatione, ingentique rerum omnium confuſione, Caſſonus trierarchus, & claſſis Turcicæ præfectus, Peſtum navibus delatus, quum civitatem vacuam reperiſſet, nemine, qui mœnia & portas defenderet, conſpecto, protinus in eam irrumpens, quoſdam Equites Ungaros ex iis, qui argenteæ Germanorum ſupellectili, ac pecuniis Germanorum diripiendis inhiabant; apud quos omni mortis metu præda potior erat, comprehendit, aut cecidit: & ſumma celeritate infeſtiſque armis oppidum pervagatus, obvios omnes promiſcuè trucidavit. In caſtris & Peſti magnus tormentorum pulveriſque ſulphurei numerus, & ſupra commeatus magnam copiam, reliquus etiam apparatus bellicus ingens captus eſt. Rogendorffius infelix inauſpicatæ expeditionis dux, quum in caſtris potius emori, quàm ignominioſæ cladi ſupereſſe mallet, navigio à familiaribus impoſitus, exindeque Comaronium ductus eſt, cumque Viennam terreſtri itinere adveheretur, Samariæ, quod oppidum, in magna Danubii inſula Comaronienſi, ſatis commodum habetur, vulneris atque animi dolore extinctus eſt.

Caſſonus trierarchus Peſthum vacuum occupat.

Rogendorffius vulnere ac mœrore confectus fato defungitur.

Interea Solymanus, ut victoriæ ſuorum intereſſet, uſque adeo citato gradu properabat, ut pedites prætoriani equitum juſtis paſſibus incedentium

dentium progreſſum æquare cogerentur, quum Varadinum Petri, quod eſt ad Danubii ripam oppidum, perveniſſet ? lætum nuncium de profligato ac caſtris exuto Germanorum exercitu accepit: ac poſtea lentiori itinere incedens, ſuorum caſtra, eo, quo diximus, loco poſita attigit:

Solymanus Budam venit, &

nec tamen recentes ſuas copias cum illis conjungere voluit, quod plena eſſent cadaveribus, dirumque, quo offendebatur, odorem exhalarent, verum dimidio ſupra vetera caſtra milliari conſedit ad veteris Budæ ſuburbanum. Ubi collaudatis duobus Mehemetis, aliiſque præfectis & ducibus; alterum Belgradenſem, cujus potiſſimum virtute & opera partam victoriam intelligebat, magiſtrum equitum Europæorum creavit:

Mehemetem Beglerbegum Europæũ creat.

Ulamanemque Perſam in Boſnenſis præfecturæ adminiſtratione confirmavit. Is quinquennio ante à Tahmaſſo Perſarum Rege, Iſmaëlis Sophi filio, cujus ſororem in matrimonio habebat, cum quatuor ſociis præmeditati ſceleris, Cambere, Deriello, Memhethamo, & Veligiane, (qui omnes infelicem vitæ exitum Chriſtianorum armis interfecti tulère) ad Solimanum tranſierat, & ſuſcipiendi contra Perſas belli, auctor atque inſtigator fuerat.

Ulamanem vero Persã in Boſnenſi præfectura confirmat.

Tartaros verò, quorum magnum robur & numerum adduxerat, ad loca Strigonio, Nitriæ, atque Albæ vicina, ad depopulandam quaquaverſum regionem dimiſit: captivoſque, quorum magnus numerus ei à præfectis dono oblatus erat, crudeli edicto trucidari ſuo in conſpectu juſſit; duobus aut tribus ex præcipuis reſervatis, inter quos Balthaſar Puchamus fuit; quem nocturno eoque funeſto exercitus trajectui præfuiſſe diximus; & Melchior Borſita Bohemorum præfectus, qui poſtea Reginæ beneficio libertatem conſequutus, poſtliminio ad ſuos revertit.

Tartarorum vaſtationes.

Captivi in conſpectu Solymano interempti

Paucos deinde dies quieti indulgens, ſuo ac duorum, quos ſecum præter morem adduxerat, filiorum Selymi & Bajazetis nomine, infanti puero, per Chauſiorum, hoc eſt, præconum magiſtrum, quod apud Turcas præcipuæ dignitatis officium eſt, dona miſit; (nam Muſtaphas è priore uxore genitus, Magneſiæ in Aſiæ juſſu patris agitabat) equos militares tres, aureis inſtrumentis decoros, ac purpureas auro intertextas totidem veſtes; Reginæ verò annulos cum gemmis immenſi pretii, & torques, ac Babylonicæ ſubtiliſſimæ telæ, ad capitis & corporis ornamenta, certum numerum:

Solymanus ſuo & filiorum nomine Reginæ & filiolo munera offerri curat.

petebat autem nomine Solymani à Regina, qui petendo jubere videbatur, ut puerum Regis, ejuſdemque in fratrem adoptati filium, & cum adoleſceret, illius beneficio procul dubio regnaturum, cum proceribus, qui cum ea ſtrenuè obſidionem toleràſſent, eamque avertiſſent, ad ſe in caſtra mittat: nec quicquam dubitet, quin poſtquam eum videre, atque tenere exoſculari licuerit, illæſum extemplo ad matrem remittat: eâ animi magnitudine eſſe principem ſuum, ut ſicuti potentia fortunaque omnes poſt ſe Reges relinquat; ita etiam pietate & juſtitia ſuperare contendat, nec puero in ſpem regni feliciter educando quicquam adverſi evenire patiatur: ipſam autem Reginam pro filia, nutuque ſemper ſit amplexurus.

Et ut puer cũ proceribus quibuſdam in caſtra veniat, Turcica petit.

Quum Regina, quidnam ad ea reſponderet, perplexè & cunctanter deliberaret, nec ea mora apud barbarum principem quicquam proficeret demum monente & obteſtante Monacho, puerum cum nutrice & nonnullis matronis, anxia & de ejus ſalute ſolicita, non ſine ſuſpiriis & lachrymis in caſtra miſit. Delecti etiam fuère ex proceribus, qui cum Georgio Monacho eum comitarentur; Valentinus ipſe copiarum dux ſummus, quanquam nonnihil febricitans, ideoque obteſtatus collegas, ut domi relinqueretur, Petrovitus, Urbanus Battianius, Budæ & excubiarum præfectus, Georgius Peſthenius, & ipſe Verbecius, qui paulo ante Byzantio reverſus, ſoluta urbis obſidione, eo advenerat, aliique præcipua dignitate præſtantes.

Delecti itaque nonnulli ex optimatibus qui puerum proſequuntur.

Qui in caſtra cum puero regio profecti, obviam habuerunt prætorianam Turcarum equitum turmam, equis, armis, criſtis, veſtibus egregiè inſtructam: inque caſtris inter duos Janicerorum ordines ad Solymani tentorium deducti ſunt: qui puerum humaniter ac perblanda fronte inſpexit, laudavitque; & duobus filiis, ut inſpicerent, mandavit; & deinde è marſupio aureos nummos exprompſit, nutricique de manu dedit, quod apud Barbaros ſingularis gratiæ ac benevolentiæ indiciũ eſt.

Puer blandè tractatus.

Poſtea purpurati juſſu ejus, Budenſes proceres epulis & prandio exceperunt, & ad multum diei compotando, atque mutuos ſermones de induſtria commiſcendo, diutius detinuerunt.

Optimates convivio excepti.

Interim verò per ſimulationem viſendæ urbis, turmas & cohortes, certis ducibus, quas quidnam facere vellent, edocuerant, manipulatim immiſerunt: adeoque tacitè & ſine ullius rixæ tumultu Sabatinam primò portam, ac brevi aliam poſt aliam occupârunt, ut cuſtodes & cives ac alii vix factum animadvertiſſe viderentur.

Et Buda aſtu ſingulari occupata

Eo modo, portis, plateis, compitiſque omnibus celeri fraude occupatis, præfectus Janicerorum obequitans per præconem in foro & celebrioribus locis edici juſſit, potentiſſimum principem Solymanũ velle jubere, ut omnes in urbe quamprimum arma deponant, tradantque, & quiſque pacatus quietuſque domi ſe contineat, capitale fore, ſi quis non paruiſſet. Cives extremo nec opinato metu perculſi, arma tradidère: & ſtatim Janiceri ac reliqui Turcæ ad decem millia ſingulas domos pro hoſpitiis occupavère. Tum verò Solymanus intellecto populum ſedatum, & urbem in manu eſſe, puerum carpento, quo erat in caſtra vectus, iterum impoſitum in urbem ad matrem remiſit.

Puer à Solymano ad matrem remiſſus.

Paulo poſt cum Georgio Monacho & Verbecio, remotis aliis, privatim colloquutus, proceres expectare in exteriori tabernaculo juſſit: quumque veſpera ingrueret, neque nox procul eſſet, Regina de eorum libertate & ſalute vehementer anxia, Ruſtanem Solymani generum, qui purpuratorum princeps poſt dejectum loco Luphtim ſub id ferè tempus evaſerat, ut pro illorum incolumitate ſtudium operamque ſuam interponeret, ſerò urgebat: tandem ſub noctem cæteros dimiſit, uno retento Valentino, quem ad tentorium quoddam ſeparatum, haud procul à Ruſtanis contubernio, mœſtum & triſtia animo volventem deducendum curavit, addens ſe habere quædam, de quibus ſequenti die cum eo ageret.

Dimiſſi & proceres, excepto Valentino.

Exinde de regno Pannoniæ cum purpuratis conſultando, diſceptandoque aliquot dies conſumpti ſunt, quum variantibus ſententiis, non ſatis liqueret, quorſum tam longæ deliberationis finis evaſurus eſſet: ſiquidem alter Mahometes, unus ex purpuratis, & Ulamanes, pupillum regium Conſtantinopolim abducendum, & Budam Turcico præfecto, moderato prudentiſque animi viro committendam ſuadebant: Belgradenſis verò, Chriſtiano nomini maximè infenſus ac implacabili in Ungaros odio acerbus, longo ſermone, certiſque rationibus, infantem & proceres

Solymanus de Pannonia regno conſultat.

ceres è medio tollendos, diruendas eorum arces, Reginam patri remittendam, & Pannoniam omnem in provinciæ formam redigendam cenſebat: ne per ſingulos annos, non ex Europa tantum, ſed ultra marinis & procul diſſitis Aſiæ & Ægypti regionibus, tanti laboris & itineris expeditio ac bellum ſuſcipi gerique neceſſe foret: Ruſtani genero mitioris ingenii homini totus conſilii & deliberationis ſumma ad decus & æquitatem revocanda eſſe videbatur: nihil quippe officio magni juſtique principis magis convenire, quàm ſi Reginæ & pupillo regnum, quod patri in fratrem adoptato, jure clientelæ donaverat, benignè confirmandum, & invictis armis, quæ omnibus terrori & formidini ſint, in illius poſſeſſione tuendos & protegendos decernere velit.

Budam ſibi aſſerit.

Reginam cum filio in Tranſylvaniã amandat

Paulo poſt ſententias ſuorum ita temperavit, ut per eundem Chauſiorum magiſtrum Reginæ nunciaret, ſe urbem & arcem ſibi retenturum; donec puer adoleſcat; eo quod ipſa contra Germanos hoſtes eam tueri non poſſit; ſibi verò grave imprimis moleſtumque foret, quotannis cum exercitu ad eos arcendos advolare; igitur decreviſſe, ut ipſa cum filio Tranſylvaniam provinciã, habeat; ſimul cum inferioris Ungariæ parte, ac Lippæ & Temeſuarii ditione, atque iis, quas Joannes ſuperſtes obtinuiſſet, ſalis & auri fodinis, quæ in finibus Poloniæ, Sigiſmundo Patri vicinis (quod ei haud mediocri ſolatio eſſe queat) in Maramaruſio habentur. Georgium Monachum, uti Joannes moriens mandaverat, tutorem & regni adminiſtratorem futurum: Petrovitio Temeſuarii præfecturam ratam fore: Verbecium ſenem, virum bonum & induſtrium, ac longa rerum experientia pollentem ſe Budæ relicturum, cum ſtipendio quingentorum aſprorum diurnorum (id eſt genus minoris Turcarum monetæ) collegamque Turcici nominis, quẽ Cadileſcherus, prætorianus judex nominaverit, ei adjuncturum; ut ille Ungaris, hic verò Turcis jus dicat, cæterorum etiam procerum dignitatem ſalvam & incolumem manſuram. Se daturum currus & ſarcinaria jumenta, quibus tota Reginæ ſupellex Lippam uſque deferatur: poſſe illic in Tranſylvaniam pervehi. Velle etiam ut tormenta omnia bellicuſque apparatus, & commeatus in urbe arceque relinquantur. Conceſſurum ſuper his fidei ſuæ diplomata, quibus pupillo caveat ſe ei Budam redditurum, quum ad idoneam regno adminiſtrando ætatem, Deo juvante, pervenerit.

Regina Buda excedit, quam Solymã puero, ubi adoleverit, ſe reſtituturũ jurat.

Quibus intellectis, Regina cum multo gemitu & lachrymis, tyranni perfidiam tacitis votis deteſtata, neceſſitati cedere, atceque excedere coacta eſt, quum jam ejus portas ab Janiceris teneri comperiiſſet. Excedenti autem cum proceribus ſcribarum præfectus, quẽ ipſi Niſacgin vocant, cum Dragomano interprete nimirum adfuit, eique diplomatis literas, aureis & cæruleis literis Arabicè ſcriptas tradidit, quas nos multis poſt annis vidimus, in quibus jurabat Solymanus ad Dei omnipotentis & Mahometis numina; caputque & enſem ſuum, Budam ſe quamprimum infans adoleſceret, bona fide redditurum, quo accepto, illa, nunquam amplius Budam viſura, in Tranſylvaniam iter ſuſcepit, ſupplici libello prius ad Solymanum & Ruſtanem fruſtra miſſo, quo libertatem Valentino impetrare contendebat. Ferunt Georgium Monachum Valentino inſidias ſtruxiſſe, Solymanumq; ab eo per idoneos homines ſecreto admonitũ, ne quid Valentino fidendum duceret, homini turbido, ferocique & rerum novarum cupidiſſimo, ſicque illum à tyranno cuſtodiæ traditum. Sed nos de re incomperta, non eſt quod certi aliquid ſtatuere poſſimus.

XXVI. Auguſti.

Valentinus à Turca retentus, Monachi ut ajunt conſilio.

Eodem tempore, quo hæc Budæ gerebantur, Ferdinandus intellecta ſui exercitus clade, ac morte Rogendorffii, Leonardum Felſium, qui Viennæ ſubſtiterat, ad colligendas diſperſi exercitus reliquias Comaronium miſit; qui palantes ac nudos, rerumque omnium inopes, præbito ſtipendio, veſtibuſque & commeatu recrearet. Subinde etiam opportuniſſimum fore ratus, ſi Solymanum per legatos placare poſſet, ac novis conditionibus pacem vel inducias cum eo paciſceretur: abſque longiori mora ad illum adhue Budæ in æſtivis agitantem viros illuſtres Nicolaum Comitem Salmenſem, quem pridie, quam caſtra caperentur, ad Ferdinandum ab exercitu miſſum eſſe diximus, ac Sigiſmundum Herberſtanium Moſcovitica legatione clarum ſenem, cum muneribus miſit: inter quæ præter pocula aurea, elegantis & eruditi artificii horologium erat, quod Maximiliani Cæſaris avi fuiſſe dicebatur: adetatque peritus artifex, qui barbaros earum rerum rudes & ignaros ad regendam ejus rei machinam protinus edoceret inſtrueretque.

Comes Salmenſis & Herberſtanius ad Solymanum Legati miſſi.

Grata fuêre Solymano munera; alteroque, quam venerant die, legati, prius à Ruſtane convivio excepti ad eum introducti ſunt: qui inducias, quibus etiam Carolus Cæſar includi ſe pateretur, regnumque Pannoniæ iiſdem quibus antea, pendendi quotannis tributi conditionibus Ferdinando adjudicari, ac ut captivos aut permutatione, aut pretio redimere liceret, poſtulabant. Ad ea biduo poſt, per Ruſtanem generum elato animo reſponſum eſt, non aliis conditionibus pacem dari poſſe, quam ut Fardinandus Pannonia omni cedat, ac pro Auſtria annuum tributum pendat. Si id facere gravaretur, Solymanum præterquam quod Pannoniam armis ab eo extorqueat, tum inſuper Auſtriam igne & ferro evaſtaturum. Captivos, ſi pax conficiatur, poſſe abſque pretio dimitti; ſin bellum vigeat, venturam occaſionem permutandi. Legati hoc reſponſo accepto, quamquam veſtibus aureis donati, juſta tamen ira haud parum commoveri videbantur, quod nec ſui, nec duorum ſummæ dignitatis, ſummæque potentiæ fratrum, quorum nomine agebant, barbarus arrogans rationem ullam habuiſſet; domum reverti decreverunt permittente tamen Ruſtane caſtra eorumque ordinem diſciplinamque, quæ mirifica erat, antequam diſcederent, perluſtravêre.

Cum ſuperbo reſponſo dimiſſi ſunt.

His rebus peractis, ac Buda in poteſtatem ſine ſuorum vulnere redacta, & urbis cura Solymano purpurato, natione Ungaro commiſſa: nec non Verbecio, ac Hairadino Cadio, qui jus dicerent, conſtitutis, cum filiis & exercitu victore Conſtantinopolim redire decrevit: quod autumnum in pluvias præcipitem, ideoque viarum difficultates, cælique injurias ſuborituras metuere videretur. Indicta igitur profectione, paucis diebus Belgradum pervenit; ibiq; dum ſibi & exercitui trium dierum quietem ſumpſiſſet, Laſcum Ferdinandi legatum, quem ayzantii captum, ac inde ſecum abductum ibi reliquerat, liberaliter dimiſit. Et Valentinum, quẽ Budæ paulò ante ceperat, adverſa tentatum valetudine, ſub eadem cuſtodia Belgradi reliquit, conſtituto ad ejus ſuſtentationẽ in quemlibet diem ſingulo nummo aureo: juſſumque ut recuperata ſanitate ſe & caſtra ſequeretur; qui tametſi Ruſtani & purpuratis, cæteriſque aulæ proceribus maxima munera dando profuſeque largiendo ampliſſimas facultates expendiſſet, eumq; illi ſpe & deſiderio optatæ libertatis

Solymanus Conſtantinopol. redit Buda commẽdata Solymano Baſſa, Verbecio ac Hairadino.

bertatis

Digitized by Google

bertatis blandioribus verbis diu lactaſſent: tandem tandem tamen poſt duros quinquennii carceres ad Propontidem ſeptenaria in turri vitam finivit: & ſceletum, quibus patriam immaniter evaſtatam, omnique priſtina dignitate exutam reddiderat; ac poſtremo barbarorum ſervituti mancipaverat, meritas pœnas perſolvit.

Valentinus in carcere poſt decennium extinctus.

Laſcus non abſque ſuſpicione veneni obit.

Sed neque Laſcus recuperata libertate, diu vitam producere potuit; quum in Poloniam patriam reverſum lætifer morbus, non ſine ſuſpicione veneni corripuiſſet, quod ei à Turcis in lacte, cujus frequenti uſu delectabatur, præbitum fuiſſe fama erat, cujus vim ferre non potuit; ſic ut non ſine Sarmatarum fere omnium, ac ipſius etiam eorum regis ſummo dolore Cracoviæ tumularetur. Verbecius quoque jam exactæ ætatis ſenex, juri dicundo ſimul & vitæ, quam perpetuis factionibus, & alendis fovendiſque partium ſtudiis exercuerat, finem impoſuit: Vix ſiquidem Solymanus Byzantium pervenerat, quum in morbum incidit, expiatiſque Chriſtiano ritu criminibus, cujus per omnem vitam tenaciſſimus fuit, pecuniaque haud contemnenda in uſus calamitoſorum hominum, ac reficienda templa teſtamento legata, Budæ mortuus eſt; multis & magnis, dum ſuperſtes fuit, lachrymis & gemitu, patriæ calamitatem ac diram ſervitutem deplorans, in quam illa, ipſo auctore incidiſſe, jure meritoque dici poſſe videtur.

Verbecius etiam auctor excidii Hungariæ.

Hiſdem quoque diebus, quibus memorabili barbaricæ perfidiæ exemplo, regina ſede & regno ſpoliata, & Buda occupata eſt, Mailatus miro Achomatis Nicopolitani præfecti, & Petri Moldaviæ principis aſtu fraudeque in inſidias præcipitatus atque captus eſt. Cum enim Petrus & Achomates juſſu Solymani ad Danubii ripas cum exercitu excubarent, ne quid ex Tranſilvania aut inferiori Ungaria detrimenti caperetur, ad Mailatum, qui poſt toleratam in arce Fogaras obſidionem, induciis cum Johannis ducibus pactis, domi ſe quietum continebat, circumveniendum animos adjecerunt, quum nec Turca nec Valachus in Tranſilvaniam penetrare, atque ei arma inferre audebant; quod à Ferdinando non contemnenda auxilia expectare diceretur. Itaque ad dolos & fraudes converſi, petere ab eo cœperunt, ut componendæ pacis cauſa ad ſe in caſtra veniret: Solymanum eſſe in itinere, ut Budam à Germanis oppugnatam, obſidione liberet, proinde præſtare pacem ab eo impetrare, quam arma ejus experiri, ſe daturos operam, ut ea componatur, ſi ipſe ad caſtra veniat, & mutuos cum ipſis ſermones de conditionibus conferat. Ad ea Mailatus ſe pacem certam firmamque dubio bello anteferre, ideoque ſi filius Achomatis adoleſcens, idonei obſidis loco ad ſe mittatur, colloquium minime detrectare reſpondit. Verum Achomates de filio dando ſe excuſavit, capitale id facinus nefariumque fore, quod eum jam antea ſervitio Solymani addixiſſet, ſed miſſurum duos inſignes limitum Bidinæ & Seliſtriæ præfectos, quibus utriſque vexillum Solymanus de manu tradidiſſet. Mailatus fraudis ignarus nec quicquam mali ſuſpicatus, duos Turcas ſtabularios, viliſſima capita, aureis talaribus togis indutos, incurviſque enſibus auro exornatis cinctos, doli tamen, ut dicebant, neſcios, ab Achomate accipit: veros eos & præcipuæ dignitatis præfectos exiſtimans: ac infelici ſua ſorte in caſtra proficiſcens, incertæ barbarorum fidei ſe committit: cumque ad Moldavi tabernaculum divertiſſet, magno impetu Turcæ ſimul & Valachi in eum irruperunt, captoque vincula extemplo injecerunt: reſque ejus omnes & † vincula diripuerunt, equiteſque qui eum comitati erant, armis equiſque ſpoliarunt, trucidatis compluribus, qui reſiſtere auſi eſſent, nonnulli ad ipſius jam capti preces & obteſtationes dimiſſi quidem ſunt; ſed tanta barbarorum immanitate, & avaritia; ut veſtibus ad nuda uſq; corpora ſpoliati, nec quo occultas membrorum partes obtegerent, habere poſſent; inter quos Bernardus Tahius, Paulus Teriacus, & Jobus Cavaſius fuere. Sic Mailatus ſortem ſuam infelicem lugens, & ſero nimiæ crudelitatis ſuæ pœnitens, Byzantium perducitur; eodemq; cum Valentino carcere includitur: in quo poſt diuturnam infortunii calamitatem, & miſeriam ambo extincti, documentum Turcicæ perfidiæ poſteris præbuere. His rebus, altero poſt Joannis obitum anno, in Pannonia geſtis, Solymanus ceptum iter proſequutus circa Idus Novembris Hadrianopolim atque inde Byzantium reverſus eſt.

Mailatus Achmetis & Petri Moldavi fraudibus captus.

† Supellectilem fort. vel arma.

In eundem cum Valentino carcerē compingitur.

Eo abeunte domeſticis diſcordiis in partibus poſtremum Illyrici magna contentione laboratum eſt: in quibus Simon Epiſcopus Zagrabienſis, cum Johanne Comite de Zrinio controverſiam finium regendorum haud levem habebat: quam nec arbitris, nec judicibus dirimendam committebant; vim tantum & injuriam mutuo exercentes: ex qua variæ rapinæ emergebant, majoris minoriſque pecoris magnus utrinque numerus abigebatur, ac plerumque miſerorum agricolarum, cæterorumque hominum cædes contingebant. Nec Simon, uti ſacratum virum decebat, mitiùs agendo, & jure ac legibus cauſam proſequendo, bonum aliis exemplum dare, aut aliquid de jure ſuo decedere volebat: ſed potius quum in quoſdam milites Zrinianos incidiſſet, partim trucidari eos juſſerat, partim captos ac ferreis compedibus vinctos ad ſerviles operas compellebat. Contra Johannes militari ingenio, & juventa ferox, & injuriarum impatiens, ſimilia aut majora detrimenta inferre, & armis contumelias ulciſci properabat; poſtremo Epiſcopi arcem Vinodolam, non procul ab Raſtovicia ſitam, comparatis, quæ oppugnationi neceſſaria erant, obſidione cinxit, cumque aggeres & vineas ageret, & tormenta collocaret, eoque in opere incautius verſaretur, vir nobiliſſimus à tumultuariis militibus atque agreſtibus craſſioris ſclopeti globo ictus atque interfectus fuit.

Diſcidia in Illyrico inter Epiſcopum Zagrabienſem, & Joan. Comitem Zerinii.

In Vinadolæ arcis obſidione Jo. Comes globo trajectus occubuit.

Cædem ejus ulturus Nicolaus frater illius, validiores comparare copias, pedites & locis mari Adriatico vicinis ad ſtipendia evocare, equitum ſuorum numerum, mercenariis conductis equitibus augere, ac obſidionem fratris morte ſolutam, repetere, & continuare. Verum Ferdinandus, graviſſimo edicto promulgato, ambos ſub honoris atq; exiſtimationis jactura, ab incepto, & ab injuriis mutuis inferendis ſerio prohibuit: ſimulque Franciſco Joſephirio, Epiſcopo Segnienſi, Georgio Frangepano Zlunii Comiti, Balthaſari Banffio Thallociano, Stephano Giulano Johanois filio, ac Michaeli Ravenio prætori Sclavoniæ in mandatis dedit, ut illos in mutuam priſtinæ concordiæ amicitiam reducerent, aut omnes controverſias jure terminarent. Quorum opera atque induſtria brevi, quamquam haud parvo labore effectum eſt, ut captivis utrinque dimiſſis ac damnis reſtitutis, pax firma inter diſſidentes componeretur. Fine ejuſdem anni Gaſpar Erneſtus, quem Ungari Hamponem vo-

Ferdinandi demum juſſu pax inter diſſidentes compoſita.

Hampo ultimus ejus familiæ

vocabant, cum ejus ſtirpis & familiæ ultimus eſſet; nec ullos hæredes, è conjuge Petri Queglevitii filia, reliquiſſet, vitam cum morte commutavit, cujus obitus non leves diſcordiarum & motuum occaſiones attulit, quibus demom haud dio poſt effectum fuit, ut bellum atque inteſtina arma concitarentur; quemadmodum ea ſuo loco à nobis erunt ordine commemoranda.

abſque liberis decedit.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XV.

ATrox & inexpectatus captæ opulentæ urbis caſus, ac fraude hoſtium, pluſquam Punica, procuratum reginæ & pupilli exilium, & ſupra irritum legationis eventum, deleti tam florentis exercitus fama, non ſolum Ferdinando magnum metum & pavorem incuſſerat; ſed totius etiam Germaniæ principes populique, vicinitate tam diri & præpotentis hoſtis, qui vincere omnia & ſub jugum rapere conſueviſſet, haud mediocriter trepidare videbantur. Nam præter tormentorum ingentem jacturam (quæ tamen pecunia forte & haud mediocri ſumptu reſarciri poſſe cenſebatur) antiquum etiam fortiſſimæ Germanorum gentis decus ac jam inde à Romanorum Imperatorum temporibus partam rei bellicæ gloriam duobus infauſtis præliis, uno ad Eſſecum, altero vero ad Budam amiſſum eſſe cernebant: ideoque acceptum dedecus nobili auſu & clariſſimo quopiam facinore reſtaurare conabantur: non improbanda ſaneratione, ne ſi ſegnes ac deſides ocio & ignavia torpere, & Pannonios diro bello obrutos opibus & armis juvare intermitterent, tum demum iis devictis ipſi iniquiori conditione, domi ſuæ pro aris & focis dimicare cogerentur.

Comitia Ratiſponæ ac Spira de bello adverſus Turcas ſuſcipiẽdo habita Anno 1542. Hungarorum legatio.

Eam ob rem frequens Germaniæ concilium Ratiſponæ, ac in Nemetum urbe Spira, coactum eſt, in quo de hoſtibus propulſandis, ac vindicanda ab eis republica Chriſtiana, communibus ſuffragiis conſultatum fuit. Aderat iis comitiis Ferdinandus, & cum eo celebres è Pannonia legati Martinus Queſſetius Epiſcopus Beſprimienſis, Franciſcus Niarius Comes Hontenſis, Georgius Racoſcius, & Martinus Berdoldius, qui principes ac liberarum Romani imperii civitatum nuncios publice privatimque orando, atque obteſtando ad danda auxilia, ac reſarciendam tam rerum quam nominis & exiſtimationis publicæ jacturam, inferendumque bellum aſſiduis precibus urgere atque excitare non deſinebant. Et quamquam Franciſcus Gallorum Rex, miſſo ad Comitia & principes legato ſuo, Franciſco Oliverio, Alanzonii ducis Cancellario, eos ab inferendo Turcis bello prolixa oratione dehortari atque deterrere fuiſſet conatus: propterea quod graviſſimas cum Cæſare ſimultates recens exortas haberet, à quo legatos ſuos Byzantium miſſos Antonium Rinconem, & Cæſarem Fregoſium, inſidiis Hiſpanorum circumventos atque interfectos querebatur: ideoque etiam Ferdinandi votis cum Cæſare conjunctis obſtare cupiebat: tamen favente meliori cauſæ, majori parte procerum, qui legatos illos ad concitanda in Chriſtianos Turcarum arma & Pannoniam evaſtandam miſſos fuiſſe, non ignorabant, ideoque jure cæſos eſſe exiſtimabant, brevi effectum eſt, ut pluribus ſuffragiis auxilia Ungaris ferenda eſſe, & bellum, quo Buda repeti recuperarique poſſet, decerneretur.

Gallorũ Regis legatus dehortatur principes à bello Turcico.

Bellum adverſus Turcas decretum.

Cæterum decreto bello Maurinus dux Saxoniæ Henrici filius, impiger cupiduſque belli, virtutiſque in eo oſtendendæ adoleſcens, voluntariam militiam patriæ reique publicæ profeſſus, mille equites ſe adducturum, eiſque ad belli uſque exitum ſtipendium de ſuo perſoluturum pollicitus eſt. Pecunia vero publica conducti ſunt ſub diverſis regalis & præfectis, circiter ſeptem millia equitum cataphractorum; peditum vero ordines, quorum ut triginta millia conducerentur, deliberatum erat, Theodoricus Suevus & plures alii tribuni, ex veteranis Germanici nominis militibus, ad ſigna convocavere: inter quos Conradus Bemelbergus cognomento Heſſus clarum militiæ nomen, & magnas divitias dum proximis annis Roma à Cæſareanis capta diriperetur, conſequutus, eminebat; qui duabus legionibus militum præerat. Suprema autem militaris imperii poteſtas, Joachimo Brandenburgico principi delata eſt, licet non multum foris in militia verſato, & parum efficacis ingenii duci (quamquam expeditioni ſecundæ contra Solymannum Cuſegum obſidentem, ſuſceptæ interfuiſſet) niſi quod generis oobilitate præſtaret, regioque cultu, & liberali convictu ſpendidoque, tanti nominis decus, famamque tueri videretur. Additi autem ei ſunt octoviri ex togatis, tota Germania exquiſitis, conſiliarii, inter quos Guilielmus Comes Rennenbergius erat, prudentia rerumque experientia inter primos habitus: quorum conſilio & opera bellicis in rebus uteretur.

Exercitus imperii.

Ejuſque præfectura Joachimo Marchioni Brandenburgenſi demandata

Adjunctis octo conſiliariis.

Ubi exercitus tam pedeſtri itinere, quam ſecundo Danubio Viennam perductus eſt, Ferdinandi regis copiæ, haud fere numero impares Germanicis non multo poſt acceſſere. Nam Johannes Ungnadus Stiriæ & Carinthiæ præfectus, quinque equitum, & totidem peditum millia adduxit. Paulus Strigonienſis Archiepiſcopus quingentos equites ſuis ſtipendiis conductos addidit, duce Bartholomæo Chrovato veterano militum ſuorum præfecto. Andreas Bathorius conſilio & manu promptiſſimus juvenis, nondum, ut poſtea, pedibus captus, cum totidem equitibus advenit, ſimul cum Gaſpare Seredio, Franciſco Niario, Gabriele Leva, Stephano Loſontio, Ladislao Orſago, ac compluribus aliis inſignibus viris, qui ſingulas peculiareſque alas equitum habebant. Sed ante omnes alios à Petro Perenio adductæ erant veteranorum validiſſimæ turmæ, ex utraque Pannonia conſcriptæ, ad duo aut ſupra equitum millia, omni apparatu militari inſtructiſſimæ: ita ut ad ſuum, & reliquorum præcipui ominis equitum uſum, trecenti amplius militares equi, ſeſſoribus vacui, ephippiis auro & argento ſplendide ornatis ad

Ferdinandi Regis copia.

manum

manum ducerentur : in quos te ita poſcente milites celeriter inſilirent. Cum eo una Franciſcus Bebecus , vetuſta militatique nobilitate ortus , Stephanus Raſcajus , Balthaſar Banffius Nicolaus Oſtroſitius, Emericus Verbecius , Stephani filius, & alii, quos longum eſſet, neque neceſſarium enumerare , certatim in caſtra convenere : ita ut præter peditatum Pannonicum , ſoli equites Ungarici nominis, quindecim millium numerum facile conſtituerent : iiſque omnibus voluntate & juſſu Ferdinandi Perenius imperitabar ; quod omnium ejus ætatis Ungarorum potentia , diviriis , militiæ uſu & experimento eſſet præſtantiſſimus , nobiliſſimuſque. Nondum in caſtra pervenerat à longinquioribus Illyrici partibus Nicolaus Comes à Zritio, quod Johanni Comiti fratri à Vinodolianis , ut diximus eo fere tempore cæſo parentaret ; ſed poſtea obſidione Peſtana jam incepta, & ferven-te quodam inter noſtros & Turcas prælio , opportune , ut mox dicemus, ſuperveniens, victoriam paraſſe exiſtimatus eſt.

XV. millia equitum Ungarorum in bello Peſtano 1542. Quibus Perenius præerat.

Pauli III. auxiliares copiæ.

Supra hos omnes Paulus Pontifex tria millia peditum Italorum , duce Alexandro Vitellio Tiphernate , in caſtra miſit , qui pugnacis & egregii ducis famam virtute & præclare geſtis rebus promeruerat : eique attribuit Angelum Medichinum Mediolanenſem , Jacobi claſſis Danubianæ præfecti fratrem germanum , qui ſtatis temporibus ſtipendia militibus certo perſolveret, qui poſtea Cardinalis, demum ad ſummi Pontificatus faſtigium pervenit , & Pius ejus nominis Quartus vocatus fuit. Non multo etiam ante Ferdinandus Italos duces acquirere cupidus , quos expugnandis urbibus præſtare credebat, Philippum Torniellum Novarienſem, cum aliquot Italicis cohortibus mercede conductum , Viennam evocaverat : & Jacobum Medicinum, Angeli ipſius fratrem, alterum jam annum in Pannonia, ſecunda nominis fama militantem, claſſi præfecerat. Sforcia quoque Palavicinus iiſdem diebus , ſexcentorum equitum alam ad ſtipendia Ferdinandi ex Italia adduxit, & confecto bello Peſtano , per multos annos poſtea in Pannonia militavit , ac ad magnos honores, opimaſque præfecturas evectus eſt. Erant copiæ & numero & viribus , & militarium præfectorum virtute ac peritia longe præſtantiſſimæ & fere inſuperabiles : & quæ vel ipſimet Solimano , ſi ad manus conſerendas prodire in aciem vellet, non ſine certa ſpe obtinendæ victoriæ haud dubie opponi poſſe viderentur : niſi infeſta jam pridem Germanico nomini fata impenſius obſtitiſſent.

Deſcendit exercitus ad profluentis Danubii dextram ripam, quum complures dies , in itinere, & ad Viennam ſedendo nihilque agendo inutiliter conſumpſiſſet : frementibus Italis ducibus , & ante alios Jacobo Medichino , qui ante prima veris ſigna, priuſquam Turcarum agmina ex longinquioribus Græciæ & Thraciæ locis convenirent, arma promovenda cenſuiſſet ; & ſi celeritate adhibita hoſtes tempeſtive invaderentur, poſſe Buda potiri multoties affirmaſſet : propterea quod infinitus Turcarum numerus , à Solimano in præſidio relictorum , oborta gravi peſtilentia, conſumptus eſſet : & inter alios, Solimanus præfectos urbis, & Verbecius , qui prætoria poteſtate, ut diximus, juris dicendi relictus erat, eadem contage è medio ſublati eſſent : nec adhuc præſidia augeri novis militibus potuiſſent. Sed Germani cunctatores eximii, ac Ferdinandi ipſius conſiliarii, & primores aulæ lentioribus ſubnixi conſiliis, ſalubria & perite oblata conſilia neglexerunt: & dum exercitum ſpe Ferdinandi præſentiæ de die in diem differendo detinent ; interea autem ut per legatos bellum adminiſtret, adulando & gratiam ejus ſiniſtris artibus aucupando , funeſtis Ladislai , & Ludovici Pannoniæ Regum exemplis , qui cum Turcis infeliciter congreſſi in acie cecidiſſent , perſuadere nituntur, optimæ occaſionis tempus prætetlapſum ſerius animadverterunt. 1542.

Medichinus quamprimum Budam aggrediendam eſſe ſuadet.

Germanorum cunctatio.

Exercitus noſter tandem ſe movet.

Itaque Joachimus , qui ab Ungaris nigri Ducis nomine appellatur , quod equitũ turmas ferreis nigricantibus thoracibus utentes adduxiſſet, nimiæ tarditatis pertæſus , Strigonium deſcendit ; tali incendium agminum ordine ſervato, ut triginta turmæ Ungarorum equitum, veluti qui locorum ſingularem notitiam haberent , explorandis itineribus regionibuſque antecederent : Vitellius cum Pontificiis peditibus , & Sforciani equites Ungaros ſequerentur. His Perenius & Bathorius, tribus magnis & validis equitum haſtatorum turmis , & Ungnodius cum ſuis ſuccederent : quibus ſecundo ordine , & modico intervallo Germani gravis armaturæ equites : deinde peditum legiones quadratis agminibus poni ſubjungerentur, proxime legionibus tormenta currulia , & majores minoreſque colubrinæ, equis Bohemicis robuſtioribus , trahebantur. Claudebat autem exercitum adequitans Imperator Brandeburgicus , cum ſuo peculiari Germanorum equitum agmine , qui ut prætorianos ducebat , ſplendentibus armis protecti ordine ſervato, lentis paſſibus, progrediebantur, quem maxima & in longum exporrecta carrorum & impedimentorum ſeries ſubſequebatur: & ſingulis diebus inclinante ad occaſum ſole, caſtra idoneis in locis haud procul Danubio ponebantur : ita ut Germanni carris & curribus connexis tuto clauderentur: Ungari autem & Itali extra munimenta tenderent , & pernoctarent ; ac ſuas ipſi excubias & ſtationes interdiu noctuque more militiæ obirent. Tardioris autem itineris cauſa eſſe dicebantur, quod fama eſſet in vulgus edita , Solimanum ingentibus copiis ad ferendum Budæ auxilium brevi adventurum, aut certe miſſurum equitum magiſtrum ; qua de re Germani animis haud mediocri metu perculſi , tardius omnia exequi videbantur. Quem tamen paulo poſt certioris fidei exploratores, non niſi mille Janiceros , ac totidem equites prætorianos miſiſſe, & claſſem nequaquam Germanicæ & regiæ ſuperiorem eſſe adferentes, conceptum antea timorem, ac tardiora conſilia facile ſuſtulerunt.

Perenius quoque abrumpendam moram, & Budam promovenda caſtra ſuadebat: Turcas, qui in præſidio fuiſſent, una cum præfecto , & duce ſuo, peſtilentia magna ex parte ſublatos ; nondũ nova acceſſiſſe auxilia, nec ullius majoris expeditionis vim timendam, milites noſtros magna eſſe animorum alacritate, & bonæ ſpei plenos, & uti iter maturetur, atque in conſpectum hoſtium veniatur , poſcere : non eſſe eos amplius detinendos, atque inutili mora enervandos. Itaque Brandeburgicus, habito cum ſuis conſilio , maturandum & promovenda caſtra decrevit : ac Danubium tranſire conſtituit : ut cum exercitu ad Peſtanæ urbis obſidionem deferretur. Quod conſilium Medigino claſſis præfecto nequaquam probabatur, cui Budæ ſtatus reſque omnes plane cognitæ erant: & qui petendum regni caput, adductis in medium firmiſſimis rationibus , conſulebat,

Medichinus, omiſſo Peſtho, Budam obſidendam ſuadet.

lebat, ac terreſtre iter, nullis impeditum obſtaculis, ducendo exercitui monſtrabat: quo Budam vel lentis paſſibus tridui ſpatio perveniretur. Ejuſdem erant ſententiæ Petenius & Ungari omnes, nec id conſilium Ungnodio & Auſtriacarum copiarum ductoribus diſplicebat.

Repugnante Marchione, & octoviris.

Verum duci & octoviris, quos ejus conſiliis moderandis, publico nomine adhibitos diximus, infixum & conſtans erat propoſitum Peſtum aggredi, quod illud minori labore & periculo oppugnari capique cenſerent; eoque capto milites, veluti bono omine lætiores expugnandæ Budæ conſilia promptius & alacrius ſuſcepturos. Quod quidem laudabant imprimis Varcocius, & Otho Fotiſcus, qui paulo ante illud oppidum contra Turcas ſingulari virtute defenderant: eaque opinio ab ipſis profecta eſſe videbatur. Sed ſupra alias motæ cauſas accedebat illud quoque, quod Danubius in duos diductus alveos, inſulam infra Vaciam facit, quam Sancti Andreæ vocant, quæ Peſtum ituris gemino ponte confecto adeunda erat: & eodem itinere Vacia quoque peteoda, in qua hoſtes occultas inſidias collocaſſe, & noſtros ſi ea iter facerent, aggreſſuros fama erat. Sed Vitellius; cohortante Brandeburgo, ſe præceſſurum, ac inſidioſæ & perfidæ gentis aſtuta conſilia, ſi quæ ſubſint, exploraturum pollicitus, ea via cum ſuis cohortibus progreſſus eſt: ita tamen ut Imperator exercitum poſtero die ſequuturum bona fide promitteret. Cum nemo hoſtium ſe in conſpectum dediſſet, pacataque omnia eſſe viderentur, urbem antea claram, & templum, quod à Geiſa magno, Pannoniæ Rege è fundamentis magnificentiſſimo opere conſtructum erat, inſignem; ſed ſuperiori bello incenſam, & evaſtatam cum ſuis cohortibus ingreſſus eſt; reque ad Imperatorem nunciata, univerſus exercitus ab inſula in ſiniſtram ripam transjecit.

Sequutus eſt eodem die exercitum Medeginus, cum ſua claſſe, quæ octo biremes, & ſexaginta Saicas, ſive Naſadas efficiebat; & alteram inſulam paulo ſupra Budam ſitam, quæ & Leporaria, & Divæ Margaritæ, (à filia Belæ regis primi Margarita, quæ iſthic inter ſacratas virgines, repudiato Aragonum Regis connubio, Deo dicatam vitam exegit, & in numerum Divorum relata eſt) vocari ſolet, ſingulari militum ſtudio, & remigum alacri labore apprehendit: rejecta tormentis majoribus ad ſuburbanam Budæ ſtationem hoſtium claſſe, quæ adverſus noſtros ſubire auſa erat. Inter eam Inſulam, & ripam citeriorem, pons erat per noſtros effectus, & quadrata è trabibus tumultuarii operis munitio: ex qua ſeptingenti pedites, tam claſſem & navales ſocios, quam militum commeantium turbam facilè defendebant.

Cum autem Budenſium tormenta Peſtum cunctis magno fragore & crepitu obſtreperent, noſtri capto longiori circuitu, ad oppugnandum Peſtum caſtra promoverunt. Ex transfugis autem, quorum aliquot eodem tempore venere, cognitum eſt, Balium Epirotam, qui Solimano præfecto ſucceſſiſſet, duo millia equitum in præſidio habere, Ulamanem Perſam nuper ab expugnatione Caſtri Novi è Dalmana reverſum, è Boſnenſibus & Illyricis tria adduxiſſe, Mutatem Dalmatam Cliſſæ præfectum mille equitibus ſe eis conjunxiſſe. E prætorianis veniſſe mille Janiceros, duce Juſupho Chiliarcho, qui quod bello Perſico camelis & ſarcinariis jumentis præfuiſſet, Sagmarius aut Seguan, baſſa appellabatur. Reliquos eſſe ex Aſaporum & Sarhoriorum, Martalociorumque genere, qui faciundo potius operi, quam armis exercendis conducti eſſent. Eorum autem omnium conſilia eo ſpectare, ut juxta Solimanni mandatum; neglectis omnibus aliis Peſtum & Budam defendant; & ſi opus ſit, magiſtrum equitum Europæorum adferendum auxilium accerſant, qui ad Sophiam Bulgariæ urbem, in qua ſedem habet, in omnem occaſionem excubare juſſus ſit.

Turcarū præſidia.

Dum noſtri caſtra oppidum verſus promovent, Turcæ conſpectis noſtris egreſſi, ſublato clamore, in noſtros invehuntur: ibi qui præcedebant Ungari equites, ſingulari alacritate occurrunt, eorumque impetum fortiter ſuſtinent, ac tumultuario prælio concurritur; paucis tamen utrinque deſideratis, pari fere ſucceſſu Turcæ oppidum repetunt, & Ungari in caſtra redeunt. Vitellius cum Italis & Palavicino Tornielloque ad ſeptemtrionem conſedit, loco mœnibus propinquiore, ex qua parte oppidum commodius poſſe oppugnari videbatur. Germanicæ legiones ac equites, quo tutiores à tormentorum ictibus eſſent, remotiorem caſtris & tabernaculis collocandis locum cepere.

Peſti ſitus.

Peſtum quadrata forma oppidum eſt in plano ſitum, & Budam altiori colli rupique impoſitam interfluente latioribus ripis Danubio reſpicit: adeo ut è Buda in omnes planiciei partes tormenta vibrari poſſint, & nullus metu eorum locus vacuus relinquatur: præter eam partem, quæ ad portam, qua Agriam itur adjacet, quæ objectu oppidi protecta, & conſpectui erepta, ſecurior eſſe poteſt.

Leve prælium & eruptio Turcarum.

Poſtero die Vitellius cum trecentis peditibus, & Sforcianorum equitum parte, caſtris egreditur, ut ſtatuendis aggeribus, & tormentis locum exploraret: cumque propius mœnia acceſſiſſet, nec hoſtes ſentiri, multo minus conſpici poſſent: repentina eruptione duabus portis egreſſi, noſtros magno impetu invaſerunt. Itali ſingulari virtute & fortitudine Turcarum impetum ſuſtinentes certamen acre inierunt, illudque pari fere, & æquato virium ſucceſſu ſatis diu ſuſtinuerunt. Sed poſtquam nova ſubinde manus ſubſidio illis ex oppido erupiſſet, pedites primo, ac deinde etiam equites perturbati cepere; moxque diſſipari, vim Janicerorum ferre nequiverunt: qui longioribus ſclopetis rem peritiſſime gerebant, & noſtros pavore conſternatos crudeliter trucidabant. Vitellius in ea ancipitis prælii iniquitate, ingenti animo, cohortem unam conglobatam, acrioribus verborum ſtimulis accendit, & perterritis reliquis opem ferendo, Janiceros ſubmovit: ac multos Italorum, imprimiſque Sforcianæ alæ Signiferum, equo cadente oppreſſum, jamjamque trucidandum egregia virtute ſervavit: hocque modo non ſine gravi incommodo, ſe & ſuos explicavit, ac in ſua caſtra eſt reverſus. Periere tamen aliquot egregiæ fortitudinis Itali centuriones, ac milites, quibus ab hoſte circumventis opportunam opem ferre non potuerat.

à Vitellio repulſa.

Nec Vitellius atque Italis animus adeo concidiſſe viſus eſt, ut non amplius tentandam fortunam ducerent: quis potius vehementer in hoſtes exaſperatus, ſarciendum incommodum, ac vindicandam ſociorum cædem, ingenti animo conſtituit. Nec mora conſilium cum Petenio communicat, eumque, ut collocatis opportuno loco inſidiis, in omnem occaſionem intentus eſſe, ſibique fugam ſimulanti ſubſidio adcurrere velit, admovet. Caſtra Vitellii, ut diximus, inter oppi-

Turca viciſſim à Vitellio & Petenio laceſſiti funduntur.

oppidum & majora caſtra, æquali fere intervallo diſtabant, in hortis Regiis muro præſeptis, quibus etiam Ungari proxime tetenderant. Ex iis caſtris Vitellius, ſumendæ ab hoſtibus ultionis, ac conſequendæ laudis cupidus, ad inferiorem Danubii ripam, cum mille & ducentis peditibus, orto jam ſole, ire cepit. Hoſtes proſpero heſternæ diei ſucceſſu elati nullam fecere moram, quin viſis Italis, & ipſo Vitellio, duabus ſimul portis, Orientali & Danubiana, in noſtros prompti & alacres, ac ad conſerendas manus magno ſublato clamore excurrerent. Vitellius, prout ſtatuerat, Turcarum impetum, denſatis ſuorum ordinibus, excepit, ac ſclopetarios haſtatis protectos, diſplodere in hoſtes jubet, atrociq; exorto prælio, multi utrinque cecidere. Et quamquam noſtri fortiſſime reſiſtebant, tamen quum Turcarum agminibus ex oppido concurrentibus, hoſtes multiplicarentur, & Janiceri Buda navibus tranſvecti, ripam fluminis, ut globo facto, noſtris incumberent, compleviſſent: Vitellius metu ſimulato fugæ ſe dat: ita tamen ut nequaquam diſſipata, ſed conferta acie pedem referret. Tum vero equites hoſtium ſublato majori clamore, eos avide inſequi, & terga cædere incipiunt.

Perenius id conſpicatus, ubi hoſtes ab oppidi portis procul diſceſſiſſe videt, repente ex inſidiis provolans, inter oppidum & hoſtes medium ſe interponit: regredique volentes, & intercluſos portarum aditu prohibet. Turcæ animadverſo periculo, velut indagine clauſi, in orbem pugnare, & in effuſam fugam animos & equos convertere. Aſſequuntur Perenianos equites cataphracti Germani, duce Mauritio Saxone, prælium atrox & cruentum exoritur, nec deſunt ſibi ipſis Vitelliani, nam haſtatis & ſclopetariis utrinque in cornua expanſis barbaros denuo invadunt. Eoſdem Ungari & Germani circumfuſi trucidant. Et quamvis multi ex ipſis, partim ſclopetis, partim gladiis & haſtis cæſi occumberent; tamen pluſquam credi poſſit, ferocioribus animis in acie perſiſtunt: & mutua vulnera cædeſq; inferunt: ac ſub Mauritio, qui criſtis armiſque conſpicuus in acie verſabatur, equum confodiunt: qui tamen à ſuis, & Perenianis, ad alterum equum celeriter ſublatus, periculo eripitur.

Zrinius Comes noſtris ſubſidio venit.

Æquata utrinquè erat cruentæ pugnæ facies, nec adhuc alterutra pars cedere loco volebat, quum Nicolaus Comes de Zrinio, cum quadringentis Illyrici nominis, veteranis equitibus haſtatis, propius caſtra venit: quum fraternis exequiis, diximus, impeditus antea venire non potuiſſet; auditoque clamore ac fremitu, ac ſclopetorum fragore, tormentorumque majorum, quæ tam ex oppido, quam Buda, ac monte Gerardo, in noſtros emittebantur, boatu; ratus, id quod erat, prælium inter noſtros, & hoſtes, excitatum fervere, ſuos cohortatus, ut tarditate adventus in decus & gloriam verſa, ſubditis calcaribus, majori qua poſſent celeritate, ad certaminis locum advolare properarent, & ii madentibus nimio ſudore equis, ex inſperato procurrunt, & nec quicquam morati, ſe pugnantibus miſcentes, & Illyricos Comitis Nicolai Zriniani aſſeclas vociferantes, Comes idem in adverſis hoſtium lateribus, haſtas perfringere jubet, iique eo egregie præſtito, hoſtes jam perturbatos & feſſos gladiis cedere, atque obtruncare ceperunt. Noſtri ſubſidium cælo veluti delapſum, exiſtimantes animis viribuſque creſcere, hoſtes vero nec opinato caſu perturbati, ac perterriti; uſque adeo ut nihil cunctati terga darent tanto tamque præcipiti curſu, ut plures ex eis ſuorum haſtis ſeipſi configerent, & plurimi dimiſſis equis, naves, quæ in ripa fluminis erant, conſcendere conari, à noſtris inſequentibus prohiberentur, & vel interfecti, vel flumine abrepti interirent: eodemque impetu Saica una cum profugientibus remigibus, & claſſiariis intercepta demergeretur. Eo in certamine quadringenti aut plures capti aut interfecti ſunt: Janiceri vero ſupra centum deſiderati; ex quorum numero ne unus quidem vivus in noſtrorum poteſtatem devenit. Hujus facinoris militaris prima laus Vitellio & Perenio, qui illius auctores fuerant, merito data eſt, ſecundam Nicolaus Zrinianus Comes eximiæ ac admirabilis jam tum virtutis & fortitudinis adoleſcens, ſubitaneo & valde opportuno ſuo adventu in fugam verſis hoſtibus, profligatiſque, haud ambigue tuliſſe viſus eſt.

Peſtum tormentis verberatum.

Secundum hanc quantamcunque victoriam, noſtri aucti animis & audacia Brandenburgum adiere, petentes, ne oppidum tormentis quaſſare differet. Nec mora ipſe ea ſtatim proferri, & diruendis mænibus admoveri juſſit. Quæ quum magiſtri tormentorum, longius, quam oporteret, ab oppido collocaſſent, ita ut murum, quamquam vetuſtate corruptum, neque ſatis firmum, vel languidius ferirent, vel vanis ictibus pilas trans Danubium contorquerent: Mediginus atque Vitellius re animadverſa, admonitiſque iis, qui negotio tormentario præerant, vitium correxerunt, ita ut tormenta propius admoverentur. Eo modo quum quadraginta majoribus tormentis murus continue quateretur, magno hiatu patefacto, ad aliquot paſſus ſubito caſu corruit.

Quo viſo Vitellius ſe cum Italicis cohortibus primum mænia aggreſſurum offerre non dubitavit: ſi una Germani ab latere ſequerentur, quod quum nec Germani detrectaſſent, quin prompte & alacriter murum ſubire voluiſſent; Ungari quoque pedites eandem præſtandæ operæ diligentiam & ſtudium obtulere: expectantibuſque cæteris, cohortator Italis Vitellius, Ungaris Perenius aderant: Germanos autem Heſſus multis ſermonibus accendebat. Mauritius atque Torniellus tuendis munitionibus cum valida equitum & peditum manu ad tormenta & aggeres conſtiterant. Sed Joachimus ipſe ſummus copiarum dux, cum Ungnadio, & quibuſdam præfectis pugnam procul proſpectabant, tuto nimirum loco, ut à diſcrimine volitantium pilarum ſecuri eſſent: ita ut illud ſubducti receptus & latebrarum flagitium Torniellus & Fotiſcus ipſis haud obſcura objurgatione objectarent; utque ſi ſummo imperio ſatisfacere egregiique ducis nomen tueri vellent, in acie verſari, ac fortibus factis ſe conſpiciendos præberent, acrioribus verbis ſtimularent. Erat in oppido magnum ſilentium, adeò ut à nullis hoſtes effugiſſe transjecto flumine exiſtimarentur. Sed Juſuphus clamore & ſtrepitu compreſſo, quæ neceſſaria erant omnia, tacite adminiſtrabat. Is quum novum è Budæ præſidiariis ſubſidium præcedente nocte accepiſſet: foſſam etiam introrſus prope mænia ſatis altam, labore & opera militum perduxerat; & interiore in parte eam corbibus, & doliis vinariis terra & ceſpite repletis muniverat; paratuſque noſtros expectabat.

A noſtris impreſſio infeliciter tentata.

Cum ſignatum datum eſſet, quatuor ſigniferi Itali, ſublatis alacriter vexillis, ad diruta mænia procurrerunt, & cohortes, eorum veſtigia ſequutur,

tæ, per ruinam mænia apprehenderunt; ſed ab hoſtibus repentino glandium & ſagittarum grandine repulſæ, obrutæque fuere. Vitellio tamen cohortante, ut ſe in Italia natos, & in conſpectu tot fortiſſimarum gentium pugnaturos meminiſſent, alii atque alii intrepide ſuccedunt: inter quos Carolus Melitæus adoleſcens, Vitellii propinquus, & ſtrenui aliquot centuriones contempto omni periculo, conſcenderunt. Sed quum Heſſius & Germani pedites, ſub mænibus conſtitiſſent, nec quicquam periculo Italorum commoverentur, & Ungari exemplo eorum à mænibus retrocedunt, ſicque pugnantes Itali infami cunctatione ſociorum deſeruntur: Carolus glande in humero graviter ſauciatur, & aliquot centuriones clari nominis interficiuntur, & vexilla occiſis ſigniferis, ab hoſte intercipiuntur. Turcæ non tantum è propugnaculo, quod anno ſuperiore à noſtris conſtructum, Varcocianum appellabatur: ſed etiam ab munitione recens erecta proſilientes, Italis, qui ceciderant, pleriſque, nondum plane mortuis capita detruncant; & cæteros è ruinis partim telis miſſilibus, partim majoribus ſaxis deturbant, ac mænibus, oppidoque conſervato victoria potiuntur. Mox tormenta in Germanos Italorum virtutem procul ſpectantes, nec ſeſe commoventes dirigunt; & majore fere incommodo, quam ſi conſcenſis muris pugnaſſent, afficiunt. Vitellius cum iis, qui pugnæ ſupererant, queſtus ſe à ſociis in ipſo egregii conatus diſcrimine turpiter eſſe deſertum, ultimus in caſtra reverſus eſt.

Conſtat in eo noſtrorum conatu, dum fugientes, diſſipatiſque ordinibus ſeſe reciperent & tormentis hoſtium frequenter peterentur, ſi hoſtes majori numero ex oppido erupiſſent, magno noſtros detrimento affici; & fortaſſis caſtra quoque perturbatis & pavore conſternatis omnibus intercipi, diripique potuiſſe: quum amplius ſeptingenti ex noſtris deſiderati eſſe exiſtimarentur, præter Italos, & eos, qui deinde ex vulneribus tam in caſtris, quam in toto itinere perierunt. Mediginus quoque, qui claſſiarios & navales ſocios cohortando pugnæ intererat, haud leve vitæ periculum adiit: quum ingentis tormenti fumo, ceu quodam tonitrui afflatu tactus, una cum equo in terram proſtratus eſſet. Et cum Gabriel Leva, ac Ladislaus Banffius, nobiles viri, eminentiori è loco complicatis mutuo manibus prælium ſpectarent, Gabriel majoris colubrinæ hoſtilis ex oppido emiſſæ ferrea pila ictus illico diſcerptus dilaniatuſque eſt; Banffium vero cruore & viſceribus illius fœdatum, & fere exanimem famuli in ſuum tabernaculum detulerunt, qui poſtea tamen convaluit. Sed hoſtes, quod plurimos ex ſeipſis amiſiſſent, conſervato oppido, nequaquam ſe commoverunt. At Brandenburgus, inclinante jam ſole, ſub noctis initium, duces, & eos qui ei circumſcribendo adjuncti erant, conſiliarios convocavit, ſententiaſque eorum exquiſivit, an incepto deſiſtere, potius, quam oppidi expugnationem iterum adoriri expediens foret.

Cum autem pleriſque eorum tutiora conſilia abſcedendi placerent, quam fortunam, quæ primis conatibus maligne illuſiſſet, ulterius tentandam arbitrarentur: Vitellius & Mediginus cum Perenio & Ungaris contra ſuadendo, ac militaris diſciplinæ decus tuendo, perſeverandum in caſtris, & oppidum omnino expugnandum dicebant: quod ſuos milites pugnam poſcentes viderent, & militum omnium idem eſſet animus, eadem ſententia, oppidum capi poſſe, ſi triplici conſtantique acie hoſtes invadendos decernerent. Imperatorem fortem, totum vel iniquæ fortis diſcrimen contemnere debere; ut publicæ dignitatis jacturam evitet, ſimul & privatum decus tueatur. Verum dux aut belli ignarus, aut ſuorum conſiliariorum voto judicioque nimis obnoxius, movenda caſtra, & Viennam, indeque in Germaniam redeundum deliberavit: ac profectionem in ſequentem diem edixit: confuſis triſti pudore pleriſque Germanorum proceribus, qui paucorum imbellium ignavia, publicum gentis decus corrumpi atque prodi dolebant, fremebantque. Ungaris autem infeſta numina incuſantibus, quæ optatam patriæ recuperandæ occaſionem eripuiſſet; nec tanto exercitui, qui multorum judicio delendis barbaris idoneus videbatur, parem imperatorem obtuliſſent.

Marchio turpiter Peſtaniæ obſidionem deſerit.

At Juſuphus noſtros accepto detrimento perterritos animadvertens, prima luce equitatum omnem, & pares peditum cohortes oppido emittit: atque iis Ungari equites aliquot in locis occurrentes pugnæ poteſtatem faciunt, acerrimumque contrahunt certamen: in quo noſtri hoſtibus nequaquam cedunt; poſtremo res eo deducitur, ut indictis mutuo militum conſenſu induciis, Turcæ cum Ungaris infeſtis haſtis concurrerent, & fide integra colloquerentur, interque colloquia haſtæ adverſis pectoribus peltatorum ſine intermiſſione frangerentur. In eo certamine ac concurſu, Turca inſignis è Boſna Ulamanis legatus, Vitellium ſibi oſtendi poſtulavit; ac equo honoris cauſa deſiliens, eum veneratus eſt: adeo virtus vel in hoſte in precio habetur.

Turcarum certamen cum noſtris.

Turca inſignis Vitellium virtutis ergo veneratur.

Porro ſequenti nocte reducto omni tormentorum apparatu, exercitus ad ripam Danubii, in quo claſſis remigum & nautarum labore adverſo fluminis curſu reducenda erat, Viennam verſus iter intendit. Quod quum hoſtes, illuceſcente die, conſpexiſſent, repente, erumpentes, poſtremis agminibus inquietandis, ac cædendis, magno clamore, ſummaque ferocia incubuere. Ulamanes quoque Buda trajecerat cum ſuis è Boſna equitibus, premebanturque noſtri vehementer, adeo ut multi de deſerendis tormentis atque carris & impedimentis dubitarent: niſi Vitellius ſiſti acies jubens: monuiſſet Perenium, ut Ungarorum levem armaturam, Mauritium vero Saxonem, ut Germanos cataphractos frontem in hoſtes obvertere, eoſque haſtis & brevioribus ſclopetis ſubmovere maturarent. Quo impigre facto, noſtri eos non ſolum perturbatos impetere cepere, ſed terga dare coactos refugienteſque late cecidere. Duravit ea tumultuoſa pugna, hoſtiumque fuga ad multam noctem; inque ejus diſcrimine Jacobus Truchesſius, Walpurgæ in Suevia regulus, equitum ductor, dum cadente equo, alium conſcendere vellet, cæſus eſt; caputque ejus ad Ulamanem hoſtis detulit: corpore noſtri potiti, illud Strigonii ſummo cum honore tumularunt. Eo non levi incommodo affecti hoſtes repulſique pacatius demum iter, Germanis patriam repetentibus, relinquentes Peſtum atque Budam ad ſuas ſtationes rediere, multis ex ſuorum numero deſideratis. Tormenta navibus ſunt impoſita, curante ſumma diligentia Medigino ne quicquam omitteretur: qui etiam ægros, & morbis affectos, nec non vulneribus debilitatos ſingulari pietate in naves imponendos curavit, nec tamen fieri potuit; quin feſtinantibus Germanorum copiis, plurimi, qui ob

Turcæ fuſi & cæſi.

im-

imbecillitatem virium ſequi non poterant, diſcedente claſſe, relinquerentur, ac ſuperventu barbarorum crudeliſſimè obtruncati interirent.

Vitellii & Medichini eximia virtus, & præmia.

Eximiam laudem conſenſu militari conſequuti ſunt Vitellius & Mediginus, quos etiam Ferdinandus virtutis ergo, ſupra ſtipendia integre perſoluta; amplis muneribus cohoneſtavit, ac dimiſit. Sed Italicas cohortes; externis in regionibus, variis & peſtilentibus morbis conceptis, vehementer afflictas, vix dimidia parte incolumes domum revertiſſe fama fuit. Infelicis ignominioſique belli Peſtani talis fuit exitus, quo jam tertio, conceſſa Turcis victoria, omnem militaris gloriæ famam & exiſtimationem amiſimus.

Perenius, quum Agriam haud procul diſtantem cum ſuis copiis redire vellet; Brandenburgus, ut ſe & caſtra Strigonium uſque comitaretur, juſſit: atque is ſortis ſuæ ignarus, dimiſſis militum copiis, quadrigas conſcendit: Strigoniumque venit. Jam pridem affectari regni ſuſpicionis inſimulatus erat: quoque minus Peſtum recuperari potuiſſet, ejus culpæ, & occultis cum hoſte conſiliis tribuebatur: & Ferdinandus miti quidem ingenio, ac ſingulari clementia princeps: ſed delatorum verbis aures præbens, nec non cauſa minuendæ infamiæ ex fœdo receptu conceptæ, avertendiſque hominum ſermonibus, clariſſimum virum, veteribus potius delictis, quam novæ proditionis culpæ, obnoxium in vincula conjiciendum decrevit.

Perenius comprehenditur, juſſu Marchionis, & Viennam adducitur.

Itaque Guilielmum Neideccum, cubiculo ſuo aſſuetum, cum ſecretioribus mandatis Strigonium mittit: Ubi Perenius nihil mali ſibi eventurum ſuſpicatus cum in arcem vocatus conſultandi gratia aſcendiſſet; à Martino Liſcano, Hiſpanorum militum, atque arcis præfecto comprehenditur, ac Medigino Viennam deportandus traditur, qui eum honorifice, humaniterque ſuſceptum co perduxit: cumque è navi deſcendere juſſus, rheda clauſa in urbem veheretur: & Philippum Tomiellum, honoris, & officii cauſa, Medigino obviam venire intellexiſſet: ambos rogatos habuit, ne ſecum colloqui, & aliquot verba conferre gravarentur: quod cum viri, domi, militiæque præſtantiſſimi facere minime dubitaſſent, multo, graviq; ſermone ſe & ſalutem ſuam ipſis commendavit: utque ſe nedum cuſtodiam & carceres, ſed nec ambiguæ fidei notam promeritum, apud Ferdinandum lividis & malevolis ſuis nimis credulum, omni ſuſpicione liberarent, impendio magis rogavit. Mediginus, ne de clementia æquiſſimi Regis deſperaret, eum humaniſſimis verbis adhortatus, mox officium præſtitit: & Torniellius, dum cum Rege venatum profectus eſſet, ne quid durius de Perenio, cujus innocentiæ ipſe teſtis eſſet, ſtatuendum cenſeret, molliendo ejus iram & mitigando, oportunis precibus effecit. Alexius quoque Turzo, vir clariſſimus & Ferdinando charus (cujus conjuox Perenii conjugis ſoror uterina erat ambæ Sicula prognatæ familia) ſine mora Viennam ad Regem venit cum Perenium captū audiviſſet, parteſq; ſuas apud eum interponens, vadem ſe & ſponſorem ad certum diem ſiſtendo ſponte obſtrinxit. Verum Ferdinandus delatorū verbis fidem habens, Perenium affectati regni inſimulatum videre nequaquam ſuſtinuit; neq; ut palam matureq; audiretur, concedere voluit, neq; vadimonio quorumpiam locum dedit: ſed ad Novam Auſtriæ Civitatem captivum miſit: ubi eodem in carcere, in quo Bodo extremum diem clauſerat, incluſus fuit: ut iſthic non tam novæ perfidiæ, quam antiqui & quidem triplicis transfugii culpam lueret, ac, quod credi par eſt, ob invectum ab eo in Pannoniam Lutheranum dogma divinitus plecteretur.

Jam improſperum Peſtani belli ſucceſſum, idoneos ante me auctores ſequutus, expoſui: ſupereſt, ut quæ eodem anno domi geſta ſunt, qua potero brevitate perſtringam. Fuit is annus qua infelicis belli, qua ignominioſi receptus dedecore gravis, & funeſtus; ac ſupra peſtilentiæ vim ingentem, quæ multa mortalium millia abſumpſit, etiam inopia frugum & rerum neceſſariarum, famiſque & inediæ difficultate, quam locuſtarum infinita multitudo, ex Oriente advolans, corruptis ac depaſtis ubique ſegetibus, vineiſque invexerat memorabilis.

Locuſtarū multitudo hoc anno

Bina tamen comitia eo anno fuiſſe conſtat, raro prioribus ſæculis exemplo, quorum unum Biſtriciæ montanæ, quod & Novum Zolium vocant; alterum Poſonii, abſente utrumque Ferdinando, per legatos celebratum eſſe reperio.

Comitia Novi Zolii & Poſonii eodem anno habita

In iis quæ gerendo bello neceſſaria videbantur, decreta fuere: poſtea inter alia de creando Palatino, cujus officium, poſt regiam dignitatem, proximum eſſe, antea dixi, diſparibus ſuffragiis certatum eſt. Sed quum multi eſſent, qui illud clam ambiendo affectarent, nec ſuper illis nobilitas conveniret; quodque caput erat, Rex in Germania imminentis belli Turcici ſubſidia conquirens abeſſet; in eam poſtremo ſententiam itum eſt, ut donec revertente Ferdinando majoribus comitiis, frequentiore nobilitatis cœtu occaſio ejus magiſtratus deſignandi ſe offerret, interim Propalatinus juri dicendo crearetur: creatuſque eſt, non multo poſt Franciſcus Revagus quem occulta cum prætore & nonnullis civibus Budenſibus de tradenda Germanis urbe conſilia habuiſſe, ſed ea in irritum cecidiſſe retuli: eiq; haud ſecus quam Palatino attributi ſunt duum viri; quorum alter vicariam ei operam in foro præſtaret, alter vero, Protonotarius à noſtris vocatus, à quo expediendarum forenſium actionum literæ & diplomata conficerentur; ad quorum officium alterum munus obeundum ipſe Georgium Rakoſcium Turocianum ad alterum vero Damianum Aramiadium, tradito huic de more ſigillo ſuo, nominavit.

In iis Revaius Propalatinus creatus.

Iiſdem etiam comitiis Thomas Nadaſdius, pro regia dignitate, qua in Illyrico fungebatur, ſe abdicavit: ejus autem collega Petrus Queglevitius, certis de cauſis, & propter quaſdam haud leves offenſas, eodem magiſtratu motus fuit: atque in amborum locum Nicolaus Comes de Zrinio, juſſu Ferdinandi, ac omnium approbatione ſucceſſit. Quænam autem cauſæ fuerint à fortiſſimo viro, & de republica bene merito magiſtratum abrogandi, paulo altius repetendæ videntur.

Nadaſdius Banus in Illyrico dignitate ſe abdicat.

Keglevitius eodem munere motus eſt.

Zerinius Comes illis ſuffectus.

Collocaverat filiam Gaſpari Erneſto ſive Hamponi, diviti viro & potenti, qui peninſulam inter amnes Muram & Dravum, ac Capronciam, Sabiacuſam, & Prodaviſiam, aliaſque arces ditione tenebat. Sed quum is in ipſo ætatis flore vitam cum morte commutaſſet, nec ullos ex illa liberos ſuſtuliſſet; hæreditas ejus tota fiſco obveniſſe cenſebatur, quam Albertus Peregus, ærarii præfectus, Ferdinandi juſſu, ſoluta viduæ dote ſumma, in fiſcum redigi poſtulabat. Sed Queglevitius quum genero amplum funus feciſſet, filiam nec quicquam conſolatus, bona & arces, uſurpatis earum fructibus & reditibus, aperta vi ſibi retinuit: Peregoque & Regiis quæſtoribus filiam ſuam gravidam à marito relictam, &

Cauſa, cur Keglevitio adempta hæc dignitas.

hæredem brevei naſciturum ſibi à patre teſtamento in tutelam commeodatum eſſe confinxit. At illi, haud inepto conſilio, nobiles & honeſtas matronas, Annam Giulanam, Johannis Turocii conjugem, ac Helenã Emerici Bradacii viduam quæ Ludovici Pecri ſoror erat, aliaſque probatæ fidei famæque matresfamilias, adhibendas cenſuere; ne ſurreptitius aut adulterinus pro legitimo partus ederetur. Verum ille neque eas admiſit, & arces obſtinato & præfracto animo reſtituere recuſavit: & ubi filia ejus annuum tempus funerum luctui legibus præſcriptum exegiſſet, eam ad ſecunda vota tranſeuntem Ladislao Banffio nuptui tradidit. Quamquam autem tantæ injuriæ fiſco illatæ impatiens Ferdinandus eſſet; quia tamen illius virtutibus & rebus præclare geſtis multum tribuebat, nihil in eum acerbioris exempli ſtatuendum exiſtimavit; tantum ab eo Viennam vocato cauſſas temerarii enormiſq; facti quæſivit. At ille agnoſcere ſe culpam & crimen profeſſus, arces primo quoque tempore redditurum in ſenatu affirmavit. Sed neque juratus ac fidem obſtringens promiſſis ſtetit. Nam quum Peregus ad arces fiſco applicandas in penioſulam veniſſet, illum aditu prohibitum, infectis rebus contumelioſe rejecit. Itaque comitiis indictis Ferdinandus; de illius inſolentiis queſtus effecit, ut votis & ſuffragiis omnium ordinum, majeſtatis & ſpretarum legum reus proſcriberetur; bonaque ejus, niſi intra duos menſes ad ſaniora conſilia rediiſſet, publicarentur. Moverat Ferdinandum & ordines prior ejus culpa, & rei alienæ violenta uſurpatio, qua erat annis ſuperioribus uſus, quum decedente abſque hæredibus Stephano Deshaſio, arces ejus Somſeduatam, Stubiciam, & Selinum, haud diſſimiliter in fiſcum redactas, ſingulari inſolentia occupaſſet; nec niſi maximis contentionibus & difficillimis reſtituiſſet.

Veniente præſtituto die, illoque nondum arcibus excedente, Ferdinandus eo gravius exacerbatus, Nicolao Comiti Zriniano quem Illyrico illi ſucceſſiſſe diximus, dedit in mandatis, ut in illum tanquam majeſtatis reum lege ageretur, arceſque recuperarentur. Is igitur re cum Luca Siculo, Jacobi filio communicata, qui eo tempore Stiriæ atq; Carinthiæ præerat, & coactis ſumma celeritate copiis Queglevitium in arce Chactornia, quæ in peninſula eſt, incluſum obſedit, promotiſque tormentis arcem oppugnare adortus eſt, quæ craſſiore muro cincta, ac foſſa profunda aquiſque plena munitior erat, quam ut facile capi poſſe videretur. Erat in arce Petrus Poſeganus, cuſtodiæ ejus præpoſitus, cujus conſilio Queglevitius utebatur, Ei; quæ in arcano moliri in animo habebat, patefacere cepit; ſe diuturnioris obſidionis moras, moleſtiaſque, uti ambiguas & periculoſas perferre non poſſe, eamq; ob cauſam Sabiacum ire decreviſſe ad acciendos Turcas, eorumque auxiliis hoſtes ſibi & vitæ ſuæ imminentes propulſandos. Velle nocte inſequente iter aggredi una cum filio Matthæo, quem ex octo aliis egregiæ indolis adoleſcentibus eo tempore ſecum habebat, & cum ipſo Poſegano, quo ductore itineris uteretur. Quæ Poſeganus omnia quum approbaſſet, fidelemq; operam eſſet pollicitus: alia ex parte. Comiti Zriniano cuncta per idoneum hominem clam ſignificavit: utq; advigilaret, & tempus quo ex arce in ſilvam, quæ olim inter arcem, & S. Helenæ templum, ac Heremitarum Paulinorum collegium interjacebat, nunc autem ſtirpitus excisa aratur & inſeminatur, obſervaret (ea erat tertia noctis vigilia) ſingulari perfidia admonuit: ſimulq; locum præſcripſit, ad quem milites in inſidiis collocari advolarent. Nec mora Queglevitius ad condictum tempus arce egreditur, & refugiente Poſegano, in inſidias præcipitatur: ac una cum filio Matthæo captus, ad Zrinium adducitur, qui eos ſuper repletis ceſpite corbibus, inter quos tormenta collocantur, poſitos, iis, qui in arce erant, oſtẽdi juſſit, partim ne tormenta in oppugnantes diſploderent, partim ut ejus rei ſpectaculo ad deditionem compellerentur. quæ etiam brevi ab iiſdem expreſſa eſt, & arx in poteſtatem redacta, cujus exemplum aliæ quoq; ſequutæ ſeſe dediderunt.

Zerinius Keglevitium in arce Chactornia obſidet.

Keglevitius Turcarũ opem imploratũ abit.

Se prodens à Poſegano, intercipitur à Zerinio.

Re à Zrinio bene geſta, Queglevitius ad regem miſſus eſt; qui clementia & benignitate ſingulari erga eum uſus, cuſtodiæ quidem eum tradi juſſit, nec tamen diuturniori: quippe quum vix anni ſpatio detentum, reſtitutis bonis, quæ ſua erant, dimiſerit. Is tamen poſtea ſemper honoribus, publicoq; dum vixit, abſtinuit, domiq; ſuæ ſeptuagenario provectior, è vivis exceſſit. Poſegano præmium fuit villa, non procul ab arce, cum fundis, & aliquot adjunctis agricolis.

Et ad Regem mittitur.

A quo paulo poſt bonis reſtitutis dimittitur.

Inſtituta quoque fuit gravis & contentioſa lis adverſus Thomam Nadaſdium, ob illatam Stephano Iſthuanffio iniquam necem, quem ille ſtructis inſidiis captum, nec ullius criminis convictum, Danubio, indignum uſque adeo atroci ſupplicio, mergi juſſiſſet. Paulus Iſthuanffius ejus patruus, Emericus Verbecius, Petrus Macedonius, Lupus Battianius, aliique propinqui, deplorata cædis indignitate diem dixerant, intentata ei honoris & famæ actione. Sed is cauſa comperendinata, corruptiſq; judicibus actores eluſit: ac ad Ferdinandum confugiens, ut ceſſante infamiæ actione, cauſa ad jura ordinaria rejiceretur, malo ad poſteros exemplo, obtinuit. Cæterum iiſdem in comitiis Johannes etiam & Raphaël Podmanicii fratres cõmunibus omnium ſuffragiis proſcripti fuere, ob continuas rapinas, furta, cædes, populationes & latrocinia, quibus omnẽ, quæ inter Albam, Jaurinumq; , & Strigonium, interjacet regionem, ad Vagum uſq; flumen infeſtam reddebant, neq; iis contenti in Moraviam & Sileſiam immiſſis prædonibus vias obſidere, obvios ſpoliare, cedere, domos, pagoſq; prædari atque incendere, à captis per ſummos cruciatus, Turcarum in morem, aurũ extorquere, pecorum magnã vim ab agricolis ademptam, aut mactare aut divendere, ac malefacta majoribus malefactis accumulare accuſabantur, iis etiam duorum menſium dilatio data eſt: intra quos ad ſaniorem mentem redirent. Qui meliore uſi conſilio ad Ferdinandum ſupplices advenêre, ac in gratiam recepti, cum iis, quos offenderant, redintegrata amicitia, & impenſa ſatisfactione, redicre in concordiam, & Joh. ſequenti anno vita functus, quum celebs & orbus eſſet, Raphaëlem fratrem omnium bonorum hæredem reliquit.

Nadaſdiolis intenta, ob illatã Iſthuanffio necẽ.

Podmãnicii fratres proſcripti ob rapinas.

Inſequentis anni principio Alexius Turzo, poſtquam ad Ferdinandum libertatis Perenio obtinendæ cauſa profectus, nullũ operæ pretium feciſſet, domũ reverſus, in morbum incidit; quem quum ſuſtinere non poſſet, diviſa teſtamento inter filias & patrueles opulentiſſima hæreditate, è vita migravit, ac Levociam deductus, avito ſepulchro, ſingulari funeris pompa, illatus eſt. Fuit vir prudentia & gravitate ſumma, priſcique & integri moris; ab Uladislao primum ad honores evectus, deinde liberalitate Ludovici, dignitatibus, boniſque auctus; poſtremo majores

Anno 1543. Alexius Turzo obit.

Ejus inſignis laus.

opes

opes & divitias à Ferd. conſequutus, & inter primos amicorum adſcitus, tum commendatione Annæ Reginæ, cujus gratia florebat, tum quod Germanica & Polonica lingua facundus, fide incorrupta, & pacis artibus clarus habebatur. Ejus importunus exitus Perenio angorem & mæſtitiam non mediocriter auxit; quod ſe claro præpotentique deprecatore orbatum videret, ſeque vel innocentem, indefenſum, diuturno carcere macerandum, & denique periturum putaret.

Ulamanus Perſa expeditio in Illyricum.

Nec multo poſt turbatis in Illyrico primum, deinde in Pannonia rebus, Ulamanes Perſa de quo antea dictum eſt, Boſnæ præfectus, quum Solimanum à Gallis & eorum rege Franciſco ſolicitatum, diſtrahendis Caroli & Ferdinandi conſiliis & viribus, adulta æſtate, Pannoniis infeſta arma illaturum intellexiſſet, antevertendum bellum ratus, collectis copiis, in ea parte Illyrici, quæ arces à noſtris habitatas, ſed diffugientibus agricolis nimium deſertas, ac milite & commeatu vacuas continebat, terrorem circumferendum exiſtimavit; adſcitis in belli ſocietatem Amurate, & Caſſono præfectis, quorum ſupra meminimus. Itaque primo Athinam Urbani Battiani arcem, inter Criſium & Poſegham, provincias ſitam, promotis currulibus tormentis campeſtribus obſedit, quam Stephanus Paprotovitius cum paucis defendebat, qui, quum conſcenſa turri portæ imminenti, circumſpectaret, quanam parte hoſtes peti majorique incommodo affici poſſent, & incautius in muri ſummitate verſaretur, ab Janiceris glande ictus atque interfectus fuit. Quo cadente præſidiarii, paucitati ſuæ diffiſi, quum fidem & incolumitatem cum hoſte pacti eſſent, arcem è veſtigio dediderunt. Eodem impetu Sophroncia Stephani Bonffii Linduani arx, & Beloſtina, quam Queglevitius à Catharina Battiania Johannis Thraciæ Deſpotæ vidua, paulo ante vi ademerat, & quæ à paucis militibus defendebatur, perterritis & dilabentibus præſidiariis, parvo labore in Turcarum poteſtatem devenêre.

Athinã Battianus arcẽ occupat.

Sopronciam etiam & Beloſtinam.

Erat in propinquo arx Rahocia, in qua per id tempus habitabat Ladislaus Moræus, paucis ante annis à Ferdinando & Johanne Regibus Palota pulſus proſcriptuſque, de cujus flagitiis antea retulimus. Is vicinitate hoſtium permotus, neque illis in partibus ulterius morari auſus, ad Stephanum Loſontium certa propinquitate ſibi junctum confugit: & ab eo Nanam arcem, ad radices Matræ montis, haud procul Agria ſitam, impetravit; in quam cum liberis (conjux antea deceſſerat) immigraret, & ſe vitamque ſuam ab inimicorum injuriis, quos variis malefactis infenſos ſibi reddiderat, ac Turcarum armis, quæ occupata Poſega & arcibus, quas modo nominavi, in poteſtatem redactis proximè imminebant, facilius tueri poſſet, jam enim antea arcem, quam Ungari Vereſcooem, Germani Biberſpurgam vocant, inter urbes Poſonium & Tirnaviam, opportuno loco, & æquali fere intervallo ſitam Alexio Turzoni vendiderat, in quam receptus ei nequaquam dabatur. Itaque Rahocia relicta, ut minus ſecuro loco, Nanam cum gaza, & liberis tranſivit. Sed quum veterem aliena rapiendi, latrocinandi, & in viatores, tam Turcas, quam Chriſtianos graſſandi morem nequaquam exuiſſet, Balim Epirotam, Budæ præfectum, cujus familiares Nandoralbam euntes interceperat, in ſe concitavit, qui cum minoribus præfectis, & Caſſono, qui privato nomine Moræum vehementer oderat, obſidionique Palotæ cum Laſco interfuerat, conſilia occultè agitando, ac copias quaſi aliud acturus, ac Nogrado vim illaturus (quod adhuc à Broderici militibus tenebatur) cogendo, repente arma in Moræum, nec opinantem vertit, ac arcem, in qua hoſpitio ſuſceptus erat, obſidione cinxit.

Ladislaus Moræus à Bali Epirota in Nana arce obſeſſus.

Is animum nequaquã deſpondit, quamquam ſubitaneo hoſtium adventu vehementer eſſet perculſus, ſeque ad defenſionem paravit. Verum enim vero paucitati ſuorum diffiſus, à Stephano Loſontio, Ladislao Orſago, & Thoma Varcocio, qui Perenii nomine Agriæ præfecturam adminiſtrabat, atque aliis vicinis, ut ſibi laboranti, & extremis difficultatibus implicito opem ferre maturarent, tam per litteras, quam per nuncios, multis precibus poſtulavit. Verum illi obſeſſa jam arce, nullam rei bene gerendæ aut auxiliorum mittendorum occaſionem habebant: aperto autem in campo congredi cum hoſtibus nequaquam conſultum eſſe ducebant; quod ii numero & viribus, expeditorumque militum robore ſuperiores haberentur. Itaque quum Turcæ majoribus tormentis mænia aſſidue verberarent, & murus debilis ac vetuſtate corruptus, tot tantoſque ictus perferre nequaquam poſſe videretur; Moræus deſperatis auxiliis, opis conſiliique inops, Turcis obſidioni acerrimè incumbentibus, de deditione proloqui cepit. Sed viri aſtuti & crudeles, quum ſe arce per vim potituros animadverterent; ac ulciſcendarum ſcelerati hominis injuriarum cupidine flagrarent, contempta & rejecta deditionis oblatione, vim adhibendam, ac omnibus viribus impetum in arcis ruinas faciendum conſtituerunt, adducti etiam & velut invitati ſatis amplo muri hiatu qui eodem tempore prociderat. Signo igitur dato Janiceri primum, deinde etiam cæteri Turcæ ad pugnam certatim procurrerunt: & Moræani ex adverſo, quamquam pauci, tamen pro vita & incolumitate ſua, impetum hoſtium diu ſuſtinuerunt, poſtremo cum à multitudine hoſtium ſuperarentur terga verterunt. Tum vero Moræus loculos auro plenos, & majoris generis argenteam monetam, in ſubeuntes muro Turcas, diſſibulatis crumenis, magno numero & pondere ſpargere cœpit, eo conſilio, quamquam nimis ſero, ut dum Turcæ illis colligendis immorantur, ipſe profugeret: Verum eo aſtutiæ genere nihil proficiente, hoſtes alii poſt alios per ruinas conſcendere, cæſiſque paucis propugnatoribus, Moræum cum duobus filiis captum ad Balim in caſtra perduxere. Supplex ejus carior, & gaza omnis quemadmodum ex diverſis rapinis congeſta erat, ita hoſtilem in prædam verſa: quam tamen Balis & Caſſonus à militibus occultatam, per cruciatus etiam & exquiſita tormenta magna ex parte extorſere.

Moræus expugnata arce capitur.

Arx ne latrunculis receptaculo foret, ſolo æquata eſt, manentibus adhuc ruderibus. Erant in arcis interiore carcere complures Chriſtiani nominis captivi, à Moræo & ejus ſatellitio variis modis intercepti: inter quos à Caſſono inventus eſt Lupus Battianius, ſummo loco natus, ferreis compedibus vinctus, qui pro Urbano fratre detinebatur; illum enim Moræani in quodam minutiori prælio prolabente equo cadentem interceperant: nec niſi ſoluta notabili pecuniæ ſumma dimittere volebant, ita ut quum repræſentare illam extemplo non poſſet, fratrem pro ſe obſidem dare cogeretur. Eum Caſſonus compedibus & vinculis ſolutum, ac equo, acinace, ac viatico adjutum, Urbano, cum quo Budæ contracta

1543. *Conſtantinopolim adductus in carcerem conjicitur. In quo una cum filiis Mahumetanā ſuperſtitionem amplectitur.*

amicitia familiariter vixerat, ſingulari humanitate, quæ à barbaro vix ſperari aut expectari poterat, remittendum curavit. Balis autem poſt paucos dies Motæum cum filiis Conſtantinopolim tranſmiſit, ubi in cuſtodiam ſeptenariæ turris, in qua Valentinus & Mailatus, fraude hoſtium, ut diximus, capti ſervabantur, conjectus eſt. Sed quum moleſtias & calamitates carceris perferre non poſſet, ad Turcas deſcivit, ut quemadmodum corpus atrociſſimis ſceleribus & flagitiis coopertum habebat; ita etiam impiam animam, ea ſuperſtitionis vanitate commaculatam, perpetuis ignibus cruciandam, ad inferos tranſmitteret: filii ejus mali corvi mala ova, paternum exemplum ſequuti ſunt; ac inter mancipia & triobolares ſervos, nullo in pretio habiti, vitam inopem traduxere. Secus ac Valentinus & Mailatus quibus ſi à vera religione diſcederent, præfecturæ ac maximi honores à Solimano offerebantur; in vinculis tamen & carcere mortem miſeriarum finem obire, quam abnegato Chriſto Deo, fæditatem Mahometanam amplecti maluerunt.

Polinus Regis Galliæ legatus Solymannum provocat ad bellum Cæſari & Ferdinando Regi inferendū.

Interea induciis, inter Cæſarem & Franciſcum Regem, cæde legatorum violatis, & in apertum bellum erumpentibus, Franciſcus Rex Antonium Polinum prudentiâ & induſtriâ ſingulari virum, cum magnis muneribus Conſtantinopolim miſit, qui legationis munere ibi fungeretur, ac ab Solimano ipſi grave bellum in Hiſpaniam & Belgium, aliaſque provincias Cæſari ſubjectas molienti, auxilia, terra marique impetraret: tali conſilio, ut Hariadenus claſſis præfectus, ad vexandas & depopulandas Hiſpaniæ & Italiæ, Siciliæque oras, cum valida claſſe, initio veris ſtatim mitteretur Maſſiliam; ipſe vero Solymanus in Pannoniam, ſi ei non ita pridem illinc reverſo grave ac moleſtum non eſſet, Ferdinando arma illaturus veniret: aut validum exercitum mitteret: porro Franciſcum duplici bello fines Cæſaris invaſurum Solymano ſignificaret: ita ut duo fratres ancipiti bello à duobus longe potentiſſimis totius orbis regibus terra, marique petiti & diſtracti, ad æquas pacis conditiones; ac reddenda Franciſco principatus Mediolanenſis jura adducerentur. Quod etiam illum per Rinconem legatum ſuum à Solymano poſtulaſſe antea diximus. Quia quidem in re deteſtandam imprimis ac ditis numinibus devovendum Franciſci Regis ſtudium videtur; qui pernicie & excidio, ruinaq; innoxiorum Pannoniæ populorum, inexplicabilis libidinis atq; ambitionis ſuæ adjumenta quæſiverit. Quod enim attinebat Ungaros, quibus nihil cum Inſubribus cōmercii erat, tantis periculis & cladibus involvere, & non potius procul ab illis bello contendere, qui nullam ei provocando unquam occaſionem attuliſſent?

At Solymanus eodem tempore cum purpuratis conſilio habito, ſe & claſſem ad prima veris ſigna miſſurum, duce Hariadeno; ſeque ipſum cum multo majoribus, quam unquam antea copiis, ad infeſtandam Pannoniam venturum, Polino legato promiſit; ſimulque Aſiæ & Europæ magiſtris equitum ſerio edixit, ut cum ſuis copiis militaribus parati & inſtructi imperium ſuum expectarent. Cæteris etiam præfectis, qui in Thracia, Triballis, Myſia, & Pannoniis, Illyricoque erant, idem mandavit: ipſeque haud diu cunctatus, ad Calendas Junias, maturata profectione Samandriam pervenit: atque ibi per ſtativa diviſis equitibus, exercitui recreando aliquot diebus ſubſtitit. Quo quum cum Ula-

Anno 1543. Solymanus cum exercitu Samandriam

1543. *pervenit Ulamanes cum collegis Walponem obſidet.*

manes, Amurates, & Caſſonus perveniſſe cognoviſſent, promotis è Boſna & Illyrico, ac ora maris Adriatici, copiis, ad obſidendum Valponem ad Davum flumen poſitum, Pereniana ditionis oppidum, perrexerunt; collocatiſque aggeribus, tormenta quibus arcis oppidique mœnia concuterentur, promoveri ac diſplodi juſſerunt. Præerat loco Michaël Archius, vir apprime militaris, ac plurimorum ſtipendiorum veteranus, cum ſat valido militum numero, quibus ex oppidi fructibus, & redditibus, ſingulo menſe ſtipendium perſolvebatur, ii cura & labore diligentiaque Archii præfecti ſeſe ad defenſionem mature inſtruxerant, rebus tolerandæ obſidioni neceſſariis, ac commeatu abunde comportatis. Itaque Ulamanes & ſocii noſtros animis, viribuſque paratiores, quam putarant, invenerunt. Nec tamen incepto deſtirēre, quod Solymanus haud procul eſſet, & itinere Valponiano brevi adventurus diceretur, cujus ipſi gratiam & clementiam, præclaro aliquo edito facinore aucupandam arbitrabantur.

Igitur quamvis murum aſſiduis ictibus tormentorum perforare, ac dejicere contenderent parum tamen proficiebant: Nam & foſſa profunda erat, & præſidiarii, docente & commonſtrante Archio, qua hiatum dederat, aut prolabi cæperat, ceſpite & materia ligniſque & trabibus, idque genus inſtrumentis implere, aut fulcire conati dies & noctes operi faciendo incumbebant: adeo ut Turcæ, quum propoſita libertate, ſi ſe dederent, omnes dimiſſuros offerrent, nec tamen à propugnatoribus aures præberentur, de expugnatione deſperare viderentur. Itaque ad obſidionem verſi, & ad omnes occaſiones intenti excubare; ac ſi forte quem in mœnibus conſpexiſſent, procellis minorum glandium pulſare, & aquam è foſſa, magno ſed irrito labore, alio derivare volebant. Interea Solymanus è ſtativis exercitum educens, trajecto ad Belgradum Savo, ad Valponem pervenit: quod ei erat in itinere, & à ſuis jam pridem fruſtra obſidebatur. Quum oppido majora tormenta ſimul è duobus locis admoveri juſſiſſet, & murus eorum vi aliqua in parte dejectus concidiſſet, faſcibus & virgultis, terraq; foſſas replere cœperunt, quo labore perfecto, impetum undique fieri præcepit. Prætoriani & alii pedites Turcæ alacriter procurrerunt: ſed poſtquam mœnia ſubiiſſent, propugnatorum virtute, qui ſclopetis & majoribus colubrinis, rem peritiſſime gerebant, magna quidem cæde rejecti fuere. Sed noſtris cruenta admodum pugna; nam amplius dimidia ſuorum parte amiſſa, ac plurimis sauciatis, ægre arx ſervata fuit: adeo ut ſi hoſtes iterum expugnationem majori impetu aggredi vellent, noſtris ad contemnendam fere paucitatem redactis, loco potituri viderentur.

Biduo poſt Turcæ, multitudine ſua freti magno tympanorum & tubarum ſtrepitu edito, impetum facere volentium ſpecie caſtris egreſſi, arcem poſtulare, Solymani fidem offerre, incolumitatem ſecurumque iter polliceri, & ſi qui manere vellent, libertatem & ſtipendia promittere; Sin vero protervia & pertinacia ducti, inſtitutum iter remorari & iram potius, quam benignitatem ejus experiri mallent, certiſſimum omnibus exitium cædemque minitari. Itaque Archius & commilitones ne arcem, quam jam retinere non poterant, ſimul cum vita amitterent, rebus deſperatis ad Chauſios & Janiceros è muro clamare, ac de conficiendis deditionis

tabulis

1543. *Archius præfectus Walpo-nis ſe dedit Solymanno.*

tabulis conferre cœperunt: profeſſi ſe non Ulamanis aut Caſſoni vel Murati fidei (quod Caſſono Muratoque moleſtiſſimum accidiſſe, & Archio perniciem attuliſſe dicitur) ſed Solymanno regum maximo & præſtantiſſimo ſe & arcem commiſſuros. Tabulis ſine ulteriori cunctatione confectis, & à Solymano confirmatis, dataque fide XXIII. die Junii noſtri arce & oppido exceſſere. *Archius & aliquot centuriones à Turcis perfide interempti.* Archium præfectum cum aliquot notæ virtutis centurionibus, Amurates & Caſſonus ad cœnam invitavere lauteque exceptos uſque ad multam noctem invitos & ſæpius abire conantes detinuere qui poſtea primis tenebris, ſingulari, ſed occulta perfidia, ut credi par eſt, necati, nuſquam amplius apparuere: ex gregariis etiam pauci incolumes ad ſuos reverſi, documentum dedere, ſupra omnes mortales eos inſanire, qui Turcis vel tantillum fidei ineſſe exiſtimant.

Soclosia à Michaele Ferreo turpiter Solymano dedita

Itum illinc eſt ad Socloſiam, quatuor milliarium ſpatio diſtantem, Perenianæ ſimiliter ditionis arcem, cum ſubjecto oppido. Præerat ei Michael è Carolo oppido ultra Tibiſcum oriundus, cognomento Ferreus, ſed qui potius plumbeus fuiſſet dicendus. Ad famam enim adventantis Turcarum exercitus; oppidum, quod defendi per aliquot dies poterat, deſeruit; & ignave trepidanterque ſe in arcem recepit. *Carcer in ea octoginta paſſus profundus. In quo Sigiſmũdus Imp. aliquando captivus.* Ea arduæ rupi impoſita, ſatis firma mœnia habebat, memorabilis carcere obſcuro, & octoginta paſſus profundo: in quo avorum noſtrorum memoria Sigiſmundus Imperator Romanus, idemque Pannoniæ Rex, à Nicolao Marcellio Palatino, ac Senatu Ungarico captus, cuſtodituſque, ſemeſtrem captivitatem toleraſſe traditur. Conſpectis demum caſtris, & infinita Turcarum tabernacula tendentium multitudine, extremo perfuſus metu, unum ex Turcis, quos captos habebat, compedibus ſolutum, promiſſa libertate ad Caſſonum, quem Budæ paucos ante annos, claſſis præfectum noverat, mittit; ſeque arce tradita exceſſurum nunciat, ſi ei de vitæ rerumque incolumitate, ac ſociorum ſalute caveatur. Re ad Solymanum à Caſſone perlata, facile obtentum eſt: ac literas aureis ac cæruleis literis ſcriptas, quibus Michaeli & ſociis liberum ſecurumque iter concedebatur, captivus libertate recuperata lætus, retulit; eiſque fides ſervata, comiteſque adjuncti, qui eos ad tutiora loca deducerent. In itinere tamen à Turcis, qui collocatis inſidiis vias obſederant, cæſi ex eis plurimi, rebuſque omnibus ſpoliati fuere. Solymanum ferunt haud mediocri lætitia, occupato opportuno loco, affectum, quod nec invalidus eſſe videretur: ſibique, ſi vi adiriora expugnandus fuiſſet, magnam majoribus rebus gerendis moram attuliſſet.

Redactâ in poteſtatem Socloſiâ, erat ad dextram partem adeunda urbs Quinqueeccleſiarum, quatuor milliarium ſpatio, ad ſiniſtram vero arx & oppidum Sigetum: ita ut à Socloſia moventibus inter Quinqueeccleſias & Sigetum iter eſſet habendum. *Quinqueeccleſia unde obſidione preſſa.* Sed quia illud in poteſtate conjugis & liberorum Valentini Turci habebatur, qui Byzantii captus, miſeram ſuam ſortem lugebat, ei loco tunc quidem parcendum, & abſque maleficio prætereundum exiſtimavit: hanc vero, quod poſt obitum Johannis, ad partes Ferdinandi deſciverat, omnibus viribus adoriri & expugnare conſtituit. *Situs ejus urbis, & deſcriptio.* Urbs ea inter Danubium & Dravum æquali fere intervallo poſita, quamquam nec arte, neque natura munita eſt, quippe cui Mececus, ſummæ altitudinis mons imminet, ex quo tormentis facile peti infeſtarique poteſt: 1543. muriſque & turribus rudi antiquorum artificio ædificatis, iiſque adeo pleriſque in locis ſemirutis & pertuſis cingitur: amœnitate tamen ſitus, & decurſu fontium & rivulorum perpetuo, qui per tubos & ſiphones derivati & inducti, urbem ſalubrioribus aquis fœcundant, & rerum omnium victui neceſſariarum abundantia, inter primas Pannoniæ civitates cenſetur. Nam præter annonæ cujuslibet copiam, & vilitatem, ac præſtantiſſimi vini uberrimum proventum, quod ad longinquas regiones, & Seghedinum, ac late patentem Debrecenii planiciem, effertur: ager quoque omnis greges majorum, minorumque pecorum plurimos alit: & ſues in glandiferis Danubii & Dravi ſilvis, vicinis regionibus maximo numero ſubminiſtrat: piſcium autem tanta pretii exiguitas, ut novem bipalmares duobus obelis veniant. Fuit etiã olim in ea gymnaſium litterarum haud incelebre, tanto juvenum ſtudioſorum concurſu, ut paucis ante hoc bellum annis, duo millia eorum in ea numerata fuiſſe ferantur.

Ferdinandus quum urbem in ſuam poteſtatem triennio ante recepiſſet, Lucam Siculum, Jacobi filium, hominem auro potius cogendo aptiorem, quam bellicis muneribus obeundis, ei præfecerat, attributis illi mille equitibus, & totidem peditibus, quibus Stiriæ provinciæ ordines, ſtatis certiſque terminis ſtipendium perſolvere ſolebant. Erant in præſidio turmarum præfecti clari ominis Stephanus Banffius, Valentinus Magiarus, qui non ita pridem cum Muſtapha Caſſoni equitum præfecto ſingulari pugna congreſſus victor redierat, Franciſcus Boſcaius, Matthias Alia, Sebaſtianus Polanius, Melchior Caſtellanffius, & alii complures. Sed Lucas privatorum negociorum cauſa; ad exigendam, quæ erat Græcii in nominibus haud contemnendæ ſummæ pecuniam profectus aberat. Cæteri, qui domi erant, relicti, adeo corporibus ſimul & animis torpeſcentes elanguerant, ut prius, quam Solymanus capta Socloſia caſtra moveret, obliti officii honoriſque ſui, trepidare & fere muliebriter tremere, nec quicquam de urbe defendenda cogitare viderentur; ſed de turpi ac inhoneſta fuga capeſſenda mutua conſilia inirent. Iraque quum Stanislaus Epiſcopus eos multis precibus retentare fruſtra conaretur, conclamatis vaſis, repente portis eruperunt, & per ſilvas ac nemora, paludibus & multo cœno impedita, Sigetum pars ſe receperunt, pars autem Babociam, & alia loca trepidi & feſtinantes profugere. *Præfecti ejus, urbe deſerta, ignominioſa ſibi conſulunt fuga* Primi fœdæ conſternationis ac fugæ auctores, Matthias Alia, & Valentinus Magiarus, fortes alias & intrepidi bellatores, dicuntur fuiſſe, ſed quibus rapinas, quas multas per vim & fraudem congeſtas habebant, à Turcis diripi nimis damnoſum miſerumque videretur. Epiſcopus relicta majore ſuppellectilis parte, tandem & ipſe urbe profugit, ac Albam, cujus ſacerdotio potiebatur, qua majori potuit celeritate, concedens, antequam ea quoque urbs à Turcis caperetur, annis morbiſque gravatus è vita migravit. Sacerdotes minores, qui è collegio opulenti erant, & Monachorum catervæ ſimiles attonitis, & conſilii inopes, qua quiſque potuit, eum ſequuti, varias in partes diſceſſere.

Sed miſerabilis ante alios fuga ſacratarum virginum fuit, quibus quum in re tam ſubita & inopinata, currus & jumenta ad evadendum, nec pe-

pecunia ad condocendum ſuppeteret, donaria à piis homioibus olim templo & DEO dicata, aurigarum avaritiæ, minimo pretio addicere cogebantur. Sed neque ſic miſerabilis fugientium conditio inſidiis impiorum militum caruit. Pletique enim eorum per varia itinera diſperſi, in eoſdem deſertores, ac Ludovici Pecrii, quamquam Oeniponte captivi, & Emerici Verbecii milites, latrociniis aſſuetos inciderunt, atque ab iis crudeliſſime ſpoliati; nonnulli etiam, quod ſe & res ſuas tueri pertinacius viderentur, trucidati, feriſque & alitibus per ſilvas laniandi relicti fuere. Solymanus tam claræ & opportunæ urbis acceſſione, haud mediocriter lætatus, XX. die Julii eam occupavit: templaque omnia, & imprimis Divi Petri, eximii operis à priſcis regibus extructum, quod in arce erat, in fœda Mahumetanæ ſuperſtinonis delubra initianda curavit; uno tantum aut altero Chriſtianis, qui quo fugerent, non habuerant, vel ſubito hoſtium adventu oppreſſi, fugiendi modis caruerant, conceſſo.

XX. die Julii Solymanus eam invadit.

Nec multum ibi moratus Budam contendit: ibique exploratis & pacatis rebus omnibus, expedito itinere Strignnium ire maturavit. Exceſſerat diu ante Paulus antiſtes, urbe atque arce: non metu Solymanoi, de cujus adventu & conatibus, nondum quicquam comperti aut explorati habebatur, ſed ſic volente Ferdinando, cui parere neceſſarium ducebat, ac Poſonium ad habitandum conceſſerat; ut præſidium Hiſpanorum, quod duce Martino Muſica, cognomine Liſcano, Thomæ ejus, qui Caſſoviæ ab agricolis tumultuaria in pugna cæſus erat, propinquo imponebatur, abeunte antiſtite, qui multos militet, & magnam familiarium & clientum turbam alebat, liberius & commodius tuendo loco invigilaret. Paulo ante obſidionem Ferdinandus Franciſcum Salamancam Hiſpanum immiſerat, cum Italicis cohortibus duabus. Ambo autem ante periculum elati, & hoſtium vaniſſimi contemptores erant; uſque adeo, ut palam dicere auderent, ſe ſi tam Solymanus Turcarum princeps, quam Carolus Romanorum Imperator conjunctis viribus arcem obſeſſuri eſſent, de expugnatione ejus nec quicquam metuere: Verum miſſuros illis ad fallendum tranſmittendumque tempus aquilas & accipitres, ac aliquot canum venaticorum paria, ut aucupio ac venatu animum objectarent, ac irritam oppugnationis ſpem ejuſmodi otio conſolarentur. Italos ſequuti ſunt Germani, quorum duas cohortes tricenarias Franciſcus cognomento Monachus Ratiſponenſis introduxit: omneſque exemplo Hiſpanorum, magna alacritate & virium fiducia, hoſtium adventum expectabant: quamquam in univerſum mille & ſexcentorum peditum numerum, non amplius conſtituebant. Sed ubi hoſtes advenere, ac promotis undique caſtris, campos, colleſque ſubjectos, & vineta erectis infinitis tabernaculis occupavere, claſſemque pariter ornatiſſimam, adverſo flumine, eo in loco, quo Granus è Carpathiis montibus deſcendens, infra arcem Danubio commiſcetur, ſubeuntem in conſpectum attulere, nemo fere viſus fuit, qui non depoſita animi fiducia aliud, quam antea cogitaret, & de ancipiti rerum exitu haud parum dubitaret; præſertim quum ſuam paucitatem, & hoſtium pertinacibus animis atque armis pugnare ſolitorum multitudinem conferendo, oculis, animiſque metiretur.

Inde Strigonium oſtendit.

Cui Liſcanus & Salamanca præerant.

Solymanus dimidia copiarum parte, ductu Achmatis Beglerbegi, ſeu magiſtri equitum Europæorum præmiſſa, cujus officii eſt exercitum antecedere, ipſe die inſequenti eum univerſo robore, ac apparatu tormentorum ſequutus eſt: & interim nondum tam arcte cincta arce, Bartholomæus Chrovatus, Pauli Strigonienſis Archiepiſcopi copiarum præfectus, rei militaris æque ac locorum peritiſſimus, ducentos boves dono ab antiſtite miſſos, in uſum obſeſſorum, proſpere induxit: totidemque vini dolia, quæ in arce habebat, nomine ejuſdem obtulit: pauloque poſt inſequentes magna vi & celeritate Turcas notitia itinerum fretus eluſit: incolumiſque Comaronium rediit: ac Johanni Ungnadio, Ottonique Fotiſco, & Philippo Tornello, qui cum reliquo exercitu ibi erant, retulit nondum tantopere circumſeſſam eſſe arcem, Solymano cum univerſa mole exercitus & Tartaris adhuc retro ſubſequente, quin ea, qua ipſe iverat, via, aut etiam ſecundo amne ſubſidia ſubmitti poſſent. Unde Sancius Gotta Hiſpanus centurio, ac ſignifer Germanus, qui pro ſtipendii pecunia Viennam erant profecti, eamque à quæſtoribus regiis acceptam, audita Strigonii obſidione, ne illa periculo exponeretur, ibidem reliquerant, cum ſexcentis fere militibus, ac annona & pulvere tormentario navibus deſcendentes ad ſocios feliciter pervenere, obſeſſorumque animos ea virium & commeatus acceſſione vehementer confirmarunt. Eodemque tempore noſtri arce erumpentes, & Turcas caſtra liberius & incuriosius metantes adorti, magnum tumultum ediderunt, interfectis ex eorum numero quampluribus; & inter cæteros Omerbego quodam, è Mahometis pſeudo-prophetæ poſteris oriundo, quod quidem à viridi capitis tegumento, quod aliis geſtare religioſum nefaſque habetur, animadverſum fuit.

Sequenti die Solymanus cum exercitu ſuo, & Tartaris advenit, & copiarum ac tabernaculorum ampliſſimum numerum duplicavit: & obſidio arctior eſt inſtituta, Tartaris ſeparatim à Turcis caſtra ſua ponentibus, quorum quatuordecim millia, qui minimum, alii XXIIII. qui maximum numerum edebant, fuiſſe affirmabant: eodemque tempore tres legati è numero eorum, qui abjurata Chriſtiana religione ad Turcas defecerant, ad Liſcanum miſſi: qui Hiſpanica, atque Italica & Germanica uſi lingua, quod præſidiarios ex tribus illis nationibus conſtare ſcirent, arcem, quam adverſus invictos Solymani milites tetinere nequaquam poſſent, tradi ſibi poſtulabant, & abnuentibus extrema ſupplicia denuntiabant. Sed quum à Liſcano cæteriſque reſponderetur, ſe eam, donec vita ſuperſit, ſicuti milites fide virtuteque præſtantes deceat principi, cui ſacramentum dixiſſent, ſervaturos, transfugæ diſceſſerunt. Illis in caſtra abeuntibus Turcæ, ſub colloquii tempore, tormenta majora ad collem Divi Thomæ arci oppoſitum, magna celeritate provexerunt, noſtris in arce ſilentio ſe continentibus, & diſſimulante Liſcano, quid tamen fieri vellet, milites clam admonente. Collocatis eo in loco ab hoſte tormentis, nemine prohibente, ac aggeribus inſtructis & corbibus interpoſitis; noſtri, qui ad eam murorum partem omnia fere ſua tormenta magno labore convexerant, ea in hoſtium munitiones repente direxere, exploſiſq; eis maximum Turcis detrimentum intulere, quum & tormen-

Solymani adventus Strigonium.

1543. mentorum magiſtris, & Janiceris magno numero interfectis, tormenta, rotis eorum perfractis, inutilia reddidiſſent: ita ut per aliquot dies ex eo loco tormenta ceſsâſſent, donec alia attraherentur.

Noſtri, deſertis ſuburbanis, in arcem ſe recipiunt

Interea Liſcanus & Salamanca ſuburbanis munitionibus ac majori oppido diffiſi, ſecus quã antea elato animo jactabant, ſeſe in arcem recepère. Et Achomates juſſu Solymani, ab ea parte, qua horti ſuburbani erant, oppugnationem inſtituit: Ulamanes autem turrim prægrandem rotundamque, quæ portæ Budenſi imminet, admotis tormentis diruendam ſuſcepit: tanto ſucceſſu, ut quum ingentibus & plurimis ictibus infirmiores mœniorum partes verberarent, obſeſſis ſingulare detrimentum inferrent. Nam Janiceri ſubſidio operarum, quæ aggeres & foſſas faciebant, adjuncti, mirificè ſclopetis rem gerebant, & noſtros in mœnibus conſiſtere prohibebant: ſic ut murus vel craſſiſſimus, non diu pilarum aſſiduè incidentium vim perferret, ſed magno fragore proruerer, ejuſq; fragminibus noſtri ſauciati gravi clade afficerentur. Quibus malis adducti, deſerta exteriore muri corona, interiores aggeres & munitiones erigere cepère, ut in iis minore cum periculo verſarentur.

Turcarũ aſſultus repreſſi.

Ea re animadverſa barbari ſumptis animis in urbem ter irrumpere conati ſunt: & ter in conſpectum noſtrorum ſumma audacia pervenerunt: ſed noſtri haſtarum in hiſpidam ericii formam adactarum denſitate, ac ſclopetorum grandine ſeſe fortiter defendentes, barbaros rejectos detruſerunt, in qua contentione Alibegus cognomento Baltaoglis Selymbriæ ad Pontum Polemoniacam præfectus, criſta & purpureis veſtibus, armiſque auro & argento fulgentibus conſpicuus interiit.

Alybeg. cadit.

Poſt eam pugnam, quum claſſis Turcica ripam fluminis, quæ ad dextram urbis partem eſt, ſubiiſſet: & claſſiarii ac remiges in domibus ſuburbanis impune verſarentur; idque noſtri conſpicientes ferrè non poſſent, repente collectis ex ſingula centenaria militibus, Alexius Nardous, & Michaël Regenſpurgus eruperunt; tanto impetu, ut hoſtes improviſo noſtrorum superventu perterriti, pars arma capere, pars ad claſſem intento curſu ſeſe proripere vellet, & ſummo cum tumultu & periculo utrinque certaretur; multique vel cæderentur, vel naves repetere conati flumine mergerentur. At qui in claſſe erant, profligatis ſociis oportunam opem tulère; quum noſtrorum impetu ſclopetis ac ſagittis retardato, & compreſſo, ſuos palantes & trepidos admotis ad ripam navigiis opportunè excepiſſent. Qua in fuga Inirſahes apud Perſas ſummo loco natus, & nuper commmendante Ulamane, ad præfecturam Danubianæ claſſis evectus, dũ ſuis metum & fugam exprobrat, & citatis remis prætoria navi ſubſidio, advolare contendit, frontem glande trajectus occubuit.

Italus transfuga tormenta in Inſulam transferenda monet.

Inter has contentiones ſenex quidam Italus è Calabriæ Crotone oriundus, tormentorum magiſter, quem ſocii Itali militari joco Meſſerum vocabant, ad Turcas transfugit, eoſque, ſi Strigonio maturè potiri vellent, tormenta in inſulam transvehenda, & Aquariam turrim, quam hactenus Ibraimus Eunuchus Aſiaticorum equitum magiſter ex continenti fruſtra oppugnâſſet, ex inſula, quæ è regione eſt, expugnari poſſe admonuit. Ea erat ſub arce in ipſius ripæ extrema parte, Budenſi perſimilis, ex qua per ſiphones aqua pluvialis in arcem haud rudi artificio derivabatur.

Itaque approbato Crotoniatis conſilio, Ulamanes noctu ſcaphis in inſulam trajecit, ac tormenta in eam tranſvehenda curavit, erectiſque ſubitariis aggeribus, & Janiceris eorum cuſtodiæ impoſitis, turrim verberare cepit, adeo vehementi pilarum & jaculorum frequentia & denſitate, ut murus conciderer; & noſtri in ea præ metu conſiſtere non auderent, Aſiaticique Janiceris permiſti ſubire murum & conſcendere non dubitarent. 1543.

Equa Aquaria turris verberata.

Turcæ quoque ex majoribus caſtris, tam majorem arcis munitionem tormentis ſubruere, quam cuniculis actis ſcrobes, & ſpecus prægrandes ſub terra effodere non ceſſabant, quibus barbari adverſus omnes bellici laboris aſperitates indomiti mordicus incumbebant, adeo ut in iis interdiu, noctuque operari, cibumque & ſomnum capere ſolerent. Breviora etiam ſed maxime patuli oris ænea tormenta, quæ à ſimilitudine mortaria appellantur, attulerant, quibus ſaxeos ingentes globos in ſublime jaciebant: quæ cum tectis inciderent, omnia intus magna ſtrage edita conterere & diruere ſolebant; qualibus in expugnatione Belgradi barbaros uſus fuiſſe docuimus. Horum crebrioribus ictibus atque impetu, templi majoris præalta Orientalis fornix, concamerati ac rubri marmoris tabellis incruſtati operis, concuſſa & labefactata repentè corruit, oppreſſis nonnullis militibus, arciſque interiorem aream ita denudavit, ut noſtri concurſantes à barbaris è monte Divi Thomæ facilè conſpicerentur.

Admoto in hunc modum terrore, neque noſtris in muro conſiſtere auſis, Turcæ per aperti muri ruinas, aſcendere conſtituerunt, magnoque ululatu & clamore, cohortantibus Ulamane & Ibraimo, in ſummum evadebant. Sed erat ingens vis pilarum, ex pice & ſulphureo pulvere, aliaque materia ignem concipiente à noſtris præparata; quas quum in ſubeuntes audacius crebro conjeciſſent, quod pauciſſimi galeis capita, aut thoracibus pectora munirentur, magnam eorum ſtragem edidère, amburentibus, quicquid tetigerant, flammis, quas corporibus & veſtimentis incidentes, quum amoliri vellent, auctum agitatione malum, veluti contages amplificabatur.

Turcarum oppugnatio fortiſſimè à noſtris depulſa.

Interea Hiſpani cum ſocus ſclopetos peritiſſimè vibrantes, multos ex hoſtium numero glandibus proſternebant, duravitque ea oppugnatio octo fermè horarum ſpatio: quum noſtri quamquam pauciſſimi, inconditæ multitudinis barbaros ſæpè feſſos, & ſæpius recentioribus ſubmiſſis auctos, ac certamen vel ſeptimo conatu repetentes, magno illato detrimento fortiſſimè repuliſſent. Quo in conatu etiam mulieres & pueri, è ſuperioribus murorum pinnis, ingentia ſaxa in Turcas per declivia montis conſcendentes, non ſine multorum pernicie pervolvere & præcipitare contendebant.

Poſt rejectos hoſtes, noſtri reſumptis animis, per turris Aquariæ aquæ ductum erumpentes, alios ex barbaris retro ad naves, unde venerant, fugârunt, alios ſub mœnibus trucidârunt, ac ſubito impetu in naves facto, quæ tormenta & Janiceros in inſulam vexerant, XIII. ex eis demerſerunt: cæſis amplius quingentis è numero claſſiariorum, qui etiam oppugnatum turrim venerant: ſic ut tam in oppugnatione, quàm præcipiti hoſtium fuga, ad tria millia barbarorum interiiſſe creditum ſit, præter ſauciorum ingentem multitudinem: & plures interiiſſent, niſi noſtri paucitatis ſuæ haud ignari inſequendi finem feciſſent. Ex noſtris au-

Tria millia Turcarũ cecidère.

1543. tem tam in pugna, quam fortuito incendio, quod ſub ea contigit, ducenti milites deſiderati ſunt, nam in ipſo fervore ancipitis pugnæ, turris una, quæ ad meridiem ſpectabat, incertum dolone hoſtium, aut igne fortuito conflagravit; in qua multum pulveris ſulphurei, ac armorum repoſitum erat.

Noſtris animus collabeſcit.

Quamquam autem noſtri eam Victoriam adepti effusè lætarentur; tamen quia amiſſis commilitonibus, & plurimis ob vulnera inutilibus redditis, feſſi ac debilitati ad exiguum numerum redacti eſſent, ut vix tertia eorum pars ſupereſſet, & de ſubmittendis auxiliis nulla uſpiam ſpes appareret: quodque deſperationem augebat, nulla gleba aut ceſpes in ſaxeo ſolo ad extruendas munitiones ſupperebat, anxio animo frangi, & non parum de priſtina animi fortitudine remittere, deque vita & ſalute conſervanda ſollicitì eſſe: & de rerum exitu inter ſe timidè colloqui & deliberare. At barbari turrim illam Aquariam, quod nullis à latere propugnaculis munita eſſet, tuto ſubire & mœnia cuniculis ſuffodere non ceſſabant: quæ res obſeſſorum animos eo majori terrore & formidine perculſos ad extrema conſilia amplectenda incitabat.

Maſſa ſignifer Italus deditione cum Turcis tractat.

Cum igitur in tanta rerum omnium deſperatione verſarentur; nec quid fieri oporteret, expedirent: aliis fortiter in tuendo loco perſiſtendum dicentibus, aliis ad ſui ſervandi conſilia propendentibus, Joannes Maſſa Italus Ceſenas, cohortis, quæ ſub Joanne Baptiſta Marſo, centurione ſtipendia merebat, ſignifer, ſuis qui in ſtatione ſecum excubabant, ne in hoſtes tela jacerent, prohibuit: ac duobus ſociis comitatus, videntibus Turcis de muro ſe dimiſit: à quibus ad Ibraimum, qui Solymani Eunuchi purpuratorum principis, Perſico, ut diximus, bello abſentis vicem ſupplebat, adductus, deditionem omnium nomine obtulit: ita ut ſalvis rebus diſcedere omnibus liceret, deque eo publica fide caveretur. Qua conditione accepta, duobus Turcis comitatus revertitur, & Franciſco Salamancæ (Liſcanus enim leviter ſaucius in quodam cubiculo tunc forte curabatur) ea quæ cum hoſtibus egiſſet, refert. Nec Salamanca dignâ reprehenſione caruit, quod hunc vexilliferum, qui ſuo & Liſcani injuſſu, cum hoſtibus paciſci & tranſigere auſus fuerit, è diſciplinæ militaris inſtitutis non ſtatim laquei ſupplicio puniendum curaverit. Sed ipſe non ignarus ſalutem ſingulorum in concordia univerſorum contineri, ne ſi quid durius in illum ſtatuiſſet, reliquorum etiam Italorum arma, ſuborta ſeditione in ſe concitaret, ſeſe excuſare conabatur.

Salmanca ad hoſtes egreſſus detinetur.

Liſcano diploma Turcicæ fidei mittit.

Dum obſeſſi cum duobus illis Turcis conſilia agitant, nec tamen hoſtes oppugnationem Aquariæ turris intermittunt, nec abegerendis ſcrobibus ceſſant; Salmança rebus deſperatis ad hoſtes egreditur, ut conſenſu collegæ & commilitonum æquiores deditionis conditiones impetraret. Ubi ad purpuratos deductus, multa diſputando, nec adhuc ſe victum reputando, nihil aliud obtinuit, quam quod ſalvis rebus & capitibus arce excedant: nec ad ſuos redire permiſſus, in caſtris apud hoſtes pernoctavit: ac Liſcano & ſociis diploma Turcicæ fidei à Solymano impetratum miſit: quo liber omnibus diſceſſus & incolumitas promittebatur, ſi claves Strigonii ab eo in caſtra mitterentur. Publicata deditione, noſtri non ſolum res ſuas, ſed mercatorum & aliorum ſuppellectilem convaſare, ac complicare contendunt; interea Alibegus Janicerorum tribunus, portis apertis ingreditur: & claves à Liſcano traduntur: ac portæ & muri ſummitates, & fora ac areæ arcis à Janiceris ſine mora occupantur: milites noſtri ſecedere jubentur, ac haſtas, ſcloperos, & arma quælibet in foſſam, quam cuniculis hoſtium contrariam introrſus fecerant projicere coguntur. Noſtri perterriti & conſternati, excuſſo omni virtutis uſu, parent, quibus etiam auxit pavorem inopinatus repentinuſque caſus; nam quum milites unà cum ſclopetis & haſtis, ſulphurei quoque pulveris lagenulas projeciſſent, ab accenſo funiculo repentè flamma exorta, armorum & haſtarum cumulum disjecit, ita ut niſi Liſcanus & Salamanca deprecati nullas inſidias, aut fraudem ſubeſſe retuliſſent, barbari ſtrictis in noſtrorum necem gladiis parati eſſe conſpicerentur. Ibi noſtri ſumma indignitate, & miſerabili ludibrio, totum ferè diem fame, ſiti, ſolis fervore macerati, pars mutuò ultimum vale dicere, pars loca quæ relicturi eſſent, cum ſuſpiriis extremum aſpicere, pars præſentem nec vulgarem mortem, pallido exanguique vultu horreſcere. 1543.

Strigonium deditur.

Miſerabilis deditorum conditio.

Venit interea ſub noctem à Solymano nuncius Janitorum magiſter, quem ipſi Capigiagam appellant, Solymanum velle referens, ut milites, qui arcem dediſſent, ſervata ipſius fide, incolumes dimittantur, prius tamen, quam id fieret, contumeliis variis expoſiti, in arcem, unde paulò ante educti erant, redire jubentur, neque redeant fuſtibus & clavis, qui cogant ſingulari feritate imminent: ibiq; mortuorum commilitonum juxta ac cæſorum Turcarum cadavera, tabo fluentia, & tetrum odorem ſpirantia ſepelire, foſſas magno labore expurgare, tormenta ad ſua loca attrahere coguntur, poſtremò mortalium miſerrimi, armis, veſtibus, pecunia exuti & ſpoliati, ſemineces, nudi, & vix pedibus conſiſtentes, navibus impoſiti, in ulteriorem ripam tranſjiciuntur, ac lentis paſſibus Sintaviam verſus iter ſuſcipiunt: indeque curribus vecti, Poſonium pervenerunt: ubi Liſcanus & Salamanca proditionis ſuſpecti, & cum iis Alexius Nardous Matricius, & alii præfecti, juſſu Ferdinandi, à Nicolao Comite Salmenſi cuſtodiæ traduntur; ut quæſtione habita, judicio militari cognoſceretur, quomodo deditio incepta patrataque fuiſſet.

Liſcanus Salamanca, aliique cuſtodiæ mancipantur.

X. Auguſti Strigonium captum.

Occupato Strigonio Solymanus, è quadratis lapidibus, quibus fornicem anteriorem templi conſtructam, ſed mortariis quaſſatam corruiſſe docuimus, quod ea longius extra arcem porrecta, incommodior ad tuendum videretur, propugnaculum ad partem arcis Orientalem erigi juſſit, quod adhuc viſitur, actiſque Deo O. M. more ſuo gratiis, quod eo die, quo avus Bajazetes Methonem à Venetis cepiſſet, ipſe Strigonio potitus eſſet, qui erat Auguſti menſis decimus. Divo Laurentio dicatus, Danubium trajecit, & relicto ad dextram Comaronio, quod in inſula Danubii ſitum, à Philippo Torniello cum legione Italica cuſtodiebatur, haud procul Tata conſedit.

Erat ea arx, quam Theodatam olim fuiſſe exiſtimant, à priſcis Regibus Pannoniæ extructa, balneis, & penſilibus hortis, aliiſque deliciis ad oblectationem ſummo artificio factis, & ſubjecta ingenti piſcium vivario, cujus aggeres è quadrato ſaxo conſtant, viſu digna: ſed jam his bellorum procellis adeo deformata, ut earum rerum nec veſtigia ſuperſint. Huic Torniellus præfecerat Hannibalem Taſſium Bononienſem, cum quodam Germano, qui ſive nimiâ ante periculum

periculum

1543. riculum virium fiducia fieri, ſive totam molem barbarici exercitus, ad eam, ut exiguum & ignobilem locum minimè deflexuram rati, ejus tuendæ curam ſuſceperant. Sed quum adventantia longo latoque tractu hoſtium caſtra vidiſſent, Achomatesque qui cum maximis copiis præcedebat, extrema quæque eis, niſi arcem traderent, denuntiaret, perterriti, & viribus impares, vitæque cupidiores, eam ſine mora dediderunt, quæ res ipſis haud dubio exitio fuit: nam Torniellus Taſſium aliquanto ſeverius & turbidius, quàm fortaſſis ea rerum & temporum facies poſtularet, capitali ſupplicio affecit: Germano collega ad Ferdinandi Regis arbitrium relicto, ut de illo cum Salamanca & Liſcano ſimul ſententia ferretur. Sed Rex mitiſſimi ingenii, ac Hiſpanorum maximè ſtudioſus, diuturnioris tantùm carceris pœna contentus, judicium in longiſſimum tempus protraxit, poſtremoque eos dimiſit.

Tata occupatur ab Achmete.

Taſſius ob deditionem à Torniello capite mulctatus.

Tatam Solymanus vacuam relinquens, injecto igne ſuccendi juſſit, ac ad Albam obſidendam exercitum promovit, ibique ad proximum ingentem lacum Soſtonem, veluti aquationi maximè commodum & opportunum, caſtra locavit. Albanæ urbis ſitum, undique paludibus cinctum, ſupra deſcripſimus. Ea Budæ ac Strigonio collata, trianguli formam reddit: pari ferè intervallo ac loci celebritate, duas illas alluente Danubio, hanc perpetuis paludibus, quas Sarviſius flumen cœnoſum nec ripis coërcitum è Balatone profluens, & iſthic latè ſtagnans efficit, mirabili naturæ munimine præcingentibus. Ab urbe tres aggeres admodum lati ſeſe extendunt, quibus templa, ac publici privanque juris ædificia, & ſuburbanæ domus ac horti irrigui, & prata intercedunt, frequentiore in iis, quàm in urbe civium, & variorum hominum concurſu, habitatione. Urbem interiorem, ubi templum majus, in quo Reges diademate inſigniri, ac morte obita ſepeliri conſueverant, murus haud invalidus, & foſſa profunda, perpetuis è palude aquis plena, ſatis munitam reddunt.

Salamanca & Liſcano poſtea venia impertita.

Inde Albam obſidet Solyman.

Situs urbis.

Ei, quum à Solymano obſidione cincta eſſet, præerat Georgius Varcocius Sileſius, Ferdinandi prætorianorum equitum præfectus, cum duobus vexillis Germanorum peditum, & ducentis equitibus ex iis, quos Felſius & Perenius, dum urbem ab Iſabella Regina deficientem, ad obſequia Ferdinandi pertraxiſſent, ante biennium in præſidio reliquerant, ac Ungari equites fermè quingenti, quos Franciſcus Capolnajus, Petrus Erdodius, ac Stephanus Iſthuanſius aliique ducebant. Verùm ii, durante adhuc Strigonii obſidione, quum in Tartaros vicina Albæ loca depopulantes excurriſſent, superveniente interea Solymano, Alba excluſi, pereunte interim etiam Capolnajo, egregiæ virtutis, ſed rapinis nimium dedito viro, obſidioni intereſſe non potuerunt. Sub id etiam tempus Strigonienſis obſidionis, Torniellus cum Italicis cohortibus Jaurinum & inde Comaronium pervenerat, quem Ferdinandus de Strigonienſibus juxta ac Albanis ſollicitus, & tunc in Bohemia cogendo exercitui intentus, ut tuendæ Albæ munus ſuſciperet, hortabatur. Quod quum ille certis de cauſis ſuâ re nequaquam potuiſſet, quod quæ ab eo poſtulabantur, regii quæſtores pecuniæ, ut videbatur, quam Albæ conſervandæ cupidiores, præſtare cunctarentur; miſit tamen quatuor Italicos præfectos, Octavianum Scruſatum Mediolanenſem, qui ſuperioribus annis Peſtano bello confecto, in Pannonia remanſerat, Dominicum Torniellum propinquum ſuum, Carolum Siccum Inſubrem & Uſcaſalem Cremonenſem, cum totidem cohortibus militum. Qui quum proſpero uſi itinere Albam veniſſent, nec Turcas procul jam abeſſe allatum eſſet; Varcocius coacto militari concilio, cui etiam prætor Albanus Thomas Zigieſſus, cum toto decurionum ordine interfuit, an ſuburbana ædificia deſerere, ac incendere, ſeque in interiorem urbem recipere præſtaret, longo ſermone diſputavit. Albanis ſublata repente voce negantibus, ſe paſſuros, ut ſuburbia tot tantiſque templis & ædificiis, magnitudinem urbis, æquantia delerentur.

Varcocius ei præf.

Torniellus quatuor Italicos præfectos Albæ ſubſidio mittit.

1543.

Civium cauſæ Octavianus ſe fautorem præbuit, ac uti erat diſertus, tuendi ſuburbii auctor extitit; quod ea etiam pars æquè ac urbs palude munita, pari militum labore defendi poſſet: & ſi quid durius ab hoſte accideret, non defuturus eſſet certiſſimus in urbem receptus, ubi ſupremis votis, quæ neceſſaria eſſent conſilia, deliberare, atque oportunè exequi poſſent. Octaviano hæc atque ejuſmodi conſilia proponenti Varcocius ſuo ac publico fato impulſus, quamquam multiplici cura ſuſpenſus paret, ac ad milites egreditur, eoſque de eo, quod erat de defendendis ſuburbanis deliberatum, edocet: & ut fortem, paremque decoro conſilio operam præſtent, hortatur. Itaque pari militum & civium labore ac cæterorum, qui metu hoſtium eo ſe receperant, promiſcuæ ſortis hominum ſtudio & concurſu ſuburbia muniuntur: idoneis in locis tormenta diſtribuuntur, excubiæ ac cuſtodiæ diurnæ nocturnæque ordine diſponuntur: munitio inſtituta inter templa Divo Franciſco ac Deiparæ Virgini ſacrata, diurnis nocturniſque laboribus educi ac perfici jubetur. Verùm Turcæ advenientes ad eam partem ſuburbii, quæ ad Budenſem portam vergit, omnibus viribus incumbendum exiſtimârunt: edocti ab iis, qui ſitus locorum & opportunitates omnes apprimè cognitas habebant. Varcocius perſpecto hoſtium conſilio, præſidia Italorum & Germanorum à reliquis portis ad Budanam transfert, Ungaros, qui ex agris in urbem magno numero confluxerant, ac Albanam juventutem in deductorum locum ſuccedere jubet.

Suburbia muniuntur.

Dum hæc parantur, prima Turcarum agmina apparuêre, in quæ Germani, & qui ex Ungaris reliqui erant equites, adjuncto peditatu Italorum, erumpentes, ſecundum prælium fecêre, interfecto quodam inſigni. Eunuchorum aulicorum præfecto, ac magiſtro tormentorum uno capto, qui tamē paulò pòſt è vulnere interiit. Cum poſtea Solymanus adveniens, urbem juxta ac ſuburbia infinitis copiis circumplexus eſſet, noſtri obſtructis portis, ſeſe ad defenſionē paravêre. Turcæ verò contra eam munitionem, quæ inter duo templa à noſtris extructa erat, altiorem è materia & ceſpite molē ſumma vi erigere & ut commodius inter carecta & arundines cœno impletas pedem figerent, craſſioribus pluteis & tabulatis iter parare: quâ peractâ è propinquo querceto, quod ad ædiculam Divæ Barbaræ dedicatam, haud procul ab urbe eſt, virgulta & materiā plauſtris, camelis & mulis congerere, uſque non agreſtium tantùm & Aſaporum, ſed totius exercitus labore paludē, quam noſtri ætate inſuperabilē, nec niſi brumali frigore glacieq; denſatā adoriri poſſe putabant, paucis diebus perviā reddidêre, factiſq; ſinuoſis per tranſverſū aggeribus ad munitiones proceſsêre; ita ut nemo è noſtris in muro verſaretur, quin ad imū conſpectū

binos

1543. binos, teroosque & plures ictus glandium corpore exciperet: & barbari totam ferè munitionem, pilarum majorum vi perforarent, ac exæquata foſſa, eam acriori impetu aggreſſuri viderentur. Verùm noſtris rem fortiſſimè gerentibus ac munitiones contrarias, oſtendente & aſſiduè labori incumbente Scruſato, ex materia & ceſpite erigentibus, barbari impetum & irruptionem irritam fore rati, eo quidem die intermisêre.

Sequens dies, qui Divo Joanni Baptiſtæ ab Herode decollato ſacer erat, acerrimo hoſtium impetu & certamine inſignis fuit, quum amplius tribus horis pugnatum eſſet: quamquam enim Turcæ & noſtri pari ſpe & virtute munitionem aggredi & defendere conarentur: tamen ad extremum Turcæ nec cæde nec vulneribus, quæ ancipiti & iniqua pugna perferebant, territi, ſumma vi noſtris occiſis & dejectis, propugnaculum ceperunt: nec mora tres in eo falcones ſtatuerunt, ut utrinque è tota munitione propugnantes noſtros & diſcurrentes deturbarent. Eodem etiam impetu bina templa ab hoſtibus occupata ſunt, & ex eorum lateribus perforatis, noſtri per patentes rimas, occultis glandibus & ſagittis petebantur. Munitiones tamen, quas Itali extruxerant, mira virtute & conſtantia, adjuvantibus etiam fœminis & pueris, ac nonnullis è collegio monachorum, eo quoque die ſunt egregiè defenſæ, Carolo Ruſo Brixienſe, qui componendorum apud cohortes ordinum officio fungebatur, fortem & indefeſſam adverſus barbaros operam navante.

Poſtridie Calendas Auguſti Turcarum duces à Solymano, ut fama erat, acrioribus verbis, animiſque caſtigati, ſupremi conatûs ſignum edidêre, edicto inter milites promulgato, ne quiſquam niſi victor ex acie reverteretur. Favit eorũ conſiliis matutina craſſior nebula, qualis in locis paluſtribus accidere ſolet, cujus denſa caligine pertecti, majori, quo potuerunt, ſilentio abdicatis tympanis tubiſque, occultiſſimè ad munitiones irrumpunt; uſque adeo, ut pene prius quàm à noſtris animadverti poſſent, ac ad arma proclamaretur, jam ad congreſſum perveniſſe conſpicerentur: in ea potiſſimum munitione, quæ à Germanis militibus defendebatur, qui denſata acie deſcenſum Turcarum expectantes, in ſumma parte prætenſis haſtis, & ſclopetariis intermixtis, eos arcere conabantur. Sed tantus fuit hoſtium ardor, tanta vis, ut primos noſtrorũ, tametſi acerrimè reſiſtentium, ordines perturbarent, nec quiſquam eſſet qui ingruentium impetum ſuſtineret, eodemque tempore Italicæ cohortes, non tam virtute, quàm multitudine hoſtium victæ, ac totis aggeribus detruſæ, terga verterunt: fugientibus inſtabant hoſtes, ac per totum ſuburbanæ regionis ſpatium, terga cedendo, ſternendoq; procedebant: nec tamen quicquam ad ſalutem fuga profuit, quum ſocii & Albani clathra & cancellos, qui aream ante interioris oppidi portam inſtar veſtibuli, è materia factam, cujuſmodi munitiones Ungari militari vocabulo Sarampones vocant, dolone an oblivione, aut præſentis periculi metu, nulla fugientium miſericordia moti importuni clauſiſſent.

Suburbium à Turcis vi captũ,

Cædes aliquot illuſtriũ militum.

Cecidêre in ea rerum perturbatione egregiè pugnantes Carolus Siccus, cum aliquot ſigniferis, & Centurionibus: Octavianus quoque Scruſatus defendendorum ſuburbanorum infauſtus auctor, ibidem trucidatus, temerarii conſilii ſui pœnas morte perſolvit. Dominicus Torniellus, aurata inſignis caſſide, dum à Cecolino Italo, furti ſignifero, aliquamdiu fruſtra defenſus fuiſſet, equo deturbatus, à barbaris in eo diri certaminis fervore nemini parcentibus interficitur. Haud procul ab eo pari fato cecidit Eraſmus Wirceburgus, Germanorum vexillifer, vir egregiè fortis glande per ilia trajectus. Sed nihil magis Albanos juxta ac milites conterruit, quam Varcocii ipſius, urbis ac militiæ præfecti crudelis cædes, qui quum equo inſidens ſeſe ad portam proripuiſſet, nec ingreſſus pateret, fruſtraque, ut aperiretur, oraret, Janicerorum ſuperventu conciditur, cui quod multis aureis annulis digitos exornatos haberet, nec ii cæſo aliter detrahi poſſent, truncata ſimul cum capite dextra manus fuit. 1543.

Equorũ numero & Varcocius urbis præfectus occumbit

Cætera multitudo ad extremam ancipitemque vitæ ſpem redacta, in foſſam plurima aqua profundam ſeſe conjecit; ſed maximè fœda & miſerabili fugæ ſpecie; quum plerique natandi imperiti exemplo mergerentur, alii in ipſa cœnoſa palude colluctati & vada quærentes barbarorum telis & ſagittis confixi occumberent, inter quos multi ex Italis fuère, è quorum tamen numero Carolus Ruſus indomiti roboris veteranus feliciter in urbem enatavit. Haidanum & agreſtium Ungarorum manus, quorum numerus jam ad pauciſſimos erat redactus, rebus deſperatis non in urbem ſed qua quiſque potuit noticia locorum & paludis freta, ſaluti conſuluit: eo tamen eventu, ut multo maxima pars, diu cœno & carectis colluctata, aut à barbaris conſectantibus concideretur, aut fœdo mortis genere ſuffocata interiret: & pauciſſimi miro fortunæ faventis beneficio ſervati enatarent, inter quos Gregorius & Michaël Creſturii fratres, aliique perpauci fuêre, qui Beſprimium fuga delati, res perditas & amiſſam urbem divulgarunt. Ruſus Uſcaſalem Cremonenſem, qui ex vulnere prima in pugna ſuſcepto, domi conſtiterat, ac Germanicæ cohortis præfectum quendam in urbe reperit: qui communi conſilio reliquias militum colligentes, in muro præſidia ponere, & ſe ad interioris urbis defenſionem, ingentibus animis conſtituerunt. Sed occupatis præſenti periculo & terrore omnium animis, ac amiſſis ducibus, nemo omnium erat; qui vel imperare commodè poſſet, aut parere velle videretur. Itaque defenſionis ſtudio ab omnibus tota urbe remiſſius procedente, Uſcaſali & Ruſo; perditis rebus opem ferre pollicentibus, gratiæ quidem ab omnibus actæ, ſed ad extremas anguſtias redactis, non de tuenda urbe, ſed de ſervanda per æquas deditionis conditiones vita ac ſalute cogitandum eſſe reſponſum eſt: primuſque omnium prætor Urbanus è muro cum Turcis proloquutus, ut legati in caſtra mitti poſſent, impetravit.

Re cognita Itali & Germani milites cum legatis Civium, ſimul Ruſum deligunt, qui cum hoſte de libertate & ſalute præſidii coram paciſcatur. Purpurati Italis & Germanis militibus incolumi vita libertatem polliciti ſunt: civibus anceps & dubium reſponſum datum eſt; Veniam nempe eis dari, ſed non omnibus. Statuiſſe enim Solymanum, inveſtigare, quorum opera & ſtudio à Regina ad Ferdinandum defecerint. Porro Acbmates Beglerbegus pridie Nonas Septembris urbem ingreſſus, Italis & Germanis, ut in craſtinum cum ſarcinis ſe ad iter parent, pronunciari juſſit. Albanorum alia conditio fuit, iis ſiquidem, ut domi ſe continerent, & principis edictum expectarent, mandatum eſt. Exivêre ad condictum Itali & Germani, eiſque Omeraga

Alba dedita.

Italis & Germanis vita & libertas data.

alæ

1543. alæ equitum præfectus adjunctus eſt, qui eos uſque ad tutiora loca perduceret, quod illi ſingulari fide laboreque præſtitit, defenſis ab immani Tartarorum injuria noſtris, qui è ſilvis & inſidiis procurſantes iter eis infeſtum reddebant. Albanorum major pars, qui nimirum locupletiores erant, & quorũ ſpoliis truces barbari inhiabant, & inter alios Thomas prætor, ad caſtra convenire juſſi, crudeliter mactati ſunt, bonaque eorum ac domus & fundi publicati, aut in equites, qui Albæ præſidio relinquebantur, diſtributi.

Albani crudeliter trucidati.

Hunc in modum Solymanus, à Gallis, ut ferebatur, excitus; ea æſtate anni à partu virginis quadrageſimi tertii, ſupra mille & quingentos tribus nobiliſſimis Pannoniæ urbibus, haud magno labore, neque multo ſuorum ſanguine potitus, Germanorum & Ungarorum animos, viresque vehementer contudiſſe viſus eſt; quum Chriſtiani principes execrabili vecordia diducti, ac perpetuis inter ſe armis dimicantes, de vicinæ Pannoniæ ſalute ac permanſione nihil penſi habere viderentur, tam diuque inſanirent, donec ipſi debellatis ejus calamitoſi regni reliquiis, eorundem barbarorum animis, injuriæque expoſiti, aut ab extremo ignominiæ pudore ad pietatis decus revocati neceſſaria arma ſumere, aut ſimilem ſibi ac ſuis populis & regnis calamitatem cladem que expectare condidicerint.

Quinque eccleſiæ, Strigonium, Alba amiſſa.

Cæterùm Solymanus, captis tribus clariſſimis urbibus, ſatis ſe gloriæ adeptum ratus, nihil amplius eo tempore tentandum exiſtimavit: ſed expurgandis, quæ ceperat locis, ac muniendis operam dedit, quod ſuos feſſos & debilitatos hoſtibus objicere nollet; ac domum redire maturaret. Interea tamen Tartarorum equitatum, cujus in obſidione, præter pabulationum auxilia, modicus erat uſus, ad populandum emiſit: qui proxima quæque loca urendo, atque vaſtando percurrerent. Erant in caſtris circa Jaurinum quædã copiæ; quæ tuendæ regioni excubabant. Ferdinandus enim Philippum Torniellum cum Italis ad tuendum Comaronium ire juſſerat; Germanis verò & Ungaris, ut conſervando Jaurino invigilarent, per litteras & nuncios ſignificaverat, donec ipſe è Bohemia majores copias adducturus adventaret. Inter eas Nicolaus Comes à Zrinio, Illyrici præfectus, Andreas Bathorius, Emericus Verbecius, duo Bartholomæi Chtovatæ, Petrus Baquitius, Nicolaus Catithius, ac cæteri complures duces præfectique, erant: ii quum Tartaros ex caſtris hoſtium excurriſſe, & obvia populari cognoviſſent, cohortante Comite Zriniano, in eos coërcendos majori quo potuerant numero, caſtris exire, ac fœdam moribus cultuq; corporis gentem, armis aggredi conſtituerunt.

Tartarorum depopulationes.

Itaque Zrinius in itinere Paulum Ratcajum, oppidi Papenſis præfectum, virum manu, conſilioque promptum ſibi adjunxit: & cognito ab exploratoribus Tartaros ad Somlionis agrum, prædabundis agminibus diſcurrere, eo cum univerſo exercitu maturè profectus eſt. Nec Tartari, viſis noſtris, eorum congreſſum vitandum duxêre: ſed ſine mora arcubus & ſagittis arreptis, quibus in prælio potiſſimùm valent, quum maxima pars gladiis careat, noſtris obviam prodire non dubitârunt. Ratcajus præcedebat cum Nicolao Catitio, ac duobus Bartholomæis: Zrinius Comes cum cæteris haud procul veſtigiis eorum inſiſtebat. Nec mora noſtri inclinatis haſtis in eos irruerunt, multoſque equis deturbatos cæciderunt: nec ipſi, quin ſagittis complures ex noſtris vulnerarent, ſibi deerant: inter quos Gregorius Farcaſitius, Zrinii alæ equitum præfectus fuit, qui decem ferè ſagittis confixus, ac pro mortuo ſublatus, poſtea tamen medicorum ope convaluit. Sed quum noſtri, qui ſequebantur, ſuis laborantibus maturam opem attuliſſent, & magnum haſtarum numerum in hoſtium pectoribus ac lateribus acri illato impetu perfregiſſent, plurimoſque ex eis equis dejectos occidiſſent, vim eorum Tartari nequaquam ſuſtinentes, in effuſam fugam converſi terga dederunt, relictis omnibus captivis, quos populando & vaſtando ceperant. Noſtri eos in paluſtre quoddam cœnoſumque nemus, cæco procurſu delatos (metu enim & pavore exanimes, quorſum fugerent, non animadverterant) inſequuti, magnam eorum partem, relictis equis, cœno & paludibus implicitam, partim ceperunt, partim trucidârunt; pars poſt longam colluctationem ibidem interiit: plerique à muſcis culicibuſque & multo hirudinum exuctu malè habiti etiam in caſtris perierunt, plures etiam qui ſummo labore forte eniti potuerunt, ab agricolis, quorum familiam exuſtis domibus afflixerant, aut ceperant, ſine miſericordia paſſim cæſi fuêre: adeo ut ex Tartaris amplius tria millia tam in prælio quàm fuga cecidiſſe certò conſtiterit. Sed equorum longè major fuit numerus. Cæteros, qui pernicitate equorum adjuti evaſerant, agminatim aut ſparſim redeuntes Solymanus in caſtra recepit.

1543.

Tartarorum tria millia periére.

Verùm alia in parte ad Balatonis exitum, quem Sivonem vocant, ex quo Sarviſius fluvius ſtagnans oritur, quum Franciſcus Capolnajus, cum ſeptingentis equitibus, in alios Tartaros populantes incidiſſet, improſperè ac infeliciter conflixit: Superatus enim ab iis, dum equo plurima ſagittarum vi confixo fugere conaretur, prolabente eo, poſtquam diu pugnâſſet, ab hoſtibus poſtremò cæſus eſt, caputque in caſtra ad Solymanum perlatum. Sed & dextra ejus annulis aureis ornata, quod barbari in eis tollendis certarent, præciſa fuit. Ex militibus perpauci cæſi aut capti ſunt, eo quod hoſtes circa eum ſub equo reſupinatum & repugnantem, denſo facto agmine collecti, in perſequendis fugientibus curſum remiſiſſent.

Ad Balatonis exitum Capolnatus à Tartaris occiſus eſt.

Zerinius cum Ungaris Tartaros cedit fugatque.

Nec multò pòſt Mahomete Jahiogle, de quo ſupra meminimus, Budæ cum imperio relicto, ac Albæ Bali Epirota, & Strigonii præfectura Huſſaimo viris impigris tradita, quod jam non dubia inſtantis hiemis ſigna, ac nocturnæ pruinæ maturandum reditum admonerent, Solymanus Conſtantinopolim redire conſtituit, quo quidem ægrè ad menſis Novembris finem, obimpeditas continuis imbribus, ingentique luto vias, pervenire potuit. Paulò antequam diſcederet, Pontificiæ copiæ, ad quatuor millia peditum, ducibus Julio Urſino, & Baptiſta Sabello Viennam adventârunt: nec longè aberat Ferdinandus in Marcomannis, ſeram perditis rebus opem ferens; & demum tempore, & aſſidua pluviarum cœlo decidentium importunitate excluſus, nihil regio nomine dignum, nihil in recuperandis amiſſis operæ pretii facere potuit: ideoque coactas copias, perſolutis ſtipendiis, utili conſilio dimiſit; retentis tantùm iis, qui Jaurini & Comaronii cuſtodiæ adhibebantur. Inter quæ diſturbia, Petrus Erdodius, una cum Barbara Puhamia uxore, empta domo, & rebus omnibus eo comportatis (cujus rei cauſæ in incerto fuêre) Venetias migravit, manſitq; uſque ad obitum in ea republica: relictis tamen bonis & arcibus Petro ejuſdem nominis filio.

Mahomet Jahiogle Budæ præficitur. Albæ Balis Epirota. Strigonio Huſſainus, Solymanus Conſtantinopol. redit Pontificia & Ferdinandi copia, ferius coacta.

DE

DE REBUS HUNGARICIS,

LIBER XVI.

Ea quæ ſequuta eſt hieme, tam hoſtes bellando feſſi in hibernis quietem agitavêre, quam Ferdinandus poſt bellum improſperè geſtum, atque infelicius confectum, animo reputans, quot incommodis acceptis, quantoque detrimento & periculo ſuperiori æſtate bellum ab infenſiſſimis hoſtibus illatum ſuſtinuiſſet, quot urbes validas, quantum ditionis amiſiſſet, omnibus rationibus pacem patandam, & tranquillitati populorum ſuorum conſulendum exiſtimabat: ſcilicet ut ii poſt tot tantaſque clades, parto otio aliquantùm reſpirarent; nec cum dira rerum omnium conturbatione funditus ſubverterentur. Verùm ea conſilia ad conſervandam Pannoniam, ac ad totius Chriſtianæ Reipublicæ decus tuendum ſuſcepta prius quam explicaret, cum Cæſare fratre communicanda arbitrabatur, qui ab Africana Algerii expeditione paulo ante reverſus, in Hiſpania commorabatur, ac bellum in Sicambros & Menapios, eorumque principem Gulielmum, occupata Geldrenſi ditione, quæ Cæſaris erat, Gallicas ſequutum partes moliebatur.

Anno 1544. Turcæ Viſſegradum obſident.

Dilatis igitur in præſentiarum ineundæ concordiæ rationibus, Turcæ ad prima veris initia, bellum primi intulère: quod occupata ab eis Buda, Vacia & Strigonio, Viſſegradum in earum urbium medio ſitum, adhuc a noſtris teneri, viaſque tam Danubio, quàm terra infeſtas reddi, graviter moleſteque ferre viderentur.

Viſſegrado præfectus Amadius vir militaris.

Præerat enim Viſſegrado Petrus Amadius, vir militaris, & maxime ſobrius, ut qui nunquam vinum biberet, illuc ex Ovario ſeu Altenburgo translatus, qui poſt Budam amiſſam, jam ferè à triennio, vigilando, agendoque, & præſidiarios in officio continendo, minas hoſtium contemnere, nec parum incommodi vicinis Turcis, potiſſimùm verò viatoribus, qui ultro citroque commeabant, inferre erat ſolitus. Mehemetes igitur Jahioglis Budenſis, & Huſſaimus Strigonii præfecti accita ex Belgrado, Alba, & reliquis hibernis, valida equitum & peditum manu, ac tormentis, quæ complura in illis urbibus erant, promotis, ad obſidionem maturandam ante Calendas Majas, proficiſci conſtituerunt.

Viſſegradi ſitus.

Arx ea duplex eſt: altera minor ad Danubii ripam ſita eſt; altera verò major, in qua corona Regia ſervabatur in editiſſimo ac ferè inacceſſo montis cacumine eminet, nec una alterius ope, niſi quum ſuperiore in arce milites ſiti premuntur, indigere videtur. Inferiorem arcem Turcæ, caſtris ad ripam Danubii longo ordine poſitis obſeſſam tormentis acerrimè verberabant, ut murus ab Orientali parte magno adaperto hiatu concideret.

Arx inferior deditione capitur.

Quo caſu noſtri, qui intus erant, territi, cum Turcis paciſci de deditione cepêre. Quos Mehemetes ita in fidem recepit, ut ſi ſuperior arx ſimili conditione, quod jam tum ſperabat, in poteſtatem redigeretur, præſidiarios utriuſque ſimul in tutum abire permitteret.

Cum tormenta ad excelſi montis culmen, non ſine ſummo ac difficili labore pervehi opus eſſet, nec jumenta, quæ agricolis imperata erant, ob maciem, quam ex hiberna pabuli inopia contraxerant, ea attrahere poſſent; Turcæ camelos, burdones, bubaloſque ſuos, è propinquis Budæ locis adductos, operi admoverunt, & adjuvantibus Janiceris atque Aſapis, ad cacumen montis, qui è regione Salinariæ turris eſt, attraxerunt, obſcuram noctem labori perficiendo deligentes, ne noſtrorum tormentis peti poſſent. Quibus attractis aggeribuſque conſtitutis, dies & noctes in mœnia pilas ferreas triginta pondo conjicere non ceſſarunt, adeo crebris ictibus, ut noſtris conſiſtendi in eis facultas omnis erepta eſſe videretur. Elapſis aliquot diebus Turcæ diruendis muris non contenti, cuniculos etiam ſuffodere cœpêre: ſed quum ſaxeum ſolum, & duriores rupes intermixtas reperiſſent, nec fodiendo quicquam proficerent, ad obſidionem converſi, aquam, quæ ab obſeſſis è Danubio petebatur, ne inferri poſſet, prohibuerunt. Vino enim abſumpto, ciſterniſque exhauſtis, & cœlo è nubibus expectatas pluvias pertinaciter denegante, noſtri vehementi ſiti premebantur; ita ut jam nemini eorum à quatuor vel quinque diebus ad ſedandas aridas fauces quicquam poculenti guſtare licuiſſet.

Aquæ vinique inopia in arce.

Quamobrem Amadeus his difficultatibus oppreſſus, ad noſtros duces, qui Comaronii erant, per nuncios Danubium naviculis ſilentio noctis, clam hoſtibus trajicientes, auxilia implorabat. Sed ii quum hoſtibus impares eſſent, ſeſe commovere non auſi, Viennam miſſis nunciis regios præſides ad majora auxilia mittenda hortabantur. Verùm ii quoque muniendæ urbi, ejuſque foſſis dilatandis intenti, ſe exercitu ad cuſtodiam urbis idoneo indigere, nec vires diſtrahere poſſe reſpondebant.

Præſidiarii ſiti tantum non enecti ſe dedunt.

Quorum quum Amadeus certior eſſet redditus, quamquam cætera validus, ab hoſtium conatibus non magnopere ſibi timendum cenſeret, quia tamen milites importuna intolerandæ ſitis difficultate exanimati ad defenſionem imbelles redderentur; ad recuſatas hactenus deditionis conditiones deſcendit, arcemque Mehemeti, qui ſecurum omnibus, quocunque vellent, iter ſe daturum jurabat, tradidit.

à Turcis fide violata nefariè trucidantur.

Sed Turcæ ſua conſuetudine feroces, fide nequaquam ſervata, in deditos & abire volentes irruerunt, omneſque ad unum trucidârunt, uno tantummodo Amadeo conſervato, quem Mehemetes ſuis manibus periculo ſubductum ægrè conſervavit.

Oroſfalva oppidi prærogativa.

Capto Viſſegrado, ac trajectis lento paſſu copiis & tormentis, Nogradum obſidione cingendum, oppugnandumque conſtituerunt, quatuor milliaribus à Vacia, ad cujus Epiſcopum antiquitus pertinebat, diſtans. Secundis caſtris ad oppidum Rutbenorum, quod Oroſfalvam vocant, eſt perventum. Illud oppidum ante quadringentos annos Colomanus Rex Pannoniæ, deductis, è Lodomeria & Gallicia Ruſſorum provincia, colonis condiderat, lege lata, ut cætera liberi eſſent portas duntaxat & januas Regum cuſtodirent; quod noſtra ætate obſervatum eſſe meminimus.

Nogradum a noſtris derelictũ Turcæ invadunt.

Mehemetes & Huſſaimus iis in caſtris præſidiarios

1544. rios Nogradi metu perculſos profugiſſe, & arcem ab iis vacuam relictam eſſe intellexerunt: quamobrem eam ingreſſi occupârunt, & valido impoſito præſidio, ſpeciem ulterius tranſire voleotium præbuêre. Unde Paulus & Ambroſius Daneii fratres, rati hoſtes recta contra ſe tendere, Hatuanam arcem, quam in oppido ejuſdem nominis habebant, ſubito pavore perculſi, incenſam deſeruêre: & Agriam intento curſu pervolavêre. Mehemes autem, quod locum Budæ proximum magni momenti eſſe prævideret, impoſito præſidio, Deli Curtum ibi præfectum reliquit, ac reſtaurare juſſit; nec diu poſt Velibegus iſthuc à Solymano miſſus eſt, quod agros Budæ ſubjectos adverſus Ungaros tueretur, & præcipuè Thomam Varencium, qui continuas ex Agriæ præſidio in Turcarum ditionem excurſiones faciebat.

Daneii fratres Hatvvanum incenſum deſerunt

Porro hac victoria, tantaque rerum gerendarum occaſione incitatus idem Mehemetes, Oſoram, Simontorniam, & Dobrogoſtum, haud procul oppido Tolnenſi, ſitas arces, eodem impetu, deſerentibus noſtris, occupavit, & ulterius belli terrorem circumtuliſſet, niſi cœptis ſuis modum imponens, Budam reverti maturâſſet, propterea quod eodem tempore noſtris in Illyrico bellum illatum eſſet, & ab eo auxilia, ac præcipuè Janicerorum aliquot cohortes ſubſidio mitti poſtularentur. Nam Ulamanes Boſnæ, & Malchus Hercegovinæ præfecti, Velicam arcem, iiſdem ferè diebus, tumultuariis collectis copiis, obſederant. Et quum agreſtes, qui in eā metu hoſtium ſeſe receperant plures numero eſſent, quàm præſidiarii, à quodam Andrea cognomento Pilato, Lupi Sempceu miniſtro, qui fortè eò profugerat, perſuaſi, contra voluntatem reliquorum militum, arcem hoſtibus tradiderunt. Et quum ob navatam operam, præmia & libertatem ac munera à Turcis expectarent, omnes extemplo trucidati fuêre, conſervatis militibus, ac poſtea pecunia ſe redimentibus. Nec multò pôſt, quum Ulamanes & Malchus Janiceros Buda miſſos in caſtra recepiſſent, Mons Claudius, quem noſtri Monoſſonem vocant, arx haud procul ab Ivanicia diſſita, quæ exiguo Petri Erdodii præſidio tenebatur, ſubitario incurſu & irruptione capta eſt: ita ut non parum terroris Chaſmæ & Dombroni Simonis Epiſcopi arcibus, ob vicinitatem hoſtium inferretur: qui tamen non multò pôſt, annis morbiſque gravatus è vivis exceſſit, ejuſque ſacerdotium, quod felicioribus temporibus admodum opulentū erat, Ferdinandus Nicolao Olaho, ſuo Cancellario, qui è Belgio ab Maria Regina, paulò ante redierat, liberaliter donavit.

Oſora præterea Simontornia, & Dobrogoſtū occupata

Ulamanes & Malchus Velicam in Illyrico arcem obſident.

Quæ ab agreſtibus turpiter Turcis prodita eſt.

Mons Claudius ab iiſdē captus.

Simonis Epiſcopi Zagrabienſis obitus.

Sed Ulamanes & Malchus, captis arcibus præſidio firmatis, fortunam ulterius tentandam arbitrati, itinere inter Criſium, & Ivaniciam facto, eam regionem provinciæ Varaſdienſis, quæ inter montes ſita, ac uſque ad Somſeduaram exporrecta, Sagoria appellatur, crudeliter populari, ferroque & igne vaſtare conſtituerunt. Quod quum Nicolaus Comes Zrinius, Illyrici prorex, ac Georgius Bildenſtanius Germanus, qui Stiriæ & Carinthiæ copiis præerat, ab idoneis exploratoribus didiciſſent, contracta & ipſi valida equitum manu, firmiſque peditum cohortibus, obviam hoſtibus euodum, collatiſque ſignis defendendam provinciam ſuſceperunt. Cum autem antecedentium Turcarum agmina Criſium prætergreſſa, è ſilvis continuis ad Conſcæ ſeu Selniciæ arcis planiciem, quamquam non ſatis latam, aut ſpatioſam perveniſſent, Zrinianæ ac Bildenſtanianæ copiæ, eis apparere cœperunt, quas cum hoſtes vidiſſent, vociferati & proclamare, petereque, ut indictis momentaneis induciis ex utraque acie conſpicui, & promptiſſimi militum infeſtis haſtis ſub publica fide concurrerent. Erat è ducibus Paulus Ratcajus, qui tale conſilium damnaret, & ſicut erat, fraudem dolumque ſubeſſe prædiceret: id enim à Turcis non aliam ob cauſam peti videbatur, quam ut copiæ univerſæ, quæ in denſioribus vaſtiſque ſilvis, lento gradu adventabant, ad præcedentes ſuorum turmas pervenirent, ac in noſtros toto virium robore, ſigna inferrent.

Nicolaus in locum ejus ſuffectus.

1544.

Dum in hunc modum concurrentibus noſtris & Turcis, haſtæ ad ducentarum numerum, adverſis pectoribus franguntur, ac nonnullis ſauciatis, cæteri incurioſius, quàm res poſceret, agitant, Ulamanes primò è ſilva cum ſuis prodit, ac inducias effluxiſſe, fidemque publicam defiiſſe proclamat, & in noſtros, ſolutis ordinibus diſperſos omnibus copiis irrumpit. Noſtri ſingulari animorum præſentia, cum eis pugnam ineunt, pedites è nemore ſclopetis rem gerere jubent. Sed Malchi ſuperventu, quum metu perculſi pedites terga vertiſſent, equitibus quoque repente animus concidit. Zrinius & Ratcajus eos retentare conati, fruſtra operam perdunt. Bildenſtanius quoque aliquamdiu Germanos pugnam ſuſtentantes animare conteodeos poſtremò à Turcis acriter inſtantibus funditur; & pedites quidē noſtri, ſaltibus & montibus protecti hoſtium inſequentium impetum vitavêre, equites quum fuga haud quicquam proficerent, equis deſilientes, exemplo cohortium in proximas ſilvas ſeſe pedibus proripuêre. Zrinius præſtantiſſimo vectus equo, quem Marcaſſum vocabat, cum diu reſtitiſſet, & ſuorum fugam ſiſtere vellet, equo vulnerato, ad Conſcam vicinam profugere coactus eſt. Et quum equus ejus à Turcis inſequentibus, alterum vulnus profundum circa ilia haſtæ cuſpide illatum ſuſcepiſſet, eoque magis debilitatus, ſupra arcis pontem concidiſſet, pedibus evadens in arcem receptus eſt. Bildenſtanius jam jam ab hoſtibus capiendus, relicto equo, in foſſam arcis præaltam inſiluit, parumque aberat, quin miſerabili caſu aquis immerſus interiret: niſi Stephanus Baletitius, qui nandi peritus una inſiluerat, non ferens virum inſignem ducemq; ſuum tam fœda & indigna morte extingui, opē opportunè attuliſſet; cumque comas ejus, quod detonſæ eſſent, manu capere non poſſet, barbam, quam prolixam gerebat, profundo aquarum gurgite exemit, attonitumque & aquas evomentem in arcem perduxit. Paulus Ratcajus, Stephanus Detſſius, Franciſcus Tahius, ac major pars noſtrorum in tutum evaſere.

Zrinii & Bildenſteinii copiæ à Turcis concifæ.

In ea pugna à noſtris male pugnata pauci militum deſiderati ſunt: quod peditatus ſilvarum & montium beneficio protectus integer effugerit: equites verò partim ad ſilvas, partim ad vallum & aggeres propinquæ arcis dilapſi, tormentis ex arce emiſſis defenderentur. Sed equorum, quos noſtri metu perterriti deſeruerant, magnus numerus in hoſtium poteſtatem devenit. Turcæ hac parta victoria à diripiendis incolis vaſtandaque provincia abſtinuêre: ac paucis ſuorum amiſſis, inter quos Demirhamus cognomento Spanacovitius, inſignis alæ Camengradianæ profectus fuit: qui in primo haſtarum concurſum cum Steph. Segovitio, Zrinii Comitis equitum præfecto congreſſus, ad ſalutandum & cum

1544. ſummo honore amplexandum Zrinium procurrerat, ac poſtremò in acie fuerat interfectus, Dubiciam atque inde Banialucam rediêre.

Strigonienſes Turcæ Levam capiunt & diripiunt.

Cæterùm detrimentum iſtud in Illyrico acceptum, Franc. Niarius cum cæteris limitaneis, cæſis in campo Salcano Turcis, qui Strigonio excurrerant, ſub id tempus reſarciviſſe exiſtimatus eſt. Nam Sabanus Strigonii alæ equitum præfectus, cum ſociis Cubate, Ramadano, & Naſuffo turmarum ductoribus, petita & accepta à Mehemete poteſtate lucente ſub noctem luna, Danubium trajecêre, eaque luce, brevi poſt deſinente, ad ripas Grani fluminis facto itinere, cum quadringentis Janiceris, & mille quingentis equitibus, ſummo ſilentio Levam pervenêre, & priuſquam ſentirentur, appoſitis ſcalis vallum oppidi, quod cratibus & materia conſtabat, ſubita irruptione cepêre, obviis quibuſcunq; trucidatis, aut captis. Nec mora, Janiceri equitibus permiſti, ad arcis portam expugnandā procurrere. Melchior Balaſſius, qui ducta uxore Gabrielis Levæ bello Peſtano, ut diximus, ictu tormenti diſcerpti, eo tempore arcem obtinebat, quum nihil de hoſtium adventu antea cognoviſſet, ſomno experrectus, gladio arrepto, nudus animandis ſuis ad portæ veſtibulum accedit; pugna fit atrox & cruenta; Sed quum Turcæ conglobati pugnarent, & à noſtris ſclopetorum & falconum ictibus facilè ſternerentur, relicta arce in oppidum redierunt, illudque equis, captivis, & cujuſvis generis rebus ac ſupellectili expilatum aliquot in locis incenderunt, ac demum reverti cœperunt.

Balaſſius conſcenſo equo, cum ſuis militibus, & Georgio Turio, quod auditis tormentorum bombis è propinquo Sagi caſtello advolaverat, eos inſequi cœpit, quum tamen hoſtes plurimos eſſe vidiſſet, vitata cum illis pugna, aggredi eos tantum voluit, quod cogendis retro agminibus relicti erant: quibus ductandis Cubates præerat, cum quo Petrus Gadocius Balaſſii armiger infeſta haſta congreſſus eſt, & uterq; vulneratus. Cecidit etiam ibidem ex noſtris Ambroſ. Boſniacus & duo aut tres alii. At Balaſſius conſpicatus hoſtes numero longè ſuperiores eſſe, adeo ut non dubiæ temeritatis eſſe duceret manum cum eis conſerere. Levam, unde venerat, retroceſſit. Sed quum Bartholomæus Chrovatus, qui Comaronii in præſidio erat, ab exploratoribus cognoviſſet, Turcas Levam de nocte profectos eſſe, id Franciſco Niario, qui non procul Surani erat, per expeditos equites maturè ſignificavit: atque is cum trecentis & quinquaginta equitibus, quos ad repentinum rumorem armare potuit, itineri ſe confeſtim dedit. Sed quum ad Curtum pagum veniſſet, non ſine gravi mœrore, Chrovatum de ſuo adventu hæſitantem, Comaronium reverti ſſe cognovit. Interea adductus eſt ei captivus Turca, qui via ancipiti & reoebticoſa à cæteris aberraverat, à quo hoſtes in reditu eſſe comperit: & ad revocandum Chrovatū extemplo citato curſu equites mittit. Copiis etiam Moravicis, quæ in æſtivis ad Vagum flumen circa oppidum Sellejū conſtiterant, ac ſuis, quos Surani reliquerat, militibus ſeriò mandat, ut maxima adbibita celeritate & feſtinandi diligentia ad ſe venire maturent. Qui quum abſq; mora e propinquis locis properantes adfuiſſent, hoſtes in veſtigio perſequi cœpit: quos cum haud multò pòſt in campis ad Salcam oppidum, (eſt locus inter Levam & Strigonium) aſſecutus eſſet: atq; ii viſis noſtris reperto vado Hippolum fluvium tranſiiſſent, noſtri eodem vado concitatis equis celeriter ſequuti ſunt.

Ibi Niarius ſuis ſiſtere pauliſper gradum juſſis, 1544.
ſub extremi ſupplicii pœna prohibet, ne turbatis ordinibus, quos in tres acies diviſerat, pugnam capeſſant: ſed ſervato militaris diſciplinæ tenore, ſimul in hoſtem inclinatis haſtis irruant, nemo ex eis ante hoſtium fugam ad capiendas manubias aut ſpolia feratur: nemo ad capiendum hoſtem equo deſcendat; Qua edicti ſeveritate promulgata, in hoſtem deferuntur, quum meridies eſſet, & pugna atrox, crudeliſque & diu anceps exoritur, ita ut neutro inclinante victoria adveſperaſceret, poſtremò occidente ſole, hoſtiū equitatus, deſertis Janiceris, terga vertere cepit; quod noſtri recentiores, eos & equos eorū longo nocturni diurniq; itineris labore fatigatos vehementius urgerent. Nam fervente adhuc pugna, Laurentius Zoltajus, Pauli Strigonienſis antiſtitis equitum præfectus, Huſainum equitum decurionem, quem Turcæ Odalbaſſam vocant, inter primos prælium cientem, ſuoſque adhortantem, haſta interfecerat: multique ſimul cum illo occubuerant. In ea fuga hoſtium, quum Janiceri ab equitibus deſerti profugere pedibus non poſſent, magna ex parte cecidere. Per hunc modum victoria, quæ diu in ancipiti ſteterat, propitio numine divino, ad noſtros inclinavit: qui hoſtes per nemora & montes, ac devia quæque fugientes, & palantes, venantium in modū perſecuti trucidare, cæſim punctimque occidere, deditos & ſupplices vincire & abducere: adeo ut ex equitum numero amplius quingentis, deſiderati fuerint: quum Janicerorum pauciſſimi Strigonium reverſi fuiſſent: neque enim vivum hoſtem quiſquam ante eorum fugam cepit, quod à Niario & ducibus fuerat interdictum: neque colligendorum ſpoliorum cauſa equo deſcendit: niſi pleno victoriæ proventu.

Niarius Turcas Strigonienſes cadit gatque.

Comitia à Carolo V. Wormatiam indicta.

Dum hæc in Pannonia & Illyrico geruntur, Carolus Cæſar ex Hiſpania triremibus Andreæ Auriæ ſolvens, proſpera navigatione Genuam venit; ac ex ea urbe Comitia Germaniæ principibus Vormatiam per literas indixit, ad quæ quum podagra impeditus, tempeſtivè venire non potuiſſet, Othonem Truxeſſium, Cardinalem Auguſtanum, & Fridericum Fierſtenbergū Comitem, qui ſuo nomine intereſſent, miſit: ejuſque verbis Ferdinandus, quæ in Comitio agenda eſſent, propoſuit. Et quum diſputatione, ac tergiverſationibus quorundam novæ religionis hominum, à Menſe Martio ad Majum uſque deliberationes delatæ eſſent, Cæſar poſtridie Iduum Maji Wormatiam venit, ac deliberari primo quoque tempore mandavit de vetere religionis doctrina, ac pace & jure ſtabiliendis, belloq; pro defenſione Germaniæ juxta ac Pannoniæ Turcis inferendo. Sed cum Cæſar & Ferdinandus, Proteſtantium interceſſione, quo nomine Lutherani dogmatis ſectatores vocabantur, nihil ab ordinibus ad bellum Turcicū contribui, nec bellum decerni animadvertiſſent, niſi ſublato conſilio generali, quod antea vehemēter urſiſſent, quodque à Paulo Pontifice Mantuam indictum erat, ac Cameræ Spirenſis, quam vocant, juriſdictione antiquata, quam Cæſar retinendam putabat; communi utriuſque conſilio, Gerardum Felduiccum, virum doctum & multarum linguarum peritum, Byzantium pro induciis ad Solymanum mittere decreverunt.

Veltvuickium.

Veltvuickius pro induciis ad Solymanum miſſus.

Qui quum Venetiis navigando per Dalmatas & Raguſinos, deinde per Macedoniam & Thraciam, terreſtri itinere eo perveniſſet, atque annuum amplius tempus ibi conſumpſiſſet, inſequentis anni æſtate, XII. die Aug. Ratiſponam

venit:

Anno 1545.

venit: ac Cæſari & Ferdinando, qui comitiis iterum celebrandis vacabant, retulit induciarum conſequendarum ſpem haud incertam apparere. Verum inter ſe & purpuratos Solymani conſiliarios, quaſdam difficultates eſſe ſubortas, de arcibus Joannis Regis, Petri Perenii, & Valentini Turci, quorum conjuges eiſque adjuncti alii nobiles, pro eis undecim millia aureorum ouinnium quotannis Solymani ærario inferenda promiſiſſent: Sed poſtea ad fidem & obſequia Ferdinandi redeuntes ea ſolvere recuſaſſent. Deinde de villis, quæ juxta conoumerationem cujuſdam Halulis Theſaurarii Turcici, quas ille capta à Solymano Buda confeſtim recenſuerat, equitibus Turcis, quos Spahios vocant, in ſtipendiũ diſtributæ eſſent, & ad utriuſque partis miniſteria obeunda, ac haud contemnendam ſummam pecuniæ contribuendam cogerentur. Se pro tollendis omnibus hujuſmodi controverſiis, ex quibus procul dubio bellum oriri poſſet, ac jure belli redimendo promiſiſſe honeſtum aliquod honorariumque munus, quotannis menſe Martio Solymano mittendum: remiſſumque à purpuratis cum iis mandatis, ut ſi Ferdinandus ea confirmet, quæ per Ruſtanum purpuratorum principem, eundemque Solymani generum, XIII. Junii Solymano propoſita, ac XIX. ejuſdem menſis die approbata eſſent, pacta ſtabilia fore: ſeque denuo ad perficiendam legationis ſeriem reverti oportere. Haidones, Uſcocos, Martalocios, qui latrociniis aſſueti, agris & populis utriuſque partis infenſiſſimi hoſtes eſſent, ſeverè coërcendos. Transfugas & proditores cujuſcunq; conditionis & ſortis homines ſint, utrinque reddendos, quo ſublata ſpe transfugiendi pax arctiùs obſervetur. Induciis iſtis includi Franciſcum Gallorum Regem, & ſenatum Venetum, Solymano confœderatos.

Veltvvickius peracta legatione Ratiſponam venit.

Difficultates de induciarum conditionibus.

Quæ quum à Ferdinando ex Cæſaris fratris conſenſu approbata eſſent, Felduiccus Ratiſpona Conſtantinopolim celeriter reverti, & negotio finem imponere jubetur. Qui ſecundo Danubio Belgradum delatus, indeque Byzantium profectus, induciis componendis ſedulam operã impendit, iiſque ad quinquennii ſpatium pactis, & iiſdem, quas diximus, conditionibus, firmatis, præmiſſo Vito Ugrinovitio, qui Saicatum trierarchum Comaronio ſecum abduxerat, Idibus Auguſti anno ſequenti rediit; relicto Byzantii de Solymani voluntate Hieronymo Adurno Præpoſito Agrienſi Ligure, qui ibi res & negotia Ferdinandi procuraret, cui brevi poſt ram legatione, quam vita functo, Joannes Maria Malvetius Bononiæ nobili ortus familia ſucceſſit.

Veltvvickius Conſtantinopolim remittitur.

Induciæ ad quinquennium pacta.

Quarum quidem induciarum rationes opportuno tempore compoſitas eſſe, paulò pòſt palam omnibus fuit: quandoquidem brevi ſubſequuto tempore graviſſimis ſeditionum procellis agitata Germania ferè omnis, a fide majeſtate Cæſaris ſumptis adverſum eum armis deſcivit: & quidam Pannonii proceres, maleſanis uſi conſiliis Ferdinando rebellarunt. Bohemiæ etiam populos, eadem ſeditionis rabies, ac dira rerum novarum cupido invaſit. Sed Cæſar formidabili petitus bello, quanquam initio parum paratus, ægrè in Vindelicis & Bavaria promptiſſimorum hoſtium impetum ſuſtineret: tamen poſtea converſa fortuna, ita bellum hoſtibus intulit, ut cum nuſquam juſto bello fuiſſet dimicatum, captis hoſtium ducibus, Saxone nimirum Friderico, & Philippo Heſſo, illud incredibili felicitate & gloria, nec minore celeritate confecerit. Ferdinandus etiam præter copias equeſtres, contra Bohemos & Germanos è Pannonia adductas, rebellantes ſubditos armis, & bello perſequutus, recentium cum Turcis induciarum ope & adminiculo adjutus non parvo labore perdomuit: caſtigatoſque & imperata facere coactos, partim dignis ſuppliciis, partim verò proſcriptione atque exilio mulctavit. 1545.

Malvetius Agens in rebus Ferdinandi Conſtantinopol.

Exorto bello Saxonico, quod principes Germaniæ, ac liberæ Civitates, quæ multæ, ac potentes ſunt, prætextu religionis, adverſus Cæſarẽ graviſſimum & formidoloſiſſimum ſuſceperant, quodque à Germanis Smalcaldicum, ob conjurationem diu quidem occultatam, ſed Smalcaldiæ apertè initam, vocatur. Ferd. è Pannonia equites conſcribi, & in ſubſidia fratris, ſuaque adduci curavit. De quo quidem bello, non eſt quod verboſius cuncta commemorem: ejus ſiquidem cauſas, initia, progreſſus & finem, plerique rerum ſcriptores, tam Germani, quàm alii, ſuopte ingenio, ſumma diligentia, fideque poſteris tradidère. Me res admonet, ut præter noſtorum res geſtas, quas memoriæ tradere conſtitui, cætera paucis diſſeram. Itaq; Nicolao Comiti Salmenſi, cubiculi ſui præfecto, & copiarum duci, quam in Bohemiam, cum Anna Regina & liberis diſcedens Viennæ reliquerat, in mandatis dedit, ut mille equites peltatos & haſtatos, levis armaturæ ex Ungaris, ſine mora conducat: eiſque Franciſcum Niarium recenti è Turcis victoria parta clarum præficiat. Tametſi autem jam autumnus præcipitaverat, tamen Salmenſis nihil cunctatus, communicato cum Niario, aliiſque conſilio, euſdem equites celeriter conſcribit, & Calendis Octobris numerato Tirnaviæ ſtipendio, via per Sacolcianos & Moravos facta, in Bohemiam ire jubet. Ducentos equites Niarius, quanquam podagra impeditus, legato Laurentio fratre ſibi adſcito, ductabat in qua peculiari decus turma clari nominis præfecti erant, Paulus Sarcandius, Joſephus Cavajus, Lucas Tarnoſius, aliiq; aliquot. Totidem egregiæ virtutis & fidei Thraces, Petrus Baquitius habebat, Franciſcus Zajus, Petrus Erdodius, totidem equites ducebant. Joanni Peteoni, ac Bartholomæo Chrovato ducenti quinquaginta parebant. Sebaſtianus Abſtemius è Sirmio oriundus, qui tempore obſeſſæ à Solymano Viennenſis urbis in claſſe Turcarum trierarchi munere functus erat, finitoque bello ad nos tranſierat, quinquaginta equites, & Franciſcus Gettejus, totidem ſub ſignis adduxerant: Sic ut numerus omnium ad mille centum & quinquaginta accederet, ac omnibus Franciſcus Niarius imperaret.

Anno 1546. Bellum Smalcaldicum

Equites Hungari Duce Niario, ſubſidio miſſi.

Item Thraces & alii.

1150. equites Hungari

Sub id ferè tempus menſe Januario, Ferd. Annam conjugem, dum Joannam filiam enixa eſſet, partus doloribus extinctam, graviſſimo luctu mœroreque ſuo Pragæ amiſit: eamque quinto pòſt die, quod & ipſa ſic voluerat, & imminentis belli rationes exigebant: ſolenni funere, ibidem terræ mandavit. Quum autem equites Ungari duce Niario Pragam veniſſent, eos in caſtra Cæſaris ire juſſit cum Bohemis, quorum ſex millia duce Alberto Slicco erant: cæteros, ut Henricum principem Plavium, ſuum in Bohemia Cancellarium, & Sebaſtianum Waitemullum, apud ſe retinuit, tanquam præcedentia ſuorum agmina ſubſequuturus. Cum ad ſilvam Slaccavaldiam Calend. Novemb. perventum eſſet, vias ſuccisis præaltis ramoſiſque arboribus, quas Saxones ſecuribus dejecerant, impeditas repererunt, armatiſq; cohortibus obſeſſas. Sed rejecto

Anna Regina partus doloribus extincta 27. Januar.

Anno 1547.

Bohemorum tumultus & defectio.

1546. hoſtium præſidio, repurgatiſque viis, quum ulterius itum eſſet, Bohemorum magna pars tumultuari, militiam recuſare, exauctorari ſe petere, quod legibus patriis extra ſuos terminos nequaquam arma cuipiam inferre tenerentur: quam quidem ſeditionem, ne adverſus Saxones ducerentur, concitâſſe videbantur, cum quibus occulta conſilia & fœdera conſociâſſe eos fama erat. Sliccus quum eos fidei & obſequii acrioribus verbis, poſtremò etiam conviciis admoneret, vimq; adhibiturus eſſet, ni parerent, ſumptis armis in eum irruerunt: ſed is fuga ad tabernaculũ Niarii facta, evaſit, eique attonito & conſilii inopi, Niarius expedito, opportunoque conſilio perſuaſit, ut dimiſſis ſeditioſis, quorum fides ſuſpecta eſſet, cum ſolis ſtipendiariis & mercede conductis militibus, una ſecum progrederetur. Cujus dictis pro tempore parendum cenſuit, & cum iis, qui ſe promptiſſimos obtulerant, iter proſequutus, ſimul cum Niario & Ungaris Zuiccaviã venit: ibique Mauritium Saxoniæ ducem invenêre, qui Cæſareanas partes ſequebatur, quique bello Peſtano ſecunda nominis fama militans egregiæ laudis decus retulerat, & Ungaris ducibus cognitus erat, is duo millia equitum & ſex peditum mercede conductorum habebat. Ungari duces maximo perfuſi gaudio notum ſibi principem adierunt, & conjunctis eum eo viribus in caſtra Cæſaris perrexerunt.

Advenit etiam paulò pòſt Ferdinandum una cum Maximiliano majore natu filio, & in urbe Egra Cæſari fratri, triduo poſt eodem venienti ſe conjunxit: & copias ſuas, imprimis autem Pannonios equites, varietate armorum, veſtiumque, ac haſtis, ſcutiſque diverſo colore depictis, nec non equis exotica crocei coloris tinctura variegans viſu dignos lætus oſtendit: illique jubente Cæſare, factis ludicræ pugnæ ſimulacris, in gyrum directumque curſum, more militiæ circumacti, jucundum ſui ſpectaculum præbuêre: inſpicientibus & collaudantibus ambobus fratribus, ac Maximiliano principe juventutis maximæ ſpei adoleſcente, Ferdinandoque Toletano duce Albano, qui poſt Cæſarem omnium copiarum imperium obtinebat. Egræ Niarius in valetudinem incidit, cum ſupra ſævos Podagræ cruciatus, quibus omnibus artubus captus laborabat, intolerandi etiam renum dolores & ſtillicidia periculosè acceſſiſſent. Itaq; permiſſu Ferdinandi domum reverſus eſt: ac ei in imperio copiarum Petrus Baquitius ſucceſſit: peculiarem

Baquitius Niario ægrotanti ſuccedit.

verò turmam ejus equeſtrem Laurentius frater & legatus ejus adminiſtravit: & copiæ omnes Pannoniorum totum hyemis tempus in caſtris Cæſaris agitavêre: atque cum Mauritio una aliquot oppida Saxonis, inter quæ Snepergum, & Altenburgum, ac alia pleraque occupârunt, ſingulari Cæſaris & Ferdinandi lætitia, cujus ſigna exploſis tormentis edidêre.

Deinde Cæſar & Ferdinandus, cum Mauritio & Auguſto ejus fratre, Saxoniæ principibus,

Anno 1547.

22. die Aprilis juſtis paſſibus, raptato exercitu Miſniam venêre, ubi tunc Fridericus Saxoniæ dux, ac factionis caput erat. Quo animadverſo, Saxo relicta urbe, ac ponte ſublimo ad Albim fluvium reſciſſo, prope Mulbergum oppidum ad Albis ripam caſtra poſuit. Cæſar autem cum eum Vitembergam petere exiſtimaret, quã opere & militari præſidio munitam eſſe cognoverat, copias ſuas gradum accelerare juſſit, quo citius ad Albim perveniretur. Itaque ad 24. diem Aprilis, Divo Georgio militi dicatum, ad Albim cum univerſis copiis venit: ita ut inter Cæſaris & Saxonis caſtra Albis lento curſu proflueret. Lantgravius autem Saxonis collega, alterque conjuratorum dux, eo tempore domum profectus à caſtris aberat: & Saxo diſpoſitis ad fluminis ripas ſtationibus & tormentis currulibus, ne Cæſar aut ponte effecto, aut vado fortè reperto flumen tranſmitteret, prohibere contendebat: & quum Cæſaris copiæ ad citeriorem ripam procurſantes, & vada inveſtigantes, viſæ eſſent, ipſe velut rebus ſecurus, audiendæ concioni vacabat. Re ſubitanea & hoſtium celeritate perterritus, & conſilii inops, pontem, quem ipſe è ſcaphis & lintribus efficiendum curaverat, ne hoſtes per eum tranſirent, incendi jubet: ac præmiſſis impedimentis, itinere Vitenbergico promotis caſtris procedere incipit. Sed Hiſpanorum peditum promptiſſimi ac rei gerendæ cupidiſſimi, ſclopetos & gladios extenſis manibus, aut ore mordicus tenentes, natando flumen ſuperant, & in alteram ripam, quamquam multis hoſtium glandibus peterentur, ſumma virtute & audacia trajiciunt, atque iſthic navigia, quæ ab injecto igne nondum corrupta erant: & alia, quæ fortè repererant, in citeriorem ripam transferunt, ex quibus pons tumultuarius ſumma celeritate confectus fuit. 1547.

Prælium inter Cæſareanos & Proteſtantes.

Sed interea aliquot equites Ungari, alio reperto vado tranſeunt; quo animadverſo Cæſar & Ferdinandus Petro Baquino, ut cum toto ſuorum equitatu ſine mora tranſeat, & tergis fugientium inſtando, eaque cædendo hoſtes remoretur, jubent, donec tota mole copiarum tranſiri queat: qui id impigrè exequutus, leviorẽ Hiſpanicum equitatum mox ſubſequentem, ſubſidio accipit. Nec mora Cæſar, qui in celeritate rem omnem conſiſtere videbat, relictis impedimentis & carris, ac peditatu ſubſequi juſſo, flumen incolumis tranſit: & deinde omnis peditatus ponte eum ſubſequitur. Saxo perterritus, & conſiliorum factorumq; ſuorum, quibus copias ad varia loca intempeſtivè diviſerat, haud parum pœnitens, quanquã ſuis, ut eminus hoſtes tormentis & glandibus ferirent, edixiſſet: quum tamen levis equitatus, & præcipuè Ungarorum haſtatæ turmæ, contempto omni periculo, copias ejus & caſtra ſumma virtute ac vi invaſiſſent; & Cæſar interim ac Ferdinandus duobus ſed longè validiſſimis agminibus, citato paſſu ſuperveniſſent fugæ ſeſe mandavit, initio à peditibus facto, quem quum Cæſareani, Hiſpani pariter & Ungari atque Itali integro curſu promiſcuè ſequerentur, Joſephus Lucanus Quinqueeccleſiis oriundus, Franciſci Niarii miles, Saxonem armis & criſtis conſpicuum aſſequitur, & acriter reſiſtentẽ, neſcius quiſnam eſſet, in facie vulnerat & capit. Sed ſuperventu Hiſpanorum, qui haud procul aberant, abripitur; Albano primum Cæſaris in exercitu legato, ac deinde Cæſari ipſi ſiſtendus. Joſephus pugionẽ ejus argento auroq; obductum, ac prægrandi in vaginæ extrema parte nodo inſignem ſibi retinet, ut eo detracti nobilis ſpolii ſigno, virtuti ſuæ teſtificandæ uteretur.

Lucanus Hungarus Saxoniæ Ducem vulnerat & capit.

Non ſum neſcius hunc capti Saxonis adverſæ fortunæ caſum aliter ab aliis tradi: ſed ego à noſtris, qui bello interfuère, in hunc, quem dixi modum narrari ſatis memini. Addebant Joſephum clari hujus facinoris ergo in equitum auratorum, quos vocant, numerum à Cæſare, ritu ſolenni adſcitum, & torque donatum, quẽ ſimul cum pugione ad hæredes in perennem facti memoriam tranſmiſiſſet. Landgravius haud multò pòſt cum ad Cæſarẽ veniſſet, in cuſtodiam miſſus fuit: ita ut Cæſar incredibili felicitate, captis hoſtium ducibus, caſtriſq; & tormentis omnibus in po-

Landgravius cuſtodiæ mancipatur.

1547. poteſtatem redactis, memorabili & incruenta victoria ſit potitus: quum ex ſuorum numero vix quinquaginta milites deſideraſſet. Captivorum, præter multa, quæ ceciderant, millia ingens numerus fuit: & prædæ ſpoliorumque uſque ad admirationem vis maxima, ut nemo ferè ex Pannoniis militibus fuerit, qui non abundè tantummodo expletus; verùm etiam ditatus domum redierit. Joannes ſanè Cruſitius, Petri clariſſimi viri, quem ad mare Adriaticum à Turcis cæſum diximus, filius, opulentiæ & divitiarum ſuarum initia, ejus pugnæ ſucceſſui accepta ferre haud inficiabatur: qui ea tempeſtate turmæ equitum Bartholomæi Chrovati ſignifer erat. Joanni quoque Peteoni, hinc dignitatum & honorum exordia atque incrementa profluxère.

Spoliorũ copia, quibus Ungari ditati.

Poſt tantam victoriam, propitii numinis divini benignitate partam, Witemberga quoq; deditione militum præſidiariorum Cæſari ceſſit, quam paulò pòſt Mauritio donavit: & illinc Ferdinandum fratrem in Bohemiam remiſit, quod in ea Pragenſes ac alii quidam populi, duce & concitatore Gaſpare Flugio, res novas moliri & victoriæ Cæſaris ignari, ad Saxonem inclinare dicerentur: cum quo una equites Pannonii redière! quorum duces Cæſar equeſtris dignitatis titulo cohoneſtatos ac aureis torquibus decoratos liberaliter dimiſit: cæteriſque omnibus menſtruum ſtipendium diſcedentibus donavit. Priuſquam diſcederent, Joannem Peteonem, cæteris eloquentiorem, ac rerum aulicarum gnarum, omnium nomine in hunc modum locutum, ejuſque verba ungarico ſermone prolata, Nicolaum Olahum Ferdinandi in Pannonia Cancellarium, Cæſari interpretatum eſſe accepi.

Witemberga capitur.

Bohemorum motus.

Peteonis oratio ad Cæſar. commilitonum nomine.

Vel tacentibus nobis, Cæſar invicte, nôſti, quanto in periculo regnũ Pannoniæ à fratre tuo Ferdinando, Rege noſtro, clemẽter gubernatum verſetur; quantiſq; Turcarum armis & viribus, quotidiana veluti tabe conſumptum, ad extremã perniciem ruat: adeo ut niſi tu Dei O. M. benignitate ſubſidioque adjutus, primo quoq; tempore ſuccurras, eo fœde amiſſo, quod cæteras Chriſtianæ Reipublicæ provincias, ac vicinam imprimis Auſtriam, tuum & fratris tui, Regis noſtri, patrimonium hactenus ſumma rerum ſuarum jactura & ſanguine, quantum potuit, defendit: non ſolum regnis tuis & provinciis; ſed quod horret animus referre, ſacris omnibus, religioni, pietati, aris & focis eorum omniũ qui Chriſtiano nomine cenſentur, quorum tuendorum cura tibi ante omnes alios incumbit, dira clades, calamitatumque omnium, quæ dici aut excogitari poſſunt, concurſus parabitur. Neq; te latet quanto virium robore, atq; adeo barbaricæ vanitatis faſtu, Auſtriam repentis vicibus adorti vaſtaverint; quibus niſi invicto exercitu tuo occurriſſes, actum de ea jam tum fuiſſet; cum adventum tuũ expaveſcentes, nec congredi tecum auſi, infami itinere & fugæ haud abſimili retroceſſerunt.

Poſtea ante paucos hoſce annos, quorum recentiſſima eſt memoria, eodem nimirum ferè tempore, quo tu in Africã valida claſſe inſtructa trajeciſti, ut Hiſpanos tuos eorundem hoſtium prædatoriis navibus vexari ſolitos eriperes, abſentiæ tuæ, uti credi par eſt, occaſione ſublatis animis, Budam priſcorum principum noſtrorum Regiam, fama toto orbe celebratam, non vi & armis, ſed aſtu & fraude deceptis & procul relegatis, qui eam tuebantur, ſingulari perfidia occupavère. Nec multò pòſt à Gallis perpetuis hoſtibus tuis (ſicuti ad nos certis auctoribus allatum fuit) ſolicitati, ruptis doloſè induciis, quas cum eis habebamus, tres clariſſimas urbes, tria patriæ noſtræ munimenta, aliaſque ampliſſimas ditiones, uno atrocis belli, veluti fulminis ictu, in poteſtatem redegerunt; tanta crudelis elatiq; ingenii ſuperbia, ut contra omnium gentium jura, contra fas fidemq; datam, cæſis & trucidatis, vel in diram ſervitutem abductis aliquot gentis noſtræ principibus, trophæum de ſubacta Pannonia ſtatuiſſe, & de Germania (quod Deus avertere velit) mox ſub jugum mittenda, ſpem haud dubiam concepiſſe videantur. Regnum profectò adeo eorum tyrannide & ſævitia deformatum reddiderunt, ut quod non ita multo ante florens, illuſtre, clarum & potens erat, rerumq; geſtarum ſplendore & gloria, ad cœlum uſque pertingere videbatur, nunc converſo ordine, omnibus ſpoliatum ornamentis & divitiis, lacerum, conculcatum, in exitium adductum, omnium rerum, ſed maximè conſilii inops, uſque adeo miſerabili ruina concidit, ut omnis antiquæ virtutis imago obſoleta, & omnis in eo belli ardor extinctus ſit: priſtinaque ejus facies ab intuentibus, ſine ubertimis lachrymis dignoſci nequeat. 1547.

Hujus autem afflictiſſimi regni ſpes omnis in te uno ſita eſt; tu qui invicti animi fretus altitudine, nihil unquam timere, ſed ad ardua quæque tendere didiciſti, nos in has diræ calamitatis miſerias collapſos, Dei immortalis ope, tuaque inſigni virtute & felicibus armis, recuperare, & à belluina barbarorum feritate vindicare potes. Hanc abs te barbaris inferendi belli conditionẽ Chriſtiana imprimis Reſpub. poſtulat: deinde Ferdinandus, quem hic præſentem cernis, tuus frater, Rex noſter, magnanimus princeps orat, & exigit: nos verò miſeri Pannones, tam malè à fortuna mulctati, & ferè in nihilum redacti humiles petimus, & ſacris tuis genibus provoluti ſuppliciter flagitamus. Valeat apud te, Cæſar invicte, eximium tuendæ atque amplificandæ veræ religionis ſtudium, valeant Ferdinandi preces, & noſtræ uberes, continuæque lachrymæ: valeant Chriſtiani orbis vota & deſideria, quibus te ærumnarum ſuarum acerrimum vindicẽ, & publicæ libertatis unicum aſſertorem, multis cum ſuſpiriis expoſcunt. Aderit votis armiſque tuis promovendis Deus noſter Chriſtus O. M. ac Diva Virgo parens ejus, omneſque cœlites, juſtum ſacri belli claſſicum concitanti, & memorandam per omne ævum victoriam concedent: qui nunquam non præſenti numine, ut aliis omnibus cœptis tuis, ita hoc, quod nunc rara felicitate cõfeciſti, bello quam ſecundiſſimè adfuerũt.

Cæſaris opem adverſus Turcas implorat.

Ad ea Cæſar gravi ſermone reſpondit, ſe Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitate, nihil unquam prius potiuſque habuiſſe, neque aliud ſummis votis ſuis optâſſe, quam ut pace & concordia inter Chriſtianos principes ſtabilita, arma in communes hoſtes barbaros verterentur, cujus voti atque inſtituti ſui præclara exempla, rebus adverſus Turcas in Græcia & Peloponneſo atque Illyrico, denique in Auſtria, poſtremò verò in terra Africa geſtis oſtendiſſe. Sed ut ipſis quoque Pannoniis, atque adeo totius Chriſtiani orbis principibus, & populis palam eſt, ſemper laceſſitum Gallorum injuriis, & ab incepto rerum gerendarum curſu retractum fuiſſe; illos ſuperioribus ſæculis cum ſuis etiam majoribus acerbiſſimas ſimultates exercuiſſe ſemper: & ſibi demum ac amplitudini, & potentiæ ſuæ invidiſſe, & obtrectâſſe: quove magis ſibi & Ferdinando fratri nocere poſſent, evocatum noviſſimè ab ipſis in

Cæſaris reſponſum.

1548. Pannoniam, ambitioſa malignitate, Solymanum Turcarum principem, ad non dubiam Pannoniæ juxta ac Reipublic. Chriſtianæ, perniciem. Daturum tamen ſe operam diligentem, Deo bene juvante, propediem ut ſeſe ac jura ſua à Gallis ſolerti ratione & cura tueri poſſit efficereque, ut eoſdem à maleficio & contumeliis inferendis abſtinere cogat. Proinde ipſos, quorum clades & calamitates ſibi graves moleſtæque imprimis accidant, optimam certiſſimamque de ſe ſpem concipere debere, ut cum primú ſe hiſce curis expediat, omnes vires & copias, omnemque induſtriam ſuam in defenſionem ipſorum, & vindicandos ab injuriis barbarorum Ungaros converſurus ſit: & una cum Ferdinando fratre, maturam ipſis laborantibus opem allaturus. Deinde data ſingulis ferè dextra, felicem & fauſtum reditum precatus, blando comique vultu omnes dimiſit. Petrum verò Baquitiú, quod minimè prætermittendum videtur, cui domi cum Franciſco Revajo, de arcis Holicianæ poſſeſſione lis & controverſia intercedebat, Ferdinando amanter commendavit: ita ut virum militarem, & qui ipſorum in conſpectu egregiam in tranſeundo Albi, fugandiſque hoſtibus operam impendiſſet, etiam Cæſaris ipſius ratione habita, ſublevandum ac adjuvandum vellet. Quod poſtea Ferdinandus, fraternæ commendationis haud immemor, facta inter diſſidentes concordia opportunè adimplevit.

Baquitius a Cæſare fratri eximiè commendatur.

Reverſo in Bohemiam Ferdinando, & jam ad Lithomericiam oppidum appropinquanti, nunciatur Pragenſes in armis eſſe, & ipſum ingreſſu urbis prohibere conſtituiſſe. Quo nuntio nonnihil perturbatus, Baquitium cum equitibus Ungaris adverſus eos miſit, adjuncto ei cum mille equitibus cataphractis Carolo Serotinio Moravo, quem Ungari à puſillæ ſtaturæ modo, Carolum parvum vocabant, uti locorum & urbis regionumque perito, eiſque, niſi poſitis armis imperata faciant, extrema quæque denunciavit. Quibus tamen quum Pragenſes armati occurriſſent, & majori ex parte obſoletis armis, ac trituratoriis flagellis, quæ clavis infixa ferreis erant, ridendum in modum uterentur, facilè à noſtris, qui militaribus armis, & ſclopetis manuariis ab ephippio pendentibus, thoraceque ferreo & galea muniti erant, rejecti, repulſique fuêre. Multi in fuga cæſi, multi capti. Sed quum in urbem præcipiti fuga attoniti, & extremo pavore perfuſi profugiſſent, portaſque clauſiſſent, noſtri repertis in flumine quod urbem interfluit, vadis, celeriter tranſeuntes, longè majori crudelitate in obvios quoſq; graſſati, cædibus & rapinis omnia complevêre: & ab eis, quos in pugna & in urbe ceperant, multum auri & pecuniæ extorſerunt, atq; ita mulctatos poſtea dimiſerunt.

Bohemi a Baquitio & Serotinio equitibus cæſi.

InterimFerdinandus cum reliqua parte exercitus ad urbem venit, & reductis jam in fidem & obſequium civibus, in arcem recta conſcendit: ibiq; ad ſextum diem Julii convocatos Pragenſes, læſæ majeſtatis crimine damnat, multos ex iis, qui ſeditionis auctores fuerant, extremo ſupplicio affici mandat: à multis magnam pecuniæ ſummam extorquet; citatos vero & ad nomina non reſpondentes in exilium pellit: Cereviſiæ vectigal, quod ad tres annos promiſerant, perpetuum eſſe jubet: tormenta & bellicum omne inſtrumentum, tam publicum, quam privatum, in arcem ad ſe comportari imperat: portas urbis civibus adimit, & incuſtoditas diu noctuque patere decernit, ſe & poſteris ſuis inſciis prohibet, ne cum ullo principe ullave Republic. fœdus feriant: ictum cum Saxone & ejus ſociis, reſcindit & antiquat. Gaſparem Flugum, ſeditioſorum anteſignanum, perpetuo exilio mulctat, decreto ejus percuſſoribus non contemnendo præmio. Quæ poſtulata, quum ipſi majorum malorum metu omnia rata fore promiſiſſent; res ſedatæ ipſique in gratiam recepti. Aliæ etiam Civitates, & nobilitas pleraque, ad eundem modum, abſque conditione ſeſe dediderunt: atque iis peractis, Ungari equites Praga dimiſſi, domos quiſque ſuas repetiverunt, ſtipendiis & ſpoliis undecunque refertı. 1548.

Pragenſes à Ferdinando malè mulctati.

Poſt finem belli Saxonici Ferdinandus ordinibus Pannoniæ, qui erant è tot calamitatibus & cladibus reliqui, Tirnaviam Comitia indixit, ad menſem Novembrem; Et quoniam ad Comitia Germaniæ à Cæſare Auguſtam Vindelicorum indicta ad Calendas Septembris ei neceſſario erat veniendum, Nicolaum Comitem Salmenſem & Thomam Nadaſdium loco ſui Tirnaviam miſit: qui abſentiam ſuam excuſarent, & comitiis præeſſent. Quibus quidem Comitiis ad benignas Ferdinandi preces ruſticis libertas migrandi ad alia loca, quàm bello Cruciato, Uladislao regnante, amiſerant, antiquata perduellionis lege, reſtituta eſt: quamquam eſſent plerique, qui minimè abrogandam magna contentione cenſerent. Quæ res Ferdinando admodum grata fuit: & agreſtes eum ut libertatis ſuæ aſſertorem, juſtiſſimis laudibus in cœlum extulerunt: & latæ legis beneficio hactenus utuntur.

Comitia Tirnavia indicta.

In quibus ruſticis alio migrandi libertas conceſſa.

Deinde ad querelas varias, ut fit, deventum eſt, inter quas frequens Comitiorum ordo, graves & enormes Matthiæ Baſonis ruinas, furta; viatorum & mercatorum, ac aliorum omnium promiſcuas cædes & ſpolia, ac in Poloniam uſque & Sileſiam exercita latrocinia publicè propoſuit: ac ut eis avertendis, ac plectendo Baſoni remedia adhiberentur, ſupplex flagitavit. Ciſdanubiana quoque Nobilitas, ac Civitates, quas Montanas vocant, in quibus aurum & argentum effoditur, Melchiorem Balaſſium ſimilium latrociniorum & rapinarum criminibus haud falſo inſimulatum accuſabant. De quorum vitiis & inſolentia, ut omnia ad cognoſcendum clariora in aperto ſint, altiùs repetendum videtur.

Baſonis & Balaſſii rapinæ & ſcelera accuſata.

Jacobus Tornalius, quamquam in numero equeſtris ordinis eſſet, tamen inter proceres cenſebatur: quod divitiis, opibus, ac gratia Joannis Regis, cujus partes ſequebatur, multis præſtaret. Is cum morbo oppreſſus ultimum vitæ terminum adeſſe cerneret, condito teſtamento, Matthiam Baſonem, veterem ſuum clientem, quadrimi filii atque unici Joannis tutorem reliquit: eique Muranum arcem ſuam, in editiſſimo monte ſitam, cum alia ditione ſua, uſque ad legitimos pupillianos, gubernandam commendavit: adeo ut brevi poſt, omnium rerum ſumma ad eum reſpiceret, ipſeq; omnibus pro libidine dominaretur. Et ut erat homo omnium peſſimus, ac ſupra profundam ambitionem, alieni quoq; appetentiſſimus, quum puer ad duodecimum ætatis annum perveniſſet, quo eo amoto liberius id quod cogitaverat exequeretur; eum in aulam Joannis Tarnovii ſummæ claritatis & potentiæ inter Sarmatas reguli tradidit, eo prætextu, ut ibi educatus, ac diſciplina militari imbutus, firmiori ætate ad paterna bona reverteretur: re autem vera, ut illo in ſpeciem diſcendi emoto, ipſe rerum potiretur. Cum in hunc modum puerum ablegaſſet,

Baſo à Tornalio filio ſuo tutor relictus rem peſſimè adminiſtrat.

ipſe

1548. ipſe neglecto boni viri, tutoriſq; officio, eos, qui pueto ſidi votis ſuis obſtare videbantur, falſis objectis criminibus, capitali ſupplicio affecit: alios variis artibus circumventos oppreſſit. Sublatis eo modo æmulis, bona aliena per vim rapiendo, ac inſidias viatoribus obſeſſo itinere nectendo, in vicinos graſſari cæpit: deinde conductis Ruthenis & Polonis prædonibus, non in ſolis Pannoniæ ſilvis & montibus, ſed etiam propinqua Polonia & Sileſia, poſtremo etiam in Moldaviæ finibus latrocinia exercendo, magnas divitias cumulavit. Cum vicinis autem, & potiſſimum Franciſco Bebeco, viro acri & injuriarum impatiente, apertas inimicitias palam exercuit, & ubi ſe occaſio tulit, ejus bona rapere, ferroque & ignibus vaſtare cepit, quod in Pannoniæ regno capitale, & legibus prohibitum eſt.

Latrocinia ejuſdem.

Haud diſſimili ratione Melchior quoq; Balaſſius, pares inſolentias & rapinas exercebat. Nam quum viduam Gabrielis Levæ duxiſſet, & Levam arcem, quæ pupillum illius Johannem, decimum ætatis annum agentem reſpiciebat, in poteſtatem redegiſſet, Chabtagum, ejectis per vim Petri Palffii curatoribus occupavit, ac prædonibus præſidio impoſitis, vicina loca rapinis ac latrociniis infeſta reddere non ceſſabat. Situiam montem extructo in ejus editiſſima parte caſtello, ſimili aſtu occupavit, & ex eo Civitates Montanas, veluti continua obſidione fatigatas, ad rerum omnium deſperationem coëgit. Deniq; currum publicum, in quo multa argenti & auri infecti pondera Cremniciam è Semnicio ad cudendam monetam perferri ſolent, prædonum manu immiſſa, & cæſis equitibus, qui ſecuritatis cauſa illum comitabantur, diripere voluit, parumque aberat, quin nefarium facinus perficeretur, niſi prædones arcam ferream, in qua aurum & argentum erat repoſitum, malleis & ſecuribus pertundentes, concurſu armatorum civium repulſi & rejecti, in denſiſſimas ſilvas profugiſſent: Gregorium quoque Babindalium, qui pecuniam publicam in Barſienſi provincia colligebat, captivum factum Levam perduxit, & duo millia aureorum nummum, quæ in fiſcum referri debebant, abſtulit, & ab eo compedibus præter meritum vincto altera totidem millia petebat. Qua rerum indignitate permotus Ferdinandus, ſervandæ inter ſuos quietis & tranquillitatis ſtudio, eoſdem frequenter admonuit, ut ad meliora conſilia animum applicarent. Sin vero nollent, ſe in eos jam non legibus quas enormibus factis ſprevissent & conculcaſſent; ſed vi atque armis animadverſurum.

Balaſſii crimina.

Verum tantum abfuit, ut modum flagitiis ponerent, ut is ſecretis conſiliis ad Turcarum opem implorandam, miſſo ad Nogradi præfectum Mehemetbegum Johanne Rednecco, confugeret: ille vero Maurani arcis munitiſſimæ mœnibus confiſus, mandata regia, ac acerbas publicarum querelarum pœnas flocci pendere videtur. Itaq; Ferdinandus juſtâ irâ exacerbatus, eos, ut qui contra leges, moreſque majorum omnia temere turbulenter, per vim per furorem feciſſent, publicis omnium ſuffragiis proſcribendos curavit, & Nicolao Comiti Salmenſi copiarum ſuarum duci in mandatis dedit, ut coacto exercitu, & ſupplicio de proſcriptis rebellibus ſumpto, videret ne quid reſpub. detrimenti caperet. Is brevi milites è confiniis evocat, novos ad ſtipendia conſcribit, & centuriat, ac variis ducibus regendos diſtribuit; ita tamen ut omnes Urieli Martinio parerent. Dat etiam in mandatis Vincentio Gregorocio, Lupo Pecio, Gregorio Abſtemio cognomine Literato, & Matthiæ Martalino, ut ſingulas peditum centurias in caſtra adducant; Hiſpanicas etiam veteranorum cohortes tricenarias quatuor, Gaſpare Caſtelluvio, ex inſula Sardinia oriundo, ac Petro Zapata ducibus, qui ab aliquot annis in Pannonia militaverant, ad certum diem in caſtra convenire jubet. Germanis præerat Ulricus Eberſtorffus, qui ſeptem peditũ ſigna ducebat. His accedebant equites Franciſci Bebeci, & nobilitatis, quæ in provinciis Gemerienſi & Nogradienſi, de Legum præſcripto, cum neceſſarium eſſet, arma capere, & in bellum proficiſci debebat. Erat ſumma omnium, qui in Salmenſis caſtris habebantur ad quinq; millia bellatorum; qui tamen numerus paulò pòſt duplo ferè auctus eſt, concurrentibus ad arma omnibus, qui tam in ſuperiori, quam Ciſdanubiana Pannonia à Baſone & Balaſſio, variis injuriorum & contumeliarum generibus affecti erant. Tormentorum & belli inſtrumentorum tantus etiam erat apparatus, qui abunde ſuffecturus eſſe cenſeretur. Curando commeatui Auguſtinus Sbardellatus Epiſcopus Vacienſis præficitur.

Uterque publicis ſuffragiis proſcriptus.

1548 *Salmenſis copias adverſus eos ducit.*

Interea dum copiæ conveniunt, mittitur legatus ad Mehemetem Jahioglim Budæ à Solymano conſtitutum ducem Johannes Deſeffius, qui nomine Ferdinandi illum edoceat, ſe & copias ſuas contra induciarum pacta nihil prorſus moliri; Sed eſſe quoſdam rebelles Baſonem & Balaſſium, publicis votis & ſuffragiis proſcriptos, & criminis læſæ majeſtatis damnatos, in quos, ut legibus immorigeros, vi & armis animadvertere conſtituiſſet; proinde illum recte facturum, ſi ſe ac ſuos milites, ſi forte exules opem implorarent, ab ea ferenda contineret. Mehemetes quum ſe neutri parti auxilio futurum, ſed otioſum fore ſpectatorem pollicitus eſſet; Salmenſis caſtra lento itinere promovet, ac Eberſtorffium cum Germanis peditibus, adjuncto et Bartholomæo Hornati novitio præmittit: & ut Situiam admotis tormentis obſideant, jubet. Qui quum eo veniſſent, ita copias partiri placuit, ut Eberſtorphus cum Germanis ad attrahenda in excelſum montis cacumen tormenta relinqueretur: ipſe cum Ungaris & ſuo peculiari equitatu, in montem conſcenderet, ac ubinam collocanda tormenta, & quanam parte mœnia verberanda eſſent, propius diſpiceret. Quo conſilio approbato ab omnibus, Bartholomæus in conſpectum arcis conſcendit.

Situia à Comite Salmenſi obſeſſa.

Præerat ei Lucas Mactius cum juſta manu militum, quorum major pars ex Haidonibus prædæ aſſuetis conſtabat. Inter eos Urbanus, Baccus cognomine, centurio noſtros conſpicatus, continere nequivit, quin ad dimicandum cum ſua centuria egrederetur. Pugna atrox oritur; ſed noſtris tam numero quam virtute ſuperioribus, Situiani funduntur, multi occumbunt, Urbanus vulneratur & capitur: ac una cum eo milites LVI & ſigna duo cum ſigniferis in noſtrorum poteſtatem veniunt. Vix tertia pars è prælio in arcem præcipiti fuga fertur. Nec mora, qui in præſidio erant ſociorum clade perculſi, & retinente Mactio, de deditione proloqui cepere, cum quibus haud cunctanter tranſactum eſt, & qui ſupererant, dedita arce incolumes dimittuntur, ea lege ne ſub capitis pœna contra Ferdinandum arma ferre auſint. Hunc in modum Bartholomæus arce potitus, Eberſtorffo eam eſſe in poteſtate nuntiat, & ne in provehendis tormentis ſe ac milites inani labore fatiget,

Et ſtatim dedita.

1549. admonet, ſimul Salmenſem de iis, quæ egerat, certiorem reddit.

Eo proſpero victoriæ initio, veluti bono lætoque omine exhilaratus Salmenſis, caſtra verſus Levam promoveri jubet; cumque Eberdorffum ac Bartholomæum in caſtra recepiſſet, iter illuc ſuſcipit. Horuatinovitium autem ad Chabragum ire jubet, non tam ejus oppugnandi cauſa, quam ut obſidendo, ac vigilando neminem ingredi, aut portis exire, aut commeatum aliquem obſeſſis inferri permitteret, donec ipſe cum omnibus copiis ſubſequeretur. Adventu Salmenſis per exploratores cognito Balaſſius, qui hactenus ſpe ſumma defendendæ Levæ hoſtium adventum expectaverat, quum Siniam tam alto montis cacumini impoſitam, militeque & rebus neceſſariis tantopere munitam, hoſtibus tam repente ceſſiſſe miraretur, fractum animum deſpondit, & relictis in præſidio ſuis, in Tranſilvaniam profugit: quo antea conjugem & liberos præmiſerat, Thoma Dacione Levæ præfecto conſtituto, quem adſerendæ maturæ opis ſpe oneratum ſummis precibus oravit, ut interea arcem ſibi conſervaret, donec idoneis Turcarum, & amicorum è Tranſilvania auxiliis comparatis reverteretur.

Leva ſtrenue oppugnatur à noſtris.

Balaſſius in Tranſilvaniã profugit.

Interea Salmenſis caſtra lentis paſſibus, ſed longo ordine exporrecta adventare conſpiciuntur, nec procul ab oppido collocantur. Erat dies altera Reſurrectionis Chriſti, qua Salmenſis nullam moram, aut quietem hoſtibus dandam arbitratus, aggeres de more extrui, & in iis corbes conſtitui, interque eos majoribus colubrinis collocatis, mænia duobus è locis verberari jubet. Obſeſſi haud minori alacritate, quæ ad defenſionem pertinebant, curare, vigilias in ſtationibus diſponere, tormenta per muros & propugnacula idoneis in locis ſtatuere. Sed quum mænia vetuſtate corrupta, ob idque debilia eſſent, haud facile tormentorum ictus perferebant. Verum ab obſeſſis, ea, quæ interdiu hoſtes diruebant, nocturno indefeſſoque labore terra ac materia comportata reſtaurabantur. Jam vigeſimus tertius dies oppugnationis prætereierat, non ſine Salmenſis ac cæterorum ducum indignatione, qui locum, minime, uti rebantur munitum tamdiu vim tanti exercitus ſuſtinere poſſe non crediderant. Interea Hiſpani milites tormenta ad montem arci imminentem, cujus in extrema parte rudi veterum artificio illa condita eſt, attraxerunt: & Salmenſis ab Occidente, adverſus portam aggeres & majora tormenta collocavit: ex quibus arx duplici & majori quam antea vi atque impetu, pilis ferreis dirui cepta eſt: quorum mortiferis ictibus muros penetrantibus milites introrſus ſauciari, aut plerumque interfici contingebat. Nec Hiſpani quicquam prætermittebant, quin è ſuperiori monte ſclopetos tanta peritia collimarent, ut obſeſſi muris & propugnaculis defendendis arcerentur, nec in iis conſiſtendi aut ſeſe tuendi facultatem haberent.

Nec multò pòſt Salmenſis quamquam mænia adeo diruta eſſe cerneret, ut irrumpi poſſe haud deſperaret; Chriſtianorum tamen militum miſertus, eorumque cædi & ſanguini, quantum poſſet, parcere cupiens, eis, ſi arcem dederent, incolumitatem & liberam, quo vellent, abeundi poteſtatem per præconem offerri juſſit: quam poſtea, ſi in pertinacia perſiſterent, nequaquam eſſent obtenturi. Sed illi inducias unius menſis, intra quem Balaſſio obſequia ſua fidemque abeunti præſtitam renuntiarent, poſtularunt. 1549. Quam moram Salmenſis iratus nequaquam conceſſit, quod eam fraudulenter peti exiſtimaret, & irruptionem duobus è locis, quibus mænia diruta hiatum fecerant, extemplo fieri jubet. Sublato clamore Ungari pedites, Germanis permiſti, mænia aggrediuntur: incluſi etiam ſimili vociferatione reſpondere non dubitantes, arma expediunt, & vehementi acerrimoque impetu ſeſe atque arcem tuentur. Sed noſtris acrius inſtantibus, ac novis ſubinde militibus ſuccedentibus, Balaſſiani, multis ſuſceptis vulneribus, multiſque interfectis, vehementer laborare cœperunt: interfecto ibidem cum ſociis Andrea Parvo, qui portarum cuſtodiis præerat, Thomas Dacio arcis & militum præfectus, incondito clamore excitus, verſus portam adcurrit: ut ſociis laborantibus ſubveniret. Sed quum jam vexilla hoſtium per dirutos muros in arcem illata, ac majorem ſuorum partem cæſam aut diſſipatam vidiſſet, per ruinas deſiliens in lacum, qui juxta oppidum eſt, ſeſe præcipitem dedit, & capite duntaxat extante, è mediis aquis ſeſe dedidit.

Ea in pugna ſpectante Salmenſi Johannes Cavaſius interficitur, Vitus Chrovatus, Blaſius Turcus, & Demetrius Coroſcoſius glandibus trajecti cadunt. Thomas Nemeſſius ſuſcepto gravi vulnere, ad lacum fuga delatus, ab inſequentibus Hiſpanis ſimiliter trucidatur. Altera quoque ex parte Hiſpani, quos in monte collocatis aggeribus conſediſſe diximus, dum obſeſſi cum hoſtibus ad portam confertim certarent, ſcalis appoſitis muros conſcendunt; & in atrium majus, quod in arce habetur, pervadunt, Thomamque Turcum cum aliquot ſociis illuc ſubſidio adcurrentem è feneſtra atra glande trajiciunt, ibidem Nicolaus Pohatnocus, Andreas Quelecenius, Clemens Teſſenius cum multis aliis occiſi jugulantur: ita ut duobus in locis, duobuſque prælus, victi & repulſi, rebus deſperatis, pars in latebras, quæ inveniri poterant, pars ad lacum effuſa fuga evadere conarentur. Sed agilitate Hiſpanorum militum undique circumventi atque interfecti miſerabiliter periere. Ungari milites, quod multos ex eis ſanguine & propinquitate attingerent, aut vetere amicitia & ſodalitate conjunctos haberent, fugientes perſequi noluerunt: quin & captos quoſdam à ferocia Hiſpani & Germani militis, quantum in ea rerum perturbatione fieri potuit, ſecretioribus conturberniorum partibus, lodicibus ac ſtragulis ſuperjectis abditos ſervarunt, inter quos Antonius Siculus, & Johannes Moræus & perpauci quidam fuere. Major tamen pars ab Hiſpanis interfecta eſt, eorumq; res ab iiſdem in prædam verſæ: qui etiam triginta duo capita propugnatorum cervicibus adempta ad Salmenſem detulerunt: eorum corpora inhumata feris canibuſq; lanianda relinquentes; quæ tamẽ Salmenſis tumultuariis ſepulchris à notis & amicis inferri, & humi mandari nequaquam vetuit. In hunc modum poſtridie Iduum Maji, Leva vi & armis in poteſtatem redacta, & Uriele Maitinio ibi cum firmo præſidio relicto, ad Chabragum, jam antea à Horuatinovitio, obſidione ut diximus, circumvallatum, exercitus ductus eſt.

Leva vi expugnata in noſtram poteſtatem eſt redacta.

Illud in colle conſtructum ſatis quidem alto, editoq; jacet: ſed cui undique majora montium culmina ſupereemineant, ut tormentis ex omni parte concuti poſſit, Salmenſis conſtructis è regione

Chabragum etiam arbitrio victoris deditum.

gione arcis idoneo loco aggeribus,& poſitis tormentis, antequã ea adverſus propugnatores diſploderentur, capita Levæ præſidiariis abſciſſa, ſupra corbes vimineos longioribus infixa perticis collocari juſſit; ut à Chabragianis facilè conſpicerentur: ac Johannem Moræum unum ex captivis propius arcem adduci, obſeſſiſque proclamare jubet, Levam captam, qui intus erant, pauciſſimis exceptis, omnes mactatos occubuiſſe: eorum capita in exemplum allata eſſe, eandem perniciem ipſos manere, ſi in pertinacia perſtiterint; Sin reſipiſcant,arcemq; tradant, incolumes futuros. Verum illi ſummo ſilentio dicta factaque ejus tranſmiſere. Itaque ira ſimul & dolore exaſperatus, tormenta in arcem dirigi,& muros quaſſari jubet, qui cum magna edita ſtrage procidiſſent, obſeſſi fractis animis deditionis conditiones,quas paulo ante reſpuerant, amplecti, & pertinaciæ finem imponere decreverunt; ac voce ſublatâ è mænibus proloqui cœperunt. Salmenſis nullas accipere conditiones, nihil eorum verbis commoveri, poſtremo à Horuatinovitio aliiſq; ducibus Ungaris placatus,eos abſque ullis conditionibus arcem atque arma omnia & ſarcinas tradi poſtulavit, ni tradant, ſe eis vel invitis, brevi expugnaturum: eoſque omnes ſine ulla ſpe veniæ laqueo puniturum minatus eſt.Sic illi ad extremas neceſſitatis difficultates redacti, & metu coacti, ad arbitrium victoris arcem dedidere, quos quamquam vinculis & compedibus conſtrictos aliquamdiu detinuiſſet,confecto tamen bello omnes dimiſit.

Inde ad Muranum obſidendũ caſtra promota.

Exinde per loca montana & ſalebroſa, ſaxiſque impedita, & quod ad cæteras difficultates acceſſit, aſſiduis pluviis cadentibus, profundoque cœno, exercitus lento gradu Muranum verſus proceſſit:magnoque jumentorum & militum labore, tormenta curulia,ac carri & plauſtra rerum neceſſariarum plena provehi trahique potuere: donec ad vallem Muraniam, ſic ab arce denominatam, fatigatis feſſiſque omnibus, perveniretur. Matthias autem Baſo mænibus & naturali arcis munimine confiſus, contempto omni ad præſens periculo,adventum hoſtium læto, ut præ ſe ferebat, nec abjecto animo expectare videbatur. Ex ea valle Franciſcus Bebecus,qui jam antea à Ferdinando admonitus, caſtellis tumultuario opere circa arcem erectis,vias omnes uſq; ad ſex milliarium intervallum, dejectis præaltis arboribus præcluſerat, præmittitur, qui locum metandis caſtris idoneum deligat, curetque ne quidpiam commeatus; aut rerum neceſſariarum in arcem comportari poſſit. Is gerendæ rei avidus, tridui caſtra præceſſit: omneſque ad arcem aditus denuo intercepit. Interea Salmenſis cum exercitu, quem paulo ante novis copiis & tormentis ex arce Saroſſia advectis auxerat, appropinquavit ac caſtra in loco, quem Bebecus haud procul rivo Alſio delegerat, poſuit: ita ut per valles & collium juga, quive mallent, per montium latera tenderent.

Muranũ ſitus.

Muranum in præalta rupe ſitum eſt: circa quam alia rupes, æque alta à meridie imminet: inter quas per ſaxeam viam ad arcem unicus patet aditus. Eam rupem munim in ſublimi ejus vertice caſtello, fidis militum impoſitis Baſo cuſtodiebat, quæ quidem ab occaſu Solis arcem altitudine ſuperat, ibidemque eſt fons jugi aqua ſcaturiens. A meridie portam habet, qua itur in arcem ſatis amplam,& aliquot cohortium capacem ejus aream: nullis tamen per aliquot loca mænibus ſed rupium præcipiti & inaceſſa crepidine munitam. A ſeptemtrione contra arcem alia rupes extare cernitur, quæ plano ſatis vertice ſupra mænia attollitur: hæc tametſi aſcenſu ægrè admodum & vix tolerabili labore ſuperari poteſt; quum tamen aſcenderis, proſpectum in arcis interiora proclivem habet, & telis miſſilibus eminus intortis,haud parum detrimenti arci inferri poteſt. Supra hanc magno & difficili jumentorum & ergatarum, agreſtiumque & militum juxta labore, octo tormenta curulia, adnitente & curante Bebeco, provehuntur, & ea nocturno tempore aggeribus & cratibus ceſpite aliunde allato repletis muniuntur.

Oppugnationis ac tormentorum curam Salmenſis ex ea parte,quæ Orientem ſolem reſpicit, Bebeco attribuit, quem peculiari adverſus Baſonem odio, multis & gravibus contumeliis provocatum maxime flagrare non ignorabat: Ab occaſu peditatum Ungaricum ducibus iis quos ſupra nominavi, conſtituit: Ipſe cum Hiſpanis à Septemtrione locum ſibi delegit, ex quo ſummis viribus arcẽ oppugnaret. Horuatinovitium autem caſtris ſimul & excubiis præficit, & interdiu noctuque caſtra circumire jubet, vigilias & ſtationes obire, vias obſervare, nec ullum hominem in arcem intromittere. Contra Baſo diſpoſitis in muro tormentis majoribus, verſus adverſam rupem, in qua noſtri aggeres locaverant, crebris ictibus detonare non ceſſabat. Licet autem Salmenſis conatus contemnere, nec ullum timoris ſignum oſtendere videretur; tamen futuri infortunii quaſi præſcius, diverſa conſilia animo agitabat, quibus vitæ & ſaluti conſulere poſſet. Itaq; Martinum Baſonem fratrem ſuum germanum ad Salmenſem ſub fide publica exire in caſtra jubet, per quem multis in ſui excuſationem adductis, malefactorum omnium oblivionem, ac Ferdinandi gratiam petit: atque ut arx perpetuo jure ſibi detur, poſtulat; poſtquam is, quem hæreditario jure reſpiciat,puer in Polonia periiſſe feratur: (qui tamen ſuperſtes erat, ac poſt confectum bellum ad ſuos rediit.) Tum ut ſibi equitum & peditum ſtipendium, honeſtum, certumque decernatur. Sed Salmenſis ea omnia, ut iniqua, neque digna quæ homini flagitioſiſſimo concederentur, exemplo rejecit, Martinumque ſeveriſſimis verbis caſtigatum ad fratrem remiſit. Dicitur etiam ante obſidionem, quam ſcelerum conſcius ſibi imminere haud ignorabat, ſeſe in clientelam Iſabellæ Reginæ & ejus filii tradere voluiſſe: miſſis ad eam, & Georgium Monachum, ac Petrovitium amplis muneribus. Qui quum Muranum ab eo ſibi tradi poſtulaſſet, idque Baſon detrectare videretur, convenire eos non potuiſſe.

Baſo Ferdinandi gratiam petit.

Sed precibus irritis.

Protracta per aliquot dies duplici oppugnatione,in concilio militari deliberatur,caſtellum, quod in rupe arci oppoſita conſtructum à Baſone erat,omnibus viribus aggrediendum atq; expugnandum eſſe, quod tormentorum vi magna ex parte dirutum eſſet. Itaque omnes uno eodemq; impetu adorti,cæſis defenſoribus, caſtello potiti, ex ea quoque rupe, arcis mœnia verberanda cenſuerunt: breviq; interjecto tempore, ſatis magnum hiatum aperuerunt. Accidit autem res haud parva admiratione digna, qua Hiſpanorum virtus, & diſciplinæ militaris expugnandarumque arcium ſcientia æſtimari,meritiſque laudibus celebrari poſſit. Nam ſeptem pedites Hiſpani, antequam omnibus viribus impetus in arcem fieret, rupibus & ſaxis reptantes, ac modo internatis virgultis, modo acuminatis emi-

VII. Hiſpanorũ virtus eximia.

1549. eminentium rupium ſummitatibus adniſi, in arcem ſumma animorum audacia ac corporum agilitate pervaſerunt, quod forte cuncti Baſonis milites prælliantibus intenti alio mentes converterant. Eo ab iis, qui intus erant, animadverſo concurritur: magnum cum paucis Hiſpanis prælium oritur; duo ex eis eodem in loco trucidantur, quinque alii admiranda virtute, ac felici pedum pernicitate ſeſe è muro dejicientes; ſupra periculoſam cum ſaxis & rupibus colluctationé, quamquam infinitis etiam ſcloperorum glandibus peterentur, incolumes tamen præter omnium ſpem & expectationem in caſtra redierunt.

Ab iis edocti noſtri, qua facilius in arcem irrumpendi facultas eſſet, à Salmenſi ſignum pugnæ popoſcere, eoque abſque cunctatione conceſſo tubæ ac tympana concrepuere, & univerſis viribus ad eam mæniorum partem, qua hiatus adapertus erat, acerrimo impetu concurritur, fit pugna atrox & cruenta. Martino Baſoni crus glande trajicitur, iſque à ſuis periculo exemptus in turrim arcis Orientalem infertur. Ex noſtris Horvatinovitius, dum cæteros voce, manu exemploque ad pugnam cohortatur, grave vulnus in pectore accipit. Gaſpar vero Caſtelluvius, Hiſpanorum militum præfectus, fraxinei conti cuſpide è muro detruſus præcipitatur: & non niſi thoracis ferrei, quo tegabatur, beneficio ſervatur. Zapata frontem glande trajectus, magno commilitonum dolore occumbit; ſic ut noſtri quamquam ſumma virtute pugnarent, vulneratis tamen aut cæſis aliquot tribunis & præfectis, à defenſoribus, non ſine Salmenſis ac Bebeci dolore, repellerentur. Sub hujus prælii eventu, & mora Gregorius Covacios cum viginti Baſonianis militibus ad noſtros transfugit: & petente pro eis Bebeco, Salmenſis eis omnibus ignovit; quod omnia quæ ſcire volebãt ab eis didiciſſent.

Interea Baſoniani, & præcipue Rutheni ac Valachi prædones, quorum fidei antea plurimum tribuere erat ſolitus, cum vulneratum Martinum, ac cæteros præſtantiores prælio occubuiſſe cernerent, collatis inter ſe occultis ſermonibus, de illo deſerendo, arceque hoſtibus prodenda, conſilia inierunt; eaq; de re miſſo ad caſtra idoneo homine, Salmenſem certiorem reddiderunt. Erant omnes ejuſdem criminis proditioniſque participes & conſcii, ſexdecim tantum exceptis, qui contra plures nihil plane tentare aut aggredi audebant; præterquam quod Martinum, ac alios conjurationis initæ certiores ſub ſilentio reddiderant: Baſoni diræ mortis metu eam revelare non auſi. Qui tamen à Martino & Demetrio fratribus germanis periculi admonitus, animum deſpondit, & ad fugæ capeſſendæ conſilia verſus eſt. Interea noſtri ex aggeribus & caſtris arcem ex condicto invadunt, Rutheni & Valachi, qui intus erant, portas aperiunt: irrumpitur in domos; Hiſpani, monſtrantibus conjuratis, ſeruia ferrea, decuſſis repagulis, expilant, auro & argento Baſoniano, rerumque multarum præda replentur; pauci defenſorum metu perculſi, Franciſcus nimirum Tarnocus, qui ſæpe Baſonem ad meliora conſilia amplectenda erat cohortatus, Andreas Bejus, & Petrus Sorenius, in turrim, in qua Martinus ex vulnere decumbebat, cum uxore & liberis, ac Lupo ipſius Baſonis filio, ac Demetrio fratre Germano ſeſe recipiunt. Qui omnes ibidem à conjuratis capti, ad Salmenſem in caſtra perducti ſunt: à quo prædones muneribus & pecunia donati, dimiſſi ſunt; qui vero militiæ nomen dantes auctorati

Rutheni & Valachi arcẽ produnt.

voluerunt, eos in numerum ſtipendiariorum militum conſcribi juſſit. 1549.

Unum ad Salmenſi felicitatem deeſſe videbatur, quod Baſonem è manibus ſibi elapſum haud mediocriter doleret. Sed ad accumulandam ejus lætitiam, fortuna ei favere imprimis viſa eſt; & ea quoque in parte ad declarandam lubricitatis ſuæ ſimul & rerum humanitatum inconſtantiam ejus voto ac deſiderio ſatisfecit. Is ſiquidem audita ſuorum defectione & proditione, antequam patefactis portis noſtri irruiſſent, per obſoletam, ſed occultam quandam portulam, quæ nemini erat cognita, extremo pavore perculſus, cum duobus ſociis profugiens, inuſitata quapiam ſemita, ſeſe foras proripuit: & quum per montes & ſilvas latiſſime patentes diu oberraſſet, ad opilionem quendam, eundemque prædonem, cujus opera in exercendis furtis & rapinis, exagitandiſque & ſpoliandis viatoribus uſus fuerat, eumque ſibi fidiſſimum rebatur, divertit: ab eoque ingentibus promiſſis onerato, ut in Poloniæ fines deduceretur, precibus contendit. Verum ille non inſolita agitatus perfidia, accitis in auxilium tribus ſuis fratribus, latrocinii æque aſſuetis, duos Baſonis Comites & ſocios extemplo crudeliter interficit, ipſum vinciri juber, ac vinctum in caſtra ad Salmenſem perducit. Quo conſpecto exhilaratus, præſente Bebeco, qui cum Baſone capitales inimicitias, ut dixi exercuerat, & ut lege in captos perduelles ageretur, acriter urgente, Baſonem & cæteros captivos publice interfici juſſit. Itaque ante prætorium tabernaculum, primum omnium de Franciſco Tarnoco capitis ſupplicium ſumptum eſt. Deinde Martinus adhuc ſaucius, & Demetrius fratres Baſonis germani, eodem ſupplicii genere interiere: cum quatuordecim aliis. Erant qui de Matthia, veluti latronum duce, & regis perduelle proſcripto, acerbius quam capitale ſupplicium ſumendum contenderent, ut vel fractis tota oſſibus, aut in quatuor fruſtra ſectus pœnas daret. Sed Salmenſis illum omnium poſtremum capite truncari ſatis habuit; filium ejus adhuc impuberem ſecum abduxit, ac inter miniſtros ſuos educatum, cum ad firmam ætatem perveniſſet, reſtitutis bonis liberum dimiſit.

Baſo fuga elapſus.

Ab opilione captus.

Ad Salmenſem perducitur, & capite minuitur.

Hunc in modum XV. die menſis Auguſti, qui Divæ virgini Matri in cælum aſſumptæ ſacer eſt, confecto bello, perdomitiſque rebellibus, Salmenſis, quinto, poſtquam Vienna diſceſſerat, menſe, victor Agriam contendit. Eam hactenus Perenius occupatam detinuerat; Verum inter alias conditiones, quibus è carcere Novæ civitatis, in quo per quinquennium detentus erat, libertati redditus eſſet, ea quoque addebatur, ut Agria cederet, deque redditibus uſurpatis, quadraginta millia aureorum nummum ſolveret. Sed quum ſuperiori anno pecunia Viennam allata, & Perenius è cuſtodia Neoſtadienſi eodem adductus eſſet, ut juxta pacta liber dimitteretur: priusquam libertate frui poſſet, diuturno morbo oppreſſus, atque extinctus fuit. Porro eam pecuniam Ferdinandus Gabrieli filio reſtituit, atque is inſequenti anno Agriam bona fide ſe redditurum pollicitus, Salmenſi Agriam adventanti, cum Thoma Varcocio, qui per ſeptem annos eam cum ſumma laude gubernaverat, obviã honoris cauſa progreſſus eſt: & arce oppidoque excedens, ei & Andreæ Bathorio Ferdinandi legatis eam permiſit: qui Franciſcum Zajum, veteranum alæ equitum præfectum, donec alius in ejus locum mitteretur, ibi reliquerunt.

Perenius Viennæ fato concedit.

Agria à Perenii filio Salmenſi & Bathorio tradita.

Zajus ei præficitur

Ipſi

1549. Ipſi vero ad ædificandam in oppido Solnoco, inter Tibiſci & Sagivæ fluminum confluentem, novæ arcis munitionem, quæ ſuperiori Pannoniæ defendendæ munimento præſidioque foret, cum exercitu iter ſuſceperunt.

Solnoci egregia munitio extructa.

Eodem juſſu Ferdinandi celeriter convenere proceres, & nobilitas armata omnis cum equeſtri ordine & ingenti multitudine agreſtium: nec multo poſt Italorum architectorum ingenio, atque arte, agricolarumq; continuo labore, munitio inſtar magni oppidi valida atque expugnatu difficilis extructa eſt: & quæcunq; ad eam tuendam neceſſaria viſa ſunt, abunde omnia comportata. Tormentorum curulium magnæ minoriſq; formæ, & ſulphurei pulveris, ac ferrearum pilarum ingens numerus illatus. Munitionem autem, quam duo confluentes, quos nominavi, fluvii cingebant, eodem in loco erigi placuit, quo ante multa ſæcula ſeptemviri Ungarorum progenitores è Scythia ac Septentrione in Pannoniam migrantes eam latiſſima in planicie condiderant. Ei loco Franciſcum Zajum Agriâ eductū præfecerunt, quod Agrienſem Epiſcopatum Ferdinandus Nicolao Olaho Cancellario ſuo dediſſet: iſque eum Stephano Doboni, alterique Stephano Neſquejo tuendum adminiſtrandumque tradidiſſet. Sed quum non multo poſt Zajus ad præfecturam Danubianæ claſſis Comaronium juſſu regio translatus eſſet, Solnoco, commendante Salmenſi, præfuit Bartholomæus Horuatinovitius, vir fortiſſimus, atque ad illud munus omnium judicio accommodatiſſimus.

Horuatinovitio ejus præfectura commiſſa.

Archiepiſcopi Strigonienſis obitus.

Dum hæc geruntur, Paulus Archiepiſcopus Strigonienſis è vivis excedit, ac Timaviam delatus, quo collegium ſacerdotum, poſt amiſſum Strigonium transtulerat, ſimplici & tumultuario ſepulchro conditur, fuit utraq; in fortuna variis modis exercitus, liberali ingenio & ſemper jucundo. Ei Ferdinandus tanta honoris & benevolentiæ ſigna deferre erat ſolitus, ut eidem ſecum menſæ adhibere, convivioq; excipere non dedignaretur, eumq; aliquando ſomno gravatum in ſuo cubili quieſcere haud gravatim permitteret.

Sigiſmundus Poloniæ Rex annos natus 81. obit.

Eodem anno Sigiſmundus Rex Poloniæ Annæ Ferdinandi conjugis avunculus, cum vixiſſet annos 81. ac regum pater dictus eſſet, regnumque Poloniæ 40. amplius annis pace & bello fortiter feliciterq; adminiſtraſſet, relicto ejuſdem nominis filio ſucceſſore, Ferdinandi genero, ad ſuperos migravit, quum anno non plane exacto Franciſcus Gallorum Regem, quamquam ætate juniorem, pari fato abreptū præceſſiſſe intellexiſſet. In quo quidem rege vetere cognomento Chriſtianiſſimo ſingularis fortitudo, & militaris diſciplinæ ſcientia, ſimul cum admirabili omniū virtutum concurſu, inſigneſq; corporis & animi dotes elucebant; niſi plus juſto civilia arma adverſus Carolum Cæſarem advocatis terra marique in auxilium Turcis exercuiſſet, quibus reſp. Chriſtiana inſigne detrimentum accepit.

Et Franciſcus Rex Gallorum.

Malvetii legati querela de rapinis Turcarum. Delegati utrinque arbitri, qui controverſias componerent.

Sub id quoq; tempus, querelæ graves & arduæ ab legato Ferdinandi Johanne Maria Malvetio ad Solymanum delatæ fuere, de inſolentiis, rapinis, & depopulationibus Turcarum quas violandis induciis exercuiſſent, contra Solym. haud leviores adverſus noſtros regere, & ut punirentur graſſatores, utraq; pars poſtulare: dicto igitur die delegati utrinq; arbitri ad oppidum Giengeſſum convenere; ex noſtris Andreas Tarnocius, Stephanus Neſquejus, & Antonius Nagvathius: ex parte Turcarum Dervíſius cognomento Celebinus, prædives publicanus, ac Mehemetes Cadius, Budæ juri dicundo propoſitus, ac Alys ſcriba, quē ab officio Divanoſigiū vocabant. 1549. Cùm pro tribunali conſediſſent, primi Turcæ multis verbis ſuas querimonias poſuere; quæ potius jurgia, miſtaq; mendaciis calumniæ, quam accuſationes erāt: ita ut ubi inter noſtros (venerāt enim utrinq; validæ militum manus) aut militarem equum, aut paulo ſplendidiorem veſtem, aut criſtas aut arma conſpexiſſent, ea ab ipſis per Ungaros milites, itinera latrociniis infeſtantes, rapta eſſe dicerent, dejerarentq;. Et quum teſtes produci poſtularentur; aderant ad fallendum jurandumq; promptiſſimi quiq; Turcarum. Ipſi enim magnæ pietatis loco ducunt falſum dicere teſtimonium adverſus hominem Chriſtianum, ita ut etiam non rogati ſæpe ſponte adcurrant. Quibus quum Neſquejus teſtes vacillare, nec ſe quemquam Turcarum idoneum ad teſtificandum, aut probum exiſtimare dixiſſet: exemplo non ſolum turba aſtantium & falſo conquerentium; ſed arbitri ipſi magna iracundia è tabernaculo proſilierunt, queſti illius verbis non ſolum nomen totius gentis, ſed Solymani ipſius majeſtatem illoto ore læſam profanamque eſſe. Re in hunc modum ad tumultum & ſeditionem ſpectante, aliud incommodum pene par aut majus, quo eorum animi magis ſtimularentur, nec opinio accidit.

Turcarū tumultus

Georgius Turius Juſuphum quendam turmæ equitum in Dregelo ductorem, convivio exceptum, haſta verſicolore donavit, qui cum vino ad nimiam temulentiam repletus, equo conſcenſo eam vibraſſet, ſeipſum ſupra fæmur per ventrem poſteriore cuſpide, quamquam obtuſiore transfodit, ut ruptis inteſtinis paulo poſt exanimaretur. Ea arrepta occaſione Turcæ majori ira, truculentiaque exaſperati, quamquam Juſuffi milites, nihil dolo malo, nihil de induſtria actum dicerent, clamarentque, conſcenſis equis furibundi arma cepere, nec multum abfuit, quin Turcis Turium ad ſupplicium tradi poſtulantibus, his vero ut inſontem tueri volentibus, infeſti concurrerent. Dervíſius tamen unus arbitrorum cæteris placidior, modo precibus, aliquando ira, curſitando inter ſuos & clamando, avertere à tanto flagitio milites contendebat. Quo tandem auctore, publicæ fidei vinculum prævaluit, & deferveſcente ira dilatum diſſidium: ſic ut tam de injuria, quam cæde in poſterum diem cognoſceretur. Interim propinqua nox noſtros trepidantes admonuit, ut quum non parvo eſſent in periculo, providendum ſibi conſulendumque decernerent: igitur tecti tenebris, miro ſilentio, relictis tentoriis impedimentiſque Agriam profugerunt: ita ut Tarnocium & collegas præeuntes, equitum alæ & cohortes inſtructis ordinibus, duce Franciſco Jacolitio, ſubſequerentur: ſimulque appareret, cum inſolentiſſimis barbarorum Marte potius judice, & ſtrictis enſibus, quam civili juris & æqui formula eſſe altercandum.

Noſtri ſe ſubducūt

Nec multò pòſt Maximilianus Ferdinandi filius, viginti duos annos natus, florens ætate formaque à Bohemis in regem electus eſt; ſingulari partis & omnium mortalium lætitia, quum eſſet blando comiq; ingenio, omnibus juxta gratiſſimus. Qui non diu poſt Auguſta Vindelicorum, ubi cum patre & Cæſare comitiis Germaniæ interfuerat; in Italiam profectus, deinde in Hiſpaniam proſpera navigatione ad Cæſarem patruum pervenit: ut illi frequentius in Germaniam redeunti; procurandis rebus Hiſpanicis, auxilio

Maximilianus in Regem Bohemiæ electus.

ad-

1549. In Hiſpaniam ſe confert.

adjumentoq; foret. Domi autem Ferdinandum res Tranſilvanicæ perturbatæ, ac Georgii Monachi, cui fortuna pro virtute fuit, cum Iſabella regina, mutuæ graveſque ſimultates, Georgiique ad Ferdinandum confugientis, & frequenter ſcriptitantis occultiora conſilia, & nuntii diu multumque exercuerunt. Cùm enim Petrovitius Monacho in tutela regii pueri ſocius & collega, ad Iſabellæ partes, pro eo ac debebat, magis inclinaret, ipſeque ne unus ab illis duobus circumveniretur, correpto ambitione metuque animo, nova conſilia agitaret; Ferdinandum, ut aliquem ex ſuis, cui maxime fideret, primo quoq; tempore ad ſe mitteret, oravit. Ad quem, Varadini rebus ſuis intentum, Albertus Peregus, Cameræ præfectus miſſus fuit. Verùm novis conſiliis eo quidem tempore initia, & quædam veluti fundamenta jacta ſunt, quæ demùm gliſcente inter partes diſcordiâ, cum detrimento & jactura reginæ & pupilli, reique publ. terminata fuere.

Georgii Monachi clandeſtina conſilia cum Perego Ferdinandi legato.

Albertus ex ea legatione reverſus, Ferdinando, quæ attulerat, expoſuit: Georgium reddendis regno Pannoniæ Tranſilvanis & Caſſovia, ac diademate regio, à quo erant avulſa non eſſe alienum ſi pupillo & reginæ, de alio principatu, deque patrimonio reſtituendo caveretur: ac deinde Poſonium rediens, gravi morbo correptus, quum eum ſuſtinere nequaquam poſſet, rem cæptam aliis ſubinde atque aliis finiendam morte præventus reliquit.

Cæterum eandem ob cauſam Salmenſis ex caſtris & obſidione Murani, Paulum Iſthuanffium regium conſiliarium, induſtrium experientemque virum, juſſu Ferdinandi ad Georgium miſit, ut locum deligeret, ad quem ad tractanda tanti momenti negotia conveniretur; Ferdinando quidem & ſibi videri, ut ipſe Caſſoviam, quæ in ejus erat ditione, Salmenſis vero cum Andrea Bathorio ad Eperieſſum proficiſcerentur: ne quam ſuſpicionem Turcæ ex eo congreſſu concipere poſſent. Sed quum Monachus ſe multis de cauſis, trajecto Tibiſco, Caſſoviam non poſſe venire reſpondiſſet tandem amborum conſenſu oppidum Bathorum eſt delectum. Quò quum prior Salmenſis adveniſſet, ille biduo poſt mille equitibus ſelectiſſimis totidemque peditibus comitatus adfuit: exceptique ſunt à Bathorio regium in morem plane lautiſſime. Ibi Salmenſis & Bathorius de conditionibus tradendæ provinciæ & Coronæ regiæ, quam in Solymani poteſtatem redactam, & ab eo Johanni regi redditam diximus cum Georgio colloquuti, uti erant ambo prudentia & eloquentia ſingulari, propoſuere multis & præcipuis cauſis adductū Ferdinandum cupiviſſe, ut pacato regno Pannoniæ, Tranſilvaniam impotenter ademptam recuperare & membrum reliquo corpori adjicere potuiſſet. Qua in cogitatione quum dies & noctes verſaretur, oportune ſe ab ipſo commonefactum, miſiſſe ad eum Albertum Peregum, à quo etiam Georgium ab ejuſmodi conſiliis haud abhorrere cognoviſſet: Turcicæ ſocietatis & fidei ſummam inconſtantiam & perfidiam animo reputantem: cujus ante paucos annos, quum regina juxta ac pupillus ab illorum tyranno Buda in Tranſilvaniam pulſi ac relegari ſolum vertiſſent, periculum fuiſſet. Verendum eòamnum haud mediocriter eſſe, ne repertis iræ atque odii cauſis, quæ apud crudelem & juris omnis contemptorem barbarum in proclivi haberentur, etiam Tranſilvania, ac qua modo beneficiario nomine poſſident, ditione excluſi, de vita etiam & ſalute periclitentur. Satius longè conſultiuſq; fore, ſi procul ab illius vicinia agitando, ab injuriis & contumeliis ejus ſecuri vitam quietam tranſigant, Ferdinandum pro eo quo erga remp. Chriſtianam afficiatur ſtudio ac pietate, daturum eis in Sileſia, pacata & ab hoſtibus barbaris longe diſſita provincia tutum manendi locum; Opolienſem nimirum principatum cum idoneis redditibus: hæreditatem etiam, quam pater reliquerat, ampliſſimam prorſus & plane principalem redditurum, & pupillum in filium adoptaturum. Et ſi eum firmata ætas virum fecerit, filiam Johannem, quum ad nubiles annos ætatem produxerit, ei deſponſaturum. Pro navata vero opera, ipſi Archiepiſcopatum Strigonienſem de manu traditurum, & apud ſummum Pontificem partes ſuas impoſiturum, ut in numerum Cardinalium paucos poſt dies recipiatur. Atque de his omnibus non tantum diplomata edi cupere, verùm etiam pacta utrinque juramento confirmari.

Salmenſis & Bathorii tractatio cum Monacho.

Promiſſa Monacho oblata.

Ad quæ Georgius brevi ſermone reſpondit, ſe iiſdem rationibus ſervandæ ab hoſtibus barbaris in præſens Pannoniæ adductum, ad ea, quorum Salmenſis & Bathorius commeminiſſent, Ferdinando ſcribenda nunciandaq; animum applicuiſſe: eadem mente negotia agitaſſe, reginam & pupillum ut imbelles & viribus modicos, injuriæ barbarorum expoſitos eſſe, quos ab obitu Johannis variis fraudibus quæſiviſſe occaſiones rerum turbandarum, & occupandæ provinciæ, experimento comperiiſſet: niſi ipſe cura & labore, ſtudioque ſuo indefeſſò, impendentis ruinæ cladem avertiſſet. Se daturū etiamnum omnem operam, ut regina reſtitutis coronâ & provinciâ, pactis ſtare haud abnuat. Sed exercitu & armis opus fore, quibus & illa, ſi nollet, adigi, & Tranſilvania ac Pannonia in unum redactæ conſervari queant: poſtquam cuivis palam eſſe poſſit, Turcarum principem, pro illis haud dubium bellum moturū. Sibi ſatis ſpei præſidiiq; in gratia & liberalitate Cæſaris & Ferdinandi ſitum eſſe, à quibus ut pacta hæc ſolennibus tabellis, ac jurejurando confirmentur, ſibi æquum videri. Porro poſt alios collatos ſermones decrevere hæc ad Cæſarem & Ferdinandum in hunc modum referri oportere, ac certū diem, quem brevi à Ferdinando intellecturus ſit, arma, paratos exercitus, idoneum ducem, ac quæ futura ſint neceſſaria cuncta in promptu adſutura.

Georgii reſponſio.

His peractis Monachus Varadinum, ac Salmenſis Agriam revertere, & ea de quibus convenerant ad Ferdinandum celerrimis nuntiis perferenda curavere.

Sed dum Salmenſis Agriæ & Solnoco muniendis incumbit, ac earum quas tractabat rerum expediendarum finem expectat, priuſquam Cæſaris & Ferdinandi mentem accepiſſet, malignâ febri Agriæ tentatus, non multò poſt, aliis atque aliis ſupervenientibus morbis, importuno tempore, non ſine ſummo Ferdinandi dolore vitâ functus eſt: ejuſque funus à filiis, quos tres reliquit, Viennam deductum, paternoque ſepulchro illatum fuit. Eo mortuo Ferdinandus Jaurienſem præfecturam Honorio Cunſpergero confert, ac Hieronymum Carlovitium ei legatum eſſe jubet. Ladislaus Giulaffius, Johannes Paxius, Vincentius Gregorocius, Johannes Coloſius, & alii clarioris nominis viri, centenis equitibus ducendis conducuntur: omnibuſq; ſtipendium ab Auſtriæ provincia ſolvendum decernitur: quod is locus amiſſa Buda, & Strigonio Viennæ defendendæ perquam accommodatus videretur.

Nicol. Comes Salmenſis obit.

Jaurienſ. præfecturam Kunſpergero Ferdinandus confert.

Interea

1550. *Veligianes Albæ præfectus noſtra depopulatur.*

Interea Veligianes Perſa, Albæ præfectus, ex omnibus præſidiis, magnâ Turcarum manu collectâ, omnem inter Jaurinum & Papam regionem latè populari & vaſtare cæpit: in ea excurſione IIII. Turcarum millia fuiſſe dicebantur. Præerat Papæ Paulus Ratcajus, Beſprimio Emericus Telequeſſius, viri excellenti virtute ac militari ſcientiâ præſtantiſſimi. Qui quum cognito hoſtium itinere, eos quos modò nominavi Jaurino evocaſſent, ac è Tars Gregorius Petrinianus adveniſſet, ad initia ſilvæ Bacaniæ, haud procul Beſprimio obviam hoſtibus procedendum decrevêre, eiſque à populando revertentibus, ad locum, cui Ponti Tabulato nomen eſt, occurrerunt. Veligianes viſis noſtris ſtatim ſubſtitit, & ligna ac frontem in eos obvertit, neque certamen detrectavit. Cùm contrariæ acies promoverentur, jamjamque manus eſſent conſerendæ, Ratcajus & Telequeſſius, qui inter Paxinum & Petrinianum magnas, hoſtileſque ſimultates intercedere ſciebant, altâ voce ambobus compellatis, Chriſtiani nominis milites mutuis odiis carere, eorumque inimicitias mortales eſſe debere præfati, poſtremò dixêre; eligerent utrum vellent, aut ab exercitu recederent, aut in mutuam gratiam redirent. Nec ii reluctandum ſalutaria monentibus arbitrati, ſpectante exercitu dextras junxêre; ac deinde cum hoſtibus una omnes congreſſi, eos in effuſam fugam vertêre: captivi extemplo liberantur, ex Turcis plurimi cadunt: Veligianes ſaucius elabitur: major pars hoſtium relictis equis per montium & ſilvarum latebras, notoſque calles ægre diffugit: capti hoſtium ad DC. ſed equi multo plures. Signa militaria XIII. ad Ferdinandum miſſa.

Cædituræ noſtris & fugatur.

Cauſæ, quæ Monachum ad fædus hoc cum Ferdinando ineundū perpulerunt.

Cæterùm quænam cauſæ Monachum ad tractandum, ineundúmque hoc fœdus, & Reginam Tranſilvaniâ cedere coëgerint, quando arduas proſus difficiles eas eſſe oportuerit, ediſſeri palam atque exponi neceſſe opportunumque videtur. Petrus Petrovitius tutor Reginæ & pupilli, Monacho pari poteſtate Joannis teſtamento collega datus, vir quidem ſimplex & ambitione procul; ſed tenacitate ſingulari, quum videret Reginam & pupillum inania nomina eſſe, Georgium imperio potiri, rerumque omnium ſummam ad illum reſpicere: opes cenſúſque Regni non in publicum redigi, nec pupillo ad futuros uſus cumulari; ſed omnia à Monacho pro libidine adminiſtrari, urbes & copias militares ab ejus nutu pendere; qui cæptis ejus obſtarent, variis circumventos artibus opprimi: conſilio cum Regina, atque iis, quos pupillo imprimis fidos eſſe putabat, communicato, auctor Georgio fuit ſualorque, ut delectis ad cuſtodiam ærarii probatæ fidei & induſtriæ viris, pecuniam, quæ ex fodinis auri, ſalis, argenti, ac vectigalibus & liberarum civitatum cenſibus proveniret, ad pupilli adultam ætatem congerendam atque reponendam pateretur. Verùm Georgius, ut erat regnandi cupidus, & ambitionis indomitæ, ea perquam acerbè tulit, reſponditque ſe res pupilli & Reginæ in eum uſque diem ſummâ fide, ſolertiâ, & integritate adminiſtraſſe, probeque ſui officii, quod ſibi moriens Joannes commendaſſet, meminiſſe, ut nullius criminis conſcientia oneri ſibi futura videatur, aut pertimeſcenda ſit; deinceps quoque eodem fidei tenore partes ſuas obiturum, neque unquam paſſurum, ut ab eo quem nulla in re offendiſſet, loco motus in ordinem redigatur: Reginæ & pupillo nihil hactenus defuiſſe: veri Principis nomen apud ipſos fuiſſe ſemper, & nunc eſſe; ſibi nihil præter labores & rerum difficillimarum curas & ſollicitudines relictum; proinde ſi princeps puer, Dei ope & amborum cura diligentiaque educatus adoleſcat, viſurus omnes & ipſum imprimis, quamquam nunc plurimis ad ſtipendia militum, ac ejus & Reginæ neceſſitates ſumptibus opus ſit: ſe tamen eos non ullâ ſuâ ambitione aut proprii lucri ſtudio, ſed officii neceſſitate adductum erogaſſe: & tamen refertum, nec inane ærarium eis relictum.

Petrovitii & Georgii diſſidia & contentiones.

1550.

Regina hiſce exacerbata in Poloniam ſecedere ſtatuit.

Quæ poſtquam ad Reginam delata eſſent, cui omnium optimè conſtabat ſibi verba tantùm dari, & præter regii nominis titulum nullam ſupereſſe poteſtatem, ferunt eam exacerbatam vehementer animo tantopere fuiſſe commotam, ut adhibitis in conſilium & adnitentibus Antonio Loſſoncio, Franciſco Patacio, & Ambroſio Parvo, quorum conſiliis eo tempore utebatur, Albâ relictâ, Lippam ad habitandum protinus migrare, aut in Poloniam ad matrem Bonam, abducto ſecum filio, proficiſci conſtituiſſet. Ea in cogitatione verſantem Reginæ animum, ambo tutores, cæterà diſcordes, ſed in eo uno animis, & ſenſibus conjuncti, mixta minis prece, & vim fortè, niſi paruiſſet, adhibituri, domi retinuêre. Bona quoque Regina, diffidiis cognitis, nullis ad filiam & tutores nunciis, diſſidium in præſens pacavit. Sed illud brevi poſt, majoribus quàm antea odiis & viribus recruduit. Nam Georgius Reginam cum Petrovitio Cibinium ire volentem, urbe excludendam curavit, ne eâ munitiſſimâ & opulentiſſimâ urbe occupatâ, ſibi detrimenti aliquid inferrent. Cùm autem provinciæ Nobilitas indignum eſſe putaret, Reginam ab ingrato & impotente tutore uſque adeò circumſcriptam teneri, ut ſuâ etiam urbe ignominioſè arceretur, vindicandam enormis facti contumeliam armis & bello decrevêre. Nec Georgio defuit animus, quin extemplò arma pararet, exercitum conſcriberet, Siculoſque & Saxones, quos largitione & muneribus ſibi conciliaverat, in auxilium convocaret; poſtremò nova conſilia cum Ferdinando iniret, ut eo in ſubſidium accito, opem & præſidia ſibi adverſus inimicos atque æmulos compararet: ideoque colloquium cum Salmenſe & Bathorio, tametſi ipſe alias ejus cauſas obtenderet, neceſſarium eſſe judicabat.

Retinetur à tutoribus.

Excluditur Cibinio à Monacho.

Proceres illi obſiſtunt.

Interea comitia indicuntur Claudiopolin, in quibus Regina virgines quaſdam natione Polonicas nuptui tradidit, celebratis magnâ hilaritate & pompa nuptiis: & cenſum populis imperavit centum nummorum, obulo minus, quòd apud illos excedere religioni haberetur: quem cenſum exegêre veterem in morem. In iis comitiis Regina multum de Georgii cum Ferdinando Rege conſiliis, conatibuſque queſta eſt, & tam ipſa quàm Petrovitius ea Solimano per literas & nuncios detexêre. Hic non multo pòſt Mahumetum ex iis quos Chauſios vocant, quoſve Græcorum Imperatorum more, Turci quoque Principes obeundis legationibus adhibere ſolent, in Tranſilvaniam mittit, cum literis ad ſingulos Proceres ac Siculos & Saxones, minacibus, contumelioſis, irarúmque plenis; quibus ſe, quum Budam, non adimendæ à pupillo cauſa, ſed uſque ad ejus firmiorem ætatem conſervandæ ac deinde reſtituendæ, ſuam in tutelam accepiſſet, Tranſilvaniam

Comitia Claudiopoli à Regina indicta.

Querela Reginæ de Monacho.

Solimani contumelioſæ in Georgiū literæ.

· *Manuſ. Hiſtor.*

1550. Temeſvarium, ac inferiores Ungariæ partes ei conceſſiſſe, eoſdem, quos pater moriens educatores, curatoreſque reliquiſſet, adhibuiſſe, & à quorumvis injuriis defendiſſe memorabat. Nunc certis indiciis perlatum ad ſe, Georgium Monachum, quem probris, conviciiſque acerrimis proſciſſum, deſertoris ac proditoris nomine appellabat, cum Ferdinando, hoſte ſuo, occultis conſiliis initis, à pupillo contra fas fidemque, & quam profiteretur, religionem, nefariè & impudenter defeciſſe, puerumque innocentem proditum, regno à ſe illi conceſſo ejicere conſtituiſſe. Itaque eis omnibus publicè privatimque mandare, ne Georgio ampliùs quicquam credendum, aut obtemperandum putent, ſed potiùs adversùs eum ſtatim arma capiant, eumque quavis occaſione è medio tollendum curent; aut captum & catenis oneratum ad ſe mittant: reginæque dictis parere nequaquam detrectent: cui & filio ejus ipſe paterno amore fovendis ac tuendis etiam deinceps propenſiſſimus eſſet futurus. Literarum ſummam & ſuperba Solimani juſſa verbis uberiùs & majori ambitione Mahumetus expoſuit.

Regina Solimani præſidio freta Bellum Georgio infert.

Regina virilis animi mulier, Solimani favore præſidioque freta, dimiſſo cum muneribus Chauſio, arma parare non dubitat: Antonius Loſontius & Franciſcus Patocius clienteas ſuos & ſubditos armant, & centuriant, equites conſcribunt, ac cum Petrovitio, qui ex Thracibus equitum alas & cohortes evocaverat, Albam caſtra promovent, & Alvincium oppidum, quod exiguo Georgii præſidio tenebatur, primo impetu capiunt. Unde Petrovitius partem copiarum ad Chanadium occupandum ſub ductu Nicolai Cerepovitii Thracum præfecti mittit: ipſe Albam ad caſtra revertitur.

E contra Georgius, exercitu temere conflato, Sebeſſum, & Megieſſum occupat.

Aberat Varadini Georgius quum novos hos motus, novum bellum adverſum ſe concitatum cognovit. Nec mora coactis repente copiis, quas continuis ſtipendiis alebat, in Tranſilvaniam magnis itineribus proficiſcitur, ac Saxonicas Civitates Sebeſſum & Megieſſum occupat, & in earum alteram comitia indicit: ad quæ Siculi, quos largitione & muneribus ſibi devinctos reddiderat, & quarundam urbium Saxones conveniunt. Ex iis comitiis tumultuariè collectis, legatos ad Solimanum mittit cum maximis muneribus, qui ſe nomine publico fictis pro tempore rationibus excuſatum reddant, & crimina, quibus inſimulatus eſſet, diluant. Ipſe ad oppidum Siculorum Vaſathelum, cum caſtris progreditur, ubi Andream & Valentinum Mardonſſios, reginæ aſſeclas, ſuoſque adverſarios fortè repertos, clam interfici jubet, ut ſe ignaro trucidatos dicere poſſet: Thomæ Varcocio ſuo Varadini præfecto (is enim poſt redditam Agriam, relicto Gabriële Peremo, ad illum ſe contulerat) ut Chanadium obſidione liberet, mandat: qui ſummâ adhibitâ celeritate progreſſus, in campis Chanadio latè ſubjectis Cerepovitium & Thraces, qui ad octo millia erant, fundit & fugat, & Gaſparem Peruſitium Scardonæ natum, Georgii affinem, liberat; ſolutâque obſidione, & Petrovitii ditione uſque ad Temeſvarii mænia, igne vaſtatâ, ad Georgium revertitur. In ea pugna cum Thracibus pugnata, Antonius Siculus & Lupus Perneſius, in genua vulnerati poſteà perpetuo claudicarunt.

Legatos ad Solimanum ablegat.

Chanadium, ductu Varcocii obſidione liberat. Thraces fundit, Petrovitii ditionem vaſtat.

Rebus in hunc modum ad arma & civile bellum iterum deductis, Joannes Salancius à regina Budam mittitur ad Caſſonum, veterem olim in claſſe Danubiana trierarchum, ſed nunc Budæ res curantem, donec in locum decedentis Mehemetis Jahioghli, alius Byzantio mitteretur. In Valachias quoque ambas nuncii mittuntur, petitum auxilia. Nec Caſſonus, ſicuti à Solimano erat juſſus, cum exercitu venire diſtulit ac ipſe in Lippæ ſuburbanis ſubſiſtens, Fervagam cum ducentis equitibus Devam præmiſit, percunctatum à regina, quidnam fieri, & quemnam plecti juberet. Verùm Joannes Turcus, qui accepto à regina commeatu, ne cum Turcis, qui patrem fraude doloque interceptum, in cuſtodia muri coëgerant, iiſdem in caſtris militaret, Fervagam nocturno prælio victum, cum majori ſuorum parte cecidit, interfecitque. Cujus caſu Caſſonus commotus, & fraudem ac inſidias ſuſpectans, è Tranſilvania pedem retulit, ac eò unde venerat reverſus eſt. Valachi etiam quater mille & quingenti, qui à regina vocati, in Tranſilvaniam hoſtiliter irruperant, ad Alpes Hæmicas, quæ portæ rubeæ dicuntur, & haud procul Braſſone urbe, oppida Praſmanum & Hermanum populati, obviaque quæque igne & ferro vaſtaverant, à Joanne Quendeſſio & Ladislao Udenſſio Georgii ducibus cæſi, ac trans alpes exacti fuêre. 1550.

Turcica & Valachica auxiliares copia à Georgii ducibus profligata.

Pulſis hoſtibus, & Reginæ auxiliaribus copiis, comitia iterum promulgantur, quibus nuntii publico nomine ad Reginam mittuntur, hortatum Reginam, ut arma ſeponat, & pace cum Georgio factâ, filium ipſi & Petrovitio, ad Rempublicam capeſſendam educandum exhibeat, ut à teneris annis ei adminiſtrandæ aſſuefactus, vergente ætate promptior evadat: Se ſacramenta denuo in ejus verba præſtituros. Sed Regina teneram filii ætatem, & vix decem annos ſupergreſſam cauſata, ſe de eo alienæ educationi committendo excuſavit: pacem, ſi Georgius ſincerè offerat, non renuere reſpondit. Annitentibus poſtremò nuntiis, ac Georgio nihil ſubeſſe doli jurante, mutuam in concordiam reducti. Ferunt Georgium abjecto animo, ſupplici, & ad humilitatem compoſito flexu & ad uberes lachrymas promptum in genua procidiſſe, & præteritorum venia implorata, futuris fidem & obſequium pollicitum.

Georgius cum Reginam gratiam redit.

Qua paulo pòſt diſſoluta fuit.

Verùm ea concordia, infirmis nixa fundamentis, non multo pòſt, pari utrinque inconſtantiâ temeritateque corruit: Georgius ſiquidem cæptis cum Ferdinando fœderibus innixus, ea rurſus repetenda cenſuit & cum illius legatis in oppido Dioſego convenit: quo animadverſo Regina, promulgatis ad Eniedum oppidum conventibus, publicam contra Georgium cauſam, plenâ querimoniarum & criminum, ac proditionis inſtituit; illum immenſorum Joannis beneficiorum immemorem, tam pupillum innoxium, quàm provinciam Ferdinando & Germanis, vendidiſſe: itaque ſe ſuam ac pupilli ſalutem ipſis vehementer commendare: donec à Solimano auxilia opportunè maturèque adveniant. Plures ex Tranſilvanis, Georgii fraudibus cognitis, relicto eo, ad Reginam deſcivêre: Antonius Quendius, Melchior Balaſſius, Paulus Bancus aliique. Itaque Georgio omnis adminiſtratio interdicitur, & quum Varadini eſſet, ne illinc pedem efferat, neve in Tranſilvaniam ampliùs redeat, cum minis & extremi periculi denuntiatione jubetur. Sed Georgius non ſe, ſed Reginam violaſſe concordiam, turbandis rebus occaſionem primam dediſſe dictitans, nequaquam vocatus, ultro, Regina ac pleriſque aliis invitis, ad comitia Eniedum profectus, Siculis & liberarum civitatum legatis in partes traductis,

Georgius Ferdinandi legatos iterùm convenit.

Plures ex Tranſilvanis deficiunt à Georgio.

Georgius Enidum ad comitia ſe confert.

Digitized by Google

1550.

ductis, à Regina poſtulavit, ut eos, qui ſe deſerto & prodito, ad ipſam ſingulari perfidia deſciviſſent, & præter illos Michaelem Chaquium, epiſtolarum magiſtrum, & Ambroſium Parvum, quorum conſilio novarum hæc diſcordiarum ſemina ſparſa eſſent, producere & ſupplicio afficiendos tradere vellet.

Ferdinandi Regis copias acerſit.

Interea verò Ferdinandum edocuit, quo in ſtatu res Tranſilvanicæ haberentur; admonuítque ut exercitum primo quoq; tempore expedire, & maturam ſibi laboranti opem ferre meminiſſet. Nec tamen multum abfuit, quin Georgius, prævalentibus Reginæ partibus, ac Melchiore Balaſſo, ante alios operam navante, qui cæteris audacior turbidiorq; erat, ad arma promptioribus, regno pelleretur, niſi Ferdinandi duces, & copiæ in procinctu eſſe, & haud procul Tibiſco iter maturare nunciarentur; quæ res Georgio ſalutem attulit, Reginæ verò & ejus factioni metum formidinémque haud mediocrem incuſſit. Erant enim copiæ quanquam vel numero nequaquam contemnendæ, virtute tamen & robore, ac fama ducis, rebus præclarè geſtis inclyti, prorſus firmæ validæque. Conſtabant namque ex tribus millibus veteranorum Hiſpanorum, qui Gallicis Germanicíſque bellis, & proximè Africana adversùs Mauros & Numidas expeditione egregiâ fortitudine militaſſent: ac legione Germanica, quam Felix & Baptiſta Comites ab Arco ducebant, & equitatu Germánico, qui Carolo Sirotinio parebat.

Joan. Caſtaldus exercitui præeſt.

Præerat exercitui Joan. Baptiſta Caſtaldus, Magiſter caſtrorum Caroli Cæſaris, vir validâ viridíque ſenectâ è contubernio & diſciplina Ferd. Davali Marchionis quondam Piſcarii celeberrimi ducis, ad illud ſummi imperii faſtigium evectus: quem Ferdinandus ſuos Germanici nominis duces, infelici exitu rem gerere ſolitos expertus, à Cæſare fratre ſummis votis expetiviſſe dicebatur. Adjunxerat ei ex Pannoniis, Andream Bathorium, Thomam Nadaſdium, & Stephanum Loſoncium, virtute, & rebus æquè præclarè fortitérq; geſtis non impares, ſic tamen ut ſum̃a omnium rerum ad Caſtaldum reſpiceret.

Hæ copiæ quacunque iverant, procerum & Nobilitatis militibus, jubente Bathorio, qui provinciis Pannoniæ ſuperioris præerat, vetere inſtituto receptis, indies augebantur, jámque ad alpes quæ ob albedinem quandam arenoſæ argillæ calci ſimilis, & in eo monte frequentes Mezeſſiæ vocantur, per quas brevior quidem, quamquam montibus & ſilvis ingentibus impedita in Tranſilvaniam via eſt, pervenerant. Et Regina earum adventum non ſatis tempeſtivè prævideret, necſi prævidiſſet, ſatis virium ad arcendum erat. Cùm per alpes tormenta currulia, & carri, impedimentáque caſtrorum lentiùs pro veherentur, Georgius antavertendum bellum ratus, Albam obſidione cingit, qua paulò ante Regina diſceſſerat, præfectúmque in ea Franciſcum Boinicium Croatem reliquerat: cúmque eam per XX. dies oppugnaſſet & mœnia vetuſti operis diruiſſet, milites ad eam manu capiendam diripiendámque incitatos, aggredi eam prohibuit, ne Reginæ theſauri & carior ſupellex prædæ eorum exponerentur.

Alba à Georgio capta eſt.

Itaque ſcriptis ad Reginam literis, & Franciſco extrema minatus, ni oppidum dederet, effecit ut illud deditione in ſuã poteſtatẽ veniret.

Captâ Albâ, Reginæ omnia, quæ iſthic habebat, reſtituit; eámque ut ſecum colloqui velit, rogavit. Quod Regina ab omnibus deſtituta, ac metu Hiſpanici exercitûs perterrita, quamvis invita, admiſit; & in oppido Sebeſſo, quod uno ab Alba milliari diſtat, in mutuum conſpectum, mutuóſq; ſermones ventum eſt.

Colloquium Georgii cum Regina, ut Tranſilvania cedat.

Ibi Georgius ſupplex & flens, & vix ob crebros ſingultus prolocutus veniam precatur, & brevi recollecto animo adeſſe duces Ferdinandi cum valido exercitu proponit: rem eò eſſe deductam, ut Tranſilvania cedendum, & corona & Caſſovia haud cunctanter reddenda ſit, ipſam centum millia aureorum nummûm donis nomine accepturam: filio principatum Opolienſem in Sileſia, & patrimonium, quod ad quadraginta arces firmas opulentáſque conſtituat, reſtiturum iri. Venturam in conjugem Ferdinandi filiam minimam natu, dum ambo ad nubiles ætatis annos pervenerint. Quibus ut ipſa aſſentiatur, ſe etiam atque etiam vehementer orare, quum in dubia ac perfida Turcarum ſocietate nihil firmum, nihil conſtans, nihil denique ſtabile eſſe, tum ſe tum Reginam multis argumentis compertum habere; à Ferdinando non ſecus ac à parente benefico, & Cæſare fratre, Principe potentiſſimo, quorum uterque pactis jurejurando firmatis ſubſcripturus ſit, omnium fortunarum acceſſionem & tutelam eſſe expectandam. Ad hæc petera, ut quatuor illius miniſtri, qui ſuis cœptis obſtitiſſent, uti antea publico nomine petitum eſſet, ſuo judicio arbitrióque plectendi ſibi tradantur. At Regina inops conſilii, poſtquam Petrovitius, in quo ſpem collocare videbatur, ſolitâ tenacitate & cunctatione nihil ſe commoveret, & Turcarum auxilia ſerò apparerent; contra Georgius ſuis, alieníſque copiis inſtructus omni ope & ſtudio cœptis inſiſtendum arbitraretur, quidnam diceret aut faceret non habebat.

Regina flens ſe pactis aſſentiri reſpondit.

Itaque in fletus & lachrymas converſa, ſe quidem pactis aſſentiri reſpondit, ac regno, Caſſoviâ, coronâque cedere; ſed Deum Optimum Maximum, ſuperóſque omnes teſtes invocare, ſe ut tantum unico filio præjudicii afferat, invitam coactamque facere: ipſum ad talia fœdera contra herilis pueri jura minimè deſcendere debuiſſe, quibus regno privatus, & in exteras regiones relegandus exularet. Sed eundem Deum immortalem, qui hominum ingratorum ſceleribus puniendis mirâ æquitate invigilet, hujus etiam enormis piaculi ultorem vindicémque futurum: & ut exemplum in eum ſtatuat, quicunque horum eſt cauſa malorum, ſe dies & noctes aſſiduis precibus imploraturam.

Habito hoc colloquio Caſtaldus exercitûs imperator paulò poſt, cæteríſque legati Claudiopolim advenêre, ac caſtra in ſuburbanis locavêre. Cæterùm regina & Georgius eodem comitia indixêre, ipſáque adducto filio adfuit, ac cum Caſtaldo & legatis, junctâ dextrâ, miniſtros, quos Georgius dedi ad luendas pœnas poſcebat, quoſve Ipſa ſalubri conſilio ſecretioribus in locis abdiderat, veniâ impetratâ, periculo ſimul & latebris exemit. Deinde cùm ex ordine Nobilitatis, ac Siculi & Saxones frequentes conveniſſent, ſacra in æda majori celebrantur, præſentibus Regina, filio, & Georgio, ac Ferdinandi legatis: peracto ſacro adhibiti aris juravêre, Caſtaldus, Bathorius, & Nadaſdius pro Ferdinando & Johanna ejus filia; & ad pactorum fœderum conditiones adimplendas; Regina eodem modo ac filius, poſtremò Georgius Sacramentum dixêre; quo dicto tubæ ac tympana concrepuere, & fauſtæ acclamationes ſublatis vocibus reperiiæ.

Pacta conventa utrinque juramento confirmata.

Deinde Regina coronam & ſceptrum, cæteraque eo ſpectantia, in arca vetuſti operis, ſed ferreis repagulis bene munita de-

1550.

Regina coronam & regni inſignia Ferdinandi legatis tradit.

prompſit, & ad proceres, qui longo ordine adſtabant, brevi ſermone hæc intulit. En præſentibus vobis atque intuentibus, viri Pannonii, coronam & ſceptrum, Regni Ungariæ inſignia, Ferdinando Regi mittenda do atque trado. Faxit Deus Opt. Max. ut id vobis univerſoque Regno, reique pub. Chriſtianæ felix fauſtumque ſit. Verùm animus mihi præſagire videtur, atque utinam falſo præſagiat, vos hoc diademate neminem deinceps veſtræ gentis & ſanguinis Regem ornaturos. Equidem hoc in meam filiique injuriam vergere haud ignoro; ſed mihi facere, quod alii volunt, oportet; magna tamen me ſpes tenet fore ut filio quòque meo aliquando meliùs proſpectum ſit, ut quamquam nunc mutatis ſedibus alio migrandum eſt, tamen in ſpem regni educato, Dei Opt. Max. ope, & vobis annitentibus, priſtinam fortunam recuperare liceat.

Caſtaldus diadema acceptum Andreæ Bathorio Somliano, Dominico Dobuni, & Laurentio Nurio tradit, ut illud cum aliis equitum ſuorum ad Tocaium uſque & Tibiſci ripas comitentur; ibique Ferdinandi legatis, quos ad Tocaium ejus recipiendi gratia miſiſſet, perferendum tradant. Qui mandata exequuti Sforciæ Pallavicino, ac Gaſpari Seredio Tocaii repertis tradiderunt; atque ii ad Ferdinandum Poſonii Comitiis peragendis incumbentem detulêre.

Arces etiam ſuas Caſtaldo dari jubet.

Regina verò non multò pòſt arces omnes, quæ ejus nomine tenebantur, translato in Ferdinandum imperii jure, ſine ulla mora Caſtaldo tradi jubet. Is de tradendo Temeſvario, Lippa, Carano, Sebeſſo, Lugaſſio, multiſque aliis civitatibus & arcibus, quin obtemperaturus eſſet, qui eas tenebat Petrovitus, non parum dubitare videbatur. Itaque arcem Muncaciã, magni momenti & opulentiæ, in finibus Poloniæ ſitam, ei, donec vitam produxerit, promittit: atque is tradito abſque cunctatione in poteſtatem Stephani Loſontii Temeſvario, aliiſque locis, ad Reginam venit, cum ea ſimul Caſſoviam, illinc verò ad occupandum Muncacium profecturos.

Arce Muncacia Petrovitio promiſſa. Temeſvarium Loſſontio traditur.

Fuêre ex Tranſilvanis nonnulli factioni Reginæ addicti, qui Petrovitii nomen non tantùm apertè ſugillandum putarent; ſed etiam conviciis enormibus ac editis libellis proſcinderent, qui quum muniſſimam Temeſvarii arcem, urbemque in poteſtate haberet, & Thracum copias equeſtres & pedeſtres, Turcarum auxiliis permiſtis, brevi tempore, faciliq; negotio in aciem educere, nec impares Caſtaldo vires & exercitum comparare poſſet, quibus Reginam in provincia tueri poſſe videretur; nihil tamen viro dignum efficere, nec ſe commovere auſus fuiſſet; ſed tantùm ſe Reginæ & filio inſeparabilem futurum exilii comitem prætatus, Temeſvario & aliis ampliſſimis ditionibus tam facilè excedendum exiſtimaſſet.

Regina ex Tranſſylvania excedit.

At reginæ ſuſcipiendo itineri cum Petrovitio paratæ, per aliquot dies Claudiupoli ſubſiſtendum fuit, quod puer regius in valetudinem incidiſſet; quia tamen brevi ſublevatus unà cum matre Caſſoviam iter aggreſſus eſt, quo eam Melchior Balaſſius, Franciſcus Patocius, cum turmis equitum ſuorum, ac alii quidam ex proceribus comitati ſunt. Georgius uſque ad Silahum, quod eſt ad radices alpium Mezeſiatum oppidum, comitatus, ambos millenis aureis nummis muneris loco donatos, adjunctoque Ladiſlao Udenffio, qui eos ſuo loco Caſſuviam uſque comitaretur, dimiſit. & uberrimis profuſis lachrymis, puerum exoſculatus, Claudiupolim rediit.

Caſſoviam venit, ibique nonnihil moratur.

Caſſoviam adventantem reginam Leonardus Cecius, qui urbem ante quindecim annos proditione, ut ſupra diximus, occupaverat, cum armatis præſidiatus obviam progreſſus, in urbem deduxit; ubi per aliquod tempus, dum res ad iter neceſſariæ, & carri ac jumenta vehendis impedimentis conquiruntur, ac conditionibus ſolvendæ dotis Ferdinandus ſatisfacit, conquieſcendum duxit. Illinc Balaſſium & Patocium, & alios, qui officii cauſa è Tranſſilvania eam comitati fuerant, dimiſit: relictis tantùm Petrovitio, Chaquio, epiſtolarum magiſtro, & Cecio, qui in Sileſiam uſque erant cum ea profecturi.

Cecius ibi obit.

Sed Cecius repentino correptus, atque exanimatus morbo, itineris ejus comes eſſe non potuit. Quæ res ingenti dolore Reginæ animum affecit, fuerat enim acerrimus partium ejus defenſor, & ſervandæ nomine ejus Caſſoviæ uſque adeo ſolers, & diligentiæ ſingularis cuſtos, ut per quindecim annos, quibus ei cum imperio præfuit, ne ſemel quidem extra urbem pernoctaſſe viſus ſit.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XVII.

Quæ tribus aut quatuor Principibus Pannoniæ regnantibus, Paulò remotiora ab hominum memoria geſta ſunt, & quam funeſti bellorum exitus ob certamina potentium, & avaritiam magiſtratuum, cladibus aliis poſt alias ſubſequutis evenêre, è fide dignis litterarum monumentis eruta, ſuperioribus libris expoſita ſunt: deinceps certiora quidem & clariora ſequentur, utpote quibus ætas noſtra proxima, quorumq; memoria recentior eſt, nequaquam tamen ullis partibus lætiora. Nam hactenus in Illyrico & Pannoniæ medio ad utramque Danubii ripam, res improſperè geſtæ non ſine mœrore & luctu conſcribendæ fuêre; nunc Tranſſilvania & inferior Pannoniæ pars, anteactis bellis intactæ, ac opima pace quieſcentes, eadem fatali bellorum contage perculſæ, ac externis, civilibuſque armis deflagrantes memorandæ erunt.

Cùm enim Ferdinandus redactâ in obſequium Tranſſilvaniâ, ac Pannoniæ coronâ, ſceptroque recuperato, quietis & tranquillitatis ſpe mortalium omnium animos, & præſertim Pannuniorum implevisſet, ea mox portento ſimilis, invecta in omnes partes dira vaſtitate, maximè atrox & diuturnum bellum effudit: Solimanus ſiquidem quum ex ſuorum literis, ac Petrovitii ac Reginæ querelis ea, quæ in Tranſſilvania acta eſſent, cognoviſſet; ſeque ut ſummum pupilli tutorem ea injuriæ indignitate affectum reputaſſet, irâ atque vindictæ cupidine in-

1550. incenſus, quamquam bellum adverſus Perſas necdum intermiſiſſet, Joannem Mariam Malverium, qui Conſtantinopoli res Ferdinandi curabat, ad purpuratorum concilium, quod illi Divanum vocant, cui Ruſtanus gener præerat, accitum, percunctari jubet, an ea quæ ad ſe eſſent perlata, de turbatis contra inducias Tranſſilvaniæ rebus, vera eſſent, nec ne? Et quum is, qui à Ferdinando vel ab amico nihil ea de re mandati, nihil literatum accepiſſet, conſtanter negaret, incerto nec ullo auctore ſubnixo rumori fidem dandam, ipſe productis, quas è Pannonia acceperat, variis literis, irâ furoréque præceps, neglecto gentium jure ac legationis religione, eum ut improbè mentitum, conviciis publicè proſciſſum, maléque exceptum in ſeptem turrium carcerem, quem Turcæ Jediculam vocant, extemplò conjici, pellicémque, qua uxoris vice utebatur, & res ejus omnes ſub haſta venundari juſſit.

Malverius Ferdinandi legatus à Solimano in carcerem conjectus.

Nec mora, Mehemetem equitum Europæorum magiſtrum contractis undiquaque copiis, & adductis prætorianorum Janicerorum cohortibus in Pannoniam, indeque in Tranſſilvaniam proficiſci, ac Reginam cum filio, ejectis ex provincia Germanis ac Ferdinandi copiis reducere juſſit. Hic eſt ille Mehemetes Beglerbegus, qui à patre Bulgarico ſacerdote vi ademptus, in cubiculo Solimanni à tenera ætate educatus, & poſtea purpuratorum princeps, & Selymi ſecundi, vivo adhuc Solimano, gener adſcitus, Sigetanæ arcis expugnator, ac cognomine Magnus à Turcis dictus eſt, poſtremo verò à quodam motæ mentis monacho Turcico, ex eorum cætu, quos ipſi Derviſios vocant, adacto per ilia mucrone, interfectus.

Mehemetes ſe expeditioni Pannonicæ accingit.

Ut reginam cum filio in Tranſſilvaniam reducat.

Is igitur non diu moratus copias è Græcia & Peloponneſo, ac limitibus, qui ab citeriore Helleſponti littore, ad Saniandriam atque Belgradum uſque extenduntur, ad Salſum lapidem, quod Sirmienſis provinciæ oppidum, in ulteriore ſiniſtra Danubii ripa ſitum, ab Ungaris Saloncamenum vocatur, convenire jubet: ipſe cum copiis, quas Byzantio diſcedens ſecum adduxerat, eò progreditur, & ibi in æſtivis, dum reliquæ conveniunt, aliquot dies quietem & recreandia militibus & jumentis concedit. Confluxêre brevi in ejus caſtra limitum præfecti, & ipſe Ulamanes ex Poſegana & Boſnenſi præfectura, & Menhethanes & Camberes ejus populares & transfugii comites Perſæ, ex oppido Suotnico, nec non Alibegus è Sirmio Ajacis purpuratorum olim principis filius, & Achomates, Mihaloglia dictus, & Caſſonus è Tranſſilvaniæ finibus, in quos à regina vocatus irruperat paulò antè pulſus, ac Martaloſiorum & Aſaporū peditum magnus numerus; ſic ut ſexaginta ferè armatorum millia in caſtris haberi dicerentur.

Turcici exercitus Duces præcipui.

Promoto exercitu, Danubium ad Petri Varadinum, Tibiſcum verò ad Titulium, qua Beogus amnis ei miſcetur, factis utrobique pontibus tranajecêre. Occurrebat eis primâ fronte arx Becbea, cui Caſtaldus commendatione Bathorii præfecerat Thomam Santannæum, adjuncto ei collega Gabriele Figedio, quos quum Mehemetes fide interpoſita ad ſe evocaſſet, miníſque & magnis promiſſis de arce dedenda fruſtra oneraſſet, ſingulari perfidia & fraude in caſtris retinuit, ac omnibus ſimul copiis arcem aggreſſus, in poteſtatem redegit, trucidatis omnibus defenſoribus, ac ipſis etiam præfectis. Illinc itum eſt ad Beſquerecum, quod in lacu, quem complures amnes eo in loco concurrentes, & ſtagnantes efficiunt, ſitum eſt, illud diſſenſione præſidiariorũ, quorum major pars metu perculſa diffugerat, facilè captum eſt: quamquam naturali ſitu adeo eſſet munitum, ut vel ipſorum hoſtium confeſſione difficillimam habuiſſet expugnationem.

Becbea arx à Turcis occupata.

Beſquerecum.

Chanadium deinde ſequebatur, Epiſcopi urbs & ſedes, arce ad Maruſum amnem ſita, & templo celebri, ſed nullis cincta mænibus, quam Ferdinandus Franciſco Ugodio collegii ſacerdotum Albenſium præpoſito, ad commendationem Georgii Monachi paulò ante dederat. Ejus præfectus extremo pavore & formidine conſternatus, nullo expectato ictu tormentorum, claves arcis Mehemeto obviam attulit, eamque extemplo dedidit. Cujus loci deditione tantus pavor & metus vicinos omnes inceſſit, ut quamquam copiæ Ferdinandi non procul eſſent, quarum adminiculo viribusque defenderentur, tamen omnes deſertis caſtellis atque arcibus fœda fuga varias in partes dilaberentur. Ex iis fuêre præter eas, quas captas ab hoſtibus retulimus, Galadum, Aracia, Beſſenianum, Naglacum, & Fellacum; Jaxitiæ familiæ ſedes Challia, Bodorlacum, Egreſſum, Sadorlacum, Epericſſum, quod interius vocatur, Franciſci Patocii natale ſolum, Horogſegum, Soulium & Illadia Johannis Palatici, qui Georgii Monachi equitum ductor erat, patria: quæ omnia Mehemetes ſine ſudore, ſineque ſuorum vulnere facilè occupavit. Sunt autem hæc ferè omnia loca in amœna & patenti planitie, juxta irriguos amnes ſita, ubertate ſoli, pecorumque fœcunditate, piſcium copiâ, frumenti, pabuli, pomorumque abundantiâ, cælique benignitate nulli terrarum ſecunda.

Et Chanadium ignava noſtrorum deditione.

Alia præterea complura caſtella ſine cæde & ſanguine Mehemet ſibi ſubjecit.

Chanadii aliquamdiu ſubſtitit ſpectabundus, quonam noſtrorum conſilia tenderent, quidve Monachus & Caſtaldus molirentur? Nam præter eorum copias, quæ Varadini æſtivabant, Andreas Bathorius & Franciſcus Patocius Lippæ cum evocatis Nobilitatis, ad octo aut decem millia militum utriuſque ordinis habebant, quibus acceſſerat Carolus Sitotinius cum mille equitibus Germanis Varadino miſſus. Thomas verò Varcocius ad pagum Erdohegium haud minore exercitu in caſtris erat: ita ut conjunctis viribus & acceptis à Caſtaldo campeſtribus tormentis, cum hoſtibus manus conſerturi crederentur. Sed eos Georgius frequentioribus literis à pugnæ & dimicationis conſiliis dehortatus, ut quieti in caſtris ſeſe continerent, jubebat.

Noſtræ copiæ.

Interea Thraces, qui in campis Temeſvario ſubjectis latè ſedes habebant, tot arcibus & caſtellis ab hoſte captis perterriti, ad Mehemetem ſingulari perfidiâ defecêre, ac muneribus ei allatis ſuam induſtriam ſimul & operam, redigendis in poteſtatem Temeſvario ac Lippa urbibus ultrò obtulêre: quorum primores equis, veſtibus purpureis, pecuniâ donatos dimiſit, ita ne quid occaſionis, qua intercipiendis illis fidem ſuam probatam redderent, negligere vellent, ac ab ſe deinceps quid facto opus eſſet, expectarent.

Thraces ad Mehemetem ſingulari perfidia deficiunt.

Eodem tempore Ulamanes Chanadio cum quingentis equitibus, ad exploranda noſtrorum caſtra egreſſus, ſe in ſilvam prope Sadolacum locandis inſidiis opportunam abdidit, ut ſi quos è caſtris pabulatum aut lignatum egreſſos reperiret, ad Mehemetem citato curſu, perduceret. Accidit autem nec opinato caſu, ut Thomas quoque Egidius cum centum equitum turma, eodem animo aliquid de hoſtium caſtris explorandi, è Lippa ad eam ſilvam progrederetur; ubi quum in hoſtes numero & viribus longè ſupe-

1550.

riores incidiſſet, ab iis facilè victus, & profligatus eſt, cæſis aut captis ferè ſuis omnibus; ita ut ipſe cum ſeptem duntaxat ſociis Lippam conſternato metu pavoreque animo, effuſa fuga reverteretur, ibique Turcas cum tota mole copiarum Varadinum tendere, ac eam urbem obſidere ſtatuiſſe falsò nunciaret. Quo rumore quamquam incerto Nobilitas ac milites ex illis regionibus evocati, fœdo uſi conſilio, ſpretiſque Bathorii mandatis, Varadinum celeriter iter ceperunt, ubi conjuges & liberos ac cariorem ſupellectilem reliquerant, Bathorius ut eos retentaret, neve Egidii incertis rumoribus moverentur, ſeveriſſimis verbis caſtigabat; fruſtra tamen omnia fuêre, atque ii ſummâ celeritate abire perrexerunt. Nudatus per hunc modum copiis præſidiiſque Bathorius, quamquam invitus, eos ſequi coactus eſt. Exemplo ejus Carolus Serotinius & equites Germani collectis in carros ſarcinis Varadinum redierunt; & eis, qui ibi in caſtris cum Caſtaldo & Georgio erant, haud parvum timorem incuſſerunt. Sed quum eos rumores inanes & falſos eſſe comperiſſent, Bathorius cum iiſdem copiis ad Tamashidam caſtra locavit, & Gabrielem Petenium in contubernium ſuum adſcivit, Varcocius in prioribus ad Erdoheg ü caſtris ſeſe continuit; Franciſcus verò Pathocius & Melchior Balaſſius Gulæ cũ ſatis valida manu militum, modicis inter ſeſe intervallis caſtra habebãt.

Exercitus noſter Varadinum ſe recidit.

Neglectis Bathorii mandatis.

Lippa à Peteane turpiter deſerta hoſtium juri ceſſit.

Conſternatione cæterorum diſcedens Lippam Bathorius arcem oppidumque Johanni Peteoni defendendum commiſit, attributis ei juſto numero præſidiariis, & rebus tolerandæ obſidioni neceſſariis. Lippam antea nullis cinctam mænibus Georgius Marchio Brandeburgicus, ductâ Joannis Corvini uxore Beatrice, uti aliàs diximus, loco potitus, muris & propugnaculis primus muniverat, hoc unum egregii operis munus totius vitæ ſuæ decurſu exequutus, cætera prodigus & abliguritor. Sed quum Mehemetes propiùs urbem advenrare diceretur, prætor urbanus ac cives perterriti, Peteoni, ni arce excedat, cædem minari, & vim adhibere, rati ſe eo facinore ſibi conſulturos, & Mehemetis gratiam, favoremque conciliaturos. Peteo repentinâ defectione Civium, ac minis territus, quum aut turpem fugam aut decoram mortem propoſitam haberet, conſilii inops, pulvere ſulphureo ignibus injectis incenſo, & tormentis uſque ad ſumma fiſtularum ora eodem pulvere repletis, ut ejus violentia rupta, inutilia redderentur, relictâ arce ſibi ac ſuorum ſaluti turpi fuga conſuluit. Et Mehemetes occupatâ urbe ac arce, eam Ulamani cum quinque millibus ſelectiſſimorum Turcarum tuendam commiſit. Ad Challiam verò cuſtodiendam Achomatem Mihaloglim cum ducentis Beſliis, qui unico equo ſtipẽdia merent, & centum peditibus ire juſſit. Et Cãberes Naglacum defendendum ſibi delegit. Ferunt Ulamanem perluſtratâ urbe, cùm in templu, quod Carolus primus Pannoniæ Rex memoriæ Ludovici Epiſcopi Tholoſani Stephani Quinti Regis Ungariæ ex Maria filia nepotis, Caroli ipſius patrui, qui in numerum divorum relatus eſt, dicavit, prægrandes plumbeas fiſtulas, quibus inter obeunda ſacra modulari ſolent, conſpexiſſet, cuive uſui eſſent, percunctaretur, inflari juſſiſſe, & cùm ſonum gratum auribus ederent, collaudâſſe; Franciſcum tamen Segedinum Monachorum patrem & templi ejus curatorem, virum pium doctumque, ab Lutheranis falsò inſimulatum & innocentem, quòd abſconditos in locis templi ſecretioribus theſauros haberet, extractis quinque dentibus, totoque corpore malè mulctatum, barbarica feritate excruciavit.

Ulomani ea tuenda eſt cõmiſſa.

1550.

Mehemes Temeſvarium obſidet.

Loſſontius cum Hiſpanis illi præeſt.

Tantis rerum ſucceſſibus Mehemetes auctus, ad obſidendum Temeſvarium rectà proficiſci conſtituit, cui ad tempus tuendo, donec alter quiſpiam ſurrogari poſſet, à Caſtaldo præfectus erat Stephanus Loſſoncius, ſummo loco natus, manûque & conſilio æquè promptus, eique ex Hiſpanis adjunctæ duæ cohortes, Bernardino Aldanâ duce, & Alphonſo Perezio è Bæthica ulterioris Hiſpaniæ provincia oriundo, ac Gaſpare Caſtelluvio Sardo, & Roderico Villandradio, qui à tempore belli Muraniani, quod Nicolaus Salmenſis comes, ſumpto de rebellibus ſupplicio, proſperè confecit, in Pannonia militaverant, & ab Ungaris mirificè diligebantur. Quum eò perveniſſet, collocatis ex utrâque parte tormentis arcem ſimul & oppidum circumſedit. Loſſoncius cum Alphonſo Perezio egreſſus, acerrimum cum antecurſoribus Turcis certamen contraxit, in quo quum diu pugnatum eſſet, hoſtes terga vertere, noſtrique captis aliquot, ſed multò pluribus interfectis, eos fugientes uſque ad caſtra perſequuti, victores redierunt.

Dum Mehemetes Beglerbegus Temeſvarii obſidioni incumbit, duplex in liminibus quos paulò antè deſerentibus noſtris ceperat, detrimẽtum accepit; Nam quum Mihaloglis Challiæ incurioſiùs agitaret, Franciſcus Chrovatus ob ſtaturæ proceritatem Magnus appellatus, re intellectâ Caſtaldum ac Bathorium orat, ut datâ ſibi aliquantâ equitum ac peditum manu, fortunam tentandam concedant, an ea arx repentino impetu intercipi poſſet. Itaque eorum permiſſu Franciſcus Siſmannus, ipſius Bathorii, ac Stephanus Henicius Patocii equitum præfectus cum ſexcentis militibus ſe ſocios itineris & laboris adjunxêre. Favit Franciſco fortuna, & quod animo deſtinaverat, facinori exequendo blanda ac propitia arriſit. Fors enim evenerat, ut Mihaloglis eo veſpere è caſtris veniens, milites Turcas convivio exceptos, compotationibus mutuis ad multam noctem detinuerat, atq; ii primùm circa auroram ſomnum capeſſerent, cum noſtri repentè appoſitis ſcalis mœnia conſcenderunt. Nec mora inermes & ſemiſopitos, vinoque graves aggreſſi, partim in ipſis lectulis, partim quoſdam ſumptis repentè armis repugnantes facilè cecidêre: Mihaloglim nudum ac inopinatâ re territum, exanimique ſimilem, Chrovatus dubiâ adhuc luce cognitum, ac ſeſe dedentem cepit, & brachiis circũplexũ ab injuria cædeque abſtrahere conatus eſt; ſed in ipſius manibus & complexu, à militibus, non ſine Franciſci dolore, glãde trajectus atque interfectus fuit, & arx direpta atque incenſa.

Chrovatus Challiã Mihaloglis adimit,

Mihaloglis occiſio.

Alia quoque in parte haud meliore fato fortunaque res geſta eſt à Cambere, qui Naglacum præſidio tenebat; Is enim oppido Maconi, illa in regione admodùm amplo, ac agri & vinearum fertilitate celebri, incertum quibus de cauſis iratus, cum ducentis equitibus eò venit, ut cæſis civibus, direptoque oppido, privatam injuriam, qua ſe affectum falsò dictitabat, ulciſceretur. Cùm iſthuc veniſſet, & oppidanos longè majori numero eſſe animadverteret, quàm ut ipſe eis nocere poſſet, per occultos nuncios Muſtapham Segedini præfectum (qua in urbe ſuperiori anno ara latericii operis Sucimani ſumptibus ædificata ſtat) ut ſibi auxilio veniret, oravit; juſſo interim prætori, ut excubias opportunis in locis diſponeret, & ſi fors hoſtile quid ingrueret, de eo ſe

quampri-

1550. quamprimum admoneret. Prætor intellecto ab amicis diro Camheris propoſito atque conſilio, haidonibus, qui caſtris exeuntes in circumviciniis locis ſparſim vagabantur, ſecretò nunciat, Turcas è Naglaco ducentos apud ſe eſſe, poſſe eos, ſi venia non dubitent, facili negotio deleri: ſe quoque & juventutem oppidanam auxilio & adjumento venturos. Appropinquantibus Haidonibus, prætor Camberi ſignificat, vexilla candidi coloris procul fulgentia conſpici: ille ſuos eſſe ratus, quos in auxilium Segedinum evocaverat, obviam progreditur. Sed in oppidi fine in Haidones incidit, introque eum eis certamine, ſelopetorum, glandiumque vi coactus, multis ſuorum amiſſis terga vertit, verſùsque flumen Maruſum cum paucis fuga elapſus eſt. Ibi Turcæ partim flumine merſi interiêre, partim interfecti, cædem quam aliis paraverant, ipſi ſubiêre. Camberes amiſſo equo, navicula quam piſcator fortè obtulerat cum quinque ſociis in ulteriorem ripam trajecit: cæteri ad unum deſiderati omnes. Sed cives patratâ re manere in oppido nequaquam auſi, illud vacuum reliquerunt.

Camber Perſa, multis è ſuorum numero caſis fuga evadit.

Jam XIII. dies effluxerant, ex quo Mehemetes Temaſvarium ſumma vi oppugnabat; ſed Loſſoncio ac Hiſpanis ſe & urbem magnâ virtute & fortitudine defendentibus, irriti ejus conatus habebantur: & Caſtaldus atque Georgius viribus ſuis diffiſi, caſtris ſeſe continebant; quamquam plurimorum judicio tantum copiarum habebant, ut contractis undique illis, haud impares hoſtibus eſſe cenſerentur. Itaque Ferdinandum per celeres nuntios de ſupplementis exercitûs, mittendiſque abſque mora copiis frequenter admonebant. Sed quum ab eo tardiùs, quàm res & neceſſitas poſceret, auxilia mitterentur, Georgius & Caſtaldus, mutuo habito conſilio, Siculos & Saxones è Tranſilvania Ungaroſque & Valachos evocatos in caſtra convenire juſſerunt: quumque ſegnius convenirent, & ſe nequaquam paſſuros, ut aggrediendis muris objicerentur, dicerent; Georgius interpoſitâ fide cavit, ne niſi quibus id cordi foret, ad irrumpendum cogerentur. Igitur magna multitudo ad campum illum, qui à Panibus nomen habet, victoria Stephani Bathorii, cognomento cælibis, & Pauli Quiniſii à Turcis reportata clarum & celebrem, ſumptis armis confluxit. Nec mora Caſtaldus cum regiis copiis quas adduxerat, ac Georgius cum Tranſilvanis, diviſis in quatuor ordines agminibus, verſus Lippam caſtra promovere, ac Bathorio & Thomæ Varcocio, ut ad Toſſaradum oppidum ſe & exercitum præſtolarentur, juſſêre. Sed quum Bathorius crudeliſſimis nervorum doloribus affligeretur, Gabriëlem Perenium Petri filium ſummæ ſpei adulcſcentem, qui ſuo ſumptu cum egregia equitum ala in caſtris militabat, delegit, qui loco ſuo copias in caſtra perduceret. Is itaque & Varcocius cum decem millibus militum ſe eis conjunxerunt. Nadaſdius copias ſuas, quamquam nec numero contemnendas, promptitudine tamen ac militum robore, nec non præfectorum virtute nulli ſecundas adduxit, utpote quibus Valentinus Magiarus, Ladislaus Giulaffius, Sebaſtianus Abſtemius Sirmienſis, aliique complures clarioris nominis ductores præerant. Omnes copiæ numero hoſtibus erant longè ſuperiores; nam ad centum millia armatorum diverſis in caſtris ante obſidionem Lippæ fuiſſe ab iis, qui bello interfuêre accepimus. Quibus copiis in unum contractis, Caſtaldus &

Centum millia armatorum in

Georgius Lippam contenderunt; eo conſilio, ut Temeſvarium à Turcis ſumma vi oppugnatum liberarent, & ſi Mehemetes Ulamani laboranti ſuppetias laturus occurreret, pugnæ poteſtatem darent, aut conſilio ex tempore & occaſione capto, quod opportunum foret, exequerentur. 1550.

caſtris Lippenſibus.

Dum in itinere eſſent, Monachus ſignificante Ferdinando, exoptatum nuntium de ſe in numerum Cardinalium adſcito accepit. Totam tamen eam tantæ dignitatis & faſtigii acceſſionem moderato animo tulit, quaſi non diu eâ ſe fruiturum præſentiret. Sed Mehemetes quum ſe Temeſvarii mœnibus oppugnandis fruſtra hærere cerneret; jamque commeatibus abſumptis, exercitus inedia fameque laboraret, nec milites in caſtris manere, legibus id permittentibus, ulterius vellent, ſolvere obſidionem, & Byzantium reverti conſtituit. Habent enim Turcæ omnes tam prætoriani quàm qui agris & latifundiis à principe donati, ſuo ſumptu militant, veterem ab Amurate primo conceſſam libertatem, quo tempore de Ladislao Pannoniæ & Sarmatiæ Rege in campis Varnienſibus victo atque interfecto inſignem victoriam reportavit, ne ultra diem Divo Demetrio ſacrum, qui ad finem Octobris incidere ſolet, in caſtris durare cogantur; quem diem ipſi Caſſonginum vocant. Is jam præterierat, ita ut Autumnales dimidii Novembris dies non vana hiemis ſigna frigidioreſque pluvias nivibus intermiſtas attuliſſent. Itaque relicto Lippæ Ulamane, & eo bono eventui commendato, haud multum moratus XIV. die, poſtquam Temeſvarium obſederat, conclamatis vaſis, & retractis ſummo noctis ſilentio tormentis, caſtra Belgradum reduxit. Loſſoncius re animadversâ, hoſtes inſequutus eſt, & plurimos ex eis cepit; ac tandem relictis eis, quòd viribus ſuperiores eſſent, ex itinere ad Naglacum hoſtium munimentum divertit, ibique, quum Caidazes præfectus occurriſſet, à Loſoncio fuſus fugatusque in arcem ſeſe proripuit, quem Loſoncius uſque ad portam arcis inſequutus, quum pons, qui portam claudere ſolet, ſuſpenſa catena ſubito attrahi nequiſſet, ſimul cum hoſtibus ingreſſus, proſtrato Caidaze, arcem quoque eodem impetu cæpit atque diripuit, vacuamque & ſuccenſam reliquit.

Geargius in Cardinalium collegium cooptatus

Turca quando caſtris excedunt

Mehemet à Temeſvari abſidione diſcedit.

Loſoncius Caidaza occiſo Naglacum invadit.

At noſtri nondum cognito Turcarum diſceſſu, Lippæ propiùs ſuccedentes, universâ copiarum mole eam circumvallarunt, nullo hoſtium ſe in conſpectum dante, quos exire Ulamanes interdixerat, ne capto à noſtris eorum quopiam, de urbis ac præſidii ſtatu edocerentur. Diſponente autem cuncta Caſtaldo, hoc ordine acies & oppugnatio inſtitutæ ſunt. Ab oriente collem, qui arci oppidoque ſupereminet, ac commodam ad muros utriuſque loci tormentis infeſtandos, facultatem habere videtur, ſtipendiarios milites & Hiſpanos, de quorum virtute & fortitudine magna omnibus opinio inerat, una cum Germanis occupari jubet, interque eos prætorium ſuum tabernaculum erigi, à meridie verò ad Maruſi amnis ripas, Georgium Monachum cum Tranſilvanis collocat; Bathorius autem & Nadaſdius ac Ungari, ad occidentem ſolem extenſis tentoriis conſedere, & tormenta ad collem attracta, ad partem, qua Divo Ludovico ſacrum, de quo diximus, habebatur templum, in muros qua debiliores eſſe videbantur, dirigi juſſa ſunt. Ulamanes ejus templi turrim conſcendens, caſtra noſtrorum ſpeculatus, nec ulla timoris aut demiſſi animi ſigna

Lippa à noſtris abſeſſa.

Ulamane eam defendente.

1550

Suburbia incendi jubet.

piæ ſe ferens, defendendæ urbis conſilium curamque ſuſcepit. Superbia tamen quæ erant ampliſſima, in quibus multæ variorum artificum ſodalitates, officinæque meracnatiorum habebantur, eorumque præcipuè, qui laniores è lana & centonibus pileos ad arcendum ſolis fervorem & pluvias, ac equeſtres penulas conficiebant, extemplò ſuccendi juſſit; in quo haud parva commeatus, vinique præſertim copia condita erat. Quæ ad uſus caſtrorum ſuorum conſervari, & ab incendio eripi cupiens, Caſtaldus miſsâ Hiſpanorum ſclopetariorum centuriâ, Joanne Villna Cantabro duce ignes extingui juſſit. Sed iis maximè invaleſcentibus, quum Hiſpani fruſtra deſudaſſent, domus & tecta, quæ majori parte ex materia & argilla conſtabant, ſimul cum rebus ad victum neceſſariis puncto temporis conflagrarunt. Paulò pòſt fracto pilis tormentorum, procidenteque muro, qui per triduum aſſiduè, nec de nocte intermiſſis ictibus verberatus eſſet, Turcæ jubente Ulamane foſſam decem paſſibus latam, ſtaturæ humanæ altitudine introrſus ſubitario opere effodere cœperunt, ipſeque ſuis animandis & cohortandis invigilando, rebus gerendis ſummâ ope induſtriâque providebat. Magna enim erat opinio apud Turcas juxta ac noſtros virtutis ejus peritiæque expugnandarum ſimul & defendendarum urbium, ut qui à pluribus annis, ex quo deſerto Tahmaſi Perſarum rege, cujus ſororem pro conjuge habebat, ad Turcas transfugiſſet, multis bellis præliiſque, & in ipſa caſtri Novi in Dalmatia, noviſſimâque Strigonii expugnatione induſtrius maximè & fortunatus dux apparuiſſet.

Jam Idus Novembris effluxerant, quum Caſtaldus mœnia adeò diruta eſſe videret, ut viam militibus ad irrumpendum patere exiſtimaret; convocatis diluculò ducibus, tam Ungaris quàm Hiſpanis, communicatoque cum eis conſilio, milites ut corpora curarent, & cum meridiei tempus foret, & ab ſe ſignum tubâ ac tympanis accepiſſent, muros aggrederentur, imperavit, propoſito præmio iis qui primi mœnia conſcendiſſent, aut ſigna intuliſſent. Monachus quoque ſuos eodem modo ad virtutem & rem gerendam præmiis promiſſis cohortatus, Siculis & Saxonibus, prout anteà erat pollicitus, immunitatem pugnandi conceſſit; iiſque exceptis, qui eum aliis ad edendum nobile aliquod facinus ultrò incitarentur. Eodem etiam momento Thomæ Vareocio, qui à Caſtaldo cum Johanne Villna, & Antonio Encinello, Hiſpanorum promptiſſimis, ac Roderico Villandradio, & Aloyſio Bariento præfectis, ad exploranda quæque urbis, arciſque loca miſerat, reverſo, idem conſilium invadendi per ruinas oppidi impensiùs probabatur. Igitur Caſtaldus provido induſtrioque conſilio, antequam urbs invaderetur, ne quis tumultus in caſtris oriri, aut ſi fortè hoſtes, noſtris prælio occupatis & dimicantibus, extrinſecus adcurrerent, & noſtrorum ordines turbare aut confundere poſſent, equitatum ad incerta belli paratum eſſe, conſcenſiſque equis extra caſtra excubare jubet: Joannem Turcum cum parte Ungarorum, adjuncto ei Carolo Sirmiinio, cum cataphractis Germanis, ad ripam Maruſi, & paulò infra eam ſtationem equites Bathorii, & Nadaſdii & Nobilitatis collocat, &, ut diligentiſſimè excubent, cohortatur.

Impreſſio noſtrorū præcipuè

Dum in hunc modum boni diligentiſque ducis munia obit, necdum ſigno adorienda urbis publicato, perpauci Hiſpani, & vix ſeptem aut octo milites mutuo colloquuti, cohortante Ferdinando Botto, Petri Abulenſis Manipulario, qui abſente cohortis ſignifero, eo fortè die ſignum geſtabat, ne Hiſpanicæ gentis decus ab exteris præriperetur, qui expugnadarum urbium peritia ſemper ante alios fuiſſent, magnum ſed temerarium facinus auſi, præeunte magno curſu Botto, & ſignum præferente ad mœnia provolarunt; & cum Turcis pro ſui paucitate magnum & cruentum certamen in ipſis muris contraxerunt. Verùm à Turcarum & Janicerorum promptiſſimis, priuſquam ſuccurri potuiſſet, amiſſo vexillo ad unum omnes cæſi interière. Nec mora, cæteri Hiſpani, conſpecta commilitonum fortuna, ſubitaneo impetu, ſublatis vexillis in hoſtes ferri cœperunt, ducentibus Villandradio & Encinello, pugnamque reſtaurarunt. Sed quum Turcæ multis partibus ſuperiores eſſent, eorumque tria millia adverſus perpaucos ſeſe oppoſuiſſent, ancipiti pugna res gerebatur. Quo animadverſo cohortes Germanicæ, quas felix & Baptiſta Comites ab Arco ductabant, contineri nequiverunt, quin Hiſpanis laborantibus opem ferrent; itaque procurrentes nullo ſigno, nullo ducum expectato imperio, cruentum certamen denuo renuvant, & diu protrahunt. Verùm multitudine hoſtium victi, multis ſuorum amiſſis terga vertere cœperunt. Cecidit in eo adverſo conatu Encinellus, & Aldanæ ſignifer, & Villandradius gravi accepto vulnere pugna exceſſit; capta ab hoſtibus ſigna quatuor, & ex Hiſpanis Germaniſque deſiderati complures.

1550

Hiſpanorum in ruinas muri facta.

Sed à Turcorū multitudine repulſi tergaverterunt.

Caſtaldus & Monachus cæterique duces dum eo tempore cibum ſumebant, primus omnium Nadaſdius fugâ noſtrorum animadverſâ equum arripuit, atque accurrens ad pugnæ locum celeriter equo deſcendit; vexillumque de manu unius ex Ungaris ſigniferi abreptum in murum ſuſtulit, ac noſtros, ut ora in hoſtes obverterent, ſummâ virtute atque audaciâ impulit. Ejus exemplo Ungaris muros repetentibus, Hiſpani quoque reſumptis animis pugnam redintegrant. Clamore pugnantium & tormentorum fragore exaudito, Caſtaldus & Monachus relictis propere menſis, proſilientes ad arma conclamant, & conſcenſis equis citatu curſu eo ubi certabatur, advolant. Eos cæteri ſequuti omnes in pugnam certatim ruunt. Monachus depoſita cuculla, viridique ſumpto paludamento, plumeis criſtis pileo ſurgentibus inſignis, in aciem prodit, pedites Ungaros magnâ ſublatâ voce concitat, equites pedibus pugnare jubet. Nec Caſtaldus quicquam prætermittit, quo ſuos in prælium reducat, ſic ut Hiſpanos & Germanos magno clamore compellatos, abolendum reſtaurato conatu acceptum dedecus, & victoriæ parandæ incumbendum ingeminaret, eorum fore victoriam, qui pertinaciùs pugnando in acie perſtitiſſent. Hiſpanos omnibus etiam tranſmarinis bellis contra Mauros & Turcas inſignia virtutis fortitudiniſque trophæa erexiſſe; non committendum, ut tunc in conſpectu tot fortiſſimarum gentium degeneri animo priſtinum decus fœdè amittant; neque deſiſtendum, donec hoſtes loco pellantur.

Noſtri pugnam inſtaurant.

Caſtaldo & Monacho Ducibus.

Per hunc modum Nadaſdio vexillum præferente, & Caſtaldo & Georgio in prima agminum fronte concurſantibus, redit noſtris animus: cæteri etiam, qui in ſtataria acie erant relicti, è colle, confertis ordinibus, deſcendunt, & magna vi muros & hoſtes invadunt; Mars terribili fremitu recrudeſcit, clamor & vociferatio virorum, fragor crepitantium ſclopetorum ſëra fe-

Et Nadaſdis vexillum præferente.

rie,

1550. rit, atra pulveris ſulphurei nebula mutuum pugnantibus aſpectum adimit, tympanorum, tubarumque ſonitu cuncta implentur. Sforcia Pallavicinus cum Italis juſſu Caſtaldi adcurrit, & inter primos immiſtus cum hoſte pugnat: *Villoæ fortitudo.* Villoa & ejus ſignifer Franciſcus Salſedus mœnia ſuperant, ſignumque inferunt; eos Ungari ſequuntur, plurimi utrinque cadunt: poſtremò Turcæ noſtrorum impetum nequaquam ſuſtinentes detruduntur, & in duas partes diſſipati, terga vertunt, ſic ut una eorum acies cum Ulamane præcipiti fuga ſe in arcem reciperet: altera, in qua ſeptingenti equites erant, per averſam portam, quæ ad Maruſum præterfluentem ducebat, intento curſu dilaberetur. *Noſtri oppidum, dejectis Turcis occupant.* Verùm ii quoque bipartitò fugere incipientes, partim in equeſtres Joannis Turci & Sirotinii copias, quas à Caſtaldo optimis locis diſpoſitas retulimus, inciderunt, primoque ab illis fuſi & conciſi, remenſo Maruſo, mox ab equitibus Bathorii excepti, & quadam veluti indagine clauſi, quamqam ſeſe dedentes, nequaquam tamen recepti, ad unum omnes interfecti ſunt. Alterum eorundem agmen fugiendo juxta ac pugnando feſſum, vulneribusque debilitatum, Hiſpani nemini parcendum vociferantes, ad unum delevêre. In priore pugna certatum eſt vehementius, equo Joan. Turci ſeptem vulneribus ſauciato, ipſe per hemicyclum, cui pedem inſertum habebat, adeo validum Turcico acinace ictum ſuſtinuit, ut diſſecto hemicyclo ferreo, & ruptis calceamentis, pede etiam leviter perſtricto, periculum tamen evaderet, Turcamque veruto, quod ab Ephippii capite pendebat, conficeret. Franciſcum quoque Siſmanum, equitum Bathorii præfectum ab hoſtibus, occiſo equo, humi proſtratum, ſocii ſervavêre.

Sed in oppidi oppugnatione, cùm plurimi utrinque occubuiſſent, & noſtri Turcis in arcem fugientibus inſtarent, & terga cæderent, nova pugnæ facies orta fuit: quum enim pons, qui arcem petituris tranſeundus erat, anguſtior eſſet, quàm ut confertis & conglobatis, metuque perculſis agminibus iter præberet, hoſtes converſi pugnâ renovatâ, noſtros invaſerunt. Ibi Simon Forgacius acerrimè pugnans, undecim vulneribus acceptis, & utrumque crus lancea trajectus, ab Hungaris & Hiſpanis ægre protegitur: & plurimi partim ſauciantur, partim præcipites in foſſam de ponte dejiciuntur. Verùm poſt longã concertationem rejecti, ac in arcem compulſi hoſtes, oppidum noſtris reliquêre; à quibus mox illud ſumma celeritate direptum fuit: nec contemnenda in eo præda reperta. Forgacius inter cadavera noſtrorum & hoſtium ſemianimis repertus, & in caſtra perductus, poſtea convaluit.

Inde arx oppugnatur. Caſtaldus capto oppido, & præda militibus conceſſa, ad arcem oppugnandam animum, viresque convertit, ac advectis tormentis, aggeres tribus in locis conſtituit, ex quibus arcis mœnia verberarentur, deditque munus tormentarii negotii procurandum Sforciæ Pallavicino, qui operæ navandæ cupidus, portam arcis quaſſandam ſuſcepit: atque alio in loco à latere alterius portæ flumentaneæ ſinuoſas ſcrobes effici juſſit: ipſeque ibi cum mille peditibus Germanis, ac quingentis equitibus cuſtodiæ cauſa locum ſibi delegit: tertia oppugnatio ab Occidente verſus Chanadium inſtituta eſt: & ſingulis aggeribus ſena tormenta majora, & totidem mediocria invecta ſunt, quibus per novem dies arx acerrimè concuſſa eſt, uſque adeo, ut Ulamanes & Turcæ de ejus defenſione deſperare viderentur. Accedebat annonæ & rerum neceſſariarum ingens penuria, qua vehementer laborabant. 1550.

Quibus rerum difficultatibus adductus Ulamanes, de deditione cum quibuſdam ſibi notis ducibus & præfectis agere cepit: & ſi cum ſuis copiis dimitteretur Chanadium & Lippam, ſe dediturum polliceri. *Ulamanes de deditione agit.* Cui Monachus, qui ſibi omnium copiarum imperium vendicare videbatur, non tantùm abeundi libertatem, ſed etiam uſque ad tutiora loca comitatum tribuendum cenſebat, ne Solimanus nimia noſtrorum in Ulamanem crudelitate offenderetur. Contra Caſtaldus, ad quem ita volente Ferdinando totius ejus expeditionis ſumma reſpiciebat, auctoritatem ſuam, intempeſtivi nec ſatis fidelis conſilii arrogantia ſperni & conculcari moleſtiſſimè ferebat: (eo tamen dolore aſtutè diſſimulato) *Diſſenſio de conditionibus inter Georgium & Caſtaldum.* ad arbitrium victoris deditionem exprimendam judicabat, quæ haud dubiè brevi ſequutura erat: quum obſeſſis cuncta alimenta defeciſſent: & nonnulli ex Turcis miſerabilem in modum fame interirent; alii felibus aut equina carne, aliiſque lege vetitis edulis veſcerentur, ægreque vitam ſuſtentarent. Ad plures alias offenſionum cauſas, quibus Caſtaldi animus à Monacho alienatus erat, ortæque ex iis diræ ſimultates, quas ille Ferdinando ſecretè perſcribebat, eumque ad tollendum è medio Monachum exacuebat; hæc diſſenſio, iſtudque clam initum cum Ulamane commercium, quod Caſtaldus in majus ſubinde attollebat, Monacho exitiũ paulò pòſt peperit: quandoquidem fato urgente, ejus prudentia minor deinceps fuit: quamvis antea cautior & conſideratior ab omnibus habitus fuiſſet. Quamquam igitur Caſtaldus, ut ſuo arbitrio deditionis conditiones fierent, meritò poſtulare videbatur, eique duces & præfecti ferè omnes aſſentiebantur; tamen eo invito, Monachus ab Ulamane ingentibus promiſſis oneratus, quibus ſe apud Solimanum priſtinum gratiæ locum recuperaturum affirmabat, viginti dierum inducias cum eo paciſcitur: qui dum elabuntur commeatu ac rebus neceſſariis eum clam juviſſe dicitur, ſicuti id à Caſtaldo & Pallavicino per idoneos homines, omnia ejus dicta & facta aſſiduè explorantes, certis indiciis compertum eſſe ferebatur. *Georgius 20. dierum inducias cum Ulamane paciſcitur.*

Quæ quum Caſtaldus Ferdinando per celeres nuntios ſignificaſſet, nec eum ſalvo Monacho, quieta Tranſſilvaniæ poſſeſſione potiturum denunciaſſet; venit in caſtra Julius Sanazarius, ſtabuli regii promagiſter, à Ferdinando cum mandatis miſſus, ut ſi Caſtaldus, ſublato Monacho res in tranquillo futuras cenſeret, ageret quod è republica fore videretur. *Et commeatu eundem ſublevat.* Paulò pòſt per equos ſumma celeritate diſpoſitos adfuit etiam Scipio Comes ab Arco, eo prætextu, quod cum Felice & Baptiſta Comitibus, propinquis ſuis, de privatis, quas magni momenti haberet, rebus colloqueretur: re autem vera cum iiſdem, quibus Sanazarius erat miſſus mandatis. *Salvo Georgio, inquietem fore Tranſſilvaniam ſignificat Caſtaldus.* Per eos eadem celeritate remiſſos, Caſtaldus non aliud, quàm repetendo facinora Monachi, & in pejus interpretando, rem ſibi curæ fore ad Ferdinandum reſcripſit. Ferunt ejus conſiliorum Nadaſdium quoque conſcium fuiſſe, quod ut affirmare, ſic neque negare auſim; quum à multis audita potiùs ſimpliciter, quàm probe comperta referri plerumque videam. *Ferdinandi mandata de Monacho.*

Dum hæc fiunt, & induciarum præter Caſtaldi voluntatem cum Ulamane initarum tempus

1550. pus effluit, Monachus duces ad ſuum tentorium convocavit, libertatis Ulamani obtinendæ cauſa: quem de ea miſſo ad eum antea Gaſpare Peruſicio affine ſuo bene ſperare juſſerat. Venêre Caſtaldus ipſe, animo, quod verſabat, diſſimulans, Bathorius, Nadaſdius, Perenius, Patocius, aliique. Et quum eos inſuperabilis Solimani potentiæ, ſe vinium immenſarum metu injecto terrere vellet: neque irritandum illum cæde aut captivitate Ulamanis diceret, cui ſimilia infimæ vilitatis mancipia non eſſent defutura; obtinere tamen, ut ei aſſentirentur, non potuit; ſed vel diſſuadentibus invitiſque illis, fatali pertinacia in propoſito perſtitit. Nec quicquam cunctatus Paulo Baneo, Gaſpari Peruſino, ac Ladislao Udenſio, præfectis ſuis jubet, currus & plauſtra juſto numero in caſtris perquiri, ac ad Ulamanem mitti, quibus ſarcinas & impedimenta, ſauciosque Turcas imponat; ac deinde ille arce excedat. Dictum poſtea fuit, plauſtris commeatum & arma, juſſu Monachi fuiſſe clam injecta; ſed nullo, quod quidem ſciri potuerit, certo auctore. Thracum quoque præfectis Nicolao Crepovino, Stephano Saboni, Petro Boſitio, Theoduro Bilenitio, Savæ Raſciano, & Demetrio Muſevitio ad ſe vocatis, coram mandat, ut cum trecentis plus minus equitibus Ulamanem ad tutiora loca comitentur: Caſtaldo quamquam irâ & dolore percito, diverſaque conſilia animo volvente, omnia tamen tacitè diſſimulante, aliaſque exſpectante occaſiones. Antè verò quàm Ulamanes diſcederet, Monacho in tanta rerum difficultate munera miſit Lampadem deauratam, duos cereos auro elegantiſſimè ornatos, ac Perſicum Sudarium auro intertexto acu pictum, cum quatuor equis militaribus, & pugione auro & gemmis eximii operis exornato. Exiêre ad condictum mediæ noctis tempus, lucente lunâ, mille & trecenti Turcæ, qui ex quinque millibus ſupererant, quos Ulamanes (à Monacho admonitus, ut ſibi in itinere caveret, quòd diſcordibus Ducum ſententiis fuiſſet dimiſſus) ſingulari ordine in aciem diſpoſitos, ac ad incertos quoſvis caſus paratos, duxit, ut ab intuentibus, & ab Thracibus, qui eum comitabantur, militaris diſciplinæ nomine impenſiùs laudaretur.

Ulamanes Georgii artibus, repugnantibus cæteris ducibus, dimittitur.

Mille & trecenti Turcæ egreſſi.

Non tulêre Franciſcus Chrovatus, & Melchior Balaſſius, ut Turcæ victi, tot rapinis & cladibus omni circa regioni illatis, ac in Lippæ oppugnatione tanto commilitonum numero interfecto, præter univerſi exercitûs conſenſum impunè abirent, communicato inter ſe conſilio, ut eos in itinere adorirentur, conſtituêre. Prior Franciſcus eos inſequutus eſt; & quum fortè fortuna in Michaëlem Dombaium cum militibus Temeſvario egreſſum incidiſſet, citatis equis unà perrexit; nec multò pòſt Benedictus Cuſarus, & Gregorius Vaivoda cognomine è Naglaco ſe ei conjunxerunt: nondum Balaſſio uſpiam apparente: qui incertum quas ob cauſas moram nectere erat coactus. Sed & is poſt aliquod intervallum temporis præſto fuit cum Michaele Toto è Segedino, & quibuſdam aliis. Jam Thraces à Monacho Ulamani comites dati redierant, cùm Franciſcus & Balaſſius clarâ diei luce Turcas aggreſſi, inclinatis haſtis aliquot peremêre: ſed Ulamanes ſuos denſatos ad reſiſtendum cohortatus, quorum major pars ex prætorianis Janiceris, uſque peritiſſimis ſclopetariis conſtabat; tantâ animi præſentiâ eorum impetum excepit, repreſſitque, ut ex noſtris complures glandibus & ſagittis ſauciarentur, caderetque ante alios ſagittâ ictus Ambroſius Boſniacus è Naglaco, ſummæ fortitudinis eques. Sed & Balaſſius ipſe in dextro pede, glande atrox vulnus accepit; & Franciſco ſcutum, quo tegebatur, ab Janiceris plumbeo craſſioris ſclopeti globo trajectum eſt; illæſo tamen pectore, ſic ut multis utrinque cadentibus, inter quos Ulamanis legatus fuit, quem ipſe Quihaiam vocabat, pugna dirempta fuerit: noſtrique Turcas ut abirent, & Turcæ noſtros, ut unde venerant, redirent, mutuum vale dicendo cohortarentur. Sicque Ulamanes enectis fame, ferroque militibus ſuis, ac in itinere pleriſque in locis, per inſidias noſtrorum amiſſis, vix quadringentos incolumes Belgradum perduxit; indeque ad Solimanum Hadrianopoli hibernantem contendit. Quæ quum Monachus & Caſtaldus audiviſſent, diverſis animorum affectibus tulêre; ille enim ſuam fidem etiam hoſti ſervandam fuiſſe dictitans, quod jam facta res revocari non poterat, ægrè placatus eſt: hic verò omne hoc facinus inultum ſummo ſilentio tranſmiſit. 1550.

Chrovatus & Balaſſius Turcas aggreſſi, fortiter rejiciuntur.

Receptæ per hunc modum Lippæ, Caſtaldus Aldanam caſtrorum magiſtrum præfecit, ejuſque præſidio cuſtodiendo Hiſpanos milites delegit: ſimul & commeatu ad multos menſes, rebusque neceſſariis, & tormentorum idoneo apparatu inſtruxit, ac Gaſpare Caſtelluvio ad Loſoncium, ut Temeſvarium aucto præſidio cuſtodiret, dimiſſo, omnibuſque rectè proviſis, quod jam hiems ſæviret, & multâ nive cœlo delapſâ cuncta rigerent, caſtra in Tranſilvaniam reducere conſtituit. Hic novæ diſſenſionis occaſio inter Monachum & Caſtaldum oboriri viſa eſt: quum hic copias in hiberna per Tranſilvaniæ urbes diſtribuere vellet, idque per cohortes & contubernia publicaſſet; ille verò non quidem repugnandi ſtudio, ſed quia illas aſſiduis exactionibus, & caſtrenſibus neceſſitatibus obeundis exhauſtas diceret, interceſſiſſet; ac ut potiùs in præſidiis limitum finitimarumque arcium collocarentur, conſultius fore cenſuiſſet. Deinde interventu Bathorii, mitigatis animis ita eſt diſceſſum, ut copiæ in arces, quæ hoſtibus viciniores eſſent, collocarentur; pars autem aliqua quæ potiſſimùm majores in expugnanda Lippa labores ſuſtinuiſſet, in Civitatibus & earum ſuburbanis hoſpitio reciperetur, ibique hiemaret. Quod Caſtaldus præmuniendi ſui cauſa contendebat, ne ſcilicet ſibi magnum facinus tollendi è medio Monachi aggreſſuro præſidia militum idoneis in locis diſpoſita, ſi quis tumultus eveniret, ad defendendum deeſſent.

Lippa Aldana caſtrorũ magiſter præficitur.

Nova diſſenſio inter Caſtaldum & Georgium.

De copiis in hiberna diſtribuendis.

Itaque copiis progreſſis, & ad alteram Maruſii ripam procedentibus, Caſtaldoque cum peculiari ſua turma equitum ſclopetariorum, Monachum, qui præcedebat, ſequente, ad Alvincium caſtellum perventum eſt: quod Lippâ euntibus in fine campi illis occurrit, qui de panibus nomen habet. Ibi Caſtaldo honoris cauſa hoſpitium in majori & commodiori ædium parte, juſſu Monachi aſſignatur, ipſe ſibi cubiculum quoddam ad meridiem, in quo ejus diei reliquum, ac quæ imminebat noctem quieſcere, delegit, nec multò pòſt, futuri neſcius, copias ferè omnes dimiſit, ſe prætorianorum peditum præfectis, ut ſe ad comitia Vaſarhelum, quod eſt inter Siculos oppidum, quò ea indixerat, paucis ad impedimentorum carrorumque cuſtodiam relictis præcedant, juſſit. Ibi Caſtaldus opportunitatem rei gerendæ ſe nactum videns, Sfurciam Pallavicinum

Georgio inſidiæ ſtruuntur

vicinum

1550. vicinum, cum quo antea conſilium communicaverat, iique operam & ſtudium ſuum prolixè erat pollicitus, ad ſe vocatum, ut rem aggrediatur, ſimulque perficiat, hortator, Andreæ Lopea Hiſpanorum peditum cohortis præfecto, quid facere in animo habeat, educto mandat, ut cum ſelectis ex militum numero promptiſſimis quibuſvis, ante auroram, dum currus Monachi onerantur, ac cætera ad iter parantur, ad ſe in caſtellum veniat, portamque, quo majori poſſit ſilentio abſque tumultu occupet. Sforcia totam eam noctem inſomnem ducendo, ac conſultando tranſegit: reque conſtituta, Marcum Antonium Ferrarium, Caſtaldi amanuenſem, patriâ Alexandrinum, qui Monacho jam pridem cognitus, ac muneribus & pecuniâ ab eo donatus erat, ſe Laurentium Campegium, Joannem Movinum, Scaramucciam quendam cum duobus ſicariis Placentinis, ac Joannem Mercadum, & Petrum Abulenſem cohortis præfectum cædi patrandæ aſſumpſit.

Dubiâ adhuc matutinæ diei luce, porta caſtelli à peditibus Monachi, quorum pauci erant relicti aperitur ac carri tranſire incipiunt; Lopes eâ occaſione ſuos pedites Hiſpanos commodè introducit, Sforcia cum conjuratis & ſceleris conſciis ingreditur. Marcus Antonius ſicâ, & minore ideóque occulto ſclopeto inſtructus, Monacho preces matutinas exequenti per cubicularium puerum nuntiat, ſe habere arduum magnique momenti negotium cum eo paucis communicandum. Admiſſus in conclave literas profert ad Ferdinandum Regem in ſui commendationem ſcriptas, quibus ut nomen ſuum ſubſcribat, diligenter orat. Sumpto calamo, cùm prono in literas vultu ſe inclinaſſet, ille pugione ejus jugulum lethali ictu transfadigit. Strepitu ſimul & clamore exorto Sforcia & cæteri decem numero irrumpunt, ſtrictiſque gladiis eum Chriſti Dei, divæque Virginis matris opem implorantem circumſiſtunt, & ictus ingeminant. Marcus Antonius rabidæ feræ inſtar procidentis & palpitantis pectori ſclopetum intendit & glande trajicit; nec mora, reliqui multis cæſim punctímque illatis vulneribus confodiunt; puerum quoque cui Franciſco ferreo nomen erat, qui inermis attonitóque ſimilis horribile facinus aſpectabat, ſeptem affectum plagis ſeminecem relinquunt, ac ſe cubiculo proripiunt.

Monachus à Pallavicino & aliis conjuratis è medio tollitur Idibus Decemb

Interfecto per hunc modum Monacho, dextram auriculam ejus, quæ naturali adnato coronam pilola erat, Mercadus præcidit; & ut res Ferdinando evidentiùs acta conſtaret, per celeres diſpoſitoſque equos Viennam, indéque Pragam pertulit. Cadaver multis fœdè confoſſum vulneribus, cruore, taboque deformatum, incredibili rerum humanarum inconſtantiæ exemplo, 70. ampliùs dies neglectum inhumatúmque in veſtibulo ejus cubiculi, in quo erat occiſus, jacuit; nec niſi ad initium menſis Martii tumultuario funere à ſacerdotibus collegii Albenſis in majori æde Divo Michaëli ſacra tumulatũ, cùm Idibus Decembris fuiſſet crudeliter trucidatus. Et ſanè non parvâ admiratione dignum videtur, neque tunc in ipſius cædis veſtigio, nec poſtea quemquam ex ejus amicis aut docibus & copiis vel hiſcere auſum, nec quicquam ſeſe commoviſſe: quibus non tam vires, quæ adhuc ſupererant, quàm animum vindicando ſceleri defuiſſe cenſendum eſt.

Monachus quidem ſive inſons & eâ cæde indignus fuerit, ſive eam promeritus, utrumque enim vulgi ſermonibus jactatum eſt; auctores certè cædis ejus non multo pòſt tempore, diverſis pœnarum generibus divinitus, ut credi par eſt irrogatis, partim in ſummas calamitates incidêre, partim miſerabili vitæ exitu interiêre. Sforcia enim non toto vertente anno, à Turcis cæſo exercitu captus, ac apud eos virgis & fuſtibus exceptus, multo auro ſe redemit. Marcum autem Antonium Ferdinandus Gonzaga, Mediolani Cæſaris Caroli V. præfectus, alterius noxæ capitalis crimine convictum in præalta furca, latronum more ſuſpendendum curavit. Campegio Auguſtæ Vindelicorum dextra manus, quâ interficiendo Monacho uſus erat, primò nocturna in rixa detruncata eſt: nec multo pòſt, dum Viennæ in Ferdinandi Regis comitatu feras venaretur, ab apro terribili dentis ictu laniatus, & effuſis viſceribus interfectus fuit. Scaramuccia autem in Gallia Narbonenſi à militibus quibuſdam in fruſta diſſectus fœdâ morte; alii verò aliis infamis lethi caſibus ſcelerum pœnas exolvêre. Caſtaldus occupatis ubique Monachi theſauris, qui erant planè regii, ac arcibus in obſequium Ferdinandi brevi redactis, copias in hiberna, prout commodius viſum eſt, diſtribuit, ipſe Cibinium provinciæ caput conceſſit, ibique de iis, quæ erant neceſſaria, per Sforciam celeribus equis miſſum Ferdinandum edocuit.

1551. *Auctores cædis variis calamitatibus periêre.*

Cùm apud Pannonios cædis hujus fama percrebuiſſet, varii diverſis animorum affectibus de ea ſentire videbantur. Nonnulli jure cæſum dicere; quòd iterum ad Turcas ſimul cum Tranſilvanis defecturus fuiſſet; alii negare id ſeriò, & ſacratum virum, eumque in collegium Cardinalium adſcitum, in dicta cauſa inſontem, nullius ſceleris convictum periiſſe affirmare; ut eo ſublato, Regina & pupillus faciliùs circumveniri, & & regno exui poſſent; Caſtaldum verò operam diligentem ideo navaſſe, ut extincto æmulo, ad expilandam provinciam & uſurpandos theſauros ſolus imperio poteretur. Ulamanis viliſſimi transfugæ Mahometani dimiſſi culpam non tanti momenti eſſe debuiſſe, ut pro ea tam acerbâ morte trucidaretur: aliis quoque principibus viris Pannonici nominis, ejus interitum exemplo documentoque, ni caveant, fore.

Varia hominum judicia de Georgii morte.

Quibus rumoribus ad Ferdinandum perlatis, Franciſco Vilaquio, qui ejus loco & nomine Pannoniis jus dicebat, Epiſcopo nimirum Jaurienſi, ac Senatûs principi, atque iis omnibus, qui conſiliorum nomine cenſebantur, Idibus Januariis Pragâ literas, quibus factum excuſaret, dandas exiſtimavit; in iis prolixo ſermone recenſebat,
vivente etiam Joanne rege, univerſum regnum“
ab illo diſcordiarum & ſeditionum tempeſtati-“
bus jactatum fuiſſe, poſtremò illum Budam re-“
gni caput, ipſumque adeò regnum, cum perdi-“
tiſſimis ſuæ factionis hominibus Turcarum“
principi nefariè prodidiſſe: Regina ipſa, cujus“
cauſam tueri videbatur, tali ac tanto ſceleri non“
tantùm adverſante, quantum poterat; ſed planè“
etiam adversùs illum Ferdinandi Regis opem“
implorante. Omnia verò eundem & antea, &“
ab eo tempore cum eodem Turcarum principe“
ejuſque præfectis conſilia, literis & nuntiis, pro-“
fuſaque largitione ſic conjuncta habuiſſe, ut“
facilè appareret, præter nomen Chriſtiani ho-“
minis, nihil illum jam planè ſibi reliquum fe-“
ciſſe. Quæ quum notiora ſint ubique, ac pluri-“
bus ſæpè lacrymis ab omnibus Chriſtianis de-“
plorata, quàm ut ullâ egeant commemoratione“
ſilentio ſe in præſentia præterire: & ad illa ven-“
turum, quæ recentiora quidem, ſed ipſis non“
omni fortaſſis ex parte cognita ſint.“

Ferdinandi litera ad regni conſiliarios, quibus factum excuſat.

Itaque

1551. „Itaque quum ſæpè numero proximis annis ſeſe variis artibus commentiſque aggreſſus idem Monachus, multis rationibus Chriſtianæ reip. religionique addictum eſſe jactaret, occaſionemque ſibi dari vehementer præ ſe ferret, quo ſuam operam ipſi navare liceret, hortatum eſſe inter cætera pluribus argumentis, ut Tranſilvaniam & illas Ungariæ partes in ſuam redigeret poteſtatem, ejuſque rei conſequendæ facilem ſe aditum procuraturum pollicitum: poſteà tamen conſtitiſſe nec ſincero, nec Chriſtiano animo ab eo factum eſſe: ſed eo tantum, quòd ſibi ab ira atque odio principis Turcarum, in quam paulò antè ob ſimultates inter ipſum ac reginam & Petrovitium ſubortas inciderat, maximè cavendum pertimeſcendumque intelligebat. Tametſi autem ipſe ſubdolis ejus oblationibus, vanæque ſpei, quæ ab homine vaſro proponi videbatur, parum credendum arbitraretur; neque temerè ſuos homines, quos ille eò mitti poſtulabat, periculis committendos exiſtimaret; quia tamen identidem urgeret, & incidiſſent inter eum & reginam certæ controverſiæ & contentiones tantæ ac tales, ut partes illæ Ungariæ celebriores, ejuſdem cujus & Buda dolo atque inſidiis paulò pòſt, niſi obviam iretur, ad certum interitum ruituræ viderentur; ſe pro ſuo erga Pannonios, & rempub. Chriſtianam ſtudio & pietate, graviſſimis ſuis impenſis, multorumque bonorum virorum periculo experiundum duxiſſe, ſi qua ratione Tranſilvaniam, & eas inferioris Ungariæ oras ab imminenti periculo liberare poſſet; itaque coacto juſto exercitu, ducibuſque idoneis eas in regiones æſtate proximâ dimiſſis, qui & conſilio & arte militari pollerent, nec facilè decipi poſſent, in eas fœderis & pacis conditiones cum regina eumque Monacho ingreſſum eſſe, quibus illæ regni partes in poteſtate retineri, ac reginæ & ejus filio pro dignitate conſuli; & poſtremò ipſius Monachi ſtatus in Epiſcopatu Varadienſi non modò conſervari, ſed etiam augeri poſſe videretur.

„Atque hic tametſi initio favere ſibi, ſuæque regiæ auctoritati in ſpeciem viſus eſſet, quod ſive conſiliis ſuorum ducum & miniſtrorum præventus eſſet, ſeu fortè armatas inſtructaſque copias ſuas pertimuiſſet; haud multò pòſt tamen alio animo eſſe palam cœpiſſe, & præter ſcitum mandatumque ſuum conſilia cum Turcis & cum Beglerbego, qui cum exercitu haud procul à Danubio conſediſſet, miſcuiſſe; literaſque & nuntios, quibus longè aliter res ſecum in fœdere tractatas expoſuiſſet, quàm ſeſe haberent, expediviſſe: ſeque principi Turcarum fidelem eſſe, & futurum ſemper, ac in ejus fide & obedientia omnes eas regiones conſervaturum promiſiſſe, deque regina & ejus filio ficta falſaque permulta, quæ longum eſſet explicare, identidem ſignificâſſe.

„Tandemque confectis rebus omnibus, & regina æquis conditionibus eò perducta, ut reddita corona & omnibus, quæ in poteſtate habuiſſet, Tranſilvania cum filio exiret, eundem Monachum non ſolùm cogitâſſe; ſed cum nonnullis regiis miniſtris ſuis de retinendo in Tranſilvania puero palam egiſſe; quod illo abducto omne ſibi prorſus imperium in reliquum tempus ademptum iri intelligebat. Ubi verò id minimè procedere comperiſſet, ad alias artes converſum eum fuiſſe, & ad Turcarum principem iterum confugiendum duxiſſe, cui cenſum pecuniarium mittere, & regionem omnem ei ſubdere, ejuſque præfecturam & adminiſtrationem ab eo impetrare prorſus non dubitaverit, id quod ex literis Turcarum principis, quas ad Tranſilvanos dederat cognitò fuiſſet. Quo impetrato, cum duces & copias ſuas, vel in manus hoſtium traditas vellet, eaſdem regiones iterum in ejus fidem & obſequium ſe perducturum pollicitum eſſe, quemadmodum ea de re fidi exploratores ex Turcis, & à mercatoribus nonnullis Venetis retuliſſent, ac à quodam etiam amico, Chriſtiano principe, pro certo fuiſſet affirmatum. Inſuper eum Beglerbego clam per nuntios egiſſe, ut cum omnibus copiis Danubium, Tibiſcumque trajiceret, omnis in ejus poteſtate futura, imprimiſque illum adverſus eas arces & loca incitare conatum, quæ ſibi per Petrovitium ex tranſactione cum regina facta paulò ante traditæ erant, palamque Petrovitium proditorem appellâſſe, quod ea loca regiis manibus tradidiſſet, ſe verò fidelem jactitâſſe, qui Tranſilvaniam etiamnum Turcarum principi retineret.

Quæ quidem omnia ad ſe prelata, etſi manifeſtam illius fidei, voluntatiſque ſuſpicionem adferre viderentur; in meliorem tamen partem, (uti ille ſibi literis ſuis perſuadere identidem conabatur) licet graviter, ut in tantis rebus interpretatum eſſe, ſuoſque in illis partibus miniſtros ſæpè adhortatum, ferrent ea patienter quantum poſſent, darentque operam, ut ſe regioneſque eas à periculo tuerentur. Audito Beglerbegi de trajiciendis fluminibus certo conſilio, cùm ſui duces acriter ſeſe ejus conatibus, in trajectu præſertim Tibiſci opponere conarentur: conſtat eundem Monachum per nuntios omnibus tam Raſcianis quàm Ungaris diligenter perſuaſiſſe, ne ad cujuſpiam mandata, niſi ejus, arma caperent, regioſque præfectos, qui iſthic in finibus collocati erant, imprimiſque Stephanum Loſoncium, juvenes atque imbelles, & rerum militarium imperitos appellâſſe: adeò ut metu deſperationeque adducti Raſciani, primo hoſtis impetu ſibi, ſalutique ſuæ conſulendum exiſtimâſſent."

Tametſi autem nihilo ſeciùs hinc Bathorius, illinc verò Caſtaldus ſummo ſtudio diligentiâque urgerent, ut idem Monachus pro ſua in regionibus illis veteri auctoritate, & ea, quam identidem jactaret, fide in regem & obſervantia, delectus militum illico haberet, ſubditoſque & populares ad arma concitaret, auxilia undique contraheret, cunctatione tamen fictiſque & ſimulatis cauſis ita rem protraxiſſe, ut non obſcurè appareret, illius inſtinctu hoſtem ad intercipiendam opprimendamque eam regionem eſſe provocatum: contra quem nullum planè auxilii genus ipſe, cujus maximè id intereſſet, comparâſſe videretur. Extitiſſe autem illius animi certum id argumentum, quod quum Andreas Bathorius, pro ſui officii ratione nonnullam partem Nobilitatis viciniorem ad arma de more excitaret, nequaquam ad id eos cogere potuiſſe: negantes id ſibi per Monachum licere, cujus imperata facere eos oporteret; quod ipſum ab illo eis prohibitum fuiſſe, intercepti nonnulli Monachi internuntii facilè poſteà eſſent teſtificati."

Hæc itaque non ſolùm voluntariâ cunctatione, ſed manifeſtâ conſultâque proditione effectum eſſe illud primò, quòd Raſciani deſperato regiarum partium auxilio, ultrò ſe advenienti

tanti

1551. „tanti hoſti dediderint: deinde quòd Beglerbegus nemine reſiſtente trajecto utroque flumine arces multas oppreſſerit, cùmque Bathorius eodem tempore ſe ad Lippam recepiſſet, conſtet eadem Monachi proditione, eundem ab iis, quas ex vicinis aliquot locis coëgerat, copiis, unico momento fuiſſe deſertum: cùmque ſe ad Tamasludam indè properè contuliſſet, urgeretque ex eo loco, ut ſuppetiæ ſibi & partibus illis ferrentur: quod item Caſtaldus ex Tranſilvania idem urgebat, tametſi ille utrinque verba daret ampla & magnifica, ſeſeque efferret admodum elatè; conſtat tamen nullum planè prius ſignum commovendi ab eo datum eſſe, quàm omnes eæ arces, quæ circa Temeſvarium ſunt, cum Lippa ſimul in poteſtatem hoſtis redactæ eſſent, Temeſvariumque ipſum (ut ipſe quidem arbitrabatur) in ſummo diſcrimine laborare intellexiſſet. Quo quidem tempore conſtat præfectum ejuſdem Monachi, qui erat in arce oppidoq; Chanadienſi, advenienti hoſti ad duo miliaria, ut dicitur, ſponte occurriſſe, claves arcis illi, arcémque & ſeipſum dediſſe: captúmq; à ſuis miniſtris ſe heri ſui mandato paruiſſe palàm eſſe confeſſum, nec pœnam ullam ſibi irrogatum iri, ſi ad eum perducatur. Poſtquam autem nullâ ampliùs ratione aut ſubterfugio, nullo prætextu profectionem ſuam cum cæteris ducibus & exercitu ſuo adversùs Beglerbegum differri poſſe intellexit: ſic illum quidem demũ ſolviſſe cum popularibus militibuſque ſuis, ut palàm nihilominus diceret, ſe cum Beglerbego nullo pacto conflicturum.

„Quanquam autem non his modò multis maximiſque argumentis Caſtaldus, cæterique ſui duces fidem Monachi ſuſpectam modò habere poſſe videbantur: attamen quod multo eſt maximum, intimum quendam ejuſdem Monachi familiarem conſiliorumque arbitrum, clàm ad Caſtaldum veniſſe, & fide acceptâ teſtem Deum Opt. Max. invocaſſe, & remotis arbitris cum multis lacrymis affirmaſſe conſtitutum omnino à Monacho eſſe, ut ipſum ducem ſuum cum omni exercitu deleret, ac omnem provinciam in hoſtium poteſtatem traderet: eadémque de re cum Beglerbego duobuſque Moldaviæ & Tranſalpinæ principibus communicatum decretumque conſilium eſſe: ac proinde familiarem illum Caſtaldo, ut ſibi caveret, auctorem fuiſſe. & tamen Caſtaldũ etiam cum periculo capitis ſui perrexiſſe, & communi hoſti liberè per omnem regionem graſſanti obviàm eundum cenſuiſſe. Signo tandem profectionis à Monacho dato, cùm rerum periculorúmque magnitudo ſummam celeritatem expoſceret, conſtare tamen illum invitis & reluctantibus cæteris ducibus ita paulatim pedetentimque eo toto itinere conceſſiſſe, ut quiſque etiam ſtupidus facilè poſſet intelligere, conſultò tempus ab illo protrahi, in perniciem regiorum, & excidium regionis illius.

„At verò ut ad Lippam perventum eſt, liquet omnibus palàm eo momento, quo virtute militum ſuorum capto oppido, Turcæ duce Ulamane ſe in arcem recepiſſent, hoſtes obſeſſos ſuppliciter petiiſſe, ut ſibi etiam inermibus exire liceret, ſe arcem illico cum omnibus rebus tradituros. Sed cùm paulò pòſt Gaſpar Peruſitius ejus Monachi propinquus, in arcem ad hoſtes colloquii gratia miſſus eſſet, ab eo tempore duriores ab illis conditiones de deditione fuiſſe propoſitas; quodque multò gravius eſt & intolerabilius, auditum fuiſſe quendam ex Monachi familiaribus, qui ex caſtris ad obſeſſos Turcicâ linguâ proloqui, & conſolari, ſimúlque eos hortari auſus ſit, ut ſeſe intrepidè defenderent, neque quicquam à noſtris, qui propediem relicta obſidione receſſuri, atque aliò eſſent dilapſuri, ſibi pertimeſcendum exiſtimarent. Cujus flagitii cùm ille coram Monacho ab eo, qui iſta loquentem ad arcis mœnia audiviſſet, accuſaretur, à Monacho dicente familiaris illius ſui probitatem fidemque ſibi jam pridem perſpectam eſſe, nec inſimulatione cujuſpiam in dubium vocari oportere, excuſatum defenſumque eſſe, & illum tanti ſceleris piaculique auctorem impunitum evaſiſſe. 1551.

Poſtquam autem iniquis (ut audire potuerint) conditionibus Ulamanes cum militibus rebúſque omnibus dimiſſus eſſet, aliaque certioribus ſignis tùm ibidem, tùm in reditu ad Tranſilvaniã, prona Monachi pertinaxque ad excidium exercitûs ſui propenſaque in Turcas voluntas clarior in dies manifeſtiorque apparuiſſet: quippe inter cætera ipſum clàm ad mœnia obſeſſæ arcis ſub noctis crepuſculum acceſſiſſe, & cum Ulamane collocutum eſſe: deinde verò eundem Ulamanem jam dimiſſum poſtridie ad ſe clàm vocaſſe, & in multam noctem in tentorio ſecum ſermonem habuiſſe, tandemq; honore maximo affectum, ampliſq; muneribus donatum, intérque cætera curru ſclopetis onuſto à ſe dimiſiſſe: iterúmque duos Chauſios à Turcarũ principe miſſos recepiſſe, quos ille ad conventum Tranſilvanicum ſe in eo indictum adducturus, ibiq; cum iis ea quæ volebat perfecturus fuiſſet. Duos præterea Valachos Moldavum & Tranſalpinũ principes, cum nonnullis Turcarum præfectis, ut ſimul omnes initi antea de delendo exercitu ducibúsq; ſuis atrocis conſilii facinus exequerentur, in armis fuiſſe.

Jam in reditu à Lippa præfectum arcis Devæ ſibi juramento obſtrictum, loco, officioque à Monacho motum eſſe, & eum aliis quoque in locis idem facere in propoſito habuiſſe. Sed de his antea quoque admonitum Caſtaldo ſignificaſſe, ut ſibi diligenter ſuiſque copiis caveret, quippe qui in tanto diſcrimine verſarentur: videretúrque tot tantiſque argumentis ac indiciis jamjam res ad irritum omnium tendere: neq; periculi magnitudo moram pateretur ullam, haud diutiùs Caſtaldum cunctari potuiſſe; ſed communicato cum cæteris ducibus ac præfectis, quibus opus erat conſilio, præveniendos nefarii proditoris perditos conatus potiùs, quàm diuturniori patientiâ & impunitate in manifeſtum excidium paulò pòſt, & ſeipſum, & omnes eas copias, adeóq; univerſam regionem cum ſummo totius reip. Chriſtianæ periculo & interitu ultrò propè objiciendas eſſe exiſtimaſſe: atque ita Monachum vim, quam ipſe tot tamque multis Chriſtianorum millibus inferre parabat, in ſe unum, ſic Deo annuente, expertum eſſe: poſtquam aliter imminentis periculi magnitudo ut fieri poſſet minimè pateretur. Voluiſſe ſe profectò aliam mentem, atque alium fuiſſe animum illi inditum, quàm quem ſemper geſſit, utque pro ſuis in eum maximis & ampliſſimis beneficiis, quibus vel ad Cardinalitiam uſque dignitatem, ſuâ eum fuiſſe auctoritate evectum, omnibuſque illis honoribus & dignitatibus à ſe auctum conſtat, quæ maximus & fideliſſimus quiſque ſibi vix ſperare potuiſſet: talem ſe erga illum vel erga regem ſuum præſti-

1551. „tiſſet, qualem & ætas, & Chriſtiana pietas, Or„doque ille ſacer, quem gerebat, quemque maxime profiteri & colere videbatur, ab eo jure „exigebant; ut & ſui duces ab inferenda vi merito putuiſſent abſtinere: ſed tamen non eſſe „dubium, pro multorum adeoque innumerabi„lium Chriſtianorum hominum ſalute, hæc & „his majora ſæpè fieri licuiſſe.

Has literas prætetire non fuit conſilium, ut quas facti rationes Ferdinandus adferret, quæ eum ad improviſam ampliſſimi viri mortem impuliſſent, in aperto forent. Sed nec excuſationibus, nec largitione, neque blandimentis obtineri potuit, quin vulgus ſecus judicaret, & iniqua cædes crederetur: ipſeque Ferdinandus Rex nimiæ credulitatis accuſatoribus facilè præſtitæ infamiam ſuſtineret. Quâ etiam apud Julium Pontificem, & Cardinalium Collegium non multò pòſt maximè laboravit, qui ei cædis ejuſcemodi nomine Romam citato diem dixerunt; quos tamen multo labore, nec ſine ſumma difficultate tandem placavit. Regina adhuc Caſſoviæ agebat, cùm Monachum tam acerbâ morte ſublatum intellexit; cujus interitum ambiguo affectu tuliſſe fertur: cùm amici tamen familiaréſque illum proditionis perfidiæque, quâ in caput & fortunas herilis pupilli perdendas uſus eſſet, juſtas pænas expendiſſe dicerent, lætarenturque.

Regina etiamnū Caſſoviæ agebat, cum Georgius occideretur.

Jam Caſtaldus copias & milites inter Saxonicas urbes, earumque ſuburbana, interque Siculos hibernare juſſos, opportunè diſtribuerat, & Franciſco Quendio magnæ inter eos auctoritatis viro, ſibi Ferdinandoque reconciliato, & ad partes traducto, quietem provinciæ paraſſe videbatur, cùm certis nuntiis allatum eſt, Solimanum violatas à Ferdinando, occupatâ Tranſilvaniâ, & pulſâ illinc Reginâ, quinquennales inducias à Gerardo Felduiccio pactas prætendentem, arma bellumque parare, primóque vere in Pannoniam & Tranſilvaniã innumeras copias adducturum; aut ſi Perſico bello, ac Pajazetis filii ad illos transfugientis motibus venire ipſe non poſſet, Achomatem primarium, & cum eo aliquot purpuratos duces cum validiſſimo exercitu miſſurum. Quamobrem Sforciam Pallavicinum ſine mora ad Ferdinandum Viennam mittit, ac ut copias equeſtres & pedeſtres in ſupplementum exercitûs Tranſilvanici primo quoque tempore mittendas curet, ſeriò admonet. Qui quum ab aliis quoque exploratoribus eadem adferentibus de bellicis Solimani contra ſe apparatibus certior eſſet redditus, negotium ſupplendi exercitûs ſibi magnæ curæ fore reſpondit; Sforciæque data in ſtipendium pecunia, in mandatis dedit, ut omnibus rebus poſthabitis in Italiam proficiſcens duas legiones veteranorum militum conſcribere & in Pannoniam maturè ducere velit. Præfectis etiam militum & regionum, in quas Pannoniam antiquitus diviſam eſſe diximus, juſſit, ut in omnes occaſiones parati intentique vigilarent, & cùm aliud mandatum accepiſſent, in caſtra prodeundum, atque hoſtibus reſiſtendum exiſtimarent. Curam præterea ſolertem adhibuit, ut tormenta majora per eandem hiemem conflarentur, ac non ſolùm quæ ad ea ſpectarent omnia quàm diligentiſſimè curarentur; ſed etiam aurigæ ac robuſtiora jumentorum & equorum juga è Bohemia & Moravia conquirerentur, qui certa nota ferro candenti clunibus inuſta ſignati ad caſtrenſes uſus & tormenta provehenda parati haberi poſſent. Curando verò commeatui viros idoneos ex Germanis & Ungaris delegit, eiſque

Ferdinandi adverſùs Turcas apparatus bellici

pecuniam ex ærario dari juſſit, quâ cujuſvis generis alimenta, tam hominibus quàm equis neceſſaria coëmerentur; ac ad horrea penes ripas Danubii idoneis in locis diſtribuerentur. Caſtaldus quoque rebus jam in Tranſilvania utcunque pacatis vigilando agendoque nihil eorum, quæ ad tuendos provinciæ fines pertinere arbitraretur, prætermittebat: ac conventibus habitis Siculos & Saxones, cæteramque Nobilitatem in officiu & in armis ſui tutandi cauſa continebat. 1551.

Interea Georgius Wernerius, qui è Sileſia quidem oriundus, ſed in numerum Ungarorum adſcitus Eperieſſii domicilium ac ſedes ſibi comparaverat, quique in ſuperiori Pannonia adminiſtrandis ærarii proventibus præerat, vir doctus & elegans, ac Georgius Raconſcius Turocienſis juriſperitus, juſſu Ferdinandi Caſſoviam venêre, ac nomine ejus pecuniam, jure dotis & pactorũ Iſabellæ Reginæ promiſſam attulêre. Quam cùm illa recipere cunctaretur, certis ſæpe cauſis moræ injectis; quod quidem Ungari ac Leonardus imprimis Cecius ablegato eo conſilio, in Pannonia permanendum, nec pactis inſiſtendum ſuaderent, inque ea menda re operam offerrent; poſtremò annitentibus Mathæo Loboccio Polono & Georgio Blandrata (is ex Italia ſubalpina & Allobrogibus, ob peſtiferum Ariani dogmatis virus, quo ab inferis revocato erat infectus, in exilium pulſus, primò ad Polonos, poſtea verò in Tranſilvaniam profugerat; & variis artibus ac Medicinæ, quam exercebat, profeſſione, Reginæ familiaritatem erat conſecutus) recepta pecunia, non diu poſt Caſſoviâ Ferdinando relictâ exceſſit, ac in Sileſiam & Oppoliam iter intendit, comitantibus eã Petrovitio & Michaële Chaquio, quem illa paulò antè è collegio ſacerdotum Albæ Juliæ exemptum, ſecretis ſuis adhibuerat, Epiſtolarumque Magiſtrum creaverat.

Dos Iſabellæ perſoluta.

Caſſoviâ in Sileſiam iter intendit.

Quæ dum in hunc modum geruntur, Caſtaldo in hibernis moram trahenti novæ parandæ laudis & gloriæ occaſio, niſi fata jam pridem nomini Ungarico infenſa obſtitiſſent, ſe obtulit: cujus aggrediendæ perficiendæq; rationes cùm ſuopte ingenio, tùm incitantibus pleriſque Ungarorum, nequaquam omittendas exiſtimavit; Michaël enim cognomine Totus eum convenit, cùmque ſe habere quædam ardua cum eo communicanda retuliſſet; dicere juſſus, ſibi eſſe modum Segedini capiendi propoſuit; ita ut ſi paucis tantùm copiis juvetur, de tradenda urbe viam facilem polliceri queat. De arce tamen nil certi promittere poſſe, quòd ea à multis Turcis cuſtodiatur, & Tibiſco ac Maruſo fluminibus cincta, magnum laborem in capiendo requirat: ſpem tamen haud vanam eſſe ejus etiam militum virtute & fortitudine in poteſtatem redigendæ, ſi manus impigre admoveantur. Sibi inter cives clàm amicos eſſe, qui portas urbis aperiant, & aliquot millia Haidonum, qui egregiam operam navaturi ſint, cum piſcatoribus verò circiter ſeptingentis ſe occulta habere conſilia, qui admoniti ab ſe totidem navigiis ad trajiciendos quò opus ſit milites, & ad famam ſalutemque eorum, ac ad omnia quæ jubeantur, puncto temporis præſto ſint futuri. Erat enim annis retroactis, priuſquam arx in ea urbe juſſu & ſumptibus Solimani lateritio opere exædificaretur, prætor urbis civibus & incolis gratiſſimus; ſed poſtea cùm Turcarum avarè & crudeliter imperitantium inſolentias ferre non poſſet, immortali in eos odio concepto, in voluntarium exilium conceſſerat, ac in oppido Debrecenio domicilium habebat.

Bellum Segedinũ 1552.

Segedinũ noſtri occupare ex inſidiis conantur.

Caſtaldo

1551. Caſtaldo viſa eſt res haud negligenda, veluti quæ ad Temeſvarii & Lippæ, totiuſque illius inter Danubium & Tibiſcum regionis defenſionem admodum opportuna fore videretur. Itaque negotium dat Aldanæ, ac Totum Lippam ad eum amandat: illique per literas imperat, ut convocatis ducibus & conſiliis communicatis, honeſtiſſimos Toti conatus & ſtudia ope maturè allata juvare non omittat. Aldana operæ navandæ avidus, ad duces & præfectos literas nuntioſque mittit, eoſque Orodium convocat, quod ſacerdotum collegium ab Giula & Segedino in ſumma & amæna planicie pari ferè intervallo poſitum eſt. Convenêre eò cum Aldana & Toto, Petrus Baquinius, Pauli clariſſimi ducis frater, Stephanus Derſſfius, Nicolaus Docius è Segusto, ac Franciſcus Chrovatus cognomento Major, ac è Temeſvaro Alphonſus Perezius natione Hiſpanus, ſed fortis & inſignis equitum Ungarorum præfectus; è Germanis verò Adamus Opperſturphus Sileſius cum CCC. equitibus cataphractis. Cum his Aldana militare conſilium habet, ac collatis in unum ſententiis deliberatur, tentandam eſſe fortunam, ac tali tantâque oblatâ occaſione haud negligenter utendum.

Duces huic ſtratagemati deſtinati.

Igitur die conſtitutâ, ut Michaël Totus cum ſuo peculiari peditatu præcedat, ac cæteræ copiæ mox ſubſequantur, decernitur. Nec mora Michaël cum quinque millibus Haidonum (tantum enim numerum ſua ac collegæ Ambroſii cognomento Magni opera & induſtria, aggrediendo huic facinori collectum jam pridem in promptu habebat) propè ripas Tibiſci, quo magis conſilia ſua tegerentur, inter carecta & arundines, limoſaque loca, raptato exercitu iter facere inſtituit: ita ut verſus arcem Beſquerecam, cui tuendæ Caſſonus erat præfectus, appoſitis derepentè ſcalis capiendam tendere à Turcis exiſtimaretur, deque eo Caſſonum edocerent. Verùm illi ſequenti nocte, quæ diem Divo Matthiæ Apoſtolo dicatum præcedebat, relictâ eâ, quâ ire inceperant viâ, Segedinum verſus iter flexerant: & de ſuo adventu cives conſcios ac piſcatores, idoneis uſi nuntiis, certiores reddidêre: qui prompti paratique imperium ejus & occaſionē expectabant.

Itaque Michaël & Ambroſius quadringentos pedites ſeligunt, ac lembis piſcatoriis flumine trajecto, ſummo ſilentio in Turcas quieſcentes, nec quicquam metuentes, & in oppidum, cujus haud modicam partem Turcæ vallo & aggeribus muniverant, irruere, ac portam decumanam aperire jubent, quâ opportunè ac celeriter patefacta, ipſi, qui tacitè ſubſequebantur, irrumpunt, ac occupatis, qui ad arcem ducebant, aditibus, magno ſublato clamore, hoſtes ſemiſomnos, ac improviſâ re perturbatos adoriuntur; fit cædes promiſcua obviorum quorumcunque. Haidones in domos præcipuorum Turcarum ac prædivitum mercatorum, monſtrantibus indigenis, crudeliſſimè graſſantur, nec quemquam ex eis vivum capiendum proclamant. Hederbegus præfectus, facto ex ſuis trepidantibus tumultuario agmine, interfectis aliquot ſociis, & capto filio adoleſcente (cui decora juventæ ætas ſaluti fuit) nudus in arcem ægre profugiens evaſit. Cæteri Turcæ, ut in nocturno & inopinato caſu accidere ſolet, palantes & disjuncti, pars in arcem evadere tentantes, partim verò ad flumen quærendis in fugam naviculis præcipiti curſu delati, nec reperientes, trucidati fuêre: pars ut perſequentem hoſtem evitaret, in flumen ſeſe præcipitantes, hauſti aquis interiêre. Cæterum Totus quingentos ex ſuis ad arcem invadendam mittit, ut Turcas in oppidanorum ſubſidium foràs egreſſos prohiberent: aut ſi occaſio daretur, eam in tanta rerum & hoſtium perturbatione ac confuſione capiendam aggrederentur. Qui tantâ audaciâ, tantoque impetu eam adorti ſunt, ut diſſectu bipennibus & dolabris exteriori vallo, quod è materia conſtabat, portam & mœnia arcis ſubruti eſſe viderentur. Verùm Hederbegus recollectu animo, per patefactam portam cum magna armatorum manu erumpens, ejectis ex vallo Haidonibus, & nonnullis interfectis, arcem ſervavit, atque illi eo modo rejecti, nec repetendum impetum rati, ad diripiendam urbem redierunt. Ex qua tantum rapinarum congeſtum eſt, præter captivos, inter quos muliebris quoque ſexûs magnus numerus erat, ut Haidones omnium rerum & ſpoliorum copiâ abunde expleti & locupletati viderentur. Nam ſupra ingentem vim pecuniæ, ex mercatorum & publicanorum Turcarum ac Judæorum, qui publica portoria & vectigalia redimere conſueverant, tabernis, domibuſque exportatam, ingens etiam militarium equorum & aureæ argenteæque ſupellectilis, ac veſtium pretioſarum numerus, cùm panni ſerici & purpuræ, ſimul & è lana confecti magna copia inventa eſt. Plurimi locorum notitia freti ad ſuburbanas Turcarum & civium villas egreſſi, ingentia boum atque ovium, & equorum armenta abegerunt. Intereà Aldana cum Hiſpanis, ac cæteri duces, quos ſupra nominavi, cùm Germanis & Ungaris ſupervenêre, & in urbem jam captam, & majori ex parte direptam copias induxêre. 1551.

Oppidum noſtri irrumpunt, ac hoſtes ſemiſomnes cædunt.

Urbis direptio & ſpoliorum copia.

Sed quum ab Haidonibus omnia paſſim loca perſcrutantibus, magna vini optimi è Sirmio, Baſonia, ac Simigio advecti copia, in ſubterraneis penuariiſque cellis inventa eſſet, ut ſunt homines vino, crapuliſque inexplebiles, avidiùs & intemperantiùs ei hauriendo incubuere; ita ut & hoſtes contemnerent, nec ullis ducum imperiis obtemperarent: poſtremò nec excubiis per ſtationes conſtitutis vigilare, nec teſſeris more militiæ uti, nec hoſtium conſilia ac facta explorare, ſed omnia per otium & ſocordiam tranſmittere viderentur. Et quum Franciſcus Chrovatus, vir fortis & militaris, cæterique complures conſilium darent, cum copioſa & locuplete præda retrocedendum, ac ſecundæ fortunæ modum imponendum, prudentis hominis & felicis eſſe, ne nimis ſerenitati præſentis fortunæ credendum exiſtimaret, quæ lubrica & inconſtans ſæpius triſtes rerum exitus adferre conſueviſſet; illi hos protervè & petulanter conviciis proſcindere, ac meticuloſos appellare: & ſi tuti ſecurique eſſe vellent, domum nec viſo aut expectato hoſte, remeare juberent.

Noſtrorum ſocordia & crapula.

Præerat Budæ Halys Eunuchus ex Acananis originem ducens, quem Solimannus ante biennium è Perſico bello reverſum, ditioni, quam in Pannonia habebat, præfecerat. Eum Hederbegus de capta urbe ac arce extremo in diſcrimine conſtituta, per Damianum quendam Thracem, itinerum & locorum peritum edocuit, & is ſub noctem aſtuto excogitato conſilio, trajecto flumine, columbam jam recens volatui aſſuefactam è nido ſecum tulit, cùmque duplices ab Haly literas, unius ejuſdemque ſententiæ accepiſſet, quibus Hederbegum de ferendis quàm maturrimè auxiliis bene ſperare jubebat, unas ipſe perferendas accepit, alteras columbæ pedibus tenui filo aptavit, eamque per aëra volantem dimiſit: evenitque non ſine ſumma Turcarum

Aly Budæ præfectus de Segedino capto fit certior.

Columba pedibus epiſtola

1551. *alligata ſuppetias pollicetur* & Damiani ipſius felicitate, ut tam columba pedibus alligatas literas ad nidum revolando perferret, & ipſe Damianus, uno aut altero poſt illam die incolumis Segedinum cum literis perveniret: obſeſſique adventu eorum, ac haud dubiâ auxiliorum ſpe recreantur.

Dum noſtri per hunc modum, nullo ſervato diſciplinæ militaris ordine confuſè agitant, repentè agreſtes è rure in oppidum provolant, magnum Turcarum exercitum haud procul ab urbe apparere nuntiantes; Halis enim audito Segedini periculo, auxilia & præfectos limitum undiquaque convocarat, & campeſtribus tormentis acceptis, continuatis dies & noctes itinere, opem allaturus eò contendebat. Quum noſtri hoſtium adventum cognoviſſent, urbe exeundum, ac patentibus in campis eis occurrendum ſtatuêre. Verùm Haidonibus tantum ſtolidæ ferociæ inerat, ac tantus hoſtium contemptus, ut dicto audientes nequaquam eſſent, ac omnis diſciplinæ immemores è popinis & tabernis in aciem prodire recuſarent. Equites quidem accepto à ducibus ſigno, præeunte Baquitio & Aldana, aliiſque ſubſequentibus, oppido exiêre, & Baquitii equus, quamquam præſtantiſſimus, in ipſa porta repentè corruens, unà ſeſſorem in terram dejecit, quod à circumſtantibus, & ab iis qui circa obequitabant, totoque exercitu, pro mali ominis præſagio interpretatum, non multò pòſt eventu ipſo, & fœdo rerum exitu comprobatum fuit. Eodem tempore Turcæ, qui in arce erant, ſociorum adventu animadverſo, in urbanas domos ac Haidones intra earum parietes vino ac epulis indulgentes, magna vi tormenta diſplodere ceperunt: ita ut vel inviti ex iis ad ſociorum ordines procurrere cogerentur; & complures temulenti, titubanteſque manipulatim & confuſè, aliis, qui præiverant, ſeſe adjungerent.

Cùm in campos urbi propinquos ventum eſſet, Halis Eunuchus ſuos in tria agmina diſtribuit: quorum duæ alæ ex equitibus conſtabant; ipſe in medio cum robore exercitûs, quod ex quinque millibus utriuſque ordinis militum delectum erat, locum ſibi ſumpſit, ac latera utrinque curribus & plauſtris, quibus impedimenta caſtrorum vehebantur, præſepſit eoſque Janiceris ſclopetariis munivit. Thraces etiam permultos, ac magnam agreſtium turbam inter militum ordines ſparſam, ad incutiendum majorem noſtris terrorem collocavit. Frontem verò aciei duodecim colubrinæ pilas ferreas trilibres evomentes defendebant. Aldana & Baquitius ſuorum agmina ex adverſo ita diſpoſuere, ut à dextra ex cataphractis equitibus, quos Opperſtorphus ductabat, una ala, peditibus Hiſpanis munita; ſiniſtra verò ex equitibus Ungaris conſtaret: ipſi in medio conſiſterent, & duobus mediocribus tormentis curulibus in fronte collocatis aciem primam tuerentur.

Conflictus noſtrorum cum Aly Budenſi.

Compoſitis in hunc modum ordinibus concurſum eſt, ſummâ noſtrorum alacritate, ac imprimis Opperſtorphus in alterum hoſtium cornu, Baquitius cum Ungaris in alterum fortiter irrupere, & pugnatum eſt acerrimè per aliquot horas. Sed cùm noſtri hoſtium latera perfringere non potuiſſent, quod ea ab ſclopetariis Janiceris procellam glandium effundentibus defenderentur, receptui ſigna dare, & ad ſtatarii agminis ordines redire ceperunt: tùm verò iterum omnes cuneo facto in hoſtes ferri, pugnam de integro repetere ac acerrimè pugnare, pluri-moſque hoſtium trucidare. Sed quum Eunuchus colubrinas in noſtros dirigi, diſplodique juſſiſſet, & hoſtes vexillo regio purpureo, aquilæ expanſis alis imagine inſigni, quòd ſignifer unà cum equo ictu tormenti cecidiſſet, potiti eſſent, multique vi ac impetu pilarum continuè ſternerentur, fuga ac equitibus, qui in poſtremo agmine erant, omnes in prima acie periiſſe exiſtimantibus, fieri cepta eſt. Nec mora ii etiam, quos primam cum hoſte pugnam iniiſſe docuimus, viſa cæterorum fuga perterriti pedem primò retulere, & paulò pòſt effuſè fugere ceperunt: quum alii plurimi ex noſtris, contra ducum imperia equis deſcendentes, cadavera interfectorum hoſtium ſpoliare, ſicque prædæ inhiare cepiſſent, ut cæterorum pugnantium ordinem facilè perturbarent. In ea rerum confuſione acriùs inſtantibus Turcis, & tormentis rem gerentibus, equitatus omnis, relictis peditibus, fœdè profugit; & Aldana ac Perezius cum Hiſpanis, & Opperſtorphus cum cataphractis Lippam verſus, intento curſu ſe proripuêre. Baquitius, Deraffius, & Franciſcus Chroatus, cæterique præfecti equitum Tibiſco, partim præſtantium equorum viribus, partim faſcium ex carectis & arundinibus colligatorum adminiculo tranſnatato, ægre evaſerunt. Turcæ enim (quod noſtris ad evadendum magno fuit adjumento) omiſſo equitatu, cujus curſum æquare ſe poſſe diffidebant, & quod Haidones, in quos acerrimo odio ferebantur, delere, quàm equitibus fruſtra perſequendis deſudare mallent, eos quamquam acerrimè pugnantes, in orbem indagine velut clauſos circumvenêre: & denique poſt diuturnum cruentumque certamen terga vertere coëgêre: ſed quum verſus Tibiſcum & Maryſum fugientibus inſtarent, partim in flumen adactos demerſere, partim nemini parcendo ad unum omnes trucidatos delevere; ita ut Totus Tibiſcum natando ſuperaret, & vix cum XX. ſociis ad ſancti Georgii cognomento Tibiſcanii caſtellum ſe reciperet.

Effuſa noſtrorum fuga 1551.

Haidones partim caſi, partim ſubmerſi.

Nec Turcis incruenta victoria fuit, quum ex eorum quoque partibus plurimi turmarum & cohortium inſignes præfecti, & militum ingens numerus deſideraretur: ideòque quamquam omnibus noſtrorum vexillis & tormentis potiti eſſent, oppidumque & prædam recuperaſſent; non tamen ulla lætitiæ ſigna edidêre, quòd interfectorum numerus utrinque exæquatus eſſe diceretur. Poſt pugnam atque victoriam Eunuchus Alis in oppidum irrupit, & Hederbegus ex arce ad eum venit; quoſque invenire potuêre, in omnes ſine ullo ſexûs aut ætatis diſcrimine graſſati, magnum numerum oppidanorum interfecêre. Nec multò pòſt quinquies mille naſos, cadaveribus noſtrorum mutilatis, ademptos, cum XL. vexillis ac nonnullis captivis Byzantium miſit, quibus inſignem ab ſe victoriam partam teſtificaretur.

Quinque millia naſorum Conſtantinopolim miſſa.

Jam haud dubia apud hoſtes victoria erat, quum altera clades quadringentis militibus noſtratibus, qui duce Valentino, cognomine Magno, ac Petro Turco, tribus ante infauſtam hanc pugnam diebus, caſtris exierant, miro fortunæ ludibrio illata fuit. Nam quum in Caſſonum è Beſquereca arce, ad Eunuchi ſubſidium, cum D.CCC. equitibus Turcis Segedinum venientem, prope oppidum Martonoſſum incidiſſent, nec Caſſonus veluti viribus ſuperior prælium detrectaſſet, ſummâ utrinque alacritate concurrerunt, & pugnam tribus ampliùs horis protraxerunt: poſtremò ſuffoſſo & cadente equo Caſſonus vulneratur: & non ſine difficultate à ſuis ereptus, alteri equo imponitur, ac interfectâ ſuorum plus dimidiâ parte, cæteris in effuſam fugam

Turcæ viciſſim profligati à noſtris.

1551.

Sed dum Segedinum concedunt, ignari cladis ſuperioris, à Turcis opprimuntur.

gam verſis, Valentinus & Petrus victoriâ potiuntur, ac duobus plauſtris capita cæſorum hoſtium vehentes, & equis hoſti ademptis inſidentes, Segedinum ire pergunt, ignari noſtros fuſos fugatoſque eſſe, ac oppidum ab hoſtibus teneri. Quod tamen quum à quibuſdam ab urbe profugientibus intellectum eſſet, Valentinus è veſtigio retrocedendum ſuadebat, & ad tutiura loca concedendum; ſed ſuos ſtolidâ ſuperbiâ ac hoſtium contemptione inflatos adducere nequaquá potuit, ut ſaniora conſilia admitterent. Itaque hoſtes magno numero derepentè urbe egreſſi, eos adoriuntur, & quamquam acerrimè reſiſterent, tamen quia numero & viribus longè inferiores eſſent, omnes crudeliter cæſi temeritatis pænas dedêre: ſolus Valentinus cladi ſuperfuit, relictaque hoſtibus præda, quam Caſſono extorſerat, cum XX. ſociis Tibiſcum tranſnatavit, & in tutum evaſit. Hanc ad Segedinum cladem nimiâ temeritate potiùs liberorum peditum, quos Haidones vocamus, quàm ignavia aut imperitia ducum memorabile accepimus, eamque Pannuniæ partem, quæ inter Danubium & Tibiſcum latè patentem planitiem amplexa, innumerabilia majoris minoriſque pecoris armenta alere, inque diverſas longinquaſque Europæ regiones diſtribuere ſolebat, haud ambigua poſſeſſione hoſtibus reliquimus.

Caſtaldus Temeſvarium & Lippam præſidiis firmat.

Tordam cum Bathorio comitia indicit.

Comites ab Arco Coronæ deſendendæ adverſus Valachos imponuntur.

Comitis Helfenſtann. & Pallavicini copiæ.

Caſtaldus accepta rei malè geſtæ fama, quam ipſe Aldanæ, uti nimium hac in re præpropero duci tribuebat, ne hoſtes Temeſvario & Lippæ imminerent, Rodericum Villandradam, cum Hiſpanis ſuis Lippam ingredi jubet, ac Diego Mendozæ, ut cum ſua cohorte & trecentis Germanis ad cuſtodiendum cum Loſſontio & Caſtelluvio Temeſvarium abſque mora proficiſcatur, in mandatis dat. Ipſe unà cum Andrea Bathorio Tordam comitia indicit, ut in iis pecunia in ſubſidium & ſtipendia militum ac annona & commeatus in arces hoſtibus propinquiores, necnon auxilia provincialium decernerentur; quibus Moldavo in Tranſilvaniam, ut certa fama ferebatur, irrupturo obviam iretur. Interim verò Felicem & Baptiſtam Comites ab Arco cum ſuis legionibus Germanicis Braſſonem, ſeu Coronam mittit, ut ſi Valachi in ejus urbis fines irrumperent, eos reprimerent: donec ipſe cum toto exercitu adcurreret, nec eos cum Achomate purpurato, qui jam in itinere eſſe ferebatur, per mediam provinciam tranſeundo vires conjungere paterentur. Venêre etiam per eos dies in ſupplementum copiarum Tranſilvanicarú quatuor millia Germanorum militum, duce Georgio Comite Helfenſtanio, quos Caſtaldus per loca idonea in ſtationes diviſit. Sforcia quoque Pallavicinus cum totidem millibus & quingentis peditibus Italis in Noricum perveniſſe, & brevi de illis Alpibus, in Auſtriam deſcenſurus nuntiabatur.

Maximiliano Regi & Reginæ ex Hiſpania venientibus ala equitum Pannonicorum obviam mittitur.

Per eos etiam ferè dies Maximilianus Ferdinandi filius, quem Bohemi ſibi in Regem delegerant, quemque è Comitiis Auguſtanis, ante quadriennium in Hiſpaniam profectum fuiſſe memoravimus, & Maria Caroli Quinti Cæſaris filia, quam ibi in conjugem duxerat, in Italiam claſſe Andreæ Aureæ proſperè navigarunt. Quibus è Liguriæ urbe Genua deducendis Ferdinandus pater elegantiſſimam & inſtructiſſimam equitum alam è juventute Nobilitatis Pannonicæ delectam, duce Joanne Balaſſio obviam miſit. In qua Nicolaus Bathorius, Gabriël Perenius, Georgius Bebecus, Chriſtophorus Orſagus, Stephanus & Ladislaus Banffii, Jacobus Siculus, Lucæ filius, ſummo loco nati adoleſcentes, cætetique complures cenſebantur. Excepti ſunt à patre ſumma lætitia, ac congratulatione, quum ſecundo Oeno, ac deindè Danubio Viennam deſcendiſſent.

Elephas Indicus.

Adduxêre etiam miro & jucundo omnium ſpectaculo Elephantem Indicum vaſtæ magnitudinis, à Joanne Luſitaniæ Rege dono acceptum, animal multis retrò ſæculis, aut fortaſſis nunquam in Pannonia viſum, cui lignea turris ſeptem milites ſclopetis aliiſque telis miſſilibus inſtructos capiens ſuperimpoſita erat; quẽ nosquoque non ſine admiratione vidimus

Poſonienſia comitia,

ad quæ à Ferdinando citantur Forgacii, Lupi Puchamii legati Coppanii cadis auctores.

Forgacii recepti in gratiam ob cædem Coppanii.

Cæterum eodem anno ſub hiemis finem Ferdinandus Poſonii comitia habuit, ad quæ Sigiſmundum, Franciſcum, Petrum & Ladislaum Forgacios ad dicendam cauſam citari juſſit: ii enim Lupi Puchamii, qui tunc Zolio & Montanis Civitatibus præerat, legatum Georgium Cuppanium, quòd in eorum fundis & paſcuis à militibus inſolentiùs quàm par eſſet, cuncta agi, ferri, & innoxiam plebem intolerabilibus detrimentis affici pateretur, aut nonnunquam etiam juberet coactis agreſtibus, quorum fortunæ facultateſque lacerabantur, interficiendum curaverant, eâque cæde animum Ferdinandi irâ atque odio vehementer exacerbaverunt. Cùm diem formidine noxæ neque obire libenter, neque recuſare auderent; tandem tamen, ne abſentes inter reos cenſerentur, ac proſcriptionis & exilii pœnâ plecterentur, advenêre; ſic tamen ut nihil in legum & judiciorum adminiculis præſidii collocandum ducerent, quamquam id ab advocatis conſuleretur: Sed ſe mutatis veſtibus clementiæ & indulgentiæ Regiæ ſupplices & lachrymabundi ſubmitterent. Qua in re Rex aliquamdiu duriorem ſe præbuiſſe viſus eſt; inſtigante eum ad iracundiam & ultionem Puchamio, qui per id tempus apud illum gratiâ atque auctoritate plurimùm poſſebat. Poſtremò tamen, quum Franciſcus Revaius, & Michaël Mereius, clari ſenatores, Regique imprimis chari, quorum ille filiam Ladislao Forgacio collocaverat, hic Petri ſororem in matrimonio habebat, ſuas partes interpoſuiſſent, magnâ difficultate veniam illis impetrarunt, non tamen ſeciùs quàm ut trecentis agricolarum fundis, mulctæ nomine privarentur. Quorum centenos Rex Revaio & Mereio; Quinquagenos verò Bartholomæo Horvato, & Joanni Zomorio, fiſci procuratori donavit. Verùm duo illi ut affinitate Forgaciis juncti, eos qui ſibi ceſſerant, reſtituerunt. Et ipſe Ferdinandus temporis proceſſu quadam veluti pœnitentia motus, redintegrata gratia eos amplexus eſt, & variis officiis ac præfecturis honeſtatos ad ſenatorii etiam ordinis prærogativam aliaque munia extulit, & Maximilianus ac Rudolphus ſucceſſores ejus, poſtquam Bartholomæus & Zomorius deſtituti hæredibus è vivis migraſſent, ratam eorum partem, quæ Forgaciis mulctatitio jure adempta erat, liberaliter reſtitui juſſerunt.

Achomates Conſtantinopoli ſe movet,

Intereà Achomates Byzantio profectus Hadrianopolim venit, & è caſtris Magisralim Chauſium in Pannoniam ad Eunuchum cum literis miſit, quibus ei de parta ad Segedinum victoria gratulabatur, eumque de ſuis conſiliis atque itinere certiorem reddebat: ſeque à Sulimano ad vindicandas injurias & obſidendum Temeſvarium, cum exercitu propediem venturum ſignificabat: ſimulque ut ipſe ſuum exercitum ſecum conjungere, & interim rebus gerendis in-

1551.

Hamza Turcus à noſtris capitur.

rentus eſſe vellet, hortabatur. Acciderat autem hiſdem fermè diebus, quòd Hamza natione Thrax, cui Solimanus præfecturam Albanam dederat, atque is ad eam occupandam cum CC. equitibus, ac totidem Janiceris contendebat, nocturna in pugna cum noſtris peditibus, qui è præſidio Veſprimienſi exierant, improſpere commiſſa caperetur, ac præcipui quidam è Janiceris interficerentur; inter quos Elezes cognomine Iratnodus, qui prægrandi dolabra, quali ad dolandas in quadrum trabes fabri lignarii utuntur, ambabus manibus pugnabat, ſclopeto ictus perierat.

Elezes, qui dolabra pugnabat, glande trajectus interiit.

Eo viri clari ſibíque amici caſu nec opinato perculſus Eunuchus, ſuperiori etiam victoria auctis animis, in concilio cum cæteris præfectis habito, Veſprimium obſidione cingere decrevit, antequam Arknmates cum Aſiſricia adventaret: quòd ex eo præſidiarii cruentas plerùmque excurſiones facere, ac prædas agere non ceſſarent; & in viatores cæde & captivitate graſſarentur.

Aly Eunuchus Veſprimium obſidione cingit.

Itaque coactis brevi tempore copiis ac tormentis, eorúmque apparatibus neceſſariis comparatis Albam venit, & illinc Calendis Aprilis promoto exercitu Veſprimium pervenit.

Deſcriptio loci.

Ea arx in oblonga rupa ſita eſt, veteri muro nec valde firmo cincta, templúmque in medio amplum præaltumque, & oppidum ſubjectum in vallibus, quæ circa acclives colles montéſque viſuntur, habet, diſperſa hinc inde domorum ſerie habitatum, & aliquot templis exornatum; quorum quidem elegantiſſimæ olim ſtructuræ, nunc temporum injuria, & barbarorum cuncta vaſtantium crudelitate, devaſtatæ & ſemirutæ ſpectantur. Rivi peramæni & fontes ſaluberrimi complures tam in urbe quàm foris perpetua ſcaturigine profluunt, à quibus locum plerique ab antiqua appellatum putant: qui molas frumentarias magno incolarum fructu, emolumentóque verſare ſolent. Eo in loco Suatepulugum Pannoniæ & Marcomannorum principem ſedes habuiſſe ferunt, antequam Ungari è Scythia ſecundâ migratione advenientes, impetrata ab illo ſubdole terra, aqua, & ceſpite, illi demum vitam ſimul & regnum bello ademiſſent. Eunuchus igitur circumvallata arce, cùm ſervus tentoria ſua in proxima rupe extendere, nec procul ab illis tormenta cum corbibus collocare juſſiſſet, illique impigre id exequerentur, ex arce majores colubrinæ explodi, ac in opus facientes dirigi cæpêre, ita ut perforato tabernaculo, & diſcerptis aliquot ſervis, in ulteriorem rupem tranſire, ibique locum caſtris mutandis deligere cogeretur. Inter eas rupes vallis quædam oblonga protenditur, peramænis viridariis & paſcuis cincta, quam incolæ Abbatiſſæ vallem nuncupant. Eam Turcæ Prætoriani occupavêre; cæteri verò per proximos colles, ac valles, uti à Chauſiis demonſtratum eſt, longè latéque conſedêre; aggeréſque duobus in locis ſtatuêre, ita ut ab occidente pariter & ſeptemtrione tormenta collocarentur, & mænia magna vi quaterentur.

Præfuerat Veſprimio Joannes Paxius, qui præter generis & familiæ nobilitatem nihil aliud ad militare officium muneris attulerat; atque iis ferè diebus illinc ad Comaronienſem præfecturam, uti quietiorem à Ferdinando erat tranſlatus, ſic ut Petrus Peteo ei ſuccedere juberetur.

Peteo à Michaële Ferreo Paxii legato præfectura

Sed quum hic Veſprimium veniſſet, à Michaële Ferreo, ipſius Paxii legato, inefficacis ac degeneris animi homine nequaquam eſt admiſſus, quod Paxium decimas fructuum præſenti pecunia à Sacerdotibus collegii emptas; ſibi colligendas juſſiſſe diceret; ita ut arcem eam nobilem, & vetuſtam hoſtes oportuno ſibi & neceſſario, noſtris verò diffidentibus, & tenuis lucri cauſa contendentibus, admodum intempeſtivo & incommodo tempore, non ſinè certa quadam ejus potiundæ ſpe obſediſſe viderentur.

1551. *Veſprimienſi excluditur.*

Accedebat ad cæteras rei à barbaris bene gerendæ occaſiones, quòd incuriâ & ſvarnâ præfecti, numerus militum ſtipendio eorum ductorum imminutus, ac pro eis liberi pedites adhibiti eſſent, qui rapto vivere, nec ducum imperio aſſueti, arcem negligenter tutabantur, & plerumque inter ſe cruentas ſeditiones miſcere conſueverant.

Haidones ad Turcos tranſeuntes trucidati.

In ea rerum perturbatione Eunuchus jam decimum diem mænia duobus è locis, nec de nocte intermiſſo opere, verberare juſſerat; neque noſtris in ſaxeo, lapidibúſque conſtrato ſolo, ad reſtaurandas & ceſpite implendas muri procidentis ruinas materia ſuppeditabat, ita ut major peditum pars, ſumma perfidia tumultuari, & novas res moliri, nec dicto parere inciperet; poſtremò perfractis penuariis cellis, commeatum diſſipare, ſigna è mænibus militari more perticis ſuſpenſa dejicere, denique è muri hiatibus ſeſe agminatim demittere, ac ad hoſtes tranſire. Quos tamen Eunuchus non tàm ut deſertores & perfidos, quàm quòd incredibiles antea Turcis injurias & damna intuliſſent, ademptis armis & veſtibus, in vallem Abbatiſſæ perductos, ſingulari crudelitate ad unum occidi juſſit: quorum albentia oſſa etiamnum ibi cumulatim jacentia conſpiciuntur. Michaël Ferreus, aut potiùs à contrario eventu plumbeus meritò dicendus, ea militum diſceſſione conſternatus, ac conſilii inops ad immaturæ atque inexpectatæ deditionis conditiones deſcendit; & accepta à Turcis fide, Thomam Siculum militarem virum, ac ſtrenuum equitem, qui tranſigeret, ex arce emiſit, qui haud cunctanter cum hoſtibus ita tranſegit, ut traditâ arce omnes incolumes dimitterentur: iſque veſte purpurea donatus, commilitonibus, quæ tranſegerat, relaturus in arcem rediit.

Præſidiarii contra fidem datam quà caſi, quà ſervituti mancipati.

Sed Janiceri nulla facta mora, portas & mænia occupant, Michaëlem & cæteros abire quidem permittunt, ſed mox à ſubmiſſis equitibus pecunia, armis, & veſtibus, & equis ſpoliati retrahuntur, ac partim trucidantur, partim verò in ſervitutem rediguntur: evadente in vaſta Paconiæ ſilva, per notos tramites Thoma Siculo cum paucis. Michaël quum ſe contra fas, fidémque captum quereretur, Eunuchus Turcas, qui hoc facinus facere, ac fidem ſuam violare auſi fuiſſent, humi proſtratos, & fuſtibus & baculis in ſpeciem verberari juſſit: illum tamen cuſtodiæ traditum, neque unquam in patriam reverſurum ſecum abduxit: ita ut ipſe qui aliorum exemplo perfidiæ Turcicæ minimè ſe credere debuerat, ſuâ infelicitate, & perpetuis miſeriis ejus periculum in ſeipſo feciſſe videretur.

Capto per hunc modum Veſprimio Eunuchus præſidium impoſuit, duce Giſſfere, Budámque paulò pòſt reverſus eſt: & in ſuburbanis Budenſibus, eo inter veterem & novam Budam loco, qui Sicambriæ nomine appellatur, equos camelóſque tàm ſuos, quàm militum ad gramina & paſcua dimiſit: publicato edicto, ut refectis curatíſque equis & jumentis, quilibet militum in caſtra redire, & commeatu rebúſque neceſſariis comparatis, eò quò juſſus fuerit, Achomao adventanti haud cunctanter occurrere poſſit. Dum hæc in Pannoniis ſatis ſuper-

que

1552. *Elias Moldavus cum Valachis & Turcis Tranſilvaniam longè latéque vaſtat.*

que improſpere geruntur, Elias Moldavus, Petri regno pulſi, atque ut diximus, iterum ope Joannis regis, reſtituti filius, non ſinè ſummâ ingrati animi ſignificatione, per anguſtias Alpium Aituſſiatum, quæ Moldavos & Siculos interjacent, cum validis ſuis & Turcicis copiis in Tranſilvaniam irrupit, ac caſtra ad Totianum locavit. Ex quibus repentè equites prædatorios Turcis permiſtos verſus Scepſium, Orbajuin & Quiſdium miſit, quæ ſunt loca & oppida conciliis Siculorum deſtinata, eáque longè latéque depopulari juſſit. Hermanum quòque & Praſmanum, Saxonica oppida, injectis ignibus eadem excurſione ſuccenſa atque concremata fuêre: ac ex eorum agris, pecorum atque hominum haud contemnenda præda abacta.

Quæ quum ad Ladislaum Udenſſium, & Paulum Bancom, Bathorii provinciæ præfecti legatos allata eſſent, quatuor provinciæ partibus, quæ circa Coluſum, Dobocam, Oſdium & Cucullonem ſita ſunt, ad arma celeriter convocans, ac Baptiſta & Felice Comitibus ab Arco, ut è Braſſone cum militibus Germanis adcurrerent, admonitis; Valachos & Turcas obvia quæque flammis & ferro vaſtantes perſequi decrevêre. Itaque quamquam juſſu Caſtaldi juſſis paſſibus hoſtes cum præda antecedentes proſequerentur; ii tamen animadverſo eorum adventu, ac Caſtaldum & Bathorium cum univerſis copiis adeſſe rati, alpes præcipiti fuga tranſcendere contenderunt. Sed quum variarum rerum prædâ, captivíſque onuſti, ac viarum quòque & alpium aſperitate impediti, lentius quàm volebant iter facere viderentur, noſtri eos, qui in noviſſimo agmine erant, & necdum ad alpes pervenerant, adorti magnam eorum partem interfecêre, prædámque ab iis omnem recuperavêre; ita ut ſi Germani pedites, & Siculi paulò tempeſtiviùs celeriúſque ad alpium radices perveniſſent, omnes Eliæ & Turcarum copiæ, quæ è tumultuatio militum & agreſtium numero conſtabant, facilè deleri; ipſéque Elias omnibus etiam tormentis bellicis quæ habebant, exui potuiſſe exiſtimarentur. Caſtaldus qui è Coloſvatio proficiſcens, propius Braſſonem intento itinere properabat, ut ſi neceſſe eſſet, cum Bathorii legatis, ac Siculis & Germanis ſeſe conjungeret, audita ſuorum fortuna, ac hoſtium diſceſſu, ad Segeſſitarum oppidum divertit; ibique per aliquot dies, quorſum conſilia hoſtium tenderent, expectabundus ſubſtitit, (repetituri enim excurſionem dicebantur) & copias ſuas mercede conductas, equiteſque Germanos, quos Franciſcus Senacus, Helfenſtainicas legiones ſequutus, è Sileſia non ita pridem adduxerat, idoneis in locis, commeatu plenis, collocavit: Ungaricæ autem turmæ atque cohortes, quæ Bathorio ſuberant, ità ut ad omne ipſorum ducum imperium nutúmque parati eſſe, & quo opus foret, abſque mora convenire poſſent, ad propinquiora loca conceſſerunt.

1552. *Sed noſtri eos perſecuti, interemptis nonnullis, prædam omnem recuperant.*

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XVIII.

Achomates cum Mehemete Beglerbego ad Temeſvarium obſidendum contendit. Anno 1552.

ADULTO jam Vere Achomates, qui hactenus tanſmarini exercitus adventum expectaverat, Hadrianopoli profectus, vigeſimis quintis caſtris, Samondriam attigit: atque inde Mehemeto, equitum Europæorum magiſtro, quem anno ſuperiori obſidionem Temeſvarii fruſtra tentaſſe docuimus, in caſtra recepto, Belgradum pervenit. Ubi paucos dies moratus, ſtrato ad Titulium ponte, Tibiſcum flumen tranſjecit: ac caſtra in campis Somlioniu ſubjectis, quos quòd à nemine colantur, deſertos vocant, metatus eſt; qui à Temeſvatio quinque milliariorum intervallo diſtant. Illinc mille & quingentos equites, qui Temeſvarium excurrerent, die Divo Joanni Baptiſtæ dicato præmiſit: experturos an aliquem ex præſidiis militem aut incolam capere poſſent, à quo de rebus & ſtatu oppidi certiora ſciri poſſent. In hos Milacus, Loſſoncii legatus, natione Thrax, vir fortis admodum & militaris, cum valida equitum manu, cohortibúſque oppido egreſſus, (aberat enim Loſſoncius auxiliorum cogendorum, & rerum neceſſariarum ergo) magnum cum hoſte certamen iniit; diuque pugnatum eſt ancipiti eventu: ad extremum fugati hoſtes, nemine è noſtris capto, in caſtra redierunt, amiſſis ex ſuorum numero amplius XX. equitibus, à quibus noſtri de hoſtium conſiliis, ac propinquitate exercitus, quæ cognoſcere volebant, intellexerunt.

Interea eodem die ſub noctem Loſſoncius cum quatuor tantum itineris comitibus, per multa diverticula, occultóſque tramites, nec ſinè periculo in urbem venit, ac maxima omnium congratulatione exceptus eſt: moxque die inſequenti convocati tribuni & præfecti militum, Hiſpanique & Germani, mutuum Sacramentum de conſervanda arce dixêre. Eo dicto, tali eos ſermone alloquutus eſt: Viri fortiſſimi non multis vos verbis, quæ virtutem minimè addere videntur, compellandos, obteſtandóſque duco, uti memores priſtinæ virtutis, voſipſos atque arcem hanc ad extremum uſque ſpiritum ab Turcarum avaritia tueamini: quum id vobis æquè ac mihi cordi fore haud dubitem; tantum commonefacio, hortórque, ne quicquam illorum minis atmiſque cedendum putetis: quin potiùs cum iis vobis certamen fore, quos ſæpe antea victos ſub jugum miſiſtis, majoremque eorum partem ex colluvie barbararum Aſiæ nationum conſtare, vóſque & cauſâ juſtiore locum ſuperiorem obtinere, & ſacroſancta Chriſti religione tuendo occupatos, meliori ſpe fortunáque cum rudibus, & barbaris manum conſerturos eſſe animo reputetis. Itaque ſi ut ſæpe antea egregiæ virtutis veſtræ experimenta præbuiſtis, nunc quòque eadem in virtute & fortitudine, ac dexteris ſalutem veſtram conſiſtere memores, ut ſpero, eritis, haud difficulter eorum conatibus reſiſtetis; & conſervato ſecundùm Dei Optimi Maximi opem, hoc veteri patriæ noſtræ præſidio munimentóque perpetuam nominis laudem promerebimini; cujus certa præmia in hac vita à

Loſſoncii ad commilitones oratio.

1552. Rege Ferdinando, pio & munifico principe, ac à meipſo, qui vos omnes fratrum loco & habeo, & habiturus ſum, exſpectabitis; morte autem præclarè obita, ab immortali Deo in cælis æternam felicitatem conſequemini.

Copia præſidiaria.

Cùm ad hæc verba concionis & militum fremitus operam & ſtudium omne pollicentium ſequutus eſſet, haud multò poſt copias recenſuit, quarum numerus duorum millium & quingentorum militum ſummam non multùm ſuperabat. Nam ſupra quingentos equites, qui in peculiari ipſius Loſſoncii ala continebantur, ducentos Alphonſus Perezius Hiſpanus ductabat, Gabriel verò Perenius, Nicolaus Bathorius, & Georgius Seredius, ſingulas equitum centurias miſerant. Simon Forgatius juvenis præſtantiſſimus, quem in expugnatione Lippæ multis ſuſceptis vulneribus, egregiæ virtutis laudem obtinuiſſe diximus, ſexaginta equites adduxerat. Caſpari Caſtelluvio Sardo tricenaria Hiſpanorum cohors, ac Diego Mendozæ centum Hiſpani veterani parebant: Germani pedites & Bohemi treceni, Hungari totidem, ac ex civibus, qui in militares ordines deſcripti, deſtributique erant, totidem numerabantur. Altero poſtquam hæc fierent die, antecurſores Turcarum advenêre, qui ſublatis inconditis clamoribus, equiſq; circumagitatis, noſtros ad certamen provocabant. Nec Loſſoncius, eo quicquam detrectato, cum ſuis & Alphonſo Perezio exire cunctatus eſt, initóque prælio ambo pari virtute & fortitudine in adverſis Turcarum pectoribus haſtas perfregere, ac majori, ut fit, utrinq; coorto certamine, complures è potioribus Turcis cæſi captiq; ſunt: unico ex noſtris Stephano Sulioco nobili adoleſcente deſiderato, qui in 1. congreſſu haſta transfixus interiit.

Achomates 36. muralibus tormentis urbem & arcem verberat.

Quarto poſt die Achomates cum univerſo exercitu, ac tormentorum apparatu advenit. Habebat autem præter multas colubrinas, 36. muralia tormenta, quæ illâ nocte propiùs urbem & arcem, conſtitutis more ſolito prius, operarum labore, ſinuoſis aggeribus, collocavit: relictis ad præſidia caſtrorum minoribus falconibus.

Deſtriptio Temeſvari.

Temeſvarium urbs & arx celeberrima à fluvio Temeſſo, qui ex alpibus ad Severinum Urbem haud procul ab Iſtro ſeu Danubio ſitis profluit, urbémq; & arcem præterlabitur, nominata eſt, quam veteres Pannoniæ Reges, contra Bulgarorum nondum Chriſtiana religione imbutorum, quæ à Pannoniæ finibus ſolo Iſtro dirimuntur,

Cumani, Cuni, Poloucii, Bulgari, Tartari.

ac Cumanorum ſeu Cunorum, quos Poloni Poloucios, nos nunc Tartaros vocamus, crebriores incurſus avertendus ædificaverant, ac poſtea invaleſcentibus Turcarum armis, ac ex illis ultra Iſtrum regionibus, & utraque Valachia fines noſtros vaſtantibus, continuo militari præſidio muniverant. Habet duo contigua oppida, quorum alterum ab oriente Inſula vocant, alterum verò ſeptemtrionale à fluvio Temeſvarium dici ſolet; quæ quidem oppida ſimul cum arce, foſſa præalta aquis plena cinguntur; & majus oppidum tres habet portas, quarum duas propugnacula craſſiora, è terrâ materiáque juſſu Caſtaldi ab Hiſpanis conſtructa muniunt, & inter urbem arcémque turris aquaria egregiæ munitionis habetur. A meridie verò Uliciæ planicies, & campi patentes circumjacent: in quibus Turcæ caſtra ſua longo ordine collocaverant.

Cæterùm urbs à meridie, arcis verò mœnia ab oriente ſenûm denûm tormentorum ferreis pilis triginta pondo acerrimè verberari & concuti cœpta ſunt: ita ut continuatâ oppugnatione, directiſque interdiu tormentis, muri etiam obſcurâ nocte deſtinatis ictibus peterentur. Nec multò pòſt, præcipuè in foro domus tormentorum vi dirutæ corruerunt, quæ verò in Inſula erant, ne ex iis ab hoſte occupatis majora detrimenta inferrentur, per noſtros non ſatis oportuno conſilio ſuccenſæ funditus conflagrarunt. Turcæ enim viſa loci opportunitate, dici inſequentis nocte, tormenta in eam inſulam attraxerunt, & effoſſis aggeribus, & collocatis tormentis, arcis mœnia ſimul & propugnaculum è terrâ materiáque conſtructum, quod à Caſtelluvio & Hiſpanis defendebatur, magnâ vi & conatu oppugnare ceperunt; jámque aſſiduis ictibus patefacto muro, hoſtes ſe irrumpere poſſe haud dubitabant: nec tamen injuſſu Achomatis quicquam tentare audebant, veriti ne ſi irrito cedente conatu à noſtris repellerentur, acerbiùs ab eo caſtigati pœnas temeritatis perſolverent. 1552.

Turcæ ab oppugnatione propugnaculi cum multo cæde repulſi.

Re igitur ad eum delatâ, & hiatu ab eo eminus oculis perluſtrato, nec, ut irrumperent, abnuente, magno impetu per ruinas propugnaculum ſuperare contenderunt. Sed à Caſtelluvio & Hiſpanis, atque Ungaris egregiè rem gerentibus, non ſinè quamplurimorum prætorianorum peditum, ac præfectorum cæde rejecti fuêre; ita ut quum Muſtapha, cognomento Debelius, hoc eſt craſſus & præpinguis, Nicopolitanæ urbis in ripa Danubii præfectus hortabundus & vociferans pugnam reſtaurare conaretur, ab Hiſpanis glande trajectus concideret, & exanimis à ſuis ægrè reportaretur, quo etiam in conatu multi ex Turcis, qui mortui cadaver tollere contendebant, eminus icti occubuêre, aut graviter ſauciati diſceſsêre.

In quibus & Muſtapha Nicopolitanus Præfectus cadit.

Caſtelluvius Hiſpanus glande trajicitur.

Sed graviſſimo Loſſoncii & omnium dolore accidit, ut quum Caſtelluvius depoſito thorace ferreo, quo in pugna erat uſus, atque incaluerat, deterſóque ſudore Turcas fugientes è muri ruinis proſpectaret, ab Janiceris, qui in ſemiambuſtis domorum parietinis delituerant, per ilia glande trajiceretur & ſtatim expiraret: quem non ſinè ſummo luctu Hiſpani & Ungari ſublatum tumultuario ſepulturæ honore, eodem in propugnaculo, profunda ſcrobe acta, condiderunt: eique juſſu Loſſoncii Diegus Mendoza Velleius Hiſpanus, in præfectura cohortis ſucceſſit. In eo certamine duo millia barbatorum partim cæſa, partim gravibus ſuſceptis vulneribus debilitata fuiſſe traduntur.

Interea quum Achomates & tormentorum magiſtri, ob crebras & aſſiduas interdiu noctúque jaculationes, ad ſummam pulveris ſulphurei penuriam atque inopiam deveniſſent, aliquamdiu obſidione potiùs, quàm oppugnatione tempus protractum eſt; quo tempore Petrus Farcaſſitius, Gregorii clariſſimi viri, quem à Tartaris in obſidione Albana ante nonum annum multis affectum vulneribus, ac pro mortuo ſublatum, poſtea convaluiſſe diximus, filius, cum paucis ſociis eruptione ex oppido facta, in pabulatores Turcas incidit, cæſiſque & captis aliquot ex iis, ac camelis & bubulis equiſque adductis, quamquam hoſtes concitati, infenſíque eum perſequerentur, tranſnatato tamen Temeſſo, & præda retenta, incolumis in urbem eſt reverſus.

Haſanes interea equitum Aſiaticorum Magiſter, quem Turcæ Anatolis Beglerbegum vocant, quemque Achomates pro pulvere ſulphureo, ac pilis ferreis, ante aliquot dies cum mille equitibus, totidemq; Janiceris miſerat adducta è Belgrado ac Samandria earum rerũ ingenti copia, in caſtra venit. Qui dum in itinere eſſet, & in milites noſtrates, qui è Caranſebeſſo exierant, incidiſſet,

intre-

1552. intrepidè ab iis invaſus, ac cæſis aliquot è ſuorum numero, in fugam verſus fuit: pulverem tamen tormentarium & alia, quæ cum peditibus per camelos & burdones præmiſerant, Turcæ magnâ vi contracto cum noſtris certamine tutati in caſtra pertulerunt. Quibus perlatis oppugnatio iterum majoribus viribus reſtaurata eſt, ac tormentis mœnia Turris Aquariæ, quæ inter urbem arcemque erat, denun verberari cœpta.

At Loſſoncius, qui jam præter Caſtelluvium aliquot præfectos notæ virtutis & fortitudinis variis caſibus interfectos amiſerat, cùm ſe rebus neceſſariis quotidie deficere animadvertiſſet, ac ad multam pulveris tormentarii & commeatûs inopiam redactus eſſet, nec ſibi laboranti à Caſtaldo & Bathorio, quorum auxiliis confidebat, ſubventum iri videret, & milites ſtipendium flagitarent; Stephanum Felduarium ſcribam ſuum ad pecuniam & res neceſſarias curandas, emittendum cenſuit; à quo teſtamentum paulò antè conditum, veluti non multo poſt moriturus, ad ſuos perferendum, & literas mandataque ad Annam Petriam conjugem, amicoſque & procuratores ſuos dedit, ut oppignoratis arcibus & fundis ſuis, pecuniam cogere, eâque res neceſſarias parare, militeſque in obſeſſorum auxilium mercede conducere, & ad ſe mittere conarentur. Qui quidem Turcicis veſtibus indutus, nec linguæ Illyricæ, quæ apud Turcas ut plurimum in uſu eſt, ignarus, deceptis excubiis, & proſpere confecto itinere, eò, quò juſſus erat, pervenit: & conductis pecuniâ cohortibus, quæ ad quingentos pedites continebant, ac pulvere ſulphureo plauſtris impoſito, ducem eis præfecit Michaëlem Totum, quem bello ad Segedinum nuper geſto inclaruiſſe diximus. Quum autem is

Copiæ, quæ Loſſoncio ſuppetias ferrent, partim diffugiunt, partim cæduntur.

penes Maryſum flumen iter intendiſſet, ac in ipſo fluminis trajectu ſe Temeſvario opem & ſuppetias laturum cohortibus ſignificaſſet, major militum pars tergiverſari, & partim ampliora ſtipendia flagitare, partim de ingreſſu obſeſſæ urbis deſperare, poſtremò nullâ honoris ac diſciplinæ militaris curâ habitâ ducem deſerere, ac dilabi cœpit. Inter quam conſternationem militum equitatus Turcicus, qui excubare, ac pabulatoribus, & lixis ac calonibus, qui rerum neceſſariarum cauſa caſtris exire ſolent, præſidio eſſe conſueverat, intellecto eorum diſceſſu, in eos qui remanſerant repentè irrupit, & diſſidentes facili negotio fudit & fugavit, vulnerato Michaele, & ægerrimè in tutum evadente. Altera quòque peditum manus, quam Thomas Vareocius, Varadini præfectus tumultuariè collegerat, & ut Loſſoncio laboranti opem ferret in mandatis dederat, audire Michaelis, qui præiverat, adverſa fortuna incepto deſtitit, & varias in partes latebráſque profugit.

Interea Achomates Turrim Aquariam vehementer labefactatam, & dirutam, continuata dies & noctes acerrima oppugnatione, tormentis quatere non ceſſabat, uſque adeò ut jam mœnia tribus ex partibus uſque ad ima fundamenta concidiſſent, nec ullus ſupereſſet locus, qui milites aut duces à frequentium pilarum ictibus tueri poſſet, præter Decumanam portam, in quam quòd craſſiore muro, eoque fornice concamerato conſtabat, Loſſoncius & præfectorum plerique ſeſe recipiebant. Jam ad ſextum Calend. Sextil. qui Divo Jacobo ſacer eſt, ventum erat, & XXXII. obſidionis dies illuxerat, cùm Achomates, miſſis per caſtra Chauſiis, edicit ſe ſtatuiſſe eo die aut arcem in poteſtatem redigendam, aut majori exercitûs parti occumbendum; itaque poſtquam corpora curaverint, animos etiam ad ſupremam certaminis aleam ita comparatos adferant, nec ſe ac imprimis Principem Solimanū voto deſiderioque ſuo, ac ſpe, quam de ipſorum virtute ac fortitudine concepiſſent, fruſtrari patiantur. Sic Turcæ ac præ aliis imprimis Janiceri prætoriani, equitibus ac aliis promiſcuè mixti, Turris Aquariæ mœnia diruta & humi proſtrata magno ſublato clamore aggredi cœpêre. Noſtri contrà ad ejus defenſionem pari conatu celeriter atque intrepidè procurrunt: certamen atrox & cruentum ſuboritur, cùm perſpicuum eſſet, ſi Aquariâ Turri hoſtis potiretur, arcem quòque, pro qua tot labores utrinque ſubiiſſent, tantum ſanguinis profudiſſent, brevi in victoris poteſtatem venturam. Multi utrinque cadunt, multi ſauciantur; Loſſoncius pugnans, & ſuis animandis intentus, nuſquam officio deeſt, idem Hiſpani & Germani impigre faciunt.

Aquaria Turris acerrima oppugnatio. 1552.

Dum in hunc modum certatur, Cubates Chauſiorum legatus Blaſium cognomento Partanroſſium, clarum equitem in ruinis inter cæteros pugnantem, prægrandi acinace in caput ferire conatus eſt, & lingua Illyrica loquutus, ſe Cubatem vocari altâ voce dixit; verùm ille ictum rotundâ parmâ excipiens, ſimul Cubatem tragulâ per collum trajicit, ſibique Blaſio nomen eſſe reſpondit. Vulneratur etiam Diegus Mendoza, & Hiſpani aliquot; ſed tanta noſtrorum virtus & fortitudo enituit, ut hoſtes magno accepto detrimento, cum ſtrage rejecti repulſique fuerint, tribus ferè millibus è ſuorum numero eo terribili conatu deſideratis. E noſtris præter ſauciatos haud paucos CXIII. milites periêre: pugnatumque fuit horis plus minùs quinque aſſiduè. Sequenti etiam die repetito certamine, ne noſtris quies aut ſpatium ullum otii daretur, alteram quoque impreſſionem, & quidem acerrimam in eandem turrim aquariam fecêre; in qua ille idem Cubates, qui heſterna in pugna Blaſio inferente vulnus ſuſceperat, illigata obſtipaque cervice inter pugnantes fuit. Aderat ipſe Achomates, hortator acerrimus, ac voce manuque ſuos, ut non niſi victores reverterentur, inſtigabat, & feſſis ac vulneratis recentiores milites ſubmittebat. Idem Mehemetes Beglerbegus, Caſſonusque & alii præfecti, ac volitantes hinc inde in acie præcones ſeu Chauſi faciebant, clavâ ferreâ pigritantibus inſtantes, intrepidis verò & fortiter dimicantibus collaudatis, præmia pollicentes. Nostri hoſtium reſpectu jam ad paucos redacti, quantum virtute viribuſque valebant, egregiè aliquamdiu & fortiter reſtitêre; ſed tandem ſuperante multitudine, Turcæ, pulſis ſummâ vi loco noſtris, Turri potiuntur.

Turcæ deſideratis penè tribus millibus, fortiter rejecti.

Sequenti die impreſſio repetitur.

Quâ captâ, quamquam Loſſoncius adversùs omnia invictam mentem gereret, cæteris tamen, amiſſo eo loco, animus illico concidit. Erat enim inter arcem & urbem locus medius, nec ab hoſte cuiquam ex arce in urbem, aut illinc in arcem ad Loſſoncium & commilitones commeandi facultas ulla dabatur. Et jam commeatus ferè omnis obſeſſos defecerat, & ſulphurei pulveris duæ aut tres heminæ vix ſupererant, quæ ſi Turcæ ad arcis mœnia occupanda ſucceſſiſſent, uti facturi haud dubiè erant, explodendis vix ſemel majoribus tormentis ſufficerent. Alia ex parte hoſtes inconditis clamoribus, ac variis linguis obſeſſos ad deditionem hortari, Solimani ac Purpuratorum, ipſiuſque imprimis Achomatis fidem indubiam offerre, incolumitatem

Quâ, noſtris vi pulſis turri potiuntur.

Commeatûs & pulveris inopia.

1552. ratem rerum omnium & vitæ polliceri, ut ſibi parcerent, ut ſe ad meliora ſervarent, nec ſe miſerabili morte perditum ire vellent, ſeriò ſuadere. Itaque extremis hiſce rerum difficultatibus preſſi, primùm ex oppido nuntios ad Loſſoncium mittunt, qui ante lucem tecti tenebris, in arcem pervadunt, eúmque multis precibus rogant, ut ſui ac conjugum, & parvulorum liberorum miſereri velit, ac deditionis conſilia amplecti; ſatisfactum ab eo eſſe virtuti ac fortitudini ſuæ famæ & honori, ſatisfactum militum conſtantiæ quamdiu cum hoſtibus pugnandum fuit: nunc cum fame, cum rerum neceſſitate, & penuriâ pugnari non poſſe: contra naturæ neceſſitatem nec arma, nec pertinaciam valere ullam. Cæteri quòque, qui in arce cum eo unà erant, eaſdem rerum & inediæ anguſtias & extrema incommoda animo reputantes, neceſſitati & adverſæ fortunæ cedendum conſulebant; ne poſtea ab irritatis & ira percitis ulla ſpes miſericordiæ aut libertatis, quam modò ſponte offerrent, expectari poſſet.

Loſſoncius multorum precibus & lacrymis, ut oppidum ac arcem dedat, rogatur.

Sed ille ſingulari conſtantia, eorum precibus nequaquam flecti, & in propoſito ſervandæ uſque ad extremum ſpiritum arcis perſiſtere, non eſſe perfidis hoſtibus credendum dicere; quos cum veteribus exemplis, tum recentiore Veſprimienſium cæde, Punicis dolis & fraudibus, in deditos graſſari manifeſtum ſit; perſtitiſſétque in ſententia, niſi Germani milites & Hiſpani imprimis, quorum præfectus Diegus Mendoza ex vulnere nudius tertius propugnando accepto, eo ferè puncto temporis, vita exceſſerat, apertè dixiſſent, ſeſe vel eo invito hoſtibus de deditione proloquuturos, arcémque potiùs, quæ jam nullo modo retineri poſſet, illis relicturos, quam ultimum vitæ ſalutiſque amittendæ diſcrimen ſubeundum foret. Ejuſmodi Hiſpanorum inopinatâ conſternatione ac defectione fractus animo, ægrè tandem aſſenſit, ac ut de deditione cum hoſtibus agerent, permiſit. Quæ quidem haud cunctanter cum Achomate tranſacta eſt, ſic ut fide interpoſitâ, ſe omnes cum rebus & ſarcinis incolumes dimiſſurum promitteret; & profectio in poſterum diem inſtitueretur. Exiêre ex arce in urbem, ac eam diem & noctem iſthic tranſegêre, quòd urbana plebs, nondum compoſitis ſarcinis imparata, à Loſſoncio hanc moram multa prece impetrâſſet: tametſi milites dubiæ Turcarum fidei haud ignari, ne qua fieret mora, inſtarent.

Quibus accedunt & Germanorum & Hiſpanorum minæ.

Quibus fractus deditioni ægrè aſſentit.

Poſtero die currus, quibus ſarcinæ ac ſaucii ægrotique milites erant impoſiti, duplici ordine præcedere jubentur: inter quos Loſſoncius cum armatis iret, uti conventum erat, ac poſtremum agmen ab Hiſpanis, & reliquo peditatu, civibúſque, qui adhuc ſupererant, clauderetur. Hoc ſervato ordine ad diem poſterum paululùm progreſſi, Turcas confertiſſimos ſtare, & unicam viam, quâ noſtri procederent, eámque ſatis anguſtam reliquiſſe conſpiciunt: cùmque eſſet extra portam Praconiam perventum, Achomatis juſſu cives & incolæ in ſiniſtram partem, eorúmque plauſtra & ſarcinæ ad dextram collocantur: cùmque Loſſoncius portâ exiiſſet, mox Beglerbegus & Caſſonus eum medium accipiunt, ac blandiori vultu ſalutatum, inter armatum exercitum deducunt. Nec mora, quum ab Janiceris & prætorianis equitibus arctiùs & anguſtiùs premerentur, & pueri, quorum ætas aut forma placuiſſet, raperentur, adoltiores verò & ii qui reſiſtere parabant, trucidarentur, clamantiúmque ad arma voces & ejulantium exaudirentur; poſtremò Andreas Tomoræus adoleſcens nobilis, Pauli clariſſimi, ſed infelicis Muhacianæ pugnæ ducis, ex fratre nepos, qui arma & auratum Loſſoncii thoracem, galeámque geſtabat, à barbaris equo deturbatus.

Noſtri à Turcis fide nefariè violata invaſi, ſtre- 1552. *nuè ſe defendunt quidem.*

Quo animadverſo Loſſoncius, Alphonſum imprimis Perezium, ac Simonem Forgacium, qui ejus tergo penè adhærebant, altâ voce alloquutus, hæc, inquit, Turcicæ perfidiæ ſumma, hic finis eſt, commilitones; ſed macti virtute, quod unum ſupereſt, agite, expedite arma, ne inulti pereamus: atque hæc effatus ſtricto gladio, legatum Beglerbegi (ipſe enim & Caſſonus ad primum tumultum cautè ſe ſubduxerant) transfodit: tum pulſari tympana & tubæ inflari, omnes arma capere, ſeſéq; mutuo ad honeſtè cadendum adhortari, quantumque poterant, ex denſis confertiſque hoſtium agminibus explicare. Sed vincente paucitatem multitudine, Loſſoncius quum ſe diu multúmq; ne vivus in hoſtium poteſtatem incideret, defendiſſet; poſtremò caput lethali vulnere affectus, ac ſiniſtrum latus haſta trajectus, confoſſo denique & prolabente equo, capitur. Perezius bene armatus, quum aliquot barbaros partim breviore ſclopeto, quod ephippio aptatum gerebat, partim veruto interfeciſſet, præſtantis equi pernicitate fretus Lippam verſùs curſum intendit. Verùm quum eum barbarorum pugnaciſſimi, per velociores equos, maximo, ne evadere poſſet conatu & perſequendi ſtudio inſectarentur, in Chryſium amnem ſeſe cum equo præcipitavit, ibiq; interiit. Forgacius multis confoſſus vulneribus, naſóque inter pugnandum mutilatus ſemianimis in manus hoſtium incidit. Lupus Battianius, Milacus Thrax, ipſius Loſſoncii legati, ac Petrus Farcaſſitius, Stephanus cognomento Hiſpanus, ſed genere Ungarus, è Martonoſſio claro oppido ortus, turmæ equitum Forgacianorum legatus, ac alii pauci è potioribus capti. Barbari enim cum innata ſævitia, & in noſtrum ſanguinem feritate, tum verò irâ & furore, ob amiſſos in oppugnatione ſocios incitati, nemini ferè militum pepercêre, quin capti & ſpoliati, veluti victimæ crudeliter mactarentur.

Sed à multitudine hoſtium oppreſſi fortiter pereunt.

Loſſoncius vulneribus confectus, capitur.

Perezius in Chryſio amne ſubmergitur

Complures capti.

Loſſoncius ex ſuſceptis vulneribus jam adeo debilitatus, ut nulla vitæ ſpes reſtaret, ad Achomatem perductus, perfidiam & juriſjurandi violati ſcelus acrioribus verbis, nec ſinè conviciis ei exprobravit: contrà ille caſum Ulamanis, cui ſub fide dedito, & è Lippa abeunti inſidias à noſtris ſtructas dicebat, objectavit; & inter probra conviciáque illi jam deficienti & ſemimortuo caput præcidi juſſit; illúdque detractâ cute, molli herbâ ac bombice infarctum, ut mos barbaris eſt, cum aliquot captivis Byzantium miſit, & expugnatum Temeſvarium Solimano ſignificavit. Lupum Battianium, Muſtapha Seliſtriæ Bulgaricæ ad Danubium præfectus, natione Valachus, & paulò antè ad ſuperſtitionem Mahometanam delapſus, ab Achomate ſibi donari poſtulavit, quòd affinitate juncti eſſe dicerentur; cùmque Achomates id ei denegâſſet, ipſe verò eum ſe à Solimano quòque impetraturum retuliſſet, Achomates ea re irritatus, & excandeſcens Lupo brachia & genuum tenus pedes in veſtibulo portæ decumanæ ſingulari & planè barbarâ crudelitate detruncari & abjici juſſit; ſicque vir ſupra natalium ſplendorem fortis & pugnax, inuſitatis & intolerandis corporis cruciatibus miſerabiliter eſt necatus. Milacus & Farcaſſitius pecuniâ ac captivorum permutatione redempti, & Forgatius naſo præſecto deformatus, cui id non probro, ſed

Loſſoncio, exprobata primum perfidia, caput amputatur.

Lupus Battianius truncatis brachiis & pedibus crudeliter perit.

1552.

ſed honori fuit, quum Sabacem Turcam Strigonii equitum præfectum, Melchioris Balaſſi captivum pro ſe dediſſet, ad ſuos reverſi fuerunt. Stephanus verò cognomento Hiſpanus, Blaſius Pattantuſius, & Joannes Bornemiſſa è Tengeldo cum Roderico Trianin & aliquot militibus Hiſpanis, dum Byzantium ducerentur, ruptis catenis, & interfectis cuſtodibus, per Bulgariam & Valachiam, trajectu Iſtro, in Tranſilvaniam, ac deinde domum pervenêre. Urbana plebs & cives reverti in urbem, & ſinguli ſuas domos repetere, ſuíſque legibus vivere juſſi ſunt. Per hunc modum Achomates, capto Temeſvario, exercitui aliquot dierum quietem concedendam ratus, arcem & urbem Caſſono curandam dedit, ac ut mœnia quaſſata ac diruta reſtauraret, mandavit.

Caſſono Temeſvarium curandum datur.

Interea Caranum, Sebeſſum, & Lugaſſium civitates, infirmis & vetuſtis mœnibus cinctæ, ab Achomate certis conditionibus ſalutem ac libertatem impetrarunt; quæ olim ad Severini præfecturam pertinebant, ſed à Petrovitio, dum Temeſvario præeſſet, occupatæ poſſidebantur: ut nimirum commeatum, quantùm poſſent, exercitui ſubminiſtrarent, ac ſingulæ millenos aureos perſolverent. Per earum incolas, quibus in utramque partem commeare eo tempore licebat, ac nonnullos eorum, qui è prælio evaſerant, quum capti Temeſvarii, ac cæſi præſidii fama Lippam perlata eſſet, Bernardinus Aldana ejus præfectus, ſecùs quàm antea Caſtaldo promiſerat, & quàm ipſius officii ratio, ac Hiſpanici nominis decus poſtulabat, de urbe defenenda cogitare cepit, ratus ſi Loſſoncius cum fortiſſimis Hiſpanici & Pannonici nominis militibus, hoſti barbaro truculentóque ceſſiſſet, ſe quòque urbi defendendæ minimè parem futurum. Itaqua quamquam Demetrius Ociatovitius natione Thrax, qui nullius ſtipendii addictus, cum peculiari ſuorum equitum ala tunc Lippæ agitabat, vir ſolers & induſtrius, reíque militaris peritus, nec non Paulus Jadrenſis, ac Franciſcus Henriques, veteraníque aliquot Hiſpani, ejus facti conſilia vehementer improbarent, & exploratores quòque hoſtilium conſiliorum haud ignari, nondum Lippæ metuendum eſſe adferrent: ipſe tamen in ſententia perſtitit, & tormenta curulia pulvere ſulphureo, uſque ad ſumma fiſtularum ora onerari, turres etiam & portæ fornices eodem modo impleri, impoſitíſque pulveri incendendo funiculis ardentibus, ut paulò pòſt vi ejus rumpi evertíque poſſent, jubens, paulò ante auroram egreditur. Quæ omnia magiſtri tormentorum impigrè quidem, ſed adeo anxiè & trepidè fecêre, jam jam hoſtes prope adeſſe exiſtimantes, ut nonnulli ex via repentina pulveris, ignem ſubitò concipientis violentia diſcerperentur. Oppidum quòque aliquot in locis ſuccendi jubet, gementibus civibus, qui domos ſuas & ſubſtantiam quam Turcæ ſuperiori etiam Joannis Peteonis fuga & conſternatione intactam ſervaverant, concremari & in cineres redigi miſerabilem in modum deplorabant. Quibus peractis ad Caſtaldum in Tranſilvaniam ire pergit, à quo rei indignitate permoto, ac dedecoris nomini Hiſpanico temerè illati juſto dolore exacerbato in vincula conjicitur, Viennámque ſub cuſtodia mittitur. Ubi jubente Ferdinando militari in Concilio capite condemnatus, jámque ſupplicio afficiendus, à Maria Caroli Cæſaris filia, Maximiliani conjuge, Ferdinandique ipſius nuru, quæ pro illius ſalute & vitâ ſummis precibus laborabat, periculo eximitur.

Caranum, Sebeſſum, ac Lugaſſium certis conditionibus redempta.

Lippa cum ſumma ignominia nota ab Aldana Hiſpano deſerta & ſuccenſa.

Aldana ſupplicio afficiendus à Maria Auguſta liberatur.

At Achomates re intellectâ, Caſſonum è Temeſvario, cum quinque millibus expeditorum equitum illuc adcurrere jubet: íſque extinctis flammis, & ereptis è rogo quantum potuit, tormentis, quorum metalla nondum rupta aut liquefacta eſſent, urbem nullo negotio occupavit & magna ex agris collecta ruſticorum multitudine, reſtaurandam muniendámque curavit. Et quum Solymoſiam arcem parvo ſupra Lippam intervallo monti edito impoſitam, ſed expugnatu difficilem, ab Hiſpanis & Ungaris Aldanæ præſidiariis, ejus exemplo, metu perculſis vacuam relictam eſſe didiciſſet, illam quòque integram & ſatis munitam, commeatúque & rebus neceſſariis plenam, eodem victoriæ tenore, facilè in poteſtatem redegit. Eâdem etiam facilitate Chanadium nudatum fuga præſidiariorum atque à Caſſono occupatum fuit.

Caſſonus Lippam occupat & inſtaurat.

Capit & Solymoſiam arcem à noſtris derelictam.

Et Chanadium.

Sub idem tempus Alis Eunuchus Budæ præfectus, communicatis cum Achomate conſiliis, coacto exercitu, cujus opera nuper Veſprimium ceperat, fortunam tentare conſtituit, ita ut arcibus ſuæ præfecturæ propinquioribus, quas negligentiùs à noſtris cuſtodiri non ignorabat, in poteſtatem redactis, vires ſuas cum Achomate conjungere, ac illum poſtea ad oppugnandam univerſis viribus Agriam perducere poſſet, ex qua ſæpiſſimè graves, cruentáſque excurſiones, uſque ad ipſa Peſthi & Budæ ſuburbia fieri non ignoraret. Igitur eductis Buda tormentis, ac promotis caſtris, in quibus 8. aut 10000. militum erant, ad oppugnandum Dregelum proficiſcitur. Id in præalto monte poſitum Pauli Archiep. biennio ante vita functi ditionis erat, & à Georgio Zondio, viro acri & militari, ac collega ejus Greg. Berſaluſio cuſtodiebatur. Sed is per occaſionem inviſendæ domus & familiæ aberat, & ſolus Zondius domi res curabat. Cùm Turcæ propiùs advenraſſent, aggeres & vineas de nocte celeriter è regione arcis perfecerunt, inque eis 4. majora tormenta, & 6. colubrinas mediocres collocarunt, quibus arx ſine intermiſſione verberari cepta eſt: nec multò pòſt turris præalta, quæ portæ imminebat, eíq; præſidio erat, vi tormentorum diruta dejectáque fuit, cujus caſu Zondius Joan. Zoltaium legatum ſuum oppreſſum extinctúmque amiſit. Mœnia etiam arcis, quòd vetuſta debiliáq; eſſent, pilarúmq; ictibus quaſſarentur, adeo pleriſque in locis vitium fecerant, ut Zondius arcem retineri poſſe deſperaret.

Inde Dregelum arx ab Aly Eunucho obſidetur.

Erat haud procul Dregelo Oroſſalva Ruthenorum colonia, à Colomano rege, ut diximus olim eò deducta, in qua Martinus ſacerdos ſacra facere erat ſolitus. Eum Eunuchus ad ſe vocatum in arcem mittit, ac Zondio nuntiat, ut cùm arx ab ipſo retineri nullo modo poſſit, eam ſibi dedere non abnuat; ſcire ſe eum militarem virum ex pugnaciſſimis eſſe, cujus virtutis fortitudiniſque famam à multis audiſſet, & ipſe multis experimentis pro comperto exploratóq; haberet: itaque ſibi grave & moleſtum futurum, ſi ea ignobili in arce ei, vita amiſſa pereundum ſit; proinde monere & hortari, ut ea dedita, ſalvus & ſoſpes abeat, ac ad meliora ſe & vitam ſervet. Ad ea Zondius paucis reſpondit, ſibi firmum eſſe animi propoſitum honeſtè potiùs occumbendi, quàm ut ab ipſo fraude circumventus, in ſervitutem redigatur, ac catenis collū oneratus hinc inde pro mancipio venum ducatur. Itaque tardè & importunè ejuſmodi adferri conſilia, quæ ſibi minimè placuiſſe paulò pòſt reipſa ſit declaraturus. His dictis duos captivos Turcas ex multis

Zondii præfecti generoſa & heroica animi conſtantia.

acciri

1552.

accıri, eoſque veſtibus è purpurea lana pretioſiore ac pecuniâ donatos & dimiſſos Eunucho dicere jubet, ſe petere ut duos pueros quos ſibi educare non licuiſſet, in ſuum famulitium accipiat, & ad grave Martis opus, militiamque condiſcendam inſtruat; ſtare enim ſententiam ſibi aut arcem ſervare, aut moriendum eſſe.

Dimiſſis ad Eunuchum ſacerdote & captivis, expiatis priùs Chriſtiano more criminibus, pecuniam, veſtes & res omnes, & quæcunque habebat militaria inſtrumenta, & vaſa argentea, ebarioremque ſupellectilem, in veſtibulum arcis comportanda curat, ibique ſubdita ſuis manibus face flammis exurit: deinde in ſtabulum profectus, equos militarea, quos præſtantes habebat, lanceâ tranſadigit, ne iis hoſtes potiantur: poſteaque ad arcis portam in hoſtes fertur, qui jam magno impetu per muri ruinas aſcenſuri conſpiciebantur. Ad eos repellendos concurrere ſuos, & ſclopetis rem gerere jubet, multique ex iis interficiuntur, dum ingredi conantur, ipſe inter primos acerrimè pugnat; ſed ab irrumpentibus magnâ vi Janiceris, genu glande craſſiore trajicitur, & in alterum genu illæſum concidit, nec tamen pugnam intermittit: iterum autem caput & pectus aliquot glandibus petitus derepentè corruit, ac præciſum ejus caput ad Eunuchum fertur, quod ille unà cum trunco, in monte è regione arcis ſito, militari funere tumulandum curavit, adhibitâ haſtâ & vexillo, ut eum fortiter pugnando, honeſtam & decoram mortem pro patria oppetiiſſe teſtificaretur: adeò virtus vel in hoſte laudabilis & glorioſa habetur.

Virtus etiam in hoſte laudibus efferenda.

Hunc exitum habuit Zandius, anteactæ militiæ congruum, ac conſtantiæ laude apud poſteros memorabilem; quam tamen cæteri præfecti earum arcium, in quos Eunuchus ejus æſtatis expeditione vires ſuas atque arma exercuit, minimè ſibi imitandum propoſuiſſent: quum muniniores Dregelo arces, aut fœdâ fugâ deſeruiſſent, aut ſubito metu conſternati, non ſine ſumma dedecoris & ignominiæ nota hoſtibus tradidiſſent. Nam cùm ad arcem Seceniam perventum eſſet, cujus cuſtodiæ Laurentius Aruchanua præerat, milites præſidiarii turpiter profugêre, Laurentio ſolo, & arce vacua indefenſaque relictis. Quod quum Laurentius animadvertiſſet, ipſe quoque cæteros ſequutus, fuga captam in manus hoſtium incidit, diuturnamque apud illos ſervitutem ſervivit.

Secenia turpi noſtrorum fuga hoſti ceſſit.

Exinde Eunuchus celeri itinere ad caſtrum, cui à Corvo nomen eſt, caſtra promovit, & Arſlanem, Mehemetis Jahioglis filium cum trecentis equitibus, totidemque peditibus ad Buſſam miſit, quæ erat modica è coctо latere turris, & à Michaële Terchio, Stephano Zuchain, Andrea Nagio, ac paucis aliquot Sigiſmundi Balaſſii militibus cuſtodiebatur: qui cum conſtanti admodum firmoque animo eam defenderent, nec Arslanes quicquam oppugnando, ac terrorem admovendo proficeret, ſequenti die è caſtris duo millia peditum acciri, & duo tormenta advehi jubet, quibus locum concuteret, aperiretque. Sed nec ea hoſtium acceſſione, ac continuis ictibus, quibus turris diruebatur, quicquam Terchius & ſocii perterriti, in defendenda ea, eò firmiùs & conſtantiùs perſiſtebant. Dirutâ turre noſtri ſe in vallum recipiunt. Et virtutem eorum Arslanes admiratus, qui tantâ vi exiguum munimentum adverſùs tantas copias tuerentur, pacta cum Terchio & Balaſſianis incolumitate, uſque abire in tutum permiſſis, turrim & vallum ſolo æquavit.

Buſſam turrem aliquam diu à noſtris defenſam Arslanes occupat.

Revertenti ei ad caſtra, haud procul erat arx Salgo, Lupi Derencenii ditionis, quam Simon Sagivanus imbellis præfectus tuebatur: ea autem erat arduæ rupi impoſita, & difficilem admodum aſcenſum, & oppugnationem requirere videbatur, quòd tormenta eò attrahi, non niſi immenſo labore, & multis jumentorum jugis, nec ſine periculo poſſent. Igitur Arslanes, quò vi non poſſet, aſtu ſibi penetrandum ratus, arboris prægrandem truncum, duabus rotis impoſitum, aliquot boum jugis ad cacumen montis pertrahi, & ab agreſtibus magno clamore boves, velut ſub nimio ænei tormenti pondere fatiſcentes, urgeri imperat. Favit aſtutiæ ejus inſolens fortuna, quòd eo die ex humore nocturnæ pluviæ craſſior nebula aërem involviſſet, aſpectúmque omnem noſtris extorſum eripuiſſet. Interea quoſdam equites Turcas, Pannonicæ linguæ gnaros præmittit, qui obſeſſis nunciarent, tormenta inuſitatæ magnitudinis protinus arcis mœnibus admovenda, in proximo eſſe, porrò conſultum fore, ſi eorum ictus nequaquam ſibi expectandos ducant, ſed deditâ arce, ſalviſque rebus exeant; ſe enim poſtea nemini parſurum. Eâ fraude Sagivanus creditâ, non ſine riſu ſimplicitatis ſuæ arcem hoſti tradidit, ac Arslanes ei & ſociis, fide ſervatâ, incolumibus dimiſſis, Salgonē præſidio firmavit, & in caſtra reverſus eſt.

1552.

Inde Salgo arx deditur.

Ridiculum barbari ſtratagema.

Eunuchus quoque caſtro Corvi, quòd Andreas Saeius, & Emericus collega inter ſe diſſiderent, eadem facilitate potitus, ad Bujacum Bachorii arcem, haud procul diſtantem divertit: & cùm ea muro craſſiore ac ſatis firmo munita eſſet, nec in eo quinq; diebus verberato quicquam ferè dirutum eſſet, difficilis oppugnatio futura videbatur, ſi quæ in præſidiariis virtus aut conſtantia fideſque adfuiſſet. Sed illi intempeſtivo metu ac pavore perculſi, perfractis fornicibus, in quibus reconditum theſaurum falſo putabant una cum Martino Quercio præfecto non ſine perfidiæ labe arcem relinquentes, ſeſe in fugam conjecerunt: quos tamen Turcæ inſecuti inciſos & ad unum interfectos deleverunt, ſolo conſervato Martino, qui in ipſis vinculis & carcere poſtea extinctus eſt. Sagum collegii Monachorum Benedictinorum caſtellum, ad ripam Hippoli fluminis amœno loco ſitum, ac Giarmatum Balaſſianæ familiæ domicilium, perterritis illis, qui in præſidio erant, ac diffugientibus, primò direpta à Turcis, ac poſtea ſubjectis ignibus concremata funditus conflagrarunt.

Capta præterea Corvi caſtellum,

Bujacum

Sagum,

Giarmatum.

Tot tamque validis arcibus nullâ vi, ſed ut Turcæ ipſi jactabundi dicebant, ſpatiando & ſecurè otiando, in poteſtatem redactis, Ferdinandus, qui majore ejus anni parte bellicis apparatibus & tormentis, eorumque vectura & aliis rebus neceſſariis curandis, ut diximus, incubuerat, ſeque ad caſtra & bellum gerendum profecturum edixerat, ne tantam ditionem impunè hoſtibus occupandam permittere videretur, copias, quibus hoſtibus & Eunucho occurreretur, parandas, illumque ab ulterioribus detrimentis inferendis arcendum conſtituit. Et cùm opportunè Sforcia Pallavicinus, quem ad conducendum peditatum in Italiam profectum fuiſſe docuimus, adductis militum quatuor millibus & quingentis, per eos dies reverſus eſſet, Eraſmo Taifelo, Jaurini præfecto, qui Honorio Cuniſpergio ſucceſſerat, infauſti ominis, ut eventus quoque approbavit, duci, tradito ei ſummo totius exercitûs imperio, in mandatis dedit, ut coacto ex finitimarum locorum præſidiis milite, cum Sfor-

Infauſta Eraſmi Teuffeli expeditio

cianis

1552. cianis ſeſe conjungere, & Dregelum ac alias arces, uuper ab hoſte captas recuperare contenderet. Tria quòque millia peditum Germanorum, duce Marcello Detrico mercede conducta, quorum dimidia pars ſclopetarii, cæteri baſtati erant, ad eum ire jubet; Provinciis verò ſeu regionibus ſuperioris Pannoniæ, numero decem, ſeriò injunxit, darent operam, ut in oppidum Filecum convenire, ac Taiſalo & Sforciæ primo quòque tempore conjungi poſſint.

Copiæ undique collectæ ex præſidiis.

Taiſalus ipſe cum Sforcianis copiis & Germanis Levam atque inde Egegum caſtra promovit, & è Jaurino ſupra propriam ducentorum equitum alam, alios ſingulis centuriis equeſtribus præfectos, Georgium Quegleviſium, Petri filium, Paulum Ratcaium, veteranum copiarum ductorem, Franciſcum Deſoffium, Michaëlem Donibaium, & Franciſcum Sandrinum ad ſe venire juſſit. Eodem modo & Levæ præſidio Paulus Sarcandius, Nicolaus Siculus, Stephanus Thrax, Franciſcus Jacoſitius, & Sebaſtianus Mauſnanus cum quingentis equitibus levis armaturæ advenêre. Auguſtino Sbardellatu Epiſcopo Vacienſi, Italicæ originis, ſed in Pannonia nato, Salmenſis Comes bello Muranienſi curam commeatûs demandaverat: eandem provinciam Taiſalus quòque ei ratam habuit, ac centum equitum ſtipendium adjecit. E Corponenſi oppido, Joannis Chruſitii legatus, Gaſpar Chunus centuriam equitum, & Lupus Puchaoiius Auſtriacus, bis totidem adduxit. Melchiori Maſconi, qui Vigieſſo præerat, ducenti quinquaginta equites Germani parebant, qui etiam bene armati inſtructique cum ipſo ſimul eòdem venire maturarunt. Supra hos octingenti pedites, Moravici & Bohemici generis, & totidem Pannonii ex iis, qui Haidones vocantur, ſeſe adjunxêre; quos omnes Taiſalus ad Egregum in caſtra recepit, ita ut omnium copiarum ratione ſubducta, decem millium militum numerum facilè excederent.

Decem millium numerum explebant.

Has copias Caſtaldus in ſupplementum exercitûs ſui mitti expetebat, quòd Achomatem, capto Temeſvario, Tranſilvaniæ occupandæ conſilia agitare comperiſſet, verùm Ferdinandus commodiore conſilio, ſi exitus reſpondiſſet, ad tuendos contra Alim Eunuchum fines, amiſſáque recuperanda convertit. Jam etiam armata nobilitas ad Filecum convenerat, quæ ad ſeptem millia bellatorum conſtituebat; ita ut ſi totus exercitus convenire potuiſſet, idoneúmque bello ducem, & peritum nactus fuiſſet, Budenſibus Eunuchi copiis, non ſinè certa vincendi ſpe, facilè opponi potuiſſet. Carebat tormentis currulibus, ac colubrinis majoribus Taiſalus, ſed ea Ferdinandus è veteris Zolii, ac Biſtriciæ montanæ armamentariis deprumi, ac in caſtra advehi juſſit. Quibus tutiùs advehendis, quingenti equites è caſtris obviam ivêre, Ratcaio, Quegleviſio, ac Mauſnano ducibus, qui cum tormentis eorumque apparatu ad arcem Plobenſtaniam ſubſiſtere, & adventum exercitûs ibi præſtolari juſſi ſunt.

Nobilitas etiam cum 7000. armatorum Filecum convenit.

Interea Alis Eunuchus, noſtrorum apparatu, ac conatibus per certos exploratores cognito, prius quàm duo noſtrates exercitus conjungerentur, præoccupandum Taiſalum, & cum eo congrediendum arbitratus eſt, copiáſque omnes ſuas, quarum virtuti plurimùm confidebat, ad campos Racoſios convenire jubet: quibus ſummâ celeritate congregatis, adverſùs noſtros ducere decrevit. Habebat in caſtris ad 12000. equitum ac peditum, ſed qui ob recentes continuáſq; victorias, ipſo duce partas, noſtrorum copias, & potiſſimùm Germanicas, nihili pendere videbantur. At Taiſalus Dregelo copias admoturus, ab Egego caſtra promovet: & tametſi ab Ungaris ducibus admoneretur, ne quid adverſùs hoſtem moliri, neve ullam fortunæ aleam, niſi receptis priùs in caſtra Nobilitatis copiis, quæ Fileci erant, experiretur; ipſe tamen ſuis ſubnixus conſiliis, quibus ſibi indulgendo errare potiùs & obſtinatiùs perſiſtere, quàm alienis rectè uti conſueviſſet, tormenta duntaxat expectanda, neque hoſtium congreſſum admodum formidandum exiſtimabat. Et Ratcaius, illa jam ad Boſocum, jugis equorum & boum Civibus montanarum urbium imperatis, advehenda curaverat, ejúſque rei ducem certiorem reddiderat: quum Taiſalus caſtra in hunc modum promovere, & Dregelum verſùs proficiſci cæpit.

Alij Eunuchus cum duodecim millibus noſtris, antequam conjuncti fuêre, occurrit.

Præcedebant 50. equites levis armaturæ Pannonii, quos paulò pòſt equitum Germanorum turmæ, ducibus Maſcone & Andrea Taiſalo, Eraſmi ipſius fratre ſubſequebantur. Poſt hos peditatus Germanicus, & legio Italica, ac Bohemi & Ungari pedites, ſublatis vexillis, ac inſtructis ordinibus armati procedebant. Horum veſtigiis currus onerarii & impedimenta exercitûs progredi juſſa, ac inter illa 6. falcones currules, quos vocant, cum rebus neceſſariis & tormentorum magiſtris, quaternis equis vehebantur. Agmina verò præcedentia à 600. equitibus Pannoniis claudebantur; atque hoc ordine univerſæ copiæ ad Pleſſovicium oppidum, quod à Pannonibus Palaſtum appellatur, pervenerunt: & in ejus campis, qui vineta & montes ad Orientem reſpiciunt, caſtra collocata. Nec longè aberat in pago Silvaſſo Eunuchus cum ſuo exercitu, rei gerendæ, & conſervandorum, quæ nuper cæperat, locorum avidiſſimus: ac deinde arridente cæptis fortuna, ſeſe cum Achomate & prætoriano exercitu conjuncturus; quum multa adhuc pars æſtivi temporis gerendo bello accomoda ſupereſſet.

Caſtra Teuſſeli in campis Pleſſovitii collocata.

Cùm caſtra noſtrorum progredi intellexiſſet Eunuchus, mille equites expeditos deligit, eiſq; ut ſitum caſtrorum Taiſali ac Sforciæ contemplari ac explorare, dareq; operam contendant, ut ex hoſtium numero captũ aliquem ad ſe adducant, à quo de eorum conſiliis certiora intelligere poſſet. Hos quum equites illi, quos agmina noſtrorũ claudere diximus, conſpexiſſent, cæteris iter ceptum proſequentibus, acri edito certamine, fugarunt, ac nemine è ſuis amiſſo, unum ex hoſtibus interfecerunt, altero vivo in poteſtatem redacto. Ab hoc Turca primum ad Sforciam adducto intellectum eſt, Alim ejus eſſe propoſiti, ut quemcunque rebus exitum ſors & fortuna ſtruxerint, collatis ſignis ſinè cunctatione experiatur.

Decimo die Auguſti.

Jam decimus dies menſis Sextilis, divo Laurentio dicatus illuxerat, barbaris ſæpè felix fauſtúſque, & noſtri protenſis tabernaculis caſtra collocaverant, quum Turcarum antecurſores, duce Arslane, in conſpectum venêre: adductis tribus falconibus, quorum uſus campeſtri in acie eſt, iiſque noſtrorum caſtra infeſtare ceperunt. Noſtri celeriter ex caſtris procurrentes, magnum acréque certamen cum iis contraxêre; ac directis in eos falconibus, quos in margine caſtrorum opportunè collocatos habebant, tam cominus præliando, quàm jaculis eminus feriendo eos ſubmovere, multos interficere, plurimos vulnerare. Deinde concurrentibus noſtrorum equitibus, tam Germanis quàm Pannoniis, cruentiſſimum certamen ſubinde

Levia aliquot prælia inita.

1552. auctum recrudeſcit : eo exitu, ut plurimi utrinque interirent, aut caperentur, & Franciſco Deſſffio equus, quo vehebatur, cum ſiniſtro crure inſidentis, ferrea falconia pila diſcerperetur, quo immani vulnere ictus in caſtria eodem die expiravit. Capti etiam à Turcis ſunt Sardinua & Domhajus, equitum ductores, ac ad Alim perducti. In partibus Turcarum ab Italis glande trajectus periit Tefferdarius, quæſtor & ærarii cuſtos, qui militarium ſtipendiorum rationes ſervare, militibuſque ſolvere ſolebat : cum aliquot præcipuis barbarorum. Quo cadente Turcæ cohortem Italicam, ex qua Tefferdarius erat interfectus, extra munitiones pugnando progreſſam, ad quædam arbuſta publicæ viæ contigua, irritando & laceſſendo elicuere, & quamquam ea ſclopetis rem peritiſſimè gereret; à multis tamen barbaris circumventa, maximo erat in diſcrimine, niſi Ungari equites Franciſco Jacoſitio & Georgio Thurio annitentibus, auxilio accurriſſent; qui feſſos dimicando & fatigatos, ne uno quidem ex ipſis deſiderato, periculo liberarunt.

Jam pugnatum erat uſque ad meridiem, quum Eunuchus cum univerſo exercitu ſuis ſubſidio ſupervenit, ac prælium magno terribilique conatu reſtauravit; adductis quatuordecim colubrinis campeſtribus, quas in proximis caſtris noſtrorum colle ita collocavit, ut inde peditatum Bohemicum ac Ungaricum, contortis in eum pilis aſſiduè infeſtaret. Nec inora illum cominus haſtis aggreſſus, quamquam acerrimè repugnarent, tamen quod à ſociis alia in parte laborantibus minimè juvarentur, terga dare coactus concidit & profligat. Sed equites Germani cohortantibus Andrea Taifalo & Maſcone, facto cuneo, peditibus opem ferunt, ac hoſtes terga vertere compellunt, pulſiſque iis, & multis occumbentibus, ſigno receptui dato, in caſtra revertuntur.

Sequenti die certamen inſtauratur.

Sequenti die collaudatis equitibus, Taifalus & Sforcia, peditatum Germanicum & Italicas cohortes promovent, eiſque hinc equites cataphractos, illinc leviorem, qui è Jaurino venerat, equitatum, in ſubſidiis collocant, & falconibus principia firmant, ac in irruentes hoſtes obvertunt. Ibi tormentis utrinque in mutuam cædem exploſis, Mars crudelem in modum ſævit; & ex utraque acie acriter pugnantes plurimi cadunt; ſtante adhuc victoriâ in ancipiti, quum diro nec opinato caſu, pulvis tormentarius in partibus noſtrorum, fortuita incidente ſcintilla ſuccenditur, & terribili edito fragore, aliquot tormenta, eorumque magiſtros, & militum nonnullos, miſerabilem in modum laceratos, per aëra in ſublime jactando diſpergit.

Pulvis tormentarius fortuito ſuccenſus.

Eâ re animadverſa, Turcæ ingenti ſublato clamore, in noſtros perturbatos, & repentino caſu territos irrumpunt; & certamen magno animorum ardore inſtaurant; noſtris animus concidit, & primum omnium legio Germanica turpi fugæ ſe committit, nec ut ad pugnam redeat, ulla vi à ducibus retineri poteſt. Equites ad eorum ſubſidia collocati, & cæteri omnes unà profugiunt : denique cataphracti Germani, ſociorum clade perturbati, terga vertunt, & quo quiſque poteſt, effuſo curſu feruntur. Taifalus ſuos retentare conatus, à circumfuſo & confertò hoſte capitur : & Sbadellatus acriter pugnans interficitur : nec procul ab eo Nicolaus Borſanus, Chriſtophorus Roſonius, & Lupus Sulius, fervente certamine, cadunt.

Germanica legio prima omnium fugit, quam alii ſequuntur. Teuffelius capitur, Sbardellatus acriter pugnans cadit.

At Sforcia, qui animadverſo periculo armatus ante ſuam legionem conſtiterat, & eam, ut virtutis & nominis Italici meminiſſent, hortabatur, perditiſque jam rebus, ſuos in proximam ſilvam recipere contendebat : qua protecti ſe adverſus hoſtium equitatum commodiùs tuerentur, aut ſi ſors ita ferret, ſub noctem per ſilvas & montes proclivior fuga fieret, ab Eunucho & Turcis vehementi impetu inſtantibus prohibetur; dumque cum ſuis in aciem inſtructis egregia virtute dimicat, ab hoſtium multitudine obruitur : ita ut ei in orbem pugnanti, multiſque hoſtium cæſim punctimque ferienti, dextra manus prægrandi acinace ſauciaretur; & ſimul cadente, quo ſe fortiſſimè tuebatur, enſe, inermis & multo labore fatigatus, poſtquam infenſæ fortunæ reluctari non liceret, deditione factâ, in hoſtium poteſtatem veniret.

Sforcia Pallavicinus cū ſua legione fortiſſime dimicans, Saucius in hoſtiū poteſtatē venit.

Cum eo unà pugnantes Italorum præcipui, partim cæſi, partim captivi, inter quos Hippolytus Pallavicinus, Sforciæ ipſius neceſſarius, ac Martius Tiburtinus, & ipſe vehementer ſaucius, Albertus Caſtrenſis, cum Vincentio Annorio Florentino, & Bambino Carpenſi, nonnulliſque aliis fuère. At Paulus Rataius & alii ad Hoſocum, intellecta hoſtium victoria, & noſtrorum clade, reductis tormentis, ſalvoque equitatu, ad vetus Zolium ſeſe receperunt. Nobilitas verò, quæ ſumptis armis Filecum convenerat, certo cladis nuntio accepto, varias in partes dilapſa fuit.

Eunuchus ovās Budam redit.

Eunuchus ingenti parta victoria, ac tormentis omnibus, vexilliſque & impedimentis hoſtium potitus, cum captivis, quorum ad quatuor millia fuiſſe ferebantur, lenis paſſibus Budam reverſus; ingreſſuruſque urbem triumphanti ſimilis, captivos in ordinem aciemque compoſitos præire, Taifalumque ipſum equo inſidentem, tympaniſtis & tibicinibus ac fiſtulis pedeſtribus præcedentibus, moreque ſuo canentibus, cum præcipuis captivis in forum perduxit, cæteriſque ſub haſta venditis, Taifalum cum aliquot captivis, ac XL. ſignis, & capitibus præciſis, Byzantium miſit, Sforcia ſibi retento : quem non toto vertente anno, octodecim millibus aureorum nummum redemptum, ad ſuos remiſit, donato ei Martio Tiburtino, ac quibuſdam captivis aliis. Is à Coſmo Medicæo Hetruriæ duce aliiſque Italiæ principibus, Ferdinandoque rege & Maximiliano filio, haud contemnenda pecuniæ ſumma, adjutus fuit. Sed Taifalus quum Byzantii nomen ſuum minimè profiteretur & ſe ſummum copiarum ducem fuiſſe negaret, ab irato Solimano, qui de ejus conditione, dignitateque abundè erat edoctus, culeo inſui, & in Boſphoranum mare mergi juſſus fuit.

Teuffeliū cum aliquot captivis & ſignis 40. Byzantium mittit, Sforcia ſibi retento, & paulò pòſt redempto. Teuffelius culeo inſutus ſubmergitur.

Tanta autem mancipiorum Germanicorum Budæ & Peſthi vilitas, tam exile pretium fuiſſe fertur, ut unum modio hordei vel farinæ, aut hemina mellis butyrique vendiſſe diceretur.

Mancipiorum vilitas.

Ab iis tantis & ferè portentoſis calamitatibus & cladibus noſtrorum ſimul & inexpectatâ felicitate, & progreſſibus barbarorum, tot arcibus atque urbibus tantâ celeritate captis, fuſis & fugatis duobus exercitibus, tametſi ubique in Pannonia clamor, gemitus, lachrymæ, luctus & mæror agitabantur : fortuna tamen inſolens & iniqua, nondum ſuo in eam gentem plenè exſaturato odio, majorem ſævitiam exercere, & mala diuturnioribus malis, ſupra quam credibile ſit, accumulare non deſtitit.

1552. ſtitit. Achomates ſiquidem & Eunuchus, communicatis mutuò, per nuntios & literas, conſiliis Solnocum in medullis & viſceribus regni juſſu Ferdinandi extructum, rebuſque neceſſariis, ad multum temporis proviſum, ac Agriam, quæ dum reliqua munimenta ad regni tutelam reſtabant, expugnare, & ſi fortuna ferat, quæ ſibi tantopere favere viſa eſt, nomen ejus infelicis populi prorſus delere decreverunt. Et Achomates quidem tantâ proſperitate, tantiſque ſucceſſibus inflatus, irrumpendum in Tranſilvaniam, & eam armis belloque perdomitam, in provinciæ formam redigendam ducebat: ſed duplici ratione ab eo propoſito conſilioque retrahebatur; partim quòd Caſtaldum & Bathorium, extremos provinciæ fines, per quos eò perveniendum eſſet, juſto inſtructoque exercitu inſediſſe, adventúmque ſuum paratos expectare didiciſſet; quorum tamen vires & copiæ, famâ & opinione hominum, quàm reipſa majores & validiores eſſe ferebantur; partim verò, quòd ab Eunucho ad ea loca, quæ dixi, utpote Budenſi ſuæ præfecturæ propinquiora, ex quibus ditiones Turcicæ continuè infeſtarentur, capienda multis argumentis induceretur.

Itaque ei perſcripſit, ſe cum exercitu Solnocum progreſſurum, diemque conſtituit, ad quem utrumque exercitum certum in locum convenire vellet, quòd ſi prior ipſe eò veniret, tum verò nihil cunctatus obſidionem inchoaret; ſe quòque paulò pòſt adfuturum. Igitur *An. 1552 Aly Eunuchus Solnocũ obſidet.* Eunuchus voti atque deſiderii compos, ſine longiori mora, eò ire maturavit cum copiis, quarum nonnulli viginti millium fuiſſe prodidêre: alii, quod propius vero eſſe videtur, duodecim millia utriuſque ordinis militum tradunt. Hiſce copiis & viribus Solnocum obſidere cœpit: ſic tamen ut ejus manu capiendæ ſpem nullam habere videretur; ſed ut interea, dum Achomates adventaret, terrorem incluſis oſtentaret, frumentarias invectiones impediret, neminemque in arcem ingredi, aut exire pateretur.

Solnoci ſitus. Solnocum inter Tibiſci & Sagivæ fluviorum confluentem, ante quadriennium à Salmenſi Comite, forma triangulari, à fundamentis ex gleba & ceſpite, ſalicibus interjectis, erectum eſſe ſuprà retulimus. Habet à meridie foſſam latam & profundam manu factam, & aqua fluviali plenam, ac tria propugnacula, tribus in lateribus ſatis ampla, & munita, tantâ altitudine, ut domorum tecta & faſtigia, quæ intus ſunt, extrinſecus conſpici nequaquam poſſint. Erant in eo tormenta currulia majoris generis, quatuor & viginti; præter minores falcones, ac ſclopetorum, & quæ Moſchettæ vocantur, tria millia; pilarum ferrearum, plumbi, ferri, rudentum tormentariorum, nauticorúmque ingens numerus. Pulveris autem ſulphurei octoginta millia pondo, & commeatûs magna copia.

Paulò ante obſidionem præfuerat loco Bartholomæus Horvatinovitius, de cujus virtute & claris facinoribus, aliquot retrò bellis, & Muranenſi potiſſimùm editis ſuprà memoravimus. Is quum privatis de cauſis Viennam proficiſceretur, in inſidias à Pyriaga Turca, inter Sagum & Giarmatum ei ſtructas præcipitatos & captus, Conſtantinopoli vitam in vinculis finivit. Ejus *Laurent. Niarius ei præerat.* locum à Ferdinando Laurentius Niarius obtinuerat, favore potiùs aliquorum è Senatu, quam virtute ulla aut merito. Habebat ſecum in præſidio octingentos ferè milites, & centuriam Hiſpanorum, ac Germanos Bohemoſque pedites. 1552. Turmis equitum præerant Gabriel Pecrina, Matthias Streſencovitius, & Gaſpar Moræus, quæ centenos equites levioris armaturæ continebant. Ungaris peditibus Stephanus Quelidius imperabat. Octavus jam prætetierat dies, ex quo Eunuchus obſidioni initium fecerat, nec quicquam tamen egerat, quòd locus tam naturâ quàm arte eſſet munitiſſimus: ita ut niſi præfectum ac præſidiarios imbelles & pavidos nactus eſſet, etiam Achomatis & totius exercitûs vim vireſque ſuſtinere ac propulſare potuiſſe cenſeretur. Sed quum præſidiarii, uti erant è variis gentibus collecti, ac linguâ, moribus, conſenſuque animorum inter ſe variabant, adventante Achomate, ac caſtra in patentibus campis longè latéque collocante, infami metu & pavore perterriti, non de arce defendenda, ſed de turpi ac ignominioſa fuga inter ſe conſilia miſcere, eadémque nocte, quâ quiſque potuit, partim navibus, quæ haberi poterant, partim tranſnatantes fluminibus, dilabi ceperunt. Illuceſcente aurorâ, Niarius ſuorum fuga animadverſâ, nullo dedecoris metu, ſed ſimili perfidiæ labe agitatus, conſcenſo equo & ipſe fugam capeſſit, & in campum provehitur. *Noſtri fœdiſſimâ fuga arcem munitiſſimã deſerunt.* Verùm quum ab hoſtibus obſeſſas undique vias nec ullum patere perfugium vidit, ſtatim cogitatio tanti admiſſi ſceleris animum ſubiit; & meliori quamquam ſero uſus conſilio, ad arcis portam, in qua fidei ſacramentum dixerat, redit; ibique qualemcunque fortunæ eventum expectare conſtituit.

Mane diei facto, qui quartus Septembris erat, Turcæ noſtrorum fugæ ignari, quum magnum in arce urbeque ſilentium eſſet, fumo è quibuſdam domunculis, quibus noſtri fugientes ignem ſubdiderant, exeunte id quod erat, ſuſpicati, perterritos noſtros, & arcem vacuam relictam, promtius magno animorum ardore, præcipitique curſu arcem oppidumque versùs contenderunt: quumque Niarium in veſtibolo portæ reperiſſent, eum repugnantem, quantum poterat, ſeque defendentem, parvo labore vivum cepêre, & ad Achomatem celeriter perduxêre. *Niarius capitur, & non multo pòſt elabitur.* Qui tamen non multo pòſt corruptis auro cuſtodibus, & uni eorum, promiſſo filiæ nubilis conjugio, carcere vinculiſque ſolutus evaſit, & ad ſuos domum rediit. Achomates noſtrorum conſternationem & ignaviam admiratus, conſcenſo equo unà cum Eunucho, ad occupandam arcem eſt profectus. Cui Janiceris, qui cuſtodirent, ac certis equitum turmis præſidio impoſitis, profectionem ſuam ad obſidendam Agriam, per præcones, quos Chauſios vocant, in caſtris ad diem craſtinum publicavit. Interim autem perniciſſimos equites, ad inſequendos noſtros, intento curſu ire juſſit, qui quum equitum noſtrorum curſum, quòd totam noctem properando anteceſſerant, æquare non potuiſſent: nonnullos tamen ex peditibus Germanis & Bohemis lentiùs progreſſos, ac viarum ignaros interfecerunt, alios captos retraxerunt, cautiùs & celeriùs ſubducentibus ſeſe Hiſpanis, qui Ungaris locorum peritis ſeſe adjungentes, & piſcatoriis naviculis Tibiſcum trajicientes, ad tutiora loca pervenerant.

Indè ad Agriam obſidendam pergunt. At Achomates & Alis, tanti momenti arce, quæ Agria multis partibus munitior eſſe cenſebatur, tam facili labore capta, caſtra promoverunt; & quamquam æſtas jam ferè in autumnum præcipitaverat, ſpe tamen aut per deditio-

1551. *alligata ſuppetias pollicetur* & Damiani ipſius felicitate, ut tam columba pedibus alligatas literas ad nidum revolando perferret, & ipſe Damianus, una aut altera poſt illam die incolumis Segedinum cum literis perveniret: obſeſſique adventu eorum, ac haud dubiâ auxiliorum ſpe recreantur.

Dum noſtri per hunc modum, nullo ſervato disciplinæ militaris ordine confusè agitant, repentè agreſtes è rure in oppidum provolant, magnum Turcarum exercitum haud procul ab urbe apparere nunciantes; Halis enim audito Segedini periculo, auxilia & præfectos limitum undiquaque convocarat, & campeſtribus tormentis acceptis, continuatis dies & noctes itinere, opem allaturus eò contendebat. Quum noſtri hoſtium adventum cognovisſent, urbe exeundum, ac patentibus in campis eis occurrendum ſtatuêre. Verùm Haidonibus tantum ſtolidæ ferociæ inerat, ac tantus hoſtium contemptus, ut dicto audientes nequaquam eſſent, ac omnis diſciplinæ immemores è popinis & tabernis in aciem prodire recuſarent. Equites quidem accepto è ducibus ſigno, præeunte Baquitio & Aldana, aliiſque ſubſequentibus, oppido exiêre, & Baquitii equus, quamquam præſtantiſſimus, in ipſa porta repentè corruens, unà ſeſſorem in terram dejecit, quod à circumſtantibus, & ab iis qui circa obequitabant, totoque exercitu, pro mali ominis præſagio interpretatum, non multò pòſt eventu ipſo, & fœdo rerum exitu comprobatum fuit. Eodem tempore Turcæ, qui in arce erant, ſociorum adventu animadverſo, in urbanas domos ac Haidones intra earum parietes vino ac epulis indulgentes, magna vi tormenta diſplodere ceperunt: ita ut vel inviti ex iis ad ſociorum ordines procurrere cogerentur; & complures temulenti, titubanteſque manipulatim & confusè, aliis, qui præiverant, ſeſe adjungerent.

Conflictus noſtrorum cum Aly Budenſi. Cùm in campos urbi propinquos ventum eſſet, Halis Eunuchus ſuos in tria agmina diſtribuit: quorum duæ alæ ex equitibus conſtabant; ipſe in medio cum robore exercitûs, quod ex quinque millibus, utriuſque ordinis militum delectum erat, locum ſibi ſumpſit, ac latera utrinque curribus & plauſtris, quibus impedimenta caſtrorum vehebantur, præſepſit: eoſque Janicerias ſclopetariis munivit. Thraces etiam permultos, ac magnam agreſtium turbam inter militum ordines ſparſam, ad incutiendum majorem noſtris terrorem collocavit. Frontem verò aciei duodecim colubrinæ pilas ferreas trilibres evomentes defendebant. Aldana & Baquitius ſuorum agmina ex adverſo ita diſpoſuere, ut à dextra ex cataphractis equitibus, quos Opperſtorphus ductabat, una ala, peditibus Hiſpanis munita; ſiniſtra verò ex equitibus Ungaris conſtaret; ipſi in medio conſiſterent, & duobus mediocribus tormentis currulibus in fronte collocatis aciem primam tuerentur.

Compoſitis in hunc modum ordinibus concurſum eſt, ſummâ noſtrorum alacritate, ac imprimis Opperſtorphus in alterum hoſtium cornu, Baquitius cum Ungaris in alterum fortiter irrupere, & pugnatum eſt acerrimè per aliquot horas. Sed cùm noſtri hoſtium latera perſtringere non potuiſſent, quod ea ab ſclopetariis Janicerris procellam glandium effundentibus defenderentur, receptui ſigna dare, & ad ſtatarii agminis ordines redire ceperunt: tùm verò iterum omnes cuneo facto in hoſtes ferri, pugnam de integro repetere ac acerrimè pugnare, plurimoſque hoſtium trucidare. Sed quum Eunuchus colubrinas in noſtros dirigi, diſplodique juſſiſſet, & hoſtes vexillo regio purpureo, aquilæ expanſis alis imagine inſigni, quòd ſignifer unà cum equo ictu tormenti cecidiſſet, potiti eſſent, 1551. multiqua vi ac impetu pilarum continuè ſternerentur, fuga ac equitibus, qui in poſtremo agmine erant, omnes in prima acie periiſſe exiſtimantibus, fieri cepta eſt. *Effuſa noſtrorum fuga* Nec mora ii etiam, quos primam cum hoſte pugnam iniiſſe docuimus, viſa cæterorum fuga perterriti pedem primò referre, & paulò pòſt effusè fugere ceperunt: quum alii plurimi ex noſtris, contra ducum imperia equis deſcendentes, cadavera interfectorum hoſtium ſpoliare, ſicque prædæ inhiare cepiſſent, ut cæterorum pugnantium ordinem facilè perturbarent. In ea rerum confuſione acriùs inſtantibus Turcis, & tormentis rem gerentibus, equitatus omnis, relictis peditibus, fœdè profugit; & Aldana ac Perezius cum Hiſpanis, & Opperſtorphus cum cataphractis Lippam verſus, intento curſu ſe proripuêre. Baquitius, Deraſſius, & Franciſcus Chroatus, cæterique præfecti equini in Tibiſco, partim præſtantium equorum viribus, partim faſcium ex carectis & arundinibus colligatorum adminiculo tranſnataro, ægre evaſerunt. Turcæ enim (quod noſtris ad evadendum magno fuit adjumento) omiſſo equitatu, cujus curſum æquare ſe poſſe diffidebant, & quod Haidones, in quos acerrimo odio ferebantur, delere, quàm equitibus fruſtra perſequendis deſudare mallent, eos quamquam acerrimè pugnantes, in urbem indagine velut clauſos circumvenêre: & denique poſt diuturnum cruentumque certamen terga vertere coêgêre: ſed quum verſus Tibiſcum & Maryſum fugientibus inſtarent, partim in flumen adactos demerſere, partim nemini parcendo ad unum omnes trucidatos delevere; ita ut Totus Tibiſcum natando ſuperaret, & vix cum XX. ſociis ad ſancti Georgii cognomento Tibiſcanii caſtellum ſe reciperet. *Haidones partim cæſi, partim ſubmerſi.*

Nec Turcis incruenta victoria fuit, quum ex eorum quoque partibus plurimi turmarum & cohortium inſignes præfecti, & militum ingens numerus deſideraretur: ideòque quamquam omnibus noſtrorum vexillis & tormentis potiti eſſent, oppidumque & prædam recuperaſſent; non tamen ulla lætitiæ ſigna edidêre, quòd interfectorum numerus utrinque exæquatus eſſe diceretur. Poſt pugnam atque victoriam Eunuchus Alis in oppidum irrupit, & Hederbegus ex arce ad eum venit; quoſque invenire potuêre, in omnes ſine ullo ſexûs aut ætatis diſcrimine graſſati, magnum numerum oppidanorum interfecêre. *Quinque millia naſorum Conſtantinopolim miſſa.* Nec multò pòſt quinquies mille naſos, cadaveribus noſtrorum mutilatis, ademptos, cum XL. vexillis ac nonnullis captivis Byzantium miſit, quibus inſignem ab ſe victoriam partam teſtificaretur.

Jam haud dubia apud hoſtes victoria erat, quum altera clades quadringentis militibus noſtratibus, qui duce Valentino, cognomine Magno, ac Petro Turco, tribus ante infauſtam hanc pugnam diebus, caſtris exierant, mira fortunæ ludibrio illata fuit. *Turcæ viciſſim profligati à noſtris.* Nam quum in Caſſonum è Beſquereca arce, ad Eunuchi ſubſidium, cum D.CCC. equitibus Turcis Segedinum venientem, prope oppidum Martonoſſum incidiſſent, nec Caſſonus veluti viribus ſuperior prælium detrectaſſet, ſummâ utrinque alacritate concurrerunt, & pugnam tribus ampliùs horis protraxerunt: poſtremò ſuffoſſo & cadente equo Caſſonus vulneratur: & non ſine difficultate à ſuis ereptus, alteri equo imponitur, ac interfectâ ſuorum plus dimidiâ parte, cæteris in effuſam fugam

1551. gam verſis, Valentinus & Petrus victoriâ potiuntur, ac duobus plauſtris capita cæſorum hoſtium vehentes, & equis hoſti ademptis inſidentes, Segedinum ire pergunt, ignari noſtros fuſos fugatoſque eſſe, ac oppidum ab hoſtibus teneri.

Sed dum Segedinum concedunt, ignari cladis ſuperioris, à Turcis opprimuntur.

Quod tamen quum à quibuſdam ab urbe profugientibus intellectum eſſet, Valentinus è veſtigio retrocedendum ſuadebat, & ad tutiora loca concedendum; ſed ſnoa ſtolidâ ſuperbiâ ac hoſtium contemptione inflatos adducere nequaquã potuit, ut ſaniora conſilia admitterent. Itaque hoſtes magno numero derepentè urbe egreſſi, eos adoriuntur, & quamquam acerrimè reſiſterent, tamen quia numero & viribus longè inferiores eſſent, omnes crudeliter cæſi temeritatis pœnas dedêre: ſolus Valentinus cladi ſuperfuit, relictaque hoſtibus præda, quam Caſſono extorſerat, cum XX. ſociis Tibiſcum tranſnatavit, & in tutum evaſit. Hanc ad Segedinum cladem nimiâ temeritate potiùs liberorum peditum, quos Haidones vocamus, quàm ignavia aut imperitia ducum memorabile accepimus, eamque Pannoniæ partem, quæ inter Danubium & Tibiſcum latè patentem planitiem amplexa, innumerabilia majoris minoriſque pecoris armenta alere, inque diverſas longinquaſque Europæ regiones diſtribuere ſolebat, haud ambigua poſſeſſione hoſtibus reliquimus.

Caſtaldus Temeſvarium & Lippam præſidiis firmat.

Caſtaldus accepta rei malè geſtæ fama, quam ipſe Aldanæ, uti nimium hac in re præpropero duci tribuebat, ne hoſtes Temeſvario & Lippæ imminerent, Rodericum Villandradam, cum Hiſpanis ſuis Lippam ingredi jubet, ac Diego Mendozæ, ut cum ſua cohorte & trecentis Germanis ad cuſtodiendum cum Loſſontio & Caſtelluvio Temeſvarium abſque mora proficiſcatur, in mandatis dat.

Tordam cum Bathorio comitia indicit.

Ipſe unà cum Andrea Bathorio Tordam comitia indicit, ut in iis pecunia in ſubſidium & ſtipendia militum ac annona & commeatus in arces hoſtibus propinquiores, necnon auxilia provincialium decernerentur; quibus Moldavo in Tranſilvaniam, ut certa fama ferebatur, irrupturo obviam iretur.

Comites ab Arco Corona defendenda adverſus Valachos imponuntur.

Interim verò Felicem & Baptiſtam Comites ab Arco cum ſuis legionibus Germanicis Braſſonem, ſeu Coronam mittit, ut ſi Valachi in ejus urbis fines irrumperent, eos reprimerent: donec ipſe cum toto exercitu adcurreret, nec eos cum Achomate purpurato, qui jam in itinere eſſe ferebatur, per mediam provinciam tranſeundo vires conjungere paterentur.

Comitis Helfenſtanii & Pallavicini copiæ.

Venêre etiam per eos dies in ſupplementum copiarum Tranſilvanicarũ quatuor millia Germanorum militum, duce Georgio Comite Helfenſtanio, quos Caſtaldus per loca idonea in ſtationes diviſit. Sforcia quoque Pallavicinus cum totidem millibus & quingentis peditibus Italis in Noricum perveniſſe, & brevi de illis Alpibus, in Auſtriam deſcenſurus nunciabatur.

Maximiliano Regi & Reginæ ex Hiſpania venientibus ala equitum Pannonicorum obviam mittitur.

Per eos etiam ferè dies Maximilianus Ferdinandi filius, quem Bohemi ſibi in Regem delegerant, quemque è Comitiis Auguſtanis, ante quadriennium in Hiſpaniam profectum fuiſſe memoravimus, & Maria Caroli Quinti Cæſaris filia, quam ibi in conjugem duxerat, in Italiam claſſe Andreæ Auriæ proſperè navigarunt. Quibus è Liguriæ urbe Genua deducendis Ferdinandus pater elegantiſſimam & inſtructiſſimam equitum alam è juventute Nobilitatis Pannonicæ delectam, duce Joanne Balaſſio obviam miſit. In qua Nicolaus Bathorius, Gabriël Perenius, Georgius Bebecus, Chriſtophorus Orſagus, Stephanus & Ladislaus Banffi, Jacobus Siculus, Locæ filius, ſummo loco nati adoleſcentes, cæterique complures cenſebantur. 1551. Excepti ſunt à patre ſumma lætitia, ac congratulatione, quum ſecundo Oeno, ac deindè Danubio Viennam deſcendiſſent.

Elephas Indicus.

Adduxêra etiam miro & jucundo omnium ſpectaculo Elephantem Indicum vaſtæ magnitudinis, à Joanne Luſitaniæ Rege dono acceptum, animal multis retrò ſæculis, aut fortaſſis nunquam in Pannonia viſum, cui lignea turris ſeptem milites ſclopetis aliiſque telis miſſilibus inſtructos capiens ſuperimpoſita erat; quẽ nos quoque non ſine admiratione vidimus.

Poſonienſia comitia,

Cæterum eodem anno ſub hiemis finem Ferdinandus Poſonii comitia habuit, ad quæ Sigiſmundum, Franciſcum, Petrum & Ladislaum Forgacios ad dicendam cauſam citari juſſit:

ad quæ à Ferdinando citantur Forgacii, Lupi Puchamii legati Coppanii cadis auctores.

ii enim Lupi Puchamii, qui tunc Zolio & Montanis Civitatibus præerat, legatum Georgium Coppanium, quòd in eorum fundis & paſcuis à militibus inſolentiùs quàm par eſſet, cuncta agi, ferri, & innoxiam plebem intolerabilibus detrimentis affici pateretur, aut nonnunquam etiam juberet coactis agreſtibus, quorum fortunæ facultateſque lacerabantur, interficiendum curaverant, eâque cæde animum Ferdinandi itâ atque odio vehementer exacerbaverunt. Cùm diam formidine noxæ neque obire libenter, neque recuſare auderent; tandem tamen, ne abſentes inter reos cenſerentur, ac proſcriptionis & exilii pœnâ plecterentur, advenêre; ſic tamen ut nihil in legum & judiciorum adminiculis præſidii collocandum ducerent, quamquam id ab advocatis conſuleretur: Sed ſe mutatis veſtibus clementiæ & indulgentiæ Regiæ ſupplices & lachrymabundi ſubmitterent. Qua in re Rex aliquamdiu duriorem ſe præbuiſſe viſus eſt, inſtigante eum ad iracundiam & ultionem Puchamio, qui per id tempus apud illum gratiâ atque auctoritate plurimùm pollebat. Poſtremò tamen, quum Franciſcus Revaius, & Michaël Meraius, clari ſenatores, Regique imprimis chari, quorum ille filiam Ladislao Forgacio collocaverat, hic Petri ſororem in matrimonio habebat,

Forgacii recepti in gratiam ob cædem Coppanii.

ſuas partes interpoſuiſſent, magnâ difficultate veniam illis impetrarunt, non tamen ſeciùs quàm ut trecentis agricolarum fundis, mulctæ nomine privarentur. Quorum centenos Rex Revaio & Mereio; Quinquagenos verò Bartholomæo Horvato, & Joanni Zomotio, fiſci procuratori donavit. Verùm duo illi ut affinitate Forgaciis juncti, eos qui ſibi ceſſerant, reſtituerunt. Et ipſe Ferdinandus temporis proceſſu quadam veluti pœnitentia motus, redintegrata gratia eos amplexus eſt, & variis officiis ac præfecturis honeſtatos ad ſenatorii etiam ordinis prærogativam aliaque munia extulit, & Maximilianus ac Rudolphus ſucceſſores ejus, poſtquam Bartholomæus & Zomorius deſtituti hæredibus è vivis migraſſent, ratam eorum partem, quæ Forgaciis mulctatitio jure adempta erat, liberaliter reſtitui juſſerunt.

Achomates Conſtantinopoli ſe movet,

Intereà Achomates Byzantio profectus Hadrianopolim venit, & è caſtris Magiaralim Chauſium in Pannoniam ad Eunuchum cum literis miſit, quibus et de parta ad Segedinum victoria gratulabatur, eumque de ſuis conſiliis atque itinere certiorem reddebat: ſeque à Solimano ad vindicandas injurias & obſidendum Temeſvarium, cum exercitu propediem venturum ſignificabat: ſimulque ut ipſe ſuum exercitum ſecum conjungere, & interim rebus gerendis in-

1555.

Hamza Turcus à noſtris capitur.

Elezes, qui dolabra pugnabat, glande trajectus interiit.

Aly Eunuchus Veſprimium obſidione cingit.

tentus eſſe vellet, hortabatur. Acciderat autem hiſdem fermè diebus, quòd Hamza natione Thrax, cui Solimanus præfecturam Albanam dederat, atque is ad eam occupandam cum CC. equitibus, ac totidem Janiceris contendebat, nocturna in pugna cum noſtris peditibus, qui è præſidio Veſprimienſi exierant, improſpere commiſſa caperetur, ac præcipui quidam è Janiceris interficerentur; inter quos Elezes cognomine Iracundus, qui prægrandi dolabra, quali ad dolandas in quadrum trabes fabri lignarii utuntur, ambabus manibus pugnabat, ſclopeto ictus perierat. Eo viri clari ſibíque amici caſu nec opinato perculſus Eunuchus, ſuperiori etiam victoria auctis animis, in concilio cum cæteris præfectis habito, Veſprimium obſidione cingere decrevit, antequam Arhomates cum Aſiaticis adveniret: quòd ex eo præſidiarii cruentas plerùmque excurſiones facere, ac prædas agere non ceſſarent; & in viatores cæde & captivitate graſſarentur. Itaque coactis brevi tempore copiis ac tormentis, eorúmque apparatibus neceſſariis comparatis Albam venit, & illinc Calendis Aprilis promoto exercitu Veſprimium pervenit.

Deſcriptio loci.

Ea arx in oblonga rupa ſita eſt, veteri muro nec valde firmo cincta, templúmque in medio amplum prælatumque, & oppidum ſubjectum in vallibus, quæ circa acclives colles montéſque viſuntur, habet, diſperſa hinc inde domorum ſerie habitatum, & aliquot templis exornatum; quorum quidem elegantiſſimæ olim ſtructuræ, nunc temporum injuria, & barbarorum cuncta vaſtantium crudelitate, devaſtatæ & ſemirutæ ſpectantur. Rivi peramæni & fontes ſaluberrimi complures tam in urbe quàm foris perpetua ſcaturigine profluunt, à quibus locum plerique ab antiquis appellatum putant: qui molas frumentarias magno incolarum fructu, emolumentóque verſare ſolent. Eo in loco Suarepolugum Pannoniæ & Marcomannorum principem ſedes habuiſſe ferunt, antequam Ungari è Scythia ſecundâ migratione advenientes, impetrata ab illo ſubdole terra, aqua, & ceſpite, illi demum vitam ſimul & regnum bello ademiſſent. Eunuchus igitur circumvallata arce, cùm ſervos tentoria ſua in proxima rupe extendere, nec procul ab illis turmentis cum corbibus collocare juſſiſſet, illíque impigre id exequerentur, ex arce majores colubrinæ explodi, ac in opus facientes dirigi cœpêre, ita ut perforato tabernaculo, & diſcerptis aliquot ſervis, in ulteriorem rupem tranſire, ibique locum caſtris murandis deligere cogerentur. Inter eas rupes vallis quædam oblonga protenditur, peramænis viridariis & paſcuis cincta, quam incolæ Abbatiſſæ vallem nuncupant. Eam Turcæ Prætoriani occupavêre; cæteri verò per proximos colles, ac valles, uti à Chauſiis demonſtratum eſt, longè latéque conſedêre; aggeréſque duobus in locis ſtatuêre, ita ut ab occidente pariter & ſeptemtrione tormenta collocarentur, & mœnia magna vi quaterentur.

Petro à Michaële Ferreo Paxii legato præfectura

Præfuerat Veſprimio Joannes Paxius, qui præter generis & familiæ nobilitatem nihil aliud ad militare officium muneris attulerat; atque iis ferè diebus illinc ad Comaronienſem præfecturam, uti quietiorem à Ferdinando erat tranſlatus, ſic ut Petrus Pereo ei ſuccedere juberetur. Sed quum hic Veſprimium veniſſet, à Michaële Ferreo, ipſius Paxii legato, inefficacis ac degeneris animi homine nequaquam eſt admiſſus, quod Paxium decimas fructuum præſenti pecunia à

1555.

Veſprimienſi excluditur.

Sacerdotibus collegii emptas, ſibi colligendas juſſiſſe diceret; ita ut arcem eam nobilem, & vetuſtam hoſtes oportuno ſibi & neceſſario, noſtris verò diſſidentibus, & tenuis lucri cauſa contendentibus, admodum intempeſtivo & incommodo tempore, non ſinè certa quadam ejus potiundæ ſpe obſediſſe viderentur. Accedebat ad cæteras rei à barbaris bene gerendæ occaſiones, quòd incuriâ & avaritiâ præfecti, numerus militum ſtipendio conductorum imminutus, ac pro eis liberi pedites adhibiti eſſent, qui rapto vivere, nec ducum imperio aſſueti, arcem negligenter tutabantur, & plerumque inter ſe cruentas ſeditiones miſcere conſueverant.

Haidones ad Turcos tranſeuntes trucidati.

In ea rerum perturbatione Eunuchus jam decimum diem mœnia duobus è locis, nec de nocte intermiſſo opere, verberare juſſerat; neque noſtris in ſaxeo, lapidibúſque conſtrato ſolo, ad reſtaurandas & ceſpite implendas muri procidentis ruinas materia ſuppeditabat, ita ut major peditum pars, ſumma perfidia tumultuari, & novas res moliri, nec dicto parere inciperet; poſtremò perfractis penuariis cellis, commeatum diſſipare, ſigna è mœnibus militari more perticis ſuſpenſa dejicere, denique è muri hiatibus ſeſe agminatim demittere, ac ad hoſtes tranſire. Quos tamen Eunuchus non tàm ut deſertores & perfidos, quàm quòd incredibiles antea Turcis injurias & damna intuliſſent, ademptis armis & veſtibus, in vallem Abbatiſſæ perductos, ſingulari crudelitate ad unum occidi juſſit: quorum albentia oſſa etiamnum ibi cumulatim jacentia conſpiciuntur. Michaël Ferreus, aut potiùs à contrario eventu plumbeus meritò dicendus, ea militum diſceſſione conſternatus, ac conſilii inops ad immaturæ atque inexpectatæ deditionis conditiones deſcendit; & accepta à Turcis fide, Thomam Siculum militarem virum, ac ſtrenuum equitem, qui tranſigeret, ex arce emiſit, qui haud cunctanter cum hoſtibus ita tranſegit, ut traditâ arce omnes incolumes dimitterentur: iſque veſte purpurea donatus, commilitonibus, quæ tranſegerat, relaturus in arcem rediit. Sed Janiceri nulla facta mora, portas & mœnia occupant, Michaëlem & cæteros abire quidem permittunt, sed mox à ſubmiſſis equitibus pecunia, armis, & veſtibus, & equis ſpoliati retrahuntur, ac partim trucidantur, partim verò in ſervitutem rediguntur: evadente in vaſta Paconiæ ſilva, per notos tramites Thoma Siculo cum paucis. Michaël quum ſe contra fas, fidémque captum quereretur, Eunuchus Turcas, qui hoc facinus facere, ac fidem ſuam violare auſi fuiſſent, humi proſtratos, & fuſtibus & baculis in ſpeciem verberari juſſit: illum tamen cuſtodiæ traditum, neque unquam in patriam reverſurum ſecum abduxit: ita ut ipſe qui aliorum exemplo perfidiæ Turcicæ minimè ſe credere debuerat, ſuâ infelicitate, & perpetuis miſeriis ejus periculum in ſeipſo feciſſe videretur.

Præſidiarii contra fidem datam quà cæſi, quà ſervituti mancipati.

Capto per hunc modum Veſprimio Eunuchus præſidium impoſuit, duce Giaffere, Budámque paulò pòſt reverſus eſt: & in ſuburbanis Budenſibus, eo inter veterem & novam Budam loco, qui Sicambriæ nomine appellatur, equos camelóſque tàm ſuos, quàm militum ad gramina & paſcua dimiſit: publicato edicto, ut refectis curatíſque equis & jumentis, quilibet militum in caſtra redire, & commeatu rebúſque neceſſariis comparatis, eò quò juſſus fuerit, Achomati advenienti haud cunctanter occurrere poſſit. Dum hæc in Pannonia ſatìs ſuper-

que

1552.

Elias Moldavus cum Valachis & Turcis Tranſilvaniam longè latéque vaſtat.

que improſpere geruntur, Elias Moldavus, Petri regno pulſi, atque ut diximus, iterum ope Joannis regis, reſtituti filius, non ſinè ſummâ ingrati animi ſignificatione, per anguſtias Alpium Aitoſſiarum, quæ Moldavos & Siculos interjacent, cum validis ſuis & Turcicis copiis in Tranſilvaniam irrupit, ac caſtra ad Torianum locavit. Ex quibus repentè equites prædatorios Turcis permiſtos verſus Scepſium, Orbajum & Quiſdinum miſit, quæ ſunt loca & oppida conſilus Siculorum deſtinata, eáque longè latéque depopulari juſſit. Hermanum quòque & Praſmanum, Saxonica oppida, injectis ignibus eadem excurſione ſuccenſa atque concremata fuêre: ac ex eorum agris, pecorum atque hominum haud contemnenda præda abacta.

Quæ quum ad Ladislaum Udenſſium, & Paulum Bancum, Bathorii provinciæ præfecti legatos allata eſſent, quatuor provinciæ partibus, quæ circa Coloſum, Dobocam, Oſdium & Cucullonem ſita ſunt, ad arma celeriter convocans, ac Baptiſta & Felice Comitibus ab Arcp, ut è Braſſone cum militibus Germanis adcurrerent, admonitis; Valachos & Turcas obvia quæque flammis & ferro vaſtantes perſequi decrevêre. Itaque quamquam juſſu Caſtaldi juſſis paſſibus hoſtes cum præda antecedentes proſequerentur; ii tamen animadverſo eorum adventu, ac Caſtaldum & Bathorium cum univerſis copiis adeſſe rati, alpes præcipiti fuga tranſcendere contenderunt. Sed quum variarum rerum prædâ, captivíſque onuſti, ac viarum quòque & alpium aſperitate impediri, lentius quàm volebant iter facere viderentur, noſtri eos, qui in noviſſimo agmine erant, & necdum ad alpes pervenerant, adorti magnam eorum partem interfecère, prædámque ab iis omnem recuperavêre: ita ut ſi Germani pedites, & Siculi paulò tempeſtiviùs celeriúſque ad alpium radices perveniſſent, omnes Eliæ & Turcarum copiæ, quæ è tumultuario militum & agreſtium numero conſtabant, facilè deleri; ipſéque Elias omnibus etiam tormentis bellicis quæ habebant, exui potuiſſe exiſtimarentur. Caſtaldus qui è Coloſvario proficiſcens, propius Braſſonem intento itinere properabat, ut ſi neceſſe eſſet, cum Bathorii legatis, ac Siculis & Germanis ſeſe conjungeret, audita ſuorum fortuna, ac hoſtium diſceſſu, ad Segeſſuatum oppidum divertit; ibique per aliquot dies, quorſum conſilia hoſtium tenderent, expectabundus ſubſtitit, (repetituri enim excurſionem dicebantur) & copias ſuas mercede conductas, equitéſque Germanos, quos Franciſcus Senacus, Helf. ſtanicas legiones ſequutus, è Sileſia non ita pridem adduxerat, idoneis in locis, commeatu plenis, collocavit: Ungaricæ autem turmæ atque cohortes, quæ Bathorio ſuberant, itâ ut ad omne ipſorum ducum imperium utrimque parati eſſe, & quo opus foret, abſque mora convenire poſſent, ad propinquiora loca conceſſerunt.

Sed noſtri eos perſecuti, interemptis nonnullis, prædam omnem recuperant.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XVIII.

Achomates cum Mehemete Beglerbego ad Temeſvarium obſidendum contendit. Anno 1552.

ADULTO jam Vere Achomates, qui hactenus tanſmarini exercitus adventum expectaverat, Hadrianopoli profectus, vigeſimis quintis caſtris, Samandriam attigit: atque inde Mehemeto, equitum Europæorum magiſtro, quem anno ſuperiori obſidionem Temeſvarii fruſtra tentaſſe docuimus, in caſtra recepto, Belgradum pervenit. Ubi paucos dies moratus, ſtrato ad Titulium ponte, Tibiſcum flumen tranſjecit: ac caſtra in campis Somliunio ſubjectis, quos quòd à nemine colantur, deſertos vocant, metatus eſt; qui à Temeſvario quinque milliariorum intervallo diſtant. Illinc mille & quingentos equites, qui Temeſvarium excurrerent, die Divo Joanni Baptiſtæ dicato præmiſit: experturos an aliquem ex præſidio militem aut incolam capere poſſent, à quo de rebus & ſtatu oppidi certiora ſciri poſſent. In hos Milacus, Loſſuncii legatus, natione Thrax, vir fortis admodum & militaris, cum valida equitum manu, cohortibúſque oppido egreſſus, (aberat enim Loſſoncius auxiliorum cogendorum, & rerum neceſſariarum ergo) magnum cum hoſte certamen iniit; diuque pugnatum eſt ancipiti eventu: ad extremum fugati hoſtes, nemine è noſtris capto, in caſtra redierunt, amiſſis ex ſuorum numero amplius XX. equitibus, à quibus noſtri de hoſtium conſiliis, ac propinquitate exercitus, quæ cognoſcere volebant, intellexerunt.

Interea eodem die ſub noctem Loſſoncius cum quatuor tantum itineris comitibus, per multa diverticula, occultóſque tramites, nec ſinè periculo in urbem venit, ac maxima omnium congratulatione exceptus eſt: moxque die inſequenti convocati tribuni & præfecti militum, Hiſpaníque & Germani, mutuum Sacramentum de conſervanda arce dixêre. Eo dicto, tali eos ſermone alloquutus eſt: Viri fortiſſimi non multis vos verbis, quæ virtutem minimè addere videntur, compellandos, obteſtandóſque duco, uti memores priſtinæ virtutis, voſipſos atque arcem hanc ad extremum uſque ſpiritum ab Turcarum avaritia tueamini: quum id vobis æquè ac mihi cordi fore haud dubitem; tantum commonefacio, hortórque, ne quicquam illorum minis armíſque cedendum putetis: quin potiùs cum iis vobis certamen fore, quos ſæpe antea victos ſub jugum miſiſtis, majorémque eorum partem ex colluvie barbararum Aſiæ nationum conſtare, vóſque & causâ juſtiore locum ſuperiorem obtinere, & ſacroſancta Chriſti religione tuenda occupatos, meliori ſpe fortunáque cum rudibus, & barbaris manum conſerturos eſſe animo reputeris. Itaque ſicut ſæpe antea egregiæ virtutis veſtræ experimenta præbuiſtis, nunc quòque eadem in virtute & fortitudine, ac dextris ſalutem veſtram conſiſtere memores, ut ſpero, eritis, haud difficulter eorum conatibus reſiſtetis; & conſervato ſecundùm Dei Optimi Maximi opem, hoc veteri patriæ noſtræ præſidio munimentóque perpetuam nominis laudem promerebimini; cujus certa præmia in hac vita à

Loſſoncii ad commilitones oratio.

Rege Ferdinando, pio & munifico principe, ac à meipſo, qui vos omnes fratrum loco & habeo, & habiturus ſum, exſpectabitis; morte autem præclarè obita, ab immortali Deo in cælis æternam felicitatem conſequemini.

Copia præſidiaria.

Cùm ad hæc verba cuncionis & militum frequitus operam & ſtudium omne pollicentium ſequutus eſſet, haud multò poſt copias recenſuit, quarum numerus duorum millium & quingentorum militum ſummam non multùm ſuperabat. Nam ſupra quingentos equites, qui in peculiari ipſius Loſloncii ala continebantur, ducentos Alphonſus Perezius Hiſpanus ductabat, Gabriel verò Perenius, Nicolaus Bathorius, & Georgius Seredius, ſingulas equitum centurias miſerant. Simon Forgacius juvenis præſtantiſſimus, quem in expugnatione Lippæ multis ſuſceptis vulneribus egregiæ virtutis laudem obtinuiſſe diximus, ſexaginta equites adduxerat. Caſpari Caſtelluvio Sardo tricenaria Hiſpanorum cohors, ac Diego Mendozæ centum Hiſpani veterani parebant: Germani pedites & Bohemi trecenti, Hungari totidem, ac ex civibus, qui in militares ordines deſcripti, deſtributique erant, totidem numerabantur. Altero poſtquam hæc fierent die, antecurſores Turcarum advenêre, qui ſublatis inconditis clamoribus, equiſq; circumagitatis, noſtros ad certamen provocabant. Nec Loſſoncius, eo quicquam detrectato, cum ſuis & Alphonſo Perezio exire cunctatus eſt, initóque prælio ambo pari virtute & fortitudine in adverſis Turcarum pectoribus haſtas perfregere, ac majori, ut fit, utrinq; coorto certamine, complures è potioribus Turcis cæſi captiq; ſunt: unico ex noſtris Stephano Sulioco nobili adoleſcente deſiderato, qui in 1. congreſſu haſta transfixus interiit.

Achomates 36. muralibus tormentis urbem & arcem verberat.

Quarto poſt die Achomates cum univerſo exercitu, ac tormentorum apparatu advenit. Habebat autem præter multas colubrinas, 56. muralia tormenta, quæ illâ nocte propiùs urbem & arcem, conſtitutis more ſolito prius, operarum labore, ſinuoſis aggeribus, collocavit: relictus ad præſidia caſtrorum minoribus falconibus.

Deſcriptio Temeſvari.

Temeſvarium urbs & arx celeberrima à fluvio Temeſſo, qui ex alpibus ad Severinum Urbem haud procul ab Iſtro ſeu Danubio ſitis profluit, urbémq; & arcem præterlabitur, nominata eſt, quam veteres Pannoniæ Reges, contra Bulgarorum nondum Chriſtiana religione imbutorum, quæ à Pannoniæ finibus ſolo Iſtro dirimuntur, ac Cumanorum ſeu Cunorum, quos Poloni Poloncios, nos nunc Tartaros vocamus, crebriores incurſus avertendos ædificaverant, ac poſtea invaleſcentibus Turcarum armis, ac ea illis ultra Iſtrum regionibus, & utraque Valachia fines noſtros vaſtantibus, continuo militari præſidio muniverant. Habet duo contigua oppida, quorum alterum ab oriente Inſula vocatur, alterum verò ſeptemtrionale à fluvio Temeſvarium dici ſolet; quæ quidem oppida ſimul cum arce, foſſa præalta aquis plena cinguntur; & majus oppidum tres habet portas, quarum duas propugnacula craſſiora, è terrâ materiáque juſſu Caſtaldi ab Hiſpanis conſtructa muniunt, & inter urbem arcémque turris aquaria egregiæ munitionis habetur. A meridie verò Uliciæ planicies, & campi patentes circumjacent: in quibus Turcæ caſtra ſua longo ordine collocaverant.

Cumani, Cuni, Poloncii, Bulgari, Tartari.

Cæterùm urbs à meridie, arcis verò mænia ab oriente ſenûm denûm tormentorum ferreis pilis triginta pondo acerrimè verberati & concuti cæpta ſunt: ita ut continuatâ oppugnatione, directiſque interdiu tormentis, muri etiam obſcurâ nocte deſtinatis ictibus peterentur. Nec multò pòſt, præcipuè in foro domus tormentorum vi dirutæ corruerunt, quæ verò in Inſula erant, ne ex iis ab hoſte occupatis majora detrimenta inferrentur, per noſtros non ſatis oportuno conſilio ſuccenſæ funditus conflagrarunt. Turcæ enim viſa loci opportunitate, dici inſequentis nocte, tormenta in eam inſulam attraxerunt, & effoſſis aggeribus, & collocatis tormentis, arcis mænia ſimul & propugnaculum è terrâ materiáque conſtructum, quod à Caſtelluvio & Hiſpanis defendebatur, magnâ vi & conatu oppugnare ceperunt: jámque aſſiduis ictibus patefacto muro, hoſtes ſe irrumpere poſſe haud dubitabant: nec tamen injuſſu Achomatis quicquam tentare audebant, veriti ne ſi irrito cedente conatu à noſtris repellerentur, acerbiùs ab eo caſtigati pœnas temeritatis perſolverent.

Turcæ ab oppugnatione propugnaculi cum multa cæde repulſi.

Re igitur ad eum delatâ, & hiatu ab eo eminus oculis perluſtrato, nec, ut irrumperent, abnuente, magno impetu per ruinas propugnaculum ſuperare contenderunt. Sed à Caſtelluvio & Hiſpanis, atque Ungaris egregiè rem gerentibus, non ſinè quamplurimorum prætorianorum peditum, ac præfectorum cæde rejecti fuêre; ita ut quum Muſtapha, cognomento Debelius, hoc eſt craſſus & præpinguis, Nicopolitanæ urbis in ripa Danubii præfectus hortabundus & vociferans pugnam reſtaurare conaretur, ab Hiſpanis glande trajectus concideret, & exanimis à ſuis ægrè reportaretur, quo etiam in conatu multi ex Turcis, qui mortui cadaver tollere contendebant, eminus icti occubuêre, aut graviter ſauciati diſceſſêre. Sed graviſſimo Loſſoncii & omnium dolore accidit, ut quum Caſtelluvius depoſito thorace ferreo, quo in pugna erat uſus, atque incaluerat, deterſóque ſudore Turcas fugientes è muri ruinis proſpectaret, ab Janiceris, qui in ſemiambuſtis domorum parietinis delituerant, per ilia glande trajiceretur & ſtatim expiraret: quem non ſinè ſummo luctu Hiſpani & Ungari ſublatum tumultuario ſepulturæ honore, eodem in propugnaculo, profunda ſcrobe acta, condiderunt: eique juſſu Loſſoncii Diegus Mendoza Velleius Hiſpanus, in præfectura cohortis ſucceſſit. In eo certamine duo millia barbarorum partim cæſa, partim gravibus ſuſceptis vulneribus debilitata fuiſſe traduntur.

In quibus & Muſtapha Nicopolitanus Præfectus cadit.

Caſtelluvius Hiſpanus glande trajicitur.

Interea quum Achomates & tormentorum magiſtri, ob crebras & aſſiduas interdiu noctúque jaculationes, ad ſummam pulveris ſulphurei penuriam atque inopiam deveniſſent, aliquamdiu obſidione potiùs, quàm oppugnatione tempus protractum eſt; quo tempore Petrus Farcaſſitius, Gregorii clariſſimi viri, quem à Tartaris in obſidione Albana ante novum annum multis affectum vulneribus, ac pro mortuo ſublatum, poſtea convaluiſſe diximus, filius, cum paucis ſociis eruptione ex oppido facta, in pabulatores Turcas incidit, cæſiſque & captis aliquot ex iis, ac camelis & bubulis equiſque adductis, quamquam hoſtes concitati, infensíque eum perſequerentur, tranſnatato tamen Temeſſo, & præda retenta, incolumis in urbem eſt reverſus.

Haſanes interea equitum Aſiaticorum Magiſter, quem Turcæ Anatolis Beglerbegum vocant, quemque Achomates pro pulvere ſulphureo, ac pilis ferreis, ante aliquot dies cum mille equitibus, totidemq; Janiceris miſerat adducta è Belgrado ac Samandria earum rerū ingenti copia, in caſtra venit. Qui dum in itinere eſſet, & in milites noſtrates, qui è Caranſebeſſo exierant, incidiſſet,

intre-

1552. intrepidè ab iis invaſus, ac cæſis aliquot è ſuorum numero, in fugam verſus fuit: pulverem tamen tormentarium & alia, quæ cum peditibus per camelos & burdones præmiſerant, Turcæ magnâ vi contracto cum noſtris certamine tutati in caſtra pertulerunt. Quibus perlatis oppugnatio iterum majoribus viribus reſtaurata eſt, ac tormentis mœnia Turris Aquariæ, quæ inter urbem arcemque erat, denuo verberari cœpta.

At Loſſoncius, qui jam præter Caſtelluvium aliquot præfectos notæ virtutis & fortitudinis variis caſibus interfectos amiſerat, cùm ſe rebus neceſſariis quotidie deficere animadverriſſet, ac ad multam pulveris tormentarii & commeatûs inopiam redactus eſſet, nec ſibi laboranti à Caſtaldo & Bathorio, quorum auxiliis confidebat, ſubventum iri videret, & milites ſtipendium flagitarent; Stephanum Felduarium ſcribam ſuum ad pecuniam & res neceſſarias curandas, emittendum cenſuit; à quo teſtamentum paulò antè conditum, veluti non multo poſt moriturus, ad ſuos perferendum, & literas mandataque ad Annam Pecriam conjugem, amicoſque & procuratores ſuos dedit, ut oppignoratis arcibus & fundis ſuis, pecuniam cogere, eâque res neceſſarias parare, militeſque in obſeſſorum auxilium mercede conducere, & ad ſe mittere conarentur. Qui quidem Turcicis veſtibus indutus, nec linguæ Illyricæ, quæ apud Turcas ut plurimum in uſu eſt, ignarus, deceptis excubiis, & proſpere confecto itinere, eò, quò juſſus erat, pervenit: & conductis pecuniâ cohortibus, quæ ad quingentos pedites continebant, ac pulvere ſulphureo plauſtris impoſito, ducem eis præfecit Michaëlem Totum, quem bello ad Segedinum nuper geſto inclaruiſſe diximus. Quum autem is penès Maryſum flumen iter intendiſſet, ac in ipſo fluminis trajectu ſe Temeſvario opem & ſuppetias laturum cohortibus ſignificaſſet, major militum pars tergiverſari, & partim ampliora ſtipendia flagitare, partim de ingreſſu obſeſſæ urbis deſperare, poſtremò nullâ honoris ac diſciplinæ militaris curâ habitâ ducem deſerere, ac dilabi cœpit. Inter quam conſternationem militum equitatus Turcicus, qui excubare, ac pabulatoribus, & lixis ac calonibus, qui rerum neceſſariarum cauſa caſtris exire ſolent, præſidio eſſe conſueverat, intellecto eorum diſceſſu, in eos qui remanſerant repentè irrupit, & diſſidentes facili negotio fudit & fugavit, vulnerato Michaële, & ægerrimè in tutum evadente. Altera quòque peditum manus, quam Thomas Varcocius, Varadini præfectus tumultuariè collegerat, & ut Loſſoncio laboranti opem ferret in mandatis dederat, audita Michaëlis, qui præiverat, adverſa fortuna incepto deſtitit, & varias in partes latebráſque profugit.

Copiæ, quæ Loſſoncio ſuppetias ferrent, partim diffugiunt, partim cæduntur.

Interea Achomates Turrim Aquariam vehementer labefáctatam, & dirutam, continuata dies & noctes acerrima oppugnatione, tormentis quatere non ceſſabat, uſque adeò ut jam mœnia tribus ex partibus uſque ad ima fundamenta concidiſſent, nec ullus ſupereſſet locus, qui milites aut duces à frequentium pilarum ictibus tueri poſſet, præter Decumanam portam, in quam quòd craſſiore muro, eoque fornice concamerato conſtabat, Loſſoncius & præfectorum plerique ſeſe recipiebant. Jam ad ſextum Calend. Sextil. qui Divo Jacobo ſacer eſt, ventum erat, & XXXII. obſidionis dies illuxerat, cùm Achomates, miſſis per caſtra Chauſiis, edicit ſe ſtatuiſſe eo die aut arcem in poteſtatem redigendam, aut majori exercitûs parti occumbendum; itaque 1552. poſtquam corpora curaverint, animos etiam ad ſupremam certaminis aleam ita comparatos adferant, nec ſe ac imprimis Principem Solimanũ voto deſiderioque ſuo, ac ſpe, quam de ipſorum virtute ac fortitudine concepiſſent, fruſtrari patiantur. Sic Turcæ ac præ aliis imprimis Janiceri prætoriani, equitibus ac aliis promiſcuè mixti, Turris Aquariæ mœnia diruta & humi proſtrata magno ſublato clamore aggredi cœpêre. Noſtri contrà ad ejus defenſionem pari conatu celeriter atque intrepidè procurrunt: certamen atrox & cruentum ſuboritur, cùm perſpicuum eſſet, ſi Aquariâ Turri hoſtis potiretur, arcem quòque, pro qua tot labores utrinque ſubiiſſent, tantum ſanguinis profudiſſent, brevi in victoris poteſtatem venturam. Multi utrinque cadunt, multi ſauciantur; Loſſoncius pugnans, & ſuis animandis intentus, nuſquam officio deeſt, idem Hiſpani & Germani impigre faciunt.

Aquariæ Turris acerrima oppugnatio.

Dum in hunc modum certatur, Cubates Chauſiorum legatus Blaſium cognomento Partantuſſium, clarum equitem in ruinis inter cæteros pugnantem, prægrandi acinace in caput ferire conatus eſt, & lingua Illyrica loquutus, ſe Cubatem vocari altâ voce dixit; verùm ille ictum rotundâ parmâ excipiens, ſimul Cubatem ita gulâ per collum trajicit, ſibique Blaſio nomen eſſe reſpondit. Vulneratur etiam Diegus Mendoza, & Hiſpani aliquot; ſed tanta noſtrorum virtus & fortitudo enituit, ut hoſtes magno accepto detrimento, cum ſtrage rejecti repulſique fuerint, tribus ferè millibus è ſuorum numero eo terribili conatu deſideratis. E noſtris præter ſauciatos haud paucos CXIII. milites periêre: pugnatumque fuit horis plus minùs quinque aſſiduè. Sequenti etiam die repetito certamine, ne noſtris quies aut ſpatium ullum otii daretur, alteram quoque impreſſionem, & quidem acerrimam in eandem turrim aquariam fecêre; in qua ille idem Cubates, qui heſterna in pugna Blaſio inferente vulnus ſuſceperat, illigata obſtipaque cervice inter pugnantes fuit. Aderat ipſe Achomates, hortator acerrimus, ac voce manuque ſuos, ut non niſi victores reverterentur, inſtigabat, & feſſis ac vulneratis recentiores milites ſubmittebat. Idem Mehemetes Beglerbegus, Caſſonusque & alii præfecti, ac volitantes hinc inde in acie præcones ſeu Chauſi faciebant, clavâ ferreâ pigritantibus inſtantes, intrepidis verò & fortiter dimicantibus collaudatis, præmia pollicentes. Noſtri hoſtium reſpectu jam ad paucos redacti, quantum virtute viribuſque valebant, egregiè aliquamdiu & fortiter reſtitêre; ſed tandem ſuperante multitudine, Turcæ, pulſis ſummâ vi loco noſtris, Turri potiuntur.

Turcæ deſideratis, penè tribus millibus, fortiter rejecti.

Sequenti die impreſſio repetitur.

Quâ captâ, quamquam Loſſuncius adverſùs omnia invictam mentem gereret, cæteris tamen, amiſſo eo loco, animus illico concidit. Erat enim inter arcem & urbem locus medius, nec ab hoſte cuiquam ex arce in urbem, aut illinc in arcem ad Loſſoncium & commilitones commeandi facultas ulla dabatur. Et jam commeatus ferè omnis obſeſſos defecerat, & ſulphurei pulveris duæ aut tres heminæ vix ſupererant, quæ ſi Turcæ ad arcis mœnia occupanda ſucceſſiſſent, uti facturi haud dubiè erant, explodendis vix ſemel majoribus tormentis ſufficerent. Alia ex parte hoſtes inconditis clamoribus, ac variis linguis obſeſſos ad deditionem hortari, Solimani ac Purpuratorum, ipſiuſque imprimis Achomatis fidem indubiam offerre, incolumitatem

Quâ, noſtris vi pulſis turri potiuntur.

Commeatûs & pulveris inopia.

1552. tatem rerum omnium & vitæ polliceri, ut ſibi parcerent, ut ſe ad meliora ſervarent, nec ſe miſerabili morte perditum ire vellent, ſeriò ſuadere. Itaque extremis hiſce rerum difficultatibus preſſi, primùm ex oppido nuntios ad Loſſoncium mittunt, qui ante lucem tecti tenebris, in arcem pervadunt, eúmque multis precibus rogant, ut ſui ac conjugum, & parvulorum liberorum miſereri velit, ac dedititia conſilia ampleɔti; ſatisfactum ab eo eſſe virtutis ac fortitudinis ſuæ famæ & honori, ſatisfactum militum conſtantiæ quamdiu cum hoſtibus pugnandum fuit: nunc eum fame, cum rerum neceſſitate, & penuriâ pugnari non poſſe: contra naturæ neceſſitates nec arma, nec pertinaciam valere ullam. Cæteri quòque, qui in arce cum eo unà erant, eaſdem rerum & inediæ anguſtias & extrema incommoda animo reputantes, neceſſitati & adverſæ fortunæ cedendum conſulebant; ne poſtea ab irritatis & ira percitis ulla ſpes miſericordiæ aut libertatis, quam modò ſponte offerrent, expectari poſſet.

Loſſoncius multorum precibus & lacrymis, ut oppidum ac arcem dedat, rogatur.

Sed ille ſingulari conſtantia, eorum precibus nequaquam flecti, & in propoſito ſervandæ uſque ad extremum ſpiritum arcis perſiſtere, non eſſe perfidis hoſtibus credendum dicere; quos cum veteribus exemplis, tum recentiore Veſprimienſium cæde, Punicis dolis & fraudibus, in deditos graſſari manifeſtum ſit; perſtitiſſétque in ſententia, niſi Germani milites & Hiſpani imprimis, quorum præfectus Diegus Mendoza ex vulnere nudius tertius propugnando accepto, eo ferè puncto temporis, vita exceſſerat, apertè dixiſſent, ſeſe vel eo invito hoſtibus de deditione prolocuturos, arcémque potiùs, quæ jam nullo modo retineri poſſet, illis relicturos, quam ultimum vitæ ſalutiſque amittendæ diſcrimen ſubeundum foret. Ejuſmodi Hiſpanorum inopinatâ conſternatione ac defectione fractus animo, ægrè tandem aſſenſit, ac ut de deditione cum hoſtibus agerent, permiſit. Quæ quidem haud cunctanter cum Achomate tranſacta eſt, ſic ut fide interpoſitâ, ſe omnes cum rebus & ſarcinis incolumes dimiſſurum promitteret; & profectio in poſterum diem inſtitueretur. Exiêre ex arce in urbem, ac eam diem & noctem iſthic tranſegêre, quòd urbana plebs, nondum compoſitis ſarcinis imparata, à Loſſoncio hanc moram multa prece impetrâſſet: tametſi milites dubiæ Turcarum fidei haud ignari, ne qua fieret mora, inſtarent.

Quibus accedunt & Germanorum & Hiſpanorum minæ.

Quibus fractus deditioni ægrè aſſentit.

Poſtero die currus, quibus ſarcinæ ac ſaucii ægrotíque milites erant impoſiti, duplici ordine præcedere jubentur: inter quos Loſſoncius cum armatis iret, uti conventum erat, ac poſtremum agmen ab Hiſpanis, & reliquo peditatu, civibúsque, qui adhuc ſupererant, clauderetur. Hoc ſervato ordine ad diem poſterum paululùm progreſſi, Turcas confertiſſimos ſtare, & unicam viam, quâ noſtri procederent, eámque ſatis anguſtam reliquiſſe conſpiciunt: cùmque eſſet extra portam Præconiam perventum, Achomatis juſſu cives & incolæ in ſiniſtram partem, eorúmque plauſtra & ſarcinæ ad dextram collocantur: cùmque Loſſoncius portâ exiiſſet, mox Beglerbegus & Caſſonus eum medium accipiunt, ac blandiori vultu ſalutatum, inter armatum exercitum deducunt. Nec mora, quum ab Janiceris & prætorianis equitibus arctiùs & anguſtiùs premerentur, & pueri, quorum ætas aut forma placuiſſet, raperentur, adoleſcentes verò & ii qui reſiſtere parabant, trucidarentur, clamantiúmque ad arma voces & ejulantium exaudirentur;

Noſtri à Turcis fide nefariè violata invaſi, ſtre-

1552. poſtremò Andreas Tomoræus adoleſcens nobilis, Pauli clariſſimi, ſed infelicis Mohacianæ pugnæ ducis, ex fratre nepos, qui arma & auratum Loſſoncii thoracem, galeámque geſtabat, à barbaris equo deturbatur.

nuè ſe defendunt quidem.

Quo animadverſo Loſſoncius, Alphonſum imprimis Perezium, ac Simonem Forgacium, qui ejus tergo pene adhærebant, altâ voce alloquutus, hæc, inquit, Turcicæ perfidiæ ſumma, hic finis eſt, commilitones; ſed macti virtute, quod unum ſupereſt, agite, expedite arma, ne inulti pereamus: atque hæc effatus ſtricto gladio, legatum Beglerbegi (ipſe enim & Caſſonus ad primum tumultum cautè ſe ſubduxerant) tranſfodit; tum pulſari tympana & tubæ inflari, omnes arma capere, ſeſéq; mutuo ad honeſtè cadendum adhortari, quantumque poterant, ex denſis confertiſque hoſtium agminibus explicare. Sed vincente paucitatem multitudine, Loſſoncius quum ſe diu multúmq; ne vivus in hoſtium poteſtatem incideret, defendiſſet; poſtremò caput lethali vulnere affectus, ac ſiniſtrum latus haſta trajectus, confoſſo denique & prolabente equo, capitur. Perezius bene armatus, quum aliquot barbaros partim breviore ſclopeto, quod ephippio aptatum gerebat, partim veruto interfeciſſet, præſtantis equi pernicitate fretus Lippam versùs curſum intendit. Verùm quum eum barbarorum pugnaciſſimi, per velociores equos, maximo, ne evadere poſſet conatu & perſequendi ſtudio inſectarentur, in Chryſium amnem ſeſe cum equo præcipitavit, ibiq; interiit. Forgacius multis confoſſus vulneribus, naſóque inter pugnandum mutilus, ſemianimis in manus hoſtium incidit. Lupus Bartianus, Milacus Thrax, ipſius Loſſoncii legati, ac Petrus Farcaſſitius, Stephanus cognomento Hiſpanus, ſed genere Ungarus, è Martonoſſin claro oppido ortus, turmæ equitum Forgacianorum legatus, ac alii pauci è potioribus capti. Barbari enim cum innata ſævitia, & in noſtrium ſanguinem feritate, tum verè irâ & furore, ob amiſſos in oppugnatione ſocios incitati, nemini ferè militum pepercêre, quin capti & ſpoliati, veluti victimæ crudeliter mactarentur.

Sed à multitudine hoſtium oppreſſi fortiter pereunt.

Loſſoncius vulneribus confectus, capitur.

Perezius in Chryſio amne ſubmergitur

Complures capti.

Loſſoncius ex ſuſceptis vulneribus jam adeo debilitatus, ut nulla vitæ ſpes reſtaret, ad Achomatem perductus, perfidiam & juriſjurandi violati ſcelus acrioribus verbis, nec ſinè conviciis ei exprobravit: contrà ille cælum Ulamanis, cui ſub fide dedito, & è Lippa abeunti inſidias à noſtris ſtructas dicebat, objectavit; & inter probra conviciáque illi jam deficienti & ſemimortuo caput præcidi juſſit; illúdque detractâ cute, molli herbâ ac bombice infarctum, ut mos barbaris eſt, cum aliquot captivis Byzantium miſit, & expugnatum Temeſvarium Solimano ſignificavit. Lupum Bartianum, Muſtaphas Seliſtriæ Bulgaricæ ad Danubium præfectus, natione Valachus, & paulò antè ad ſuperſtitionem Mahometanam delapſus, ab Achomate ſibi donari poſtulavit, quòd affinitate juncti eſſe dicerentur; cùmque Achomates id ei denegâſſet, ipſe verò eum ſe à Solimano quòque impetraturum retuliſſet, Achomates ea re irritatus, & excandeſcens Lupi brachia & genuum tenus pedes in veſtibulo portæ decumanæ ſingulari & planè barbarâ crudelitate detruncari & abjici juſſit; ſicque vir ſupra natalium ſplendorem fortis & pugnax, inuſitatis & intolerandis corporis cruciatibus miſerabiliter eſt necatus. Milacus & Farcaſſitius pecuniâ ac captivorum permutatione redempti, & Forgacius naſo præfecto deformatus, cui id non probro,

Loſſoncio, exprobata primum perfidia, caput amputatur.

Lupus Battianius truncatis brachiis & pedibus crudeliter perit.

ſed

1552. ſed honori fuit, quum Sabacem Turcam Strigonii equitum præfectum, Melchioris Balaſſi captivum pro ſe dediſſet, ad ſua reverſi fuerunt. Stephanus verò cognomento Hiſpanus, Blaſius Patcantuſius, & Joannes Bornemiſſa è Tengeldo cum Roderico Trianio & aliquot militibus Hiſpanis, dum Byzantium ducerentur, ruptis catenis, & interfectis cuſtodibus, per Bulgariam & Valachiam, trajecto Iſtro, in Tranſilvaniam, ac deinde domum pervenêre. Urbana plebs & cives reverti in urbem, & ſinguli ſuas domos repetere, ſuiſque legibus vivere juſſi ſunt. Per hunc modum Achomates, capto Temeſvario, exercitui aliquot dierum quietem concedendam ratus, arcem & urbem Caſſono curandam dedit, ac ut mœnia quaſſata ac diruta reſtauraret, mandavit.

Caſſono Temeſvarium curandum datur.

Interea Caranom, Sebeſſum, & Lugaſſium civitates, infirmis & vetuſtis mœnibus cinctæ, ab Achomate certis conditionibus ſalutem ac libertatem impetrarunt; quæ olim ad Severini præfecturam pertinebant, ſed à Petrovitio, dum Temeſvario præeſſet, occupatæ poſſidebantur: ut nimirum commeatum, quantùm poſſent, exercitui ſubminiſtrarent, ac ſingulæ millenos aureos perſolverent. Per earum incolas, quibus in utramque partem commeare eo tempore licebat, ac nonnullos eorum, qui è prælio evaſerant, quum capti Temeſvarii, ac cæſi præſidii fama Lippam perlata eſſet, Bernardinus Aldana ejus præfectus, ſecùs quàm antea Caſtaldo promiſerat, & quàm ipſius officii ratio, ac Hiſpanici nominis decus poſtulabat, de urbe deſerenda cogitare cepit, ratus ſi Loſſoncius cum fortiſſimis Hiſpanici & Pannonici nominis militibus, hoſti barbaro truculentóque ceſſiſſet, ſe quòque urbi defendendæ minimè parem futurum. Itaque quamquam Demetrius Otiarovitius natione Thrax, qui nullius ſtipendio addictus, cum peculiari ſuorum equitum ala tunc Lippæ agitabat, vir ſolers & induſtrius, reique militaris peritus, nec non Paulus Jadrenſis, ac Franciſcus Henriques, veteraníque aliquot Hiſpani, ejus facti conſilia vehementer improbarent, & exploratores quòque hoſtilium conſiliorum haud ignari, nondum Lippæ metuendum eſſe adferrent: ipſe tamen in ſententia perſtitit, & tormenta curulia pulvere ſulphureo, uſque ad ſumma fiſtularum ora onerari, turres etiam & portæ fornicea eodem modo impleri, impoſitiſque pulveri incendendo funiculis ardentibus, ut paulò pôſt vi ejus rumpi evertíque poſſent, jubens, paulò ante auroram egreditur. Quæ omnia magiſtri tormentorum impigrè quidem, ſed adeo anxiè & trepidè fecêre, jam jam hoſtes prope adeſſe exiſtimantes, ut nonnulli ex iis repentina pulveris, ignem ſubitò concipientis violentia diſrumperentur. Oppidum quòque aliquot in locis ſuccendi jubet, gementibus civibus, qui domos ſuas & ſubſtantiam quam Turcæ ſuperiori etiam Joannis Peteonis fuga & conſternatione intactam ſervaverant, concremari & in cineres redigi miſerabilem in modum deplorabant. Quibus peractis ad Caſtaldum in Tranſilvaniam ire pergit, à quo rei indignitate permoto, ac dedecoris nomini Hiſpanico temerè illati juſto dolore exacerbato in vincula conjicitur, Viennámque ſub cuſtodia mittitur. Ubi jubente Ferdinando militari in Concilio capite condemnatus, jámque ſupplicio afficiendus, à Maria Caroli Cæſaris filia, Maximiliani conjuge, Ferdinandíque ipſius nuru, quæ pro illius ſalute & vita ſummis precibus laborabat, periculo eximitur. At Achomates re intellectâ, Caſſonum è Temeſvario, cum quinque millibus expeditorum equitum illuc adcurrere jubet: iiſque extinctis flammis, & ereptis è rogo quantum potuit, tormentis, quorum metalla nondum rupta aut liquefacta eſſent, urbem nullo negotio occupavit & magna ex agris collecta ruſticorum multitudine, reſtaurandam muniendámque curavit. Et quum Solnoſiam arcem parvo ſupra Lippam intervallo monti edito impoſitam, ſed expugnatu difficilem, ab Hiſpanis & Ungaris Aldanæ præſidiariis, ejus exemplo, metu perculſis vacuam relictam eſſe didiciſſet, illam quòque integram & ſatis munitam, commeatúque & rebus neceſſariis plenam, eodem victoriæ tenore, facilè in poteſtatem redegit. Eâdem etiam facilitate Chanadium nudarum fuga præſidiariorum atque à Caſſono occupatum fuit.

Caranum, Sebeſſum, ac Lugaſſium certis conditionibus redempta.

Lippa cum ſumma ignominia notâ ab Aldana Hiſpano deſerta & jeccata.

Aldana ſupplicio afficiendus à Maria Auguſta liberatur.

Caſſonus Lippam occupat & inſtaurat.

Capit & Solnoſiam arcem à noſtris derelictam.

Et Chanadium.

Sub idem tempus Alis Eunuchus Budæ præfectus, communicatis cum Achomate conſiliis, coacto exercitu, cujus opera nuper Veſprimium ceperat, fortunam tentare conſtituit, ita ut arcibus ſuæ præfecturæ propinquioribus, quas negligentiùs à noſtris cuſtodiri non ignorabat, in poteſtatem redactis, vires ſuas cum Achomate conjungere, ac illum poſtea ad oppugnandam univerſis viribus Agriam perducere poſſet, ex qua ſæpiſſimè graves, cruentáſque excurſiones, uſque ad ipſa Peſthi & Budæ ſuburbia fieri non ignoraret. Igitur eductis à Buda tormentis, ac promotis caſtris, in quibus 8. aut 10000. militum erant, ad oppugnandum Dregelum proficiſcitur. Id in prævalto monte poſitum Pauli Archiep. biennio ante vita functi ditionis erat, & à Georgio Zondio, viro acri & militari, ac collega ejus Greg. Berſaluſio cuſtodiebatur. Sed is per occaſionem inviſendæ domus & familiæ aberat, & ſolus Zondius domi res curabat. Cùm Turcæ propiùs adventaſſent, aggeres & vineas de nocte celeriter è regione arcis perfecerunt, inque eis 4. majora tormenta, & 6. colubrinas mediocres collocarunt, quibus arx ſinè intermiſſione verberari cepta eſt: nec multò pôſt turris præalta, quæ portæ imminebat, eiq; præſidio erat, vi tormentorum diruta dejectáque fuit, cujus caſu Zondius Joan. Zoltaium legatum ſuum oppreſſum extinctúmque amiſit. Mœnia etiam arcis, quòd vetuſta debiliáq; eſſent, pilarúmq; ictibus quaſſarentur, adeo pleriſque in locis vitium fecerant, ut Zondius arcem retineri poſſe deſperaret.

Inde Dregelum arx ab Aly Eunucho obſidetur.

Erat haud procul Dregelo Oroaſſalva Ruthenorum colonia, à Colomano rege, ut diximus olim eò deducta, in qua Martinus ſacerdos ſacra facere erat ſolitus. Eum Eunuchus ad ſe vocatum in arcem mittit, ac Zondio nuntiat, ut cùm arx ab ipſo retineri nullo modo poſſit, eam ſibi dedere non abnuat; ſcire ſe eum militarem virum ex pugnaciſſimis eſſe, cujus virtutis fortitudiniſque famam à multis audiſſet, & ipſe multis experimentis pro comperto exploratóq; haberet: itaque ſibi grave & moleſtum futurum, ſi ea ignobili in arce ei, vita amiſſa pereundum ſit; proinde monere & hortari, ut ea dedita, ſalvus & ſoſpes abeat, ac ad meliora ſe & vitam ſervet. Ad ea Zondius paucis reſpondit, ſibi firmum eſſe animi propoſitum honeſtè potiùs occumbendi, quàm ut ab ipſo fraude circumventus, in ſervitutem redigatur, ac catenis collú oneratus hinc inde pro mancipio venum ducatur. Itaque tardè & importunè ejuſmodi adferri conſilia, quæ ſibi minimè placuiſſe paulò pôſt reipſa ſit declaraturus. His dictis duos captivos Turcas ex multis

Zondii præfecti generoſa & heroica animi conſtantia.

acciri

1552. acciri, eoſque veſtibus è purpurea lana pretioſiore ac pecuniâ donatos & dimiſſos Eunucho dicere jubet, ſe petere ut duos pueros quos ſibi educare non licuiſſet, in ſuum famulitium accipiat, & ad grave Martis opus, militiamque condiſcendam inſtruat; ſtare enim ſententiam ſibi aut arcem ſervare, aut moriendum eſſe.

Dimiſſis ad Eunuchum ſacerdote & captivis, expiatis priùs Chriſtiano more criminibus, pecuniam, veſtes & res omnes, & quæcunque habebat militaria inſtrumenta, & vaſa argentea, charioremque ſupellectilem, in veſtibulum arcis comportanda curat, ibique ſubdita ſuis manibus face flammis exurit: deinde in ſtabulum profectus, equos militares, quos præſtantes habebat, lanceâ tranſadigit, ne iis hoſtes potiantur: poſteaque ad arcis portam in hoſtes fertur, qui jam magno impetu per muri ruinas aſcenſuri conſpiciebantur. Ad eos repellendos concurrere ſuos, & ſclopetis rem gerere jubet, multique ex iis interficiuntur, dum ingredi conantur, ipſe inter primos acerrimè pugnat, ſed ab irrumpentibus magna vi Janiceris, genu glande craſſiore trajicitur, & in alterum genu illæſum concidit, nec tamen pugnam intermittit: iterum autem caput & pectus aliquot glandibus petitus derepentè corruit, ac præciſum ejus caput ad Eunuchum fertur, quod ille unà cum trunco, in monte è regione arcis ſito, militari funere tumulandum curavit, adhibitâ haſtâ & vexillo, ut eum fortiter pugnando, honeſtam & decoram mortem pro patria oppetiiſſe teſtificaretur: adeò virtus vel in hoſte laudabilis & glorioſa habetur.

Virtus etiam in hoſtis laudibus efferenda.

Hunc exitum habuit Zandius, anteactæ militiæ congruum, ac conſtantiæ laude apud poſteros memorabilem; quam tamen cæteri præfecti earum arcium, in quos Eunuchus ejus æſtatis expeditione vires ſuas atque arma exercuit, minimè ſibi imitandum propoſuiſſent; quum munitiores Dregelo arces, aut fœdâ fugâ deſeruiſſent, aut ſubito metu conſternati, non ſine ſumma dedecoris & ignominiæ nota hoſtibus tradidiſſent. Nam cùm ad arcem Secenian perventum eſſet, cujus cuſtodiæ Laurentius Arochatius præerat, milites præſidiarii turpiter profugêre, Laurentio ſolo, & arce vacua indefenſaque relictis. Quod quum Laurentius animadvertiſſet, ipſe quoque cæteros ſequutus, fuga capta in manus hoſtium incidit, diuturnamque apud illos ſervitutem ſervivit.

Secenia turpi noſtrorum fuga hoſti ceſſit.

Exinde Eunuchus celeri itinere ad caſtrum, cui à Corvo nomen eſt, caſtra promovit, & Arſlanem, Mehemetis Jabioglis filium cum trecentis equitibus, totidemque peditibus ad Buſſam miſit, quæ erat modica è cocto latere turris, & à Michaële Terchio, Stephano Zuchaio, Andrea Nagio, ac paucis aliquot Sigiſmundi Balaſſii militibus cuſtodiebatur: qui tum conſtanti admodum firmoque animo eam defenderent, nec Arſlanes quicquam oppugnando, ac terrorem admovendo proficeret, ſequenti die è caſtris duo millia peditum acciri, & duo tormenta advehi jubet, quibus turrim concuteret, caperetque. Sed nec ea hoſtium acceſſione, ac continuis ictibus, quibus turris diruebatur, quicquam Terchius & ſocii perterriti, in defendenda ea, eò fortiùs & conſtantiùs perſiſtebant. Dirutâ turre noſtri ſe in vallum recipiunt. Et virtutem eorum Arſlanes admiratus, qui tantâ vi exiguum munimentum adversùs tantas copias tuerentur, pacta cum Terchio & Balaſſianis incolumitate, iiſque abire in tutum permiſſis, turrim & vallum ſolo æquavit.

Buſſam turrem aliquamdiu a noſtris defenſam Arſlanes occupat.

Revertenti ei ad caſtra, haud procul erat arx Salgo, Lupi Derencenii ditionis, quam Simon Sagivanus imbellis præfectus tuebatur: ea autem erat arduæ rupi impoſita, & difficilem admodum aſcenſum, & oppugnationem requirere videbatur, quòd tormenta eò attrahi, non niſi immenſo labore, & multis jumentorum jugis, nec ſine periculo poſſent. Igitur Arſlanes, quòd vi non poſſet, aſtu ſibi penetrandum ratus, arboris prægrandem truncum, duabus rotis impoſitum, aliquot boum jugia ad cacumen montis pertrahi, & ab agreſtibus magno clamore boves, velut ſub nimio ænei tormenti pondere fatiſcentes, urgeri imperat. Favit aſtutiæ ejus inſolens fortuna, quòd eo die ex humore nocturnæ pluviæ craſſior nebula aërem involviſſet, aſpectúmque omnem noſtris extorſum eripuiſſet. Interea quoſdam equites Turcas, Pannonicæ linguæ gnaros præmittit, qui obſeſſis nunciarent, tormenta inuſitatæ magnitudinis protinus arcis mœnibus admovenda, in proximo eſſe, portò conſultum fore, ſi eorum ictus nequaquam ſibi expectandos ducant, ſed deditâ arce, ſalviſque rebus exeant; ſe enim poſtea nemini parſurum. Eâ fraude Sagivanus credita, non ſine riſu ſimplicitatis ſuæ arcem hoſti tradidit, ac Arſlanes ei & ſociis, fide ſervatâ, incolumibus dimiſſis, Salgonē præſidio firmavit, & in caſtra reverſus eſt. 1552.

Inde Salgo arx deditur.

Ridiculum barbari ſtratagema.

Eunuchus quoque caſtro Corvi, quòd Andreas Sacius, & Emericus collega inter ſe diſſiderent, eadem facilitate potitus, ad Bujacum Bathorii arcem, haud procul diſtantem divertit: & cùm ea muro craſſiore ac ſatis firmo munita eſſet, nec in eo quinq; diebus verberato quicquam ferè dirutum eſſet, difficilis oppugnatu futura videbatur, ſi quæ in præſidiariis virtus aut conſtantia fideſque adfuiſſet. Sed illi intempeſtivo metu ac pavore perculſi, perfractis fornicibus, in quibus reconditum theſaurum falſo putabant una cum Martino Quercio præfecto non ſine perfidiæ labe arcem relinquentes, ſeſe in fugam conjecerunt: quos tamen Turcæ inſecuti incluſos & ad unum interfectos deleverunt, ſolo conſervato Martino, qui in ipſis vinculis & carcere poſtea extinctus eſt. Sagum, collegii Monachorum Benedictinorum caſtellum, ad ripam Hippoli fluminis amæno luco ſitum, ac Giarmatum Balaſſianæ familiæ domicilium, perterritis illis, qui in præſidio erant, ac diffugientibus, primò direpta à Turcis, ac poſtea ſubjectis ignibus concremata funditus conflagrarunt.

Capta præterea Corvi caſtellum, & Bujacum

Sagum,

Giarmatum.

Tot tamque validis arcibus nullâ vi, ſed ut Turcæ ipſi jactabundi dicebant, ſpatiando & ſecurè otiando, in poteſtatem redactis, Ferdinandus, qui majore ejus anni parte bellicis apparatibus & tormentis, eorumque vectura & aliis rebus neceſſariis curandis, ut diximus, incubuerat, ſeque ad caſtra & bellum gerendum profecturum edixerat, ne tantam ditionem impunè hoſtibus occupandam permittere videretur, copias, quibus hoſtibus & Eunucho occurreretur, parandas, illumque ab ulterioribus detrimentis inferendis arcendum conſtituit. Et cùm opportunè Sforcia Pallavicinus, quem ad conducendum peditatum in Italiam profectum fuiſſe docuimus, adductis militum quatuor millibus & quingentis, per eos dies reverſus eſſet, Eraſmo Taifalo, Jaurini præfecto, qui Honorio Cuniſpergio ſucceſſerat, infauſti ominis, ut eventus quoque approbavit, duci, tradito ei ſummo totius exercitûs imperio, in mandatis dedit, ut coacto ex finitimorum locorum præſidiis milite, cum Sfor-

Infauſta Eraſmi Teuffeli expeditio

ciana

1552.

cianis ſeſe conjungere, & Dregelum ac alias arces, nuper ab hoſte captas recuperare contenderet. Tria quòque millia peditum Germanorum, duce Marcello Detrico mercede conducta, quorum dimidia pars ſcloperarii, cæteri haſtati erant, ad eum ire jubet; Provinciis verò ſeu regionibus ſuperioris Pannoniæ, numero decem, ſeriò injunxit, darent operam, ut in oppidum Filecum convenire, ac Taifalo & Sforciæ primo quòque tempore conjungi poſſint.

Copiæ undique collectæ ex præſidiis.

Taifalus ipſe cum Sforcianis copiis & Germanis Levam atque inde Egegum caſtra promovit, & è Jaurino ſupra propriam ducentorum equitum alam, alios ſingulis centuriis equeſtribus præfectos, Georgium Queglevitium, Petri filium, Paulum Ratcaium, veteranum copiarum ductorem, Franciſcum Deſoffinm, Michaëlem Dombaium, & Franciſcum Sandrinum ad ſe venire juſſit. Eodem modo & Levæ præſidio Paulus Sstcandius, Nicolaus Siculus, Stephanus Thrax, Franciſcus Jacoſitius, & Sebaſtianus Matuſnanus cum quingentis equitibus levis armaturæ advenêre. Auguſtino Sbardellato Epiſcopo Vacienſi, Italicæ originis, ſed in Pannonia nato, Salmenſis Comes bello Muranienſi curam commeatûs demandaverat: eandem provinciam Taifalus quòque ei ratam habuit, ac centum equitum ſtipendium adjecit. E Corponenſi oppido, Joannis Chruſitii legatus, Gaſpar Chutius centuriam equitum, & Lupus Puchanius Auſtriacus, bis totidem adduxit. Melchiori Maſconi, qui Vigieſſo præerat, ducenti quinquaginta equites Germani parebant, qui etiam bene armati inſtructique cum ipſo ſimul eòdem venire maturarunt. Supra hos octingenti pedites, Moravici & Bohemici generis, & totidem Pannonii ex iis, qui Haidones vocantur, ſeſe adjunxêre; quos omnes Taifalus ad Egregum in caſtra recepit, ita ut omnium copiarum ratione ſubducta, decem millium militum numerum facilè excederent.

Decem millium numerum explebant.

Has copias Caſtaldus in ſupplementum exercitûs ſui mitti expetebat, quòd Achomatem, capto Temeſvario, Tranſilvaniæ occupandæ conſilia agitare comperiſſet, verùm Ferdinandus commodiore conſilio, ſi exitus reſpondiſſet, ad tuendos contra Alim Eunuchum fines, amiſſáque recuperanda convertit. Jam enim armata nobilitas ad Filecum convenerat, quæ ad ſeptem millia bellatorum conſtituebat; ita ut ſi totus exercitus convenire potuiſſet, idoneúmque bello ducem, & peritum nactus fuiſſet, Budenſibus Eunuchi copiis, non ſinè certa vincendi ſpe, facilè opponi potuiſſet. Carebat tormentis currulibus, ac colubrinis majoribus Taifalus, ſed ea Ferdinandus è veteris Zolii, ac Biſtriciæ montanæ armamentariis depromi, ac in caſtra advehi juſſit. Quibus tutiùs advehendis, quingenti equites è caſtris obviam ivêre, Ratcaio, Queglevitio, ac Matuſnano ducibus, qui cum tormentis eorumque apparatu ad arcem Plobenſtainam ſubſiſtere, & adventum exercitûs ibi præſtolari juſſi ſunt.

Nobilitas etiam cum 7000. armatorum Filecum convenit.

Interea Alis Eunuchus, noſtrorum apparatu, ac conatibus per certos exploratores cognito, prius quàm duo noſtrates exercitus conjungerentur, præoccupandum Taifalum, & cum eo congrediendum arbitratus eſt, copiáſque omnes ſuas, quarum virtuti plurimùm confidebat, ad campos Racoſios convenire jubet: quibus ſummâ celeritate congregatis, adverſùs noſtros ducere decrevit. Habebat in caſtris ad 12000. equitum ac peditum, ſed qui ob recentes continuáſq; victorias, ipſo duce partas, noſtrorum copias, & potiſſimùm Germanicas, nihili pendere videbantur. At Taifalus Dregelo copias admoturus, ab Egego caſtra promovet: & tametſi ab Ungaris ducibus admoneretur, ne quid adverſùs hoſtem moliri, neve ullam fortunæ aleam, niſi receptis priùs in caſtra Nobilitatis copiis, quæ Fileci erant, experiretur; ipſe tamen ſuis ſubnixus conſiliis, quibus ſibi indulgendo errare potiùs & obſtinatiùs perſiſtere, quàm alienis rectè uti conſueviſſet, tormenta duntaxat expectanda, neque hoſtium congreſſum admodum formidandum exiſtimabat. Et Ratcaius, illa jam ad Boſocum, jugis equorum & boum Civibus montanarum urbium imperatis, advehenda curaverat, ejúſque rei ducem certiorem reddiderat: quum Taifalus caſtra in hunc modum promovere, & Dregelum verſùs proficiſci cœpit.

Aly Eunuchus cum duodecim millibus noſtris, antequam conjuncti fuêre, occurrit.

Præcedebant 50. equites levis armaturæ Pannonii, quos paulò pòſt equitum Germanorum turmæ, ducibus Maſcone & Andrea Taifalo, Eraſmi ipſius fratre ſubſequebantur. Poſt hos peditatus Germanicus, & legio Italica, ac Bohemi & Ungari pedites, ſublatis vexillis, ac inſtructis ordinibus armati procedebant. Horum veſtigiis currus onerarii & impedimenta exercitûs progredi juſſa, ac inter illa 6. falcones currules, quos vocant, cum rebus neceſſariis & tormentorum magiſtris, quaternis equis vehebantur. Agmina verò præcedentia à 600. equitibus Pannoniis claudebantur; atque hoc ordine univerſæ copiæ ad Pleſſovicium oppidum, quod à Pannonibus Palaſtum appellatur, pervenerunt: & in ejus campis, qui vinea & montes ad Orientem reſpiciunt, caſtra collocata. Nec longè aberat in pago Silvaſſo Eunuchus cum ſuo exercitu, rei gerendæ, & conſervandorum, quæ nuper cœperat, locorum avidiſſimus: ac deinde arridente cœptis fortuna, ſeſe cum Achomate & prætoriano exercitu conjuncturus; quum multa adhuc pars æſtivi temporis gerendo bello accommoda ſupereſſet.

Caſtra Teuffelii in campis Pleſſovitii collocata.

Cùm caſtra noſtrorum progredi intellexiſſet Eunuchus, mille equites expeditos deligit, eiſq; ut ſitum caſtrorum Taifali ac Sforciæ contemplari ac explorare, dareq; operam contendant, ut ex hoſtium numero captũ aliquem ad ſe adducant, à quo de eorum conſiliis certiora intelligere poſſet. Hos quum equites illi, quos agmina noſtrorũ claudere diximus, conſpexiſſent, cæteris iter coeptum proſequentibus, acri edito certamine, fugarunt, ac nemine è ſuis amiſſo, unum ex hoſtibus interfecerunt, altero vivo in poteſtatem redacto. Ab hoc Turca primum ad Sforciam adducto intellectum eſt, Alim ejus eſſe propoſiti, ut quemcunque rebus exitum ſors & fortuna attulerint, collatis ſignis ſinè cunctatione experiatur.

Decimo die Auguſti.

Jam decimus dies menſis Sextilis, divo Laurentio dicatus illuxerat, barbaris ſæpè felix fauſtúſque, & noſtri protenſis tabernaculis caſtra collocaverant, quum Turcarum antecurſores, duce Arſlane, in conſpectum venêre: adductis tribus falconibus, quorum uſus campeſtri in acie eſt, iiſque noſtrorum caſtra infeſtare cœperunt. Noſtri celeriter ex caſtris procurrentes, magnum acréque certamen cum iis contraxêre; ac directis in eos falconibus, quos in margine caſtrorum opportunè collocatos habebant, tam cominus præliando, quàm jaculis eminus feriendo eos ſubmovere, multos interficere, plurimos vulnerare. Deinde concurrentibus noſtrorum equitibus, tam Germanis quàm Pannoniis, cruentiſſimum certamen ſubinde

Levia aliquot prælia inita.

1552. auctum recrudeſcit: eo exitu, ut plurimi utrinque interirent, aut caperentur, & Franciſco Deſſffio equus, quo vehebatur, cum ſiniſtro crure inſidentis, ferrea falconis pila diſcerperetur, quo immani vulnere ictus in caſtris eodem die expiravit. Capti etiam à Turcis ſunt Sardinus & Dombojus, equitum ductores, ac ad Alim perducti. In partibus Turcarum ab Italis glande trajectus periit Teffterdarius, quæſtor & ærarii cuſtos, qui militarium ſtipendiorum rationes ſervare, militibuſque ſolvere ſolebat: cum aliquot præcipuis barbarorum. Quo cadente Turcæ cohortem Italicam, ex qua Teffterdarius erat interfectus, extra munitiones pugnando progreſſam, ad quædam arbuſta publicæ viæ contigua, irritando & laceſſendo elicuere, & quamquam ea ſclopetis rem peritiſſimè gereret; à multis tamen barbaris circumventa, maximo erat in diſcrimine, niſi Ungari equites Franciſco Jacoſitio & Georgio Thurio annitentibus, auxilio accurriſſent; qui feſſos dimicando & fatigatos, ne uno quidem ex ipſis deſiderato, periculo liberarunt.

Jam pugnatum erat uſque ad meridiem, quum Eunuchus cum univerſo exercitu ſuis ſubſidio ſupervenit, ac prælium magno terribilique conatu reſtauravit; adductis quatuordecim colubrinis campeſtribus, quas in proximis caſtris noſtrorum colle ita collocavit, ut inde peditatum Bohemicum ac Ungaricum, contortis in eum pilis aſſiduè infeſtaret. Nec mora illum cominus haſtis aggreſſos, quamquam acerrimè repugnarent, tamen quod à ſociis alia in parte laborantibus minimè juvarentur, terga dare coactos concidit & profligat. Sed equites Germani cohortantibus Andrea Taifalo & Maſcone, facto cuneo, peditibus opem ferunt, ac hoſtes terga vertere compellunt, pulſiſque iis, & multis occumbentibus, ſigno receptui dato, in caſtra revertuntur. Sequenti die collaudatis equitibus, Taifalus & Sforcia, peditatum Germanicum & Italicas cohortes promovent, iiſque hinc equites cataphractos, illinc leviorem, qui è Jaurino venerat, equitatum, in ſubſidiis collocant, & falconibus principia firmant, ac in irruentes hoſtes obvertunt. Ibi tormentis utrinque in mutuam cædem exploſis, Mars crudelem in modum ſævit; & ex utraque acie acriter pugnantes plurimi cadunt; ſtante adhuc victoria in ancipiti, quum diro nec opinato caſu, pulvis tormentarius in partibus noſtrorum, fortuita incidente ſcintilla ſuccenditur, & terribili edito fragore, aliquot tormenta, eorumque magiſtros, & militum nonnullos, miſerabilem in modum laceratos, per aëra in ſublime jactando diſpergit. Ea re animadverſa, Turcæ ingenti ſublato clamore, in noſtros perturbatos, & repentino caſu territos irrumpunt; & certamen magno animorum ardore inſtaurant; noſtris animus concidit, & primum omnium legio Germanica turpi fugæ ſe committit, nec ut ad pugnam redeat, ulla vi à ducibus retineri poteſt. Equites ad eorum ſubſidia collocati, & cæteri omnes unà profugiunt: denique cataphracti Germani, ſociorum clade perturbati, terga vertunt, & quo quiſque poteſt, effuſo curſu feruntur. Taifalus ſuos retentare conatus, à circumfuſo & conferto hoſte capitur: & Sbadellatus acriter pugnans interficitur: nec procul ab eo Nicolaus Borſanus, Chriſtophorus Roſonius, & Lupus Sulius, fervente certamine, cadunt.

Sequenti die certamen inſtauratur.

Pulvis tormentarius fortuito ſuccenſus.

Germanica legio prima omnium fugit, quam aliæ ſequuntur. Teuffelius capitur, Sbardellatus acriter [pugnans cadit.]

At Sforcia, qui animadverſo periculo armatus ante ſuam legionem conſtiterat, & eam, ut virtutis & nominis Italici meminiſſent, hortabatur, perditiſque jam rebus, ſuos in proximam ſilvam recipere contendebat: qua protecti ſe adverſus hoſtium equitatum commodiùs tuerentur, aut ſi ſors ita ferret, ſub noctem per ſilvas & montes proclivior fuga fieret, ab Eunucho & Turcis vehementi impetu inſtantibus prohibetur; itaque cum ſuis in aciem inſtructis egregia virtute dimicat, ab hoſtium multitudine obruitur: ita ut ei in orbem pugnanti, multoſque hoſtium cæſim punctimque ferienti, dextra manus prægrandi acinace ſauciaretur; & ſimul eadem, quo ſe fortiſſimè tuebatur, enſe, inermis & multo labore fatigatus, poſtquam infenſæ fortunæ reluctari non liceret, deditione factâ, in hoſtium poteſtatem veniret. Cum eo unà pugnantes Italorum præcipui, partim cæſi, partim captivi, inter quos Hippolytus Pallavicinus, Sforciæ ipſius neceſſarius, ac Martius Tiburtinus, & ipſe vehementer ſaucius, Albertus Caſtrenſis, cum Vincentio Annotio Florentino, & Bambino Carpenſi, nonnulliſque aliis fuêre. At Paulus Ratcaius & alii ad Hoſocum, intellecta hoſtium victoria, & noſtrorum clade, reductis tormentis, ſalvoque equitatu, ad vetus Zolium ſeſe receperunt. Nobilitas verò, quæ ſumptis armis Filecum convenerat, certo cladis nuntio accepto, varias in partes dilapſa fuit.

1552. Sforcia Pallavicinus cum ſua legione fortiſſime dimicans,

Saucius in hoſtiũ poteſtatẽ venit.

Eunuchus ingenti parta victoria, ac tormentis omnibus, vexilliſque & impedimentis hoſtium potitus, cum captivis, quorum ad quatuor millia fuiſſe ferebantur, lentis paſſibus Budam reverſus; ingreſſuruſque urbem triumphanti ſimilis, captivos in ordinem aciemque compoſitos præire, Taifalumque ipſum equo inſidentem, tympaniſtis & tibicinibus ac fiſtulis pedeſtribus præcedentibus, moreque ſuo canentibus, cum præcipuis captivis in forum perduxit, cæteriſque ſub haſta venditis, Taifalum cum aliquot captivis, ac XL. ſignis, & capitibus præciſis, Byzantium miſit, Sforcia ſibi retento: quem non toto vertente anno, octodecim millibus aureorum nummum redemptum, ad ſuos remiſit, donato ei Martio Tiburtino, ac quibuſdam captivis aliis. Is à Coſmo Mediceo Hetruriæ duce aliiſque Italiæ principibus, Ferdinandoque rege & Maximiliano filio, haud contemnenda pecuniæ ſumma, adjutus fuit. Sed Taifalus quum Byzantii nomen ſuum minimè profiteretur & ſe ſummum copiarum ducem fuiſſe negaret, ab irato Solimano, qui de ejus conditione, dignitateque abundè erat edoctus, culeo inſui, & in Boſphoranum mare mergi juſſus fuit. Tanta autem mancipiorum Germanorum Budæ & Peſthi vilitas, tam exile pretium fuiſſe fertur, ut unum modio hordei vel farinæ, aut hemina mellis butyrique vendiſſe diceretur.

Eunuchus victor Budam redit.

Teuffeliũ cum aliquot captivis & ſignis 40. Byzantium mittit. Sforcia ſibi retento, & paulò pòſt redempto.

Teuffelius culeo inſutus ſubmergitur.

Mancipiorum vilitas.

Ab iis tantis & ferè portentoſis calamitatibus & cladibus noſtrorum ſimul & inexpectatâ felicitate, & progreſſibus barbarorum, tot arcibus atque urbibus tantâ celeritate captis, fuſis & fugatis duobus exercitibus, tametſi ubique in Pannonia clamor, gemitus, lachrymæ, luctus & mæror agitabantur: fortuna tamen inſolens & iniqua, nondum ſuo in eam gentem plenè exſaturato odio, majorem ſævitiam exercere, & mala diuturnioribus malis, ſupra quam credibile ſit, accumulare non deſtitit.

1552. ſtitit. Achomates ſiquidem & Eunuchus, communicatis mutuò, per nuntios & literas, conſiliis Solnocum in medullis & viſceribus regni juſſu Ferdinandi extructum, rebuſque neceſſariis, ad multum temporis proviſum, ac Agriam, quæ duo reliqua munimenta ad regni tutelam reſtabant, expugnare, & ſi fortuna ferat, quæ ſibi tantopere favere viſa eſt, nomen ejus infelicis populi prorſus delere decreverunt. Et Achomates quidem tantâ proſperitate, tantiſque ſucceſſibus inflatus, irrumpendum in Tranſilvaniam, & eam armis belloque perdomitam, in provinciæ formam redigendam ducebat: ſed duplici ratione ab eo propoſito conſilioque retrahebatur; partim quòd Caſtaldum & Bathorium, extremos provinciæ fines, per quos eò perveniendum eſſet, juſto inſtructoque exercitu inſediſſe, adventúmque ſuum paratos expectare didiciſſet; quorum tamen vires & copiæ, famâ & opinione hominum, quàm reipſa majores & validiores eſſe ferebantur; partim verò, quòd ab Eunucho ad ea loca, quæ dixi, utpote Budenſi ſuæ præfecturæ propinquiora, ex quibus ditiones Turcicæ continuè infeſtarentur, capienda multis argumentis induceretur.

Itaque ei perſcripſit, ſe cum exercitu Solnocum progreſſurum, diemque conſtituit, ad quem utrumque exercitum certum in locum convenire vellet, quòd ſi prior ipſe eò veniret, tum verò nihil cunctatus obſidionem inchoaret; ſe quòque paulò pòſt adfuturum. Igitur Eunuchus voti atque deſiderii compos, ſine longiori mora, eò ire maturavit cum copiis, quarum nonnulli viginti millium fuiſſe prodidêre: alii, quod propius vero eſſe videtur, duodecim millia utriuſque ordinis militum tradunt. Hiſce copiis & viribus Solnocum obſidere cœpit: ſic tamen ut ejus manu capiendæ ſpem nullam habere videretur; ſed ut interea, dum Achomates adventaret, terrorem incluſis oſtentaret, frumentarias invectiones impediret, neminemque in arcem ingredi, aut exire pateretur.

An. 1552. Aly Eunuchus Solnocū obſidet.

Solnocum inter Tibiſci & Sagivæ fluviorum confluentem, ante quadriennium à Salmenſi Comite, forma triangulari, à fundamentis ex glebis & ceſpite, ſalicibus interjectis, erectum eſſe ſuprà retulimus. Habet à meridie foſſam latam & profundam manu factam, & aqua fluviali plenam, ac tria propugnacula, tribus in lateribus ſatis ampla, & munita, tantâ altitudine, ut domorum tecta & faſtigia, quæ intus ſunt, extrinſecus conſpici nequaquam poſſint. Erant in eo tormenta curulia majoris generis, quatuor & viginti; præter minores falcones, ac ſclopetorum, & quæ Moſchetræ vocantur, tria millia; pilarum ferrearum, plumbi, ferri, rudentum tormentariorum, nauticorúmque ingens numerus. Pulveris autem ſulphurei octoginta millia pondo, & commeatûs magna copia.

Solnoci ſitus.

Paulò ante obſidionem præfuerat loco Bartholomæus Horvatinovitius, de cujus virtute & claris facinoribus, aliquot retrò bellis, & Muranienſi potiſſimùm editis ſuprà memoravimus. Is quum privatis de cauſis Viennam proficiſceretur, in inſidias à Pyriaga Turca, inter Sagum & Giarmatum ei ſtructas præcipitatus & captus, Conſtantinopoli vitam in vinculis finivit. Ejus locum à Ferdinando Laurentius Niarius obtinuerat, favore potiùs aliquorum è Senatu, quam virtute ulla aut merito. Habebat ſecum in præſidio octingentos ferè milites, & centuriam

Laurent. Niarius ei præerat.

Hiſpanorum, ac Germanos Bohemoſque pedites. Turmis equitum præerant Gabriel Pecrius, Matthias Streſencovitius, & Gaſpar Moræus, quæ centenos equites levioris armaturæ continebant. Ungaris peditibus Stephanus Quelidius imperabat. Octavus jam præterierat dies, ex quo Eunuchus obſidioni initium fecerat, nec quicquam tamen egerat, quòd locus tam naturâ quàm arte eſſet munitiſſimus: ita ut niſi præfectum ac præſidiarios imbelles & pavidos nactus eſſet, etiam Achomatis & totius exercitûs vim vireſque ſuſtinere ac propulſare potuiſſe cenſeretur. Sed quum præſidiarii, uti erant è variis gentibus collecti, ac linguâ, moribus, conſenſuque animorum inter ſe variabant, adventante Achomate, ac caſtra in patentibus campis longè latéque collocante, inſani metu & pavore perterriti, non de arce defendenda, ſed de turpi ac ignominioſa fuga inter ſe conſilia miſcere, eadémque nocte, quà quiſque potuit, partim navibus, quæ haberi poterant, partim tranſnatatis fluminibus, dilabi cœperunt. Illuceſcente aurorâ, Niarius ſuorum fuga animadverſâ, nullo dedecoris metu, ſed ſimili perfidiæ labe agitatus, conſcenſo equo & ipſe fugam capeſſit, & in campum provehitur. Verùm quum ab hoſtibus obſeſſas undique vias nec ullum patere perfugium vidit, ſtatim cogitatio tanti admiſſi ſceleris animum ſubiit; & meliori quamquam ſero uſus conſilio, ad arcis portam, in qua fidei ſacramentum dixerat, redire; ibique qualemcunque fortunæ eventum expectare conſtituit.

Noſtri fœdiſſimâ fuga arcem munitiſſimā deſerunt.

Mane diei facto, qui quartus Septembris erat, Turcæ noſtrorum fugæ ignari, quum magnum in arce urbeque ſilentium eſſet, fumo è quibuſdam domunculis, quibus noſtri fugientes ignem ſubdiderant, exeunte id quod erat, ſuſpicati, perterritos noſtros, & arcem vacuam relictam, protinus magno animorum ardore, præcipitique curſu arcem oppidumque versùs contenderunt: quumque Niarium in veſtibulo portæ reperiſſent, eum repugnantem, quantum poterat, ſeque defendentem, parvo labore vivum cepêre, & ad Achomatem celeriter perduxêre. Qui tamen non multo pòſt corruptis auro cuſtodibus, & uni eorum, promiſſo filiæ nubilis conjugio, carcere vinculiſque ſolutus evaſit, & ad ſuos domum rediit. Achomates noſtrorum conſternationem & ignaviam admiratus, conſcenſo equo unà cum Eunucho, ad occupandam arcem eſt profectus. Cui Janiceris, qui cuſtodirent, ac certis equitum turmis præſidio impoſitis, profectionem ſuam ad obſidendam Agriam, per præcones, quos Chauſios vocant, in caſtris ad diem craſtinum publicavit. Interim autem perniciſſimos equites, ad inſequendos noſtros, intento curſu ire juſſit, qui quum equitum noſtrorum curſum, quòd totam noctem properando anteceſſerant, æquare non potuiſſent: nonnullos tamen ex peditibus Germanis & Bohemis lentiùs progreſſos, ac viarum ignaros interfecerunt, alios captos retraxerunt, cautiùs & celeriùs ſubducentibus ſeſe Hiſpanis, qui Ungaris locorum peritis ſeſe adjunxerant, & piſcatoriis naviculis Tibiſcum trajicientes, ad tutiora loca pervenerant.

Niarius capitur, & non multo pòſt elabitur.

At Achomates & Alis, tanti momenti arce, quæ Agria multis partibus munitior eſſe cenſebatur, tam facili labore capta, caſtra promoverunt; & quamquam æſtas jam ferè in autumnum præcipitaverat, ſpe tamen aut per deditio-

Indè ad Agriam obſidendam pergunt.

1552. ditionem, aut fugam noſtrorum capiendæ Agriæ minùs munitæ fieri, maturato itinere, quintis caſtris, ad Tihamerinum oppidum, quinto Idus Septembris, pervenêre. Ex iis caſtris Achomates literas ad Stephanum Dobonem, & Stephanum Neſqueium præfectos dedit, eáſque agricolæ cuidam perferendas tradidit, quarum hæc erat ſententia: Equidem gemino adducto exercitu, quorum alter ex pro auſpiciis potentiſſimi imperatoris Solimani Temeſvario, & Lippa, Chanadio, Solnoco, multiſque aliis præcipui nominis locis, arcibúſque in poteſtatem redactis, ac ditione omni, quæ inter Chryſium & Maryſum, ac Tibiſcum & Danubium longè latéque extenditur, feliciter occupata; alter verò, Veſprimio, Dregelo, Seceno, totáque ad Hippolum flumen regione ſubacta, cæſiſque & ad internecionem deletis duobus veſtris exercitibus, memorabiles de Pannonia armis ſub jugum miſſa victoriis reportavit, nunc Agriam, cui vos præeſſe audio, rectà contendere in animo habeo. Proinde hortor vos & moneo, ut clementiam potiùs Solimani potentiſſimi & æquiſſimi principis, quàm arma experiri, arcémque Agrienſem dedere malitis. Quod ſi feceritis, efficiam ne vos ejus facti pœniteat, & eâdem libertate, ac bonorum veſtrorum poſſeſſione, quâ priſcorum regum tempore, fruamini. Si verò in pertinacia & obſtinatione retinendæ arcis perſtiteris, quæ tamen retineri nullâ vi, nullis viribus queat, poſtquam invictis noſtris armis pervia ſunt, quæcunque in orbe terrarum ſunt, non facultates ſolùm veſtras, ſed etiam liberos & conjuges, vitam denique ipſam paucos poſt dies amittetis. Valete.

Achomatis literæ ad Dobonem & Neſqueium præfectos Agrienſ.

Cui ne verbo quidem reſpondent. Ad eas Dobo & collega nuntio in vincola & compedes conjecto, ne verbum quidem reſponderunt. Sed literis ad Ferdinandum, ac Nicolaum Olahum ejus Cancellarium, cui paulò ante Epiſcopatum Agrienſem dederat, miſſis auxilia neceſſaria, & militum ſupplementum petiverunt: quòd præter ordinarium numerum, qui ex ducentis equitibus, totidémque peditibus conſtabat, pauci in præſidio, aut ferè nulli eſſent: ſed aliis conducendis brevitate temporis excluderentur. Verùm Ferdinandus ſupra profligatos, & cæſos ſuos duces & exercitus, quos mercede conduxerat, non pecuniæ ſolùm expediendæ difficultate, ſed etiam ſeditione & tumultibus Germanicis, à Mauritio Saxone, pro liberando Landgravio ſocero contra Cæſarem excitatis haud mediocriter laborabat: itaque ſpem potiùs & ampla promiſſa in præſens, quàm vires & auxilia ſuppeditare videbatur: interim tamen Nobilitati & proceribus in mandatis dedit, ut laboranti Agriæ opem ferre non prætermitterent, poſtquam omnis illius ſuperioris Pannoniæ ſalus in ejus conſervatione conſiſtere videretur. Dobo quòque & Neſqueius ſingulari diligentiâ Nobilitatem ad præſtandum officium, mittendáſque ſummâ celeritate auxiliares copias hortari ſubinde non deſinebant: ita ut Neſqueius, quamquam domi ejus opera ſummè eſſet neceſſaria, tamen ad Concilium procerum, quod in oppido Sixone indixerant, frequentéſque ad illud convenerant, proficiſci, ac rem præſentia ſua urgendam exiſtimaret; obtineréque ut partim ab incolis regionum, in quas Pannonia, ceu tribus quaſdam diſtribuitur, partim verò à proceribus, qui facultatibus cenſuque eminebant, & ab urbium liberarum Civibus haud contemnenda auxilia mitterentur.

Nam paulò pòſt quingenti ſeptuaginta quinque milites, eorum ſumptibus conducti, ſub variis præfectis Agriam pervenerunt. Antonius quòque Blaſco, & Ambroſius Sadorvicus, ducentos triginta milites, quos Solnocum juſſu regio ducere debebant, quòd eum locum in hoſtium poteſtatem deveniſſe in itinere audierant, ſingulari opportunitate Agriam perduxerunt. 1552. *Auxiliares copiæ Agrienſibus ſubmiſſæ.* Supra hos Gaſpar Peteo, Joannis frater, Stephanus Zolraius, & Joannes Fighedius, equitum ductores, navandæ pro patria operæ cupidi, cum centum equitibus, (cæteri enim metu perculſi profugerant) Gregorius verò Bornemiſſa cognomine Literatus, fabro ferrario Quinqueeccleſiis genitus, ſed excellenti virtute fortitudinéque vir, cum ducentis quinquaginta peditibus ſclopetariis, promptiſſimo ſtudio animóque ad defendendam Agriam confluxêre. Georgius Seredius Gaſparis nuper fato functi frater germanus, omniúmque ejus bonorum & facultatum, quæ ampliſſimæ, ditiſſimæque erant, ex aſſe hæres, ducentos milites ſuo ære conduxerat, eiſque bimeſtri ſtipendio Caſſoviæ perſoluto, ut Agriam ſe conferre maturarent, in mandatis dederat. Verùm ii turpi formidine perterriti, nec eò ire auſi, quum Caſſoviam rediiſſent, ignominia notati, ac ferreis compedibus vincti, ad dilatandas repurgandáſque urbis foſſas, acerram batillis & ligonibus exercendam, aliáque ſordida obeunda miniſteria damnati fuêre, nec ante dimiſſi, quàm ſoluta Agriæ obſidione macerati, maléque habiti, ſemeſtre tempus in ejuſmodi laboribus explevíſſent. Erat omnium propugnatorum numerus, ſi iis auxiliaribus ordinarium quòque præſidium adjicias, inque unam ſummam ſubducas, ad duorum millium plus minus armatorum. *Summa omnium præſidiariorum, 2000.* Exigua quidem in prægrandi arce militum manus, adverſùs ingentem potiſſimum barbarorum multitudinem; ſed quibus fixum atque immobile ſtaret propoſitum, omnia obſidionis incommoda patientiſſimè tolerare, ſeque & arcem uſque ad extremum ſpiritum fortiter tueri, & ſi ſors ferat, honeſtam pro patria mortem oppetere.

His omnibus Dobo, ut erat in curandis rebus ad obſidionem neceſſariis, ſolertiâ & providentiâ ſingulari ex ipſa urbe Agrienſi, ac Felnemetio, Tallia, ac Maclaro, quæ loca in valle propinqua ſunt, oppidis, medicos chirurgos tredecim, fabros ferrarios ſeptem, lignarios verò quinque, molitores frumentarios novem, & lanios mactandis pecoribus octo adducendos curavit, ut eorum operâ extra militiæ munia in iis, quæ occurrerent, uteretur. *Dobonis in rebus obſidioni ſuſtinendæ neceſſariis ſolertia.* Mulieres item quæ Cererem & panes conficerent, coquerént que, quatuordecim convenire juſſæ, ac centum octoginta coloni ſeu agricolæ ad incertos caſus & neceſſarios, ac miniſteria delecti fuêre, iiſque omnibus ſua officia atque munia diſtributa. Deinde conſilio cum collega & cæteris militum præfectis habito, communi omnium conſenſu legem tulêre, ne cui extra mœnia cum quopiam loqui liceret, neve quiſpiam cum ſocio clancularios ſermones conferret, aut ſuſurros miſceret, nihil abſque præfectorum ſcitu fieret; nulla à quopiam mentio, nullum verbum, nulla vox de dedenda arce emanaret; capitale fore, ſi quis hæc violaſſet. Poſtremò jurati omnes, ad arcem fortiter propugnandam ſervandámque mutuò Sacramentum dixêre: atque magna omnium alimentorum, & rerum vel longiſſimæ obſidioni neceſſariarum

rum

1552. rum copiis invecta hunc in modum parati, hoſtes, qui jam non longè aberant, expectandos decreverunt. Tormentarii negotii, & diſtribuendarum excubiarum curam, ac imperium, in fabros & operas, Dobo ſibi deſumpſit: collegæ autem milites ſtationarios, qui per loca neceſſaria excubituri erant, æquata ſecum poteſtate attribuit: ambóque præfecti, milites ad ſua loca & ſtationes, quas tuerentur, deduxerunt: ita ut gregariorum ſingulis cohortibus bini aut trini ex potiori equitum numero præponerentur.

Milites ſingulis ſtationibus attributi.

Primum ad novum interioris arcis propugnaculum tuendum, quod ab ipſo Dobone, qui ad extruendum curaverat, nomen accepit, centuriam unam peditum, duce Joanne Peſthenu, Georgio Coſtovitio, & Michaële Gaſparitio, deſignarunt. In alio verò quod prope carcerem erat, centum quadraginta duo pedites, ſub Demetrio Philippi, & Colomano Caſtellano vigilare juſſi ſunt. Proximam ſtationem ad munitionem, quæ Alexandrina appellabatur, Stephanus Vitelius, & Georgius Giulanus, cum centum viginti quinque peditibus, defendendam ſuſceperunt. Portam, quæ inter duas media erat, centum impigris militibus Urbanus Nagolius, & Thomas Baxaius cuſtodiebant. Exterioris arcis cuſtodiæ à Chabiana munitione, uſque ad turrem latericiam angularem Franciſcus Redeius, & Dionyſius Parvus erant præpoſiti; iisque nonaginta quinque milites parebant. Sed ad eam, quæ ab Emerico Bebeco ante complures annos extructa de ejus nomine appellabatur, munitionem, cum centum quadraginta peditibus Paulus Teghenius, cum Benedicto Gerſſeio collega, rem curabat. In foro verò arcis ampliſſimo, duæ cohortes tricenariæ duobus locis in ſtatione erant, quarum una Joanni Vaidæ, Dobonis ipſius legato, altera verò Antonio Blaſconi, & Georgio Ivanio parebant, ibidem ad eam partem, quæ versùs ſtabula equorum, poſt meridionale ſummi templi latus vergit, Gregorius Bornemiſſa cum ſuis ducentis & quinquaginta militibus ſclopetariis locum idoneum occupavit, ac ſupplementum quinquaginta peditum accepit, ut integra cohors tricenaria eſſet, præfectis hoc pro ſingulari ejus viri virtute facilè concedentibus. Gaſpari Perconi centum & duo milites in exteriore arce ſuberant, non procul ab ea ſtatione ducentorum peditum ſelectorum, qui extra ordinem ad incerta belli & ſubitos caſus à præfectis prope Palatium Epiſcopi collocati erant, quos Antonius & Albertus Nagii regebant; ſic tamen ut tota ea cohors, ab nuto & imperio Stephani Zoltaii & Joannis Fighedii penderet. Quæ munia uſque ad illud tempus erant unicuique demandata, donec oppugnatio ab advenientе hoſte inchoaretur: quo tempore Doboni & collegæ ſalvum & integrum ſtationum & ſcietum diſponendarum arbitrium eſſet.

Agria ſitus.

Sita eſt arx, ne hoc quòque prætermittatur, in regione Heveſienſi, ad promuntorium partim ſaxeum, partim verò vineis, arboribúſque fructiferis conſitum, quà illud in vallem deſinit, habétque oppidum ſubjectum ad occidentem ſolem, vallo è materia & ceſpite facto cinctum, quod Agrius fluviolus medium interſecans præterlabitur, locóque & valli nomen dat, ac deinde rivulis largis & perennibus auctus in Tibiſcum evolvitur. Habet etiam ad meridiem haud procul aquas calidas, magna copia ebullientes, ſed fervore longè quàm Budæ languidiore, ideoque balneis aptas, ſed quibus etiam quamplurimæ molæ frumentariæ ad uſum urbis, tam æſtate, quàm hyeme, contempta brumalium frigorum duritie, commodè volvuntur. 1552.

Eam laxitate & magnitudine vel capaciſſimis parem, veteres, & ipſe ejus conditor Stephanus primus Pannoniæ rex, in divorum numerum relatus ad amœnitatem magis quàm tutelam ædificaverant: Poſtea Petrus Perenius, inter bella Civilis, & duorum Regum diras contentiones, utconque loco potitus, ducto per tranſverſum muro, ac excavata foſſa in duas partes diviſit, uſque ad faſtigiatum ſummi templi fornicem, quod in arce eſt, turrimque ejus duplicem, ex qua proſpectus longè latéque per vallem patet; inſtar molis corbibus viminеis ceſpite repletis, ac colubrinis interpoſitis, ad totius arcis ſecuritatem, munivit; ſic ut collem quòque arci proximum, ex quo illa tormentorum ictibus expoſita infeſtari antea poterat, munitioni opportunè incluſerit.

Cæterùm præire juſſus Alys, in conſpectum urbis venit, cum viginti quinque millibus militum, ut quidem fama erat. Aderant cum eo ex diverſis Boſnæ ac Illyrici limitibus Veliganes, Mehemetanes, Camberes, Detielus, qui è Perſide ad Turcas cum Ulamane transfugerant, eo tempore Boſnenſi præfecto: nec non Haunivanes Belgradi præfectus, Derviſius è Quinqueecleſiis, & Arslanes ex Alba regali, qui ambo Mehemete Jahiogli, Eſſequians & Peſthana, aliiſque victoriis clariſſimo progeniti erant. Et Arslanes quidem navandæ operæ cupidus, ad templum Divæ Virginis, quod extra oppidum erat, ſeparato ferè ab aliis loco conſedit, & quatuor tormenta, quibus arx verberaretur, ſinè corbibus, ſinéque vineis & aggeribus collocavit: quibus omnibus viginti quinque millia hominum ſubeſſe dicebantur. Quinto poſt die Achomates & Beglerbegus Alim ſequuti, cum toto tormentorum apparatu, ac Camelis & multis ſarcinariis. ac aliis impedimentis, ac univerſo exercitu advenêre, in quo à pleriſque centum viginti quinque millia bellatorum eſſe ferebantur, imò pleríque hoſtium eum numerum excedere affirmabant.

Turcæ obſidione cingunt urbem.

Duces Turcici.

Quinta poſt die Achomates & Beglerbegi adveniunt.

Sed quoniam Turcæ non ſolùm milites deſcriptos, & ad pugnam aptos, quibus aut ſtipendis ex ærario numerantur, aut fundi & agri ex deditiis, aut bello captis dari ſolent; ſed etiam lixas, calones, ac ſervos & mancipia, nec non colonos & agreſtes, & alios omnes, quorum in caſtrenſibus miniſteriis uſus eſt aut neceſſitas, in unum, eundemque numerum referre ſolent, ut jactando & vires ſuas extollendo hoſtibus metum pavorémque injiciant: equidem ſicuti huic hominum generi, ex fraude & mendacio compoſito, nullam fidem dandam experientia doctus reor; ita neque dimidium ejus numeri in his caſtris fuiſſe crediderim. Fuit tamen magnus ſanè exercitus, ac partis brevi tempore, tot tantiſque triumphis formidabilis, ita ut Turcæ non tantùm eo conſpecto, ſed ſola ejus audita fama, noſtros metu perculſos Agriâ exceſſuros putarent. Verùm tantùm abfuit ut excederent, quòd comperto per exploratores eorum adventu, Stephanus Zoltaius, Gaſpar Pereo, & Joannes Figedius, duce uſi Stephano Nigro, locorum & itinerum perito, cum paucis equitibus, ac nonaginta peditibus arce egreſſi, ad ſilvam Iſaſogam inſidias locarent, ac ex iis qui

Cum centum viginti quinque millium exercitu

1552. qui agmina præcedebant equitibus, complures Turcas cum ſarcinis pretioſioribus caperent, ac incolumes cum ſpoliis & opima præda reverterentur: in quibus erant veſtes purpureæ & verſicolores, pellibus magni pretii ſuffultæ, loricæ & galeæ auro atque argento exornatæ, hippopotamorum caudæ, cervicibus equorum ad elegantiam appendi ſolitæ, tentoria Perſici Phrygiique operis, & criſtæ auro & gemmis unionibuſque miro artificio incluſæ.

Caſtra à Turcis poſita.

Interea Turcæ montes & valles caſtris & multitudine tabernaculorum implevêre, & Janiceri in collibus, qui contra portam Almagiarinam protenduntur, longo ordine ſua tentoria collocavêre: cæteri ab oppido Felnemetio, ad locum, qui Sedis Regiæ nomine vocatur, Aquilonem verſùs conſedêre: quem locum ſic appellatum tradunt, quod quum Divus Stephanus Rex arcem templúmque memoriæ Divi Joannis Evangeliſtæ regiâ magnificentiâ condendum incepiſſet, ſedem ſuam eo loco poni juſſiſſet, ut ex ea opus facientes, ac magiſtros fabrorum & architectos intueretur, ac præſentia ſua urgeret. Achomates & Beglerbegus, magno locorum intervallo occupato, ob commodiorem aquationem in valle ad Agrium amnem locum ſibi delegêre, quum Alis Eunuchus ad orientem in monte conſediſſet. Noſtri viſo hoſtium adventu, ſcandulas & aſſeres ædificiorum, ipſiuſque templi vitriaras tegulas, quibus contectum erat, celeriter diruerunt: ſimul & domibus, quæ in oppido erant, moliſque frumentariis, & templis, ac collegio ſacerdotum protinus ignem injecerunt, ne eorum opportunitate hoſtis uteretur.

Arx &

Eunuchus tribus tormentis muralibus inuſitatæ magnitudinis, ad montem, in cujus jugo in vallem excunte, arcem ſitam eſſe diximus, promotis, pilas ferreas, quinquaginta pondo, ternis vicibus dirigi in arcem, explodique, & mox retrahi juſſit, ut hoc ſigno initium obſidioni dediſſe videretur. Sed noſtri eâ re nihil perterriti, neque portas clauſerunt, & ex arce deſcendentes, equos, jumenta & oves in præterfluente Agrio potarunt, aquámque doliis & utribus curru vectis in arcem pertulerunt, Turca etiam quodam, qui aquatum fortè venerat, intercepto. Triduo pòſt juſſu Achomatis in Sede Regia ad Aquilonem obſcurâ nocte aggeres & vineæ inſtitui cæptæ ſunt, ac in iis eadem tormenta, quibus pridie ejus diei fulminaverant, collocata: atque ex iis pilæ ad templi turrim verberandam directæ. Sed ab ea duplicis turris ſummitate, noſtri Dobone oſtendente jubentéque, quatuor majoribus colubrinis ita reſponderunt, ut interfectis aliquot militibus & tormentorum magiſtris, rotæ & metalla in multas partes & fruſta diſſilirent & confringerentur. Sed Turcæ aliis tormentis in eorum locum conſtitutis, turrim quaſſare non ceſſarunt: ex adverſo noſtris eodem modo continuos ictus in eos vibrantibus. Verùm quum Dobo pulveri ſulphureo parcendum putaret, quòd quamdiu obſidio duratura eſſet ignoraret, magiſtris tormentorum, ut rariùs & parciùs, nec niſi minoribus falconibus, jacularentur, edixit.

Turris templi tormentis verberata.

Septimo pòſt die ab hoſtibus undecim tormenta, in concrematum deſertumque oppidum promota ſunt, ac iis apud ædes Heccei, collegio Sacerdotum præpoſiti collocatis, & aggeribus effoſſis, mænia arcis, & culinam majorem biduo verberavêre: quorum unum majus quinquaginta quinque ferri pondo evomebat: cæteris 1552. paulò minores pilæ inerant: earum ictibus, quia murus ea in parte erat debilior, complures ex noſtris, qui in ſtatione erant, deſiderati fuêre: & in pecoribus, quæ haud procul culinâ ſtabulabantur, haud parvum detrimentum illatum. Quo animadverſo Neſqueius & Dobo ingentem foſſam, uſque ad exteriorem arcem, magno militum & agreſtium labore, egeſta in ulteriorem marginem humo, faciendam curaverunt; cujus objectu milites protecti, à mortiferis pilarum ictibus tutiores fuêre: eodemque exemplo cæteri quoque milites, qui in propugnaculis excubabant, factis præaltis longiſque ſcrobibus ſibi conſuluerunt. Poſtea Turcæ globos igneos è ſulphureo pulvere, noto multis artificio, in equorum ſtabula, ac ſtraminis, fænique & frugum acervos, qui retro templum ad dextrum latus congeſti erant, jaculari cæperunt; providentibus tamen extemplo præfectis, fæni quidem & ſtraminis major pars, quâ carere poterant, concremata fuit, & ſtabulorum tecta concuſſa: ac quæ ad uſus relinquebantur, ea humefactis bubulis coriis, ac ciliciis & lodicibus aqua imbutis protecta, atque ab igne ſervata fuêre.

Mænia arcis etiam concuſſa.

Globi igniti jacti.

Ad hæc Arslanes à fano Divæ Virginis, directis tormentis feneſtrales, è quibus noſtri propugnabant, verberare cæpit, quorum pilis plerique militum, & Antonius Nagius, qui iſthic curabat, crudeliter ſaucati fuêre: in cujus debilitati locum Gabriel Orozius ſuffectus eſt: ille verò è vulnere curari nequaquam potuit, abeuntibuſque hoſtibus, & ſolutâ obſidione è vivis exceſſit. Non tulêre noſtri Arslanis inſolentiam, quin permittentibus præfectis, in ejus munitiones erumperent, & cum Turcis conſertis manibus congrederentur: Itaque Gaſpare Peteone, Stephano Zoltaio, & Joanne Figedio ducibus, Franciſcus Baius, Joannes Ormandius, & cumplures alii, meridiano tempore, ſilenti, quantum poterant, agmine egreſſi, in Turcas, qui tormentis cuſtodiendis vigilabant, impetum fecêre, iiſque diffugientibus, rotas tormentorum ſecuribus & dolabris celeriter diſſecuêre, foraminaque, per quæ pulvis accenditur, ferreis clavis adactis obſtruxêre, ita ut inutilia redderentur. Sed quum è proxima ſtatione magna Janicerorum manus adcurriſſet, certamen atrox & cruentum exortum fuit. In quo Stephano Budsbaſio dexter humerus glande graviter ſauciatus eſt, & Michaëli Chroato equus, cui inſidebat, interfectus: quumque ex caſtris undiquaque equites turmatim ad ferenda ſuis auxilia magno curſu properarent, ne hoſtium multitudine opprimerentur, noſtri in arcem ſeſe receperunt.

Noſtri Arslanis caſtra invadunt, & tormenta bellica clavis infixis obſtruunt.

Nec multo pòſt Turcæ ex aggeribus, quos ſeptemtrionali in parte conſtruxerant, mænia arcis duobus in locis diruere cæperunt, partim quà palatio & contiguis domibus proxima erant, partim quà in exteriore arce, veteris portæ turris eminebat. At Dobo ingenti animo milites ſimul & agreſtes operas cohortatus, ſummâ celeritate vaſa vinaria adferri, eaque ceſpite & arenâ repleri, ruiniſque obſtruendis admoveri juſſit: quo in opere Blaſius Nagius, cohortis ductor, tormenti pilis diſcerptus & interfectus fuit. Tanta autem erat noſtrorum omnium defendendæ arcis cura ac alacritas, & promptitudo, ut quæ hoſtes interdiu indumitâ tormentorum violentiâ diruebant, ea ab ipſis de nocte irrequieto aſſi-

duoque

1552. duoque labore, textis & confibularis roboribus, & terrâ repletis celeriter reficerentur: quibus in rebus Boroemiſſæ Literati magna laus magnaque induſtria fuit.

Die divo Michaëli ſacro

Jam decimus octavus dies obſidionis erat, Divo Michaëli Archangelo ſacer, quum hoſtes à parte palatii, mœnia ſatis amplo hiatu diruta atque adſpertis conſpicari, ita ut irrumpi poſſe putarent, noctis tenebris tecti, in aggeres ac proximas foſſas, & domorum parietinas, ne à noſtris peti poſſent, tacitis paſſibus convenêre; ac illuceſcente aurorâ, viginti ſeptem ſigna miliaria attollere, magnoque edito clamore, murum ſubire cœperunt. Eâ re conſpectâ, præfectis jubentibus, major in eam partem militum numerus properè confluxit, ac propinquantes, & conſcendere conatos Turcas, partim glandibus ſclopetorum, partim ignitis telis, & è latere propugnaculi, quod culinæ adjacebat, crebris falconum ictibus, magnâ editâ ſtrage ſubmoverunt: quamquam neque noſtris incruenta pugna fuit; Georgius ſiquidem Giulanus dum fortiter pugnaret, à Janiceris glande trajectus concidit ac interiit. Eodem etiam in certamine Thomas Boliquius, militum provinciæ Borſodienæ præfectus, ac turris angularis cuſtos, cui ab hujus clari viri memoria Boliquianæ nomen perpetuum fuit, magno Dobonis & militum dolore, ab iiſdem Janiceris craſſiore ſclopeto fuit interfectus.

Turcarum irruptio, cum magna ſtrage ſubmota.

Rejecti à palatinæ munitionis ruinis hoſtes, repetito certamine Boliquianam angularem turrim, ſeptem & viginti ſignis ſublatis, ſummis viribus adorti, capere contenderunt. Sed & illinc cruento utrinque prælio repulſi, ad oppugnandam veteris portæ munitionem, & turrim converſi, tanto conatu atque viribus irrupêre, ut tenuiſſis & rejectis noſtris, ac multis interfectis, turri potirentur, ac in ea ſigna attollerent, & plurimos è noſtris, qui in foro arcis conſerti ad nutum imperiumque præfectorum ſtabant, glandibus ſclopetorum vulnerarent, ac interficerent. Erat res in ſummum adducta diſcrimen, & Dobonis collega, conſcenſis equis ſuos ad pugnandum, expellendoſque è propugnaculo hoſtes acrioribus verbis inſtigabant. Et quamquam ii, duce Literato, impigrè & ſtrenuè rem gerebant; Turcis tamen multitudine ſuperantibus, parum proficiebant: & ex noſtris aliquot milites ab Janiceris interfecti occumbebant, & inter alios Emericus Nagius ordinum ductor ibidem cecidit. Itaque Dobo opportuno celerique conſilio tormenta, quæ in Orientali mœniorum parte erant collocata, in hoſtes ſine mora uberti, ſimul etiam quatuor colubrinas, quas in ſummitate duplicis turris templi collocatas fuiſſe diximus, eodem dirigi juſſit. Qua geminata impreſſionis difficultate, ac crebris tormentorum ictibus perturbati Janiceri cum in turri capta nullam conſiſtendi facultatem haberent, ſed frequenter ſternerentur, plurimis amiſſis, & vulneratis terga verterunt, & præcipiti confuſaque fuga ad ſuos in caſtra ſeſe contulerunt. Ea in pugna Petconi fragmine lapidis è turre concidentis in pede vulnus inflictum eſt. Cecidit etiam Joannes Poſeganus, dum pugnando propiùs turrim ſucceſſiſſet, aliquot glandibus frontem & ilia trajectus, ac ſauciati ad triginta milites: duravitque certamen ab aurora uſque ad meridiem; barbari verò ex ſuis mille circiter milites deſideraturt.

Turca, ex Turri occupata, inſigni noſtrorum virtute expelluntur

Ex Barbaris circiter mille deſiderati.

Poſt hanc pugnam Arslanes, Andream Sarium, quem invitum Albaſecum adduxerat, cum literis in arcem miſit, quibus (ut poſteà ſolutâ obſidione ab eo intellectum eſt) multis verbis jurando affirmabat, ſi arce excederent, omnes incolumes futuros; ac ut ab inſidiis, quas fortè Loſſoncii exemplo metuerent, tuti eſſe poſſent, ſe effecturum, ut Achomates, Beglerbegus, & Eunochus, cæterique duces, cum tota copiarum & tormentorum mole, ad tria milliaria procul arce & caſtris ſecederent, nec priùs reverterentur, quàm Dobo & ſui arce exeuntes in tutum pervenirent, ſe interim apud eos pro vade & ſponſore eſſe velle. Sed Andreas cum literis in arcem admiſſus, partim ad conjiciendas in ignem literas, partim devorandas coactus, in obſcuro ſubterraneoque carcere & vinculis finem & exitum obſidionis expectavit.

Arslanis litera de deditione in ignem conjecta.

Sub idem quoque tempus, quum Jacobus Paxius Andreæ Bathorii, ac Matthias Viſaſius Gabriëlis Peteni equitum præfecti, cum ducentis ferè equitibus ſelectioribus in pabulatores Turcas, & qui è caſtris lignationis aliarumque rerum cauſa exierant, irrupiſſent, & complures ex iis interfeciſſent, cepiſſentque: mox ab equitatu præſidiario Turcarum profligati, cæſique fuerunt, capto Paxio, aliiſque compluribus, & cæſo in pugna Viſaſio. Quorum majorem partem Achomates, in ipſis tormentorum aggeribus, ita ut noſtri facilè ex arce conſpicerent, prægrandibus malleis ferreis, crura & brachia ac pectora fractos, & contuſos, ſingulari crudelitate interfici juſſit: inter quos viri militares forteſque Nicolaus Catitius, Franciſcus Tarianius, Nicolaus Jaooſſius, Lupus Thrax, Franciſcus Sinius, aliique quidam, eo mortis genere calamitateque indigni, periêre. Paxium, quod Joannis præfecti Comaroniensis frater erat, cum aliquot vexillis Byzantium miſit. Quibus è medio ſublatis, in arcem magnâ præconum voce ad noſtros terrendos proclamari juſſit, exercitum, qui ipſis laborantibus ſuppetias laturus adventabat, victum cæſumque eſſe, ex quo captos nonnullos ab ſe extremo ſupplicio affectos, proinde conſultiùs meliùſque ipſos facturos, ſi omiſſâ pertinaciâ arcem dedant, quam ſervare nequaquam poſſint. Sed noſtri fraude mendacioque ejus animadverſo, ſeſe taciti continuerunt.

Noſtri, excurſione facta, cæſi.

Achomatis crudelitas in captivos.

Dum hæc fiunt, parum ferè abfuit, quin arx, quæ hactenus tantâ propugnatorum virtute, & fortiſſimorum virorum cæde & ſanguine defenſa fuit, inteſtinâ unius proditione, & ſcelere in manus hoſtium incideret: Stephanus ſiquidem Cytharœdus, Serediancrum peditum ductor, dum per foramen quoddam audiret Turcas, omnibus ferè linguis, quarum uſus in Europa eſt, incolumitatem, ſi arx dedatur, promittere, fidemque principis & purpuratorum, tum etiam obſides exceptione majores Jahloglios offerre, cum eum quibuſdam ſecretò communicavit, ſibique in animo eſſe retulit, pecuniam à Dobone eo prætextu poſtulare, quod cum commilitonibus jam aliquot oppugnationes egregiè rejectis hoſtibus ſuſtinuiſſet; quàm ſi ille dare nollet, ſe per illud foramen hoſtes in arcem admiſſurum, ac ad illos tranſiturum. Quibus perditiſſimi hominis conſiliis ad Dobonem perlatis, mox conquiſitus eſt, & in area arcis de convicto confeſſoque capitale ſupplicium ſumptum.

Proditio ſic tegitur, &c.

De proditore ſupplicium ſumptum.

1552.

Illo meritis pœnis affecto, aliud haud minus, & neſcio an non majus & atrocius diſcrimen, arcem circumvallatam oppugnatamque graviſſimè afflixit, ac propugnatorum animos nova & inexpectata calamitate perterruit. Siquidem initio menſis Octobris, die Divo Franciſco, Monachorum patri & inſtauratori dicato, pulvis tormentarius, qui in ædis ſacræ concamerato fornice ſervabatur, fortuitâ ex accenſo ſclopeti funiculo incidente ſcintilla, repentè ignem concepit, & terribili edito fragore, tam illum fornicem ſubitò disjecit, quàm contigua ædificia, & mœnia ſemiruta, quæ nocturno militum labore refecta erant, repentino & valido igne inflammavit, & Paulum Nagium cum octo aut decem militibus in ſublime abreptum, miſerabili nece ſuſtulit: Gregorius verò Chroatus manu dextrâ humero fœdè evulſa mutilatus, intolerabilique vulneris dolore exanimatus fuit. Duo etiam piſtrina, & molas ſiccas, quas jumenta verſare ſolebant, piſtoreſque & molitores, quibus molendi tritici & conficiendæ farinæ cura commiſſa erat, unà cum equis bobuſque operi deſtinatis, horribili motûs genere puncto temporis abſumpſit. Res porrò variæ magni pretii, quæ in templi fornice erant repoſitæ, eodem graſſante incendio conflagrarunt. Dobo ipſe & Neſqueius, cæterique duces, inuſitati fragoris ſtrepitu audito, viſâque relucente flammâ attoniti, trepidique protinus ad militum ſtationes advolarunt, & iis, ut quiſque in ſuis locis perſiſterent, neque extinguendo igni mœnia desererent, ſub pœna capitis mandavere. Agreſtes tamen & alios, ſumptis hydriis, quæ vel ex corio, vel quacunque materia factæ erant, aqua è puteis hauſta, ad opprimendum ignem prorruiſſe, per quos tandem reſtinctum eſt.

Incendium tandem reſtinctum.

Non defuêre, qui non caſu, ſed vel inteſtino vel hoſtili dolo factum incendium crederent: & quamquam multò maxima pars vulneris inſperato caſu amiſſa eſſet, neque ampliùs niſi viginti quatuor heminæ reſtarent; Dobo tamen diſſimulato detrimento doloreque ſuos animare, parvam eſſe jacturam, longè plures eados eſſe reliquos, quibus obſidionem tolerare, hoſteſque infeſtare queant; agerent modò, & pro patria pugnando virtutem fortitudinemque ſuam teſtarentur, cætera poſt Deum immortalem ſibi curæ fore.

Pulveris inopia.

Hoſtes viſo incendii lumine, ingentem ſubitò clamorem ſuſtulêre, & ad tormenta & aggeres citato gradu procurrere, actum eſſe de obſeſſorum ſalute vociferari, arcem à noſtris poſtulare, incolumitatem abeuntibus polliceri, ut ſibi parcerent, nec ſe perditum irent, multis verbis hortati. Sed Dobo & Neſqueius, ne Turcarum voces à noſtris exaudirentur; tubicines canere, tympana pulſari, ac ſalutiferum Chriſti Dei nomen altâ voce invocari juſſerunt. Nec mora molitoribus & fabris, ut è duarum molarum fragminibus collectis, unam confeſtim conſtruant, in mandatis dant; qua celeriter confecta rurſus molere ceperunt. Deinde nitrum & ſulphur, quorum magnam copiam reconditam habebant, proferri, & additis, ut fit, ſalignis carbonibus in mortariis ligneis interdiu noctuque, docentibus tormentorum magiſtris, coquendi jubent, tantâ diligentiâ ac celeritate, ut intra paucos dies, tantumdem pulveris, quantum ſæviente vulcano abſumptum erat, denuo paratum & confectum eſſe exiſtimaretur.

Mola refecta.

& pulvis ſulphureus tandem confectus.

1552.

At hoſtes irritatis atque exacerbatis animis, pugnam majori quàm hactenus virium conatu redintegrandam ſtatuerunt. Itaque conſtitutis in domo majoris Præpoſiti aggeribus tria tormenta eò provehunt, & ex iis turrim occidentalem, ac propugnaculum, quod è regione ſedis Regiæ eſt, diruere incipiunt, & brevi magnum in muro hiatum pateſaciunt, ita ut piſtorum domus & furni, ac moletrinæ, pilarum ictibus magno cum periculo eorum, qui intus erant, peterentur. Neque eâ re ſatiati cuniculos è Sede Regia ad muros uſque, ingentibus protecti pluteis excavare contenderunt; quibus noſtri contrariis actis cuniculis occurrebant: in eâ parte Colomanus Caſtellanus, cum Demetrio Philippi curabat; ille cum in effodiendo ſpecu incautiùs verſaretur, ſclopeto à Janiceris operi incumbentibus ictus interiit, & in ejus locum Michaël Gaſparitius ſuffectus, triduo poſt majoris colubrinæ pila haud diſſimili fato diſcerptus eſt: ac poſtremò Joannes Sucanus è Strigonio oriundus, qui rationarius arcis erat, Demetrio collega datus, militarem quoque induſtriam ſuam, impigrè operam navando declaravit. Neque tamen hoſtes poſteà quoque ab effodiendis ſubterraneis cuniculis ceſſavêre: ad veterem enim portam cùm eos agere cepiſſent, Neſqueius & Gregorius Literatus, motæ telluris indicio rem animadverterunt, obliquaſque ſcrobes ex contrario effecêre, per quas Gregorius facto foramine inſignem Turcam, qui operi præerat, ſclopeti glande per ventrem trajectum interfecit, & cæteros relicta fovea ferramentiſque fugavit.

Oppugnatio ab hoſtibus redintegrata.

Cuniculi acti.

Supra hæc omnia Achomates irrequieto ingenio, inter Boliquianam & Bebecianam munitiones, foſſam ſaccis terrâ plenis impleri, ac magno plauſtrorum numero, quæ agneolis imperaverat, cameliſque & mulis ligna in eundem uſum convehi juſſit. Quæ injecta foſſis obſeſſos in extremas anguſtias adduxêre; adeò ut neque feneſtellarum, per quas tormenta vibrarentur, implentibus omnia & occupantibus ſaccis & lignorum ſtruibus, uſus ullus eſſet, & ea congeries in tantam altitudinem excreviſſet, ut arcis mœnia multis partibus ſuperaret. His rerum difficultatibus Gregorius Literatus novo excogitato artificio occurrendum ſtatuit; ac vaſcula, loricea, ſcandulis, ac brevioribus ſcloperis ſulphureoque pulvere impleri, axungiamque & lardi fruſtula, ſtraminiſque manipulos adipe ovillo liquefacto perfuſos, aliaque alendo igni idonea ſuperaddi jubet, quæ demum ſub noctem in foſſam præcipitata, atque incenſa, parvo temporis ſpatio interjecto, ingentes lignorum cumulos, exoptato feliceque ſucceſſu incenderunt: quos dum Turcæ ardentes extinguere vellent, ſclopeti, quæ vaſculis inerant, explodunture, multoſque hoſtium adcurrentes partim vulnerant, partim interficiunt. Contra noſtri è muris & turribus ad collucentium flammarum ſplendorem in hoſtes tela dirigunt, & ſcloperorum glandibus plurimos proſternunt; ſic ut ingenti accepto detrimento, ab extinguendis ignibus deſiſtere, pedemque referre compellerentur.

Foſſa terra & lignis aggeſta.

Cui Literatus novo artificio occurrit.

Cùm in hunc modum certarentur, Turcæ quo magis repellebantur, eò majori animorum ardore, ac obſtinatione variis in partibus, pugnam reſtaurabant: & quantum ingenio viribuſque poſſent, inceptos conatus proſequi contendebant. Igitur ad Bebecianam munitionem

tormen-

1552.

tormentorum inuſitatæ magnitudinis, per ſcrobes & ſinuoſos aggeres uſque ad marginem foſſæ attraxêre, tam proximè, ut noſtri lancearum cuſpides, & prælonga verua mucronatoſque enſes igne ad candorem ferè fervefactos per foramina extenderent: quæ quum hoſtes ad ſe protrahere vellent, exuſtis manuum palmis, ac cute earum abraſa, cum conviciis & probris ac execratione, ridentibus noſtris, ſeſe abſque mora ſubducerent. Neque ei periculo avertendo defuit idem Literatus, novoque nec antea viſo artificii genere opportunè ſuccurrendum exiſtimavit. Nam rotæ ingentis ſalinarii plauſtri radios, craſſioribus tabulis duplicari juſſit, eoſque omnes eâdem materiâ ignem citò concipiente, quali in proxima turris occidentalis oppugnatione uſum eum diximus, implevit, eiſque ſcloperos & moſchetas, additis piceis tædis & ſulphuris certo pondere, adaptavit: nec diſſimili modo vaſa majora, vicenas heminas continentia eâdem materiâ infarciri, & unà cum rota in propinquos hoſtes è mœnibus provolvi juſſit. Quibus incenſis, currente hinc inde rota, ac crepitantibus ſcloperis, plurimi ex hoſtibus interfecti, partim vulnerati irrito conatu, relictoque tormento diffugerunt.

Literati novum inventū.

Poſteà quum ad XII. diem Octobris ventum eſſet, Turcæ de nocte ex caſtris ad aggeres, in queis tormenta erant, magno numero iterum convenerunt, ac in hiatum illum, quem ad veteris portæ propugnaculum vi tormentorum patefecerant, ſublatis XXVIII. ſignis, acerrimum impetum fecerunt. Sed Neſqueius proviſo anteà ejus loci periculo, lateribus argillâ, (quòd calce careret) compactis, ac materiâ & ceſpite, militum & agreſtium labore muniverat; adeò ſollicito animo, ut ſua etiam manu opus juvaret, & nec fœminis, quin operi manus admoverent, parcendum putaret; quumque Janiceri, ac cæteri peditea ſcloperis & ſagittis noſtros infeſtarent, magna vi cominus depugnantes, contrà Neſqueius cum ſuis eos conſcendere conantes haud minore conatu arcere contenderet, magna & atrox pugna recruduit: poſtremò Neſqueio in feſſorum & ſauciatorum locum recentes integroſque ſubmittente, iiſque ignitas pilas in confertos jaculantibus, & ſcloperis pertinacissimè gerentibus, hoſtes magno accepto detrimento tandem ſubmoti pedem retulerunt; quum ex noſtris quoque haud pauci in ea cruenti prælii contentione occubuiſſent, & Neſqueius ictu lapidis in humero vulnus accepiſſet.

Hoſtes ad veteris portæ propugnaculum, impetu facto, magno accepto detrimento pedem referunt.

Fervente adhuc ea pugna, alia Turcarum ſagittariorum, Janicerorumque manus, qui ferè omnes Aſiatici eſſe videbantur, ad occupandam munitionem, quam terrenam vocabant, repentè impetum fecit, & magna vi conſcendere murum contendit; & conſcendiſſet, noſtris veteris portæ munitioni intentis animis viribuſque occupatis, niſi Joannes Sueanus, alterque Joannes Prebeccus, arreptis longioribus haſtis Germanicis, primùm reſtitiſſent: nec mora, Dobo quoque cum peculiari ſua cohorte impigrè adcurrit, & laborantibus opportunè auxilium fert, præliumque anceps & diuturnum redintegratur; dubia tamen diu erat victoria, niſi Gaſpar Pereo, recentioribus adductis propugnatoribus, ſubſidio adveniſſet, ſcloperiſque & gladiis hoſtes ſubmotos in fugam convertiſſet. Recentioribus intereà Turcis advenientibus, Boliquianam turrim, erectis octo ſignis, ac magno ſublato clamore, rurſus adorti acre certamen inierunt. Verùm Gregorius Literatus & Zoltaius eos audacter ſubeuntes, multis interfectis, muro deturbarunt, ac multâ cæde redire in caſtra coëgerunt. Duabus his pugnis noſtri, ab aurora uſque ad occaſum ferè ſolis, variis in locis pugnando, & glandibus ſcloperorum, ac tormentis ſeſe & arcem tutando, duo millia pondo ſulphurei pulveris conſumpsêre.

Dein alia Turcarū manus terrenam munitionem conſcendere nititur.

Sed à noſtris fugatur.

1552. *Et à Boliquiana etiam turri rejicitur.*

Poſt tot irritos conatus Achomates irâ doloreque percenſus, ut ſpe fruſtratis accidere ſolet, nec dubiè Eunucho ſuccenſens, qui eum ad Agriam obſidendam adduxerat, præfectos imbelles, præſidiarios paucos, locum minimè munitum dictitans, Concilio cum optimatibus ac limitum præfectis habito, quòd hyemem inſtantem ac cæli injurias metueret, unam adhuc oppugnationem, omnibus adhibitis copiis tentandam conſtituit eâ lege, ut ſi voti compos fieri non poſſet, collectis & conclamatis vaſis, reductiſque tormentis, eò, undè venerat, reverteretur. Igitur poſtridiè ejus diei, quo erat pugnatum, per univerſa caſtra dimiſſis præconibus edixit, ut ante auroram, omnes tam equites, relictis apud tentoria equis, quàm pedites in aggeribus, extremum prælium tentaturi adſint. Nec mora, poſt mediam noctem, non ſine ſummo ſtrepitu, ac diverſis clamoribus, initio conveniendi facto, ad meridianum ferè tempus, præſtitutis in locis adfuêre: Chauſiis & aliis præfectis minoribus, timidos ſocordeſque caſtigando, dubioſque confirmando, non ſolùm verbis, ſed, ubi opus eſſet, clavâ ferreâ inſtantibus.

Achomates extremam oppugnationis aleā tentare ſtatuit.

Itaque ſpectante ex aggeribus & locis tormentorum ipſo Achomate, Alis Eunuchus & Ulamanes, ac Arslanes, aliique præfecti majores, quos Begos vocant, equis ante alios vecti, non Janiceros tantùm & Aſapos, reliquumque peditatum, ſed etiam Beslios & Acangios, ac prætorianos Spahoglanos, qui equis ſtipendia merent, ad oppugnanda tribus in locis mœnia ducere, atque verbis ad virtutem incitare, contendebant. Tubis igitur ex utraque parte inflatis, ac tympanis ſtrepentibus, clamoreque aëra feriente Mars accenditur, & Turcæ murum conſcendere incipiunt, primique omnium Eunuchi milites, ad ruinas quæ in Carceris propugnaculo factæ erant, acri impetu feruntur. Ibi Dobo intrepidè reſiſtit, & ſuos cohortatus, ſcloperis & falconibus ſubeuntes repellit, atrox cruentumque certamen contrahitur, in quo Doboni vulnus infertur, tam in pede, quàm dextrâ manu; nec tamen lethale, puerque ejus armiger, qui ejus galeam auro fulgentem ponè tenebat, glande trajectus cadit, aliique plurimi interficiuntur: tandem Gaſpare Peteone auxilium ferente, hoſtes removentur. Dobo quanquam levi vulnere ſaucius, ſuos confirmat, & labore fatigatis vinum hydriis & cupis miniſtrari jubet; hoſtique vehementer urgenti, non milites tantùm, ſed etiam agreſtium catervam, traditis armis ſcloperiſque, opponit: fœminas quoque, ut hoſtium ſubeuntium cervicibus lapides & ſaxa, picemque liquefactam, vel ferventem aquam conjiciant, ſeverè compellit: quæ parent, & pro viribus juſſa exequuntur, moliuſque eſt ubique in tutandis munitionibus; ita ut hoſtes pugnam remiſſiùs capere, & cadentibus multis ſenſim ſe recipere cogerentur. Ea in pugna purpureum Eunuchi ſignum, prægrande auratumque à noſtris intercipitur, ac multi ex Peſtbanis, & Budenſibus Turcis occumbunt, & Velibego Harbusnienſium præfecto vulnus in pectore

Alys Eunuchi copia carceris propugnaculum ſummo impetu adorti

à Dobone & Peteone fortiter repelluntur

1552.

Eunuchi ſigno intercepto.

pectore infertur: ex noſtris quoque complures vulnerantur & interficiuntur.

Altera ex parte Arſlanes Boliquianam Turrim aggreſſus

Alterâ in parte hoſtes Boliquianam munitionem adorti, cohortante eos Arſlane, impigrè rem gerebant, & haſtis quibuſdam, quibus ſclopetos incluſerant, multos ex noſtris vulnerabant eminus atque occidebant. Cùm fortiter utrinque pugnarent, Turcæ ſuperiores aliquot ſigna in ſuperiorem muri partem attollunt, ac Dei & victoriæ nomen magnis ſublatis vocibus ingeminant; eratque res in apertum deducta periculum, niſi Gregorius Literatus, Zoltaius, & Fighedius ſuos pugnando ac cohortando ad virtutem, repellendoſque hoſtes incitâſſent: hunc diem, hoc prælium, ſi victores exiſtant, laboribus & ærumnis finem allaturum, non eſſe perfidis hoſtibus cedendum, nullam, ſi nunc armis, ac virtute eorum repellantur, pugnam reſtauraturis. Quamquam igitur plures ex noſtris interirent, tamen conſcendentes Turcas magna vi detrudere, & qui conſcendetant, trucidare contendebant. Cruentum erat ancepſque certamen, quum Literatus colubrinam, quam anteà pluribus plumbeis ſclopetorum glandibus onerari juſſerat, è parte carcetis in hoſtes diſplodi jubet, cujus pilia cum Arſlanis legatus, & multi ex Turcis cecidiſſent, noſtri reſumptis animis viribuſque acriùs & validiùs in eos irrumpere, tandemque hoſtes loco moti, non ſine ſtrage & detrimento profugiunt.

Cum magna ſtrage rejectus, tergum vertere cogitur.

In ea ancipitis prælii dirâ contentione plura vexilla, inter quæ Arſlanis purpureum, aureo colore redimitum, à noſtris capta ſunt: Literatus manu dextrâ vulnus accepit, Zoltaius in humero, & Joanni Fighedio clava ferrea aliquot dentes excuſſi, hoſtium ampliùs octo millia deſiderata, & ex noſtris uno eo in loco, CXL. milites cæſi.

Ademptio etiam illi vexillo.

Tertiò Janiceri veterem portam acerrimè oppugnantes,

Pugnantibus ad Boloquianam hoc modo noſtris, aliæ hoſtium copiæ ad veterem portam, ejuſque munitionem, Neſqueio vehementer laboranti imminebant, quam Janicerorum præfectus cum prætoriano ſuo peditatu, & Beſliis atque Acangiis oppugnandam ſuſceperat, defendente eam cum quingentis ſclopetariis Neſqueio qui tormentis opportuno loco collocatis, omnia quæ opus erant, intrepidè adminiſtrabat. Janiceri anteà multis præliis exerciti, & nuper capto Temeſvario victores, quid & quantum manu viribuſque valerent, hic quoque demonſtrare conabantur; ſed quum murum conſcendiſſent, Neſqueio & militibus impigrè operam navantibus, repelluntur, multis ex eorum numero deſideratis: ſicut præter Janiceros, qui primi murum conſcenderant, & inſigni audaciâ & fortitudine dimicaverant, hoſtium ad tria millia cecidiſſe dicerentur. Tametſi autem præfectus eorum, ſummæ dignitatis, & Chauſii, Janiceros reſtaurare pugnam magnâ ſeveritate juberent; ac uti priſtinum decus tueri, & omnia belli pericula ſuperare, nec ſe animo demittere vellent, hortarentur; prælio tamen, quantum honeſtè poterant, recuſato, ſe poſt tantum amiſſum commilitonum numerum, cum Deo immortali, qui pro Ungaris pugnaret, cuique reſiſti non poſſit, nequaquam pugnaturos reſponderunt.

Multis ex eorum numero cadentibus à Neſqueio fortiter repulſi cedunt.

Per hunc modum cùm noſtri tres extremas, atque adeò acerrimas oppugnationes tribus in locis fortiſſimè ſuſtinuiſſent, & integrum fermè diem pugnando cum hoſtibus contendiſſent, propitio Dei Optimi Maximi numine victores tandem exutêre. Dirempta triplici hac pugna, Turcæ ſex poſteà diebus in iiſdem munimentis & caſtris permanſere, certatumque eminus eſt ſingulis diebus utrinque, non ſolùm tormentis & falconibus, ſed etiam minoribus ſclopetis & ſagittis, aliiſque celis miſſilibus: ac ultimus ex noſtris Chriſtophorus Tarianus, adoleſcens Dobonis armiger, dum ad Boloquianam miſſus, citatis paſſibus procurreret, ſclopeto à Janiceris fuit interfectus. Jam enim arx in tantam vaſtitatem tormentorum ictibus erat redacta, dirutis circum undique mænibus, ut vel expedito equiti iter in eam per ruinas pateret; & perforata nudataque tectis ædificia, commeanteſque hinc inde homines, extrinſecus conſpici poſſent. 1552.

Intereà quum ad diem Divo Lucæ Evangeliſtæ ſacrum, exorientibus Aquilonibus, haud modica nix, frigidiore pluviâ mixta, cælo delapſa eſſet; ſimul etiam ambiguis rumoribus in caſtra allatum eſſet, hinc Mauritium Saxonem, qui valido è Germania adducto exercitu, jam Jaurinum perveniſſe dicebatur; illinc verò Caſtaldum & Bathorium, cum copiis Tranſilvanicis, auxilio obſeſſis venturos; Achomates, ſive incertos rumores irrito ſuo conatui prætendens, ſive ingruentem hiemis ſævitiam veritus, ſeu quod vero ſimilius videtur, ſpe omni capiendæ arcis abjectâ, quod copias ſuas, interfectis ac vulneratis tædioque diuturnæ obſidionis fatiſcentibus, equitum & Janicerorum promptiſſimis, attenuatas, debilitataſque cerneret, omiſſa ulterioris obſidionis cura, domum redire conſtituit: eâdemque nocte tormenta ex aggeribus retrahi juſſit, eaque cum omni eorum apparatu curribus impoſita præmiſit, ipſeque cum Aſiatico prætorianoque exercitu eſt ſequutus Belgradum atque indè Byzantium iter ſuſcepit: Alis verò Eunuchus Budam, & cæteri ad ſua quiſque loca & ſtationes ad hibernandum conceſſerunt.

Achomates, irritis tot oppugnationibus, obſidionē ſolvit.

Sed noſtri animadverſo diſcedere volentium ſtrepitu & clamoribus, continere ſe nequaquam potuêre, quin eâdem nocte erumpendum exiſtimarent. Itaque patefactâ occultiore portulâ, hoſtes reducendis tormentis, onerandiſque plauſtris occupatos invaſêre, & donec equeſtri ſubſidio adcurriſſent, occiſis nonnullis lixis & calonibus, ac quibuſdam è Janicerorum ordine cuſtodibus, aliquot pondera ſulphurei pulveris, culeis coriaceis, ac ciliciis inſuta, (neque enim Turcæ doliolis, condendo pulveri, ut noſtris mos eſt, utuntur, commodiore portandis camelis & jumentis ratione) ac tentoria quædam, variamque caſtrenſem ſupellectilem in arcem intulêre.

Hic fuit exitus difficilimæ, terribiliſque Agrienſis obſidionis, ſingulari utrinque animorum vi, atque pertinaciâ illatæ atque conſtanter defenſæ: quâ amiſſum apud exteras gentes paulò ante Ungarici nominis decus, forti atque felici tolerantiæ laude recuperâſſe viſi ſumus. Neque enim quiſquam noſtrâ, vel retroactâ ætate in Pannonia, ſive à Turcis ſive aliis gentibus arcem aut urbem, machinis & tormentis majore vi ac obſtinatione oppugnatam, ac defenſam meminiſſe poterat; adeò ut ſupra duodecim millia ferrearum ingentis ponderis pilarum eâ oppugnatione à noſtris collectâ, ac in cumulos compoſitâ nequaquam eò numeratis minoribus falconum & colubrinarum pilis, in arcis area ſpectarentur.

12 millia pilarum ferrearū ingentis in hac obſidione collecta.

Abeuntibus Turcis, Dobo & Neſqueius, cæterique duces & milites periculo erepti, ideoque ingenti lætitiâ perfuſi, actis Deo gratiis,

Agrienſium

1552. tiis, tubarum ac tympanorum ſonitu edito, tormenta etiam & colubrinas omnes, quæ in arce erant, unà cum ſclopetis cujuſvis generis exploˑdenda curavêre: ita ut eorum fragor & ſtrepitus aërem magnâ vi feriendo, proximos montes & ſilvas compleret, & ad hoſtes, qui nondum ab arce longius receſſerant, facilè penetraret: nec multis interjectis diebus, communi nomine nuntios ad Ferdinandum miſere, cum tribus auratis vexillis Eunuchi, Arslanis, & Velibegi; ac literis, quibus de hoſtium diſceſſu, ac ſalva, ſecundùm Dei immortalis opem, Agria, certior reddebatur, Joannem Vardanam Dubonis legatum, Georgium Juanium, Andream Somogium, & Albertum Culegium, qui obſidioni ab initio interfuerant. Eos Ferdinandus benignè ac liberaliter habitos, centenis nummis aureis, ac purpureis veſtibus donavit: & Mauritius Saxo, qui eis diebus ex pacto fœderis cum Cæſare & Ferdinando initi (quos ob cauſam liberandi Landgravii ſoceri multifariam offenderat) cum copiis Viennam venerat, ac totam ferè æſtatem Jaurini ſedendo, nihil operæ pretii fecerat, centenos argenteos, quos Talleros vocant, & Nicolaus Olahus Epiſcopus, ſingula aurea pocula addidêre. Joannes verò Balpriacus, quum in convivio pecuniam ad manum non haberet, torquem aureum, quem collo geſtabat, haud contemnendi ponderis, in quatuor ſectam partes eis diviſit, ipſorumque exemplum plerique alii Optimatum ſequuti, variis eoſdem muneribus condecorarunt.

Lætitia & exultatio. Literæ ad Ferdinandum cum tribus auratis vexillis.

Legati liberaliter à Ferdinando donati, & ab aliis.

Dobo & Neſqueius præfecturâ ſe abdicant.

Nec multo pòſt Dobo & Neſqueius, tot exantlatis laboribus, tantoque perfuncti periculo, mutuis collatis conſiliis, ſeſe officio abdicare ſtatuerunt; ejuſque voti ſui Ferdinandum admonuerunt, ut id ſuâ veniâ voluntatéque fieri pateretur. Nec Ferdinandus quâ erat humanitate, & erga eos clementiâ abnuendum duxit, miſſoque Agriam Sforcia Pallavicino, qui non ita pridem à Turcis poſtliminio rediens Taifalo ſucceſſerat, eis atque omnibus ſtipendium perſolvendum curavit: eique Dobo claves portarum Agrienſium de manu reddidit. Sforcia verò cum Neſqueio tranſegit, ne locum ſuum uſque ad duorum vel trium menſium ſpatium deſereret vellet, ut interim de ſucceſſore provideri poſſet. Quo elabente intervallo, Ferdinandus commendante Nicolao Olaho, Gregorium Literatum Agriæ præfectum deſignavit, addito ei collega Paulo Sarcandio. 1552.

Gregorius Literatus cum Sarcandio Agriæ præficitur.

Et pauló pòſt comitiis Sopronii habitis, Dobonem Tranſilvaniæ præfectum, cum Francisco Quendio, in locum Andreæ Bathorii, eo magiſtratu decedentis, conſtituit, Stephanumque Zoltaium, Gaſparem Peteonem, Joannemque Fighedium, & reliquos omnes, qui obſidionem fortiter toleraverant, ne gregariis quidem militibus neglectis, non ſolum opimis ſtipendiis, ſed pagis, latifundiis, coloniſque locupletavit. Collaturus procul dubio etiam in Neſqueium ſingularis munificentiæ exempla, niſi illum crudelis ac indigna mors paratis honoribus ſubtraxiſſet: ſiquidem quum à Ferdinando evocatus, Viennámque proficiſcens, Varconum diverſiſſet, militeſque qui cum eo erant, oppidanis aliquot equorum juga ad vecturam imperaſſent, atque ii nequaquam dicto audientes, tergiverſando moram necterent, ortâ ſeditione, ad arma deventum eſt; & occiſis utrinque pluribus, quum ipſe non ſatis cognitus, ad ſedandam eam adcurriſſet, impacta in frontem ſecuri, ab ignobili aratore vir clariſſimus interfectus eſt. Sed nec Gregorio Literato diuturna novo in magiſtratu lætitia fuit; quum pauló pòſt ad Mohium oppidum, ſumma ſuâ infelicitate, nec minore inſolentis fortunæ ludibrio, à Velibego Hathuani præfecto, inſidiis doloque captus, & Byzantium miſſus, ab irato Achomate, irritæ obſidionis ultionem quærente, injuſſu ut ferebatur Solimani, laqueo ſtrangulatus extremum diem in furca clauſiſſet; ſic tamen, ut Deo innocentis viri indignam cædem vindicante, ipſe quoque Achomates, jubente Solimano, procuranteque Hazatcia Ruſſa conjuge, & Ruſtana genero, non multo pòſt eodem omnino ſupplicii genere turpiter necaretur.

Dobo cum Quendio Tranſilvaniæ præfectus conſtituitur.

Neſqueii indigna mors.

Literatus pauló pòſt à Velibego captus, & Byzantium miſſus laqueo ſtrangulatur.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XIX.

1553. POST ſervatam egregia cum laude Agriam, Ferdinandus quamquam eâ partâ victoriâ effusè lætaretur, tamen quum tranſacta detrimenta cladéſque, quas aut fatali Pannoniæ infortunio, aut ſingulari ducum ſuorum infelicitate accepiſſet, ac Solimani tantis obtentis paſſim victoriis elati atque inſolentis vires & potentiam animo metiretur, atque adeò maximè verendum exiſtimaret, ne ſi ille, ut in animo habere ferebatur, Tranſilvaniæ recuperandæ cauſa, confecto bello Perſico arma denuo ſibi inferret, recrudeſcentibus ancipitis belli tempeſtatibus, divina atque humana omnia dubio formidabilique eventu miſcerentur; tentandum illius animum, ſi quâ mentione pacis aut induciarum flecti poſſet, ante omnia judicavit. Atque hæc tuta & ſalutaria conſilia, omiſſis præcipitibus, ſuapte natura capeſſentem, multi etiam ex amicorum præcipuis, tam Germani quàm Ungari, ut hoc modo ad publicum corruentis Ungariæ decus tuendum, ſimul & detrimentum avertendum curas & cogitationes converteret vellet, quod aliter perfici nequaquam poſſe cenſeretur, multis rationibus cohortabantur. 1553.

Itaque cùm ea in re maturè facto opus eſſet, non diu moratus, Antonium Verantium Epiſcopum Quinqueeccleſienſem, & Franciſcum Zaiam, claſſis Danubianæ præfectum, viros experientes, rerúmque & linguarum peritos, extraordinariæ legationis nomine ad Solimanum, cum magnis muneribus mittendos deliberavit; inter quæ fuit Hamſa ille noſtris poſtea calamitatibus, & arcium clandeſtinis interceptionibus clarus, quem Veſprimii captum eſſe diximus. Nam ordinarii Legati munere hactenus

Verantius & Zaius à Ferdinando ad Solimanum legati de pace miſſi.

1553. hactenus Joannes Maria Malvetius functus, ab irato barbaro, propter occupatam (quod ille negabat) Tranſilvaniam, ut diximus, captus adhuc in carcere detinebatur, eorum adventu ac precibus libertati reſtitutus, ad Ferdinandum cum Solimani literis redierat: ſed ab eo rurſus Byzantium cum reſponſo reverti juſſus fuit: ſic ut pace factâ, ordinarii Oratoris loco fungeretur. Verùm cùm Comaronium perveniſſet, morbus, quem ei carcer attulerat, ita denuò cum invaſit, ut de ſalute diffiſus ſubſiſteret, Ferdinandumque per literas rogeret, ut legationis munus ab ſe in alium translatum vellet. Verùm Ferdinandus eum non morbi aſperitate, ſed carceris & præteritarum ærumnarum memoris, illud legationis munus refugere & deprecari ſuſpicabatur: brevi tamen illius mors ſubſequuta, eum non ficto aut ſimulato morbo laboraſſe docuit. Ne autem reſponſo Ferdinandi perferendo mora necteretur, Augerius Busbequius Belga, nobilis vir, & morum elegantiâ, literarumque cognitione multis præferendus, in locum demortui orator futurus deligitur: atque is, urgente profectionem ejus Ferdinando, ſummâ adhibitâ celeritate Budam, indeque lentiori itinere, ad XX. diem Januarii, anni Quinquageſimi tertii, ſupra mille & quingentos, Byzantium pervenit, ibique collegas, quos modò nominavi, reperit.

Joannis Mariæ Malvetii obitus.

Augerius Busbequius in locū ejus orator ſufficitur.

Aberat eo tempore Solimanus, ducto adversùs Perſes exercitu, quos etiam bello octennali coactos ad pacis conditiones petendas compulerat, relicto Conſtantinopoli Ibraimo Eunucho, qui urbi præeſſet. Ruſtanes quoque gener aderat, purpuratorum antea princeps, ſed tunc loco & dignitate motus, privatam vitam agebat. Ejus rei cauſa erat Muſtaphæ filii cædes, conjugis Ruſſæ, cui Hazattiæ nomen fuit, ac Ruſtanis fraude ſtrangulati, ut qui imperium affectare, ac patri inſidias ſtruxiſſe, conciliatis ſibi Janicerorum animis ſtudiiſque accuſaretur; ita tamen, ut exercitûs deſiderio per ſimulationem foret ſatisfactum, brevique pòſt, ût evenit, ille priſtinam dignitatem recuperaret, occiſo, qui ei ſucceſſerat, Achomate, majoris animi, quàm ingenii viro, quem capto Temeſvario, ſuperiori anno Agriam fruſtra obſcdiſſe memoravimus. Legati purpuratos hos, quamquam alter ex duobus nullâ eo quidem tempore poteſtate eſſet, officioſè inviſerunt, & ſelusatos muneribus coluerunt; & ab ipſis voluntatem Solimani expectare juſſi ſunt, quem de eorum adventu certiorem reddidiſſent. Nec multo pòſt literæ ad Ibraimum præfectum urbis allatæ ſunt, quibus legati in Aſiam trajicere, ac Amaſiam, ubi Solimanus erat, proficiſci jubebantur. Itaque facto per Bithyniam Galatiamque itinere eò pervenêre; & Achomatem, collegaſque purpuratos ſalutavêre, à quibus ad Solimani reditum, qui tunc fortè adhuc procul aberat, rejecti fuêre. Ad quem paulò pòſt redeuntem introducti, quæ habebant in mandatis de pace, aut induciis expoſuêre. Sed quoniam poſtulata Ferdinandi plena dignitatis ac libertatis erant, ideoque ab elato illius animo, qui nihil ſibi negari debere putabat, minus æquis auribus audiri fuere: nec rationes eorum, neque poſtulata ſatìs benignâ fronte ſuſcepta, atque ita domum abire juſſi, exiguâ ſpe quicquam eorum, quæ petebant obtinendi.

Solimano abſente,

Legati Ibraimū & Ruſtanem viſant coluntque.

Ad Solimanum contendunt, à quo haud benignè auditi, domum redire jubentur.

Auxit Solimani animum, ſuapte naturâ arrogantem & ſuperbum, Tahmaſi Perſarum Regis legatus, qui cum ampliſſimis muneribus eodem tempore aderat, pacemque petebat: quam etiam abſque longiori cunctatione impetraverat. Quæ res majorem noſtris legatis difficultatem attuliſſe videbatur: uſque adeò, ut pace cum Perſis confirmatâ, nihil ipſi, quod quidem æquitatis ſpeciem haberet aliquam, impetrare potuerint. Itaque quamquam Augerius ordinarii Oratoris loco futurus advenerat; tamen quia nondum quicquam de pace erat confectum, viſum fuit Achomati & purpuratis, ut ipſe cum Solimani literis ad Ferdinandum rediret, ac ab eo, ſi ei videretur, reſponſum referret: nec quicquam inter eos, niſi de ſemeſtribus induciis, dum Augerius iret rediretque convenire potuit; ita denuo ad principem introductus, ac duplici talari veſte donatus, ſimul cum collegis dimittitur; ſic ut diſcedente in Germaniam Augerio, collegæ Byzantii ejus reditum & ſimul Solimani adventum expectarent. 1553.

Augerius ad Ferdinandum redit.

Dum hæc per legatos adminiſtrantur, & pacis conſilia ſpe & expectatione hominum longiùs differuntur, Ulamanes à Monacho è Lippa antea dimiſſus, qui Boſnenſem provinciam adminiſtrabat, acerbiſſimo in nos odio concitatus, Murare Cliſſiano, Maleocio Herceegoviniano, ac aliis limitum præfectis ſibi adſcitis, bellum in Illyrico renovavit, ac in agrum Varaſdino ſubjectum, patentemque inter Dravum & Alpes planiciem excurrendo, magnas paſſim cædes rapinaſque exercuit, incenſis ubique pagis, ac multis hominum millibus in ſervitutem abductis. Sed non omnino inulta fuit ejus populationis immanitas: nam quum ille ductis penes Criſium copiis, Camnicum prætervectus, vie Topliciana, ubi Thermæ Conſtantinianæ habentur, in campos deſcendiſſet, Nicolaus Comes Zriniannus, Illyrici prorex, ac Lucas Siculus, copiis Stiriæ præpoſitus, ex inſidiis, quas hic in Varaſdini ſuburbanis, ille verò in Marciana valle, Vinicenſi locaverant, opportunè egreſſi, cum & Turcas paſſim igne & ferro in omnia obvia graſſantes, duobus exercitibus interclusos, relictis captivis & multis ſuorum amiſſis, ſingulari tam publicè quàm privatim accepto detrimento pedem referre coëgerunt. Nam præter aliquot clarioris nominis ordinum ductores, filium Giafferem, quem ex tribus majorem habebat, cum Joanne Margitirio, inſigni equitum præfecto congreſſum, mucronato enſe, quem equites in priori ephippii parte appenſum geſtare ſolent, per ilia adactum amiſit, & cum incredibili mœrore luctuque eò unde venerat, profugit, nemine è noſtris deſiderato.

Ulamanis excurſio in Illyricum,

à Zerenio & Siculo, cum cæde Giafferis ejus filii coercita.

Nec tamen ejus irrito conatu, neque privato amiſſi filii dolore retardatus, copias iterum collegit, & Chaſmam arcem, ad ejuſdem nominis flumen ſitam, obſidione cinxit, quam Lupi Giulani Epiſcopi Zagrabienſis milites, numero non plures viginti, negligenter cuſtodiebant: qui repentino metu territi, extemplo ei portas aperuerunt. Quâ captâ, ad Verucjam oppugnandam copias duxit haud procul Dravo ſitam, cui Georgius Brodianinus, cum quinquaginta plus minus peditum cohorte præerat. Is cùm per exploratores adventum hoſtium didiciſſet, à Luca Siculo commeatum & res neceſſarias, maximéque pulverem ſulphureum, cujus inopiâ laborabat, per literas & nuncios petere non ceſſabat. Sed dum is ea curare negligit, aut cunctando moratur, hoſtes ſuper-

Ulamanes, bello inſtaurato, Chaſmam arcem occupat.

1553. ſupervenıunt, ac factis in Monaſterio Monachorum, quod prope arcem erat, aggeribus tormenta promovent, mæniaque arcis, quòd vetuſta neque valida eſſent, vim atque ictus tormentorum diu perferre non potuerunt: ita ut Brodianinus, priuſquam Ratco Malıua, & Petrus Beledicia, ductores ordinum, cum peditum centuria à Siculo in ſubſidium miſſi advenirent, paciſci cum Ulamane, & deditionem facere cogeretur. Quem poſt arcem Turcis traditam Caproncıam venientem Siculus extemplò capi, ac ſe excuſantem & culpam in illum rejicientem, qui res neceſſarias & auxilia tardiùs miſiſſet, poſtremò ad Regis tribunal cauſam provocantem crudeliter interfici juſſit. Dombronem quòque ejuſdem Zagrabienſis Epiſcopi oppidum, Turcæ non multo pòſt direptum & ſuccenſum concremavêre.

Jadè Verucia ſe illi dedit.

Max Dombronem diripit & incendit.

Quibus hoſtium populationibus & incendiis irritatus Petrus Erdodius, comparata ex clientibus ſubditisque ſuis, haud contemnenda militum manu, ac conſilio cum ſacerdotibus collegii Zagrabienſis, qui Siſciæ præſidium militare habebant, Georgio item Comite Zlunio, aliiſque, quorum virtuti ac viribus confidebat, communicato, claſſem ex iis navigiis, quas Suicas ſeu Naſadas vocamus, nec non monoxylis, quæ in vaſtiſſimis ad utramque Savi ripam ſylvis triginta armatorum capaces conficiuntur, quorumque ibi frequens eſt uſus, ſine mora comparavit; ſecundoque Savo delatus, fortem operam ante alios omnes navante, ducémque itineris ſe præbente Marco Tomalovitio legato ſuo, incomparabilis virtutis viro, Gradiſcam & Velicam arces, cum ſuburbanis latè patentibus, improviſa facta irruptione diripuit, magnaque cæde Turcarum edita, & rerum omnis generis, hominumque & pecorum, militarium etiam equorum præda abacta, ſuccendit & concremavit; victorque claſſem & navales ſocios, ac incolumem reduxit exercitum. Sed non multo pòſt Zlunius, vix hujus victoriæ lætitia deguſtata, dum in porta arcis Steminiaciæ ſtaret, turbato cælo, ac exorta è repentino turbine imbribus, fulmine ictus interiit. Atque in hunc modum excurſionibus & eruptionibus modò hoſtes, modò noſtri, tam in Pannonia quàm Illyrico certabant, arridente nunc his nunc illis fortuna; ita ut quotidie ferè minutis præliis materia & occaſio præberetur, quibus alternante eventu, nonnunquam hoſtes vincerent, nonnunquam etiam vincerentur.

Petrus Erdodius cum Comite Zlunio Gradiſcam & Velicam direptam concremat.

Comes Zlunius fulmine ictus obit.

Sed quum hyemis tempeſtatibus & frigore coacti milites utrinque in hibernis ſeſe continuiſſent, Turcæ, Hamſa duce, quem apud ſe captum Ferdinandus nuper Solimano per legatos dono miſerat, inſigne detrimentum intulerunt, quò majus & atrocius vix juſto exercitu, magniſque copiis inferri potuiſſe creditum eſt; Fileco muniriſſima arce, per fraudem occupato; ex quo poſtea incredibiles excurſiones & incendia, cædes ac populationes fecêre, & magnis ditionibus occupatis, Solimani imperium octingentis & amplius oppidis ac pagis in poteſtatem redactis, uſque ad montanas urbes, aurifodinis claras, longe latéque amplificavêre. Quod quàm improſperè atque infeliciter acciderit, paucis memorabo.

Turcæ, Hamſa duce, & Æthiope quodam captivo proditore Filecum occupant.

Ea arx Blaſii Raſcani fuit, cujus filiâ ductâ Franciſcus Bebecus ejus hæreditatem adierat, éſtque edito monti impoſita, nec ab aliqua parte, niſi ubi per portam intrari poteſt, ob rupium inacceſſas crepidines: dividitúrque in duas arces, inferiorem, quæ ciſternam habet profundam, quâ pluviales aquæ per ſiphones derivatæ continentur: & ſuperiorem, quam Bebecus ædificiis ornatam ac mænibus propugnaculiſque erectis validiorem reddiderat; & in ſuperiori commeatum, reſque neceſſarias, & tormenta cum eorum apparatibus collocaverat. Sed à viro munitionum peritiſſimo ſpatium quoddam extra mænia in rupis ſummitate nequaquam fuit animadverſum, ex quo per feneſtellam quandam ingreſſus pariter & exitus in arcem dabatur, licèt illa nonnunquam ſerâ haud adeò firmâ clauderetur. 1553.

Fileci ſitus.

Erat Paulo Janoſſio arcis præfecto captivus Turca Æthiops, qui purgamenta & quiſquilias arcis per eam feneſtellam ejicere ſolebat. Is quum ſæpius ſpatium illud oculis perluſtraſſet, rupem ab imo ad cacumen uſque, quamquam arduam, nequaquam tamen aſcenſu inſuperabilem fore animadvertit: & per captivos Hamſam, qui in arce Secenia haud procul Fileco ſita præfectum agebat, clàm admonet, ſi ſe centum nummum aureis (paululâ mercede magnum opus venditans) redimere vellet, effecturum, ut Filecum brevi in poteſtate habeat. Itaque pro eo apud Janoſſium ſe ſponſorem dat, deque arcis, rupiſque ſitu, ac aſcenſu, deque ea feneſtella, aliiſque circumſtantiis ſermones quàm ſecretiſſimos confert; nec tamen ante quàm fidei, induſtriæque ejus experimentum videat, ut cautus, quid aggrediendum exiſtimat. Æthiops igitur, Hamſa id expetente, per rupem reptando, & exploratis omnibus, ad feneſtellam pervadendo (unico tantæ rei conſcio, qui in arce ſuperiori excubitoris officio fungebatur, agreſti homine) primùm patinam plumbeam, ferculis menſæ inferendis dicatam, iterum verò Janoſſii pileum, multis gruum & ardearum pennis conſpiciendum eadem reverſus via, ad Hamſam affert.

Tum ille re cum ſuorum promptiſſimis communicatâ, quatuor Centuriones navandæ operæ cupidos deligit, dato eis præfecto Mehemete quodam cognomine Magno, utque incepta maximè fideli ſilentio tegant, & obſcurâ nocte Æthiopem ducem ſequantur admonet. Itinere ita conſtituto, ut primâ vigiliâ Filecum pervenirent, abſente Janoſſio, & iis, qui domi erant relicti, quòd ad multam noctem potaſſent, ſomno vinoque victis hoſtes per ſaxa & præcipites cautes, non pedibus tantummodo, ſed etiam manibus, ubi paulò aſperior aſcenſus erat, diu multúmque laborando, præeunte Æthiope, unus poſt alium tandem ad mænia perveniunt, ac ſub feneſtella, ubi confertis ſtandi facultas erat, denſati conſiſtunt: & per ſcalam altitudine duodecim pedum, quam ſecum attulerant, excubitore feneſtram aperiente, in arcem conſcendunt, ac donec omnes introrſum reciperentur, ſummum ſilentium agitur.

Poſtquam omnes in arcem conſcendere, tum verò tubis canere, magnum clamorem attollere, portas ſuperiores occupare, tormenta, quorum maxima pars ibi ſervabatur, in arcem inferiorem & præſidiarios ubvertere, & diſplodere. Noſtri re hujuſmodi nec opinatâ & improviſa, horribilique ſonitu exciti, excuſſa citò crapula & torpore, arma capiunt; & tam tormentis, quæ in imo habebant, quàm ſclopetorum glandibus hoſtes deſcenſu prohibent, & donec cælum inalbeſceret, eminus fortiter pugnando ſeſe,

1553. atque arcem impigrè defendunt: ſimulque literas & nuntios ad Bebecum & Janoſſium citatis curſibus mittunt; quo ſint in periculo docent, & niſi maturrimè ſubventum ſit, actum de ſe atque arce ſignificant: Janoſſius cum qua potuit militum manu celerrimè adfuit: à Bebeco quoque miſſa ſtatim auxilia, ipſe ad Gabriëlem Perenium profectus, qui iis regionibus cum poteſtate præerat, ut præſidia limitum & Nobilitatem ad capienda arma jubendo ſolicitet, cohortatur, poſſe adhuc arci ſubſidium ferri, ſi maturè id facere contendat. Dum ille rudis ignaruſque belli lentè, quæ cito curanda erant, ac cunctanter adminiſtrat, Turcæ eo acrius inſtare, pleroſque eminentis cominus ſauciare, aut occidere: poſtremo craſſiores funes, ad imam arcem, ubi carcer erat, & in eo complures captivi, ab alto demittere, iiſque captivos ſurſum pertrahere. Sed quum noſtri in eos procellam glandium effunderent, neceſſè erat captivos, prius quam ad ſocios pervenirent, aut necari, aut graviſſimè vulneratos deturbari. Janoſſius, quum perturbans omnibus imperare non poſſet quid agerent, quomodo ſe ab omnibus partibus adverſus hoſtium vim & jacula ſuſtentarent, quantum ingenio poterat, conſolebatur. Intereà miſſi à Perenio ducenti equites ſupervenêre, quibus Franciſcus Cataius, & Nicolaus Henieius præerant, & centum ſclopetarii, quos Emerico Pribeco duce Joannes Balaſſius è vetere Zolio, & Montanis urbibus miſerat, quarum præfecturam paulò antè à Ferdinando obtinuerat. Quamquam autem ii ex fortiſſimis militibus ſelecti erant, & modò ſuis laborantibus ſuccurrere, modò hoſtes, quum conferti erumpebant, invadere manu, & ſubmovere contendebant; magna tamen in eo aſperrimo negotio difficultas, magnæ rerum perturbationes obſtabant; quandoquidem hoſtes è ſuperiori loco tormentis in noſtros opportunè directis, neminem in muris & ſtationibus conſiſtere permittebant.

Janoſſius & Bebecus noſtris ſuppetias ferunt.

Miſſa etiam à Perenio auxiliaris manus

Pugnatum eſt per hunc modum continuis quindecim diebus, tanta utrinque animorum pertinacia, ut neutra pars cedendum alteri exiſtimaret. Verùm enimvero non multò pòſt, Hamſa patarior, acceptis à Toigone auxiliaribus copiis (is in Budenſi præfectura Ali Eunucho inter purpuratos Byzantinos adſcito ſucceſſerat) cum aliis militum præfectis advenit, & tormenta, quibus noſtros, inferiori arce oppugnaret, attulit. Cujus adventu cognito Perenius & cæteri, qui ad Sombatum Rimæ flumini adjacens oppidum in caſtra convenerant, loci difficultate ac hoſtium metu territi, prælio abſtinendum, ac fœdo conſilio eò unde venerant, retrocedendum exiſtimaverunt. Noſtri verò milites, qui erant in præſidio, ſpe & auxiliis deſtituti, rebus deſperatis, qua quiſque potuit dilapſi, arce hoſtibus relictâ, non ſine gravi ignominiæ ac ſocordiæ nota exceſſere. Janoſius, amiſſæ arcis reus, à Bebeco ad ſumendum capitale de eo ſupplicium quæſitus, ad Balognam arcem profugit; & dum ſe inſolito metu, ac mærore & luctu, lacrymiſque affligendo excruciaret, ſubita, ut creditum fuit, apoplexia percolſus, exanimis & mortuus in cubiculo fuit repertus. In hunc modum arx ea oportuno loco ſita, ex qua tot & tanta calamitates poſtea pertulimus, tantum ſanguinis effuſum eſt, tanta ditio, dilatatis hoſtium finibus, acceſſit, parum virili aut decoro conatu defenſa, decimo ſexto Calendas ſextiles, in Turcarum poteſtatem devenit. 1553.

Sed cùm Hamſa copiæ ſubſidiariæ advenissent, Perenius & cæteri timore perculſi dilabuntur. Et præſidiarii arce vacuâ relictâ excedũt. Janoſius mærore afflictus diem extremum obit.

Accidit eo tempore, quod quum iſte idem Hamſa, ob non ſatis bene cultos & obſervatos Mahometanæ ſuperſtitionis ritus apud Muphtim, qui ſummus eſt apud eos ſacerdotum princeps, graviter accuſatus fuiſſet, ab eo ſacris, aquaque & igni interdiceretur. Quod quum Solimanus cognoviſſet, & ſimul capti ejus aſtu Fileci fama ad eum perlata fuiſſet, apud Muphtim interceſſit, ac ut abſolveretur, effecit, ita ut Hairadinum Calpham legiſperitum ad illum extemplo mittendum cenſeret; à quo expiaretur, ac ad vanæ ſuperſtitioſæque legis ejus ceremonias impenſius inſtrueretur.

Hamſa ſacris interdictus à Muphtio, Solimani deprecatione abſolvitur.

Cæterùm paulò antè, quàm ea res gereretur, Ferdinandus indictis Sopronium Comitiis, quòd cæteræ urbes peſtilentiâ laborarent, Nicolao Olaho, cujus auſpiciis Agriam retentam fuiſſe dictum eſt, Archiepiſcopatum Strigonienſem dedit; cujus arx quamquam jam decennium à Solimano occupata detineretur, reditus tamen ejus locupletes adhuc & opulenti erant, ac ad Novam arcem, quam Paulus Vardanus ad Nitriam flumen ædificaverat colonis in utramque partem ſervientibus, colligebantur: iiſdemque comitiis Stephanum Dobonem, præfectura Tranſilvaniæ ornavit, adjuncto ei collega Franciſco Quendio, magni apud Tranſilvanos nominis & auctoritatis viro: Epiſcopatum verò Albenſem Paulo Abſtemio Quinqueeccleſiis oriundo contulit: atque ii paulò poſt ad occupandam provinciam profecti ſunt.

Comitiis Sopronii à Ferdinando indictis. Olaho Archiepiſcopatus Strigonienſis confertur Dovo præfectura Tranſilvaniæ ornatur, adjuncto Quendio.

Sed quum Nobilitas atque alii ordines regni ſummis votis & precibus apud Ferdinandum laborarent, ut recuperatâ provinciâ Tranſilvaniâ, quæ ſemper ad Pannoniam pertinuiſſet, Comitem Palatinum crearet, ſummum poſt dignitatem regiam magiſtratum, Ferdinandus quamquam eos haud iniquum poſtulare videret; quia tamen Sopronii haud ſatis tuti à contagione eſſe viderentur, quòd ea pedetentim ob mutua hominum commercia eò irrepſiſſet, rem ad alia Comitia diſtulit. Quæ quum ad primi veris initia Poſonium indixiſſet, quòd ſummus ille dignitatis gradus à rege ſimul & communibus ordinum ſuffragiis nominari, ac utrique parti æquè ad jura dicendum ſacramento adſtringi conſueviſſet, nuntios regionum ſeu provinciarum, in quas ceu tribus quaſdam diviſa eſt Ungaria, per ſuffragia interrogari placuit. Obſtare poterant Franciſcus Vilacus Epiſcopus Jaurienſis, qui vices regis abſentis obibat, ac Franciſcus Revaius, cauſis Palatinalibus dijudicandis Novizolii judex creatus; ſed ii antea è vivis deceſſerant. Itaque interrogavit Michaël Mereius, regni prætor, ecquem vellent nominarent Palatinum, qui demum à rege confirmaretur. Tres nominavêre ex proceribus, viros graves, induſtrios, pace belloque præſtantes, Franciſcum Bettianium, Andream Bathorium, & Thomam Nadaſdium. Sed duo illi, Battianius quidem ingraveſcente ſenectâ, ac deficientibus viribus, Bathorius verò continua inclementique podagra, quæ omnes ejus artus & membra diſtorſerat, veriſſimis allatis cauſis, ſeſe excuſavêre. Nec Nadaſdio defuêre ſubterfugia feſſum ſe laboribus, corpore debilem, & ſi quid hoſtile ingruat, equitandi invalidum, & quietem præoptare: ei magiſtratui multos labores, maximas curas, incredibilem negotiorum molem domi

Epiſcopatus Albenſis Abſtemio donatur.

Thomas Nadaſdius Palatinus creatus.

1554. domi fortiſque annexam ; quibus ipſe ferendis impar ſit. Victus tamen poſteà ſingulari prece Nobilitatis, ac univerſi populi inter venerantes, gratanteſque contribules, & provinciarum legatis, pulcherrimo ordine, viſuque & auditu, magnifico comitatu, ad Ferdinandum ex urbe in arcem Poſonienſem perductus eſt ; à quo benignè habitus, ac ampliſſimo eo in honore confirmatus, jura æqualiter dicundo adminiſtrandoque Sacramentum dixit.

Augerius cum reſponſo Ferdinandi Conſtantinopolim redit. Interea Augerius, initio ſequentis anni, cum reſponſo Ferdinandi Conſtantinopolim reverſus, collegas quidem, quos iſthic reliquerat, incolumes offendit : cæterùm in rebus Turcicis magnas mutationes, Pajazetem minorem Solimani filium, poſt ſtrangulatum Muſtapham fratrem, quod res novas moliri diceretur, ab irato patre neci deſtinatum, precibus & lacrymis matris, periculo in præſens liberatum, Achmati purpurato, fractam laqueo gulam, Ruſtanem priſtinæ dignitati reſtitutum, pacem, quam ipſe & collegæ jam diu continuis laboribus & ſollicitudine urgebant, magis indies difficilem dubiamque. *Mutationes Turcicæ.* Nam à purpuratis, qui priùs quàm legati exterorum principum ad Solimannum introducantur, quid velint, quidve poſtulent, ſcire volunt, in colloquium admiſſis, quum Ferdinandi poſtulata ſcitu ſermone retuliſſet, æquum eſſe cenſentis, ſervari pacta, quæ de Tranſilvaniæ poſſeſſione cum Iſabella Regina, ejuſque filio, nec vi, neque dolo malo feciſſet ; graviter & indignè ferebant, & legatis minari, magnumque periculum, ſi cum ejuſmodi mandatis in conſpectum ſui principis veniſſent, denuntiare videbantur. *Purpurati legatos noſtros ab adito Solimani excludũt.* Poſtulantibus nihilominus legatis, ut admitterentur, illi negabant ſe facturos, ut ipſorum periculum ſecum communicaretur, non eſſe ſibi tantum animorum, ut eos cum talibus poſtulatis coram ſuo principe ſiſtere auderent, non obſcuro ejus ludibrio conjunctis, cujus injuriam nequaquam eſſent impune laturi. Reduſſe eum cum victore exercitu, rebus adverſus Perſas feliciter geſtis, præferocem & ſuperbum, filio imperii æmulo (Muſtapham intelligebant) è vivis ſublato, quid eſſet ei optatius faciliuſque quam ducere in Ungariam, & feſſas laboribus copias ſpoliis Ungarorum reficere, ac reliquum ejus provinciæ, quod jam exiguum eſſet, ſuis regnis adjicere ; proinde deſinerent, ſi ſaperent, neque quieſcentem excitarent, ac mala ſua accelerarent, quorum ſatis ſuperque ſuo tempore eſſent habituri. Quibus purpuratorum ſermonibus reliquorum Turcarum voces congruebant, & quod leviſſimum ab ipſis denuntiabatur, illud erat, ut legati & qui in eorum erant comitatu, naſo & auribus truncatis fœdati domum remitterentur.

Quorum crudeli propoſito cognito, quum ad Divanum, quod eſt purpuratorum concilium vocarentur, veſtes quas habebant pretioſiores induebant, ſuos ut idem facerent hortabantur, ac eo cultius & ſplendidius in publicum prodire jubebant ; quæ res purpuratis & Turcarum vulgo ita bilem movebat, ut à probris & maledictis minimè temperarent ; quod noſtri non ignari iræ atque indignationis Solimani, talia in ejus contumeliam facere viderentur. Tantos enim ſpiritus, tantam arrogantiam, tam diuturnâ felicitate illi ſumpſerant, ut Chriſtianum nomen contemnere, & quicquid vellent, ſibi licere, atque adeò quod nollent,

Iſthuanf. Hiſtr.

iniquum eſſe arbitrarentur. Ab eo tempore durius tractare legatos, atque arctius hoſpitio includere, neque ullum ad eos patere aditum, nemini de ſuis prodeundi poteſtatem facere, feneſtras non niſi ſupernè admiſſo lumine obſtruere, reliquis etiam in rebus, non ut legatos, ſed pene ut captivos habere cœperunt. *Busbequius & legati noſtri duriùs tractati à Turcis.* Sed & dominique à Torguno Budæ præfecto, nullum à bellis vacuum tempus, nulla quies erat. Neenon nec faſtu & arrogantiâ Alim Chauſium cum Solimani literis in Tranſilvaniam miſere, qui ingredi eam veritus, in Valachia montana ſubſtitit & literas Bathorio miſit, quibus ei & proceribus populiſque provinciæ mandabatur, ut vel Iſabellam cum filio reducerent, ejectis ex provincia Germanis, cui rei perficiendæ ſe adjutorem futurum pollicebatur ; aut aliquem ex ſuorum numero eligerent, à quo gubernaretur, donec illa è Sarmatia reverteretur. *Aly Chauſius cum literis Solimani ad Bathoriũ ut ejectis Germanis, Iſabella cum filio reſtituatur.*

Quæ res effecit ut Caſtaldus ſuarum & Ferdinandi virium haud vanus æſtimator, non abnuente Ferdinando (ſic tamen ne quid ſuo nomine ageretur) poteſtatem concederet Andreæ Bathorio ac quibuſdam Tranſilvanis, & Franciſco Quendio, tractandæ cum Solimano pacis, etiam cum pactione, annui tributi ; eâ adjectâ conditione, ut urbes & arces quæ eo anno à Turcis captæ eſſent, redderentur. Quibus quidem rebus tractandis dum tempus teritur, & Solimanus nec Tranſilvaniâ cedere, neque arces occupatas reſtituere vult ; bellum à Turcis in citeriore Pannonia renovatum eſt, & Tranſilvania, Caſtaldo & Bathorio provincia decedentibus, ad defectionem tum ab Iſabella, quàm à Turcis ſollicitata, jugum Germanorum, ut appellabant, excuſſit, prout hæc omnia in proceſſu operis commemorabimus, ſi prius duplicis hujus belli Turcici initium finemque narrando abſolverimus; ut obſervatâ temporis & ordinis ratione, rerum quoque geſtarum ſeries commodius atque opportunius legentium oculis ſubjiciatur.

Per id tempus dum bella ex bellis ſererentur, magna vagorum peditum multitudo in partibus Ciſdanubianis exorta fuit, qui nullis ſtipendiis addicti, in miſeram plebem, quæ tam noſtris, quàm Turcis ſubjecta, tributariaque erat, variis crudelitatis generibus graſſabantur, ut inauditis cruciatibus torta, partim ad ſolvendam pecuniam cogeretur, partim inter tormenta & cruciatus interiret : nam quibuſdam crura ferro terebrabant, nonnullis interiores lineas tunicas, adipi aut ſævo liquenti immerſas, flammaque incenſas induebant, muliebrem ſexum aut præciſis uberibus, aut iis fune ex equina ſeta facto trajectis, vel pecuniam proferre, vel mori cogebant : neque ulla excogitari carnificinæ acerbitas poterat, quæ non ab eis ſumma cum immanitate exerceretur. *Haidonum impune graſſantium & latrocinantium crudelitas.* Quæ mala diu tolerata fuêre, nemine vagos & crudeles latrones coërcente ; donec Marcus Stranſitius Sigeti præfectus, jubente Ferdinando, ſic ut quemadmodum illi variè in miſeram plebem erant graſſati, ita variis etiam & exquiſitis ſuppliciorum pœnis occurrendum exiſtimavit. *à Marco Stranſitio variis & exquiſitis ſuppliciis vindicata.* Captos enim erutis oculis dimiſit, aut ſulphureo pulvere ſubjecto membratim diſcerpendos curavit, aut ſi quid crudelius adhiberi tormenti genus potuit.

Iſtud verò maleficentiſſimum genus hominum, ſua receptacula & ſuos velut nidos Corothnæ, Babociæ, Capoſuarii, aliiſque propinquioribus caſtellis habere ſolebat. Igitur Torgonus, ad quem variæ de illis querelæ perferebantur,

1554. bantur, exercitu diverſis ex locis coacto, Albam regiam, deinde Coppanum venit, poſteà Capoſuarum promotis tormentis obſedit. Ea erat hoc tempore Stephani & Lupi Derſſfiorum arx, cænoſo & paluſtri loco ſita, quam Capoſus flumen circumfluit; ſed adeò ſtagnantibus aquis, ut nec ripæ carectis & arundinibus impeditæ videri poſſint, nec quorſum fluat ſatis oculis diſcernatur; deinde Rinniæ mixtus, ad Babociam Dravo miſcetur. Locus natura ita munitus videbatur, ut ab hoſtium exercitu haud adeò numeroſo expugnari minimè poſſe crederetur, ſi propugnatores pari virtute & fortitudine nactus fuiſſet: ſed præerat ei Petrus quidam Seelus, quæ vox ventum denotat, ventoſus ſcilicet & turbidus latronum, & ejuſmodi, quos dixi tortorum dux: is quum ad quintum uſque aut ſextum diem arcem tutatus fuiſſet, & diutiùs commeatu, ac rebus neceſſariis nondum deficientibus, tueri potuiſſet, priuſquam Stephanus Derſſfius cum auxiliis & duobus tormentis, quæ invehenda erant, adveniſſet, dilabentibus ſociis, desertâ arce, clam aufugit, eamque ſingulari perfidia hoſtibus capiendam reliquit; cujus quidem ſceleris, ſimul & reliquorum maleficiorum pœnas à Franciſco Turco, Valentini filio Papæ deprehenſus, & in præ alta furca laqueo ſuſpenſus, perſolvit.

Quorum rapinis motus Toiganus Badenſ. præfectus. Capoſuarum arcē Derſſfiorum obſidet.

Et à Seelo ignavo homine deſertam occupat.

Potitus eo loco oportuno facili negotio Toigonus, ad Corothnam copias & tormenta promovit. Ea arx ſuperiori ſæculo à Nicolao Corotoano, regni prætore à fundamento erecta fuit: ſed eo tempore à militibus Matthiæ Aliæ, pari ſcelere contaminatis, inhabitabatur. Nam ipſe paulò ante à Turcis, qui in præſidio Groſgalliano erant, per inſidias captus, & Conſtantinopolim miſſus, in carcere perierat. Progredientem Toigonum & inter Corothnam dirigentem, milites metu & pavore perculſi nequaquam expectavêre; ſed collectis de nocte ſarcinis, effuſa fuga, quà quiſquam potuit, varias in partes profugêre: & hoſtes arci occupatæ præſidium impoſuêre, continuiſque excurſionibus ditiones Ferdinandi Caniſam, Beſeocianque verſus ex ea infeſtam reddidêre.

Inde Corothnam, diffugientibus præſidiariis, ſibi ſubjicit.

Reſtabat Babocia Andreæ Bathorii, fratrumque ejus ditionis, oportuno in colle, ad præterfluentem Rinniam, qua in Dravum ſtagnantibus aquis, neque coercitis ripis, evolvitur, ſita, tuebanturque eam milites Bathoriani ducenti quinquaginta, ducibus Stephano Selpio, & Joanne Budacicio, qui ante periculum præferoces & fervidi, hoſtes contemnere & parvifacere ſolebant. Sed quum eos ſignis explicatis adventare, aggeres atque vineas conſtituere, inque eis tormenta collocare conſpexiſſent, tum verò fracti animis, remiſſaque ferocia temeritatis incommodum ſentire cœperunt. Ne tamen ante tempus perterriti eſſe viderentur, ſuppreſſo aliquamdiu timore, tormenta in aggeres & oppugnantes Turcas dirigere, & quæ facienda erant, per aliquot dies exequi non neglexêre. Sed paucos poſt dies, quum mœnia tormentis proſternerentur, quamquam non magnum feciſſent hiatum, conceptum animo timorem, non amplius diſſimulavêre. Itaque convocatis militibus, poſtquam effugia perpetuis hoſtium ſtationibus & inſidiis circumſepta, vias clauſas, arcem quaſſatam, auxilia deſperata, præſentem acerbiſſimæ mortis necem, ſi pertinaciùs in defendendo perſiſtant, propoſitam, cæteraque ejuſmodi augendo metui idonea dixiſſent: eis quoque, qui ex ipſa ſcelerum & rapinarum conſcientia periculique neceſſitate haud parum animis vacillabant, non longo ſermone perſuaſum fuit, ut communibus ſententiis de arcis deditione cum Toigono & Turcis paciſcerentur. Nec mora proloqui è muro cum hoſtibus, qui ad aggeres & tormenta excubabant, cœpêre; moxque ii ad Toigonum in caſtra procurrerunt. Is arcem dedentibus, atque abeuntibus, poteſtatem cum equis & ſarcinis quo velint, ſe conferendi daturum reſpondit eâ conditione ut transfugæ, qui ibi eſſent, & vagi haidones, qui è Corothna & Capoſuario illuc ſe recepiſſent, extemplo ſibi traderentur. Cùm ea de re integrum diem diſputando conſumpſiſſent, nullum ex haidonibus illic eſſe, transfugas etiam auditâ obſidionis famâ arce exceſſiſſe dicerent, longiori contentioni ita finis eſt impoſitus, ut Turcæ exeuntibus noſtris, certos ex ſuis adhiberent, qui transfugas explorarent & caperent. Erant autem præter alios, præcipui tres, qui ad certum ſupplicium petebantur: Joannes Aranaſſius, Andreas Sengelius & Demetrius Thrax, quorum illi duo apud Caſſonum paucis ante annis ſtipendia meruerant: hic autem ex numero & ordine equitum prætorianorum, capta à Solimano Buda perniciſſimo vectus equo, Strigonium ad Hiſpanos profugerat tantâ velocitate, ut quum eum, palam ſe ad Chriſtianos iturum profitentem, mille & amplius expeditiſſimi Turcarum equites perſequerentur: tamen intactus eò quò volebat, incolumiſque veniret, & ex Turcarum equis plures centum, nimio curſu & æſtivi caloris fervore exanimati interirent. Traditâ arce fides, præter ſolitum morem barbarorum, ſervata eſt exeuntibus: Transfugæ autem occultati in curribus, ac lardis, ſuccidia, porcinisque carnibus ſuperimpoſitis, quæ Turcæ abominari ſolent, ac inexpiabili odio averſantur, oportuna, feliciqueaſtutia, periculum evalêre.

Max & Babociā, dedentibus ſe præſidiariis, invaſit.

1555. *Transfugæ inveſtigati à Turcis.*

Demetrii Thracis præclarē factum.

Sed in curribus, larda impoſita, delitescentes, non fuêre inventi.

Babociam captam Toigonus præſidio impoſito munivit, & Achomari, neceſſario ſuo tuendam commiſit: ac rebus proſpere confectis incolumem reduxit exercitum. Fuêre qui Sigetum inde petendum, atque expugnendum exiſtimarent; Sed Toigonus oportuniore uſus conſilio, quòd illud cùm natura & arte, rebuſque neceſſariis, tum verò numero & virtute præſidiariorum tutiſſimum eſſe ſciret, & quòd jam æſtas in autumnum inclinaret, ejuſmodi conſilia facilè rejecit. In redeundo tamen cùm Quinqueeccleſiis divertere ſtatuiſſet, ut ejus urbis commoditate copias ſuas laboribus feſſas aliquot dierum quiete recrearet, haud procul Sigeto, inter propinquam ſilvam Tiliarum, ac vicum S. Eliſabethæ, interfluente rivo Almo, propter commodiorem aquationem, caſtra locavit: in quibus ejus diei partem & ſequentem noctem tranſegit: Ladiſlao Querecenio, qui tunc Sigeto præerat, & poſteà Giulam Turcis tradidit, extremo metu perfuſo, & ſi hoſtis vim adhibuiſſet, non ſatis tuta atque explicata conſilia animo vertente. Verùm Toigonus Sigeto brevì curaa & obſidionem minatus, poſtridiè cœptum iter proſequutus Quinqueeccleſias, atque illinc paucos poſt dies Budam contendit. Nec diu moratus Querecenius præfectura Sigetana ſeſe abdicavit; eique Marcus Stranſitius Croata cognomine, qui Jaurini equitum præfectus erat, commendante

Toigonus rebus bene geſtis Budam redit.

Querecenius præfectura Sigethana ob hoſtiū metū ſe abdicat. Cui Stranſitius Croatus ſuccedit.

Bat.

1556. Battianio ſucceſſit, vir militaris, & priſcæ ſeveritatis. Nec ſecus in Illyrico Malchus, qui Ulamani nuper vitâ functo ſucceſſerat, occupandæ Crupæ Coſtaniciæ imminebat: niſi Nicolaus Zrinianus eas novis præſidiis rebúſque neceſſariis muniviſſet. Nihilo tamen minus duas arces deſertas, Bunitiam & Peruſitiam è regione Carbaviæ ſitas, quæ ab obitu Carlovitii vacuæ relictæ erant, reſtauravit, additis tecto & portarum valvis, ut in iis tutus excurrentibus ſuis foret receptus.

Malchus in Illyrico Crupæ & Coſtanitiæ inhiat.

Sed à Zerenio munitæ defenduntur.

Jam etiam aliud majus bellum Solimanus & purpurati in noſtros moliebantur, & Sigeti in poteſtatem redigendi conſilia agitabant, quòd ex ea arce tam Quinqueeccleſiarum urbs, quàm omnia ea, quæ inter Danubium Dravúmque ipſis parerent loca, continuis excurſionibus infeſta redderentur, uſque adeò ut nec claſſe nec terrâ commeantibus Turcis, & potiſſimùm mercatoribus tutum iter relinqueretur. Itaque revocato Toigono, ejus expugnandæ cura Ali Eunucho committitur, de quo ſupra dictum eſt, qui tunc quatuor purpuratorum poſtremus erat, ex iis, qui Byzantii rebus adminiſtrandis præſunt: is comparatis, quæ ad bellum neceſſaria erant, priuſquam Byzantio abiret, legatos Ferdinandi ad ſe vocavit, quibus comiter & humaniter habitis, ſe in Pannoniam ad expugnandum Sigetum proficiſci nequaquam diſſimulavit; tantæ ſuperbi & contumacis animi ad eos terrendos arrogantia, ut Ungaros, quorum vires atque vim aliquot bellis ac præliis eſſet expertus, non jam armis & gladiis; ſed tantum clava ferrea & fuſtibus, ſub jugum mittendos jactabundus prædicaret, hortaretúrque ut dilatâ omni morâ voluntati Solimani parerent: ne dum ipſi diſputando tempus inani contentione protraherent, amiſsâ patriâ non habeant, quò revertantur. Legati nequaquam ſe continuerunt, quin ei rederent, iret tantum quò tenderet, inventurum eum viros tales, qui clavæ ſuæ non tantùm eminus glandibus ſclopetorum, ſed etiam haſtis & enſibus eſſent egregiè cominus reſponſuri.

Aly Eunuchus Vezires cum exercitu ad Sigethi obſidionem tendit.

Ejus faſtus & jactatio.

Profectus cum Janicerorum tribuno Veli, ac equitum prætorianorum haud contemnendo numero, Belgradum venit, & copiis labore itineris feſſis, quiete aliquot dierum conceſſa, ad omnes limitum præfectos, qui in Boſnenſi regno, ac Dalmatia, & Illyrico erant, mandata dedit, ut ad certum diem & locum convenirent: eodem modo iis, qui in Pannonia, & Tranſilvaniæ finibus erant, convenire juſſis, Budam, atque inde Quinqueeccleſias venit, ita ut in caſtris ad XXV. millia Turcarum habere crederetur; quamquam ipſe & Turcæ longè majorem numerum prodere non dubitarent. Illinc Derviſium Quinqueeccleſiarum, Achomatem Bobociæ, & Naſuffum Coppani præfectos præmiſit, qui XX. die Maji, cum ſuis copiis, ad oppidum S. Laurentii, uno ab arce milliari diſſitum conſederunt, eo conſilio, ut frumentarias invectiones prohiberent, neminémque in arcem ingredi permitterent. Qui quum quotidie portis obverſarentur, minutis præliis ſingulis diebus occaſio dabatur; in quibus plures ex hoſtibus interibant, quum felici ſucceſſu nemo ex noſtris deſideraretur: atque adeo nec oppidi nec arcis portæ clauderentur. Vigeſimo poſt die Eunuchus cum univerſis copiis & viribus advenit, quòd ſuos, quos expectabat, non antea in caſtra recipere potuiſſet: arcémque locatis à meridianâ parte caſtris obſidere conſtituit.

Iſthuanf. Hiſtor.

1556.

Sigetum lingua Pannonica Inſulam ſignificat, quòd ſuperioribus ſæculis proavorum noſtrorum memoria, Oſwaldus Anthemius, cujus progenitores è Græcia in Ungariam veniſſe dicebantur, in ea inſula, quam Almus rivus ſtagnans & paludoſus, è proximis ſilvis & montibus provolutus efficit, turrim rotundam ædificaſſet, ac inſulæ nomine vocatam, caſtigato & obſtructo terrenis aggeribus oblongis aquarum curſu, ac latiore excavato alveo, lacum effeciſſet. Eam poſteri ædificiis & propugnaculis auxerunt, ac poſtremò Valentinus Enningius cognomento Turcus, toleratâ Joannis regis obſidione, locum longè munitiorem reddiderat, quo à Solimano Conſtantinopolim adducto, & Quinqueeccleſiarum urbe in Turcarum poteſtatem redacta, liberi ejus, quòd tuendæ ei & defendendæ impares eſſent, Ferdinando conceſſerunt. Habet arcem plano loco ſitam, & foſſas aquâ plenas triplici ordine, quinque propugnaculis munitis; & ad occidentem ſolem, oppidum duplici vallo ac foſſis circumdatum; quæ omnia è materia & ceſpite conſtant, una illa vetere ac rotunda turri excepta, quæ latericia eſt; ſed adeo anguſta, ut à nemine inhabitetur: pulveri tamen ſulphureo ac rebus neceſſariis ſervandis dicata, excubitoribus idoneum locum præbet, qui iſthic continuò vigilias agendo adventum hoſtium, extenſo vexillo, ac æris campani ſonitu ſignificare conſueverunt: éſtque locus ob aquarum munimentum fodiendis cuniculis minus opportunus, quum ex adverſo haud minore vitio laboret, quòd aggeres, quorum objectu aquæ in foſſis continentur, non magno labore ſuffodi, effluentéſque aquæ alio derivari poſſint.

Sigeti deſcriptio.

Triduo poſt Turcæ ſtructis verſus meridiem aggeribus, collocatiſque tormentis, propugnaculum oppidi, quòd à Paulo Queſaſio conſtructum ejus nomine vocabatur, magnâ vi verberare cœperunt. Diſputatum eſt à noſtris, unùm tutiùs foret deſerto oppido in arcem ſeſe recipere, vel tamdiu, donec vires ſupperterent, illud tueri; vicítque ea ſententia, ut defenderetur: quòd ea Marcum præfectum, ac ejus legatum Sebaſtianum Vilacum auctores haberent, & quòd ſalvo oppido arx quòque minus ab hoſte oppugnari poſſet. Itaque hoſtibus Queſaſiam munitionem tormentis diruere conantibus, noſtri tam ex arce, quàm oppido reſiſtere contendebant, & Radovanus centurio cum ſua cohorte in aggeres excurſione factâ erupit, multíſque hoſtium interfectis, incolumis ſe ad ſuos recepit, neque tamen tormentis detrimentum, uti conſtituerat, inferre potuit, quòd Turcæ ſuis laborantibus maturam opem attuliſſent. Sub ejus diei veſperum Turcæ, in oppidum pilas ignitas jaculari cepêre, quibus quòd domus ligneæ eſſent, facilè incenſæ ſunt: neque à noſtris, quamquam impigrè operam navantibus, ignis extingui potuit; ſed eo ventorum vi magis ac magis concitato, tam oppidum omne, quàm vallum, quod è materia conſtabat, à munitione Queſaſia, uſque ad aliam Heneianam, intervallo ducentorum & octo paſſuum, puncto temporis abſumptum, terribili ſtrage concrematum eſt. Nec tamen Turcis ſummâ vi oppugnantibus noſtri ceſſere, conſervatóque ſemiambuſto oppido, eos magnâ editâ cæde procul ſubmovere.

Munitio Queſaſia tormentis verberatur.

Oppidum pilis igneis ſuccenſum totum conflagrat.

1556.

Nec multò pòſt alios aggeres prope tuolam frumentatiam, quæ una cum oppido conflagraverat, de nocte fecêre: atque ex iis turrim rotundam veterem arcis interioris, tormentorum pilis aſſiduè conquaſſarunt. Quos quum noſtri omnibus eò directis tormentis diruere contendiſſent, nihil tamen profecerunt. Hoſtes verò eodem die, qui Solis dies erat, circa meridiem omnibus ferè copiis ad ejiciendos ex oppido noſtros, acerrimum impetum fecerunt: adhortantibus eos multis clarioris nominis præfectis, ipſóque imprimis Veliaga Janicerorum tribuno. Conjecerant autem Turcæ in foſſas oppidi ingentem cumulum lignorum, quæ ab agreſtibus ad duodecim millium plauſtrorum numerum fuiſſe dicebantur: quæ noſtri ſub ejus acerrimi, cruentique prælii certamine, ſubditis ignibus protinùs ſuccenderunt. Quibus ardentibus & longè latéque collucentibus, utrinque magnis animis & viribus dimicatum eſt; adeo ut Turcæ multis ex ſuorum numero deſideratis, quater repulſi atque rejecti, inſtantibus ducibus & præfectis, ne ceptis deſiſterent, totidem vicibus pugnam reſtaurarent. Igitur quum reſumptis animis, & loco eorum, qui ſauciati aut feſſi laboribus erant, integris ſuccedentibus, quintam quòque irruptionem feciſſent, noſtri jubente Marco præfecto, ne fortuna minùs noſtris arridente, arx propugnatoribus nudaretur, relicto hoſtibus oppido, in arcem ſeſe receperunt.

Impreſſio Turcarum in oppidum.

Turcæ oppidum noſtris in arcem ſe recipientibus, rapiunt.

Quo viſo Turcæ magno ſublato clamore Aſapotum & Agricolarum labore aggeres in ipſa foſſa, quæ arcem amplectebatur, labore tumultuario ſed firmo opere, celeriter confecerunt; idque prope ædes Radovani centurionis, quæ quum adhuc fumarent, hauſta ex arcis lacu aqua abſque mora extincta eſt, ut pulvis ſulphureus tuto illhic collocari poſſit: & ex eo loco arx è regione templi continuò verberari cepta eſt. Ex adverſo noſtri vix unius horæ quiete ſumpta, contineri nequiverunt, quin majoribus viribus erumperent, ac hoſtes illis aggeribus exturbarent: ſicque Sebaſtiano Vilaco & Raduvano ducibus, per occultam quandam portulam egreſſi, rectà aggeres invaſerunt, trucidatiſque quamplurimis ex numero hoſtium, ac aliquot magiſtris tormentorum Turcas ex iis ſummâ vi ejecerunt: jamque tormentis potiti, ea loco movere ceperant, ut in propinquam foſſam præcipitarent; ſed magnâ accurrente Turcarum multitudine, atrox ſi unquam aliàs & cruentum certamen contractum eſt: quum Turcæ tormenta omnibus viribus defendenda conſtituiſſent.

Noſtri Turcas in aggeribus invadunt, fundunt ac fugant.

Duravit ea pugna quatuor amplius horis, nunc huc, nunc illuc alternante victoriâ; poſtremò quum omnes Turcarum copiæ ſuis laborantibus ſubſidio veniſſent, multis utrinque deſideratis, dirempta eſt, & noſtri arcem repetivêre; ita ut haud dubiam victoriæ palmam obtinuiſſe viderentur. Nam in eo diri certaminis cruento prælio Naſuffius Coppani præfectus, Caſſoni ſororis filius, unà cum Alaibego legato, ac ex Janiceris plures ducentis, ſclopetorum glandibus trajecti cæſique ſunt. Vulneratorum etiam magnus fuit numerus: Nam & Achomates Babociæ, & Mahumetus Solnoci præfecti, ſuſceptis vulneribus pugna exceſſerunt. Velis verò Janicerorum tribunus captus, & in arcem perductus fuit: unà cum præciſis hoſtium capitibus XXIX. ita ut ex hoſtibus haud pauciores octingentis in eo pugnæ diſcrimine periiſſe compertum ſit. Ex numero noſtrorum, præter Georgium Macedonium clarâ & nobili familiâ ortum, Georgiúmque Palatinum equites, Benedictus Topordius, ordinum ductor, ſclopeto ictus occubuit. Eum juſſu Marci præfecti in pugna occiſum fama fuit; quòd cum hoſtibus de prodenda urbe clandeſtina conſilia miſcuiſſe diceretur, nec ille vitandæ ſeditioni palàm crimen intentandum putaſſet. Sauciati etiam Radovanus centurio, Michaël Rubeus, Thomas Arteſius, & alii non pauci; ſed qui non multò pòſt ope & cura medicorum convaluêre.

1556.

Eodem quòque die hoſtes ſub noctem, alios etiam ſinuoſos aggeres effecêre, à propugnaculo urbis occidentali Henetiano, uſque ad foſſam arcis, in quos quatuor majora tormenta, ac totidem colubrinas mediocres collocaverunt; & mœnia arcis turrimque rotundam veterem proſternendam ſuſcepêre. Aliam etiam in partem, ad finem ejus oblongi aggeris, cujus ſuſtentamento amnis Almus, ad latiorem efficiendum lacum ab oppido ad ſepulchra uſque militum coërcetur, quatuor cubitis profundam latámque ſcrobem perduxêre: ita ut cohærere ſcrobes, & operæ inter ſe commeare, ſubſidióque eſſe poſſent. Ea foſſa hoſtes protecti, multa plauſtra lignorum ad implendam arcis foſſam, duobus in locis comportavêre, ac ſubſequutâ nocte aggerem illum veterem, quo amnis ad latiorem efficiendam paludem obſtruebatur, ligonibus & palis ferreis operarum miniſterio disjecerunt: ut ut arcis mœnia effluentis aquæ præſidio nudata, faciliùs oppugnari, propiúſque adiri poſſent: interim verò utramque arcem continuâ tormentorum vi verberare nequaquam ceſſarent, multóſque ex noſtris graviter ſauciarent: & præter gregarios milites pilis ferreis interfectos, Valentino Erdeho, & Jacobo Tobolino Dalmatæ, tormentorum magiſtris, illi ſiniſtra, huic dextra manus diverſis ictibus miſerabilem in modum diſcerperentur: & inuſitatæ magnitudinis tormentum, quod Margaritam vocabant, ab Antonio Senrivanio artifice, juſſu Enningi conflatum, hoſtili pila in tubum conjecta, fractum inutile redderetur. Quibus rerum difficultatibus noſtri in magnum deducti periculum videbantur, Marco neminem tormentarii negotii peritum, qui in vulneratorum locum ſufficeretur, inveniente.

Hoſtes novis aggeribus excitatis, & aquâ arcem circumfluente aliò derivatâ, ſtrenuè oppugnationem inſtituunt.

Duo etiam tormentorum magiſtri diverſis ictibus mutili officio haudquaquam fungi poſſunt.

Erat inter captivos Lazarus Thrax, qui apud Turcas eam artem exercuerat, ejúſque admodum peritus habebatur. Is religionis primùm Chriſtianæ, quam profiteretur, amore ac ſingulari erga Marcum præfectum ſtudio, ultro ſe obtulit, ſi vinculis ſolvatur, ſicuti antea pro Turcis feciſſet, ita adversùs eos operam navaturum. Et Marcus hominis promptum animum admiratus, compedibus exui, eúmque militari Sacramento adactum, tormentis curandis adhiberi jubet: quâ in re promiſſis ſuis & militum de ſe expectationi egregiè ſatisfecit. Nam haud multò pòſt primo ictu in hoſtium tormenta directo, ita eorum prægrande tormentum perfregit, ut non rotis tantùm & axibus perfractis; ſed etiam metallo diſſiliente, nulli uſui eſſet: compluréſque eodem ictu ſimul & fragminibus ſauciari interirent.

Eorum vice Lazarus Thrax ſtrenuam & fidelem operam navat.

Interea Turcæ aliam quòque oppugnationem inſtituerunt, quâ in orientalem arcis munitionem quatuor colubrinis majoribus quaſſatam irrumpere, ſimúlque toto triduo arcis portam inte-

1556. interiorem, quæ lapidea erat, & turrim quadrangularem ſuperimpoſitam diruere contenderunt. Sed Marco jubente omnia tormenta, quæ in arce erant, in eos directa ſunt; ita ut aggeres & corbes eorum vi disjicerentur, nec Turcæ in iis conſiſtere poſſent: ſed relictis tormentis effuſam fugam capeſſere compellerentur. Sub eo acerrimo tumultu, noſtri Radovano, ac Matthæo Sexodio præeuntibus, arce erumpentes, quum pulverem ſulphureum, picem, tædas pineas, quæque alendo igni idonea erant, docente Lazaro, ſecum attuliſſent, ingentem illum lignorum acervum, qui XXV. millibus plauſtris, in foſſam arcis convectus eſſe ferebatur, felici eventu ſuccenderunt: adeo ut tanta materiæ moles, per aliquot dies aſſiduè arderet, neque ea ex parte ullus vel Turcis in arcem aditus pateret, neque à noſtris erumpi poſſe videretur.

Ingens lignorum acervus in arcis foſſam congeſtus à noſtris feliciter ſuccenditur.

Sub id tempus ad Alim Eunuchum certioribus nuntiis allatum eſt, copias Ferdinandi haud contemnendo numero ad obſidendam Baboçiam contendere: Quamobrem Achomatem ejus loci præfectum, quem ante paucos dies in ea pugna, quâ cedentibus noſtris hoſtes oppidum occupaverant, vulnus accepiſſe diximus, ſinè mora reverti, locúmque tueri jubet; ſimulque brevi ſe auxilio venturum, ad edendam nobilem cum Ungaris & Germanis pugnam, multis verbis pollicetur. Interim autem, quæ oppugnandæ arci, ac diſtinendis & inquietandis noſtris opportuna erant, minimè negligit, & tormentis continuè diſploſis mœnia arcis diruenda curat. At alia in parte Thomas Nadaſdius Pannoniæ Palatinus, cum iſto exercitu, ac idoneo tormentorum apparatu Baboçiam obſidione cinxit; eo conſilio, ut Sigetum obſidione liberaret, aut ſi hoſtis committendæ pugnæ poteſtatem daret, non iniquis conditionibus prælii fortuna tentaretur. Erant cum eo equites Germani ſexcenti, quos Joannes Ruberus, Otto Henricus Puchanius, & Joannes Gilleſus ductabant: ac ex Stiria totidem, qui Joanni Lencovitio, impigro atque induſtrio Seni, unà cum auxiliariis Stiriæ & Carinthiæ copiis, ab Andrea Rindſatio conductis parebant: & legio Germanica, quatuor millium quingentorum peditum, duce Nicolao Polweylerio, nobili familiâ ex Alſatia parte Sueviæ oriondo, aliíque ex Stiria & Auſtria inclyti ordinum ductores. Sed & Ungarici nominis equitatus, clariſſimis & fortiſſimis ducibus convenerat. Nam præter ipſius Palatini peculiares copias, quæ mille peditum & totidem equitum numerum conſtituebant, & qui Valentino Magiaro ipſius legato parebant, Nicolaus Comes Zrinianus, qui Illyricum regebat, equites exercitatos plus minus mille adduxerat; Emericus Telequeſſius, Lunæ & Veſprimii præfecturis ſummâ cum laude functus, quem Ferdinandus nominatim ad hoc bellum proficiſci voluerat, quingentos habebat equites. Franciſcus Tahius, Joannes Peteo, Stephanus & Ladislaus Banffii peculiares alas cohortéſque ſuas addiderant. Accidit autem infeliciter, quòd quum ad Perlacum oppidum perventum eſſet, Paulus Ratcaius vir præſtantiſſimus, quum ob vile ſcortum rixa inter Germanos oborta eſſet, & ipſe ex hoſpitio fortè prodiiſſet, glande in incertum emiſſa, interfectus eſt, magno omnium dolore & commiſeratione. His igitur ac Nobilitatis Ciſdanubianæ copiis, quæ ad XV. millia armatorum conſtituebant, circumvallata arce, duabus ex partibus aggeres conſtituti ſunt, inque iis tormenta collocata: quorum alterum Nicolaus Polweylerus curandum ſuſcepit; alterius verò curandi munus Franciſco Tahio demandatum eſt; quumque quatuor dies aſſiduè muri eſſent verberati, ita ut Palatinus poſtridie impetum in arcem fieri velle edixiſſet, major Turcarum pars, ſeu ſeditione factâ, ſive metu perculſi, clarâ diei luce arce exceſſerunt: Achomate præfecto cum ſua equitum ala, & paucis quibuſdam aliis in præſidio relictis: ita ut ipſe quòque, niſi ab Eunucho opportuna maturáque auxilia adferrentur, ſe eos qui diſceſſerant, ſequuturum affirmaret.

Nadaſdius Baboçiam obſidione cingit.

Exercitus noſtri numerus & Duces.

Paulus Ratcaius obit glande fortuitâ ictus.

Major Turcarum pars Baboçiam deſerit.

Interea Eunuchus intermiſsâ obſidione Sigetana, tormentis Quinqueeccleſias miſſis, nec niſi falconibus minoribus ſecum allatis, copias promovit & XXII. Julii, qui dies divæ Mariæ Magdalenæ memoriæ dicatus eſt, in conſpectum noſtrorum ſe dedit. At Palatinus Valentinum Magiarum legatum ſuum cum expeditiſſimis equitibus ad Rinnim extemplo procurrere, & quid hoſtes agant, explorare jubet; ille haud cunctatus revertitur, hoſtéſque adeſſe, & vadum, quò tranſeant, quærere refert. Itaque Zrinianum Comitem, cui, quòd Illyrico præeſſet vetere belli conſuetudine, ut antea dictum eſt, primi ductandi agminis munus incumbit, cum ſuis mille equitibus præmittit, ac Joannem Lencovitium cum Stiriacis adjungit, eo conſilio, ut hoſtes Rinniæ tranſitu arceat; ipſe ſe inſtructâ acie ſequuturum pollicetur. Zrinius propiùs amnem promoto equitatu, hoſtes nullo quæſito aut tentato vado, ſed quâ quiſque potuit citatis equis in ſe & ſuos magno impetu ruere conſpicatus (quorum tamen maxima pars, antequam ad conſerendas manus ventum eſſet, profundo cœno abſorpti, aut conflictantibus equis implicati, aut glandibus icti miſerabiliter periêre) non ſolùm non impigre & fortiter excepit, atque ſuſtinuit: ſed ſuos magnâ voce ad reſiſtendum cohortatus retrofugere compulit: multóſque ad rivum paludémque conſtrictos gladiis & ſclopetis cædendos curavit: cæteri vorticibus cœnóque impediti, nec tranſire valentes, fœdâ morte periêre, pugnatúmque eſt à meridiei horâ ad occaſum ferè ſolis, quum Eunuchus in ſpeciem cum univerſo exercitu tranſire volentis ad amnem propiùs venit. Ea re animadverſa, Palatinus ſigno regio purpureo auratóque haud cunctanter ſublato, crepitantibus tympanis, tubiſque canentibus, ſuas copias promovit: ſed quum Turcæ amnem minimè tranſiiſſent, & ſerum etiam diei eſſet, utrinque in caſtra reditum eſt. Ea in pugna Zrinio equus glande trajectus fuit: & dum alium conſcenderet, paludamentum ejus auro intertexto ſplendidum, pila falconia perforatum: feruntque eodem in tumultu, à Budaco Turca Veruciæ præfecto, quiſnam eſſet, Illyrica lingua percunctanti, ſe Nicolaum Zrinium reſpondiſſe, peteréque ut ſuo nomine Ali, exercitûs duci ſalutem dicat, illúmque ſubditis mox equo calcaribus abiiſſe, eodemque veſperi Zrinio cœnanti literas ab Eunucho allatas, quibus ei pro reddita à Budaco ſalute gratias ageret, relaturúmque ſe officium nactum occaſionem polliceretur.

Eunuchus, Sigethanâ obſidione intermiſſa, Baboçianis ſubſidio accurrit.

Congreſſus Zrinii cum hoſte ad Rinnæ tranſitum.

Eâ nocte Palatinus convocatis ducibus, quidnam faciendum videretur, exquiſivit, poſtquam hoſtes ad pugnam in craſtinum redituros

1556. ros pro comperto haberet. Variantibus ſententiis poſtremò decretum eſt, impedimenta curribus imponenda, ac inſtructis agminibus, lentoque paſſu retrocedendum: & ſi hoſtis ingruat, pugnamque poſcat, expedito milite tentandam cum eo fortunæ aleam. Ea re conſtituta Nadaſdius turmas equitum, quas ad vada reliquerat, revocavit, relictis paucis equitibus, qui nocturnas excubias obirent, ac de hoſtium tranſitu ſe edocerent. Alis ſummo mane caſtra noſtrorum ſpeculatus, cùm ſublata tentoria, noſtroſque aciem inſtruere vidiſſet, ſuas copias omnes amnem tranſducit; tormenta currulia minora XX. unà promovet, eo conſilio, ut cum noſtris manum confereret; aut ſi ii detrectent, circumcurſando & eos fatigando, ad rerum neceſſariarum difficultates adducere poſſet. At Palatinus iterum aciem componit ad prælium, Zrinium cum Illyricis ex officii prærogativa præire jubet, eique Joannem Lencovitium cum ſuis & Sclavoniæ ſtipendiariis militibus adjungit. Polbailerius cum legione ſua peditum Germanorum ſubſequitur: eum ab latere dextro equites Ruberiani Auſtriaci, ab ſiniſtro levis armatura equitum Ungarorum comitantur.

Eunuchi cum noſtris atrox prælium.

Eunuchus ab ulteriore ripa, directis in noſtros tormentis, pugnæ initium dat, quibus magna frequentia diſploſis, ſui amnem tranſeunt; qui cum ſuapte natura vorticoſus eſſet cænoque impeditus, colluctantibus equis, & noſtris glandium procellam in eos effundentibus, ſumma difficultate, nec ſine clade eum ſuperant, ac in Zrinium toto impetu feruntur, à quo tamen fortiter excepti ſunt; ita ut certamen diu multùmque protraheretur: quod cùm anceps & periculoſum videretur, Palatinus ſignum regium majus cum copiis, ſuadente Tahio, promoveri & in hoſtes ferri jubet. Polbailerius cum legione adcurrit; Ruberus & ſocii equites in eoſdem provehuntur; crepitantibuſque tam ex ulteriori ripa, quàm ex arce hoſtium tormentis, atrox ſi quando aliàs pugna recrudeſcit; in qua complures ex noſtris, lethalibus vulneribus ſauciati, interiêre, inter quos

Chriſtophorus Polbailerii frater tormento diſcerptus moritur.

Chriſtophorus, Polbailerii germanus frater, pedem ſiniſtrum ſub femur ingentis tormenti pilâ ictus occubuit, ita ut ejuſdem pilæ vi atque immanitate novem milites Germani, eodem ordine ſequentes, uno ictu proſtrati & diſcerpti crudeliter occiderentur. Poſtremò Ungari & Germani mutuò ſe cohortati, annitente Joanne Peteone, tantâ vi barbaros invaſêre, ut eorum aciem totam perturbarent. Telequeſſius quòque ſubſidio advolans cum Jaurienſibus, hoſtium formidinem auget, cruentâ irruptione

In quo Turcæ victi & in fugam conjecti.

in eos invectus: ſicut Turcæ noſtrorum impetum ſuſtinere non valentes, in effuſam fugam verterentur: & noſtri accenſi animis fuſos ad multum ſpatium, & ad ipſam uſque paludoſi amnis ripam cædendo capiendoque curſum intenderent. Ubi plures ex noſtris ſtudio inſequendi, in amnem avidiùs delati, à Turcis cæſi, aut profundo cæno irretiti periêre: captus etiam fuit Elias Radicius, veteranus Zrinii miles, & ab Eunucho ex caſtris ſine mora Byzantium miſſus, edoctuſque ut copiarum hoſtilium numerum in immenſum augendo, mentiendóque extolleret. Multis tamen turma equitum Germanorum, quam Palatinus ad vada reliquerat, adjumento, ſaluti que fuit. Eo in certamine præclara virtus Zriniani Comitis enituit, & tota laus retruſi pulſique hoſtis ei ceſſit:

proxima Rubero cum Auſtriæ cataphractis, & Telequeſſio, qui etiam paulò pòſt commendante Palatino ad majores præfecturas & honores evecti fuêre. 1556.

Achomates, Babocia deſerta, ad Eunuchum ſe recipit.

Achomates, qui hactenus inſtratos equos ad incerta belli habuerat, & arcem non ſine ſummo metu tutatus erat, viſa ſuorum præcipiti fuga, incenſa illa, repertoque in amne vado, ad Eunuchum ſe celeriter proripuit: eo, ùt credi par eſt, concedente, utpote qui minorem arcis, quàm ipſius Achomatis, & tot fortiſſimorum militum jacturam exiſtimaſſet. Quem Eunuchus, quonam vado tranſiiſſet percunctatus, quum haud difficilem, nec tam lubricum, ùt aliàs intellexiſſet, Derviſbegum eodem vado tranſire, & pugnam reſtaurare jubet.

Turcæ pugnam redintegrant.

Nadaſdius & Polbailerius nonnihil perturbati, quòd fuſos & fugatos non ampliùs reverſuros exiſtimaſſent, cum victricibus copiis in hoſtes ſeſe obvertunt: præeunteque Zrinio aſperum & maximè cruentum certamen redintegrant: quum utrinque robora lectiſſimorum militum, pro dignitate nominis & victoriæ dimicarent. Ad extremum bis antea fuſi & fugati hoſtes, tertium quoque impetum noſtrorum nequaquam ſuſtinere potuerunt; ſed rejecti magnâ cæde trans amnem retrofugere cæperunt: &

Sed iterû profligati cæſique, & palude ſubmerſi, refugiunt.

partim cæſi, partim cœnoſa palude immerſi, ampliùs ſexcenti periêre; totidem vulnerati, ùt poſtea à transfugis intellectum eſt. Sed neque noſtris incruenta ceſſit victoria: Nam XL. circiter ex Ungaris cecidêre; ac Jacobus Nadaſdius, Palatini frater, diverſâ tamen matre genitus, & Joannes Cxoborius, egregii juvenes à Turcis circumventi, cæſique fuêre, & ex Germanorum numero, præter Theobaldum Ciglerium & Sigeſdorffium Stiriacorum ordinum ductores, CCLXX. deſiderati, & XXX. capti, unà cum Egenolphio Zelho peditum præfecto, qui poſtea è vulnere apud hoſtes interiit.

Babocia diruta à noſtris, ſed poſtea inſtaurata.

Hic finis fuit pugnæ, quam pro Babocia ſuſceperat, ac aliquoties repetiiam Eunuchus, amiſſa etiam ea infelix, haud bene pugnaſſe viſus fuit. Noſtri præſidium arci imponendum nequaquam neceſſe eſſe duxerunt: ſed potiùs eam quoque partem, quæ ab incendio intacta reſtabat, ſulphureo pulvere disjiciendam curavêre: ſteitque triennium ferè aut ampliùs diruta deſertàque: donec ab Andrea Bathorio, jubente Ferdinando, reſtaurata præſidioque munita fuiſſet. Palatinus periti ac induſtrii du-

Nadaſdius caſtris motis diſcedendum ſtatuit.

cis nomen conſequutus, quum ſe eo conſilio veniſſe meminiſſet, ut Sigetum obſidione liberaret, & ſimul abunde dignitati ſuæ ſatisfactum eſſe ratus, quòd hoſtes pugnæ ſummam detrectaſſe viderentur: habito cum Zriniano Comite & Polbailerio cæteriſque ducibus conſilio, caſtra reducenda conſtituit, ac deluceſcente die tormenta retrahi juſſit: ipſeque cum univerſis copiis, itinere penès Dravi ripam, ob aquationis commoditatem facto, Berſenciam, indeque Chorgonem pervenit, ubi Ferdinan-

Ferdinandus Princeps cum ſalectiſſimo exercitu noſtris ſuccurrit.

dum principem, Ferdinandi regis filium, cum non contemnendo exercitu à patre miſſum, reperit. Quod cùm Eunuchus per exploratores certiùs intellexiſſet, Chauſios ad Beglerbegum, per diſpoſitos equos celeriter mittendos cenſuit, eique injungendum, ut poſtpoſita mora, cum ſuis copiis ad ſe venire maturaret, quòd Ferdinandus, miſſo cum innumerabilibus copiis filio ſuas vires cum Palatini exercitu pro-

pediem

1556. pediem conjuncturo, pugnam de ſumma rerum cum Turcis ineundam mandaſſet; iſque ejus literia & nuntius excitus, dies & noctes confecto itinere, Tolnam pervenerat. Sed princeps à patre multis precibus fatigato ægre impetraveaat, ut ſibi prima militiæ rudimenta facere liceret, quibus bellu gerendo, corpore atque animo experientiaque firmaretur; ſimúlque ut Palatino, ſi ad propoſitas Sigethi liberandi rationea impar viribus foret, ipſe oportunam opem allaturus veniſſe videretur.

Beglerbegus Eunuchi precibus excitus, ſuis ſuppetias fert.

Aderant illi è Bohemia & Moravia ac Stiria inſignea equitum alæ millenariæ tres, & è Janrino, Papa, aliíſque limitibus evocati equites Ungari mille: Henricua princeps Plavius Bohemicas turmas, Moravicar Carolus Sirotinus ductabat. Equorum ſelectiſſimorum jugis è Bohemia mercede conductis, tormenta curruſia tam campeſtribus pugnis, quàm urbibus oppugnandis idonea, cum omni apparatu, longo ordine trahebantur. Adjunxerat ei indulgens pater, viros ætate prudentiaque graves; Joannem Baſpriacum, Honorium Cuniſpergum, Franciſcum Turrianum, Paulum Celtingum, & alios pacis & belli artibus claros, quorum conſilio uteretur. Joannes Fucearus, Antonii filius ſuo ſumptu quinquaginta equites cataphractos adduxerat. His autem omnibua & exercitui, quem adduxerat, Sforcia Pallavicinus, vir clarus, militiæque peritus, ſumma cum poteſtate præerat: qui ad nuvem vel decem millia utriuſque ordinis militum conſtituere ferebatur.

Pallavicinus exercitus Ferdinandi præfectus.

At Eunuchus poſt Babocianam pugnam, non ſatis proſperè pugnatam, Sigethum repetere conſtituit, ratus propugnatorum pertinaciam, renovatâ obſidionis difficultate, expugnari, aut ad deditionis conditiones deduci poſſe. Itaque Dervisbegum Quinqueeccleſiarum præfectum, pro reducendis tormentis, quæ miſerat, cum parte exercitûs præmittit: ipſe ſuum iter ita conſtituit, ut quo tempore tormenta adveherentur, eodem ipſe cum reliqua parte exercitûs adeſſet. Itaque XXV. Julii die divo Jacobo ſacra in conſpectum Sigethanorum venit, & ad Baſſalum, ac ad ſilvam tiliarum, quæ quòd tota ex tiliis conſtet, ſic vocatur, conſedit: oſtentatiſque è longinquo, non tantùm quæ noſtris præciderant; ſed etiam ad augendum metum & pavorem, Turcarum capitibus, falſo nuntiari curavit, noſtros ad Baboclam victos, cæſum Palatinum, tormenti ictu diſcerptum Zrinium, inſignem ab ſe victoriam reportatam. Sed quum ex arce tormentis peteretur, nec ſine periculo ibi conſiſteret, caſtra longiùs ab arce attraxit. At noſtri eruptione factâ, Turcas tendendis & diſponendis tentoriis occupatos invaſerunt, & atrox eventúmque certamen contraxerunt; in quo Martinus Croatua ſingulari pugna cum obvio Turca congreſſus, ſpectante utroque exercitu, eum equo dejectum confecit, interfecit, interfectique caput in arcem intulit.

Eunuchus Sigethanā obſidionē repetit, die 25. Julii.

Turcica verſutiæ.

Triduo pòſt novo ſaggeres ad Baſſalum conſtituerunt, quatuorque tormenta ibi collocantia, arcem diruere ceperunt. Verùm noſtri eam mæniorum ruinam, quæ ſtatim poſt Turcarum diſceſſum LXX. paſſuum longitudine, magno obſeſſorum, ſi hoſtes adfuiſſent, periculo prociderat, interea donec Baboclæ pugnaret, è materia terraque magno nec dies vel noctes intermiſſo labore, ita refecerant, ut ſolidiora & firmiora quàm antea viderentur. Quibus rebus animadverſis, Turcæ aggeres, quos in oppido ad Rodovani centurionis ædes paraverant, reperendos, ac in iis tormenta collocanda decreverunt. Quos cùm noſtri in opere verſari, jamque vexilla ſuſtuliſſe conſpexiſſent, eruptione factâ terga vertere coëgerunt; tormentiſque in fugientes diſploſis, quòd ea minoribus glandibus onerata erant, magnum eis detrimentum intulerunt. Multi quoque Turcæ conſcenſis corbibus terrà repletis, qui tormentis præſidio erant, apud Baſſalum, uti antea ſæpiùs, compellato numine præfecto, clamabant ampliſſimis oblatis conditionibus, ut arcem tradere, quàm acerbiſſimæ cladis diſcrimen ſubire mallet, juraſſe Janiceros Turcaſque omnes longo militiæ labore exacerbatos, ſi vi & armis ponantur, omnes ad unum crudeliſſimè mactaturos. Ad eas voces, non ſine clamantium, & arcem petentium periculo, noſtri tormentis & glandibus reſponderunt, hoſtibuſque qua eſſent animorum conſtantia, demonſtrarunt.

Nec poſtea cum ſex diebus, quibus hoſtes è Babocia reverſi arcem oppugnarunt, quotidianæ eruptionea intermiſſæ ſunt; omnibuſque præliis, quod mirum videri poteſt, noſtri victores evaſerunt: ita ut unus tantùm è noſtris Joannes Hencius, gregarii nominis miles periret. Accidit tamen magnâ fortunæ malignitate, ut Lazarus ille, quem è captivo tormentorum magiſtrum evaſiſſe retulimus, vir induſtrius, & tormentarii negotii peritus, dum circa tormenta in adapertis muri hiatibus incautiùs verſaretur, majoris culubrinæ hoſtilis ictu lethaliter ſauciatur, ultimuſque ea in oppugnationa, non ſine ſummo omnium & Marci ipſius dolore interiret. Matthæua quòque Panca architectus, paulò poſtquam hoſtes diſceſſiſſent, morbis ſenioque confectus è vita migravit. Quibus de cauſia Eunuchus tot conatibus irritis fractus, ac ſpe arcis potiundæ dejectus, de diſceſſu cogitare cæpit: ſuorúmque uſus conſilio, ad ultimum diem menſis Quintilis ſummo diluculo, reductis tormentis, Quinqueeccleſias reverſus eſt: ad quem locum Beglerbegus quòque non multo pòſt cum exercitu ei ſe conjunxit.

Eruptionibus quotidianis noſtrà hoſtes infeſtant.

Eunuchus obſidione ſolutà diſcedit.

At princeps Ferdinandus receptis ad Chorgonem in ſua caſtra Palatino, ejuſque copiis, navandæ operæ cupidus, juventaque fervidus, ſuos in prætorium tabernaculum convocavit, ac cum eis de ulteriori ſuo itinere, deque gerendi belli rationibus conſilia inire conſtituit; admonuitque, ne exercitum, omnes labores & pericula, pro republica ſubire paratum in æſtivis & otio tamdiu torpeſcere paterentur. Duces, qui conſilio aderant, diſputationibus in utramque partem habitis, variè ſentiebant. Carolus enim Sirotinus nuper è Tranſilvanico bello reverſus, ac alii, quibus fervida ingenia, ingenteſque ſpiritus erant, conjunctas duorum exercituum vires extollendo & laudando, proſperoſque rerum ſucceſſus ſibi pollicendo, progrediendum, ac fugiente hoſte Sigethum prætervehi, & urbem Quinqueeccleſiar invalidam & debilem expugnandam ſuadebant: alii contra uſu rerum & militari prudentiâ inſignes, non eſſe eò temere procurrendum, unde aut difficilis eſſet receptus, aut manifeſta clades cum certa ignominia foret expectanda. Ipſe ante alios Palatinus, cunctator naturâ, ac illatarum proximè retroactis annis à barbaris cladium non immemor, quamquam ad principem ſumma rerum reſpiceret, multis rationibus eorum ſententiam

Deliberatio noſtrorum ducum de bello porrò gerende.

1556. tentium improbat, neve temeritatem & fortu-
nam, pro diſciplina prudentiaque ſequerentur,
coarguebat; deinde rogatus ſententiam in hunc
modum loquutus fertur.

Palatini oratio. ,,Scio ego, Princeps inclyte, vuſque viri
,,fortiſſimi, neminem de futuris callidum ſatis,
,,ſapientemque eſſe, quio ſæpe etiam prava, te-
,,merariaque conſilia æquè ac bona proſperè
,,evenire; ſemper tamen mihi fixum illud ani-
,,mi propoſitum fuit, certum belli & victoriæ
,,finem in incolumitate exercitûs conſiſtere,
,,nec illum temere, niſi certâ ſpe obtinendæ
,,palmæ hoſti objiciendum. Quod ſi contem-
,,ptis hoſtium viribus caſtra promovere, reli-
,,ctoque ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram par-
,,tem Sigeto, ulteriùs progredi, & Quinqueec-
,,cleſias aut Soclostam tentare voluerimus,
,,quod nonnullis, qui ante me dixerunt, viris
,,fortibus, & eximiis bellatoribus placere vi-
,,deo, maximè vereor, ne concurrentibus illico
,,in noſtram perniciem hoſtibus, ejus ſuſcepti
,,conſilio nos è veſtigio pœniteat. Num enim
,,Eunuchum ducem & bellatorem acerrimum,
,,recentibus & Beglerbegi copiis auctum, &
,,ambos haud procul Quinqueeccleſias ad Da-
,,nubium in æſtivis agitantes, ſuis non ſtatim
,,auxilio adfuturos putatis? Num Budenſem
,,præfectum, & cæteros Turcas, qui à tergo,
,,à fronte, à latere, à multis partibus per limi-
,,tes ſparſi ſunt, convocatis ad arma Boſnen-
,,ſibus, Illyriis, Thracibus, Martalocis, at-
,,que id genus militibus, quibus nihil agilius,
,,nihil infeſtius eſſe poteſt, apertis ſpe prædæ
,,velut faucibus irrupturos negabitis? Nonne
,,illi ſtatim, ut paululum Sigetum prætervectos
,,viderint, indigne velut quadam clauſos,
,,undique laceſſent, & inquietabunt, com-
,,meatui avertendo ante omnia alia incum-
,,bent, & ut nos onuſtos ſarcinis & impedimen-
,,tis, fame, ſiti, rerum omnium neceſſariarum
,,penuriâ atque inopiâ circumventos, quod ante
,,hos annos noſtrâ ætate Coctano eveniſſe me-
,,minimus, opprimere, quod Deus avertat,
,,atque adeò delere poſſint, omni ſtudio & viri-
,,bus conabuntur? Copiarum noſtrarum vim,
,,virtutemque hoc loco & tempore neque ele-
,,vandam neque extollendam puto: illud ſiqui-
,,dem ineptum, inconſultumque judicaverim;
,,nec tamen majorem earum partem tyrocinio
,,quidem alacrem, ſed bello minùs exercita-
,,tam diffiteri auſim; ut taceam nos cum feroci
,,& inquieto acerrimóque hoſte negotium ha-
,,bituros, & qui nos numero, etiam multis
,,partibus ſuperare videatur: quum magiſtri
,,equitum Græciæ, ſi vera ſunt, quæ de eo à
,,rerum peritis referuntur, triginta equitum
,,millia, in aciem producere conſueviſſe fe-
,,runtur.

,,Quòd ſi interea ſubitis imbribus itinera
,,molleſcent, aut inflati amnes exundabunt,
,,quæ ratio, quis modus provehendis tormentis
,,dabitur? quæ vel duplicatis tunc jumento-
,,rum jugis, ne loco quidem moveri, nedum
,,in hoſtem ohvetti poterunt: ſed inſigni cum
,,dedecore, damnoque neceſſe erit hoſtibus re-
,,linqui. Juſſi ſumus has copias comparare, ac
,,in campum ducere, eo propoſito fine, ut Si-
,,getum, in cujus ſalute ſalus harum regionum
,,ſtat, obſidione liberemus. Ea res nobis, Deo
,,Opt. Max. juvante, bene proſperéque ſuc-
,,ceſſit; dignitatique & voto clementiſſimi re-
,,gis noſtri, patris tui, ita ſatisfactum eſt, ut jam
nunc hoſtem validum, & ferocem viribus au-"
ctum, cujus vim nuper difficillimè ſuſtinui-"
mus, minimè irritandum, nec exercitum in"
diſcrimen conjiciendum exiſtimem. Itaque"
pace tuâ dixerim, ac eorum qui fervidis, quàm"
ſalutaribus conſiliis nituntur, ego cunctanter"
das copias, & ex hoc loco hoſtium excurſibus"
nimis expoſito retrocedendum ultra flumen"
cenſeo: ac caſtra vallo foſſaque munienda,"
donec quorſum hoſtium conſilia tendant,"
cognoverimus, quos brevi aut dilapſuros,"
aut ſi quid in animo volvant, aggreſſuros reor."
Emittendus interea equites levis armaturæ,"
viarumque peritos, qui ſubitariis excurſioni-"
bus hoſtes infeſtent, cognoſcendiſque eorum"
conſiliis quotidiana exercitatione progredi-"
antur: aut ſi quam in occupandis infirmio-"
ribus caſtellis fortunam cum aliqua parte co-"
piarum experiri placeat, haud equidem ab-"
nuerim. Atque hæc, quæ mihi viſa ac placita"
ſunt, fideli obſequio tibi propoſui, potiúſque"
paucorum libidini, qui me ex compoſito bel-"
lum protrahere, nec maturæ victoriæ laudem"
quærere dicunt, ſuccumbere, quàm inſolentis"
temerariæque ſententiæ auctor eſſe malui. Si"
tamen à patre diverſa mandata in arcano ac-"
cepta habes, aut ſi duxeris è commodo rei-"
pub. ac Regis noſtri fore, ut hoſtem adoriare,"
ipſe votis nuncupatis, ut id bene proſperéque"
eveniat, arma capeſſere, & tecum unà qua-"
lemcúnque fortunam ſubire minimè detrecta-"
bo." 1556.

His Palatini verbis quum Princeps nonnullos
haud parum perculſos eſſe, & majorem partem
Senatûs in ejus ſententiam inclinare animadver-
tiſſet, ſe de iis patrem quàm celerrimè certio-
rem redditurum dixit: interea tamen, ut ali-
quid tentare vellent, magno ſtudio urgere non
deſinebat, poſtquam ſi nihil egregii facinoris
tentando domum reverteſſet, indecorum ſibi
maximè & turpe ducebat, utpote qui juvenili
fervidáque ætate labores quoſvis caſtrenſes &
bellicos tolerare, agendóque & pugnando, lau-
dis & gloriæ militaris fructum quærere conſti-
tuiſſet. Poſt varias igitur diſputationes delibe-
ratur, ut arcem Corothnam, quæ à Turcis
ſuperiore anno, diffugientibus Matthiæ Aliæ
militibus occupata fuerat, tentandam, capi-
endámque ſuſcipiant. Ei rei perficiendæ ducem
ſe offert Sforcia Pallavicinus, Principis juvenis
legatus, deligiturque Nicolaus Polbaſterius cum
ſua legione, ac Lencovitius cum Sclavonico pe-
ditatu, qui unà proficiſcantur. Nicolao Zrinio,
uti locorum perito, impigróque duci jubetur,
ut eum ſuis agmina præcedat, ac Germanos
conſilio manuque juvare non prætermittat. Ad-
duntur tormenta muralia octo medioctia: at-
que ut Princeps ſequuturi mox cum univerſo
exercitu ſpeciem præbeat, conſtituitur.

Itaque eam noctem continuato itinere, ſub
illuceſcentis auroræ crepuſculum, eò perven-
tum eſt: nec mora, tormenta ad orientem ſo-
lem collocant, iiſque tria ſigna peditum Ger-
manorum, cum calonibus & foſſoribus, præ-
ſidio adjungunt: ab occaſu verò vallum, quod
è materia & ſimplici cratium ſepimento, ar-
gilla paleis mixta obducto, conſtabat, poſt-
quam ictibus tormentorum aliquantulum hia- *Corothna*
tus aperiretur, aggredi ſtatuunt. Tanta autem *arx vi à*
fuit noſtrorum in procurrendo celeritas ut con- *noſtris*
tineri nequiverint, quin omnes tam equeſtris *expugna-*
quàm pedeſtris ordinis milites, nullis ducum *ta.*
aut

1556. aut præfectorum imperiis, nullo tormentorum fragore expectato, per pontes & cænoſas vias, magno animorum ardore, vallum extemplo ſubirent: & Polbailerius ſuos milites ad tormentorum cuſtodiam relictos ægerrimè, ne tormentis relictis ſeſe pugnantibus miſcerent, retinere coërcereque potuerit. Primi, qui appoſitis ſcalis vallum conſcendere, Stephanus Tompa Zrinianæ equeſtris alæ ſignifer, ac Petrus Patacitius clarus eques fuêre: quos ſequuti certatim Germani & Ungari.

Capto vallo ac trucidatis, qui in eo erant, ad unum hoſtibus, ii, qui in arcem profugerant, aliquamdiu tormentis & ſclopetis ſe tueri: poſtremo metu ſociorum cædis perterriti, re deſperata, Ungarorum atque imprimis Zriniani Comitis fidem opémque implorare, deditionis conditiones offerre. Sed quum pedites Ungari Germanis permixti, portam arcis ſecuribus divellere, aut flammis exurere cæpiſſent, è feneſtris ſe præcipitare, ac evitatis, quantum poterant Germanis, ſe Ungarorum manibus capiendos obtrudere. Verùm irritatis & frementibus Germanis, nemini parcitum eſt, adeò ut jam dediti, captique ab Ungaris, inter eorum complexus crudeliter interficerentur: nonnulli Ungarorum ſimul cum Turcis, quos ceperant, ſclopetis trajecti interirent: ſicque arx concurſu militum parvo temporis intervallo capta direptáque eſt, & in tanta re perficienda, ex Ungaris decem milites periêre: è numero autem Germanorum bis totidem, inter quos Scipio Landenbergus, ordinum ductor deſideratus fuit; quem in valli oppugnatione, caligarum ad luxuriem conciſarum laxitate, præacutæ ſudi irretitum, quales tunc Germani in uſu habebant, nec ſe ſatis citò explicantem hoſtes interfecerunt.

Ex hoſtibus non niſi qui per paludes & ſilvas, ac notos tramites initio pugnæ profugerant, pauciſſimi fugâ evaſerunt. Qui quum ad tutiora loca, versùs ſancti Martini caſtellum, quod inter Capoſuarium & Quinqueeccleſias medio ferè itinere erat, perveniſſent, alas & cohortes ſociorum, qui repetendæ Babociæ mittebantur, obvios habuêre. Sed quum ab iis Corothnam, ſine ulla tormentorum vi manu captam, cæſos ad unum omnes præſidiarios, Principem cum innumerabilibus copiis, ac incredibili tormentorum apparatu, ſubſequi intellexiſſent, tanto protinus pavore conſternati fuêre, ut non ſolùm Babociæ repetendæ conſilia abjecerint: ſed etiam Turcis omnibus, qui in caſtellis, ſancto Martino, ſanctoque Laurentio, Selliaque & Groſgallia agitabant, auctores fuerint illas munitiones incendendi, & effuſa fuga ſe Quinqueeccleſias proripiendi. Quorum fuga intellecta, Marcus Sigeti præfectus, milites ſuos ad ea loca ſummâ adhibitâ celeritate miſit: & XXX. ferè tormenta, quos falcones vocant, ex iis Sigetum convehenda curavit. In ipſis quoque caſtris Eunuchi & Beglerbegi haud obſcurè trepidatum fuit. Tanta enim fuit exercitûs noſtri fama, ut hoſtes illum octoginta bellatorum millia excedere haud dubitarent: ſic ut etiam apud noſtros hoſtium numerus verò major & amplior ſpargeretur: adeò ut utroſque mutuus metus & inanes commeantium rumores à mutuo congreſſu averterent. Illud haud prætermittendum videtur, hoc primum bello, Germanos milites gregarios fœdum illum excoriandorum cadaverum morem uſurpaſſe, quòd hoſtes aurum deglutiviſſe

Excoriandorum cadaverum con-

falsò dicerent; manſitque id inquinamentum poſtea ſubſequentibus expeditionibus: cujus rei nomine Germanos apud Turcas malè audire etiamnum videmus. 1556.

ſuetudo originaria à Germanis.

Re bene geſtâ, noſtri in caſtra redierunt & Princeps flumen, quod ponte ſternendum curaverat, trajicere, exercitúmque reducere conſtituit. Priùs quàm copiæ trajicerentur, Palatinus inſignem illum prædonem, Sebaſtianum Totum, qui abjuratâ Chriſtianâ religione ad Turcas transfugerat, à Sigetanis captum & ad ſe perductum, inſpectante exercitu, atroci ſupplicio comburendum ignibus curavit. Interim autem Joannem Pereonem, Carolum Sirotinium, & Franciſcum Boſcaium, ut cum ſuis equitibus citato gradu Sigetum proficiſcantur commeatúmque invehendum curent, juſſit, per quos Marco, ob conſervatam arcem munera haud contemnenda, & militibus duplex ſtipendium miſſum. Qui eò profecti Marcum ruinis reſtaurandis & parando commeatui intentum repererunt; ac paulò pòſt ad Principem redierunt, quibus in caſtra receptis, flumen Muram trajecit, quòd Palatini conſilia, Regi etiam Ferdinando probari, & jam autumnalibus pluviis cadentibus, itinera corrumpi animadvertiſſet; quódque gravius erat, militum Germanorum corpora profluvio, vulgatiſque morbis tentarentur; primò ad Legradum vicum, non ſine confuſione, dum quiſque ſarcinas & impedimenta præmittere contendit: dein quintis caſtris ad Perlacum oppidum perventum eſt.

Totus Apoſtata ignibus exuſtus.

Sigetho commeatus invectus.

Marco Sigetino præfecto munera ex miſſa, & militibus duplex perſolutum ſtipendium.

Paulò poſtquam exercitus noſter trajeciſſet, Caſſonus cum ſex millibus equitum, qui ferè omnes ex limitaneis, & copiis Beglerbegi conſtabant, ab Eunucho & Beglerbego miſſus, cùm caſtra à Chorgone trans fluvium reducta conſpexiſſet, caſtellum, quod in eo oppido erat, tumultuario prælio aggreſſus eſt. Sed quum aliquot ſuorum amiſſis, fruſtra ſe laborem ſuſcepiſſe videret, receptui cecinit, atque eò unde venerat regreſſus eſt. Dum ipſe ſpeculandis noſtrorum caſtris occupatur, Muſa Quibaia, Beglerbegi legatus, è caſtris, quæ ad Tolnam erant, cum non contemnendis equitum aliis, excurſionem ad Sigetum facere conſtituit, quòd Pereonem & Sirotinium iſthic adhuc hærere putaret: ſimulque experiretur, an illos inſidiis elicere, & aliquos captivos, à quibus conſilia noſtrorum cognoſcerentur, intercipere poſſet. Is quum Sigetum perveniſſet, in ſilva Meduraia haud procul ab arce, ſuos occultatos reliquit: ipſe cum centum fermè equitibus ad oppidi uſque portas invectus, noſtros obequitando & vociferando laceſſivit. Qui fraudis & inſidiarum gnari, eis vitatis, magno animorum ardore, ſummâque celeritate procurrerunt, uſque adeò, ut priùs quàm ille ad ſuos, citato calcaribus equo, pervenire potuiſſet, cùm aliquot ſociis caperetur, & qui erant in inſidiis, timore perculſi, dimiſſis aliquot equis & mulis ſarcinariis pretioſâ veſte, auroque & argento onuſtis, in fugam conjicerentur.

Noſtri, caſtris motis, diſceſſum parant.

Muſa Kibaiæ Beglerbegi inſidiæ oppreſſæ. Ipſe verò cum aliis aliquot ca[p]tus.

Eunuchus compertâ à Caſſono noſtrorum profectione, dimiſſis copiis non magno facto operæ pretio inglorius exercitum ſuum reducit: quum in obſidione Sigetana, ac variis aliis, quæ cum noſtris habuerat, certaminibus, non pauciores decem millibus ex ſuis amiſiſſet: ita ut quanquam ipſe acceptum detrimentum, quantum poſſet, diſſimulare niteretur; erumpebat tamen rei haud ſatis proſperè geſtæ fama. By-

Eunuchus exercitu ſuo, deſideratis circiter 10000. reducit.

1556. zantii vulgaretur, ubi prætorianorum, qui occubuerant, militum res, veſtes, equi, arma, & reliqua militaris ſupellex, in foro, ut fieri ſolet, divendebantur: ut ex his etiam legatorum noſtrorum miniſtri, quæ vellent, mercarentur: apud quos diſcedens, ſolitâ ſuperbi animi vanitate, impudenter jactaſſet, ſe non armis jam, ſed fuſtibus extremum Pannoniis excidium illaturum.

Princeps è Perlaco, variis itineribus ſuos antecedere & ſubſequi juſſos dimiſit; & Palatinus, diſtributis ad Papenſis oppidi præſidia copiis, ac Rubeao Jaurinum ire juſſu, Principem Sopronium uſque comitatus eſt. Zrinius domum ſuam, & Lencovitius in Sclavoniam, cæteri quoque ad ſuas quiſque ſtationes conceſsêre, inſtantemque hiemem in hibernis quievêre. Polbaſlerii & Sirotinii militibus in oppido Prucco ad Lairam flumen ſito ſtipendia exoluta, ac inde liberaliter dimiſſi: ipſe è Sopronio Quiſmartonum, atque inde Viennam ad patrem, cujus reditum blando lætoque animo applaudentem ire maturavit; quò ſub exitum menſis Octobris incolumis pervenit. Atque hic acerrimæ obſidionis Sigetanæ, illiuſque, quod eo anno geſtum eſt, belli exitus finiſque fuit.

Ferdinandus, copiis dimiſſis ad patrem Viennam redit.

Deteriore fortuna Ferdinandi duces, in Tranſilvania & ſuperiore Pannonia, belli conſilia tractare videbantur. Nam quum Caſtaldus ſive ſponte, abdicatâ impacatæ provinciæ præfecturâ, ſive à Cæſare ad Belgicum bellum, quod adverſus Gallos, eorumque Regem Henricum, Franciſci primi filium gerebat, magiſter caſtrorum denuo futurus evocaretur: jamque à Ferdinando ampliſſimis, ſupra ſtipendia muneribus donatus, multoque auro & argento onuſtus, unà cum Hiſpanorum militum reliquiis provinciâ exceſſiſſet, res Tranſilvanicæ ad defectionem ſpectare videbantur; quæ illius præſentia refrixiſſe, aut compreſſæ eſſe exiſtimabantur. Primum inter Dobonem & Quendium collegam privatæ ſimultates levibus de cauſis exortæ, deinde in apertum odium erupêre, ita ut gliſcentibus diſcordiis, publica privatis inverſo rerum ordine poſthaberentur: adeòque Ferdinandus querelis & expoſtulationibus eorum aſſiduè pulſaretur. Quæ cauſæ odiorum Quendium mobili & inconſtanti ingenio hominem ad res novas, & ineundam clancularium cum Iſabella Regina adverſus Ferdinandum conjurationem impulerunt. Cujus veſtigia quum certis indiciis Dobo fuiſſet ſubodoratus, Ferdinandum, uti debebat, certiorem reddidit; & is Quendio mandavit, ut prætextu componendarum cum collega ſimultatum, primo quoque tempore Viennam veniret.

Adverſa in Tranſilvania Ferdinandi partium fortuna. Caſtaldo à Cæſare ad Belgicum avocato bellum. Tranſilvani à Ferdinando deficiunt.

Simultates inter Dobonem & Kendium.

Verùm illum multa diſſimulantem, & multas moræ cauſas nectentem, cùm multa alia, tum verò conſcientia ſceleris, ac captivitatis metus ab itinere retinebant: eaque res effecit, ut cum Regina & Petrovitio, volutatis inter ſe conſiliorum rationibus, meditatum flagitium acceleraret. Eodem enim ferè tempore, quo Alim Chauſium literas Solimani è Moldavia ad Bathorium pertuliſſe diximus, quibus Tranſilvani ad amplectenda reducendæ Reginæ conſilia concitabantur, Petrovitius quoque, qui ab exploratoribus, de hiſce tumultibus, & pronis ad Reginam provincialium animis certior reddebatur, nuncios cum literis ſecretioribus ad Quendium & reliquos conjuratos è Sarmatia mittendos cenſuerat, quibus falſa veris miſcendo, Solimanum cum ingenti exercitu ad futura veris initia in Pannoniam venturum, aut ſi ipſe venire non poſſet, Ruſtanem generum, quod tantundem foret, ac ſi ipſe adeſſet, miſſurum denunciabat, quo reliquum Pannoniæ, & Tranſilvaniam igne ferroque vaſtatas, ſub jugum mittat; proinde hortari eos, ne ſe ſcientes volenteſque perditum eant. Quibus rebus Quendius & Tranſilvani permoti, quum ſuapte ſponte ad rebellandum parati eſſent, clam Dobone & Epiſcopo, cæteriſque, quos Ferdinando favere ſcirent, conciliabula latenter cogunt: ac literas ad Solimanum, & Reginam, ac Petrovitium dant, quibus ſe mandatis eorum obtemperaturos pollicentur, dummodo auxilia ab ipſis tempeſtivè præſto ſint.

Kendius & conjurati Solimani & Petrovitii opem implorant.

Quo intellectu Solimanus Caſſono Budenſi præfecto, (is Torgono ſucceſſerat, donec alius mitteretur) in mandatis dat, ut Petrovitio è Sarmatia revertenti, quo majores poteſt copias auxiliares adjungat: Petrovitio Caranſum, Sebeſſum, & Lugaſſum oppida, quæ ad præfecturam Severini magnæ olim dignitatis pertinebant, dono dat, ac ut nihil cunctetur jubet. Moldavos & Valachos ad ferendas ei ſuppetias literis & nuntiis hortatur. Quarum rerum fiducia ille, comparatâ è Sarmatis aliquantâ manu militum, viâ Muncacianâ egreſſus, quam arcem ei à Caſtaldo datam ſuprà diximus, ad oppidum Seghalomum, in citeriore ripa Tibiſci ſitum caſtra collocat: ac Thraces è tribus illis oppidis ad ſe evocat: Budenſem & Tranſilvanus de adventu ſuo certiores reddit: ut nihil cunctari, non ſolùm Tranſilvanos ad arma capienda concitant: ſed etiam quos circa Varadinum, ac Regionem Biharlam ſceleris ſocios habebant, Nicolaum Telegdinum, Paulum & Demetrium Chaquios, Clementem Artandium, Nicolaum & Stephanum Toldios, & alios ſibi conjungunt.

Caſſonus Budenſis, Valachi, Moldavi & Tranſilvani Petrovitio auxilia conferunt.

Verumenim verò quum hæc Ferdinandus, ex literis & nuntiis Pauli Albani Epiſcopi, & Dobonis, Matthiæque Ziberdini, cui, quòd militaris diſciplinæ ſcientiâ clarus haberetur, Epiſcopatum Varadienſem paulò antè dederat, opem & auxilia implorantium, intellexiſſet, ſine mora Franciſcum Tahium, copias conſcribere ac Varadinum proficiſci jubet. Is adjuvantibus Nadaſdio Palatino, & Nicolao Comite Zriniano celeriter mille equites, & totidem pedites ſelectiſſimos, è variis confiniorum præſidiis deductos conſcribit, ac magnis itineribus ad Tibiſcum contendit. Ubi quum ab Andrea Bathorio ſupplementum haud contemnendum accepiſſet, ac Nobilitatis, quæ in illis regionibus ſedem habebat, milites, poſtremò Zaberdini copias cum aliquot currulibus tormentis in caſtra accepiſſet, mutuo habito conſilio deliberavit, ut quum jam juſtum ferè exercitum haberet, in hoſtes duceret priùs, quàm illi auxiliis Tranſilvanorum & Valachorum juvarentur, & Turcarum vires, in quibus omne belli robur conſiſtere rebatur, accederent, prælii fortunam experiretur. Itaque promotis ex Debreceno caſtris, ubi æſtiva habuerat, in Petrovitium rectà exercitum duxit, eo animo ut cum primùm Tibiſcum trajeciſſet, quod inter duo caſtra labebatur, manum conſereret. Sed Petrovitius eum expectare non auſus, eodem quo venerat itinere, in Sarmatis in ſeſe recepit.

Tahius cum ſelecta militum manu Petrovitio occurrit.

Petrovitius, detrectata pugna, in Sarmatiam ſe ſubducit.

Tahius hoſtes in aciem prodire nequaquam auſos, ulterius proſequi non duxit eſſe neceſſarium

1556.

Talpaſſum captum à Tahio.

ſarium, ſed habito cum Zaberdino conſilio, conjunctiſque viribus, eis, qui ad Tranſilvanos defecerant, arma inferre conſtituit. Haud procul Varadino inter Chryſum & Maryſum fluvios erat Caſtellum Talpaſſum, quod Nicolaus Toldius adoleſcens ſub curatore Dionyſio Proculabo à patre relictus obtinebat: qui haud ita pridem ſuaſu & inſtinctu quorundam Tranſilvanorum à Ferdinando defecerat. Illud caſtellum, quòd venientibus portas clauſiſſet, tormentis adorti, facili negotio nec multo labore expugnarunt, ac ad terrendos alios ſolo æquarunt; interfecto Dionyſio, ac Toldio adoleſcente capto; de quo Varadinum perducto, Zaberdinus publicè ſupplicium ſumendum curavit, ita ut ejus ſimplicis juvenis crudeli cæde multos ab ſe alienaret. Indè ad S. Adriani arcem perventum eſt; ubi Paulus Chaquius, ad primum exercitûs conſpectum, petito colloquio, pacem cum Tahio & Zaberdino haud cunctanter iniit, ac ſe imperata facturum jurejurando promiſit. Toldii & eorum exemplo territi alii, qui defecerant, ad Ferdinandi obſequium, fidemque redierunt.

de Toldio ibidem capto adoleſcente publicè ſuppliciū ſumptum.

Paulus Chaquius ad Ferdinandum redit.

Cæterùm ſub id tempus Quendius, & Tranſilvani, auditis Petrovitii conatibus, & Caſſoni Valachorúmque auxiliis, comitia ad Forum Siculum indicunt: ibique ſecreta conciliabula agitando, Siculos, ut ſe eis conjungant, vehementer ſollicitare incipiunt, ex quorum numero Nicolaus Alardus, clam omnia agitati ſceleris conſilia ad Dobonem detulit: monendo hortandoque, ut antequam Siculi vires ſuas cum conjuratis conferrent, obviàm ire concederet. Qui tumultuariâ militum manu, quam in re ſubita atque improviſa poterat, ſummâ adhibitâ celeritate comparata, & aliquanto etiam equitum peditumque numero, à Paulo Epiſcopo Albano accepto, rectà ad Forum Siculum ire perrexit. Cognito ejus adventu, conjurati extra oppidum in patentibus campis caſtra ſua collocant, ac ſpeciem pugnam nequaquam detrectantium præbent. Quod cùm Doboni nuntiatum eſſet, propiùſque advenraſſet, Ladiſlaum Udenffium ad eos mittendum cenſuit, qui ſuo nomine eos hortaretur, ut memores fidei Ferdinando præſtitæ, arma deponere & quietem agitare vellent; ſe effecturum apud Ferdinandum, ut ejus temere ſuſcepti conſilii veniam conſequantur: ſin in pertinacia perſiſtant, arma confeſtim expediant, ut utriuſnam partis æquior cauſa fuerit, Marte judice dirimatur. Cùm diu ultro citróque legati commeaſſent, nec alterutri parti tentanda in præſens prælii fortuna placeret; poſtremò induciarum interventu res componuntur: ut ſi intra XV. dies auxilia Petrovitii, ac alia, quæ expectabant, nequaquam advenirent, poſitis armis ad priſtina Ferdinandi obſequia reverterentur, & interea utrinque ab armis abſtineretur.

Dobo Siculorum conatus diſturbat.

Itaque pace ad breve tempus factâ, Lupus Bornemiſſa Caplunanus à conjuratis ad Petrovitium citato itinere mittitur, ac ab eo ſummâ celeritate reverſus, eum ad Seghalonum caſtra habere, Budenſem cum tormentis, & Walachos cum juſto exercitu in procinctu eſſe refert, intereaque dum ille it reditque, Mocioccus cum quatuor ferè millibus hominum tumultuariè collectorum, ab Alexandro Moldavo miſſus ad provinciæ fines pervenit. Horum auxiliorum fiducia, quamquam nondum conjuncta eſſent, non ſatis provido conſilio, nequaquam dilatâ perfidiâ inducias nuper pactas, Doboni renunciant, ac iterum ſumptis armis in caſtra conveniunt. Quendius ſimulatâ ægritudine domum ſe contulit, in cujus locum porrò conjuratis Balthaſar Patocius, Franciſci proximè vitâ functi germanus frater, ducem ſe præbere non dubitavit. Verùm Petrovitius, qui majorem æſtatis partem, Turcarum & Walachorum auxilia præſtolabundus, fruſtra ſe in caſtris continuerat, audito Tahii adversùs ſe progreſſu, expectare illum minimè auſus, eodem quo venerat itinere ſe in Sarmatiam receperat; & Caſſonus ejus diſceſſu cognito, ſuas copias ad hiberna demiſerat. Sed etiam Walachi & Mocioccus, cùm Petrovitium & Turcas dilapſos, caſtra ſoluta, nec ulla ampliùs auxilia ventura audiviſſent, & jam autumnus præcipitaret, tranſcenſis alpibus, domos quiſque ſuas illico repetiverunt. Eorum diſceſſus conjuratos vehementer perturbavit: nam quum ſe omni ſpe deſtitutos, ac à ſociis deſertos cernerent: ſpem etiam Turcarum auxilii omnem ſublatam, & eò magis infeſtiorem ſibi Dobonem cogere, inſuper auxilia è Pannonia expectare: Zaberdinum & Tahium propediem cum exercitu adfuturos, ſibi quum inconditam turbam in caſtris haberent, nec vitium, nec animi ſatis ad reſiſtendum eſſe animadvertiſſent, præmiſſis à Dobone, qui ſpem impetrabilis veniæ oſtendebant; poſita ferociâ, relictiſque armis, ſe in ejus poteſtate futuros reſponderunt.

Kendius ſimulatâ valetudine, domū redit,

Patocio ſeditioſis ducem ſe præbente.

Turcorū & Walachorum auxilia, Petrovitio abeunte, dilabuntur

Unde nõnulli ſeditioſi ad Dobonis obſequiū redeunt.

Cæteri tamen, quorum major perfidia erat, ſcelerum conſcii, & necdum de abitu ſeu fuga Petrovitii ſatis edocti, Lupus Bornemiſſa, & Balthaſar Patocius ad arcem Betleniam, ſatis munitam ſeſe receperunt. Quibus Dobo nihil quietis, nihil otii dandum ratus, quo ſe ac arcem munirent, cum iis, quas tumultuariè collegerat, copiis arcem obſidere conſtituit. Sed duriorem, quàm putaverat, oppugnationem expertus, ad obſidionis diuturnæ conſilia animum adjecit: eámque acriter undique circumvallatam, ut nemini aditus aut egreſſus pateret, poſt duorum menſium oppugnationem ad deditionis conditiones compulit, quæ tales fuêre, ut Lupo & Patocio cum omnibus rebus & ſarcinis, conjugibuſque & liberis ad caſtra Petrovitii liberum & ſecurum iter eſſet; neve à Dobone id eis prohiberetur. Qui arce egreſſi, quum ad Petrovitium ire pergerent, illum nulla jam habere caſtra, quòd metu Tahii in Sarmatiam refugiſſet, in itinere intellexerunt. Dobo etiam Zaberdino & Tahio aliiſque clam nuntiaverat, ſe quidem perduellibus illis de incolumitate, ſecuróque itinere caviſſe, id tamen ſuo, non aliorum nomine: itaque licere ipſis, & ut libeat, neceſſe videri, quorum nomine nihil cautum eſſet, illos uti læſæ majeſtatis reos capere, ac pro merito punire. Itaque quum illi certis indiciis, paratas in hunc modum ſibi inſidias, & captivitatem, edocti eſſent; extremo metu perfuſi, neque uſpiam diſcedere auſi, ad implorandam Ferdinandi gratiam & clementiam confugiendum exiſtimavêre. Quam etiam Dobone & Paulo Epiſcopo annitentibus, iis conditionibus obtinuêre, ut ſalvis capitibus, bona eorum fiſco addicerentur.

Bornemiſſa & Patocius in arce Betlenia obſeſſi aliquamdiu, ſe dedunt,

Rebus per hunc modum in tranquilliorem ſtatum reductis, Tahius, quamquam à multis, ut ibi ad refrenandos rebelles maneret, peteretur, tamen diſcedere maluit, ac exercitum in-

Tahius è Tranſilvania diſcedit,

1556. Zaberdinus extremum diem obit.

columem reduxit. Nec multo pòſt Zaberdinus, partim ſenio, partim ob ſævam inflammationem virulenti in utroque crure herpetis oppreſſus, è vivis migravit: cùm paulò antè arcem Giulani, quam Franciſcus Parocius abſque præſidio reliquerat, juſſu Ferdinandi occupaſſet, & Gaſpari Magocio, viro militari & induſtrio tuendam commiſiſſet. Hujus oportuno obitu, ac alienus diſceſſu cognito, Tranſilvani recenti perfidiæ morbo agitati, excitis in rebellionis ſocietatem non ſolùm iis, qui in vicina Ungariæ parte erant, quoſve à Tahio & Zaberdino ad imperata facienda reductos diximus, ſed etiam qui infra ſupraque Caſſoviam ſedes habebant, denuo jus omne faſque exuerunt, ac à majeſtate imperióque Ferdinandi apertè rebellarunt.

Tranſilvani Proceres iterum à Ferdinando deſciſcunt.

Nam Franciſcus Bebecus cum alio Georgio, ac Franciſco Perenio genero, & Gabriel Perenius, ac Georgius Tarcianus, multis & magnis clientelis potentes, quamquam multis à Ferdinando beneficiis affecti, ad eorum partes non ſine inſigni perfidiæ labe pronnus defeciverunt. Quendius ipſe, ac cæteri conjurati, communicato conſilio cum Melchiore Balaſſio, viro militari ac impigro, ſed novarum rerum avido, ac ejus injuriæ memore, quam à Ferdinando Leva, Chabrago, & Sirnia pulſus ſe accepiſſe putabat, ad reducendam Reginam Iſabellam & ejus filium, animum adjecerunt:

Et Reginam unà cum filio revocant.

ac Dobonem, quòd deſtitutus viribus in apertos campos prodire non auderet, nec opinantem in arcem Novam, quam ad ripam Samoſii fluminis Monachus à fundamentis ædificaverat, ſeſe recipere compulerunt; atque Balaſſius facto per Maramaruſium itinere, uſque ad Huſtum oppidum, Reginæ obviàm cum DC. equitibus proceſſit: eique è provincia Saroſliana ſe adjunxit Georgius Tarcianus, nulla à quoquam injuriâ laceſſitus; literáſque publico nomine ad Reginam miſerunt; quibus Quendius & conjurati Dubonem obſideri, copias in promptu, nihil obſtaculi, cuncta pro ipſa eſſe ſignificabant, eámque ad maturandum iter vehementer urgere contendebant.

Dobonē in arce Nova obſident.

Dobo auxilia à Rege Ferdinando flagitat.

Interea Ferdinandus, ad quem Dobo Dominicum fratrem, ad petenda auxilia, ac belli ſupplementa miſerat, novas copias conſcribere, veteribus ſtipendia perſolvere, Dobonem, ut uſque ad auxiliorum adventum ſeſe & provinciam, quantum poſſet, fortiter defendat, per nuntios & literas hortari: poſtremò iis omnibus, quæ ad regnum in fide & obſequio continendum pertinebant, comparandis ſedulò intentos eſſe jubebat, Caſſoviam Petro Macedonio, Cubiculario ſuo, viro impigro, cujus majores è Græcia in Pannoniam migraſſe dicebantur, à Bebecorum & Pereniorum incurſibus tuendam committit: Simonem Forgacium Sibinio, quod minus appellatur, defendendo præficit. Quinque civitates, quæ in limine Pannoniæ ſuperioris habentur, promiſſis ac ſpe præmiorum oneratas, ad perſiſtendum in ſua fide, & obſequiu admonet. Interea cum majoribus copiis, cumque ſummo earum imperio, Lupum Puchamium Auſtriacum, cum DC. circiter equitibus, Ungaris & Germanis, ac Detricum Marcellum, cum legione Germanica, quatuor millium peditum præmittit, donec è Sileſia & Bohemia, ac Pannoniis majores vires ſubſequantur. Qui quum menſe Aprili ad Saroſianos perveniſſent, Caſſovia urbs fortuito igne è domo Mathiæ Saicilicii, urbani ſcribæ erumpente, tota miſerabilem in modum conflagravit, unà cum templo majori, ac duobus Monachorum templis & Collegiis ac Curia Senatoria: duravitque incendium, aquilonibus vehementer ſpirantibus, quatuor ampliùs horarum ſpatio: tantâ vi ac ſævitiâ, ut nulla extinguendis flammis remedia proficerent, ignéſque vagando liberè paſſim & populando obvia quæque abſumere viderentur. Bebecus junior, qui è Roſnone oppido flammas & lucem proſpectabat, cum ſuis militibus, ac certâ agreſtium, quos tumultuariè collegerat, manu, ad vicinam Caſſoviæ arcem Nagidam urbis, ſi potuiſſet, occupandæ cauſa celeriter procurrerat; ſed quum ignem, qui abſumptis omnibus ædificiis nihil jam ſupereſſet, ſopitum, & portas clauſas reperiſſet, incepto deſtitit, eòque unde venerat reverſus eſt.

1556. Caſſovia tota conflagrat incendio forte ſubarta.

Ferdinandi Duces Tarconē & Vivarum capiunt.

At Ferdinandi duces conſilio cum Forgacio communicato, ne hoſtile quippiam à tergo relinqueretur, æſtuoſiſſimo die, Idibus Juliis, ad arces Tarennem & Vivarium caſtra promovent. Eæ erant ditionis Georgii Tarciani, qui ante aliquot dies ad Melchiorem Balaſſium, comitandæ in Tranſilvaniam Reginæ cauſa, cum ſuis militibus erat profectus. Eas arces, ii qui intus erant, metu tormentorum murulium adacti, nullâ expectatâ oppugnatione extemplò dediderunt: & Germani, ne cui obſtaculo eſſe poſſent, dirutas ſolo æquârunt. Deinde Caſſoviam adducto exercitu, Michaëlem Perenium ad ſe evocant, atque ſimul cum eo ad obſidendam arcem Nagidam, duobus ab urbe milliaribus diſtantem, quam æquis partibus cum Franciſco Perenio fratre poſſidebat (ſed Michaële excluſo, ad Iſabellam Reginam deſciverat) progrediuntur. Quam quum admotis tormentis XX. dies continuos oppugnaſſent, tandem dedentibus ſeſe præſidiariis capiunt, & totam funditus dirutam ſolo æquant.

Et Nagidam.

Indè Craſnahorcam Bebecorum arcem obſident.

Indè ad Bebecorum arces converſi Craſnahorcam, quæ prima eis occurrebat, obſidione cingendam decreverunt. His in caſtris Forgacius à Ferdinando litteras accepit, quibus Varadinum ire jubebatur, illúdque à Tranſilvania tueri, quòd illi Epiſcopatum Franciſco Forgacio fratri ejus contuliſſet. Itaque ipſe Varadinum & Germani Craſnahorcam petivêre: quacunque autem iter eſt factum, milites Germani in agreſtium faculiares hoſtilem planè in modum graſſati ſunt: uſque adeò ut præterquam quòd capitibus miſerorum hominum vitæque parceretur, cæterùm in rapiendo & devaſtando nihil ſupremæ hoſtilitatis prætermitterent.

Turcæ illi ſuppetias ferunt.

Cùm per aliquot dies Craſnahorca oppugnata eſſet, Bebecus miſſis ad Budenſem & Filecienſem præfectos literis & nuntiis, mille circiter equites Turcas ab eis impetravit, quibus ſuis laborantibus opem adferret. Igitur cum auxiliaribus illis Turcis, ac ſuis, quas habebat, copiis, caſtra noſtrorum ſpeculatum profectus eſt: noſtroſque, ſi caſtris elicere poſſet, irritando & obequitando, aliquamdiu laceſſivit. Nec noſtri ſe continuêre, quin minuto prælio periclitandis hoſtium viribus, caſtris ſe proriperent, & cum illis congrederentur. Nec mora, irruentibus acerrimè noſtris, Bebecum & Turcas non parvus inceſſit timor, ita ut ſi peditatus, prout erat conſtitutum, equiti ſubſidio veniſſet, ingenti diſcrimine circum-

venti,

1556. venti, impetum noſtrorum nequaquam laturi eſſe videtentor. Sed Detricus & Puebamius ad primum hoſtium conſpectum fracti animia, & ſeu metu hoſtium, ſive conſcientia ſcelerum & rapinarum perculſi, tormentis retrahi juſſis, & ſublatis ſignis, eò unde venerant, Roſnonem verſus cum univerſo peditatu retrocedere cæperunt. Ac hoſtes id ex compoſito fieri ſuſpicati, inſidiaſque veriti, ad fugam capeſſendam, quàm ad protrahendam pugnam proniores eſſe videbantur. Sed & noſtri equites, qui egregiè dimicabant, cùm peditatum explicatis ſignis fœdam fugam cepiſſe intellexiſſent, pedem referre non dubitarunt. Hoſtes attoniti, nec tantas copias tormentis & rebus neceſſariis inſtructas abſque cauſa cedere arbitrati, quòd ſerum diei, & nox propinqua eſſet, receptui ceciderunt.

Peditatus noſter Roſnonem verſus recedit, quem & equitatus conſequitur.

Cæterùm noſtri Roſnonem repetere conati, dum nec ſpes nec animos ſatis expediunt, & cæcis ambiguæ noctis tenebris, viæ ignari, & errabundi, hoſtem tergis inſtantem formidant, machinas octo majores, quas habebant, in valle quadam ſaltuoſa, turpi ignavoque conſilio relinquunt: & ipſi complicatis ſignis, ſilentibúſque tympanis, & raris agminum ordinibus perturbati, conſiliique inopes Levocinm ire contenderunt. Verùm ſuperventu hoſtium, qui eorum fugæ per agricolas admoniti erant, diſſipati ac majori ex parte cæſi fuerunt. Tormenta & impedimenta omnia, poſt aliquot dies, monſtrantibus iiſdem indigenis & agreſtibus, Bebeco & Turcis prædæ fuêre. Duces Ferdinandus ſtipendiis & militiæ honoribus privatos, ignominiáque notatos dimiſit.

Unde hoſtium ſuperventu disjecti & conciſi fuêre.

Ducibus autem à Ferdinando gravis ignominia nota inuſta.

At Iſabella, cùm deletum ad Craſnahorcam Germanorum exercitum, capta tormenta, & caſtra direpta, Moldavóſque jam in provinciæ fines penetraſſe, Balaſſium cum ornatiſſimis equitum alis in Maramaruſio adventum ſuum expectare didiciſſet, citciter DC. equitibus, & totidem peditibus è Sarmatis mercede conductis, in Tranſilvaniam redire conſtituit. Itaque quum ad Huſtum veniſſet, oppidum quidem, quòd nullis eſſet cinctum mœnibus, facilè occupavit: ſed arcem editiſſima è rupe Poloniæ & Moldaviæ confinia proſpectantem, operéque & naturâ munitiſſimam capere nequaquam potuit: quòd Michaël Cotlstus & Benedictus Zalaius præfecti, ſummâ animorum conſtantiâ eam Ferdinando conſervandam deliberaſſent. Itaque Regina communicatis cum Balaſſio conſiliis, Andream Bathorium Somlianum ad oppugnandum Huſtum cum parte copiarum relinquit: alteram partem ad urgendam Varadini oppugnationem, quæ à Tranſilvanis, Thoma Varcocio, & Georgio Bathorio ducibus, jam ante tres menſes inſtituta erat, mittit: ipſa cum Balaſſio, cui multum tribuebat, inſtitutum in Tranſilvaniam iter proſequendum cenſet; in quam etiam ſimul cum filio ſextum decimum ætatis annum agente, ad appetentis autumni tempus pervenit: & ſingulari conjuratorum & provincialium ſtudio ac lætitia excepta eſt: cum ii Paulum Epiſcopum, cum univerſis rebus & pecunia, ſarcinîſque paulo antè è provincia liberè exire permiſiſſent.

Regina in Tranſilvaniã pervenit.

Huſtum arcem ut oppugnet Bathorio mandat.

Interim Dobo in arce Novæ Samoſianæ acri obſidione premebatur, ad quam acriùs circumvallandam Petrovitius & Balaſſius ab Regina paulò pòſt miſſi fuêre. Quamquam autem Ferdinandus tam Dobonem, quàm Forgacium, qui Varadinum jam obſeſſum, non ſine ſummo capitis periculo intraverat, extrema rerum omnium inopia laborantes ſolari, & certiſſima ſpe auxiliorum brevì ſummittendorum ſuſtentare non ceſſabat; quia tamen ex literis legatorum, quos jam diu Byzantii apud Solimanum habuerat, pacem aut inducias nequaquam ab inſolenti barbaro expectandas eſſe didiciſſet, niſi Tranſilvania, Iſabellæ, & ejus filio, quem ſuum appellare pupillum ſolebat, redderetur: ad extremum tot bellis, vitio & ignaviâ ducum improſperè geſtis, atque tot tantiſque incommodis acceptis jactatus & feſſus, neceſſitate in conſilium verſa, eò deſcendit, ut tam Forgacio quàm Doboni reſcriberet, ut æquas conditiones amplecti, ac præſidiis deductis, arcibúſque redditis, provinciâ excedere non detrectarent. Tametſi verò Forgacius, aliquot eruptionibus factis, multos ex hoſtibus trucidaſſet, in quarum una ampliùs CCCC. ex hoſtibus deſiderati fuêre: partim captos in vinculis haberet; inter quos Georgius Capitanſius, veteranus equitum ductor erat; tamen quum ad extremam omnium alimentorum inopiam deveniſſet; adeò ut vix unus aut alter modius farinæ in arce eſſet, nec diutiùs ea ſervari poſſet; mandatis Ferdinandi neceſſariò obtemperare coactus deditionem fecit; eique & militibus arce oppidóque excedentibus fides egregiè ſervata eſt.

Ferdinandi juſſu, Forgacius & Dobo, Varadino & arce nova traditis, ſeſe dedunt.

Verùm Doboni, æmulorum invidorúmque, quos multos habebat, malevolentia, ſecus quàm putaverat, accidit: nam quum ſe atque arcem iis conditionibus dediturum promiſiſſet, ut cum conjuge & liberis, rebúſque omnibus, quæ ſuæ eſſent, in Ungariam liberum ei ſecurumque iter daretur: iiſque ſcribendis Petrovitius & Balaſſius affuiſſent, fidéque ſua ei caviſſent; tamen à Gabriele Perenio, apud Reginam effectum eſt, ut non obſervatarum conditionum reus ageretur, quòd diceret illum res non ſuas plauſtris impoſitas avehere voluiſſe. Itaque licèt Balaſſius & Petrovitius fidem ſuam lædi & violari palàm quererentur; prævalente tamen Perenio, cui Regina id præmium recentis ad ſe defectionis dare haud abnuebat, eo prætextu, ne Varadino opem ferret, re autem verâ, ut in captivitate periret; ei cum certa manu equitum Polonorum datur negotium, Dobonis, ex itinere Claudiopolin retrahendi. Quum id Doboni ab amicis, quos habebat, eſſet renunciatum, quidnam faceret, in ambiguo hærebat: plurimis ex ſociorum militúmque numero, conjuge, & liberis per obliquos notoſque tramites præmiſſis, rem prælio committendam eſſe, & cui Mars communis faveat, experiundum cenſentibus: ipſe nequaquam eo approbato conſilio, ad primum Perenii nuncium, eſſe, de quibus Regina cum eo colloqueretur, nunciantis, copias ſuas & currus, impedimentáque obverti, & Claudiopolin iter dirigi juſſit: eaque ipſe ſequutus cum Perenio urbem intravit. Ubi conquiſitis omnibus illius rebus, unum aut alterum falconem, totis ademptis, plauſtro impoſitum repererunt: eoſque ad præſidium arcis pertinuiſſe, neque auferri potuiſſe dictitantes, Dobonem conviciis & contumeliis affectum cuſtodiæ tradiderunt. Cùm Petrovitius & Balaſſius rem indignam eſſe, fidem, quam ipſi dediſſent, violari, Deum atque hominum fidem, vel verè aut ſimulatè implorare: poſtremò Regina controverſiam

Dobo à Perenio, fide violata, capitur.

1556. omnem ad comitia, quæ inſtabant, rejicere. In quibus Balaſſius & Perrovitius in præſens abſolvuntur, & ille, qui utpote alienis rebus capiendis pacta non ſervaſſet, publica judicii prævaricatione damnatus, præfecto Polono, in eam arcem, quam diu acriter oppugnatam magno labore defenderat, cum conjuge & liberis iterum cuſtodiendus traditur, rebus cæteris fiſco addictis: quæ tamen non magni erant momenti, quòd pretioſiores initio tumultuum in tutum præmiſiſſet.

Et in arce nova Samoſiana cum conjuge & liberis cuſtodiæ mancipatur.

Tantis adverſæ fortunæ procellis jactato Doboni, illud quoque incommodum eodem tempore evenit: Dominicus ſiquidem ejus frater, cùm à Ferdinando cum literis & ſpe auxiliorum remiſſus in Walachos paſſim vagantes, raptóque viventes haud procul Varadino incidiſſet, à fortuna deſertus, & ab iis captus, ſingulari inhumanitatis genere Byzantium miſſus fuit. Quod etiam urgente & procurante Perenio, perpetuo Dobonum hoſte & obtrectatore factum eſſe fama fuit, cupiente eos è medio ſublatos, ne litem pro Saroſpataciana ampla & opulenta ditione intentatam proſequi poſſent.

Dominicus ejus frater à Walachis comprehenſus Byzantium, inſtigatione Perenii mittitur.

Nec minore vi Somlianus Huſtum obſidendum ſibi propoſuerat, Moldavorum quoque auxiliis adjutus: ita utquum arcem tormentis capi poſſe deſperaret, caſtellis aliquot extructis, militúmque præſidio firmatis, ne quid alimenti importari poſſet, neve cuipiam aditus aut egreſſus pateret, ſummâ ope prohiberet, ut præfectos diuturnioris obſidionis calamitatibus fractos ad deditionem compelleret. Qui quum petita frequenter auxilia, tam à Rege, quàm ducibus fruſtra expectaſſent, tandem neceſſitate adacti, ad paciſcendum cum hoſtibus animum adjecêre. Terruerant enim eos magnopere varii & inuſitati generis morbi, atroces ſuprà quàm dici poſſet, malignique, quibus militum corpora, ſive affecti aëris vitio, ſive diuturnæ concluſionis difficultatibus atque ærumnis, aut corruptarum è ciſternis aquarum potu periculoſiſſimè tentabantur: adeò ut nonnullis dentes omnes corruptis & putreſcentibus gingivis ſimul deciderent: alii repentinis & intolerandis viſcerum torminibus exanimati ſubitò interirent: quoſdam inter ipſa colloquia & obſonia, rigentibus oculis obſtupeſcentes & trementibus membris acerbiſſimo dolore perculſos, ſubitum deliquium, ac præſentiſſima mora extingueret: nec ullis fomentis aut remediis vita ſervari poſſe videretur. Cujuſmodi morbis ante decennium quoque, dum in eadem arce Andreas Bathorius, juſſu Ferdinandi, Chriſtophorum Cavaſſium, cædibus & rapinis infamem, ideóque proſcriptum obſideret, milites tentatos fuiſſe, erant qui meminiſſent. Ad hæc ignes flammæque micantes, quæ in haſtarum cuſpidibus, ac murorum pinnaculis, atque apicibus & faſtigiis tectorum interdum viſebantur, ita ut ea innoxiè lambendo, nec quicquam amburendo paulò pòſt evaneſcerent, haud mediocrem iis, qui adhuc viribus valebant, metum incutiebant. Nam cùm aliàs ferè ſemper atræ nubes arci ſuperincumbant, ut calore ſolis vix ante meridiem diſcuterentur, tum verò Auſter per eos dies vehemens proflare, ac mortiferam ex paluſtri uligine fodinarum ſalis nebulam diffundere cœperat, ut contagioſis ejuſmodi peſtilentibuſque morbis vim & atrocitatem quàm maximè auxiſſe crederetur.

Præſidiarii Huſti morbis inſolitis, & variis incommodis fracti ſe dedunt.

Itaque Corlatus & Zalaius talibus ærumnis, ac multorum fortium virorum funeribus, rerúmque neceſſariarum defectu circumventi, per idoneos homines ultro citróque commeantes, quinquaginta dierum inducias, à Somliano poſtulant, & facilè impetrant; intra quos ſi nulla adforent auxilia, ſe arcem dedituros promittunt: eâ tamen adjectâ conditione, ut intra hoc tempus ipſis ad Ferdinandum mittere, eúmque de ſuo periculo certiorem reddere liceret. Nec mora, mittitur Chriſtophorus Præmislienſis natione Ruthenus, Corlati familiaris, à quo Ferdinandus de Huſtenſium adverſis rebus cuncta cognovit: reque in ſenatu propoſita, ſuccurrendum ſingulari fide & tolerantia propugnantibus, arcique in diſcrimine poſitæ decernit, remiſſoque Chriſtophoro, qui certam auxiliorum ſpem obſeſſis adferret, Andream Brandeſium Bohemum, per diſpoſitos equos celeriter mittit, qui diſſipatas Marcelli & Puchanii copias, præbita pecunia conquirat, & ad ferendas Huſtu ſuppetias progrediatur. Nicolaus Comes Zrinianus indignum ratus, ſi arx, perpetuis & inexhauſtis ſalis fodinis clara, ejuſque proventu dives imprimis & opulenta, noſtrorum ignavia negligentiáque amitteretur, ſe, ſi Ferdinandus non abnuat, ſubſidio profecturum, & collectis copiis Tranſilvanos, qui in numero non admodum multi, nec viribus validi erant, diſſipaturum offerebat, dummodo arx ſibi pignori locaretur, donec de ſumptibus ad id bellum factis ſatisfieret. Quod etiam Forgacius, ſcriptis ad Ferdinandum literis, ſeſe facturum pollicebatur. Verùm Ferdinandus reditum Brandeſii, aut literas ab eo expectandas reſpondit: atque is, ut rerum Ungaricarum rudis & imperitus, dum labore fruſtra ſuſcepto it reditque, nec quicquam proficit, quinquageſimus dies obſeſſis præſtitutus adventavit: atque ii deſperatis auxiliis, cum paucis, qui ſuperarent, militibus, inviti ac ſummo cum dolore fortunam incuſantes arce exceſſerunt: ſicque Regina Varadino & Huſtio facili labore potita, majorem partem regni ultra citraque Tibiſcum occupavit. 1556.

Nec multo pòſt Franciſcus quoque Nemethius, qui Tocaio ad Tibiſci & Bodrogbi confluentem præerat, duplicis perfidiæ crimen nequaquam veritus (cum enim Benedictus Seredius Stephano filio, tutorem moriens reliquerat) propter trajectum fluminis ad omnes res gerendas opportuniſſimo loco, ad illam nefariè deſcivit. Inter has rerum perturbationes difficultateſque Ferdinandus Rex meliore uſus conſilio, in locum diſcedentis Puchanii Emericum Telequeſſium, inclytæ virtutis ſenem, qui à temporibus Ludovici Regis variis in præfecturis, ac poſtremo bello Babociano inſignem operam navaverat, in ſuperiorem Pannoniam cum mille equitibus & totidem peditibus Ungarici nominis, cumque ſummo imperio mittere conſtituit, quòd Germanis hucuſque ducibus minùs proſperis & fortunatis uſus eſſet. Petrum Macedonium, quem in locum Andreæ Tarnocii nuper Caſſoviæ fato functi miſerat, revocat, quòd ejus privati operâ uti decreviſſet, & Caſſoviam Stephano Derſſio attribuit. Ex Sileſia pariter & Bohemia præfectos equitum evocat Joannem Geratovium, Adamum Taicovitium, Albertum Jablancovium, & pleroſque alios. Jacobus quoque Sporbaimus

Nemethi perfidia.

Emerico Telequeſſio bellum Tranſilvanicum à Ferdinando demandatum eſt.

cum

1556. *Caſſovia-na autem præfectu-ra Der-ſo attri-buta.*

cum turma equitum è Pruſſia mercede conducitur. Telequeſſius cum Ungaris & Germanis ſine mora Caſſoviam convenit, eamque urbem pro belli ſede deligit: oportuno autem & ad ſummam totius belli conficiendi admodum ſalubri conſilio equitatum omnem, qui Paulum Abſtemium Epiſcopum è Tranſilvania ejectum præſidii ſecuritatiſque cauſa comitatus fuerat, Antonium nempe Siculum cum ducentis equitibus, ac Franciſcum Zalaium, Matthiam Senniſſium, Georgium Coſtovitium, & Gaſparem Motæum, cum ſingulis equitum centuriis, certo perſoluto ſtipendio conduxit: quorum poſtea egregiam fidem & fortem operam in omnibus, quæ ſequuta ſunt, bellis expertus fuit. Cum iis militari concilio habito ad rebelles perdomandos, qui clade Craſnahorcana noſtris illata, ac pluribus quotidie ad eos deficientibus aucti, indomitos ſpiritus ſumpſiſſe videbantur, exercitum ducere decrevit.

Conſtructum erat munimentum quoddam à rebellibus, eorumque duce Gabriele Perenio, quem Regina eo munere cohoneſtandum duxerat, in oppido Semplinio, haud procul Bodogro amne, ad noſtros infeſtandos, & ad excurſiones uſque ad Caſſoviæ ſuburbana faciendas, loco admodum oportuno. Hoc primum omnium adoriri placuit; itaque illud primo impetu, appoſitis ſcalis, nec expectatis, quæ advehebantur, tormentis, auctore & impulſore eo expugnatum eſt. Poſtea ad arcem Palociam inter Ungum & Bodrogum fluvios ſitam, quam Dobonibus vi ademptam Perenius impoſito præſidio tenebat, exercitus ductus: quæ cùm ei portas clauſiſſet, quod Perenium auxilio venturum ſperabat, tormenta protinus admoveri, & mœnia quaſſari juſſit. Quibus adapertis & dejectis, peditatus per ruinas ad ſummam murorum partem celeriter conſcendit. Et quamquam defenſores Pereniani, quantum animo viribuſque poterant, fortiter repugnarent, multoſque ea noſtris vulnerarent & proſternerent; ad extremum tamen cohortante Telequeſſio, ac inter primos manu conſilioque rem gerente, terga dedêre; noſtrique arcem captam & direptam funditus diruerunt. Qua in pugna ipſe glande vulnus in coxendice accepit, nequaquam tamen lethale, ex quo brevi convaluit.

Munimentum Semplinienſe à noſtris expugnatum.

Et Palocia arx capta ſoloque æquata.

Perenius audito Palociæ periculo, copias cogere, & ſuis laborantibus opem ferre conſtituit; ſed quum in itinere captam everſamque, & ſimul Joannem Gerſachetum, cum trecentis equitibus & peditibus Germanis, totidémque Pannoniis in caſtra cum ſtipendio militari venire didiciſſet, capto ex tempore conſilio ad eos opprimendos ire maturavit. Quibus quum ad Varanonem iter habentibus occurriſſet, Gerſacherus impar viribus, ad ædes Bathoriorum lapideas, quæ in oppido habentur, ſeſe recipere coactus, tumultuario eas opere aggeribúſque & foſſis repentè factis munivit, ſeque & milites, quantum viribus valebat, fortiter tueri conſtituit, literáſque ad Telequeſſium in caſtra perferendas duobus militibus dedit. Verùm illis ab hoſte interceptis, Euphroſyne Giulaffia, Gabrielis Homonnaii vidua, ſingulari erga Ferdinandum fide fœmina, per ſecretos celeréſque nuntios, de hoſtium conſiliis ac itinere illum certiorem reddidit. Is quamquam ex vulnere debilis, ad expellenda è Lelezienſi collegio Perenii præſidia animo ferebatur, cóque ducere copias decreverat; tamen Gerſacheri peditúmque periculo permotus, omiſſo eo conſilio, Varanonem iter convertit. 1556.

Gerſacherus à Perenio in ædibus Bathoriamis obſeſſus.

Perenius quum per triduum noſtros ædibus incluſos fruſtra oppugnaſſet, & complures ex ſuis ſelopetorum glandibus trajectos amiſiſſet, inexpectato Telequeſſii adventu penè oppreſſus fuit. Neque enim noſtros tam celeriter progredi poſſe putaverat, quòd vehementes & aſſidui imbres cecidiſſent, & fluvius Bodrogus, qui præter arcem Cicivam labitur, & qui tranſeundus noſtris omnino erat, adeò intumuiſſet, ut exercitum à tranſjiciendo haud parum deterrere videretur, nec hoſtes trajici poſſe crederent. Verùm Telequeſſius primus equo fluctuantes vortices tranſmiſit: cæteróſque exemplo ſuo animavit, ne obſeſſos commilitones hoſtibus ad internecionem mactandos delendóſque tradere viderentur. Eum tam eques, quàm pedes vadantem ſequutus, Dei ope incolumis flumen ſuperavit: & priuſquam de adventu quicquam auditum eſſet, ſigna ejus & copiæ oppido haud procul apparere ceperunt. Quâ necopinatâ celeritate territi hoſtes; adeò præcipiti fugâ terga dedêre, ut Andreas Taurus, nobili genere ortus, cæterique complures, equis inſidentes, & oblongis protecti, ut tum mos erat, ſcutis, per anguſtam ruſticanæ caſæ porrulam, quæ vix pediti pervia fuiſſet, attoniti palantéſque profugerent; & Perenius ipſe, amiſſa magna ſui peditatûs parte, equi fretus pernicitate, vix in tutum evaderet: & interfectorum cadavera circiter CCC. haud procul ab ea domo, in profundam oblongámque ſerobem ſuapte naturâ concavam conjicerentur. Quibus peractis, quòd hiems inſtaret, utrinque in hiberna conceſſum eſt: & Gerſacherus re bene geſtâ, traditíſque Telequeſſio copiis, Viennam ad Regem rediit, qui eum virtutis & fortitudinis ergo, quâ & tum defenſis conſervatiſque cohortibus, & antea ſub Veſprimio haſtâ in adverſo Turcæ pectore perfractâ incla-ruerat, in cætum equitum, ùt vocant, auratorum, ſolenni ritu annumeravit.

à Telequeſſio, hoſtibus fugatis, præſentaneo eripitur periculo.

Hinc in hiberna milites diſtributi ſunt. Et Gerſacherus Viennam reverſus, in equitũ ordinem cooptatur

Eodem anno Carolus Quintus Cæſar Imperator, poſtquam abdicato Imperio, Hiſpaniarum regna, ac ditiones omnes, quas in Italia atque Sicilia, ac Belgio & Burgundio habebat, Philippo filio tradidiſſet, cum ſororibus Maria Ludovici Ungariæ, ac Leonora Franciſci Galliæ Regis Vidua, XV. die Septembris in Zelandiam atque in Hiſpaniam ſecundiſſimis ventis navigavit. Quem, antequam claſſem conſcendit, Maximilianus ſimul cum Maria conjuge, quæ Caroli filia erat, ac cum liberis Bruxellas profectus inviſere, eique ſuo ac Ferdinandi patris nomine ultimum vale dicere voluit. Nuncupatis igitur utrinque pro felici tempeſtate votis, inter mutuos arctóſque complexus, ille per Oceanum directo curſu vela in altum dedit: hic verò per Germaniæ urbes facto itinere, Oenipontem primò appulit, ac deinde illinc ſecundo Danubio ad patrem Viennam reverſus eſt.

Carolus V. Imperator, abdicato imperio, Hiſpaniã petit.

Maximilianus Rex cum Maria conjuge Imperatori ultimum vale dicunt.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XX.

1557.

ADVANTU Telequeſſii, quantum ſuperioris Pannoniæ regiones metu hoſtili levatæ videbantur; tantum diſceſſit Nicolai Comitis Zriniani in Illyricum inclinaverat belli. Ille ſiquidem poſt duodecimum annum geſtæ Illyrici præfecturæ, magiſtratu ſe abdicaverat; nec adhuc quiſpiam in ejus locum fuerat ſuffectus; quum ſubitò ultra Hunam flumen, incertum negligentiane & ſocordia, vel fraude & proditione unius hominis, inſigne & nec opinatum acceptum eſt detrimentum, amiſſa arce Coſtanicia. Eſt ea oportuno loco ſita, quam antiquitus ſacræ Rhodiorum militiæ attributam, poſtea Zrinianis Comitibus à Joanne Tahio pignori addictam fuiſſe alibi diximus, flumine Huna ex Dalmaticis alpibus orto, in inſulæ modum undique circumflua; ita ut difficilem expugnatu locum, unus qui citra flumen arci imminet Dedua mons, infirmiorem reddere videatur, quòd ex eo tormentis peti poſſit.

Zrinius Illyriciana præfectura ſe abdicat.

Aly dux Turcarum Coſtaniciam arcem ex inſidiis adortus capit.

Superioribus annis, prævalentibus Turcarum armis, quum ſine magnis impenſis, ac militum ſtipendiariorum ampliori numero ſervari non poſſet, Comites Zriniani eâ ceſſerant: Ferdinandique duces eam curæ ac tutelæ militum Germanorum, prout alios quoque limites commiſerant: eoque tempore à Simone quodam Loſtohare è Carnis oriundo defendebatur. Is à Balthaſare Zaberdino, qui tunc arcem Steniſnacum obtinebat, ad nuptias quaſdam vocatus, cum aliquot centurionibus erat profectus; cùm Turcæ è Camengrado, Banialuca, aliiſque locis collecti, habitis cum Aly duce occultis conſiliis, arcem obſcurâ nocte adorti derepentè ceperunt, cùm à ſublicio arcis ponte, ad ſubductilis portæ inferiorem trabem ſcalas appoſuiſſent, quas ſecundo flumine navigiis ſecum detulerant, & pars ſcandendo murum conſcendiſſent, pars ſecuribus & dolabris portam effregiſſent. Qui intus erant improviſa re perturbati, conſilii inopes arma cepêre: ſed quum pauci eſſent, ab hoſtium multitudine circumventi omnes trucidati fuêre: atque in hunc modum, unius noctis labore, ac paucorum Turcarum cæde, arx oportuniſſima hoſti ceſſit: ex qua non multo pôſt ea Dalmatiæ mediterranea pars, quam Croatiam vocant, omniſque inter Hunam & Colapim regio, in extremum rerum omnium diſcrimen delapſa, & in eam, quæ nunc apparet, vaſtitatem & ſolitudinem redacta eſt. Sequenti illuceſcente die Alya cum magnis equeſtribus & pedeſtribus copiis advenit; ratus noſtros ſuppetia arci ferendia concurſuros; ſed quum nemo ſe in conſpectum dediſſet, relicto in ea valido præſidio, Banialucam rediit.

Præfecto ejus, cum centurionibus aliquot, ad nuptias Zaberdini profecto.

Alii referunt, illam ſingulari Loſtobarii fraude & proditione hoſti, accepto pretio venditam; ita ut captivo quodam, quem habebat, præcipui nominis Turca arbitro, cum Aly tranſegiſſet, ſe ſi duo millia aureorum numûm mitteret, ad certum diem, accepta ſecum majori parte, arcem militibus nudatam, ei clàm irrumpenti relicturum. Alym verò illud aurum duobus Zarcolis (quæ ſunt Janicerorum capitis integumenta, aureis filis ſubtilibus redimita, poſteriore parte in tergum propendente, quas Simon pro redimendo captivo poſtulabat) occultatum repræſentaſſe. Sed ne ego innocui fortaſſis ea in parte viri manibus, re incompertâ, oneri injuriæque ſim, affirmare certi nihil auſim. Conſtat eum, quum Goræ, Raſtoviciæ, Vinodoliique & cæteris arcibus tormentorum ſono, ejus infortunii rumor ſpargeretur, ipſeque inter tripudia & nuptiales choros eum audiviſſet, Deos homineſque incuſantem, extemplo receſſiſſe. Sed quum à Lencovitio ad quæſtionem de eo habendam vocatus, & paſſim quæſitus, nequaquam comparuiſſet; ac poſtremò ad hoſtes transfugiſſet, magnum omnium ſermonibus culpæ ſuæ præjudicium reliquit. Quod ubi Ferdinando nunciatum eſt, mæſtitiam ſimul, curamque ei injecit, ac ne major calamitas ingrueret, neve hoſtes magis inſultarent, Petro Erdodio, virtute ac fortitudine ejus fretus, Illyrici præfecturam dedit, eâ, quâ Zrinius habuerat, poteſtate; hunc autem magiſtrum Thavernicorum fecit; qui magiſtratus nunc juri tantùm liberis civitatibus dicundo præeſt; olim verò etiam carioris regiæ ſupellectilis, quæ Budæ in fornice concamerato, valviſque & clatris ferreis munito, ſub palatio majori ſervabatur, cuſtodiæ præerat.

1557.

Qui paſſim quæſitus ad hoſtes demum transfugit.

Petrus Erdodius Illyrici præfectus creatur.

Interea ortis inter Zrinium & Alym Boſnenſem jam grandævum ſenem controverſiis, de redimendis quibuſdam captivis, res eò proceſſit, ut ille Turcam acrioribus convitiis proſciſſum, fideique & ſponſionis ſuæ oblitum, ideóque perfidum perjurumque nominaret, & ille eâ verborum contumeliâ exacerbatus, Zrinium ad ſingularem pugnam provocaret. Quam tametſi Ferdinandus interdixiſſet, quòd ejuſmodi duellis fraudem dolumque intervenire poſſe non ignoraret: Zrinius tamen diem duello conſtituit, ad quem in campum Divi Georgii Sabiaci, qui in Illyrico haud procul Caproncia abeſt, uterque prodiret: ipſéque convocatis variorum locorum præfectis & amicis, cum exercitu circiter X. millium militum, ut à fraude tutum ſe præſtaret, eò ſe contulit, certamen inire paratus. Verùm Alya formidato periculo congredi non auſus, neglectâ provocatione, quam prior fecerat, Byzantium diſceſſit, eique in præfectura Ferhates ſucceſſit.

Aly Boſnenſis Zrinium comitem ad monomachiam provocans, congredi cū eo haud auſus,

Byzantiū abit.

Qui non multo pôſt ſuorum ſucceſſu elatus, collectis è Boſna aliiſque finibus, quinque circiter millibus armatorum, Savum tranſjecit: & eam planiciem, quæ inter Juaniciam & Zagrabiam protenditur, vaſtare, populari, urereque cæpit, pecorum, quod in agris villiſque erat, quodque in propinqua caſtella & ſilvas

Illique Ferhates præfectus ſucceſſit.

1557.

Quum planiciẽ inter Juaniciam & Zagrabiam ferro flammaque depopulatum,

ac montes inter feſtinandum refugere non poterat, abactum omne eſt: & multi mortales partim ferro igneque abſumpti, partim in ſervitutem rapti. Quod quum Lencovitius Germanicorum præſidiorum dux comperiiſſet, deque Ferhatis itinere ab exploratoribus edoctus eſſet, conſilio cum Erdodio habito, qui tunc acerbiore crucians podagrâ decumbebat, nihil cunctandum ratus, eum inſequi ſtatuit. Nec mora, collectis in unum limitaneis militibus, ac trecentis triginta cataphractis equitibus Germanis, ac centuria equitum ſclopetariorum, quam ipſe exemplo ab Italis accepto recens conduxerat, Joannem Alapianum, celebrem equitum ductorem, cum ſua turma ſecum duxit.

Lencovitius & Kerecenii fratres inſequunt,

In itinere autem obvium habuit Ladislaum Querecenium, ejuſque fratres, Andream, Joannem & Matthiam, qui eo fortè tempore bonorum ſuorum diviſionem in arce Cirquenana inſtituerant. Quum ad ſanctæ Helenæ vicum, qui æquali ferè intervallo inter Zagrabiam & Juaniciam eſt, cum mille equitibus & peditatu haud ſanè magno in hoſtes viribus ſuperiores incidiſſent, nihil cunctati eos adoriuntur: nec Ferhates ſuorum confiſus numero, pugnam detrectavit; ſed quum perfractis haſtis, ad gladios eſſet ventum, equitibus ſclopetariis à latere peritè admodum rem gerentibus, hoſtilis acies, cadente præprimis Ferhatis legato Sinaoo, multiſque aliis in fugam verſa, terga dedit, captivis ac pecore, cæteraque præda omni relicta.

caduunt ac fugant præda omni adempta.

Quos noſtri cædendo & vulnerando uſque ad Savum proſequuti, magnam in eis ſtragem edidêre: tum verò etiam, quum flumen tranare conarentur, plurimi abſorpti aquis periêre; partim relictis equis evadere pedibus conati, in noſtrorum manus inciderunt: ita ut Ferhates ampliùs dimidia ſuarum copiarum parte amiſſa, ægre nec ſine vulnere evaſerit.

Inſignis noſtrorũ victoria.

Sed equorum, quos noſtri ceperunt, ingens fuit numerus, uſque adeò, ut nequaquam tunc ſub haſta venirent, prout aliàs moris erat, ſed per turmas & cohortes bini aut terni in ſingulos milites dividerentur.

Comitia Poſonienſia.

Ferdinandus, auditu hujus victoriæ ſucceſſu nonnihil recreatus, non multo pòſt Comitia Ungaris Proceribus ad Calendas Junias Poſonium indixit, quibus ipſe interfuit: & eo die, quo Corporis Chriſti Dei feſtum celebratur, Euchariſtiam à Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſi ſummo cum honore circumductam cum Carolo filio, ac Palatino, totiuſque aulæ Proceribus comitatus eſt, ſpargente ad eam recentes roſas Franciſco Battianio.

Venerabilis SS. Euchariſtiæ pompa.

Velum autem ſeu umbellam geſtavêre Joannes Balaſſius, Chriſtophorus Orſagus, Joannes Choronius, & Chriſtophorus Nadaſdius: ejuſque permiſſu legati nomine ad Comitia Imperii Romani, quæ Ratisbonam ad hiemem inſequentem indicta erant, delecti ſunt, qui auxilia contra Turcas peterent, Franciſcus Forgacius, quem ùt diximus eodem anno Epiſcopum Varadienſem nominaverat, Petrus Macedonius, cubiculo Regio præpoſitus, ac Georgius Huſſotutius, ærarii conſiliarius, qui Ferdinandum præeuntem ſequuti, Ratisbonam pervenerunt.

Legati ad Comitia Imperii auxilia contra Turcas ſollicitaturi.

Ubi perorantem in publico Principum conſeſſu, cui Ferdinandus cum liberis intererat, Forgacium, ac communes miſerias deplorantem, Principes ac Ordines Germaniæ, ſummâ animorum attentione, ac calamitatum commiſeratione audivêre: nec longa interceſſit mora, cùm decreta communibus ſuffragiis in proximam æſtatem auxilia ſunt: duplex nempe, ùt ipſi vocant, Romanum ſubſidium, quod XLVIII. millia militum conſtituere fertur.

In uſque decretũ duplex ſubſidiũ.

Monuerat autem Ferdinandus in Comitio Ungaros, ut militibus, qui è Germania mitterentur, de alimentis & commeatu, equis verò & jumentis de pabulo proſpectum foret. Quod ita eſt curatum, ut nihil deſiderari poſſet,

Legati ad XV. Calendas Decembria reverſi, bonâ ſpe popularium animos impleverunt; ſed ex tanta promiſſorum auxiliorum mole non plures tribus legionibus peditum, & totidem tricenariis equitum turmis in Ungariam venêre: quarum pars in ſuperiorem ejus partem defendendam diſtributa eſt: partem Palatinus Nadaſdius Jaurinum deduxit.

Sed admodum pauca ſubmiſſa copia.

Ubi eum ſuis & Zriniani Comitis, Tahi, Chriſtophori Orſagi, Franciſci Turci, ac ciſdanubianæ Nobilitatis copiis totum ferme æſtatis tempus conſumpſit, nullo facto operæ pretio.

Exiguo facto operæ pretio.

Jam enim Ferdinandus ex literis legatorum, quos Byzantium pro induciis petendis miſerat, aliquam ſpem earum impetrandarum cognoverat, dummodo nequâ hoſtilitate Solimanus offenderetur: ideòque cavendas ſuorum in Turcicam ditionem excurſiones exiſtimabat; Palatinoque & cæteris præfectis in mandatis dederat, ne quid aliud militaris facinoris deſignarent, quàm ſolis tuendis Pannoniæ finibus, arcibúſque ſervandis incumberent.

Spe induciarum, quas Solimanus polliceri videbatur.

Quod ipſum Solimanus quoque Budæ & Boſnæ, cæteriſque præfectis juſſerat, qui longo militiæ labore feſſi, quum ſuperiorem ferè hiemem totam in caſtris difficulter toleraſſent, nihil præter minutas latrociniorum inſidias, contra noſtros tentandum exiſtimabant.

Nam Solimano, reductâ in Tranſilvaniam Reginâ, voti compote, ac Hiſpanorum claſſe ad Menningem inſulam, quam nunc Gerbim vocant, devictâ; nec non Pajazete filio, poſt pugnam cum Selimo fratre, ad Iconium improſpere nimis pugnatam, apud Perſas, ad quos transfugerat, ſtrangulato, quies opportuna, & pax bello carior erat. Quæ quidem tria tractandis induciis impedimenta obſtaculaque, ſummas ab aliquot annis difficultates, tandem nunc rerum etiam omnino deſperationem attuliſſe videbantur, quorum duobus commemorandis, ut quæ à rebus Ungaricis procul diſtant, nequaquam nobis immorandum exiſtimamus. Quæ quum ex ejus animi ſententia ſublatæ eſſent, & ipſe in Ungariam arma converſurus exiſtimaretur, legati tantarum dilationum pertæſi, ad id omni ſtudio incumbere cæperunt, ut dimitterentur: cúmque magno labore res eò perducta eſſet, ut Solimanus & purpurati dimiſſioni aſſentirent; una relinquebatur dubitatio, an omnes, vel duo, qui priores venerant, dimitterentur: & ne Solimanus barbarico faſtu pacis cupidior videretur, ſi quem ex eis retineret, ejus rei optionem eis relinquebat.

Verantius & Zaius legati Byzantio Viennam redeunt, Busbequio ibidem relicto.

Ad extremum Augerius Busbequius, ingenio, fide, & ſolertia ſingulari, ei oneri par, ut remaneret, conſenſit: duo alii Antonius Verancius, & Franciſcus Zaius, injectâ per Ruſtanem Principis generum nonnullâ ſpe induciarum dimittuntur circa ultimos menſis Auguſti dies: ac paucis pòſt diebus, antequam Ferdinandus ad Comitia Germanica diſcederet, ad extremum Octobris finem anni quinquageſimi ſeptimi ſupra mille & quin-

1557. gatos Viennam venêre: quinto nimirum poſtquam diſceſſerant anno. Solimanus quum eos dimiſiſſet, Hadrianopolim conceſſit, ſparſa inter prætorianos milites fama, ad incutiendum noſtris terrorem, illum proximo vere in Ungariam cum exercitu venturum; re tamen verâ, ut iſthic venationis cauſa aliquamdiu moraretur. Legatos reduces Ferdinandus non ſine benignâ gratulatione excepit, muneribusque donavit, & poſtquam de ſumma legationis & induciarum, deque rebus Turcicis aliquot dies cum eis fuiſſet colloquutus, in Germaniam ad Comitia diſceſſit.

1558. Carolus V. imperatoris Ferdinãdo fratri imperiũ cedit.

Fuit annus inſequens cum multis aliis rebus, ac bellis tam in Europa quam Aſia geſtis admodum inſignis: tum verò Caroli Quinti Cæſaris abdicatione Romani imperii, ac morte longè omnium maximè memorabilis: Nam quum plurimas & maximas res, terra marique geſſiſſet, Mediolanum à Gallis, capto eorum rege Franciſco, recuperâſſet; regnum Neapolitanum ab iiſdem ingenti exercitu ac bellicis apparatibus inſtructiſſimo repetitum conſervâſſet, ac memorabile de ſuperatis in Africa Mauris & Numidia trophæum erexiſſet: poſtremò Germaniam omnem inter Danubium & Albim, Rhenumque, quod nec Romanis olim ducibus obtigiſſe conſtat, incredibili felicitate domuiſſet, ſatur laborum & gloriæ, ſcriptis ex Hiſpania ad ſeptemviros Electores literis, legatiſque Gulielmo principe Aurantio, Sigiſmundo Seldio, & Lupo Halletio Francofurdiam miſſis, imperii faſces, quos per triginta novem annos feliciter tenuiſſet, Ferdinando fratri, quem antea conſortem imperii fecerat, reſignavit: ipſe autem in collegium Monachorum Hieronymianorum Divi Juſti privatam ſequutus vitæ rationem ſeſe abdidit: ita ut rejectâ rerum omnium adminiſtratione, eaque Philippo filio demandata, nihil aliud deinceps feciſſe, in omni vita viſus ſit, quàm quòd Deo Optimo Maximo ſuperiſque cælitibus vacaret, eorumque opem ad æternam felicitatem conſequendam aſſiduis votis & precibus imploraret. Itaque ſeptemviri Electores Francofurtum, quod eſt ad Mœnum flumen, congregati Ferdinando imperium detulêre XIV. die Martii: ipſeque illinc Pragam profectus eſt. Ubi quum Carolum fratrem XXI. die Septembris, uti pium & Chriſtianum Imperatorem decuiſſet, feliciter è vivis exceſſiſſe audiviſſet, exequiis magnificentiſſimo apparatu factis ei parentavit. Ordinibus deinde Imperii, Auguſtam Vindelicorum, prima ſuis auſpiciis comitia indixit, ad quæ quum eundum ei eſſet, Comitiis Ungaricis, quibus eundem ferè terminum conſtituerat, Maximilianum filium regem Bohemiæ præeſſe voluit, quæ magnis querelis & clamoribus fuêre ſatis turbulenta, ob militum regiorum inſolentias, quas in miſeræ plebis fortunis & facultatibus diripiendis enormes, & ſupra quam dici queat, crudeles facere erant ſoliti. Ad extremum tamen promiſſa ſubſidia, & donum Mariæ Reginæ, ejus conjugi honorarium decretum.

Comitia Imperii Auguſtã indicta.

1559. Convẽtui vero Hũgarico præfectus Maximilianus Rex.

Tata arx abſente præfecto, ab Hamſa Turco ex inſidiis intercepta eſt.

Solutis comitiis Hamſa ille, cujus clancularia fraude Filecum captum fuiſſe diximus, quum Strigonii præfectum ageret, & Tatam arcem regiam negligentiùs cuſtodiri intellexiſſet (illa priſcis temporibus ad amœna regum & reginarum diverticula, cum viridariis & hortis penſilibus, ac balneis extructa 1559. erat, ſubjectam reſpiciens piſcinam, cujus fundamenta & aggeres è quadrato nec tamen polito marmore conſtabant, quod in eo agro copioſum effoditur) Calendis Maji haud diſſimili aſtu intercepit. Joannes ſiquidem Eſſequius ejus cuſtos, quum Comaronium, quod altero diſtat milliari, privatarum rerum cauſa ad Paxii legatum Stephanum Magnum ſocerum conceſſiſſet, & qui in arce relicti erant heſternâ compotatione negligentiores reddiri eſſent, Hamſa ab exploratoribus, quos liberali ſed occulto ſumptu ibi tenuerat, edoctus, trecentos Turcas ſilentio vallum, quod è materia conſtabat, & cui pecudes & jumenta quæ arcis area non caperet, includi ſolebant, per appoſitas ſcalas ſilentio conſcendere juſſit: atque ii ex capto vallo, murum arcis feliciter ſuperarunt, ac tum demum magnum clamorem ſuſtulerunt. Ad quem ipſe, qui haud procul in inſidiis conſtiterat, propere accurrit; & noſtri ſimul attoniti & ſemiſomnes evigilarunt: ſed quum pauci eſſent, & ut in re ſubitâ & inopinata nec conſilia, nec arma ſatis explicarent, paucis cæſis terga dedêre. Sed & è domibus extracti, partim cæſi ſunt, partim quum è mœnibus ſe dejeciſſent, luxatis aut fractis membris, in poteſtatem hoſtium devenêre, pauci Comaronium profugientes, amiſſam arcem denuntiavêre. Eſſequius juſſu Maximiliani, qui tunc loco parentis res adminiſtrabat, à Joanne Paxio Comaronii præfecto cuſtodiæ traditus eſt: qui quum exquiſitis tormentis ſubderetur, ut ſi quæ proditio interveniſſet, ab eo in quæſtione eliceretur; nihil, quo fama ejus lædi poſſet, extortum eſt: præterquam quòd ſe pro calceandis equis, quos præſtantes habebat, exiiſſe diceret, ac miſerè ſe & malignè à fortuna deſertum quereretur. Verumtamen ab eo negligentiæ damnato capitale ſupplicium ſumptum eſt. Et Ferdinandus Alberto de Wys, quem in locum Augerii Busbequii Byzantium tunc iterè mittebat, in mandatis dedit, ut arcem ſub induciis captam repeteret, fruſtra tamen operam & laborem apud barbaros æqui & boni omnis contemptores conſumpſit. Byzantium enim quum perveniſſet, Solimanum trajecto mari exercitum adverſus Pajazetem filium duxiſſe, & in campis Chalcedoni ſubjectis caſtra habere, Augeriumque eo ſequi juſſum repetit: adferens à Cæſare Ferdinando ſcyphos aliquot inauratos, cum horologio affabre elaborato, quod Elephanti dorſo turris inſtar vehebatur, ac pecuniam, quæ inter purpuratos divideretur. Ea munera utrumque rotum ſpectante exercitu Solimanus ſibi offerri voluit: reſponſo de induciis, & querelis aliiſque rebus in aliud tempus dilato.

De præfecto Eſſequio capitale ſuppliciũ ſumptum eſt. Albertus de Wys muneribus Solimano oblatis, Tatã fruſtra repetit.

Quum autem certis nunciis allatum eſſet, Pajazetem poſt adverſam Iconenſem cum Selimo fratre pugnam, non in Syriam & Ægyptum, quod pater verebatur, irrupiſſe; ſed ad Tahmaſſum Perſarum regem transfugiſſe, copiis dimiſſis, Ipſe cum prætoriano exercitu Conſtantinopolim reverſus eſt: de reddenda tamen Tata ne mentionem quidem fieri voluit, quòd ea præſidio vacua à ſuis militibus occupata eſſe dicerent. Sic arcem, quæ Budam Albam commeantibus Turcis impedimento eſſe poterat, parvo hoſtium labore, magna verò noſtrorum incuria amiſimus. Poſt Solimani ex

1559. ni ex Aſia reditum Franciſcus Bebecus, quem ab rege Ferdinando ad Iſabellæ partes ſummâ levitate tranſiiſſe diximus, privatis, ut dicebat, de cauſis ad eum venit, receptuſque ab eo eſt ſingulari humanitate & benevolentia, ac in colloquium admiſſus; ædes ei pro hoſpitio commodæ, & annona ſufficiens indies præbita: quumque aliquamdiu apud purpuratos res ſuas ſecretioribus colloquiis egiſſet, poſtremò ab iis liberaliter dimiſſus, ac veſtimentis, equis, aliiſque muneribus donatus in Tranſilvaniam rediit: cujus rei cauſa in graviſſimam ſuſpicionem rerum novandarum apud reginam incidit, quæ illi brevi poſt exitium atque interitum attulit, ut paulò pòſt dicemus.

Bebecus ad Solimannum profectus, ſingulari benevolẽtia ab eo excipitur, & liberaliter dimittitur.

Qua ex cauſa in rerũ novandarũ ſuſpicionẽ incurrit.

At Tranſilvani Iſabellæ duces Chriſtophorus Hagnaſius, Benedictus Bornemiſſa, & Petrovini clientes collectis copiis, Unguarum & Seredniam, quæ à partibus noſtrorum ſtabant, adoriri conati, caſtra ad Muncatium collocaverant; eo animi propoſito, ut vindemiam collectam vi auferrent ac ad id magnum doliorum numerum ad oppidum Beregſaſum comportandum curaverant. Quod quum Telequeſſius cognoviſſet, agricolas ab injuria hoſtium defendere, ac eorum caſtra aggredi conſtituit. Verùm hoſtes ſolo ejus adventu audito palantes & diſcincti, pars in Tranſilvaniam, pars Huſtum & Muncatium, ac reliqua præſidiorum loca effuſa fuga petivêre. Et qui ſe ad Muncatium receperant, quod arx tantum fugientium numerum nequaquam caperet, extra munimenta trepidi conſederunt. Quibus quum noſtri acriùs inſtarent, nec tamen quicquam proficerent, quòd illi tormentorum pilis ex arce defenderentur, ab incepto deſtiterunt. In qua quidem partium contentione Michaël Perenius Franciſci frater, ſummo loco natus, quamquam ſatis protervus, cum Michaële Corlato obequitaret, colubrinæ pila ex arce emiſſa, coxendicem ictus, perfractis oſſibus, biduo poſt interiit. Illinc ulteriùs pertertitis inſiſtendum ratus arcem Covaſonem, quæ ad jus Metuſunæ familiæ ſpectabat, ſed adverſariæ factioni adhæſerat, fugientibuſque receptum dederat, admotis repentè campeſtribus falconibus in poteſtatem redegit, ac ut inutilem, nec rei gerendæ oportunam dirui juſſit.

Reginæ copiæ à Telequeſſio diſſipatæ.

Michaël Perenius moritur.

Inde Covaſonem arcem captam diruit.

Eundem victoriæ curſum proſequutus, quum Franciſcum Perenium, cum Catharina Bebeca conjuge & liberis, gazaque omni, quæ nequaquam erat contemnenda, ſeſe in caſtellum Zuloſium recepiſſe, & defenſionem parare didiciſſet, eò iter divertit, miſſuque Lupo Savolio, eum, ut ſe clementiæ & gratiæ Ferdinandi, à quo nulla laceſſitus injuria diſceſſiſſet dedere vellet, fruſtra admonuiſſet, obſidere locum conſtituit. Itaque vineis & aggeribus conſtitutis, campeſtrium falconum aliquot ictibus vallum, quod è cratibus & materia argillaque conſtructum erat, non magno labore dejectum eſt, ac noſtri Germanis perniſti, per ruinas conſcenderunt, ac Perenianos abjectis armis ſerò deditionem offerentes partim cecidêre partim captos in caſtra perduxêre. Ipſe cum uxore & liberis captus, ad arcem Saruſiam prope Eperieſſum ſuam perductus eſt, præda inter duces & milites diviſa, quæ ad XL. millia nummûm aureorum æſtimata fuit. Fuêre qui exiſtimarent Franciſcum, ab irato numine eâ calamitate meritò punitum,

Mox caſtello Zoloſio expugnato,

Perenius cum uxore & liberis in poteſtatẽ ejus venit

quòd corpus Capiſtrani ſanctitate celebratum, capto per Turcas Sirmio à Monachis in Zoloſiano Monaſterio reconditum, direpto eo, pulſiſque Monachis, aut cæſis, confractum & indignis modis profanatum, in profundum puteum projici juſſiſſet. Zoloſio Antonium Siculum, fortem & induſtrium præfectum cum 800. militibus impoſuit; atque hinc ad Lelezienſe collegium ductus exercitus, cujus arx in amœno colle ad Latorcii fluminis ripam ſita, præſidio Gabriëlis Perenii occupata tenebatur; cui ſi arcem dedere vellet, incolumitatem abeundique libertatem obtulit; quandoquidem popularium ſuorum malis conſiliis ſeductorum ſanguini, & cædibus parcendum exiſtimabat. Verùm illi ſe uſque ad extremum ſpiritum locum defenſuros magno animo reſponderunt. Itaque protractis admotiſque tormentis, cùm locus minimè munitus eſſet, & plures ex propugnatoribus pilarum ictibus quotidie ſternerentur; cœpêre ipſi, qui anteà tantopere viribus ſuis confiſi eſſent, temeritatis incommodum ſentire, ac de ſervanda, quibus poterant modis, vita & ſalute anxiis animis cogitare. Quum complures dies prætermiſſent, ex quo obſidionem toleraſſent, jamque mœnia adeo concidiſſent, ut hoſtes irruptionem facere poſſe non dubitarent, communi habito conſilio, noctem obſcuram nacti ſummo ſilentio ex arce profugerunt. Quamquam autem ab excubitoribus fuga eorum animadverſa, Telequeſſio que ſignificata eſſet; tamen eos ſuis inſequi vetuit, quòd & pauci eſſent, & juxta veteris ducis illius dictum, fugientibus, quo expeditiùs currerent, pontem ſternendum eſſe reſpondiſſet.

Perenii in corpus B. Capiſtrani injuria

Lelezii, fugientibus propugnatoribus ab eodem Telequeſſio captũ.

Lelezio capto & præſidio firmato, quòd præceps autumnus in hiemem inclinaret, caſtra reducere ſtatuit. Sed quum in itinere allatum eſſet, Franciſcum Bebecum, & Melchiorem Balaſſium, contractis in unum omnibus Reginæ copiis, Caſtello Zoloſio obſidione cincto, Antonium Siculum & ejus milites magno conatu oppugnare, incluſuſque premere; ſignis retro converſis, ſuccurrendum viro forti ratus, cujus jacturam multis caſtellis majorem reputabat, haud quicquam moratus, exercitum adverſùs eos promovit. Antonius quoque proviſis iis, quæ defenſioni erant neceſſaria, vim eorum fortiter ſuſtinebat: ſic tamen ut ſuam & militum ſalutem Telequeſſio per nuntios & literas aſſiduè commendaret, peteretque, ne eos deſerendos exiſtimaret. Hoſtes interea caſtra ſua foſſa, & vallo munivêrunt, caſtellumque colubrinis, aliqua in parte dejectum aggreſſi, ſecus quàm putarant, Antonio egregiè rem gerente, rejecti poſtque amiſſis quamplurimis terga dederunt. Qua in pugna Georgius Tarcianus, tormento à noſtris ictus, tam vitæ quàm familiæ, quæ ſanè vetus & admodum clara erat, finem fecit. Quum verò Telequeſſius ab exploratoribus didiciſſet, hoſtes in oppido operibus & munitionibus, valloque & foſſa ſe uſque adeò circumvallâſſe, ut invitos ad pugnam elici nequaquam poſſe conſtaret; ipſe capto repentè oportuno conſilio, ratibus & pontonibus, ac navigiis quæ in tanta celeritate reperiri potuerunt, Tibiſcum trajecit: ac caſtris in hoſtium ditione collocatis, ac equitatu hinc inde procurrere juſſo, effecit ut multis & præcipuis ex hoſtium numero interceptis atque cæſis, Bebecus

Zoloſum à Bebeco & Balaſſio obſeſſũ Telequeſſius liberat.

1559. becus & Balaſſius omni commeatu, atque alimentis intercluſi, ac rerum omnium inopia preſſi, ad liberum ab eo abitum, ac certas inducias petendas compellerentur: ſic nimirum, ut illi relictâ Zoloſii obſidione, in rurum abirent, & Antonius ſervato caſtello, unà cum ſuis omnibus incolumis dimitteretur. Quo facto & ſuis omnibus ſalvis receptis, caſtellum vacuum relinqui atque incendi juſſit, ac cum victore exercitu reverſus eſt.

Cùm autem Caſſoviæ in hibernis eſſet, communicato cum Stephano Dersffio, ac Simone Forgacio, & Germanis ducibus conſilio, tentandam bipartito adversùs rebelles fortunam decrevit; ita ut ipſe ad Saroſpataciana ſuburbia duceret, Dersffius verò oppidum Tocaium aggrederetur. Nec mora, Gabriële Perenio nuſquam ſe in conſpectum dante, quicquid Saroſpataci extra urbem muro cinctam repertum fuit, ferro & igni vaſtatum direptumque eſt; abacto magno pecudum, ac pecoris numero. Dersffius verò nocte ingruente, quòd ob lutulenta itinera priùs pervenire Tocaium non poterat, facto per vallum & ſepimentum ſecuribus & dolabris aditu oppidum diripere cœpit. Nox illunis & obſcura erat, nec quiſquam facilè hoſtiſne an amicus eſſet diſcernere poterat, quum Nemethius arce egreſſus cum ſuis tumultuariam & ancipitem, qualem cæcâ nocte fieri neceſſe erat, pugnam miſcebat, Dersffio contrà ſuis animos voce & exemplo addente. Cùm diu pugnatum eſſet, ad extremum Bartholomæus Niger, Dersffii eques, cum Nemethio fortè congreſſus, quiſnam eſſet ignarus, frontem ei gladio diſcidit. Quo vulnere ſuſcepto receptui cecinit, & totam faciem cruore fœdatus, in arcem reverſus eſt: noſtri verò ablata rerum plurimarum præda Goncium atque inde Caſſoviam redierunt.

Saroſpataci ditio vaſtata à Telequeſſio.

Dersffius Nemethio vulnerata, Toccai conſimia de populatur.

Nec multò pòſt, quamquam infeſtâ hieme, cuncta frigore & glacie rigerent, Tranſilvani collectis undique copiis, duce Stephano Bathorio Somlino, viro impigro, arcem Vardam, ultra Tibiſcum ſitam, quæ in partibus Ferdinandi conſtanter perſeverabat, quòd ea ſtagnantibus è Tibiſco aquis ac paludibus cincta, munitaque hiemis potiùs quàm æſtatis tempore capi poſſe crederetur, acri obſidione circumvallarunt; admotiſque à parte orientali tormentis, quòd aliis in partibus commodè adiri non poſſet, ac Germanos eam frigidioris cœli injuriam, gelidaſque tempeſtates toleratu difficiles fore, ſeque faciliùs arce potituros. Verùm ille, prout erat ab ineunte ætate laboribus aſſuetus, ac diſciplinæ militaris ſcientiſſimus, præmiſſo Lopo Savolio, qui obſeſſos conſtanti animo eſſe juberet, ſeque cum exercitu Tibiſcum trajeciſſe nuntiaret, ſummâ adhibitâ celeritate, difficultatibus militum Germanorum proſpexit; veſteſque ex albo craſſiore panno, quibus nives & pluvias arcerent, eis diviſit; carbatiniſque & calceamentis celeriter confectis, milites, ut gradum inteoderent, hortatus, Tibiſcum trajecit, ita ut antecurſores noſtrorum celeriùs in conſpectu hoſtium obequitarent, quàm Telequeſſius cum copiis iter ſuſcepiſſe exiſtimaretur. Cujus uſque adeo improviſo & inexpectato trajectu perterriti hoſtes, adventum exercitus nequaquam expectare auſi, omiſſâ obſidione fœdè profugerunt. Quos turpiſſimè & inordinatiſſimè fugientes, delecto ad id idoneo, bipartitoque equitatu, hinc uſque ad Sacmarium, illinc verò ad pontem Siculum, tergis inſiſtendo perſequutus eſt: ita ut in ea fuga plurimi hoſtium cæderentur; plurimi etiam è fuga retraherentur.

Bathorius arce Vardam abſidentem turpi fugæ ſibi conſulere compellit Telequeſſius.

Neque conquieſcendum interea duxit, donec Olſuæ munitio, quam Stephanus Seredius, auxilio Melchioris Balaſſii, opportuno & munito loco ad infeſtandam Vardam, & vexandas Ferdinandi ditiones conſtruxerat, eodem impetu caperetur. In eâ munitione Bathorius tormenta curulia decem, quibus Vardæ mœnia quaſſaverat, quòd avehi non potuiſſent, relinquenda exiſtimaverat, nequaquam arbitratus Telequeſſium & noſtros eò uſque metum & terrorem extenuaturos. Itaque Telequeſſius loco potitus tormenta Caſſoviam avehenda curavit, caſtellum verò ejus juſſu dirutum atque diſtractum eſt. Eâ re perfectâ exercitum eis Tibiſcum reduxit, & nullo militibus otio aut quiete conceſſâ, arcem Zeteniam, quæ Franciſci Nemethii perduellis hæreditaria erat, admoto tormentorum, quæ in Olſua ceperat, terrore, quamquam ea nec pilis nec ſulphureo pulvere onerata eſſent, expugnavit; eamque à Ferdinando ob bene navatam operam jure hæreditario dono accepit. Nec multò pòſt converſo ad arcem Barconem impetu, eam deditione captam, ne rebellibus receptui foret, dirui juſſit. Ea anteà erat Antonii Drageti Homonayani, cujus filiam Martinus Queſſetius Tranſilvanus, abdicato Epiſcopatu Veſprimienſi, quem aliquamdiu tenuerat, paucis antè annis ſibi matrimonio junctam, moriens viduam reliquerat, illaque Franciſco Quendio nubente, arx in ejus poteſtatem devenerat. Poſtremò arcem Coveſdiam, haud procul fluvio Bodrogo ſitu jucundo & peramœno, in vitiferi collis jugo jacentem, quam Nemethius vi occupaverat, expugnavit; & ditioni Ferdinandi, à qua erat avulſa, adjecit: hiſque omnibus eâdem æſtate proſperè confectis, ſalvum & incolumem Caſſoviam reduxit exercitum.

Et Olſuæ munitionem eodē impetu capit, cui

Zeteniā

Barconē.

& Coveſdiam arces adjecit.

Quibus rebus effectum eſt, ut Gabriel Perenius, qui ad Reginam deſciverat, tam à Telequeſſio ſibi metuens, quàm erroris temerè commiſſi pœnitens, illiuſque auctoritate & monitis permotus, relictâ Iſabellæ factione, ad Ferdinandum redire decreverit. Itaque quum Nicolaum Olahum Archiepiſcopum Strigonienſem, ac Andream Bathorium, miſſo ad eos Ladislao Barocio familiare ſuo, per literas impenſiùs rogaſſet, ut partes ſuas pro ſe apud Ferdinandum interponerent, gratiam haud difficulter impetravit. Ejus exemplum ſequutus Georgius Bebecus haud diſſimili benigni animi propenſione, in gratiam receptus eſt, cùm pro eo recipiendo Maximilianus quoque Rex Bohemiæ apud patrem laboraſſet; & ille reginam Iſabellam acerbiſſimo odio proſequeretur; quæ illis diebus Franciſcum Bebecum patrem, crudeli mortis genere nec opinantem interfici juſſiſſet. Quæ res quomodo acta ſit, quoniam me locus hic admonet, paucis abſolvam.

Gabriel Perenius ad Ferdinandi obſequium relicta Regina, ſe recipit

Ejus exemplum ſequitur Georgius Bebecus.

Franciſci Bebeci patris interitus.

Principio ſuperioris anni, prius quàm hæc fierent, Henricus Galliæ Rex legatum ſuum Byzantio ad Reginam Iſabellam ſalutatum miſerat Jacobum Cambraium, ſimulque ejus conſilia, quibus in repetendo regno uſa fuiſſet, multis verbis collaudaverat, operamque ſuam omnem, ſi qua in re uſui foret, obtulerat. Cujus liberali ſtudio adducta Regina, Chriſtophorum Batho-

Galliæ Regis & Iſabellæ ultro citroque legationes Chriſtoph.

1559. Bathorium Somlianum ad eum miſerat, qui per Taurunum & Rhaguſium, Venetias, indeque per Helvetios facto itinere in Galliam penetraverat. Summa legationis erat, ut opera tam potentis regis à Solimano arces, quæ cum Temeſuario & Lippa, non ſua, ſed Monachi culpa Ferdinando traditæ, atque ab eo amiſſæ eſſent, ſibi recuperare liceret; receptis enim iis, faciliorem fore reliquorum à Ferdinando extorquendorum viam. Deinde ut ſe & filium in clientelam ſuam receptos liberaliter juvare vellet, atque ad quinquennium quinis millibus militum ſtipendia attribueret. Quæ Henricus magna cum animi lætitia audivit, breviq́ue Somlianum, admiſſis liberaliter omnibus poſtulatis, remiſit, adjuncto ei Petro Franciſco Martineſio legato, per quem ſupra omnem operam & induſtriam ſuam, quas apud Solimanum interpoſiturus eſſet, filiam quoque ſuam reginæ ipſius filio in matrimonium obtuliſſe ferebatur. Hoc unum utrique legato in mandatis dederat, ut cum Iſabella ac Petrovitio, aliiſque, quorum illa conſilio uteretur, agerent efficerentque, ut Joannes Sigiſmundus (ſic eum mater vocabat, repetito patris & avi nomine) qui jam decimum ſeptimum ætatis annum agebat, ſceptra tenere, munia principis obire, & conſiliis intereſſe aſſueſceret; ne uti hactenus, inter viliſſimorum hominum ſordes, ac mulierecularum cœtus educatus, cum adoleſceret, propter ingenii & ætatis imbecillitatem, maximarum rerum curis, & adminiſtrando regno impar foret. Quum legati reverſi eſſent, & Gallus luculenta oratione publica habitâ, mentem, animumque regis ſui declaraſſet, magnâ ab omnibus lætitiâ & voluptate, ipſoque Petrovico, auditus eſt, qui ſe hoc ſemper à regina ſummis votis poſtulâſſe, nec tamen obtinuiſſe meminiſſet.

Rex filiã ſuam Reginæ filio in matrimonium offert.

Regina quum legatum muneribus cultum dimiſiſſet, atque is facto per Thraciam itinere, Conſtantinopolim, indeque in Galliam rediiſſet, ſuſpectam habere legationem ſibique inſidias à proceribus ſtructas arbitrata, hæc cum Bona matre, paulò antequam in Italiam reverteretur, communicavit. Quæ ſive ſponte, ſeu à Philippo Hiſpaniarum rege, ac Ferdinando Cæſare, ut fama fuit, corrupta, callidis conſiliis filiam ab ejuſmodi ſuſcipiendis conſiliorum rationibus avertit, eique, ne vivens ſibi adimi regnum pateretur, perſuaſit; quod eventurum haud dubiè diceret, ſi filius, ductâ tanti regis filia, moderandis imperii habenis adhiberetur. Itaque ſpreta illius amicitia & affinitate, etiam Petrovitium & Bebecum, aliosque, qui filium ad procuranda regni negotia, remque militarem addiſcendam, Waradinum mittendum cenſebant, ſuſpectos habere, & ſingulari odio proſequi, novaque conſilia animo verſare cæpit.

Legatio hæc Regis varias Reginæ animo injecit ſuſpiciones.

Unde etiam Petrovitius & Bebecus eidem inviſi.

Inter hæc Bebecus, qui ſingularem apud eam gratiæ locum obtinere videbatur, Byzantium, ut diximus, profectus, Gubernatoris nomen & titulum à Solimano obtinuit, iis legibus, eâque auctoritate, quâ olim Ludovicus Gritta habuerat, Moldavuſque & Tranſalpinus principes ei parere juſſi. Byzantio rediens in Walachia ſubſtitit, & Chauſium cum Solimani literis, quibus regina de ejus novo magiſtratu certior reddebatur, præmiſit. At regina, quæ Bebecum ea conſilia adverſus ſe iniviſſe, graviter indignéque ferebat, Petrovitium cum eo, & duos Quendios, occultam inter ſe conſpirationem de auferendo ab ea filio ſuſcepiſſe, auctâ ſuſpicione, credebat, Chauſio ſe mandatis paritaram reſpondit, intimo tamen pectore illorum conſilia prævertere, eoſque è medio tollendos decrevit. Quod aperire nemini mortalium auſa, cum ſolo Stanislao Niſovio, vetere familiare ſuo, natione Polono, communicavit. Quatuor vel quinque viris parabatur exitium. Sed intereà Petrovitius, qui morbo & ſenio gravatus, deſtinatæ cædi naturali morte eripitur: qui quòd totâ vitâ cælebs vixerat, bonorum omnium & facultatum hæredes Reginam & filium reliquit. Michaëlem autem Chaquium Epiſtolarum magiſtrum, qui etiam ſæpe pupillum malè educari dicere erat ſolitus, ſive fatalis quædam ſortis felicitas, ſive uti ferebatur, Emerentianæ Niſuvii conjugis accuratæ preces periculo exemerunt. Cæteri tres quomodo tollerentur, Niſovio manus illis injicere non auſo, querebatur; poſtremò Melchiorem Balaſſium, ad omnia flagitia promptum, ſecretò alloquitur, promiſſaque ei in præſens arce Veſchia, quæ Franciſci Quendii erat, eum ſpe majorum quoque præmiorum oneratum, ad accipiendas perpetrandi facinoris conditiones adducit.

1559.

Petravitius fato concedit. Regina omnium bonorum hærede relicta.

Itaque Reginæ juſſu, graviſſimarum rerum prætextu, Albam vocantur ad Calendas Septembris, & Balaſſio negotium datur deſtinata exequendi. Bebecum nihil tale ſuſpicantem ipſemet, immiſſis percuſſoribus, multis vulneribus confoſſum ſuſtulit: ad Franciſci autem Quendii cædem, Stephanum Tompam cum centuria peditum prætorianorum miſit, qui eum in lecto jacentem repertêre, extemplóque trucidavêre. Eadem diei hora Antonius quoque Quendius, quòd omnibus membris, articulorum doloribus captus & diſtortus, ſella geſtaretur, facili negotio interfectus fuit; eodemque die in ſuburbano templo humati omnes. Bona eorum omnia, quæ erant ampliſſima, fiſco addicta. Immenſum auri & argenti pondus, ac vix credibiles divitias apud Franciſcum Quendium reconditas fuiſſe ferunt, theſauros etiam Socoli Valachiæ principis, metu Solimani ad eum profugi, ſublato eo, ſuppreſſos, armentorum innumerabiles greges, inſuper mille & ampliùs ingentes frugum cumulos centenis & pluribus aureis æſtimatos, & mira alia, multo rumore vulgi jactata. Addunt præterea ad augendum odium & invidiam, venenum Byzantio allatum, in Bebeci cubiculo repertum, quo reginam & fortaſſis filium etiam è medio tollere voluiſſet. Et poſtea Tordæ in concilio productus teſtis quidam Gregorius Tarchious decretumque quanquam præpoſtero judicio, publicis ſuffragiis, jure cæſos eſſe; parum tamen conſtitit, an præſumpta ſuſpicione, aut favore in reginam pronitate, nam diverſi diverſo diſcrimine interpretabantur. Horum cæde magna ab Regina animorum alienatio facta eſt: quum plerique ferè omnes legibus potius, quæ minui nequaquam deberent, quàm in prætorio agi debuiſſe palam prædicarent. Interfectis his, regina Balaſſio ſupremum copiarum ſuarum imperium dat, ac ut Sacmarii extra Tranſilvaniam præſidium militare habeat, decernit: addito ei oppido Taſnado ac fructuum deciſmis, quæ ad Albanum Epiſcopatum pertinebant.

Bebecus immiſſis à Balaſſio percuſſoribus, Reginæ juſſu occiditur, Franciſcus & Antonius Quendii eodem conſilio à prætorianis trucidantur.

Ingentes Franciſ. Quendii theſauri.

alienatio multorum animi hac cæde à Regina.

Balaſſio ſupremum imperium eadem confert.

Cæterùm Ferdinandus Cæſar, iiſdem ferè diebus in locum Stephani Deraſſii, è Caſſovienſi præfectura diſcedentis Joannem Peteonem ſufficit. Joanni verò Gerlachero Andreas Quilmanus è Scribarum ſodalitio ſucceſſit, quibus ut

pri-

1559.
Joan. Peteom à Ferdin. Caſſoviæ committitur.

primo quoque tempore Caſſoviam progrederetur, in mandatis dedit. Stipendium etiam duodecim menſium Telequeſſio, ducibuſque tam Ungaris quàm Germanis & exercitui, de ſe benè merito miſit: cujus dimidium numerata pecunia, cætera pars ex ſericeo & laneo ſubtiliore panno, ac auro & argento elaborato conſtabat. Decreverat autem, poſtquam exercitus luſtrarentur, & ſtipendium divideretur, Sereorium obſidere; quod erat à Nemerhio paulò antè munitum, ut Tocajo vice propugnaculi eſſet, eamque ob cauſam milites ad Metam pagum in caſtra convenire juſſerat. Sed dum ii Caſſoviæ in agro ſuburbano recenſentur, ac quo ſplendidior poteſt quiſque armiſque & equis inſtructior ad accipiends ſtipendia conveniunt; agricola è Sixone pernici vectus equâ, Turcas oppidum acerbè populari, & urere nuntiavit, indicibuſque digitis elevatum in ſublime craſſiorem fumum oſtendit. Nam Ruſtanes cognomento junior, qui Budæ præfecturam agebar, communicato cum cæteris ducibus conſilio, ex omnibus quæ præfecturæ ſuæ ſubjecta erant, præſidiis, exercitum collectum Velgiani Perſæ Fileci præfecto attribuerat, ac ut Sixonem igne ferroque vaſtaret, in mandatis dederat; quòd oppidani induciis principum nuper ad ſeſtre tempus pactis, ac præſidio militum, qui in Sendreone & Caſſoviæ excubabant, ſatis tutos ſe arbitrati, deditionem facere recuſâſſent.

Ruſtanes Badenſis oppidum Sixovem ferro flammaq; vaſtat Velgianis Fileti præfecti ducta.

Adjunxerat ei milites quoque illos, qui certiora ac majora aliis ſtipendia Budæ merent, & Giumliæ vocantur, numero treceutos, legatumque ſuum Sioanum Quhajam, cum prætorianis equitibus. Ex Alba verò & Quinqueeccleſiis, Solnocu, Peſtoque & multis aliis locis præſidia deducta, Filecum juſtis paſſibus contendere juſſerat: ita ut brevi tempore, comparatis ex fortiſſimo quoque milite copiis quinque millia ſelectiſſimorum equitum in unum convenirent. Nam peditatum ad cuſtodiam locorum domi relinquendum conſtituerat.

Telequeſſius de ſententia ducum ſuorum, Turcorū populatiꝰ obviã ire ſtatuit.

Eorum conſilia & conventicula ab exploratoribus ad Telequeſſium perferebantur, adeo tamen illa in occultu agitabantur, ut quid molirentur, quorſum tenderent, ſcire nequiſquam poſſet. Re tamen per hunc modum cognita, & magiſtris ſtipendiorum, ut in recenſendo nulla pergerent, admonitis, Peteonem & Forgacium, ac Antonium Siculum, ex Ungaris ad ſe vocat, Germanos etiam Gratovium & Teicovicium conſilio adhibet, quidve ipſis in re tam ſubita faciundum videretur exquirit, primuſque

Peteonis ſententia

Peteo ab eo rogatus, ut prolixioribus inquit, verbis utar, nec tempus patitur, cùm hoſtes ſub oculis noſtris grave & atrox bellum miſcent, neque verò expedit: hactenus quidem in populares noſtros ferrum ſtrinximus, ac tumultuoſiùs forſitan & crudeliùs quàm decuiſſet civilia arma exercuimus, ut eos, qui à fide communis regis noſtri nefariè receſſiſſent, perdomitos ad officium reduceremus. Sed nunc occaſionem, quâ nos non ſolùm adverſus cives, gentileſque noſtros, ſed etiam contra immaniſſimos & truculentiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, virtute & victricibus armis valere oſtendamus, divinitus oblatam videmus. Nullam itaque moræ aut hæſitationi locum relinquendum, ſed rectà in hoſtem contendendum cenſeo, eumque ab agrorum & villarum vaſtatione atque incendiis ultore gladio propulſandum.

Vix hæc proloquuto, fremitus concionis & ducum in equis circumſtantium, pedibuſque in ejus ſententiam euntium ſequutus eſt. Ipſe pro excellenti fortitudine, ac providentia ſingulari, qua ſuper omnes eminebat, eorum ſententia approbata, Deus, inquit, Opt. Max. qui de hoc eodem Veligiane perfido hoſte, ante hos aliquot annos Veſprimii victo atque profligato trophæum mihi conceſſerat, non inani procul dubio omine, certam nunc quoque victoriam dabit: atque ita eundum in hoſtem edicit, vocatoque Joanne Zalaio, cui portarum urbis claves, cuſtodiamque concrediderat, claudi extemplo portas, nec quemquam militum intromitti jubet, ne intromiſſi ex gregariis ſigna deſererent, ac latebris conderentur. Mox tubas inflari, & tympana pulſari, ac iiſdem armis & ornatu, quo ad delectum cenſumque prodierant, tam duces quàm milites in hoſtem educit. Georgio Bebeco per idoneos celereſque nuntios, ut propiùs Sixonem cum ſuis copiis venire, ſecumque eas conjungere maturet, mandat: idem cæteris quoque demonſtrato conveniendi loco denuntiat. Sed in re tam ſubita & improviſa vix mille quingentis equitibus confectis, in hoſtem progredi potuit.

1559.

Bebeco cum ſuis copiis ſuis adſit, nuntiat.

Quum Sixonem perventum eſſet, Veligianem, concremato oppido, ac omni eo agro, multiſque captivis abductis Filecum verſus diſceſſiſſe comperit, eique paululum progreſſo, Bebecus cum quadringentis circiter equitibus occurrit; inter quos quinquaginta erant ſclopetarii, celeritatis ergo, in equos tranſlati: ſic ut omnes copiæ plus minus duorum millium equitum numerum conſtituere cenſerentur. Ibi citatiore gradu ductis agminibus, ad pagum Cazam Turcas aſſequutus eſt, qui quum noſtros conſpexiſſent, frontem & ſigna extemplo converterunt, ac Veligianes, ac cæteri duces & præfecti, ſuos ad pugnam inſtruxerunt. Telequeſſius quoque notabili inſtructâ acie, Antonium Siculum & Franciſcum Zalajum ac Matthiam Sennieſium cum ſexcentis equitibus præire, & fortiter irruere in hoſtes jubet. Bebecum & Peteonem in ſubſidiaria acie cum totidem equitibus collocat, ac ut antecedentium veſtigiis haud procul inſiſtant, admonet. Ipſe cum ſua peculiari ala, ac Forgacio, & Germanis, quos Teicovicius & Gecarovius ductabant circiter trecentis cæterorum antecedentium agmina claudebat. Sed obſervari inſtitutus ordo non facilè potuit, propterea quòd Telequeſſius animadverſo hoſtes in captivos cædendo & trucidando graſſari, ita ut nec infantibus parceretur, Antonium & qui anteceſſerant gradum accelerare juſſiſſet, ita ut qui ſubſidio ſequi debebant, tardiùs præcedentia agmina aſſequerentur. Nihilo tamen minus noſtris acerrimè in eos impetum facientibus, captivi qui ſupererant omnes, ita ut erant, reſtibus & catenis vincti, extemplo liberati fuêre, hoſtibus prælio intentis; inter quos præter agreſtium turbam nobiles quoque matronæ, ac virgines complures puerique cernebantur.

Copiæ noſtræ vix duorum millium equitum conſtabant.

Captivi à noſtris liberati.

Ventum eſt in hoſtem, duabus aut circiter tribus horis ante Solis occaſum, & ruptis primo magno fragore haſtis, res ad manus & gladios deducta eſt, ac acerrima pugna contracta; adeò ut quamquam Antonius, & qui cum eo primi hoſtes adorti eſſent, ſummâ ope & viribus pugnarent, tamen majore vi inſtantibus Turcis terga vertere, ac ad ſubſidiariam Bebeci & Peteonis

Atrox certamẽ utrinque commiſſū.

1559. teonis aciem non ſine ſumma conſternatione refugere compellerentur. Quibus retrocedentibus, Bebecus à latere cum ſuis, & Peteo à fronte auxilium protinus tulêre: reverſiſque in pugnam etiam iis, qui palantes diffugerant, certamen atrox & cruentum denuo inſtauratum eſt; hoſtibus ſummâ vi pugnam capeſſentibus, neque quicquam loco cedentibus.

Cadentibus ex utraque parte multis & inſignibus viris.

In eo certamine Sinanus Budenſis legatus, ac Ramadanus Giumliarum ductor, fortiter pugnantes cum multis ſuorum uccumbunt, è noſtris verò Stephanus Lazajus, Bebeci equitum ductor, equo, armis & criſtis conſpicuus adactâ in adverſum os haſtâ, cecidit; ac Georgius Racocius, vir fortis ejus legatus, vulnus in humero ſuſcepit: equites verò ſclupetarii, quòd in ipſius pugnæ fervore ſubitus è nubibus imber delapſus, funiculorum ignibus extinctis uſum ſclopetorum ademiſſet, majóri ex parte proſtrati cæſique fuêre: uſque adeò, ut ſumma rei, in extremum diſcrimen deducta eſſe videretur: niſi laborantibus Germani equites, jubente Telequeſſio, opem laturi adcurriſſent. Quia tamen nec illi ſclupetis rem gerere valebant, pulvere ſulphureo, ob eam, quæ importunè ceciderat, pluviam madefacto, jam tumultuati & nutare acies ceperant; & Germani, cadentibus ex eorum numero quamplurimis, fugam circumſpectabant.

Animadverſa ancipitis pugnæ difficultate, Telequeſſius & Forgacius, qui alia in parte cum prætorianis & Veligiane dimicabant, oportunéque eos in fugam verterant, opem laturi, eò ubi laborabatur contenderunt; & acerrimè in hoſtes invecti certamen atrox & cruentum renuvarunt: in quo Cirquinus e Vacia equitum ductor, Telequeſſium ſuos cohortantem conſpicatus, pugnam cum eo inire non dubitavit, & uti erat indomiti roboris ac fortitudinis vir, ſenem ducem, ac viribus imparem, tametſi admirabili virtute ſeſe tuentem, deterſa valido acinacis ictu aureæ caſſidis poſteriore parte, quâ collum protegebatur, vulneratóque ad aurem ejus equo, in terram deturbare nitebatur: cùm ſubitò advolans armiger ejus, quem Bencem vocabat, ac Joannes Cruciger, ſubmoto & in caput vulnerato Turca, ducem ſervavêre: moxque adcurrentes alii complures, hoſtem in veſtigio confecêre.

Telequeſſius præſentaneo eximitur periculo.

Cadenti Cirquinu, quum Muſtaphas Secenienſis & Alaga Filecienſis, facto ſiuorum globo opem ferre conarentur, equis dejiciuntur, ac circumventi obtruncantur: tum verò ad Telequeſſium Bebecus & Siculus cæterique aggregantur, denuóque magnis ſublatis clamoribus, pugna committitur: tandémque cùm ad ſerum diei dimicatum eſſet, interfecto Peſtano claſſis trierarcho, ſtratiſque hoſtium vexillis, & magno eorum numero ibidem cæſo, victoriâ noſtri potiuntur, Turcæque terga vertunt atque ad Sajonem flumen præcipiti fugâ deferuntur.

Victoriâ noſtri potiuntur.

Ubi quum una tantùm via anguſtior eſſet, quæ tranſeuntes ad naves duceret; ripæ autem fluviis altæ profundæque fugientibus obſtarent, trepidi & conſternati unus poſt alios inſtar ovium pertei ritarum ſeſe cum equis in flumen præcipites dedêre, hauſtique aquis periêre: pars abjectis armis ſe potiùs in ſervitutem tradere, quàm præſentem & improviſam mortem obire maluerunt.

Turcis plurimis cæſis & ſubmerſis

Inter fugiendum maxima pars capta. Nam Telequeſſius neminem in prælio vivum capi, ſed interfici omnes juſſerat. Plurimi cùm per ſilvas & montes diuturnis erroribus acti neſcirent, quò irent, ab agreſtibus prædæ inhiantibus aut cæſi aut capti ſunt: quorum complures ad Bebecum, in cujus ditione pugnatum erat, perducti, pecuniâ ſeſe redemerunt. 1559.

Partâ victoriâ Telequeſſius ſub eam, quæ pugnam ſequuta eſt, noctem ad Putnocum, quod non procul erat; cum victore exercitu ſe recepit; & cùm pugnando ac laborando feſſus eſſet, quieti ſe dedit: admunitis præfectis, ut fugienti hoſti inſiſtendo metum augerent.

Noſtri fugienti hoſti ſtrenue inſiſtunt.

Itaque Forgacius & Sennteſius cùm ad Janocum pagum veniſſent, donec dies illuxit, XXIX. Turcas captivos, XL. equos, & vexillum unum cepêre: & niſi craſſior nebula, ut autumno fieri ſolet, diem caligine obtexiſſet, longè plures in eorum manus incidiſſent, ex iis, qui viarum ignari, ac devii erroribus diſperſi erant. Nam cùm in pratis inter Janocum & Sajonem flumen, turmam equitum Giumliarum, cui ſignum elegans & diverſis variegatum coloribus præferebatur, conſpeaiſſent; ipſique vexillum ab hoſte captum explicaſſent, Turcæ ſocios eſſe rati, ſatis propè eos expectarunt. Verùm diſcuſſa extempiò vapore ſolis nebula, hoſtes eſſe conſpicati, citatis equis diffugêre, Rimaque amne tumultuario vado ſuperato, ad oppidum Sombarum, atque inde Sabatcam pervenêre, noſtrique in caſtra redierunt. Captorum atque occiſorum tantus fuiſſe fertur numerus, ut ex quinque millibus hoſtium non pluſcea quadringentis evaſiſſe exiſtimarentur.

Ex quinque hoſtiū millibus vix quadringenti evaſerūt.

Sed pulchrum imprimis, jucundúmque erat ſpectaculum, videre magnum Chriſtianorum captivorum numerum, domos ſuas repetentem: qui ſublatis in cælum oculis manibúſque ac in genua procidentes, Deo Opt. Max. & militibus liberatoribus perennes gratias agerent, quòd eorum ope deteſtabilia & impiæ gentis carceres, & implacabilem ſervitutem evaſiſſent.

Innumera captivorum turba liberata.

Veligianes loco & dignitate motus, Byzantium profectus fuit, ibique præterquam quòd per multos dies apud Solimanum pro ea retinenda fruſtra laboravit; quòd is eo tempore, ob conjugis Hazattiæ obitum, quam tantopere amaſſer, mœrore & luctu ſe conficeret; tum verò etiam in magno metu eſſe cæpit, ne ob rem malè geſtam ſupplicio afficeretur; itaque rebus deſperatis lethale venenum, quod ad extremos uſus paratum habebat, hauſit, ejuſque vi paucis pòſt horis extinctus è vita migravit.

Veligianes loco motus hauſto veneno, ſibi mortem conſciſcit.

Ferdinando Cæſari ſigna militaria XIII. cum aliquot captivis & equis, & Maximiliano filio haud diſſimiliter munera miſſa.

Ferdin. Imp & Maximiliano Regi ſigna militaria XIII. miſſa.

Re à Cæſarianis ad Sajonem bene geſtâ, Telequeſſius Octobri mente Caſſoviam venit, ac captivos & ſpolia, ut ſub haſta more militiæ venderentur, produci juſſit. Sed Bebecus ea, quæ ipſe cum ſuis ceperat, in commune dare nequaquam voluit: ita ut inſtantibus apud hunc militibus, eoque Bebeci factum moleſtiſſimè ferente, res magnis utrinque contentionibus acta ad arma inclinaret, niſi ea, moto interimè Tranſilvania repentino bello, dilata fuiſſet.

Balaſſius enim duobus menſibus poſt pugnam cum Veligiane pugnatam, contractis undique è Tranſilvania, Varadino, aliiſque locis exercitu, ultimis ejus anni brumæ diebus Vardam obſedit, quòd paluſtri loco, ſed eo anni tempore rigidâ glacie conſtricto ſitam, expugnatu faciliorem eſſe exiſtimaret. Telequeſſius quamquam militem multis laboribus feſſum,

Vardam à Balaſſio obſeſſam Telequeſſius liberat.

1560. fatigatúmque haberet, nihil tamen cunctandum, quin occurreret, raros, copias, quas magna in anguſtia & brevitate temporis cogere potuit, confeſtim promovit, & ad Tarcanum caſtra ſua, uno ab hoſtium caſtris milliari collocavit: ita ut ea interfluente Tibiſco ſepararentur, & nonnunquam tormentis utrinque eminus certaretur. Illic quum aliquot dies conſumpti eſſent, intra quos majores copiæ convenirent, Lupum Savolium delegit, qui centuriam peditum ſclopetariorum, duce Joanne Malio, cohortis præfecto, obſeſſæ arci ſubſidio induceret, qui rara uſi felicitate, deceptis hoſtium excubiis, eadem nocte in arcem ingreſſi fuère. Contractis interea majoribus ſubſidiis, ſub exitum menſis Januarii incuntis anni, aſperrimo frigore concretum glacie Tibiſcum cum exercitu trajecit: admotiſque hoſtili vallo, quo caſtra ſepſerant, militibus, multo tubarum ac tympanorum ſonitu prælium flagitavit. Quo denegato, & Balaſſio ſe in caſtris, vallo foſſaque munitis continente Telequeſſius caſtra ultra arcem oppidumque metatus eſt. Quo facto commeatum omnem, qui in hoſtium caſtra convehi poterat, avertit, ita ut Balaſſius obſidione relictâ retrocedere cogeretur.

Liberata eo modo Varda, ipſe copias ſuas in hoſtium caſtra, quibus illi incenſis profugerant, intulit; arcémque præſidio & rebus neceſſariis munitam Antonio Siculo, cujus ingenio, virtutique multum confidebat, curandam, defendendámque commiſit. Eâ re quoque proſperè confectâ, quum reverſurus iter ad Tibiſcum intendiſſet, circumfuſi undique hoſtes, inſtructis aciebus & agminibus, eum tranſitu prohibere contendebant. Quibus ingenti animo virtutéque mox reſiſtendum duxit, ut copias extemplò in ordines & acies explicatas in contrarium oſtentaret, ac patentibus in campis, quales ea in regione plana videre eſt, pugnæ poteſtatem hoſti offerre non dubitaret. Sed Balaſſius petita ad momentum temporis induciis, vocatoque ad ſe Franciſco Catajo Agriæ equitum præfecto, viro claro & militari, qui in exercitu Telequeſſii erat, ei nuntiavit, ut ſi videretur, utrinque ab incertis pugnæ caſibus abſtinerent, neque ullo facto virium periculo, ambo exercitus reverterentur: admirantibus Tranſilvanicis, & Balaſſium præter conſuetudinem pugnacis animi, ſegniùs copias provehentem vario ſermone carpentibus.

Inſtructa utrinque ad præliũ acies Balaſſii rogatu, incertam Martis aleam ſubterfugit.

Erant, qui Telequeſſio perſuadere conarentur, ut perterritos hoſtes extemplò adoriri, ac inſignem pulcherrimi edendi facinoris occaſionem nequaquam prætermittere, ac ſummæ laudis & victoriæ fructum percipere maturaret. Sed ipſe incertum quibus de cauſis, conſideratiùs agendum, neque rerum ſummam incertæ Martis aleæ committendam exiſtimavit. Itaque eo aſſentiente res tranſacta eſt; & exercitus nullo prohibente ceptum iter tenuit, ac trajecto Tibiſco ad Tarcanum, unde venerat, incolumis pervenit. Apud Tranſilvanos plerique fuère ex Primoribus, qui hanc Balaſſii cunctationem, tanquam exploratis victoriæ rationibus perfidiosè ceſſantis, in invidiam ac proditionis ſuſpicionem vertere non dubitarent, & illum ingentium præmiorum ſpe, ſe promiſſis oneratum jamtum occulta cum Teleqneſſio & Germanis conſilia, quæ paulò pòſt in apertum prodierunt, de tranſitione & deſerendis Reginæ partibus miſcuiſſe prædicarent. Verùm nobis nihil in promptu eſt, quo res dubia aut confirmari, aut refelli queat. Constat tamen non multo pòſt illum, relictâ Reginâ, ad Ferdinandum deſciviſſe, annitentibus ad eum traducendum Franciſco Turzone ærarii præfecto, cujus ſororem in matrimonio habebat, ac Teleqneſſio, qui eum ut virum apprimè militarem ac egregium, ducémque præſtantiſſimum Reginæ detractum maximè cupiebant. 1560.

Balaſſius exinde proditionis ſuſpectus,

Non multo pòſt ad Ferdinandi partes tranſit.

Cæterùm Teleqneſſius Tarcani non diu moratus, quòd milites ſub tentoriis, ob ſummam hiberni aëris intemperiem durare non poſſent, diviſis ad hiemandum copiis, Caſſoviam reverſus eſt, ibique in ſupremam valetudinem incidit, paucíſque diebus annum agens tertium & ſexageſimum, magno omnium dolore extinctus eſt. Fuit parum liberali facie, nec valido aut procero corpore, ſed acri ingenii vigore ſublimi, ac vehementi, adeò ut tametſi literarum rudis eſſet, nemo tamen militaris diſciplinæ munera fortiùs ipſo aut meliùs, diligentiúſque obiverit, nemo eum imperatoriis virtutibus, auctoritate, felicitatéque ſuperaverit: ita ut ex privato equite ad ſummos militiæ honores evectus, fortunam quoque omnibus ceptis, conſiliiſque ſuis propitiam atque benignam expertus fuiſſe cenſeretur. Nec Ferdinandus Cæſar, acerrimi judicii princeps, quin præclarum virtutibus ejus exornandis teſtimonium ferret, omittere viſus eſt; donatâ ei arce Ledeniciâ, quæ nuper decedente abſque hæredibus Raphaële Podmaniccio ad fiſcum redacta erat; adderétque publico in Procerum conſeſſu, nullam nec ante nec poſt imperium copiarum ei traditum, vel errore, vel timiditate, vel negligentia ejus cladem contractam, quâ rebus ejus præclarè geſtis vel levis macula aſpergeretur. Eo mortuo Cæſar Petrum Macedonium, cubiculi ſui præfectum Caſſoviam miſit, revocato Petєone, ſed quum is paucis pòſt diebus repentinâ tactus apoplexi, è vita migraſſet, ſummam imperii Franciſco Zajo deferendam cenſuit, approbante Senatu, tum quòd eum antea multis rebus ſtrenuum fideléinque eſſet expertus, tùm verò nuper legatione Conſtantinopolitana cum laude functum recenti memoriâ teneret, eumque Caſſoviam ſubmiſit: & is haud multo pòſt eò profectus, urbis ſimul ac copiarum adminiſtrationem ſuſcepit.

Emeric. Teleqneſſius vir immortali memoria dignus obit.

Petrus Macedonius Caſſoviæ præfectus moritur. Franc. Zajus in ejus locũ ſufficitur.

Sed priùs quàm ad urbem appuliſſet, incommodum ab hoſtibus haud leve acceptum eſt. Peteo enim & Bebecus, communicato conſilio Serencium obſidere decreverunt, quam arcem duobus à Tocajo milliaribus ſitam Nemethius paulò antè foſſa valloque munivεrat. Igitur extemplò coactis haud multis copiis, ac duabus etiam colubrinis curulibus juſtæ magnitudinis ſecum allatis, arcem coronâ cingere, & tormentis quatere cœperunt. Habebant autem in caſtris militum plus minus ad duo aut tria millia. Quod quum ad Nemethium tam certis nuntiis, quam fragore & boatu tormentorum allatum eſſet; ſimúlque noſtros otioſiùs quàm par ſit, in caſtris agitare, & excubias quòque negligentiùs obire accepiſſet, quâ majori potuit celeritate equites quingentos, & cum iis aliquantam ſclopetariorum manum, ut ita pleniore gradu unà incedere poſſent, in equos tranſlatam egit, ac mediâ nocte egreſſus, ante auroram ad caſtra noſtrorum pervenit: tanto in nocturnis tenebris uſus ſilentio, ut evitatis

Peteo & Bebecus Serenciũ arcem obſident.

Caſa-

1560. Cæſarianorum vigiliis, quas aut nullas fuiſſe, aut in diverſa caſtrorum parte excubare putabat, prius penè eos adortus ſit, quàm illi eum Tocajo egreſſum exiſtimarent.

Nemethius noſtros ſemiſomnes ex improviſo opprimit. Bebecus vulneratus, itemque Peteo fuga ſibi conſulunt.

Itaque ſemiſomnes atque oſcitantes in ipſis tabernaculis invaduntur; ingens clamor repentè attollitur, tumultu nec opinato omnia complentur, diſcincti & palantes Cæſariani, ſtrictis gladiis, ſed conſilii inopes hinc inde propelluntur, plurimi occumbunt. Bebecus dum equum inſcendere conatur, in fronte vulnus accipit, & à tergo haſta petitus, protegente ferreo thorace, in tutum profugit. Ei opem ferre cupiens Andreas Taurus, ejus turmæ præfectus, ab hoſte circumvenitur, & diſciſſa dextra auricula, magnóque in caput illato vulnere ſubmotus, in fugam vertitur. Peteonem tenebræ texêre, isque etiam levi vulnere ſaucius, cum paucis effuſa fuga Goncium ſe recepit. Quibus ambobus equites Agrienſes, qui eo veſperi venerant, & Sigiſmundus Sennieus, copiarum Saroſinatum præfectus, acerrimus & militaris vir, adjumento ſalutique fuêre, ne aut vivi aut mortui in poteſtatem hoſtium concederent. Multi interea reſiſtere auſi, è veſtigio interfecti fuêre; qui tamen deditionem fecerunt, iis juſſu Nemethii parcitum eſt. Hoſtes veriti, ne Bebecus & Peteo ac equites Germani, quorum para evaſerat, pugnam reſtaurarent, direptis ſummâ celeritate caſtris, & majori præſidio arci impoſito, victores Tocajum redierunt, relictis noſtrorum tormentis, quæ ob eorum magnitudinem & nimiùm pondus avehi nequaquam potuerunt. Quæ tamen conquiſitis celeriter jumentis, curante Gaſpare Muræo caſtrorum magiſtro, agreſtium operâ Caſſoviam reducta fuerunt. Subjiciebatur deinde crimini Paulus Videſſius, Perennis legatus, ut qui excubias juſſus à Peteone idoneis aliquot in locis diſponere magno non ſolùm ipſius, ſed omnium dedecore & detrimento id facere neglexiſſet. Unde protinus cum ignominia exauctoratus, nec poſtea unquam ad ſtipendia admiſſus domi ſuæ conſenuit. Non adeo inſignem fuiſſe victoriam certum eſt; ſed quæ Nemethio & Tranſilvanis ſpiritus adeo auxit & inflavit, militibus eam in immenſum extollentibus, ut contemptis Cæſarianis, majora animo conciperent, & aggredi haud dubitarent, quamquam non eâdem ſemper proſperi eventus felicitate, quemadmodum in proceſſu operis memorabimus.

Annus vini proventu ſterilis.

Fuit hic annus aliàs etiam, rerum ad victum neceſſariarum exili proventu, & ſterilitate; ſed maximè vini inopia notabilis, quum emergentes è vitibus gemmas & pampinos, frigidiores ad Nonas Majas anni ſuperioris pruinæ præter ſolitum exuſſiſſent. Cecidêre etiam ad Miſcocium oppidum quinque prægrandes inſtar humani capitis lapides, luteo & ferrugineo colore, gravi pondere, ſulphureoque odore, quum clarum cælum ſubito fulgure, & tonitribus, terribilique aëris commotione repentè conturbatum fuiſſet, iis mox puncto temporis quieſcentibus. Quorum unum in arce Dioſgioriana hodieque aſſervatur, cæteros Sigiſmundus Balaſſius ad Ferdinandum miſit.

Quinque prægrandes lapides de cælo cecidêre.

Bona Regina & Iſabella ejus filia obiêrunt.

Præterea mortes etiam & funera Bonæ Reginæ, ac Iſabellæ ejus filiæ hoc anno contigêre. Illa enim paulò ante Venetias profecta, indeque ad Barium natale ſolum in Apuliam publici Veneti Senatûs triremibus vecta, hæc verò nondum quadragenaria in Tranſilvania, ſummo deſiderio ineundæ cum Ferdinando pacis, ac contrahendæ amicitiæ & affinitatis vitam cum morte commutarunt. Et illa quidem Philippum Hiſpaniarum Regem, præterito Sigiſmundo Poloniæ Rege filio, hæredem inſtituiſſe ferebatur: hæc verò condito teſtamento regnum filio reliquit. Inciderat in morbum adeo lentum & tabificum, ut vix ægrotare crederetur, & Stanislaum Niſovium in Poloniam ad fratrem clam omnibus miſerat, ut auctoritatem ſuam apud ſocerum Cæſarem interponeret pro induciis in eum modum conficiendis, qui inter Caſtaldum & Monachum olim erat tranſactus, cujus fœderis conditionibus, ac ducendæ in conjugem filiæ Ferdinandi Solimanus paulò ante conſenſiſſe ferebatur, procurante atque obtinente id Byzantii Michaële Giulano, Iſabellæ Legato. Quo fœdere à Ferdinando impetrato, regnum filio tradere, ipſa verò Huſtum & Muncacium ad fines Poloniæ propinquiores ſecedere denuo conſtituerat: & rem uſque adeo celabat, ut præter unum Niſovium nemo conſiliariorum ſuorum ejus conſcius eſſet. Sed ingraveſcente morbo viribúſque deficientibus, præter ſuam & medicorum ſpem, morbi vim ſuſtinere non potuit, ac quarto vel quinto pòſt die, quam Niſovium dimiſiſſet, extremum diem clauſit. Mittuntur extemplo ſummâ adhibitâ celeritate, qui illi obitum Reginæ referant, ac ab inſtituto itinere revocent. Interea Joannes Sigiſmundus, miſſo tabellario matrem vitâ functam Ferdinando ſignificat: atque is id ſe graviter moleſtéque ferre; ſed pro rerum humanarum conditione, legibus naturæ fatique cunctos mortales obnoxios eſſe reſpondit.

Iſabella fœdera cum Ferdinando Imp. iiſdem conditionibus, quibus Caſtaldus & Monachus olim contraxerant, ſancire conſtituerat. Filius ejus Joannes Ferdinandum de morte matris certiorem facit.

Eodem etiam ferè tempore (ne huc quòque tametſi rebus quas ſcribere inſtitui, haud ſatis congruum, prætermittam) Hazatta Rozolana, ſive Ruthena, quam Solimanus legitimæ inſtar uxoris habuerat, dotémque & alia præter priſtinum uſum, in morem ſolennium conjugiorum addiderat, vivere deſiit: felici exitu vitam ſe claudere ſæpe dictitans, quòd Pajazetem privignum apud Perſas, irati patris opera & artibus, unà cum filiis & Ferhate Cudulſu, purpurato ſuo, ſtrangulatum audiviſſet: Selimumque filium poſt patrem imperio potiturum cognoviſſet. Unde ipſe in mæſtitiam & dolorem compoſitus, ætate quòque jam affectâ, ſeverior duriorque effectus inſtrumenta hilaritatis omnia ſuſtulit; cantu aulam conſonare prohibuit: contaminatos exoletorum greges palatio ejecit, ac pellicum turbam omnem partim tribunis Janicerorum & Spahoglanorum, partim aliis aulæ primoribus in matrimonium ducendas diſtribuit: & ipſe à ſuis Muphtis admonitus, qui ſunt ſacrorum & Mahumetanæ ſuperſtitionis principes, templis adeundis, & ſacris peragendis vacavit, ac piis manibus, animæque dilectæ conjugis juvandæ, (quas ipſi etiam poſt mortem reſurrecturas credunt) pecuniam in egenos diſtribuendam curavit.

Hazatta Solimani uxoris obitus.

Sed & Ruſtanes gener, aquâ intercute paulò ante deceſſerat, & in ejus locum Alys Dalmata erat ſuffectus, qui Ruſtane longè erga Chriſtianos humanior, & paci etiam conficiendæ æquior habebatur. Is exemplum diplomatis, quo induciæ continebantur, deſcriptum cum

Ruſtanes gener paulò ante obiêrat. Aly Dalma-

1560.

ta eidem ſuſſectus, pacis erga Chriſtianos ſtudioſior.

Augerio communicaverat : & ſi illud cum Ferdinando communicandum duceret, permiſerat, qui Ferdinandum moneret, ac aliquem mitteret, cui illud ad eum perferendum tradi poſſet: in quo puncta ſi quæ placerent, approbaret; ſi quæ graviora viderentur, ſe de iis admonere maturaret. Quamobrem Philippus Baldus Inſuber, è veteranis Ferdinandi famulus unus miſſus fuit; ſociusque ei additus Martinus è Sancto Gothardo, qui Zajo à ſecreus, non ita pridem Byzantio erat reverſus, qui etiam querelas de Turcarum limitaneorum inſolentia detulerant : atque ii non multò pòſt diploma illud ſecum attolêre à Ferdinando diſcentiendum, ipſeque communicato eo cum Ungaris & Germanis, quæ erant viſa, reſponderat. Byzantii tamen res tota alia atque aliis moræ cauſis interjectis differebatur; ita ut interea Joannes Sigiſmundus ſe legatos ad percutiendum cum Ferdinando fœdus miſſurum nonciaret, & de ſecuro eorum itinere literas peteret. Quibus impetratis venêre Michaël Chaquius epiſtolarum magiſter, antea collegii Albenſis ſacerdos, & Chriſtophorus Hag naſſius Huſti præfectus, atrato comitatu propter Reginæ mortem. Poſt paucos dies venit etiam legatus à Sigiſmundo Rege Poloniæ Nicolaus Precembius Archiepiſcopus Gneſnenſis (ita enim eum nepos rogaverat) ſerâ & obſcurâ nocte, prælucentibusque funalibus urbem ingreſſus : quod hiberna Danubii glacies pontes disjeciſſet, ideoque navigio tuiſſet non ſine difficultate trajiciendum.

Diploma induciarum ad Ferdinandum miſſum.

Joan. Sigiſmundi ad Imperat. de pacis fœderibus legati, unà cum Polono Archiep. Gneſnenſi.

Non diu moratus Cæſar, in colloquium eos admiſit, cùmque nomine Joannis Ungariæ Regis eum ſalutâſſent, per Nicolaum Olahum Archiepiſcopum Strigonienſem reſponderi juſſit, ſe quidem neminem præter ſe ipſum Regem Ungariæ agnoſcere; paſſurum tamen pacis & concordiæ cauſa id ab alio uſurpari hoc quidem in congreſſu : poſtea autem in tractando talis ſervatus eſt ordo, ut Polonus petita & reſponſa ultro citroque ferret, atque referret; atque auctoritati & dignitati Regis Poloni attributum eſt; tum verò etiam ne Cæſaris aures mentione Regis Ungariæ crebriùs offenderentur. Brevi ſcripto ab Oratore Polono comprehenſæ erant conditiones petiti fœderis; nempè ut conjugium antea à Caſtaldo oblatum tacitum etiamnum haberetur, & mutua inter hæredes utrioſque ſucceſſio eſſet, ac ut ditionem imperiumque amborum Tibiſcus dirimiret. Quæ cùm Cæſari iniquæ eſſe viderentur, ac indignæ, de quibus tractaretur, alias ut proponerent æquiorea reſpondit. Quum legati ſe alias in mandatis habere negarent, & ut nontios in Tranſilvaniam mittere liceret, poſtularent, id eis conceſſum eſt : qui quum eaſdem reportaſſent, nec ab legatis æquiores proponerentur, legati juſſu Cæſaris, ne altercatione tempus tereretur, re infectâ, eò undè venerant, rediêrunt. Ante diſceſſum, Polonus ſeque & ſuum Regem cum ſummo verborum honore apud Cæſarem excuſavit; quòd nec ſibi, nec regi mens nepotis ſatis perſpecta fuiſſet, niſi quantum ipſe Viennæ ab illius legatis accepiſſet; qua tamen excuſatione Cæſari minimè ſatisfecit; ſic ut haud parum ejus irritæ legationis exitu offenſus, feriò nec leviter indignari videretur.

Re infectâ in Tranſilvaniam redeunt.

Comitia Bohemica.

Abeuntibus legatis, Cæſar relicto in Ungaria, qui res curaret, Palatino, Pragam Septembri menſe cum liberis profectus eſt ad comitia, quæ Bohemis indixerat, in quibus præter alia de coronatione Maximiliani filii, ſequenti anno peragenda, deliberatum eſt; poſtquam eum ante aliquot annos in Regem communibus ſuffragiis electum fuiſſe conſtaret. Dum Pragæ eſſet, Dobo, quem in Tranſilvania ab Iſabella contra deditionis conditiones captum fuiſſe dixi, ex nova arce Samoſiana, cum ſe pedum doloribus vexari ſimulaſſet, poſt duos aut ampliùs annos, effracto intempeſtâ nocte carcere, funibus per mœnia demittitur, ac per diſpoſitos equos, quos idonei homines haud procul ab arce, & per itinera clam ſervabant, feliciter evadit; fruſtra eum per ſaltus & montes inveſtigante loci præfecto Polono. Reliquerat ibi fugiens uxorem, & liberos fugæ conſcios, quum abducendi facultas non eſſet : quos Joannes, cùm eum elapſum eſſe accepiſſet, ne quam fœminea in pœna notam ſibi iniuſtam veller, maritum ſequi & abire permiſerat. Ille atra in veſte, barbâ ac capillis ad pectus & humeros promiſſis, obſtipoque & ad ſupplicium compoſito vultu, ad Cæſarem venit; ac ne tot tantarúmque calamitatum, & carceris miſeriarum, quas pro ipſo tamdiu pertuliſſet, oblivisci vellet, rogitabat. Interim eos, quorum conſiliis Cæſar utebatur, ut ſibi favere non gravarentur, ampliſſimis datis muneribus, induxit : partim multa boum paria, ab iis, ut fama erat, qui lapideo ſale quæſtum faciunt, ablata, partim auri ingens pondus, ac poculorum argenteorum ad abacum exornandum affabre factorum magnum numerum largè diſtribuens. Itaque brevi tempore tantùm à Ferdinando præmii amiſſæ Tranſilvaniæ accepit, quantum, vel illa ſervata vix fuiſſe promeritus cenſeretur. Nam ultra ſtipendia emerita integrè ſoluta, & arcem Levam maximi cenſus ei jure hæreditario donatam : Vigleſſum etiam caſtrum prope Zolium ſitum, cum duobus oppidis Goncin & Telquibanio, multo generoſi vini proventu claris, ac præterea quadraginta aureorum numûm millia ex Sempcianis portoriis & vectigalibus exolvenda ſuperaddidit. Quæ res & Doboni non mediocrem apud eos, qui omnium dicta factaque æmulantur, invidiam conflavit, & à plurimis Ferdinandus, ac ii, quorum conſilio uſus fuiſſet, inconſultæ liberalitatis arguebantur : quin etiam ipſummet Cæſarem facti poſtea pœnituiſſe exiſtimabant.

1560.

De coronatione Maximiliani ſequenti anno peragenda.

Dobo effracto carcere, ex arce Samoſiana, evadit.

Ad Ferdinandũ atratus, & barba capilliſq; promiſſa ſupplex accedit.

Cujus eximia in eum liberalitas enituit.

Leva, Vigleſſo Gancia, & Telquibania illi donatis.

Non multò poſt è Bohemia reverſo Thomas Franciſcus Tranſilvanicæ originis, ærarii conſiliarius datur, qui Levam ei tradat. Præerat loco Georgius Turius, quem ut ſecum, eâdem quâ hactenus officii prærogativâ manere vellet, hortatus eſt. Verùm ille recuſata provincia, Palotam, quæ mortuo paulò antè Raphaele Podmaniccio ad fiſcum erat applicata, à Cæſare adminiſtrandam petivit & obtinuit: in quâ per aliquot annos fortem, fidelémque operam, multis præclaris facinoribus editis, navavit. Nec diu pòſt Dobo liberandi Dominici fratris, qui à Valachis in Tranſilvania captus, Byzantiumque miſſus erat, curam atque diligentiam ſuſcepit; & Veliagam Janicerorum tribunum in obſidione Sigetana captum à Marco Stanſitio Sigeti præfecto, ſex millibus aureorum numûm, pro liberalique animo coëmit, ut permutatione factâ, ille redimeretur. Itaque is à Joanne Balaſſio Comatonium perductus fuit, & Turcæ Dominicum

Dobo fratrem Dominicum à Turcca redimit.

1560. cum Strigonium perduxerunt: certoque ſtatuto die, utroque captivo claſſe per Danubium delato, ille quidem Turcis, hic verò noſtris redditus eſt, & ambo in patriam remeavêre.

Martolocii Hegiesdiam arcem, auſpiciis Hamſæ, fraude capiunt.

Sub finem ejus anni Cæſare inter Bohemos agitante, domi arx Hegiesdia, ad Balatonem lacum in rupe ſita, à Martalociis quibusdam, quos Hamſa ille, quem Fileco, & Tata furtim captis inclaruiſſe retulimus, hoc tempore Albæ præfectus latrocinandi cauſa emiſerat, fraude & dolo intercépta eſt; antea quidem obſcuri nominis, ſed poſtquam eâ hoſtes potiti eſſent, nomen & famam adepta. Ea erat Sarcania familiæ procerum, ſed qui à progenitorum virtute degeneraſſent: & ut fit, inter multos negligentiùs cuſtodiebatur: ita ut duo duntaxat cuſtodes, qui ſubductilem portam attollerent, intus haberentur. Quorum quum alter ad vinitores petendo muſto, (erat enim vindemiæ & uvarum colligendarum tempus) exiiſſet, in manus Turcarum peditum, qui proximè vagabantur, incidit; à quibus quum unde domo, cujusve eſſet, interrogaretur, fateri coactus, eos de arcis etiam ſtatu edocuit; itaque expectato ſolis occaſu, illum tenebris ingruentibus ad arcis portam perducunt, ibique, ut portulam demittat, clamare jubent, dicerêque ſe cuppam recentis vini adferre, quo uterque ſumpto recreari poſſet: interim Martalociis ſe in angulum arcis ſubducentibus, ne qui intus erat, fraudem ſubodoraretur. Patefactâ portâ Turcæ ſimul irrumpunt, cuſtodêſque vinctos ad Hamſam mittunt, & quidnam fieri jubeat, exquirunt. Ille nihil cunctatus Pajazetem veterem equitum ſuorum ductorem cum centum equitibus & totidem peditibus eò mittit, qui eam muniant: & ex ea ad ſubigendos pagos colonóſque excurrant, ac interea latrociniis infeſtent. Nec Pajazetes officio ſuo ad Hamſæ de ſe expectationem defuiſſe viſus eſt; nam præterquam quòd vias omnes continuè obſidendo inquietavit, colonos etiam & propinquam circa regionem ferro & igne vaſtavit, ac populatus eſt.

Salmenſis Comes eandem arcem Turcis vi eripit.

Cujus inſolentiæ quum ferri nequaquam poſſent, Palatinus, communicatis cum Ecchio Comite Salmenſi Nicolai filio, Jaurini præfecto conſiliis, Pajazetem ex ea arce, quæ prædonibus Turcis receptaculo erat, primo quòque tempore pellendum decrevit. Itaque tormenta & eorum apparatum, è Sarvaria arce ſua protrahi, Nobilitatem ad arma convocare, milites ſuos paratos & inſtructos tenere, commeatum procurare, & ſpeciem quamprimum profecturi præbere. Interea prior Ecchius cum præſidiariis ſibi ſubjectis haud cunctatus, caſtra promovit, ac quatuor colubrinas majores cum rebus neceſſariis, ac magiſtris tormentorum ſecum adduxit, quartiſque caſtris ad Hegiesdiam pervenit. Ei ſe protinus contractis copiis adjunxêre Franciſcus Toreus, Johannes Choronius, Ladislaus Giulaffius, Valentinus Magiarus, Palatini legatus, ac copiæ Nobilitatis circumvicinæ. Nec cunctatus Ecchius, duobus in locis duos aggeres fieri ac tormenta in iis collocari, nec ullam Pajazeti quietem dandam ratus, arcem duabus ex partibus concuti verberarique juſſit.

Jam aliquot dies obſidionis prætererant, & vallum quod à Turcis extra arcem extructum erat, in quo equis præſidiariorum ac venientibus aliunde Turcis locus erat, quòd arx molestam turbam capere non poſſet, tormentis proſtratum deciderat; Pajazetes tamen magno animo ſe tuebatur. Ecchius quòque prius arce potiri, quàm Turcæ exercitum comparare & ſubſidio venire poſſent, Palatino id conſilium approbante, ſummâ vi contendebat. Dejecto vallo arx quòque concuſſa tormentis magnum hiatum fecerat, & noſtri Pajazetem ex aggeribus tormentorum ad dedendam arcem cohortabantur, antequam Palatinus cum majoribus tormentis, & Germanicis cohortibus adventaret, poſtea enim nullam fore ſalutis & vitæ conſervandæ conditionem, quòd Germani nemini eſſent parſuri. Ipſe tamen ea ſurdis auribus prætenbat; quum interim nequaquam ceſſantibus tormentis, pars anterior arcis quaſſata repentè concidit. Tum verò Pajazetes territi, de ſua ſociorúmque ſalute nova conſilia agitare, communibúsque votis colloquium ab Ecchio poſtulare. Mittitur igitur ad eum in arcem Valentinus Magiarus, quem nominatim expetebant, cui ille & ſocii deditionem offerunt, iis conditionibus, ut cum equis & ſarcinis, rebusque omnibus eis excedere, & Albam migrare liceret; excedentibúsque aliquot plauſtra ad auferendas res concederentur.

Et Ecchius quamquam arcem ab hoſtibus retineri non poſſe animadverteret: tamen quòd erat liberalis animi moderatione inſignis, facilè conditiones admiſiſſet, niſi à ducibus ſuis, & imprimis Vincentio Gregoricio, cui ob linguæ Germanicæ commercium multum tribuebat, diſſuaſum eſſet, ne hoſtes ſemicaptâ arce, ex qua tot tantaque detrimenta miſeris Chriſtiani nominis populis intuliſſent, incolumes abire paterentur. Pajazetes itaque conſilii inops, neque Palatinum, cujus exercitus fama ingens erat, expectare auſus, die decimo obſidionis Idibus Aprilis, ad arbitrium victoris neceſſariam deditionem fecit. Deſcendêre ex arce cum Pajazete circiter octoginta Turcæ, cæteri enim Albam profecti, à noſtris ſupervenientibus excluſi erant, quos Ecchius in vincula conjectos Jaurinum perduxit: & arcem, ne ab hoſtibus reſtaurari poſſet, ad ima uſque fundamenta per colonos & agricolas, quorum maxima pars in caſtra confluxerat, ut Pajazetis & Turcarum injurias ultum iret, extemplo diruendam curavit, donatíſque præfectis & militibus, quorum eo bello opera enituerat, Jaurinum eſt reverſus.

Melch. Balaſſi ad Ferdinandum defectio.

Primo vere ejuſdem anni ſecuta eſt Melchioris Balaſſii ad Ferdinandum defectio, quam antea à Telequeſſio, magnis pollicitationibus procuratam, hoc demum tempore Andreas Bathorius, & Franciſcus Torzo perfecerunt. Eum Cæſar in gratiam recepit, iis conditionibus, ut ſupra ſtipendia, quæ ab Iſabella habebat, Saemarium cum Taſnado Epiſcopi Albani oppido & civitate Nagibania adjiceretur.

Saemarium, Taſnadum & Nagibania eidem donata.

Quæ oppida in limine Tranſilvaniæ, non longo inter ſe intervallo ſita rerum omnium ad victum pertinentium proventu erant admodum opulenta. Et Nagibania quidem, (cui Rivulo Dominarum verus vulgaréque ſed incertum unde eſt nomen) peculiari quodam liberalis naturæ dono inſignita eſſe videtur, quum montes habeat urbi vicinos, quorum in verticibus

1561. vinum nobile, & quidem Tranſilvanico generoſius proveniat, è viſceribus autem eorundem magna auri & argenti copia eruatur. Supra hæc omnia arx Detreco, quam Germani Ploſenſtanium vocant, in confinio Auſtriæ & Moraviæ, à Marco & Johanne Fuccaris Auguſtanis, Antonii filiis, quibus locata erat, redempta, in qua uxorem & liberos ſervaret, liberalitate Cæſaris acceſſit; ita ut haud levibus præmiis ad contrarias partes tuendas invitatus eſſe cenſeretur. Fratris auctoritate, hortamentiſque adductus Nicolaus quòque Bathorius in partes eſt traductus, quem hactenus quòque invitum factioni adverſæ adhæſiſſe conſtabat, ſed metu Turcarum & vaſtitate bonorum coactum.

Nicol. quòque Bathor. noſtris acceſſit partibus.

Et hæc quidem initio agebantur quàm ſecretiſſimè, diſſimulante Balaſſio, quæ animo volvebat, & Michaëlem Chaquium, qui tunc in Tranſilvania, velut arbiter Regni agebat, muneribus ſibi conciliante. Poſtremò, quum Adamus Tordanus Sacmarium è Tranſilvania, juſſu Johannis Sigiſmundi, allatâ in ſtipendia militum pecuniâ veniſſet, Balaſſius accepto argento, illum è veſtigio unde venerat, ſi ſe ſalvum vellet, redire juſſit: ſicque digrediente eo, patuit Balaſſium priſtinam fidem ejuraſſe. Turbatus, ea re vehementer, Joannes Sigiſmundus, miſſis celeriter Byzantium nuntiis graviter eſt queſtus Ferdinandum contra inducias, quas tantopere urgeret, Balaſſium & Bathorium variis artibus ſeduxiſſe, ti ... ei cordi eſſet, non debere eam novis diſcordiis turbari, magna ſe in Solimani tutela conſtitutum ſpe teneri, non paſſurum eum, ut illi clientelæ ſuæ ſubtrahantur. Ejuſmodi querelis atque aliis purpurati commoveri haud leviter videbantur, præter unum Alym eorum collegii principem. Apud quem Augerius Busbequius Ferdinandi legatus ſolertia atque induſtria ſingulari obtinuit, ut ſublatis difficultatibus, horum tranſitio rata haberetur, quum principem luctu & mœrore occupatum querelis talibus minimè interpellandum putaret.

Joan. Sigiſmundus Byzantii de illorum defectione conqueritur

Sed nullo opera pretio.

Interea exiguo pòſt tempore Moldavici motus præter ſpem & expectationem omnium, lenta initia ſed celeri progreſſu, emerſere; quam provinciam olim quidem Pannonici juris, ſed nunc, ut complures alias Turcarum imperio parentem, Jacobus quidam Baſilicus Heraclides, Græcæ originis, armis invadendam, & in ſe transferendam ſuſcepiſſet, & ſanè etiam tranſtuliſſet. Ejus belli initia & cauſas, finémque componere enitar, ut vel hinc cuivis multiplices rerum humanarum caſus, & fortunæ in his pro libidine ludentis varietatem intueri liceat.

Anno 1561. Moldavici motus auctore Jacobo Heraclide Deſpote excitati.

Ea eſt quorundam Græcorum noſtræ ætatis ambitionis quædam vanitas, ut quamquam primordia generis in obſcuro incertóque habeant; ea tamen ad ſplendidiſſimarum atque imperatoriarum familiarum origines, ad Comnenos, ad Cantacuſenos, Laſcares, Diaſſorinos, Deſpotas, Palæologos, falſa veris miſcendo referre: quidam etiam Herculi & Æaco Triptolemóque fabuloſis heroibus conſecrate haud erubeſcant: tametſi illuſtres illas & principales familias, omnémque earum virilem progeniem, tum longinquitate & vetuſtate temporum; tum Turcarum crudeliſſimâ tyrannide ſtirpitus exciſas deletáſque eſſe manifeſtum ſit. In eorum numero Jacobus quòque iſte Baſilicus, uſurpato ſibi Deſpotæ cognomine inſignis, haud meritò cenſeri queat: qui quum patria Samius, aut, ut alii volunt, Cretenſis eſſet, quòd ambitione atque arrogantia in præceps ferretur, ſemper ſe in illuſtrem inſerere familiam conatus eſt; idque edita in vulgum genealogica tabula, quam Carolus V. Cæſar Auguſtus ratam habuiſſet, in Tranſilvaniæ urbe Broſſone ſive Coronæ publicavit: quamquam non deeſſent, qui illam quòque ſubreptitiam, & ab altero Jacobo, qui ſe Pari atque Sami principem incertum verène an falſo prædicabat, cui iſte armiger erat, morienti compilatam eſſe exiſtimarent.

Ejuſdem Deſpotæ vanitas & ambitio.

Is quum poſt bellum à Carolo Cæſare in Morinis ad Teroannam contra Gallos geſtum, tota ferè peragrata Germania, in Poloniam atque inde in Moldaviam veniſſet, ibique in familiaritatem Alexandri Moldaviæ principis variis artibus irrepſiſſet; quod Ruxandam ejus uxorem è claro & illuſtri Deſpotarum ſanguine, progenitam, ſe quadam propinquitate attingere diceret, idque eo libello typis evulgato apud credulos barbarorum animos, eventu ſatis proſpero aſſeruiſſet, ab eo humaniter ſanè ac liberaliter aliquamdiu habitus eſt, ac rebus neceſſariis tam ab illo, quam Ruxanda adjutus. Nondum tamen planè exacto anno quum de tollendo Alexandro, ac invadendo principatu, conſilia cum Nobilibus, quos Bojeros vocant, contuliſſe, ſive verè deprehenſus, ſive ut Tyrannorum animi ſuſpicioſi ſunt, temerè creditus eſſet, è Moldavia profugere, & in vicinam Valachiam, indeque in Tranſilvaniam Braſſonem ſe recipere coactus eſt; eò faciliore in tutum evadendi commoditate, quod linguæ Dacicæ, ſive Valachicæ jam uſum aliquem haberet, quam Hiſpanicæ atque Italicæ quadam affinitate junctam eſſe videmus, quum etiam hæc ut illæ à Romania, quorum Trajanus Imperator devicto Decebalo, & deductis in Daciam coloniis milites Romanos diſtribuerit, originem ducere videatur, cujus rei innumerabiles, quæ in Tranſilvania & Valachiis habentur inſcriptiones, literis Romanis ſaxis inciſæ, haud dubium teſtimonium reddere poſſunt.

In Alexandri Moldavi familiaritatem irrepſit

Et conſilia de eodem tollendo iniviſſe deprehenſus,

Fugâ ſe recipere Braſſonem cogitur.

Coronæ aliquamdiu moratus, quum ſe ab Alexandro non ſine conviciis & probris atque minis ad certum ſupplicium repeti, nec Joannem Sigiſmundum ab eo tradendo alienum eſſe cognoviſſet, amicorum opera noctu clam emiſſus, urbe profugit, diuque incertis ſedibus erravit, donec eum rerum omnium inopem & incertum, fortuna ad Albertum Laſcum perduxit, qui in Scepuſienſi provincia, Polonis & Ungariæ conterminа, amplam ditionem liberalitate Regum Ungariæ obtinebat, & non multò antè, ducta in matrimonium vidua Georgii Seredii, ingentes divitias erat conſecutus. Ab eo receptus hoſpitio, & humaniſſimè habitus, quum pecunia exercendæ virtutis & gerendi belli nervus deeſſet, ab hoſpite de genere fortunaque ſua, & exilii cauſis docto ſupplex opem præſidiumque imploravit, nec unquam apud ſe benignitatis acceptæ & officii memoriam intermorituram promiſit, ſi ejus opibus juvaretur. Quem à conſiliis & à cogitatione ferendæ opis, & quod ſingularis benevolentiæ ſignum erat, ab ſocietate communis adeundi periculi haud alienum repetit. Et erat Laſcus, ſui prodigus, alieni appetens, immenſáſque

Inde profugiens Alberti Laſci opes præſidiúmq; implorat.

Laſci prodigalitas.

opes

1561. opes à patre relictas, & quas nuper novo opulentoque conjugio erat adepta, uſque adeò prodegerat, ut vulgò pœdeodæ pecuniæ natus eſſe diceretur. Paulò tamen poſt decem millia aureorum, oppignoratis fundis & villis, mutuò ab aliis accepta ei dat, operamque & induſtriam ſuam offert.

Pecunia ab eadem ſuppeditata copiæ conſcribuntur.

Eâ pecuniâ milites conducuntur, non magno quidem numero, ſed qui regnu invadendu ſuffecturi viderentur; quandoquidem Deſpotes cùm ad limitea Moldaviæ perveniretur, equitum & peditum copias, præſidiaque non defutura confidebat, eorum, qui pertæſi tyrannidis Alexandri, communia ſecum conſilia agitabant, & arma ſtatim ſumpturi, vireſque ſecum conjuncturi certò credebantur. Itaque paratis quæ erant neceſſaria, & copiis ac ocìu muralibus tormentis promotis, ad montea, quæ Pannoniam ab ea parte Sarmatiæ, quæ nunc Podolia vocatur, diſterminant, pervenerunt.

A Sarmatis tranſitu intercluduntur.

Quos à Sarmatia & Ruthenis juſſu Regis Sigiſmundi Inſeſſos, repeterunt, tranſitum Deſpotæ prohibituris: is enim Solimanum, tranſitu hoſtibus Alexandri ejus beneficiarii per ſuum regnum conceſſo, nequaquam offendendum exiſtimabat.

Ideoque commiſſo temere certamine profligantur.

Quum Laſcus & Deſpotes viam ferro patefacere conarentur, & numero pauciores eſſent, quàm ut adverſariis nocere poſſent, tumultuario inito certamine, facilè rejecti fuêre. Profligato eorum exercitu, & tormentis ac impedimentis exuto. Cùi pugnæ cùm præfecto Podoliæ, quem Poloni Palatinum vocant, Demetrius quoque Dux Viſnovecius Roxolanus, fortis & militaris vir, ſed ut dicemus, infaini poſteà vitæ exitu à barbaris ſublatus interfuit, ac magnâ virtute adverſus Laſcianos pugnavit.

Hinc ad Zajum Ferdinandi præfectũ confugiunt.

Poſtquam primis conatibus illudente fortunâ, expeditio Deſpotæ in irritum ceſſit, nequaquam tamen animo dejectus, ad Franciſcum Zajum Ferdinandi in ſuperiori Pannonia præfectum confugiendum duxit; apud quem quum vix de nomine eſſet cognitus, Laſcum illi familiaritate junctum, ut ſecum ire vellet, multis verbis impulit. Igitur Zajo muneribus & promiſſis ſibi conciliato, repetendæ Moldaviæ conſilia explicant, & quæ in provincia factionis capita, quos partium ſtudioſos habeant, quam certa ſpes victoriæ ſit; quæ illinc emolumenta tam publicè quàm privatim expectanda forent, longo ſermone proponunt: effectumque eſt, ut communi conſilio ad Ferdinandum ſupplices literas darent, quibus petebatur, ut ejus permiſſu atque opibus bellum adverſus Alexandrum repetere liceret, æquius & magis conſentaneum videri, ut ipſe in ea provinciâ obſtrictum ſibi ingenti beneficio clientem habeat, quàm eum, qui tyrannos omnes immanitate crudelis ingenii ſuperet, Turciſque addictus, Chriſtiani nominis gentes graviter oppugnet.

Ferdinandus rem in conſilia propoſita,

Has literas Ferdinandus majori ſenatus parte abſente accepit; rem tamen ab iis, qui erant præſentes. Nicolao Olaho Archiepiſ. Strigonienſe, ac Thomæ Nadaſdio Palatino, quorum ille è ſacro ordine, hic verò è militari principes ſenatus erant, ac Georgio Draſcovitio Zagrabienſi, & Franciſco Furgacio Varadienſi Epiſcopis communicavit; qui quum ea quæ viſa eſſent, in medium protuliſſent, paulò poſt Germanos etiam, quibus conſiliorum arbitris utebatur, exquiſivit. Variabant mirum in modum ſententiæ, diſcrepantibus utrimque in partem ſuffragiis, plerique enim genus & conditionem novi hominis, ut imbellem vanamque aſpernabantur; nec Solimanum eam provinciam beneficiarii juris & clientelæ nomine ſibi vendicantem, novo injuriæ genere irritandum cenſebant, eo præſertim tempore, quo ſpes erat inducias jam diu cum eo tractatas optato exitu poſſe terminari.

1561. Variantibus ſententiis.

Aliis quibus ferventiora ingenia conſiliaque erant, res non adeò perplexa aut difficilis videbatur, quia ſi reperirentur, qui ſponte ſe illi aggregarent, fortunamque experiri vellent, diſſimulando & connivendo permitti poſſe cenſerent: aut ſi etiam aliquo viatico juvaretur, quandoquidem ſæpè ad inanes ludos & ſpectacula plùs inſumi, hac in re Chriſtianæ etiam Reipublicæ commodum & antiqua jura Ungarici Regni ponderanda poſſe apud Solimanum excuſari, nullum illarum bellum, ſed nec caveri poſſe, quin milites, qui nullâ aliâ re, quàm armis vitam ſuſtentent, à tentanda, vel inſciis principibus, Martis alea, ſpe lucri arceantur, quod etiam in ipſius Solimani ditione, imperioque uſu venire ſæpè conſpiciatur.

Decernit occultè ſubmittenda Deſpotæ auxilia.

Poſterior hæc ſententia apud Cæſarem valuit, reſcriptumque Zajo eſt, ut re quam fieri poſſet occultiſſimè habitâ, provideret, quantum ad terminanda conſilia ſatis fore videretur, miſſaque dono Deſpotæ ſex aureorum nummûm millia.

Zajus intellectâ Cæſaris voluntate, qui omnia conſilia in occulto eſſe jubebat, collatis cum Laſco & Deſpota conſiliis, Antonium Siculum clari nominis ducem, ac rei militaris apprimè peritum, primo quidem renuentem, ſed poſteà auctoritate ſuâ, ac ſpe præmiorum, & Deſpotæ ingentibus promiſſis, ad ſuſcipiendum totius expeditionis imperium adducit: ac Joannem Petrum Ruſſelium è Burgundia oriundum, qui centum equites ſclopetarios ductabat, cum Claudio fratre ab Philippo Hirtinio alæ ſuæ legato ultro nomina dantes adjungit. Cùmque omnibus quicunque vellent poteſtatem cum eis abeundi in militiam dediſſet, Joannes etiam Villeius, Gallus genere, ſed qui à multis annis ductâ è Nagmibaliorum familia conjuge, in Ungaria ſedem & domicilium ſibi paraſſet, cum centum equitibus ac totidam peditibus ſe adjunxit. E Sileſia centum & quinquaginta equites adducente Petro Sedlicio, ſummâ celeritate venêre. Pedites quoque Germani è Caſſoviæ ac cæterorum finium præſidiis detracti, certo ſed exiguo numero ſeſe ſocios addere non dubitarunt: Ita ut ſumma omnium copiarum plus minùs duo millia bellatorum conſtitueret.

Copiæ Deſpotæ præbita,

Sunt qui non plures mille ſexcentis armatis fuiſſe affirment. His contractis copiis, tametſi Laſcus ſuis auſpiciis & ductu bellum geri atque adminiſtrari cupiebat; tamen Antonio ſummum imperium deferunt, neque enim ſecus niſi ipſe expeditioni præeſſe, & alios ſibi parere volebat; & milites quoque quamquam ex variis gentibus collecti ejus auſpicia ſequi malebant. Nec Laſcus cauſas diuturnioris moræ, conſiliis celeritate indigentibus, injiciendas ratus, cedendum illi exiſtimavit, ſeque extraordinariam rebus gerendis operam adhibiturum pollicitus eſt.

Deſpotæ viva videntique funus à Laſco celebratur.

Quo autem occultiùs ſuſcepta conſilia tegerentur, duces collatis ſententiis, ſpargendos de obitu Deſpotæ rumores decrevêre, & Laſcus

1561.

Queſmarci ſolemni pompâ funua & inferias ei celebravit, dum inane ejus ferettum nobiliorea militum & Polonorum humeris ſubire, & in majori templo humari euraſſet: ipſo interim abditiſſima in arcis parte latente, nec ullo, niſi uno ex fideliſſimis rei conſcio. Deſpotes igitur cum Laſco & Antonio promotis copiis, & octo tormentis advectis, facto per Unguarum itinere, ac Serednia ad ſiniſtram, Muncacio ad dextram relictis, ad alpes Ruthenicas contendit, ultra quas Lenpolis & Podolia extenduntur: quumque præfectum Polonum, qui fortè hoa motus ſubodoratus erat, jámque exercitum conſcribebat, iter ſibi præcluſurum non ignoraret, celeritate conatus illius prævenire; & priùs quàm copias ſuas educere poſſet, ſuperanda alpium juga, & evadendos ſaltus cenſuerunt. Extento igitur gradu profecti, inſidias quas Polonus duobus in locis ſtruxerat, facilè disjecerunt, interfectiſque nonnullis, qui reſiſtere erant auſi, itinera prægrandibus ramoſarum arborum truncis præſepta repurgarunt; ſicque ad oppidum Eſtepnicium in finibus Moldaviæ ſitum, non ſine gravi labore perventum eſt.

Alexandri exercitus 25. hominum millibus conſtat.

Eduxerat Alexander quoque à Polonis admonitus exercitum ſatis numeroſum ad XXV. hominum millia, in apertos Suchanæ campos, ſed qui majori ex parte è ruſticorum inermium, & agricolarum numero conſtarent: cùm nunciatum eſt ei Deſpotem jam ſuperaſſe alpes, & in finibus provinciæ cum validis Ungarorum & Germanorum copiis adeſſe, eo animi propoſito, ut de ſumma rerum quamprimum ferro decerneret. Itaque ſuas copias promovit, & pontem flumini, quod in medio labebatur, impoſitum, adductis eò tormentis curulibus, ut hoſtes tranſitu prohiberet, occupavit. Quo animadverſo, quum Deſpotes citra flumen obequitans, ingentes Alexandri copias conſpexiſſet, nec quemquam videret, qui res novas moliri aut ad ſe tranſire conaretur, rebus ſic deſperatis, de receptu & fuga cogitabat: niſi Antonius aſtuto opportunóque, ut eventus docuit, conſilio, quaſi inferiori in loco vadum quæſiturus, agmina ſua ad fluminis ripam convertiſſet.

Quam rem conſpicatus Alexander, ſuadente Mozoco exercituum ſuarum duce, tormenta magno labore obverti, & infra attrahi imperavit, ſuâque imperitiâ effecit, ne ea ſibi uſui eſſe poſſent. Mox enim Antoniani, quibus id commiſſum erat, ſubitò reverſi, pontem ſimul & tormenta occuparunt, ac ſuis, qui ſequebantur, tutum tranſitum præbuerunt. Antonius cum ſuis, Deſpote & Laſco, in ſubſidiaria acie conſtituto, ac Petro Delio, cohortium præfecto, ut Deſpotæ pareret, ac tormenta, cùm ipſe juſſiſſet, in hoſtes diſplodenda curaret, relicto, primus pontem tranſivit, ponè ſequuti ſunt Ruſſeli cum Burgundis, & Villeius cum ſuis; Stephanus verò Balogus cum peditatu. Tormenta & pars peditatus, cui Delius præerat, ac Laſcus & Deſpotes ultimi trajecêre; ac diſponente Antonio in duo agmina exercitus diviſus, ſinéque mora in hoſtes procurſum eſt. Walachi Janiceris, quorum duo millia in caſtris Alexandri fuiſſe dicebantur, ac equitibus Turcis permiſti, ne primam quidem Antonianorum impreſſionem ſuſtinuêre, refugientibus ſubitò eorum equis, & ſeſſores excutientibus, aut invitos abripientibus: quòd

Valachi noſtrorũ impetum non ſuſtinentes,

1561.

Fugam capeſſunt.

inſolitum ſclopetorum fragorem ferre non poſſent; ſive ipſis more gentis fluxa fide Alexandrum deſerentibus. Quos Antonius & Burgundi Gallique ſclopetatu incredibili celeritate tergia inſtando cedendoque perſequuti, magnam eorum ſtragem edidêre. Deſpotes & Laſcus aciem Alexandri, in qua ipſe & Moczocus, ac Bodnarus curabant, acerrimo impetu adorti, ſuperveniente etiam Antonio, haud diſſimili eventu fuſam & fugatam disjecêre; multiſque ſignis captis, & omnibus tormentis in poteſtatem redactis, integram victoriam retulêre. Cæſa dicuntur eo die hoſtium ad tria millia, & Janiceri ferè omnes; ingénſque fuit captivorum numerus: quos tamen Deſpotes, Laſco & Antonio ſuadentibus, liberos dimiſit, ut eâ quæſitâ clementiæ laude, Walachorum animos ſibi devinciret. Alexander in prima acie fortiter dimicaſſe, & equitem Ungarum ſecum congreſſum equo dejeciſſe dicitur, ſed eùm ſuos omnes turpiter ſugatos, ſeque cum paucis relictum vidiſſet, fugam arripuiſſe. Quamquam autem diffugientibus ad primum impetum hoſtibus, prælium ferè nullum, aut modicum fuit; occiſi tamen in fuga, & in horto quodam ſepimentis maceriaque clauſo, ad quem ſe agreſtes receperant, ad duo millia fuêre: & qui præaltas arbores metu perculſi conſcenderant, ſclopetis dejecti & internecione deleti fuêre: ne ſine cæde & ſanguine provinciâ potiti eſſe dicerentur.

Multiſque in eorum numero cæſis ac disjectis, noſtri victoriam obtinent.

Antonii Siculi ducis laus.

Antonius, qui ab initio victoriam in celeritate ſitam eſſe prædixerat, eo die ſingularem optimi ducis & fortiſſimi militis laudem eſt conſequutus; quum ſtrenuè multa agendo, & ſcitè ſuos diſponendo cohortandoque ingens ad parandam victoriam momentum attuliſſet. Pugna hæc commiſſa fuit die qui feſtum Divi Martini præcedit, anni ſexageſimi primi, poſt mille quingentos: eámque Deſpotes victor in oppidum, quod Forum Jazygum vocatur, cum veris ducum imaginibus, multâ arte depingendam curavit: quæ tamen pictura, ſicuti & alia ejus monumenta, occumbente eo, recenti calce obducta atque obliterata, quemadmodum & templum, quod in Bachlone oppido, in memoriam patris ædificare cœperat, jamque ad ſex cubitorum altitudinem perduxerat, populari furore ac incurſu à fundamentis exciſum fuit. Alexander quaſi de victoria hæſitans, ante prælium uxorem, & liberos, omnémque theſaurum, quem expedita crudeliſſimè provincia ingentem cumulaverat, ad Danubii ripas præmiſerat, atque ſuis, ut quamprimum rei malè geſtæ infortunium adveniſſent, tranſire properarent, in mandatis dederat. Quod quum auditâ clade feciſſent, equites quanquam expeditiſſimi, quos Deſpotes ad perſequendum eum ſtatim poſt victoriam miſerat, nec eum conſequi, nec aliquid ex rebus arripere potuêre, præter unicum currum, quo non magni momenti ſuppellex vehebatur.

In Foro Jazygo pugna hæc juſſu Deſpotæ depicta, poſt necẽ ejus obliterata fuit.

Deſpota Suchavã contendens, ab Epiſcopis & populo, lætiſſimo cum applauſu excipitur

Deſpotes, memorabili felicitate debellatis hoſtibus, ad occupandam Suchavam, in qua Principum ſedes habetur, cum victore exercitu contendit, quæ ex eventu pugnæ, extincto apud omnes veteris ergà Alexandrum ſtudii aut favoris ardore, eum lætis animis recepit, prodeuntibus in occurſum ejus Epiſcopis, quos illi Uladicas vocant, atque aliis populi claſſibus

1561. bus, eumque in arcem inſigni pompa in ſpeciem triumphi deducentibus. Sed ipſe nondum ſe metu curâque liberatum, nec pacatam regni poſſeſſionem adeptum putabat, donec Alexandrum, quem ipſe Danubium poſt adverſam pugnam trajeciſſe rebatur, in provincia eſſe, armáque & exercitum retinere intelligeret. Is enim collectis profligati exercitûs reliquiis, & vocans in ſocietatem Turcis, quorum quinque millia, & in iis valida Janicerorum manus in caſtra ejus pervenerant, ad Hieraſſum flumen, quod incolæ nunc Pruthum vocant conſediſſe, & Mircem Montanæ Valachiæ Principem in auxilium expectare nunciabatur. Oritur is amnis ex alpibus Ruthenicis, quas Carphatas quidam dici volunt, ac ad ortum Solis verſùs oſtia Danubii profluens, ſtagnantibus aquis lacum, prægrandibus piſcibus, quos Pruthenſes Lucios vocant, nobilem efficit, rurſúſque ex eo erumpens ſatis lato alveo in Iſtrum ſeptem aut octo in ramos ſe diffundentem evolvitur. Quocirca habito cum ducibus conſilio, Valachi incertum, an ſeriò ac fideliter, aut ut diſtractis viribus oportunior injuriæ fieret, elevando Alexandri vires copiáſque, & longè minores, quàm erant, dictitando, majorem exercitûs partem adverſùs eum mittendam cenſebant. Verùm obſtitit Antonius, & ne divideret copias, auctor fuit; ſic ut liberandos metu cunctos, qui adverſarum partium fuerant, & evocandos ad arma populos, cumque iis & victore exercitu obviam hoſti eundum certis rationibus adductus ſuaderet. Se, etiam ſi incolæ magnu numero confluant, daturum operam, ut turmatim inter equitatum & cohortes Ungarorum & Germanorum, Gallorúmque diſpergantur: eorúmque metu, ſi quid inſidiarum aut fraudis molirentur, facilè coërceri poſſint. Nec diffidendum ab Antonii ſententia Deſpotes exiſtimavit: ſicque breviſſimo tempore ad viginti quinque millia hominum Suchavam in ejus caſtra convenerunt. Cum iis & vetere exercitu in hoſtes progredi, & triginta duo tormenta curulia promovere, patentibuſque in campis caſtra metari ac cum hoſte congredi placuit.

Alexander collectis exercitus reliquiis & vocatis in ſubſidiũ Turcis ad Hieraſſum conſidet, & Mircẽ Valachũ expectat.

Hieraſſus flumen.

Alexander cæterique hoſtes re intellectâ, pontem, quo fluvium ad oppidum Huſtum conſtraverant, reſcindunt. Erat è regione hoſtilium caſtrorum modica villa, paucis caſis conſtans, in quam Antonius ſitum loci contemplatus, tormenta protrahi, ac inter agreſtium domuncularum intervalla ordine collocari jubet: Sclopetarios Ungaros & Germanos inter ſalicta & frondes, ac profundiores fluminis ripas in inſidiis occultat; neve ſuo injuſſu tormenta aut ſclopetos diſplodant, ſeriò edicit. Cùm hoſtes Turcis permiſti, qui in ulteriore ripa cum duobus millibus equitum, duce Moczocco excubabant, incedentium agminum haſtas eminus conſpexiſſent, propiùs acceſsêre, & Moczoccus cum Antonio, interpoſitâ fide, pauca colloquutus, tormenta & ſclopetarios objectu equitum, animadvertere non potuit. Turcæ quoque interfluente amne ſe tutos eſſe, nec ullam ſubeſſe fraudem rati, ad videndum Antonium & Deſpotis caſtra turmatim adcurrerunt. Tum verò Antonius tormenta ſimul omnia in hoſtes explodi, ſclopetarios autem prodire, & glandibus in confertos directis rem gerere jubet. Quorum pilis & plumbearum glandium procella ingens ſtrages editur, plurimi ex hoſtibus & eorum equis partim cadunt, partim mortiferis ictibus vulnerantur, cæteri effuſa fuga ad Alexandrum in caſtra profugiunt. Nec mora, Antonius, qui Mirces adventum præveniendum, & pugnam cum Alexandro ineundam, ante ejus & Tartarorum adventum exiſtimabat: pontem, quem hoſtes disjecerant, refici jubet, conquiſitoque celeriter magno doliorum numero, flumen conſternit, ac funibus longo ordine connectit: iiſque deficientibus, retortis teneriorum quercuum & betularum ramis, vice funium utitur; deinde crates vimineas ſuperimponi, eaque deſuper ſtramentis paleaque contegi curat, tormentis ad ripam tuendo ponti conſtitutis, ita ut per confectum tumultuario opere pontem intra biduum exercitum tranſduci poſſe exiſtimaret. Sed Alexandar pontem ad finem perductum, hoſtes tormentorum apparatu ſclopetariorúmque viribus ſuperiores, auxilia à Tartaris & Tranſalpina Valachia nondum adducta, ſuorum incredibilem inconſtantiam, ſuſpectámque illorum fidem animo meditans, rebus deſperatis, de prima vigilia ad Achilleam & Moneaſtrum inſignia oppida Iſtrum trajecit: ac Seliſtriam primo, inde verò Conſtantinopolim cum ſuis omnibus evaſit; & cæteri, quò quiſque potuit, dilapſi profugerunt. 1561.

Deſpota cum Antonio, Alexandro obviàm it.

Alexander rebus deſperatis ſuiſque deſertis Conſtantinopolim tendit.

Deſpotes inſigni arridentis fortunæ beneficio & favore, ac ſumma Antonii virtute ac militari peritia, incruentam ferè victoriam adeptus, magna cum omnium gratulatione Suchavam reverſus eſt. Miſſis deinde oppidatim præconibus edixit, ut omnes poſitis armis, quæ in defendendo provinciæ Principe ſumpſiſſe videbantur; ſed illo jam ope divini numinis ob crudelitatem nimiam, quâ in ſubditos immaniter uſus eſſet, gradu imperióque pulſo, neceſſaria minimè eſſent, clementi qui ſucceſſiſſet & liberali domino parere aſſueſcerent; capitale deinceps fore, ſi quis unquam imperata detrectare, aut neglecti officii reus fore deprehenderetur. Sic metu liberati ſubditi, & in deditionem accepti, Alexandri nomen maledictis inceſſere, ſceleſtiſſimum omnium mortalium tyrannum appellare, Deſpotæ multos annos, longam felicitatem precari, alii aliis modis aſſentari: ſic ut vel hinc intueri poſſis, quantam mutationem vel unius adverſæ pugnæ caſus adferre poſſit aut ſoleat, nec in toto tuendi principatus negotio quicquam populari favore præſidióque incertius atque inanius eſſe.

Moldavi pulſo Alexandro certatim ſe Deſpotæ fidei obſequioque addicunt.

Porrò in leniendis & ad officium perducendis populis, quatuor è primoribus Bojeris, præcipui præſtantéſque viri potiſſimùm egregiam operam impenderunt: Bernovius equitum provinciæ magiſter, Moczoccus Aulæ præfectus, & Stoiza Cancellarius, quem Valachi Logothetem, vocabulo à Græcis accepto vocabant, ac Gregorius Revelles, Viennâ Auſtriæ oriundus, Joannis Revellis Burgundionis ejus quondam urbis Epiſcopi filius nothus vulgò habitus, & vetus, dum regna manebant, Alexandri miniſter: qui poſtea apud Deſpotem magno in honore pretióque fuerunt, non indigni, qui navatæ hac in parte operæ fructum perciperent ampliſſimum, niſi tres illi priores (nam Gregorius, ut virum conſtantem decuit, uſque ad obitum in fide permanſit)

Quatuor è Bojeris præclarè navant operam.

1561.

manſit) longè turpiore perfidiæ flagitio priſtinam proditionem accumulaſſent, & Deſpotæ, ſicuti fortiter occupandi principatus occaſionem, ſic poſtremò ejus ſimul cum vita miſerabiliter amittendi neceſſitatem attuliſſent. Porrò Mitces & Tartari, audita Alexandri fuga, quum ſera ſe auxilia ferre vidiſſent, eò unde venerant, redierunt: & Deſpotes liberam quidem, ſed vacuam, inanem, & exhauſtam provinciæ poſſeſſionem obtinuit; graviſſimiſque ſtatim initio regni difficultatibus, ſed omnium maximè pecuniæ inopia circumventus eſt. Nam & ſumptus indies creſcebant, neque quicquam erat in ærario, quod Alexander expilaverat, unde militibus ſtipendium ſolveretur, quos dimittere non erat tutum, quum quid Alexander moliretur, quove animo Solymanus Deſpotæ regnum occupantis conſilia eſſet accepturus, in incerto eſſent.

Deſpota inopia pecuniaria.

Diſtributæ igitur in hiberna copiæ, & pecunia provincialibus imperata, ut aureus unus capitatim penderetur. Sed quia illa tam citò colligi nequiret, quantam celeritatem neceſſitas requireret, candelabrum, quod Alexander ex ſolido argento ingentis ponderis parari juſſerat, ac Monaſterio Græcorum, quos Calojeros vocant, Monachorum dedicaverat, conflari, & ex eo monetam cudi juſſit: ex eaque moneta, ſimul etiam ex collectâ è vectigalibus & tributo pecunia ſtipendium exſolvendum curavit. Quâ quidem re magnam ſibi apud provinciales invidiam conflavit, qui res ſacras, Deoque dicatas profanari ab eo & diripi moleſtiſſimè ferebant.

Interea Alexander profugus Conſtantinopoli de injuria Deſpotæ queſtus, à Solimano impetravit, ut miſſo Græciæ equitum Magiſtro, in regnum reſtitueretur, litteræque ad Poloniæ Regem darentur, quibus apud illum multis verbis, Deſpotæ datum per ſuam ditionem tranſitum expoſtulabat, ac ut Beglerbego ea bellum geſturo, adversùs Deſpotam auxilio eſſe vellet, hortabatur. Sed interea Deſpotes, miſſis ampliſſimis muneribus & nuntiis, qui fidem & clientelæ obſequium offerrent, ac tributum decem millibus aureorum quotannis augendum pollicerentur, præter omnium ſpem & expectationem, ut in poſſeſſione Moldaviæ confirmaretur, obtinuit: ita in exercitu Beglerbegoque ex itinere revocato, vexillum, ac gladius & clava, auro & argento exornata, inſignia nempe confirmati principatus ad Deſpotam per Chiauſios mitterentur.

Beglerb. Græciæ ut Alexandrum regno reſtituat, Solimanus jubet. Sed Deſpota auctius offerente tributum, Beglerb. revocatur, & Deſpota in principatu confirmatur.

Pacatis in hunc modum (quod multi eventum minimè ſperaverant) rebus & tyrannide à majori tyranno confirmata, Antonius Siculus ampliſſimis, prout æquum erat, muneribus à Deſpota donatus, in quibus præter magnum auri & argenti pondus, quantum nempe rerum in præſens copia ſuppeditabat, veſtes aureæ pretioſiſſimis pellibus ſuffultæ, acinaces, & gladii, militariaque inſtrumenta, & equi auratis phaleris exculti erant, domum rediit, Petro Devajo ibi relicto, qui Suchavæ in arcis præſidio præfectus erat, eoque ſeriò admonito, ut Deſpotæ fidelem operam navando, provincialium animis in officio fideque continendis curam & diligentiam omnem adhiberet. Alberto quòque Laſco, præter ingentium & planè principalium ſumptuum quotidianas rationes, quibus ille ob continuum luxum & prodigalitatem gravis & importunus videri poterat, decem millia aureorum numûm perſolvit: ita ut ea dono ſibi habere juberet, ac de integro ſe diſſoluturum ſponderet: tradita interim ei arcis Hutinæ libera poſſeſſione, cui ille Joannem Piaſocium familiarem ſuum, nobilem Polonum præfecit: quamquam haud multò poſt ſimultates inter eas haud leves ſubortæ ſunt; quæ poſtea, ut ſuo loco dicemus, rebus Deſpotæ convulſis atque labefactatis calamitati atque exitio fuerunt. Nec diu moratus Joannes quoque Petrus Ruſſellus, qui diſcedentibus Antonio & Laſco, multis Deſpotæ precibus fatigatus, aliquamdiu apud illum remanſerat, quòd ſacramento militari Ferdinando Cæſari eſſet obſtrictus, detrectata ulteriori militia, veniaque ab eo petita, in Ungariam reverti conſtituit. Quem cùm invitum retinere nollet, quòd egregiam viri virtutem in occupando regno eſſet expertus, liberaliter & amplè donatum dimiſit; eumque in caſtra proficiſcentem diei iter comitatus eſt: ſed primâ nocte in caſtris duos præſtantes equos, quos à Deſpota dono acceperat, furtim ſubductos amiſit: quam rei indignitatem, ſuſpicione incertâ quidem, ſed quæ Ruſſellii animo penitus infixa manſit, Deſpotæ, qui fures immiſiſſet, tribuiſſe videbatur, eaque re haud parum offenſus atque alienatus in Ruſſiam indignabundus, indeque Caſſoviam diſceſſit.

Ant. Siculus eximiis à Deſpota muneribus ornatus domum redit.

Devaio Suchavæ arci præfecto relicto.

1561.

Alb. Laſco decem millia aureorum donat Deſpota.

Tradita etiam arcis Hutinæ poſſeſſione.

Diſcedit & Ruſſellus donis auctus plurimis.

Dum hæc in Moldavia geruntur, Ferdinandus, qui magnificentiſſimum de coronando apud Bohemos in ſequentem annum filio Maximiliano decretum fieri curaverat, quum ſe quotidie ingraveſcente ætate tam corporis quàm animi viribus debilitari ſentiret, eundem filium in Pannonia quòque ſibi ſucceſſorem, ſe adhuc ſuperſtite declarare conſtituit, eamque ob cauſam frequentiorem ſenatum Viennam convocavit. Venêre ferè omnes præter paucos & Petrum Erdodium, qui ſubverſo in quodam tortuoſo iter̃ anfractu, quo vehebatur curru, fractoque brachio in itinere ſubſtiterat. In eorum conſeſſu ipſum hujuſmodi verba feciſſe accepimus. Ab eo tempore, quo me Deo Optimo Maximo & ſuperis bene juvantibus, Pannoniæ ſceptris potitum eſſe meminiſtis, nihil à me, quod ad juvandam rempublicam pertineret, domi foriſque prætermiſſum eſſe, ſimul meminiſſe poteſtis: Cuncta enim ſemper republicâ inferiora minoraque exiſtimavi, nihil ea charius duxi; & quicquid opis, virium, roboris, pecuniæ non ſolùm ex eâ habere potui, ſed quæcunque etiam ex aliis regnis & provinciis non tantùm meis, verùm etiam fraternis, & Romani Imperii auxiliis contracta ſunt, ad vos neceſſitatéſque & patriam veſtram defendendam, prompto animo & magnâ curâ expoſui; remque publicam per omnem ætatem meam ignoſcendo, indulgendo, largiendo & aliis regiis artibus exercendis ità adminiſtravi, ut de vobis omnibus publicè privatimque benè mereri, & omnibus benefacere ex conſuetudine in naturam verterim; nec ullum ferè ex vobis eſſe putem, in quem dum tempus & occaſio conceſſit, ſive exiguum, ſive luculentioris beneficii genus conferre dubitaverim. Cujus rei vos qui adeſtis teſtes inprimis locupletes appello;

Ferdin. Maximilianum filium ſucceſſorem ſibi in Hungaria declarare conſtituit.

Ferdin. Imp. oratio ad frequentem Pannoniæ procerũ ſenatum

1561. pello; ut alios prætermittam, qui vel abſunt publicis privatiſque rebus occupati, vel his retroactis triginta & ampliùs annis vitam cum morte commutarunt; & hæredes munificentiæ meæ haud inexpertes reliquerunt. Præter hæc ſuſtinendis & propulſandis multis magniſque bellorum tempeſtatibus, quæ ab immanibus barbaris frequenter ingruerunt, quæcunque humanâ ratione aut viribus excogitari provideríque potuêre, omnibus priùs non ſolùm Germaniæ, ſed totius etiam Europæ Regibus & Principibus, non unâ legatione nec quicquam fatigatis, arma, pecunias, milites, duces, exercitus maturè & diligenter paravimus. Quibus tamen omnibus non tam hoſtium virtus & fortitudo, aut ducum noſtrorum imprudentia, aut ignavia; ſed occulta quædam fati neceſſitas ac vis, irataque ſceleribus noſtris cæleſtia numina, ſperatos ſucceſſus eripuerunt. Nunc verò quum mihi, quamquam adhuc aliquantum vigenti, ſed tamen indies viribus deficientibus haud mediocrè affecto, extremum vitæ tempus haud procul abeſſe ſentiam, æquum mihi, neque vobis inutile aut indecorum fore viſum eſt, ut de ſucceſſore tempeſtivè proſpectum eſſe cupiam, ac Maximilianum filium, quem Bohemi propediem diademate ſceptriſque ſolemni ritu ornaturi, nec Septemviri Romano imperatori eligendo delecti, quin eum Cæſarem me vitâ functo nominent, diutiùs dilaturi ſunt, vobis in Regem veſtrum ultrò commendem; ſequutus exemplum Mariæ Reginæ, ac poſtea Uladiſlai Regis, ſoceri mei, quorum illa Sigiſmundum ſponſum ſuum, qui poſtea imperavit; hic verò Ludovicum, filium adhuc tenellum in ſucceſſores ſuos eligendos, & ſolemni pompâ coronandos curaverunt.

Quem quidem ſicuti florens ætas, ac dignæ viro Principe virtutes, quæ nomen ejus tam in Hiſpania, quàm Germania, totaque Republica Chriſtiana clarum atque illuſtre reddiderunt; vobis quoque commendare debent: ita etiam cum curâ & ſolicitudine tuendi Regni, & incolumitate veſtrâ publicè privatímque procurandâ, vobiſque munificentiâ & liberalitate ſibi obſtringendis, atque adeò ſuperbis hoſtibus, felici rerum eventu avertendis, niſi me patrius amor fallit, cumulatè ſatisfacturum ſpero & confido. Neque vos id mihi denegaturos, ſed veſtrâ ſponte oblaturos exiſtimo, quod jure debere videmini: & tum me multorum meorum erga vos beneficiorum ubertimum fructum percepiſſe arbitrabor, quum non ſolùm non indigno deſiderio huic meo; ſed etiam quod vobis uſui ornamentoque ſit futurum, veſtris ſuffragiis votiſque firmando, prout veſtri erit muneris & officii, & mihi de vobis ſperare fas eſt, abunde atque opportunè ſatis occurretis. Hæc atque talia dicentem, magno ſilentio & aſſenſu cæteri audivêre.

Palatini reſponſio ad eandem.

Palatinus tamen veniam loquendi poteſtatémque precatus, pauca verbis intereeſſit, ac percurſis in ſe & plures alios ejus beneficiis, ſe continere non poſſe retulit, quin pauca non contendendi gratiâ, à quo longè abeſſe velit; ſed pro officii ſui prærogativa, tuendæ communis libertatis in medium adſferat; & quidem ſe inficias non ire, quin ſucceſſio Regni liberos ejus reſpiciat, quos tres omnibus naturæ dotibus, ac rarâ virtute excellentes habet: neque id in dubium revocari poſſe; ſic tamen ut penes publica Nobilitatis ſuffragia liberæ electionis jus & arbitrium ſit, quem ex tribus Principem ſibi deligendum putet. Mariæ ſponſum Sigiſmundum, ante aliquot annos publicis votis electum prius, quàm diademate ornaretur, ſatis conſtare: in Ludovico autem inaugurando & coronando, quòd unicus eſſet, nullam oriri potuiſſe quæſtionis difficultatem. Verùm nunc quem inter tres Principem velint, non ad privatum Senatûs judicium, ſed publica comitiorum vota pertinere, ne vetera electionis jura minuantur, aut violentur. Proinde donec ipſe, ſuperis bene juvantibus, ſuperſtes ſit, ſe & Nobilitatem, cujus animos haberet exploratos, alium ab ipſo Regem, quem jam triginta quinque annis liberalitatis, fortitudinis, lenitatis, clementiæque nomine venerati ſunt, ac fide & obſequio coluerunt, nequaquam deſiderare: ipſo, quod Deus Opt. Max. longiſſimè differat, fatis concedente, frequens Regni concilium deliberaturum, cuinam Regnum ſit deferendum. Se hæc, quæ animo volutabat, & quæ ſuapte conſcientia reticere non poterat, pro libertate publica retuliſſe; ita tamen ut & nunc, & quovis tempore, nec ipſius ut optimi clementiſſimique Regis, nec Maximiliani Principis deſtinatis ſit adverſaturus, quum nihil planè ſit tam magnificum, & in excelſo poſitum, quod magnanimitati virtutibuſque eorum, & erga Regnum Hungariæ meritis non jure meritóque debeatur.

Palatinus in Ferdinandum filium propenſior exiſtimatur.

Hæc à Palatino dicta, præter omnium opinionem, Ferdinandi animum altiùs penetrarunt. Audiverat enim ambiguis indiciis, illum contracta bello Babocienſi cum Ferdinando filio familiaritate, ad illius magis, quàm Maximiliani partes inclinare; nec tamen hæc dicere auſum putabat. Itaque non aliud loquutus, quàm ea conſilia aliud tempus, aliam occaſionem poſtulare, Senatum dimiſit: & ita cœptis in præſens deſtitit, curáſque omnes ad Bohemicæ coronationis feſtivitatem convertit: nec multo pòſt in Bohemiam unà cum liberis profectus eſt. Antequam tamen proficiſceretur, legatos ad Concilium, quod erat à ſummo Pontifice Pio Quarto in urbem Tridentinam indictum, delegit: & Antonium quidem Mughcinum Archi-Epiſcopum Pragenſem, ſuo ut Cæſaris; Georgium verò Draſcovitium Epiſcopum Quinqueeccleſienſem, ut Regis Ungariæ nomine Tridentum miſit. Sacratia quoque viris, uti à ſummo Pontifice juſſi erant, duos ex ſuorum numero ut mitterent, imperavit: atque ab iis Joannes Coloſvarinus Chanadienſis, & Andreas Dudithus Tininienſis Epiſcopi delecti ſunt; quorum illi Ferdinandi ſumptibus; hi verò pecunia ex Collegiis cæterorum Sacerdotiorum collecta Tridentum ſine mora diſceſſerunt.

Res inſecta & prolata, Senatus dimiſſus eſt. Legati à Cæſare & Hungaris ad Concilium Tridentinum miſſi.

Thomæ Nadaſdi Palatini mors.

Poſt profectionem Ferdinandi in Bohemiam, Thomam Nadaſdium Palatinum peſtilens ac repentina febris, indeque ſubita ſequuta mors, odio aut gratiæ ejus exemerunt. Nam cùm ad arcem Egervariam animi cauſa ſeceſſiſſet, Quarto Nonas Junias, ætatis verò anno quarto & ſexageſimo è vivis exceſſit, relicto novenne filio Franciſco, qui poſtea in virum militari virtute præſtantem evaſit. Fuit pulchrâ canitie & viridi ſenectâ conſpicuus, ac utrâque fortunâ exercitatus, pacis & belli artibus pollens;

Franciſco filio relicto novenne.

1562. lens : ſed qui tam bonam, quàm malam ſui recordationem famâ factiſque promeruerit : atque ut hoc quoque addam, à multis ultimus Palatinorum habitus ; uſque adeò ejus extremæ ad Ferdinandum voces, quas retulimus, animo Principis inhæſiſſe credebantur. Stephanum Madatum & Joannem Zalajum, anguſtis quidem, ſed ingenuis tamen natalibus ortos, ac poſtea liberalitate Ferdinandi clareſcentes, in fratres adoptaverat : vixitque cum iis conjunctiſſimè : ita ut arces Fogaraſſum in Tranſilvania, Huſtum in Maramaruſio, ac Berſencism in Simigio à Ferdinando dono acceptas, & alia quæcunque habebat, cum illis communicaret : qui quum Huſtum Chriſtophoro Cavaſio regendum dediſſent, ac ille omnem circa regionem, ad Poloniæ & Moldaviæ fines latrocinius & rapinis infeſtam reddidiſſet, juſſu Ferdinandi ab Andrea Bathorio obſeſſus, erectiſque circumcirca caſtellis, præter Nadaſdii ſpem ad deditionem compulſus fuit : ſicque ii poſſeſſione arcis exciderunt. 1562.

Marcus Stanſinius ſervati Sigethi gloria illuſtris mortem obit. Cui Comes Zrinius ſuccedit.

Tertio poſt eum menſe Marcus quòque Stanſinius, priſcæ ſeveritatis diſciplinæque vir, & ſervati Sigeti laude clarus, mortem obiit ; cique in præfectura Sigetana Ferdinandus Nicolaum Comitem Zrinianum, ultro ſeſe offerentem ſuffecit ; qui locum illum toleratâ priori obſidione celebrem, præclarâ poſtea ibi morte obitâ longè celeberrimum reddidit ; quum per octo & triginta dies acerrimum infenſiſſimarum gentium impetum admirandâ prorſus conſtantiâ perferendo, deſperatis poſtremò omnibus omninò auxiliis, haud inultus cecidiſſet, neque incruentam quòque hoſtibus victoriam reliquiſſet.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XXI.

Ferdinandus in Bohemiam veniens, per Buſbequium de induciis octennalibus fit certior.

VIxdum Ferdinandus in Bohemiam advenerat, & ab Augario legato de induciis octennalibus, quas ſe ingentibus ſtudiis & aſſiduo labore impetraſſe, breviſque reportaturum nunciabat, bene ſperare jubebatur : ideòque eo læti nuntii gaudio exhilaratus, commodam pacis & otii parandi occaſionem, regnique Bohemici Maximiliano filio de manu tradendi facultatem ſe nactum exiſtimabat ; cùm amicorum, ducûmque ſuorum literis, ut ſibi proſpiceret, & à Joanne Sigiſmundo caveret, quem defectione & frequentibus Balaſſii injuriis irritatum bellum parare, nec pacem pati poſſe admonebatur, confiſum Turcarum auxiliis, qui jam pridem occultis nunciis, & legationibus ſolicitati, nec expectato primi veris initio, in ſocietatem venturi eſſe crederentur. Propterea Zajo & Balaſſio, cæteriſque præfectis in mandatis dederat, ut quanquam illum induciarum legibus, ſit volente Solimano, comprehenſum, earum jura & fœdera nequaquam violaturum exiſtimaret ; tamen rectè proviſis confiniorum rationibus curarent, ne ab illo imparati offenderentur, neve detrimentum aliquod reſpublica pateretur.

Joan. Sigiſmundi moliſtiones,

Mehemetis Chauſii querela de auxiliis Deſpotæ præbitis, & de Bathorii ac Balaſſii defectione, quibus breviter à Ferdinando reſponſû.

Interea Mehemetes unus ex Chauſiis, quibus nuntiis & legatis Turcarum Principes uti ſolent, cum literis Solimani Pragam venit, quibus expoſtulabat auxilia contra Alexandrum Moldavum beneficiarium ſuum Deſpotæ data, & Nicolaum Bathorium, & Melchiorem Balaſſium à Joanne Sigiſmundo, pupillo ſuo, ingentibus promiſſis deductos, cum magna ditionis Tranſilvanicæ jactura, defeciſſe : quæ induciis, quas per legatos urgendo inſtandóque peteret, nequaquam convenire aſſerebat. Ad eas literas Ferdinandus, poſtquam aliquot diebus nuntium detinuiſſet, reſpondit, ſe à Solimano ejuſmodi querelis præoccupari, quæ potiùs ab ſe, quàm ab illo, jure meritóque fieri poſſent, neque enim ab ipſo auxilia ulla Deſpotæ conceſſa : ſed milites inſciis ducibus & præfectis, ſpe lucri incitatos ſeſe illi aggregaſſe : quod etiam ab ipſius militibus fieri ſoleat : Bathorium verò & Balaſſium à Tranſilvano minimè deſciviſſe ; ſed ex errore in viam, & ad priſtinum officium ultro reverſos eſſe ; à quo antea armis coacti diſceſſiſſent. Quo reſponſo quum ille non ſine muneribus rediſſet,

Zajus & Balaſſius Joan. Sigiſmundi conatus præveniéntes, Covaſonem arcem occupât.

Zajus & Balaſſius, ad quos de apparatibus Tranſilvanicis haud diſſimilia per exploratores quotidie adferebantur, in oppidum Bathorum convenerunt, ibique communicato cum Nicolao Bathorio, aliiſque ducibus conſilio, priores bellum inferre decreverunt. Itaque arcem Covaſonem, annis ſuperioribus à Telequeſſio dirutam, ſed à Petro Macuſmamo poſtea reſtauratam, repentino admoto terrore obſederunt. Qui quum conſilii viriumque inops, auxiliiſque diſtitus, quæ è Tranſilvania adduci tam citò non poſſent, nec primis tormentorum ictibus expectatis, neceſſariam deditionem fecit, ea lege, ut ipſe & milites, relictis rebus & ſarcinis, ſolis accincti gladiis, ſoláque inferiori veſte induti dimitterentur.

Joan. Sigiſmundus ducibus Bathoria & Nemethio,

At Joannes Sigiſmundus haud gravatim ferens initium belli à Cæſarianis exortum, quo incepta ſua apud Solimanum facilius excuſaret, ſeque bellum non intuliſſe, ſed illatum repuliſſe dicere poſſet : copias, quas antè paratas habebat, extemplò in Hungariam mittendas duxit. Quarum imperium, cum ipſe, prout volebat, exercere gravi oppreſſus morbo, non poſſet, Stephanu Bathorio Somliano, ac Franciſco Nemethio, qui ſub arce Serencia, fugatis Bebeco & Pereone, nihil non ſibi arrogando, indomitos ſpiritus gerere videbatur, æquatâ poteſtate, commiſit : ipſe verò ad monaſterium Claudiopoli vicinum, curandæ valetudinis gratiâ ſubſtitit. Paulò antè Georgius Suloccus, egregiâ virtute juvenis, viduâ Balthaſaris Jachii in conjugem ductâ, arcem Hadadum, quæ ad jus privigni ejuſdem nominis pertinebat, matrimonii nomine occupaverat, ac hortante Balaſſio à Tranſilvanis ad partes Cæſaris tranſierat. Eum Nemethius & Sumlianus, uti recentis transfugii reum,

Hadadû arcê Sulocco deditione eripiunt.

1562. ſeum, ante omnia alia armis adoriri atque ulciſci ſtatuerunt. Itaque quum ad illud tempus, quo à carnibus abſtinemus, quodque à Chriſtianis veteri nomine Quadrageſimale jejunium vocatur, cum exercitu ſub arcem perveniſſent, caſtra non procul ab ea metati ſunt, ac conſtitutis eadem nocte vineis & aggeribus, tormenta promoverunt, ac duabus è partibus arcem verberari juſſerunt. Cujus muri vetuſtate, & eorum qui obtinebant incuriâ debiles, cùm pilarum ictus nequaquam perferre poſſent, Sulocceus non multo tempore toleratâ obſidione arcem dedidit; quem cum omnibus rebus & ſupellectili arce excedentem Sacmarium ire permiſerunt.

At Zajus & Balaſſius, quamquam arce tam celeriter amiſſa non parum animo perturbarentur; ne tamen hoſtes, quorum vires, Joanne Sigiſmundo novos ſubinde milites ſubmittente, indies creſcere intelligebant, ad Sacmarium aut Vardam oppugnandam ferrentur, caſtra promovere, & Tibiſcum tranſjicere ceperunt.

Copiæ à Zajo & Balaſſio contractæ ad hoſtiũ caſtra pergunt.

Convenerant ad illa juſſu Ferdinandi copiæ Nobilitatis haud contemnendæ, & Gabriel Perenius ducentos equites, totidemque pedites, duce Niculao Henejo adjunxerat: Nicolaus Bathorius totidem milites expeditos miſerat, quibus Ladiſlaus Siculus præerat: Dominicus autem Dobo, Gaſpar Draſcovinus, Sigiſmundus Senieius, Stephanus Vardanus, multique alii, certas equitum & cohortium manus ſuis ſtipendiis adduxerant; ita ut omnium numerus ad quinquies mille milites conſtituere exiſtimaretur. Quum fama adventantis Cæſariani exercitûs Hadadum in hoſtium caſtra allata eſſet, Somlianus & Nemethius, quibus à Joanne Sigiſmundo injunctum erat, ne de pugna committenda quicquam penſi haberent; ſed ſe ad ſummam rerum ferro decernendam expectarent, ipſéque temperatâ valetudine nullam veniendi moram interjecturus eſſet, caſtra ſua ad mœnia arcis contrahenda, foſſáque communienda exiſtimaverant, ut ea tormentis majoribus ex illâ tueri poſſent, nec ipſi inviti ad pugnam pertraherentur.

Nemethius, invito Sõlhano ſe ad prælium accingit.

Verùm quum Cæſariani in conſpectum ſe dediſſent, Nemethius ſive oblitus mandatorum, quæ de vitanda prælii fortuna acceperat, ſive nimiâ arrogantiâ & hoſtis contemptione raptus, abſque Somliani conſenſu, ſuos tubis tympaniſque citatos caſtris educere, & ad ineundam pugnam inſtruere cepit. Somlianus quoque collegæ temeritati, alieno eo importunoque tempore nequaquam refragandum arbitratus, attolli ſua ſigna jubet, & caſtris egreditur: ac Chriſtophoro Quereſturio, & Thomæ Albano, quos circa ſe habebat, periclitemur, inquit, prælii aleam, quando ita collegæ meo videtur, ut ſtolido potius arrogantis animi impetu, quàm rectâ ratione dimicandum putet: ne ignaviæ, aut ceſſationis arguamur; ſed vereor, ne hodie eas, quas meremur, infauſtæ audaciæ pœnas luamus. Quibus dictis, Albano in caſtris relicto, cæteris qui egreſſi ſe cunctantem præſtolabantur, ſequi cæpit: nec continere potuit, quin Nemethio obequitanti, aciémque inſtruenti eadem repetendo objiceret. Erat prope caſtra rivulus aquationi percommodus, partim profundioribus ripis, partim ita ut facile tranſiri poſſet, caſtigatis. Eum cum tranſiiſſent, lato in planicie circuitu capto, non procul à via publica, explicatis vexillis, tubiſque & tympanis ſonantibus, Cæſarianos expectare conſtituunt. 1562.

Zajus & Balaſſius expedito, quamquam minore militum numero, pugnæ cupidi, primò lentis paſſibus in hoſtem ferri cepêre: poſtea ubi propiùs ventum eſt, milites in oblungam denſámque aciem componunt, ita ut extrema utrinque cornua valido equitatu firmarentur, ac huic Niculaus Henejus & Ladiſlaus Siculus, illi verò Matthias Senneſſius & Franciſcus Zalajus clari turmarum ductores præeſſent; & Zajus cum prætorianis & regio vexillo mediam aciem tueretur: Balaſſius verò exercitum obequitans nullo certo loco conſiſteret. Ibi paucis verbis milites alloquuntur, ne hoſtem numero tantùm tumidum & ferocem, ſed non vi, nec robore, aut diſciplinâ militari validum, acri illato impetu, invadendum proculcandúmque dubitent: eos non ita pridem ab aratris & rure in militiam vi adactos conſcriptóſque; ideóque rudes imbelléſque eſſe, hanc diem, hanc aciem fore, quæ præmium laborum ſimul & finem, quietémque ſint allaturæ.

Cæſariani aciẽ inſtruũt.

Quibus verbis & aliis talibus Balaſſius tantâ vincendi ſpe ſuos accenderat, ut milites eo duce nihil ſibi adverſi eventurum timerent, ſeque jam viciſſe clamitarent. Tum verò ipſe, admonito Zajo, ut cum exercitu ſe præeuntem citatiore gradu ſubſequeretur, acceptâ ſecum equitum alâ, & filio Boldiſio alterum & vigeſimum ætatis annum agitante, compellatóq; eo, ut prima militiæ rudimenta non degener animo capeſſeret, & hoſtem fortiter ferire diſceret, hoſtium antecurſores adoritur. Inter quos quum Stephanus Thraa, Gaſparis Bequeſſii, egregiæ virtutis & fortitudinis eques, ſublata haſta, in adverſos Balaſſii equites irrupiſſet, perfractáque eâ certaminis initium feciſſet, tum magnus clamor attollitur, ſclopetorumque & falconum fragore omnia complentur. Cæſariani, Balaſſio manu vocéque & exemplo eos cohortante, & Zajo gradum acriùs inferente, mediam peditum aciem repellunt, ac proſternunt: cadentibúſque eorum ſigniferis, tota peditatus acies, quæ è rudibus ut plurimum Saxonum & Valachorum cohortibus conſtabat, in fugam vertitur: illi perterritis & fugientibus inſiſtendum rati, plurimos ex iis interficiunt, & ſimul equites invadunt, qui viſa cohortium conſternatione & fugâ, quum ſe peditatu nudatos conſpicerent, & ab hoſtibus acri virium pondere incumbentibus pugnaciſſimi quòque ſternerentur, urgeri primò acriùs, impellique, mox cum magna cæde converti in effuſam fugam cepêre; nec duce Nemethio ampliùs vim ſuſtinere auſo. Tum verò ſemel turbatæ atque in fugam verſæ acies, nec à Somliano, nec à ducibus cæteris reparari denuo, retinerique potuêre: ita occiſis, qui reſiſtebant, ſtrata vexilla atque capta ſunt; & poſtremò omnes, quà quiſque potuit, diſſolutis ordinibus effusè & inconditè profugerunt.

Hoſtes forti animo aggrediuntur.

Mediam peditum aciem pellunt, ſternunt, reliquáque fugant.

Quo viſo etiam equites conſertim diffugiunt.

In eo prælio Boldiſius haſtam in adverſo hoſtis pectore, non ſinè ſingulari patris lætitia, perfregit; eductoque confeſtim gladio cæteris pugnantibus ſe immiſcuit. Nemethius, qui paulò ante jactabundus certam ſibi victoriam temerè promittebat, funéſque ſericeos ad id paratos proferebat, quibus duos leviros Balaſſios, patrem & filium (nam in matrimonio filiam Emerici Balaſſii habebat) ſe connexurum minabatur, rebus deſperatis aufugiens,

Nemethii jactatio & fuga.

Iſthuanf. Hiſtor. Y non

1562. prætermitteret. Dedit etiam in mandatis Malcocio Temeſvarii præfecto, ut ad certum diem ſecum ad Debrecenium conjungere ſuas copias maturaret. Cæſarianis multa deerant, quæ ad ſuſtinendum tantum belli terrorem neceſſaria fore videbantur: Nam & tormentis niſi aliquot minoribus, quæ ad campeſtres potiùs uſus, quàm tolerandæ obſidioni aptiora erant, & pulvere præſertim ſulphureo, quodque caput erat, rebus ad victum idoneis deſtituebantur. Nihilo tamen minùs cohortante Balaſſio, ſeparatis munitionibus, ac propugnaculis vallo & aggere firmatis, adventum hoſtium expectare conſtituerunt. Sacmarium & Nemethium, interfluente Samoſio, clari nominis oppida ſunt, qui amnis è Tranſilvaniæ Alpibus duplici alveo oritur: Nam minoris Samoſii origo eſt ſupra arcem Gialu, qui ſecundum Claudiopolim fluit, verſùs Dees, Civitatem ſalis fodinis claram, ibique majori Samoſio conjungitur: nec multò pòſt Lapeſſo flumine in alveum recepto auctus, & apud Sacmarium in duos alveos, ſive ramos inſula facta dividitur: ac deinde ad pagum Samoſſegum, inter Echedum & Vardam Tibiſco miſcetur. In ea Inſula oppidum Sacmarium ſitum eſt, & in oppido caſtellum à Bathoriis Somlianis ad quorum olim jura ditionemque ſpectabat, è materia exædificatum.

Cæſarianihoſtium adventum expectant. Sacmarium & Nemethium, interfluente Samoſio, diſcincta. Samoſii fl. origo.

Malcocius Temeſvarienſis Budenſi ſe conjungit, Turcis in Sacmarii oppugnatione hærentibus & Nemethum ſuccedentibus, Sacmarium, ingenti ſpirante auſtro, eodem igne correptum, conflagravit, Quâ occaſione Turci uſi, munitiones noſtras adorti, repelluntur.

Itaque quum Malcocius è Temeſvario profectus, ſe Budenſi conjunxiſſet, adductis ſecum tormentis, quæ magìs velitationi & pugnis campeſtribus, quàm diruendis muris erant idonea, Sacmarium venêre: Et quum aliquot turmæ oppido exiiſſent: pari fortunâ, paucis utrinque cadentibus dimicatum eſt. Jam aliquot dies Turcæ in oppugnatione hæſiſſe videbantur, quum ingenti ſpirante Auſtro oppidum Nemethium ſuccenderunt: quod quum è materia conſtaret, extemplò totum concrematum eſt, ventiſque ardentium ſtraminum manipulos, ac ſcandularum fragmina ultra flumen rapientibus, Sacmarii quòque tectorum faſtigia ſubito concepto igne ardere ceperunt. Adjuvante deinde ventorum turbine, flatúque ſæviſſimo, non ſolùm tecta & domus, ſed etiam ſtabula, & horrea, quæ procul domibus erant, & in quibus milites cum equis & impedimentis ac caſtrenſi ſuppellectili per hoſpitia diſtributi erant, puncto temporis conflagrarunt militibus & turba civium nullam opem ferre valentibus. Nam eodem tempore Turcæ occaſione rei gerendæ nactâ, audendum rati, magnis ſublatis clamoribus, per pontem, quem noſtri ſupra minorem Samoſii alveum tumultuario opere ſtruxerant, muniti ones ac propugnacula aggredi ac foris quòque ignes, quos artificio paraverant, ad augendum terrorem in ſtationes militum jaculari non ceſſabant: ſicque fiebat, ut fœdâ ubique omnium conſternatione ac tumulto, equis etiam fumo, & flammis præcluſo ſpiritu intereuntibus, partim huc inde per orbem diſcurrentibus, milites diſſipatis ordinibus, & neglecto præfectorum imperio ſuis rebus cuſtodiendis intenti eſſe cogerentur. Manubiæ etiam & ſpolia, quum terribilis furentium flammarum rapiditas nullâ mortalium ope arceri poſſet, corruentibus itidem ædificiis, in quibus ſervabantur, momento temporis, miſerabili ſtrage, & incredibili miſerorum militum damno abſumpta fuerunt. Pecunia verò, quæ ex

Miſerabilis incendii clades.

auctione à licitatoribus & emptoribus collecta erat, vi ignis tota liquefacta eſt. Poſtremò repulſis, quantùm in ea rerum confuſione & perturbatione fieri poterat, magno labore hoſtibus & igne nonnihil reſidente, Hamſabegus ille, clandeſtinus arcium expugnator, qui tunc Strigonio præerat, ab Zaju colloquium petivit; à quo quum pleríque eum dehortarentur, ipſe tamen ſumptâ alâ equitum orbe egreſſus, illum admiſit in colloquium: nec tamen quicquam præter contentiones invicem attulêre, quibus vafer & impudens Turca Sacmarium poſtulare, Zajus negare & recentium induciarum pacta objicere: ita ut ambo mutuos ſermones exacuendo, altercandoque nullum operæ pretium feciſſe viderentur. 1562.

Dirempto colloquio, Turcæ noſtris incumbendum rati, frumentarias convectiones tam terrâ quàm flumine, miſſis hinc inde excurſoribus, prohibere, & pabulatores noſtrorum intercipere contenderunt. Ab iis redeuntibus intellectum eſt, magnam hominum multitudinem cum uxoribus & liberis, ac ſubſtantiâ omni, ad Ruſaliam, quæ erat munitio procerum cognomento Cunorum, duobus ab urbe milliaribus diſtans, ſe tutandi ſui cauſa contuliſſe. Itaque Budenſis extemplò mille equites, totidemque pedites è caſtris ſelectos eò ire locúmque capere jubet. Sed priuſquam Turcæ eò perveniſſent, non ſinè ſummâ eorum, qui incluſi erant, felicitate, Franciſcus Catajus, & alter Franciſcus Gemeſius, militares fortéſque viri, cum centum ſexaginta equitibus Agriâ profecti Ruſaliam intraverant, eo animo ut Turcas caſtris exeuntes, ac aquationi & lignationi intentos infeſtarent. Itaque quum Turcæ obtruncatis iis, quos fortè obvios habuerant, munitionem invaſiſſent, ii qui intus erant, Agrienſium militum ope freti, & ab illis pro diſciplina, ſolitâque virtute rem gerentibus adjuti, impetum eorum fortiter exceperunt, & aliquantum etiam repreſſerunt. Sed quum equites quòque equis deſcendentes, pari cum peditibus robore & vi, partim vallum conſcendere, partim ſecuribus & dolabris dejicere niterentur, res erat in ſummum adducta periculum, ni Catajus & Gemeſius oportuno conſilio, per occultam portulam cohortem peditum Thoma Baxajo duce emiſiſſent, qui ſublato clamore in Turcas proſternendo vallo intentos repentè irruperunt, ac magnâ editâ ſtrage perterritos pedem referre coëgerunt. Ex edita etiam arcis turri faleonum & craſſiorum ſclopetorum pilis in eoſdem contortis, plurimi ex hoſtibus occubuêre; ita ut ampliùs ducentos obtruncati fuiſſe dicerentur: quorum capita quum Agrienſes præacutis longuriis infixa pro vallis ſummitate ſpectanda poſuiſſent, Turcæ receptui cecinêre, & re infectâ in caſtra reverſi ſunt.

Turcæ Roſaliam aggreſſi.

à Gemeſio & Catajo repreſſi.

Pedem referunt

Intereà Balaſſius & Zajus, quum ad ſummam pulveris tormentarii inopiam redacti eſſent, ad Antonium Sicolum, qui obſeſſo jam Sacmario, paulò ante è Moldavica victoria redierat, & ad Echedum copias, quibus obſeſſis opem ferret, ſummâ celeritate parabat, litteras & nuntios miſere, quibus eum hortabantur, ut trecentos pedites è ſelectiſſimis ſinè morâ deligeret, ſingulíſque certum pondus ſulphurei pulveris, ſacculis è corio factis inclutum daret,

Pulveris ſulphurei inopia preſſi Cæſariani illius copiam à Siculo ſibi ſubmitti petunt,

1562. ret, ac ad intempeſtæ noctis tempus Sacmarium adducere maturaret, quibus in oppidum recipiendis ipſe & Balaſſius obviam eſſent occurſuri. Cùm tempus Antonio conſtitutum adventaret, ipſi cum omnibus copiis, per pontem, quem biduo antè Zajus conſtruxerat, ut pabulatoribus, & quos emiſſurus erat, excurſoribus, expeditum iter eſſet, relicto in arce combuſtóque oppido ſatis valido militum præſidio, ſummo ſilentio egrediuntur. Vixdum in adverſam ripam & extremam Nemetbii partem erat perventum, quum à tergo repente ingens clamor ab hoſtibus æquè ac noſtris ſublatus exoritur: ſclopetorumque & falconum fragore & ſtrepitu omnia complentur. Cæſariani, id quod erat, rati, hoſtes in oppidum irrupiſſe, ſubito reflexis equorum habenis redire incipiunt: primùſque cum ſua turma Forgacius, qui abeuntium terga clauſerat, cæteros cohortatus, ſubditis equo calcaribus, ad tutandum propugnaculum, quod hoſtes ſummâ vi oppugnabant, recurrit.

Hoſtes in oppidum irrumpunt.

Fortè ſubſtiterat in contubernio Dominicus Dobo, quòd eo die pedum dolore vexari cœpiſſet: is quum hoſtes tenebris tectos per pontem à Zajo conſtructum, in oppidum ſummâ ope evaſiſſe conſpexiſſet, quâ parte nullum vallum, ſed ramoſis & proceris arborum truncis aditus præſeptus erat, conſcenſo celeriter equo cum ſuis procurrerat, ac cum hoſte, jam ſignum in ſumma valli parte vibrante fortiter conſertâ manu dimicabat: quum ſuperveniente Forgacio pugna redintegratur; ſignifero occumbenti hoſtile vexillum à noſtris eripitur, & hoſtibus majori ex parte cæſis, partim captis, cæteri detruduntur. Sed quum repetere certamen conarentur, mox Forgacius cohortem militum Germanorum ab ſua ſtatione, quæ proxima erat, acciri jubet. Ea manus, quòd è peritis ſclopetariis conſtaret, magno noſtris pugnantibus adjumento fuit; quum enim hoſtes glandibus icti atque occiſi ſternerentur, fugam capeſſere, & palantes per eundem pontem, quo venerant, ſeſe recipere coacti fuêre. Magna eo in certamine laus Dobonis & virtus fuit: niſi enim ipſe opportunam munitioni opem ferre maturaſſet, donec Forgacius & alii ex Nemetbio, anguſtiore pontis via, ac cunctantius, quàm neceſſitas poſtulabat, adcurriſſent, magna hoſtibus capiendi oppidi erat oblata occaſio. Eodem etiam temporis momento Balaſſius & Zajus, incuſato Antonio, qui ad ſtatutam horam nec pedites adduxiſſet, nec pulverem tormentarium ſubminiſtraſſet, citatis equis ad ſtationes & propugnacula reverſi, magnum ad repellendos hoſtes momentum attulerunt.

Sed Dobonis & Forgacii virtute expulſi cedunt.

His difficultatibus circumventi Cæſariani, à Balaſſio magnis precibus contenderunt, ut oppido egrederetur, deque pulvere ſulphureo curandu, & adducendis auxiliis, quæ ab Antonio Siculo ad Echedum collecta erant, omnem diligentiam & ſolertiam adhiberet. Quocirca ipſe naviculâ piſcatoriâ nocte digreſſus, per notos tramites Echedum pervenit. Eò jam Antonius, ad quinque hominum millia contraxerat; quibus Ladiſlaus Querecenius Giulæ præfectus, quingentos equites duce Martino Siculo addiderat: cum quibus valida Turcarum manus è caſtris ab Ibraimo Budenſi ſpeculatum miſſa, magnum biduo ante Balaſſii adventum certamen conſeruerat: in quo præter nonnullos alios

Balaſſius ad Antonium Siculum pulveris expediendi, cauſa oppido egreditur.

Chriſtophorus Caſtellanffius, nobili & antiquo genere ortus, quòd abſque galea prodierat, gravi capite ictus vulnere cecidit: & Antonio ipſi capitis tegumentum multis gruum & ardearum pennis conſpicuum, hoſtilis haſtæ cuſpide, non ſinè gravi ejus periculo ablatum eſt; in quo litteras proximè à Ferdinando acceptas de cogendis copiis condiderat. 1562.

Dum hæc ad Sacmarium atque Echedum geruntur, Johannes Balaſſius Zolii veteris, & Montanarum urbium præfectus, ut fratrem Melchiorem Sacmarii incluſum, aliquo auxilio juvaret, hoſtéſque ab obſidione averteret, coactis tumultuariis copiis, atque accitis variorum locorum præſidiariis, Secenum, quod ab Mahmute Jahiogle cuſtodiebatur, obſidione cingere decrevit. Is eo tempore in caſtris ſub Sacmario aberat, ſed Seceni Saſuatem alumnum legatúmque ſuum reliquerat. Joannes igitur fratri & Sacmario opitulaturus, ſacro die, quo Chriſti Dei, mortis & inferorum victoris Reſurrectio celebratur, promotis copiis arcem obſedit. Habebat peditum quatuor fermè millia, qui omnes erant ſclopetarii, inter quos metallorum foſſores habebantur exercitatiſſimi, quorum opera egerendis cuniculis, ac ſubvertendis ab imo arcis fundamentis uti poſſe cenſebatur. Equites ad millenarium numerum accedebant; Nam Stephanus Dobo è Levs ſuos, duce Stephano Soſa, adjunxerat, ac Johannes Cruſitius, Thomas Palffius, Chaſpar Churius è Corpona ſingulas centurias adduxerant. Gabriel Docius, & Georgius Fancius è Boſoco, navandæ operæ cupidi, ſuis ſtipendiis conductas turmas habebant. Voluntariorum quòque manus acceſſerat haud contemnenda, qui Balaſſio gratificaturi ſeſe tanto quanto quisque poterat numero aggregaverant. Ipſe duobus tantùm falconibus mediocris magnitudinis adductis arcem quatere cœpit, quòd ea nec loci naturâ, neque arte munita eſſet, & Mahmutes præfectus cum majore præſidii parte abeſſet, Saſuates verò domi relictus, non admodum efficaci ingenio, nec manu promptus haberetur. Sed quum propugnatores Turcæ, quamquam pauci fortiter ſeſe tuerentur, parum ictibus tormentorum proficiebatur. Et foſſores ultro operam offerebant, ſi Balaſſio videretur, ſe actis in ima parte ſcrobibus, conjectóque pulvere, arcem everſuros. Sed incertum quibus de cauſis, ipſe ejus rei conſilia in aliud tempus differenda duxit.

Joan. Balaſſius ut fratri ſuccurrat, Secenum obſidet.

Accitis finitimis præſidiis

Interea Beſſires quidam equitum decurio, quem ipſi Odabaſſam vocant, unico tantùm comitatus ſocio, ad Haſanem Fileci præfectum, cui Prodovitio cognomen erat, ab Saſuate mittitur, ac ab eo, qui ſolus præfectorum domi erat relictus, magnis precibus auxilia poſtulantur. Contra Stephanus quòque Zoltajus Agriæ præfectus Balaſſio petenti centum equites, quos Demetrius Mathiuſius ductabat, totidemque pedites ſubſidio miſit. Sed & Bebecus cum mille utriuſque ordinis militibus egregiè inſtructis, in itinere erat & duo tormenta majora quinquagenis boum jugis trahebat, præmiſeratque nuntios, à quibus Balaſſius de ſuo itinere certior redderetur. Verùm Haſanes omnem rei bene gerendæ occaſionem in celeritate poſitam eſſe arbitratus, priùs, quàm Bebecus ſe cum illo conjungere poſſet, Saſuati laboranti opem ferre conſtituit. Itaq; octingentos equites,

1562. ſolitum & ordinarium Fileci militare præſidium educit, & relictis omnibus impedimentis, quo expeditiùs & celeriùs iret, Secenum versùs iter intendit, non rei juſta pugna cum Balaſſin decernendi cauſa, ſed ut minutiore dimicatione velitando, obſeſſos relictâ hoſtibus arce educere poſſet.

Haſan Feliciensis noſtros vehementi impetu aggreſſus, cadit.

Fortè eodem momento temporis, diverſo tamen itinere Agrienſes in caſtra Balaſſii pervenerunt, quo Haſanes cum ſuis ſe in conſpectum dedit: tantáque fuit Turcarum & Haſanis velocitas, tanta irrumpendi vis, ut Balaſſiani vix tempus habuerint, quo ordines componere, ac inſtructâ acie hoſtibus obviam progredi potuiſſent. Igitur ad primum impetum, peditatus nulla defendendi ſui cura, priùs quam ſclopetos in hoſtem diſploſiſſent, fœdiſſimè profugit, initio trepidationis & fugæ, à cohortibus in valle Seniciciana conſcriptis facto: quamquam Balaſſius & ſummæ virtutis centuriones deterrendo caſtigandóque, ne tantum dedecus admitterent, converſos in fugam retentare conarentur, & conſtantiſſimè in primâ acie depugnarent. Fugato peditatu, cujus magna pars inter fugiendum cæſa, protritáque eſt, quum equites nudati eorum præſidiis pugnam remiſiſſent, ac fugam circumſpectarent, Turci acriori illato impetu eos invadunt & proſternunt: ſigna capiuntur ac tota equeſtris acies in fugam vertitur. Cruſitius cùm in aggeribus ad tormenta verſaretur, nec hoſtium celeritate præventus, equum conſcendere potuiſſet, ab equitibus capitur. Eo capto cæteri turpiſſimâ fugâ ſeſe proripiunt: fitque promiſcua paſſim omnium cædes: Andreæ Chutorio cadenti caput præciditur: Palffius & Chutius, ac Soſius circumventi ab hoſtibus, quum effugere nequaquam poſſent, ſeſe dedunt. Fancius labente, inter cadavera, quo vehebatur, equo alium ſeſſore vacuum intercipit, & in eum celeriter inſiliens evadit. Docium paludamento abjecto, & agreſti lacernâ ſumptâ pedibus evaſiſſe, ac poſt multas, per ſilvas & montes, errorum ambages, ad ſuos reverſum eſſe ſatis conſtat: Demetrius Mathiuſius in Hippolum fluvium ſimul cum equo inſiluit, ac ob impeditas ripas, quum enatare non poſſet, & hoſtes undique incumberent, ibidem interiit; Sebaſtianum Tarianinum, magnæ virtutis centurionem, dum ſuos fugientes retentare conatur, hoſtes multis cæſim, punctimque confoſſum vulneribus pro mortuo reliquêre ac ſpoliavêre: iſque poſtea nocte intempeſtâ nudus per notos calles repando potiùs quàm ambulando in tutum pervenit. Cæterùm Balaſſius cùm diu multúmque ut ſuos à fuga retentaret, fruſtrà laboraſſet, ac cum Beſſire congreſſus, ſingulariter certaſſet, poſtremò à fortuna & à ſuis deſertus, accepto etiam in ſiniſtra manu, quâ frenum tegebat, vulnere, in tutum ſe recepit. Caſtra capta & direpta. Cæſorum capita DCL. relata; ſed quæ gregariorum militum ac agreſtium majori ex parte eſſent. Captivi haud pauciores, ſed majoris pretii ac dignitatis plerique.

Nobilis capti & occiſi.

Balaſſius accepto vulnere ſe recipit.

Cæſorum & captorum numerus.

Fuit memorabilis Turcarum pro ſua paucitate victoria: ita ut res haud minore hic quoque ignavia, ac fœdi dedecoris labe geſta eſſe videatur, quàm quaſi nuper à Tranſilvanis ad Hadadum geſtam eſſe retulimus. Cruſitius & Emericus Covatius ejus legatus, ac Thomas Lithnanus Balaſſii tubicen, cum aliquot aliis captivis, ac omnibus ſignis militaribus Byzantium ducti, Solimanóque in teſtificationem victoriæ dono dati fuêre. Bebecus eodem quo venerat itinere reductis tormentis reverſus eſt. Et copiæ Nicolai Olahi Antiſtitis Strigonienſis Georgio Gicin duce, cùm in oppido Batho cladem audiviſſent, Carponam diverterunt: eámque præfecto & præſidiariis nudatam aliquamdiu defenderunt, ne ab hoſtibus occuparetur. Sic & Turzonis & Andreæ Bathorii milites, qui ad caſtra Balaſſii properabant, audito infelicis pugnæ exitu, redierunt.

Reliquæ copiæ audita hac clade, domum redeunt.

Hanc ad Secenum acceptam cladem Zrinius Comes, Sigheti præfectus eodem tempore, ſed diverſâ in parte Pannoniæ hoſtibus refudit atque reddidit. Nam cùm Arſlanes ejuſdem Mahmun Jahioglia frater, qui tunc Poſeganæ provinciæ præerat, ad prohibendas noſtrorum, & præſertim Sighetanorum excurſiones, caſtellum in Moneslone ultra Dravum flumen extruere cepiſſet, ad eos qui operi faciundo incumbebant, agreſtes, quorum major pars Thraces à Boſna atque Illyrico erant, tutandos, ac defendendos, exercitum comparaverat, & caſtra ibidem ad Dravi ripam metatus erat; cujus rei fama quum ad Zrinium perlata eſſet, communicatis cum Franciſco Tahio viro militari, ac multis rebus præclarè geſtis imprimis claro, apud quem ſoror ejus matrimonio juncta habebatur, conſiliis, Lupóque Pernezio, Babociæ præfecto ſibi adſcito, occultatis quantum poterat itineribus, Dravum inter Babocsam & Tamaſſiam cum mille equitibus, ac duobus millibus peditum ſclopetariorum trajecit, ac rectâ adverſùs hoſtes proficiſci maturavit. Arſlanes viſo noſtrorum adventu, ſuas copias, quæ Zrinianis longè numero & viribus ſuperiores, nec tamen pari virtute erant, caſtris eductas in ordinem & aciem compoſuit. Zrinius Tahium præſtantiſſimo equo, quem Ciſarum vocabat, inſidentem, cum priore agmine, quod quadringentis equitibus conſtabat, præire juſſit, ipſe cum ſubſidiaria acie bipartito diviſa, cui à dextro cornu ipſemet præerat, alterum à Pernezio ductabatur, juſtis paſſibus illum ſequutus eſt. Cùm propiùs ventum eſſet, & jam copiæ utrinque congreſſuræ, & manum conſerturæ eſſent, Turcæ præter conſuetudinem ſubitâ & inopinatâ formidine perculſi terga dedêre, tantâ ignaviâ, ut nullo facto certamine, nec ſtrictis gladiis turpiſſimè fugerent, ac relictis caſtris & impedimentis, in diverſum quà quiſque poterat, dilaberentur. Arſlanes fugiens noſtris inſequentibus, adeo equum calcaribus incitavit, ut nimio curſu exanimaretur, & alteri degeneri, quem ſors obtulerat, impoſitus ægrè ſervaretur: noſtríque auratis ejus ephippiis & apparatu potirentur: Multi hoſtium in fuga cæſi captíque. Tentoria Arſlanis & multa caſtrenſis ſuppellex, cum mulis ſarcinariis & mulionibus, retia denique venatoria, & canes venatici, in noſtrorum manus inciderunt, ſic ut potiùs oblectandi ejuſmodi ludicris rebus animi, quàm belli gerendi cauſa domo profectus eſſe cenſeri poſſet. Zrinius & noſtri incruentam adepti victoriam, duo tormenta majora, ac quatuor falcones, quos ille caſtello, quod extruere parabat, imponendos adduxerat, cum pulvere ſulphureo & aliis neceſſariis Sigethum perducta in armamentario collocaverunt, ac incolumi reducto exercitu, feſtos, qui aderant, dies, læti tranſegerunt.

Comes Zrinius hanc acceptam cladem Turcis reddit.

Arſlanes cum ſuis nondum commiſſa pugna, turpi fugæ ſe dat.

Multi hoſtium in fuga cæſi captíque.

1562. At Melchior Balaſſius copias, quæ ad Echedum Antonii Siculi operâ ac induſtriâ paratæ erant, Sacmarium propiùs adducere, & obſeſſis opem ferre contendebat. Sed quum hoſtes æquè ac noſtri rerum neceſſariarum inopiâ premerentur, & pabulum equis deficeret, quod co veris initio, quicquid erat veteris commeatus reliquum, id omne conſumptum eſſet, novæque fruges nondum maturuiſſent, maturo habito conſilio, ne jam ab obſeſſis erumpentibus, quàm ab Echedianis intercepti detrimentum acciperent, relictâ Sacmarii obſidione diſceſſerunt. Et Temeſvarii præfectus Malcocius facto penes Giulam itinere, à Querecenio, & iis qui in eo præſidio erant, levi prælio exceptus eſt; ſic ut eo finito, & fide interpoſitâ, utrinque à concurrente militari juventute haſtæ frangerentur: quo in ludicro pugnæ genere Chriſtophorus Pancratius Gaſparis filius, ſummæ indolis adoleſcens haſtæ cuſpide trajectus, altero die è vivis emigravit. Ibraimus quoque, cùm domum rediſſet, Budæ gravi vigente peſtilentiâ correptus, ac è medio ſublatus eſt, ſuffecto in ejus locum Arslane, de quo paulò ante retulimus. Sed & Malcocius quum è Temeſvarienſi præfectura Quinqueecleſias eſſet tranſlatus, morbo & ſenio confectus, fato ſuo functus eſt, & à militibus cilicio indutis, quod magni apud eos doloris ſignum eſt, ad Hercegovinam ulterioris Boſnæ regionem paterno ſepulchro illatus.

Turca & Tranſilvani à Sacmarii obſidione diſcedunt

Ibraimus peſti extinguitur Arslanes in ejus locum ſubrogatur Malcocius Temeſvarienſis obit, & à militibus cilicio indutis humatur.

Cæſariani ſolutâ obſidione læti & alacres Echedum venientes, ſe cum Melchiore & Antonio conjunxerunt; ita ut combuſtis militaribus inſtrumentis, & equeſtri apparatu, pars infrenes equos funibus ori inſertis regere, & abſque ſellis & ephippiis inſidere, pars ſemiambuſtis caudis & crinibus malè habitos ad manum ducere, aut pedibus incedere conſpicerentur. Hinc demum Balaſſius Sacmarium reverſus eſt, & oppido reſtaurando operam impendit; Zajus verò & alii, ad ſua quique loca & ſtationes redierunt. Digreſſis ducibus, non multò pòſt dura infelicique ſortè intercepto fraude Turcarum Georgio Bebeco, ac ſociis, inſigne detrimentum accepimus. quam rem improſperè nimis & inauſpicato geſtam, poſt quam hoc tempore paucis poſt Secenianam cladem diebus ceciderit, paucis abſolvam.

Geor. Bebecus, Huſſaimi apoſtatæ fraude, cum magna noſtrorum clade capitur.

Erat apud Haſanem Prednvitium, Fileci præfectum quidam Huſſaimus, qui paucis ante annis ad Bebecum tranſfugiens, Chriſtianâ religione initiatus fuerat, eique Franciſcu Turco nomen inditum. Is, ut ſunt fluxa & infida plerumque tranſfugarum ingenia, ruſſus ad Turcarum ſuperſtitionem redierat, & ab Haſane caſtelli Sabateani ad Rimam amnem exædificati præfecturam acceperat, ſcriptiſque ad Bebecum in occulto literis, ſe enormia facti ſui, atque tranſfugii pœnitere, & ſi culpam remitteret, talem viam reperturum ſignificabat, ut intra pauca dies Haſane cum paucis, ad locum quem vellet, deducto, eique tradito, facilè omnis admiſſa culpa aboleri poſſet. Gnarus omnium rerum Haſanes erat, & cuncta conſilia ab eo proficiſcebantur; ſed Bebeco fatali crudelitate implicito, neminem eorum arbitrum, præter Deum immortalem, aut conſcium eſſe perſuaſerat. Igitur communicato cum paucis conſilio, qui omnes ferè ſuſpectum tranſfugæ fidem habere, nec planè ſolis carete prædicabant, ſilvam conſtituit Balogo arci ſubjectam, non procul ab Rima amne diſſitam, 1562. ad quam ille Haſanem injuriæ opportunum deduceret, ac in inſidias præcipitatum, capiendum præberet.

Ad condictum diem locumque prior Haſanes venit, & ſupra eam Turcarum manum, quæ Fileci ſatis valida erat, & recenti victoria de noſtris ad Secenum parta magnam virtutis opinionem acquiſiverat, aliquot equitum & peditum agmina, Peſto, Buda, Nogrado, aliiſque locis accivit: diſpoſitiſque per idonea loca inſidiis Bebecum paratus expectavit. At ille adſcitis in ſocietatem Gaſpare Magocio, qui abdicata Giulæ præfectura, in arce Torna nuper empta habitabat, ac Michaële Sarcoſio, à quo arx Euſtachii Feledii Amaſco utcunque uſurpata tenebatur, ac equitibus Joannis Alaghu è Regecin adjunctis (ipſe enim ſeu vero, ſeu ſimulato morbo impeditus non venerat) facto intempeſtâ nocte itinere, ad ſilvam quam diximus progreſſus eſt. Ubi mox inſidiæ patuere, & multa millia Turcarum à fronte, à tergo, à latere, atque adeo ex omnibus partibus, in Bebecianos acerrimum impetum fecêre: ipſe quidem & reliqui duces, quod ad egregiorum ducum & fortiſſimorum militum officium pertineret, ſuos cohortando, agendoque & pugnando nihil omiſêre: ſed tanta fuit reliquorum militum ſubita & improviſa conſternatio & pavor, ut nemo præter Lupum Vitelenium, veteranum equitem, & paucos alios, haſtam in adverſi hoſtis pectore perfregerit, cæteri ad primum hoſtium conſpectum, nullo anteactæ militiæ atque honoris decoriſque reſpectu, nulla tuendi heri cura ſtudioque fœdiſſimè terga vertere cœperint, ac nullo imperio retineri à fuga potuerint. Georgius Racocius Bebeci legatus, ac Stephanus Buccius, & Georgius Hungonius, dum ſuos fugientes retentant, & Bebeco undique ab hoſtibus circumvento opem ferre conantur, ipſi à Turcarum multitudine circumveniuntur & capiuntur. Multi qui acriùs pugnando reſiſtebant, obtruncantur. Magocius haſta per adverſum pectus adacta lethaliter ſaucius, ac vulnere etiam in caput accepto, in hoſtium poteſtatem incidit. Equus ſub Bebeco aliquot haſtis transfigitur, & cùm alterum conſcendere non poſſet, quòd ii, qui eos ad manum ducebant turpiter diffugiſſent, ab Haſane rogatus, ne infenſæ ſibi fortunæ repugnaret, & potiùs vitæ ſaluique conſuleret, neceſſariam deditionem fecit.

Militum noſtrorũ pavor & fuga.

Unus Sarcoſius ab omnibus Turcis impenſiùs petebatur: erat enim Haſanes ei ſupra omnes alios, plus quàm dici poſſit, infenſiſſimus, & implacabiliter iratus, eò quòd Mehemetem, equitum Peſtanorum præfectum cognomine Longum, ac Haidajerem Solimano à ſecretis, nuper Byzantio ob res quaſdam alios Turcas abs ſe Sarcoſium, interpoſitâ ab eo fide miſſos, deceptoſque intercepiſſet, ac Bebeco pro arce Boldoco vendidiſſet. Is quoque quamquam ſerò agnitus, quòd ob galeam capiti impoſitam internoſci non potuiſſet, inter alios captivos productus fuit. Nec Haſanes contineri potuit, quin iracundia percitus illum conviciis proſciſſum, clava ferrea, repentis ictibus pertunderet, proditoremque & perfidum probroſè appellaret. Eum poſtea variis modis excruciatum, atque crudeliter excarnificatum clam è medio tollendum curavit. Magocius quum ægrè admodum curatus fuiſſet, quòd

Magocius & Bebecus capti.

Sarcoſiũ primum variè excruciatũ Haſanes clam occidit.

Magocius 14.

1562. aureorũ millibus redemptus.

quòd jam affectâ eſſet ætate, & ea ſuſceptis vulneribus non diu victurus crederetur, XIV. millibus aureis dimiſſus eſt, pro quibus Franciſcus Dulcaſius Debraceni oppidi prætor, donec perſolverentur vadem & ſponſorem ſe præbuit. Bebecus eùm aliquot menſibus Fileci detentus eſſet, & Hidajetem ac Mehemetem Longum, alioſque captivos Turcis reſtituiſſet, quod iis reſtitutis ſe libertatem recuperaturum ſperaſſet, poſtremò Byzantium perductus, vanâ & irritâ ſpe ſe lactatum ſerò animadvertit. Racocium & Hangovium binis millibus argenteorum nummûm, quos Talleros vocant, quamquam longè plus extorquere potuiſſet, perſolutis, liberaliter dimiſit; & Bocrium Bebeco dono reddidit; ut eo internuntio ad conjugem & liberos ultro citroque uteretur. Sic & Petrum Pelqueſſum juvenem præclaræ indolis, Magocio pro deaurata una caſſide reſtituit. Nec diu poſt ad præfecturam Poſeganam translatus, Nicolaum quoque Zrinianum qui Sigeto præerat, in eundem ferè modum ad inſidias & dolos elicere tentavit; Thrace quodam captivo, cui nomen Peaco fuit, conſcio & internuntio. Sed apud veteranum ducem, & Turcicæ perfidiæ haud ignarum, ejus artes fraudeſque ſucceſſu caruerunt.

Bebecus Byzantium tranſmiſſus. Haſanes deinde Comitem Zrinium eodem modo in inſidias præcipitãdare fruſtra conatus eſt.

Siculorũ rebellio à Radaco compreſſa eſt.

Sub id tempus Siculi in Tranſilvania Joanni Sigiſmundo rebellarunt, ſive crebritate & magnitudine tributorum gravati, ut ipſi præ ſe ferebant, ſive rerum novarum cupiditate pro more gentis & provinciæ, ſive ut ille credi volebat, Melchiore Balaſſio, & Antonio Siculo populari eorum inſtigantibus, & opem atque auxilia pollicitis. Etiam à Deſpota occultis è Moldavia, qui ſtimularent, miſſis nuntiis, eos incitari atque acui exiſtimabat; is enim ſecundis rebus elatus, maximis, quæ inter eos exortæ ſunt, ſimultatibus, & quæ illi brevi poſt exitio fuerunt, occaſionem dediſſe videbatur; quandoquidem paulò ante literas ad Joannem Sigiſmundum dederat, plenas irarum & contumeliæ, quibus, niſi Cicio, & Quicullo arces ſibi redderentur, quæ à Matthia Rege, principi Moldaviæ Stephano, qui bellicoſus dictus eſt, dono datæ erant, ſe brevi armis repetiturum, & etiamſi eas in penetralibus pectoris recondidiſſet, erepturum arroganter admodum & ſuperbè minabatur. Sed ea Siculorum rebellio, quom à Joanne Sigiſmundo per legatos admoniti eſſent, ut ab armis diſcederent, quæ nullis laceſſiti injuriis ſumpſiſſent, nec illi rectis conſiliis obtemperarent, eum habuit exitum, ut miſſo eum mille prætorianis equitibus, ac totidem peditibus Ladislao Radaco, cum Siculis, quorum jam octo millia convenerant ad ſorum Siculum acie confligeretur. Verùm cum prætorianis ſtipendium eſſet ſolvendum, nec unde acciperetur, exinanito ærario, promptum ſatis eſſet, argento, quod ad quotidianos uſus cælatum habebat, conflato, monetam, quæ extat, cudi, eiſque diſtribui juſſit, quæ ex altera parte glabra erat, alteri verò parti lupus cum ſtella & creſcentis lunæ imagine, privata nempe Zapolianæ familiæ inſignia, cum temporis annotamento inſcripta viſebantur.

Eo prælio victor Radacus, maximam Siculorum partem, quæ nullo ordine, nec ullo certo duce temerè confluxerat, partim cædendo atque inſtando diſſipavit, partim captam in triumphi ſpeciem Tordam ad comitia perduxit; in quibus comitiis de nonnullis, qui ſe duces ſeditioni præbuerant, capitale ſupplicium ſumptum eſt. Princeps tamen Stephano Lazario & Michaëli Cornißio ita ignovit, ut minori pæna contentus, diuturnioribus carceris ærumnis caſtigandos exiſtimaret; ſed & Nicolau Forroni, ac alteri Nicolao Valcano, Siculorum principibus, qui in acie quidem non ſteterant, ſed interceptis literis, participes & conſcii conjurationis publicis ſuffragiis convicti, damnatique erant, difficili exemplo clementiæ nomen quæritans, gratiam impertitus eſt. Poſtquam enim revinctis in tergum manibus à carnifice in publicum producti eſſent, & is lege agere paratus, atrocem ſententiam jamjam exequi properaret, Stephanum Bathorium Somlianum, qui multâ prece pro eis ſupplex laboraverat, in forum miſit, & is de noxa eorum, & læſæ Majeſtatis crimine pauca præfatus, ſolvi eos nomine principis & dimitti juſſit. Conſpirationis hujus haud ignarum aut immunem fuiſſe Gabriëlem Mailatum, Stephani illius, qui fraude captus Byzantii in carcere interierat, filium plerique tradidêre, & principem ambiguo rumore inquirendo abſtinuiſſe, aut illum contempſiſſe.

1562. Capitibus ſeditionis nonnullis ſupplicio affectis. Nonnullis venia à principe impertita.

Mailatus hujus conſpirationis ſuſpectus habetur.

Nec multò poſt comitium frequentius ad Seſpergum Saxonum oppidum, quod ab Ungaris Segeſvarum vocatur, indixit, in quo publicis totius provinciæ decretis, Siculi ob continuas rebelliones libertatem amiſerunt, unâ tantùm ex ſeptem regione excepta, quæ ſe cæterarum inſania conſiliis nequaquam immiſcuerat, eam ipſi Sedem Auream vocant. Cæteræ exædificatis duabus in earum medio arcibus, quibus veluti frenis, & retinaculis continerentur, ad operas & alia præſtanda miniſteria, & pecuniam contribuendam coacti fuêre, quum antea multis retroactis ſæculis ejuſmodi oneribus ſoluti, inſtar Helvetiorum, æquali omnes libertate fruerentur, nec niſi ad equeſtris ordinis duntaxat militiæ munia capitatim cenſerentur. Pro qua quidem ignominia delenda, poſtea quoque variis & cruentis ſeditionibus tumultuatum eſt: quibus modò anceps & incerta libertas recuperata eſt, modò grave cervicibus jugum & vix tolerabilem ſervitutem ſubierunt.

Siculi omnes una excepta Aurea ſede libertate ſpoliantur. Duæque arces iis coercendis extruuntur

Dum hæc ab Cæſarianis & Turcis in Ungaria ac Tranſilvania, alternante belli & victoriæ vices fortunâ geruntur, inſtituta Maximiliani in Regno Bohemiæ coronatio ad XV. Calendas Octobris, incredibili patriæ Ferdinandi lætitia & voluptate ad exoptatum finem perducta eſt. Quam exornavêre juventutis & Nobilitatis Ungaricæ equites circiter quadringenti, armis, viris, equis & ſplendidiſſimo apparatu inſtructi, quibus Joannes Peteo præerat. Sed præ aliis jucundum cæterorum oculis ſpectaculum præbuit, ornatiſſima equeſtris ala Georgii Comitis Zriniani, quem Nicolaus Pater tum primum ex ephebia excedentem eò miſerat, quam octo Cameli, totidem ſervis Æthiopibus ſeſſoribus, claudebant, barbarico cultu & habitu, ac candido, & rotundo capitis è goſſipio tegumento conſpicuis; quos à Mahomete Jahiogle Quinqueeccleſienſis urbis præfecto dono acceperat. Ferdinandus tamen è Bohemia in Germaniam diſceſſurus, equites Ungaros liberaliter habitos & ſtipendiis donatos in patriam remiſit: quum Joanni Peteoni & Simoni Forgacio bona Iſhudiana, quæ circa Caſſoviam paulò ante in fiſcum redacta erant, dono dediſſet. Itum deinde eſt ad finem Octobris Menſis Francofurtum Mæno flumini

Maximiliani in Regem Bohemiæ inauguratio.

Maximilianus

adja-

1562.

Francofurtum contendit.

adjacens oppidum, eligendis Imperatoribus antiquitus dicatum; ad quem locum principes Electores convocandos vocaverat.

Busbequius induciis impetratis Viennam advenit. Relicto Byzant. Alberto Wiſio.

Intereà Angerius Busbequius, qui jam Byzantii octannium ferè tractandæ pacis cauſa tranſegerat, ea certis conditionibus impetrata, Viennam rediit, relicto ibi Alberto de Wiis, qui vicem ordinarii Oratoris fungeretur, is etiam Sapidus vocabatur, eratque patria Amorfortenſis. Adjunxerant ei purpurati ex Solimani voluntate Ibraimum Dragomanum, hoc eſt, interpretem, natione Polonum, nec Germaniæ linguæ ignarum, qui antea Gallici legati Lavinii calumniis loco motus, quum aliquamdiu privatam vitam duxiſſet, Augerio procurante, dignitati officioque fuerat reſtitutus. Obtinuerat etiam Augerius induſtria diligentiaque ſua, qua purpuratorum animos ſibi devinxerat, aulæque artes diuturno ſtudio, & longa ibi manſione ſolerter didicerat, Alvarum Sandæum, Sancium Levam, & Gabriëlem Requeſenium Hiſpanos duces, qui in Meninge inſula, ad Africæ Syrtes à Turcis capti erant, Solimano eos liberalitat gratiſque Ferdinando mittente: quos neque Gallici legati Lavinius, & poſt hunc Salviatus, impenſè pro illis laborantes, liberare potuiſſent.

Ibraim. Dragomanus & nonnulli Hiſpani Duces cum Busbequio veniunt.

Cæterùm is de ſuo & Ibraimi adventu Ferdinandum certiorem reddidit, qui quidem primò conſultius ſibi videri reſpondit, ut Ibraimus & Turcæ Viennæ reditum ſuum expectarent. Sed deinde Augerio annitente, nullumque metum eſſe reſcribente, ſi illi eum ſuo Turcico habitu per florentiſſimam Germaniæ partem ducerentur, ut per illud iter vires & magnitudinem Romani Imperii æſtimarent; tum maximè, cùm videre poſſent, quanto conſenſu ſummorum principum Maximilianus patri ſucceſſor Cæſar deſignaretur, tandem aſſenſus eſt. Itaque ambo Viennâ Pragam, inde Bambergam & Wirceburgum iter inſtituerunt. Quum Augerius per diſpoſitos equos, præeunte Ibraimo, prior Francofurtum veniſſent: ille eum lentiori gradu ſequutus, pridie inaugurationis multo veſpere, & multâ cadente nive, clauſis jam urbis portis advenit, quas toto ſequenti die aperiri vetus conſuetudo prohibebat. Sed Cæſar Turcis, qui diu foris non ſine offenſa expectaverant, portas reſerari mandavit, atque ii, prælucentibus cereis funalibus in urbem intromiſſi, deſtinatis hoſpitiis pro dignitate excepti ſunt.

Ibraim. inaugurationi Maximiliani Francofurtanſi cum Turcis intereſt.

Proſpexit deinde Ibraimus è feneſtris prætereuntes Cæſares Maximilianum inter duos duces Auguſtum Saxonem, ac Albertum Bavarum præcedentem, ac Ferdinandum inter Electores Colonienſem & Moguntinum Archiepiſcopos ponè ſequentem, aliosque duces & principes ſuo quemque ordine ſingulari & magnifica pompa comitantes. Electus eſt Maximilianus in Regem Romanorum XIX. die Menſis Novembris, & à Moguntino coronatus; additumque decretum communibus ſuffragiis, ut decedente patre nullis expectatis comitiis, ab omnibus principibus Cæſar mox appellaretur.

Ibraim. ad Ferdinand. Imp. admiſſus.

Poſt peractam inaugurationem Ibraimus ad Ferdinandum in conſeſſu Electorum, & qui aderant, principum, introductus, penes Turcarum more, Solimani nomine verba fecit: illum pacem octennalem ſuis literis confirmaſſe, ſibique ad Ferdinandum perferendas demandâſſe: illum ad obſervanda pacta promptum, dummodo ab ipſo quoque pari fide obſervantur, quod etiam ut faciat, etiam atque etiam hortari.

Diploma octennarium induciarũ cum muneribus eidem offert.

Exhibuit demum induciarum diploma, Arabicis literis lævigata in charta deſcriptum, aureoque incluſum involucro; privato autem ſuo nomine, duo camelorum paria, & tapetes duos Perſici operis ſericos, duoſque item crateres Onychinos: & Maximiliano duos camelos dono obtulit.

Opobalſamum Cæſari donatum.

Alybaſſa etiam, qui Ruſtano genero ſucceſſerat, purpuratorum princeps per eundem Ibraimum, genuinum eximiæ raritatis & odoris Balſami ſuccum Ferdinando miſit: quo tempore Ægypto præerat, ex ſincero ejus frutice ſtillante collectum. Cui haud diſſimile vaſculo vitreo, paulò tamen majore conditum, Solimani munus erat additum, non ullum majus aut pretioſius ab eo amicis & confæderatis principibus dari ſolitum.

Induciarum exemplum.

Diplomatis ſumma hæc erat, ſicut illud à Joanne Gaudiocin Spiegelo dicto, Ferdinandi interprete linguæ Turcicæ & Arabicæ admodum perito, in Latinum verſum fuit. Induciæ octennales ſunto, " XXX. aureorum nummûm millia quotannis " Conſtantinopolim, earum redimendarum gra- " tiâ, mittantur. Joannes Sigiſmundus in eis " comprehenditor. Nicolao Bathorio & Mel- " chiori Balaſſio, quòd ad Ferdinandum tran- " ſiiſſent, fraudi nequaquam eſto: iique pacis be- " neficio utantur, fruantur: duella tollantor: mi- " ſera plebs & coloni in utramque partem de- " ditiis, gravitate exactionum ne expilantor: " ambæ partes ad eas obſervandas juranto. Ejus demum exemplum antequam remitteretur, ad Nicolaum Olahum Archiepiſcopum Strigonienſem, ſenatûs principem, miſſum in Ungariam eſt, ut quibus conditionibus pax confecta eſſet ſciretur.

Cur pax à Turcis tanti redempta.

Et fuit quidem haud indignum admiratione, Ferdinandum Romanorum Imperatorem ac Regem Ungariæ, qui ante eum ſceptra tenuerunt primum extitiſſe, qui pacis à Turcis in hunc modum pecunia paciſceretur, ejuſque facti nomina in multorum fortaſſis mortalium reprehenſionem inciderit: ſi quis tamen animo diligentiùs metiatur, & potentiſſimorum hoſtium vires, & ingentem copiarum multitudinem tantas toto terrarum orbe victorias, ab omnibus quibuſcum arma contuliſſent, reportatas; tantam inexhauſtarum opum affluentiam, diſciplinæ rigorem, exercitum veteranum, militem exercitatiſſimum, cum ipſius viribus tot tantiſque cladibus affectis toties acerbiſſimè à fortuna mulctatis, dignâ & æquâ lance ponderare velit, veniam principi optimo & prudentiſſimo, uti reor, facilè conceſſurus ſit; qui ſuperiorum cladium Nicopolitanæ, Columbariæ, Varnenſis, poſtremò Mohacianæ, & aliis quæ ſuper alias non ſine totius Chriſtianæ Reipublicæ jactura & pernicie ſequutæ ſunt, recordatione & exemplo, hoſti formidoloſo, & omnia, quacunque incedat, ſternenti, uſque ad meliora tempora, quibus remedio locus ſit, cedendum & evitandæ ruinæ providendum hoc pacto exiſtimaſſet. Porrò Ibraimus brevi pòſt pace à Ferdinando confirmata, ampliſſimis auctus muneribus, pecuniaque & ſericis purpureiſque veſtibus, & loricis militaribus donatus, ad Solimanum fuit remiſſus.

Imper. Francofurto Oenipontem proficiſcitur.

Et Cæſar confectis ex animi ſententia, tam Pragæ, quàm Francofurti rebus, per citeriorem Rheni tractum, in Soeviam & Alſatiam delatus, poſtremò Oenipontem devenit: qua in urbe, quod imbecilla uteretur valetudine, non-

nihil

1563. nihil ſibi quietis ſumpſit: literaſque illinc ad Ungariæ primores, & Nobilitatis conventus dedit, quibus ſibi ſuperſtiti, nec diu poſt hac victuro, ſucceſſorem Maximilianum relinquere, atque ab ipſis declarari velle ſignificabat: quemadmodum ad ipſum Deo benè juvante in Bohemia & Germania ritè perfeciſſet, coronandoque ei XX. diem Menſis Sextilis, qui memoriæ Stephani primi Regis Ungariæ dicatus eſt, præſcribebat: jam tum Palatino vita functo confidentius rem aggreſſurus, quòd neminem qui contrarias partes tueretur, ſupereſſe ſciret. Oenipoote profectus, ſecundo primum amne Oeno, deinde Danubio, in quem ille ad Paſſaviam influit, claſſe vectus, Viennam ad Calendas Julias appulit; præmiſitque Poſonium qui ſolenni inſtruendo apparatui, ſibique in arce, & Maximiliano, ac Reginæ conjugi & liberis in urbe, denuoque Archiepiſcopi Strigonienſis hoſpitiis, rebus neceſſariis curandis, & ponte duplici per Danubium ſternendo providerent.

Imp. ad Cal. Jul. Viennam appulit Anno 1563.

Adventante die conſtituto, nec Ferdinandus, neque filius Maximilianus Poſonii affuêre; quandoquidem copiæ exterarum provinciarum nondum omnes convenerant, & Nobilitas Ungarica ob curruum & impedimentorum multitudinem lentiori gradu iter faciebat. Et die quo novus Rex coronâ decorandus erat, tres accidiſſe caſus rerum curioſi obſervaverant. Nam Maximiliano animi cauſa in Regios Viennæ hortos digreſſo, currus, quo rediens vehebatur, in angiportu quodam, non procul palatio, equis citatiore paſſu incedentibus, ſubverſus; ita ut ipſe excuſſus in cubito pedeque nonnihil læderetur. Mœnia quoque urbis Viennenſis, quamquam novæ & recentis ſtructuræ, ad portam Carinthiacam, qua in Ungariam exitur, longitudine ducentorum aut ampliùs pedum ſubſidentia corruerunt: & Poſonii incendium ortum fuit, quo complures ædes in ærarii vicinia ad collegium uſque ſacerdotum fortuito igne celeriter conflagravêre: quæ pro ingeniorum mobilitate à quibuſdam in prodigium verti videbantur, aliis ut fortuita & inconſulta irridentibus.

Cæterùm Maximilianus cum tribus millibus equitum ex Auſtria, & Bohemis, Moravis, ac Sileſia contractorum, ac duobus millibus peditum Germanorum, ultima die Auguſti Poſonium venit, Ferdinando & Carolo fratribus, aliiſque ducibus & principibus multis comitatus, cui proceres Pannoniæ Danubio per pontem ſuperato in campum, qui Poſonium inter & Copcinium jacet, obviam prodiêre, ducente ac in aciem diſponente copias omnes Nicolao Comite Zriniano, cui id muneris omnium ſuffragiis erat demandatum, ſic ut ala Petri Erdodii Illyrici proregis, ab antiquæ conſuetudinis prærogativa, cæteras præcederet. Erat equitatus circiter trium millium armatorum, quo nihil pulchriùs, nihil ornatiùs, ſplendidiùſque videre erat. Nemo enim ferè erat, qui non equo præſtanti, ac phaleris auro & argento gemmiſque exornato veheretur, ac gladiis, haſtis, & armis deauratis, non ad ornatum duntaxat; ſed ad oſtentationem & luxum comptus prodiret. Seriò autem erat cautum, ne quiſquam è finibus, qui erant Turcis propinquiores, ad hæc comitia ſe conferret, ne ſcilicet finitimæ arces ſuis præſidiis nudarentur. Et ſanè multis qui res integras & florentes meminiſſent, comparatione veterum, paucitas & ſolitudo viſa, quum olim in hujuſmodi pompis, ad octoginta & ampliùs millia armatorum, egregiè inſtructa, vel poſtremò, in Ludovici infantis coronatione numerari potuiſſe affirmarent. Exceptus is brevi oratione à Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſi, qualis loco & tempore conveniebat, quæ adhuc extat: cui nomine Maximiliani à Georgio Logo Epiſcopo Uratiſlavienſi, accommodatis verbis reſponſum eſt. Deinde in urbem deductum eſt, ubi cùm Danubium tranſiiſſent, exercitum explicatis ſignis, & inſtructis ordinibus ſtantem perluſtravit, ac impenſiùs laudavit: Ungarique ultra urbem in campo inter vineta & Danubium conſedêre ſub tentoriis: Germanis autem in ſuburbana inſula, quæ continenti facto ponte jungebatur, contuberniorum loca diſtributa ſunt, in qua in æſtivia inter fructiferas arbores, quarum ea plena eſt, agitarent: idque ad cavendas rixas & diſſidia, quæ ſi utraque caſtra propiùs, aut eodem loco metarentur, inter diverſas linguâ & moribus nationes haud dubiè metuebantur.

Maximilianus Poſonium ad coronationem, cum inſigni comitatu contendit.

Hungarorum pompa ac ſplendor.

Octoginta millia armatorum plerumque in coronationibus numerata.

Exceptus fuit brevi oratione ab Olaho, cui reſponſum à Logo Epiſcopo Uratiſlavienſi.

Poſtridiè Ferdinandus, ne venire cunctaretur, miſſis publico nomine Joanne Peteonâ, ac Franciſco Zajo admonitus, ſecundo Danubio Calendis Septembris claſſe delatus eſt: quod ita tenuis valetudo, & diuturnis febribus affectæ vires poſtularent, ac prodeuntibus in occurſum ejus uſque ad ripam Danubii iiſdem copiis, eodem cultu & ornatu fulgentibus, curruum, qui ad ripam expectaverat, conſcendit, ac in arcem vectus eſt: priùs tamen benignè audità, quâ ab eodem Archiepiſcopo Strigonienſe ſalutabatur, oratione, ad quam Sigiſmundus Seldius Romani imperii Vicecancellarius, nomine ejus ita reſpondit, ut gratiſſimum ei Ungarorum ſtudium, & promptam voluntatem, paucis verbis teſtaretur. Sequenti die, qui poſt Calendas illuxit, in arcis atrio duo tribunalia erecta, aureoque panno conſtrata fuêre, quorum alterum peracto ſacro Cæſar, alterum, quod ad dextrum latus erat, Maximilianus conſcendit; ac Cæſaris nomine idem Seldius ad proceres verba fecit; Cæſarem eorum præſentiæ ac frequentiæ benignè congratulari, & offerre ſcriptum, ex quo mentem ſuam ubertiùs ſint intellecturi; hortari autem, ut priuſquam ad alia tractanda veniatur, in coronando Maximiliano filio, voto & deſiderio ejus ſeſe faciles & benevolos oſtendere velint.

Ferdin. Imper. Poſonium claſſe devehitur.

Seldii oratiuncula.

Dimiſſa concione, aliquot dies variis diſputationibus & contentione extracti fuêre: major ſiquidem pars nobilitatis, Palatinum eligi poſtulabat, ſine quo coronationem neque peragi poſſe, neque ſatis firmam eſſe putabat. Submoveri etiam Germanos præfecturis contendebant; pars verò, qui principum poſtulata, ſive honeſta ſint, ſive inhoneſta, æquè amplectuntur, id contra, non eſſe nimis neceſſarium dicebant: quum ex annalibus conſtare ferrent, ſæpènumero abſente Palatino coronationem peractam; nec illum ad alia requiri, quàm ſi Regia ſobole deficiente, alius Rex eſſet deligendus; eo tempore comitiis promulgandis eum præeſſe, & prima eligendo Principi ſuffragia habere certum eſſet: de Germanis amovendis poſſe etiam poſt coronationem ſtatui. Cæterùm poſt longam diſceptationem convenêre, ut ea ſolitis ritibus perageretur

Hungarorum poſtulata.

Igitur

1563. *Regia inſignia à quibus prolata.*

Igitur adornatis in theatri ſpeciem ſpectandi luris, octavâ die Menſis Septembris, Ferdinando patre ac fratribus, duobuſque Maximiliani filiis Rudolpho & Erneſto ſpectantibus, Rex in templum acceſſit: & Franciſcus Battianius, gravi aſpectu, & venerandâ canitie ſenex, loco Palatini, cui hoc ex officio debetur, coronam prætulit, Andreas Bathorius ſceptrum, (quamquam is ſellâ geſtaretur) Zrinius aureum globum cruce præfixâ ornatum, Gabriël Perenius retondiium vagina Divi Stephani Regis enſem. Hos autem præcedebat cum vexillo Regni Ungariæ Nicolaus Bathorius; cæteri verò cum aliorum regnorum, quæ ad jus Ungaricum ſpectabant, vexillis, pari ferè paſſu ſequebantur: ita ut Georgius Zrinius, Nicolai filius Dalmatiæ, Ladislaus Banffius Croatiæ, Stephanus Dobo Sclavoniæ, Ladislaus Queregenius Serviæ, Nicolaus Comes Frangepanus cognomento Terſaccius Boſnæ, & Matthæus Queglevitius Bulgariæ ſigna explicata, ac ſuis coloribus delineata geſtarent. Corona quidem ac ſceptrum, cæteraque ad altare poſita ſunt, cui Archiepiſcopus Strigonienſis cum antiſtitibus aſtabat. Sed vexilliferi, ac magiſter, ut noſtri vocant, Agaſonum Franciſcus Tahius, cum nudato enſe novum Regem circumſtabant.

Coronationis ritus.

Ubi autem inter Pontificiarum ceremoniarum ritus eò ventum eſſet, ut capiti Regio corona eſſet imponenda, Battianius loco Palatini altâ voce ter repetitâ, nobilitatem ac proceres patria lingua rogavit, vellent juberent ne Maximilianum Regem coronari? quum ſe velle jubere acclamaſſent; tum demum diadema illi eſt impoſitum: & ſequutus è veſtigio hilaris & lætus omnium applauſus, ſimul in templo hymnorum cantus, ac tubarum & tympanorum ſtrepitus: foris verò per urbem ac propugnacula ingens tormentorum majorum, minorumque fragor auditus.

Inde pedibus itum eſt ad templum ſodalium Franciſcanorum, Rege coronam capite geſtante, ac gladio Divi Stephani accincto, præeuntibuſque ordine vexillis, aliiſque ducibus & principibus, ac univerſa procerum & nobilitatis caterva. Per vias autem & plateas, rubeo obducta panno, duo quæſtores obequitantes ſubſequebantur, qui certis intervallis ad dimovendam, quæ denſiſſima circumſtabat, turbam, effuſè in populum auream & argenteam monetam, nomine coronati Regis recens ſignatam ſpargebant, quæ unà cum panno à circumfuſa multitudine non ſine ſpectantium riſu & lætitia celeriter direpta eſt. In Franciſcanorum templo editiore in loco podium gradibus exculſum, aulæiſque ſtratum, erectum erat, in quo ſedens haud paucos milites & præfectos equeſtri dignitate, humeris de more gladio leviter percuſſis ornavit: inter quos Georgius Thurius, Antonius Siculus, Ladislaus Giulaffius, Nicolaus Heneius, multique alii fuêre.

Equites à novo Rege creati.

Inde conſcenſo equo, vexillis ac nudato enſe præcedentibus, extra portam Divi Michaëlis Orientalem ad tabulatum, ſuperædificatis ſuggeſtibus præparatum, venit, ibique ad ſervandas Regni immunitates, ac libertates, atque adeò inviolabile Andreæ Regis decretum, prælegente Archiepiſcopo, ſolenne jusjurandum præſtitit: rurſumque tubæ & tympana concrepuêre, & multus tormentorum fragor, & fauſtæ precantium voces & acclamationes repetitæ. 1563.

Solenne Regis jusjurandum.

Poſtea ſecus mœnia ad ripam Danubii itum, ubi collis imitatione illius, qui Albæ extra urbem in campo viſitur, manu factus erat, quem citato equo conſcendit, eoque circumagitato, enſem ſtrictum ad quatuor cæli plagas vibravit: innuere volens, ſe Regnum omni ex parte adverſus hoſtem defenſurum.

Enſis diſtrictus ad IV. cæli plagas ab eodem vibratus.

Quibus peractis ad portam flumentanam, quæ ab æde vicina Divi Martini nomen habet, in urbem ad domum Archiepiſcopi reditum eſt; ibique Rex ſingulis regni inſignibus in oblonga menſa collocatis, prandium ſumpſit, cui aſſedêre Ferdinandus & Carolus fratres, ac Michaël Cuenus Salisburgenſis, & qui eum coronavit Strigonienſis Archiepiſcopi: Epulas menſis intulêre nobiles Ungari adoleſcentes, quos Stephanus Banffius cum eburneo auratoque ſcipione præcedebat, qui eo tempore Dapiferorum magiſtratum gerebat. A poculis autem miniſtrabat Balthaſar Batthianus, Chriſtophori patria, qui importuno morbo impeditus aberat, vices & munia ſuſtinens.

Epulum Regium.

Sequenti die coronata eſt Maria Regina, ſic ut propriâ coronâ caput ornaretur: Ungarica verò vetus humero ejus dextro imponeretur, tanquam in ferendo adminiſtrandi Regni onere, Regi marito auxiliatricæ. Quo ritu peracto, epulatum eſt iiſdem Archiepiſcopis ſimul diſcumbentibus, ac duabus filiabus Anna, & Eliſabetha, præſtantiſſimæ formæ virginibus. Dum hæc agerentur, Cæſar valetudinarius in ædibus antiſtitis Poſonienſis, templo majori contiguis, pranſus eſt, ac deinde à filiis & ducibus & proceribus in arcem deductus.

Sequenti die Maria Regina coronata.

Ludi poſtea & concurſus equeſtres, ac ſimulacra pugnarum & oppugnationum edita: quumque orbis ſimulachrum qui intus erant, ab obſidentium vi acriter tuerentur, negligentiâque defenſorum tormentarius pulvis ignem ſubitò concepiſſet, quòd illud ex tabellatis totum conſtaret, puncto temporis totum conflagravit, multique ibidem ambuſti interierunt; & inter cæteros, qui ludicræ ejus oppugnationis auctor artifexque fuerat: animadverſo periculo ſeſe à tabulatis demiſêre præcipites, ita ut fractis aut luxatis membris miſerè interirent, partim ope medicorum curati, tamen graviter claudicarent. Per hunc modum Maximilianus non toto vertente anno, trium Regnorum gubernacula & coronas, rarâ felicitate & ſingulari gloriâ eſt conſequutus. Inter hæc Georgius Thurius, & Ladislaus Giulaffius infeſtis haſtis concurrerunt; Verùm Cæſar, ne per ſpeciem ludicri congreſſus ſeriò graviterque ſauciarentur, miſſis nuntiis, ut incepto deſiſterent, mandavit.

Decurſiones equeſtres.

Poſt ejuſmodi ſpectaculorum finem tractari publica negotia cepêre, frendente nobilitate, & de iis, ut poſtulaverat, primùm & ante omnia fuiſſe accuratiùs conſultandum dicente, jam præpoſtera eſſe quæcunque conſilia, & ſibi verba, ut hactenus ſemper, dari. Maximè tumultuatum eſt de Germanis præfectis, quorum inſolentia per ſe gravis, adeò indies toleratu difficilior reddebatur, ut plerique Ungaris, ſi ſe ferre non poſſent, in Scythiam, unde orti eſſent redeundum eſſe ſuperbè & arroganter dictitarent. Sed Cæſar uti antea ſæpè, ut meliori animo eſſe vellent, hortari; illorum compeſcendorum aut tollendorum curam polliceri, nec tamen remoti; quin auxêre contumelias.

Comitia multâ contentione turbida.

1563. auxêre contumelias. Fuêre comitia multâ contentione turbida & diuturna; adeò ut à feriali menſe vix ad dimidium Novembrem finem acciperent.

Rudolphus ac Ernestus Principes in Hiſpaniam navigant.

Quibus tandem finitis Rudolphus & Erneſtus de avi & patris voluntate, ſuſcepto itinere & ora Liguriæ, ad Philippum Hiſpaniæ Regem, avunculum felicibus auſpiciis navigarunt. Antequam diſceſſiſſent, Melchior Robles cognomine Pereira, natione Hiſpanus, Mariæ Reginæ collactaneus, vir militaris, contra comitiorum immunitatem capitale auſus facinus eſt.

Melchior Robles Peteonem fuſte percutit, atque equo pernici aufugit.

Joannem ſiquidem Peteonem Comaronii præfectum, cum quo privatas ſimultates Caſſoviæ contractas exercebat, equo ſibi in foro obvium factum, ipſe quoque eques, fuſte ſub veſte occultato, ſupra dextram aurem percuſſit atque cruentavit, ac pernici uſus equo, in tutum velociter aufugit: ac poſt varios errores & latebras (nam ſevero Cæſaris Edicto retrahendus ubique quærebatur) in Italiam ſe recepit, & illinc Peteoni reſcripſit, ſe ſui facti rationem nequaquam pro civili tribunali redditurum, ſed cùm ipſe militum tribunus ſit, ac mutua illa controverſia non niſi militari jure decidenda videatur, ſe intra ſemeſtre ſpatium Mediolani expectaturum ejus literas, quibus ipſe ut reus, ab eo, ut actore, ad ſingulare duellum provocetur; quod ipſe cum eo inire nequaquam ſit recuſaturus. Sed cùm à Cæſare pro gravi eo facinore, die dictâ citatus non comparuiſſet, ordinariis Romani juris legibus damnatus proſcriptúſque fuit: nec multo pòſt in acerrima Melitenſis inſulæ obſidione fortiter pugnans à Turcis eſt interfectus.

Querela de Antonio Siculo in iuriis & rapinis.

Cæterùm in iiſdem comitiis, quinque Regionum, quæ ultra citraque Tibiſcum ſunt, ſive provinciarum nobilitas publicam querelam inſtituit adversùs Antonium Siculum, de variis injuriis & rapinis in ea exercitis, quas ille ita diluebat, ut partim negaret, partim tunc intuliſſe diceret, quum nobiles ad Tranſilvanos, deſerto Ferdinandi Cæſaris obſequio deſciviſſent. Cæſar, ne quem citra legem condemnaret, controverſiam legibus terminari juſſerat, & Antonio juſſu Maximiliani patronus aderat Blaſius Jovius fiſci advocatus, non ſine adverſariarum partium graviuſcula. Sed cùm cauſa ardua difficiliſque eſſet, cum pleriſque aliis ad alia comitia dilata eſt. Exteri quoque nonnulli in Ungaros fuêre recepti, ut Scipio Comes ab Arco, poſt Martini Guſmani in patriam Hiſpaniam reditum, Cæſaris cubiculo præpoſitus, cum aliis, quorum nomina in actis comitialibus annotata ſunt; ac Ecchius Comes Salmenſis, quo uno nemo unquam exterorum hominum noſtrâ ætate illuſtri fide conteſtatâque virtute magis emicuit, nemo Ungaros majoribus amoris & liberalitatis officiis proſequutus eſt; ita ut eos nunquam ſui ſecundiſſimi erga eum ſtudii pœnituerit.

Res Moldavicæ.

Hiſdem diebus, quibus Maximiliani coronatio & comitia variis contentionibus agitabantur, Deſpotes in Moldavia à ſuis in arce Suchava obſidione circumvallatus, extremo in diſcrimine verſabatur: ideó que Valentinum Præpoſtuarium Ungarum, ad Cæſarem & Maximilianum, per expeditos equos miſerat, opémque & auxilium eorum implorabat.

Deſpota à ſuis in arce Suchava obſeſſus,

Dederat etiam ei in mandatis, Franciſcum Zajum, & Antonium Siculum conveniret, ſuóque nomine hortaretur, ut copias cogere, & ſibi laboranti ſuccurrere non prætermitterent: nunquam ſe ejus beneficii memoriam depoſiturum, omnémque daturum operam, ut quemadmodum pro navata antea opera fructum uberrimum abs ſe percepiſſent, ita nunc longè ampliora & magnificentiora munera cumulatiſſimè accepturi eſſent. Facilem ſolvendæ obſidioni viam inveniri poſſe, quòd hoſtes nullâ diſciplinâ, aut ducum peritiâ valerent; ſed ex incondita multitudine confluxiſſent, futurumque dubio procul, ut ipſi cum aliquanta militum manu ſe in conſpectum dent, obſeſſique ex arce confuſos & inordinatos factâ eruptione invadant, ſtatim terga darent, & quà quiſque poſſet, palantes profugerent.

1563. Ferdin. Imp. opē implorat ut Zaius & Siculus ſibi opitulentur.

Nec deerat Cæſari & Maximiliano animus ſubveniendi, quibus ille perpetuam fidem & obſequium ſupplex offerebat, tam ad illius preces & obteſtationes inclinatis, quàm tuendo veteris clientelæ patrocinio, quod Reges Pannoniæ in ea provincia haud ambiguum habent, nec Antonius operam ſuam detrectare videbatur, niſi longinquitas itineris & copiæ militares nequaquam in promptu, magnæque pecuniæ inopia, bellorum ſcilicet nervi, cujus immenſa vis ad ternas coronationes conſumpta erat, votis & deſideriis eorum obſtitiſſent, & quod caput erat, interea donec ab iis conſilia & rationes ſuſcipiendi belli explicarentur, jam in Moldavia cum Deſpota debellatum fuiſſet. In Tranſilvano vicino & paratas copias ſemper habente, nullam ponere ſpem poterat, quòd eum antea tam verbis, quàm literis contumelioſè appellatum graviter offendiſſet, Lupúmque Pecium ſeu Cocoum Quinqueeccleſienſem, Cæſaris ad ſe internonium, qui per Tranſilvaniam tranſeundo iter feciſſet, diſſimulanter captum Conſtantinopolim miſiſſet non aliam ob cauſam, quàm quòd illum apud Solimanum calumniari atque inviſum reddere poſſet.

Simultates inter Laſcum & Deſpotam.

Inter ipſum quoque & Albertum Laſcum hoſtiles ſimultates & graviſſimæ inimicitiæ interceſſerant, quibus factum poſtea fuit, ut eum indignatione plenum abs ſe dimitteret, & is, ut antea, ei regnum invadenti omnibus copiis & viribus præſto affuiſſet: ita ad eum exturbandum, ac provinciam Demetrio Viſnovecio duci Roxolano, Leopoli in Ruſſia degenti adſerendam, mentem atque animum adjeciſſe videretur. Qui quidem Demetrius quas ob cauſas hoſtem ſe declaraverit, quum antea miſſis literis & nuntiis amicus & cognatus haberi cuperet, non ſatis conſtat, niſi ſe digniorem imperio, quàm Deſpotam exiſtimaſſe cenſeatur.

Deſpota Huniniā arcem Laſco eripit.

Exardeſcente bello Deſpota obviàm profectus, Huniniam arcem versùs duxit exercitum, quam antea Laſco datam, ejus nomine Piaſoccius obtinebat. Is in itinere occurrens arcem ſe redditurum, Laſci juſſu retulit; dummodo ſibi ſalvis rebus diſcedere liceret. Quo impetrato, ac traditâ arce receſſit. Et cùm hoſtes majores animos, quàm vires ad rem gerendam attuliſſent, Laſciuſque & Demetrius in oppido Podoliæ Caminecio aliquamdiu hæſiſſent, quòd Deſpotes nihil auſuros eos ob paucitatem exiſtimaret, vel quòd ſpes pacis aliqua affulſiſſet, poſt unum aut alterum menſem reduxit exercitum, & ad inferiorem provinciæ oram, quà Iſtro flumine alluitur, perluſtrandam, primò Galaciam, deinde Reghenum oppida venit, quæ à mercatoribus Græcis ut plurimum

inco-

1563. incoluntur, iiſque perluſtratis, ad veris initium Suchavam reverſus eſt.

Cauſæ, quibus ſubditorum animi à Deſpota averſi.

Alienaverat ſubditorum animos gravibus & intolerandis exactionibus, quibus ſupra conſueta tributorum onera, cùm avaritia quæſtorum, tum ob inopiam ærarii affligebantur, etiam imperato ſeverè in ſingulas domos aureo nummo: & immanitate ſuppliciorum, quibus in delinquentes implacabili ſeveritate puniendos utebatur: tum verò in eos, qui Chriſtiano ritu, unico matrimonio nequaquam contenti, aliquot uxores ducere, eaſdemque levibus de cauſis repudiare, & aliam ſuperinducere conſueverant: eumque abuſum adeo pro lege uſurpaverant, ut etiam uxor, tertia parte nummi aurei ſoluta, liberam à marito divertendi poteſtatem haberet. Quod Deſpota, conſilio uſus Joannis Luſcinii, quem Epiſcopum deſignaverat, hujuſque rei reformandæ cauſa è Polonia ad ſe vocaverat, gravi ſeveroque edicto prohibuerat: ac complures ex iis, qui prævaricatæ legis convicti eſſent, extremo ſupplicio afficiendos curaverat; ita ut unâ die ſex vel ſeptem abſciſſis cervicibus jacere conſpicerentur. Accedebat ad hæc omnia religionis Græcæ, quam Valachi profitentur, non ſatis accurata obſervatio, quum ipſe facilè eam negligere videretur, id quod ipſi pro contemptu interpretabantur: quandoquidem rarò eorum ritu templa viſere, multum cum diverſæ religionis hominibus verſari; & in oppido Cottavaro, quod Ungari & Saxones incolunt, gymnaſium & bibliothecam erexerat: quo ſuſpecti dogmatis homines è Germania & Polonia conſtitutis ſtipendiis evocaverat. Supra hæc candelabrum Alexandri, ſacris uſibus dicatum, atque ab eo ad cudendam monetam conflatum, & quòd eum magna provincialium pars genus ſuum in Deſpotas & Heraclidas ac Conſtantinopolitanorum Imperatorum ſtemmata falſo retuliſſe cognoviſſent, magnam apud omnes ei invidiam conflabat.

Erat etiam rebus ex animi ſententia aliquandiu fluentibus, animo tam elato, ut nihil humile aut demiſſum cogitaret, uſque adeo ut Tranſalpinam Valachiam, cui Mircea imperitabat, cuidam Demetrio Bulgaro, aſſeclæ ſuo, deſtinaret, & Tranſilvaniam ſibi propediem occupandam, ſummâ ingenii vanitate, proponeret: & duas coronas aureas clam fabrefactas ſibique cœlo delapſas, quibus regia dignitas divinitùs portenderetur, deceptis miro aſtu barbaris, confingere non dubitaret. Et quum Joannes Sigiſmundus Coronæ gravi morbo implicitus laboraret, ut incerta de ejus ſalute ſpes eſſet, ac à multis pro mortuo haberetur, coactis celeriter copiis ad Alpes Arroſias, quæ Tranſilvaniam à Moldavia dividunt, ire maturavit: ratus illo vitâ functo Civitates liberas ei portas haudquaquam clauſuras. Sed quum in oppido Tatroſſo, quod ad ulteriores earum Alpium radices ſitum eſt, illum convaluiſſe intellexiſſet, retroceſſit, domumque ſe recepit. Quibus vitæ morumque corruptelis apud quoſvis ſe inviſum atque exoſum meritò reddiderat.

Complura agreſtium millia exactio-

Jam agebatur ſexageſimus tertius poſt mille & quingentos à partu virginis annus, ipſius autem principatûs ſecundus atque idem ultimus, quum ad arcem Hutiniam exercitum luſtraturus acceſſit, & multa agreſtium millia, eum cum paucis in campo equitantem circumſtetêre, importuniſque clamoribus, ut inuſitato aurei illius nummi ſolvendi onere levarentur, urgere cœperunt. Ejus intolerandæ penſionis Bernovium equitum, & Mociocum, Aulæ magiſtros, ac duos quoſdam Uladicas, (quo nomine ipſi Epiſcopos appellant) eſſe auctores: quos ſi à ſe impetrari pateretur, ut ad ſupplicium ipſis traderentur, tum ſe haud gravatim imperata facturos: eos enim Alexandro quoque ad omnem crudelitatem exercitandam hortatores extitiſſe, nec illos ſuis ſceleribus finem aut modum ullum facturos, niſi ipſe vitæ eorum finem facere maturet. Tandem vix multis verbis placatâ multitudine, brevi ſe, quod optarent effecturum pollicitus eſt; ita ut de illis exquiſitiſſimo ſupplicii genere tollendis, nullum eis dubium reliquum eſſe poſſet. Quæ quidem imprudenter ac temerè dicta, haud dubiam ei perniciem peperêre; Bernovius ſiquidem agreſtium votis & poſtulationibus intellectis, facere aliquid, quàm pati ſatiùs eſſe judicans, communicato cum cæteris ſociis conſilio, ſeditionis auctor ac concitator eſſe voluit: ac primum omnium Joann. Luſcinium veneno ſuſtulit, quem conſiliorum Deſpotæ arbitrum eſſe ſciebat, iſque in Foro Jazygum tumulatus eſt: deinde ad cætera ſummo quo potuit ſilentio conficienda, parandoſque nefarii ſceleris participes animum adjecit.

1563.
nis aurei illius nummi levatione petunt.

Ejuſque tributi auctores ad ſupplicium ſibi tradi volunt.

Bernovius ſupplicii metu, cum aliis conjurationis ſocius à Deſpota deficit, &

Quæ quum fierent, Deſpotes conjugem è Polonia, Martini Sboronii clariſſimi viri filiam ſibi deſignavit, eamque à patre impetravit, ratus eâ affinitate res ſuas, reducto in gratiam etiam Laſco, ſtabiliturum. Sed Valachi ſponſam externis ritibus atque religioni deditam (ſicuti omnes alios Romanæ religionis homines, quos Græcorum more Latinos contemptim vocare ſolent) haud leviter aſpernabantur. Ad harum nuptiarum pompam & convivia, quum provincialibus non ſolum pecunia in ſingula capita: ſed etiam commeatus omnis generis, farinæque & piſcium, atque eduliorum omnium ingens copia eſſet imperata, eo magis odium atque invidiam amplificavit: ita ut Bernovius & alii conjurati, antequam nuptiæ celebrari, ac inita cum Polonis affinitas confirmari poſſet, agendo atque audendo quod animo propoſuerant, perficiendum deliberarent. Cujus exequendæ, circumvento fraude & dolis Deſpota, à conjuratis talis reperta occaſio fuit.

Luſcinii Epiſcopi veneno tollit.

Deſpota Sboronii filiam ſibi deſpondet.

Ultra Tyram flumen, quem hodie Neſtrum vocant, qui ſub Alba in Iſtrum illabitur, regionem Tartari incolunt, ex qua ſæpè in Moldaviam crudeles, pro barbarorum inſita feritate, excurſiones facere ſolent. Igitur brevi adfuêre Valachi, qui trepidè Tartaros trajecto flumine obvia quæque urere & populari falſo nuntiarent, maturaque ſubſidia equitum poſtularent. At Deſpotes, tametſi, ut procerum inſidias caveret, à multis & præcipuè Lupo quodam Saxone cudendæ monetæ præpoſito, linguæque Valachicæ perito admonitus, tamen adulatione conjuratorum quotidie ſecurior redditus, ſuadentibus, ut contra hoſtes, majorem copiarum partem mitteret, fatali credulitate obtemperavit; ſeque ſelectiſſimo prætorianorum numero nudari paſſus, ex eis CCCL. equites Ungaros, ac L. Thraces, cum aliquot millibus Valachorum miſit: quibus additi aliquot Germani pedites, ac magiſtri tormentorum, iiſque omni-

Rebellium Stratagema, quo Tartarorum excurſionem imminere falſo nuntiant

1563. omnibus juſſum, ut Eliæ Tormani, & Stephani Tomſæ, qui ſceleris erant conſcii, imperio parerent. Cum ad Neſtrum flumen perveniſſent, nullus in conſpectu hoſtis, nulla actæ prædæ veſtigia, ſed altum ſilentium, & quieta ubique omnia. Igitur Ungaris & Thracibus ſollicitis & ſuſpectantibus conjurati, Tartarorum id eſſe ſtratagema, ut ſi ipſos dilapſos viderint, ſecuriùs excurrant, magiſque fallere poſſint, reſpondent; ſimúlque Ungaros ad pagum flumini vicinum divertere, ſeque & equos curare jubent, Thracibus aliam haud procul villam deſignant, in quâ hoſpitentur. Mox totam ferè noctem variis agitatis conſiliis traducunt, poſtea domunculam quandam in pago ſuccendunt, quòd erat ſignum prætorianos ferro aggrediendi, ut his tanquam patriæ hoſtibus deletis, opprimendo Principi major occaſio pararetur. Nec Valachi in exequendo truci imperio ſegnes ſe præbuêre: neque ii duntaxat, qui eum illis tanquam ſociis venerant, ſed etiam ii, qui eâ nocte per varios nuntios concitati arma ſumpſerant, ſeque conjuratis aggregaverant. Itaque tametſi prætoriani repentinâ circumventi fraude aliquot horis pertinaciter dimicâſſent, multíque etiam ex Valachis cecidiſſent, ad extremum à multitudine ſuperati, ſeſe in hortum quendam ſepibus & materia protectum recepêre. Ubi cum eadem pertinacia diutiùs pugnâſſent, tandem Dormano & Tomſa jubentibus, tormentorum pilis in eos directis, ad unum omnes occubuêre, non incruentam Valachis victoriam relinquentes. Et quum Germani tormentis præpoſiti in ſociorum perniciem vibrare pilas recuſarent, cæſi fuêre; uno Chriſtophoro ſervato, abſque quo ipſi rudes & tormentarii negotii imperiti ea exercere neſciviſſent. Thraces animadverſo Ungarorum diſcrimine, partim tranſnatato Neſtro, ſe ſervavêre, partim qui fugâ ſibi conſulere non poterant, Valachorum ſævitiâ periêrunt.

Prætoriani equites Ungari à Valachis perfidè obtruncati.

Unà cum Germanico peditatu.

Thraces partim cæſi, partim fuga elapſi.

Ea die, quâ hæc fraude pluſquam Punicâ patrata fuêre, Dormanus convocatis undiquaque Bojeriis, ad provinciam à tyrannide vindicandam (ſic eos ad arma ſumenda concitabant) Deſpotem in arce Suchava obſidione incluſum cinxit; Tomſa verò eodem tempore ad loca, quæ præſidiis Deſpotæ tenebantur, qua vi, qua dolo occupanda profectus, arcem Nemethiam, cui Joachimus Prudentius Sileſius, è Glogovia celebri civitate oriundus, veteranus Deſpotæ in omni fortuna comes, ideóque ei chariſſimus præerat, (ſed tunc fortè abſens erat) nihil fraudis ſuſpectantibus præſidiariis, ingreſſus eſt, paucíſque, qui intus erant, Germanis exemplo trucidatis occupavit. Prudentius conſilii inops, ac tam amiſſæ arcis dolore, quàm indigno Deſpotæ infortunio perculſus Sochavam verſùs cum quatuor vel quinque ſociis contendit, ac per medium hoſtilium caſtrorum, magno ſublato clamore, multis Valachorum fruſtra inſectantibus, in obſeſſam arcem incolumis receptus fuit. Tomſa paulò pòſt in caſtra venit, atque arx duriùs obſideri cœpta. Deſpotes, quòd aperta in campis cum perduellibus manum conſerere non poſſet, id quod unum ſupererat ſeſe mœnibus arcis tueri conſtituit, ac maximo ex omnibus tormento diſploſo ſuis ſignum conveniendi dedit. Nec ſpem adhuc auxiliorum abjecerat omnem; quippe qui Sborovium ſocerum ſuum cum Laſco reconciliandæ pacis conditiones tractare, & auxilia allaturum, ac ut ingenia hominum expectatione bonorum nunquam deſperatiſſima eſſe ſolent, nec Zajum ac Antonium ſibi laboranti defuturos confidebat: obſidionémque tam diu tolerari poſſe, quoad ſperata auxilia advenirent, nequaquam dubitare videbatur. 1563.

Dormanus Deſpotam Suchavæ in arce obſidet.

Tomſa arcem Nemethium occupat.

Habebat ſecum milites egregios DCLVI. quorum major pars ex Ungaris conſtabat: & equitibus Martinus Farcaſſius, peditibus Petrus Devanus, quem ab Antonio ei commendatum retulimus, præerant. Huic treceni pedites Ungari, ſub Thoma Sclabaniano, Stephano Croato, ac Gregorio Girokhio centurionibus parebant, reliquæ cohortes ex variis gentibus, Italis, Germanis, Græcis, Polonis Turcíſque collectæ erant, paucis intermiſtis Valachis. Rebus Deſpotæ ad obſidionis pericula adductis, & ipſo improviſis veluti adverſæ fortunæ fluctibus & tempeſtatibus obruto, ii quòque quos paſſim in provincia, ejus gratia aliquando valuiſſe conſtabat, aut qui ei modò favere exiſtimabantur, tum variarum rerum artifices, quorum plerique Itali erant, aut Germani, exquiſitiſſimis ſuppliciis è medio tollebantur: tantâ feritatis immanitate, ut neque mulierculis, neque innocentibus pueris parceretur. In eadem rerum confuſione Georgius Revelles Viennenſis, de quo ſupra retulimus, vetus Alexandri, exulis cliens, & nunc Deſpotæ quæſtor, dum ad Iſtri ripas, neſcius rebellionis, tributa exigeret, captus, ac in arce Nemethia cum multis aliis, tetrum in carcerem conjectus fuit.

Præſidiũ Deſpotæ, ex variis gentibus.

Interea dum obſidio diutiùs, quàm putârant, protrahitur, in caſtris de eligendo principe conſultatum eſt. Proceres, qui opibus dignitatéque præſtabant, quive ſeditionis auctores erant, Bernovius, Mociocus, & Stroizza, non ignari cruentos plerumque & periculoſos uſurpati regni exitus eſſe ſolere, ut oblatam dignitatem ſuſciperent, adduci nequaquam potuerunt. Poſtremò Stephano Tomſæ, qui nuper ad Neſtrum flumen equitibus Ungaris delendis tam inſignem, quàm nefariam operam præſtitiſſet, recuſanti quidem, ſed vel invito ſummum eum honorem detulerunt. Is delato muneri ſatisfacturus, arcem acriori obſidione premendam, attractis ad diruendam ejus portam, quatuor colubrinis majoribus, exiſtimavit. Sed ut erant hoſtes tormentarii negotii, ac oppugnandarum arcium imperiti, ita ut ab iis, qui intus erant, in re militari exercitatiſſimis facilè contemnebantur; adeò ut ſæpè excurrere in eos, & magnâ editâ illorum ſtrage reverti, frumentatum exire, ac recentia ex agris obſonia reſque neceſſarias in arcem reportare non dubitarent. Inter quæ certamina Petrus quoque Devanus, permiſſu Deſpotæ, habito cum centurionibus conſilio, in hoſtium caſtra cum quadringentis peditibus impetum fecit, eóſque, qui oppugnandæ & diruendæ portæ incumbebant, & aggeres tumultuario undique opere erectos, ac tormenta cuſtodiebant, aggreſſus eſt; ubi ipſe & ſocii multis hoſtium celeriter interfectis, eos cedere loco compulerunt, mutuoque inter ſe cohortati tria tormenta manibus in arcem attrahere cœperunt. Tametſi autem hoſtes undique ad defendenda tormenta adcurriſſent, atroxque certamen eſſet exortum,

Tomſa à conjuratis princeps electus.

Arcem acriori obſidione premit.

Ungari eruptione facta hoſtes cædunt.

1563.

tamen poſt longam & cruentam concertationem victos & profligatos tanta vi omni telorum genere, ſed maximè ſcloperorum glandibus ſubmoverunt, ut effusè fugientes tormenta in arcem pertrahenda relinquere cogerentur. In quâ pugnâ ex Valachia plures ducentis, aut interfecti, aut vehementer ſauciati ſunt: inter quos Dormanus ille cum Tomſa delendis Ungaris crudeliter graſſatus, Deo id ſcelus non ſerò vindicante, capite pœnas perſolvit: quum ex iis qui excurrerant, nonniſi ſex è militibus ſagittis confixi periiſſent.

E quibus & Dormanus crudelitate in Ungaros nobilis.

Cùm per hunc modum obſidio diuturnior fore videretur, Tomſa qui jam principatum adminiſtrabat, ſe & ſuas copias obſeſſis contemptui eſſe cernens, conſilio ſuorum ad Joannem Sigiſmundum legatos mittendos cenſuit: quem ob veteres cum Deſpota ſimultates & inimicitias, à mittendis auxiliaribus copiis haud alienum fore exiſtimabat. At interea certis nuntiis allatum eſt, Demetrium Viſnoveciium, ſive à quibuſdam Moldavis proceribus evocatum, ſive à Laſco inſtigatum, cum exercitu in provinciæ fines perveniſſe animo illam inter duos contendentes ſibi occupandi. Itaque Tomſa intermittendam obſidionem arbitratus, transmiſſo amne Sereto, caſtra ab arce reduxit: Viſnovecius verò vitato congreſſu in eum caſtrorum locum conſedit, ſic ut Deſpotes uno abeunte hoſte, ab altero ſtatim circumvallatus, non ſuſtuliſſe aut avertiſſe exitium, ſed mutâſſe, & eodem ancipiti in diſcrimine verſari videretur. Collocatis ſub arce caſtris, Piſoccius Laſci, ut diximus familiaris, data acceptâque fide arcem ingreditur, ac nomine Viſnovecii has Deſpotæ conditiones proponit; ſi XXV. millia aureorum nummûm pro ſumptibus eo bello factis nunc perſolvat, & deinceps quotannis XII. millia certis terminis pendenda promittat, ſe cum periculo erepturum. Conditionibus admiſſis Deſpotes Piaſſoccium muneribus affectum, gratus Viſnovecio actis remittendum exiſtimavit.

Viſnovecius pulſo Tomſa eundem caſtrorum locum occupat.

Sed quum eodem die magna Bojerorum manus ad Viſnoveccium veniſſet, quæ nomine omnium provincialium, principatum ei offerre, & additis, quo plus fidei haberet, cæterorum litteris id ipſum confirmare videbatur; referebántque primores Tomſam administrando principatui adhibitum, donec alius eligeretur, ac finis obſidioni fieret: ſeſe omnes rebus ejus adversùs Moſchos & Tartaros præclarè fortitérque geſtis, quibus apud omnes gentes celebraretur, ac unius ejudémque religionis profeſſione adductos, imperium ei ultro deferre, quòd vi & armis antehac adire voluiſſet; cætera, dummodo veniret, omnia in ejus poteſtate fore. Itaque vir alioquin cautus & callidus, verbis ad aſſentationem & fallendum compoſitis, ac maximè dulcedine regni ineſcatus eis aſſenſit: & miſſis ad Deſpotam literis, ſe hoſtem ei deinceps futurum, nec quicquam cum eo commercii habiturum ſignificabat. Nec mora, quoſdam Ungaros milites rerum neceſſariarum cauſa, durantibus ejus diei induciis, arce egreſſos, partim trucidari, partim in dumum quandam confugientes oppugnari juſſit; quibus tamen tutandis ex arce oportunè occurſum eſt, & liberatis militibus Poloni cum cæde repulſi.

Viſnovecio regnum à Moldavis defertur.

Paulò pòſt Viſnovecius, nedum animadverſa fraude, quingentos ex ſelectiſſimis equites Sarmatas & Roxolanos, Valachis id expetentibus, dedit; qui ſeſe cæſo Tomſa, ac capite ejus relato, ad illum reverſuros pollicebantur. Sed quum pontem amni Sereto impoſitum tranſiiſſent, & ad exercitum, quem oportuno inſidiis loco reliquerant, propiùs acceſſiſſent, ſeque cum eo conjunxiſſent, Sarmatas & alios, quamquam detecta fraude, acerrimè pro vitâ ſalutéque ſuâ dimicantes, ſingulari perfidia & crudelitate ad unum trucidârunt: ac è veſtigio reverſi, priuſquam Viſnovecio cæſorum equitum fama allata eſſet, eum cum non magno ſuorum numero, rerum eventum expectantem, curruique inſidentem, quòd fortè importuno articulorum dolore vexaretur, adoriri ſtatuerunt. Simul ac inſidiæ pluſquam Punicæ patuerunt, & Viſnovecius neceſſitatem prælii ſibi imminere vidit, ægro quidem, ſed imperterrito animo ſuis, ut celerrimè conſcenſis equis certamen capeſſerent, ac carris circumductis caſtra munirent, edixit; ac Piaſſocium, ut ſuas partes obiret, aciémque componeret, hortatus eſt; nec ipſe extremo in labore, ac periculo officium ſuum negligebat, quin prælium cientes animaret. Pugnatum eſt pro Polonorum paucitate acerrimè; ita ut primo impetu Valachi fuſi fugatíque terga dare cogerentur: & ubique ferè à fugientibus fama illatæ provincialium exercitui cladis ſpargeretur. Poſtremò tamen redeuntibus Bojeris cum multi in paucos, ac integri ut feſſos ac debilitatos, reſtaurata pugna, irruiſſent, victoria Valachis ceſſit, & Viſnovecius ac Piaſſoccius, infelici ſuâ ſorte, vivi in eorum poteſtatem venêre: quos Tomſa è veſtigio Conſtantinopolim miſit; ubi prægrandibus uncis ferreis, per latera adactis, in furca ſuſpenſi, indignam viris militaribus, ſed crudelem & acerbam mortem oppetivêre.

Poloni à Valachis ſingulari perfidia trucidantur.

Atrox inter Viſnovecium & Valachos commiſſa pugna, qua profligatis Polonis capti Viſnovecius & Piaſſoccius.

Poterat Deſpotes ſub certaminis hujus fervore ex arce ſeſe proripere, & Hutinam aut alium tutiorem in locum recipere; quòd illi à pleriſque ſuadebatur, ſed Dionyſii Avali medici culpa, ac inani ſua fiducia hoſtiumque ſuperbo contemptu, meliora conſilia repudiavit, omnémque eventum ibidem præſtolari maluit. Interea è Tranſilvania auxilia à Joanne Sigiſmundo miſſa, mille equites ac totidem pedites multis bellis exercitati, duce Ladislao Radaco, qui nuper Siculos rebelles victor acie profligaverat, advenêre: quos Tomſa ſingulari lætitia exceptos in caſtra recepit. Sed Deſpotes & obſeſſi illorum adventu nequaquam animos demiſiſſe videbantur, quamquam tertium jam menſem clauſi, rerum omnium & graviſſimæ obſidionis incommoda pertuliſſent; adeò ut erumpere in hoſtem frequenter, & cum iis manum conſerere non dubitarent: ſicuti die Divo Lucæ Evangeliſtæ ſacro accidit, quo Gregorius Girolthius cum cohortibus peditum, & Martinus Farcaſius cum paucis equitibus erumpentes, ancipiti cum Tranſſilvanis & Valachis contracto certamine fortiſſimè rem geſſerunt, ac non paucis utrimque amiſſis in arcem redierunt, in ea pugna ex Valachis, Bernovius conjuratorum Princeps, & malorum omnium auctor glande trajectus occubuit; ac Gregorius Vincius, lepidus nec ineptus ſcurra, à militibus Deligecius vocatus ex Deſpotanis cæſus eſt: qui ſæpè Deſpotam, ut malefida procerum conſilia,

Byzantii, unco in coſtas adacto crudelem mortem oppetunt.

Jo. Sigiſmundus Valachis auxilia ſubmittit.

Bernovius conjuratorũ princeps occumbit.

1563.

filia, eorum nece præverteret, inter joca & ſeria admonuiſſe dicebatur.

Tranſilvani Hungaros ad deditionem promiſſis invitant.

Verùm poſtquam Tranſilvani munitionibus extructis aggeres & tormenta propius arcem admoviſſent, ac cum popularibus ſuis quos in arce habebant, clandeſtinos ſermones miſcere cepiſſent, eiſque principis & Radaci præfecti nomine optima ſtipendia, ac liberum in patriam reditum pollicerentur, diuturnæ concluſionis pertæſi, ad res novas inclinare, & Deſpotes conſilii anceps atque indies inopia reddi videbatur. Et quum militem quendam cum hoſte è muro clam colloquentem deprehendiſſet, eum ad ſe vocatum, nec cauſas colloquii ſatis reddentem, clàm è medio tollendum curaverat, quem cùm Devanus & ſocii reperirent, nec reddi poſſet, res magìs ad tumultum & ſeditionem propendebat. Quâ indies gliſcente Devanus quòque, quamquam fideliſſimus antehac ſemper habitus, ſtipendia turbidiùs, quam par eſt, flagitare, cæteroſque ad eadem importunis vocibus flagitanda concitare, iiſque negatis, occaſionem turbandarum rerum quærere. Verùm Deſpotes tumultibus coërcendis, cælato argento, quod habebat, ſatisfecit.

Hungarorum factioſa conſilia è Devani cade ſubverta.

Paulò tamen poſt Radacus Pertum quòque, pacta per occultus nuntios proditionis mercede, ad tradendam arcem adduxit, quòd quum Deſpotes à quodam judice rei conſcio comperiiſſet, eum in ſecretiorem domus partem accitum, adacto per ilia pugione, interficiendum curavit: Cujus cæde exſcerbati pedites, non jam occultis vocibus, ſed apertè res novas moliri, ac de deditione cum hoſtibus paciſci decreverunt. Quos quum Farcaſſius equitum præfectus, ac equites potiores, qui ſupererant, à tanto flagitio dehortarentur, neve tantam perfidiæ notam ſibi inuſtam vellent, partim minis, partim precibus obſecrarent: quia tamen pedites numero ampliori, idroque ferociores erant, nihil proficiebant. Nec interim deerant, qui ipſum Deſpotam ad amplectendas deditionis conditiones, ampliſſimis de ejus incolumitate pollicitationibus, amplectendum putarent. Quæ quum ab illis ſimulatè dici non eſſet neſcius; ſuos tandem ſupplex petere cepit, ne ſe in tanta auxiliorum propinquitate (erat enim fama ſive verè ſivè falsò allata, Laſcum jam reconciliatum, & Sboronium ſocerum, ac Sarmatas amicos, cum quatuor millibus equitum adventare) deſertum ac infenſiſſimis hoſtibus proditum vellent. Verùm prævalentibus prætorianorum peditum factionibus, valvæ portarum, quas terrâ ac materiâ obſtruxerant, adaperiri ceptæ ſunt: quo tempore Martinus è Sancto Gothardo, Pannoniæ oppido oriundus, Maximiliani Cæſaris apud illum internuntius, ſed poſtea à ſecretis adſcitus, dolio ingenti ſaxis & materia pleno caſu in ipſum devoluto oppreſſus, interiit.

Peditum factione Deſpota proditus.

Itaque triduo ante Divi Martini ferias arce egredi coactus, cum ſumpta pretioſiore purpura, equoque conſcenſo inter longiſſimos & denſiſſimos militum ordines ad id de induſtria diſpoſitos inceſſiſſet, propiuſque caſtra veniſſet, ſubmotis miniſtris, equo deſcendere, ac pedibus ad Tomſam ire juſſus eſt: in cujus conſpectum veniens, hoſtilibus probris ac conviciis proſciſſus, clavaque ferrea, repetitis vicibus, percuſſus, in humum procidit, ibique quum diu, qui conficeretur, non reperiretur, à Tartaro quodam iteratis aliquoties ictibus, caput ei infelici præciſum eſt; quod unà cum Joachimi Prudentii jam alia in caſtrorum parte obtruncati capite, quum detractæ eorum cutes, abjectis calvæ oſſibus, paleâ impletæ eſſent, Conſtantinopolim miſſum fuit. Per hunc modum immaturo atque miſerabili vitæ exitu Deſpotes ſublatus eſt; quum vixiſſet annos circiter quadraginta, regnaſſet duos, & tres ampliùs menſes obſidionem toleraſſet.

Tomſa juſſu à Tartaro capite mulctatur.

Alexander Solimani auxiliis, pulſo Tomſa regnum recuperat.

Ar Solimanus tam precibus Johannis Sigiſmundi, quas accuratè apud eum pro reducendo in Moldaviam Alexandro interpoſuerat: tum etiam ipſius Alexandri aſſiduis obteſtationibus permotus, purpuratis magnâ largitione in partes traductis, in Moldaviam eum reverti, provinciámque iterum ei priſtino beneficiarii juris nomine committendam permiſit. Qui conducto ex Turcis & Tartaris exercitu, quum eis inferiorem provinciæ partem ad Iſtrum vergentem prædæ nomine depopulandam promiſiſſet, magnis itineribus regnum repetendum duxit. Quem nec Tomſa, nec cæteri expectare auſi, para ad vicinos Roxolanos ſeu Ruſſos ut Tomſa, Mocioccus, & Stroizza, pars quo quiſque potuit dilapſi profugêre. Alexander & caſtra deſerta cum tormentis, & arcem & provinciam omnem facili negotio occupavit: Demetriumque Bulgarum, à quodam Bojerio, tormentis præfecto captum, ac naris dextræ particula exciſa à Tomſa deformatum (quo ſigno notati regno potiri nequeunt, nemo enim, qui mutilato ſit corpore, regnare permittitur) Mirce Tranſalpino, cujus regnum affectaſſe dicebatur, inter ſummas verborum contumelias, & ludibria trucidandum miſit. Tomſam Deſpotæ ſucceſſorem, ſed paucis menſibus imperio potitum, ac Mocioccum & Stroizzam Leopoli exulantes, apud Sigiſmundum Poloniæ Regem, qui eos ob Viſnoveciunt & Piaſſoccium interfectos, extremo odio proſequebatur, proditionis accuſavit, & ope Solimanni, ac Joannis Sigiſmundi nepotis facilè obtinuit, ut capti mox capite plecterentur. Georgio Revelles, in arce Ne nethia capto, & aliis præfectis, qui ibi in vinculis detinebantur, miniſtri rerum capitalium, quos illi armarbs vocant, laqueo gulam fregêre. Alios nobiles, diſſimulato ad præſens odio in fidem recepit: ſed mox quum ſe tutos eſſe putarent, inter convivia jugulari juſſit; donec omnes, quorum opera regno erat pulſus, aut qui illis ſanguine erant juncti, extirparet: ſicque quoad vixit quietam apud Moldavos tyrannidem obtinuit; quum ante quàm in exilium pelleretur, ſeptennium imperaſſet.

Demetrius Bulgarus à Mirce Valachio trucidatur.

Tomſa, Mocioccus, & Stroizza capite plexi.

Ejuſdem ſævitia in Nobiles & alios.

Per id tempus Cæſar aſſiduis precibus ſuorum placatus Franciſcum Perenium, qui ante triennium rebellaverat, & in oppido Zoloſio cum uxore & liberis captus, in arce Saroſiana detinebatur, liberum dimitti juſſit, reſtitutis ei omnibus bonis, oppido Sixona excepto; quod antea Petro Macedonio cubiculi ſui magiſtro donaverat. Verùm is quòque, antequam è vivis excederet, liberali ingenio ita cum illo convenerat, ut acceptis à Perenio tribus millibus aureorum numûm, Sixonem protinus ei reſtitueret: ſicque Peranius Viennam profectus à Cæſare in gratiam fuit receptus.

Perenius à Cæſare in gratiam receptus, reſtitutis omnibus bonis, liber dimittitur.

Cæterùm ſecundùm adverſam illam Deſpotæ in Moldavia fortunam, Joannes Sigiſmundus pacis & tranquillitatis cupidus, uti

Stephan. Bathorius à

1564. *Tranſilvana ad Cæſarem de pace mittitur.*

præ ſe ferebat, adductus, legatum ad Cæſarem miſit Stephanum Bathorium Somlianum, qui eo tempore Varadino præerat, virum pacis bellique artibus clarum. Is vigere in illo ſtudium amplectendæ pacis & fidelis concordiæ teſtatus, petebat filiæ Cæſaris Joannæ conjugium, antea à Caſtaldo promiſſum, cum regio titulo & ditione à Tranſilvania uſque ad Tibiſcum omni. Sed quia ad tempus coronando Maximiliano, conſtitutum adventus ejus inciderat, cui ut intereſſet, neque Cæſari, neque ipſimet legato expediens eſſe videbatur, Tirnaviam ſeceſſerat; & demum peractis comitiis Viennam ad Cæſarem erat reverſus. Poſt multas & varias diſceptationes Cæſar ita reſpondit; Joannes Sigiſmundus eligeret qualemcunque titulum præter regium vellet; ſe enim vivo & Maximiliano, qui jam conſenſu publico coronâ erat inſignitus, eum in alios tranſferre non poſſe: contentuſque iis eſſet, quæ nunc ultra Tibiſcum obtineret: cis Tibiſcum verò Muncacium, & Huſtum cum Maramaruſio, & Salisfodinis, quæ ei nunc parerent, quo firmior pax eſſet, ſe illi conceſſurum, nec filiæ connubium negaturum. Sic manſit in controverſia ditio illa, quæ ultra Tibiſcum eſt, in qua Echediana, Vardana, Craſnana, Biharienſes, Solnocenſes, Bajonii, Telegdii, Artandii & alii complures, nobiles, populique cenſentur: de qua tamen Cæſar, ſe ulteriora conſilia capturum reſpondeat: nec tamen quietis concordiæque cauſa ab illis concedendis videbatur abhorrere.

Conditiones pacis à Cæſare Joanni oblata.

Sed dum deliberando tempus protrahitur, Joannes Sigiſmundus ſeu tædio longioris legationis, ſive veriùs, quod belli occaſiones quæreret, Somlianum revocavit, qui ita diſceſſit, ut ſi Cæſar, eam conditionem antequam ipſe Sacmarium aut Varadinum perveniret, admittendam cenſuiſſet, idque ſibi per literas denuntiaſſet, tum ea quoque inter alias concluſa atque decreta cenſeri deberet. Nec adhuc Tibiſcum tranſierat, cùm Cæſar per Silveſtrum Senaſium legati familiarem, qui eam ob cauſam ibi relictus erat, duabus Echediana & Vardana exceptis, omnes ſe liberaliter conceſſiſſe ſignificavit. Itaque ille reverſus quæ egerat, quæve obtinuerat, cum ſumma Joan. Sigiſmundi ſatisfactione expoſuit: decretumque eſt, ut Somlianus poſt paululum moræ reverteretur, & ſuper omnibus icti fœderis capitibus Cæſaris diploma referret.

Somlianus à Tranſilvano revocatus.

Qui interea dum ſe rurſus ad ejus legationis munus exequendum parat, ac domi privatis rebus intentus, mandata præſtolatur, quibus iter aggredi, & pacem referre jubeatur, omnium conſiliorum & legationis rationes, lubentibus & æquis animis antea ſuſceptæ puncto temporis mutantur & pervertuntur: ita ut ipſe ejus rei ignarus, increpita per literas mora & ſegnitie, minimè in tanti momenti negotio cunctandum eſſe identidem replicaret; poſtremò contineri nequivit, quin poſtpoſita domeſticarum rerum cura, ad principem recurreret, ſeque nimiam tarditatem admirari teſtaretur, qua & Cæſar offenderetur, ſeque ludibrio habitum atque deluſum haud immeritò conqueri poſſe videretur. Sed Joannes Sigiſmundus, non ſine aſtutæ prævaricationis dolo, ſe ideo rem diſtuliſſe reſpondit, quòd paci ac fœderi, majori cum dignitate ineundo, avunculi ſui regis Poloniæ operam intervenire cuperet, eaque de re jam ad illum literas dediſſet. Scripturum etiam Cæſari, ut moram haud diuturniorem æquo animo ferre vellet. Interim autem ternos ab utraque parte arbitros, qui inſolentias Balaſſii & Cæſarianorum ſibi ditionique ſuæ illatas inquirant, ad diem, quem Cæſar conſtitueret poſſe convenire. Per hunc modum Somlianus verba ſibi data, & ſpes ſuas eluſas ſentiens, diſſimulando in præſens ſuſtinendoque injuriam, Varadinum conceſſit.

Et legationis rationes diſturbãtur

Erat eo tempore ſumma rerum apud Michaëlem Chaquium, Stanislaum Niſovium Polonum, Joannem Salancium, & Gaſparem Bequeſſium cubicularium, qui Joan. Sigiſmundi conſilia omnia, prout volebant, moderabantur: quos omnes ſimul cum principe Georgius Blandrata Allobrox, eorum aut aſſecla aut ſocius, Ariana infectus peſte, eodem veneno infecerat, atque ii occulto livore pleni, omnia Somliani dicta factaque, ut qui veræ Catholicæque religionis vehementer tenax eſſet, in diverſum interpretari, illumque apud principem inconſtantiæ lubricæque fidei inſimulare, ac clancularias ei inſidias ſtruere conabantur. Sed nec Cæſarem ſincerâ fide deterſis odiis, certis concordiæ fundamentis inniti perſuadebant, quod ſuos milites & Balaſſium, qui præ cæteris infenſiſſimi erant, à rapinis & ſceleribus minimè coërceret: ideoque evocatis in auxilium Turcis, ac neglectis, quæ à Somliano tractata erant, fœderibus ad bellum ei inferendum inſtigabant.

Conſiliarii Joan. Sigiſmũdi, quos Blandrata Arianus eadẽ peſte infecit.

Somliano inſidias ſtruunt & calumniis eundẽ exagitãt

Intereà Cæſar, ſicut cum legato erat conſtitutum, quæſitores, qui de Balaſſii, aliorumque præfectorum & militum malefactis inquirerent, ad oppidum Caſſonum, non procul Muncacio ſitum, ad diem Calendarum Octobris convenire jubet. Erant hi Gregorius Abſtemina Epiſcopus Chanadinus, Joannes Alaghius è Regecio, & Georgius Racoſcius Tutocianæ regioni juri dicundo præpoſitus. Priùs quàm iſti conveniſſent, Balaſſius in pago Halmio inter Huſtum & Muncacium ſito, quæ loca à Tranſilvanis tenebantur, caſtellum ædificaverat; eo prætextu, ut ituro in Moldaviam ad ſuppetias Deſpotæ ferendas exercitui (id conſilii fortè tunc agitabatur) locus eſſet quieſcendi; re autem verâ ut prædatoribus ſuis receptaculo, munimentoque eſſet. Itaque Tranſilvani ad inquirendum deſignati ſe venire negarunt, niſi illud contra fœdus induciaſque exercendarum rapinarum cauſa extructum, diſtraheretur. Contra Balaſſius opponere, unicuique ſuo in fundo tuendis ſuis finibus, munitiones licere extruere, neque id fœderibus adverſari. Inter has contentiones Racoſcius unus ex triumviris arbitris, morbo oppreſſus Caſſoni moritur; reliqui duo perſcriptis ad Cæſarem difficultatibus, re infectâ revertuntur.

Quæſitores Cæſariani, re infectâ, domum redeunt.

Intereà Chriſtophorus Hagmaſius qui Huſto præerat, ac cæteri Tranſilvanienſes præfecti, collectis ſummâ celeritate copiis, nocte intempeſtâ caſtellum improviſo adoriuntur, & acerrimè oppugnant. Balaſſiani cum Georgio Sulioco, impigro adoleſcente, qui ex arce Hadadiana ſe illis aggregaverat, ad defendendum locum concurrunt; fit pugna atrox & cruenta, neutrâ parte cedere alteri volente: poſtremò trajecto glande ſclopeti Sulioco, atque occum-

Caſtellũ in pago Halmio à Balaſſio extructũ, ab Hagmaſio capitur & exſcinditur.

1564. lnatur, & palantes hinc inde diffugiunt: qui in caſtello intus haud magno numero erant, fugâ & cæde ſociorum perterriti deditionem faciunt, ac incolumes dimittuntur; caſtellum mox injecto igne concrematur, ac funditus deletur: atque his peractis utrinque in hiberna diſceditur.

Concilium Tridentinum felici exitu terminatum eſt.

Cæterùm Concilium Tridentinum ſuperioribus annis à Julio Pontifice in Lateranum indictum, ac deinde à Paulo & Julio tertio continuatum, ſed variis bellorum tempeſtatibus agitatum, atque dilatum, hoc anno demum auſpiciis Pii ejus nominis quarti, Dei Optimi Maximi ope felici exitu terminatum fuit; legatique, quos Cæſar eò miſerat, poſt peractam in Ungaria Maximiliani inaugurationem, in patriam incolumes redierunt uno excepto Joanne Chanadienſi Epiſcopo, qui ibidem gravi oppreſſus morbo è vivis deceſſerat: à quibus intellectum eſt, capita Chriſtianæ religionis antehac ab ipſis Chriſti Dei & Servatoris, ac Apoſtolorum temporibus, uſque ad hæc tempora, inconcuſsâ fide obſervari ſolita, ſacroſanctis Patrum, qui in ea Synodo magno numero interfuerunt, ſuffragiis denuo confirmata fuiſſe. Quod verò ad communionem ſub utraque ſpecie attineret, quam concedi Cæſar poſtulaſſet, eam à Patribus ad arbitrium ſummi Pontificis, cum bonâ ſpe ejus obtinendæ rejectam atque dilatam eſſe. Iidem quòque legati attulêre Joannem Baptiſtam Caſtaldum, qui Cæſaris Ferdinandi in Tranſilvania copiarum ſummus dux fuerat, octoginta circiter annos natum, paulò ante finem Concilii, Mediolani natali in ſolo è vita migraſſe, noctéque abdicatis omnibus ſepulturæ honoribus, humatum eſſe; quòd viris illuſtribus, qui famam immortalem rebus præclarè geſtis ſibi peperiſſent, inanes nec neceſſarias ejuſmodi funebres pompas conditis eâ de re teſtamenti codicillis, ſpretâ omni ambitione cenſuiſſet.

Joann. Baptiſta Caſtaldi obitus.

Balaſſius & Zajus Collegium Græcorum Monachorum expilare conantur

Inter hæc Balaſſius & Zajus, cùm his iis, qui non ita pridem è Moldavia redierant, intellexiſſent Collegium Græci ritus Monachorum, haud procul radicibus Alpium eſſe, in quo multa donaria, ac aureæ & argenteæ ſuppellectilis copia ingens, à piis hominibus Deo dicata haberetur, communicato invicem conſilio, ad ea diripienda animum adjecêre. Verùm quum multa nix cælo delapſa Alpes & itinera cooperuiſſet, quæ etiam æſtate avia incultáque ſunt, & ægrè admodum ac difficulter ab exercitibus tranſiri poſſunt, veriti etiam ne à Tranſilvanis, qui omnia eorum itinera obſervabant, reditu præcluderentur, ab incæpto deſtiterunt.

Sed nivium copia impediti cæptis abſiſtunt.

Dum in hunc modum ludente in rebus humanis fortuna, minutis contentionibus & prælis certatur, & occaſiones majoribus belli incendiis ſuſcitandis quæruntur, Cæſar tametſi lentis & tabificis febribus diu antea conflictatus, defectiſque ſenſim viribus, lectulo defixus, brevi deſituri ſpiritûs vigore ſuſtentaretur; tamen quantum poterat, expediendis curis & laboribus, negotiiſque vacare, literis & conſiliorum ſecretis ſubſcribere, amicóſque ac familiares in colloquium admittere erat ſolitus. Interdum verò muſicorum inſtrumentorum, ac ſymphoniacorum jucunditate accerſitâ, ſacris divini numinis laudibus hymniſque coram eo decantatis, animum oblectabat, eaque voluptate re-

Cæſaris etiam tabifica febre affecti occupationes.

1564. creabatur. Quod quum Franciſcus Battianius, vetus ſummæ auctoritatis ſenator, atque ab ipſis Ludovici Leviti temporibus ei valdè familiaris, impenſius laudaret, ac ut laboribus & negotiis abſtineret, quæ ſeni & imbecillo maximè officerent, hortaretur: ſe natum ad labores, & iis uſque adeo non gravari, ut etiam juvamento voluptatique ſint, reſpondit; ſed grave admodum moleſtúmque ſibi accidiſſe, Maximiliani in religione diſſidium, & alterius filii Ferdinandi diſpar conjugium. Eo ſiquidem tempore ille Lutheranas Sebaſtiani Fauſeri ad populum conciones, incertum quas ob cauſas nonnunquam audiebat; quas tamen paulò poſt, meliora amplexus conſilia, ſincerâ mente repudiavit; hic verò Philippinæ Vindeliciæ amoribus uſque adeo ardenter indulgere videbatur, ut eam legitimæ conjugis loco habere, & liberos ex ea ſuſcepiſſe diceretur.

Poſtremò expiatis more Chriſtiani ac pii principis criminibus, quum Matthias Sitardus Dominicani inſtituti Monachus, extremam horam adeſſe cerneret, eum nec Cæſaris nec Imperatoris, (ſic enim juſſerat) ſed fratris duntaxat nomine appellatum, ut ſperatam à Deo Opt. Max. veniam certâ ſpe & fiduciâ expectaret, ex Chriſtianæ diſciplinæ inſtituto admonuit, ſicque in complexu Maximiliani & Caroli filiorum, ac Mariæ nurus, die 25. quintilis menſis Julii, qui Jacobo Apoſtolo Hiſpaniarum Divo tutelari dicatus eſt, placidâ defunctus morte expiravit: eumque per aliquot dies publicè omnium viſui expoſitum, omnes non ut dominum, ſed parentem optimum, juſtis lachrimis luxêre: quum poſtea plumbeo incluſus loculo, humeris principum ducúmque ſuorum in templum, quod in arce eſt, elatus fuiſſet. Nemo enim noſtræ ætatis principum, pacis & belli artium eo peritior, nemo graviſſimarum rerum experientior fuit: nullus regum rectè & ſapienter factis, ac indulgentiæ, clementiæ, liberalitatiſque exemplis eum ſuperavit. Nam eo avehente Seredii, Dobonæ, Balaſſii, Tahii, Telegneſſii, Magocii, Querecenii, aliique quamplurimi ad ſummos honores & divitias pervenerunt: Turzonibus, Battianiis, Comitibus Zrinianis, aliiſque latifundia, arces, dignitates, reddituſ auxit & amplificavit: omnes bonos, & induſtrios viros, à quibus bonam operam Reipublicæ navari poſſe animadvertiſſet, ſingulari amore proſequutus eſt; uſque adeo ut nemo unquam ejus opem fruſtra implorâſſe, nemo triſtis ab ejus conſpectu, niſi ſumma neceſſitatis vis obſtitiſſet, diſceſſiſſe viſus ſit: & inſtar Titi, diem ſe perdidiſſe putaret, quo non cuipiam bene feciſſe videretur.

Ferdin. Imper. obitus. Anno 1564. vixit annos 61.

Ejus encomium

Beneficia in Ungaros eximia.

Summum ei pietatis in Deum ſtudium, perpetuumque fuit, quem ut in conſpectu præſentem ſemper haberet, ita coluit & veneratus eſt, & ad ejus præſcripta omnes actiones ſuas, totiúſque vitæ curſum applicavit, ut quicquid ſibi proſperi aut adverſi contigiſſet, ad eum auctorem referret. Militibus, ut ſua ſtipendia ſtatis temporibus ſummâ fide perſolverentur, diligenter curavit, & ſupra illa muneribus variis eos doniſque cumulavit. Niſi quis majus rei bellicæ, caſtrenſiúmque laborum ſtudium in eo deſideraverit; ſed ſi potentiſſimos hoſtes, qui totius ferè terrarum orbis viribus adverſus eum formidabilia bella geſſerunt, animo reputaverimus,

Pietatis in Deum ſtudium

1564. mus, eúmque in tot & tantis cladibus & calamitatibus infractum, conſtantémque animum tennere potuiſſe, non iniquo judicio æſtimaverimus, ab omni eum ignaviæ, aut ceſſationis ſuſpicione meritò vindicandum cenſebimus: quum præſertim de aliis, qui eum pari virium robore, paribúſque copiis laceſſitum ad arma provocaſſent, quum potiſſimùm idoneos & rei bellicæ peritos legatos ducesque eſſet nactus, frequentes nec contemnendas victorias adeptum fuiſſe meminerimus. 1564.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXII.

Maximilianus patri in imperio & regno ſuccedit.

FErdinando Cæſare vitâ functo, uti erat comitiis Francofurdanis, maximo principum Electorum ac procerum ſtudio deliberatum, Maximilianus Romani Imperii ſceptra atq... [illegible] acceptus eſt: ſimulque Ungarici & Bohemici regni adminiſtrationem, quam vivente etiam patre exercuerat, protinus ſuſcepit. Siquidem ſingulari juventæ decore, ac ingenua, blandáque ſermonis comitate, facili aditu, alloquioque & aliis artibus, maximam apud omnes Germaniæ ac Pannoniæ proceres, populóſque gratiam & benevolentiam ſibi comparaverat, & ne magnitudine animi, induſtriâ, auſuque & armis, patre inferior eſſe videretur, omnibus viribus contendere nitebatur. Exercitus etiam à patre relicti, ac eorum præfecti, & tribuni, ſummâ ejus recenti principatu ſpe tenebantur, fore ut pro dignitate & exiſtimatione totius Reipublicæ Chriſtianæ, honeſtiſſimo conſilio Turcicarum induciarum compedes, quibus Pater irretitus fuiſſet, Dei immortalis ope exuere, & acerrimorum hoſtium impetum non modò ſuſtinere, ſed etiam ad non dubiam victoriam propitiare poſſet. Quamobrem fama etiam in vulgum frequens emanaverat, illum minimè fœderibus aut induciis ſtaturum, quas Pater cum Solimano pepigerat, quin comparato ampliori exercitu, ac animis opibusque cum ſummo Pontifice ac Regibus & Principibus Europæis terrâ marique conſociatis, infeſtis cum illo armis primâ occaſione congreſſurum.

Nec deerant plerique militiæ clari & bellicarum rerum peritiâ inſignes, qui eùm pacem & quietem pati non poſſent, eum ad parandum ſuſcipiendumque adversùs Turcas bellum, ſecretis apertiſque conſiliorum rationibus incitare non dubitarent: & ea quòque detrimenta, quæ hactenus Reſp Chriſtiana, per latus afflictæ Pannoniæ inſignis & lethalia accepiſſet, incuriâ magìs & inerti principum ſegnitie, quàm verâ hoſtium virtute aut viribus illata acceptáque fuiſſe memorarent. Quæ quum in aulicorum ac militarium procerum coronis, & conſeſſu non uſque adeo ſecretis ſermonibus tractarentur, quin ad propinquos Turcas perlata, ab iis pro inſita barbarorum hominis ſuperbia variè interpretarentur; Maximilianum diverſa conſilia animo agitare compellebant; quæ tamen tacito & latebroſo pectore condita, ad communis ſalutis cauſam tuendam expedire, neque ſibi à paternorum conditionum æquitate diſcedendum eſſe arbitrabatur. Itaque ne rem ulteriùs differendam putaret, frequenti Senatu convocato, quid faciendum è Republ. foret, ſingulatim exquiſivit.

Maximilian. Imperator frequenti Senatu convocato, de bello Turcico deliberat.

Jam enim biennium præterierat, ex quo pater gravi morbo & ingentibus curis fatigatus, eoque fatis concedente, ipſe legatorum & muneris mittendi occaſionem neglexerat, & Arslanes, qui eo tempore Budenſem præfecturam adminiſtrabat, an pactis ſtare vellet, frequentioribus litteris & nunciis arroganter poſtulare non intermittebat.

Erant in Senatu, prout quiſque affectus erat, aut ingenio valebat, varia ſtudia, ita ut ſententiæ in diverſum traherentur, pars enim non togatorum tantùm, ſed etiam militarium hominum, prudentiæ & experientiæ opinione clariſſimorum, fidem & promiſſa inviolabili tenore ſervanda ſuadebat, nec committendum ut fraudis alicujus aut mutatæ voluntatis ſuſpicione barbarus hoſtis, terrâ marique potens, & à quo tot tantáque clades & detrimenta non tantùm Pannonia, ſed totus ferè Chriſtianus orbis accepiſſet, irritandus & ad arma concitandus eſſet. Serviendum tempori, mittendúmque illi juxta fœdera promiſſum munus, & ſuſpicacem tyranni animum, qui poſtea nullis vel ampliſſimis conditionibus placari poſſet, pacis & amicitiæ oſtentatione leniendum; ne turbatus & exaſperatus, formidabilibus ſumptis armis, humana divinis confundendo, omnia ſurſum atque deorſum miſceret. Satiùs eſſe eam pecuniam ad regnorum & populorum ſuorum ſecuritatem impenſam eſſe, eoſque illa quantulacunque ſumma ab impotentis barbari inſolentiis & furore liberare, quàm ſi res ad bellum & arma deducatur, millies majores theſauros, cum extrema eorundem pernicie & exitio exigendos, ad dubiam Martis & ancipitis fortunæ aleam conſumi. Debere eſſe documento ſuperioris tempeſtatis bella, ſummo ſemper cum Ungariæ detrimento ſuſcepta, atque infeliciſſimè geſta, quorum funeſtam cladis memoriam, ſive illa principum incuria, ſive ducum ignavia & imperitia improſperè evenerint, nunc quòque cum luctu & lachrimis recolere cogerentur. Ad extremum omnia alia priùs quàm bellum experiri conſulebant.

Dehortatio à bello.

Sed erant ex altera parte tam ex Germanis, quàm Ungaris viri illuſtres, qui certis adducti rationibus, bellum imprimis maximè honeſto & decoro nomine contra immanes barbaros pro Chriſto Deo & ſervatore, ejuſque ſacroſanctâ religione, proque aris & focis ſuſcipiendum cenſerent: inter quos Comes Nicolaus Zrinianus, ſummæ claritudinis dux erat, quo nemo regendis exercitibus melior eo tempore atque peritior habebatur. Is præter cæterorum opinionem, non diſſentiendi aut contendendi, ſed quod mens ſuppeteret, exprimendi cauſa, ſibi longè aliam mentem eſſe, nec ut

Comes Zrinius bellum adversùs Turcas ſuſcipiendum ſuadet.

1564. ut induciæ, quas neceſſariâ potiùs, quàm honeſtâ pactione Ferdinandus cum Turcis iniiſſet, hoc rerum ſtatu obſerventur, ſibi è Republicâ fore videri diſſerebat.

„Quandoquidem, ſi rem, inquiebat, penitus conſideraverimus, in præſentia hoſtes, „non ſecus, ac ſi nulla pax, nullum fœdus „ictum eſſet, agros urere & populari, miſeram plebem quotidie variis indigniſque modis ad deditionem compellere, arces finitimas partim fraude & aſtu, partim apertâ vi „invadere & expugnare, imperium per fas & „nefas prolatare contendunt. Contra ſi quid „à noſtris in defenſione licita atque neceſſaria „patratur, ea contra pacta fieri, noſtroſque „violati juris & æqui, turbatæque pacis reos „exemplo agi, & pro ſua feritate, leges, quas „luberet, dare, adimere, non probro, non „flagitio, non peſſimis quibuſvis facinoribus „quo minus, quemadmodum in victos & ſub „jugum miſſos ſuam libidinem exercerent, abſtinere videmus. Nec conquerendo aut expoſtulando apud importuniſſimos homines „quicquam profecimus, quin gravius indies „& acerbius malefaciendo, patriam, ſocios, „& commilitones noſtros, everſum iêre, noſtraque ſocordia dominationem in nos inſolentiſſimam agitavêre: ita ut mihi quidem, „quod pace & veniâ aliorum dictum velim, tempus eſſe videatur ad vindicandam in libertatem „Remp. expergiſcendi, ac oblata occaſione „jugum à cervicibus noſtris excutiendi. Itaque ſi quid Solimano in hanc uſque diem ex „pacto debetur, id ei mittendum non abnuerem, ne aut merito conqueri poſſit, aut, qui „eſt arrogantia & impatientia ſingulari, arma „ſumendi inde occaſionem capiat; quanquam „ſive apud eum beneficio, ſive metu procedamus, perinde eſſe duco; adeò miſeriis & „ſanguine noſtro ſanari non poteſt. Ut miſſum illud fuerit, tum demum renunciandam „ei induciarum malè ab eo obſervatarum fidem „& amicitiam omnem cenſerem, quibus noſtræ opes & vires, tam privatæ quàm publicæ magis quam bello diminutæ fractæque „ſunt: ac deinde tempeſtivè curam, ſtudium „& diligentiam omnem adhibendam, bellum „quod nobis illaturus eſſet ſuſtinendo, & cum „Dei Optimi Maximi ope etiam propulſando.

„Non poſſum diffiteri eum ſummas ſecum „vires, magnam potentiam, exercitatos milites, ingentem exercitum trahere conſueviſſe; „ſed ea omnia opinione hominum, ac verò longè minora eſſe comperi. Aliquoties jam mihi „ejus bellicæ expeditiones viſæ ſunt, quibus ipſe „interfuit, quas ipſe ampliſſima magnitudinis „fama duxit: primo quum me adoleſcente, & „vix alterum & vigeſimum ætatis annum agitante, Viennam irrita obſidione cinxiſſet: ac „cum poſtea Guſegum ignobile oppidulum, „æquè inglorius fruſtra tentâſſet, nec Caroli „Imperatoris Auguſti adventum expectare auſus eſſet, poſtremò cum ſocordia & ignavia „ac deditione noſtrorum nobiliſſimis Strigonii „& Albæ Civitatibus occupatis, caſtra in Albana planicie, etiam Tartaris aucta collocâſſet: „ſed ego ſic exiſtimo, ejus exercitum & copias „incertis potiùs vulgi rumoribus, ac pravitate & „mendacio ſuorum eas in immenſum falſo extollentium, quàm re ipſa conſtare. Peditum „ſiquidem prætorianorum, quos Janiceros vocant, 12. millia, aut ad ſummum quatuordecim“ 1564.
eum habere palam eſt, quem numerum raro“ attigiſſe, nunquam hactenus exceſſiſſe ab iis,“ qui vera dicere contendunt, accepimus. Equitatus omnis ex Aſia & Europa collectus viginti“ quinque aut triginta millia numerum non excedit; nec is virtute aut viribus multum pollet,“ utpote qui è rure & agris ex hominibus eorum“ culturæ deditis colligitur. Verùm enim verò“ in prætoriano equite & in iis, qui hiſce Ungariæ & Illyrici finibus ſtipendia merent, Janiceris adjuncto robur omne & munimentum“ ejus exercitûs conſiſtit; quorum numerum“ etiamſi Turcæ ad multas myriadas, & ii, qui ſimul cum eis falſa & incomperta adferunt, extollere conentur; re tamen vera Aſiaticis &“ Europæis æquato ferè pede cenſentur. Cætera“ multitudo, lixæ, calones, fex vulgi, inermes Bulgari & Græci, camelis equiſque curandis, tabernaculis tendendis, aquationi, lignationi, deniq;“ frumentandi & pabulandi miniſteriis, & caſtrenſibus ſervitiis addicta plebs, & incondita“ turba eſt: quæ nec in aciem educi ſolet, nec, ſi“ educatur, uſui eſſe poteſt, quod nec ulla arma,“ præter unam ſecurim gerat, & magna pars“ nec eam, niſi fuſtem aut baculum ſudemve habeat.“

Quæ mihi comperta, oculiſque ſæpius viſa,“ non præter veri fidem, ab aliis temere allata,“ aut audita nunc referre animus eſt; ſic ut“ cum ſeptuaginta millibus noſtrorum Chriſtiani nominis militum, ex utroque ordine“ ſelectis, huic hoſti, quantumvis tumido &“ elato, parentibus in campis divino numine“ invocato, congredi, idque non ſine firma“ vincendi ſpe poſſe exiſtimem. Nec autem“ Deum Opt. Max. ſuperóſque omnes nobis“ Chriſtianis tantopere iratos, infenſóſque eſſe“ puto, ut ſeptuaginta militum millia conſcribi, & in aciem adverſus barbaros duci, &“ Janiceris eodem pedites exercitatiſſimos,“ equitibus parem virtute & fortitudine equitum numerum opponi poſſe deſperem. Hos“ autem abs te, Cæſar inclite, nova nunc ſceptra capeſſente, partim in tuis Regnis, &“ provinciis, partim ad patruum Hiſpaniarum“ Regem potentiſſimum, qui Hiſpanum peditem, non animo, non armis Janicero inferiorem facilè conceſſurus ſit; ac ſummum“ Pontificem, ut communem omnium parentem cæteroſque Chriſtianos Principes, quos“ ad conſociandas vires, conferendáque auxilia impigrè concurſuros haud dubiè mihi“ polliceor, facilè comparari poſſe nequaquam“ diffido. Nec duce alio, quàm te, Cæſar“ invicte, opus eſt, cujus ut auctoritatem &“ dignitatem, quâ omnes mortales anteis, nunc“ omittam; ſic virtutem, magnitudinem animi, experientiam belli, rerum uſum & prudentiam, poſtremò gratum temperatúmque“ imperium, & omnia quæ virtus & virilis animus abundè ſuppeditant, ad bellum ritè adminiſtrandum adducturum arbitrabor. Cætera in promptu erunt, ſtipendia, tormenta,“ eorúmque apparatus, claſſes, naves, commeatus, qui ex Ungaria rerum omnium feraciſſimo ſolo, ad multos menſes & annos provideri tempeſtivè, faciléque curari poſſunt:“ & Danubius omnibus ad ſuperfluitatem &“ redundanti in caſtra devehendis tantam facultatem præbet, ut invitare videatur.“

1564.
„ Quod ſi Deus Opt. Max. votis noſtris ſecun-
„diſſimè faverit, & victoria nobis ceſſerit, ſicut
„de ea dubitandum non eſt, atque adeo hic ſe-
„mel de perfido hoſte exoptatum triumphum
„retulerimus; cætera omnia incommoda, quæ
„hactenus accepimus, incomparabili cum lau-
„de, & gloria Chriſtiani nominis cumulatiſſimè
„reſarcientur, & nos tot acceptas à barbaris
„clades egregiè ulciſcemur, atque ab iis reſpi-
„rantes priſtinum patriæ noſtræ decus & ſplen-
„dorem brevi recuperabimus. Hoc ut faciamus,
„& nequaquam extenſis ulterius induciis, qui-
„bus hoc regnum hactenus vaſtatum potiùs eſt,
„quàm correctum aut defenſum, inſidioſæ pa-
„ci juſtiſſimum bellum præferamus ſuadent, cum
„alia permulta, quæ ſupra paucis attigi, & qui-
„bus mihi maximè animus erectus eſt; tum ve-
„rò Cæſar optime & fortiſſime, tuæ virtutis, &
„maximi in terris imperii ſumma ſpes, & domi
„militiæque præclara facinora, ac denique ſum-
„morum regum & principum, quibus non ſo-
„lùm ſanguinis propinquitate, ſed etiam animis
„& ſenſibus conjunctiſſimus es, æqualis & fir-
„miſſimus conſenſus cohortari incitareque poſ-
„ſunt. Itaque Chriſtianam Rempublicam abs
„ſe ſummis votis non flagitium aliquod, vel ob-
„ſcurum facinus petentem tibi propone; ſed ut
„afflictæ imprimis Pannoniæ libertatem, ſalu-
„temque collapſam & dilaceratam ab occaſu &
„interitu reſtituas: qua ſuperis benè juvanti-
„bus reſtituta, Germaniæ & totius Europæ
„libertatem ſtabilies & confirmabis: neque te
„ipſo clarior toto orbe terrarum aut fortunati-
„or quiſquam mortalium erit, nullius fama
„aut virtutis laus per omnes gentes longiùs,
„aut latiùs volitabit; potiùſque ſempiterna
„apud omnes parta nominis gloria, induſtriæ,
„laborumque tuorum pro Republica Chriſtia-
„na ſuſceptorum uberrimum fructum & præ-
„mia capies; quo uno nihil eſt in vita magna-
„nimis principibus, vel ad privatam gloriam,
„vel ad publicæ ſecuritatis decus magis expe-
„tendum.

Maximilian. animi incertus ad pacis conſilia potiùs propendet.

Poſtquam dicendi finem fecit, diu Maximilianus in incerto hæſit, quidnam potiſſimum conſilii ſequeretur; quamquam ad pacis & quietis potiùs conſilia inclinaret. Jam diu deliberando & differendo elanguerat res; quum Sabanus ſenex Chanſiis Budenſibus præpoſitus, literas Solimani afferens advenit; quibus ſibi Ferdinandi obitum gravem, moleſtumque accidiſſe ſignificabat, precarique ut illius animam Deus Optimus Maximus culpis remiſſis, in æterno paradiſo collocet, (hiſce verbis utebatur) tum ſe pacem cum illo ictam ſervaturum pollicebatur: ſi ſecundum conditiones illa à Maximiliano quoque obſervetur. Ante paucos dies, quam Sabanus adveniſſet, Bartholomæus Ornæus, miles & expeditus curſor Comaroienſis cum literis ad Albertum de Niis Belgam, qui Byzantii legatum agebat, miſſus eadem de re fuerat; jubebaturque dicere Solimano & purpuratis, Ferdinandum vita exceſſiſſe, Maximiliano ſucceſſore relicto, qui brevi munera miſſurus ſit, & ſe ad pactas cum patre pacis conditiones accommodaturus. Eodem cum reſponſo Sabanus dimiſſus eſt; & poſt obitum Ferdinandi ad annum ferè inſequentem res Pannonicæ, quæ in hunc modum tranquillo in ſtatu eſſe videbantur, puncto temporis, violata à Tranſilvanis pace, in apertum bellum exarſere, & Maximilianum, quamquam à belli co-

litera Solimani ad Cæſarem de induciis ſervandis.

Bello à Tranſilvanis excitato res Pannonicæ turbantur. Bathorius Somlianus,

gitationibus non parum abhorrentem, inexpectatæ tamen injuriæ dolore non parum exacerbatum, ad iracundiam & vindictæ deſiderium exacuerunt. 1564.

Balaſſio abſente Sacmarium,

Cùm enim Balaſſius Sacmario exiens, Caſſoviam ad Franciſcum Zajum, incertum quas ob cauſas, veniſſet, Andream Meſſerum Semigianum origine legatum ſuum ibi reliquit. Sed quum is quoque nullas ſuſpectans inſidias, Vardam profectus eſſet, Stephano Bathorio Somliano, qui tunc Varadino præerat, & ad quem jure hæreditario, ut diximus, pertinebat, à civibus, qui ob veteris temperatæque dominationis memoriam ei favebant, per idoneos homines clam ſignificatum eſt, Balaſſium abducta majori præſidii parte oppido diſceſſiſſe; proinde ſi cum ſuis copiis locum ſilentio adoriri maturaret, commodam eſſe intercipiendi occaſionem, cui juvandæ neque ipſi defuturi eſſent. Quamobrem leviores quadrigas extemplo Varadienſibus imperat, quarum ſatis magnus numerus ibi cogi poterat, in quas pedites ſumma celeritate collocat; iterque ita inſtituit ut ad initium noctis haud procul Sacmario eſſet. Ibi ante lucem, aperientibus portam civibus, oppidum ſilentio ingreditur, & cohortatus pedites caſtellum, quod in inſula erat, quam Samoſus flumen è Tranſilvaniæ alpibus defluens, in duos ibi diviſum alveos efficit, ſumma vi aggreditur. Pauci qui intus erant milites Germani ac Ungari, quum ad ſubitum clamorem evigilaſſent, arma cepêre. Sed quum vallum è materia tumultuarii operis conſtaret, & ab hoſtibus, quibus etiam oppidani ſeſe aggregaverant, partim dolabris & ſecuribus patefactum, partim verò ſcalis appoſitis, ſcandendo captum animadvertiſſet; pars quæ reſiſtere cœperat, cæſa eſt, pars poſtquam ſe adverſæ fortunæ reluctari non poſſe videret, deditionem fecit.

Sacmarium aſtu militari occupat.

Balaſſii conjunx cum filio & filia in Tranſilvaniã abducta.

Conjunx Balaſſii, quæ Franciſci Turzonis ſoror erat, cum filia nubili, & Stephano filio, quartumdecimum ætatis annum agente capta fuit: ac multa & varia ejus ſupellex, quotidianis uſibus deſtinata in prædam verſa. Nam carior & pretioſior ad arcem Detreconem, quam à Ferdinando in Auſtriæ & Ungariæ confinio, dono acceperat, antea tranſmiſſa erat. Prædæ quantum fuit, armis & tormentis exceptis, pro navata opera militibus conceſſum; captivi omnes dimiſſi, præter uxorem ejus & liberos, qui in Tranſilvaniam miſſi fuêre, ubi illa & filia, morbo & mœrore animi & luctu contracto, brevi contabeſcentes vitam cum morbo commutavêre; cùm Stephanus puer biennio poſt, cùm pater è vivis exceſſiſſet, à Joanne Sigiſmundo dimiſſus, poſtliminio rediiſſet. Proximum oppidum, quod Rivulum Dominarum vocant, de quo antea diximus, quarto milliari diſſitum, ad primum Somliani adventum portas aperuit; & arx ad angulum urbis ſita, quam Balaſſiani haud magno numero tenebant, poſt aliquot dierum oppugnationem eâ conditione, ut cum omnibus rebus & ſarcinis dimitterentur, pari ſucceſſu in ejus poteſtatem pervenit; & utrumque præſidiario milite firmatum munitumque eſt.

Dehinc Rivulum Dominarum oppidum cum arce deditione capit.

Joan. Sigiſmund. felici ſucceſſu tumidus, bellum

Cùm hæc ad Sigiſmundum perlata eſſent, qualicunque fortunæ ſucceſſu elatus, juvenili ardore atque impetu, neglectis pacis ac induciarum, quas per legatos expetiverat, conditionibus, exercitum comparare, excitiſque Siculis & Saxonibus, & milite ſtipendiario undiqueque colle-

1564. Maximiliano Cæſari indicit. collecto, bellum Maximiliano inferre conſtituit: cumque omnes Varadinum confluere juſſiſſet, tormentaque & eorum apparatum præmiſiſſet, ipſemet poſito militiæ rudimento, exercitum ducere voluit, ac in eo Stephanum Bathorium Somlianum Secretario recens capto clarum, poſt ſe legatum in exercitu conſtituit, qui ad ſexdecim millium militum ſummam efficere dicebatur. Jam æſtas in autumnum inclinaverat, & continuis pluviis cælo ingruentibus incommoda ducendo exercitui erant innera; adeo ut & tormenta curulis, & alia impedimenta difficillimè protrahi poſſent, & peditatus molli & profundo, ideoque lubrico cœno vix pedem figere valeret: ipſe tamen tyrocinio alacer & promptus, ſuperare omnes rerum difficultates & progredi, ac ſuos ut idem facerent cohortari contendebat.

Cæterùm ſeptimis caſtris Hadadum perventum eſt, quod proximâ clade Tranſilvanis illata à Cæſarianis captum, præſidioque firmatum erat. Illud primum obſidione circumvallandum, ad delendam ignominiam decrevit, conſtitutis vineis & aggeribus tormenta majora provehi, & in arcem bipartito dirigi juſſit. Reliquerant in arce Zajus & Balaſſius præfectum Matthiam Senniefium, virum fortem & militarem, cum ſua ala equitum, ac ducentis peditibus Ungaris, cohorteque militum Germanorum, qui omnes integrè ſe tuebantur.

Hadadū arcem vi expugnat. Sed quum murus vetuſtate debilior eſſet, quàm ut vim & impetum majorum pilarum perferre poſſet, poſt paucorum dierum oppugnationem lato patefacto hiatu procidit. Et quamquam ii qui intus erant, cohortante & monſtrante Senniefio, doliis terrâ repletis ac materiâ ruinas obſtruere, & aditum hoſtibus præcludere conſarentur; tamen quia tam mœnia aſſiduis ictibus ſternebantur, quàm iis qui propugnabant, conſiſtendi in mœnibus facultas denſa glãdium procella eripiebatur, Joan. Sigiſmundus tympanis ac tubis crepitantibus ſignum irrumpendi dari jubet. Nec mora, magna peditum multitudo acri facto impetu per ruinas conſcendit; quos præſidiarii, protracto duabus ferè horis certamine fortiſſimè ſuſtinuêre; pluriniosque ex iis ſclopetis & haſtis omnique telorum genere partim trucidare, partim ſauciatos detrudere conati, ad extremum cum Somliano plures integros ſauciis & recentiores fatigatis ſubmittente, Cæſariani vulnerato Senniefio præfecto, victi terga dedêre. Compluces primo eo hoſtium impetu occiſi, cæteri in deditionem venêre, quos Joannes Sigiſmundus eâ conditione, ne hoc bello durante adverſum ſe arma ſumerent, incolumes dimiti juſſit. Senniefium verò medicis, qui eum ex vulneribus curarent commendavit, ac demum poſt confectum bellum armis, pecunia, equis & veſtibus donatum ad ſuos remiſit. Balaſſius & Zajus conſilii inopes, atque rebus omnibus imparati, Caſſoviæ mœnibus ſeſe continebant, & quod erat reliquum, Maximilianum de illius hoſtili irruptione certiorem reddebant; præſidiarios arcium finitimarum, ut ſe tuerentur, ac conſtanter in fide permanerent, per crebros nuntios & literas commonefaciebant.

At Joannes Sigiſmondus Bathorio oppido, & munitione Sancti Martini, ad ulteriorem ripam Tibiſci ſita, eâdem celeritate in poteſtatem redactis, ad obſidendum potiùs quàm oppugnandum Echedum, Bathoriæ familiæ munimentum, caſtra promovit. *1564. Inde ad oppidum Echedū caſtra promovet* Illud ingentis paludis ac profundæ æſtuariis undique cinctum eſt, quod nec ulla hyemis, frigorisque duritie adſtringi glacie, ita ut permeari pedibus queat, traditur. Quapropter Nicolaus Bathorius ejus minas atque obſidionem adeò contemnebat, ut nuptias, quas fortè eo die cuidam militi ſuo celebrandas conſtituiſſet, minimè intermitteret. Sed diſpoſitis per mœnia excubiis, ac miſſis extra vallum cuſtodiæ cauſa cohortibus, ipſe tripudiis choreiſque vacaret. Nihilo tamen minus quòd Joannes Sigiſmundus omnem ſubjectum agrum ſe populaturum, & oppida Bathorii, pagoſque omnes concrematurum minaretur; *Nicol. Bathor. cum eo paciſcitur.* atque intereà Malebus Temeſvarii præfectus, cum tribus millibus Turcarum auxilio veniſſet cum Somliano ejus internuntio, neceſſario magis quàm honeſto conſilio ita paciſci eſt coactus, ut ſi intra ſexageſimum diem Cæſariani exercitûs duces apertis in campis auxilium non attuliſſent, ipſius præſidiis intromiſſis, ſe & arcem ejus poteſtati permitteret.

Mox ad Vardam oppugnandam contendit Itum deinde eſt ad Vardam oppugnandam, quam minorem vocant, cum copiis omnibus & tormentis. Eam fratres Vardani, vetere & nobili familiâ orti obtinebant; & Stephanus major natu, præſidium cum cohorte & ala equitum in ea agitabat. Inſtar Echedii paluſtri loco ſita eſt, ac uno tantùm itinere, ſolis pontibus oblongis adiri ſolet, ob idque difficilem habet oppugnationem: quam quidem ſuperioribus bellorum tumultibus, bis aut ter ſuſtinuiſſe ſupra diximus. Quamquam autem ſubito belli terrore admoto Vardanus, veluti rebus imparatis, non parum ſe periculi adiiſſe videret, pro veteri tamen ſuâ & familiæ conſtantiâ & virtute, portas adventanti hoſti clauſit, & ſe ad defenſionem præſenti animo comparavit, hoſteſque aggeribus conſtruendis intentos, directis ex arce tormentis adeo infeſtavit, ut intermittere opus, & ad venturæ noctis tenebras differre cogerentur.

Angebat ea res haud mediocriter animum Tranſilvani, qui quum omnia celeritati ſuæ ceſſura ſperaret, Caſſoviam & vicinas ſuperioris Pannoniæ urbes ſibi animo deſtinabat; ſpemque eam hujus unius munitæ arcis obſtaculo remorari moleſtè ferebat. *Somlianus Vardans, ut ſe dedat, omnibus ratiõnū machinis ſuadet.* Quapropter Somlianum ad ſe accitum ad arcem ire, ſuoque nomine Vardanum ad honeſtas conditiones ineundas hortari jubet potiùs quàm vim experiri ſuam. Qui quum datâ acceptâque fide Vardanum ex arce evocaſſet, multis verbis eum hortatus eſt, ne fortunæ reluctari vellet: ſed Joanni Sigiſmundo legitimo principi arcem, ſeque traderet, quæ iiſdem legibus, quibus hactenus apud illum, & fratres relinqueretur; quod ſi fiducia tolerata antea duplicis obſidionis teneretur, id tantum nunc in tanto poſitus diſcrimine cogitaret, illis conatibus duces, cum mediocribus copiis inter mutuas obtrectationes, & diſſidia, poſtremò peſſimis artibus & malignâ fide bellum geſſiſſe; nunc ipſum principem cum ingenti exercitu, maximiſque tormentorum apparatibus imminere; Turcas etiam, quorum robur, & vim acrem & indomitam eſſe non ignoraret, haud exiguo numero adeſſe: proptereà ſi ſibi ſalutaria monenti obtemperandum putaret, hortari ſe pro veteri amicitia & neceſſitudine

1564. tudine deditionem recuſet, aut differat; ne ſi id pertinacius faciat, certiſſimum ei vitæ & fortunarum omnium diſcrimen ſubeundum ſit, nec ullum gratiæ aut miſericordiæ genus ab irato principe expectandum. Sed quum Somlianus nullis verborum minis deditionem extorquere poſſe videretur, re infectâ in caſtra reverſus eſt; & Vardanus duos ingentes frugum acervos, nondum excuſſis granis, in inſulam, quæ ante arcem eſt congeſtos, ne iis hoſtibus uſui eſſent, injecto ſuis manibus igne concremavit, regreſſuſque in arcem ſeſe ad obſidionem paravit.

Vardanus Somliani perſuaſionibus expugnatus, iiſdem, quibus paulo ante Bathorius pactus erat, conditionibus aſſentitur.

Verùm cùm Tranſilvanus, qui vires ulterius proferre cupiebat, nec tamen à tergo hoſtilem arcem relinquendam putaret, Somlianum ut cum Vardano quibuſcunque poſſet conditionibus tranſigeret, iterum reverti juſſit, & poſt multas & longas verborum contentiones Vardanus, quamquam nihil vetere ſuâ conſtantiâ indignum deſignare vellet, tamen victus poſtremò & expugnatus, ut incertæ obſidionis difficultates & incommoda caveret, ac intolerandis miſerorum incolarum calamitatibus, quæ procul dubio erant perferendæ, avertendis conſuleret, iiſdem, quibus ante paucos dies Nicolaus Bathorius pactus erat, conditionibus ſubſcripſit. Lætus eâ tranſactione Joannes Sigiſmundus, veluti remoto obice, eundum ulterius exiſtimavit; ac ponte è navibus ad Tocajum facto, quod ejus nomine Franciſcus Nemethius obtinebat, Tibiſcum trajecit: ita ut copias ſuas omnes & tormenta tranſire juberet: Malchum tamen Temeſvarienſem cum ſuis Turcis in ulteriori ripa relinqueret; eo conſilio, ne ſi barbaros, rapinis, furto, ac populationibus & cædibus vivere aſſuetos tranſduxiſſet, incolarum animos abs ſe abalienaret.

Hinc Covazonem captam ſolo æquat.

Per hunc modum ſuperato Tibiſco, Covazonem arcem ſuperioribus bellis dirutam, atque iterum reſtauratam, tormentis majoribus oppugnare adortus eſt. Quæ quum eorum impetum ferre non poſſet, deditionem fecit; quam exemplo diruı funditus, & ſolo æquari juſſit: nihil deinde intermiſſâ celeritate, ad Athiam, quæ duorum illinc milliarium ſpatio diſtabat, Michaëlis Bidit arcem pervenit; in qua Cæſarianorum militum præſidium erat; duce Simone Zalajo, ipſius olim Telegneſſii neceſſario, ſed qui conceptæ multorum hominum de ſe ſpei atque expectationi ea in obſidione minimè reſpondiſſet.

Et Athiam Bidit arcem eadem celeritate occupat.

Cùm tormenta in aggeres provecta, ac mœnibus admota eſſent, tanta ferrearum prægrandium pilarum vis extitit, ut non ſolum murum debilem atque tenuem facilè perforarent; ſed etiam aliam ejus partem, quæ ex oppoſito eminebat, eodem ictu utrinque penetrarent. Eâ re tam Bidius, qui natura imbellis & inefficacis ingenii habebatur, quam Zalajus non mediocri metu perfuſi, de ſervanda arce prorſus deſperare cogebantur: nec ulla erat in auxiliis ſpes, quum Zajus & Balaſſius tuendæ potiùs Caſſoviæ, & vicinarum civitatum ſaluti proſpicere, quàm eas quas habebant, exiguas militum copias ad præſidia dividere ſe poſſe exiſtimarent. Itaque obſeſſi, rebus deſperatis, de muro cum hoſte colloqui, ac ut ad Somlianum nuntios mitterent, petere conſtituerunt. Quo impetrato, iis conditionibus, ut eum equis, armis, omnique ſupellectili incolumes dimitterentur, deditionem obtulêre. Quas conditiones Tranſilvanus, deprecante Somliano, haud cunctanter admiſit: tum quod Bidio parcendum putaret; tum verò quod magnopere de ſumma rerum ſolicitus, ſuſcepti conſilii rationes & propoſitum tenere, audendoque & agendo ad tentandum maturè Caſſoviam properare contendebat. Cùm igitur ſubſcriptis & confirmatis conditionibus obſeſſi cum ſarcinis exire deberent, & Bidius curribus deſtitueretur, Somlianus ſingulari humanitate & beneficio ſuos equos & currus ei conceſſit, per quos uxorem & liberos & res ſuas in tutum avexit: ſicque Somlianus Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſi, vetere ſibi amicitia juncto, cujus ſororem Bidius in matrimonio habebat, gratificari voluit. 1564.

Somliani in Bidium humanitas.

Tranſilvanus ad Caſſoviã expugnandam animum adjicit.

Tranſilvanus utraque arce dirutâ & everſâ, copias ad Caſſoviæ conſpectum adducere, Zajumque & Balaſſium ancipiti obſidione incluſos, & intercepto commeatu, ad rerum omnium difficultates & anguſtias redactos, aut vi expugnare, aut ad deditionem compellere in animo habebat. Verùm hæc eum vel appoſitè deliberantem fortuna Cæſarianis ex profeſſo favens, & illius conatibus maximè infenſa facile irriſit; nec enim ulterius progredi aut deſtinata perficere paſſa eſt. Nam cœlum repentè turbatum, tot & tantos imbres ei iter habenti ſuperinfudit, ut intumeſcentibus ſubitâ inundatione etiam exiguis rivulis, agri omnia & campi aquis innatarent, & itineribus profundo impeditis cœno, tormentorum & curruum rotæ uſque ad axes mergerentur, nec quicquam extrahere valentibus jumentis, & milites fracti animis eam horridæ & frigidioris tempeſtatis injuriam perferre non poſſent. Prætoria quoque ipſius tabernacula, quamquam tabulatis & aſſeribus altiuſcule conſtrata adiri non poterant, niſi cruribus & femoribus ad uſque genua cœno immerſis: ſic ut reliqua tentoria ventis validiſſimè perflantibus paſſim dejicerentur; & equi molli & lutulentâ tellure nequaquam conſiſtere poſſent.

Cœli injuriis coepto abſiſtere compellitur.

Quibus jactata incommodis caſtra, commeatûs quoque convehendi extrema difficultas, & imminens deſperatio maximè conterrebat: & aſſiduo humore ſuperinfuſo, nec ulla apparente ſerenioris cæli benignitate, cibaria etiam, quorum jam penuria ſentiri cœperat, non obſcurè corrumpebantur. Sed & Turcæ trans flumen relicti, quamquam alias indomito robore omnes aëris injurias perferre ſoliti, deſpondere animos cœperant, & ſe domum redituros frequenter ſignificabant. Tum Joannes Sigiſmundus infeſtæ fortunæ fruſtra indignari, ſeſe propoſito conſilio dejectum fremere, graviſſimis & inopinatis rerum caſibus retardatum conqueri. Sed quum diræ neceſſitati ex profeſſo acerrimè reſiſtenti manus dare cogeretur, relictis omnibus adeundæ Caſſoviæ conſiliis, reverti conſtituit: relictiſque Tocaji tormentis, quæ vel duplicatis equorum vel boum jugis propter iniquitatem itineris provehi non poterant, Tibiſcum eodem ponte, quo venerat, trajecit: Turciſque ad ſuas ſtationes dimiſſis, ipſe difficillimo itinere compluribus impedimentis, equiſque & ſarcinis amiſſis, Varadinum contendit: atque illinc ejus copiæ extrema laſſitudine fatigatæ, duriſſimiſque afflictæ incommodis, ad ſua loca diſceſſere. In redeundo diurnis nocturniſque pluviis nequaquam ceſſantibus, Echedum & Vardam abſque maleficio

præ-

1564.

prætervectus eſt, quod iter ſuapte natura etiam æquiore cælo, humidum, lutulentumque eſſe ſolet; pactas tamen nuperrimè conditiones, nec litteris neque nuntiis urgendas exiſtimavit; ſicq; Bathorius & Vardanus illis nequaquam amplius illigati, ad priſtina Cæſaris obſequia redierunt. In quos Cæſar non aliter animadvertit, quàm quod ſatis habuerit, illum quidem per litteras ſeveriores, hunc autem, qui ſui excuſandi cauſa Viennam venerat, per aliquot menſes detentum graviſſimis verbis caſtigâſſe.

Exercitus à Maximiliano Cæſ. comparatus, duce Suendio in Tranſilvaniam mittitur.

Tantus ipſo in exordio regni affectus injuriis Maximilianus, nequaquam ferendas eas exiſtimans, exercitum ſinè mora comparare, inſolentiáſque Tranſilvani, generoſo ſuſcepto conſilio, armis & bello vindicandas eſſe decrevit. Igitur conquiſita ſummo ſtudio undique pecunia, cujus, quòd, unde nihil turbarum expectaſſet, inopinum & inexpectatum bellum erupiſſet, non mediocri penuriâ laborabat, militem conſcribi juſſit: evocavitque ex Alſatia Lazarum Suendium, qui præterquam quòd magna optimarum litterarum cognitione pollebat, pluribus etiam in bellis Caroli Quinti Imp. equitum ordines duxiſſet, rebus præclarè geſtis, famam pugnacis ſimul & cauti ducis erat conſequutus. Is concedente Philippo Rege Hiſpaniarum, cujus ſtipendiis erat adductus, brevì Viennam venit, ac gerendo bello ſummus dux eſt declaratus: & Andreas

Cui Andreas Bathorius collega adjungitur.

Bathorius ut locorum & regionis peritior, æquatâ poteſtate, collega ei additus, qui legatum habebat Joannem Palaticium, ſuperioribus bellis Tranſilvanicis imprimis exercitatum. E præſidio etiam Jaurienſi Joannes Rubetus, vir militia præſtans, cum ducentis equitibus, ac Georgius Bellerus, cum quingentis peditibus Germanis, primo quòque tempore, in id bellum ire juſſi ſunt. Adduxêre etiam equites Germanos Suendii curâ & ſtudio Johannes Aſcelburgius, Henricus Glacentallius, & Johannes Schulenburgius; pedites verò Johannes Bernardus Ratenavius. Jacobus Ramingus, aliique tribuni, atque omnes per Turocium, Liptoviam, & Scepuſium in ſuperiorem Ungariam contenderunt: ibique per oppida, ac Caſſoviæ & Eperieſſii ſuburbana distributis copiis, Suendium & Bathorium expectavêre. A quibus paulò pòſt ucto tormenta currulia, ratæ magnitudinis cum neceſſario apparatu, concretis glacie ob ingentem hiemis duritiem itineribus præmiſſa ſunt.

Cæſaris litteræ ad Regem Poloniæ de Tranſilvani injuriis.

Inter hæc Cæſar, datis ad Sigiſmundum Poloniæ Regem litteris, de gravibus & inſperatis Tranſilvani, cui ille erat avunculus, contumeliis conqueſtus eſt; admonito eo, ut illum ad res reddendas, & ſervanda fœdera hortaretur. Rex æqua petenti Cæſari facilè obtemperavit, ac nepotem per litteras ſeriò admonuit, & Cæſari, à quo pacem ſuo quòque interventu magnopere poſtulaſſet, neque ex fœdere cum Turcis icto, in quo eſſet comprehenſus, neque ex commodo ſuæ gentis inferre licuiſſe oſtendit. Verùm ille in id unum avunculo, miſſis litteris, quas Rex ad Cæſarem ſuis adjunctas miſit, ſe ſingulari perſeverantiâ ſervandis fœderibus incubuiſſe, reſpondit: ſed à Cæſarianis ducibus, ac Balaſſio imprimis, qui Caſtellis in Tranſilvaniæ ditione extructis, commeatum à Muncacio & Huſtu

Tranſilvanus culpam in Balaſſium transfert

avertere conatus eſſet, incoláſque intolerandis malis & contumeliis exagitaſſet, itinera rapinis & cædibus obviorum quorumcunque & mercatorum è Polonia commeantium, infeſta reddidiſſet, provocatum, pro tuendis finibus arma ſumpſiſſe; & deinceps quòque licitum provinciæ ſuæ, & ſubditorum populorum tutelam ſibi curæ fore.

1565.

Quibus rebus, & ſuperbo illius reſponſo irritatus atque exaſperatus Cæſar, injurias ſuas magis ac magìs ultum ire maturavit: Suendiumque ad res gerendas, & adminiſtrandum bellum Calendis Januariis, horrida, & qualem à multis retroactis annis vix fuiſſe memorabant, aſperrimâ hieme abſe dimiſit: iſque ſuſcepto haud cunctanter itinere, ad Eperieſſium paucis diebus pervenit. Profecto Suendio, Cæſar Acacium Chabum, hiremis nomi treterat chum virum industrium & militarem, ac Georgium Cirqueium, Conſtantinopolim miſit; adjunxitque eis Michaëlem Cernovitium Epirotam, qui ibi multis annis Venetorum interpretis officio functus; poſtremò apud Senatum in ſuſpicionem fluxæ fidei incidens, ad Cæſarem ſe contulerat. Per hos munus honorarium trium præteritorum annorum Solimano miſſum eſt, & purpuratis quorum princeps Aly Ruſtaniæ generi ſucceſſer, antea è vivis exceſſerat, atque in ejus locum Mehemetes purpuratorum tertius erat ſuffectus; qui repudiare uxorem, ſic jubente Solimano, & neptem ejus, Selimi nempe principis filiam, paulò ante ducere erat coactus. Receptis ad ſe munerihus, dum de reddendo Sacmario, & Rivulo Dominarum, ut noſtri vocant, Byzantii diſceptatur, Bathorius & Suendius Eperieſſium convenêre, cóque Balaſſium & Zajum cæteroſque Duces ac præfectos convocavêre, ſimul que illis de progreſſu belli, & tentanda fortuna deliberandum propoſuêre.

Suendius aſperrimâ hieme Eperieſſum contendit.

Anno 1565. Legati ad Solimanum cum munere honorario miſſi à Cæſare. Aly extincto ſuccedit Mehemetes.

Deliberatio Suendii de bello gerendo.

Et primum exquirebatur, utrum ex duobus aggredi atque oppugnari conſultius foret, Tocajum ne, quod Nemethius ipſe cum mille & quingentis militibus ſelectiſſimis tueri dicebatur, aut Serencium, duobus parvis milliaribus propinquius, ad cujus defenſionem præcipuos peditum, & pugnaciſſimum quemque præmiſerat, ratus Cæſarianos, primo conatu illud invaſuros. Una erat omnium in progrediendo voluntas, ne quid temporis cunctando aut protrahendo amitteretur, ſed rem omnem in celeritate conſiſtere putarent; in agendo tamen & bello inchoando in duas ibatur ſententias: quarum altera auctore Balaſſio, ne quid hoſtile à tergo relinqueretur, Serencium primo impetu expugnandum ſuadebat: ac deinde ad Tocaji obſidionem procedendum: alteram Bathorius divino ingenio omnia ponderare atque providere ſolitus, multis adductis in medium rationibus tuebatur: totamque utriusque partis & imperii exiſtimationem, in Tocaji defenſione expugnationeque poſitam eſſe; illud caput, illud primum eſſe debere diſſerebat: nunc ſiquidem concretis frigore fluminibus utriſque (ad confluentes enim Tibiſcum & Bodrogum fluvios opportuniſſimo loco ſitum eſt) etiam tormentis majoribus per craſſiorem glaciem facilis tranſitus præberetur, eaque, quacunque ex parte opus ſit, diruendæ arci admoveri poſſint; quæ flumina ſi reſolutâ glacie fluere incipiant, locum nullâ arte, nullis viribus expugnabilem fore. Itaque ſibi videri, ut relicto Serencio, cujus præſidiarii pedites, tuendo loco impoſiti, nequaquam tanto numero eſſe dicantur, ut ipſis Tocaio incumbentibus magnopere nocere queant; illud primo quòque tempore invadendum & expugnandum eſſe; quo capto Serencium facili negotio in poteſtatem venturum.

Suen-

1565.

Suendius quamquam erat regionis & locorum ignarus, prolatis tamen tabellis, quibus ſitus & diſtantiæ deſcriptæ continebantur, ac rationibus à Bathorio adductis perſuaſus ei protinus aſſenſit, & ambo ad Tocaium caſtra promovenda decreverunt: potiſſimùm quòd id cæteris etiam omnibus ratione victis probari animadvertiſſet. Igitur Calendis Februariis Serencio & Tarcialo oppido à dextra relictis, ſub vinetis nobiliſſimi vini proventu celeberrimis, ad oppidum Quercſtutium, explicatis ſignis, & conſtructis aciebus duxère, tormentis ſubſequi juſſit. Bathorius, quòd ei à pluribus retro annis, inclementiores ac nodoſi articulorum dolores, artus ferè omnes & membra diſtorſiſſent, curru vectus in exercitu imperio fungebatur.

Suendius Tocaium obſidione cingit.

Suendius verò ſitum loci inſpecturus, quadringentis equitibus Germanis, totidemque Ungaris, inter quos Balaſſius eminebat, ſibi adjunctis, ex Quercſtutio in conſpectum Tocaii delatus, Johannem Palancium Bathorii legatum cum ducentis equitibus præmiſit: qui cum hoſtibus pari pugnæ ſtudio incitatis & procurrentibus, leve certamen contraxit, ac paulò poſt quum equitatus, Suendio adducente, ſubſidio prælantibus adcurriſſet, & utrinque pauci cecidiſſent, hoſtes in arcem & noſtri in caſtra ſeſe recepe-

Copia noſtra Hũgarorum ſubſidiis aucta.

runt. Sequenti die Gabriel Perenius ex Sarospataco cum quadringentis equitibus, ac bis totidem peditibus, ſuâ pecuniâ conductis in caſtra ad Suendium venit, & quatuor colubrinas mediocres adduxit. Nicolaus etiam Bathorius ad fratrem ducentos equites, duce Ladislao Siculo miſit, cum duabus colubrinis, quibus olim Andreas frater Huſtum, tuente Chriſtophoro Caſaſio, oppugnaverat. Alii quòque è Nobilitate complures, ſuas alas equitum & cohortes adjunxère.

Oppidum capitur.

Nec mora, oppidum commeatu varii generis & vino præſertim plenum, quòd hactenus ab hoſtibus defenſum fuerat, vallo, quod ſimplici materiâ conſtabat, aliquot in locis dejectu, ab irruente peditatu, defenſoribus in arcem ſeſe recipientibus, cum cæde plurimorum captum eſt; ſingulari peditum Germanorum commodo, qui frigidiſſima cæli aſperitate, in domos luculento igne calefactas, & certis ad fovenda membra obſoniis & vino refertas, ſe recipere, atque ex iis ad excubias obeundas, & alia oppugnationis munia, ducúmque imperia exequenda, recentes & vegeti, contempta omni hiemis injuria, facilè provolabant.

Mox ad arcem oppugnandam vires convertunt.

Capto oppido Bathorius & Suendius nihil cunctati, ad arcem oppugnandam animos, vireſque converterunt, ſic inſtituto oppugnationis ordine, ut Balaſſium cum parte copiarum Ungaricarum, ac quatuor colubrinis Tibiſcum per glaciem tranſire, atque illinc à parte orientali mœnia quatere juberent; ipſi verò conſtituto ex parte alterius fluminis Bodrogi aggeribus & vineis, tormenta quatuor majora collocarent, eorumque pilis aſſiduè in arcem conjectis, dejicere muros, & obſeſſis terrorem incutere haud intermitterent. Collem, qui ad occidentalem partem dimidio ferè ſtadio ab arce abeſt, occupandum, inque eo tres majores colubrinas conſtituendas, ſicque tribus ex partibus oppugnationem ſummâ vi inchoandam juſsêre. Gabriel verò Perenius, privato in Nemethium, à quo pluribus injuriis affectus erat, odio accenſus, cum ſuo peculiari tormentorum apparatu, concedentibus ducibus, ex oppoſito oppidi, aggerem ſtatuit, atque illinc directis in arcis interiora pilis hoſtes infeſtandos duxit. Incredibili autem commodo Cæſarianis erat rigida craſſiorque glacies, non ſolùm militi & equitibus permeabilis, ſed quæ ingentia etiam plauſtra impedimentis onuſta, & vaſtam tormentorum molem & pondus tutiſſimè ſuſtineret.

Glaciei craſſitudo nobis magnæ uſui. 1565.

Diſpoſitis hoc ordine tormentis, ut repentinus hoſti metus inferretur, Suendius & Bathorius primis conatibus celeritatem adhibendam judicavêre; idcoque quum quarto poſt inceptam oppugnationem die, pars quædam propugnaculi, quod ad Bodrogum protendebatur, pilarum vi proſtrata eſſet, ſignum invadendi muros propoſuère. Itaque ab Ungaris pariter & Germanis, qui è vaporariis oppidi domibus calidi atque alacres, ſumptis armis proſiliebant, magnâ promptitudine procurſum eſt, conantibus per proſtrati muri ruinas certatim conſcendere.

Prima noſtrorũ oppugnatio irrito ſucceſſu.

Ex adverſo Nemethius & qui intus erant, majore quo poterant virium robore ſeſe tuebantur, ac Germanos tormentis & ſclopetorum glandibus, aliiſque telis miſſilibus, igneque artificiosè facto arcere contendebant: primaque ea oppugnatio eum habuit eventum, ut obſeſſis ſummâ vi & conſtantiâ propugnantibus, irritum caderet, noſtriſque repulſis & rejectis, Suendius receptui ſignum dare, ſuóſque revocare cogeretur: quum ex Germanis atque aliis, eo in conatu haud pauciores ſexcentis militibus amiſiſſet; ac complures ex iis in foveas nequaquam animadverſas, quæ ab hoſtibus per glaciem paulò ante apertæ erant, mergerentur: inter quos Rudolphus Halla, egregius juvenis, Ramingerianæ cohortis ſignifer, improviſo caſu abſorptus interiit. In partibus hoſtium Joſephus Ragiocius, Nemethii legatus, vir militaris ſclopeti glande vulnus in humero ſuſcepit: & multi alii ſauciati fuêre.

At Cæſariani duces nihil eo accepto incommodo perturbati, certamen & oppugnationem pari audacia, nec minoribus viribus redintegrandam exiſtimarunt. Erat propugnaculum aliud è materia ac roboreis trabibus extructum, terráque repletum, qualia ferè in Pannonia ob laterum & calcis penuriam conſtitui ſolent, illud majorum tormentorum pilis ferreis aſſiduè concuti & verberari juſſerunt; poſtremò quòd acceſſus in imo ad fundamenta facilior & tutior eſſe videretur, quàm quod ab hoſte arceri eminus poſſet: eò magnus numerus operarum cum ligonibus & batillis, ac ſecuribus, aliiſque ferramentis mittitur; quibus ut ab imo robora & ſepimenta ſuffodiant, jubetur. Itaque poſtquam humus in ſuperficie quidem gelu & frigore conſtricta & durior, ubi verò paulò profundius egeſta eſſet, molleſcens ergatarum induſtriæ, ac aſſiduo labori ceſſiſſet, robora catenis & craſſioribus funibus loco mota, ſimul cum terra repentè corruerunt, adeo ut per eorum ruinas & hiatum irrumpi poſſe non dubitaretur.

Oppugnatio ac à noſtris redintegrata.

Quarto igitur poſt priorem irritúmque conatum die, repetita oppugnatio eſt, ſic ut à meridie uſque ad primas tenebras, pari utrimque pertinaciâ dimicaretur. Ad extremum quum Cæſarianis recentes ſubinde ac novi milites ſubvenirent, rejecti hoſtes, amiſſo propugnaculo, in interiorem arcem, quæ è lateritio muro tota conſtabat, multis ſociorum amiſſis, ſeſe receperunt: Germani verò atque Ungari eodem in propugnaculo, quod manu ceperant,

Propugnaculũ

1565.

Capitur, hoſte in interiorē arcem refugiente.

rant, factis ibidem ſcrobibus ac ſubitariis quas poterant munitionibus pernoctarunt. Illuceſcente aurora arcis interioris mænia tormentis quaſſari diruique cepta ſunt, & ſimul ii qui in propugnaculo erant, minorum glandium procellam, in eos qui aut per feneſtras, aut per alia patentia loca conſpici poterant, effundere, eosq; interficere aut ſauciare non intermittebant.

Eo modo protractâ oppugnatione, Nemethio & Tocaianis priſtinus ardor animorum magnopere remitti cepit: Nam neque tormentis majoribus, neque ſclopetis rem gerere poterant, quòd forinſecùs à Germanis, qui tormentario negotio præerant, loca & feneſtellæ, è quibus incluſi tormenta in oppugnantes diſplodebant, perfracta atque occupata eſſent, ita ut omnem de ſervanda arce ſpem abjeciſſe viderentur. Intereà cùm arcis etiam interioris mænia aſſiduis concuſſa ictibus hiatum feciſſent, & Germani ſeſe ſublevantes acriùs inſtare, & per ruinas reptando vexilla in muros efferre certatim contenderent, Nemethius ſuos, ut Germanis & Ungaris ſubeuntibus impigrè reſiſterent, cohortari voce, manu, exemplóque ad defendendum incitare, partim ignibus ex reſina & pice factis, ac ingentibus ſaxis, partim multo ſale lapideo, cujus magnam habebat copiam, provolutis, ſubeuntes prohibere. Dum in eo conatu incautiùs verſatur, minoris ſclopeti glande per frontem trajicitur, ac repentè corruit; ita ut cruore ejus ac diſſipati cerebri fruſtulis paries inficeretur. Nec tamen ejus interfecti fama Cæſarianis eo die innotuit.

Nemethius præfectus arcis ſclopeti glande trajectus obit.

Verùm quum milites exanimem eum in fornicem quendam ſepeliviſſent, orbati duce, in ſequentem diem nullâ factâ mora (ut rebus deſperatis fit) de deditione conſultare ceperunt, ac inducias à ducibus petiverunt. Quas quum unius duntaxat diei impetraſſent, ſimul & Nemethium interfectum ſignificatum, & arcem ſe dedituros, ſi eum rebus omnibus & ſarcinis abire incolumibus liceret, polliciti ſunt. Bathorius & Suendius quamquam ſe tam propere arce potituros minimè credidiſſent, & rem omnem in celeritate poſitam eſſe non ignorarent; tamen conditiones, quas petebant, reſtringere placuit; & deditis non niſi unis veſtibus, uniſque gladiis abire licere reſponderunt. Qua tradita re, mille circiter milites ex Nemethianis arce exceſſerunt, ipſum tumulinario feretro, nullâ Libitinæ aut funeris pompâ efferentes. Quem quum Balaſſius inſpicere voluiſſet, ne ſcilicet fraudi locus eſſet, duos pellium pretioſarum faſciculos, quales è Moſcovia adferri ſolent, capiti ſuppoſitos reperit; quos quum adimere vellet, à Suendio non eſſe fato functis inſultandum dicente prohibitus eſt. Inventa fuêre in arce quatuor ferè millia doliorum generoſiſſimi vini, pecunia verò ad unius myriadis ſummam, præterea multa alia rapinarum ac prædæ ſupellex; quæ Suendius partim militibus & ducibus diſtribuit, partim ad arcis neceſſitates ſervavit. Per hunc modum octavo, poſtquam oppugnari ceptum eſſet, die, capto ſpe celeriùs Tocaio, Bathorius & Suendius, quantùm hiemis duritie fieri poterat, arci reſtaurandæ & muniendæ operam dedêre, eamque Jacobo Rammingerio tuendam commiſere.

Præſidiarii ſe dedunt.

Octavo die Tocajum captum.

Inſtauratum & Rammingerio tuendum datum.

Nec mora, ab iis Balaſſius cum expedita parte copiarum, ac quatuor colubrinis, ad Serencium oppugnandum miſſus eſt; ſed ii, qui in præſidio erant, poſt quatriduî oppugnationem, ac nonnullos ictus tormentorum expectatos, tandem cognito Nemethium interfectum, arcem cum oppido captam, milites dimiſſos & dilapſos, nullam in auxiliis ſpem eſſe, haud ampliori dubitatione aut morâ interjectâ, ſeſe dederunt: ac pars in fidem à Balaſſio recepti, pars in Tranſilvaniam, aut quo cuilibet viſum, diſceſſere. Re ad Tocaium bene geſtâ Cæſariani Tibiſcum trajicere, & oblatam proferendi imperii, dilatandorumque finium occaſionem proſequi decreverunt; caſtraque in ulteriori ripa ad Racamaſum locaverunt. Quod quum Stephanus Bathorius Somlianus, qui Sacmarii rerum exitum præſtolabatur, variis primùm nuntiis, poſtremò à militibus qui è præſidio dimiſſi, in Tranſilvaniam catervarim iter intenderant, intellexiſſet, propterea quòd Samoſus flumen haud diſſimiliter ac Tibiſcus ad Tocaium glacie conſtrictus, ſuſtinendis etiam majoribus tormentis viam præberet, omni ſpe loci ſervandi abjectâ, caſtelloque incenſo & concremato, ſe cum militibus, qui intus erant, Varadinum recepit. Bathorius autem & Suendius oppidum facili negotio occuparunt, & quod opportuno loco ſitum judicarent, ea in inſula, quam ibi Samoſus in duo diviſus cornua efficit, arcem novam, ex materia & roboribus aſpere repletis, coacta magna incolarum totius regionis multitudine, ex fundamento erigere & conſtruere ceperunt.

Moxetiā Serenciū Balaſſio deditur.

Sacmarium à Somliana deſertum Suēdius occupat.

Et novā arcem in inſula conſtruere incipit.

Non longè aberat Erdodium, quæ arx cum compluribus aliis, olim illuſtris Dragfiorum familiæ erat; ſed illis fatu functis, & ſtirpitus deficientibus, Ferdinando regnante, ad fiſcum redigendæ erant. Sed priuſquam ab eo occuparentur, Georgius Bathorius, Andreæ & Nicolai, illo quidem junior, hoc autem natu grandior frater germanus, ducta Caſparis Dragfi vidua, quæ Stephani Somliani erat, uſurpatis arcibus & bonis, ad Tranſilvanicam Iſabellæ Reginæ, & ejus filii factionem tranſiverat: eoque tempore Erdodii morabatur, quum Cæſariani caſtris promotis non procul ab arce conſediſſent. Verùm is ſive quòd Andream fratrem in exercitu ſummum obtinere imperium ſciret, ejuſque fiducia ſubniteretur, ſive pacem futuram putaret, de qua legatos in caſtra venturos audiverat, ſive ſoliâ oſcitantiâ atque ignaviâ agitatus, in ferarum ſepto arci contiguo paſcendis cervis ac aliis feris ad amœnitatem dicato incautiùs ſpatiati, nihil de obſidione penſi habere, caſtrenſem fremitum, qui exaudiri poterat, ſupina negligentia flocci pendere. Balaſſio igitur cum antecurſoribus præeunte parum aberat, quin in Cæſarianorum manus incideret, niſi conſcenſo equo celeriter in arcem ſe proripuiſſet. Ex qua tametſi ſatis & arte & natura munita, ac ſi vis etiam ingrueret, vel longam obſidionem perferre valente, demiſſo fractoque animo, miſſis in caſtra ad Andream fratrem Nicolao Sixano Scriba, ac Andrea Calcario, de deditione tractare cæpit. Nec Suendius, quòd initus ejus conſilii rationibus celeritate opus eſſet, quin cum eo tranſigeret, quicquam dubitavit: Sicque Andrea collega, pro fratre magnopere laborante, Georgius in fidem gratiamque Cæſaris receptus eſt.

Erdodiū Georg. Batharius certis conditionibus Suendio dedit.

Conditiones fuêre (quamquam Andreas, ut illæ mitigarentur, ac res omnes apud fratrem manerent, contendebat) ut quicquid pecuniæ, commeatus, tormentorum bellicorum, aliarumque rerum Erdodii haberet, eo omni cederet. Quæ verò Cuvarii, Cehii, aliiſque arcibus recondita haberentur, omnia

1565. nia præter arces & ditionem ipſi relinquerentur, quas vacuas Cæſari, & ejus nomine Suendio ad certum diem traderet: ipſe ad Cicivam, paternam arcem cis Tibiſcum, haud procul Caſſovia, ad amnem Topolum ſitam ad habitandum ſe reciperet. Occupato Erdodio, quindecim millia argenteorum nummûm, quos Talleros vocant, ac veſtimenta variis pretioſiſque pellibus ſuffulta, cæteraque diverſi generis ſupellex, vini, hordei, farris, majoris minoriſque pecoris numerus haud contemnendus repertus fuit; quæ dimiſſo incolumi Georgio, ducibus & exercitui prædæ ceſſere. Sed & feræ majoris & minoris generis, ut cervi, capreoli, damæque ſclopetorum glandibus à quibuſvis impune ſternebantur: ita ut earum clauſtris & ſepimentis perfractis ac ad faciendos ignes diſtractis, partim puncto temporis ad uſum & cibaria exercitûs, cæſæ mactarentur, partim inſolito metu perterritæ, in vicinas ſilvas & montes torrento curſu provolarent.

Erdodiũ præſidio militari firmatũ.

Porrò Erdodium præſidio militari ſatis valido ab ducibus munitum eſt, eique ex Germanis Lauembergius tribunus, & ex Ungarorum numero Joannes Gionius, è diſciplina Telequeſſii, acerrimus equitum ductor, altero captus oculo, pari poteſtate præpoſiti. Dum Bathorius & Suendius ibi morantur, ac utrum perterritis hoſtibus incumbendum, & Varadinum obſidione cingendum ſit deliberant, deque ea re voluntatem Cæſaris præſtolantur, Suendius in templum ingreſſus, duos milites Germanos, qui Dragffiorum ſepulchra, revulſis marmoribus, opimæ, quam ineſſe putabant, prædæ inveſtigendæ cauſa, impio conatu aperuerant, fortè offendit, & enormis facti indignitate permotus, alterum pugione extemplò confodit, altero ſauciato & præcipiti fuga ſe ſubducente. Quo facto plurimorum hominum, & eorum potiſſimum, qui recens in poteſtatem conceſſerant, animos favoremque ſibi conciliavit.

Suendius duos milites ſepulchrorum effoſſores caſtigat.

Rivulus Dominarum deditionem offerens receptus eſt à Balaſſio.

Nec multò pòſt Balaſſius cum copiis & tormentis ad occupandum Rivulum Dominarum, amœnam & propinquam Erdodio urbeculam, ubi auri & argenti venæ magno operarum emolumento effodiuntur, miſſus eſt. Qui oppidanos ad multum ſpatium prodeuntes, ac deditionem ultro offerentes in poteſtatem recepit, & relicto in eo præſidio, in caſtra reverſus eſt. Jam prima veris initia adventaverant, cùm literæ à Cæſare ad duces allatæ ſunt, quibus ab invadendo Varadino prohibebantur, ne ea re majores bellorum motus, Turcis ad arma provocatis, excitarentur; ſed ut partas ditiones tuerentur, ac Sacmario imprimis reſtaurando muniendoque operam darent, admonebantur. Igitur caſtris inter Sacmarium & Erdodium poſitis, Stephanus Bathorius Somlianus ac Staniſlaus Niſoccius Polonus à Joanne Sigiſmundo miſſi, qui pacem tractarent, ad eos venêre. Ea multis verborum contentionibus, ſed majori utrinque rerum difficultate, atque neceſſitatis vi, quàm fideli animorum affectu tractari videbatur. Tranſilvani ſiquidem, uti anno ſuperiori Cæſarem minùs inſtructum, neque quicquam belli ſuſpectantem repentè adorti erant, ita hoc tempore ipſi rebus omnibus imparati, ac auxiliorum ſpe deſtituti, dimiſſis animis admodum conſternari, ſibique vehementer timere cogebantur: contra Cæſariani quamquam victores, & hoſtibus, ea cauſa, ſic bello ſuperiores eſſent, multis tamen de cauſis modum armis & victoriæ ponendum, neque immania Solimani arma, funeſtas & inexpiabiles clades allatura in ſe provocanda exiſtimabant, qui jam Magiſtro Europæorum equitum, ut in Pannoniam ad ferenda Tranſilvanis auxilia, exercitum ducere maturaret, in mandatis dediſſe ferebatur. 1565.

Pacis conditiones inter Cæſarem & Joannem Sigiſmundum.

Paucis igitur diebus conſumptis pax, antiquis quidem pariter & recentibus, ſæpeque repetitis, haud tamen, ut plerique putabant, ſinceris conditionibus conficitur: ut nimirum Joannes Sigiſmundus Tranſilvaniam, perpetuo firmæ poſſeſſionis jure obtineret; ea tamen ipſo atque hæredibus decedente, in Cæſarem & ejus ſucceſſores rediret. Regione Bihariana & Varadino, donec viveret, potiretur. Muncacianam ditionem cum Huſto, & Salisfodinis, omnique Maramaruſio ſtatim reſtitueret. Regio nomine abſtineret, alios tamen, quos Cæſar dare vellet, honorificos & illuſtres titulos uſurparet. Johanna Cæſaria ſoror ſæpiùs promiſſa primo quoque tempore ei in matrimonium collocaretur. Legati ab eo ad Cæſarem pro his confirmandis mitterentur.

Communio ſub utraque ſpecie.

Dum hæc in Pannonia & Tranſilvania per hunc modum aguntur, communionis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie uſus, à Pio quarto ſummo Pontifice, ad quem ea res communibus Patrum Tridentinæ ſynodi decretis & ſuffragiis delata erat, his regnis & provinciis, quas Itali Ultramontanas vocant, benignè uſque ad tempus experiendi cauſa, an hac ratione homines ad veritatem catholicam revocari poſſent, conceſſus eſt; idque ejus permiſſu à Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſe Tirvaniæ, atque à cæteris antiſtitibus, Agriæ, Jaurini, Nitriæ, ac in Illyrico Zagrabiæ paſſim publicatum. Sed & in caſtris Suendii, ſacerdotibus, qui ſacra faciebant, data fuit facultas, illam iis, qui vellent, per eum modum adminiſtrandi. Nondum enim Suendius, ut poſtea evenit, ab Eccleſiæ Catholicæ placitis deſciviſſe exiſtimabatur.

In Illyrico Turcarum incurſio ab Alapiano repreſſa eſt.

Per eos quoque dies Turcæ, qui ex Coſtanicia & Banialoca, in partes Topuſcanas populandas excurrerant, ab Joanne Alapiano ſtrenuo equitum præfecto, inter Raſtoviciam & Vinodolum cæſi & profligati fuêre; ita ut ex quingentis hoſtium equitibus, pauci ad ſuos malè geſtæ rei nuntii reverterentur.

Simultatibus inter Suendium & Bathorium ſubortis,

hic caſtris excedit.

Suendius & Bathorius, dimiſſis Tranſilvani legatis caſtra reduxerunt; & per aliquod tempus æſtiva Sacmarii habuerunt; donec munimentum illud aliqua in parte erigeretur, dumque iſthic morantur, ſimultates haud leves inter eos, ſive in occupando Erdodio, incertum quibuſnam offenſionum cauſis, ſive ob pulſatos & verberatos à militibus Germanis Bathorii clientes & ſubditos exortæ ſunt. Ob quas à Suendio alienatus, cum ſuis copiis caſtris exceſſit, ac primo Echedum ad Nicolaum fratrem venit, ibique aliquam diu venationi, quâ mirum in modum oblectabatur, in ſilva Carolina operam dedit; inde lentis itineribus Cicivam & Roſgonum, deinde Licavam, quæ adhuc ei parebat, ac Galgocium rediit, omnem belli adminiſtrandi curam Suendio relinquens. Qui quum Sacmarii munitiones & propugnacula in tantam altitudinem perducenda curaſſet, ut facilè defendi poſſe viderentur, impoſitis mille & quingentis militibus Germanis, ac tormentis quamplurimis, & eorum neceſſariis apparatibus, magna in copia ibidem relictis, Eraſ-

Sacmario propugnaculis munito Euſtadius cum

mo

1565.

præſidio 1500 Germanorum imponitur.

mo Magero Eichſtadienſi tuendum commiſit; dediique in mandatis, ne conquieſceret, ſed diviſis per contubernia etiam & manipulos militum laboribus, opus dies & noctes continuatum ad finem perduceret, atque ita in tuendo loco ſe gereret, ne, uti Balaſſio acciderat, improviſum quodpiam & inexpectatum detrimentum per incuriam acciperetur. Atque his peractis & diſtributis per oppida copiis, Caſſoviam reverſus eſt.

Detrimentum in Illyrico à Turcis nobis illatum.

Sub id tempus, quo hæc à Suendio & Bathorio in Pannonia gerebantur, detrimentum haud leve in Illyrico à Turcis illatum eſt; Nam cùm Solimanus provinciæ Boſnenſis præfecturam, Muſtaphæ cognomine Socolovitio tradidiſſet (is erat ex juvenum cubiculariorum numero, qui ei caput, & genas lavare & radere erat ſolitus) & is in provinciam veniſſet, quanquam induciæ vigerent, tamen habito cum veteranis præfectis conſilio, arcem Crupam in ulteriori Unæ fluminis, hunc olim Valdanum dictum putant, ripa ſitum, quæ ad jus quidem ſacræ Rhodiorum equitum militiæ olim pertinebat,

Muſtapha Boſnenſis Crupam arcem obſidione cingit,

ſed eo tempore à Nicolao Comite Zriniano obtinebatur, obſidione cingere decrevit. Itaque coacto exercitu, quintis caſtris, in conſpectum arcis venit, eámque à Mathia Baquitio, viro conſtanti & militari, qui cùm peditum centuriis ejus cuſtodiæ præerat, ſibi tradi poſtulavit, æquum eſſe nuntians, ut quum omnes aliæ arces in decurſu ejus fluminis in poteſtatem Turcarum deveniſſent, ea quóque unica, quæ reſtabat, in cæterarum numerum reſigeretur, ne turbandis ut ſæpe factum eſſet induciis, ex eâ occaſio præberetur.

Baquitius ejus præfectus Aurſpergeri ſubſidia implorat.

Quod cùm ille conſtanter negaſſet, Muſtaphas conſtitutis aggeribus tormenta proferri, iiſque arcem verberari juſſit. Ea tamen fuit Baquitii ac militum virtus & conſtantia, ut per multos dies, ſupra omnium opinionem, arce conſervatâ, omnes hoſtium conatus eluderentur, ipſeque ad Herbartum Aurſpergerum, qui in Dalmatiæ & Croatiæ finibus exercitui præerat, perſcriberet, ſe ad ultimum uſque ſpiritum loci cuſtodiendi conſervandique curam habiturum; ſed maximè eſſe neceſſarium, ut quum pauci eſſent defenſores, centuriam peditum in ſupplementum mitteret; poſſe illam tuto commeare, ſi trajecto amne ſupra arcem, captóque quem demonſtrabat circuitu, de nocte ad arcem adventarent. Enim verò obnixè rogabat, ut arci in periculo conſtitutæ, ſe ſibi & fidis, qui ſecum propugnarent, militibus, neceſſariam opem ferre maturaret, ne difficultatibus & incommodis rerum victus hoſtibus cedere cogeretur, quod tamen ſe vivo nequaquam futurum pollicebatur. Eadem à Zriniano, Erdodio, Sluniоque Comitibus, ac cæteris præfectis auxilia per nuntios & litteras flagitabat.

Et jam decimus ſextus dies obſidionis erat, Turcaſque, qui incluſos tam diu obſidionem toleraturos nequaquam crediderant, tam pilæ ferreæ, quàm ſulphureus ad diſplodenda tormenta pulvis defecerant; ita ut pro eis advehendis partim Banialucam ac Varboſaniam, clitellaria jumenta mitterent, partim per fabros ferrarios, &

Cingani in Turcarum caſtris.

infame illud vagúmque genus hominum, qui Cingani vocantur, in caſtris pilas conficiendas curarent, quæ partim è ferro, partim celeritatis cauſa volemis ſilicibus, quas in ripa fluminis facilè accipiebant, plumbo obductis conflabant. Interea Aurſpergerus haud contemnen-

Aurſpergerum,

Iſthuanf. Hiſtor.

do coacto ex finitimis locis exercitu, Carniſque & aliis gentibus adſcitis in conſpectum hoſtium venit. Erdodius podagra aliiſque morbis impeditus venire non potuit; ſed copias ſuas haud cunctanter miſit. Accurrit etiam Slunius, qui tametſi adoleſcens erat, magnum tamen in re militari uſum, ſupra juvenilis ingenii modum magnam experientiam habere exiſtimabatur:

1565.

contracto inſigni exercitu, congredi cum hoſte haud audet.

cúmque eo aderat Petrus Farcaſſitius, Gregorii filius, qui capto Temeſvario, in Turcarum captivitatem inciderat, ab eiſque per Zrinianum Comitem redemptus, illius in Croatia copiis præerat. Habebat Aurſpergerus in caſtris ad ſeptem millia militum ſelectiſſimorum, parem nempe hoſtibus exercitum, & ſi pugnæ poteſtatem facere ſuis fuiſſet, abſque dubio ſuperiorem evaſurum; quandoquidem ſumma in noſtris alacritas & promptitudo apparebat; & hoſtium vires, dempto equitatu non admodum numeroſo, ex Thracibus & Martaloſiis magna ex parte collectæ, non adeo formidabiles eſſe exiſtimabantur.

Erant utraque caſtra, interfluente Una flumine, tam propinquâ fronte collocata, ut non tantùm currulibus tormentis, ſed etiam ſagittis & ſclopetis mutuò certaretur, & milites cùm vellent, etiam colloqui cum hoſtibus facilè poſſent.

Slunius & Farcaſſitius Martis aleam cum Turca experiri tentant, ab eodem metu ignaviaq; fracto inhibentur.

Slunius & Farcaſſitius animadverſa Aurſpergeri cunctatione atque metu, magnopere ab eo petebant, ut ſibi flumen vadu tranſituris mille equites, totidemque pedites attribueret: velle ſe eâ manu ſociis laborantibus opem ferre, & fortunæ periculum cum hoſte experiri. Verùm ille metum & ignaviam innati prudentiæ nomine velare ſolitus, congreſſum omnem vitandum cenſuit. Et cùm illi ſuis tantùm peculiaribus equitum alis & cohortibus, adhibito ſecum Lupo Gieio Nadaſdii in arce Stenicnacia præfecto, vel illo invito tranſire conarentur, ipſe arrepto breviore ſclopeto, quod ephippio appenſum geſtabat, præſentem eis, ni parerent, cædem minitando prohibuit; ratus ſe hoſtes ſolo præſentiæ ſuæ aſpectu, aut longiori perſeverantia in fugam conjecturum.

Sed longè ſecùs, quàm ipſe putarat, accidit: Muſtaphas enim, cujus caſtra accitis è maritima Dalmatiæ ora auxiliariis aucta erant, ne quum per viginti quinque dies, ſummo conatu arcem oppugnaſſent, tantaque jactantia primam illam expeditionem aggreſſus eſſet, ignobili fœdoque receptu, omnem ferociæ famam maculaſſe videretur, copias omnes, etiam equitibus in pedes deſcendere juſſis, ſupremum certamen tentaturus arci admovit: & quanquam noſtri fortiſſimè dimicarent, nec facilè hoſti victoriam relinquere conarentur, ad extremum tamen Turcæ, injecto

Crupa, præſidiariis fortiter ſe tuentibus adeoque ad unum caſis in conſpectu noſtrorũ, hoſti ceſſit

igne tecta arcis & contignationes ſuccenderunt: quumque noſtri tam extinguendis ignibus, quàm rejiciendo hoſti nequaquam pares eſſe poſſent, paucique contra confectos, & acriter urgentes tueri mœnia amplius nequirent; cohortante Baquitio, omnes honeſtè potiùs occumbere, quàm amiſſa vetere nominis & antea actæ militiæ gloria, turpem vitam agere maluerunt, prævalentibúſque multitudine hoſtibus omnes ad unum cum uxoribus & liberis cæſi aut concremati, in conſpectu noſtrorum (quod fœdum dictu, fœdius viſu fuit) haud inultâ morte interiêre.

Paulò poſt cum ſummo

Amiſſa Crupa Aurſpergerus haud obſcuræ ignaviæ famam eâ ceſſatione promeritus, eò, unde venerat, eſt reverſus, paulóque pòſt Turcæ

eodem

1565. *naſtro dedecare etiam Navia à Turcis capta.*

eodem Muſtapha duce, (quod Auſpergero & noſtris longè majori, atqua æterno dedecori fuit) alteram ateem Noviam, ad idem flumen ſitam, quam Theodorus Delus cum quinquaginta peditibus, & paucis Zriniani Comnis equitibus cuſtodiebat, pari ſucceſſu expugnatam in poteſtatem redrgerunt, victoreſque Banialucam, atque inde ad ſuas ſtationes redierunt. Nec multò pòſt idem Muſtaphas hoc fortunæ proſpero ſucceſſu elatus tumiduſque, ſingulari noſtrorum & Auſpergeri imprimis contemptione, majora arroganti animo volvere cepit, & ad eam Illyrici partem, quæ inter Criſium & Capronciam ſita eſt, igue ferroque vaſtandam & depopulandam animum adjecit. Iraque coacto ex Boſnenſibus juſto exercitu, qui ad XVII. millia hominum efficere dicabatur, trajecto Savo, lentis itineribus ad Obreſcum perveoit, baud procul Criſio diſſitum.

Muſtapha coacto exercitu Illyricũ iterum popuları conſtituit

Ei Petrus Erdadius cum exigua manu forte fortuna occurrit.

Nihil famæ de ejus adventu habebat Petrus Erdodius, qui eodem animo, ut Turcicam ditionem inter Soprouciam atque Velicam, & Monoſſunem (hunc montem Claudium veteribus fuiſſe appellatum quidam putant) infeſtis armis popularetur, Savum cum mille quingentis equitibus, ac tribus peditum millibus trajecerat. Erant cum eo præter ſuas peculiares copias, Joannes Giulanus ex Vinicia, Matthæus & Simon Quegleviti, Joannes Alapianus ſocer ejus, Joannes Geſtinus, multique alii ex nobilitate egregii forteſque viri, neque tamen Muſtaphas de ejus conatibus quicquam cognoverat; quum fortè non procul Obreſco noſtri quoque caſtra poſuêre, caſtris Turcicis tam propè, ut ex eodem amne, qui ibi decurrebat, uterque exercitus aquaretur. Animadverterant Turcarum præcurſores noſtrorum antecedentium veſtigia; ſed ea Erdodius tanta induſtria celaverat, ut prius equitatum longo ordine protenſum & exporrectum præire, deinde peditatum confertim ſuccedere, & antegreſſorum veſtigia proculcare juberet, nec hoſtes quamquam diligenter ſcrutantes, equitum præſentiam animadverterent. Itaque regreſſi Muſtapham edocent præiviſſe ſatis magnum peditum numerum, ut impreſſa telluri pedum veſtigia indicare viderentur; ſe tamen illos, ut nullo equitatu ſubnixos, & alîorſum tendentes, non admodum formidandos exiſtimare. Quamobrem ibidem exercitum ſubitaria caſtra locare, militeſque corpora curare, & equis ex amne potatis pabulum dari jubet. Idem etiam Erdodius & reliqui duces, quòd meridiei tempus eſſet, ut copiæ laſſitudine itineris fatigatæ, nonnullâ quiete & cibo quem ſecum attulerant, reficerentur, facere, ſeque curare, & equos ac jumenta ad aquandum ducere inceperunt.

Quum pabulatores ad amnem progreſſi complures hoſtes conſpexiſſent, ad eum, quo noſtri conſederant locum, ſummâ celeritate & curſu provolarunt, primique ad arma conclamarunt. Contrà Turcæ quoque, qui noſtros ad eundem amnem viderant, hoſtes adeſſe, eodem ferè temporis momento ſuis ſignificarunt. Sed noſtri priores equos conſcendere, ac peditatus omnis, cohortante Erdodio, ac legato ejus Marco Tomaſovitio, cæteriſque ducibus, ſclopetis arreptis in Turcas imparatos, & inopinato caſu trepidos, tuncque primò equos frenantes, acrem impetum fecêre. Et fuga potiùs quam pugna Turcarum fuit; multi in veſtigio cæſi, multi capti; ſed multo maxima eorum pars in proximas ſilvas, relictis equis & rebus omnibus attoniti

Turcas imparatos opprimunt, cadit ac fugat

profugêre. Muſtaphas & pauci alii, qui ei obſonanti aderant, nulla facta mora aut pugna, arreptis ſubitò & conſcenſis equis, ſilvarum & montium beneficio protecti, in tutum evaſere. Cum paucis iis, qui obitis excubiis parati, & equis inſidentes vigilabant, ac ad ſclopetorum fragorem, & diſſutas fugientium voces adcurrerant, leve & minutum prælium fuit, in quo cadentibus paucis, cæteri per varia, quæ cuique notiora erant, compendia palantes & diſcincti aufugerunt. Capti ex hoſtibus perpauci fuêre, ita ut CXXVIII. non plures vivi in noſtrorum manus venirent, ſed multò plures cæderentur. Equorum verò tam militarium, quàm ſarcinariorum ingens fuit: inter quos burdones XII. ipſius Muſtaphæ, cum impedimentis & rebus haud contemnendis, quas vehebant, intercepti, cum plurima & varia ſcutorum, haſtarum, lodicum, & ejuſmodi caſtrenſium ſupellectilium copia. Contuſa per hunc modum tumultuario & fortuito prælii genere Muſtaphæ & hoſtium ferocia, ac ſuperbia, rarius deinde & cautius excurſiones factæ, diuque earum partium incolæ ab illorum inſolentiis quietiores fuêre: & victoria majori Erdodii & noſtrorum gloria, quàm hoſtium cæde aut detrimento parta. 1565.

Magna præda parta.

Intereà legati, quos anno ſuperiori Byzantium miſſos eſſe diximus, Cernovitius & Chabius (Cirquejus ibidem morbo correptus è vivis exceſſerat) ad Cæſarem redierunt: quibus Solimanus adjunxit Hidajetem ſcribam & interpretem ſuum, quem annis ſuperioribus à Michaële Sarcoſio captum, Bebecoque venditum, atque ab illo paulò pòſt à Turcis capto, dimiſſum fuiſſe diximus. Hic Hidajetes Cibinii inter Saxones Chriſtianis parentibus ortus, antea Marcus Seretius nominatus, infami poſtea vitæ exitu, vel inſons ab irato Solimano necatus eſt: quum apud eum pro exploratore delatus, culeo inſui juſſus, atque intra Boſphori Thracii fauces in mare præcipitatus fuiſſet. Solenni eâ legatione Solimanus Joannem Cruſitium Corponæ præfectum in obſidione Secenii, ac Lupum Pecium à Deſpota captos, ſibique miſſos, poſtliminio Cæſari dono miſit. Bebecus verò iiſdem carceribus detentus, pro cujus libertate tam Ferdinandus dum vixit, quàm poſtea Cæſar, multis precibus inſtiterant, paulò pòſt Tranſilvano impenſius pro eo laboranti datus eſt: quæ res, ut poſtea commemorabimus, Suendio novarum curarum, novi belli in ſuperiori Ungaria, occaſionem ſubminiſtravit.

Cæſari legatiũ Hidajete Turcica redeunt.

Hidajeta Apoſtata infamis exitus.

Cruſitius & Pecius dono miſſi Cæſari

Iidem legati literas Solimani attulêre, quibus ille ſe pacem iis, quas dederat, conditionibus ſervaturum pollicebatur: juxtaque addebat, ſibi nempe videri, ut Tocajum Tranſilvano reſtituatur, contrà Tranſilvanus damna, quæ violatis induciis Cæſari intuliſſet, reſarciret. Saemarium apud Cæſarem relinquendum, poſtquam illi ante hoc bellum paruiſſet. Nec oblitus muneris honorarii, illud mitti ſibi primo quoque tempora poſtulabat. Quæ cùm Cæſari minus probarentur, quòd ea loca à Tranſilvano, qui nullâ laceſſitus injuriâ, violatis induciis prior bellum intuliſſet, jure belli adempta eſſent, Hidajete retento, expeditum equitem ad Albertum de Wiis legatum Byzantii ſuum, ſummâ celeritate miſit, cum mandatis, daret operam, conciliatis ſibi purpuratorum animis, ut tolerabiles conditiones proponerentur. Tocajum ſiquidem & Serenchium, antequam Nemethius malignâ fide rebellaſſet, extra Tranſilvaniæ terminos ſita,

Solimanus Tocajum Tranſilvana reſtitui petit.

Quod Cæſar abnuit.

1565.

fits,ad ſuum jus pertinuiſſ. Sacmarinm & Rivulum ſe redditurum, cùm Joannes Sigiſmundus belli concitati auctor, de damnis & injuriis ſatisfeciſſet.

Somlianus & Craſinecius à Tranſilvano & Polono ad Cæſarem de pace firmanda mittuntur.

Inter hos tractatus Stephanus Bathorius Somlianus, octavo Calendas Majas à Joanne Sigiſmundo Viennam venit, & paucis pòſt diebus Franciſcus Craſinecius Plocenſis collegii præpoſitus, nomine Sigiſmundi Poloniæ regis illum ſequutus eſt. Hi conditionibus pacis, quæ in caſtris ad Erdodium cum Bathorio & Suendio pactæ erant, confirmandis, ac ſolenni percutiendo fœderi miſſi erant. Sed quum jam Somlianus Cæſarianæ ditionis fines attigiſſet, nova nec ſatis ſincera tractandis illis mandata accepiſſe dicebatur: Gaſpar enim Bequeſſius, Pettovitii olim cliens & aſſecla, non ita pridem notitiam & familiaritatem Joan. Sigiſmundi conſequutus, cum Georgio Bebeco, illius ope & ſtudio libertati reſtituto, iiſdem diebus Byzantio redierant, & ille omnem cum Cæſare pacem diſſuadere; ſe magnas copias, ingentia auxilia à Solimano impetraſſe, ea propediem ventura eſſe; quorum ope ad proprias vires accedente, nihil eſſe metuendum: uſque adeo ut hic ſuâ legatione ſe diadema regium capiti ejus impoſuiſſe impudenter gloriaretur; hic verò qualicunque militiæ experientis jactare ſe ſatagente, fines & terminus imperii Poſonium uſque & Danubium fore; nec Cæſarem Viennæ mœnibus tutum aut ſecurum futurum.

Bequeſſius & Bebecus omnia pacis conſilia nefariè turbant.

Ita duobus mortalium omnium leviſſimis impellentibus, Somliano clam per literas interdictum eſt, ne pacis cum Bathorio & Suendio initæ confirmationem; ſed novas proponat conditiones, quibus bello ablata reſtitui omnis petuntur terminum ditionis Tibiſcum flumen, quæ ultra ſint, omnia concedi ſibi & attribui petat: Lippam & Temeſvarinm, & quicquid extra Tranſilvaniam olim ab Iſabella regina Ferdinando traditum fuiſſet, pro exemplo adducat, eaque amiſſa eſſe reſricet: verendum eſſe memoret, ne eodem modo Tocajum & alia, incumbentibus Turcarum armis, amittantur. Conſultius futurum & conducibilius, pace coalita, Chriſtianum principem atque amicum, quàm præpotentem barbarum & hoſtem in vicinia habere.

Somlianoque injunctum, ut novas Cæſari conditiones graviores proponat

Cæſar non ſine admiratione mutatæ Tranſilvani voluntatis brevi ſcripto reſpondit, ſibi certum animo & fixum eſſe, ne in iis, quæ Bathorius & Suendius dediſſent conditionibus, quicquam mutent, ſe illis etiamnum inſiſtere, nec innovatum quippiam velle. Cùm Somlianus ut per celerrimos nuntios eam Cæſaris voluntatem Joanni Sigiſmundo perſcriberet, qui intra XX. dies reverterentur, poſtulaſſet, atque impetraſſet, his brevi temporis intervallo longum iter remenſus, eadem, quæ antea legatus propoſuerat, mandata retulit. Sed quum Cæſar in propoſito perſiſteret, legatus Polonus, libello Cæſari exhibito, ſe, quo minus regis ſui operâ & ſtudio pax confici potuerit, humaniſſimis verbis excuſavit, ac impetrato diſceſſu eodem quo venerat itinere diſceſſit. Somlianum haud diſſimiliter re infectâ diſcedere volentem Cæſar, ut aſtutæ prævaricationi obnoxium retinuit, eique, ne ex hoſpitio quoquam abiret, XL. militum Germanorum cuſtodiam adhibuit, diuque ſub honeſta cuſtodia habitus, non niſi confecto bello paceque ſequutâ, domum redire permiſſus fuit.

Cæſar autem Suendianis conditionibus ſe inſiſtere reſpondet.

Legatus Polonus diſcedit.

Somlianus verò in cuſtodia detinetur.

Interea Haſanes

Interea adfuêre Turcæ à Bequeſſio ſolicitati, Haſanes nimirum ille ab Ungaris Filecienſis, ab Illyricis Prædovitius appellatus, profligato ad Secſeoum Juanoe Balaſſio, ſe deinde paulò pòſt Bebeco & Magocio captis elatus, qui Temeſvario præerat, ac ſex equitum millia è Magiſtro equitum Europæorum Beglerbego, quem Hadajeres imperio Solimani redire juſſerat, in ſupplementum copiarum Tranſilvanicarum miſſa. Paulò pòſt Budenſes quoque advenêre. Nihilo ſegniore cura Joannes quoque Sigiſmundus, comparatis magnâ celeritate atque eductis copiis, Jenonem vi, interfecto ibidem Stephano Quendio præfecto, Deſvinum verò & Vilagoſvarum, quæ parvis præſidiis tenebantur, ſubita militum conſternatione & deditione occupat. Haſanes verò ex itinere admotis tormentis Pancotam expugnat, fugientibus præſidiariis, & vacuam arcem deſerentibus: ac deinde ad oppidum Debrecenium, lata illa in planicie, tribus effectis caſtris, conjunguntur: in queis mutuo habito conſilio, ad Suendii caſtra, quæ ille Sacmarii collocata vallo foſſâque muniverat, omnibus viribus oppugnanda ire conſtituunt.

1565. Filecienſis & Budenſes Tranſilvano ſuppetias ferunt.

Tranſilvanus Jenonem Deſvinum & Villagoſvarū,

Haſanes autem Pancotā capit.

Erat inter novam Sacmarii munitionem atque caſtra noſtrorum, collis orientem verſus paulò eminentior, quem ſi hoſtes occupaſſent, ac tormenta eò promoviſſent, magnum tam caſtris Suendii, quàm arci detrimentum inferre poterant. Quam rem quum Suendius animadvertiſſet, eum foſſâ & aggere tumultuario muniri defendique juſſit. Cùm hoſtes tam Tranſilvani quàm Turcæ animadvertiſſent, Bartsenes Danubianæ Nicopoleos præfectus, locum contemplatus, Haſane nequaquam prohibente, ſe militibus ducem & concitatorem præbuit, cohortatus illos, collem acerrimo impetu aggreſſus eſt. Noſtri ex adverſo eum egregiè ineti, colubrinis & ſclopetis hoſtes ſubmovere, atrocem imprimis & cruentam pugnam ciere. Cùm utrinque multi caderent, ac plures ſauciarentur, ad extremum, occumbente Bartsene, hoſtes victoriâ noſtris relictâ, terga vertere coguntur. Ejus viri caſu Joannes Sigiſmundus & Haſanes ſpe obtinendæ pugnæ haud dubiè decidere, quum in ejus audaciſſimi hominis induſtria atque audacia collis facultatem expugnandi poſuiſſent. Deſiderati ſunt ex utroque oppugnantium ordine atque genere plerique tam ex Janiceris, quàm ipſius Tranſilvani peditibus prætorianis, in prima acie dimicantes, ita ut Turcarum capita XLIX. Ungarorum verò XXIX. præacutis perticis, fluente tabo, infixa, ac in collis ſummitate expoſita ſpectarentur.

Haſanes & Tranſilvanus caſtra Suendiana ad Sacmarium conjunctis oppugnant copiis.

Irrito conatu,

Poſt irritum eum conatum Turcæ & Tranſilvani Sacmarium prætervecti, ad obſidendum Erdodium, quod haud procul erat, caſtra promoverunt. De quorum conatibus, quum Suendio per idoneos exploratores certius allatum eſſet, ſine mora Franciſcum Bajum, & Nicolaum Zelemeriom clari nominis præfectos cum quinquaginta equitibus, ac CC. peditibus, ultra præſidium ordinarium eò ire juſſit, ac Lauembergio & Belleio, Joannique Gionio in mandatis dedit, ut quam diu poſſent omnibus viribus arcem fortiter conſervarent, donec ipſe adventu auxiliorum, quæ è Saxonia, Sileſia, Auſtria, aliiſque provinciis expectaret, auctus & confirmatus, certam ipſis laborantibus opem ferre poſſet. Ipſe verò ad pagum Quiſarum, in inſula, quam Samoſus flumen bipartito fluens efficit, altero ejus alveo ponte conſtrato, caſtra in ſtativa eduxit; ad quæ Gaſpar Magocius Agriæ præfectus cum quingentis equitibus, ac totidem peditibus præſto fuit. Ladiſlaus Quereceoius è Giula, cui præ-

Inde Erdodium obſident.

1565. erat, quingentos equites adduxit. At hoſtes ſimul ac Erdodium perventum eſt, caſtra ab arce ad majoris colubrinæ jactum, metari ſunt, primiſque tenebris agreſtres operas & colonos ad aggeres fodiendos ac corbes gleba & ceſpite implendos, tormentaque interlocanda inciatunt. Quo opere haud cunctanter erecto, ad primum diluculum pilæ majores ferreæ in arcem dirigi juſſæ. Interim autem excitata paſſim per agros incendia viſebantur, quum Tranſilvani & imprimis Turcæ caſtris pabulatum egreſſi, omnia fertiliſſimæ, & prioribus bellorum procellis intactæ regionis loca, pervaſtando & urendo crudeliſſimis incendiis effuſiſſimè graſſarentur.

Jam complures dies præterierant, ex quo hoſtes oppugnando Erdodio intenti, parum ſe proficere animadverterent, quum Haſanes increpitâ ſuorum ſimul & Tranſilvanorum ſegnitie, magiſtris tormentorum, ut ſine intermiſſione dies & noctes diruendæ arci pilas intorquerent, mœniaque proſternerent, imperavit; ii autem erant omnes Tranſilvani, quod ſic erat conventum, ut tormenta & eorum apparatus à Joanne Sigiſmundo curarentur. Quod quum impigrè factum eſſet, ita ut irruptio tentari poſſe videretur, Haſanes ſuos multis verbis cohortatus, ad pugnam accendit. Quam illi magnis animis capeſſentes, per dejecti muri ruinas conſcendere conari, acerrimam & cruentam dimicationem incepêre; ſed tanta fuit noſtrorum virtus & fortitudo, ut capiti armis, paríque inſtructa acie, Turcas ſimul & alios ſubeuntes, crudeliſſimâ editâ cæde repellerent, & in foſſam tumultuoſiſſimè præcipitarent. In eo prælii diſcrimine, dum ſuos horrabundus in prælium ducit, ſclopeto ictus periit Curtus Haſanis legatus, eique propinquitate junctus, magno ejus dolore & luctu, ita ut illum unum decem arcibus Erdodio ſimilibus præferret, nec ſe niſi victorem, captâ arce, ac defenſoribus omnibus ad occiſi manes placandos mactatis, incepto deſtiturum affirmaret. Ex Tranſilvanis quoque peditibus prætorianis, qui in pugnam prodierant, multi perierunt, plures vulneribus debilitati ſunt. Sed neque noſtris incruenta victoria fuit, quum Joannes Gionius Ungarorum præfectus, Curtu minimè virtute inferior cecidiſſet. Ex Germanorum etiam numero, præter milites, quorum ampliùs ducenti deſiderati ſunt, Goſſelus centurio glande trajectus occubuit; & Lauemburgius præfectus Germanorum, craſſiore item ſclopeto graviſſimè ſauciatus, ex vulnere paucos pòſt dies expiravit.

Turca acri irruptione tentata, fortiter noſtrorũ virtute propulſantur.

Curtus Haſanis legatus perit.

& Joan. Gionius Ungarus ex noſtris

Poſt hanc pugnam Suendius ab obſeſſis exoratus, qui multos ex ſeipſis vulneribus debilitatos, multos interfectos nuntiabant, Joannem Malium, Antonii Siculi equitem, locorum apprimè peritum cum CL. peditibus Ungaris & L. Germanis auxilio miſit, qui deceptis Turcarum & Tranſilvanorum excubiis, magno auſu, nec infelici in præſens eventu, in arcem introivêre. Eâ pugna quamquam irrita Haſanis & Turcarum Tranſilvanorumque animos accendit potiùs quàm minuit. Itaque majore conatu reſtaurandum certamen conſtituêre, ac quo omnino ſuis voto atque arce potirentur, militibus juſta ac agreſtibus, quorum magna multitudo in caſtris habebatur, edixêre, ut in proximis ſilvis faſces virgultorum ac materiam cæderent, quibus foſſæ arcis, uſque ad labra & ſummitates complerentur, quo mœnia aggreſſuris aſcenſus proclivior foret. Nec mora, eâdem nocte duobus in locis conjecta in foſſas materia, ingentem accrevit in tumulum, ſpemque & facultatem mœnibus appropinquandi hoſti obtulit. Verùm noſtri re animadverſa, ſummo ſilentio obſcurâ nocte, compluribus ſulphurei pulveris cadis ſubſtratis, inſidias futuro hoſti poſuêre. Qui eùm redintegratâ oppugnatione, ſublato ingenti clamore arcem adorti eſſent, & per ſummos aggeres & materiæ cumulos alacriter irruiſſent, noſtri Zelemerio & Bellerio inſtruentibus, ſed maximè Bajo ſedulam ſolertemque operam navante, qui quòd obſidioni Agrienſi cum Dobone interfuerat, cæteris ejuſmodi rerum peritior habebatur, tormenta peritiſſimè collibrari, & ſclopetarios continuè diſplodere juſſerunt, ſimul etiam ſubjectum faſcibus & materiæ pulverem ſuccenderunt. Quo facto miſerabilis & funeſta Turcarum æquè ac Tranſilvanorum, qui procurrerant, ſtrages edita eſt: ut plurimi ſulphurei pulveris vi in ſublime jacti, diſcerptis membris crudeliter interirent, aut atrocibus uſtulati flammis, in caſtra delati, intra paucos dies multo cum cruciatu & dolore diram mortem obirent: multíque plures in foſſa trucidarentur; eo exitu, ut hoſtes aliquanto celeriùs, quàm pugnam conſeruit, ingenti accepto detrimento pedem referrent. Ea die ex utroque hoſte mille ferè deſiderati eſſe dicuntur, inter quos aliquot clari nominis præfecti, centuriones ſigniferique. Ex Germanis Bellerus & Hueſtocceius viri fortes occubuêre. Ungarorum plerique, & inter alios Johannes Malius, quo duce paucis ante diebus auxilia in arcem fuerunt introducta. Alterâ quoque oppugnatione in hunc modum toleratâ, quamquam adhuc obſeſſi neque commeatu, neque aliis rebus neceſſariis deſtituerentur, Germani tamen, ne hoſtium animos iràmque, uti ferebant, in ſe gravius concitarent, à quibus poſtea nullam ſalutis ſpem expectare poſſent, adversùs Bajum & Zelemerium, in quos ſumma rerum reciderat, arcem diutius nequaquam ſervari poſſe contendentes, ſeditionem moſcere, & ipſis invitis, murum conſcendere, petitâque ab hoſtibus incolumitatis fide, de arce tradenda paciſci decreverunt.

Hoſtes oppugnationem repetunt.

Sed magnâ ſtrage à tormentis editâ pedem referunt.

Quidam igitur ex Germanis linguæ Ungaricæ peritus, cæteris ſeditioſis turbidior, cùm ad ruinas, ut Janicerorum apud tormenta excubantium ictus vitaret, per ventrem & pectus obreptando, eminus proloqui vellet, per pedes à Bajo raptus & retractus fuit. Unde cæteri, intentatis haſtis, diſpoſitíſque in eum ſclopetis, penè eum interfecerunt: ita ut fallentibus glandium ictibus, ſingulari Dei beneficio ſervaretur. Eo procul ſubmoto, hoſtibus ſe arcem tradituros proclamarunt, ſi tam ab Haſane, quam Tranſilvano, interpoſitâ fide, ets excedentibus caveretur. Itaque acceptâ ab utriſque fide, & Ungaris vel invitis neceſſitati cedentibus, omnes arce exire ceperunt. At Haſanes & Turcæ, amiſſorum commilitonum ac Curti primo in certamine interfecti dolore exaſperati, fidei religioniſque obliti, magno impetu in exeuntes facto, eos ſpoliare, capere, atque ſine diſcrimine quemlibet trucidare cæperunt. Bajus ac Zelemerius vulnerati, ac Deum hominúmque fidem & opem implorantes, à Tranſilvanis, quos Princeps, ut Turcas datæ fidei admonitos à cæde reprimerent, ſubmiſerat, cogniti atque ægre ſervari fuêre. Cæteri ferè omnes aut capti, aut interfecti, pauci meliore favente fortunâ, per confuſum pugnantium tumultum fugâ elapſi, per ſilvas & montes, poſt diuturniores errores in caſtra Suendii pervenêre. Complures quoque à Johanne Sigiſmundo

Germani tumultuantes, incolumitate promiſſa, arcem dedunt.

Sed fide læſa, à Turcis trucidantur.

1565. mundo pecuniâ redempti, & unà cum iis qui in ſuorum poteſtatem fortè inciderant, liberaliter dimiſſi, poſtliminiò redierunt. Per hunc modum Erdodium à Calendis Juniis, uſque ad Nonas Sextiles à noſtris fortiter ſervatum, conſternatione & deſperatione militum Germanorum, qui in præſidio erant, hoſtibus ceſſit; à quibus funditus everſum & ſolo æquatum eſt; neque poſtea unquam reſtauratum.

Exequiæ Ferdinandi Imp. Viennæ celebratæ. In hoc tempus capti Erdodii, funebres Ferdinandi Cæſaris exequiæ ſingulari pompâ celebratæ inciderunt: quum exanime corpus ejus annum unum & dies XIII. Viennæ in templo arcis jacuiſſet, nec Maximilianus filius ſucceſſórque variis bellorum procellis agitatus ei priùs humando vacare potuiſſet. Itaque poſtridie nonas Sextiles, Urbano Epiſcopo Gorcenſi cura deducendi funeris demandata eſt; qui Romani Imperii Aquilas & inſignia præcedere, deinde aliorum regnorum vexilla decem ſequi, totidem equos atri coloris ſerico tectos, ac utrinque per latera inſignibus, Phrygio opere ſeu pictis conſtratos ſequi juſſit. Funus deinde longiſſimo comitantium ordine, facibuſque prælucentibus in ædem Divi Stephani, à Maximiliano & fratribus, ac Alphonſo Ateſtino genero, Ferrariæ duce, atratis & lugubribus in palliis magnificentiſſimâ pompâ deductum eſt, & oratio à Franciſco

Forgacius orationem funebrem habet. Forgacio Epiſcopo Varadienſi, de ejus vita & in regno adminiſtrando laudibus, munificentia, clementia, aliiſque regiis virtutibus elegans habita. Admirationi haud immeritò erat faſtigiatum decénſque mauſolæum temporario opere è materia compoſitum, ad præaltam uſque concamerati templi teſtudinem pertingens, quod innumerabilibus lampadum vitrearum lychnis magno ſplendore ardentibus collucebat. Deinde peractis ſacrorum ritibus, feretrum ſubiêre certatim & ſuſtulêre Proceres, illudque extra portam Flumentanam humeris delatum, non ſine gemitu & lachrymis currui impoſuêre; qui ſex equis jugalibus abſolutæ nigredinis trahebatur;

Corpus Imperat. Pragam deductum eſt. atque illud non minore ubique ſervatâ funeralis pompæ celebritate Pragam deductum eſt, ibique Annæ conjugi Uladiſlai filiæ, cum qua per XXVI. annos conjunctiſſimè vixerat, appoſitum.

Haſanes ſua caſtra noſtris propiùs admovit. Erdodio amiſſo ac diruto, Haſanes cum Turcis, quorum ad XXV. millia in caſtris erant, versùs Suendo caſtra profectus, ſua cum illis proximè collocavit; ita ut eâ caſtrorum propinquitate, quotidie brevioribus & minutis prælus occaſio daretur: Tranſilvanus verò cum ſuis Rivulo Dominarum, quod à Germanis Naſtadlium vocatur, per deditionem occupato, cùm

Tranſilvanus Cuvariũ fruſtra tentat. Cuvarium, propugnantibus Suendianis, fruſtra capere contendiſſet, omiſſo incepto, cum parte tormentorum Haſanem ſecutus, caſtra ſua cum Turcicis conjunxit. Verùm accidit peropportunè, quòd iiſdem diebus mille equites è Sileſia ad Suendium pervenerunt, totidémque ab Auguſto

Duo millia equitũ Suendio ſubmiſſa. Saxoniæ duce miſſi, jam Tibiſcum trajeciſſe, brevique adfore nuntiabantur. Præerant illis Thomas Sipotendorffius, Wilhelmus Glaſſentallius, & Johannes Reebpachus: quorum adventu Suendius brevi cum hoſtibus de ſumma rerum ferro decernere velle dicebatur, cùm ha-

De ſumma rerũ prælio cum hoſte decernere ſtatuit. bere in caſtris militum utriuſque ordinis ad 28. millia crederetur. Sed multa obſtacula virum cautum impediebant, quo minùs id audacter expedireque tentaret, ac conſideratiùs & ſegnius procederet, legatorum & Tranſilvanienſium & Turcarum Viennæ præſentia, ac tractatus de pace inſtituti; tum lentæ quidem ſed admodum moleſtæ febres, caſtrenſibus incommodis & laboribus contractæ: quarum importunis acceſſibus adeò erat enervatus, ut Cæſar Paulum Wardnerum medicum è Judæo Chriſtianum factum, ad recuperandam ejus valetudinem, citatis itineribus, in caſtra expediret. 1565.

Levioribus quotidie præliis certatur. Interim tamen ſingulis propè aut alternis diebus, modò noſtris hoſtium caſtra inſultantibus, modò verò Turcis adversùs noſtros procurrentibus, levia ſed cruenta certamina, non ſine utriuſque partis detrimento edebantur. Sicut tum accidit, cùm Turcæ ad oppugnandum pontem ſublicium, qui ante noſtrorum caſtra erat conſtructus, majorem copiarum partem, duce Baghi Lippæ præfecto, adduxiſſent. Qui quum in Germanos milites ſcloperarios multis curribus & equis impedimentiſque pabulatum egreſſos, haud procul caſtris incidiſſent, tanto impetu atque ardore in eos irruerunt, ut Germanis improviſo hoſtium adventu perterritis, quum pars arma capere, ſeque pugnando tueri, pars ad caſtra ſe proripere contenderet, tumultuoſo pugnæ fugæque genere certaretur. Quorum periculo animadverſo, noſtri, concitante eos ad arma Balaſſio, confeſtim caſtris erumpere, & laborantibus commilitonibus maturam opem ferre non dubitarunt. Nec mora, Querecenius cum ſuis Giulanis, quorum virtutis & in re militari peritiæ magna apud omnes opinio erat, & Robertus Auſtriani equitatûs magiſter, ac Saxones, qui non ita pridem in caſtra venerant, explicatis ſignis inſtructiſque ordinibus ſeſe celeriter illis aggregavêre, conſertúmque eſt prope pontem anceps & cruentum prælium, creſcentibus utrinque ambarum partium viribus, quum ab ducibus ad reſtaurandam pugnam alii atque alii

Ruberi eximia virtus. poſt alios crebrò mitterentur. In eo certamine inter reliquos Ruberi præclara virtus enituit, quum tres equos partim procellâ glandium, partim haſtis transfoſſos pugnando amiſiſſet. Jam noſtri cadente Rechpacho, Saxonum equitum ductore premebantur, uſque adeò ut niſi magno accepto incommodo ſe explicare vix poſſe viderentur; & Martinus Siculus Querecenii legatus, fatiſcente equo ab hoſtibus erat interceptus, Johannesque Ghicius, ambo Giulenſes, adverſa haſta ſauciatus: cùm Balaſſius accitis ſclopetariis Agrienſibus & Germanis, glandes in confertos hoſtes dirigi juſſit, quorum ictibus quum plurimi occumberent, poſtremò

Baghis hoſtium dux cadit. Baghis ipſe hoſtium dux unà cum equo proſtratus atque interfectus eſt. Quo cæſo cæteri ad ſuorum caſtra, quæ dimidio milliari aberant, pedem retulerunt. Caput ejus præciſum, & truncum Haſanes à Suendio impetravit, ac Lippæ tumulandum curavit.

Quendius Tranſilvanus capitur. Hiſdem etiam diebus à noſtris ad prædam excurrentibus, Alexander Quendius, dum è Tranſilvanis commeatibus in caſtra hoſtium convehendis operam daret, captus, ac à Suendio Viennam miſſus fuit. Nec multos poſt dies Turcæ propinquitate caſtrorum provocati, in quadam denſa, quæ ad Orientalem caſtrorum partem protendebatur, ſilvâ ſeſe abdidêre, eo propoſito, ut noſtros ex caſtris incautiùs progreſſos, inſidiis excipere, & gravi alicui periculo implicare poſſent. Sed Gaſpar Magocius, Antonius Siculus, ac Valentinus Banffius cognomento Thallocianus, poſt mutatas matutinas excubias, cum turmis equitum ſpatiatum egreſſi eos in ſilva la-

1565.

Caralicocium Banſſio ſingulare certamen

tentes conſpexerunt. Qui cùm è latebris erupiſſent, unus ex eis Caralicoçius Orpha urbe Meſopotamiæ ad Euphratem ſita oriundus, qui audita celebertims Georgii Thurii fama, ac rebus præclarè geſtis, in Pannoniam ejus videndi cauſa venerat, Valentinum ad ſingularem pugnam provocavit, quam ille, cohortantibus Magorio & Siculo nequaquam detrectavit: cùmq; inſeſtis haſtis congreſſi eſſent, pectoribus concurrentium graviſſimo impetu equorum mutuo colliſis, ambo ſimul cum equis in humum corruerunt: & cùm Banſſius ſe celeriùs explicaſſet, illum jacentem ſub equo, poplite tenus gra‹…› et vulnerat, & ſurgere nequeuntem, à Bartholomæo Srephitio impigro juvene capite truncari

In quo ille capite truncatur.

jubet. Hic eſt Caralicocius ille, qui quum à Georgio Caczſtio mercatore Covinienſe audiviſſet, Maximilianum, dum Poſonii coronaretur, ſtrictum nudatúmque enſem de more ad Solis ortum vibraſſe, mox, ut erat guſtato opio temulentus, & ferme inſanus, frontem linteo obvolvit, interrogatúsque ab obviis, cur faſciatus incederet, ſe à novo rege ſauciatum eſſe facetè reſpondit: neqoaquam vano, ut poſtea eventus comprobavit, aut irrito præſagio, quum ab ejus novi regis equitum ductore, biennio pòſt interfectus, intemperantioris dicti factique pœnas capite perſolviſſet.

Grasbanius aucupii poſt e vulnere obit.

Wilhelmus quòque Grasbanius, tormentario negotio præpoſitus, per eos dies animi recreandi cauſa venatum proficiſcens, hoſtium inſidiis exceptus, ac aliquot haſtis undique petitus, in tergo ſupra coxendicem, quà parte ferreus thorax eum minimè protegebat, graviſſimum vulnus ſuſcepit, ephippiúque excuſſus procul & humi provolutus eſt: & niſi Balthaſar Erdohegius, eques Agrienſis, fortè fortuna iſthic obequitans adcurriſſet, eodem in loco ab hoſtibus foret interfectus: ſed is cum aliquot equitibus opportunè allatâ ope, ſic eum in præſens ſervavit, ut poſtea nunquam vel à peritiſſimis medicis curari, mortifero vulneris dolore & cruciatu extabeſcens, domi ſuæ in Styria moreretur.

Solimanus reſcribit,

Interea dum hæc aguntur, nuntius quem Byzantium miſſum docuimus, eum Solimanni reſcripto, XI. poſtquam diſceſſerat die, magno curſu ac ſingulari celeritate, continuatis etiam per noctes itineribus, Viennam redit, eodem cum reſponſo, quod antea Hidajetes cum

Ut Tranſilvano adempta reſtituerentur.

Cernovinio ac Chabio attulerat, ut Tranſilvano adempta reſtituerentur, ac ab occupandis Tranſilvanis abſtineretur, & utrinque arma ceſſarent; neve in munere honorario mittendo longior mora committeretur. Quod ſi Cæſar exercitum revocaret, ſe quòque ſuis

Et Cæſar bellum Tranſilvanum omittat.

in mandatis dediſſe, ut ad ſuas quiſque ſtationes reverteretur. Ferum Solimannum ad has conditiones eò faciliùs deſcendiſſe, quod eodem tempore Melitem inſulam, quam inter Siciliam & Africam jacentem Carolus Cæſar, poſt amiſſam Rhodum ſacris equitibus Hieroſolymitanis inhabitandam dederat, in poteſtatem redigendam ſuſcepiſſet, & quantum

Melite inſula à Turcis obſeſſa fruſtra.

‹…›uman claſſibúſque valeret, Piali prætoriano, ac Dragute Tripolitano purpuratis, quos Baſſas Turcæ vocant, ducibus, validiſſimè oppugnandam curaret; cujus tamen potiundæ ſpem, amiſſo ibidem Dragute, multiſque aliis, & claſſe malè affecta, rebus infectis, omittere coactus fuit.

Cæſar qui nihil pace & quiete priùs potiúsq; habebat, ſe ſuos revocare, ſi Turcæ priores dilaberentur, decrevit. Itaque mittitur Gaſpar Rues Germanus, Pannonicæ linguæ non ignarus primo ad Budenſem, deinde in caſtra ad Temeſvarienſem cum mandatis, ut ſi ipſi Solimani edicto parere, ac primi ab armis diſcedere voluerint, Suendium quòque extemplo copias dimiſſurum. Budenſis haud diu moratus, caſtra ſua, quæ in campo Peſtano habebat, diſſolvit. Sed inter

Copiæ utrinque dimiſſa domum redeunt.

Johannem Sigiſmundum Haſſeménque & Turcas, Suendiúmque & Cæſarianos aliquamdiu diſceptatum eſt, quum utraque pars diffiſa alterutri, quænam prior diſcederet, alteram urgere videretur. Quinta poſt die, initio menſis Octobris, Turcæ conclamatis vaſis ac præmiſſis impedimentis priores diſceſſere. Joannes verò

Suendius Rivulum Dominarum recepit,

Sigiſmundus cum tormentis eorumque apparatu, Varadinum, atque illinc in Tranſilvaniam ſe recepit. Quibus abeuntibus, Suendius, miſſo cum parte copiarum Bàlaſſio, Rivulum Dominarum, quem initio belli, centurio Glaiſmulnerius ſua & ſociorum ignavia amiſerat, dedentibus ſe ultro civibus, recepit. Sic Jenoonem quòque malè à

& Jenoonem.

Tranſilvanis cuſtoditam, per legatos facili negotio recuperavit: eamque velut opportuno loco ſitam, præſidio impoſito firmavit, collocato ibi Sigiſmundo Segneio præfecto, & ex Germanis Georgio Suello ſeu Bagnero centurione.

Diſcedentibus Turcis Cæſar eas copias, quas in ſupplementum Suendiani exercitûs à Georgio Romero, equite Rhodio conſcribi juſſerat, quæve in caſtris ad Danubium in Poſonii pratis agitabant; ſimul & equites Ungaros, quos Emericus Forgacius conduxerat, exauctoravit & di-

Exercitûs noſtri nonnulla pars exauctorata.

miſit: ac non levi ſe periculo defunctum haud diſſimulavit: cùm in exercitu Suendii magna militum Germanorum pars profluvio ventris, ac aliis vulgatis morbis, ob nimium pomorum autumnalium eſum, quorum ad Samoſum flumen incredibilis copia naſcitur, contractis, quotidie interiret, partim imbecillitate virium labefactata obeundis militiæ muniis inutilis evaſiſſe videretur, Suendius quòque nihil cunctatus equitatum Saxonicum, quem Auguſtus princeps Elector Cæſari gratificatus, dimidii anni ſpatio militaturum in caſtra miſerat, dimiſit: & ipſe Caſſoviam, rebus ſic poſtulantibus reverſus eſt. Nam Georgii Bebeci inconſtantiam & levitatem, qui circa Caſſoviam aliquot arces, & magnam ditionem habebat, non immeritò ſuſpectam ducebat; quòd uxor ejus Sophia Patocia, verbis quidem & nuntiis Cæſaris partes tueri videretur, eaque ſpe Suendium ſuſtentaret, re tamen verâ ad mariti obſequia magis propenderet, qui per Tranſilvanum ardentiſſimis precibus à Solimano liberatus in illius caſtris ſummum copiarum imperium obtinebat, famaque erat brevì eum cum Turcis & Tartaris ſibi adjunctis ſua repetiturum.

Suendius Senderonem Bebeci arcem occupat.

Unde Suendius prævenienda ejus conſilia arbitratus, arcem Senderonem, qua illius conjunx excedens, ad aliam arcem munitiſſimam Sarduariam nomine erat profecta, immiſſis militibus, qui in ſubjecto oppido ſtipendiis Cæſaris alebantur, quibus liber in eam ingreſſus patebat, ejectis non magno negotio cuſtodibus occupandam curavit.

Hidajetes à Cæſare cum nuntio nuper Byzantio reverſo dimittitur.

Per illud etiam tempus Cæſar Hidajetem, qui ſe diutius, quàm par eſſet detineri conquerebatur, Viennâ dimiſit; addito ei nuntio, qui nuper citatiſſimo curſu Byzantio redierat, cum literis, quibus ſignificabat ſe exercitum ſuum revocaſſe: ac ſi Tranſilvanus, qui prior arma temerè intuliſſet, belli ſumptus & impendia refudiſſet, nec de Serencio & Tocajo reſtituendis magnam

oiffi-

1565. difficultatem factorum : quæ ipſe , ne exercitui ſuo ſæpè Tibiſcum tuendis finibus tranſire neceſſe habenti obſtaculo forent, recuperaſſet, nolle etiam Solimanum de mittendo munere quicquam dubitare : quum illud per legatum propediem foret acceptuтus , dummodo viciſſim ipſe pacta inducias per ſuos obſervari juberet , qui Crupam & Nuviam arces ad Hunam flumen, admotis tormentis expugnaſſent , & nuper arcem Amaſconem in ſuperiori Ungaria , corruptis clancularia largitione cuſtodibus interceptam occupaſſent, eaſque reddendas curaret.

Somlianum etiã abire permiſit Caſ.

Nec multò poſt Somlianum quoque , quem non ſatis ſincerè initæ legationis crimine ſuſpectum, per annum ferè detinuerat, abire permiſit: ipſe verò ad Comitia Germaniæ , quæ de more Cæſarum intra annum ſuſcepti imperii celebranda erant , & quæ ad æſtatem indicta, ob varias belli tempeſtates hucuſque diſtulerat , Auguſtam Vindelicorum conceſſit. Quæ quum prima eſſent, quibus ipſe propriis auſpiciis præfuturus eſſet, certam equitum Ungarorum turmam, ſplendidiſſimè exornatam ſecum ducere, eique Simonem Forgacium præficere decreverat; quod complures Germaniæ principes iis interfuturos , ac Auguſtum Saxoniæ ducem , magna pompa, jus clientelæ ab eo poſtulaturũ accepturumque non ignoraret; ſed poſtea vel excuſantibus ſe proceribus, qui coronationibus, ac deinde aſſiduis bellis vires exhauſtas obtendebant , vel aliis incertum quibus de cauſis, propoſitum mutavit.

Comitia Auguſtana.

Comitia Hungarica turbulenta. Anno 1566.

Carolum verò fratrem Comitiis Pannonicis, quæ ad quartum Nonas Februarias indixerat, celebrandis præfecit. In quibus tumultuum, altercationumque ſatis fuit : adeo ut illa rarò antea fuerint turbulentiora : Nobilitas namque Cæſaris abſentiam , & nondum amotos præfecturis, uti ſæpiùs promiſſum erat, exteros homines, nec ceterorum militum inſolentiam , quin potiùs multis partibus auctam , moleſtiſſimè ferebat.

In Auguſtano conventu Romana ſubſidia Cæſari promiſſa.

Ipſe Auguſtæ non ſine ſomma omnium totius Germaniæ ordinum alacritate, magna equitum peditumque ſubſidia , quæ Romana vocantur, obtinuit; ita ut XLVIII. peditum, & VIII. equitum millia, primo quoque tempore ſe in id bellum collaturos obtuliſſent ; quod Cæſar ſeipſum, ſi vita & valetudo ſuppeteret, in caſtra profecturum, ducendoque exercitui præfuturum pollicebatur.

Eodem tempore antequam in Germaniam diſcederet, Georgium Hoſſutocium, unum ex ærarii curatoribus, legatum Conſtantinopolim miſit, ab eoque Mehemeti purpuratorum primo, ſingulisque aliis munera de more miſit, ac Caſſonum Chiuſium ſenem, qui aliquot ante annos à militibus Thomæ Nadaſdii Palatini captus erat, quemque Cametia Solimani filia , Ruſtanis purpurati nuper vita functi vidua , ſibi donari expetebat , præſenti pecunia emptum remiſit.

Georg. Hoſſutotius Conſtantinopolim legatus miſſus.

Dederat Hoſſutotio in mandatis, ut eum Alberto de Wis , qui ordinarii legati munere fungebatur, omnibus viribus agendo atque largiendo obtinerent, ut Tranſilvanus fœderibus excluderetur, qui hactenus iis comprehenſus quieſcere, & pacem pati non potuiſſet; ſed varios ſubinde motus belli excitaſſet, quibus & ſibi invito arma ſumenda fuiſſent , & ſimul Solimano ingentes ſumptus , graviſſimoſque labores attuliſſet. Quod ſi impetrare poſſent , tum ſe muneris honorarii mittendi curam habiturum.

Solimanus irritatus, ob munus ordinarium non allatum, nec Tocajum redditum, bellum Cæſari indicit.

Itaque cùm Solimanus nec ordinarium, quod jam a biennio intermiſſum erat munus ab Hoſſutotio allatum , nec de Tocajo reddendo quicquam promiſſi vidiſſet , pro innata barbarico ejus ingenio arrogantia atque ſuperbiâ iratus ac frendens, fremenſque illum neque conſpectum, neque auditum, in ea , in qua Albertus legatus agebat, domo, clauſis feneſtris , januiſque includi, ac cuſtodiri juſſit, eaque re magis irritatus, ſuſcepta belli conſilia , quæ diu antea Cæſari inferre meditabatur, redintegravit, miſſiſque in omnes partes ad Magiſtros equitum & præfectos limitum mandatis , ut ſe in bellum, quod ipſemet geſturus eſſet, pararent , edixit ; iſtudque animi decretum inter Janicerorum etiam tribunos , quorum dux Alys erat , qui poſtea clade Turcarum claſſis ad Echinadas ab Hiſpanis & Italis accepta periit , ac prætorianorum equitum ductores, per Chauſios ſeverè publicavit. Nec multò pòſt adhibitis Mehemete & cæteris purpuratis equeſtre conſilium , illis ſimili modo equis inſidentibus, in loco quodam ſpatioſo , haud procul ab hortis ſuis habuit , in quo eadem inferendi belli conſilia confirmavit. Quod verò in ejuſmodi equeſtris conſilii ſenatu decerni ſolet , id poſtea Turcæ fixum & immobile eſſe credunt.

Equeſtre Solimani conſilium

Hoſſutotius & Wyzius ad colloquium admiſſi nihil obtinent.

Albertus & Hoſſutotius miſſis ad Mehemetem muneribus eum placare conati , ab eo , ut ſe in colloquium admitteret, ac æquis, quas propoſituri eſſent , conditionibus aures præberet , poſtularunt ; ſed is auditis eorum poſtulatis, quum munus honorarium toties promiſſum non attuliſſent , jamque à biennio ſibi verba dediſſent , neque bello ablata & res reſtituere vellent, Solimanum ſe deluſum, atque ludibrio habitum exiſtimantem, ideoque ingenti irâ exacerbatum, bello ſua repetiturum conſtituiſſe reſpondit. Se, etiamſi id in gratiam Cæſaris facere maximè vellet , non tamen ſine manifeſto amittendæ vitæ periculo ſuſcipere auſurum : ipſos poſt certiſſimum diu meditati ac ſuſcepti belli decretum, tardiùs veniſſe, quando nempe tractandæ pacis, aut ineundi fœderis tempus effluxiſſet, & potentiſſimo Imperatori nihil aliud reſtare videretur, quàm rebus omnibus paratis pedem hemi ypelo ferreo apponat , conſcenſoque equo in expeditionem proficiſcatur. Quæ illi tanquam ex ore ipſius Solimani profecta, per occultos nuntios & litteras, (neque enim facultas id aliter præſtandi intentis & excubantibus ad omnia barbaris dabatur) Cæſari ſignificarunt : & ei ſatis ſuperque ſolicito, ut ſe ad propulſandum ingens & formidabile bellum tempeſtivè præpararet, calcar addiderunt ; & Cæſar litteras , quibus Solimani in Ungariam adventus ſignificabatur, ad Carolum comitiis Ungaricis vacantem extemplò miſit.

Eadem Cæſari occultis nuntiis ſignificãt

Eadem ab idoneis certiſque exploratoribus ad Zrinium & Quercecenium , quorum ille Sigeto, hic Giulæ præerat , quique ambo comitiis intererant, perferebantur; ita ut Solimanum, præmiſſo Pertaffo ſororis ſuæ filio , qui ſecundum inter purpuratos locum obtinebat , Giulam obſidione cingendam , ſe verò ipſum aut Agriæ aut Sigeto oppugnando vires & arma admoturum decreviſſe, indicarent. Quibus à nobilitate in comitio cognitis , contentionibus finis eſt impoſitus , decretaque , quanta afflictæ vires opeſque ferre poterant , ſubſidia, ſimulque ſancitum , ut ſecundùm antiqua nobilitatis inſtituta, præſenti in caſtris Cæſari quiſque pro virili præſto eſſe contendat.

Auxilia ab Ungaris Cæſari decreta.

Solimanus à Tranſilvano &

Neque interea Joannes Sigiſmundus Solimanum, ut ſuas injurias ultum ire properaret, aſſiduè per nuntios & litteras ſolicitare deſinebat , & Ara-

Arſlane Budenſi aſſiduus ad bellum nuntius inſtigatur.

1566. & Arſlanes Mehemetis Jahioglis Eſſequiana & Budenſi cladibus noſtris clari filius, qui tunc Budæ præerat (quod poſtea illi diram perniciem, cædemque attulit) Cæſarem nuſquam paratas copias habere, nec ei de adventu ſuo quicquam conſtare, ac ſi venire maturet, quocunque arma verteret, ad ſubjugandam bello non modò Panoniæ, ſed etiam Viennæ totiuſque Auſtriæ ditionem, omnia proclivia apertáque fore, nuntiabat. Nec ipſe quicquam cunctatus, quum Solimanum propediem exercitum moturum ſciret, ut erat turbido ingenio, & guſtato quotidie opio vinoque aduſto temulentus, præoccupandum illius adventum, & initium belli faciendum, præcipiti conſilio decrevit, ratus ſe eo officio gratiam Principis promeriturum. Itaque protractis ex armamentario Budenſi tormentis, imperatóque per oppida & pagos magno plauſtrorum & jugalium jumentorum numero, quibus pilæ ferreæ ac ſulphurei pulveris pondera veherentur, quæ Turcæ non doliolis aut vaſculis, ut noſtri, condunt, ſed craſſioribus ciliciis involvere ſolent, copiiſque Albam Regalem convenire juſſis Palotam expugnare conſtituit.

Arſlanes, initio belli facto Palotam aggreditur.

Non latuêre Georgium Thurium loci præfectum, præſtantem militiæ virum, ejus conſilia, utpote quæ ille adeò non celanda exiſtimabat, ut pro temerario ejus ingenio, agreſti etiam plebe audiente palam ſe Thurium & Palotanos prædones ultum ire non diſſimularet. Itaque à Comite Ecchio Salmenſi centuriam peditum ſclopetariorum, duce Stephano Ildencio, veterano Centurione poſtulavit & accepit; è Papenſi verò præſidio alteram cohortem, cùm ordinarium præſidium CCL. utriuſque ordinis militum ſelectiſſimorum ineſſet, hiſque ſubſidiis adventum Arſlanis parato animo expectabat. Interea Lupum Thurium fratrem, ac cum eo Franciſcum Palffium, quem militea ab excuſſo dente Chorbam vocabant, locorum & viarum peritiſſimum Jaurinum ac deinde Viennam miſit, qui auxilia poſtularent. Accidit autem peropportunè, ut eodem die Lupus & Chorba Viennam venirent, quo die Cæſar Auguſtâ Vindelicorum, ſecundo Danubio proſpera factâ navigatione eòdem appuliſſet. Nec mora, biduo poſt duæ quaternorum millium militum legiones, quarum alteram comes Georgius Helffenſtanius, alteram Nicolaus Haldiſtadius in locis ſuperioris Germaniæ Rheno propinquioribus conduxerant, navibus vectæ advenêre. Igitur Cæſar Lupo Thurio remiſſo, legiones ſe Jaurinum ſine mora miſſurum daturúmque in mandatis Ecchio Salmenſi recepit, daret operam, ut Georgio & Palotanis laborantibus maturam opem ferret.

Georg. Thurius præfectus ſe munit.

Auxilia à Cæſare ſubmiſſa.

Arſlanes interim cum octo aut novem millibus Turcarum, ac quatuor colubrinis majoribus, totidémque minoribus eò progreſſus, propugnaculum rotundioris formæ, à Ladiſlao Moræo intrantibus ad dextram conſtructum, ideóque Moræum appellatum, factis aggeribus & promotis tormentis, validis crebriſque ictibus verberari juſſit. Verùm quum muros ibi validiores comperiſſet, quàm ut brevi tempore dirui poſſent, tormenta in partem arcis orientalem transferri, ac conſtitutis ibi ſcrobibus, quibus tormenta protegerentur, è regione ſacelli mœnia verberavit, tantâ vi, ut murus lato patefacto hiatu proſterneretur, & foſſæ ruderibus lapidumque fragminibus implerentur, ipſe irrumpi poſſe putaret. Sed prius quàm milites ad pugnam incitaret, Petrum Papum, & alterum Petrum cognomine Literatum, Thurii milites, quos Albæ in vinculis & carcere habebat, cùm propè eſſent, ad ſe adduci juſſit, quæſivitque, an per eas proſtrati muri ruinas ſummis viribus oppugnari arx poſſet, & an intus æqua loca eſſe putarent. Verùm illi altas ſub ſacello concamerationes fornicéſque obſtare, quæ irrupturis in cavædium arcis militibus, ad decem vel duodecim pedum profunditatem, præcipiti ſaltu ſuperandæ eſſent, ſive verè, ſive falsò reſponderunt. Interea ipſe crebros ictus tormentorum repetere & ingeminare, Thurius contrà ſuos ad arcis propriæque ſalutis tuendæ curam voce exemplóque accendere, in hoſtium aggeres tormenta dirigere, omnia egregii ducis fortiſſimique militis munia ſubire. Quibus in operibus Arſlanes duos tormentorum magiſtros, quos Budâ ſecum adduxerat, tormentis ictos amiſit, eoſque tapetibus albis involutos ibidem humari curavit. 1566.

Luphtis Arſlanis explorator noſtras adeſſe copias celeriter enuntiat.

Jam decimus dies irritæ oppugnationis præterierat, quum irâ doloréque percitus, Luphum quendam cognomine Delium, Tatæ Beſharum (ii ſunt equites ſingulo equo ſtipendium merentes) præfectum, qui in vaſtiſſimis Bacaniæ & Verteliæ ſilvis, ac Jaurinum & Papam versùs, viarum & compendiorum ſcientiſſimus erat, ad ſe vocatum, ire versùs Jaurinum ac explorare juſſit, an Thurio & obſeſſis auxilia aliunde ventura eſſent. Is Idibus Junii cum XL. ſociis eâdem nocte ad Memphonem vicum, haud procul Jaurino in inſidiis conſedit, accidítque magnâ Thurii & Palotanorum felicitate, ut Ecchius Comes Salmenſis, ad quem nondum Germanicæ legiones pervenerant, trecentos currus ex inſula Danubiana, quæ Sallocoſia appellatur, coactos ad cædendam materiam, muniendis Jaurini propugnaculis neceſſariam, versùs eas ſilvas mitteret, ignarus in iis Luphtim latere, eoſque ſingulis quaternionibus militum ſclopetariorum, ab hoſtium excurrentium, ſi qui eos fortè, uti evenit, adoriri vellent, injuriâ tuendos mandaret. Cùm propiùs ventum eſſet, Luphtis è latebris proſiliens, in ſclopetarios Ungaros Germanis permiſtos incidit, qui cum eo acre certamen protinus inierunt. Et quum Luphtis & hoſtes longum curruum & carrorum ordinem, & ſclopetarios è ſingulis deſilientes, ſublatíſque vexillis ad pugnam properantes vidiſſent, nec quemquam ex eis comprehendere potuiſſent, à quo quicquam certi comperirent, totum exercitum adeſſe rati, eò unde venerant ad Arſlanem citato curſu redierunt; hoſtéſque adeſſe, ac peditatum celeritatis cauſa curribus impoſitum vehere, nec procul abeſſe pavidi nuntiarunt. Arſlanes improviſo metu exterritus extemplò tormenta ſummo ſilentio retrahi, jungíque repentè jumenta, & Albam reduci juſſit. Copiarum autem ductores & præfectos, non tubis aut tympanis, ſed miſſis tacitè per contubernia nuntiis monuit, ut relictâ obſidione domum reverti maturarent, quòd obſeſſis auxilia magno numero adventare dicerentur. Tanta igitur Turcas attonitos & confuſos trepidatio & pavor cepit, ut conſcenſis equis & relicto peditatu, ſine ordine, ſine ſignis, quà quiſque poſſet, citatis paſſibus dilaberentur, multique tentoria omnia generis annonæ, hordei, farinæ, caſeorum, ſalitæque carnis, ſimiliúmque cibariorum plena relinquerent, quo expeditiùs fugere poſſent: duo etiam tormenta curulis minora, quòd jumenta è graminibus, in queis paſcebantur, per noctem inveniri, eiſque avehendis jungi nequiviſſent, relicta fuêre.

Unde metu territus Arſlanes obſidionem ſolvit.

Per

1566. Per hunc modum Thurius ancipiti periculo ereptus, poſtridie adventanti Salmenſi ac cæteris ducibus, qui cum XIV. millibus militum eo proceſſerant, obviam profectus, Turcas fama exercitûs perterritos diſceſſiſſe nunciavit; ipſóſque in eadem caſtra, quibus hoſtes exceſſerant, lætus & gaudens recepit. Sed quum amplius Palotæ præfecturam gerere nollet, quò ſe ea conſervata haud mediocrem gloriæ ac militaris conſtantiæ laudem tuliſſe exiſtimaret, ac in caſtra Cæſaris, quæ propediem patentibus in campis futura, certo cognoverat proficiſci, ac in conſpectu illius operam præſtare decreviſſet, Salmenſem admonuit, ut in ſui diſcedentis locum alium ſufficeret. Qui quum arcem Martino Thurio, Georgii ipſius patrueli, qui Jaurini ordines ducebat, tuendam reſtaurandámque commiſiſſet, convocatis ducibus, quid è Republica faciendum videretur, eorum ſententias exquiſivit. Eorum pars Veſprimium, quæ duobus milliarihus diſtabat, vetuſtiſque ac debilibus muris, tormentorum vim neqnaquam ſuſtinere poſſe putabatur, expugnandum cenſebat; pars Tatam veluti Jaurino & Comaronio propinquiorem, ex qua Turcæ frequentes excurſiones facere couſueviſſent, invadendam proponebat: cúmque per hunc modum diſputaretur, Demetrius Cioconanus, quem Franciſcus Enningius ſeu Turcus, Papenſis præfectus, ſpeculatum hoſtium itinera conſiliáque ex caſtris biduo ante præmiſerat, ad conſultantes supervenit, adducto mancipio Turcico, quod Turcas ducentos ferè Veſprimio exiviſſe, paucóſque domi relictos referebat: ſimulque Demetrius addebat, tantam ejus loci mæniorum debilitatem eſſe, ut quum in ſe & ſocios ſub arce conſpectos, tormentum minus diſploſum eſſet, muro collapſo, illud quòque unà magno per montem fragore provolutum procidiſſet. Itáque Franciſcus Turcus, Ladislaus Giulaffius, qui Tichonio præerat, (eo in loco Andreæ primi Ungariæ Regis cognomine Albi ſepulchrum conſpicitur) ac Georgius ipſe Thurius Salmenſem rogare, obſecrare, ac ſummis votis & precibus obteſtari cepere, ut quum talem tantamque occaſionem ſors & fortuna tuliſſet, quâ locus oportunus recuperari facilè poſſet, exercitum ultro pugnam poſcentem eò ducere, ac Martis aleam experiri ne dubitaret.

Itáque illuſcente aurora, quum caſtra promota eſſent, ad meridiei tempus eo perventum eſt; & cùm Turcæ viſis noſtris tormenta, uti anteà diſploſiſſent, alia quòque muri pars vetuſtate corrupta, unà cum duobus tormentis, eorumque magiſtris, violento ſulphuris impetu impulſa decidit. Quo animadverſo, noſtri permittente cohortantéque Salmenſi, repentè in arcem irruerunt, ac quanquam ſe Turcæ acerrimè defenderent; tanta tamen noſtrorum irrumpentium vis fuit, ut injectis in tecta ignibus, arce ſimul & victoriâ potirentur. Capta fuit multa & varia ſuppellex, nec minimi pretii; ſed Turcas, qui abjectis armis ſeſe Ungaricis militibus, metu & odio exterorum, ultrò capiendos offerebant, Germani in ipſis Ungarorum manibus, amplexibuſque crudeliter interficiebant: ita ut exortis in eos pro præda rixis, Ungari cum Turcis promiſcuè cæſi; contra Germani quòque interdum repulſi pariter occumberent. Templum eximii operis, regulis tectum, ac crypta ſubterranea, Divi Stephani primi regis opus, turriſque campanaria præalto faſtigio, puncto temporis conflagrârunt, quæ Turcæ ſarta tectáque multis annis conſervaverant. Fæminæ etiam complures, & pueri capti ſunt; quas inter una præſtanti formâ, quæ Haldiſtadio tribuno dono data fuit: & Baſilæam uſque Rauracorum in Germaniam ſuperiorem perducta, quum ibi linguam Germanicam didiciſſet, cum quodam infimæ ſortis agaſone, quem promiſſis ingentibus ſubduxerat, poſt varios errores quod mirum videri poteſt, in patriam remeavit. 1566.

Veſprimium à noſtris primo impetu captum.

Templũ conflagrat Divi Stephani opus.

Capto memorabili celeritate Veſprimio Salmenſis Michaelem Secenium ibi reliquit, locúnique ei cum ſua equitum turma, ac ducentis peditibus tuendum commendavit, ac per Baconiam ſilvam, ad Levoldium Carthuſianorum collegium, ſed eo quidem tempore deſertum, ac Papam, ac inde ultimâ die menſis Junii Jaurinum incolumem reduxit exercitum. Nec ibi diu moratus, jubente Maximiliano, poſtridie Calendarum Quintilium, ad Tatam expugnandam cum tormentis & exercitu, quem copiis Franciſci Battianii, viduæ Palatini Banffiorum, cæteræque nobilitatis ciſdanubianæ haud contemnendis auxerat, profectus eſt, arcémque ſibi tradi poſtulavit, liberúmque excedentibus abitum obtulit. Sed quum ii, qui intus erant, nihil reſponderent, tormenta produci, eáque ad occaſum ſolis inter aggeres collocari, arcémque eis concuti juſſit. Quorum vi mænia non multò pòſt magnam ſtragem dedere, ita ut Salmenſis reliquique duces ſuos ad irrumpendum & oppugnandum cohortarentur. Nec mora, milites ſublatis vexillis, magnóque ſtrepitu tympanorum edito, per ruinas certatim conſcendere cæperunt, ex adverſo Turcæ acerrimè repugnantes eos ſclopetis ac ſagittis, aliiſq; telis miſſilibus repellere contenderunt. Poſtremò Germanis atque Ungaris denſato ordine ſubeuntibus, Turcæ terga dedere, ſéque in interiorem arcem fugiendo recepere: quos noſtri inſequuti, majori ex parte trucidaverunt, Salmenſis tamen eos, qui ſuperfuerant, & in arcem interiorem, duce Curto quodam Janicerorum Centurione profugerant, data eis fide ad deditionem arbitrio ſuo faciendam, partim minis, partim promiſſis coëgit, eóſq; omnes qui erant ad LXX. partim ducibus dono dedit, partim captos in vinculis Jaurinum miſit; arcémque Germanis L. è cohorte Gaſparis Turingii delectis tuendam commiſit.

Mich. Secenius Veſprimio præficitur.

Mox Salmenſis Tatam expugnat.

Cæterùm Grſtiſtni & Vitaniani Turcæ, Verteſiæ ſilvæ incolæ, ne Tatenſium exemplo aut capti fædè, aut trucidati pænas darent, relictis vacuis arcibus, Strigonium & Budam ſe proripientes, ſaluti ſuæ conſuluerunt. Quibus Salmenſis præſidia impoſuit, ac Comaronium cum exercitu reverſus eſt; ibique caſtra ad Danubii ripam, ponte flumine conſtrato, ut convehendis commeatibus, ac recipiendis, quæ in dies conveniebant, copiis expeditum ac facile iter pararetur, caſtra collocavit; jámque auctis Brederodii Batavi, ac Burgundionum ac Allobrogum principit, equitum ſclopetariorum præſentia copiis, ac Sileſiæ, Auſtriæ & Bohemiæ auxiliis, ſic ut XXX. armatorum millia in caſtris habere crederetur, Strigonii obſidionem, cujus utramque civitatem Turcæ deſerturi, ac ſe in ſuperiorem arcem recepturi, à ſpeculatoribus dicebantur, ſuadentibus Ungaris maturè aggredi conſtituerat, niſi à Cæſare, ut caſtris ſe contineret, neque uſque ad ſuum adventum, quem propediem acceleraturus eſſet, quicquam tentare vellet, prohibitus fuiſſet.

XXX. armatorum millia in caſtris noſtris.

DE

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXIII.

1566. EXARSIT haud multò poſt hæc præludia ingens & memorabile bellum, quòd Solimanus quamquam ætate, annis, morbiſque gravi & affecta eſſet, majoribus quàm unquam antea viribus Cæſari inferendum ſtatuerat; quo nobiliſſimæ inter Danubium & Tibiſcum, Chryſiúmque & Maryſum amnes, ac Dravum & Danubium Pannonici regni regiones, ſubactis duabus longè clariſſimis urbibus, ac perturbata tota ferè Republica Chriſtiana miſerabili incendio deflagrârunt. Quæ verò cauſæ illum ad tantam iracundiæ vim, vindictæque libidinem exacuerint, non ſanè tales tantæque, quibus, niſi indomita ſuopte ingenio arrogantia atque ambitio crudelem animum inceſſerent, tam inſigni ferocia interneciniquc odii atrocitate dimicandum foret, eas ſuperius expoſuimus.

Is igitur ſuperbia ac furore actus, ſupremum operum ſuorum bellum aggreſſurus, ultra marinas Aſiaticáſque copias Hadrianopolim præire, ac magiſtrum equitum Europæorum, atque Acangios equites è Macedonia & Thracia ac Peloponneſo, aliíſque conterminis limitibus ſe ad urbem Sophiam; Tartaros verò, qui ad paludis Mæotidis oram habitantes Crimii à noſtris ſeu Præcopitæ vocari ſolent, ad campos Deſtrolaviæ ſeu Seliſtriæ ſubjectos, quos Dobergianos appellant, expectari juſſit. Ipſe cum prætoriania equitibus, & Janicerorum cohortibus ad initium menſis Junii Conſtantinopoli diſceſſit, albo inſidens equo mediocris proceritatis, domúmque eam in qua Cæſaris legati agitabant, ſingulari pompa prætervectus eſt, ita ut ab iis, quamquam feneſtræ clatris tabulatiſque ad dimidium obſeptæ eſſent, conſpici poſſet. Inde lentis itineribus Hadrianopolim pervenit, & iſthinc Pertaſſum Purpuratum ſororis ſuæ filium, cum Beglerbego Græciæ, ac duobus millibus Janicerorum, & XXV. millibus promiſcui ordinis militibus in Pannoniam præmiſit, qui Temeſvarienſi & & Belgradienſi præfectis ſibi adjunctis, Giulam obſidione cinctam ac ferro perdomitam in poteſtatem redigeret, eo modo diſpoſitis rei gerendæ conſiliis, ut tripartito inſtituto bello illis Giulæ incumbentibus, ipſe aut Agriam propinquiorem, aut Sighetum invadenda ſibi deſtinarent: Tranſilvano verò cum Tartaris Sacmarinum aut Tocaium oppugnanda demandaret.

Initio Junii Solyman Byzantio diſcedit.

Itáque ille procedentibus agminibus, quarto Nonas Julias cum exercitu & tormentis Giulam pervenit, quam Ladislaus Querecenius cum duobus millibus equitum & peditum Ungarorum, ac ſexcentis peditibus Germanis, Lupo Gerigeto, ac Wilhelmo Happarotto centurionibus à Suendio miſſis tuebatur. Aderant ei ſummæ virtutis alarum equeſtrium præfecti, ipſo facilè virtute ſuperiores Demetrius Ocharovitius, Nicolaus Henenus, Franciſcus Manninus è Croatiæ Caniſſacio ortus, Lucas Jazyx, Joannes Gicius, Martinus Balaſdiacus, aliique complures, (Raiacum enim peditum præfectum Thracem, incertum quas ob cauſas in carcerem condi juſſerat) præter oppidanos, quorum magna pars Varadinum Tranſilvanicæ tunc ditionis, & Caſſoviam aliáque tutiora loca, cum uxoribus & liberis conceſſerat: alii, quibus fervidior ætas, ac vires & animus ſupererant, patriæ mendæ ſtudio, ſumptis armis hoſtem domi expectandum conſtituerant. Querecenius cum majori ſuorum parte Pertaſſo ad ſtadii intervallum obviam profectus, acre cum hoſtibus prælium conſeruit, in quo cadentibus utrinque haud multis, ſub veſperum diei in oppidum atque arcem reverſus eſt: hoſtes verò per obſcuram noctem aggeres conſtruere, ac corbes, quos ſecum paratos attulerant, tormentáque verberandis mænibus prægrandia collocare cœperunt. Verumtamen quòd frequentioribus pluvus Chryſius urbem præterfluens, aliique amnes adeò intumuerant, ut omnes circum campos inundarent, ſatis procul ab arce aggeribus ac vineis ſtatuendis locum invenêre. Quâ rerum incommoditate adacti, lentiùs quàm volebant & ſegniùs oppugnationem continuavêre, noſtris initio quidem impigrè ſeſe tuentibus. 1566.

Pertaſſus Baſſa Giulam arcta obſidione cingit, Ladisl. Querecenius ei præeſt.

Dum in hunc modum Giula lentè oppugnatur, Solimanus cum potiori parte exercitûs Nandoralbam ſeu Belgradum venit, atque ibi per aliquot dies ſtativa habuit, donec in conſilio decerneret Agriamne an Sighetum, admota vi oppugnari præſtaret. Eo Belgradi morante, Johannes Sigiſmundus (tametſi Rex Poloniæ avunculus, ne faceret, diſſuadere conaretur, addens ſordidam eſſe principibus peregrinationem) à Mehemete purpuratorum principe, quem ea de re conſuluerat, admonitus, cum centum quadrigis levioribus, quibus quaterni ſelecti nobiles aut milites ſplendidiſſimè exornati vehebantur, ad eum venit, munera adferens inuſitati pretii. Cui ad ripam Danubii adventanti celocem ſuam propriam aurato roſtro, ac aureis pannis pulvinaribúſque conſtratam, remigibuſque & nautis ſerica veſte amictis agi ſolitam, donec quadrigæ cæteráque impedimenta tranſportarentur, obviam miſit; quumque in citeriorem ripam cum comitum præcipuis, quorum conſilio utebatur, circiter XX. viris trajectus eſſet, equum aureis phaleris ephippiiſque exornatum conſcendit, cæteri pedibus præceſsêre, ac inter equitatum vario multiplicique ornatu longè inſtructiſſimum progreſſus, ad tentorium Phrygii operis ad id extenſum deductus fuit. Tum adfuêre Janiceri circiter centum cum muneribus, quæ erant intertextæ veſtes, quibus ipſe & comites ad Solimanum ingreſſuri induerentur; annulus item è carbunculorum genere eximiæ pulchritudinis ac magnitudinis, idémque ad XX. millia aureorum æſtimatus. Quibus acceptis, miſſus pro eo advocando Janitorum magiſter, præcipuæ vir dignitatis, Capigipaſſa ab ipſis appellatus, eum ad tentorium Solimani, quod non procul erat, introduxit. Anteà is ſella ſedens, ingredienti paululùm aſſurgere viſus

Solimanus Belgradum advenit.

Joan. Sigiſm. illû viſit cum ſplendido comitatu.

Veſtes auro intertexta Joanni & aſſeclis oblata

1566. viſus, dextram porrexit : cæteros ad veſtem genuum tenus oſculandam (id apud barbaros moris eſt) admiſit , inter quos quum Georgius Blandrata , Arii nefarius ſectator, diris potiùs omnibus devovendus , quàm ullo honore dignus , in toga ſerica & talari atri coloris ingreſſus eſſet , quinam ille foret , percunctatus eſt, nec aliud loquutus.

Blandrata Arianus.

Solimani cum Joanne colloquium.

Paulò pòſt ſemotis aliis præter purpuratos arbitris, unóque Hidajete interprete relicto à Joanne Sigiſmundo quæſiviſſe fertur, an exercitum ſuum ſatis validum eſſe, & Germanos congreſſum ejus expectaturos putaret? deinde eum aliâ allatâ ſellâ ſedere juſſum (quanquam ſemel atque iterum honoris cauſa recuſantem) quòd ad ſe inviſendum ſalutandúmque veniſſet, collaudavit, retulítque ſe in ſumma ſua ſenectute , ejus protegendi cauſa, expeditionem & arma ſuſcepiſſe, atque adeò etiamſi vita ipſa fatis ſic jubentibus, ſub ipſis Viennæ mœnibus relinquenda ſit, ſe eam in caſtris & ſub tentoriis finire ſtatuiſſe. Pòſt Joanne Sigiſmundo, quæ appoſitè dici poſſe putabat, ad ea reſpondente, converſus ad purpuratos, illum expreſſam patris effigiem oris ſimilitudine referre dixit. Nec plura loquutus ſupplicem libellum ab eo oblatum accepit, qui Budæ juxta datæ fidei normam reddendæ, ac conſignandorum finium, quos ipſe ut ſuos tueri poſſet, petitionem continebat : quem Solimanus extemplò Mehemeti purpuratorum principi de manu dedit, juſſítque, ut quæ peteret, pro voto & deſiderio ejus expedienda curaret.

Dirempto colloquio reditum ad tabernacula eſt, & quum conſediſſet, adfuit Janitorum præfectus, qui dona eximii operis ac pretii, baltheum palmaris latitudinis, qualem Janicerorum tribuni, centurionésque & manipularii, quos Agas, Baluchaſſas, ac Chorbagias vocant , ferre conſueverunt ; ac pugionem & acinacem ex puro auro, gemmíſque maximi pretii inſertis elegantiſſimè factos, nomine Solimani attulit ; poſt quem à Magiſtro ſtabuli, quatuor præſtantiſſimi equi pretioſiſſimo apparatu inſtructi , oblati ſunt : quæ omnia actis gratiis accepit, ac eos, qui attulerant, multo auro donatos dimiſit.

Dona Joanni oblata.

Exinde Mehemetes , miſſo ad eum Capiaga ſeu janitorum ſuorum præfecto (habent enim purpurati quoque ſuos inſtar principis, ſed minori numero miniſtros) ſignificavit ſe velle quidem ſalutandi colloquendique cauſa ad illum venire ; ſed imperatoriis negotiis & caſtrenſibus curis uſque adeò occupari, ut otium minimè ſuperſit ; proinde eum hortari petereque , ut cùm ab eo pater ſit appellatus , ſeque ut patrem colendum ſponte ſuſceperit, ad ſe haud gravatim accedat ; daturum ſe operam , ne ejus ſuſcepti laboris eum pœniteat. Re in conſilium delatâ omnibus placebat, ut cùm primarii Veſirii, quo nomine purpuratorum principes vocantur, ſe Regibus pari dignitate æquari ſuperbè & arroganter volunt, nec ipſe tempori ſervire , & aliquot factis paſſibus , ad illum ire recuſaret. Unus Bequeſſius ingenio malo pravóque obſtitit, qui adulando atque gratiam ejus bonis maliſque artibus aucupando, adeò eum ſibi obſtrictum reddiderat , ut poſthabitis omnibus aliis, ejus conſilia ſequeretur. Is præpoſteris ac importunis ſermonibus , quibus minimè decere ajebat, Regem Regis filium ad vilem ſervum mancipiúmque proficiſci, ſuſcepta tot tantíſque laboribus & impendiis conſilia perturbavit atque evertit. Cùm enim Mehemetes, qui illum

Joannes à Mehemete vocatus, ut ſe adeat, venire tergiverſatur.

ad ſe venturum nihil dubitabat, ac per eos, qui Joannis Sigiſmundi munera Sulimano detulerant (ea erant ex ſolido cælatóque auro pocula prægrandia duodecim) iterum nuntiaverat, ſe illum expectaturum, ideóque tabernacula laxiſſima & elaboratiſſima aureis pannis exornari, aulæ totius proceres convocari, dona, quæ illi daret, proferri, magnis militum catervis longoque ordine pro prætorio ſtare juſſerat, cùm ſibi ab illo nuntiari audiviſſet, ſe quidem colloquium cupere , ſed ita, ut conſcenſis equis ambo extra caſtra in campum progrediantur, ut erat faſtu barbarico inſolens atque ſuperbus , ſe ejuſmodi verborum circuitu deluſum , ac contemptui habitum ſentiens , graviſſimo concepto odio, eo tamen in præſens aſtutè compreſſo, ſibi ut ſpatiaretur, nequaquam vacare reſpondit.

1566.

Unde graviſſimum in eum odium à Mehemete conceptum eſt.

Quâ , ùt exiſtimabat, injuriâ vir ambitioſus exacerbatus , nunquam poſtea deſtitit quin pro inveteratâ primi loci auctoritate , quâ apud Solimanum ſupra omnes pollebat , omnia dicta factáque ejus æmulando atque obtrectando elevaret, & Solimanum ab eo hoſpitalibus menſis adhibendo , ac hilariùs liberaliúſque tractando, averteret , quòd imbecilliori valetudine utenti, ſi quid humanitus eveniret , veneno necatus crederetur : poſtremóque efficeret , ne quicquam eorum , quæ petebat, concederetur, & ille rebus infectis , nec convento Solimano , quòd Mehemetes illi febribus moleſtato & quieſcenti parcendum diceret , in Tranſilvaniam redire cogeretur. Adeò mentes mortalium pravâ ambitione procul à bono & æquo diductæ, in vindictæ libidinem, iráque præcipites feruntur. Atque hæc quidem fuêre initia & cauſæ ſimultatum & diſſenſionum inter Mehemetem & Tranſilvanum , quas mutuò inter ſe clancularìis odiis exercuerunt ; quibuſve adductus hic non multo pòſt , à Turcarum ſocietate diſcedendum , ac cum Maximiliano Cæſare , occultis ictis fœderibus , in gratiam redeundum exiſtimaret.

Ideóque rebus infectis in Tranſilvaniam redit.

Per hunc modum rebus unius hominis temeritate corruptis, diſcedente Tranſilvano, quum hactenus in ambiguo fuiſſet, quamnam in partem arma eſſent vertenda, tandem poſt diuturnam conſultationem Solimano placuit, ut Agriam obſideret, quæ & Sigetho infirmior eſſe, & ſi à Pertaffo Giulæ rem gerente ſubſidia poſtularentur, commodiùs è propinquo mitti poſſe videntur. Re deliberatâ, mittuntur extemplò magiſtri fabrûm ac operæ quamplurimæ ad Danubium, ſub arce, quæ Varadinum Petri dicitur, ponte è navibus & craſſioribus tabularis facto , conſternendum : ipſe verò promotis Belgrado caſtris, eos ſequutus , iſthic cum univerſo exercitu conſedit , ut effecto ponte mox Agriam versùs progrederetur.

In ea caſtra Muſtaphas Boſnæ præfectus , captâ nuper Crupâ clarus , cum copiis & muneribus venit , cui præfecturam Budenſem , commendante eum , uti ſanguine ſibi junctum, Mehemete purporato contulit ; dedítque in mandatis , ut quum primùm Budam veniſſet, Arslanem ſtrangulatum è medio tollendum curaret, cui propterea erat iratus , quòd Palota obſeſſa, bello initium dediſſet , irritatíſque Germanis Veſprimium, Tatam, & alia loca capienda objeciſſet, eóſque rebus omnibus imparatos , nec de Turcarum exercitu quicquam certi aut explorati habere falsò nuntiaſſet. Muſtaphæ verò ſucceſſorem in Boſnenſi præfectura,

Muſtaphas Boſnæ præfectus Budæ præficitur.

1566.

Boſna verò præfectura Mehemeti diſpenſatori ſuo confertur

Mehemetem, Diſpenſatorem ſuum, quem barbari Quilergibaſſam vocabant, conſtituit, & utrumque in ſuam provinciam proficiſci juſſit. Oſmanem verò Ciliciæ, Cappadociæ, & Pamphyliæ præfectum, quas provincias nunc barbari uno Caramaniæ nomine vocant, cum decem millibus equitum ad Albam regalem tuendam miſit, ne quid detrimenti iſthic à Germanis eſperetur, quòd propediem Cæſarem cum magnis copiis Jaurinum in caſtra venturum intellexiſſet. Ceterùm venientem Muſtapham Araslanes exſpectare non eſt auſus, quod illum fatale de ſua cæde mandatum habere didiciſſet: ſed alia capta via, ſe in caſtra Solimani iturum profeſſus, legatum ſuum, qui urbem ei traderet, ibi reliquit. Et Oſmanes Albam ſalvis copiis incolumis pervenit, caſtraque ad paludem, cui Soſto nomen, ut commodiùs aquaretur collocavit.

Oſman Caramaniæ Baſſa Albã tuendam ſuſcipit.

Sed Diſpenſator, fatali tam ſibi quàm Sigheti præſidiariis ſuis infortunio, anſam veluti quandam crudeliſſimæ cædis ſuæ, & Solimano, relictis adoriundæ Agriæ conſiliis, ut Sighetum expugnaret, occaſionem attuliſſe viſus eſt. Nam cùm Boſnam periturus, Socloſium cum trecentis equitibus, ac multis impedimentis & ſarcinis perveniſſet, extenſis in ſuburbano agro tabernaculis, conſedit: quamquam à Scandere loci præfecto admoneretur, ne ſe ancipiti periculo exponeret, quandoquidem Sighetani non procul abeſſent, qui ſæpiùs cruentas excurſiones facere conſueviſſent. Sed quia cœlum pluvium erat, nec ipſe niſi eam noctem ibi quieſcere ſtatuiſſet, in ſententia permanſit. Fortè acciderat, ut Zrinius, qui Sigheto præerat, mille pedites veteranos, & quadringentos equites, (& Babocsani aderant à Michaële Verebelio adducti) ducibus Gaſpare Alapino, & Lupo Paprotovicio emitteret; eo propoſito, ut ſuburbia civitatis Quinqueeccleſienſis ferro flammiſque vaſtaret, ac certiora de progreſſu & conſiliis Solimani adferre conarentur: ii obſcurâ nocte profecti, quum ad vicum Byſſam, inter Socloſium, Sighetum & Quinqueeccleſias, in trianguli formam, æquali ferè intervallo ſitam, ubi itinera eorum locorum concurrunt, perveniſſent, cœlum crebris fulguribus ac tonitribus, ac validiſſimo ventorum turbine intermiſto, pluvium tempeſtuoſumque reddi cepit, & inter eas tempeſtates notus militibus agricola obviam prodiit, à quo cognitum eſt, Quilergibaſſam Socloſii injuriæ opportunum, cum paucis conſediſſe.

Itaque mutuo habito conſilio, illum aggredi improviſoque impetu opprimere ſtatuerunt. Juſſis igitur citatiore paſſu progredi peditibus, quamquam pluvia cænoſum iter reddidiſſet, tamen ante auroram magno clamore ſublato in hoſtes erupêre. Quum ſemiſopiti & nec opinato caſu perterriti arma cepiſſent, facilè à noſtris, numero & virium robore ſuperioribus disjecti cæſique fuêre. Mehemetes excuſſo ſomno, arreptiſque armis cùm fortiter pugnaret, manu dextrâ inter dimicandum detruncata, urgente fato cecidit, cadentique caput à peditum promptioribus præciſum eſt, filium ejus egregiæ indolis adoleſcentem, cùm in foſſam urbis profundiore aquâ plenam, conſilii inops atque amens inſiluiſſet, ſclopetarii multis glandibus petitum, ibidemque aquis immerſum confecerunt. Cæteri quum diu pugnaſſent, & ſociorum, qui in urbe erant, opem

Mehemetes ad Socloſiũ à noſtris inopinato impetu oppreſſus cæditur.

1566.

fruſtra imploraſſent, quòd Scanderes per tenebras, intempeſtamque noctem portas aperire nequaquam tutum eſſe arbitraretur, ad extremum victi fugam dedêre, & pars in veſtigio cæſi, pars vulneribus & labore fatigati, qua quiſque potuit, in proximas ſilvas profugerunt. Noſtri victoriâ potiti, tabernacula & ſarcinas ſummâ celeritate diripuêre; inter quas præter cælati argenti haud contemnendum numerum, ſignatæ etiam pecuniæ aliqua ſumma, & aureorum numûm XVII. millia reperta fuêre. Veſtes etiam auro intertextæ, arma, & acinaces præſtantiſſimi operis, equi item militares, & militaris ſupellex haud modica, ita ut victores noſtri nobili præda, aureiſque hoſtium exuviis induti, atque ornati domum reverterentur. Pauci tamen admodum captivi facti, quod edicto præfectorum iis, qui arma ceperant, omnibus interfici juſſis, cæteri fuga potiùs ſibi conſulere, quàm ſociis laborantibus opem ferre maluiſſent.

Copioſa præda onuſti Zriniani domum redeunt.

Jam Solimanus Danubium ponte conſtraverat, & Aſiaticus Græciæque equitatus, qui de more exercitum præcedere ſolet, in agros ulterioris ripæ ac Batienſem provinciam transjecerat, ut Agria infeſtis armis peteretur; quum Solimanus ſuorum calamitatem, ac diſpenſatoris miſerandam cædem ab iis, qui evaſerant, cognovit. Itaque irâ doloreque exardeſcens, ac fremens frendenſque, eos, qui transjecerant, revocari, pontemque extemplò reſcindi, naves, & tabulata cæteraque neceſſaria plauſtris, quæ Sirmio & oppidis Belgrado vicinis, ſummâ adhibitâ celeritate, impetrata erant, imponi & ad Eſſecum pervehi, ſibique Sighetum ducturo Dravum conſterni jubet, ac Hamſæ Quinqueeccleſiarum præfecto, ſub pœna capitis ſeveriſſimè edicit, ut operi maturè perficiendo manus quamprimum admoveat, ipſe verò paulò pòſt conclamatis vaſis ac promotis caſtris, ad Eſſecum & Dravum flumen univerſum exercitum adduxit. Sed quum amnes exundaſſent, pontique perficiendo nonnihil moræ injeciſſent, exercitus aliquot dies hæſit, non ſine Hamſæ periculo, cui linteum atrum miſerat, quod eſt elidendarum faucium ac ſtrangulandi ſignum, niſi pons ad ſuum uſque adventum exſtrueretur. Excuſationi tamen locus fuit, quum Solimanus Dravum longè lateque tumidum conſpexiſſet. Reſidentibus aquis, & urgente Solimani præſentia pons celerrimè eſt confectus, ac exercitus Mohacium, atque inde inter Quinqueeccleſias & Socloſium, via militari, ad Harſanum oppidum, nobili vino celebre, venit, ibique caſtra metatus eſt. Harſani etiam in caſtra venit infelix Arslanes, malè ad Palotam & Veſprimium geſtæ rei, ac falſæ explorationis damnatus, quem aditu colloquioque prohibitum, ita percitus, ante prætoriũ tabernaculum extemplò interfici juſſit.

Solimanus miſeranda Mehemetis cæde irritatus.

Omiſſa Agriæ obſidione, caſtra Sigethum verſus promovet

Arslanes Budenſis à Solimano interfici jubetur.

Intereà Pertaffus, cognito Solimanum miſerabili Diſpenſatoris caſu, cædeque permotum, relicta Agria, revulſoque ponte Sighetum verſus perrexiſſe, cùm exundantia paulò antè flumina opportunè decreviſſet, propiùs tormenta promovit, iiſque arcem ſine intermiſſione labefactari, diruique juſſit. Nec noſtri quicquam, quo ſe egregiè ac fortiter tuerentur, prætermittebant. Sed magno eorum infortunio accidit, quod quum majora tormenta in hoſtium aggeres exploderentur, ſive metalli fervefacti vitio, ſive magiſtrorum incuria, tria ex majoribus fracta diſſilirent, ipſoſque magiſtros & multos ex

Gyulana obſidio à Pertaffa ſtrenuè urgetur.

turba

1566.

turba circumſtantium, fruſtis & fragminibus partim repentè exanimarent, partim verò lethalibus affectos vulneribus, miſerabilem in modum debilitarent. Janiceri quóque in aggeribus excubantes, ſi quos in mænibus verſantes conſpexiſſent, crebrâ glandium procellâ petitos ſauciabant; eratque miraculo proximum, quòd quicunque vel levi vulnere icti eſſent, nullâ medicorum ope, nullis vel præſentiſſimis remediis ſanari poſſe viderentur. Quod Ocharovino alæ equitum ductori, viro præſtantiſſimo, ac quem milites, & potiſſimùm Thraces velut parentem maximè colebant, ſummoque amore proſequebantur, quòd plurimi ejus liberali ſtudio, è captivitate redempti eſſent; alii verò vel equis & armis, vel pecuniâ & veſtibus donati ab eo ſuſtentarentur, incredibili cum omnium dolore accidit; qui contignatione exterioris propugnaculi ingentis ferreæ pilæ ictu dejecta, quum fractis trabium feſtucis, ſupra ſupercilium in fronte vulnere, ut quidem initio videbatur, levi, & ferè contemnendo ictus, et curatuſque eſſet, mox illud adeo lethale mortiferumque apparuit, ut intumeſcente toto capite, oculiſque turgentibus, & gangræna obrepente, vir fortis & robuſtus, feſtinatâ morte miſerabiliter interiret.

Ocharovini præclari equitum ductoris mors.

Ad hæc magiſtri tormentorum hoſtilium, mænia arcis exterioris adeo diruerant, ut milites per ruinas conſcendere poſſe exiſtimarentur; & angulares propugnaculorum feneſtellæ, per quas obſeſſi tela miſſilia ejaculando, & ſclopetis rem gerendo, ſeſe defendebant, magno propugnantium incommodo inutiles redditæ, nulli erant uſui. Itaque Pertaffus in mediis dierum canicularium fervoribus nequaquam ceſſandum ratus, ad XVII. diem Julii, nondum orto ſole, ſuos ad ſubeundum muros, & oppugnationem ſummis viribus tentandam inſtituit, noſtroſque 4. oppugnationibus, totidem diverſis locis fatigatos expugnare decrevit. Pugnatum eſt utrinque magno conatu uſque ad meridiei tempus, & noſtri magnâ virtute omnibus in locis hoſtes fortiſſimè rejecerunt, non ſolùm ſclopetis & tormentis rem gerendo; ſed etiam ignibus è pice, reſinâ & ſulphureo pulvere artificioſè confectis, ac in ſubeuntes jactis. Nec deerat officio Henrius, qui modò huc, modò illuc procurrendo, ſuoſq; animando, ad certamen voce manuque accendebat. Altera in parte, ubi Querecenius Lucam Jazygem & Stephanum Felduarium curare juſſerat, ſimili pertinaciâ pugnabatur. Sed Dei ope hoſtibus ubiq; repulſis, Pertaffus amiſſis ex ſuorum numero ampliùs duobus millibus militum receptui cani juſſit, reliquoſq; magnâ parte vulneribus debilitatos, ac ſolis ardore pugnæque laboribus feſſos, & ſudore madentes in caſtra recepit.

Hoſtes oppugnatione ſummis tentata viribus, repelluntur.

Amiſſis duobus millibus.

Accidit autem magno noſtrorum incommodo, ut in ea pugna Heneius, qui abſque galea prodierat, ſupra oculum, caput ſagitta levi vulnere perſtringeretur, cujus ea vis fuit ac poteſtas, ut repudiata omni medentium ope, inſtar Ocharovini collegæ, luminibus eliſis, totoque capite tumefacto, triduo poſt moreretur. Felduario quóque vulnus illatum fuit per humerum, ſed is meliore fortunâ curatus eſt. Nec alius incruenta pugna fuit, quum complures ex eis, & ex Germanorum numero ferè XL. cecidiſſent, vulnerati etiam multi eſſent, qui fatali & indomitâ quadam plagarum acerbitate, majori ea parte vel eodem die, vel non multò pòſt è medio ſublati perierunt. Poſtea noſtri reparandis ruinis, quantum poterant, communi & indefeſſo ſtudio incubuêre; nec tamen niſi nocturnis laboribus tentare potuêre, quòd interdiu per ſtationes majori numero excubare cogerentur. Hoſtes irritis primis conatibus, aliam expugnandæ arcis rationem inire, ac quod cuniculi in humida tellure, aquis ſcaturientibus, earumque humore hebetatis pulveribus, profundiùs ſuffodi non poſſent, decuſſâ vi tormentorum è ſepimentis argillâ, quâ erant obducta, ac roboribus igne vaſtatis, omnem operam edere decreverunt; jámque exteriorem valli partem tantâ vi demoliti erant, ut trabes duntaxat & robora ſemiambuſta introrſus extarent, cætera omnia tormentis atque ignibus abſumpta eſſent, tametſi ad diruenda arcis interioris mænia nondum perveniſſent.

Heneius ſagittâ venenatâ ictus leviter abit.

Complures etiam ex Germanis pereunt.

Inter hæc Franciſcus Marinitus, equitum ductor, Henei ac Ocharovini ſocius ac collega, quorum adminiculo res Giulana ſteterat, febribus continuis ac profluvio alvi vexatus, extinguitur, & Martino Balaſdiano femur craſſiore glande trajicitur, ex quo vulnere quinto pòſt die excedit è vivis; & Janiceri uſque ad mænia aggeres effuderunt, tam prope, ut defenſoribus interfectis, ſuperioreque murorum corona perfracta, belliciſque omnibus inſtrumentis eadem ruina disjectis, magnum hiatum patefeciſſe viderentur. Ibidem dum Turcæ conſcendere conantur, noſtrique eos repellere contendunt, Hippocratus Germanorum centurio, & Gaſpar Oſius ex Ungaris, egregius juvenis, multique alii glandibus trajecti occubuêre. Petrus Bancenius & Johannes Gieius vulnerati, & niſi nox ſuperveniſſet, hoſtes non magno nec difficili labore irrumpere poſſe credebantur. Nec Querecenius ad hujuſmodi irrumpentium hoſtium rumores excitatus, in tanto diſcrimine dignâ duce conſilia capiebat, amiſſáque arx foret, niſi Gieius & Felduarius, qui ex vulnere convaluerat, cum paucis qui ſupererant Germanis, & Stephanus Quelidius peditum præfectus cum promptiſſimis ſuorum, Janiceros ſummâ audacia irruentes, interfectis ex eorum numero plurimis, terga vertere coactos ſubmoviſſent.

Marinitus inſignis vir abit, & Balaſdianus glande trajectus perit.

Hippocratus Germanus extinguitur.

Præfecti Querecenii ignavia & pavor.

Cùm in hunc modum ancipiti periculo certaretur, jamque potiores, quos nominavi, præfecti variis caſibus occubuiſſent, conſilium de urbe arceque dedendâ nimis præproperâ deſperatione ſuſcepit, litteráſque ſagittæ alligatas in aggeres, in quibus hoſtium tormenta collocata erant, emiſit, quibus à Pertaffo inducias octo dierum poſtulabat, intra quos utrinque à tormentis & dimicatione ceſſaretur, ac de deditionis conditionibus tranſigi poſſet. Pertaffus non ſinè admiratione ignaviæ præfecti inducias abſque cunctatione conceſſit, reſcripſitque, ut idoneum hominem ad ſe mitteret, ſimulque rogavit, ut glaciem, quâ potui refrigerando uteretur, cujus in arce copiam ſcrobibus reconditam haberi cognoverat, ſibi impartiret; quum ex adverſo ipſe uvas & melones pomorúmq; recentium recrementa, ac ſimilia edulia ei per agricolam, qui litteras attulerat, liberaliter in arcem miſiſſet. Querecenius convocatis, qui ſupererant præfectis, ac Gerigero Germanorum centurione, propoſuit arcem ampliùs teneri non poſſe; itaque ſe neceſſitate extremâ coactum, de eorum voluntate eam æquis conditionibus, quibus ipſi ſubſcribant, ac demum earum beneficio incolumes dimittantur, dediturum. Aſſenſere omnes præter Gieium, & paucos quoſdam alios, qui quum arcem adhuc ſervari poſſe contenderent, nec tantùm tamque peſſimum flagitium committen-

Querecenius arcē hoſti, repugnante Gieio ſtatuit dedere.

1566. dum, quo inferior Pannonia hoſtibus Chriſtiani nominis infami & ignominioſa pactione traderetur, ac ipſi exemplo Loſſoncii & Temeſvarienſium cæſi & trucidati, acerbas crudelitatis ſuæ pœnas capite perſoluturi eſſent, à ſubſcribendis deditionis conditionibus abſtinuêre.

Petit, ut Somliani interventu conditiones tranſiguntur.

Verùm Querecenius degeneris propoſiti tenax & certus, miſſo ad Pertaſſum Georgio Melithio Bribitiano è Croatia oriundo equitum præfecto, primum omnium poſtulavit, ut Chriſtophorus Bathorius Somlianus, cujus ſororem ipſe ſecundo conjugio habuiſſet, & ex ea liberos ſuſtuliſſet, & qui tunc Joan. Sigiſmundi nomine Varadini præfectum agebat, eò vocaretur, ejuſque interventu conditiones tranſigerentur. Qui cùm præſto fuiſſet, priùs in caſtra ad Pertaſſum venit, ac deinde Turcis comitatus, ad Querecenium in arcem introiit. Ubi cùm dextras junxiſſent, nec coram arbitris Turcis libera eſſet colloquendi facultas, fertur Somlianus ſchedam ei clam porrexiſſe, quâ admonebatur, ne tam citò animum deſponderet, arcémque hoſtibus traderet; futurum enim, ſi eam conſtanter & fortiter aliquot diebus conſervaret, quod fieri poſſe appareret, ut hoſtes obſidione omiſſa ad Sulimani caſtra proficiſcerentur. Sin verò in propoſito

Somlianus clanculum illi deditionem diſſuadet.

perſiſteret, fides ei excedenti nequaquam ſervaretur; ſed vel ignominioſa mors, aut fœda ſervitus capto & abducto ſubeunda eſſet, id quod ipſe ab eorum & conſiliorum conſciis certò didiciſſet. Ipſe tamen formidine ac puſillanimitate perculſus, ſalutaria monenti nequaquam paruit; ſed cum hoſte, cujus perfidiam bene nôrat, paciſci voluit, & Chriſtophorus ejus ignaviam perfidiæ proximam deteſtatus, eò unde venerat, indignabundus receſſit.

Deditionis conditiones.

Itaque illinc Mehemete præfecto Orodienſi, (is antea Michael Cunovitius vocatus, è Valentini Turci, clariſſimi viri miniſterio, ſponte ad Turcas transfugerat, ac cum Blaſio Siculo Varadienſi equite, pro defenſione Mahumetanæ ſuperſtitionis, ſingulari duello congreſſus, victúſque fuerat) hinc verò Georgio Melithio arbitris, Calendis Septembris in hunc modum conventum eſt, ut Pertaſſus CCCC. currus, ſarcinis & rebus omnibus, ac ſauciis & ægrotis aſportandis ſubminiſtret, iiſque qui exceſſerint, liberum ſit omnibus equos, arma, & quicquid voluerint, præter tormenta, & bellicum apparatum auferre, idque datis utrinque obſidibus caveatur. Triduo pòſt oneratis curris, & ægrotis ac ſauciis, quorum non exiguus erat numerus, ac cariori ſupellectile impoſitis, exivêre inter armatorum hoſtium equitatum, & agmina Janicerorum circumſtantium milites circiter mille, & poſt eos plauſtra cum impedimentis. Et cùm vix caſtra prætergreſſi eſſent, Turcæ promiſcuè omnes diripere carros ceperunt; & Querecenius id contra pacta fidémque fieri queſtus, à Lippenſi præfecto Pertaſſi nomine, cum eo colloqui volentis revocatur; iſque fatali ductus errore ad eum ire pergit, quamquam à Gicio & Melithio, ut ceptum iter proſequi pergeret, nec Turcis ſalutem ſuam committeret, utili & ſalubri conſilio moneretur. Reverſum, & cum

Querecenius contra pacta compedibus vincitur.

Pertaſſo, ut fidem ſervaret, direptionémque prohiberet, colloquentem, Janiceri, quorum major pars diverſis in pugnis perierat, ac promiſcuæ Turcarum multitudinis turba circumſiſtunt, ſublatiſque inconditis vocibus, & ſtrictis gladiis abreptum in tabernaculum, haud procul à prætoriano, cuſtodiæ tradunt, ac manicas & pedicas addunt.

Cæteri viſo ejus periculo ſerâ tacti pœnitentiâ fugam capeſſunt: Melithius, qui cum eo reverſus erat, unà capitur: Gicius feliciori uſus fortunâ evadit, & Demetrius Niger cuſtodiæ portarum præpoſitus, cùm arce excedens, equo ſuo generoſi vini ſextantem in fauces infudiſſet, ejus pernici curſu in tutum evaſit: Stephanus Quelidius peditum præfectus in manus Martaloſiorum incidens, qui ſunt pedeſtris ordinis milites, perſolutis ibidem illi, à quo captus erat XL. numis aureis dimiſſus fuit. Alii verò partim per carecta & arundines profluentis Chryſii latitando, partim eo tranſnatato, Varadinum, & ad alia Tranſilvanicæ ditionis loca pervenêre; inter quos Georgius Zichius ac Nicolaus Serienius fuêre; qui per obſcuram noctem obvii facti, cùm uterque in hoſtem Turcam ſe incidiſſe putaret, mutuis vulneribus certavêre, tandémque animadverſo errore Varadinum ſeſe conferentes, curâ & ope medicorum convaluerunt. Captus etiam fuit Gerigerus Germanorum præfectus, ſed poſtea à Leonardo Harraco avunculo redemptus. Ægrotorum & ſauciorum una omnium eadémque fortuna fuit, atque ii omnes captivi facti, poſtea aut multo ſoluto pretio ſeſe redemerunt, aut curâ rebuſque neceſſariis deſtituti, in vinculis miſerabilem vitam finierunt. Querecenius Belgradum perductus, quum ſe permutatione captivorum, quos inſignes habebat, redimi poſſe ſperaret, poſt Solimani diſceſſum ab innumeris Turcis, falſa veris miſcere aſſuetis, nimiæ erga captivos crudelitatis accuſatus, permiſſu Selymi ſucceſſoris, injecto in collum laqueo ſtrangulatus interiit. Hic finis Querecenii fuit, qui non virtute aut rebus præclarè geſtis, ſed ambitione, ac Comitis Zrini & Tahi eum Ferdinando Cæſari aſſiduè commendantium favore, honores & præfecturas erat conſequutus.

Reliqui è noſtris partim diffugiunt, partim capiuntur.

Querecenius poſtea juſſu Selymi laqueo injecto ſtrangulatur.

Pertaſſus mox Jeneonem à noſtris relictam occupat.

Giula per hunc modum amiſſa, Pertaſſus quòd adhuc ſatis magna æſtatis pars bello gerendo non inepta ſupereſſet, caſtra & tormenta Jeneonem promovit, cui Suendius Georgium Wagnerum Germanum, & ex Ungaris Sigiſmundum Segneium, virum militarem præfecerat. Cùm arx per aliquot dies tormentis verberata eſſet, Germani metu perterriti eam hoſtibus tradere conſtituerant; niſi eos Segneius à tam fœdo propoſito multis ſermonibus, exemplo etiam Giulanorum avertiſſet, ſatiúſque fore diſſeruiſſet, ut ſub noctem, quà quiſque poſſet, dilaberentur, quàm ſe incertæ & ancipiti hoſtium perfidiæ committendos exiſtimarent, à quibus procul dubio aut crudeliter cædendi, aut in diram ſervitutem abducendi eſſent. Igitur expectans concubiæ noctis tenebris, vacuâ arce relictâ, in diverſas partes profugerunt, & Segneius ac Ungari locorum peritiores majori ex parte, longo & difficili errore hoſtium manus evitarunt: Wagnerus captus ab hoſtibus & Harbvanum cum multis ſociorum perductus, poſt aliquot annos Joanne Rubero redimente, poſtliminio reverſus fuit.

Maximilianus cum Ferdinando fratre XV. Auguſti Viennâ diſcedit.

Dum hæc à Turcis Giulæ & Sigetbi adminiſtrantur, Cæſar Ferdinando fratre comitatus, quem legatum in exercitu conſtituerat, cum prætorianis aulæ equitibus, ac Moraviæ, Bohemiæ & Sileſiæ auxiliis, ac tribus millibus peditum Viennâ egreſſus, ad XV. diem Sextilis menſis, Divæ Virgini Matri in cælum migranti ſacrum, Raicam, ac deinde Ovarium, à Germanis Altenburgum appellatum venit. Ei venienti in

agro

1566.

agro Raicano ſe conjunxêre Nicolaus Olahus Archiepiſcopus Strigonienſis cum CCC. equitibus, & totidam peditibus, (nam reliquos in ſua munitione Vivariana, Strigonio vicina, præſidio eſſe juſſerat) ac Andreas Bathorius anno ſuperiori à Suendio reverſus, quem Cæſar eo bello Ungaricis copiis, quæ ſuis in caſtris erant, præfecerat. Erant autem in caſtris ſupra prætorianos & Palatinos milites, quibus Leonardus Harracus præerat, XIII. millia equitum Germanorum, quorum mille ducentos Guntherus Comes Suarcemburgus, imperatoria familia ortus, ſecundáſque poſt Ferdinandum Cæſaris fratrem in exercitu partes obtinens, conduxerat, cæteros Burquardus Marchio Barbinos, Ludovicus Ungnadius, Philippus Marchio Badenſis, Bernardus Hardeccus, & Zacharias Crumpergus, millenis equitibus præpoſiti, aliique complures duces & præfecti ducebant. Prætorium vexillum duci Pomeraniæ Chriſtophoro juſſu Cæſaris geſtandum datū erat. Peditum ad XXX. millia, quorum in caſtris Ecchii Comitis Salmenſis Comaronii æquè tantundem cenſeri dicerentur. Tormentorum magiſtrus & totieorum apparatui Paulum Jadrenſem præfecerat, Hieronymi illius filium, qui poſt bellum Solimani Auſtriacum ſecundum, inducias Conſtantinopolitanas tractavit, de quo ſuprà diximus, qui tormenta & res neceſſarias XXXIIII. navibus onerariis impoſuerat, iiſque quibus pulvis ſulphoreus vehebatur, tectum ex tabulatis ad arcendas pluvias ſolarti ingenio addiderat, ſecundóque Danubio Cæſarem continenti iter facientem, & haud procul à ripa caſtra locantem ſequebatur. Claſſis è duodecim biremibus à patre Ferdinando relictis, quibus ferè pyratæ in mari velocitatis ac agilitatis cauſâ utuntur, ac celocibus, quas nos Naſadas, Turcæ Saicas vocant, XXX. conſtabat, quas nautis, remigibus, epibatiſque partim Italis, partim Dalmatis inſtructas Philippus Flaccus Theutonicorum equitum magiſter regebat, cui etiam Johannes Petro, cum ſua Comaromenſi ordinaria XXX navigiorum claſſe parebat, hæcque tota claſſis, Turcicæ, quæ Strigonii ſtabat in anchoris, opponebatur.

XIII. millia equitum in exercitu Cæſ.

Peditum verò ad XXX. millia.

Claſſis Cæſarea.

Ovarium quum Cæſar veniſſet, tria peditum Italorum millia, à Coſmo Florentiæ ac Hetruriæ duce miſſa ſupervenêre, eleganter & ſplendidè inſtructa, ornatáque, quibus Aurelius Fregoſus imperabat. Ex Allobrogibus & Salaſſis etiam DC. equites ſclopetarii, & tandem ſub Johanne Alphonſo Caſtaldo in Gallia ciſalpina & Inſubribus conducti, eodem ferè tempore in caſtra venêre. Carolus Auſtriæ princeps Cæſaris frater cum ſuis copiis, quæ ad XIII. millia hominum conſtituebant, ut fines ſuos tueretur, in peninſula, quam Dravus & Mura fluvii efficiunt, ad oppidum Perlacum caſtra habebat. Huic Petrus Erdodius Illyrici prorex, ac Franciſcus Zlonius Comes, è Frangepana Romanæ ſtirpis familia oriundus, qui ad tuendos limites domi relicti erant, cum Nobilitate earum partium regionúmque parere jubebantur. Stephanus Derſſius Nobilitatis ultradanubianæ præfectus, X. circiter millia hominum è provinciis ſibi ſubjectis Nitriæ collegerat.

III peditum millia à Coſmo Florentino miſſa.

Allobroges ſclopetarii ſexcenti.

Caroli XIII. millia finibus tuendis impoſita.

Derſſius Nobilitatis ultradanubiana circiter X millia habebat.

Præter hos Suendius ex Germanis mercede conductis ac Ungaris, & Nobilitatis copiis, in ſuperiori Ungaria, decem aut duodecim millia ſelectiſſimorum militum, quibus eam regni partem à Tranſilvanis & Tartaris Tocajum oppugnantibus, tueretur, Caſſoviæ conſcripſerat. Ovarium etiam ad Cæſarem cum ſuis militibus Antonius Verantius Agriæ, & Paulus Abſtemius Nitriæ Epiſcopi, ac Stephanus Dobo, & Franciſcus Tahius militiæ periti & exercitati, cum Michaële Mereio Propalatino, Ladiſlao Giulaffio, ac pleriſque aliis, ſuo quiſque ære ac ſumptu juxta leges patrias militaturi convenêre; ita ut præter eos, qui cum Carolo Cæſaris fratre, Suendióque ac Derſſio, ac Comaronii, ſub Ecchii Salmenſis imperio erant, Cæſareis tantùm in caſtris bis mille, & quingenti equites Ungari, ac tantundem peditum eſſe exiſtimarentur. Franciſco Tahio, quòd regni in Ungaria ſtabuli magiſter habebatur, ex antiqua conſuetudine etiam caſtrorum magiſtratus, ac diſtribuendorum in caſtris locorum, in quæis milites tenderent, cura commiſſa eſt; quum ex Germanis Adamus Opperſtorffus eodem officio fungeretur. Lupo Rheni Palatino ducenti equites, ac Richardo Marchioni Brandeburgo totidem proprio ære conducti parebant, qui in obſequium Cæſaris rudimenta ſacræ adversùs barbaros militiæ poſituri, ad reſtaurandam majorum ſuorum gloriam promptis animis adcurrerant.

Illuanſ. Hiſtor.

Suendius XII. millia lectiſſimorum militum.

Wolffgango.

Nec defuêre voluntarii equites ex Italia, aliiſque regnis, famâ præſentiæ in caſtris Cæſaris invitati, qui ſuis ſtipendiis militabant, ac in progreſſu caſtrorum cuminatim cum Ungaris equitando, exercitum antecedebant, Hadriano Baleono, quem ipſi ſibi delegerant, duce; in caſtris autem penès Ungaros ſub tentoriis agitabant. Aderat etiam Carolus princeps Guiſius è Gallia, bellis Civilibus in præſens ſubtractus, qui eo tempore pubertatem egreſſus, cum centum equitibus ſclopetariis ſelectiſſimis, & cum eo Philippus Strozza, & Briſaccus, aliique. Poſt hos appulêre Proſper Columna, & Angelus Cæſius Romani proceres, ac Nicolaus Gamberus è Brixia, ſtudio potiùs viſendi Cæſaris, & officii declarandi, quo majores quòque eorum veteris clientelæ nomine Cæſaribus addicti erant, quàm magna ad augendas vires acceſſione. Albertus autem Laſcus, & Martinus Sborocius, Polonorum duces, ſimili Cæſaris & caſtrorum viſendorum ſtudio adducti, cum paucis ſed egregiè inſtructis comitibus advenerant: ſed quum langueſcere in caſtris exercitum, nec quidquam tentari animadvertiſſent, tædio nimis diuturnæ moræ perculſi, veniáq; à Cæſare petita, domos ſuas & patriam Poloniam repetiverunt.

Voluntarii ex Italia & Gallia Duces.

Omnium verò copiarum ſumma, quæ in diverſis partibus & caſtris habebantur, ſi in unum contracta foret, viginti quinque millia equitum & ampliùs, ac octoginta peditum numerum facilè excedere exiſtimabatur, par hoſtibus multorum judicio acies, apud quos bellum fama potiùs multitudinis, quàm vero numero conſtare vigereque fertur; niſi Cæſar à ſuis, quorum conſilio utebatur, ac Suendio perſuaſus, ſuſtinendi potiùs belli, quàm inferendi cogitationes, conſiliáque amplecti maluiſſet.

Omnium copiarum ſumma XXV. millia equitum, peditum autem octoginta millia.

In caſtris Ovarianis quum triduo quietem militibus conceſſiſſet, convocatis Ungaris, an progredi placeret, quæſivit: neque erat ullus, qui adverſaretur aut diſſuaderet. Quibuſdam videbatur conſultius fore, ſi primo quòque tempore Jaurinum proficiſceretur, ibique ſubſiſteret, ac exercitum adversùs hoſtem expediret; ne ſi ipſemet iret, ac res minus ex ſententia ſuccederet, aut ſi nihil tentaretur, fugam, quàm receptum interpretarentur; & ut initia

Deliberatio de bello gerendo.

1566. „libertas, ſalus, pax, incolumitas patriæ, cum
„aris, focis, conjugibus, liberis non noſtris ſo-
„lùm, ſed omnium, quotquot nomine Pannoni-
„co, imò Chriſtiano cenſentur, cum immortali
„nominis noſtri gloria unà ſalva erunt. Sin me-
„tu aut ignaviâ ceſſerimus, quòd de fortiſſimis
„& exercitatiſſimis militibus, quales vos eſſe fa-
„ctis ſæpiùs periculo compertum habeo, mini-
„mè libet ominari, omnia adverſa fient, & quem
„arma & virtus non texerint, neque aliud quic-
„quam teget, aut tuebitur.

„Nunc opus eſt, commilitones, belli gloria &
„virtute ſua quemque fretos ire in aciem, atque
„non tantum magnificum adhortatorem, & ver-
„bis tantùm ferocem, & interim operum mili-
„tarium expertem; ſed qui & ipſe tela tractare,
„procedere ante ſigna, verſari media in mole
„pugnæ ſciat, vadentem in hoſtes, & divini nu-
„minis ope confiſum, fortiter & impigre ſequi:
„Non tantùm verba mea exequi vos milites, ſed
„etiam facta imitari volo, nec diſciplinam mo-
„dò, ſed etiam exemplum à me petere. Aſpera
„quidem res toleratu obſidio erit; ſed vos ut
„fortiſſimos & expertiſſimos omnium huma-
„norum caſuum viros, timere eam aut horreſ-
„cere minimè decet, neque inertiâ aut mollitiâ
„animi labefieri. Aderit Deus Opt. Max. for-
„titer pro patria pugnantibus, & qui nos in mul-
„tis & magnis ſæpè periculis ſervavit, nunc quo-
„que, ſi ſocordiæ atque ignaviæ nullum locum
„dederimus, ex hoſtium faucibus atque enſibus
„minimo negotio eripiet, dummodo ejus pro-
„tectionem vigilando, agendo, bene conſulen-
„do, nec quicquam hoſtibus cedendo, nuncu-
„patis votis imploremus. Quod itaque inſtat
„periculum, commilitones, armis fortiter aver-
„tendum eſt, & virtus ac decus ob oculos ſta-
„tuendum; ita ut aut libertas ſaluſque omnium
„vindicanda, aut ſi ſors ita tulerit, honeſtiſſima
„mors pro patria oppetenda ſit; quam æternæ
„laudis nunquam interitura memoria in
„terris, apud ſuperos verò certa & perpetua ani-
„morum felicitas conſequutura eſt.

„Quapropter poſtulo à vobis, ut ſicuti ego
„vobis & huic loco tuendis me fide obſtrictum
„in veſtigio reddere cupio, ita vos fidei, quam
„Cæſari debetis, & dignitatis meæ, officiique
„veſtri memores, viciſſim Cæſari, poſtea mihi, &
„loco huic ad extremum ſpiritum tuendo, mu-
„tuum ſacramentum præſtetis; eâ conditione,
„ut ſi me de urbe hoſtibus tradenda, quod pro-
„cul abſit, peſſimum aliquod facinus fortè am-
„plecti animadverteritis, minimè pareatis, quin eo
„momento vos ſacramento ſolvo; contra ſi
„quem ego veſtrûm, cujuſcunque is fuerit ordi-
„nis, medii aut infimi ejuſmodi flagitii reum de-
„prehendero, meâ & legum militarium uſus
„auctoritate, extremo ſupplicio ſtatim afficiam.
„Stationes & excubias quilibet veſtrûm diligen-
„ter obeat, milites Centurionibus, Centuriones
„tribunis obtemperent, nec inſcius præfectis, aut
„eorum injuſſu quiſquam loco ſe ſubducat. Ne-
„mo cum hoſte colloquatur, nemo hoſtium lite-
„ras recipiat; aut ſi illas, ut fieri ſolet, in arcem
„ſagittis aut telis miſſilibus injectis receperit, ad
„tribunum, is verò ad me perferat, igni traden-
„das. Poſtremò ſi quid mihi humanitus conti-
„gerit, ut rerum humanarum diverſiſſimi caſus,
„ac incredibilis inconſtantia eſt, Gaſpari Alapi-
„no, ſororis meæ filio, quem hîc præſentem
„cernitis, vos obtemperare volo, & in præ-
„ſens ſtatuo.

Hæc ubi dixit, ipſe primus dextrâ in ſublime erectâ, tribuſque digitis de more extenſis, in veſtibulo portæ interioris ſacramentum præſtitit, ac deinde omnes ordine tribunos & milites præeunte ſcribâ, ibidem jurejurando obſtrinxit. Poſtea præfectos commeatui convocavit, & quantum cuilibet militi, diurnæ annonæ, cibique & potûs diſtribuendum foret, quid ex publico, quidve ex ſuo privato expromendum, præſcripſit. Deinde furcas in majoris ſeu exterioris arcis foro ad terrorem erigi juſſit, ut in ea prævaricatarum legum militarium rei laqueo ſuſpenderentur: eodémque die gregarium militem, quòd in Centurionem ſuum ferrum ſtrinxiſſet, capitali ſupplicio affecit. Quibus peractis milites recenſuit, quorum numerus ad duorum millium, & circiter quingentorum ſummam accedebat, imbelli puerorum turbâ, ac mulieribus exceptis: eóſque ſtatim ad ſua quémque loca proficiſci, vigiliáſque obire juſſit. *1566. Tribuni & milites ipſo præeunte, ſacramento adacti.* *Præſidiariorum numerus.*

Cæterùm cùm Turcæ ad oppugnandam civitatem novam, magno undique numero & viribus concurrere conſpecti eſſent, quòd ea ſimplici vallo, ac eo tumultuario cincta eſſet, nec eorum impetum ſuſtinere poſſe videretur, Zrinius, contracto priùs cum illis acerrimo certamine, quod à meridie ad noctem uſque perduravit, ad extremum aliquot in locis injecto igne eam ſuccendit; ita ut cùm è materia eſſent domus, ac lignis ſtraminéque tectæ, puncto temporis, latè collocentibus flammis comburerentur, quas Solimanus è ſummitate collis Semleci ſpectaſſe dicebatur. Eodem etiam tempore ſepta hortorum & pratorum, ac molæ frumentariæ, igne ejus juſſu injecto conflagrârunt, & arbores, quæ oppido atque arci erant propinquiores, ſuccisæ & inutiles redditæ fuêre. Poſt concrematam novam civitatem, Aliportugus, reſidentibus ac extinctis ignibus, tormenta immenſæ magnitudinis eo ſuis forum devehenda, conſtitutiſque ibidem aggeribus & corbibus, quas magna Janicerorum manus tuebatur, veterem civitatem, quæ à nova foſſis non uſque adeò latis, ſed profundis atque aqua plenis diſtinguebantur, verberandam curavit. Verùm à noſtris ſupra quàm dici poſſit impigre ac fortiter ſeſe defendentibus, nihil profecit. Quin noſtri duce Matthæo Sexudio peditum præfecto erumpentes, diu cum Janiceris dimicavêre, ex quorum numero multis interfectis & vulneratis, uno duntaxat ex ſuis amiſſo incolumes redierunt. *Civitas nova à Zrinio incenſa.*

Per hunc modum ſucceſo & deleto novo oppido, ſexcenti ferè noſtrorum in veterem urbem, clauſis tum primùm ejus portis, ſeſe incluſerunt. Diſputatum tamen eſt ab iis, qui præerant, an ea ampliùs defendenda eſſet: & eam quidem Zrinius, paucitatis ſuorum haud ignarus, quos tam ad oppidi, quàm arcis tuendæ labores nequaquam ſufficere judicabat, inſtar novæ munitionis flammis abolendam, atque ad ſolius arcis defenſionem, in qua conſervanda victoriæ ſumma conſiſteret, omnes vires vertendas cenſebat. Sed Sexudius & peditum plurimi, multis precibus petere obteſtarique cœperunt, ne ipſis diffidere vellet, ſe adhuc per aliquot dies veteri oppido conſtructo, etiam arci ita conſulturos, ut hoſtes ab illius oppugnatione abſtinere cogerentur. Tametſi autem Zrinius, propoſitis inſtantium diſcriminum difficultatibus, ac copiarum hoſtilium multitudine, quæ ad utramque oppugnationem ſatis magnas vires allatura eſſe videretur, eos oppido relicto in ar- *Vetus urbs à noſtris defenditur.*

1566. cem ire juberet; tamen eorum precibus victus, uſque aliquid tribuendum ratus, quod priori quoque obſidione cum Marco Stanſitu præfecto fortem operam navaſſe, & uſu ac experientiâ rerum multum valere non ignoraret, manus dedit, & quod tantopere petebant, indolgendo annuendoque vel invitus conceſſit.

Aly portugus civitatem & arcem continuis tormentis verberat.

Intereà tormentis hoſtium dies & noctes nec quicquam ceſſantibus, mœnia, quæ ex ceſpite & materia ſenum pedum craſſitudinis conſtabant, aſſiduis ictibus concutiebantur. Nec deerat uſſicio ſuo Aliportugus, qui præterquam quod veterem civitatem acerrimè diruendam ſuſceperat, etiam ad arcem quaſſandam, ex parte hortorum regionem meridionali, agricolarum & maximè Aſaporum opera, aggeres uſque ad labrum foſſæ conſtituere contendebat, quibus perfectis quinque majora tormenta, & tres mediocres colubrinas provehi, & in iis ſtatui juſſit, quibus turrim, in medio arcis ſitam, rotundioris formæ ac lateritii operis, (quæ unica è cocto latere & calce, cætera omnia è craſſiſſimis roboribus ferro compactis, ac terra oppletis, ſolido artificio conſtabant) ſupernè proſtravit, ut æra campanarum, horologii, ac pinnacula proſtrata & diruta confringerentur. Neve quid intentatum relinqueret, admonentibus Hamſa & Turcis, qui Quinqueeccleſiis morabantur, quibus, quod plurimi iſthic capti in compedibus ſervitutem toleraverant, loca cognita erant, aggerem illum terrenum magnæ molis, quo Almas rivolus coërceri ſolebat, ac in paludis formam ſtagnando, arcem circumlabat, eorundem Aſaporum & agricolarum labore, qui è villis & oppidis regionatim adacti erant, batillis & ligonibus ſuffodere cæpit, & derivatis aquis, & foſſa exſiccata, ad arcem invadendam major & commodior facultas pararetur. Defendendis autem operis DC. Janiceri præſidio adjuncti erant, qui ea à quavis erumpentium ex arce noſtrorum vi atque injuria tuerentur. Nec longè aberant ſepulchra nihilum in fine ejuſdem aggeris, propter quæ Aliportugus factis ſcrobibus alia tormenta collocari, & ea quoque ex parte quatuor in arcem campeſtribus dirigi juſſerat, ne obſeſſis ſimul eodem tempore undique petitis, quidpiam quietis aut otii daretur.

Aggere diruto, aquiſque derivatis, foſſam arcis hoſtis exſiccat.

Non tulêre inſolentis barbari audaciam Radovanus & Franciſcus Dando, veterani Centuriones, Zrinioque adito, ut ſibi in opus facientes ac tormenta erumpendi poteſtatem daret, multis precibus rogaverunt. Qui quum excurſiones ejuſmodi non ſine ſummo periculo tentari conſueviſſe ſciret, & hoſtes audito tumultu nihil moraturos, quin undique vehementer & celeriter incumbendum exiſtimarent, nec locum ad perfectam laudem conſequendam, nec ſpem aut cætera probatæ virtutis præmia, ejuſmodi fortuitis caſibus ſequi; ideoque ſuperſedere debere reſpondit; ſatis adhuc diſcriminis & laborum ſupereſſe, quibus ipſis oſtendendæ virtutis, ac navandæ operæ occaſio præberetur, dum interea ſecum una pro diſciplina ſervandæ arci omnes animi & corporis vires adjicere contenderent: ne illudente conatibus fortuna in veſtigio pœnitere, ſimul & perire contingat.

Radovanus & Dando, excurſione facta ſternuntur.

Cæterùm re in præſens delata, quum continuo demum triduo illum petere ac urgere non ceſſarent, tandem nimiâ cupiditate victum expugnarunt. Igitur poſtridie ante ſolis occaſum cum ducentis veteranorum militum egreſſi, priores impetum in Janiceros, cuſtodiendis operis & tormentis intentos, magno ſublato clamore faciunt, eoſque improviſo metu perculſus loco pellunt: quo viſo foſſores diffugiunt; deinde tormenta quæ in proximo erant aggrediuntur: jamque uni aut alteri foramina fiſtularum, per quæ pulvis ſulphureus inceditur, clavis ferreis impactis obſtruxerant, & rotas axeſque ſecuribus perſtringebant: cùm ad ſubitum clamorem & fremitum laborantium ſociorum Turcæ excitati, ex omnibus caſtrorum partibus concurrentes, auxilio ſuperveniunt: fit magna dimicatio, multi ex hoſtibus occumbunt; ſed quum noſtri pauciores eſſent, quàm ut tantam hoſtium multitudinem ſuſtinere poſſent, certando ac retrocedendo ſeſe in arcem recipere coperunt. Eo in receptu Dandone, ſuos ad pugnam accendente, infelici ſorte caput glande trajectum eſt, ut cùm ſubitò concidiſſet, cæteris ægrè & difficulter ad Paranam in bis portam pervenientibus, Radovanus quoque ſimili fati genere luſiferâ glande per ilia trajectus, atque interfectus eſt, reliqui utroque duce amiſſo, non multis deſideratis in arcem redierunt. Hoſtes Dandonis & Radavoni capita contis præfixa, ſupra corbes tormentis interpoſitos, noſtris ex arce ſpectanda collocarunt. Sed neque ipſi, quin pari affecti eſſent detrimento, diffiteri poterant: quum è numero ſuorum præter multos alios Bulucbaſſam ducentis Janiceris præpoſitum in pugna amiſiſſent; ac Juſuphus ſenex alter centurio, geminatis glandibus per femur ictus in caſtris paulò poſt exſpiraſſet. Per hunc modum caſtigata erumpentium temeritate, Zrinius adverſo eventu, necque fortiſſimorum virorum permotus, nemini poſtea excurrendi facultatem conceſſit; ſed ut omnes unà omnem fortunæ & Martis aleam, ac ſtatutum à ſuperis fatum expectarent, edixit.

1566. pugnantes occumbunt

Zrinius eruptiones poſt hac interdicit.

Interea Alys Janicerorum ſummus dux, ab Aliportugo admonitus, in proximis ſilvis crates vimineas breo craſſis, & ſenum pedum latas, inſtar ſepimenti, multo agreſtium labore, quorum infinitus in caſtris numerus erat, conficiendas curavit, per quas pedibus ſuppoſitas, Janiceris inter arundines, & paluſtria loca propius arcem, ire contendentibus tranſitus commodior eſſet. Agger etiam ille prægrandis, & craſſiſſimus ac latiſſimus duobus aut tribus plauſtris contratus permeabilis, qui Almum Rivum caſtigato & retento curſu latè diffundebat, & per quem publica in urbem via ibatur, diurnis & nocturnis operarum laboribus ſuffoſſus fuit, & aquæ ſtagnantes tanta vi derivatæ, ut circa arcem nihil præter limum & lutum relinqueretur: illíque effluentibus, Janiceri & Alapi crates eas commodius ſtatuere, viamque ad arcis mœnia ſternere poſſe videbantur. Nec ad eas vel duplici ordine ſtatuendas materia deerat, quum ea ex proximis ſilvis, irrequieto camelorum & plauſtrorum, ac equorum ſarcinariorum labore aſſiduè comportaretur, nec ea in parte cuiquam vel præcipui ordinis militibus, aut ordinum ductoribus parceretur. Dolia etiam ſaxis plena & ceſpite, cum ſaccis vellere & lana tormentiſque refertis, Janiceri per illud cratibus conſtratum iter provolvere versùs arcem, quo proximiùs poſſent, non intermittebant, quibus protecti, noſtros, qui in mœnibus verſabantur, ſclopetis & ſagittis continuè petebant. Idem etiam contra veterem Civitatem ſummis viribus conabantur; quo in opere Aliportugus diligentiſſimè verſari, ma-

Aliportug. paludoſa loca cratibus vimineis ſternit.

Agger etiam perfoſſus, aquaque deducta alid.

giſtros

1566. giſtros tormentorum ad ictus dirigendos inſtruere, & Janiceros ad rem ſclopetis eminùs gerendam cohortari & incitare.

Jam XVII. dies erat, ex quo vetus Civitas oppugnabatur, nec Turcæ eam tot & tantos fortiſſimarum gentium conatus tamdiu ſuſtinere poſſe crediderant, quum Aliportugus proſtrato tormentis & decidente vallo magnum in oppido hiatum fecit. Quem quum Janiceri & Turcæ ſummis viribus aggreſſi eſſent, & foſſa, quam materiâ impletam, cratibus deſuper ſtratis perviam fecerant, ſuperatâ, ruinas conſcendiſſent, quamquam ii, qui intus erant, incredibili virtute propugnarent, & magnam tormentis & ſclopetis ſtragem edidiſſent, ad extremum tamen ſuperante multitudine, ſe recentibus & integris in locum ſauciatorum & occumbentium ſubinde adcurrentibus, noſtri terga vertere coacti, ſeſe in arcem recipere cœperunt.

Vetus urbs à Turcis ſummo impetu expugnatur.

Inſtantibus tamen à tergo Janiceris & hoſtium promptiſſimis, à fronte verò adcurrentibus iis, qui in aggeribus ad ſepulchra militum in extremo aggeris angulo, excubabant, Turcis, noſtri qui in poſtremo agmine erant, arcis aditu excluſi, circumventique, quum in orbem diutiſſimè pugnaſſent, tandem fuſi, fugati atque interfecti ſunt. Periêre non multi in illa acerrima dimicatione, Petrus è Barha oppido, Blaſius Discus, ac Matthias Giorius, ſtrenuiſſimi centuriones: Matthæo autem Sexudio, ſummo peditum ductori utrumque genu craſſiori glande trajectum eſt, ita ut fractis minutatim oſſibus repentè concideret, & à militibus ægrè ſublatus, maximâ cum difficultate ac periculo in arcem portaretur; ubi lectulo impoſitus nulli, vir alioquin fortiſſimus & pugnaciſſimus, poſtea uſui eſſe potuerit: Ex numero equitum ibidem deſiderati ſunt acerrimè dimicantes Martinus Boſniscus, Joannes Gerdcius, Petrus Botoſius, & plerique alii: cæteros, qui ex ſexcentis ad dimidium ferè numerum redacti erant, Zrinius in arcem recepit. Sed neque hoſtibus incruenta victoria fuit; quandoquidem in ea veteris urbis expugnatione plures tribus millibus militum & Janicerorum promptiſſimos miſerent.

Noſtri quibuſdã cæſis, in arcem ſe recipiunt.

Vivebat adhuc Somlianos, & cùm oppidum ſtudio potiſſimùm & operâ Aliportugi manu captum, propugnatores cæſos atque interfectos, aditum ad arcem patefactum audiviſſet, ducentos aureos numos donarivi numine ei miſit, utque in opere ſummâ adhibitâ diligentiâ & ſolertiâ procederet, cohortatus eſt. Qui id magni ſibi honori, ut planè erat, eſſe exiſtimans, tormenta ex urbe vetere jam capta produci, & propius arcem promoveri juſſit; & biduo pòſt perfectis aggeribus arcem exteriorem duobus in locis, uno ad propugnaculum, quod Montem vocabant, altero à regione portæ Decumenæ diruere cœpit. Quo in opere dum incautiùs modò huc modò illuc diſcurrendo, imperandoque verſatur, colubrinæ majoris, quæ Margarita vocabatur, pila ferrea ex arce amiſſa vulneratur, ita ut cæteris membris integris, mentum cum promiſſa barba mortifero ictu abraderetur, diſcerptiſque & dilaceratis guttute & gulâ repentè concideret, & multo irrumpente ſanguine, puncto temporis exanimaretur. Ferunt ejus obitum Solimanu gravem moleſtúmque accidiſſe, quòd è Luſitania patria per claſſiarios pyratas raptus, Hairadinoque Barbaroſſæ dono datus, ex ejus diſciplina, ex qua multi præ-

Aly Portuga ob urbem captam 200. aureorum donativũ Soliman offert.

Aly Portugus paulò pòſt tormenta ictus extinguitur.

ſtantes bello viri ducéſque prodierunt, in egregium terrâ marique ducem, ac manu & conſilio promptum bellatorem evaſiſſet, Draguremque ſocium & contubernalem in oppugnatione Melitæ inſulæ ſuperiore anno ſimul fato abreptum non ſerò ſequutus eſſet. 1566.

Aliportugo cadente, atque à ſuis in caſtra perducto Seifedinus, qui viventis ejus vicem curando tormentarium negotium obire erat ſolitus, ex ejus inſtituto arcem verberandam ſuſcepit, & eùm biduo inceſſanter concuſſiſſet, pars ejus propognaculi, quod portam intrantibus à ſiniſtra occurrit, proſtrata eſt; ita ut Turcæ per crates, quibus foſſam cæno limóque impeditam ſtraverant, oppugnationem tentari poſſe non diffiderent. Quamobrem ſigno ab Aly tribuno dato, crepitantibus tubis & tympanis, terribilique ſublato ululatu, primùm in arcem impetum facere inſtituunt, ac audaciſſimè provehuntur. Sed noſtri ſummâ vi & fortitudine pugnantes, magnâ eorum ſtrage editâ procul ſubmovere; adeò ut quantum hoſtes ſuorum in irruptione amiſiſſent, tantundem aut plures in receptu dum refugerent, & cum limo cænoque colluctarentur, tormentorum & glandium crebritate ictos deſiderarent. Quo in certamine complures limitum præfecti, quos Turcæ Begos vocant, periêre, interque cæteros purpuratus Memphiticus, qui Alexandriam & Ægyptum ſimul adminiſtrabat, pila ferrea grandioris tormenti diſcerptus fuit. Duo præterea ſigna militaria purpurei coloris amplisſima in arcem relata ſunt occiſis ſigniferis, quæ obſeſſi è ſuperiori loco perflanda ventis, ac oculis hoſtium ſpectanda expoſuêre.

Seifedinus ejus loco arcem verberandã ſuſcipit.

Turca impetu magno in propugnaculi ruinas facto, cũ inſigni ſtrage repulſi cedunt.

Poſt irritos ejuſcemodi conatus Turcæ nequaquam animis fracti, quin potiùs ob amiſſos tot tantæque fortitudinis commilitones & ſocios, ac Janicerorum pugnaciſſimos, majori furore ac rabie efferati tres alios novos aggeres conſtruxerunt, ex quibus quaternis prægrandibus tormentis arcem tribus ex locis denuo verberarunt: uno è regione ſilvæ ejus, quæ quod tota ex tilus conſtat, Haſſetdia vocatur, altero ex parte propugnaculi meridionalis, tertio contra illud munimentum, quod à Palatino jam pridem vitâ functo Nadaſdianum appellabatur: cùmque magnam mæniorum ſtragem, nunquam ceſſantibus tormentis edidiſſent, dato à tribunis Janicerorum ſigno, repetere oppugnationem atque impetum cepêre. Sed tunc quòque eâdem propugnatorum virtute & conſtantiâ refugere compulſi, terga dedêre, uſque adeo, ut magnâ eorum multitudine cæſa, foſſæ cadaveribus eorum complerentur. Periêre inter dimicandum viri fortes & ſtrenui ex noſtris, haud pauci, & Andreas Bica, vel Taurus, nobili ortus genere, Zrinio imprimis charus, quem milites cum Petro Oroſtonio, qui profluvio ventris eodem ferè tempore extinctus erat, ſimul humavêre.

Max rabie efferati, oppugnationẽ fortiter repetentes,

Iterum noſtrorũ virtute depulſi terga dant.

Poſterâ die, qui fuit poſtridie Calendarum Septembris, quum Turcæ ab aurora uſque ad horam diei octavam, magno tympanorum ac tubarum ſonitu ſignum aggrediendi muros, ac repetendæ oppugnationis dediſſent, noſtrique paratis & præſentibus animis eos expectarent, incertum quaſnam ob cauſas incepto deſtitêre, ac in contubernia reverſi quievêre, nullam tamen interim diruendarum munitionum, quas incluſi magno labore refecerant, factâ intermiſſione. Sed noctem ejuſdem diei Janiceri tribuno-

1566.

bunorum juſſu, cæteri verò Chlauſiorum tota caſtra percurrentium admonitione, ad aggeres diverſis in locis conſtructos, magno numero ſeſe aggregavêre. Jam verò & foſſæ derivatis aquis, & interim cælo pluvias pertinaciter denegante tam perviæ erant redditæ, ut ſubeuntibus haud magno labore patere viderentur. Igitur tecti tenebris propugnaculum Heneianum, quod Decumanam portam intrantibus à ſiniſtra eſſe diximus, ſubière; noſtris contra quantum poterant magnâ vi eminus renitentibus. Sed quia diverſis pugnis cadentes ad exiguum ferè numerum redacti erant, & ii, qui in mœnibus conſpiciebantur, per Janiceros & magiſtros tormentorum certiſſimis ictibus ſternebantur, prohibere hoſtes, quin propugnaculum ſubirent, nequaquam potuerunt, quamquam plurimi inter ſubeundum à noſtris oppreſſi interficerentur.

Propugnaculū Heneianum noſtris aliquamdiu repugnātibus à Turcis capitur.

Cùm per hunc modum poteſtas conſiſtendi in mœnibus aut propugnandi erepta eſſet, Janiceri primùm fundamenta propugnaculi in imo ligonibus, palis, ac ferramentis ſuffodere, deinde robora & materiam eruere cœperunt; eoq; opere triduo aſſiduè facto adeo illud perforavêre, ut aperto in ipſis terrenæ molis viſceribus meatu, noſtros è cuniculis conſpicere, & ipſi à noſtris mutuò videri poſſent: quo viſo Gregorius Poquius, & Benedictus Meduecius, ad arcendos hoſtes eò celeriter cum haſtis procurrerunt, quos Janiceri harpagonibus ferreis atque uncis peracutæ longuriæ præfixis arreptos ac pertractos celeriter & crudeliter obtruncaverunt. Quamquam autem Zrinius animadverſâ periculi magnitudine, aliquot cados minores ſulphurei pulveris, ac tubos fictiles lethiferum evomentes ignem adferri, & in opus facientes projici juſſiſſet, quibus plurimi hoſtium partim diſcerpti eſſent, partim faucibus fumo intercluſis expiraſſent, ſubeuntibus tamen ſubinde aliis atque aliis, nulla diurni nocturnique temporis momenta egerendæ humo intermittebantur.

Porrò maxima vis aridæ materiæ, roborumque & aſſerum, nocturno præſertim tempore, in eam latè patentem ſcrobem comportata eſt, & poſterâ die Nonis nempe Septembris, ſtrues ea omnis ſubjecto pulvere ſulphureo incenſa eſt; & pars propugnaculi magno concepto igne ardere cœpit. Quamquam autem is per ſe ipſe obvia quæque lambendo atque depaſcendo vaſtabat; juvantibus tamen Auſtris, qui eo diecula vehementiſſimè perflare cœperant, adeo ſæviebat, ut creſcente curſim incendio, robora etiam & trabes, ac virgulta, quæ ante obſidionem ad reparandas munitiones comportata erant, ejus violentiâ corriperentur. Tum noſtri metu ac magnitudine periculi permoti, omnes ad extinguendas flammas converti, non ſolùm milites, qui jam pauci ſupererant, ſed & agreſtes ac fœminas & adultiores pueros ad hauriendas aquas, quæ in foſſa interioris arcis ad manum habebantur, extinguendóſq; ignes compellere cœperunt. Sed, cùm impotentes & immodicæ flammæ dicto citiùs invaleſcerent, & ii, qui cupis ligneis, aut hydriis è corio bubulo factis, operi inſtabant, deſtinatis ſclopetorum ictibus à Janiceris ſternerentur, omnis ſuſceptus labor in irritum recidebat; furentibúſq; miſerabili vaſtitate incendiis, Turcæ ut metum terroremque augerent, aſſiduis tormentorum fragoribus, in arcem detonare non intermittebant.

Miſerabile incendium cum magna noſtrorum incommodo exortum.

Turcæ à Nadaſdiani propugnaculi oppugnatione bis repulſi retrocedunt.

Interea Janiceri ſublatis ſignis, & ingenti edito ululatu in Nadaſdianum propugnaculum audaciſſimè proruperunt, ſed à noſtris fortiſſimè rejecti, ac cum incredibili ſtrage repulſi pedem retulerunt. Nec mora, bis repetito pertinaciſſimis animis & viribus certamine, bis pari noſtrorum virtute & conſtantia, non ſinè cruentiſſima cæde victi retroceſſere; ita ut multi eorum per medias flammas ſemiuſtulati evaderent, pars cædem effugere conati acerbiore morte comburerentur. Ea in propugnaculi defenſione, ac ancipitis pugnæ atrocitate, Zrinius ipſe imperterriti ducis munere functus interfuit, ſuiſque non voce ſolùm adhortator præivit, ſed etiam gladio fortiter pugnans exemplum præbuit, cùm primos huſtium conſcendere auſos ſuâ manu obtruncaſſet. Sed in acerrimo conflictu plures ex fortiſſimis propugnatoribus, & in his notum equitem Joannem Novacovitium deſideravit. Ex hoſtium autem numero tribus his præliis, quòd conferrtiſſimis & denſiſſimis agminibus proceſſerant, ampliùs ſeptem millibus cecidiſſe creduntur.

Zrinii eximia virtus.

Sub hoc prælii eventu Solimanus morbis & ſenio gravatus, ac ad vioatæ tibiæ dolores, ſuperveniente etiam alvi profluvio, è vivis exceſſit, Mehemete tamen purpuratorum principe, donec Selymum ſocerum ejus rei certiorem redderet, uſque adeo ejus obitum occultante, & medico Judæo, cubiculariis pueris, ne cuipiam mortalium patefacerent, ſub pœna capitis prohibente (an autem eos arctioris ſilentii cauſa, ut fama fuit, necandos curaverit, incertum eſt) ut nemo in caſtris extinctum illum, etiam poſt captam arcem, ſcire potuerit; ſic enim viventi & valenti omnia ad ſolitum luxum faſtumque adminiſtrabantur.

Solimanus alvi profluvio extinguitur.

Mehemete Baſſa & Judæo Medico obitum ejus celantibus.

Graſſantibus in exteriori arce incendiis, etiam non procul ab ea munitione, interiori arci attigua, in qua magna ſulphurei pulveris vis recondita erat, horribili ſtrage obvia quæque abſumentibus, Zrinius cum ſuorum reliquiis, non hoſtium metu, ſed incendii atrocitate, quod extingui nullis viribus poterat, in extremas anguſtias redactus, ſeſe in interiorem arcem recepit, tanta connixis & ſequentibus celeritate hoſtibus, ut vix ſpatium claudendæ portæ contra irruentes habuerit; majorem verò, quæ exterior erat, Janiceri & alii Turcæ protinus occuparunt. In qua quum Matthæum Sexudium ob utrumque genu, in receptu ex oppido atrociter, ut diximus, vulneratum reperiſſent, eodem in lectulo, cui affixus jacebat, truncato mox capite peremerunt, uxore & novem liberis in captivitatem redactis, rebúſque & pecunia, quam non contemnendam habebat, celeriter direptis. In eadem exteriori arce multi ex fœminis & pueris, ac promiſcuâ turbâ celeritate hoſtium præventi, in eorum manus inciderunt. Ubi Janiceri cum alterius ordinis Turcicis militibus, pro præda & captivis inter ſe haud mediocrem pugnam iniêre, dum quiſque eam pro ſe rapere, & vendicare contendit, adeo ut à noſtris è feneſtris & ſuperioribus locis proſpectantibus, mutuis vulneribus digladiantes tormentis peterentur, nec parvo affecti detrimento occumberent. Sub eo Turcarum tumultu Joannes Pribegus, qui aliquot ante annis à Turcis ad nos transfugerat, & Balaſtius Eſpeteius cum Andrea Deſcone, & Melchiore Silcone, rebus deſperatis, per feneſtellas tormentis diſplodendis diſpoſitas evadere tentarunt; ſed ab Janiceris, quorum jam omnia loca plena erant, in veſtigio interfecti ſunt, uno duntaxat Silcone, quòd imberbis, & tunc

Zrinius incendii latè graſſantis atrocitate coactus in interiorem arcem refugit.

Sexudius in exteriori arce graviter vulneratus perimitur.

Pugna Turcarū de præda.

primùm

1566. primum adoleſcentiam ingreſſus eſſet, capto ac conſervato.

Sedatâ demum advenæ tribunorum irâ hoſtes tormenta, quæ in majori arce invenerant, in arcis interioris munitione diruendas obverterunt. Nec jam exitus aut aditus in exteriorem arcem ullus eſſe poterat, partim Vulcano longè latéque pervagante cunctaque vaſtante, partim hoſtibus acerrimè incumbentibus, & ſi quem ex propugnatoribus conſpexiſſent, innumerabili glandium ac ſagittarum procella, ceu grandine ferientibus. Supra has extremarum difficultatum anguſtias obſeſſi non mediocri etiam rerum ad victum neceſſariarum penuriâ premebantur; quandoquidem maximus numerus commeatûs in exteriori arce incredibili copiâ & abundantiâ repoſiti ab hoſtibus erat interceptus; ſiquidem præter quinquaginta duo vini, ac totidem variorum leguminum, ac triginta aceti dolia, magna etiam copia ſalis, farinæ, hordei, avenæ, carnis bubulæ & ſuillæ, ac piſcium fumo & ſale maceratorum, ac omnium quæ ad tolerandas vel diuturnæ obſidionis neceſſitates dici poſſunt, ibidem ſervabatur; quæ tamen neque hoſtibus ulli uſui eſſe potuerunt, quum omnia concremata ignibus atque abſumpta periiſſent. Contrà in arce interiori, in quam noſtri ſupremâ neceſſitate adacti ſe receperant, non niſi duo tormenta majora, & quatuordecim minores colubrinæ ſupererant, & mille modii farinæ triticeæ, quos Comes Zrinianus à ſuis prædiis adferenda curaverat: ex qua tamen panes tanto numero ut omnibus abunde præberentur, ob fornorum ceu clibanorum paucitatem confici nequaquam poſſe videbantur.

Penuria cibariorũ in interiori arce

Et tormentorũ paucitas.

Occupato majoris ſeu exterioris arcis munimento Janiceri multis militaribus ſignis in vallo collocatis per duos dies, octavum nempe & ſeptimum Idus Septembris ibidem manſerunt, noſtris interiore in arce clauſis, ultimam fatalis neceſſitatis horam, anxio & forti animo expectantibus, nec ullis remediis incendia retardantibus. Sexto demum Idus, qui dies nativitati Deiparæ virginis dicatus eſt, Janiceri conjectis in arcem interiorem tubis fictilibus ignem arte factum continentibus, quanquam flammæ per ſe furentes ultro debacharentur, ædificiis, in quibus Zrinius habitare conſueverat, incenderunt. Et Mahometes, à cujus nutu & imperio omnes in exercitu pendebant, viſo minoris arcis incendio, ſummo ejus diei diluculo ſine mora claſſicum cani, tympaniſque & tubis ſignum invadendi dari juſſit. Nec mora, magna ex caſtris Turcarum multitudo confluxit, adeò ut ager omnis hoſtium plenus, ac equitibus pariter & peditibus refertus eſſet.

Sexto Idus Septemb. etiam minor arx ignibus injectis incenditur.

Quo viſo, Mehemetes invadendæ arcis ſignum dari jubet.

Quod quum Zrinius vidiſſet, Franciſco Cerenconi cubiculario ſuo veſtes ſericas breviores adferri jubet, iiſque induitur, capitis tegumentum ardearum pennis auro incluſis, gemmiſque ornatum, quali in ſpectaculis & nuptialibus pompis uti erat ſolitus, apponit, ac centenos aureos numos, præmium hoſti interfecturo, marſupiis, quæ utroque in latere erant, ingerit, (è quorum numero Turcicæ monetæ aureos excludit) poſtremò claves arcis addit. Deinde ſumpto ex multis acinace paterno, quum ſe eo geſtato multa adiiſſe ac ſuperaſſe pericula, multum laudis & gloriæ acquiſiviſſe, nunc jam fatis urgentibus eodem finem, quem divini numinis voluntas attulerit, facturum præfatus, neque donec ſpiritus hos reget artus ſe commiſſurum, ut collum & manus catenis oneratus per hoſtium caſtra ductaretur, in publicum è conclavi prodit; & ubi arcem incendio, quod jam nullâ ratione extingui poterat, conflagrare, nec longiùs in ea ob ingentem flammarum ac fumi vim perſiſti poſſe videret, in hunc modum milites, qui in procinctu ejus juſſa præſtolabantur, allocutus eſſe fertur.

Econtra Comes Zrinius ad mortẽ heroicè & forti animo oppetendam ſe adornat.

Quonam in loco res noſtræ ſint, commilitones, & quàm duriter atque improſperè nobis fortuna conſuluerit, perſpicuè cernere poteſtis. En eò deventum eſt, ut non virtute, aut verâ hoſtium vi, ſed intempeſtivis ignibus obruamur. Itaque ego vobis magis ſupremæ neceſſitatis index, quàm conſilii auctor proceſſi: neque enim ut cadentibus rebus noſtris, hîc manendo pertinaciùs cum irata fortuna ignibus uſtulandi colluctemur, ſed neque ut majore animi mollitie, quàm Chriſtiani nominis viris militibúſque conveniat, ſubitâ conſternatione acti, infamem deditionis conditionem amplectamur, deliberare, aut conſulere in animo habeo. Verùm ſicuti ego nuper vobis, ac deinde vos mihi ſacramentum præſtitiſtis, ut mutuis animis conſiliiſque egregiè & fortiter ſimul vivendum, & ſimul moriendum ſtatuamus; ita nunc hortor, & quantum maximè poſſum ſuadeo, ut turpi repudiatâ ſententiâ, anteactæ militiæ & gloriæ conſtantiſſimo vitæ exitu ſatisfaciamus. Adeò fortuna virtuti noſtræ invidit, ut jam nihil nobis præter arma, & animos armorum memores reliqui fecerit; & perpetua ac ignominioſa ſervitus obeunda ſit, ſi plus, quàm viros decet, ferrum timeamus. Honeſtiora igitur conſilia, & magis decora ſequamur, contemptâ omni degeneris vitæ cupidine, & in media arma ruamus: ita ut nos & honeſtè vixiſſe & decoris veræque laudis & conſtantiæ tenaces, è vivis exceſſiſſe teſtemur, atque adeò apud poſteros noſtros totúmque orbem terrarum, gratiam & æternam noſtri memoriam relinquamus. Agite milites, me modò ſequimini, ſicuti hactenus ſequuti eſtis, & ceu à fronte ſalutaria à me exempla hauriatis, quibus nec ſuperbi & fallaces hoſtes, ſe nobis vincula, carceres, catenas, quod omnium miſerrimum foret, injeciſſe gloriabuntur, & facta virtutémque noſtram nulla, quin juſtis laudibus efferant, unquam ſæcula conticeſcent.

Fatalique incẽdii neceſſitate coactus milites extremum alloquutur.

Fremitus exemplò militum ſequutus eſt, eundem ſibi animum, eandem ſententiam eſſe clamantium, & ſimul abjectis in angulo portæ clypeis, thoracibus, galeis, loricis, ac ipſis etiam, quo agiliores eſſent ac vulneribus opportuniores (cadere enim pulchrè, quàm fœdè vivere decreverant) gladiorum vaginis, ſolis veſtibus ac nudo ſinguli enſe contenti, ad extremum finem laborum ſeſe parant. Tum verò Zrinius divini numinis ope invocatâ portam aperiri, ac Marco Saraceno tormentorum magiſtro, qui ſolus è multis ſupererat, tormentum majus in portæ veſtibulo collocatum, quod multis ferri ac catenarum fruſtulis, ac plumbeis glandibus oneratum erat, diſplodi in hoſtes, qui denſiſſimi ſupra pontem conſiſterant, jubet; ſed is, antequam diſploderet, per frontem glande trajicitur, & cadit. Tum Georgio Croato aſtanti arripere accenſum funiculum, eoque tormentum diſplodere imperat: quo ſolo ictu hoſtium plures ſexcentis partim occubuiſſe, partim vulnerati fuiſſe feruntur.

Fremitus militum Ducem fortiter ſequentium.

Zrinius porta aperta, & tormento cum ſexcentorum hoſtium ſtrage diſploſo,

Pugnatum ſimul eſt, ut in deſtinata ſupremi certaminis meta fieri potuit, quàm fortiſſimè & con- 1566.

Fortiſſimè in Turcas irruit.

1566.

conſtantiſſimè, tum à Zrinio, qui rotundâ parmâ & enſe protectus, primus pugnam iniit, tum verò à militibus, præferente vexillum Cæſareum Laurentio Juranitio, impigro juvene, ſed iniquiore noſtris conditione, qui quum ad ſexcentos tantùm redacti eſſent, ab innumerabilibus barbaris, ſagittas, & glandes, ac tela omnis generis, inſtar grandinis in eos ſpargentibus, facilè ſuperabantur. Zrinius ipſe glande dextrum pectus trajicitur, & multo effluente cruore, quum nondum ſuos, ut fidei, virtutis, conſtantiæque meminiſſent, animare deſineret, altero ictu ſclopeti inter dextrum oculum & aurem adacto proſternitur: quo cadente, cæteri quòque paucis exceptis, ab Janiceris detruncati in veſtigio conciderunt. Ibidem Lupus Papratovitius, Nicolaus Cobacus, Petrus Patacius equitum præfecti occiſi ſunt. Juvenes quòque nobiliſſimo genere orti, Joannes Baronius, Paulus Iſthuanffius, ac Georgius Chaquius eodem in loco, cum multis aliis cæſi occubuêre. Georgius cognomento Caprarius, qui non ita pridem ſingulari cum Aiaga Turca certamine victor evaſerat, ac Joannes Novacus, validâ ſenectâ equitum ſclopetariorum ductor, cùm in turrim lapideam ſeſe pugnando recepiſſent, & per aliquot horas ſeſe defendiſſent, ad extremum denſa glandium procella ab Janiceris effuſa obruti & occiſi, pedibuſque inde extracti fuêre.

Duobus ictibus trajectus conſtanter occumbit.

Cæteri quòque à barbarorum multitudine circumventi in eodem veſtigio concidũt.

Gaſpar Alapianus cum aliis quibuſdam captus.

Poſtremò deferveſcente Janicerorum furore atque ferociâ Gaſpar Alapianus latebris, ad quas cadente Zrinio ſe abdiderat, extractus; & quod enormi vultu fuſcoque præditus, ſtaturaque puſillus, pro vili armigero miniſtroque æſtimaretur, ſervatus eſt, ita commodum repertus, quum Janiceri prædæ inhiantes, interfecti Zrinii cadaver ſpoliarent, armillâſque aureas magni pretii, quæ ambas ejus manus ornabant, aperire neſcirent, ideoque detruncare vellent, cultro foramini inſerto aperuit. Eodem modo Cerencus cubicularius in coquina abditus, quem aureos & claves arcis Zrinio attuliſſe diximus, & Battolos Gerecius capti, quòd venuſti eſſent adoleſcentes, cædem evâſere. Stephanum Orſinum Haſanes Turca quidam Soclosinus, qui apud illum antea mitem moderatámque ſervitutem perpeſſus erat, ne interficeretur, corpore ſuo protexit, & ſervavit: atque ii tres aut quatuor, ex tot millibus ſuperſtites, poſtea à Georgio Comite Zriniani filio redempti poſtliminio rediêrunt: cæteris ad unum omnibus, præter pueros & fæminas, ab irato hoſte interfectis. Caput Zrinii paulò poſt pugnam juſſu Alis Janicerorum præfecti præciſum eſt, (cui etiam ſpolia ejus ceſsêre, ſimul cum equo præſtantiſſimo, Peruani nomine appellato) illúdque in caſtra ad Mehemetem miſſum, ibique perticæ infixum Turcis & aliis ſpectaculo fuit. Truncum autem Muſtapha Banialucanus equitum ductor, cognomento Vilithus, qui ejus antea captivus fuerat, tumultuario ſepulchro compoſuit.

Zrinii caput perticæ infixum hoſti ſpectaculo fuit.

Jam hoſtes utramque arcem manu ceperant, & manubias prædamque omnem, & captivos longis reſtibus & catenis vinctos oneratóſque in caſtra perduxerant, & adhuc inextincti ignes mœnia & propugnacula miſerabili incendio populabantur, cùm ad turrim lapideam, in qua tormentarii pulveris magna copia ſervabatur, graſſando pervenerunt: nec mora, pulvis repentè ſuccenditur, & non ſolùm fornices inferiores, in quibus conditus erat, ſed totam ipſam ædificii molem, veteréſque domos, quæ interiorem arcem continebant, puncto temporis evertit atque disjecit. Cujus terribili fragore & ruinâ innumeri Turcæ, & præſertim Janicerorum magna multitudo, qui domos ſingulas, & abdita quæque curioſiſſimè perſcrutabantur, nec alios ad prædæ ſocietatem facilè admittebant, partim fragminibus ingentium lapidum, partim ſummâ pulveris vi in ſublime rapti, & multipliciter diſcerpti periêre, ut eo tantùm caſu tria aut ampliùs millia omnis generis militum deſiderata eſſe, vel ipſorum hoſtium confeſſione, compertum fuerit. Nam ejus cladis cauſa, totis caſtris magnus dolor, lachrymæ, & luctus paſſim agitabantur, quum pars fratrem, aut propinquum, alii extinctum parentem, aut filium, multi ſanguine junctos aut ſocios lugendo, & lamentis ſuſpiriiſque proſequendo deplorabant. Periiſſe autem tota ea in obſidione ac diverſis oppugnationibus ad XX. hoſtium millia dicuntur, & quidem eorum, qui aut Janiceri & Spahoglani, in albo prætorianorum equitum deſcripti eſſent, aut in limitibus Ungaricis, ac ſub Beglerbegis certa ſtipendia meruiſſent.

Turcæ pulveris ſulphurei turri incluſi conflagratione complures periêre.

Tria ferè millia.

Viginti hoſtium millia tota illa obſidione interiêrunt.

Capto per hunc modum ſubditis ignibus Sigheto, Mehemetes ſummo Janicerorum tribuno edixit, ut extingui flammas, ac arcem & vias cadaveribus expurgari curaret: quandoquidem Solimanus ſeptimo poſtquam capta eſſet die, Veneri ſacro, quem barbari pro feſto obſervant, arcem inviſere, ac ibidem Deo Optimo Maximo de more vota nuncupare ſtatuiſſe. Taliſmanis etiam & Hogiis, qui ſunt ipſorum ſuperſtitionis ſacerdotes, ut ad eum diem præſto eſſent, mandavit. Sed quum repurgatâ arce dies is, atque etiam alter à Mehemete præſtitutus adveniſſet, nec tamen Solimanus in publicum produiſſet, ſuſpicio haud levis de ejus obitu in caſtris exorta eſt, ac ſecretis ſermonibus circumferri ceptum, imperatorem mortuum eſſe.

Suſpicio de Solimani morte.

At Cæſar ancipiti ſuſpenſus curâ quum diu, quidnam conſilii ſuſciperet animo diligenter volutaſſet, ne exercitum fruſtra coëgiſſe, ac irritus inceptis Jaurini hærere videretur, ad extremum caſtra promovere, ac ſe cum Ecchio comite Salmenſi Comaronii conjungere deliberavit, ibique utrum Strigonio capiendo incumbendum eſſet, aut quid aliud conſilii ſequendum, ex eventu & tempore explicaret. Itaque lentis paſſibus ſuſcepto ad ripam Danubii itinere, ac præcedentibus Ungarici nominis copiis, ad Gheniomem ſecundis caſtris perventum eſt, altero ab Jaurino milliari diſſitum. Id nomen fuit pagi, qui ad arcis Geſtcſiæ jus olim pertinebat, ſed hoc tempore deſertus, nullis jam pridem colonis habitabatur. Cum iſthic caſtra ponuntur, ac aliquot diebus quieſcunt, Georgius Thurius multis præclarè geſtis rebus, ac nuper ſervatæ Palotæ gloria clarus, cum CXX. equitibus in caſtra ad Cæſarem venit, ac in extrema caſtrorum parte, haud longè à currulibus tormentis, quibus caſtra circumdabantur, conſedit.

Interea Mahmutus Albæ Regiæ præfectus, cum Oſmane Caramano colloquutus, mille expeditis equitibus caſtra Cæſaris invadenda decrevit, eo capto conſilio, ut aliquid egregii facinoris deſignaret, ac captivis ad Solimanum perductis, à quibus de Cæſaris progreſſu conatibuſque edoceretur, gratiam ſibi conciliaret: quandoquidem cataphractos Germanos gravioribus utentes equis, ſe nequaquam formidare dicebat; quòd ii Turcas curſu non aſſequerentur. Unga-

Mahmutus Albæ Præfectus cum Oſmane noſtra caſtra ex inſidiis aggreditur.

gns

1566. ros autem, tametſi equis ac celeritate pares, inſidias tamen veritos ad inſequendum ſegniores futuros exiſtimaret. Itaque Alba digreſſus Salnarem legatum, alumnumq; ſuum, cum quingentis equitibus Comaronium ad infeſtanda noſtrorum caſtra dimittit, ipſe cum reliquis equitibus, quos partim ex ſuis Albanis, partim ex Caramanis Aſiaticis ſeu Cilicibus delegerat, haud procul caſtris Cæſarianis nocte intempeſtâ, inter aliquot proceras arbores inſidias collocavit, ſummoque mane poſt permutatas excubias, in pabulatores caſtris egreſſos proſilit, & aliquot ex Germanis, quod neminem linguæ eorum peritum in comitatu haberet, cecidit; Ungarorum autem paucos, qui ſignatum exierant, intercepit.

Quod quum noſtri ac imprimis Thurius animadvertiſſent, arreptis repente & conſcenſis equis, citato curſu hoſtes perſequi cœperunt: ita ut noſtri agiliores fugientium veſtigiis inſiſterent, Germani verò denſis agminibus ſequerentur. Quamquam autem noſtri inſiſtendo & carpendo acrius urgerent, Mahmutus tamen five ſuorum pernicitate fretus, ſeu Ungaros metu inſidiarum non auſuros procul caſtris excedere exiſtimans, redactis ſuis in ordinem, aliquot locis ſubſiſtere, & pugnæ poteſtatem facere non dubitavit; in qua conſertis manibus utrinque aliquot equites ceciderunt, ac vulnerati nonnulli, inter quos Georgii Caſii equus haſtâ transfixus, & Johanni Curalio pectus acriore haſtæ ictu, ſed quod thorace ferreo muniretur, irrito petitum fuit. Acrius tamen interim & validius pedem inferentibus, hoſtes fugati ſunt, ac quum ad aliquot ſtadia verſus Bacaniam ſilvam, intento curſu profugiſſent, non ſatis provido neque ſibi proficuo conſilio, iterum aperto in campo ſubſtiterunt, alteram pugnæ poteſtatem facturi; ſive ut equi diuturniore curſu fatigati & anhelantes aliquantulum reſpirarent, ſive ut noſtri inſidias in proximis ſilvis collocatis ſuſpectantes terrerentur, ac finem inſequendi facerent. Verùm ingruentibus eo validius Thurio & noſtris hoſtes verum fundantur, multi ex eis cæduntur ac vulnerantur; deniqueintenta fuga in Bacaniam ſilvam ſeſe proripiunt. Ibi prægrandium arborum denſitate impediti, ordines ſervare nequaquam potuêre: Verùm diſſoluti palanteſque à Thurio, qui cæteros pernici equo antecedebat, & ſociis ſeſe ſubinde ei aggregantibus, poſt acerrimè commiſſum certamen, victi profligatique fuerunt. *Sed à Thurio victi profligatique ſunt.*

In eo prælio equus Thurii mucronato enſe transadigitur, ipſe multos hoſtium interficit, partim ſua manu capit, & cæteros ad inſiſtendum voce exemploque accendit. Plures ex hoſtibus latebras quæritando, ac piſcinæ cujuſdam veteris, quæ circa viam erat, carectâ & arundines limo cænoque impeditas metu perterriti, ſeſe abdunt, ſed à noſtris extrahuntur: cadit inter alios Ruſtanes Oſmanis legatus, ac Haſanes Coppanienſis equitum ductor, labente equo ac amiſſo gladio, & gravi eo caſu faciem atque ora cruentatus intercipitur. Mahmutus poſtquam aliquanto ulterius fugiendo ſe ſubduxiſſet, poſtea tamen fatigato & viribus deſtituto equo, à duobus obſcuri nominis equitibus, quum ſe neque educto è vagina enſe quicquam defendiſſet, capitur, & ad Thurium adductus, ab eo cognoſcitur. Ex noſtris Alberto Varſanio genu magno illato vulnere diſcinditur, cujus dolore paulò pòſt moritur, ac in ædicula deſerta, quæ in extrema ſilvæ parte ſecus viam erat, tumulatur. Capta fuêre VIII. ſigna, & hoſtes, præter Mahmutum *Mahmutus à noſtris captus ad Thurium adducitur.*

ipſum, ad XL. vivi in poteſtatem noſtrorum venere, totidemq; capita relata, reditumq; eſt nocte jam obſcura & tenebricoſa, qua plures noſtrorum equi partim vulneribus, partim nimio curſu & pugnæ laboribus fatiſcentes interiere. 1566.

Illuceſcente altera die, Mahmutus Cæſari dono datur, qui quum malâ auratis phaleris eleganti ſſimè ornatâ, ac cauda ſerico filo involuta, ne veſtes conſpuicaret (eam ab Oſmane dono acceperat) ad prætorium Cæſaris tabernaculum vectus eſſet, & capita ſociorum contis præfiſa, imprimiſque Ruſtanis Caramani conſpexiſſet, illachrymavit, ac deinde cuſtodiæ traditus eſt; poſteaque Leonardo Harraco ab Cæſare muneris loco datus, pecuniâ ſe redemit. Nec meliore uſus fortuna Saluares, dum ad caſtra Ecchiana Comatonii ad Danubium locata impetum feciſſet, à noſtris haud diſſimiliter rejectus atque repulſus, multis ſuorum amiſſis, ægre Albam revolavit. Thurium Cæſar tum pro ejus di opera præclarè & fortiter navata, tum pro aliis meritis in equitum, quos vocant, auratorum cætum & numerum, ſpectante exercitu, & variarum nationum militibus, iterum delegit, aurcoque torque magni ponderis cohoneſtavit. *Saluares caſtra Ecchiana adorpulſus, multis amiſſis, Albam redit. Thurius ob rem bene geſtam in Equitum numerum à Cæſare cooptatur.*

Huc unicum, quod laude aliqua dignum fuerit militare facinus, toto eo bello geſſimus; in quo quidem quum nullum grandius prælium, nec ullius genus obſidionis intercesſiſſet, tormentorum quoque nullus fuit uſus, & claſſis nullo facto operæ pretio Comaroníi hæſit in anchoris. Subierant quidem adverſo Danubio hoſtium trierarchi, navalſque ſocii, & noſtri ex adverſo explicatis ordinibus prodierant: ſic ut ambæ claſſes concurſuræ viderentur, ſed detrectante pugnam Flacco, quamquam viribus haud impare, diſceſſum utrinque abſque certamine eſt. In ea hoſtium claſſe, Bartholomæus Croatus, olim Strigonii, poſtea Levæ præfectus, jam ferè ſeptuagenarius, in excurſione ab hoſtibus captus, & ad tranſtra triremium barbarâ crudelitate damnatus, Strigonii vitam clauſit, ita ut ariolorum avidiſſimo cuique futura prædicentium vaticinium, qui eum Strigonii naturali morte moriturum ante triginta ſex annos prædixerant, haud omnino inani eventu re ipſa comprobatum eſſe videretur. *Barth. Croats adverſa fortuna.*

Interea Cæſar captum Sighetum certo intellexit, cùm ex literis vicinorum Babocianorum, tum verò indicante quodam Illirici nominis gregario milite, ibidem fortè capto, quem Hamſa Quinqueecclesienſis urbis præfectus, ad terrendos ac ad deditionem cohortandos Babocianos eò miſerat. Itaque Ecchium Comitem Salmenſem cum ſuis copiis, ac Helfenſtanianis & Haldiſtadianis legionibus, quæ Comatonii fuerant in caſtris, ad ſe & conjungenda ſecum caſtra Jaurinum revocari; eo animo, ut ſi Solimanus, quem adhuc vivere putabat, adverſum ſe infeſta arma inferret, contractis omnibus undique copiis munitior atque firmior eſſet. Salmenſi caſtra ſubituro Muſtaphas Budrnſis Socolovitius, Mehemeti propinquitate junctus, caput Zriniani Comitis, vili cilicio involutum, cum literis Comaroniun miſit, qui illud tabo cruoreque fœdatum ac tetrum exhalans odorem, aqua roſea lotum, aromatibuſque odoratis curatum entrui impoſuit, toroque comitante exercitu Jaurinum perduxit; quod deinde Franciſcus Tahius ſororis illius maritus, ac Balthaſar Batthianus gener, deducente uſque ad Abdam toto Cæſaris exercitu, ſingulari funeris honore, ad *Cæſar Ecchianica ſtra, capto Sigheto, cum ſuis coniungi jubet. Zrinii caput à Muſtapha Budenſi Ecchio Comiti miſſum, deducentur uſque Abdam toto exer-*

1566. ad arcem Chaſtorniam, cum Georgio filio ſepulchro condidêre; in quo conjux illius prior, Ferdinandi Comitis Frangepani filia ſita erat.

Chaſtorniæ in arce ſepelitur.

Sub id tempus, jam frigidioribus & pluvioſis Auſtris perflantibus, venit Budâ in caſtra Cæſaris Derviſius quidam Turcarum monachus, Chriſtianæ profitendæ religionis cauſa, ut dicebat, ad nos transfugiens, qui etiam Solimanum è vita migraſſe affirmabat, eadem ductus ratione, quod poſt edicta ſemel atque iterum promulgata, arcem Sighetanam minimè inviſiſſet, ſed quod membra ſolummodo, quæ natura occultari voluit, pelle ovilla tectus, cætera ſeminudus, & lacinia circumdatus eſſet, nulla ei fides attributa eſt. Prædatorii quoque equites, Turcis Acangii dicti, ex caſtris Sighetanis, à Mehemete putato emiſſi, paſſim crudeles excurſiones, depopulationeſque exercebant; quorum certam manum quum Georgius Thurius & Franciſcus Turcus ad Sacadacum, qui locus in valle inter Capnenscum, Peleſcam, & Raicum æquali ferè intervallo eſt, fuſam fugatámque profligaſſent; nec tamen certi quicquam de Solimani obitu cognovêre, quod is adhuc à Mehemete magno ſilentio occultaretur.

Derviſius Monachus ad nos transfugiens Solimanum obiiſſe nuntiat.

Turcarum excurſiones à Thurio & Turco ſolutæ.

Inter hæc Cæſar Ungarorum precibus atque conſiliis adductus, ne tantus exercitus nec viſo hoſte diſſolveretur, copias recenſuit, ac ſelectam earum partem Ecchio Salmenſi tradit, hoſtium caſtra, quæ duce Oſmane ad lacum Albanum, cui Saſto nomen, jam pridem locata erant, invadi juſſit. Erant equitum Germanorum VII. millia, Italorum mille, Ungari levioris armaturæ equites mille, & totidem pedites Hetruſcæ legioni, quam Fregoſius ducebat, alii mille, Italici nominis pedites adjuncti erant, ac bis mille Germani, cum XX. tormentis curulibus, ad campeſtres pugnas aptis; quorum dimidia pars ex verſatili earum machinarum genere conſtabat. Profecti ex caſtris inſpectante Cæſare ad Varſanum, quod extrema in parte Bacaniæ Silvæ eſt, caſtra poſuêre, quæ erant plauſtris & longo impedimentorum ordine, in ſpeciem juſti exercitûs inſtructa: quum Itali & Ungari, allatis duntaxat quinque dierum cibariis, ac relictis cæteris ſarcinis, expeditiores atque agiliores eſſent.

Ecchius caſtra hoſtium ad Albanum lacum cum ſelecta manu invaſurus.

Sequenti die ad ſancti Vitalis templum deſertum, in edito ac pulcherrimæ rotunditatis colle ſitum, è regione arcis Turcicæ, quam Ungari ab ave Monerula, Checam vocant, pervenêre. Illinc Salmenſis Georgium Thurium, cum CL. equitibus, ad procurandum circa caſtra hoſtium præire jubet, ac ſe ſubſidiariam aciem in veſtigio ſubmiſſurum, totúmque paulò pòſt exercitum ſubſequuturum pollicetur. Is navandæ operæ cupidus celeriter eò proficiſcitur, ac multos è pabulatoribus, qui è caſtris egreſſi erant, obtruncat, ac unum intercipit; cæteri palantes ad caſtra retrofugiunt, trepidéque noſtros adeſſe nuntiant. Hoſtes ea re animadverſa extra caſtra in planiciem extemplò conveniunt, explicatiſque ſignis & inſtructis agminibus, quidnam faciundum, an toto cum exercitu inſiſtendum, vel ſelectioribus equitum ſubmiſſis, adoriri noſtros expediat, conſultant. Interea dum hæc fiunt, literæ Cæſaris ad Salmenſem perferuntur, quibus illi ſerio ſeveréque prohibebat ne hoſtes invaderet, neque laceſſeret, ſed ſtatim re infecta reverti maturaret: graves incidiſſe cauſas, quibus exercitum revocare opus ſit. Idem Joanni Maurico Hiſpano à Cubiculo, & Rudolpho Cueno Magiſtro ſtabuli Cæſarei, qui cum Salmenſi in exercitu erant, ut ſuo nomine Ecchio omnem tentandæ fortunæ aleam interdicant, perſcribit. Igitur Salmenſis miſſis, qui Thurium revocarent, mandato Cæſaris paret, & cum exercitu revertitur. Oſmanes & Turcæ, nemine, qui ubvius eſſet aut caſtra amplius inquietaret, conſpecto, relictâ ad tutelam calonum & lixarum, qui lignatum, aut pabulatum exierant, aliquanta equitum ala, in caſtra redierunt. 1566.

Literis Cæſ. certa ex cauſis revocatur.

Paucis inde diebus, poſtquam revocatus Salmenſis eſſet, Jaurinum fortuito repentinóque igne ſuccenſum eſt, illuceſcente divi Michaelis feſto die, ac adjuvantibus primo Euris, mox Aquilonibus, funditus conflagravit, tanta vi ac ventorum ſæviſſimè perflantium impetu, ut pluſimi mortalium non ſolùm ex iis, qui ſaucii aut ægroti erant, ſed etiam eorum, qui rerum ſuarum ſoliciti, eas incendio & periculo eripere contendebant, in domibus atroci incendio derepente circumventi ac miſerabiliter concremati interirent. Nec deerant, qui in ipſiamet cimoniorum tabernis ſpecie juvantium, & in tutiora loca perferentium, varias res flammis ereptas nefariè furarentur: tametſi mercatores attoniti & trepidi, ac de ſua ſalute ſoliciti, multis ultro offerrent donarentque; ſatius & tolerabilius fore rati, ſi illæ humanis uſibus reſiderent, quàm ignibus conſumptæ perirent. Tormenta quoque majora numero octodecim, quæ in veſtibulo portæ Novæ urbis ac propugnaculo collocata erant, cùm per fiſtulas & ſpiracula ſulphureus pulvis ignem concepiſſet, uno ſimul impetu exploſa, plurimos mortalium nec opinatos pernicie miſerabilem in modum diſcerpſerunt. Nec mora, cùm ſcandulæ ardentes ac ſemiuſtulatarum trabium particulæ è tectis in caſtra Ungarorum, quæ haud procul mœnibus urbis erant, vi ventorum pulſæ incidiſſent, ea quoque uti erant, ſupra ingentem tentoriorum numerum fœno & ſtraminibus, ac ſtabulis è materia tumultuario opere ad arcenda frigora facta, refertiſſima, terribiliter ardere ceperunt. Et urbs quidem tota furentibus ubique flammis puncto temporis abſumpta eſt: Ecchio præfecto, & præſidiariis arcem, & ædiculam veterem, ferreis valvis & feneſtris munitam, in qua pulveris ſulphurei magnus numerus reconditus erat, ægre admodum ſervantibus, in caſtris tamen operâ & indefeſſo Ungarorum labore, quos præfecti & imprimis Franciſcus Tahius caſtrorum magiſter, ad reſtinguendos ignes vehementer, & ſevere incitabant, effectum eſt, ne incendium ulteriori ſtrage popularetur: ſed in iiſdem Ungarorum caſtris tandem ſopiretur. In urbe complures ex militum Italorum ordine, qui incautius inter ignes & incendia verſabantur à Germanis correpti & trucidati fuêre, quod crimini & invidiæ ſubjicerentur, quamquam inſontes & innoxii, ſuſcitati de induſtria incendii.

Jaurinum repentino igne ambuſtum eſt,

non abſque clade hominum.

Etiam Ungarorum caſtra flamma corripit.

Eo ſupra alias calamitates accepto detrimento, Cæſar quum ad eum falſis rumoribus allatum eſſet, Solimanum capto Sigheto adverſum ſe cum univerſis copiis venturum, Ramum Thracem Turcicæ peritum linguæ, qui ſuperioribus annis è Strigonio ad nos transfugerat, ad exploranda hoſtium caſtra miſit: atque interea ducibus convocatis tam Ungaris quàm Germanis, & aliis quorum conſilio utebatur, de ſumma rerum conſulturus, concilium indixit. Placebat majori parti, convocandas eſſe in una caſtra omnes copias, quæ per varia loca ſparſæ

Cæſar exiſtimans Solimanum adverſus ſe cum exercitu venturum, de ſumma rerum conſilium exquirit.

1566. ſparſæ erant: Caroloque Cæſaris fratri, qui in peninſula, quam Dravus & Mura fluvii efficiunt, caſtra habebat, in quibus ſupra Germanos Illyrici quòque milites ac proceres cum Petro Erdodio Bano ſeu præfecto, ac Franciſco Zlunio comite erant, ſimul & Stephano Dersffio, qui Nitriæ, ac Suendio, qui Caſſoviæ cum haud contemnendo militum numero excubabant, nunciandum injungendúmque, ut ſe quamprimum Jaurinum conferrent, & Cæſarianis caſtris conjungerentur, adventantémque hoſtem paratiſſimul expectarent. Quòd ſi hoſtis tanto numero, viribuſque incumberent, ut evitari dubia certamina placeret, in proximo eſſe inſulam, in quam caſtra facili negotio transferri poſſent, ejuſque tranſitu hoſtes arceri. Probabatur id conſilii Italis quòque ducibus, atque ipſi Ateſtino Ferrarienſi principi; niſi quod addebant, Cæſarem extra belli incerta, Jaurini, aut Altemburgi mænibus in tutum collocandum, ſummámque rerum Ferdinando fratri, aut Guntero Suarcemburgenſi comiti vices ejus in caſtris agenti, committendam. Cæſar collaudata ducum ſententia, ſe unà cum ipſis ſimul vivere, & mori ſtatuiſſe reſpondit, brevíque eas quas vellent copias eadem in caſtra contracturum.

Nec multò pòſt Rainus rediit, quum tamen primò in caſtrorum hoſtilium limine à Turcis agnitus eſſet, ſalutem ſuæ fugâ conſuluerat: nec aliud quicquam retulerat, quàm quod vulgo ſpargeretur, Solimanum è vivis exceſſiſſe, non alio certiore auctore, quàm quod ad arcis Sighetanæ manu captæ ſitum inſpiciendum, ad ſtatutum de more diem in publicum non prodiiſſet. Stetit aliquamdiu anxius, ac de ſua exercituſque ſalute ſolicitus Cæſar, quamquam jam frigidior autumnus, haud vana adventantis hiemis ſigna daret, ac pluviæ nivibus, procelloſiſq; ventis & turbinibus miſtæ cœlo deciderent; ita ut nec ipſe nec hoſtes in caſtris diutiùs permanere poſſe exiſtimarentur: poſtremò certioribus nuntiis intellexiſſet Joannem Sigiſmundum & Tartaros, relictâ Tocaii obſidione retroceſſiſſe; ac itinere per Debrecenii campos facto in Tranſilvaniam redire ſtatuiſſe. Is enim, quum ponte per Tibiſcum facto eam arcem, quæ ſui antea juris fuiſſet, per XXVII. dies acerrimè oppugnando recuperare contendiſſet, illaque à Jacobo Ramingero, & Matthia Calvaſſio præfectis ſummâ laude & virtute defenſa eſſet, audita ab amicis Turcis, quos ſibi largitione & variis muneribus conciliaverat, Solimani morte, veritúſque ne in ea dubia interregni quadam veluti tempeſtate, ab immanibus & efferis Tartarorum & Turcarum gentibus, quos ſecum ampliori numero habebat, caſtris exutus, in ſummum ſalutis diſcrimen conjiceretur, omiſſâ Tocaii capiendi curâ; ac Tartaris ad depopulandos Bereghianos & Ugocianos verſis, ſuæ potiùs & exercitûs ſaluti cautè conſulere, quàm aliena temerè oppugnare maluerat.

Joan. Sigiſmundus ſolutâ Tocaii obſidione decedit.

Tartaris Bereghianos & Ugocianos vaſtantibus.

Atque ita è medio metu perampla ſpes, & certa ſalus cunctis oborta eſt: ipſeque Cæſar fluctuantis conſilii ſui rationibus explicatis, quòd illum commercio Turcico obnoxium haud ſinè eorum ſcitu obſidioni finem impoſuiſſe, certis conjecturis exiſtimaret, ſolutis caſtris redire decrevit, Ferdinandúmque fratrem in Bohemiam redeuntem ab ſe dimiſit, ipſeque ad XVI. Octobris diem Comaronium, ejus loci perluſtrandi cauſa profectus, illinc ad ex-

Cæſar Comarono luſtrato Viennam

Iſthuanſ. Hiſtor.

tremos ejuſdem menſis dies, cum peculiari aulæ ſuæ comitatu, ac nonnullis ducibus, Viennam reverſus eſt. Biduo pòſt copiæ Ungaricæ eum ſequutæ, ad ſuas ſtationes redierunt: Germanicæ verò tam equeſtres, quàm pedeſtres, partim in propinquioribus Jaurino locis, partim ad Vagum & Laitam flumina, donec ſtipendium eis perſolveretur, diſtributæ ſunt; nec parvum detrimentum miſerorum accolarum fortunis intulerunt. Eodem quo Viennam ventum eſt die, ex litteris Hieronymi Priuli principis, ac Senatûs Veneti certiùs intellexit mortem Solimani, quibus veluti confœderatis Selimus perſcripſerat, patrem ſuum triduo ante, quàm Sighetum expugnaretur, vitam cum morte commutaſſe: quòd tamen ab ejus miniſtris aliquamdiu magno ſilentio ſuppreſſum fuiſſet.

1566. extremo Octobri redit.

A Priulo Duce Venetorum Cæſar fit certior Solimanum eſſe extinctū.

Tartari interea à Tocaio digreſſi, magnis incendiis & populationibus paſſim cis & ultra Tibiſcum, ac inter Bodrogum & Samoſum fluvios graſſati, quum lupta vaſtatam ubique Pannoniam ditioni etiam Tranſilvanicæ circa Varadinum extrema quæque intentarent inferrentque, Joannes Sigiſmundus obviam eorum, quamquam paulò ante ſociorum, libidini ire coactus, miſſis ad eos res repetitum certis nuntiis, quum illi nec res, nec captivos reddere, neque à cædibus rapiniſque abſtinere vellent, armis & cruento prælio cum eis conflixit, in campis inter Debrecenium & Novum Forum, (id oppidi nomen eſt) longè latéque patentibus, quo prælio cæſis & profligatis Tartaris, ſatis magnum captivorum numerum liberavit: deinde pacatis agminibus, ſed contento paſſu in Tranſilvaniam ſe recepit. Ipſi quòque haud incruenta pugna fuit, quum plures ex ſuis ſagittis confixos, quo genere teli Tartari ſupra omnes alias gentes plurimum valent, amiſiſſet; deſideratúſque eſſet inter multos alios Melchior Paganus, clarioris nominis equitum præfectus.

Joan. Sigiſm. Tartarorum excurſiones, prælio cū eis commiſſo ſiſtit & inhibet.

At Mehemetes quum per expeditiſſimos & velociſſimos nuntios mortem Selimo filio, ſoceróque ſuo ſignificaſſet, jamque illum urbis Conſtantinopolitanæ, ac ſolii paterni poſſeſſionem, introducente eum Scandere purpurato, hortorum præfecto, cui filia ejus ſecundo genita nupſerat, & quem Solimanus in bellum profecturus, præfectum urbis reliquerat, pacatè & quierè occupaſſe intellexiſſet, miſſis quaqua verſum Acangiorum & prædatoriorum equitum turmis, crudeliſſimam depopulationem uſque ad Caniſam, & trans Arabonem flumen, ad Giacum uſque & Sabariam fieri juſſit: Babociámque, quam Stephanus Perneſſius, & Michaël Verebelius præfecti, ignobili fœdoque metu conſternati vacuam reliquerant, in poteſtatem redegit, quo Sighetanis auxilio præſidioque foret: ac deinde dimiſſis in hiberna Boſnenſibus & aliis limitaneis Turcis, ipſe cum prætorianis & Janiceris, ac Aſiaticis copiis redire, funúſque Solimani ſepulchro Byzantii ab eo condito inferre decrevit: quum paulò antè viſcera ejus atque inteſtina, eodem in loco, ubi è vivis exceſſerat, ad Sibotum pagum ſingulari pompâ tumulaſſet: pecuniámque, quâ ibi templum ædificaretur, annuos item proventus, quibus Taliſmani ſacerdotes ibidem alerentur, ex portoriis & vectigalibus Sighetanis conſtituiſſet. Sighetum autem curæ & fidei Scanderagæ tuendum commiſit, qui multis retroactis annis Soclosinam præfecturam ſummâ fide geſſerat. Extinctus eſt Solimanus, cùm vitiati cruris

Turcorū depopulationes.

Babocia a noſtris deſerta in hoſtis poteſtatē venit.

Mehemetes, dimiſſis copiis aliquot corpus Solimani Byzantium deducit.

 dolo-

1566.
Solimani morbus & ætas.

dolotibus, ob quos etiam vivens pallido ſemper ac decolore vultu fuit; tum ventris profluvio, ex nimio autumnalium fructuum eſu contracto, quum nondum ſexageſimum ſextum ætatis annum complevisſet, ac circiter quadraginta ſex annis ſceptra tenuiſſet.

Selymus, citatis itineribus, paterno corpore ad Valconarum obviam prodit.

Poſt ejus obitum Selymus, paterno imperio potitus, magnâ promiſsa Janiceris & Spahoglanis, qui ſunt prætoriani equites, ſummâ pecuniæ, XXVII. die Septembris Conſtantinopoli diſcedens, magnis itineribus Albam Græcam primò, mox Valconatum uſque ad Danubii ripam ſitum oppidum contendit; ibique obvium exercitum, & funus paternum tradente Mehemete, in manus & poteſtatem accepit; deinde eodem quo venerat itinere, reverſus eſt Byzantium, exercitu ſubſequi juſſo; ut quæ ad paterni funeris exequias pompámque ſpectarent, impenſius ſe præſente curarentur: quo quum pervenisſet, Georgium Hoſſutotium, quem initio belli ad Solimanum à Cæſare miſſum fuiſſe docuimus, abſque ullo reſponſo dimiſit, retento Alberto de Wis, ordinario lega[t]o, illique haud procul ultra Adrianupolim exanimis Solimanus, tanti nominis & claritudinis imperator, quadringentis plus minus equitibus comitatus curruque agreſti Bulgarico, & diſcoloribus equis vectos, obviam adductus haud leve rerum humanarum inconſtantiæ ac volubilitatis exemplum præbuit.

Hoſſutotius abſque ullo reſponſo ad Cæſarem à Selymo dimittitur.

Tahius Caniſæ à Cæſare præficitur.
Ut Sighetanas eruptiones prohibeat.

At Cæſar, priuſquam ex caſtris abiret, ut eruptionis ex Sighetio hoſtibus obicem opponeret, utili conſilio neceſſarioque Franciſcum Tahium, virum militiæ clarum & induſtrium Caniſam cum mille equitibus, ac totidem peditibus dimiſit; quum quæ arx ex Urſulæ Caniſiæ, Nadaſdii Palatini viduæ juris eſſet, permutatione cum illa facta, traditoque ei Borſmonoſtrano cœnobio, illam in utire imprimis, ejuſque præſidiatus, defenſionis Pannoniæ ſimul & Illyrici interius fore juſſit. Suſcepit curam libens Tahius, & abiere cum eo complures clari nominis præfecti & centuriones. Petrus Queglevitius, Petri ſenioris filius, qui erat Cæſaris prægustator & dapifer, gigantææ ferè proceritatis, ſed ſingularis elegantiæ & virtutis juvenis, ideoque omnibus, ipſique imprimis Cæſari charus, ac Matthæus ejus frater, Joannes Alapianus cum Gaſpare filio, nuper clade Sighetana capto, liberatóque. Franciſcus Geſtius, Georgius Palaticius, compluresque alii. Tahius etiam Gaſparis Bothi arcem Caniſæ ad unius ſtadii iter vicinam, quæ ſancti Georgii vocatur, pro ſpecula munivit, atque turmam centenariam equitum, cum totidem peditibus pro cuſtodia attribuit.

Turcæ noſtros in inſidias pellectas cædunt.

Sed quum arcem Berzentiam à Clemente Salaio vacuam relictam, quæ amplius quadraginta dies habitatoribus caruerat, incertum, quibus de cauſis occupare neglexiſſet, Turcæ priores eam ingreſſi munierunt, præſidióque firmarunt, accidítque paulò pòſt, gravi noſtrorum infortunio atque incommodo, ut abſente Tahio, hoſtes ex ea magno numero excurrentes ad Rechem pagum propinquum inſidias collocarent, noſtroſque incautos ad eas refugiendo pertraherent, atroxque & cruentum prælium cum noſtris contraherent; in quo prælio Petrus Queglevitius, in quem unum omnes Turcæ animos atque arma obverterant, ſummo cum omnium dolore fuit interfectus.

1566.
Keglevitius perit.

Nec multò pòſt nocte intempeſtâ, Gaſparem quòque Bothum in ſua ſancti Georgii ſpecula invaſerunt, ac vallum, quod arcis ipſius muro conjunctum erat, captum expugnarunt, abductiſque ex eo equis & militum ſupellectili, ac aliquot captivis, ſuccenderunt. Bothus tamen, ut erat egregiâ virtute juvenis, arcem quamquam ſeriò & magnis viribus ab hoſtibus oppugnatam fortiter ſervavit. Eodem itineris curſu Turcæ ignari Tahium revertiſſe, oppidum Caniſianum, recens vallo è roboribus facto conſtructum, nec tamen argilla paleis de more Pannonicarum munitionum durata obductum, ſilentio quidem noctis aggreſſi, ſecuribus & dolabris dejicere contenderunt. Verùm à Tahio, quamquam tunc fortè obtingentes articulorum dolores pedibus manibuſque capto, ſed à ſuis ocyus ad equum translato, multis amiſſis rejecti, re infectâ diſceſſerunt, qui in pugna Omerbego equitum præfecto, qui è Niclospurgo Moraviæ oppido, dum Ladislai Quereceni captivus eſſet, miro aſtu caſúque evaſerat, dextra manus detruncata fuit, dum bipenne vallum diſſecare niteretur, multique alii ſclopetorum glandibus interfecti, quorum capita Tahius, ſupra illud ipſum vallum perticis infixa collocavit.

Caniſiam aggreſſi repelluntur cum ſuorum occiſione.

Obiêre eo anno poſt ſoluta caſtra viri illuſtres, Andreas Bathorius, Franciſcus Battianius, & Petrus Erdodius. Et Bathorium quidem Cæſar Ungaricis copiis, quas in caſtris habebat, præfecerat, tametſi ob ſævos & continuos articulorum dolores, inſtar Antonii Levæ ſellâ geſtaretur. Sed is vigilando, agendo, cunctaque periti ducis munia naviter exequendo, officio ſatisfecit. Cùmque ipſis in caſtris in morbum incidiſſet, profluvio etiam alvi accedente, ejus vim ſuperare non potuit, itaque ad Deveniam arcem, ad Danubii & Moravæ confluentem, in limite Auſtriæ ſitam, delatus è vivis exceſſit. Battianium octogenario proximum, ac quatuor regum familiaritate inſignem, dumque ætas & vires ferebant, manu conſilioque promptum, matura mors vitæ exemit, qui quòd liberis orbus eſſet, arces fortunaſque ampliſſimas, quas liberalitate principum erat conſequutus, Balthaſari è patruo Chriſtophoro nepoti reliquit. Erdodio, quum filiam Stephano Derſſiu elocaſſet, ac è nuptiis in Illyricum reverteretur, fata finem vitæ impoſuêre; Vito eumprimis domi foriſque claro. Obiit etiam Joannes Giulanus, admodum adoleſcens, cui Battianius erat avunculus, aquâ intercute ſublatus; cujus immatura mors eò gravior improſperiorque accidit, quòd quum multâ generis claritudine polleret, formæque præſtantiâ omnes æquales anteiret, nullos poſt ſe hæredes moriens reliquiſſet.

Obiêre eodem anno, viri rebus præclare geſtis illuſtres, And. Bathorius. Franciſcus Battianus. Petrus Erdodius

Obiit & Joannes Giulanus

1567. # DE REBUS HUNGARICIS 1567.

LIBER XXIV.

Suendius ſuſtinendi potiùs quam inferendi belli conſilium Cæſari infeliciter ſuggeſſerat.

His rebus in hunc modum ſatis infeliciter adminiſtratis, regnoque Pannoniæ, dum Cæſar maleſanis innixus conſiliis, ſuſtinendi potiùs quàm inferendi belli rationem amplectitur, ſupremam adeuore cladem, Suendius eadem ſequutus conſilia, quorum ipſe auctor eſſe ferebatur, & qui per totum id tempus, quorſum hoſtium conſilia renderent, è Caſſoviæ mænibus proſpectaverat, inſequentem biemem io armis & caſtris tranſegit: arcibus Georgii Bebeci, qui à Cæſaris veluti Pannoniæ Regis fide impudenter deſciverat, perdomandis operam omnem impendens. Cujus rei ſeriem, ac motus indè ſubſequutos, quo potero breviùs, hoc loco expediam; quandoquidem his initiia parum abfuit, quio tota belli moles redintegraretur.

Bebecus fraude Haſanis captus, Byzantium miſſus,

Igitur is, ut ſuprà memoravimus, ante biennium dum à quodam transfuga deceptus, Haſanem Fileci præfectum per inſidias in poteſtatem redigere contendit, io manus hoſtium ioeiderat, atque ab iis Byzantium miſſus fuerat. Ubi diuturnæ ſervitutis pertæſus, primò ad Maximiliani Cæſaris implorandam opem confugerat: & ſi in propoſito perſtitiſſet, haud dubiè libertatem ejus operâ fuiſſet conſecutus, quemadmodum paulò antè pater Ferdinandus, Augeſtii legati operâ, Hiſpanos duces in terra Africa captos, & ipſe Maximilianus Joannem Cruſitium, cum aliis nonnullis liberaliter dimiſſum, impetraverat. Sed mox Bebecus ſolitâ impulſus animi levitate, mutaverat animum, ac fuſis ad Joannem Sigiſmundum, quem à Solimano diligi oon ignorabat, aſſiduis precibus lachrymiſque evicit, ut pro ſe apud Solimanum laboraret, ſummam ei fidem obſequiúmque pollicitus.

Tranſilvani deprecatione libertati reſtituitur.

Itaque eum Solimanus Joannis precibus expugnatus, cuſtodiâ emittit, equiſque & veſtibus ac armis & pecuniâ donatum in Tranſilvaniam ire jubet, ubi ſtatim copiarum ſummum imperium, ac provinciæ adminiſtrationem, atque ad ſui ſuſtentationem, duas arces Baioniam & Deſnoneum dono accepit.

Provinciæque adminiſtratio eidem creditur.

Tametſi verò Bebeci uxor Sophia Patrocia, in partibus Cæſarianis munitiſſimam arcem Saduariam editiſſimo monte impoſitam inhabitaret; quum tamen ad Suendium eſſet allatum, illum in Tranſilvania res novas moliri, & alioquin ejus inconſtantiam ſuſpectam haberet, difficillimo anni tempore militibus, ut ſe in caſtra pararent, edixit, ne ab illo Turcicis & Tranſilvanicis auxiliis adjuto, imparatus prævenirettur; & res hactenus utcunque circa Caſſoviam pacatæ, inconſultâ ejus viri audaciâ turbarentur.

Suendius tentatis copiis Bebecianas arces oppugnat.

Simonem Forgacium ex bibernis, Johannem Ruberum, equitatui Germanico præpoſitum è Varanone, ac Jacobum Ranungerium Tocaio evocat, negotium curandorum tormentorum Rudolpho Salicco è Rhetis & Lepontiis, Helvetiorum ſocietate claris, quos vulgus Griſones vocat, oriundo committit. Ante omnia autem alteram arcem Sendronem, ad Bolduam amnem ſitam, in cujus oppido præſidium Cæſarianum Filecienſibus Turcis oppoſitum agitabat, io quam præſidiariis liber erat acceſſus, occupari jubet, ejectíſque facili negotio Bebecianis, Germanos milites imponit.

Sendronem arcem capit

Cæterùm communi ducum conſilio decernitur duo caſtella è materia duobus in locis extrui debere, eáque militari manu munienda, ne Bebecianis tutus exitus aut ingreſſus pateret, atque ut iis, qui intus erant, importandi commeatûs facultas, & rerum neceſſariarum invectio ante omnia eriperetur. Nec diu moratus Suendius, unum in Jabloncia ad rivum pagúmque ejuſdem nominis extruendum curat: alterum in pago Sigligeto, ambóque agricolarum ſeriò manus admoventium opera brevi temporis ſpatio perficiuntur. Huic Petrum Pancam, turmæ equeſtris præfectum; alteri verò Joannem Leucuſium, cognomento Abſtemium præficit: qui tum fortè in quodam pago Gorgone cum ſua equitum Caſſovienſium turma hibernabat. Per hunc modum interclusſo commeatu, & obſeſſis undique itineribus, uxorem Bebeci auxiliis deſtitutam, vel ad deditionis conditiones amplectendas cogi, vel maritum ad Cæſaris partes pertrahi poſſe arbitrabatur.

Saduariam acri obſidione premit.

Bebecus de his rebus ab uxore in Tranſilvaniam certior redditus, cùm inuſitatis hiberni temporis frigoribus, nulla ferendi auxilii ſpes eſſet, Colomanum Balaium, clarum equitem Caſſoviam ad Suendium mittit: cui ab ſe à teneris educato, propter egregiam fidem & virtutem, multum tribuere erat ſolitus. Summa mandatorum erat, ut apud Cæſarem operam, auctoritatémque ſuam interponeret, quâ in gratiam reciperetur: ac ut quadraginta millia aureorum, quæ Tranſilvanus Turcicis purpuratis pro eo redimendo numeraſſe dicebatur, illi ſolverentur; Sendronis munitio eductis illinc Germanis reſtitueretur: Sacolcia urbs, in finibus Moraviæ ſita ei traderetur, in qua conjugem cum liberis collocaret. Suendius haud ignarus ea è Bebeco extrahendi potiùs temporis cauſa, quàm ſincerè proponi, audito Colomano reſpondit, ſe de iis, quæ peteret ne verbum quidem cum eo collocuturum, niſi priùs Sigiſmundum Tordam, virum doctum, regiorum proventuum curatorem ſub fide ad ſe vocatum, ac contra jus faſque retentum cuſtodiâ emitteret. Quibus à Colomano intellectis uxori perſcripſit, ut illum ad Suendium ire permitteret, ita ut datâ ſyngraphâ caveret, promitteretque, ſe iterum rediturum.

Bebecus à Cæſare in gratiam recipi ſubdolè flagitat.

Verùm Suendius cognitâ re, eum de Bebeco ejúſque rebus diſſerentem nec audire voluit, nec admittere; reſcripſitque Bebeco, ſi quid rectè actum vellet, ut Sigiſmundo & ſyngrapham & fidem, quâ ſe rediturum obligaverat, remitteret, illúmque redire parantem, adhibitis cuſtodibus retinuit. Bebecus ne Cæſarem & Suendium magis ac magis offenderet, ſuámque & conjugis cauſam inſolentiore facto turbaret, Suendio æqua monenti paruit, Tordámque liberum & ablo-

Sigiſm. Torda à Bebeco juſſu Suendii liber dimittitur.

1567. abſolutum eſſe juſſit, dimiſitque. Exinde è Tranſilvania ad arcem Bajoniam, non procul Varadino venit, ut propiore in loco conſtitutus, facilius atque celeriùs de rebus, quæ inſtarent, agere poſſet; Ladislaumque Lorandffium illinc ad Suendium cum novis mandatis miſit, quorum hæc erat ſumma: ſe ſtatuiſſe ad Cæſarem ſinceratâ fide reverti; petere itaque ut caſtella, quæ adverſus Sadvariam erecta eſſent, demoliretur, ac poteſtatem ſibi per literas daret veniendi Caſſoviam, ac de conditionibus tranſigendi; aut ſi id commodo Suendii fieri poſſet, ut ambo colloquii cauſa Tocajum convenirent; ſe vel nunc eo iturum fuiſſe, niſi à Joanne Sigiſmundo vel invitus, ac affectam valetudinem excuſans, ad portam Budenſem legatus mitteretur; fraude animadverſâ, & ab exploratoribus quoque cognitâ, Suendius non eſſe illi conveniendi facultatem concedendam reſpondit, qui ad Turcas adverſum ſe concitandos Budam proficiſcatur; ideo ſi fidelem animum habeat, mitteret ambages, & repudiatâ Turcarum ſocietate ad Bajoniam reverteretur, atque illic ſe clementiæ Cæſaris traderet, quem antea quoque benigniſſimum & indulgentiſſimum principem fuiſſet expertus. Hujuſmodi reſponſum Lorandffius Bebeco Budam perſcripſit: ipſe autem Sadvariæ apud illius conjugem ſubſtitit.

Bebecus eum doloſis mandatis iterum ad Suendiũ mittit.

Interea Suendius Idibus Januariis Caſſoviâ profectus in omnes partes vigilando atque agendo acriorem obſidionem inſtituere, ac caſtra propiùs arcem promovere cepit: quæ etiam adventu Ferdinandi Hardecci, ac Joan. Petri Ruſſelli è Scodrune aucta fuêre. Curanti hæc Suendio, ac omnibus viribus ad perdomandam arcem intento, Andreas Balogus, qui ejus nominis arci præerat, certius nunciavit, Bebecum Fileci apud Turcas eſſe, ac CCC. pedites partim ſuos, partim Turcas mercede conductos habere, atque in id totis viribus incumbere, ut obſeſſis auxilium ferre, eoſque in arcem introducere queat. Eodem tempore Suendius Forgacium juſſerat, ut miſſis idoneis militibus, de Bebeci & Turcarum conſiliis aliquid certi atque explorati adferrent. Quod ille ſingulari diligentiâ exequutus, paulò pòſt tres Bebeci equites interceptos ad Suendium adduxit: à quibus intellectum eſt, Bebecum cum peditum cohortibus ſubſequi, ut illis introductis ſubſidio obſeſſis eſſe poſſit, donec majora auxilia adcurrant. Itaque vias omnes cuſtodiri, & in caſtellis excubias agi, & ſi quid viſum auditumque foret, ſibi tum celerioribus nunciis, tum tormentorum bombis ſine mora ſignificari jubet. At Bebecus quum ex iis, qui fortè refugerant, tres illos equites interceptos, adventumque ſuum cum cohortibus ad Cæſarianos perlatum eſſe; tum vias omnes à Forgacio & Rubero aliquot in locis obſeſſas animadvertiſſet, Filecum unde venerat ſe recepit. Ejus receptûs uxor ignara, nec adhuc de mariti ſuppetiis deſperans, à tormentis in caſtra & aggeres explodendis & dirigendis, non ſine gravi commeantium periculo, minimè ceſſabat, ac ad voces & literas deditionem poſcentium, ſe quidem fœminam minimè bello aſſuetam, neque tamen tam imbelli atque degenero animo eſſe reſpondebat, ut ſolâ verborum ferocitate terreretur, ac nullâ factâ defenſione, quæ etiam brutis animalibus ſuis in latebris defendentibus, naturæ quodam inſtinctu indita eſſe videmus, arce ſuâ excedat, proinde fortunam qualemcunque experiri conſtituiſſe.

Suendius illo repulſo, acriori obſidione arcem circumvallat.

Bebecus in arcem Turcarũ ſubſidiũ fruſtra introducere conatur.

Bebeci uxor ſe arcemque ſtrenue tuetur.

At Suendius aggeres propiùs arcem erigi, tormentaque in illis collocari, iiſque eam acerrimè concuti juſſit. Sed tanta majorum minorumque tormentorum vis ex arce in Cæſarianos operi intentos emitti cæpit, quorum ingentem & exquiſitam copiam, tam Franciſcus Bebecus pater, quàm poſtea Georgius filius eò ſolerter congeſſerant, ut corbibus terrâ ceſpiteque repletis, inter quos tormenta collocari ſolent, ac ipſis tormentis incredibili eorum vi disjectis & deſtructis nemini in iis perſiſtendi facultas daretur. Quo viſo Suendius milites & magiſtros tormentorum, ipſumque imprimis Rudolphum Saliceum eorum præfectum cohortatus, alios aggeres ac majores & craſſiores cophinos fieri juſſit: quo in opere quum Rudolphus impigre verſaretur, ſuoſque ad laborem voce manuque incitaret, majoris colobrinæ pila ex arce emiſſa, ſupra genu dextrum, immani vulnere ictus concidit, non ſine ſummo Suendii & aliorum dolore; & aggeres iterum diſſipati. Illum ſemianimem extemplo ſublevavit, ac Caſſoviam ad medicos deduci curavit, à quibus quamquam ægre curatus, perpetuò claudicabat. Ejus locum Suendius nemini dedit, ſed omne illud laborioſum ac periculoſum munus ipſe ſibi deſumpſit: refectiſque de nocte iterum magna pertinacique militum æquè ac agreſtium labore aggeribus, & collocatis denuo tormentis, arcem tanto majore vi, ac impetu verberavit: ſuumque tentorium proximè tormenta transferri juſſit ut eò commodiùs & acriùs operi incumberet; relicto interim in caſtris, quæ in proxima valle erant poſita, Forgacio, qui vicariam ei in iis operam præſtaret. 1567.

Salicæus tormentorum præfectus colubrina ictu vulneratus concidit.

Verùm neque acri ejus ſolertiâ, neque ullis artibus promoveri potuit, quin immanium ex arce machinarum impetu aggeres etiam tertio & quarto non ſine multorum militum ſtrage & interitu perfringerentur, & noſtrorum quoque tormenta, perfractis axibus, & rotis inutilia redderentur. Unde Suendius dolore atque iracundiâ percitus, adhibitis Rubero & Forgacio, cæteriſque ducibus, militari conſtantia aggeres & cophinos, ingentibus roborum trabibus interjectis, arenâ & ceſpite opplevit, ac alia, quæ in promptu erant curulia tormenta, in iis collocavit, firmavitque ita, ut amplius ex arce moverti ac disjici nequirent. Nec eâ unâ oppugnationis viâ contentus, alium quoque aggerem non procul ab arcis porta, non ſine ſummo ſuo & militum diſcrimine inſtituit, eo propoſito, ut duobus ſimul locis eam quaſſandam ſuſciperet. Quo quidem in aggere, quum hortando, laborandoque, ac eos, qui in opere erant, ut celeriùs perficerent, incitando feſſus, nonnihil in vicinæ rupis crepidine conſediſſet, ac capite aliquantulum extaret, quòd eſſet decorâ proceritate conſpicuus, periculoſo admodum majoris pilæ ictu ex arce ita eſt perſtrictus, ut veſtimenta ejus omnia, unà cum ſuperiori, quod ad pellendum frigus pellibus lupinis ſuffultum erat, uſque ad interiorem tunicam, circa collum & humerum citiſſimè abraderentur, illæſo tamen corpore; Diis ſuperis profectò vitæ & ſaluti clariſſimi viri præſentiſſimam opem ferentibus.

Aggeres noſtri tertio & quarto, immaniũ ex arce machinarum impetu disjecti.

Firmantur iterum validis roborum trabibus.

Suendius periculoſo majoris pilæ ictu perſtringitur.

Diſpoſitis ergo in eum modum tormentis, arx duobus è locis, majori quàm antea vi quatriduum inceſſanter concuſſa eſt, uſque adeo converſiam vindictam omnium animis, ut nemo defenſorum in muris & propugnaculis ſine certa pernicie conſiſtere poſſet: & murus, quem Bebeciani impenetrabilem eſſe, nec ullis

Arx acerrimè per quatriduum concuſſa eſt.

1567. Iis machinis dirui poſſe putabant, ab alto ad ima uſque fundamenta maximum hiatum feciſſe videretur. Alterâ etiam ex parte penes arcis portam murus frequentibus pilarum ictibus pertuſus, magno cum fragore prociderat. Quinto poſt die, quum aggerea firmiore loco conſtituiſſent, & quum nihil à diruendis mœnibus ceſſaretur, ferreæ ingentes pilæ in arcis mœnia contortæ ſunt, eaque latè procidentia, non ſolùm Sophiæ Patociæ muliebrem animum, ſed etiam Petrum Saffanium Bebeci legatum, atque alios ferè omnes, qui in arce erant, haud inani metu perterruerunt.

Itaque ad ſummam redacti deſperationem, Petro Ebeccio, haud obſcuri nominis equiti permiſerunt, ut è feneſtra quapiam in caſtra de deditione proloqueretur. Re ad Suendium delatâ, qui tunc in caſtra fortè deſcenderat, ac poteſtate ab eo conceſſa, mittitur ex arce Paulus Peteo, qui nomine cæterorum Forgacium intromitti in arcem petebat, ut cum eo de deditione ejusque conditionibus tranſigeretur. Sed Suendius neque ad ſuam, neque Forgacii dignitatem pertinere putabat, illum ad dubiæ fidei homines, Turcarum ſocios ingredi, Paulum, negatu eo quod petebat remiſit, ſimulque addidit ſe, niſi eo die convenirent, occaſione uſurum, captaque arce, nemini poſtea parciturum. Quæ quum ipſe ad obſeſſos pertuliſſet, non ita diu poſt venit in caſtra Lupus Viſelenius, vir militaris, & vetus Beberi equitum ductor, ac poſt paucos collatos ſermones, annitente etiam Forgacio, qui cum calamitoſa muliere humaniùs agendum cenſebat, iis cum Suendio conditionibus tranſegit, ut exeunti arce conjugi Bebeci, omnes res privataſque opes, quaſcunque vellet auferre liceret, præter tormenta curulia, ac eorum apparatum tuendæ arci neceſſarium, equoſque mariti militares. Viſelenio conditionibus ſubſcribente, ac obſidibus Ladislao Lorandfio, & Paulo Darvaſſio apud Suendium relictis in arcem reverſo, omnes qui in ea erant, rebus convaſatis, ac in plauſtra, quæ Cæſariani dederant, oneratis, ad XIV. Januarii diem exierunt; ac jubente Suendio, Forgacius, Ruberus, & Ramingerius in eam cum ſuis equitum alis, cohortibuſque peditum ingrediuntur: deligitur queGaſpar Magocius, & Petrus Panca, qui Patociam & ſuos, ab omni injuria defenſos, Tornam uſque deduxerunt.

Bebeci uxor Patocia certis conditionibus arcem Suendio dedit XIV. die Januarii.

Jam Bebeeus cum ſuis & Turcarum auxiliis haud contemnendis Sombatum pervenerat, quod eſt oppidum ad Rimam amnem ſitum, obſeſſis opem laturus, eo propoſito, ut cum Suendianis prælii fortunam periclitaretur, aut ſi viribus impar foret, tricenariam cohortem, hunc in finem ſecum adductam, ſub prælii tempus intromitteret, quum conjugem & milites ſuos arce per conditiones traditâ exceſſiſſe cognovit, mæſtuſque & adverſam fortunam incuſans, Filecum rediit; indeque quum uxor ſe Baionia in arce ei conjunxiſſet, ambo in Tranſilvaniam conceſſerunt. Suendius quòque Saduariâ citiùs, quàm ſperaret potitus, cæteris etiam Bebeci arcibus facili negotio per deditionem in poteſtatem redactis, quòd ſævis Boreæ flatibus profundæ nives terram cooperuiſſent, & copiis aliquantum quietis dandum arbitraretur, Caſſoviam reverſus eſt. Ubi quum paucos dies quieti, otioque indulſiſſet, Muncacium in Beregiana provincia ſitum, & Huſtum Matamatuliæ caput, fodinis lapidei ſalis, ac origine Tibiſci fluminis celeberrimum, quæ loca extra Tranſilvaniæ fines ſita, Joannes Sigiſmundus pactis, quæ per Somlianum & Niſoccium biennio ante cum Suendio in caſtris Erdodianis intervenerant, reſtituere debebat, obſidione cingere decrevit. Igitur ducibus, quos in conſilium vocaverat, voluntatem ſuam aperit, quidve de ea ipſi ſentiant, paucis verbis exquirit.

Bebecus ſera uxori auxilia adducit.

Suendius concilium de Muncacio obſidendo convocat.

Forgacio, quem primo loco dicere voluerat, “longè fore conſultius videbatur, ſi ancipiti bello abſtineret, quandoquidem inquiebat, ubi Joannes Sigiſmundus illata ſibi & finibus ſuis arma viderit, nequaquam ceſſaturus ſit, quin & ſuas vires opponat, & Turcas eorumque principem Selimum, cujus ſe clientem profitetur, infeſtis armis adversùs eum & Cæſarem concitet, noviſque & periculoſis bellorum procellis denuo involvat, quibus acerbiſſima rerum omnium confuſione, divina atque humana ſurſum atque deorſum fœdè permiſceantur. Satis eum jam famæ & gloriæ ſuæ, ſatis Cæſaris & exercitûs de ſe expectationi feciſſe, quum dilatatis finibus vendicatóque è manibus perduellium Pannoniæ regno, ad Tranſilvaniam uſque & radices alpium, quæ eam à Pannonia dividunt, victricibus armis celeriter percurrendo, metas & terminos protuliſſet, non eſſe in duabus illis arcibus tantum præſidii aut momenti poſitum, ut omnia hactenus tot & tantis ejus cura & laboribus ſudoréque & ſanguine militum parta, dubiæ Martis aleæ ac incertis fortunæ caſibus temerè objicienda exiſtimet. Cauti temperatique ducis munus eſſe victoriæ modum imponere, ac arridentis fortunæ beneficio eâ moderatione uti, ne quum illa lubrica & vitrea dici ſoleat, puncto temporis frangatur, & tum demum nos vel maximè facti pœniteat. Quæ quidem tametſi imprimis, acri judicio conſideranda ſint: ſupra tamen ea omnia iis belli inferendi cogitationibus magno eſſe obſtaculo alieniſſimum anni tempus, profundas nives, acre frigus, magnam commeatûs penuriam, non minorem vehendis tormentis jumentorum paucitatem, &, quod caput eſt, copiarum & exercitûs, quibus deſtinata animo perfici poſſint, numerum vehementer imminutum: quum multæ cohortes ac equitum turmæ, fine militiæ facto, nuper admodum exauctoratæ ſint, nec aliæ in diſcedentium locum huc adductæ.”

Forgacius id bellum omnino diſſuadet.

Huic ſententiæ Ruberus, quamquam pugnax & promptus haberetur, ac Joannes Vernerus Rattenavius legionariorum militum tribunus, cæterique duces abſque cunctatione ſubſcripſerunt. Solus Ramingerius ſivè verè, quod ſentiret, proloquutus, ſive ut fieri plerumque ſolet, Suendius aſſentari volens, eum præclarè ſemper ac feliciter bella gerere ſolitum, ne meditatum hoc quòque tempore facinus intermitteret, ſed cæteris rebus fortiſſimè geſtis, hunc quaſi colophonem adderet, in propoſito confirmavit; eoque impulit, ut ille ne quâ factâ morâ copias in caſtra convenire juberent, ducibus e templò imperaret. Promotis Unguarium copiis, ac ob hiemis ſævitiem per oppida ac adjacentes pagos diſtributis, Forgacium cum parte earum præmiſit, additis mandatis, ut pontem Latoreio flumini impoſitum, qui ex alpibus carpathiis è finibus Poloniæ decurrens, inter oppidum Muncacium & arcem profluit, occupare, & munire, tuerique omnibus viribus contendat.

Ejus ſententia aſſentiur Ruberus & Ratenavius aliique, excepta Rammagera.

A quo in ſententia confirmatus Muncacium caſtra promovet.

1567. tendat; provideatque ne oppidum illud ſuſcipiendis hoſpitio militibus opportunum, injecto ab hoſtibus igne concremetur. Ipſe biduo pòſt cum reliqua parte exercitûs ſuſcepto itinere, relicta ad lævam Serednia Dobonum arce, ad XVII. diem Februarii Muncacium venit, ac haud procul ab arce conſedit. Nec mora, factis ſcrobibus & aggeribus, protractiſque majoribus tormentis, arcem duobus in locis acerrimè verberari juſſit.

Muncacii ſitus,

Ea eſt ad rupem miro naturæ artificio, patentibus in campis, nulla montium contigua ſerie enatam ædificata: quam Theodorus Queriatovitius princeps Rutenus, quum Caroli & Ludovici Pannoniæ regum permiſſu arci dominaretur, magno, ut videre eſt, & indomito labore, præalta & profunda foſſa in ſaxeo ſolo circumcinxit, ac propugnaculis munivit: quum tamen illa antiquitùs peculio reginarum Ungariæ attributa fuiſſet. *& expugnatio difficilis.* Expugnatio videbatur omnium judicio futura difficilis atque dubia, ſi defenſorea viri fuiſſent: tum quia aſperrimo rigente gelu milites in caſtris diutiùs perdurare nequaquam poſſe videbantur; tum vero etiamſi dirutâ arce, dejectiſque propugnaculis, oppugnatio inſtituenda foret, foſſa lata profundaque ſuperari nullo modo poterat. Huic Joannes Sigiſmundus Joannem Lugaſſium è provincia Severiniana ſemivalarhum præfecerat, obſcuri generis ineſficaciſque animi hominem, addito collega Demetrio Querepecio; ſed qui reditus tantùm arcis annuos curaret, quos illa ex vino, & rebus omnibus ad victum neceſſariis habet opulentiſſimos: ſed præcipuè maximo ex ſuibus, qui in vaſtiſſimis glandiferarum ſilvarum receſſibus, ad multa millia ſaginari quotannis ſolent, emolumento pollet proventuque.

Hi ambo bellicarum rerum rudes ac imperiti, ſimul & intempeſtivo præcipitique metu perterriti, quum vix quartum aut quintum obſidionis diem pertuliſſent, & adhuc tam muri, quàm propugnacula integra eſſent, neque de commeatus, qui abundè ſuppetebat, aut rerum defenſioni neceſſariarum penuria quicquam eſſet dubitandum, aut extimeſcendum, degeneri vilique animo fædam deditionem facere decreverunt. Igitur miſſis ad Suendium legatis, XV. dierum inducias poſtularunt; intra quos ſi à Joanne Sigiſmundo è Tranſilvania nulla auxilia mitterentur, tum ſe arce exceſſuros nuntiarunt. Quas quum Suendius indignatus nequaquam conceſſiſſet, quin ſe neque dimidium quidem diei ceſſaturum reſpondiſſet; eiſque, ſi arx vi, ut ſperaret, capi poſſet, certam omnibus perniciem, cædemque interminaretur; legati in arcem reverſi, quum rejectas poſtulationes retuliſſent, iterum aliis cum conditionibus ad Suendium remiſſi ſunt, ut nimirum traditâ arce, cum rebus & ſarcinis, ſubſtantiaque omni exire poſſint. Sed quum neque id obtinuiſſent, extremo perfuſi metu ad arbitrium victoris, nec honeſtam, nec neceſſariam deditionem fecerunt.

Lugaſſius & Querepecius viſi degenerique animo, ad victoris arbitrium deditionem faciunt.

Et Lugaſſius ac Querepecius, nonnullique alii in vincula conjecti, Caſſoviamque perducti ſunt, quorum ille paucua poſt dies, mærore animi extabeſcens interiit, hic verò etiam exactis in carcere aliquot menſibus, libertati reſtitutus, non diu ſupervixit.

Potius ignaviâ præſidiariorum Muncacio incredibili celeritate Suendius, quum Huſtum quoque, quod in Poloniæ & Moldaviæ confinio, editiſſimo in monte ſitum, unius diei itinere Muncacio diſtat, expugnare ſtatuerat, ac partem copiarum præmiſerat, quæ vias ſalebroſas ac ſaxis & prægrandium arborum truncis impeditas, vehendis tormentis expurgarent. 1576. Sed is conatus ad ulteriorem exploratamque victoriam ſuſceptus, ſecundo eventu caruit:

Suendius Turcicis & Tranſilvanicis ſubſidiis deterritus,

Nam ad Suendium, nondum Muncacianis ex caſtris reverſum, certioribus indiciis allatum eſt, Haſanem Temeſvarienſem purpuratum, clade & captivitate Bebeci clarum, ab Joanne Sigiſmundo ſolicitatum, cum quinque millibus Turcarum ac tormentis curulibus in procinctu eſſe, jamque Jasberinium perveniſſe; Ipſe quoque contractis ſummâ celeritate Tranſilvanicis copiis, ac Siculorum equitatu Claudiopolim veniſſe, exercituque per loca oportuna diſtributo occaſionem, qua ſe Turcis conjungeret, præſtolari nuntiabatur.

Huſti oppugnandi conſiliū omittit,

Quapropter ſelictis Huſti oppugnandi conſiliis, quum ſe viribus imparem videret, primo Unguarium, eodem quo venerat, itinere, ac deinde Caſſoviam incolumem exercitum reduxit.

Exercituque reducto Caſſoviā redit.

Et jam miſſionem à Cæſare frequentibus literis, nuntiiſque impetraverat, nec aliud quàm ſucceſſorem ſibi mitti expectabat.

Suendius Stephsiū ad Joannem de pace legat.

Interea tamen Bartholomæum Stephuium ad Joannem Sigiſmundum mittendum cenſuit cum literis, quibus illum à cogitationibus ſtudiiſque belli dehortari contendebat: ſeque, quòd prior bellum intuliſſet, quantum poterat excuſabat, non libidine proferendi imperii id factum, aut turbandæ pacis, ſed quod tabulis ambarum partium ad Erdodium oppidum confectis, jure licuiſſet. Quæ tamen apud exacerbatum vetereſque odii nimis memorem Joan. Sigiſmundi animum, pro tuenda ſua dignitate nullum pondus habuere, quippe qui Stephuium ad ſe ſine literis publicæ fidei venire auſum, retineri, & uſque ad finem belli, adhibitis cuſtodibus, ſervari juſſit: contrà verò Sigiſmundum Segniejum, Cæſarianæ equeſtris alæ ductorem, bello ab ſe captum, & jure jurando promittere adactum, ſe peractâ legatione rediturum, ad Suendium cum epiſtola æquo amariore expedivit, qua verbis ejus credi volebat, nuntiabatque, ſe quotieſcunque ad tractandas cum Cæſare pacis conditiones deſcendiſſet, ſemper inani ſpe deluſum atque deceptum fuiſſe; prout nunc quoque repentino bello præter ejus promiſſa, ac ſuam expectationem illato, pene oppreſſus eſſet.

Cui ille acerbiori epiſtola reſpondet.

Si enim induciis, quas per legatos ſincero animo tractandas ſuſceperat, minimè confiſus fuiſſet, & de Cæſaris egregiâ erga fædus voluntate, meliora ſibi non foret pollicitus, nequaquam ſe rebus omnibus imparatum offendiſſet. Illum quidem Muncatio potiri poſſe, armaque inter nec opinantes & ſpe pacis fretos aliquamdiu circum ferre igneque & ferro in ſuos fines graſſari: Verùm ſe ejus injuriis provocatum, ac vindictæ cupidine flagrantem, jurejurando denuntiare, quod non ſolum Turcarum & Tartarorum feras & immanes nationes, Chriſtianique nominis hoſtes, ſed ipſos etiam Cacodæmones, & furias infernales, aut ſi quid tertius infeſtiuſque dici aut reperiri queat, adverſus ipſum & Cæſarianos concitaturum, atroceſque pœnas de iis veluti concordiæ paciſque contemptoribus ſumpturū.

Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.

Deos autem immortales, ac homines omnes palam teſtari, ſe nec exitiales ejuſmodi belli, nec cædis ac ſanguinis innoxiorum hominū cauſas præbuiſſe; ſed eos, qui ſuperbo & obfirmato animo, ruptis æquiſſimis fæderibus, ac impiè proculcata pace priores bellū atq; arma inferre non dubitaſſent.

Ad

1567.

Reſpondet iterū paucis Suendius

Ad ea Suendius paucis reſpondit, ſe tractatus concordiæ & pacis nec violaſſe, nec exceſſiſſe; neque enim ideo literas fidei Somliano ejus legato ad Cæſarem pacis cauſa profecturo dediſſet, ut ſibi Cæſaris auſpiciis bellum gerenti fraudi eſſent aut ſe inanibus promiſſis circumduci pateretur, quandoquidem ipſe quicquid cis Tibiſcum antea malâ fide poſſediſſet, jam pridem vi pactorum reſtituere debebat, quibus tamen minimè ſtetiſſet: itaque factum ſuum jure meritoque excuſabile videri; ipſum proinde rectè piéque facturum, ſi hujus offenſæ, uti quidem ipſe interpretetur, jure capti Muncacii oblivicendum putet, modumque dolori atque iracundiæ ponat, & Turcas, quos in patriæ perniciem evocaſſet, opurtuno utilique conſilio abſque maleficio remittat. Hoc reſponſo Segnie jus reverſus, priſtinæ cuſtodiæ traditus eſt; nec niſi exitu fineque belli libertatem recuperavit.

Joannis & Turcarum ſententia de bello gerendo.

At Joan. Sigiſmundus, convocatis Bebeco & aliis, ac Gaſpare imprimis Bequeſſio, cujus conſilio ſupra cæteros omnes utebatur, de progreſſu belli ſententias exquiſivit, quæ ferè omnibus ſuffragiis eò conveniebant, ut bipartito illud diviſum adminiſtraretur; quorum alterum ipſe ad recuperandas in finibus arces doceret: altero Haſanes & Turcæ in locis Agriæ & Tocajo propinquis terrorem circumferre, populari, urere, minores munitiones & caſtella invadere, atque hoſtilia quæque exercere, non prætermitterent. Eâ re ab Haſane probatâ, ipſe cum Turcis, qui magno numero ſeſe ad ejus caſtra aggregaverant, nihil cunctatus, arcem Dedeſſam, quæ in ditione Pereniana erat, tormentis aggredi conſtituit. Joan. verò Sigiſmundus ad Civarum ſigna flexit, & tormenta eodem pertrahenda curavit. Ea eſt in provincia Craſna Tranſilvaniæ continua ad flumen Lapoſſum; edito in monte ſita, quod in illis alpibus perpetuâ nive rigentibus ortum, non procul infra oppidum Rivulum Dominarum in Sameſſum illabitur, auctoque eo, ambo poſtea in Tibiſcum volvuntur. Præerat Dedeſſæ Ladiſlaus Cavaſſius, Perenianarum copiarum ſummus dux, illi admodum charus, vir militaris & opulentus, Chriſtophori illius, quem legibus proſcriptum ab Andrea Bithorio in arce Huſtia obſeſſam memoravi, germanus frater, illo tamen moribus ac virtute longè ſuperior, is tum fortè in gravem & lethiferum morbum inciderat, quo etiam, antequam Dedeſſa in poteſtatem hoſtium deveniret, magno militum Pereniique dolore extinctus fuit. Mortuo eo, milites qua cuique viſum fuit, aliis atque aliis, ut fit, excogitatis exeundi cauſis, dilabi cepêre: præter paucos, qui dedecoris & honeſti memores, in arce tuenda omnem fortunam periclitari conſtituerant.

Hasanes Temeſvarienſis arcem Dedeſſā obſidet. Joannes autem ad Civarum ſigna cōvertit.

Ladiſl. Cavaſſius vir militaris arci præf.

illa autē ante arcem captam defuncto.

Milites paſſim dilapſi ſunt.

Interea Stephanus Barius, nobili & honeſta familia ortus, Perenii ipſius eques clari nominis, quum aſſumpta ſecum turma equitum, ad carpendos Turcarum pabulatores, circum caſtra obequitaret, ab eo, qui illis ab injuria defendendis excubabat, equitatu fortè conſpectus, quum impar numero foret, fugam capeſcere, & intento curſu ad Dedeſſam deferri cæpit. Eum ut commilitonem conſpicati ii, qui intus erant, facilè intromiſerunt, fortunæ ſuæ & hoſtilium conſiliorum ignarum. Adfuit e veſtigio Haſanes cum caſtris & tormentis: nec mora, iis prolatis, arx verberari cæpta. Ibi milites perturbato nec tamen remiſſo animo eum ſibi ducem deligunt, ipſeque præſenti neceſſitate coactus, id muneris ſibi deſumit, quod egredi jam ut tutum, ita nec tutum, nec honeſtum putaret. Turcæ, quum per quindecim dies arcem totis viribus oppugnaſſent, nec cepiſſent; tandem variis pollicitationibus illuſos, de ſua, ac rerum omnium incolumitate, ad faciendam deditionem inducere contendebant. Sed quum fruſtra omnia eſſent, ad minas converſi, neminem ſe ex iis vivum relicturos dictitabant. At Stephanus paucitati ſuorum diffiſus ſublato tum ſuis conſilio; quòd jam & mœnia ruinam impendentem minarentur, & retinendæ diutiùs arcis major indies deſperatio creſcere videretur; excogitato dolo, pulveris ſulphurei aliquot cados, in ædificiis & turribus, quæ in media arce erant, in quibus commeatus & res neceſſariæ reconditæ erant, cumulatim diſperſit; funiculo ardente notâ ratione ita injecto, ut ad præſtitutum diei crepuſculi tempus, quo hoſtes in arcem irrupturos putabat, pulvis igne concepto inflammaretur. Itaque ipſe compoſitâ fraude, unà cum ſociis ad primæ noctis tenebras ſummo ſilentio arce egreſſus, deceptis hoſtibus per notos tramites & ſemitas in tutum evaſit.

Barius, ſpe arcis diutius tuendæ abjecta Pulverē ſulphureum ita diſponit, Ut cum Turcæ arcem irrupturi eſſent, igne concepto inflammaretur,

Hoſtes ſolis jubare exorto experrecti, quum magnum in arce ſilentium eſſe, nec quemquam in muris armatum conſiſtere animadvertiſſent, nec excubitorum, ut alias, vocem aut clamorem audirent, id quod erat rati obſeſſos clam ſe ſubduxiſſe, ſcalis extemplo appoſitis, mœnia conſcenderunt, & apertis portis ſocios intromiſerunt. Quum autem fraudis ignari, varias in partes & domicilia prædæ causa confertim catervatimque irruiſſent, pulvis in eum quem diximus modum diſpoſitus, repentino terribilique crepitu ſuccenſus, domos, turrimque ipſam, & magnum Turcarum numerum in ſublime disjecit, & puncto temporis diſcerpſit; ita ut ampliùs quadringenti ex Janiceris & Aſapis, ac alii, qui certatim prædæ inhiabant, fœdum in modum lacerati, exanimatique eſſe dicerentur. Haſanes militum interitum ægerrimè ferens, Stephanoque & noſtris dira omnia, & ſimilem interitum imprecatus, iraque & dolore fremens, eam quoque partem arcis, quæ extabat, funditus dirui, ac ſolo æquari juſſit. Amiſsâ arce, Perenius, uti erat vir crudelis nonnunquam, ac ſeveri judicii, Stephano ad dicendam cauſam diem dixit, quod arcem non ad extremum uſque ſpiritum defendiſſet; atque ad illud judicium multos militares ſimul & togatos viros juris intelligentiâ claros convocavit. Sed ille utpote cui nec præfectura arcis concredita fuiſſet, nec ſe ſacramento ſervandæ illi obſtrinxiſſet, verùm fortuitæ neceſſitatis caſu iſthuc delatus, quod ſuarum erat partium abunde præſtitiſſet, ſuffragiis judicum abſolutus fuit.

Et illi cum magna ſtrage in ſublime rapti necarentur, felici ſane eventu.

Poſtea Turcæ, urendo ubique & populando profecti, magnum agricolarum, majoriſque & minoris pecoris numerum abduxêre. Inde ad Putnocum infeſtis armis ac animis progreſſi, illud vix per tridui ſpatium lentè oppugnatum, ab imbelli & meticuloſo præfecto Michaële Temeſio deditione traditum ceperunt: illumque & ſocios in tutum abire permiſerunt: quumque ulterius terrorem ac incendia, cædeſque, nemine obſiſtente, miſcerent, multa minora atque ignobilia caſtella, in quæ multi mortales confugerant, quòd ſe & ſuam, conjugumque & liberorum ſalutem illis minime credere auderent, vacua relicta, atque ablatis per hoſtes iis, quæ intus erant, ſuccenſa concremataque fuêre. In queis fuêre Gagibatorum, Fiuca, Horbatum, Geſtelia, aliæque munitiones; Vadazum & Monachium vi expugnata ſunt, flammiſque

Inde Turca Putnocū & alia ignobiliora caſtella ſibi ſubjiciūt

ab-

1567.

Vaſtatis ferro flammaque Agria, Tocaji & Caſſoviæ regionibus. Spectante Suendio, nec cum hoſte congredi auſo.

abſumptas, rapto Michaële Monachio nobili viro: qui poſtea haud modico auro ſe redemit. Iſtum deinde eſt pari terrore & clade ad amœniſſimas vini dulcioris, frugumque & pecoris, omniumque rerum ad victum neceſſariarum proventu celeberrimas, Agriæ, Tucaii, Regecii, Caſſoviæque regiones, atque rapta quæque obvia & abducta, adeo ut aliquot millia miſerorum mortalium capta aut cæſa narrentur: domibus & ædificiis omnibus ignis injectus. Dum in hunc modum Cæſariani ad Caſſoviæ ferè ſuburbana omnibus belli incommodis, & calamitatibus exagitatur, Suendius mœnibus incluſus, congreſſum hoſtium cautis conſiliis devitare, luctuoſúmque regionis excidium proſpectare coactus, tum demum facti pænitere, ſéque & infeſtam fortunam incuſare cœpit; quòd ſibi impari viribus, nec à Cæſare novis & opportunis adjuto auxiliis in aciem deſcendere, onuſtóſque prædâ hoſtes aggredi minimè tutum putaret.

Ex alia parte Cuvarũ à Joanne obſidetur

Parte alia Johan. Sigiſmundus Cuvarum acerrimè oppugnare non intermittebat. Duplex ea arx eſt, rudi veterum opere ædificata, Dragfiorum olim ditionis, quam Suendius ante biennium captam Thomæ Viczmandio, & Petro Solionio tuendam commiſerat; qui tamen ab Eraſmo Magerio Szatmarii præfecto evocati, ut quoſdam factionis Tranſilvanicæ milites ad Sentiogum palantes, raptoque viventes ſubito impetu opprimerent, arce excluſi erant, illâ ipſis abſentibus obſidione cinctâ; ducibus tamen viarum peritiſſimis uſi, deceptis hoſtium excubiis, felici auſu introierunt. Poſtquam meridionale exterioris arcis propugnaculum tormentis hoſtium adeo eſſet dirutum, ut duces & præfecti irrumpi poſſe putarent, Bebecus Joannem Saſam prætorianorum peditum centurionem, ac pedites mercede conductos, ut mœnia aggrederentur, cohortatus, acerrimam oppugnationem inſtituit; quæ quum aliquot horis duraſſet, & Cæſariani ſcandentes certatim hoſtes pari virtute procul ſubmoviſſent, tandem Tranſilvani amiſſis è numero ſuorum quampluimis, & Saſa vulnerato receptui cecinerunt: auctâque hoc modo ſpe propugnantium, ac hoſtibus ad vindictam commilitonum ira atque dolore percitis, inſtaurata pugna eſt: ipſoque Joan. Sigiſmundo, cum validis fortiſſimorum militum cohortibus ſingulari audaciâ adcurrente, multâ utrinque cæde editâ, Tranſilvani iterum loco pulſi ac malè habiti pedem retulerunt. Duplicis conatus detrimento permoti, cùm præter eos, qui ceciderant, magna etiam ſauciorum multitudo in caſtris eſſet, per aliquot dies quievêre, nec tamen interea tormentis quicquam ceſſantibus.

Tranſilvani ſemel iterum, acerrimâ factâ irruptione, à noſtris magnâ cæde editâ loco pulſi retrocedunt.

Proinde putabat Bebecus geminam oppugnationem inſtituendam & propugnaculum meridionale, de quo diximus, majore vi tormentorum dejiciendum, ac aliud è regione ejus, novis inſtitutis aggeribus pari modo concutiendum, ut eo admoto terrore, pertinacia Cæſarianorum vinceretur; quæ magno labore militum, abſque cunctatione perfecta fuêre. Sed Viczmandius ubi periculum poſceret, novas opponebat munitiones, ac ſi qui ex hoſtibus murorum ruinas ſubire auſi eſſent, adcurrendo, Germanoſque milites & Ungaros pariter cohortando, cum crebrioribus glandibus ſclopetorum, tum provolutis ingentibus ſaxis, non ſine riſu ſociorum, ac certâ hoſtium pernicie detorbari jubebat. Nonnullos doliola, quæ ſulphureo pulvere ac reſinâ, ac ſiccatis pinaſtrorum radicibus, igni celeriter concipiendo referſerat, obrutos, extinguendiſque veſtibus, quibus flammæ adhæſerant, occupatos, pugnam deſerere compellebat. Quo in opere dum incautiùs verſatur ac cum collega Solionio, & quodam è magiſtris tormentorum, dolium ſulphure plenum tractat, eò forte ſucceſſo corripitur; & uſtulatis miſerabilem in modum vultu, oculiſque & omnibus membris, ſemianimis in proximam domum infertur.

Viczmãdi præclara virtus.

1567.

Ejuſdem miſerrimus caſus.

Propugnatores præfecti caſu perculſi, & quòd totam fere noctem ac inſequentem diem, extruendis munimentis operam impendiſſent, ac cum hoſtibus continenter pugnaſſent, ſtationibus negligentius, ut plerumque accidere ſolet, cuſtoditis, ad curanda corpora ſeceſſerant: quum duo è Tranſilvanis gregarii milites Joannes Deghius, & Michaël Somogius, ſpeculatum hoſtium munitiones caſtris egreſſi, eas armatis vacuas, & ſummum in arce ſilentium animadverterunt. Quo ad principem & Bebecum delato, mox iis jubentibus abſque tubis & tympanis, ocyſſimè procurſum eſt, & per ruinas conſcenſis muris, nemine eorum, qui intus erant, ſentiente, in arcem penetratum, ibi victor Tranſilvanus, cæſis Viczmandio & aliis ad unum omnibus, uno tantum Petro Solionio, altero ex duobus præfectis vivo conſervato, arcem in poteſtatem redegit, XIII. die poſt quam oppugnari cœptâ eſſet.

Noſtris negligentiùs excubias abeuntibus, Arx à Tranſilvanis, omnibus, excepta Salionio cæſis expugnatur. Mox ad Rivulum Dominarũ caſtra promota ſunt.

Ea capta & præſidio firmata, Joannes Sigiſmundus ad Rividum Dominarum caſtra promoveri juſſit, qui locus unius milliaria intervallo à Cuvaro diſtat; de cujus ſitu & ſolo fructuum omnis generis, aurique & argenti feraci, antea diximus. Et urbeculâ quidem dedentibus ſe mox Civibus, facili negotio potitus eſt; Sed erat arx & munimentum in angulo mœniorum ad ſolis occaſum, à Melchiore Baláſſio olim extructum, quod poſtea Soendius opportunitate, & amœnitate loci adductus, longè munitius reddiderat, ac mille peditum præſidio cuſtodiendum dederat, quod ex Ungaris & Germanis conſtabat: præfeceratque eis Thomam Savolium tribunum, & ex Germanis Leonardum Groſſium: ii dum Cuvarum oppugnaretur, ſingulari induſtriâ & virtute res neceſſarias comparaverant, foſſas repurgari, corbes & tormenta ſua in locis per mœnia collocari, ſtationes per centurias dividi curaverant. Quanquam autem munitio non muro & lapidibus conſtabat, ſed è materia ſolida & roboribus craſſioribus, terra ad pedes ſex repletis, argillaque, obductis, tumultuario opere erecta erat, tamen pilis tormentorum, quanvis magni ponderis, in ipſa humo hærentibus, ita vim omnem contemnere videbatur, ut Tranſilvanus difficiliorem, quàm exiſtimaverat, oppugnationem experiretur.

Jam Bebecus, apud quem ſummum exercitûs imperium erat, conſilio Somliani & Bequeſſii uſus, promiſſâ obſeſſis incolumitate, ac libero diſceſſu, arcem petere tormentis tranſverſim evibratis, argillam dejicere ac detergere, nudatáque robora ſubjecto igne concremare; ſed quum id fruſtra omne eſſet, & plurimi militum in opere glandibus petiti interirent, ad lentam oppugnationem verti: quæ quum difficilis admodum feſtinanti præſertim ad ulteriora Joanni Sigiſmundo, tædiique plena eſſet, fortuna quæ cùm aliàs, tum in rebus bellicis plurimum poteſt, nec opinato oborto caſu viam aperuit, qua Cæſarianis malè mulctatis, & nullo in virtute præſidio relicto, infeliciter ſuccumbentibus, Tranſilvani voto potirentur. Quum enim magiſtri tormentorum

1567.

Pulvere ſulphureo fortè incenſa, & magnam edente ſtragem.

torum pulverem ſulphureum militibus dividerent, ad ſtationum loca, aliosque uſus perferendum ſcintilla ex ardente fortè funiculo excuſſa magnum reliqui pulveris cumulum, eodem in loco reconditum ſuccendit: qui ingenti editâ ſtrage, ampliùs CCC. ex noſtris milites, ibidem miſerabili nece extinxit & plures ſauciavit: arcemque pluribus in locis, quod è materia conſtaret, puncto temporis inflammavit. His, qui in præſidio erant, partim extinguendo igni intentis, partim cadaveribus ſociorum humandis, ac ſauciorum cura occupatis hoſtes nihil cunctati, incitantibus ducibus, magno ſublato clamore, ad mœnia procurrerunt. Cæſariani nihil ſe animo demittentes, relictis ignibus, ac aliis, ſeſe ad defenſionem parant: & certamen diuturnum atque anceps, in ipſis ruinis, quas tormenta ediderant, contractum eſt.

Tranſilvani acerrimâ oppugnatione inſtant.

Bis Tranſilvani ſubmoti, & multis ex eorum numero interfectis magnoque accepto detrimento, retrofugere coacti, bis pugnam inſtaurarunt; adeo dubiu Martis eventu & victoria, ut Joannes Sigiſmundus ſuos confertim occumbentes miſertus, revocari juberet, & niſi Bebecus, atque alii duces obſtitiſſent, inſiſtendum & pertinaciter pugnandum, nec ullam dandam hoſtibus quietem, aut reſpirandi moram ingeminantes. Tandem novis ſubinde militum ſubſidiis è caſtris advenientibus, & Cæſarianis iniquiſſimâ conditione adverſus invaleſcentium flammarum vim, ac acerrimam hoſtium impreſſionem uno eodemque tempore præliantibus Tranſilvani vallo ſuperato, ſigna in arcem intulerunt.

Bis repulſi à noſtris,

Tandem recentibus ſemper ſubſidiis aucti,

Defenſores multitudine hoſtium è muro in arcis aream pulſi & detruſi; quanquam ad paucos redacti eſſent; tantâ tamen animorum obſtinatione, tanto virium labore ſeſe tuendo, & fortiter pugnando certamen protraxerunt; ut ſpretis deditionem poſcentium vocibus, cruentam hoſtibus & funeſtam victoriam relinquerent; uſque adeo ut Joannes Sigiſmundus tum in præſens, tum poſtea multis audientibus, ſe ſimilem virtutis, & militaris conſtantiæ laudem, ſuis in militibus deſiderare haud obſcurè fateretur. Cæſi omnes ad unum fuêre, nemini enim & præſertim è numero Germanorum, hoſtis ira ac dolore percitus, ac cæde & morte commilitonum exacerbatus parcendum exiſtimavit. Ex hoſtibus quoque ampliùs duo M. cecidêre. Munitio tota juſſu Joannis Sigiſmundi, à fundamentis diruta, & ſolo æquata eſt. Urbs tamen præſidio & rebus neceſſariis in ea relictis, curæ Benedicti Bornemiſſæ commiſſa.

Cum ingenti ſuorum cæde arce potiuntur.

Noſtrosque ad unum omnes occidunt. Ex hoſtibus duo millia cecidêre.

Jam Joannes Sigiſmundus his arridentis fortunæ ſucceſſibus auctus, ingentem animum ſpe & cupidine Caſſoviæ ſub jugum mittendæ impleverat; paratis ubique corruptoribus, à quibus velut unicus horum temporum imperator, veteribus Romanis, qui orbem terrarum armis perdomuiſſent, impudenter æquabatur. Unde rurſus novas diſcordias, nova arma Cæſari inferre, inteſtinasque ſeditiones concitare animo deſtinaverat, ubi brevi pòſt in lucem emerſit, noſque, quantum fieri poterit, ſuo loco explicabimus. Sed in iiſdem caſtris, graviſſimis inteſtinorum doloribus correptus, domumque lecticâ delatus fuit.

Joannes inteſtinorum doloribus correptus domum defertur.

Interea Cæſar à legato, quem Byzantii habebat, Alberto de Wis edoctus, magnas adverſus ſe copias, Europæi equitatus magiſtro, ac Budenſi purpurati ducibus venturas; pertæſus quoque diuturni belli, & detrimentorum, quibus regnum jactari conſpiciebat, necnon Suendii monitis perſuaſus, ut honeſtam pacem dubio & ancipiti bello præferret, in quo hactenus conſiliis cœptisque ſuis rectiſſimâ deliberatione ſuſceptis, adverſa ſibi omnia, hoſtibus verò ſecunda proveniſſent, pacem à Selimo petere conſtituit. Itaque re in Comitiis, quæ Poſonium ad calendas Junias indixerat, publicis ſuffragiis comprobata, Antonium Verantium Epiſcopum Agrienſem antea quoque eo munere functum, ac ex Germanis Chriſtophorum Tiffenbachum legatos Byzantium cum muneribus & pecunia miſit. Quo intellectu Selimus exercitum, quem in Pannoniam mittere volebat, quive jam in itinere eſſe dicebatur revocavit, Joannique Sigiſmundo, ut poſitis armis quietem agitaret, in mandatis dedit. Legatis Byzantium delatis pax non multò pòſt ad octo annos conficitur, inque ea Tranſilvanus comprehenditur iiſdem modis, quibus antea cum Solimano convenerat: cujus cùm aliæ leges & conditiones erant, tùm ut quiſque ſibi id retineret, quod eo bello cepiſſet. Quæ ea partibus Cæſaris, quas amplis & latis terrarum ſpatiis auctas eſſe conſtabat, haud modicum commodum attulêre.

Maximilianus Cæſar ad Selymum legatos, Verantium & Tiffenbachium de pace mittit.

Quæ non multò poſt ad octo annos conficitur.

Ferunt Selymum & purpuratos in concedendis hiſce induciis, plurimas plerumque difficultates nectere ſolitos, ad largiendum, & maturius conficiendum negotium eò proniores fuiſſe, quòd jam tum ſecretioribus conſiliis bellum in Venetos, pro Cypro inſula eis adimenda, ut brevi poſtea evenit, meditarentur. Unum, quod ſtabiliendæ paci obſtaculo eſſe poterat, Byzantii actum fuiſſe videbatur; quum Mehemetes purpuratorum princeps, Selimi gener, tabulas quaſdam quibus deditiorum, ac in utramque partem ſervientium pagorum nomina Arabicis literis à quodam Halule olim ſcripta erant, legatis vel invitis, nec recipere volentibus obtruſiſſet, ac ut Cæſari ini liberam eorum poſſeſſionem Turcis concederent, ſeriò inſtitiſſet. Verùm Cæſar ita reſpondit, ut ſe id quidem haud difficulter conceſſurum fuiſſe diceret, niſi Ungari, quorum res ageretur, pertinaciùs contradicerent, ſeque patrimonia, hæreditatesque ſuas à majoribus ſuis partas, eum in modum diſtrahi atque abalienari nunquam fore paſſuros affirmarent, quin & armis tueri ſtatuiſſent; ſicque ea pagorum conditio perplexa & anceps, eodem in ſtatu relicta eſt.

Selymus bello Cyprio intentus proclivior ad hanc pacem exiſtimatur.

Controverſia de pagis deditiis ex tabulis Halulis renovata.

In ambiguo relicta eſt.

Non multò pòſt Cæſar octennales inducias publicavit, ac comitia Poſonium indixit, in quibus Verantium alterum ex legatis, Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſi, viro pio & docto, dum Verantius Byzantii eſſet, vita functo, ſucceſſorem conſtituit; Tiffenbachum verò Sacmarii præfecit. Induciis opera legatorum per hunc modum confectis, Suendius magnis rebus adverſus Turcas & perduelles præclarè geſtis clarus, abdicata præfectura ſua, & relicto ſui loco in ſuperiori Pannonia Joanne Rubero, donec alius à Cæſare mitteretur; ac conſtituto Caſſoviæ novo ærario, ejusque præfecto primum Gregorio Abſtemio Epiſcopo Chanadienſe declarato, ad Cæſarem venit, ac ab eo liberaliter benevoléque ſuſceptus, ad Germaniæ Comitia Ratiſponam cum eo diſceſſit: & Cæſar illius judicium, qui diſcedens cæterum Rubero commendaverat, ratum habuit, eumque in ea præfectura confirmavit.

Cæſar octennales inducias publicat, Comitia Poſonium indicit.

Verancium Olaho demortuo, Archiepiſcopum Strigonienſem conſtituit, Tiffenbachium Sacmario præficit.

Paulò pòſt dies Comitiorum, quæ Pannoniis Poſonium indicta erant, datis à Cæſare Ratiſpona litteris, in annum ſequentem certis ob cau-

1567. *Suendius, relicto ſui loco Rubero adCæſarem venit. Poſonienſia comitia dilata. An. 1568.*

ſas dilata aſt, quarum aa erat præcipua, quod nonnullos rerum novarum cupidoa, clanculatias cum Tranſilvano collatis conſiliis, partim ſuopte ingenio, partim irrequieturum procetum impulſu, ſecreto adverſùa ſe conſpirâſſe didiciſſet, quorum malaſano atque infido inſtituto, quo minore vi, atqua armorum ſtrepitu poterat, occurreodum eſſe arbitrabatur. Eam tam, niſi ſingulari prudenoia prævenien do coërcuiſſet, multi magnatum in Panoonia mutationum, ac inteſtini ſaditioſique belli ſemina allaturam fuiſſe exiſtimavêre. Quæ quidem, quum in hujus octennalis paria principium inciderint, placuit ordine, quo geſta ſunt explicare.

Conſpirationes quorumdam procerum adverſùs Cæſarem è quorũ numero Balaſſius & Dobo præcipui.

Erant in partibus Cæſaria Johannea Balaſſius, & Stephanus Dobo, ex præcipuis proceribus, viri militares & induſtrii, mutuâ ſibi affinitate juncti, duas anim ſorores Blaſii Suliocci filiaa in matrimonio habebant: ii quamquam à Ferdinando præfecturis, atque arcibus, & fortunis, ſupra quam dici poſſit, libesaliter donati, ac ad honores & Senatoriam dignitatem evecti, magnas opes & divitias erant conſequuti, tamen ſiva oovarum rerum ſpe, atque inde novo divitiatum proventu impulſi, ſiva ingentibua promiſſis à Johanne Sigiſmundo, operâ Georgii Boſcaii (huic tertia Blaſii filia nupta erat) diducti, quando nulla major odii cauſa aderat, rebus quam ſecretiſſimè conſtitutis, vateris Zoli arcem cum oppido, & Levam, quæ in ſua poteſtate erant, illi tradere, ac Nitriam, circumvento per inſidias & ſublato Epiſcopo Paulo Abſtemio, clandeſtinâ interceptione occupara conſtitueſant, iis conſiliia, ut conſcio Selimo & purpuratis, è Tranſilvania cum expeditiſſimo & ſelectiſſimo copiatum numero, per Fileriana & Secoisna Turcatum præſidia, itinare facto celerrimè advolare, ſedéqua belli Nitriam tranalata, ac Poſonio & Tirnavia celesiter occupatis, Cæſarem poſſeſſione Pannoniæ deturbare, ſi que regno exutus, ſe in Germaniam recipere cogeretur.

Hujua conjurationis fundamenta, per Georgium Boſcajum ita arant jacta & compoſita, ut is prætextu inviſendi Hieremiæ filii, quem apud Georgium Draſcovitium Epiſcopum Zagrabienſem habebat, peragrata majori regni parta, Dobonem primum & Balaſſium, affinitate ſibi junctoa, ac demum alioa, quos poſſet ex proceribua, opima eia ſtipendia, arces, copias, latifundia, honores, dignitatéſque pollicendo, in partes traducere conaretur. Datæ illi litaræ ad ſinguloa, quibus, ut fides ai tribueratur, petebat, ſumptuum quod ſatis ſupérque eſſet, largè ſubminiſtratum; currus & equi additi; inter quos unua ſpadiceo colore ſingularis præſtantiæ & velocitatis in majori Aſia emptua, ut ſi effugio opus eſſet, eo uteretur. Adeò autem hæc in occulto agi volebat, ut etiam ab illis, quorum conſiliis utebatur, ad hoc inceptum negotium, fideli ſilentio tegendum, conceptis verbis, novum Sacramentum exigeret.

Boſcaii ſubdola & verſuta technæ

Suſcepta penſitati facinoris cura Boſcajus, multos ex ordina Senatorio adiit, & collatis priùs ſermonibus, ſi quos malè, ut fit, da Cæſare Germaniſque ſentientea, ægro nutantíque animo raperiſſet, iis, quæ habebat mandata, quam facetiſſimè revelabat; tempúſque advenîſſe oſtendebat & occaſionem, qua externæ gentis jugum excurera, ac Cæſaram, qui oppreſſa communi libertate, avarè crudeliterque imperaret, imparatum, & Suendio ac exercitu dimiſſo, ſolia nuvarum induciarum fœderibus confiſum facilè circumvenire poſſent. Adfore validiſſima Turcarum auxilia; eáque in procinctu, neque procul eſſe; copias, pecuniam, tormenta, réſque omnes neceſſarias in promptu haberi; nec aliud deaſſe, quàm vim conſentientium Ungarorum; dummodo ii feſſis patriæ rabus quietem & libertatam armis parare, quam in hac luctuoſa ſarvitute, ignobiles & degeneres exteratum nationum miniſtri eſſe malint. Fertur his atque alia ſermonibus, præter Dobonam & Balaſſium, plures in ſententiam pertraxiſſe, ac Franciſcum imprimis Tahitum, eo tempore in arce Somſedia ad Savum agitantem, nec multum abfuiſſe, quin Draſcovitium quoque, & Nadaſdii Palatini viduam, blandioribus impuſturæ illecebris ſeduxiſſet; cujua rei argumento ſit, quod illi literas ab eo acceptas, tardius ad Cæſarem miſiſſe ferantur, non ſine gravi ejus offenſione; quando nimirum ille jam ad ſuos in Tranſilvaniam fuiſſet savarſus. 1568.

Indiciis quorundam hæc clandeſtina conſilia Cæſari nunciantur.

Quamquam autem hæc inſigni ſilentio agerentur, fieri tamen non potuit, quin Georgius Racocius, Paulus Deregnius, qui Sacmarii Ungaris præerat, & Franciſcus Calvaſſius, veterum equitum ductorea, ac cætari fideles, deferentibus amicis, quos in Tranſilvania habebant; haud inanibus conjecturis, ſubudorarentur, ac ad Rubeſum, recens in Suendii locum ſuffectum opportunè fideliterque deferrent & ab eo Cæſar quamprimum certior redderetur. Acceſſere alia quoque indicia; nam & Mehemetes purpuratorum princeps ob ſimultates, ut credi par eſt, ante triennium contractas, Joanni Sigiſmundo infenſior, ac bello Cyprio Venetis inferendo intentus; literas ejus, quibus Turcarum auxilia, ad res magni adverſua Cæſarem momenti gerendas petebat, Viennam miſſa dicabatur; quibua in literis Ungaros ob inſignem Cæſaria avaritiam, & quod ipſis neglectis exteroa ad officia & præfecturas promoverat, rerum novandarum occaſionem quærere ſignificabat.

Senquir alius mox ſceleris univerſi ſeriem aperit.

Sed poſtea Nicolaus Senquin alius cogitati inſtructique ſceleris ordinem, allatis ad Ruberum Balaſſii litaris, quas in Tranſilvaniam mittebat, clariùs patefecit: is ſe in ſaltu Viglcſiano à Joanne & Lupo Balaſſiis, eas calceamento inſutaa ſecretò accapiſſe referebat, quas ſi in Tranſilvaniam pertuliſſet, magna præmia ab ipſia foret accepturus. Verùm maluiſſe ſe cum Rubero communicare, ne quid adverſùs rempublicam continerent; à quo ad Cæſarem extemplo miſſæ ſunt,

Balaſſius ubi literas ſuas interceptas videt, Cæſarem adit, ſeque purgare excuſat.

Quum Balaſſius interceptas ſuas litteraa, rémque patefactam cognoviſſet, multa prius huc atque illuc animo volvena, daliberabundúſque Viennam venit ſéque apud Cæſarem appoſitis verbis excuſavit: nunquam ſe ejus immanis piaculi atque ſcaleris conſcium fuiſſe, quando à prima adoleſcentia in Ferdinandi patris aula educatus, quidnam virum bonum & nobilam deceret, probè noſſat; ſemperqua omnibus in rabus gloriæ & laudi, bonæque nominis famæ, pace bellóque ſtuduiſſet, nec quicquam fide antiquius habuiſſet; ſe ſuppliciter à Cæſare petare ne malevolis invidiſqua ſuia, qui ſa fictia perfidè atque malitioſè criminibus calumniarentur, eredere vallet: quos ſi nominatim ſibi proferre veller, ſe val legibua patriis, pro regio tribunali illos mendacii convicturum; aut ſi videatur, ſingulari certamina innocentiam ſuam aſſerturum, Ad ea Cæſar molli ſermone, vultuque ad omnem clementiam, animique candorem compoſito, de ejus erga ſe fide nunquam dubitaſſe reſpondit;

ſcire

1568. ſcire ſe certò ipſum ſalutem & exiſtimationem ſuam in diſcrimen temerè nequaquam vocaturum; neque id ignorare, quàm turpe, fœdumque ſit nobilem virum, qualis ipſe ſit, infamiam ſummæ proditionis incurrere, nulla potiſſimum à quoquam injuria affectum; proinde ſe paternè clementérque hortari, ut domum reverſus, ignominiæ dedecoriſque metum, ac eximiam fidei & conſtantiæ laudem, decuſque præ oculis habeat, ac ad futura comitia ſecurus revertatur. Quo dicto dextram ei dedit, & è conclavi exire volentem revocavit, ac ut ſub meridiei tempus, ſibi relaxandi animi cauſa, trahis per urbis plateas, recenti nive oppletas decurſuro, adeſſe non intermitteret monuit; quumque ad horam adfuiſſet, filiam minorem Eliſabetham, poſtea Carolo nono Galliarum Regi deſponſatam, honoris cauſa ab eo circumducendam dedit; ipſe eum conjuge & Anna majori filia, paulò pòſt Philippo Hiſpaniarum regi collocata, alia aurata traha vectus equo juvendem in modum agitato hilariter decurrit. Poſtridie Balaſſius bona ſpe plenus, domum reverſus eſt.

Singularis Cæſarum Balaſſium comitas.

Nec multo pòſt Dobo podagricis doloribus impeditus, cùm venire non poſſet, Ladislaum Zelemerium ſpectatæ integritatis virum, ſorore ſua genitum, ad Cæſarem miſit, iiſdem, quibus Balaſſium, uſurum excuſationibus: deditque in mandatis, ut Johannem Tautromium, arcano Cæſaris conſilio præpoſitum adiret, ac apud illum inimicorum ſuorum calumnias, adverſus ſe invidioſe ac maligne confictas dilueret. Sed & ipſe eodem cum benevoli & propenſi animi reſponſo dimiſſus eſt, admonituſque ut Doboni auctor eſſet, ne ad Comitia tuto venire quicquam dubitaret.

Dobo etiam per Zelemerium calumnias haſce ab inimicis ſibi affingi obtendit.

Re in hunc modum tractatâ, interim tempus Comitiis præſtitutum, Calendæ Sextiles advenere: ac Nobilitas frequens convenire cœpit, eodemque fortè tempore, quo Cæſar navi vectus deſcendit, Dobo quoque & Balaſſius Poſonium venere. Adduxerat prætet ſolitam corporis cuſtodiam, quinque vexilla peditum Germanorum, quibus ſingulæ cohortes tricenariæ ſuberant, eoſque in arce obire vigilias, portarum cuſtodiæ præeſſe, & ſtationes in areis habere juſſerat: eaque res quamquam multorum judicio ſupervacanea, omnibus poſtea comitiis uſurpata, jam in conſuetudinem venit. Sed Nicolaum Bathorium venire cunctantem, ac varias moræ cauſas, miſſo Petro Dotebanio nectentem, quod ſe ob admiſſum Bolcajum in ſuſpicionem adductum noſſet, ita ad Comitia pertraxit, ut & ſumptum ſubminiſtraret, & Ecchium Comitem Salmenſem, ac Franciſcum Turcum, porrecta eis dextra, vades daret, caveretque ne ſibi quicquam metuendum exiſtimaret. Quorſum ille literis vadimonioque fretus brevi adfuit: & deductis ad finem cæteris rebus, Cæſar Senatum convocavit, propoſitaque ſerie totius deprehenſæ conjurationis, ſe reos cuſtodiæ traditorum retulit. Dobo & Balaſſius, haud inani conjectura de ſe, ſaluteque ſua agi animadvertentes, libellum Cæſari obtulerunt quo ne inauditi inſonteſque damnarentur, petebant; literaſque, quibus criminis inſimulabantur, calumnioſè ab inimicis fictas eſſe, idque ad diem, quem Senatus ſtatuat, Cæſarque approbet, ſe idoneis teſtibus comprobaturos affirmabant. Nec interea ſibi deerant, quin favorem principum Senatus Germanorum æque ac Ungarorum, prehenſando atque largiendo ſibi conciliarent, annitenturque, ne iniquis malevolorum de ſe ſermonibus fides locuſque daretur; Cæſarque ne quid durius in ipſos ſtatueret, auctores eſſe vellent. Porrò Senatorum ſuffragia bipartito dividebantur; unis cenſentibus, ut juxta leges, de eis judicium centumvirale in præſentia omnium ordinum fieret; alii, ne comperendinationi locus foret, eos cuſtodiæ tradendos, & poſtmodum legibus agendum ſuadebant. Adhibiti etiam conſilio fuere, ex equeſtri ordine Petrus Utalius, Emericus Saghius, Gregorius Babindalius, & Gabriel Raicus: & diu multumque res agitata in Senatu eſt. Poſtremo vel non modicis ſuffragiis in diverſum euntibus, decernitur, quod Cæſar expetere videbatur, Dobonem & Balaſſium contra leges feciſſe, ideoque in arbitrio Cæſaris poſitum eſſe, quid de illis ſtatuat,

Cæſar in Comitiis Poſonienſibus, ſerie totius conjurationis propoſita, Dobonem & Balaſſium cuſtodiæ tradi petit.

Dobo & Balaſſius contra leges feciſſe à Senatu judicantur Et Cæſaris arbitrio committuntur.

At Dobo & Balaſſius abſtinere interim Senatu juſſi, quamquam effuſus imber ventris & nivibus mixtus repente cecidiſſet, in arcem venerant, ac in veſtibulo curiæ, in qua Senatus habebatur, eventum rei expectabant: quum Cæſar acciri eos juſſit. cùm ingreſſi eſſent, Joannes Liſthius Epiſcopus Veſprimienſis Cancellarius paucis verbis ſententiam exprompſit; ipſos ob occulta cum hoſtibus inita conſilia reos majeſtatis videri; ideoque jubere Cæſarem, ut in cuſtodiam perducantur. Pauca pro ſe dicere volentes, Ecchius Salmenſis juſſu Cæſaris cum prætorianis circumſtetit, ſeque ſequi juſſit, atque ambo in quaſdam ſub tecto habitationes ſeorſim deducti fuere, adhibitique cuſtodes è numero prætorianorum, donec diſcedente Cæſare, ad inferiores ædium partes, clatratis è ferro feneſtris munitas deducerentur. Cum autem nobilitas, quæ erat in Comitio frequens, Andreæ Balaſſii precibus adducta, qui Johannis frater patruelis erat, ducentorum millium aureorum vadimonium promiſiſſet, ſiſtendis judicio ad diem conſtitutum reis, Cæſar, vadibus nequaquam receptis, in ſententia permanſit.

Cuſtodiæ mancipantur.

Poſtero die Senatoribus gratias egit, quòd rem omnem fideli ſilentio tranſmiſiſſent, ac adapertis foribus, cunctiſque ſine diſcrimine intromiſſis, ipſe pauca præfatus, ſcriptum Ungarica lingua conceptum, prælegente Liſthio Cancellario, recitari juſſit: in quo totius conjurationis ſeries prolixe continebatur: & ſimul addebatur, apparere ex variis, quæ interceptæ eſſent, litteris Nicolaum Bathorium, Franciſcum Turcum, Gaſparem Drugetum, Valentinum Magiarum & Lupum Balaſſium (is tamen haud multo antea deceſſerat) hujus conſpirationis haud ignaros fuiſſe, Cæſarem tamen pro ſua benignitate, omnibus in gratiam receptis, ignoviſſe, neque in duos captos, niſi legibus convincantur, quicquam durius agere ſtatuiſſe. Concione dimiſſa, ſupplicibus libellis expediendis vacavit, & paucos poſt dies dimiſſis cohortibus, Viennam reverſus eſt. Ante diſceſſum duas tabellas, per Nicolaum Iſthuanffium Doboni & Balaſſio miſit, quibus nomen ſuum ſubſcripſerat, denuntiabatque ſe, quin primo quoque tempore judicium de eis adminiſtraretur, nequaquam defuturum.

Deſcripta totius conjurationis ſeries narratur.

Reliquis conjuratis venia datur.

Non ſum neſcius Balaſſium & Dobonem tam libellis, quàm ſermone ſuam rectè factorum conſcientiam atque innocentiam frequenter objectaſſe, literaſque illas, quæ ad Johannem Sigiſmundum ſuo nomine datæ erant, annitentibus Rubero & Cruſitio, qui dictorum factorumque ſuorum æmulatores erant, per Stephanum Quendereſium Caſſoviæ confictas, ſigillumque

Balaſſii & Dobonis excuſatiuncula.

1568. falſo eaſculptum aſſeruiſſe, quum tamen nos hæc non aliter, quam ſupra commemoravimus, acta eſſe recordemur, nec liquere ex ampliatione cauſæ quicquam potuerit; rem omnem in medio relinquamus. Srephanum certè Quenderefium, Caproncia oriundum, homioem vafrom & maliriofum, ſacerdotiique deſertorem, ſæpè falſi convictum, ſæpè pro exploratore captum, deinde quadruplatorem domi factum non ignoramus; poſtremo quum à Sciauſio Selimi purpurato V. millia aureorum numûm, exploráturiæ proditionis mercedem clam accepiſſet, deprehenſum, & in Poloniam profugere conantem, ex itinere retractum, & in carcere necatum.

Paulò ante id rempus, quam hæc agerentur, Cæſar aſſiduis precibus ſororis ſuæ Catharinæ fatigatus, quæ à Sigiſmundo Poloniæ Rege, cui matrimonio juncta erat, indignius quam mulierem, illuſtri regioque natam loco deceret, tractabatur, legatum ad illum mittendum cenſuit. cujus verbis pravus illius animus procul ab æquo bonoque deductus, ſalubri admonitione ſanaretur. Quo aotem legationi major ineſſet dignitas, Andreæ Duditio Sbardellaro Epiſcopo Quinqueeccleſiarum, viro utraque lingua erudito, ac rerum eaperientia inſigoi, niſi ambitione & faſtu præceps ruiſſet, id muneris delegavit, qui leniter & amicè regem affinem, ad mutuæ maritalis concordiæ decus hortaretur, pruque ea re Cæſaris erga illum ſtudiis, & quæcunque à grato benevoloque animo proficiſci poſſent, obſequia defert. Is in Poloniam profectus, quamqoam agendo & eaperiundo omnia quæ habebat in mandatis, tæqui contendiſſet, efficere tamen oequaquam potuit, ut rex veræ virtutis oblitus, ad æquas officii conditiones amplectendas adduci poſſet. Id unicum poſt multos labores induſtriamque omnem fruſtra conſumptam ægre obtinuit, ut regina, quam ille vel inſontem diu antè thoru excluſerat, ab eodem legato ad fratrem Cæſarem reduceretur.

Dudiтius Epiſcopus juſſu Cæſaris Catharinam Poloniæ Reginam domum reducit.

Ea per hunc modum reducta, Duditius perſonæ dignitatiſque ſuæ oblitus, non ſine ſumma omnium admiratione, ac famæ nominiſque ſugillatione, ſceleratis inuixus conſiliis, à veræ religionis via, ad damnatos errores deflexit, puellamque, quam inter reginæ famulas inſano amore deperibat, uxorem duxit, ignaroque Cæſare in Poloniam reverſus, nuptias cum ea peregit: t ne denique ea mortua, alteram ea Sboroviorum familia illuſtri viduam, iteratis nuptiis ſibi copulavit; è qua quum liberos ſuſtuliſſet, tandem Bratislaviæ repentina apoplexia correptus, vitam finivit. Haud diſſimili quoque commoræ mentis errure, per ſuperbam & ſtolidæ ambitionis vanitatem, Franciſcus Forgacius Epiſcopus Varadienſis à Cæſare ad Johanoem Sigiſmundum deſcivit: ac primo io Italiam, deinde è Venetiis per Raguſinos, Thraces, Belgradumque & Temeſuarium in Tranſſilvaniam penetravit: non alia Transfugii cauſa, quam quod Epiſcopatum Jaurienſem, quem ipſe poſt obitum Pauli Gregoriancii vehementer eaperebat, Cæſar quamvis in eum propenſior, tamen Coſmi Flureotiæ ducis precibus, muneribuſque expugnatus, Zachariæ Delphino Cardinali contuliſſet. Is ſuo diſceſſu nequaquam contentus Ladislao quoque Giulaffiu, ſororis ſuæ mariro, militari viro, ut ſe abeuntem poſtea ſequeretur, auctor fuit, qui duplici ſe injuria affectum querebatur: una, quod Pornonem, (id collegium ſacerdotum

Duditius amore puellæ è Gynæceo Reginæ inflammatus à vera religione deſciſcit.

Forgacius Epiſcopus Varadienſis ad Ioannis partes tranſit.

Ejuſdemque ſuaſu etiam Giulaffius transfugit.

erat, quam Abbatiam vocant) à Forgacio cootra leges ſibi oppignoratam, ut detineret, Cæſar nequaquam admiſiſſet; altera, quod captivus quidam Turca admodum dives, vi ſibi ademptus foret. Quæ flagitia Cæſar tantu ſilentio tranſmiſit, ut contumaci animu ſpreviſſe eaiſtimaretur. 1568.

Ea, quæ ſequuta eſt hieme, nihil domi foriſque geſtum, quod magnopere memorari expediat. Fuit tamen annus multorum clariſſimorum virorum morte & funeribus inſigois. Nam paulò antequam Balaſſius caperetur, Melchior frater ejus alterum & ſexageſimum natus annum, Viennæ fato functus eſt, vir utraque fortuna clarus, & niſi quis in eo unam firmioris fidei & conſtantiæ laudem deſideraverit, teſtimonio etiam Suendii, ſummus bello dux; eo graviore geminati funeris dolore & jactura, quod triduo ante Balthaſar filius, raræ iodolis & ſpei adoleſcens, quem in pugna Hadadiana, haſtam in adverſo hoſtis pectore perfregiſſe docuimus, pari fato extinctus patrem præceſſiſſet. Franciſcus quoque Zajus, pacis bellique artibus, ac laborioſa ad Solimanum legatione celebris, ipſiuſque melioris per multos annos imperatorii muneris collega, laborumque ſocius, ſed ætate provectior, Caſſoviæ iiſdem ferè diebus expiravit. Sed & Gabriel Perenius, Petri filius, ejuſdem anni æſtate, qua Poloniæ Comitia habebantur, nullo hærede relicto, vitam cum morte commutavit: ejuſque ditio ferè omnis, quæ erat opulentiſſima in fiſcum redacta eſt: Terebeſia arce eacepta, quam uxori, & ea decedente, Georgio Drugeto, ſororis ſuæ filio annuente Cæſare, legaverat. Et in præfectura prætorii ſuffectus eſt Chriſtophorus Orſagus: ſed vix inito magiſtratu, quod eſſet articulorum dolore, membris omnibus diſtortus & deformatus, abſque hæredibus deceſſit, bonis ampliſſimis regio fiſco, magiſtratu autem Stephano Banffio Linduaoo relictis. Verùm Banffiu quoque intra paucos dies accelerata morte abſumpto, Nicolaus Bathorius magiſtratum obtinuit, eumque per aliquot poſtmodum annos, non ſine laude geſſit. Haud diſſimili ſorte Georgium Bebeeum, illuſtri ortum familia, apud Johan Sigiſmundum, ad quem, ut diximus è Solimani carcere liberatus, relicta fortunarum ſuarum ſede, quæ ſub Cæſare erat, maleſanus adductus conſiliis transfugerat, in Tranſſilvania fata ſuſtulerunt: qui quum nullos mares liberos reliquiſſet, arces ejus & bona, pro quibus rantopere armis erat certatum, Cæſaris fiſco ceſſerunt; quod ita vetuſtis Pannoniæ legibus ſancitum habetur, atque in his tribus viris, Pereniorum, Orſagorum & Bebecorum, ut vetus ita illuſtris familia & progenies defecit.

Melchior Balaſſius fato extinguitur, triduoque ante filius ejus Balthaſar, Viennæ. A. 1567.

Franciſ. Zajus pacis belliq; artibus clarus obit.

Item Gabriel Perenius, nullo hærede relicto. A. 1567. 1568.

fort. Chriſt. Orſag. ei in præfectura prætorii ſucceſſit. Sed paulo poſt abſque hærede diſcedit. Banffio & mox Bathorio in dignitate ſuccedunt.

Georg. Bebecus vita defungitur ejuſque bona fiſco Cæſareo cedunt.

Tot & tantas illuſtrium virorum mortes, diverſa orbis terrarum in parte accumulavit fatum Alberti de Wiis, qui ordinaria Byzantii legatione fungebatur, mærore animi, ob indignitatem injuriæ ei à barbaris illatæ conceptum, quam vitio ingraveſcentis ætatis aut morbo acceleratum. Nam quum pomeridiano tempore animi cauſa per urbem equitaret, obviumque fortè habuiſſet Muphtim, qui apud barbaros ſacrorum, & ſuperſtitionis Mahumetanæ ſummus antiſtes habetur, ac inſtar numinis cujuſpiam colitur, nec ipſe conſuetudinis ignarus equo deſcendiſſet, ab Janiceris, qui illum frequentes comitabantur, raptus & equo deturbatus, pugniſque contumelioſè exceptus fuit. Cæterum poſtquam juſtæ & graves querelæ ad vindicandam inſignis injuriæ notam contra jus omnium gentium illatam, nec

Albertus de Wiis legatus Cæſareus Conſtantinopoli obit.

1570. apud Selimum, nec purpuratos quicquam valuiſſent, qui Janiceros, ob negatum ſacrorum principi honorem, ſibi quoque idem fuiſſe facturos affirmabant; ipſe contumeliæ impatiens, experſque ultionis, ideoque inexpiabili animi dolore mærens & contabeſcens, brevi poſt è vivis migravit. Quum adverſus neceſſitatem invalida omnia conſilia eſſent, Cæſar diſſimulata injuria, Carolum Rimum Belgam in defuncti locum Byzantium miſit.

Carolus Rimus Gandavenſis illi ſuccedit.

A. 1570. Malignus frugum proventus ac ſterilitas

Cæterum ut priorem annum variæ illuſtrium virorum mortes luctuoſum & acerbum reddiderunt; ita ſeptuageſimus ſupra mille & quingentos à partu Virginis annus, inſolita fame, & rerum omnium terra naſcentium ſterilitate & penuria ingratam ſui memoriam reliquit. Nam quum continui imbres ſata molliviſſent, ac deinde putre ſolum profundis nivibus ſuperobrutum eſſet, veriſque tempore extrema ſiccitas ingruiſſet, corruptis ubique ſegetibus, tenuem atque inopem meſſem effecêre: ſic ut multa millia agricolarum, quòd frugibus carerent, ad inuſitata conficiendi panis ac eduliorum genera adigerentur: exindéque fieret, ut varii demum peſtilentéſque morbi vulgo emergerent, quibus maxima pars mortalium promiſcui ſexûs paſſim interiret. Tanta tamen in vicinorum Turcarum animis humanitas extitit, ut noſtris extremâ commeatûs difficultate laborantibus; accepta præſenti pecunia, opportunè ſubvenirent; quum fruges in ipſorum regionibus ubertim proveniſſent ac multis in locis ſcrobibus reconditæ, vectæque ab ipſis uſque Thraciæ & Bulgariæ oris, per onerarias naves venum exponerentur.

Ejus, qui ſequutus eſt anni vere nondum adulto, ſupra diras, quas memoravi, infenſæ fortunæ plagas, haud minora, nec minus acerba vulnera, interitu duorum clariſſimorum militiæ, Martiſque luminum, Georgii Thurii, & Franciſci Slunii Comitis Frangepani accepimus; quorum ille Pannoniæ, hic Illyrici reliquiarum enſes & clipei meritò dici poterant. Quum Turcarum mentes animique ſuopte inſtinctu in hos duos viros, admirabili virtute præditos adeo intenti eſſent, ut nihil niſi de eorum nece, aut captivitate cogitarent, quòd nulli, qui cum ipſis arma contuliſſent, cum his aut promptitudine aut irrequieti animi robore comparandi viderentur; tum verò etiam à Selimo admonebantur, omnem moverent lapidem, ut ſive dolo & fraude, uſitatis Turcarum genti artibus, ſive verâ vi capti in poteſtatem inciderent, aut ſi id minus fieri poſſet, è medio tollerentur. Quove commodius excurſionibus continuandis, & inſidiis locandis, excubarent, templum inſigne Monachorum Franciſcani inſtituti, in oppido Seguſdio, olim à Marcellis Pannoniæ magnatibus, regio planè ſumptu ædificatum, ſed clade Sigherana deſertum reſtaurarunt. Quos hoſtium conatus, quamquam Thurius & Franciſcus Turcus armis avertere tentavêre: continuis tamen imbribus, qui dies & noctes turbido cælo cadebant, noſtriſque ſcloperorum uſum adimebant, quum reſiſtere non poſſent, hoſtes deſtinata perfecêre: & ex eo loco ingentia noſtris detrimenta intulêre. Nec diu poſt Slunium quidem fata deſtinato ab hoſtibus exitio ita exemêre, ut quum ex Illyrico Nicloſpurgum in Moraviam feſtinaret ad nuptias cum Quereceni filia Juditha, ex Cæſaris conſenſu contrahendas ac Varaſdini ſubſtitiſſet, furunculi circa aures forte enati dolore, repentino caſu exanimaretur. Nam quum imperitus, & circumforaneus medicus affectum locum ſcalpello inciderſſet, ac vulneri oleum ſcorpionum inſtillaſſet, tumefacto toto capite, oculiſque & faucibus turgentibus, intercluſáque reſpirandi facultate, vir in aliis præterquam in tuenda valetudine cautus & ſagax, immaturâ morte extinctus eſt: tanto acerbiore militum luctu doloréque, quòd moriens nullos liberos reliquiſſet & ea Frangepanorum familia, quæ à Slunio oppido denominabatur, vetuſta & clara in eo prorſus defeciſſet.

Franc. Slunii, Frangepani obitus.

Iſthuanf. Hiſtor.

1570.

Georg. Thurius vir bellica laude clariſſimus hoſtili fraude interceptus perimitur. A. 1571.

At Thurium inſidiis & fraude hoſtili interfectum amiſimus: quum ad reprimendos Turcas, qui Sigheto, Quinqueccleſiis, & Seguſdio populabundi excurrerant, è præſidio Caniſienſi, cui præerat, rapiente fato, impar viribus exiviſſet. Jam appetebant feriæ, quas Paſchales vocamus, Chriſtianis militibus, (quod clade Seceniana, & hac, & pleriſque aliis compertum habetur) ut plurimum infauſtæ, quum Alys Sigheti præfectus, cognomento Pirſus, Malchum quendam equitum ductorem cum validis Turcarum agminibus, Capornacum verſus populatum exire juſſit, datis mandatis, ut inſidias per diverſa & opportuna loca diſtribueret, omnique conatu in id incumberet, ut Thurius incautiùs progreſſus in eas præcipitaretur. Erat tunc in Raico caſtello Thurius itineris hoſtium gnarus, & quam in partem illi populando, urendoque verterentur expectabundus, quum ex agricolarum fuga ac incendiis, fumoque villarum, eos non procul eſſe cognovit. Nec mora, facto de nocte itinere ad Iſeborum pagum, præcurſores eorum aſſequutus, conſerta pugna fudit & fugavit, interfectis quamplurimis, & XLVIII. vivis captis. Et quum fugientes avidius perſequeretur, de inſidiis & earum locis, numeroque hoſtium percunctari à captivis in mentem non venit: eoque acrius itinere intento, quum peditatus æquare curſum equitum non poſſet, & plurimi etiam ex equitibus, noctis diéique labore fatigati lentius ſequerentur, ad pagum Oroſtoninm, inter Raicum & Comarnm, quod minus appellatur, æquali ferè intervallo ſitum, in hoſtes magno numero per ſilvas abditus incidit. Nec mora, ibi quoque atrox prælium initur, plures ex hoſtibus cadunt multi capiuntur; dumq; anceps certamen fervet, jamque hoſtes fugam circumſpectant, Malchus, ut erat edoctus, ex inſidiis, quas in opaca valle & ſaltuoſa locaverat, cum ſexcentis & amplius haſtatis equitibus procurrit, laborantibuſque ſociis oportunum fert auxilium.

Erat in loco pugnæ inter duos montes non admodum lata vallis, cùm aliàs ſemper cæno plena & lubrica, tum verò liquefacta paulò ante nive, paluſtribus aquis mollior & profundior: Cùm in ea valle pugnaretur, ac equorum crura & ſuffragines ad imum uſque ventrem lutulentis gurgitibus fœdè mergerentur, fortè equus Thurii iniquitate locorum ac diuturno labore, nec non prægravantibus armis fatiſcens, in collum prolabitur; ipſe animadverſo periculo in pedes erectus, abjecta galea, ut nudato capite, pronior in lethum & vulnera foret, hoſtes ſubmovet, ſeq; fortiſſimè tuetur; atque interea equum alienum, qui ſeſſore forte ab hoſtibus excuſſo procurrerat, habenis arreptum aſcendere conatus, præpedientibus hoſtibus, & lutulenta humo veſtigium devorante, in terram concidit: quodque Turcis, ne ſe perditum iret, & fortunæ cederet, vociferantibus, pugnans nihil reſponderet, haſtis, ſcloperis, enſibus, aliiſque telis undiquaque

fortiter cadit.

1571. petitus, poſtremò à ſuis & fortuna deſertus, prævalido acinacis ictu, à quodam Memio ſanciatus corruit, & interiit. Cæſi ex equitibus complures, pedites, quia pugnæ non interfuerant, audita ducis cæde Caniſiam contenderunt: corpus ejus ſpoliatum, ac ſine capite inventum, celebrante funus Georgio Zrinio, Nicolai filio, qui audito infortunio celeriter, ſed ſerò adcurrerat, expanſis vexillis ac præcedentibus turmis, & cohortibus armatis, eumque, ut patrem & beneficum veris lachrymis proſequentibus, Caniſæ tumulatum eſt: caput cum vexillis aliquot & captivis Byzantium miſſum eſt: quod Selimus & purpurati avidius & propius aſpicere voluerunt, quamquam ſunt, qui alienum à Malcho ſuppoſitum eſſe affirment, quod ipſius caput cum toto vultu in parva fruſtula diſſectum, eo perferri non potuiſſet.

Tam triſtis exitus viri incomparabilis fuit, pereuntis potiùs Pannoniæ fato, quàm ſuo tribuendus; quum annos natus circiter LII. præter egregii bellatoris laudem, jam etiam ad temperati & maturi ducis nomen & famam haud dudie perventurus eſſe crederetur. Occiſo eo, poſtea Turcæ toto ferè anno, ſummam quietem agitavêre, quod Selimus maritimo adverſus Venetos bello occuparetur, ab iiſque Cypri regnum inſulamque, quæ ſola in Aſia Chriſtianis parebat, capta primum per deditionem Nicoſia, ac deinde Famaguſtanis poſt ſextum obſidionis menſem, ſeſe dedentibus, & trucidatis contra datam fidem Venetorum ducibus, ac copiis, in poteſtatem redegiſſet. De cujus belli initiis, & progreſſu enarrando, ac ſingulari Muſtaphæ purpurati perfidia, & crudelitate in deditos nefarie exercita, ſuperſedendum duxi, tum quod Pannonicas res ſcribenti id præter inſtitutum foret, tum verò quod ab eruditiſſimis Italici generis ſcriptoribus abunde ea & graviter deſcripta extare non ignorem.

Bellum Cyprium à Turcis geſtum.

Nec tamen prætermiſerim eum belli hujus finem fuiſſe, ut quum Veneti, amiſſa Cypeo, metu perculſi, opem Pii Quinti ſummi pontificis, cum eo & cum Philippo Hiſpaniarum rege fœdus percuſſiſſent, ternæque trium principum claſſes conjunctæ fuiſſent, ad Echinadas Corinthiaci ſinus inſulas, inſignem atque in omne ævum memorabilem victoriam reportarunt: devicta partimque profunda merſa partim capta hoſtium claſſe, cæſiſque eorum ducibus, & paucis admodum fuga evadentibus: ita ut præter ingentem navium & tormentorum numerum amiſſum, & validiſſimæ claſſis jacturam XXX. amplius Turcarum millia ceciderint. XIV. fere millibus Chriſtianorum qui ex variis nationibus ad tranſtra triremium catenis conſtricti diram ſervitutem ſerviebant, ſingulari Dei ope liberatis, quorum magna pars ex Pannoniis, per varios caſus interceptis conſtabat; qui ab Hiſpanis atque Italis victoribus domum remiſſi, poſtliminio læti redierunt.

Victoria ad Echinadas de Turcis parta, A. 1571.

Cum jactura XXX. millium Turcarum.

Poſt eam victoriam Pius miſſo Johan. Franciſco Commendono Mutinenſi Cardinale, Cæſarem multis verbis hortari non deſtitit, ut ſe cum fœderatis & adverſus Selimum & Turcas conjungeret, hoſtemque fractum, & altera virium parte, quæ maritima erat, ſpoliatum, coactis totius Germaniæ viribus invadendum ſuſciperet; ut Chriſtiano nomini, vindicata in priſtinam libertatem Pannonia, ingentis victoriæ decus pararetur. Idem à Johanne Borgia, regis Hiſpaniarum nomine petebatur; ac Sigiſmundus Caballus, Senatus Veneti legatus à Cæſare contendebat. Sed is ſeu belli Turcici pertæſus, quod non ſine gravi periculo ſuſtinuiſſet, ſeu illud Venetorum cum Hiſpano fœdus nequaquam diuturnum fore arbitratus, quos clam ſociis cum Selimo de ineunda pace quam occultiſſima conſilia agitare, paulò ante ſubodoratus erat, in propoſito permanſit, & ſpectator, quàm ſocius aut adjutor eſſe maluit. Nec multò pôſt Veneti, quanquam victores præpoſteris uſi conſiliis, neſcio Pontifice, nec Hiſpano Rege admonito, à mutuo fœdere deſciverunt & cum Selimo pacem clam redintegrarunt: ita ut Cæſarem conſilii ſui, quo ſe fœderatis nequaquam ſociaſſet, minimè pœniteret; à quibus paulò pôſt deſertus, Turcarum arma & vires in ſe unum facilè provocaſſet. 1571.

Maximilianus Cæſar à fœderatis ſollicitatur.

Ne arma denuo Turcis inferat.

Itaque eâ ſollicitudine liberatus, ac opimæ pacis commodo frui cupidus, filios Rudolphum & Erneſtum, quos ſeptennio ante in Hiſpaniam miſerat, revocavit, quòd alterum natu majorem ab Ungaris publico in Comitio ſucceſſorem ſibi in Pannoniæ regno futurum poſtulari cognoviſſet. Quam ob cauſam ſingulari perfuſus lætitia, Adamo Detriſtanio & Lupo Rumffio, qui principum adoleſcentium curæ erant præpoſiti, in Hiſpaniam perſcripſit, ut illi prima nacta occaſione in patriam reducerentur. Itaque claſſem Hiſpanicam, quæ ab Rege ex fœdere adverſus Turcas cum Pontifice & Venetis inito mittebatur, & quæ propediem in Italiam vela datura in portu Barchinonenſi ſtabat in anchoris (ei Johannes Auſtriacus, Caroli Quinti Imperatoris filius, quem cælebs ſuſceperat, cum ſumma poteſtate præerat) accepto ab Rege commeatu conſcenderunt (ea ex XLVII. triremibus, omni genere apparatûs inſtructiſſimis conſtabat) & ſecundis ventis Genuam delati, pedeſtri demum itinere Mantuam, indeque ſuperatis Tridentinis alpium jugis in Germaniam ad patrem remearunt. Quibus ad ſe receptis, Caroli fratris nuptias, Mariam Alberti Bavariæ ducis filiam, ex Eliſabetha Ferdinandi Cæſaris filia genitam, ducentis, Viennæ Regiâ munificentiâ celebravit, omnibuſque qui è Bavaria & Stiria confluxerant, hoſpitia ac ædes gratis, epulæque & lautitia omnis generis liberaliter & ſplendidè præbita, ſpectacula quoque varia edita; poſtremo parentes ſponſæ ſumptuoſis muneribus exculti, amanterque dimiſſi, iis nuptiis Catharina Regina Poloniæ, Cæſaris æquè ac Caroli ſponſi ſoror, nuper è Sarmatia reducta, interfuit; ſed Lincium, ubi habitabat, reverſa, paucos poſt dies fato functa eſt. Exinde Cæſar cum liberis recens ex Hiſpania reverſis Pragam contendit, ad conventus, quos Bohemis indixerat, celebrandos; atq; illinc principibus Germaniæ, & liberis Civitatibus, aliiſque ordinibus ad Calendas Aprilis Spiram Nemetum urbem comitia publicavit: quod id quamprimum fieri è repub. fore arbitraretur.

Cæſar Rudolphum & Erneſtum filios ex Hiſpania revocat. Dietrichſtano.

Caroli Archiducis cum Maria Bavara nuptiæ celebratæ Viennæ.

Catharina Polonia Regina Lincii fato concedit.

Comitia Spiram à Cæſare indicta.

Interea Johannes Sigiſmundus, quem expugnato Cuvaro, inteſtinorum torminibus affectum in Tranſſilvaniam revectum eſſe diximus, quamquam nondum valetudinem recuperaſſet; tamen ſive Turcicæ ſocietatis pertæſus, quæ ut plurimū noxia atque infida eſſe ſolet (contractis ſiquidem jam diu antea ſimultatibus cum Mehemete purpurato vehementer diſſidebat) ſive rerum ſuarum ſecuritati ſe proſpecturum ratus, ſeu certè à Bequeſſio perſuaſus, cujus conſilia vel temere plerumque ſuſcepta, omnibus aliorum ſententiis anteferre, eaque amplecti erat ſolitus, cum

Maxi-

1571. Maximiliano non ſolùm pacis, & amicitiæ fœdera renuvare; ſed ea etiam propinquitatis atque arctæ cognationis vinculis confirmare conſtituit. Erant ex aliorum numero, quos adhibere ſuis conſiliis conſueverat, nonnulli, qui eam pacem, ſi abſque Selimi conſenſu pararetur, ut patriæ, calamitati, detrimentóque futuram magnopere damnarent; quum hoſtis barbarus & præpotens, ſub cujus inveteratæ tutelæ nomine hactenus agitâſſent, ſe neglectum ægerrimè ferens, formidabilia arma in eum & populos ſuos exemplo eſſet converſurus: quibus poſtea non ii ſolùm, ſed totius Reipublicæ Chriſtianæ ſalus & permanſio, in manifeſtum diſcrimen conjicerentur. Eadem provincialibus trium ordinum, quos frequentes ad oppidum Megieſſum convocaverat, Nobilitati nimirum Ungaricæ, & Siculis ac Saxonibus probabantur.

Jo. Sigiſ. pacis & amicitiæ fœdus cum Cæſare renovare ſtatuit.

Quæ ne abſque Selymi conſenſu ineantur complures ex Optimatibus hortantur.

Quum ſententiæ variarent, placuit denos ex ſingulis ordinibus, qui uſu rerum & experientia ac conſilio valerent, deligi, ac Albam ad ſecretius conſilium ineundum convenire; neque enim erat dubitandum, vel ipſo Principe ſatis conſcio, ſi Selimus ea conſilia reſciret, ut erat naturâ fortunâque ſuâ inſolens, & omnis contumeliæ impatiens, eam provinciam, quam ſuam eſſe palam prædicaret, ad Maximilianum & Germanos hoſtes ſuos transferri nequaquam foret paſſurus: quum ſæpè illum & Solimanus, dum vixiſſet, & poſtea Selimus ab affinitate cum Cæſare contrahenda atrocibus minis, & manifeſti periculi denuntiatione eſſent dehortati; uſque adeò, ut ei aut Tranſilvaniæ poſſeſſione decedendum, aut ſponſæ è Germania ducendæ cogitatione ſuperſedendum iracundè atque arroganter juberent; non deeſſe regibus Galliæ, Daniæ & Succiæ, filias & ſorores, ætatis ac formæ dignitate præſtantes; quarum quæ ejus genio placuiſſet, ſuo interventu atque auctoritate, ut ei jungatur, curaturos. Erant vera hæc neque ab illis inani imminentis periculi metu perculſis dicebantur; atque ejuſdem erant ſententiæ complures ex triginta viris, qui Albam erant convocati.

Bequerſius verò illis refragatur.

Sed unus Bequeſſius dominari in principem pro libidine ſuetus, uniuſque potentiam apud eum, odium & metum apud alios adeptus, intercedendo & contra diſſerendo pervicit, legationem ſplendidam & honorificam ad Maximilianum quamprimùm mittendam eſſe, non fore adversùs Selimum ſi princeps legitimo ac maximè illuſtri conjugio quæſitu, res ſuas ſtabiliendas curaret, maximè ſi id opera & ſtudio Sigiſmundi Poloniæ Regis, avunculi agatur, quem non ſolùm tam pro propoſito, quo orbitati familiæ ſuæ imprimìs occurreretur, nequaquam adverſaturum ſperaret; ſed etiam principis legatis, ſuos magni nominis viros adjuncturum, & tam hìc quàm apud Selimum rebus omnibus quàm optimè conſulturum, poſſe indignantis fortè Selimi animum, æquis rationibus per idoneos homines, tam verò etiam præbito ei & purpuratis multo auro leniri, hoc potiſſimum tempore, quo cum Venetis pro Cypro, anceps & diuturnum bellum gerat; ita ut cæteris rebus præter conjugium (quod celari nequeat) quam tectiſſimè habitis, totius facti calumniam opportunè dilui poſſe non deſperet.

Aſſenſere demum omnes lentè & pedetentim, poſtquam principi è Bequeſſii unius nutu pendentis animo idem infixum, firmúmque ineſſe animadvertiſſent, tum de deligendis legatis conſultandum. Id muneris ille Bequeſſio ante alios deſtinaverat, expetenti imprimis, & in ſecreto apud eum magnopere ambienti; ſic tamen, ut in vulgum aliis aut alteri ex Somlianis fratribus tribuendum prædicaret. Sed nemo erat, qui juſta uſus excuſatione, illud obeundum putaret, tum quòd à Selimo extremi diſcriminis metus immineret, tum quòd princeps graviſſimo jactatus morbo, & quotidie magìs ac magìs ingraveſcens, conjugio intempeſtivo nequaquam implicandus videretur; cujus diſparitas alterutri gravis & moleſta futura eſſet. In hunc modum legatione Bequeſſio delata, & ab eo in ſpeciem gravatim ſuſcepta, quum à Cæſare per celeres Veredarios literæ fidei eſſent allatæ, Idibus Aprilis, Albâ diſcedit; quum ex ærario (cui ſimul & totius rei ſummæ tam ægro quàm valido Principe præerat,) arma & acinaces auro & gemmis fulgentes, auleas purpureáſque veſtes pretioſis pellibus ſuffultas, ac ingentem vim pecuniæ, atque ex aula famulitium & comitatum ſplendidiſſimum; è ſtabulo autem equos militares, & aſturcones Dacicos, ac alios trahendis eſſedis aptos, largiſſimè accepiſſet. 1571.

Cui etiã id vehementer ambienti legati ad Cæſarem munus defertur.

Et pro majori legationis auctoritate, Sigiſmundus quoq; Polonorum Rex Adamum Conarſcium Epiſcopum Poſnanienſem adjunxit. Exceptus autem eſt ubique à Cæſarianis ſumma lætitiæ ſignificatione, quacunque iter fecit, exquiſitiſque honoribus. Pragam eùm veniſſent, Cæſarem finitis Bohemorum conventibus Spiram ad Romani Imperii comitia iter parantem repere. Facto itaque ibi legationis initio, aditóque Cæſare, cætera, ſic jubente eo, Spiram diſtulêre, quo poſt paucos dies præeuntem Cæſarem ſequuti ſunt. Iſthic demum Cæſar, legationis ſeriem & capita ita diſcuſſit, ut eam quam ſecretiſſimam eſſe vellet; nec ullum alium præterquam Johannem Trautſonium, Aulæ ſuæ præfectum, ac Johannem Baptiſtam Weberum Juriſconſultum, & Romani Imperii Vicecancellarium, ex Ungaris verò Johannem Liſthium Epiſcopum Veſprimienſem & Ungaricum Cancellarium conſiliis adhiberet, iiſque ſeriò interdiceret, ne ea ullo modo panderentur.

Adjuncto illi à Poloniæ Rege Conarſcio Epiſcopo.

Spiræ poſt varios collatos ultro citroque ſermones, pax tandem & fœdus ſolenne percutitur, cujus conditionum hæc ſumma erat; ut utrique veterum contentionum atque odiorum memoriam ex animis egregia fide expelleret: Johannéſque Sigiſmundus nomini regio & titulis, pro quibus & pater, dum eſſet in vivis, & ipſe per annos circiter quinquaginta, funeſtis bellis & certaminibus acerrimè dimicâſſent, in poſterum cederet, & quodcunque aliud præter regium uſurparet: contra Maximilianus eum, ut regibus ortum Sereniſſimi Principis titulo cohoneſtaret. Tranſilvania omnis intra Alpeis, Johannis Sigiſmundi poteſtati ſubderetur, idque jure hæreditario: extra alpeis verò regiones Hungaricæ, Biharienſis cum Varadino, Maramaruſienſis cum Huſto & ſalis fodinis, ac Craſna & Solnocum, quod exterius vocatur, eidem, donec viveret, parerent. Quæ ultra his terminos ſunt, ea Cæſari intacta relinquerentur. Si quid finium Joan. Sigiſmundus verſus Orientem à Turcis recuperare poſſet, id ejus peculiaris ditionis eſſet. Quòd ſi Turcarum armis Tranſilvania pelleretur, tum ei ad Oppoliani principatus jura, quem olim cum Iſabella matre tenuerat, reverti integrum foret. Hoſtes atque amici iidem utriſque forent: & eùm neceſſitas exigeret,

Spiræ fœdus & pax concluditur hiſce conditionibus.

1571. & Turcæ bellum Tranſilvano moverent, Maximilianus ei omnibus viribus præſto eſſet: ſic tamen, ut quamdiu fieri poſſet, Joannes Sigiſmundus, ſuppreſsâ atque occultatâ hujus pacis mentione, Selimum priſtinis amicitiæ officiis in quiete & otio omnibus artibus conſervare niteretur. Promittebat etiam Cæſar, ad confirmandas novo affinitatis vinculo fæderis conditiones ſe illi alteram ex neptibus ſuis Alberti Bavariæ, aut Gulielmi Juliacenſis principis filiam matrimonio juncturum. Addebatur conditionibus ſeparatim ſed occultiſſimè, ſi Joban. Sigiſmundus è vivis excederet, & princeps publicis ſuffragiis crearetur, ut is Cæſari fide clientelæ obſtrictus eſſet, quibus Cæſar mox ultro ſubſcripſit; eaſq; jurejurando firmavit: ſic ut intra diem Calendarum menſis Januarii, à Joban. Sigiſmundo & Tranſilvanis pari modo confirmatæ ad Cæſarem per legatus remitterentur. Hoc confectæ pacis nomen Cæſari pariter & Johan. Sigiſmundo incredibilem lætitiam attuliſſe viſum eſt, quod ſicuti à patre Joanne certam exoptati otii tranquillitatem perpetuò deſideratam cognoviſſet, ita ipſe quòque nihil eâ optatius, nihil ad rerum ſuarum quietem accommodatius eſſe exiſtimaret.

Sed non deerant plures ex Tranſilvanis, qui utſerant Turcicatum partium ſtudiis inveterati ejuſmodi fædera unius Bequeſſu inſtinctu icta, proſpero ſucceſſu caritura prædicarent; quòd Selimus intolerandi faſtus & potentiæ barbarus princeps, eis nequaquam ſtaturus crederetur: Nec omnino falſâ opinione, quum ille necdum reverſo è legatione Bequeſſio, nuntium è numero præconum, quos Chauſios vocant, nomine Pervanam, natione Ungarum in Tranſilvaniam miſiſſet, queſtum adversùs Joannem Sigiſmundum, ac percunctatum, cur legatos tam ſolennes tanto apparatu, tamdiu apud Cæſarem morantes, in Germaniam miſiſſet, poſtquam nullâ cogente neceſſitate, ea conſilia ſuſcepta eſſe videri poſſent, quando ipſe à Germanis in præſens nullâ contumeliâ eſſet laceſſitus, aut ſi laceſſeretur, tantas ſibi vires ſupereſſe, quibus facilè defendi potuiſſet: ſicuti hactenus à Solimano ut filius, & ab ipſo ut frater adversùs omnem Germanorum injuriam fuiſſet protectus; proinde eum fraternè hortari, ne probroſis ingrati animi conſiliis abreptus, adversùs ſe quicquam rerum novarum tentandum putet, quarum eum mox vel maximè pænitere poſſit. Et Johan. Sigiſmundus, remotis omnibus arbitris, præter unicum Chaquium epiſtolarum magiſtrum, abſque mora reſpondit, ſe gratias ingentes Selimo agere pro multis beneficiis in ſe collatis; nec eorum tam immemorē eſſe, ut adversùs eum quicquam moliri velit: quod totum id fruſtra eſſe pro comperto baberet legatos in Germaniam non alia de cauſa, quàm expoſtulatum de injuriis, quas Cæſariani ſub induciis ſibi & populis ſuis intuliſſent, reſq; repetitum miſiſſe.

Pervana Chauſius Joannem hortatur ne quid adversùs Imperatorem ſuū rerum novarum moliatur.

Joannis excuſatio, cur legatos ad Caſ. miſerit.

Ad Sigiſmundum quòque Poloniæ Regem à Selimo miſſus fuit eodem tempore, Ibraimus ille Dragomanus, natione Polonus, quem cum Augerio Ferdinandi legato Francofurti inaugurationi Maximiliani interfuiſſe docuimus; qui de Joan. Sigiſmundo apud illum multis verbis quereretur, moneretque, ut nepoti in officio permanendi, neque cum Germanis clandeſtina conſilia conferendi auctor eſſet. A quo etiam ille ſimili ferè cum reſponſo dimiſſus fuit.

Ibraimus etiam ad Polonum legatur, eadem de cauſa.

Interea Bequeſſius poſt ſemeſtre tempus, rebus ex ſententia confectis, ac magnis à Cæſare excultus muneribus, privatim verò ingentibus promiſſis oneratus, circa Idus Septembris in Tranſilvaniam reverſus eſt: ac Johan. Sigiſmundum poſt moleſtiſſimos & diuturnos inteſtinorum dolores, reſolutione etiam membrorum ſuperveniente, malè affectum reperit. Eo reverſo XXX. viri, de quibus ſupra diximus, iterum convocantur, atque eū, quod apud principem gravi morbo impeditum, ac quietis indigentem, nihil tractari poſſet, in ædibus Bequeſſii conveniunt. Ibi recitatâ legatione, excipit Chaquius, neque ullis rogatis ſententiis, nomine principis jubet, eos ad fæderis conditiones obſervandas ſacramentum præſtare, primuſque ipſe ſolenniter jurat: eodem modo à cæteris vel tergiverſantibus, ac in contraria ſtudia inclinatis, metu tamen & pavore coërcitis, juramentum exigitur. Tum verò princeps, quantum gravi morbo oppreſſo liceret, ingenti lætitiâ efferri; Bequeſſius ſibi blandiri vehementer atque gloriari, utpote qui ſolus rem tantam, toties tentatam, nec unquam ad exoptatum finem deductam, ſingulari ſtudio fideque & induſtria ad effectum perduxiſſet: jam Rempublicam & res omnes privatas, ſe dirigente, in portu navigare, Cæſaris & Romani imperii viribus & armis protectas; quorum adminiculo etiam omnem Selimi ferociam & inſidias, diis ſuperis bene juvantibus, ſi ſi ipſi ſibi deeſſe vellent, & Rempublicam poſt privatum decus haberent, haud difficili labore ſuſtineri ac propulſari poſſe non deſperaret. Paulò pòſt à principe equum præſtantiſſimum, ac gemmatis aureiſque phaleris maximi pretii exornatum, dono accepit: ac deinde de repetenda legatione, ac conditionum confirmatione, prout Spiriæ tranſactum erat; Cæſari remittenda conſultatum eſt.

Princeps & proceres ſervandis fæderis conditionibus juramentum præſtant. Tergiverſantibus quidē nonnullis ſed pavore adactis.

Sed quum nemo ex primoribus illud munus obire vellet, propterea quòd omnibus palàm eſſet, neminem principi tantopere in Bequeſſium propenſo ſatisfacturum; aut ſi illi ſatisfeciſſet, ſi qua tamen in parte Bequeſſius vel leviter eſſet offenſus, oleum atque opera omnis amitteretur; poſtremò ad illum eundem recurſum eſt; eúmque princeps rogare acriter & obteſtari, aſſiduiſque precibus flagitare cepit, ne ſe deſerere, nec tanti momenti provinciam, quam tantâ nominis ſui cum laude inchoaſſet, imperfectam relinquere vellet; neve præmia, quæ ei poſt compoſitum & confectum negotium ampliſſima animo deſtinaſſet, aliis præripienda concederet. At ille recuſare pertinaciter, morbum, quo tentari ceperat, prætendere; diris ſe devovere, ſi ire poſſet, aut vellet; ſatìs ſe laborum exantlaſſe; non vires, non valetudinem, non animum eundi ſupereſſe, alios in promptu haberi, quorum operâ æquè uti poſſit. Quæ quidem eò pertinebant, ut quum principis valetudo periculo proxima eſſet, adeo ut de ea etiam medici, & ipſe ante alios Blandrata, deſperarent, neſſi quid illi humanitus contingeret, abſentia ea ſibi haud obſcurè regnum affectanti, fraudi futura eſſet. Verùm poſtea, quum per plures dies, omnibus arbitris excluſis, ſoli ipſi intra privatus parietes ſermones contuliſſent; Bequeſſius lectulo decumbentis aſſidens, morbum principis ſenſim remitti, & in melius mutari animadvertiſſet: quodque caput erat, ſpem ingentium præmiorum, ac commodorum haud dubiam concepiſſet; ita ut ille eum ſibi ſucceſſorem futurum, adhibitâ ſtipulatione, ſponderet;

1571. ſponderet; tandem non ſine lachrymis, quibus illum graviter decumbentem invitus & reluctante genio relinquere teſtaretur, annuit: ac depromptis ex ſuppellectili principis omnibus ad iter neceſſariis, ſumptuque planè regio, ac muneribus, quæ ex gemmis ac unionibus inæſtimabilis pretii conſtabant, ſponſæ, quæ nulla adhuc certa erat, offerendis, altero poſt Chriſti Dei ac hominis natalem die, Albâ in Bohemiam iter intendit; quo Cæſar ſolutis Spiræ Comitiis erat reverſus.

Bequeſſius pro fœderum confirmatione ad Cæſarem Pragam revertit. Cæſar Annam & Eliſabetham filias Philippo & Carolo Regibus deſpondet.

In iis Comitiis, poſt Bequeſſii & Poſnavienſis diſceſſum, fœduſque percuſſum, Cæſar Annam & Eliſabetham filias, ſingulari & exquiſita ſponſaliorum pompa, hanc Carolo nono Galliæ, illam Philippo Hiſpaniarum regibus nuptui dederat: & illius in Hiſpaniam claſſe deducendæ Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, juſſu Regis ſui curam habuit: cui Cæſar, ut quam tenere adamaret, inter cætera thalami regii ornamenta præter luculentum mundi muliebris apparatum, etiam lectulum ſolido ex argento ſcite & affabre factum, duorum millium pondo dono dedit. Cæterùm Bequeſſius, trajecto Tibiſco per Caſſoviam, ac deinde per Cracoviam, Sileſiæque fines facto itinere, ſæviente bruma, circa ultimos Januarii menſis dies, Pragam venit, atque ibi à Cæſare, & aulæ primoribus, grato animo fuit exceptus. Jam confirmatis utrinque pactis, non aliud reſtare videbatur, quàm ut promiſſa à Cæſare neptis, ſive illa Bavari, ſive Juliacenſis principis filia foret, legato ſolenni more traderetur.

Bavaricum matrimonium Joannes ut Arianus repudiat, Juliacenſis forma haud ſatis eleganti illi diſplicet.

Sed languenti in Tranſilvania principi à Bequeſſio perſcriptum erat, Bavaricam matrimonium obſtinatiùs recuſare, quòd Arianæ ſectæ principi nubere nollet: Juliacenſem verò nondum deliberaſſe. Sed eam minus genio reſpondentem videri, quod & forma rudiore eſſe, nec aliam, præter Germanicam linguam callere diceretur. Quæ quum illi atrocioris morbi vi exagitato haud mediocrem mœrorem attuliſſent, tum etiam ægritudinem auxêre; adeo ut epilepticis etiam acceſſibus haud parum laceſſeretur.

Unde ex mœrore confecto morbus ingraveſcit.

Sed quum, ut ſæpenumero accidere ſolet, non adeo morbus ſæviret, quin nonnunquam remitteret: in proximas ſilvas venatu ſe oblectaturus receſſit; quum præaltâ nive cooperta tellus, animum ad id exercitii genus invitare videretur. Unde primò ad arcem Vechiam ventum eſt: ubi etiam equum conſcendit, & per ſilvas erravit, nulla tamen è latebris prodeunte fera, ideoque irritâ venatione. Deinde quum ad alteram arcem Gergeniam veniſſet, interum an ex nimia corporis agitatione, quod facile atque imbecillum erat, aut intempeſtivæ compotationis interventu, quâ fortè erat uſus, morbus recruduit, & eum lectulo affixum, ut per LIV. dies horribilibus tormentis excruciaret, nec ad illum cuique etiam familiariſſimo, præter Blandratam & Chaquinm, deteſtabiles Arianæ perfidiæ ſectatores, ac Chriſtophorum Hagimaſſium, & paucos quoſdam ejus farinæ homines aditus pateret.

Solis Arianis ad Principē graviſſimis doloribus excruciatum patet aditus.

Jam enim eò flagitii erat deventum, ut corruptis Blandratæ operâ principe & Bequeſſio, nemo niſi Arianus in pretio foret, nemini magiſtratus nec præfecturæ niſi eâ peſte infectis darentur: plurimique officiorum ambitu, nec ullo conſcientiæ pavore, ad eam fœdiſſimè atque imprudentiſſimè prolaberentur. Poſtremò quum iterum remittente morbo ſe revehi poſſe ſentiret, ſuppoſitis in curru pulvinis & cervicalibus ſuſtentatus, lento itinere Albam reverſus eſt: ibique recurrentibus ſubinde morbis poſtridie Iduum Martiarum è vita migravit; & in eo ſtirps Zapoliana ab Emerico Diaco Stephani Palatini germano fratre ducta, quam primus Joannes Huniades, ac poſtea Matthias Rex ejus filius indulgentiſſimè & liberaliſſimè ad tantas opes & divitias extulerat, ſic interiit, ut in hoc tertio nepote prorſus extingueretur. 1571.

Poſtridie Iduum Martiarum Jo. Sigiſmundus mortem obit.

Fuit ab Iſabella matre, ut diximus præter Georgii Monachi, & Petrovirii voluntatem, qui tutores à patre relicti erant, peſſimè educatus, ita ut adminiſtrando regno inutilis ab ea redditus, quæ malis artibus illud ſibi retinendum putabat, inter ſordes viliſſimorum hominum vino & epulis immerſus neque hebetis ingenii indole, neque moribus quicquam ingenuo principe dignum attuliſſet; quum clarorum hominum, prudentiaque & militari virtute præſtantium congreſſum, quantum poſſet, vitaret: ac pauciſſimorum è fece & colluvie vulgi familiaritate oblectaretur, uſque adeo, ut ab iis veluti mancipio & nexu pro libidine poſſideri videretur. Periit in primo flore juventæ, cùm alterum & triceſimum ætatis annum nondum expleviſſet, Chriſto Deo, impium pſtiferi dogmatis aſſertoretu, divinæque ſuæ gloriæ dirum obtrectatorem, immaturâ morte ſublatum, ad æternas inferorum pœnas haud dubie detrudente: ſic tamen ut prius teſtamentum concederet, quo Semlimo aureas equeſtres phaleras gemmis ornatas: Cæſari & conjugi ejus equos & aliquantum antiquorum ex auro & argento numiſmatum numerum legabat. Regi autem Poloniæ avunculo, præter tentoria Phrygio opere elaborata, ac caſtrenſem apparatum, ac argenti vivi pondo quadraginta millia peculiaribus codicillis legata; quod reliquum gazæ erat, eidem cum tribus ſororibus Sigiſmundi primi Poloniæ Regis filiabus, quas ex Barbara Zapoliana patris Joannis ſorore priori matrimonio ſuſceperat, æquis partibus dividendum dari jubebat.

XXXII. ætatis anno. 1571.

Ejus mores & vita.

Teſtamentum ejus.

Obitum ejus Bequeſſio perſcripſere amici è Tranſilvania, hortantes, ut Cæſare ejus rei admonito, aliis omnibus omiſſis, quamprimum reverteretur. Eo forte tempore dyſenteria importuna laborabat, ſic ut ad iter celerius conficiendum ob virium imbecillitatem equitare non poſſet: Cæſare itaque jubente, atque diſponente, rhedas ſeu vehicula ad vitandam omnem cæli injuriam, corio & pellibus tecta ambique per viam accepit, quibus ad alterum quod libet aut tertium milliare permutatis, brevi in Tranſilvaniam pervenit; cum literis à Cæſare ad provinciæ proceres nonnullos datis; quibus ut datæ fidei memores eſſent, ac ſaluti & permanſioni Reipublic. quàm rectiſſimè conſultum vellent, admonebantur: qui tunc interregni tempore omnes fere armati Albam convenerant.

Bequeſſius morte principis audita, cum literis Cæſar. in Tranſilvaniam properat.

Ibi poſtquam cadaver functi principis Ariano funeris honore, hoc eſt inſolenti & enormi, nec ulla in parte, ad morem priſcum & Chriſtianum ex arce in templum deductum eſſet marmoreoque ſepulchro compoſitum, variæ de ſucceſſore eligendo diſceptationes obortæ ſunt: quum Bequeſſius prætoriani militis largitione ad ſe illecti, ſtudio & operâ, atque aliorum; quos variis artibus ſibi conciliaverat, ſuffragus principatum affectaret. Favebat etiam ei Cæſar, ita ut eum per literas manu ſuâ ad quoſ-

Varia de ſucceſſore eligendo diſceptationes. Bequeſſius princ.

1571. *…cipatum affectat.*

quoſdam, qui conſilio atque authoritate pollebant, ſcriptas, privatim commendare non prætermitteret: publicè autem ordinibus ſignificaret, ſe tranquillitatis quietiſque cauſa liberam eis electionem principis permittere, dummodo ad eum deferretur, qui juxta recentia pacta partes ſuas tueri, ſibique Sacramento obſtringi nequaquam detrectet; & quem à defuncto quòque principe ſibi ſucceſſorem deſtinatum eſſe, facilè meminiſſe poſſent. Quo ſcripto haud obſcurè Bequeſſium intelligi, nemo erat, qui non facilè animadverteret.

Sed multò maxima pars nobilitatis, cui Bequeſſius cùm ob faſtum atque arrogantiam, quam vivente Joanne Sigiſmundo nimiam & formidoloſam induerat; tum verò quòd multitudo promiſcua, ob innovatos Arii errores, magnum in eum odium conceperat, in Stephanum Bathorium Somlianum omnibus cæteris, formæ ac ſtaturæ dignitate, rebúſque domi foriſque præclarè geſtis facilè anteferendum, propenſiores animos gerebat, iſque exercitu etiam, quem tempore interregni, ordines ad decem millium armatorum numerum conſcribi juſſerant, eique Chriſtophorum Bathorium fratrem ejus germanum præeſſe voluerant, haud parum ſpei & præſidii collocatum habebat. Sed & prætorianus miles, cui Joannes Saſa, & Michaël Vadaſſus præerant, præter Bequeſſii ſpem & expectationem, commutatâ repente voluntate, deſertis partibus ejus, ad defendendam rempub. ac liberæ electionis jura tuenda conſenſerat; & ii ſive largitione ſive ingenuis promiſſis onerati, Stephanum ad principatûs faſtigium evehendum, atque extollendum ſuſceperant. Selimus quòq; & ejus purpurati, quanquam Bequeſſius, Ariani dogmatis profeſſione, quæ à Turcica ſuperſtitione haud longè diſtaret, eos ſibi æquiores fore ſperaſſet; tamen alio magìs inclinabant, & aderat Chauſius internuncius, qui præterito eo alium principem, nomine illorum, à quibus venerat, creandum contendebat.

Stephanus Bathorius Somlianus princeps eligitur.

A.1571

Igitur XXVII. die Maji, publicis omnium ſuffragiis Stephanus Bathorius Somlianus, magnâ populorum acclamatione princeps ſalutatur: ac è Comitio nuntii ad Cæſarem ſimul & Selimum certiores ejus rei reddendos dimittuntur: à quibus brevì poſt ejus electio confirmata fuit: & à Cæſare quidem ea conditione, ut ſe pactis nuperrimè initis accommodaret, quibus erat conventum, ut qui Joanni Sigiſmundo ſucceſſiſtus eſſet, fiduciarii quidem Vaivodæ titulo ſub Cæſaris clientela eſſet, ſed abſolutâ rerum omnium poteſtate fungeretur; quod ille ſeſe facturum haud cunctanter eſt pollicitus.

Electio ejus à Cæſare & Selimo confirmatur

Bequeſſius ingenti repulſæ, quam tulerat, dolore & iracundiâ exæſtuans, Fogaraſſum, quo theſauros ſuos, & multò maximam partem eorum, quæ Joannis Sigiſmundi fuerant, comportatos condiderat, locumque commeatu ad multum temporis ſuffecturo, & rebus omnibus neceſſariis, ac non contemnendo egregiorum militum numero, munitiſſimam reddiderat, ſeſe recepit: neque vel privatus, quin contrarias Bathorio principi factiones, ſuſceptâ adversùs eum æmulatione, aleret, & famam apud vulgum, per varias artes oſtentando, virtute ac liberalitate pararet, deſiſtendum ſibi exiſtimavit: cujus temerè ſuſcepti conſilii is fuit exitus, ut ipſeà principe diverſis injuriis irritato, exacerbatóque, rebus omnibus & fortunis exutus, in exilium pelleretur; moxque ab eodem, rarâ felicitate ad regiam dignitatem

Bequeſſius Fogaraſſū repulſæ doloreæſtuans abit.

evecto, in gratiam reciperetur; prout id ſuo loco & tempore non multò pòſt commemorabimus. 1571.

Interea Balaſſius poſt ſextum Carceris menſem, perſurato muro, ac deceptis cuſtodibus, quibus vinum, ut largius potarent, adferendum curaverat, pecuniamque, pictis de more cartis, & aleæ exercendæ diſtribuerat, felici aſtu evaſit: funéque per mœnia delapſus, pernicitate equorum, quos in ſuburbio ad fugam præparaverat, ad arcem ſuam Plobenſtainam citato curſu contendit; relicto in captivitate Dobone, incertum, an fugæ ejus conſcio, quod articulorum doloribus crudeliter vexatus immobilis in lectulo decumberet. Jam in tuto collocatus, cum Filecienſibus Turcis ſtatim fœdus & amicitiam junxit; ac Muſtaphæ purpurati Budenſis opem per litteras & nuntios imploravit, ut ejus interventu & commendatione, in tutelam & patrocinium Selimi reciperetur: ea conſiliorum ratione ut ſi Cæſar gravius quicquam ſtatuendum putaret, aut eum bello proſequi vellet, Turcarum armis defenderetur.

Balaſſius è carcere elapſus.

Cum Turcis ſocietatem & amicitiā init.

Sed ejus fuga, præter quam homines ſperaviſſent, tam ſibi ipſi, quàm Doboni captivo, dubiámque ſententiam expectanti, affulgente ſingulari Cæſaris clementia, ſalutem ac exoptatam libertatem attuliſſe viſa eſt. Nam quum inſequente anno, Comitia ad quartum Nonas Februarias Poſonium indixiſſet, nec ipſe adverſâ valetudine impeditus ad ea venire potuiſſet, Rudolphum & Erneſtum filios, non multò ante ex Hiſpania reverſos, ut ſui loco iis præeſſent, ſecundo Danubio deſcendere juſſit. Quum in iis Rudolpho omnibus ſuffragiis, regnum ultro delatum eſſet, ſimulque eum ordines magnis precibus publico nomine oraſſent, ut pro Balaſſio in gratiam recipiendo, ac libertate Doboni danda, partes ſuas apud patrem interponeret, idque ipſi haud gravatim ille tribuendum exiſtimaſſet: Maximilianus ordinum benevolentiâ & promptitudine tam pronis animis abundéque teſtatâ permotus atque exhilaratus, ne primam filii intercedentis petitionem graviore repulſæ contumeliâ rejiceret, Dobonem eodem adhuc durante comitio, mox dimitti juſſit, ac Balaſſio abſenti gratiam atque incolumitatem impertivit: Ita ut ambo Viennam proficiſci, ibique genubus provoluti eum deprecari, & delictorum veniam petere non prætermitterent. Nec multò pòſt Balaſſius voluntatem ejus ſupplex adimplevit, & Dobo, quum graviſſimo morbo impeditus venire non poſſet, juſſi ab eo Franciſcus filius, bonæ indolis adoleſcens, ac Ladislaus Selimerius agnatus, gentiliſq; ejus, Cæſarem deprecati ſunt, veniamque ei obtinuerunt. Obſervatum à curioſis eſt illos, die Divo Maximiliano martyri ſacro, captos & in cuſtodiam ductos fuiſſe, ac Dobonem biennio poſt ad diem memoriæ Divi Rudolphi dicatum, qui in XIV. Calendas Majas incidere ſolet, priſtinæ libertati reſtitutum.

Maximilianus ordinum deprecatione Dobonem dimittit. Balaſſiumque abſentem in gratiā recipit.

Sed Dobo Cæſaris clementiæ, & ſuæ libertatis fructum diuturnum nequaquam percipere potuit, quum altero, poſtquam dimiſſus eſſet, menſe, in arce ſua Seredina vitam cum morte commutaſſet. Fuit autem ordinibus Pannoniæ hoc Cæſaris in dimittendis iis duobus clariſſimis viris, ac noxa omni liberandis publicè exhibitum munus acceptiſſimum, & gratiſſimum, adeo ut ejuſdem anni æſtate peragendam ſolenni more Rudolphi coronationem, ad terminum, quem pater præfixiſſet, concordibus animis decernerent.

Dobo è vita excedit altero poſt dimiſſionē menſe.

1572. rent. Qui cùm paulò pòſt ex arce Eberſtorphia, ad quam curandæ valetudinis cauſa, petito è thermis Maneſtorphianis balneo ſeceſſerat, reverſus eſſet, ſeptimum Idus Septembris præfixit: idque abſque cunctatione publicavit: ita ut eo anno, quod rarò antea quiſpiam factum meminerat, duo comitia celebrata fuiſſe conſtet, quorum acta extare videmus.

Eodem tempore, nondum ſoluto conventu, Paulus Abſtemius Epiſcopus Nitrienſis, qui per quatuor retroactos annos, ab obitu Nicolai Olahi Archiepiſcopi Strigonienſis, proregium in jure dicundo munus ac officium geſſerat, quòd eſſet ſenectâ ætate, annisque gravatus, (nam octogeſimum ſeptimum ætatis annum agebat) vehiculo in curiam vectus, ſeſe magiſtratu abdicavit; eumque Cæſar Antonio Verancio, qui Olaho ſucceſſerat, conſulto, Michaeli etiam Meraio, antiquæ probitatis viro, ſub idem tempus, vita ſimul & propalatinali dignitate functo, Emericum Czoborium, publicis ſuffragiis commendatum, & Damiano Araniano proprætori decedenti Andream Alaſium ſubſtituit: ne quis in exercendis legibus defectus committeretur. Quibus rebus ex animi ſententia peractis, Rudolphus & Erneſtus Viennam ad patrem redierunt, ut quæ ad exequendam futuro in conventu coronationem ſpectarent, ritè ac tempeſtivè curarentur: quandoquidem ad conſtitutum diem non amplius temporis, quàm ſex menſium ſpatium ſupereſſet.

Sigiſmundi Poloniæ Regis abſque herede obitus. A. 1572

Reverſis illis, non multò pòſt allatum eſt certioribus nuntiis, Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ regem, ejus nominis ſecundum, ſed ſtirpis Jagellonicæ ultimum, quæ per ducentos circiter annos in Polonia rerum potita fuerat, nullis relictis hæredibus ſeptem Idus Quintiles vivere deſiiſſe; cujus obitu Cæſari novæ curarum moles, nova conſilia, ac cogitationes obvenêre; quum vicini ejus opulentique & florentis regni ſceptri & gubernacula, ſuperis bene juvantibus, ſibi aut Erneſto filio opportunè paranda, atque acquirenda conſtituiſſet. Sed ejuſmodi conſiliorum vel rectiſſimè ſuſceptorum rationes, una inſtabilis fortuna, rerum humanarum dominatrix, inſolenter improbéque fefellit. Nam licèt ad Polonos Varſoviam eligendo regi congregatos, ſolennes ac ſummæ auctoritatis legatos Guilielmum Roſembergum clari nominis in Bohemia regulum, ac Hieroslaum Preſteuſcium, ejuſdem regni Cancellarium expediviſſet, & Guilielmus de Sancto Clemente, Hiſpaniæ regis legatus, eandem rem ſui principis nomine ſolicitaturus, eò adveniſſet, nec ſinè profuſiſſimâ largitione, ac incredibili ſumptuum magnitudine, ſupremiſque virium contentionibus res acta eſſet; eum tamen habuit eventum, ut Polonis aſtutâ ſuffragiorum prævaricatione in alia omnia inclinatis, Cæſare & Erneſto, aliiſque competitoribus præteritis, Henricus Andegavorum Dux, Caroli noni Galliæ regis frater, in regem Poloniæ nominaretur, ſolenneſque legati, ad eum in regnum adducendum Lutetiam uſque Pariſiorum in Galliam mitterentur: iſque haud cunctatus, regnum capeſſeret, & Cracoviæ magna cum pompa coronaretur. Cujus quidem repulſæ offenſionem eo æquiore animo tulit, quòd conciliatis ſibi ejus nobiliſſimæ gentis primoribus, ſi res aliquando ad interregnum redirent, quin voti deſideriique compos evaderet, minimè deſperandum exiſtimaret.

Poloni, præterito Cæſare, Henricũ Andium Ducem eligunt.

His rebus in hunc modum conſtitutis, eodem ferè anno inteſtinis turbis in Moldavia, ac ſuperioris Pannoniæ partibus non modicè tumultuatum, & in Illyrico, cùm quieta omnia eſſent, agreſti plebe repentinâ ſeditione agitatâ, ſervilis propè tumultus excitatus fuit. Alexander Moldaviæ princeps, quem à Deſpote regno pulſum, eoque à ſuis cæſo, iterum reſtitutum ſupra commemoravi, ſub hoc tempus exceſſerat è vivis Rexundâ conjuge, ex vetere Deſpotarum Thraciæ ſtirpe progenita, ſingularis prudentiæ fœmina, ac quatuor liberis relictis, inter quos duo mares, Bogdanus & Elias erant, Bogdano ut natu majori jura principatûs dum mater vixit, ejus ingenio & conſiliis integra fuêre; poſtquam illa deceſſit, quum ſolus rerum potiretur, mox avarè & crudeliter imperium in ſuos exercere cepit, orſus à ſuperbia & contemptu ſuorum, variiſque levi de cauſa ſuppliciis ſumendis; ita ut brevi internecinum ac ſingulare ſuorum odium concitarat.

1572. Moldavici motus.

Alexander Vayvoda abit.

Relictis duobus filiis Bogdano & Elia.

Bogdanus in regno ſuccedit. A. 1572

Quod verò majorem ei conflabat invidiam, uxorem à proximis Polonis ducere, ſororémque Mattheo Sborocio, viro inter illos claro deſtinare, omnia exterorum conſiliis agere, eis magiſtratus & officia conferre; majorem anni partem in proxima Podolia cum Polonis verſari, aut certè in arce ſua Hutinia, quæ ſolo Hieraſſo, nunc Pruthe amne à Sarmatis dividitur, frequentes habere, ſpretiſque & neglectis Valachis, omnia conſilia cum eis miſcere; ita ut ſupra nimiam illorum conſuetudinem, patriam etiam religionem deſeruiſſe crederetur; poſtremò ad regem Poloniæ adhuc ſuperſtitem legatos miſiſſe dicebatur, provinciámque ſuam ejus clientelæ commendaſſe. Quæ Valachis Bojeriis, (quo nomine ipſi nobiliſſimum quemque ſuorum appellant) utpote Græci ritûs tenaciſſimis hominibus vehementer diſplicebant, qui cæteros religionis ritu ab eis diſſentientes acerbiſſimo odio proſequuntur. Igitur in eum regno pellendum, graviſſimis priùs criminibus apud Selimum, ac defectione ad Polonos, crudelique inſignium aliquot Turcarum cæde objectâ, accuſatum, tacitis conſiliis conjurârunt: ac quendam è ſuorum numero Ivoniam in ejus locum elegerunt, illúmque à Selimo ſibi principem confirmari clam poſtulârunt: idque à tyranno Chriſtiani potiſſimùm nominis hominibus ut plurimum iniquo, haud difficulter obtinuerunt.

Optimates illum apud Selimum accuſant.

Ivoniam quendã, illo abdicato, eligunt.

Bogdanus tantarum rerum ignarus, ſuique negligens & incurioſus, dum apud Polonos in urbe Camenecia abeſſet, ibique conviviis & choreis, ac ejus generis ludicris exercendis vacaret, conjurati occaſionem nacti, Ivoniam cum Tartaris & Carcaſſiis Ponti accolis, qui ei juſſu Selimi auxiliares aderant, in arcem Suchanam, quæ principum ſedes eſt, adapertis portis intromiſerunt. Ubi quum ille magnum tormentorum apparatum, ac ſulphurei pulveris copiam, cæteraq; bello neceſſaria, ab Alexandro, ad imminentes incertóſque caſus, abundè congeſta reperiſſet, exemplò concitatis ad arma, præter reliquas auxiliares copias, provincialibus, Bogdanum in arce Hutinia obſidione circumvallare decrevit. At ille, cùm ſe perfidè à ſuis deſertum, inſidiiſque circumventum, provinciam ab inimico & hoſte ſuo infenſiſſimo occupatam, perdita omnia, nullum niſi in fuga præſidium eſſe vidiſſet, attonito ſimilis, Hutiniam recurrendum duxit, collectiſque ibi, quæ repentè

conferr

1572.

Bogdanus cum fratre Elia in Poloniã refugit.

conſternatinne poterat, & convaſatis rebus, relicta hoſti provincia, ſimul cum fratre Elia in Poloniam profugit. Ubi à Martino Sborovio, cui ſurorem nuptui ſe daturum promiſerat, nec tamen dederat, non ſatis liberali ingenio conſilioque per inſidias captus, non niſi extorta ab eo, tametſi recenti calamitatis inſortunio oppreſſo, haud contemnenda pecuniæ ſumma, dimiſſus eſt.

Bogdanus variè adverſis jactatus ad Moſchum ſe confert.

Elias frater eius Conſtantinopoli periit.

Bogdanus à Moſcho hæreſeos ſuſpectus culeo inſutus mergitur.

Sed quum Polonorum viribus in regnum introduci contendiſſet, & res, quamvis tentata armis, improſperè ſucceſſiſſet, exilium aliquamdiu apud Polonos toleravit, poſtremò saluti conſulturus ſuæ, ſuſcepto per Auſtriam, ac deinde Saxoniam longo itinere demumque emenſo mari Balthico, ad Joannem Baſilium Moſcorum principem materno ſanguine ſibi junctum, ac in religionis placitis ſecum conſentientem pervenit, Sigiſmundus autem rex, paucis ante mortem diebus, Selimo eum ut fugitivum, læſæque Majeſtatis reum, unà cum fratre Elia repetenti, negavit illum in ſuo regno haberi. Sed Eliam egregiæ indolis adoleſcentem, ſpondente jurantique ejus internuntio eâ conditione tradidit, ne quid adverſi pateretur. Verùm infelici ſorte non multò poſt, dubium an non veneno quæſitâ morte, ut eſt barbarorum mos, Byzantii interiit. Bogdanum autem, quod Lutheranæ ſectæ ſuſpectus apud Moſchos eſſe cepiſſet, nec vana ejus rei extarent documenta, non toto vertente anno, Joan. Baſilius, ut erat ſævitiâ & crudelitate infamis, culeo inſui, & in profluentem ſubmergi juſſit: ſicque Alexandri Moldavi progenies quæ per multos annos regnaverat, ſublatis è medio per hunc modum adoleſcentibus filiis, ſtirpitus exciſa eſt.

Gregor. Carachondii ſomnia, & ſimulata vitæ auſterioris profeſſio.

In ſuperiori, quæ ultra Tibiſcum eſt, Pannonia, Gregorius Carachondius, ex oppido Nagibania oriundus, quod oppidum à noſtris Rivulum Dominarum, vocabulo incertæ originis vocatur, cognomen Nigri ex re aſſequutus, cùm ad oppidum Debrecenium, quo cuncta tam utilia, quàm fæda confluere ſolent, paucis ſervilis conditionis hominibus, ac pauperibus agricolis comitatus veniſſet, quæſito in domuncula quapiam hoſpitio, per aliquod tempus miram vitæ ſanctitatem, morumque continentiam præ ſe tulit: & quamquam eſſet damnatis variarum ſectarum opinionibus imbutus depravatuſque, tamen ſe à Deo Optimo Maximo inſtar Moyſis aut Gedeonis vetuſtiſſimorum priſci temporis vatum & heroum, ad liberandos è dira Turcarum ſervitute Ungaros cælitus demiſſum prædicabat: honores, & divitias, voluptates, cæteraque, quæ vulgus magnificit, ærumnas & miſerias appellere, animi fortitudinem ante omnia extollere, ſpem in Deo collocandam cunctis ſuadere: aleam, cædes, furta, rapinas, probra, & convitia & cætera id genus mala ſeriò deteſtari & prohibere; quæ ſi quis temerè committat, nunquam eum poſt hanc vitam cælitibus regnis potiturum: ſibi bonos genios à Deo miſſos, quotidie quæ gerat, quæve caveat, ſuggerere, victoriamque adverſus Turcas, cum exigua militum manu certam, polliceri; quod ipſe brevi re ipſâ demonſtraturus ſit, Turcicaque præſidia ſolo terrore, nec admotis armis everſurus.

Quæ quum non ſine ſumma gravitatis & ſanctimoniæ opinione apud rude imperitumque vulgus frequenter eſſet concionatus, divo haud dubiè ſpiritu afflatus eſſe, & futura quoque prænoſcere credebatur; tantumque ſibi nominis & vitium, totque ſectatores comparaverat, ut jam ipſum & ſocios, qui certatim ad eum confluebant, privatæ ædes quantumvis laxæ capere nequaquam poſſent, ſed proxima urbi in planicie caſtra metaretur; quæ nec vallo aut foſſâ, nec ullis tormentis muniebat, neque quemquam obire excubias, aut cætera militaria munia permittebat, quum ſe ſuoſque divinâ ope, ab omnibus hoſtium inſidiis tutos fore prædicaret. Quamquam autem hæc Nigri cepta, Nicolaum Bathorium, qui in arce Echedia, & Tiffenbachium, qui Sacmarii in propinquo excubabant, ad aliquam rerum novandarum ſuſpicionem adducebant; tamen tanta erat, tam militarium virorum, quàm togatorum ſingularis prudentiæ nomine inſignium, de Nigro concepta ſanctitatis opinio, ut eos omni ſuſpitione periculi liberare, ſecuroſque præſtare contenderent: & Debreceniani potiſſimum, factorum illius & dictorum oculati teſtes, pro eo ſe ſponſores offerre nequaquã dubitarent.

Magna hominum etiam armatorum multitudo ad illum confluit. Quorum pars Turcas aliquot palantes cæcidit.

Inſigne ejus robur.

Itaque quum jam in caſtris ad quinque millia armatorum haberet, & ea quotidie multorum mortalium concurſu vehementer augerentur: miſſi è ſuis nonnulli in morem latrocinii, Turcas aliquot in iis, quibus ipſe prædixerat, locis vagos palanteſque trucidarunt. Sed & ipſe, uti erat robuſtus & lacertoſus, ſoleam equi ferream in diverſum diſtrahebat, vomeremque novum & ſatis craſſum ſagitta perforabat: quæ ſimplex & ſtolida plebs non ſuis viribus, ſed inſtinctu numinis auxilioque fieri putabat. Quibus vanitatis adminiculis aliquamdiu famam & exiſtimationem de ſe vulgo conceptam utcunque ſuſtentavit; ſic ut milites Agrienſes quadam veluti religione tacti, Valentinum Helopæum concionatorem ſuum, qui è ſuggeſtu in illum impoſtoris nomine appellatum, acerbiùs fuerat invectus, magnis ſublatis clamoribus, tumultuoſiùs quàm par erat corripere: Stephanumque Batius nobilis & fortis eques, ad ejus caſtra militaturus proficiſci, illiuſque exemplo major Agrienſium pars ad eum catervatim ire non dubitarent; niſi eos Gaſpar Magocius præfectus, adhibitâ ſeveritate, minis & carcere, vinculiſque coercitos in officio continuiſſet.

Nigri hortatu, ſexcenti è ſuis caſtellum Turcicum S. Nicolai aggreſſi.

Ut autem Niger ſpecimen aliquod virtutis, ſanctitatiſque ſuæ ederet, ſuos cohortatus, ut ad caſtellum Sancti Nicolai, Turcarum præſidio cuſtoditum, quod à Bala amne nomen habet, proficiſcerentur: & cum primum proximè caſtellum accederent, futurum, ut ejus mœnia vel ad inſtar antiquæ Hierichuntis ab priſco Joſua dirutæ, ultrò proſternerentur, vel delapſo cælitus igne cum omnibus Turcis conflagrarent, nemine ex ſuis amiſſo, ſed ne læſo quidem. Igitur ſexcenti è numero ſuorum promptiſſimi nomina ſua ſponte dant, qui id experiri in animo habebant. Turcæ eorum adventu ab exploratoribus, quos in caſtris, ex tributariorum agricolarum numero habebant, cognito, ubi eos haud procul abeſſe conſpiciunt, ſtramina & arundinum ſtrues, ac purgamenta, quæ de induſtria circa caſtellum congeſſerant, igne injecto ſuccenderunt. At illum ignem Nigriani è cælo demiſſum, juxta deliri & fanatici ducis vaticinium eſſe exiſtimantes ſeſe mutuò cohortari, & accendere, vociferantéſque ad caſtellum manu capiendum citato gradu temere procurrere. Tum verò propius vallum illati, caſtellum integrum, illæſumque vident, nec tamen retrocedendum arbitrati, impetu nequaquam intermiſſo, illud

ag-

1572. aggrediuntur. Sed Turcæ tormenta majora minoraque, quæ antea ad id ſummâ arte diſpoſuerant, ita in ſubeuntes diſplodenda curarunt; ut complures ex procurrentium agmine ſternerentur, aut illatis vulneribus debilitarentur.

Ubi rem minus ex Nigri vaticinio ſuceeſſiſſe viderunt, cogitabundi & triſtes, quemadmodum deceptis in re quapiam accidere ſolet, retro unde venerant, in caſtra redire cæperunt. Sed quum in Saſuarem Mahmuti Solnocenſis præfecti alumnum legatumque incidiſſent, qui audito tormentorum ad Sanctum Nicolaum fragore & ſtrepitu, cum DC. equitibus, & aliquot peditum centuriis accurrerat, quos quadrigis levioribus celeritatis cauſa impoſuerat, nec patentibus in campis ullus effugiendi locus eſſet, prælium acre & diuturnum cum eo & Turcis inierunt, ita ut duobus & amplius horis ſine intermiſſione pugnaretur, ac plurimi utrinque occumberent. Sed quum Turcæ numero & viribus ſuperiores, in eos & pauciores, & multo itineris pugnæque labore feſſos, ſudore madentes, acriorem impetum feciſſent, circumventi hinc ab equitum alis, illinc verò ſclopetariorum cohortibus, & in orbem pugnare coacti ad extremum victi terga dedêre: amiſſaque amplius dimidiâ ſuorum parte, ad Nigrum in caſtra redierunt.

A Turcis circumventi miſerandum in modum cæduntur.

A quibus quum ille calamitoſum rerum ſucceſſum accepiſſet, nihil ſe animo demittens, fuiſſe inter cohortes viros incredulos, ac dubiæ fidei reſpondit: qui perverſis animis, prædæque cauſa, non aſſerendæ religionis exiſſent: ideoque Deum Opt. Max. eis turpi & indecoro lucro inhiantibus proſperum ſucceſſum eripuiſſe, porrò ſe propediem copiis luſtratorum, ac cum selectiori manu caſtra ſub Solnocum promoturum, palamque omnibus oſtenſurum, quantum vera in Deum fides valeat, cum continentibus ultro divinâ vi, ac miraculo mænibus hoſtes ſibi & ſuis opimæ prædæ obventuri ſint. Sed quum in primæ pugnæ eventu dictis ejus & vaticiniis exitus minimè reſpondiſſet, ac promptiſſimi quique ſuorum ſtultæ ſuæ crudelitatis pœnas morte perſolviſſent, ſpes cæterorum frangi ſenſim ac debilitari, atque adeo longè imminui cepêre; ut jam inſolentiùs & contemptiùs, per contubernia de eo obloquerentur, nec ſatis juſſis ejus & mandatis obtemperarent, quanquam nec deerant adhuc nonnulli, qui ſegnes ſociorum mentes expectatione novarum è Siculis copiarum, ac novis miraculis, quæ jam jam ab eo edenda forent, exiſtimationem ejus & famam ſuſtentare conarentur; nec citâ ac præproperâ deſperatione animos deſpondendos putarent.

Salusci mania ubi exercitum ſuum admaverit, caſura Niger vaticinatur.

Eo modo quum inexplicatis conſiliis, ac convulsâ & debilitatâ ejus auctoritate quamplurimi è caſtris dilaberentur, majoreſque indies difficultates, & in exercitu fames, ac rerum omnium inopia ſuboriri & creſcere viderentur, literas & nuntios ad prætorem, & cives Debrecenianos miſit, juſſitque, ut de commeatu quamprimum, quantum ſibi & ſuis ſuffecturum putarent, abſque mora providerent. Sed quum apud eos quoque obſoleta ejus fides eſſet, multumque de ea deceſſiſſet, illi mandata obaudire, nec de commeatu quicquam penſi habere. Quorum negligentiâ permotus itàque percitus, quum ſe ab expeditione Solnocenſi, importuna eorum ceſſatione dejectum quereretur, cum ſua peculiari triecenaria cohorte (cujus milites divinas animas vocare ſolebat) Debrecenum ire conſtituit, ut celeriùs in ſua fata traheretur.

Cùm in oppido ad domum Joſephi Carduſſi divertiſſet, quæ erat in foro & prætorem eò acceſſe adum curaſſet, venientem multis & acerbis probris & conviciis proſcidit; ſuiſque iracundâ voce imperavit, ut eum confeſtim abreptum ad januam domus ſuſpenderent. Illis juſſa exequi paratis, & jam laqueum parantibus, dum prætor extremo perfuſus metu, cum paucis ſe, quantum poteſt, tuetur; quidam ex ſuis trepidi diffugiunt, ac per plateas, & angiportus diſcurrentes, plebem ad arma concitant, quòd prætorem immerentem, inſpectante populo, ad extremum pertrahi ſupplicium, indignum minimèque ferendum clamarent. Promiſcua illa & efferata, ſumptis repentè ſclopetis, & quibus potuit varii generis armis, domum, in qua Niger cum prætore pugnabat, circumſidet: quam tametſi Nigrani acerrimè defenderent, tamen oppidani viribus, & multitudine longè ſuperiores, perforato bipennibus & dolabris ligneæ domûs pariete, prætorem periculo eripiunt: & Nigrum cæsâ aut captâ & diſſipatâ majori ſuorum parte, vulnere etiam perſtrictum capiunt. Ita in magna omnium trepidatione, conversâ repentè fortunâ, prætor odio atque iracundiâ exacerbatus, reddendæque invicem talionis cupidus, illum manibus poſt tergum revinctis tortori tradit, ac ad locum mediâ in Civitate plectendis noxiis dicatum perduci, ibique capitis ſupplicio affici jubet; atque hic fuit doli & fallaciarum, ſeu certè ſtultæ ſuperſtitionis ejus infelicis hominis exitus. Cujus fine audito cæteri in caſtris quemdam è numero ſuorum, Ladislaum Sucium eligunt, qui tum vindicandæ necis ſanctiſſimi viri ut ipſi vocabant, & prætoris ulciſcendi partes ſibi ſumere, tùm verò deſtinata à Nigro exequi, contenderet: Sed Nicolaus Bathorius ne ex hac reponſa flamma graviora incendia gliſcere poſſent, miſſis equitibus ſuis illum è medio tollendum curavit: quo ſublato cætera colluvies promiſcuæ multitudinis in varias partes & regiones dilapſa eſt.

1572. Niger prætorem Debrecenienſem dum ſuſpendi jubet, A promiſcua plebe appreſſus capitur, cervixque illi præciditur.

Par metus & trepidatio, ex Illyrico, niſi maturè proviſum fuiſſet, expectabatur: Nam agricolæ & Ruſtica plebs repentinâ in dominos ſeditione concitatâ, quod ſe intolerandis ſervilium operum laboribus, ac pecuniariis exactionibus ſupra vires, & æquum gravari quererentur, temere arma ſumpſerant, facto in ea regione, quæ Colapim & Savum flumina interjacet, initio. Nec mora, cum ad decies mille perditiſſimorum hominum incondita multitudo ad arma confluxiſſet, primò obvias in propinquo nobilium domos, quæ aut minus munitæ erant, aut à paucis cuſtodiebantur, expugnare ac conſumpto, qui intus reperiebatur, commeatu, diſſipare, ac funditus delere inceperunt: acciditque ut prima omnium Georgii Puneci domus, non ita pridem Byzantianâ captivitate elapſi, in planicie Samoborienſi ſita dirueretur. Itum deinde eſt verſus Savum, eodem ubique terrore circumducto; & ſi qui Nobilium fortè in manus incidiſſent, ii confeſtim necabantur.

Gubeciana ſeditio ruſticorū A. 1573

Decem millia perditiſſimorum in Nobilium maximè fortunas graſſantur.

Cùm Savum attigiſſent, ac tranſitum molirentur, nuntios ad Carnos & vicinos populos miſere: qui dicerent ſe communis libertatis cauſa, arma adverſus nobilitatem ſumpſiſſe, cujus crudelitates & inſolentias non ampliùs tolerare potuiſſent, quum nullum in eos graſſandi pro libidine modum aut finem facerent: propterea hortari & monere eos, ut animos viresque

Carnos & vicinas ut ſecum vires conjungant, hortantur.

ſuas

1572. ſuas conjungere maturent. A quorum nonnullis, qui inter Suclam amnem, qui Stitiam ab ea Illyrici parte, quam recentiores Sclavoniam vocant, dirimitque inter Dravum flumen ſiti ſunt, reſponſum eſt, tranſirent tantummodo Savum ac ulteriùs progrederentur, propediem in campis Petovioni, aut Varaſdino ſubjectis, arma cum eis ſociaturos, & eandem belli fortunam ſubituros. *Tahii villas devaſtant.* Itaque trajecto Savo, in villas, & amæniora Franciſci Tahii prætoria, quæ ille ad otii ſolatia rebus ſuis florentibus extruxerat, igne ferroque ſævierunt. Fama fuit illos Ambroſii Gregorancii clandeſtinis conſiliis inductos, hoc genere crudelitatis in bona fortunaſque illius majore invidiâ debacchatos eſſe, qui eo tempore cum Tahio capitales inimicitias atque odia exercebat.

Jam haud procul ab Stubica inferiori, in qua thermæ languentibus ſalubres effervescunt, pervenerant, ibique poſitis caſtris, & miſſis quaqua verſus prædonibus obvia Nobilium bona ædeſque, ſine diſcrimine urere, & vaſtare non deſinebant: plurimique indies ex juventute agreſti ad eorum caſtra agminatim concurrebant. Et quum ad multa millia ſceleratæ colluvionis in unum confluxiſſent, *Matthæo Gubecio Duce.* ducem ſibi quendam Matthæum Gubecium elegêre, quem inter reliquos conſilio & manu promptum, ac invidiâ in nobilitatem exacuendâ, linguæ immodicæ atque implacabilis eſſe judicabant: eique regii nominis titulum temerario auſu indiderunt.

Interea Georgius Draſcovitius Epiſcopus Zagrabienſis, qui Comite Slunio vitâ functo ſolus magiſtratum Illyrici, quem Banatum vocant, obtinebat, convocato concilio, quomodo extinguendis hiſce atrocibus flammis obviam eundum eſſet, ne illæ in majus incendium erumperent, conſultandum maturè exiſtimavit. Una erat via, quâ perditiſſimi conatus coërcerentur, ut nobilitas arma ſumeret, ſubſidiaque militum ſtipendiariorum, quibus Germani duces Vitus Hallecus, & Herbatus Auerſpergus imperitabant, in ſocietatem adderentur, & communibus viribus profligatæ temeritatis hominum audacia retunderetur. Sed Germani abſque permiſſu Cæſaris, ſe in aciem prodituros negabant. Mittuntur igitur Viennam ad Cæſarem ſine mora Simon Queglevitius, & Joannes Berzejus, qui ab eo mandata obtineant, quibus illi ad ferendum laborantibus ſociis auxilium concurrere jubeantur. *Gubecius Stubiciā occupat.* Sed dum nuntii diutiùs detinentur, interea Gubecius Stubiciam dedentibus ſe iis, qui intus erant, occupavit: miſſiſque illinc nuntiis in omnes partes promiſcuæ agreſtium turbæ ſignificavit, locum eſſe in poteſtate: quo audito plures ex eorum colluvie ad prædæ ſocietatem invitatos in caſtra recepit. At Draſcovitius & Nobilitas metu perculſi, ac præoccupandos hoſtes rati, non expectato nuntiorum reditu, ac Germanorum auxiliis, quæ ſera eſſe prævidebant, duos duces, qui ſuis in aciem ducendis præeſſent, *Queglevitius & Alapinus contractis copiis ruſticas fundunt fugantque.* celeriter deligunt, Matthæum Queglevitium, & Gaſparem Alapinum, jubentque ſedulò ut operam dent, ne quid detrimenti reſpub. accipiat.

Igitur cùm DCCC. circiter equites ſummâ celeritate conſcripſiſſent, ac cohortes, quæ ad cuſtodiam Colapis publico regni ſtipendio alebantur, è præſidiis in caſtra deduxiſſent Stubiciam verſus ire contenderunt. Quos ubi Gubecius adverſum ſe progredi animadvertiſſet, ſuos ut arma caperent juſſos, paucis verbis cohortatus in aciem eduxit; hunc diem, hanc pugnam fore, inquiens, quæ eis decus & libertatem, ſi victores evaſerint, allatura ſit; ſin 1572. victi terga dederint, nullum genus crudelitatis, ac deformis cruciatus dici queat, quod in eos ab immanibus & efferatis nobilibus non ſit pertimeſcendum. Itaque ſe viros præſtare, & præſenti fortique animo arma tractare contendant, ut aut egregiè vincendum, aut væ victis expectandum ſtatuant. Nobilitatis ex adverſo duces, aciem ita inſtruxêre, ut pedites ſclopetarios in medio conſtituerent, equitibus verò utrinque per cornua diſtributis darent in mandatis, ne quampiam in irrumpendo moram facerent, nec quicquam numero aut multitudine hoſtium terrerentur: hos eſſe ab aratris & ligonibus, ac id genus ruris operibus in militiam, ſi Diis placet, aut latrocinium potiùs exercendum translatos; cætera ex eodem inſtituto fœditatem & turpitudinem in moribus, in bello gerendo nullam diſciplinam, nullum robur, nullas vires, potiorem ſi quæ ſit partem ex ſicariis & aleatoribus Carnorum, incendiariiſque coactam; mox cùm inſolitos enſes, ac vulnera & ſanguinem viderint, fœdam fugam daturos.

Cùm utrinque magno clamore ſublato, acies confertis manibus concurriſſent, Gubeciani præter expectationem diu ancipiti prælio certavêre, ita ut aliquot ex noſtris icti glandibus interirent, inter quos Ladislaus Ploudinus equitum ductor fuit. Sed quum hinc à peditatu & ſclopetariis, illinc ab haſtatis equitibus, acerrimè preſſi cederentur, ad extremum Nobilitas, ut cauſa, ſic armis potior atque ſuperior, eos pedem referre, denique effuſam fugam capeſſere coëgit. Cæſi paſſim in fuga, aut capti omnes, pauci in ſilvis & montibus, per abditiſſimas latebras vitam ſervaverunt. Cæteri, qui indies ad fœdus & ſocietatem *Sævitia in captivos.* venturi expectabantur, auditâ agreſtium clade & Nobilitatis victoriâ, metu perculſi, qua quiſque potuit, diffugêre. Sævitum in deditos & captivos haud modicè eſt, adeo ut ut paſſim per propinquas arbores, & pagorum ædificia, longuriis tranſverſim junctis appenſi, prætereuntibus ſpectaculo eſſent: & in una præalta & ramoſa ſilveſtris pyri arbore, quæ ſecus viam militarem fortè enata erat, ſexdecim aut ampliùs infelicium ruſticorum corpora, ſuſpenſa reſtibus, agitandaque ventis, & volucribus carpenda exponerentur: nonnulli verò abſciſſis naribus & auriculis mutilati, perpetuam fœdamque rebellionis & gladii in dominos nefariè ſtricti memoriam geſtaturi dimitterentur. *Gubecii ipſorum Ducis immane ſuppliciū.* Gubecius ipſe funeſtus ſcelerati exercitûs dux, atque ut ipſi vocabant, rex quod graviſſimum Nobilitati ejuſque ducibus fuit, vivus in poteſtatem venit, Zagrabiamque perductus eſt. Ubi quum priùs de Andrea Paſſanecio, ejus in exercitu legato, inſpectante ipſo, capitale ſupplicium ſumptum fuiſſet, ipſe poſtmodum ignitis forcipibus immaniter laceratus, ac ferreâ coronâ, eaque candenti caput redimitus, poſtremò in quatuor fruſta more latronum diſſectus, meritas ſceleris, & uſurpati regii nominis pœnas perſolvit; vel eo nomine graviore irrogato ſupplicio, quòd adhuc complurium ſenum animos, qui in vivis eſſent, infauſtæ ac diris omnibus devovendæ Georgii Siculi in excidium nobilitatis initæ rebellionis memoria non ſine horrore ſubiret, qui olim omnium mortalium corruptiſſimus, & depravatiſſimus, malignis fatis ſic ferentibus, Pannoniæ regnum & Chriſtianam rempublicam ſummâ perfidiâ atque impietate perturbaſſet.

DE

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXV.

1572.

INTEREA Cæſar Maximilianus magnum præſidium ad domeſticam potentiam acceſſurum ratus, ſi inaugurationem filii ſine cunctatione exequeretur, curatis non ſine magno ſtudio omnibus iis, quæ ad eam pertinebant, illum quidem ſplendidiſſimo comitatu inſtructum, terreſtri itinere præmiſit; ipſeque nihil moratus, ad finem menſis Sextilis, ſecundo Danubio, ad alia ejus anni comitia navibus vectus deſcendit, ita ut eodem die uterque Poſonium veniret; ſed Cæſar aliquot horis præceſſiſſet. Convenerant Ungari quoque tot & tantis, per retroactos annos jactati calamitatum procellis, eo quo majore & ſplendidiore poterant numero & apparatu; ſic ut bis mille & quingenti equites, nullo ex confiniis milite ſubducto, egregiè auro & argento compti & exornati, ſpectatuque imprimis digni, in caſtris patenti in campo prope urbem poſitis recenſerentur. Hoc primum tempore Ungaros ſcuta oblonga atque inflexa, quibus hactenus domi militiæque uſi erant, agilitatis cauſâ abdicaſſe conſtat, auctore Georgio Comite Zriniano, ita ut thorace ferreo & galea, haſtaque contenti eſſe incepiſſent. Quem morem à Turcis quoque uſurpatum, & id genus armorum, ut nimio geſtantibus oneri, intermiſſum eſſe videmus.

Maximilianus Cæſar ad coronationem filii Poſonium contendit.

Ungari ſcuta oblonga abdicant.

Proceſſit equitatus & nobilitas armis equiſque fulgentibus novo regi obviam per pontem, quo Danubius è pontonibus & navibus conſtratus erat, uſque ad metas, quæ Ungariam ab Auſtriæ finibus diſtinguunt: & cùm ille ad turriculâ deſertam, quæ in bivio, quo hinc inferioris Ungariæ pars versùs Fertonem lacum & Soporinium ad lævam ſita eſt, illinc verò ad dextram Auſtriæ limina adeuntur, cum exercitu & tormentis perveniſſet, Nicolaus Barborius, cui imperium copiarum & nobilitatis demandatum erat, & Balthaſar Battianius eum nomine publico ſalutavêre, gratumque omnibus ejus adventum teſtati, ut regnum ſibi curæ eſſet vellet, oraverunt. A quo ingenti ſpe onerati, iterum ad copias, quæ inſtructâ in campo acie, ſigniſque Danubium versùs, regem p[illegible] & regredi juſſerunt.

Cùm Copcininum tranſiſſet, Verancius Archiepiſcopus, cum multis majorum minorúmque ordinum ſacerdotibus, ac nonnullis togatis, clari nominis viris, inter pirorum ſilveſtrium arbores, quæ in agro frequentes ſunt, regem eleganti oratione excepit: quâ minimè mirandum eſſe commemorabat, quòd è regno & provinciis annexis, quondam armorum gloriâ, & fortium virorum frequentiâ clariſſimis, ad coronationis pompam exequendam copiæ opinione pauciores conveniſſent: poſtquam ab hoſtibus continuâ & ferme quotidianâ populatione, & cædibus, ac captivitate, ad contemnendum ferme numerum redacti, hoc quoque, quod exiguum conſpiciat, agmen, vix ægre coëgiſſent. Se tamen & omnes Ordines magnâ certâque ſpe teneri futurum, ut Cæſare patre & ipſo, ſecundùm Dei immortalis opem annitentibus, arma propediem expediantur, quibus regnum olim dives & opulentum, ac omnibus ad vitæ militiæque uſum neceſſariis dotibus benignè & largiſſimè à natura ornatum, redivivâ virtute reſurgat, ac ejectis barbaris priſtino nitori reſtituatur. Ad quam à Johanne Ulrico Zaſio, Romani Imperii Vice-Cancellario, eâ, quâ decuit, ſermonis elegantiâ & brevitate reſponſum fuit. Poſtquam dicendi finis factus eſt, rex in arcem ad inviſendos, ſalutandoſque parentes, deinde illinc in Archiepiſcopi ædes urbanas, cæteri ad caſtra hoſpitiaque receſſerunt.

Verantius Rudolphum Regem eleganti oratione excipit.

1572.

Zaſius illi reſpondet paucis.

Deinde aliquot dies extracti ſunt diſceptando, ac ſumma verborum contentione agitando; cùm nobilitas Germanos, ut inſolentes & libertatis Ungaricæ oſores, præfecturis moveri, & Palatinum creari debere contenderet, cujus officium, cùm aliis rebus gerendis, tum verò declarando, coronandoque regi adeò neceſſarium videri, ut abſque eo nihil fieri queat. Nec equeſtris ordo, niſi compos voti foret, contentioni pertinaciæque finem facturus videbatur, niſi ſenatorii ordinis Optimates, iiſdem, quibus antea rationibus, atque artibus, ea omnia ad commodiora & aptiora tempora diſtuliſſent, & nobilitatem quamquam initio propoſiti tenacem in ſuam ſententiam pertraxiſſent. Nec tamen pati omnium conſenſu diſſimulandum rati ſunt, quin tam Cæſari quàm novo regi pro tuenda libertate & majorum inſtitutis defendendis multas querimoniis preces deferrent: ſcriptoque declararent, quibus modis, per quos, quàm enormiter vetuſtæ immunitates lædi ſoleant, & quàm gravis odioſaque ſit eis exterorum dominatio. Quorum omnium ſe memores futuros, & obviam malis ituros polliciti ſunt: ac tandem XXV, Septembris dies, perficiendis coronandi regis cerimoniis decretus eſt.

Hungari Germanos præfecturis amoveri debere. Et Palatinum creari contendunt.

Quo die non alio ritu, religione, ſolennitate, locis, templis, quàm quibus ante novem annos dum Maximilianus eodem diademate exornaretur, omnis pompa finita eſt: imponente capiti regis coronam Verancio Archiepiſcopo: aſtantibuſque de more Epiſcopis. Subſecuta illico eſt fauſta populi acclamatio, ac gratulantium inconditæ voces hilaritatiſque plenæ, nec non tubarum ac tympanorum ingentes ſonitus; & in urbe ac propugnaculis & turribus tormentorum fragor & ſtrepitus; & omnia quæ in hujuſmodi feſtivis fieri aſſolent: quæ nunc denuo enumerare ad alia properanti non eſt animus. Miniſtravêre Cæſari & regi ſimul diſcumbentibus illuſtres Ungari juvenes, epulas menſis afferentes, quos Balthaſar Battianius Dapiferis præpoſitus, cum eburneo bacillo præceſſit: à poculis Michael Vardanus fuit: & equum aſcendenti Emericus Czoborius frenos rexit, quòd Franciſcus Tabius ſtabuli præfectus, cujus id officii erat, lethali oppreſſus morbo abeſſet; quo etiam non ita multo poſt è vivis exceſſit.

Inauguratio Rudolphi 25. Sept. 1572.

Epulum Cæſ. & Regium.

1572. *Chorea.*

Remaris menſis juventus militaris, & illuſtrium virorum liberi adoleſcentes choreas in cavædio domûs duxêre; inter quos Valentinus Balaſſius, Joannis nuper in gratiam recepti filius, alterum & vigeſimum natus annom, eo genere ſaltationis quam noſtris opilionibus propriam & peculiarem, vulgus exterorum, omnibus æquè Ungaris communem putat, palmam obtinuit, quum Cæſar & rex, cæterique principes illum, veluti Panes & Satyros imitantem, modò retractis, mox divaricatis in terram cruribus ſubſiſtentem, modò ſaltuatim ſe attollentem, ſublimi è podio non ſine voluptate ſpectaviſſent.

Eperieſſi ut jus dicatur, à Cæſare poſtulatum.

Sub finem Comitiorum poſtularunt ordines à Cæſare, ut circa ſextum Calendas Majas, ad diem Divo Georgio ſacrum Eperieſſi jus dicendum juberet, quòd ſuperioris Ungariæ incolis longum & difficile iter Poſonium venientibus foret. Id quidem Cæſar, ſi judices illud iter non detrectent, quod neque à Nadaſdio Palatino, neque ab Olaho impetrari potuiſſet, ſe non abnuere reſpondit. Quum igitur ad Veranteium, qui ſummo eo magiſtratu, quem locum tenentem vocant, fungebatur, & cæteros judices tabulæ regiæ (ſic Ungari prætorium tribunal vocare ſolent) frequentes conveniſſent, non magno labore obtinuêre, ut Eperieſſum profecti, adminiſtrandis legibus vacarent: & Verancius quidem obſequi nobilitati cupiens, nec ſenio viribuſque ſuis diffiſus, quum ſequenti vere illuc ſe contuliſſet, moleſtâ ſubortâ febre, ſeptuageſimo tertio ætatis anno è vivis migravit; eique Cæſar Stephanum Radetium Epiſcopum Agrienſem, ærariique præfectum ſubſtituit, virum bonarum literarum peritiâ, pariter & legum ſcientiâ inſignem, qui poſtea ſtatis temporibus judicia Eperieſſi exercuit.

Anton. Verantius eò profectus è vita migrat. Radetius Epiſcopus Agrienſis ei ſubſtituitur.

Finitis comitiis Cæſar Caniſanam præfecturam, quam poſt infelicem Thurii cædem Valentinus Banffius Thallocianus à Suendio ad id muneris commendatus bene geſſerat, ſed nuper Viennæ deceſſerat, Gaſpari Alapiano attribuit: qui commendatione nonnullorum in notitiam Cæſaris venerat: quamquam ut exitus docuit, nihil præter generis nobilitatem, quâ nonnullos proceres attingebat, ad militiam attuliſſet. Cùm enim cuſtodiæ loci, ac exercendæ diſciplinæ militari ſegnius quam par erat invigilaret, incredibile ab hoſtibus in rem ſuam intentis detrimentum accepit. Erat in præſidio Sighetano Alys præfectus, quem Turcæ Sirum vocabant, vir militaris, & inquieti animi, quo etiam cognomine à noſtris erat inſignitus. Is cùm non ita pridem è Solnoco Sighetum veniſſet, gregarii ordinis miles Gaſpar nomine, ſive mobilitate ingenii, quâ laborabat, ſive aliqua ab Alapiano, quo transfugio prætendebat, affectus injuria, ad eum profugit, eique operam obtulit, qua oppidum Caniſianum intercipi poſſet, ſi per ſtagnantis aquæ glaciem, ſuperata à peditibus foſſa, validius invaderetur: quod fieri parvo labore poſſe putabat ab ea parte, qua arx ab oppido adibatur, & ubi nullum irruentibus vallum obſtabat, quod noſtri ex ea parte ſe aquis profundioribus tutos eſſe rati, non niſi tenui ſepimento locum præſepſiſſent, quod minimo labore punctoque temporis disjici poſſet.

Canìſa præfectura, Banffio demortuo, Gaſpari Alapiano commendata Nìugbatatlan. Aly Sigethanus præfectus Caniſam ex inſidiis intercipere molitur

Itaque Alys rem à Turcis, qui capti iſthic ſervierant, locorumque periti habebantur, diligenter percunctatus, nec ob compertam & exploratam imbellis & incurioſi præfecti deſidiam de ſucceſſu dubitans, fortunam experiri conſtituit. Nec diu moratus, conſilio cum paucis communicato, validas è ſuis præſidiis, ac iis, qui Soclosii, Quinqueeccleſiis, Capoſiæque & aliis locis erant copias collegit, & Seguſdinum cum iis venit, ac illinc primis tenebris & ſilenti agmine profectus, ad noctem lucente lunâ Caniſiam pervenit. Et cùm non procul ab arce ſaltuoſo quodam in loco conſediſſet, Gaſparem transfugam cum aliquot Turcis præmiſit, qui perluſtratis ſemitis glacie concretis, per quas in oppidum irrumpendum erat, ad ſe reverteretur. Hæc hoſtium conſilia certiùs explorata, Naſuffus Szubicianus, Chriſtianis parentibus ortus, qui Seguſdio præerat, Alapiano per literas accuratè perſcripſerat, ut vigilaret opportunè admonuerat: ſed ille inefficaci & deſidioſo animo id neglectui habuerat, non aliam ob cauſam, quam quòd illum, galeam deauratam pro fideli opera petentem, avaritiâ ductus, non ſatis certa aut explorata attuliſſe ſuſpicaretur.

Alapiani incuria conſiliis hoſtium detectis.

Fortè tunc erat ultimus dies ejus temporis, quo elabente Chriſtiani carnibus poſtea abſtinere ſolent, ideoque non ab Alapiano ſolùm, ſed etiam à militibus & minoribus præfectis genio indulgentibus, in multamque noctem potantibus, vigiliæ ſegnius obibantur. Unus ex equitum ductoribus, Stephanus Iſthuanffius egregiâ virtute juvenis fortè aliquid de conatibus hoſtium ſubodoratus, quatuor equites ſuos ſpeculatum extra oppidum miſit, ut ſi quid certi comperiſſent, ſine mora citatis equis reverterentur. Verùm illi uſque ad dimidiam noctis, nondum hoſtibus ad deſtinatum locum pervenientibus, in excubiis perſeverando, ſive expectationis tædio ducti, ſive frigidioris aëris injuriâ compulſi, importuno conſilio redierunt, tuta ubique omnia eſſe referentes. Interim Gaſpar cum aliquot Turcicis peditibus per notos tramites ſuſtinente glacie nemineque prohibente oppidum ingreſſus, Germanum militem teſſerarium obtruncat, ac relato cæſi capite, ad locum, ubi Alys conſtiterat, revertitur: & Caniſianos ſomno vinoque obrutos, ſummum agitare ſilentium refert.

Ultima die Bacchanalibus ſacra urbem vino ſomnoque ſepultam adoriuntur.

Ille jam non ampliùs cunctandum ratus, ſupra octingentos milites, ex omnibus cohortibus lectiſſimos, ducibus Taſquino & Cutto equitum ductoribus, immittit; atque illi noctis beneficio uſi, præeunte transfuga, nulloque animadvertente, irrumpunt; Alys eodem in loco expectabundus conſiſtit. Cùm in forum perveniſſent, clamorem attollunt, atque obvios quoſque trucidant; deinde agminatim, aut ſparſim per manipulos, ut cuique arbitrium erat ad rapinas & cædes dividunt. Multi nullum hoſtem adeſſe rati, ſed milites ejuſdem diei conſuetudinem temulentos obambulare exiſtimantes, ne ferrum quidem, niſi ſerò & ab hoſte jam undique clauſi & oppugnati ſtringere potuerunt: plures in lectulis & contuberniis oppreſſi, captique aut interfecti ſuêre. Solus Iſthuanffius animadverſo periculo, conſcenſoque potiori, quem habebat, equo & cæſo, qui occurrerat hoſte, cum uno aut altero ex famulis in arcem profugit: ubi ab iis, qui intus erant, pro hoſte habitus, ac glandibus petitus, tandemque agnitus & intromiſſus eſt. Michaëlem autem Tacaronem, veteranum præfectum, quum ab improviſo hoſte repente circumventus eſſet, & pertinacius, ne in manus hoſtium veniret, ac diutius pugnaſſet, fæno & ſtraminibus incenſis, & per effractas domûs feneſtras

Capiunt & trucidant obvios quoſque.

1573. feneſtras injectis, denſioris fumi caligine præcluſo ſpiritu mori coëgerunt.

Tum verò alii atque alii ad diripiendas domos & equos è ſtabulis adducendos converſi, direptis illis, multos etiam promiſcui ſexûs mortales pueroſque & fœminas cepêre, & ad Alym in proximo ſaltu agitantem, nuncios cum aliquot captivis miſêre, oppidum in poteſtate eſſe ſignificantes. Quo audito hoſtes, qui cum eo erant, lucri cupidine illecti, nullo cujuſpiam imperio curato, ſociis per oppidum prædæ intentis ſeſe miſcuerunt: pauci ex hoſtibus, dum incautiùs populantur, interfecti aut vulnerati fuêre. Thomas Poſgajus, egregius fortiſque miles, & viarum peritus, ob idque Turcis inviſus, dum reponendæ in tutiorem locum, abſcondendæque pecuniæ incautius quàm periculum poſcebat, incumberet, vivus captus eſt: ac infinita variarum rerum præda, ex oppido omnibus rebus neceſſariis repleto, abducta: adeo ut hoſtes à prima noctis vigilia, ad uſque hibernæ diei crepuſculum, ſatis longo temporis intervallo, populando, & pro libidine hoſtilia omnia exercendo, impune graſſarentur. Qui autem in arce erant, quòd & pauciores eſſent, & nocturni temporis incertos caſus, ac inſidias vererentur egredi, & ſuis laborantibus opem ferre, neque tutum neque è diſciplina eſſe arbitrabantur. Tormentis tamen tantùm in incertum emiſſis, ſine ullo hoſtium diſcrimine, irritis fragoribus & ſtrepitu fulminabant.

Ingens ab hoſte variarum rerum præda abducta.

Per hunc modum capto & direpto oppido, ac omnibus, quæ in eo erant, ablatis, Alys incruentâ potitus victoriâ, incolumes multâque ditatas prædâ copias reduxit, ac triumphanti ſimilis, Sigherum invectus eſt. Præter aliarum rerum prædam, cujus magna vis & copia fuit, mille & amplius hominum capita, DCCXLVIII. equos ablatos eſſe conſtat: quorum parte meliore ſibi retentâ, reſiduum ſub haſta vendidit, & inter milites diviſit. Sed tormenta duo juſtæ magnitudinis, quæ in fori eminentiori clivo poſita erant, jugis boum ibidem repertis ſecum attracta, in munitione Sigherana, è regione ædium ſuarum collocanda curavit: poſtea multos impuberos pueros; ac formoſiores è captivis puellas, cum vexillis & Thoma Poſgajo, ad Selimum & Mehemetem purpuratorum principem Byzantium dono miſit: ubi Poſgajus, quòd Turcæ viarum peritis, qualem eum eſſe non ignorabant, minimè parcendum putent, ſimul cum Gregorio Docio nobili equite, non ita pridem in oppido interioris Ungariæ Simandio, in quadam excurſione capto, apud Boſphorum Thracium, in mare merſus interiit. Et quamquam hoc tale tantumque incommodum incuriâ Alapiani improſpere evenerat: & is majus ſocordiæ, quàm virtutis ſpecimen, male adminiſtrata republica, dederat; tamen quum Draſcovitius in locum Seluñii morientis alium ſibi conſortem magiſtratûs adjungi poſtularet, neque quiſpiam alius occurreret, eum collegam, indulgente Cæſare accepit: & is tradita juſſu Cæſaris Georgio Comiti Zriniano Caniſa, in Illyricum reverſus eſt.

Alapianus Draſcovitio in Illyrica adjungitur.

Georgius verò Zrinius Caniſæ imponitur.

Sub id tempus inter Bathorium Tranſilvaniæ principem ac Bequeſſium ex variis ſimultatum graviorum diſſenſionibus, quæ inter eos ex mutua æmulatione ſubortæ erant, ſubitum atque inteſtinum bellum erupit: quod occultè primò ſuſceptum, non multo poſt abſque ſudore & ſangine in præſens geſtum atque confectum fuit. Odiorum origines & cauſas jam pridem, vivo Joanne Sigiſmundo exortas eſſe, dum illi per ſpeciem legationis amandato periculum vi pararetur, eo verò fatis cedente, ambo per varias artes de regno contenderent, emanaſſe non eſt dubium. Quæ demum quotidianis contentionibus in majus excrevêre: quum Bathorius illum minus dicto audientem & quoties ſermo incidiſſet, petulantius obloquentem incuſaret: tum verò quod arcem Huſtiam, ſaliſque fodinas, ad novi ſui principatus jura pertinentes, minimè reddidiſſet: & ad comitia privataſque conſultationes vocatus, elato contumacique animo, nunquam paruiſſet. Quæ ille, partim inficias ire, partim ditionem illam omnem ſibi, & Chaqnio, ac Lupo Bornemiſſæ à Cæſare dono datam dicere ſolebat. Tametſi autem de ſincero erga ſe Bathorii animo ſemper dubitaſſet; tamen ſingularem in Cæſaris benevolentia & tutela ſpem collocaverat, qui eum in adverſa vel nutante fortuna ſua non eſſet deſerturus: Contrà ille, quamquam Cæſari fidem & obſequium promiſiſſet, odio tamen & vindictæ cupidine incenſus, Turcarumque patrocinio & ſtudiis ſubnixus, ad dignitatem ſuam pertinere putabat, ſublato æmulo, quietâ regni poſſeſſione potiri.

Ballum inteſtinum inter Bathorium 1573. *Principem & Bequeſſium.*

Igitur illum nec opinantem armis circumveniendum exiſtimavit; mitoque ſilentio occultatis conſiliis ſuis, aliud ſimulando, cum prætoriano peditatu ac aulico comitatu, paucìſque evocatis, in oppidum Fogaraſſum, in cujus arce Bequeſſius ſe continebat, quamque ad incerta & fortuna belli abunde muniverat, improviſus irrupit: brevíque poſt tormenta currulia advecta ſunt, & reliquæ copiæ provincialium, Siculi & Saxones, nobiliaſque omnis inſtructa armis, ſubjectos campos extenſis tabernaculis occupavit. Nec mora, arx tormentis verberari cepta eſt. Nec Bequeſſius ſibi deerat, quamquam multis rebus neceſſariis in tam repentino ac præcipiti periculo deſtitueretur. Sed unâ maximè angebatur militum præſidiariorum paucitate, qua imprimis laborabat; poſtquam hoſtium celeritate præventus, nec dimidiam militum partem, quos certis continuiſque ſtipendiis alebat, convocare potuiſſet. Igitur poſt aliquot dierum oppugnationem, cauto potiùs ac neceſſario, quàm honeſto conſilio, cedendum arce, fortuniſque omnibus, quàm ſe incertæ acerrimi hoſtis & æmuli fidei committendum duxit; & aſſumpto in fugæ periculíque ſocium Stephano Thrace, cujus virtuti & fidei plurimum confidebat, conditiſque in marſupium maximi pretii unionibus & gemmis, quæ Joannis regis ſenioris fuiſſent, ac alia pretioſiore ſupellectile, & auro ad viaticum, quantum in ea rerum deſperatione & celeritate auferri poterat, ſuis, ut arcem quamdiu poſſent, omnibus viribus ſervare niterentur, juſſis, equum militarem Aſiatici generis, à Joanne Sigiſmundo dono datum conſcendit, ac peritiſſimis viarum ducibus uſus, ſuperatis Alpibus, in tutum evaſit, eùm Bathorius fugæ ejus ignarus, neminem, qui perſequeretur ſubmiſiſſet, ſicque per varios viarum errores, ambageſque tandem ad Cæſarem Pragam contendit.

Bathorius Bequeſſium in arce Fogaraſſi abſidet.

Bequeſſius, convaſatis unionibus & gemmis, ex arce elapſus ad Cæſarem Pragam venit.

At illi, quibus curam tuendæ arcis commiſerat, & Paulus Giulanus, qui theſauris ſervandis præerat, paucis poſt ejus diſceſſum & fugam diebus, ne cum ſtrenuo duce, eoque provinciæ principe pertinaciùs quàm deceret pugnare viderentur, rerum ſuarum omnium ac vitæ immunitatem pactis eam dediderunt. Bathorius ne uno

1573. Paulus Gulanus arcem Principi paulò pòſt dedit

quidem ex ſuis amiſſo, occupatâ arce, & rebus Bequeſſii omnibus theſauriſque, quos ille indulgentiâ & prodigalitate demortui principis ingentes & incredibiles congeſſerat, ſummâ celeritate potitus, eam curæ & induſtriæ Coſmi Petricovitii, ex Illyrico oriundi, qui veteranus alumnus, familiariſque ſibi erat, tuendam commiſit, ipſéque dimiſſo exercitu, & retractis tormentis Albam revertit. Hunc in modum Beqoeſſius rebus fortuniſque ampliſſimis exutus, aliquamdiu in aula Cæſaris exilium toleravit, ſéque certiori ſpe ſuſtentavit fore ut benignitate auxiliiſque ejus adjutus, in ſuam, è qua impotentibus armis pulſus eſſet, ditionem reduceretur.

Racocius & Præpoſtuarius Turcas Filecienſes prædatum egreſſos cædunt.

Per id tempus Sigiſmundus Racocius, qui Sendroni præerat, & Valentinus Præpoſtuarius Caſſoviæ Ruberi legatus Caithbegum Fileci præfectum, qui cum mille equitibus Turcis ad nundinas, quæ in oppido Sixone futuræ erant, prædatum & populatum exierat, obviam progreſſi fuderunt, hoſtéſque fuſos & fugatos ad Filecum uſque perſequuti ſunt, & magnum eorum numerum partim ceperunt, partim trucidarunt. Vexilla etiam aliquot, & currus & equos ipſius præfecti, qui ad manum ducebantur in poteſtatem redegerunt. Captus etiam in pugna fuit Haſanes, equitibus Spahiis præpoſitus, quem Allaibegum vocant: is à Stephano Bathorio adoleſcente, grandi pecuniâ emptus eſt, ſed eum alter Stephanus Bathorius, paulò antè regnum Poloniæ adeptus, olim ſibi cognitum, ſuámque opem ſuppliciter implorantem, perſoluto redemptionis pretio liberavit.

Sinan. Baſſa Tunetum & Guletam expugnat. A. 1574

Dum hæc in Pannonia & Tranſilvania geruntur, Selimus Turcarum princeps Sinanem purpuratum, natione Acarnem, in Africam cum validâ claſſe miſit adverſus Hiſpanos, qui Tunetum ceperant, qua in claſſe centum quinquaginta triremes, ac xxx. onerariæ naves numerabantur. Is erepto Tuneto, & Guleta, munitiſſimo oppido, & Caſtello ab Hiſpanis, inter Tunetum & Guletam extructo, vi expugnatis, ac à fundamento dirutis, Gabr. etiam Cerbellione, ac Petro Carrero Hiſpanorum ducibus captis, incolumem victricemque claſſem reduxit, nec diu poſt in locum Mehemetis, quem quidam commotæ mentis Monachus Derviſius prægrandi cultro in ventrem adacto interfecerat, purpuratorum princeps eſt creatus, ſumptúmque de Derviſio in quatuor ſectu partes, extremum ſupplicium.

Selymus Imp. Turcarum è vivis migrat.

Sed Selimus non diu eâ victoriâ lætatus, in gravem lethalemque morbum incidit, quem quum ſuperare non potuiſſet, quinquageſimo ſexto ætatis anno, Idib. Decemb. extinctus fuit, quum octo annos imperaſſet, eique Murates filius, viginti ſeptem natus annos, ex præfectura Amaſiæ atque Iconii Byzantium repente advolans ſucceſſit; qui ſimul ac ſceptris potitus eſt, quinque fratres natu minores, Muhemetem, Aladinum, Giangirem, Abdulahem, & Solimanum crudeli parricidio ſtrangulatos necavit: ac deinde ſtabilito in præſens dominatu, & Spahoglania aulæ equitibus, Janiceriſque tumultuantibus, quòd ipſis inſciis regnum invaſiſſet, ad obſequium multâ largitione perductis, bellum adverſus Perſas eorumque regem Mehemetem cognomento Hudabendim movit, cum quibus poſtea per quatuordecim annos variâ fortunâ illud geſſit: denique induciis factis, obſidibuſque acceptis, terminavit.

Muratis ſublatis quinque fratribus patri ſuccedit. A. 1576

Octennales inducias

Octennales autem inducias cum Cæſare pactas, ipſe quoque ratas habuit, legatumque Cæſari ad eum, loco Caroli Rimi revertentis, Fridericum Prainerium ſubmiſit.

1576. ratas habet. Frider. Prainer loco Rimi legatus. Carolus IX. Rex Galliarum obit.

Eodem quoque fere tempore, Carolus nonus Rex Galliæ, Cæſaris gener vitam cum morte commutavit, regnúmque inteſtinis ſeditionibus & bellis perturbatum, Henrico fratri, qui non ita pridem à Polonis rex fuerat declaratus, teſtamento, quod à regii ſanguinis principibus, conſenſu unanimi firmatum erat, reliquit: ita ut donec ille è Polonia reverteretur Catharina Medicea regina mater rebus adminiſtrandis præeſſet, eique ab omnibus obſequii ac obedientiæ munia deferentur. Ejus mora non tam apud Polonos, quorum ſceptra jam Henricus moderabatur, rebus novis, & interregno, cauſam & occaſionem attulit; ſed etiam Cæſarem ad nova conſilia ineunda animum applicare coëgit. Nam quum Regina mater fratris obitum Henrico ſignificaſſet, cumque ad aviti regni jura primo quoque tempore capeſſenda cohortata eſſet; ille convocatis ad XV. Cal. Jul. regni ſenatoribus, ac optimatum præcipuis, ſibi ob fratrem vitâ functum in Galliam reverti neceſſe eſſe propoſuit: idque ut eorum permiſſu facere liceret, paucis verbis rogavit. Qui quum abſque ordinum totius regni præſentia, ac conſenſu, id in ſuâ poteſtate ſitum eſſe pernegaſſent, ac ut illos ad certum diem convocaret, conſuluiſſent; diſſimulatis, quæ tacito pectore conceperat, conſiliis, ſe propediem comitia publicaturum reſpondit: interim tamen præmiſſo Belleræo cubiculario, qui pretioſiorem ſupellectilem clam in Galliam perferret; literaſque publicæ fidei à Maximiliano ſibi Viennam venturo impetraret, in cubiculum redit; ac ſe febriculâ tentari ſimulavit: poſtridie ſilentio noctis, minorem arcis portulam aperiri juſſit, mutatoque habitu cum equum conſcendit, cujus robori & pernicitati plurimum confidebat, cumque quamvis nemo ex Polonis fugæ ignaris ſequeretur, calcaribus adactum urgere atque agitare non deſtitit, donec curſu totam eam noctem, ac ſequentis diei partem continuato, ægre ad Friburgum Sileſiæ oppidum Cæſarianæ ditionis perveniret: ibique ſonipedi non ſolum ſoleæ ferreæ excuterentur, ſed etiam ungulæ omnes nimio curſu ac labore attritæ deciderent: ita ut eum relinquere cogeretur, agaſone, qui, donec illæ renaſcerentur, expectaret, & eum poſtmodum in Galliam ad manum duceret, ibidem unà relicto.

Henricus Rex Poloniæ, deſerto regno, in Galliam contendit

Leniore demum paſſu, minoreque formidine, Viennam applicuit; ibique à Cæſare, qui nihil de ejus adventu in urbem audiverat, ad infimos uſque gradus obviam prodeunte, ſingulari honore & benevolentiâ exceptus eſt; & donec iſthic egit, hoſpitium in arce datum, & lautiora præbita, miniſtrantibus ex juſſu Cæſaris honorificentiſſimè omnibus aulæ ordinibus. Inde profectus Venetias, Patavium, Ferrariam, Mantuam, denique facto per Allobroges & Salaſſos itinere, universâ in occurſum ſe effundente Italiâ, magnificentiſſimo ubique apparatu certatim exceptus atque exculius eſt. Viennæ adhuc moranti à Polonis literæ, quibus in regnum revocabatur, redditæ ſunt; ad quas quum nihil aliud reſpondiſſet, quàm quòd ſibi propter certas & arduas cauſas, quas ex litteris ſuis apud Carolum Danzæum Cracoviæ relictis intellexiſſent, inſalutatis ipſis diſcedendi ignoſcerent; nec de ſuo reditu quicquam dubitarent: demum legati rurſus miſſi, eum Ferrariæ ſpectaculis vacantem adiêre, cum mandatis ut niſi poſtridie Idus Majas Cracoviam ad tu-

endum

1576. endum à Moſcovitis & Tartaris, ac aliis hoſtibus regnum reverteretur, Polonos alium regem creaturos, nec poſtea ullo tempore ejus rationem habiturus. Henricus ad ea rurſus ſimulatis verbis reſpondit, ſe non eo animo Poloniæ regnum reliquiſſe, ut ad illius gubernacula reverti nequaquam vellet: ſed ad componendas Galliæ res turbatas & confuſas iter ſuſcepiſſe, quibus Deo Optimo Maximo bene juvante brevi compoſitis, pro eo, quo illud regnum proſequeretur, amore & benevolentiâ mox reverſurum; neque paſſurum, ut ejus opulentiſſimi ac florentiſſimi regni optimatum judicium, quo ſe aliis ſummæ dignitatis & virtutis principibus præteritis, regem prætuliſſent, ipſe ingrato animo ſpreviſſe, aut nihili feciſſe videretur. Quæ etiam poſtea, datis ad eoſdem Auguſtâ Taurinorum literis, repetere nequaquam prætermiſit.

Sed quum Poloni eum Gallici quoque regni coronâ inſignitum eſſe, ac Aloyſiam Lotharingiæ principis, ac Mercuriani ducis Nicolai filiam, in conjugem duxiſſe, nec de redeundo quicquam penſi habere certò cognoviſſent, convocato publico omnium Ordinum conſilio, de exauctorando, ac novo rege creando conſilia inierunt edictoque ſanxerunt, res Polonicas iterum ad interregnum reduſſe, non ſecus quàm ſi Henricus fatis conceſſiſſet. Quorum cum Henricus certior eſſet redditus, miſſo oratore, ne tam celeri deſperatione de ſuo reditu ducerentur, ut novi creandi regis neceſſitatem ſibi incumbere putarent, ab eis poſtulavit: ſed illi propoſiti tenaciores, iiſdemque conſiliis inſiſtentes, comitia creando regi ad Calend. Octobris Varſoviæ indixerunt. Ad ea complurimi principum legati confluxêre; Cæſariani imprimis, qui per eoſdem ſummæ dignitatis oratores, quorum ſuprà memini, ut illud Erneſto filio obveniret, procurabat; ac Johannis Sueciæ Regis, qui pro ſeipſo, aut Sigiſmundo filio, ex filia Sigiſmundi primi regis progenito, amicorum præcipuos prehenſabat; ac Alphonſi Aeſtini Ferrarienſis principis, idem regnum ambientis. Nec deerant Johannis Baſilii Moſcborum regis nuntii eadem ſceptra & gubernacula poſtulantes.

Comitia de novo Rege creando à Polonis indicta. Competitores regni.

Nondum Stephanus Bathorius ad petendum aut ambiendum tantæ dignitatis faſtigium animum appulerat. Sed ut ſe quoque candidatis immiſceret, caſu aut quâdam fati benignitate eveniſſe conſtat. Erat in Tranſſilvania apud eum Samuel Sborovius, Petri Sborovii Cracovienſis Palatini & Caſtellani frater è Polonia extorris ac legibus proſcriptus, propterea quòd eo fortè die, quo Henricus regio diademate ornaretur, Andream Vapovium, ſummæ dignitatis & Senatoriæ virum, in ipſius regis conſpectu, nullâ ejus majeſtatis, aut comitiorum habitâ ratione, crudeliter occidiſſet. Is cùm à Bathorio ſingulari humanitate honoreque exceptus, ac ſtipendio & muneribus liberaliter ſuſtentatus aliquamdiu fuiſſet, interregni tempore in Poloniam reverſus, fratribus & propinquis, quorum magnum numerum è præcipuis ſenatoribus habebat, plurima de præclaris ejus animi corporiſque dotibus, rei militaris ſcientia, fide, religione, moderatione ac conſtantia diſſeruerat; ita ut congeſtis in eum innumeris laudum præconiis, illum omnibus aliis competitoribus, ſuo quidem judicio, anteferendum prædicaret. Quibus rebus perſuaſus Petrus, auctor Bathorio fuit, nomen quoque ſuum inter alios regni candidatos ne profitendi ſuam-

Sborovii ſuaſu Bathori-

que operam, induſtriam & auctoritatem, quâ eo tempore cæteros anteire videbatur, internuncio uſus eodem Samuele fratre, ultro offerendam exiſtimavit. Itaque haud ſine numine Divûm ſe ad tantum dignitatis culmen vocari ratus, occaſionem minimè omittendam decrevit: gratiiſque Sborovio utrique actis, eoſdem ingentibus promiſſis & donis oneratos, ad promovendam tuendámque cauſam ſuam vehementer accendit & ad comitia legatos, quorum princeps Alexander Quendius erat, amandavit.

us regnum affectat.

Res interim in Comitio magnis contentionibus agebatur, cùm legati ſingularum partium, ſuis principibus regio honore augendis, eiſque amplificandis, ſolertem & ſingularem operam ſtudiumque navare contenderent; eoſque omnes, quibus ferendi ſuffragii jus & poteſtas eſſet, ſive ſenatorii ordinis ii, ſive equeſtris forent, induſtriâ ſuâ, ac multis magniſque muneribus, ſive occultè, ſive palàm largiendis, ac maximorum præmiorum pollicitationibus, ad ſuas partes pertrahere conarentur. Quâ quidem in parte Cæſariani præ aliis longè eminebant, quum præter eximiæ virtutis dignitatiſque legatos, Bohemici generis, linguæ commercio ac ſanguinis, ab ipſa uſque conditorum utriuſque gentis origine, mutuâ propinquitate cum Polonis junctos, etiam Hiſpaniæ potentiſſimi regis legatus ſuffragiorum captator ſolers & diligens adeſſet, & Johannes Cobencelius è Carnis oriundus, nuper è legatione Cæſaris nomine ad Moſcum obitâ reverſus, ac Andreas Dudithius ingenio, ac morum elegantiâ Polonis ut ferebatur, acceptus, de quo antea diximus, publicè privatimque agendo & largiendo, cauſam ſuam, & totius conſilii rationem, ſummâ ſedulitate tuerentur.

Cæſaris legatorum prenſatio.

Sed à Bathorio ſtabat Sborovius ſenior, multo prætio auro conciliatus, quem magnæ factionis ſuæ hominum catervæ ſequebantur; quòd eo interregni tempore firmis opibus & clientelis, ac inveteratâ inter ſuos auctoritate plurimum poſſet polleretque. Is adeo illinc propendebat, ut quum ſupra complures ſenatores, & equeſtris ordinis magnam partem in poteſtate haberet, etiam Chauſium, qui Muratis Turcarum principis nomine legatus comitiis intererat, docere atque inſtruere non intermitteret, quibus modis & ſtudiis, quâve arte animi Polonorum à Cæſare abalienati ad Bathorium, veluti Muratis beneficiarium ſublevandum & extollendum flecterentur. Contrà Jacobus Uchanius Gneſnenſis Archiepiſcopus, cum multo maximâ nobilitatis Polonicæ & Lituanicæ parte, omni ſtudio atque officio, omnibúſque viribus Cæſari erat addictus; ita ut Cæſariani, qui cum eo ſentiebant, ſuffragiis & votis innixi, quorum æquè magnus erat numerus, de proſpero rerum exitu egregiam ſpem concepiſſe viderentur. Cæteri competitorum tametſi nihil quo quiſque cauſam ſuam promoveret, intermittebant, ſuperantibus tamen adverſarum partium viribus ita percelli videbantur, ut quotidie ſpes eorum infringi, & induſtriam languescere nequaquam vanis conjecturis animadverterent.

In hunc modum fluctuantibus comitiis, Sboroviani in conſeſſu comitiorũ, Bathoriũ pro Rege proclamarunt; eâ conditione, ut Anna Sigiſmundi Regis, ultimò abſque liberis vitâ functi ſoror, ab eo in conjugem duceretur: cujus ut ſanguine regio Jagellonidarũ, qui de regno optimè erant meriti, progenitæ ſummam rationem habendam cenſebant: ex adverſo Uchanius Archiepiſcopus,

Sboroviana factio Bathorium,

1576. illorum intempeſtiva inſolentia, & ſuo erga Cæſarem favore permotus, cum magna ſenatûs & optimatum parte, Maximilianum Cæſarem ſublatâ voce manuque nominavit, quem cætera multitudo ſequuta, Cæſaris nomen identidem vociferando ingeminavit: ambæque factiones, retento mordicus ſuæ electionis tenore, ad eos principes, quos nominaverant, legatos ſinè mora mittendos decreverunt. Et ad Cæſarem quidem Albertus Laſcus, Hieronymi filius, Siradianus Palatinus, cum Stanislao Goſtonſcio, ac Nicolao Fitleio, ſummæ auctoritatis ſenatoribus aliiſque tam ex optimatum, quàm equitum numero collegia miſſi ſunt: ad Bathorium verò Joannes Tarlo Palatinus Lublinanus, nobiliſſimæ ſtirpis cum duodecim ſenatorii equeſtriſque ſtatûs viris expediti.

Altera verò, cujus princeps Gneſnenſis Archiep. Maxim. Cæſ. eligit. Ad Cæſarem & Bathorium utrinque miſſi legati.

Interea Sborovianis, & qui ad Bathorium inclinaverant, non ſinè tumultu ac immoderatis clamoribus, comitia ad XIII. diem Januarii ineuntis Anni Andreoviam, quod eſt oppidi nomen, indicta ſunt; ad quæ tamen nemo ex iis, qui Maximilianum elegerant, comparendum ſibi exiſtimavit: in quibus factionis ejus ſtudiis decretum fuit, electionem Cæſaris irritam eſſe, quod ea ab Archiepiſcopo & ei addictis non in conſeſſu caveaque communi loco liberis ſuffragiis ferendis ordinato, ſed foris ab armatis & ſeditioſis civibus facta eſſet. Ad ea Comitia Cæſar quòque ſuos legatos miſerat; per quos adverſariæ factionis proceres hortabatur, ut cavendæ diſſenſionis & ſeditionis cauſa, ſuffragia ſua iis adjungerent, qui non inſulſo nec improbando judicio ſibi regnum detuliſſent: nec Bathorium multis partibus inferiorem ſibi præferendum putarent. At illi nec auditis legatis, ne qua vis ſibi à Cæſarianis inferretur, magno armatorum numero, & equitum ſeſe munierunt, & ſatis diu conſultando atque deliberando tempus protraxerunt. Laſcus interea & legati, qui ad Cæſarem Viennam venerant, de regno ineundo, ejuſque conditionibus ac juramento ad ſervandas libertates Poloniæ, & Lithuaniæ & provinciarum, à Cæſare præſtando frequentes conſultârunt. Haud diſſimiliter & Bathorius in Tranſilvania cum Tarlone & collegis de ducenda Anna, deque occupando regno & aliis, quæ illi habebant in mandatis, conſilia & rationes mutuo inter ſe conferebant. Sed neutris placebat quicquam ante exitum Andreoviani concilii ſtatuere, quem præſtolandum ambæ partes cenſuiſſent.

Andreovianum concilium à Sborovianis indictum.

Interea Cæſar experiundum ratus, an Bathorii animum, ambitione ægrum ſanare, ac ab ejus regni petitione, quod ſibi prius ac majori ſuffragiorum numero delatum eſſet, dimovere poſſet; Chriſtophorum Tieffenbachum Sacmarii præfectum in Tranſilvaniam miſit, eique multis rationibus ſuadere contendit, ut honeſtiſſimo Tranſilvanicæ provinciæ loco contentus eſſe vellet; qui ei maximè tutus atque commodus foret, quum ampliſſimos quotannis indè reditus percipere, & ſplendidi & opulenti principis nomen tueri haud dubiè poſſet. Repeteret ipſe animo, quantum hinc ſibi curarum atque moleſtiæ pararetur, quantúmque Cæſari deberet, qui eum ad tantæ dignitatis honorem, ac provinciæ celeberrimæ & ditiſſimæ, quæ jure ſua eſſet, imperium facili benignitate promoviſſet, cui etiam haud exiguo, aut inani juramento ſe devinxiſſet; proinde hortari ſedulò & diligenter, ut ſibi cedendum duceret, & primoribus ſuæ factionis hominibus, qui ipſum tumultuoſius pro ſuo rege nominaſſent, oblatum imparibus votis munus renuntiaret. Fore ut ipſe hoc ſalubri officio pietatiſque pleno regnum illud, quod multis (ſi tam ab ipſo, quàm factione ſuâ in ſententia pertinaciùs perſiſtatur) bellorum tempeſtatibus obruendum haud dubiè ſit, incomparabilem apud omnes mortales gloriam, regno à vaſtitate & cædibus, ac cruentis ſeditionibus ſummâ cum laude conſervato, promeriturus ſit; ab ſe autem omnis ea præmia, quæ à grato & benefico principe liberaliſſimè dari poſſint, omni tempore & occaſione expectanda exiſtimet. Admiſſus ſinè mora in colloquium Tieffenbachus, hæc atque talia ei diſertè ac prudenter propoſuit, teſtatus Cæſarem ſibi & iis, qui eum ad dignitatis regiæ ſummum decus faſtigiúmque pronis, majoribuſque ſuffragiis elegiſſent, deeſſe non poſſe: conſultiuſque facturum eum, ſi cedendo locum majori & digniori, rerum tranquillitati conſulendum putet, quàm armis diſceptando, magnam perturbandæ reipublicæ occaſionem ſit allaturus. 1576.

Tieffenbachus legatur à Cæſare ad Bathorium.

Ad ea Bathorius nihil cunctatus alterâ die reſpondit: ſe eum honorem qui ſibi non multum tam quærenti, nec juſto ambitioſius expetenti, Diis faventibus delatus eſſet, integro pudore repudiare non potuiſſe, ne ſi id feciſſet, degeneri animo minùs illo dignus eſſe propriâ confeſſione cenſeretur: nunc ſe eo eſſe propoſito, ut propediem regnum inire, illudque rectis conſiliis, ac conſtanti virtute gubernatum tueri pergat, ita ut nullum eorum, qui ſe elegiſſent, conſilii factique ſui pœnitere poſſit: ſperare ſe etiam in benignitate & clementia Cæſaris, tantâ illum animi moderatione uſurum, ne ejuſmodi potentiæ ſuæ nomen invidioſum eſſe velit. Quòd ſi autem bello aut armis vis ſibi aliqua inferatur, quod ab æquiſſimo Cæſare minimè expectandum puto, oſtenſurum ſe, eâ præditum eſſe animi firmitate & conſtantiâ, ut omnia prius experiri velit, etiamſi vita amittenda ſit, quàm jam receptum, nec infeliciter inchoatum honorem, per ignaviam aut ceſſationem deſeruiſſe. Tieffenbachus, qui illum in tanta tamque gravi re, conſilia cum ſuis collaturum, ac iis aliquot dierum mora præmeditatis ſibi reſponſurum exiſtimaverat, ubi ſe eodem ferè temporis momento, quo legationis rationes expoſuiſſet, ſpe celerius dimitti vidit; dolore atque iracundiâ perculſus, illum, ut dignâ Cæſaris ratione habitâ, præcipiti ac immaturo conſilio abſtineret, admonuit. Verùm quum is, etiamſi annus conſultando deliberandóque eſſet extrahendus, non ſe ſententiam mutaturum reſpondiſſet, utpote cui conſtanter adhærendum decreviſſet, tandem accepto commeatu, Sacmarium verſùs reverſus Cæſarem quamprimum de irrito legationis ſuæ exitu certiorem reddidit.

Bathorii reſponſio

His hoc modo peractis, in conventu quòque Andreoviano haud diſſimili pertinacia, Sborovianæ factionis capita à ſententia minimè dejici potuêre. Quod quum apud ambas partes pro certo & firmo conſtitiſſet, prior Bathorius comitiis ad oppidum Megieſſum indictis, regnum à Polonis & Lithuania ſibi delatum accepit, ſeque illis juramento ad diem octavum menſis Februarii ſolenni more obſtrinxit: dimiſſiſque Tarlone & collegis, ſe primo quòque tempore ad illud ineundum, Diis ſuperis bene juvantibus, profecturum pollicitus eſt.

Bathorius, comitiis ad Megieſſum indictis, Regno accepto, ſe Polonis juramento aſtringit.

Cæſar quòque longâ & diuturnâ deliberatione adhibitâ, quum Ferdinandi & Caroli fratrum,

1576. trum, Auguſtique Saxonis, & Alberti Bavari, aliorumque principum ſententiam exquiſiviſſet, tandem Laſco & Polonis, Lithuaniſque legatis annitentibus, aſſenſit, oblatúmque regni honorem ſuſcepit: & juramento, quo ſe eis ad ſervanda jura & libertates communes obſtricturus erat, diem 26. menſis Maii conſtituit. Quo adveniente in templum Divo Auguſtino dicatum, ad quod ex Aula ſeu Palatio per majus atrium, ac annexas porticus, inter hortos itur, ſella à cubiculariis geſtatus (quòd æger pedibus nonnihil eſſet) aurata indutus trabea, ac corona privata caput redimitus, quam ingentis pretii ſibi parari juſſerat, adductus eſt; filiis ac ingenti comitatu militum & promiſcuæ multitudinis præcedentibus, Mariaque conjuge cum ſororibus, quæ inviſendi fratris ergo ab Oenipunte tunc fortè advenerant, ſubſequente; ſed & duobus è legatorum numero diploma, quo regnum Poloniæ & Lithuaniæ ei præferebatur, multis ſigillis munitum, extenſâ ſupra caput manu deferentibus, ſacramentum prælegente Stanislao Coniarſcin Referendario, & aſtantibus legatis, ſolenni more conceptiſque verbis, recitavit. Tum ſacer hymnus tympanis & tubis interſtrepentibus decantatus, & omnibus in propugnaculis urbis, majora tormenta ingenti fragore & boatu diſploſa ſunt pauloque poſt conviviis & ſummâ omnium hilaritate dies celebratus.

Idem Sacramentum legatis etiam Maximilianus præſtat.

Ferunt plurimi, ſi Cæſar in præſtando jurejurando Bathorium aliquot diebus præceſſiſſet, ac ad occupandum regnum iter in Poloniam abſque cunctatione ſuſcepiſſet, non fuiſſe illum tantum in ſua factione præſidii poſiturum, ut adversùs Cæſarem armis & bello contendendum exiſtimaret; cùm præſertim Cæſar magnas copias equeſtres & pedeſtres, ac magnam vim pecuniæ paratam haberet: & ex Germania auxiliorum & ſtipendii militaris magna copia expectaretur; verùm tarditate & cunctatione Cæſaris abductum, ac de ejus in regnum ingreſſu maximè dubitantem, celeritate quæ in gerendis rebus vel maximè conducit, uſum, præoccupato Cæſare, fortunam tentaviſſe, eámque ſecundiſſimam & indulgentiſſimam expertum eſſe.

Cæſaris literæ ad Poloniæ & Lithuaniæ ordines.

„Altero poſtquam juraſſet die, literas ad Poloniæ & Lithuaniæ, cæterarúmque provinciarum ordines & populos univerſim dedit, quibus ſe tam primi, quàm ſecundi interregni tempore haud ullâ ambitione, aut immoderatâ regnandi cupiditate, nec privati alicujus commodi cauſa, ſed juvandorum imprimis ipſorum, & totius Chriſtianæ Reipub. cauſa ad petendum iſtud regnum animum adjeciſſe, & omnibus comitiis quibus de Rege eligendo agebatur, Erneſtum filium ipſis propoſuiſſe ſcribebat, ita ut quamvis etiamnum multis graviſſimiſque de cauſis illum ſibi præferendum exiſtimet; ſi tamen ſui potiùs quàm filii potior ratio habenda ſit, ſe eo quòque in caſu Reipub. deeſſe nequaquam poſſe. Cùm igitur divinâ providentiâ ſecutum ſit, ut ipſe ſuperiori menſe Decembri, rex ritè electus, ac per eos, ad quos jure pertinet, publicè renunciatus ſit, nihil in votis priùs potiúſque habuerit, quàm ad capeſſendum regnum quamprimum pertexiſſe: quia tamen nonnullos regni ordines ſuis rationibus ductos, ad contrariam electionem progreſſus eſſe intelligat, ſe pro officio & ſtudio quietis publicæ adductum, nihil reliquiſſe intentatum, quod eo pertinere judicaret, non modò Vaivodam Tranſilvaniæ, tam per literas quàm nuntium à regno minus ei legitimè delato dehortandi (quem, quia Varſovia per legatos ſibi & inclitæ ſtirpi Auſtriacæ primum locum tribuiſſet, dicto obtemperaturum putaſſet) verùm etiam ad eos qui à ſua legitima electione diſſentiunt, miſſis Andreoviam præcipuæ auctoritatis legatis tentaſſe, an mitigatis illorum animis ad ſaniora amplectenda conſilia inducerentur, tantum verò abfuiſſe, ut alterotro in loco quicquam profeciſſet, ut neque ejus oratores Andreoviæ, niſi perfectis, quorū cauſa convenerant, negotiis admiſſi, auditiq; ſint, neque meliori cum reſponſo dimiſſi, quàm quod ſe legatos Viennam miſſuros dixiſſent, ſicq; rebus infectis diſcedere coacti fuiſſent, cùm tamen talia illi propoſituri fuiſſent, quibus & publicæ regni & totius reip. Chriſtianæ quieti non dubiè conſultum fuiſſet.

1576. Ex quibus etſi ſatis colligi potuerit, parum ſpei reliquum eſſe rem eò deducendi, quò ipſe ſemper optaviſſet; nihilo tamē minùs nec tunc ſuum in Poloniam adventum maturâſſet; ſed ne ulla diſſentientibus ejuſdem reip. civibus in ſua viſcera ſæviendi occaſio ab ſe præberetur, quin potiùs concordiæ ineundæ tanto commodius vacare poſſent, pro ſua in Poloniæ regnum & remp. pietate, ac benignâ integerrimaq; voluntate eundem adventum ſuum differre, quàm feſtinatione aliquâ diſſentientium animos exacerbare voluiſſe; eâ præſertim ſpe, quod futurū putaſſet, ut alio quopiam in loco idonea aliqua ac dignitate ſuâ haud aliena concordiæ ratio iniretur. Quoniam verò hactenus non is, quem expectaſſet, ſequutus eſſet effectus; ſed alius frequens ad 9. diem proximi menſis Aprilis Varſoviam indictus ſit conventus, ſe etſi iis peragendis, quæ ad ſui legitimè quæſiti juris confirmationem pertinerent, diutius deeſſe nollet, adeoque heſternâ die (quod felix & fauſtum, ac tam Poloniæ regno, quàm univerſæ reip. Chriſtianæ ſalutare ſit) oblatum ſibi Poloniæ & Lithuaniæ legatis juramentum præſtitiſſe, & libertates ac jura omnia, quæ ab ſe requirebantur, confirmaſſe: ac demum electionis decretum, in Dei altiſſimi nomine ſuſcepiſſe: tamen cum etiamnum nihil magis cupiat, quàm Polonorum & Lithuanorum dignitati & rationibus ſimulq; univerſæ reipublicæ Chriſtianæ quieti & tranquillitati quàm optimè conſultum eſſe, idque tanto majori deſiderio, quanto magis ſibi ob oculos verſetur ruina & interitus, ex inteſtina civium diſſenſione expectandus; cùm illa, ſicuti omnibus Rebuſpublicis ſemper fuit exitioſa; ita Poloniæ quòque regno non alium eventum allatura videatur: neque nunc ſuam profectionem accelerare, ſed regni ordinibus per ſuos ad Varſovienſem illum conventum, (quem, ſi modò brevitas temporis pateretur, ſuum progreſſum imprimis habere cupiat: ſin minùs, continuandum, vel in aliud tempus prorogandum cenſere) deſtinandos oratores pacis & concordiæ conſilia amplectenda proponere ipſiſque permittendum decreviſſe, ut quibuſcunque remediis & rationibus ad ſananda reipub. vulnera & concordiam juvandam deſcendere poſſint; ſalvâ tamen ſuâ dignitate, ita ut Bathorius, ipſo longè inferior, non ſinè graviſſima contumeliæ nota, ac totius reipub. Chriſtianæ detrimento exitioque cujus avertendi ſibi præcipua cura ſit, ipſi præferatur."

Quia verò Annæ reginæ Sigiſmundi primi filiæ mentio ac conjugium huic negotio annexum eſt, ut illa Erneſto filio ſuo matrimonio

1576. „ jungatur, ſi ita Polonis Lithuaniſque videatur,
„ ſe non abnuere; daturum etiam oratoribus ſuis
„ talia mandata, quibus ad ea omnia, quæ ad pa-
„ cem & concordiam uſpiam pertinere poſſint,
„ ita ſint inſtructi, ut illos nihil deſideraturos ex-
„ iſtimet. Quod ſi verò pars adverſa his juſtis &
„ honeſtis rationibus locum dare nolit; ſed in ſua
„ illa opinione perſiſtat, utique nec ſe dignitatis
„ juribuſque ſuis defuturum, neque ſuos deſer-
„ turum: imò cùm primùm ab iis, qui ſuas partes
„ ſequuntur, certior redditus fuerit, in regnum
„ primo quòque tempore properaturum, nec in-
„ termiſſurum, quin legatis inter cætera hæc man-
„ det, ut quoad præſidia contra hoſtium incur-
„ ſiones neceſſaria comparari queant, cum eiſ-
„ dem populis id unanimi voto deliberarent,
„ quod imminentis periculi neceſſitas poſtulare
„ videbitur; tum etiam ea, quæ oratores ſui, quos
„ ſuperioribus menſibus in Moſchoviam miſiſ-
„ ſet, in Polonorum & Lithuanorum utilitatem
„ egerint, atque effecerint, ipſis ordine referant.
„ Quæ quum omnia ipſos ſcire interſit, ea ipſis
„ ſignificanda curaſſe; tum verò etiam hortari
„ benignè, ut futuris illis comitiis frequentes ad-
„ eſſe & ad negotia omnia, quæ commemoraſ-
„ ſet ad æquabilem concordiam reducenda, om-
„ nibus ſtudiis incumbere non negligant.

Cæſar legatos cũ magnis muneribus dimittit.

Quum has literas per certos nuncios Varſoviam miſiſſet, ipſe Laſcum (quem magno ſtudio & labore in numerum procerum Pannoniæ annumerandum curarat, dicentibúſque id contra leges fieri, reſponderat, unam hirundinem ver non facere) & legatos Polonicos ejus collegas, ampliſſimis muneribus, maximáque ad uſum abaci vaſorum argenteorum & aureorum vi, ac ſignatæ quòque pecuniæ copiâ donatos dimiſit ipſe verò ſecus, quam temporis & neceſſitatis ratio poſtulabat, quæ in ſola celeritate poſita erat, Pragam diſceſſit: ubique ad principes Germaniæ, ut frequentes Ratiſponam convenire, ſibique Poloniæ regnum legitimè occupaturo, ac de ſucceſſore Cæſare conſilia cum ipſis inituro, præſto eſſe non recuſarent, literas mandataque dedit. Dum Pragæ eſſet, & ad curandas res Ungaricas Carolum fratrem Viennæ reliquiſſet, Bequeſſium è Tranſilvania ut diximus, pulſum, in provinciam reducendum eſſe decrevit, ut Bathorius, qui ab ineundo occupandoque regno verbis & legatione dejici nequaquam potuiſſet, vi atque armis ab inſtituto revocaretur: ſic tamen ſuppreſſis quantum fieri poſſet, ac occultatis conſiliis, ut quaſi Cæſare nequaquam conſcio, ſolus Bequeſſius, tumultuario irruptionis genere, expeditionem adversùs illum ſuſcepiſſe videretur. Itaque Rubero, quid fieri velit, per litteras ſignificat, & ut Bequeſſio Tranſilvaniam repetenti, arma, equos, milites, & omnia quæ fuerint neceſſaria ſubminiſtret, dat in mandatis.

Imperator Bequeſſium cum exercitu in Tranſilvaniam redire ſtatuit.

Copia ex præſidiis & aliunde contracta.

Nec mora, is ex militum præſidiariorum numero ſelectiores copias deducit, ac in ulteriori Tibiſci ripa locum deſignat, ad quem ſilentio conveniant. Chriſtophorus Ungnadius Agriæ præfectus ducentos equites, ac totidem pedites attribuit; ducémque eis Colomanum Balajum præeſſe juſſit. Ex Germanis equitibus, qui in Sendrone, ac Scepſio, Goncioque, oppidis ſtationes habebant, ſexcenti deliguntur; ducibúſque Philippo Hartinio, Ruſſelii legato, & Joanni Henrico Pruin parere jubentur. Echeoiani Nicolai Bathorii equites numero ducenti, quos Paulus Melthius ductabar: & ex præſidio Saemariano, & quod in Callone oppido ante biennium adversùs excurſiones hoſtium extructo, inerat, duce Paulo Deregniano, totidem milites ſeſe cæteris conjunxerunt. Equitatui verò Caſſovienſi Georgius Perenius Nagidanus, & aliis alii viri fortes præerant. Michaël Telegdinus, qui ob ſimultates quaſdam, propter intentatam litem, occupatóſq; fundos, cum Bathorio contractas, voluntario exilio ſuſcepto, Tranſilvaniam reliquerat, ac Sigiſmundus Racocius, & Valentinus Præpoſtuarius Cæſaris duces, cum ſuis equitum turmis, & cohortibus, ultro nomina dederunt: ita ut ſumma omnium copiarum ad trium millium utrinſq; ordinis militum numerum conſtituere cenſeretur. 1576.

Anton. Siculus exercitui præfectus, uxoris dolo necatur.

His omnibus copiis, qui imperaret, Antonius Siculus, rebus in Moldavia aliiſque bellis præclarè geſtis conſpicuus, poſcente Bequeſſio, nec improbante Cæſare, delectus erat, quod & egregii bellatoris, ducíſque famam erat conſequutus, & rerum Tranſilvanicarum apprimè peritus haberetur, nec ipſe operam eſſet denegaturus; ſed is hoc præciſè tempore, quo decreta expeditio erat, ſceleratæ uxoris dolo, à nonnullis ſicariis, dum valetudinarius ante focum oleo ungeretur nudus & inermis, erat interfectus. Quâ indignâ clariſſimi viri nece, veluti adverſo belli omine, quamquam Bequeſſius vehementer perturbaretur, tamen quoniam rem omnem in una celeritate poſitam eſſe videret, nihil cunctandum ratus, in Tranſilvaniam ire perrexit; tacito ſilenti agmine, ut priùs in fines provinciæ penetraret, quam à Bathorio nihil hoſtile ſuſpectante ſentiretur.

Satis conſtat Bequeſſium, ſi poſthabitâ morâ, nuſquam conſtitiſſet, ſed primo ſtatim impetu Albam, principatûs ſedem, ubi Bathorius venatu, & cæteris id genus oblectamentis ſeſe recreabat, improviſo adortus eſſet, illum non multo labore opprimi, & provinciâ ac dominatu exui potuiſſe. Sed cùm apud Tordam in æſtivis, ducum ſententias exquiſiviſſet, illæque diſcordibus votis variarent, indignabundus præcepſque relicto Albæ invadendæ conſilio, ad Radnorum deflexit, quod erat Petri Quendii prætorium, ad ſingularem amœnitatem ad Maruſi amnis ripas exædificatum. Ibi plures ex Tranſilvanis, qui clam ejus partes fovebant, ad eum armati convenerunt, Gabriel Quendius, Balthaſar Bornemiſſa Lupi filius, Paulus Chaquicius, & è numero Siculorum clari nominis Petrus Andraſſius, Franciſcus Allardus, Stephanus Dobraius, & alii complures, ita ut caſtra haud contemnendo armatorum numero augerentur; & multi patentibus etiam in campis ſi Bathorius in aciem prodiret, haud dubiam Bequeſſio victoriam polliceri non dubitarent.

Plures Tranſilvani & Siculi ad Bequeſſium deficiunt.

Bathorius hoſtium irruptione auditâ celeriter copias comparat.

Dum Radnori tempus terunt, ac majorem conjuratorum manum præſtolantur, certioribus nuntiis Bathorio adfertur, Bequeſſium cum exercitu in provinciam irrupiſſe, & quotidie plurimos ex Saxonibus & Siculis, Ungariſq; ad eum deficere. Eâ famâ perturbato, ſed ingenti animo, ſummâ adhibitâ celeritate copias convocat, prætorianos è veſtigio paratos eſſe jubet, ad fratrem Chriſtophorum, ut præſidiarios Varadienſes ad ſe dies & noctes properare jubeat, præſcribi Hagmaſſiam cum ſuis, ac Siculos ſimiliter, & Saxones arma ſumere, & Ungaſſianos ac Sobeſſianos Albam armatos citò convolare mandat; ita ut confluentibus undique copiis, paucis diebus juſti ferè exercitûs numerum contraheret, parque viribus hoſti videretur. Nec mora, ſumptis ex armamentario aliquot campeſtribus tormentis, contra hoſtes rectà ducit, Gaſpar

Co-

1576. Corniſſius Huſti præfectus ; dum ad eum cum ſuis equitibus properaret, Valentinum Balaſſium egregiæ indolis juvenem , Joannis filium , qui eodem modo Bequeſſio ſuppetias opemque laturus, in Tranſilvaniam ire maturabat , in finibus provinciæ obvium habuit , cum quo conſertis nocturno tempore manibus , Corniſſius, quamquam Valentinum & ejus milites , ut numero & viribus inferiores , fuſos fugatoſque profligaſſet ; tamen haud leve vulnus in cervice à Stephano Pribego , accepit , quo tardatus Bathorio ſe conjungere non potuit , & Valentinus , diſſipatis ſuis, errabundus in equites Hagmaſſii , ad Bathorium lentiore paſſu contendentis incidit : atque ab iis non ſine vulnere captus fuit.

Et contra hoſtem rectà pergit.

At Bathorius cùm exercitum promoveret , eſſetque in itinere , Mehemetes Lippæ præfectus, cognomento Cunovitius , ad eum miſit nunciatum , ſe cum quadringentis equitibus Turcis ad eum venire ; adeo citatis equis , ut multò maxima eorum pars ſudore & laboribus fatiſceret : & aliquot horarum quiete ad reſpirandum,& recipiendas vires opus haberet: petere itaque ut ſe & copias , haud parvo ei ad pariandam victoriam uſui futuras expectare vellet. Igitur ad Maryſum amnem aliquamdiu ſubſiſtendum , expectandoſque Turcas ratus , Pancracium Sexnicium, & Nicolaum Sarmaſſagium cum valida equitum manu ſpeculatum hoſtium caſtra præmiſit : qui paulò pòſt reverſi , illos ad Radnotum æſtivare,neque , ſi poſcatur,pugnam detrectare retulerunt ; quod id à quibuſdam agricolis illinc commeantibus , ac fortè interceptis cognoviſſent.

Mehemetes Lippa præfectus Bathorio quadringentos equites ſummittit.

Nec mora, Mehemete & Turcis in caſtra receptis,copias promovet,& ad hoſtem rectà contendit. Bequeſſius quoque , qui de Bathorii adventu certior erat redditus , ſuos armis ſumptis è caſtris eduxit , obviamque hoſtibus progreditur : ita acie conſtitutâ , ut Germanis equitibus cataphractis in medio collocatis , ac lateribus utrinque peditatu confirmatis, Ungaros equites in cornibus ſubſidio relinqueret : eoſque paucis verbis hortaretur,ut Cæſari imprimis,& poſtmodum ſibi , qui in eorum dextris & virtute magnam ſpem poſuiſſet , & quibus ejus diei victoria ſtaret , egregiam fortemque operam navare contenderent. Ex adverſo Bathorius alacri & ſpei pleno vultu , acies idoneis in locis ſternere,ſuos animare , utque in perfidos & deſertores,qui ſe nefariis armis laceſſere non dubitaſſent , ferrum promptiſſimè ſtringere,& pro ſalute dignitateque ſuâ,libertateque communi,proque præmiis, quæ ſingulis ex ampliſſimæ provinciæ opibus, obventura eſſent,forti animo conſiſtere , & ſtrenuè manus conſerere vellent,hortari. His dictis, prædaque,quam quiſque capturus eſſet,tam Turcis,quàm ſuis militibus promiſſa , utrinque procurſum eſt , & haſtæ in adverſis pectoribus perfractæ,ac pugna magnis viribus inchoata,in qua Turcarum virtus egregia ante alios fuit. Cùm enim eorum conſpectum, & inſolitam vociferationem,quâ in prælio utuntur,ac cædes, quas ingentibus machæris inferebant,promiſcui ex collectitio Tranſilvanorum numero milites ferre non potuiſſent,ſubitâ perculſi formidine,ſeſe ex acie ſubducere ceperunt , poſtremòque fuga ex eorum parte fieri cepta. Quam quum Bequeſſius cæterique duces ſiſtere vellent , nec quicquam proficerent , quamquam Cataphracti Germani, & equites Ungari , ac pedites fortiſſimè pugnarent ; incumbentibus tamen Turcis , & prætorianis militibus , qui ſclopetis peritiſſimè rem gerebant , quum etiam à Tranſilvanis ſummâ ignaviâ conſternatis deſererentur , pedem referre , ac victoriam Bathorio relinquere coacti fuère.

Mox acie inſtructa, atri pugna utrinque decertatum.

1576.

Plures ex Bequeſſianis in fuga , quàm certamine partim capti , partim interfecti interierunt : Nam & Hartinius,& Projus quum acerrimè dimicaſſent , poſtea aliis fugientibus ſeſe miſcere compulſi , in equites Hagmaſſianos inciderunt , à quibus dum diutius ſe ſe defendunt, conſauciati captique fuère ; Bequeſſius & alii duces quamquam eos Turcæ pariter & Tranſilvani , per ſilvas & montes ac omnia ubique itinera , intento curſu curaque proſequerentur, incolumes tamen in tutum pervenerunt. Sed magna inter cæteros virtus ac fortitudo peditum Agrienſium fuit , qui quum in unum agmen conglobati , prælio exceſſiſſent,quamquam ex ducentis aliquot viros fortes deſideraſſent, & ab innumeris hoſtibus oppugnati eſſent , poſtremò tamen rejectis & cum cæde repulſis omnibus incolumes evaſerunt. Verùm neque poſtea feſſis labore itineris & pugnæ quies aut ocium in receptu fuit : Nam à Valachis montanis & agreſtibus , inſidioſo & expedito hominum genere , qui ſe ſummis è collibus improviſi demittebant , per multa loca crudeliſſimis inſultibus excepti & fatigati : demum etiam per milites, qui ex arcibus prædarum excurrebant , circumventi & quaſi indagine clauſi , cum ſummis conatibus præliando ſeſe ubique defendiſſent , ad extremum pauciſſimis è ſuorum numero amiſſis , victores è vivis effecti Agriam redierunt. Stephanus Niſtrius , qui Bequeſſiu pecuniam ad ſtipendia militum adferebat , quum improſperum pugnæ exitum in itinere audiviſſet , Toſcajum,& inde Caſſoviam , unde venerat,retroceſſit. Caſtra & impedimenta omnia , quæ haud parvi momenti , preciique erant, victoribus ceſſere.

Sed Bequeſſiani Turcarum impreſſione conſternati, paſſim terga dant & intermuntur.

Agrienſium equitum virtus.

Partâ victoriâ Bathorius tantam in captos & deditos ſeveritatem exercuit ; ut Ungaros quidem , qui cum Bequeſſiu adverſum ſe in acie ſteterant , neque ſibi ullo fiduciario nomine obſtricti erant , liberos domum remitteret ; Tranſilvanos verò , qui rebus novis paulò antè ſtuduiſſent , Turcis in ſervitutem rapiendos abducendoſque permitteret , non niſi ſoluto redemptionis precio poſtliminio redituros. Verùm Siculorum perfidiam acerbiore pœnâ ultus eſt , in quos partim ſuſpendio , ac capitis ſupplicio , partim auribus & naribus præciſis deformatos , publicatis etiam bonis & fortunis omnibus , animadvertit. Joannem Barracovitium , ſenem natione Chrovatum , quòd vocatus à Bequeſſio , ut Byzantium mitteretur,ire auſus eſſet , tametſi legationem detrectaſſet , laqueo è trabe propriæ domûs ſuſpenſum , ac Jacob. Pocajum , in acie captum , capitis ſupplicio punivit. Cæteros verò , quos ſuprà ad Bequeſſii caſtra profectos eſſe memoravi,aut eos, qui ei faviſſe comperti eſſent, omnes proſcripſit.

Bathorii in captos Tranſilvanos crudelitas.

Hujus pugnæ atque victoriæ fama quum in Poloniam perlata eſſet , eamque Bathorius ſuæ factionis aſſeclis perſcripſiſſet , tantam ſui nominis ac virtutis bellicæ laudem conſequutus eſt,ut mox ex ipſo rerum proſpere geſtarum ſucceſſu opinione celeriùs ad regnum adeundum, ac coronam ſolenni ritu ſuſcipiendam Cracoviam vocaretur; & quod ſummæ rerum grave momentum

Hoc prælio feliciter geſti ſucceſſu Bathorius in Poloniam vocatur.

1576.

tum ſecum trahebat, depreſſis & contuſis Cæſarianarum partium viribus, ſuæ factionis ſtudia magno opere confirmarentur. Itaque paratis, quæ ad iter neceſſariæ erant, rebus, ac provincia Chriſtophoro fratri cum ſumma poteſtate tradita, cum quatuor militum millibus, quorum dimidia pars ex equitibus, ſplendido apparatu inſtructis; altera verò dimidia ex ſelectiſſimis peditum cohortibus conſtabat, tranſitis Alpibus Aitoſſiis, per Suiatenſes, Leopolitanos, & Præmislienſes, in Poloniam iter ſuſcepit: paucisque diebus prodeuntibus ſibi cum exercitu obviam ſuis ſuffragatoribus, Cracoviam perventum eſt. Ubi Calendis Maji, corona Regni Poloniæ ac Lithuaniæ ejus capiti impoſita eſt e ac poſtea Anna Jagellonia, Sigiſmundi primi filia, ac ſecundi ſoror germana, matrimonio juncta: tantâ ceremoniarum omnium ſolennitate & pompâ, ut nihil eorum quæ in hujuſmodi feſtivitatum ac hilaritatis genere uſurpari ſolent, prætermitteretur.

Cum IV. millibus equitum in Poloniam diſcedit. Ubi Kalendis Maji coronatur. & Anna Jagelloniæ ei matrimonio jungitur A. 1576.

Cæſarianarum partium ſtudioſi & ipſe imprimis Jacobus Archiepiſcopus Gneſnenſis, cujus muneris eſt Reges Poloniæ coronâ inſignire, ei coronando non adfuit; atque ideo ab Epiſcopo Uladislavienſi Stanislao Carencovio regium diadema accepit: regnumque poſtmodum omnibus regiis virtutibus tam domi, quàm militiæ ita adminiſtravit, ut per decennium, quo vixit, non ſolùm illud tueretur, ſed etiam dilatatis cum ſumma laude finibus, Moſchis perdomitis, receptâ Livoniâ Danniſcaniſque ad officium reductis longè latèque amplificaret. Bequeſſius quum è fuga ſe Caſſoviam, & inde Ceſmarcum recepiſſet, illumque ad Polonici Regni Sceptra, ſingulari divini numinis benignitate promotum vidiſſet, non ullis publicæ fidei literis impetratis Bidgoſtiam venit, & ejus opem ſupplex imploravit: impetratâque ab eo veniâ in gratiam receptus eſt; rexque ipſe poſtmodum ſuas Ungarici nominis copias, quibus adverſus Moſchos bellum proſpere geſtum eſt, ejus imperio ſubjecit: iſque per triennium ei operam militarem impendit, donec morbis & laboribus fractus, Grodnæ mortem obiret, & in agro Lithuanico Vilnenſi, ſupra eminentem viæ militari collem, (ſic enim vivens ſtatuerat) tumularetur.

Bequeſſius in gratiam ab eo receptus.

Poſteà Ungarici nominis copiis à Rege præfectus Grodnæ obiit.

Dum Cæſar Ratiſponæ comitiis peragendis vacat, domi tam in Pannonia, quàm Illyrico haud leve detrimentum à Turcis illatum eſt, quum abſente Cæſare, Carolus frater rebus præeſſet: Nam hoſtes levibus cauſis irritati, non obſtante induciarum fide, quâ arces obſideri, aut tormentis currulibus hoſtilia tentari cautum erat, novum utrobique bellum inceptavêre. In ea parte regni, quæ ad urbes montanas vergit, Johannes Balaſſius arcem habebat, Queconem, Germanis Plobenſtaniam dicta, in qua relictis Zolio, Dobravenâ, aliiſque locis jampridem habitabat; in eaque aliquot Turcas, non obſcuri nominis captivos ſervabat. Erat ei curator Benedictus Pinterius, quem tanquam in rationibus accepti & expenſi ſibi haud contemnendam pecuniam debentem ficto crimine, compedibus vinciri, ac in eundem carcerem, quo Turcæ claudebantur, mutuâ, nec ſatis felici, ut poſtea apparuit, nequitiâ condi juſſit. Ibi multa Pinterius de Balaſſii crudelitate, ac tam inſigni injuria ſibi illata, apud conſervos Turcas queſtus, poſtremò cum eis paciſcitur, ut aliquem ex eis ſpecie redimendi capitis, promiſſo Vadimonio, dimitterent, ac cum Moſtapha purpurato Budenſi rem agerent, ad certum diem milites expediret, à quibus per funem ſurſum perductis (locum patrandæ rei oportunum eis oſtendit) capto aut interfecto Balaſſio, arx facili labore in poteſtatem redigeretur. Gnara ea Balaſſio erant, indicante ei omnia conſilia Pinterio, quum commeantibus frequenter Turcis, dies mutuo aſſenſu conſtituitur, ad quem deſtinata perficiantur. Ad eum diem Turcæ pedites è Fileco, Nogrado, Budaque ſummo ſilentio advenêre: Pinterius funem demittit, & quatuor aut quinque illorum in arcem pertrahit, uque in veſtigio vinciuntur. Sed cæteri, qui ſub rupe proxima occultabantur, fraudem & dolum ſubodorati, quod ab ſociis nullum ſignum, de quo erat condictum, ex arce redderetur, magno ſublato clamore, conviciiſque & vituperiis in Balaſſium & Pinterium jactis, indignantes diſceſsêre. 1576.

Balaſſius inſigni dolo fallit hoſtem.

At Muſtaphas purpuratus, cujus in Balaſſium jam antea flagrantiſſimum odium erat, ſe dolo fraudeque petitum, deluſumque dolens, ira ſimul & odio exacerbatus, vindicandum Balaſſii ſcelus, eúmque arce deturbandum decrevit: moxque coacto exercitu ex finitimis præſidiariis, eoque curæ Alibegi Albenſis præfecti cui ex re Nigro cognomen erat, tradito, ultum injuriam properavit. Præfecerat Balaſſius arci Emericum Temeſienſem, cognomento Pribegnum, veteranum equitum ſuorum præfectum, ſibi, multis virtutis & induſtriæ militaris, ac fidei nominibus cognitum. Is intellecto Turcarum adventu, ea quæ illis propulſandis, ac tolerandæ obſidioni erant neceſſaria, tempeſtivè comparaverat. Alibegus ſitum arcis contemplatus, quatuor colubrinis eam verberare incipit. Ex adverſo Emericus & ſocii, magnâ virtute & fortitudine eam tuentur. Sed quia ſimplici eóque debili muro extructa, tormentorum ictus ferre non poterat, ex ea parte, quæ oportunior ruinæ erat, haud modicum hiatum fecit: adeo ut qui intus erant, de ea ſervanda deſperarent.

Quà ex re Turcæ irritati,

Aly Bego Duce

Plauenſtaniam Balaſſii arcem obſident.

Itaque ad Balaſſium nuncios crebrò mittere, ejus opem implorare, promiſſa ejus ac ſpem auxiliorum urgere: neque is ea negligere; ſed à Carolo principe ut coactis copiis obſeſſos periculo eximat, locumque tuendis montanis civitatibus oportunum ab hoſtium vi tueatur, identidem poſtulare. Ille curâ pericoli impendentis avertendi anxius, Simoni Forgacio Ultradanubianæ militiæ, nobilitatiſque duci, datis mandatis, ut ſtatim Balaſſianis in diſcrimine conſtitutis ſuccurrat. Andream Quilmannum Comaronii præfectum cum DCCC. peditibus ei adjungit: Præſidiariis Jaurini & Papæ, ut in caſtra ſine mora confluant, edicit; atque illinc Vincentius Gregorocius, hinc verò Petrus Huſſatus mittuntur. Ordinariæ quoque nobilitatis copiæ, è duodecim regionibus regni, imperio Forgacii ſubjectis, ſummâ adhibitâ celeritate conveniunt, progreſſique unà omnes, ad Vigleſſum, duobus ultra Zolium milliaribus, ſitum, delecto aquationi & lignationi aliiſque neceſſariis idoneo loco caſtra ponunt; in queis circiter decem millia armatorum cenſebantur. Balaſſius invadendos hoſtes, antequam noſtris vires animique nimiâ morâ langueſcerent, contendebat: ſeque in primo agmine præeundo, operam navaturum pollicebatur: contrà alii duces viribus collectitiorum ſuorum nonnihil diffiſi, ac virtutem hoſtium veriti, cautiùs progrediendum, nec exercitum hoſtibus temere objiciendum cenſebant: quo nimirum

Copiæ noſtræ arci ſubſidio mittuntur.

ſalvo,

1576. ſalvo, tuta omnia forent, in diſcrimen verò adducto, certa pernicies miſeris civibus, apertumque excidium immineret. Neque id erat dubium: tametſi noſtri pugnam poſcerent, & hoſti viribus ſuperiores eſſe dicerentur, nec de victoria quicquam dubitarent.

Dum in hunc modum variantibus ducum ſententiis mora trahitur, Turcæ dejectam tormentis murorum partem aggredi ſtatuêre, & magnis ſtructis agminibus, magnoque impetu procurrerunt. Verùm à noſtris ſummâ virtute dimicantibus, rejecti ſunt cadentibus plurimis, & Berhamo Chauſio, craſſioris ſclopeti glande coxendicem vulnerato, & etiam non paucis ex propugnatorum numero deſideratis. Jam noſtri, ſi ſecundam oppugnationem expectarent, ſe arcem nequaquam tueri poſſe animadverterant, ideoque ad duces & Balaſſium opis ferendæ cauſa nuncios mittere frequentes non deſinebant.

Sed præſidiarii, relictâ illâ,

Sed quum fruſtra omnia eſſent, rebus deſperatis, relictâ hoſtibus illâ, in aliam arcem Diviniam, quæ etiam Balaſſianæ juris ditioniſque erat, digredi decreverunt. & ſilentio noctis egreſſi, per notos ſilvarum montiumque tramites eò pervenerunt.

In arcem Diviniam refugiunt.

Hoſtes vacuam arcem occuparunt, caſtriſque abſque cunctatione promotis, (tantum apud eos conceptum in Balaſſium odium, & recentis injuriæ ultio potuit) Diviniam quoque obſidione cinxerunt.

Ea erat tribus milliaribus à noſtrorum caſtris diſſita, ſupra monticulum conſtructa, vetuſti, infirmique operis. Cùm neque illa tormentorum vim ſuſtineret, nec obſeſſis, uti ſperabant, & Balaſſius fruſtra urgebat, auxilia mitterentur, ac ſupra ætas difficultates Emericus dum magnâ virtute, ſed incautius mænia tuetur, mortiferâ glande ictus cecidiſſet, noſtri rebus iterum deſperatis arce egredi, & qua cuique fuga pateat, ſortem ſuam pugnando ſequi, aut ſi vita amittenda ſit, libero potiùs & patenti in campo, quàm incluſi mænibus occumbere decreverunt.

Quam Turcæ aderti noſtris effugientibus & trucidatis, ſtatim occupant.

Igitur cùm egreſſos Turcæ perſenſiſſent, repentè totis viribus in eos irrumpentes, ſine ullo diſcrimine omnes trucidarunt; ſolo Radoſſa Thrace, cum pauciſſimis gregarii nominis militibus evadente, qui poſt varios errores Agriam pervenerunt. Periêre eo in certamine cæſi Franciſcus Galſajus, Nicolaus Scaroſſius, Johannes Ebeccius, Andreas Budajus, & compluses alii; non quidem omnino inulti, quum in partibus Turcarum præter vulneratos, quorum non parvus erat numerus, Allabaigus Fileciensis, ac Muſtaphas è Nogrado, ac è Vacia Farhates peditum ductores cecidiſſent.

Begi Turcici caſi.

Captis in conſpectu noſtrorum, non ſine ignominia, duabus arcibus, ac dolo Balaſſii acerrimè vindicato, Somoſconem etiam non procul ab iis diſtantem Alibegus invadere non dubitavit, & cùm ad ejus ſitum contemplandum, cum legato ſuo Haſane, ac aliquot Turcis acceſſiſſet, pila falconis ex arce amiſſa, legatus diſcerpitur, ita ut ejus cruore ac fruſtulis viſceribuſque, ipſe fœdaretur. Quâ nece permotus, attrahi tormenta, & arcem eis verberari jubet. Ea olim Loſſuncii ditionis, hoc tempore ab illius vidua poſſeſſa, arte ſimul & naturâ ſatis munita erat; adeo ut portæ ejus, per quas ſolas iter in eam patet, è duriſſimis cotibus magno labore exciſæ ſint; cætera in abruptæ rupis crepidine conſtructa adiri nuſpiam poſſint. Cùm aliquot pilæ in eam contortæ eſſent, Niculaus Fodrocius, imbellis & meticuloſus adoleſceus, à Chriſtophoro Ungnadio, Loſſuncianæ viduæ genero impoſitus, cum ſociis, qui eam cuſtodiebant, ſubito ignobilique pavore conſternatus, eam deſeruit, & Agriam profugit; ubi cum à militibus ignaviæ incuſaretur, & à præfecto ſibi metuerat, mœrore animi contabuit, & interiit.

1576. *Somoſconem arcem à noſtris deſertam capiunt.*

Forgacius interea & Quilmanus, incerta quæque metuentes, ideoque tutiora ſequi conſilia, frendente ac fremente Balaſſio, qui rem ad pugnam & certamen deduci malebat, amiſſis fœdè tribus arcibus, caſtra ſolvere, ac exercitum dimittere decreverunt. Quotacunque autem pars ſolatii fuit, Turcas Albanos & Strigonienſes, è caſtris ad ſuas ſtationes redeuntes, à noſtris ſimiliter Jaurinum & Papam repetentibus, inter Nitriam & Levam profligatos fuiſſe: qua in pugna ex hoſtibus CL. equites deſiderati ſunt. Jam redactæ in poteſtatem hoſtium arces erant, cùm Cæſar datis Ratiſponâ literis Nicolaum Iſthuanffium Budam ad purpuratum miſit, eas repetitum, quod contra induciarum pacta captæ eſſent: quæ apertis hujuſmodi bellis, ac tormentorum apparatibus utrinque viam præcluſiſſent. Verùm ille Turcico aſtu, earum expugnatarum famam Byzantium perlatam eſſe, nec ſe injuſſu principis ſui reddere eas poſſe reſpondit; ſicque re infectâ, ille eò unde venerat reverſus eſt, & arces illæ in manibus & poteſtate hoſtium remanſere.

Iſthuanffius fruſtra arces à Turcis occupatas repetit.

At in Illyrico non minori acerbitate, nec minùs petulanter fortuna in Herbarto Aurſpergo, ejus oræ ac copiarum ſummo duce tollendo inſolentis & lubricæ ſuæ conſtantiæ exemplum edidit: ubi ſupra locorum atque arcium jacturam, cæde ſanè militarium virorum atque interitu longè ſæviùs atque truculentiùs graſſata eſt.

Res in Illyrico geſta.

Ferbates Boſnæ præfectus, quum à maritimis uſque Dalmatiæ littoribus, ad provinciæ ſuæ mediterranea loca, copiis Topuſcam, Bonitium, ac eos populos, qui hoc tempore poſt ædificatum Caroloſtadium, inter Colapim & Dobram, Mraſniciamque amnes, militari præſidio cuſtoditi, tutiori in ſtatu vivunt, populatum ire, eaſque regiones ferro & igne vaſtare decreverat.

Ferhates Boſnenſis noſtram provinciam incurſat.

Quum deſtinata ejus animo, docentibus exploratoribus, Aurſpergo conſtitiſſent, partium ſuarum eſſe duxit, illi occurrendo, regionem ac innoxios populos pro viribus tueri. Jam hoſtes cum exercitu haud contemnendo per deſerta provinciæ in progreſſu itineris erant, cùm Aurſpergus ſuis copiis, ut ad Radoniam amnem præterfluentem, haud procul Budaſco, ſummâ celeritate convenirent, hoſtibuſque reſiſterent, juſſit; ipſeque cum iis, qui priores confluxerant, quorum numerus vix adhuc mille equitum ac peditum ſummam æquabat, eodem in loco cæteros præſtolabundus, conſedit.

Aurſpergus cum ſuis copiis illi obviam it.

Oritur Radonia è montibus Petrinia, primoque in Coranam, deinde ambo in Mreſniciam influunt, ſimulque omnes ſupra Caroloſtadium Colapi commiſcentur.

Interea progredienti Farhati, à ſpeculatoribus, quos præmiſerat, adfertur Aurſpergum cum paucis ad Radoniam caſtra poſuiſſe, & copias cogere, quibus in caſtra receptis, cum eo manus conſerere poſſit. Unde habito ſtatim cum ſuis conſilio, omiſſa populatione, atque incendiis, ad eum opprimendum, priùs quàm vires omnes in unum contrahat, proficiſcendum duxit. Igitur ſuis, qui erant antegreſſi, nunciat, ut Radoniam verſus ſigna, ac iter flectere maturent. Cùm propius locum ventum eſſet,

Aurſpargo

1576. Aurſpergo nunciatur hoſtes magno numero adeſſe. Perturbato in re ſubita & inopinata animo, ut qui illos populatum ituros crediderat, conſcenſis equis, ac juſſis prodire cohortibus confligere deliberavit; quum jam nec fugæ tempus, niſi intempeſtivè plenum periculi videretur. Itaque præmiſſo Johanne Voićovitio, cum leviori equitum Chroatorum turma, ipſe cum Germanis equitibus, ac iis, qui convenerant, peditibus ſubſequitur. Ferhates viſis noſtris aciem componit, ac ſtructis ordinibus citatiore paſſu in noſtros invehitur, ac equitibus circiter mille, ut nullâ factâ mora in antegreſſus impetum faciant, jubet, ſeque cum ſubſidiariis tempeſtivè adfuturum promittit. Voicovitius & ſocii inito certamine haſtas perfringunt, deinde ad gladios enſeſque deveniunt. Et Aurſpergus ſuis laborantibus opem opportunè fert. Sed quum hoſtes numero & viribus longè ſuperiores eſſent, vincente paucitatem multitudine, cadentibuſque quamplurimis noſtrorum ordines turbari, pediteſque primi omnium incompoſitè feſſique, deſerto prælio ad ſilvas & montes ſeſe ſubducere cœperunt.

Acie inſtructa ſtrenuè confligitur.

Equitatus utriuſque nationis retinere ſummâ virtute locum, ferire hoſtem ſeque & ſocios hortari: Aurſpergus quoque magnâ voce, ne ſibi deeſſent, vociferari, redintegrare aciem, Germanos equites, ut ſclopetis rem gererent, admonere. Sed dum proſtratus equi lapſu Voicovitius manumque ſaucius, ab hoſtibus captus fuiſſet, & hoſtes è multis undique partibus noſtros veluti indagine clauſos tenerent, pugnandoque fatigatos urgerent, Aurſpergo equus confoditur, ipſeque, quamquam ſeſe acerrimè tueretur, tamen primò haſta per thoracem adactâ in terram ſternitur; poſteaque jacenti, neque ſe adhuc deferenti caput detruncatur, cujus dira cædes immane quantum ſuis pavoris, & hoſtibus animorum & ſpei addidit. Fit fuga paſſim ab omnibus, & Engelhartus Aurſpergi filius, qui unà cum patre in aciem prodierat, cum multis è Germanorum numero vivus capitur. Vitus Clecovitius, veteranus ſclopetariorum præfectus gravi vulnere in frontem accepto, & Georgius Jancovitius, ac Petrus Sarcovitius, & complures alii eandem fortunam ſubeunt; ſigna omnia & tympana ac cætera id genus amittuntur: victoria haud dubiè ad Turcas inclinat, quorum magnus numerus nec pugnæ particeps, & multi incruentati fuêre; adeò imparibus viribus certatum eſt. Caput Aurſpergi præciſum cum captivis aliquot ac ſignis à Ferhate Byzantium miſſum eſt, & filio ejus ac cæteris, qui in manus hoſtium inciderant, poſt longi temporis moram, multo auri pondere libertas reddita eſt. Nec Ferhati abſque ullo prorſus detrimento victoria conſtitit, cùm multos ex ſuis, præcipui nominis viros, aut interfectos amiſiſſet, aut captos & abductos deſideraſſet: inter quos fuit Regeſſus Celebinus, quo nomine à Turcis adoleſcentes nobili genere progeniti vocantur, cognomento Uraſinus, ab Antonio Gerecio equitum præfecto, manu captus, qui poſtea Matthæo Queglevitio venditus, ac ab eo variis modis excruciatus, in vinculis & carcere vitam finivit.

Aurſpergo fortiter pugnanti caput præciditur.

Filius ejus capitur, cum aliis proceribus.

Interfecto Aurſpergo Ferhates noſtris duce orbatis, nullam moram aut otium dandum ratus, Buſinum Queglevitii arcem, in qua præſidium viginti quinque peditum inerat, ac Czrſium, quæ ad jus dittonémque Epiſcopi Tinienſis pertinebat, admoto tormentorum terrore ac præſidiariis diffugientibus, obtinuit: ac emiſſis, qui Colapianos urendo populandóque vaſtarent, Caſtellum Staciciam, quod ſpeculæ inſtar ad Colapis ripam, è materia ac roboribus contextus erat extructum, igne conjecto concremavit. Deinde cùm nemo adhuc in locum Aurſpergi ſuffectus eſſet, & improſpero ejus caſu omnes veluti attoniti confuſique animis nutare viderentur, modicâ ſuis quiete datâ, Zrinium arcem, Comitum Zrinianorum domicilium, à qua veluti natali ſolo ipſi cognomen ducunt, admotis tormentis expugnavit. Erat illa duplex, & muro duplici cincta, ita ut ſi propugnatores idoneos & fortes nacta eſſet, facilè ſervari potuiſſet. Verùm Petrus Cameńanus, imbellis peditum, qui locum cuſtodiebant, præfectus, vix expectatis aliquot ferrearum pilarum ictibus, ſubito pavore perculſus, acceptâ à Ferhate fide, arcem dedidit. Quæ ei more Turcico ita ſervata eſt, ut captivus in Boſnam abduceretur, ibique diuturno tempore ſervatus, tandem incertum an non ex compoſito dimiſſus libertati reſtitueretur. Cùm de his adverſus fas & fœdera inſolentiſſimè ac iniquiſſimè actis legatus Cæſaris Prainerius Byzantii apud purpuratos, graviter queſtus eſſet, non aliud ab elatis, multoque arridentis fortunæ ſucceſſu intractabilibus reſponſi accepit, quam noſtros priores bellum intuliſſe; ſuos illatum ſuſtinuiſſe, fortunamque melioribus affuiſſe. His profectò tantiſque cladibus, tanta vaſtitas, ſtrageſque edita eſt, ut ab eo tempore in Illyrico, ademptâ ſpe aut reſurgendi facultate oblatâ, plurimi incolarum, qui ſuperfuêre, in varias Auſtriæ Pannoniæque partes, tædio præſentium, aut futurorum metu, deſertis ſedibus migraſſe conſpiciantur.

Ferhates hac victoria elatus, Caſtella aliqua, diffugientibus noſtris, obtinet.

Inter quas & Zrinium.

Prainerii legati inanes apud Turcos hac de re querela.

1576.

At Cæſar interea dum hæc improſperè geruntur, Pragæ Rudolpho filio Bohemici regni ſceptra coronamque, aſſentientibus populis & ordinibus, de manu tradidit; illincque Ratisbonam ad frequens Germaniæ concilium profectus, eundem ſibi conſortem Romani imperii, & ſucceſſorem à ſeptemviris electoribus declarandum, ſingulari & rarâ felicitate curavit; iis legibus, ut ipſo vitâ functo, non aliis comitiis expectatis, Rudolphus pro Romanorum Cæſare & Imperatore ab omnibus agnoſceretur; ac inſtar majorum omnia ei obſequii fideique munia præſtarentur: fuitque valde memorandum, atque omnino admirabile, ex una eademque Auguſta Auſtriæ familia ſeptem Cæſares nunquam interciſâ ſerie, ad ſummum rerum faſtigium evectos eſſe; perinde ac ſi illud decus non electorum ſummæ amplitudinis ſuffragiis, ſed hæreditarii juris ſucceſſione parari conſueviſſet. Nec prætermiſſæ à Cæſare fuêre ceremoniæ & ſpectacula, quæcunque in ejuſmodi pompis fieri conſueverunt; theatrales ludi, choreæque omnis generis, ac convivia notabili ſumptu, ac epularum varietate & copiâ, inter rara ac inuſitata, in queis cùm piſcis è gobiorum fluviatilium genere appoſitus eſſet, ac ſtructor à Cæſare interrogatus, viginti aureis emptum dixiſſet, in Ungaria ditos aut tres præpingues juvencos, tanti emi poſſe reſpondit, exteris principibus conviviis id mirantibus, ac ejus ſoli feracitatem ac copiam ſummâ laude efferentibus.

Rudolphus in Ratiſponenſ. Comitiis, eligitur Rex Romanus.

Tractavit poſtea per aliquot dies de rebus Polonicis, ac de obeundâ ejus regni ſibi legitimè delati poſſeſſione, atque ad eam pro ſua atque imperii Romani dignitate occupandam, ſubſidia pecuniæ, & exercitus poſtulavit; quandoqui-

Ibidem de Poloniæ regno adeundo &c. ac [illegible]

1577. *pando tractatum.* doquidem præoccupante Bathorio, jam illud abſque vi & armis adiri nequaquam poſſe conſtaret: nec magnam in re difficultatem ſitam eſſe exiſtimabat, quod multo maxima Polonicorum procerum atque ordinum pars, quæ ipſum elegerat, fidem in dubiam atque inconcuſſam adhuc retineret, nec Bathorii imperio pareret, cujus neque coronationi interfuiſſet, & ſi ipſe cum Germanico & Pannonico exercitu ingredi, regnumque capeſſere vellet, illi omnes ſibi opem & auxilia allaturi eſſe crederentur; nec Moſchorum principis militares copiæ defuturæ eſſent, omne ſtudium & operam ultro offerentis. Sed neque Germaniæ principes & ordines imperatori ſuo, quem ſummo amore ac veneratione proſequebantur, opportuna auxilia denegaturi erant; multique ex eis ſe unà profecturos, omnemque fortunæ aleam unà ſubituros pollicebantur, & quod magni ad rem totam momenti foret, copiæ è Bohemia & Sileſia, Pannoniorumque equitatus, pro Cæſaris imperio & nutu in promptu habebantur; adeo ut ſpes certa boni eventûs omnes æquè tenere videretur.

Verùm fortuna, quæ ex profeſſo Bathorium blandius fovere, atque evehere cœperat, nunc quoque ei ſecundiſſime favendo & indulgendo viam aperuit, qua univerſa Cæſaris conſilia atque cœpta perturbata atque everſa eliderentur: ac Bathorius ſui tuendi cura atque ſolicitudine liberatus, exoptati otii tranquillitate, ac regno recens parto, abſque controverſia felix ac lætus frueretur. Poſtquam enim ſuſceptis de Polonia conſiliis pauciſſimos dies impendiſſet, in cardiacos & nephriticos dolores periculoſiſſimos incidit, à quibus cum nulla medicorum ope levari potuiſſet, quod jam fatalis hora advenisset, inter complexus Mariæ conjugis, ac Annæ ſororis Bavaricæ viduæ, quæ ei decumbenti amanter ſeduloq; miniſtrabant, animam efflavit, vitæque pariter ac imperii finem impoſuit, excipiente imperii ac regnorum paternorum curam Rudolpho filio: cui etiam iiſdem in comitiis ſubſidia adverſus Turcas decreta ſunt, ipſeque non multò pòſt cum Maria matre funus Cæſaris, ſingulari exequiarum pompâ Pragam deduxit: fuitque ibi in templo majori reconditum, donec juſtis funebribus majori ſolennitate perſolvendis, anno inſequenti Ungaris & Bohemis, ac Germanis proceribus comitantibus, penes utrumque parentem magnificentiſſimo apparatu tumularetur. Quibus ad præſens peractis, Maria vidua Pragæ ſubſtitit: Rudolphus verò terreſtri itinere Lincium, ac deinde conſcenſis navibus, ſecundo Danubio, Viennam venit; ubi ab Erneſto fratre, ac Auſtriæ nobilitate, urbaniſque civibus, exquiſitiſſimo honore exceptus eſt.

Maximilianus Imp. Ratiſpona diem extremum obit. A. 1577. Secundùm de Revva 1576. 12. Oct.

Interea dum Ratisbonæ ac Pragæ, vitâ functo Cæſari parentatur, ac novus Cæſar Viennam revertitur, non leve in Croatia rurſus detrimentum ab hoſtibus Turcis illatum eſt, ea pro ignaviâ præſidiariorum Goſdanſco Zriniatorum comitum oppido, cui argenti fodinæ magni emolumenti erant ſubjectæ; quæ tamen ſimul ac in Turcarū poteſtatem devenerunt, diffugientibus operis, à quibus argentum magna ubertate effundebatur, inutiles redditæ, ac deſertæ fuerunt. Sed ne hoſtes quotidie latius in viſcera regni penetrantes, etiam Carnis propinquis populandis apertam viam haberent, Rudolphus imperator communicatis cum Carolo principe patruo conſiliis, munimentum illis finibus tuendis commodum & neceſſarium extruendum decrevit: ut iſthic equitum & peditum præſidia, qui hactenus ſparſim per diverſa loca ſervabantur, ſimul excubarent, ibique etiam ſummus copiarum dux continuè manendo, ſedem locumque haberet. Itaque illud opera & ſtudio ſumptibuſque Caroli principis & Carnorum in territorio Dubociano Comitum Zriniatorum ditionis, inter Colapim, Dobram & Mreſoiciam amnes, è fundamentis erigitur, ac Carolſtadium nominatur; atque adeo Cæſar locum privilegiis ac immunitatibus auget, iiſque qui ibi domos exædificaſſent, certas libertates donat ac pro arce Dubocia, in cujus fundo erectum erat, Zrinianis comitibus præſentem pecuniam numerat; præfectumque tam loco quàm copiis omnibus, Johannem Ferenbergum, qui hactenus Segniam maritimam civitatem curaverat, in locum Wachardi Aurſpergi (is interfecto fratri Herbarto ſucceſſerat, ſed non multò pòſt vitâ officioque functus erat) ſubſtituit, ac per hunc modum majori militum numero, certoque ſtationis loco conſtituto, permanſioni & ſaluti reliquiarum Illyrici, rectiùs ac meliùs conſultum eſt.

Goſdanſcum Zriniatorum oppidum à Turcis intercipitur.

1577. *Carolſtadium ad reprimendas Turcarum incurſiones excitatur.*

Sub id tempus Cæſar, prima ſuis auſpiciis comitia, ad Calendas Februar. Poſonium indixit, in quibus poſt decreta numorum & pecuniæ ſubſidia, magiſtratus quoſdam diſtribuit; & in locum Johannis Liſthii Epiſcopi Jaurienſis & Cancellarii, nuper Pragæ extincti Georgium Draſcovitium, ab Epiſcopatu Zagrabienſi in Ungariam tranſtulit, ac ei in præfectura Illyrici ab illo geſta quam Banatus nomine vocant, Chriſtophorum Ungnadium ſuccedere juſſit. Decretum etiam fuit iiſdem in comitiis, ut Carolus patruus in Illyrico, ac Erneſtus frater Cæſaris in Pannonia, tam abſente quàm præſente ipſo res bellicas, ac quæ ad loca finitima ſpectant, gubernaret. Quod quamvis ordinibus regni minus gratum acceptumque eſſet, utpote qui à Cæſare veluti rege ſuo gubernari res bellicas, ac omnia alia mallent, annitente tamen Cæſare, nec aliud volente, ægrè tandem ac difficulter aſſenſere. Poſt illa comitia Rudolphus Viennam reverſus, curandæ valetudini aliquamdiu operam dedit, thermis ſeu balneis Maneſtorffianis ſeſe lavando; nec multò pòſt Opitium Lutheranæ ſectæ ſeu Flaccianæ concionatorem Viennâ ac omni Auſtriâ ejecit, promulgato ſeveriore edicto, ut niſi eodem die urbe, ac intra decimum diem cunctis finibus excederet, læſæ majeſtatis crimine teneretur.

Poſonienſia Comitia à Rudolpho Cæſ. indicta. A. 1578.

Opitius Flaccianæ ſectæ Vienna expellitur.

Interea, apperente ejus anni autumno, Matthias frater, quum à Gulielmo principe Auranſio Belgicorum ſtatuum & ordinum anteſignano, qui à Philippo rege Hiſpaniarum, tam inſolenter quàm perfidè, ipſo inſtigante, defecerant, per literas vocaretur, ut eas provincias nomine regis gubernaret, ambiguo ac præcipiti uſus conſilio, nimiumque illius fidei tribuens, in Belgium proficiſci decrevit. Quamquam autem Cæſar magnopere ſuaderet, ne per verſutiſſimi hominis maleſanis conſiliis quicquam fidendum duceret, quibus rex Philippus patruus, inclytæq; domûs Auſtriacæ natu ac dignitate major, tantæque gravitatis ac potentiæ princeps quàm maximè offenderetur: tamen vel invito prohibenteque Cæſare, fortunam experiri voluit; paucisque familiarium comitatus, ignaro fratre, citatis, aviiſque itineribus, primo Liram, deinde Antverpiam venit; ibique certis conditionibus Belgii gubernator inauguratus eſt. Quæ res Cæſari

Matthias Archiducis in Belgium profectio

1579. gravis imprimis moleſtáque accidit, adeo ut tam Philippo regi, quàm Johanni Auſtriaco, ejus in Belgio ſummo duci, ſe illius diſceſſum ægrè tuliſſe perſcriberet, multiſque Germaniæ principibus mandaſſe, ut frater ex itinere retractus ſibi mitteretur; illum tamen vitatis inſidiis eo quo volebat, perveniſſe. Verùm tamen ille, quum diu multumque Aurantii atque aliorum ſtudiis & factionibus obſtitiſſet, quo minus à rege ſuo deficerent, quod jam flagitioſiſſimè facere decreverant, quandoquidem eum è longinquis terris, eâ lege & conditione vocaſſent, ut illas provincias regis nomine gubernaret, nec tamen impedire eos aut refrænare poſſet, quin jam Antverpianos apertæ rebellionis conſilia agitare animadvertiſſet; memor fidei & arctæ propinquitatis, quâ regi patrueli conjunctus erat, ne armis adversùs eum ſumptis, tantam probroſi decoris ac infamiæ notam ſibi inureret, cujus vel apud poſteros malè audiendo pœnas daret, triennio ferè, poſtquam diſceſſerat, abdicans Aurantio atque Belgis per Menapios & Sicambros Coloniam Agrippinam vectus, deindeque ad fratrem Cæſarem reverſus eſt; & in ejus locum ab eodem Aurantio Ludovicus princeps Alanzonius, regis Galliæ Henrici frater, ac Hiſpani nominis haud obſcurè æmulus ac hoſtis, ſolenni legatione in Belgium accitus.

Caroli Principis Duces nonnulla Turcis loca eripiunt.

Eo qui ſequutus eſt anno, Carolus princeps, coacto ad Pruccum oppidum in Muræ amnis ripa ſitum ſuorum conſilio, communicatis cum Cæſare conſiliis, copias è Stiria Carinthiiſque, & Carnis cæteriſque ſuis provinciis coëgit; eiſque Georgium Quevenhillerum cum ſummo imperio præeſſe juſſit; Johannem verò Ferenbergum, qui Chroatiæ, & Vitum Halleccum, qui Sclavoniæ limitibus præerant, ei adjungit. Chriſtophorus etiam Ungnadius, qui ordinibus & ſtatibus eorum regnorum Bani nomine non ita pridem præeſſe juſſus erat, nobilitatem ſumptis armis haud contemnendo numero in caſtra adduxit; ita ut confluentibus etiam Labacenſibus & Goricianis Iſtriſque, juſti exercitûs ſpeciem habere videretur. Ejus autem animi propoſitique erat Carolus, ut ea loca, quæ anno ſuperiore à Ferhate & Boſnenſibus Turcis contra pacta induciarum, ſingulari illorum perfidiâ, noſtrorumque ignaviâ, in poteſtatem redacta erant, primo quòq; tempore recuperarentur: ne occupatis ab hoſte ſemel atque iterum oportunis arcibus & munitionibus in Carnos & Iſtros, & Japides, & intima ſuæ ditionis, expeditum diris hoſtibus iter panderetur. Erat exercitui per deſerta & confragoſa loca progrediendum, denſique ſaltus & ſaxoſi montes ſuperandi, per quæ tormenta curulia & commeatus innumeris carris impoſiti, magno tam hominum quàm jumentorum labore, magnaque difficultate vehebantur; Ducum tamen induſtriâ ingens operarum numerus, qui enatas in via arbores dolabris & ſecuribus exſcinderet, & deturbatis grandioribus ſaxis iter complanaret, erat comparatus.

Itaque primò ad Buſinium perventum eſt, idque diffugientibus pedeſtris ordinis militibus, quorum exiguâ manu cuſtodiebatur, facili negotio receptum eſt. Eâdem celeritate Craſinium, Zrinium, atque aliæ cis Unam flumen arces, dilabentibus Turcis in noſtrorum manus & poteſtatem rediêrunt. Ferhates verò & Turcæ non niſi ſemel in conſpectum noſtrorum venire auſi, leve certamen cum noſtris contraxerunt, in quo perpauci utrinque ceciderunt; plures tamen ex hoſtibus deſiderati ſunt; in partibus autem noſtrorum Nicolaus Badracius, nobili generi ortus adoleſcens, dum interfecti Turcæ cadaver, armis & pelle tigridis ſpoliaturus, abſque galea equo deſcendiſſet, caput prægrandi acinace ictus, eodem in veſtigio occubuit. Ejus autem expeditionis magnâ curâ & labore ſuſceptæ is exitus fuit, ut noſtris per loca, quæ recuperaverant, idoneis diſtributis præſidiis, maturè celeritérque redeuntibus, Turcæ ea illico repeterent, & noſtris militibus nimio pavore conſternatis ac diffugientibus, iiſdem locis omnibus parvo labore potirentur. 1579.

Qua Turcæ, diſcedentibus noſtris paulò pòſt recipiunt.

Ejuſdem anni exitu caſtellum ad arcendas Turcarum clandeſtinas excurſiones, & latrocinia à noſtris exædificatum eſt, eo in loco, qui Baicia vocatur, ubi Caniſa flumen, paulò ſuperiùs quàm in Muram influat, diffuſiùs ſtagnare, nec niſi pediti pervium eſſe ſolet. Confluxêre eò in caſtra Georgius Zrinianus, Balthaſar Battianius, & Franciſcus Nadaſdius cum vicinæ nobilitatis copiis, ac juſſu Caroli principis, Vitus etiam Hallecus è confiniis Sclavonicis, eòdem haud contemnendam militum manum, duce Joanne Glubicerio miſit, & Andreas Quilmanus, præfectus Caniſianus cæteris ſeſe conjunxit. Qui dum magna agreſtium coacta multitudine materiam in proximis ſilvis cæſam convehi, ac vallum ſepimentumque erigere contendunt, Alibegus, qui Sigheto præerat, cum tribus millibus equitum ad impediendos noſtrorum conatus, adductis etiam aliquot falconum campeſtrium paribus, advenit. Nec mora, tanta fuit irrumpentium Turcarum vis ac celeritas, ut quod noſtri minimè crediderant, contempta omni ſtagnantis & cænoſæ paludis voragine, ingenti animorum ardore procurrere, & in noſtros invehi nequaquam formidarent.

Sed nec ex adverſo noſtris defuit animus egregiè reſiſtendi. Cùm tamen hoſtes profundo luto diu multúmque colluctati, multis ſuorum amiſſis, tandem citeriorem ripam tenuiſſent, cæteri quidem è noſtris acerrimè certavêre; ita ut Alibegus multo majorem partem ſuorum glandibus peritam deſideraret, caderétque ejus legatus ſclopeto ab Quilmano trajectus; ſed nobilitatis copiæ ut variis ex locis tumultuariè collectæ inani metu perterritæ, ad primum hoſtium impetum terga dare, & in proximas ſilvas fœdâ fugâ ſeſe recipere cœperunt. Quâ rei indignitate permotus Battianius, quum aliter fugam ſiſtere non poſſet, duos Turcas equis, veſtibus & armis bene inſtructos, qui tunc fortè capti erant, ad illos, qui per ſilvas agminatim profugiebant, ſub cuſtodia miſit, hoſteſque fuſos & fugatos, victoriam in manibus eſſe aſtutâ diſſimulatione nuntiavit. Læto eo victoriæ, quamquàm nondum partæ nuntio perſuaſi, retro in pugnam, unde ſe ſubduxerant, explicatis ſignis mox reverterunt. At Alibegus nova ratus eſſe auxilia, haud cunctanter receptui cani juſſit, & Turcæ omiſſo certamine tantâ trepidatione, cænoſum & impeditum iter remenſi ſunt, ut plurimi eorum partim paludibus immerſi, partim glandibus & falconum pilis icti fœdè interirent: & qui ſupererant, ſaucii & malehabiti, nullo facto operæ pretio, domum reverterentur; noſtri verò collaudato Battianio, opus inſtitutum commodè perficerent, præſidioque impoſito munirent: manſitque locus apud noſtros permultos

Aly Begi copiæ à noſtris profligatæ.

1580. multos poſt annos, donec amiſsâ Caniſianâ arce, omnis ea ultra Muram ditio hoſtium armis occuparetur.

Inſequens annus apud Pannonios quietus tranquillusque, Perſarum tamen de Turcis, & Stephani Poloniæ regis de Moſchorum gente partis victoriis, & rebus proſperè geſtis memorabilis fuit. Quæ à nobis ad res Ungaricas properantibus de induſtria prætermiſſæ, ex aliorum annalibus haud difficili labore peti poterunt: illud tamen haud abs re adjecerim, Turcas, ut ſunt egregii ſimulandi artifices, fictis frequenter rumoribus, aut pyris ingentibus accenſis, aut multâ majorum tormentorum diſploſione impudenter ſparſiſſe, ſe adverſus Perſas acie victores, ac modò has, modò illas in orientis partibus provincias ab ſe ſubactas, quæ demum progreſſu temporis falſo excogitata fuiſſe apparuerunt. Laceſſivêre etiam Rudolphi novi Cæſaris arma, ac Pannonios & Germanos, quanquam fidei & induciarum tenaces, multis frequentibúſque excurſionibus & præliis, quibus ſeſe omnibus majori ex parte victi diſceſſerunt: poſtremo induciis ab eorum parte in Illyrico violatis, e pace in apertum bellum erumpente, totos quindecim annos, magnum ſatis mortalis ævi intervallum, vario atque ancipiti Marte dimicavimus, ſicut ea omnia ulteriùs progredientes ordine exponemus.

Comitia Poſonienſ. re infectâ, diſſoluta.

Is qui hunc ſequutus eſt, annus Comitiis Poſonium indictis, quibus Erneſtus Cæſaris nomine præfuit, atque illis re infectâ diſſolutis, quod nunquam antea contigerat, memoratu dignus fuit. Quum enim ſæpenumero de reſtituendis vetuſtis libertatibus, & abrogandis exteris, qui non ſolùm in militares præfecturas, ſed etiam ærarii adminiſtrationem, ac Cancellarii officium, atque alia, quæ opulentiora putabantur, munia indignis modis irrepſiſſent, non novo tantùm Cæſari, ſed patri, avoque omnibus ferè conventibus publico nomine ſupplicatum, neque tamen quicquam profectum eſſet, tam exacerbatos animos nobilitas habebat, ut nec ſubſidia ſolita, nec quidpiam ad propoſita de communi defenſione capita decerneret, niſi illi protinus amoverentur. Ad quæ quum Erneſtus tempus ac ſpatium poſtularet, quo tam exteri incolumi honore dimitti, quàm Cæſar conſuli poſſet, & procerum nonnulli æquè poſtulanti aſſentirentur; major tamen pars inconditis clamoribus, & promptis ad ſeditionem animis interceſſit, neque ſe à ſententia dimoveri paſſa eſt. Quamquam autem brevi affutura remedia reſponderet, quæ tardiora ſemper quàm mala eſſe conſueviſſent, nullo tamen operæ pretio facto ille Viennam, Ungari verò ad ſua quiſque loca reverterunt. Quæ quum Cæſari perſcripſiſſet, ſummo ille ſilentio ea tranſmiſit, partim morbo gravi & ancipiti, partim ingenti negotiorum mole preſſus, ita ut ad biennium inſequens & remedia & comitiorum tempus differenda cenſeret.

Caniſa fulmine de cælo tacta.

Per hæc tempora Caniſa de cœlo fulmine tacta eſt XXI. die Martii, qui fuit dies Divo Benedicto ſacer. Et quum pulverem ſulphureum inflammaſſet, magnam murorum ſtragem edidit: cujus violentia Johannes Bornemiſſa arcis præfectus cum genero & filia, ac Potentiana uxore, & hominibus XC. obruti ſunt. Ipſe quidem ex mæniorum fragminibus, ope militum extractus fuit, cæteri omnes exanimati. Quæ res quum hoſtibus innotuiſſet, incertum quas ob cauſas nuſquam ſe commoverunt.

Pulvis ſulphureus incenſus magnam ſtragem dat.

Iſtuanſ. Hiſtor.

1581. Interea Stephanus Rex Poloniæ, miſſo ad Cæſarem Hieronymo Epiſcopo Uladiſlavienſi legato, Sacmarium repetere cepit, quod ſibi illud patrimonium fuiſſe, eoque etiam tempore, quo cum Joban. Sigiſmundo pace & permutatione factâ, de eo oppido tranſactum eſſet, jus ſuum ſibi integrum reſervaſſe diceret. Si verò Cæſar loco ſibi oportuno, jamque magnis ſumptibus munito cedendum nequaquam exiſtimaret, ſe etiam aliam pro eo ditionem æquâ permutatione acceptūrum: Sin minus, ſe ſibi ac fratri Tranſilvaniæ principi, æquale ſecum jus habenti, deeſſe non poſſe nec velle. Cùm ea res in Senatu proponeretur, omnium ea erat ſententia, nihil illi jam juris ibi ſupereſſe, quod eo legato & aſſentiente Maximilianus Cæſar ante paucos annos illud jure tranſactionis acquiſiviſſet, itaque nec oppidum reddendum, nec aliam ditionem dandam. Ruberus quoque ſententiam rogatus diſſuadebat reſtitutionem, addebatque ſi res ad arma ab rege deduceretur, ſe Cæſaris nomine & auſpiciis locum defenſurum, & ſi obſidio ingrueret, ſe ipſum eam toleraturum, poſtquam juſtæ cauſæ Deum quoque immortalem adfuturum ſperaret. Verùm Cæſar Trautſoni & Harrachi conſiliis uſus, quibus multum tribuebat, ut pacem & amicitiam cum eo coleret, pro Sacmario aliud oppidum quinto milliari diſtans, quod noſtri Nagibaniam, ſeu Latino nomine Rivulum Dominarum vocant, longè Sacmario opulentius, & ob auri atque argenti fodinas ubertimas utilius regi dandum decrevit; miſſuſque illuc Franciſcus Revajus Caſſovienſis ærarii præfectus, qui illud Martino Berſevicio, Regis legato de manu traderet; ſicque Cæſar regi Poloniæ ſatisfecit, ut ille ad ponendas ſimultates & pacem ac rerum tranquillitatem ſtabiliendam eo facto pertraheretur.

Stephanus Rex Poloniæ Sacmarium repetit.

Imperator autem Nagibaniam illius loco ei tradit.

Turcarum excurſiones.

Vere interim appetente Turcæ variis in locis pacem nequaquam pati ſoliti, in noſtros excurrere, & detrimenta inferre ceperunt, primumque Novæ arci quæ Archiepiſcopalis dici ſolet, quam Fridericus Sirotinius cum provinciæ Moraviæ ordinibus, non procul à priſtino loco tranſlatam, ad Nitiam flumen denuo ædificaverat, inſidias ſtruxêre; quas quum noſtri vitaſſent, prohibere tamen non potuerunt, quin magnum majoris pecoris numerum ex agro abigerent; quòd ipſi hoſtibus longè inferiores numero eſſent. Neque multò pòſt Paulus Thrax, qui loco præerat, acceptum ab hoſte damnum reddere cupidus, cum ſuis ad Parcanum in citeriore Danubii ripa, è regione Strigonii caſtellum excurrit, cæſiſque obviis qui reſiſtere auſi eſſent Turcis, pecora, quæ iſthic paſcebantur, abripuit, ac ſuos incolumes cum præda reduxit: Turcis è caſtello ac ſummâ arce Strigonienſi tormenta uſque adeo in noſtros explodentibus, ut Muſtaphas purpuratus è Buda ad inuſitatum illum fragorem excitatus, Strigonioque metuens, citatis equis eò provolaret, ac in itinere cæteris ſalvis pecora tantùm abacta eſſe cognoſceret, ſicque Budam reverteretur. E Jaurienſi quoque præſidio quum Martinus Czobortius, & Laurentius Revajus, egregiæ ſpei adoleſcentes, fortunam tentaturi exiviſſent, Ferdinandus Speciacaſa Veſprimii præfectus, cum Lupo Starcitio, & Stephano Piſquio ſe eis conjunxit, & quum in Ibraimum Muſtaphæ purpurati legatum, non procul à Sambuco oppido, in ſilva Verteſia obvium fortè incidiſſent, neutrâ parte pugnam detrectante, manum conſeruerunt, interfectoque cum pleriſque Turcis Ibraimo, ac

1581. capiis XXXVIII. præcipui nominis hoſtibus, incolumes Jaurinum redierunt.

Alia Turcarũ excurſio repreſſa.

Sed majori Turcarum damno & detrimento in partibus ſuperioribus ultra Tibiſcum, in quas tamenſi Turcis tributarias Saſuares Solnoci præfectus, Secenianâ obſidione toleratâ, nomen famamque conſequutus, repentinâ excurſione irruperat, pugnatum eſt. Is enim ſi per ea loca terrorem circumtuliſſet, Agrienſes in inſidias elici poſſe ratus, validâ Turcarum manu coactâ oppidatim vagabatur, & obvios paſſim milites noſtrates in vincula rapiebat; jamque ad Nadudvarum oppidum celebre pervenerat, cùm Bartholomæum Colnicium Agrienſis præſidii præfectum, cum quadringentis equitibus, ac totidem peditibus Tibiſcum tranſiiſſe cognovit. Stephanus quòque Bathorius Georgii filius adoleſcens, ex Onodia arce cum ducentis equitibus progreſſus, trajecto ſimiliter Tibiſco et ſe conjungere contendit. Franciſcus verò Geſtinus ex Dioſgiorio, explorandis hoſtium conſiliis jam antea trajecerat, & Sendroniani Germani equites in itinere erant.

Igitur cùm in patentibus campis ad Nadudvarum hoſtes aſſequuti eſſent, ac ambo exercitus explicatis vexillis ac ſtructis ordinibus in mutuum conſpectum progreſſi eſſent, Colnicius & Bathorius multitudine hoſtium territi pedem referre ceperunt; quamquam à cataphractis Germanis, & Stephano Thrace, ac Andrea Barbelio Agrienſibus, ne de victoria dubitarent, magnificè proloquutis palàm admonerentur. Verùm quum illi in ſententia perſiſterent, & reflexis equorum habenis citatiore gradu ſeſe cum ſuis turmis proripuiſſent, domi profligatos ac cæſos noſtros, victoriámque penès Turcas eſſe trepidi retulerunt. Sed quum Stephanus & Andreas cum Alberto Rabiero cataphractorum equitum Sileſiacorum præfecto, qui vix cum octingentis utriuſque nationis equitibus, contra majores hoſtium copias, quæ amplius duobus millibus Turcarum conſtabant, in acie perſtitiſſent, diuque pugnam protraxiſſent, virtute conſtantiáque eorum effectum eſt, ut Turcæ perfractis magno animo haſtis, ad gladios & enſes delati, ac cataphractorum ſclopetis brevioribus ſauciati, & cadentes noſtrorum vim perferre nullo modo poſſent, ſed in effuſam fugam verterentur.

Saſuares Solnoci præfectus fugit.

In eo cruentæ pugnæ concurſu Saſuares accepto vulnere profugit, cæteri deſperatis rebus partim Solnocum & Giulam, partim ad alia loca pernicibus equis delati periculo ſe ſubduxerunt.

Periêre ex Turcis cæſi ad CCC. numerum, capti CCCC. ac ſigna XIII. Inter captivos, Alivaida, Muſtaphæ purpurati diſpenſator fuit, qui à Franciſco Geſtino, cui eum pro navata eo die extraordinaria opera conſenſus militum dono dederat, XI. millibus aureorum præſentis pecuniæ ſe redemit. Quum plerique militum Agriam præiviſſent, ac partam victoriam, cæſos hoſtes, captiſque ac ſigna adempta retuliſſent, cæteri non credere, eos commotâ mente delitos dicere, quòd ab aliis, qui de nocte redierant, noſtros profligatos, réſque perditas intellexiſſent. Sed poſtea quum verſam paucorum operâ in melius fortunam, ac ſecundo eventu pugnatum eſſe certiùs cognovêre, & interim ſocios quòque cum opima præda revertentes conſpexêre, in mutuam congratulationem gaudiumq; verſi, lætos dies agitavêre, ac ſtipendia & prædam, captivóſque de more divenditos per æquas ſortes diviſêre.

Cùm hæc pugna ultra Tibiſcum meſſis tempore pugnata eſſet, non multò pòſt Balthaſar Battianius, Georgius Comes Zrinianus, & Franciſcus Nadaſdius collatis inter ſe conſiliis, quibus Joannes quòque Globicerius, Capronciæ præfectus adhibitus fuit, ad partes Poſeganas, quæ inter Savum & Dravum flumina ſitæ ſunt, cum validis copiis, acrique impetu excurrere, ac eam regionem omnem, ſimul cum Turcarum inhabitantium domibus & commeatibus, qui in locis minùs munitis reperirentur, igne & ferro vaſtare decreverunt. 1581.

Noſtrorum felix excurſio.

Itaque omnibus copiis ad diem XXVI. Septembris Capronciam adeſſe juſſis, poſtero die ſub noctem iter aggrediuntur, lentiſque paſſibus, quòd peditatum unà ducere conſtituiſſent, per viam militarem progreſſi ſunt, ac eo die ad Comarniciam amnem pernoctarunt. Habebant in caſtris milites utriuſque ordinis ad duo millia & quingentos, ſed qui eſſent ex multis ſelectiſſimi & exercitatiſſimi. Sequenti die ultra Gorbonocum caſtrum jam olim dirutum, extantibus ſecus viam militarem ruderibus, prætergreſſi, ut milites corpora equoſque curarent edixêre. Fortè fortuna evenit, ut Scanderbegus quòque Poſegæ præfectus, Ulaminis Perſæ multis in nomen Chriſtianum maleficiis clari filius, eodem propoſito, ut oram, quæ in ulteriore ripa Dravi à Caproncia Varaſdinum uſque protenditur, hoſtiliter depopularetur, cum duobus aut tribus millibus Turcarum, non procul ab eo loco, in quo noſtri conſederant, caſtra poneret, ac ſuis, ut paululum temporis quieti corporibuſque curandis darent, mandaret.

Cùm neutra pars alterius adventûs gnara eſſet, quidam ex numero vagantium militum, Battianii manipularius, natione Ungarus, ex proximo fonte aquam ſumpturus caſtris egreditur, & quum Turcæ ad eundem fontem fortuito caſu acceſſiſſent, Ungarum ſtricto enſe ſe tuentem circumſiſtunt, & capiunt, ac ad Scanderbegum adducunt. Ab eo, unde domo, quis, cujas ſit, cur eò venerit? quæri jubet: cùmque Illyricæ linguæ ignarus eſſet, quæſito diu in caſtris, tandemque ægre invento interprete, ſe Battianii militem eſſe reſpondit, & illum cum Zrinio & Nadaſdio, ac Globicerio, multiſque proceribus Ungaris & Germanis, & non contemnendo exercitu, in proxima eſſe ſilva. Quæ res magnam Scanderbego & Turcis undique trepidationem intulit; ita ut manipulario interfici juſſo, ſine mora Huſſaimo uni ex familiaribus ut duos filios adoleſcentes, quos ſecum adduxerat, conſcenſis equis domum reducat, juberet; ac ſuprema ad uxorem & liberos mandata, tanquam moriturus daret, ſeque nunquam domum rediturum præſagiret. Tum verò cùm prælio decertare neceſſarium eſſe videret, Calenderu legato ac Derviſio ejus fratri, cæteriſque præfectis, ut ſtratis equis & ſtructâ acie pugnæ ſignum dent jubet, ipſe etiam ingenti corporis mole, ac ventris abdomine gravis, in equum à ſervis imponitur. A noſtris, qui hoſtes adeſſe ſenſerant, idem fit, tubæque ſimul ex utraque parte & tympana perſonare, ſtrepereque incipiunt; miliréſque commeſſabundi cibis relictis celeriter equos frenant ac conſcendunt, & expediti ad pugnam ſe parant.

Noſtri cũ Scanderbega Ulamanis Perſa filio confligunt.

Nec mora, concurritur infeſtis armis, animiſque: & quum utraque pars ſpes omnes ad unam ejus prælii fortunam omnino periclitandam recidiſſe videret, acerrimum certamen initur.

1581. tur. Ibi Battianus & cæteri duces non modò præfectos, ſed & milites nominatim appellando, ut pro ſalute omnium, proque dignitate Chriſtiani nominis fortiter pugnandum, neque perfidis hoſtibus cedendum exiſtiment, exhortari, præmiaque fortiter dimicantibus polliceri. Cùm variâ fortunâ, ancipitique victoriâ pugna protracta fuiſſet, ad extremum Scanderbegus, haſtâ transfixus equo dejicitur, & obtruncatur; Calenderem verò Franciſcus Pettendius Zriniani Comitis eques capit, & vincit, cæteri horum inopinato caſu territi profugiunt; fit promiſcua cædes, pluresque in fuga, quàm certamine occumbunt. Huſainus Athinenſis arcis cuſtos, & Oſmanes equitum præfectus è fuga retrahuntur, ac ſigna miliaria XX. cum tympaniſtis & tubicinibus capiuntur. Capita hoſtium CCXLIX. præciſa, inter quæ Scanderbegi fuit, quod poſtea cum aliquot ſignis Carolo principi miſſum eſt: Truncum ſpoliatum quidem veſte, ſed tapetibus involutum, noſtri eodem in loco reliquerunt; qui tantæ vaſtitatis erat, ut paulò procul aſpicientibus albi equi jacentis cadaver, non hominis eſſe videretur; tantæ enim voracitatis eum fuiſſe, ideoque pinguem & obeſum factum ferebant, ut integrum vervecem ferventi in furno coctum ſolus abſumeret, & repetitie aliquot vicibus unâ die aſitaret. Captivorum numerus quadringentos & triginta exceſſiſſe fertur: inter quos complures præcipui nominis & dignitatis viri, ſed equorum major numerus fuit. Noſtri re bene geſtâ, ad ſuas quiſque ſtationes & loca ſalvi incolumeſque redierunt.

Scanderbegus trucidatur.

Noſtri victoriâ potiuntur,

Voracitas Scanderbegi.

Dum hæc arridente fortunâ geruntur, Cæſar morbo diuturno levatus, rerumque Pannonicarum memor, Erneſtique fratris in comitio laboribus non parum laceſſitus, poſt biennii moram Ungaris alia comitia ad diem memoriæ Divi Martini ſacrum indixit, ac Pragâ Viennam, illincque navigio Poſonium venit. Ibi quum Ungaris pro vetere libertate magnâ verborum contentione laborantibus quædam propoſuiſſet, quibus illa reſtitui poſſe videretur, nec ordinibus Nobilitatis placuiſſent, quos exterorum inſolentiæ intolerandis injuriis vehementer exacerbaverant, poſtremò interventu procerum, quorum conſiliis utebatur, pro Cæſare ſpondentium, fore ut intra futuri conventus diem omnia, quæ per abuſum introducta erant, amotâ etiam exterorum potentiâ, emendarentur, ita demum non ſine tumultu ad ſubſidia offerenda, ac cætera quæ Cæſar poſtulabat, præſtanda, animum applicuerunt.

Comitia Hungarica.

In iis comitiis magiſtratum Propalatinalem, quem antea Emericus Czoborius geſſerat, & paulò antè è vivis exceſſerat, Nicolao Iſthuanffio, aſſentientibus omnibus regni proceribus ac nobilitatis nuntiis contulit, qui cauſis inter Regem & ſubditos dijudicandis præeſſet, iiſque ſedente pro tribunali Cæſare, & aſſiſtentibus cæteris omnibus, publicè ſacramentum præſtitit, ac prodeunti in publicum Cæſari ſtrictum enſem de more prætulit, quòd Ladiſlaus Banffius, regii ſtabuli præfectus, cui id muneris ſemper incumbit, gravi oppreſſus morbo abeſſet. Nicolaum quoque Palffium cubicularium ſuum, ad Poſonienſis arcis præfecturam promovit, ejuſque uti & Joannem Craſſitium legit in ſenatum. Decretum etiam eſt, ut publica judicia Eperieſſo Tirnaviam transferrentur.

Nicol. Iſthuanffius Propalatinus 1584. apud Iongelin.

Iſthuanf. Hiſtor.

Cæſarem hunc in modum cum Ungariæ conventus agitantem, Murates Turcarum princeps, ut per legatos circumcidendi Mehemetis filii decimum ſextum ætatis annum agentis pompæ intereſſe vellet, pro ea, qua induciarum legibus mutuò juncti eſſent, amicitia vocandum, atque invitandum duxit. Ad quam Gallorum quoque regem Henricum, ac Senatum & Principem reipublicæ Venetæ, Eliſabethamque Angliæ reginam, Perſarumque principem, & complures alios principes Chriſtianos pariter & Mahometanos per literas vocaverat, iique omnes miſſuri legatos dicebantur. Itaque Cæſar Stephanum Niarium Dapiferum ſuum, Hontenſemque Comitem, huic muneri obeundo delegit, datiſque illi rebus ad iter neceſſariis, ac magnis, quæ Byzantii offerret, muneribus, à ſe dimiſit, & is ſub finem menſis Aprilis in viam ſe dedit. Ad tertium Calendas Junias cepit inaudita ſæculo noſtro circumciſionis hujus pompa celebrari, & variis ac admiratione dignis ludis & ſpectaculis in Hippodromo editis, per XL. dies, ne noctibus quidem intermiſſis, duravit.

1582. *Murates Cæſarem ad filii circumciſionem invitat.*

Galli regis legatus Germinius Germollæus, ſecundo loco poſt Cæſaris legatos ſpectare juſſus, quum ſe quidem Prainerio Romani imperatoris legato ceſſurum dixiſſet, ſic tamen ut Niatio & aliis, qui non Cæſaris ſed Ungariæ regis nomine adeſſent, præferretur; deinde ut Stephani Poloniæ regis orator, quem Henricus priùs rite apud Polonos coronatus, nequaquam pro rege agnoſceret, excluderetur, altercatione ad Sinanum delatâ, qui tunc purpuratorum ac conſilii Sultanici princeps erat, ita dirempta eſt, ut Henricum unius Galliæ regni, clari quidem haud dubiè & opulenti regem eſſe pronuntiaret; verùm Ungariæ regem, qui olim Dalmatiam, Chroatiam, Sclavoniam, Boſniæque & Bulgariæ regna, cum utriuſque Valachiæ & Tranſilvaniæ provinciis tenuiſſet, ac à ponte Polemoniaco ad mare uſque Adriaticum imperium extendiſſet, jure præferri poſſe; nec Stephano Poloniæ regi, principi militari & bellicoſo, cui cedente Henrico ac Galliam repetente regnum à Polonis legitimè delatum eſſet, dignum in theatro ſpectandi locum denegandum. Sed ille Sinani adjudicatione nequaquam contentus, doloreque ac iracundiâ percitus, domi ſe continuit, nec ſpectaculis intereſſe contumaci animo voluit, muneraque quæ ſui regis nomine attulerat, non ipſe obtulit, ſed à præfecto aulæ ſuæ exhibenda curavit.

Gallici legati contentio cum Hungaro ac Polono.

Porrò Murates filium Mahometem recens recutitum, poſtquam ſanatum vulnus eſſet, more majorum Magneſiæ & Amaſiæ regnaturum in Aſiam tranſmiſit, & Niatius contracto Byzantii morbo, poſtquam feſtivitati finis impoſitus eſſet, menſe Septembri domum rediit, & pridie Idus Decembris è vivis exceſſit, non ſine ſuſpicione veneni, quod ſibi à Turcis in aquæ dulcioris multo ſaccharo temperatæ potu propinatum fuiſſe putabat. Prainerius quoque haud multò pòſt, quum Byzantii animi relaxandi cauſa in hortum ſuburbanum equitaret, ex equo in humum ſubitâ paralyſi provolutus concidit, ac triduo poſt vitam finivit: cùm tamen priuſquam moreretur, induciarum terminum, qui paulò pòſt finem habiturus erat, ad novem annos ſubſequentes, initio à Calendis Januariis ducto, prorogandum procuraſſet. Cui Joachimus

Prainerius legatus Cæſ. paralyſi obit.

1582. Sincendorffus Conſtantinnpolitana in legatione ſucceſſit.

Sincendorffius illi ſuccedit.
Saſuares à noſtris ad arcem Onodiam profligatus.
A.1582.

Solutis Comitiis, abeunteqne Cæſare, res in ſuperiore Ungariæ parte ad arcem Onodiam à noſtris adverſus Turcas proſpere geſta eſt: Saſuates ſiquidem Solnoci præfectus, qui ſuperiori anno ad Naduduarum profligatus, plurimis ſuorum amiſſis fuga ſe ſervaverat, detrimentom illud reſarcire volens, magnâ ſuorum coactâ manu, trajectoque Tibiſco, villas inter Dioſgiorium ac Onodiam ſitas, quæ antea Turcis vectigales nimiâ crudelique tributi exactione ad extremam inopiam redactæ, illud ſolvere intermiſerant, populari & vaſtare, & ſi Agrienſes præſidiarii, aut alii ex noſtris reſiſtere conarentur, cum iis prælii fortunam periclitari conſtituit. Jam aliquot villæ, oppidumque imprimis Mohinm nundinis annuis celebre, ab hoſte acerbo & implacabili incenſum flagrabant, fumique & ignes à longè coòſpiciebantur, quum Rubetus, qui in oppido Saroſio tuoc fortè gravi morbo implicitus decumbebat, Michaeli Serienio, ſuo Caſſoviæ legato, Albertoque Raibicio cataphractorum Germanici nomioìs equitum præfecto, aliiſque, qui partium illarum præſidia obtinebant, perſcripſit, ut collectâ celeriter quanta poſſent, ſuorum manu, populabundos hoſtes, captiviſque & prædâ onuſtos invadere maturarent. Ac Serienius cum ſuis Ungaris, qui perniciotibus equis uterentur, hoſtes non procul Oodia aſſequutus, quum numero & viribus longè inferior eſſet, aggredi non eſt auſus, nec tamen incepto deſtitit, donec Onodianis & Dioſgiurianis, Stephanique Bathorii turma equeſtri ſibi adjunctis, veſtigia hoſtium obſervaudo ſequeretur, quos etiam ab Agrienſibus in itinere expectari didiciſſet.

Igitur hoſtes ad unum aut alterum milliare progreſſi, quum à fronte Agrienſium equeſtres & pedeſtres copias iter præcluſiſſe, ac Caſſovianos à tergo ſubſequi animadvertiſſent, quamquam trepidi & extremo pavore perfuſi, tameo ſtructis ordinibus conſiſtunt, & irrumpentes noſtros, ac primo impetu haſtis rem gerentes, magnâ vi ſuſtinent. Sed cùm recentiores ſocii, Albertus Raibicius cum Germaois equitibus & ſclopetariis ſubſidio adveniſſent, copiæque noſtrorum concurrentibus undique auxilus, ſupra duorum millium equitum numerom ſuccreviſſent, victoria, quæ hactenus ánceps & incerta eſſe videbatur, in noſtros haud dubie inclinavit; Ita ut Saſuares & Turcæ in fugam converſi terga darent, prædaque & captivis ac impedimentis omnibus exuerentur. Quos noſtri uſque ad Tibiſcum celeri curſu proſequuti, magnam eorum partem trucidarunt, ac plurimos è fuga retractoa ceperunt; ita ut mille quingenti aut ampliùs Turcæ partim cæſi, partim capti deſiderarentur; & ipſe Saſuares, ne agnitus à noſtris eò avidius peteretur, abjecto purpureo paludamento, ſumptaque vili & obſoleta agaſonis chlamyde ſeſe periculo eriperet, & à ſuis in tutum perduceretur. Sigoa XVIII. cum aliquot captivis ac gladiis auro atque argento ornàtis, ac militares aquos Andreas Barbelius Agrienſis equitum præfectus Erneſto principi Viennam attulit: cujus in ea pugna egregia virtus & fortitudo ante alios conſpicua fuit. Hæc ſanè pugna eò gratior noſtris accidit, quod quatriduo ante paſcha puguata eſſet, idenque ad dies Chriſtianâ religione feſtos & celebres hilariùs tranſigendos lætam occaſionem attuliſſet.

Eâ re bene geſtâ Cæſar ad annum ſequentem iterum comitia ad Calendas Martias Poſooium indixit, quod annuum tempus promiſſorum ad neceſſitates ærarii ſubſidiorum effluxiſſet; ad quæ lentiùs convenientibus Ungaris, ipſe tranſactis Viennæ feſtis paſchalibus, tertio Nonas Aprilis navigio deſcendit. Fuère illa quoque turbulenta, clamorumque & querelarum plena, quòd Ungari nondum libertates ſuas reſtitutas, neque amotis officiis & præfecturis exteros lamentari non deſinerent, & ſuis malis miſeriiſque ſub tutela Cæſaris exoptatum finem imponi contanderent: adeo ut iis quæ à Cæſare in medium allata eſſent, remediis, veluti quæ tarda totieſque oblata, nec unquam ad effectum perducta eſſent, rejectis, comitia longiùs quàm par erat, Cæſariſque negotia requirebant, protraherentur, & ipſe eorum morâ & temeritate non parum offenderetur. Sed illi ſe bello ab hoſte diripi, pace verò ab ſociis vaſtari, ac ioexpiabilis injuriæ detrimenta pati miſerrimum calamitoſiſſimumque eſſe ducebant. 1582.

Comitia Hungarica turbulenta.

Cæſar autem quamquam eos hand iniqua poſtulare diceret, ſanandis tameo malis, quæ per tot retroactos anoos ab avorom uſque memoria ſuccreviſſent, tempus & facultatem expectandam arbitrabatur, quum illa pro diri & calamitoſi ſæculi ratione repentè averti tollique, nec factu facile, nec incumbente hoſte ſatis tutum fore prævidebat. Quibus contentionibus comitia ad primos fere Menſis Maji dies protrahi, auſtero vultu, contractaque fronte, nec æquo animo ferre videbatur. Poſtremo cùm ſe Draſcovitius Jaurienſis, ac Radecius Agrienſis Epiſcopi, ac plerique è magnatum numero, qui Cæſaris conſiliis adhibebantur, partes ſuas interpoſuiſſent, proque Cæſare omnia æqua & honeſta ac toleratu haud indigna promiſiſſent, oblato ab ordinibus ad biennium ſubſidio, ac iis, quæ ad confiniorum tutelam contribuenda erant, ita contentioni querelìſque finis impoſitus eſt, ut niſi intra iſtud tempus votis ipſorum ſatisfieret, ſe in poſterum neque ſubſidia collaturos, neque ad comitia venturos aperrè denunriarent. Quâ vocis diſſolutæ libertate Cæſar offeoſus, ita omnem eam injuriam diſſimulavit, ut poſtea toto quinquennio ab indicendis conventibus abſtinuerit, & continuè in Bohemia manendo, nec Viennæ, nec in Ungaria conſpici voluerit.

Sedatis in præſens qualicunque ratione domeſticis tumultibus ad comitia Bohemiæ, relicto Viennæ ad res ſuo nomine gubernandas Erneſto fratre, Pragam diſceſſit: fuereque aliquamdiu quieta omnia, donec hoſtes pacem pati nequeuntes, novam in partes citerioris Ungariæ ſuperioribus bellis iotactas excurſiooem feciſſent. Haſanes ſiquidem Si- gheti præfectus, ſtaturâ puſillus, ideoque ex re cognomen nactus, cum valida Turcarum manu Arrabonem flumen ad Chacaniam, non procul Quermendio ſitam tranſjecit, ibique quoſdam non obſcuri nominis viros, nuptiis 1584. fortè vacantes improviſo adortus, nuptiis & gaudio repentè in luctum & lachrymas verſis partim cæcidit, partim in captivitatem abduxit: eodemque impetu pagum diripuit & incendit. Solus Lupus Potmndius, veteranus miles domum, in quam è nuptiis ſe proripuerat, ab Turcis magnâ vi opugnanobus fortiter defendit, ſeque & eos, qui intus erant, ſclopetis rem gerendo incolumes ſervavit. Hoſtes deinde ad proximos pagos populando & urendo, ac obvios

Haſanes Sigheti præfectus noſtra vaſtat.

vios

1584. vios quoſque intercipiendo aut cædendo perrexerunt, ac in agro Quermendiano (quam civitatem à veteribus Scarbantiam dictam multi exiſtimant, idque Romanæ lapidum inſcriptiones, quæ in agris ſubjectis erui ſolent, teſtari videntur) multa vini dolia plauſtris impoſita, quæ ad uſus Franciſci Nadaſdii vehebantur, fortè repererunt, eaque cum jumentis & vectoribus extemplo abripuerunt, eodemque vado, quo venerant, Arrabone ſuperato, nemine reſiſtente, præter cæſos, cæteramque prædam, CCCXI. captivis abductis, incolumes Sigethum redierunt. Quod tamen detrimentum noſtri, qui in præſidio Veſprimienſi agitabant, hoſtibus Coppanianis non ſine fœnore reddiderunt.

Veſprimienſes Turcas Coppanienſes cadunt.

Quum enim Stephanus Iſthuanffius Veſprimii præfectus, cum Petro Ormandio, Martini Thurii Palotæ legato conſilia communicaſſet, ad condictum diem, ut ambo cum ſuis ad montem Midacionem convenirent, ſtatuerunt. Itaque Iſthuanffius cum CC. equitibus, & CCC. peditibus ſelectiſſimis ante auroram prior ad locum venit. Contrà Alibegus quoque Eunuchus, qui non ita pridem Byzantio ex imperatricis miniſterio Coppanum venerat, fortè eâdem nocte facto penes Hiduegum & Sivonem flumen, quod è lacu Balatone effluit, itinere, cum DCL. Turcis Veſprimium venire decreverat, ut noſtri inſidiis ab eo excepti, damno aliquo & detrimento afficerentur. Cùm alterutrius conatuum ignara pars utraque eſſet, ac Iſthuanffius & Lupus Saretius paribus aſturconibus vecti, obſcurâ adhuc nocte ſuos præcederent, & needum Ormandius appareret, fortè in Turcas inopinato inciderunt, cúmque ſublato utrinque clamore equi eorum militares, qui ad manum ducebantur, territi è manibus ducentium profugiſſent, Veſprimium, quod non longè aberat, eodem quo venerant itinere rectà redierunt: quos quum ſocis domi excubantes vidiſſent, noſtros aut periiſſe, aut extremo in diſcrimine verſari anxiis animis ſuſpicabantur. At illi eâ re nequaquam permoti ſuos cohortari ac ſtatim pugnam inire ceperunt, quæ quidem diu ancipiti Marte protracta eſſet, magnaque utrinque vi dimicatum; ſic tamen ut noſtri ſuperiores eſſe viderentur; apud quos primo in congreſſu aliquot è numero Turcarum captivi, atque equi, & obtruncata cæſorum capita habebentur, poſtremò inalbeſcente cælo, ſed dubiâ adhuc luce, nec certamine deferventе, Ormandius cum LX haſtatis equitibus, ac centuriâ peditum è proximo colle ſe demittere viſus eſt, Petrus verò Orſius, & Mathæus Niger Veſprimii ordinum ductores eam manum hoſtilem eſſe rati, Iſthuanffium, ut receptui canere juberet, ac quantocunque victoriæ proventu contentus eſſet, monere, & neſe ſuoſque hoſtibus temere & incautè objectaret, dehortari; parceret feſſis cohortibus, & rediret, non defuturos deinceps quoque hoſtes, cum quibus dimicari poſſit. Verùm is cùm certis conjecturis Palotanos ſocios eſſe animadvertiſſet, in dimicando conſtanter perſtitit, miſſóque ad Ormandium nuntio, qui eum ad intendendum gradum urgeret, pugnam redintegravit. Tum verò Turcæ auxiliorum adventu haud vanum timorem concipientes perturbari, ac fugam circumſpectare, noſtri contra validiùs inſtare, ac mixtis equiti peditibus acerrimè pugnare.

Alibegus Coppani capitur.

In eo fervore pugnæ Alibegus a Gabriele Fortio haſta adactus, quo deturbatur, ac levi per frontem accepto vulnere capitur, Abdulahes Sinaubegi filius, formoſus adoleſcens, ac inſigni inſidens equo, dum à peditibus circumventus in orbem pugnat, loris ambobus, quibus ſiniſtrâ manu equum circumagebat, uno ictu præciſis, in poteſtatem redigitur. Eundem caſum ſubeunt Hagiaga, olim Muſtaphæ purpurati Budenſis faber ferrarius, equos calceare ſolitus, nunc verò in Caſtello Bolonduaro legatur, cum pluribus aliis præcipui nominis Turcis, ac transfuga quodam Ali nomine, qui ſuperioribus annis à Nadaſdio ad Turcas profugerat, & ab iis cuſtodiæ arcis Quinqueeccleſienſis erat prępoſitus, captivi ferè omnes è Spahiis & minoribus præfectis erant, ita ut pauciſſimi ex gregariorum cætu eſſe cenſerentur; erantque in univerſum numero LXXVII. capita verò XXIX. ſigna militaria V. relata. Quæ ſimul cum Eunucho Viennam à militibus delata, ac Erneſto principi data ſunt; quos ille collaudatos & muneribus donatos dimiſit. Equum illius cum thorace ferreo ejus generis, quam Cotacinam vocant, ac ephippio & latiore gladio, atque acinace eximii operis, item ſicam, quæ vaginâ ſolido auro gemmiſque exornatâ condebatur, ſocii & commilitones Iſthuanffio pro re egregiè & fortiter ipſius ductu & conſilio geſta, donavêre, & transfuga Nadaſdio ad ſupplicium de eo ſumendum traditus: cætera per auctionem vendita, & pro rata cujuſque parte æqualiter diviſa fuerunt.

cum aliis procerib. Turcis

Ejuſdem anni autumno in Illyrico quoque haud improſpere pugnatum à noſtris eſt. Cùm enim Ferhatis Bolnæ præfecti juſſu Turcarum duces haud contemnendas copias collegiſſent, in quibus ipſorum confeſſione ad VIII. armatorum millia cenſebantur, in Carnos gravem acerbámque incurſionem uſque ad Lublanos fecêre, concrematis pagis, ac multis captivis in ſervitutem abductis. Non tulêre perfidorum hoſtium contumelias Joſephus Comes Turrianus, qui nuper Johanni Ferenbergo in Chroatiæ finium præfecturâ ſucceſſerat, ac Thomas Erdodius prorex, ſeu veteri nomine illorum regnorum Banus, collectiſque ſummâ adhibitâ celeritate ſuorum copiis, hoſtes jam ſe cum præda & captivis domum recipientes, quamquam numero & viribus ſuperiores, forti animo aggredi nequaquam dubitarunt: eiſque primo congreſſu apud Slunium in effuſam fugam conjectis, captivos omnes, qui ſupra DC. erant, liberarunt. Ex hoſtibus XL. vivos ceperunt; ſed interfectorum magnus fuit numerus, quum ex ſuis non niſi duos aut tres glandibus ictos amiſiſſent. Signa militaria X. illis adempta, ac Carolo Cæſaris fratri Græcium Stiriæ urbem miſſa ſunt.

A. 1584.

Turcarum excurſiones uſque in Carnos,

à Comite Turriano & Erdodio repreſſa.

Hæc detrimenta Turcis illata cùm initio Novennalis fœderis cum ipſis ſuperiori anno initi contigiſſent, Byzantium perlata, purpuratorum ipſiuſque Muratis animos haud leviter pupugerunt; ita ut ea Paulo Aicingo & Henrico Lichtenſtanio Cæſaris legatis, qui munera illuc attulerant, acrioribus verbis exprobrarent, & ſe inducias nequaquam ſervaturos minarentur; Verùm quum poſtmodum intellexiſſent injuriarum initium à ſuis factum eſſe; acquieverunt, & legatos dimiſerunt; quorum alter Lichtenſteinius, quum Navi Venetâ per mediam Græciam reverſurus, Calliopoli ad Helleſpontum in morbum incidiſſet, ibi migravit è vivis. Poſtea foris, domique quietiores ab hoſte eo anno fuimus.

Novennale fœdus cum Turcis Aitzingero forte.

Lichtenſteinius legatus obit.

mus.

1584. *Lazar. Suendius & Ruberus obeunt.*

mus. Sed Lazarus Suendius rebus tam in Germania, & Hiſpaniis, quàm Pannonia bello præclarè geſtis clariſſimis, domi ſuæ repentino morbo ſublarus eſt, cùm annos ætatis LXII. exegiſſet. Nec diſſimili feſtinaræ mortis genere Johannes quoque Ruberus in oppido Saroſſio non multò pòſt extinctus fuit, ſic volentibus fatis, ut qui ad ſummos honores & Pannonici exercitûs imperium ſuâ virtute & illius commendatione conſcenderat, ejus etiam exitum vel nondum ſenex ſequeretur. Huic Cæſar in exercitûs curâ Ferdinandum Nogarolæ Comitem Cæſaris Maximiliani antea cubicularium, & poſtea ad militiæ munis tranſeuntem, & hoc tempore Sacmariano præſidio præpoſitum ſuffecit, quòd Ungarâ matre genitus, Pannoniis gratus fore crederetur.

Nogarolæ comes illi ſufficitur.

Sed & alterum è ſuis cubiculariis officio Comaronienſis præfecturæ eodem ferè tempore cohoneſtavit, in locum Andreæ Quilmani, ad Caniſam tuendam proficiſcentis acerrimo judicio electum; Nicolaum nempe Palffium, quem niſi paucos poſt annos invida Pannonico nomini fata, in ipſo ætatis & juventæ vigore, immaturâ morte extinxiſſent, ad abſoluti ac omnibus numeris conſummati ducis nomen, famamque perventurus eſſe putabatur, ſicut id ipſum rebus præclarè fortitérque geſtis, tam apud Cæſarem, quàm Isbanri patriæ cives popularéſque ſuos, atque apud omnes mortales teſtatiſſimum reliquiſſet, ſi longior ei vitæ curſus ſuppeditaviſſet. 1584.

Nicol. Palffius Comaronus præficitur.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXVI.

Gregor. XIII. PP. obitus. A. 1585.

MORITUR eodem ferè tempore Gregorius ſumnius Pontifex, ejus nominis decimus tertius, qui antequam decederet, annum ex vetuſta intercalatione faſtis minimè reſpondentem, præſtantiſſimorum Aſtronomorum operâ uſus emendavit, ut paſchalia feſta ad ſtatos ex curſu lunæ certoſque dies revocaret. Quod etiam detractis ſemel menſi Februario vel Octobri decem diebus, quibus ſiderum curſus per mille quingentus prætetlapſi temporis annos greſſum exceſſerat, deprehendiſſe viſus eſt; idque vivens publicavit, ut abrogatâ veteri dierum totius anni conſuetudine, novus certiorque numerandis faſtis uſus introduceretur. Cui veluti omnium Chriſtiani orbis populorum parenti, cùm alii Principes, tum verò Cæſar in re ad ipſius curam officiumque ſpectante obtemperandum ratiʒut is modus ubique reciperetur, edictis promulgatis juſſerunt. Verùm fuêre nonnulli per Pannoniæ regiones ſeu provincias, in quas illam dividi antea diximus, qui rem haud levis momenti, tantæque novitatis, ſine comitiorum conſenſu nequaquam recipiendam putarent. Quod quamquam Cæſari primâ fronte minùs gratum, miniméque ferendum videretur, certis tamen conſiliorum rationibus poſtea delinitus acquievit; rémque ad comitia differri permiſit.

Sixtus V. ſuccedit. Draſcovitius in Cardinalium collegium cooptatur.

Gregorio vitâ functo, Sixtus Quintus ſucceſſit, is Cæſare etiam atque etiam commendante, Georgium Draſcovitium Epiſcopum Jaurienſem & Cancellarium Ungaricum, virum doctum, ac vitæ morúmque ſanctimoniâ & pietate celebrem, in Cardinalium collegium cooptavit, miſſo ad eum Viennam per Gaſparem è familia Arinorum Bononienſem patritium, purpureo galero, quem cùm nomine ſummi Pontificis in templo Divi Auguſtini de manu Gaſparis Epiſcopi Viennenſis accepiſſet; ipſe demum Erneſtum, Matthiam, & Maximilianum, Auſtriacos principes, Cæſaris fratres, ceremoniæ ejus ſpectatores, nec invitatos, ſed pro ſingulari ipſorum humanitate, ac erga ſe benevolentiâ ultro venientes, convivio excepit. Sed non diu ea ampliſſimæ dignitatis acceſſione lætari potuit; Cùm enim vix biennium in ea expleviſſet; & à Pontifice in urbem vocaretur, dum rebus neceſſariis comparandis, ac Romani itineris rationibus ineundis operam impendit, gravi dyſenteriâ oppreſſus, ſexageſimo ſecundo ætatis anno vitâ functus eſt, non ſine Cæſaris & Pannoniorum procerum dolore, qui eum cùm propter ſingulares corporis animique ejus dotes plurimum amabant; tum verò quòd à ſexaginta & ampliùs retroactis annis neminem in Pannoniæ regno, poſt Thomæ Bacocu obitum Cardinalem fuiſſe meminiſſent.

Et paulò pòſt obit.

Sub idem tempus exceſſit etiam Nicolaus Bathorius, prætorio præfectus, vir raræ probitatis, ac ampliſſimæ ultra Tibiſcum ditionis atque auctoritatis; tum quòd quadriga, quâ vehebatur, à ferocientibus jumentis rapta, crure ſupra talos fracto immane vulnus accepiſſet; tùm quòd alios ſupervenientes morbos ſuperare non potuiſſet. Eum magiſtratum Cæſar, annitente Draſcovitio novo Cardinale, ad Stephanum Bathorium defuncti patruum, Georgii nempe filium, quamquam juvenem detulit, indulſitque ut cùm tam longo itinere Pragam ſine ſummo labore & gravi ſumptu venire non poſſet, ac publica judicia inſtarent, quæ abſque eo fieri nequaquam poſſent, in oppido Concio Sacramentum præſtaret, præſente ac illud prælegente Stephano Melibio ærarii Caſſovienſis præfecto.

Nico. Bathori moritur

Steph. Bathorius in dignitate illi ſuccedit.

Nec multò pòſt Chriſtophorum quoque Bathorium Somlianum, Stephani Regis germanum fratrem, cui ille regnum apud Polonos adeptus Tranſſilvaniam provinciam conceſſerat, inclementioris podagræ ac articulorum dolores è vivis exemerunt; cùm Sigiſmundum filium impuberem reliquiſſet, nondum duodecimum ætatis annum excedentem. Illi Albæ Juliæ ſepulto Stephanus frater magnificentiſſimis exequiis parentavit, ac ſumptuoſum ſepulchrum fieri juſſit, tutoréſque puero educando ac provinciæ adminiſtrandæ conſtituit ex proceribus Tranſſilvanis Alexandrum Quendium, Ladiſla-

Chriſt. Bathorius Dux Tranſſilvaniæ fato concedit Sigiſmundo filio relicto.

num

1585. um Somborium, & Lupum Covaciocinm Cancellarium. Sed quum uſuveniret, ut ii vel inter ſe diſſiderent, vel frequenter abeſſent, differendoque & in mutua conſilia rejiciendo, rebus expediendis moram injicerent, abdicatis tribus iis, unum Juhannem Gicium, qui poſt amiſſam Giulam ſe in Tranſſilvaniam receperat, elegit, cui titulo gubernatoris collato, populi quoque tutelam, & rerum Tranſſilvanicarum curam concredidit; quam ille aliquot annos, regis auſpiciis ac auctoritate adjutus egregiâ fide adminiſtravit.

Prodigia varia.

Terræmotus in Pannonia & Vienna.

Per idem tempus, præter ſummam peſtilentiæ vim paſſim in Pannonia ſævientem, prodigia multis in locis viſa, ſcurioſorum mortalium animos haud levi pavore terroiſſe videbantur. Calendis enim Januariis Poſonii, Zagrabiæ, multiſque aliis Pannoniæ, Illyricique partibus ingentes terræ motus extitiſſe nunciabantur: tum verò Viennæ adeo tremuerat, ut aliquot in urbe domus repentino vitio facto ruinam minarentur, & turris illa alta ac ſumptuoſiſſimi elegantiſſimique operis, non ſine graviſſima vicinorum formidine collapſura crederetur; cujus aliquot turriculæ haud modicâ tectorum ſtrage decidiſſent. Apud Ovarium quoque inter Danubium & Litam flumina, terra ad magnum ſpatium ignem concepiſſe viſa eſt, ita ut trium pedum profunditate arderet, flammaſque eructaret, quibus multum fæni in jumentorum uſum defectum & in cumulus coacervatum, aliquot in locis concremaretur. Et quod vix ſine admiratione credatur, in Illyrico ad oppidum Bihigium, quod flumine uno circumfluente in modum inſulæ cingitur, noctis ſilentio ingens multitudo anatum atque anſerum provolavit, ac incredibili ſtrage inter ſe depugnavit; ut nimio alarum ſtrepitu, ac inuſitato vocis clangore milites excitati, oriente ſole in pugnæ locum exirent, & aliquot millia utriuſque avium generis, mutuis vulneribus mactata colligerent, tam â copiâ, ut ſupra recentis obſonii lautitias in futuros quoque uſus fumo & ſale maceratæ reconderentur. Quæ aliquamdiu per ora hominum paſſim jactata, demum voluntariâ oblivione obruta ſunt.

Ignis è terra trumpens.

Anatum atque anſerum pugna ad Bihigium oppidum A. 1587.

Haſanes Sigethi præfectus noſtra populatur.

Eodem ferè tempore Haſanes parvus Sigethi præfectus, quem tranſnatato flumine Arrabone villas depopulaſſe diximus, miro aſtu ſilentioque coactis copiis peninſulam illam, quas Dravus & Mura, (hanc olim Savariam dictam fuiſſe quidam exiſtimant) à Gracio & Petovione, non longo inter ſe tractu decurrentes, ac deinde ad Legradum in unum confluentes efficiunt, invaſit; & ductore itineris peritiſſimo uſus Mathiâ quodam Ulaſichio transfugâ, qui ob admiſſum ſcelus in vincula conjectus, ſupplicióque deſtinatus, ex arce Chactornia ad Turcas profugerat, per loca antea explorata reperto vado trajecit; priúſque villas populari, raperéque & agere obvia quæque cepit, quam noſtri eum vel in itinere eſſe, vel in peninſulam penetraſſe putarent. Aberat Zrinius ad Ullariam profectus, quam ad voluptuarios, prope fluminis ripas condiderat, cùm in arce majora tormenta magno fragore explodi audivit, arreptóque mox equo verſus arcem curſum intendit, & Simonem Pſulic ovitium, qui ægrè manus hoſtium effugerat, ſtrictum habentem gladium equumque anhelantem calcaribus urgentem obvium habet, à quo Turcas Muram vado tranſiiſſe jamque pagos Decanociam & Gardinociam vaſtare, pecoraque & homines abigere cognoſcit. Sed dum ipſe inopinatâ re perculſus inflari tubas jubet, ac perſequi hoſtes contendit, illi eodem quo venerant vado flumen tranſeunt. Tanta tamen velocitas noſtrorum in procurrendo fuit, ut cùm hoſtes in ulteriorem ripam tranſiiſſent, ipſi quamquam irritâ ſpe recuperandæ prædæ citeriorem attingerent; & Haſanes eo non toto vertente anno, haud exigua facinora, nec factu facilia periclitaretur, Arrabonem, Muramque vadando, & utrobique pulcherrimas ac populoſas regiones prioribus bellis intactas impune vaſtando. Quas injurias noſtri non ſolùm in Illyrico, cæſo cum ſociis ad Juanicium oppidum Alibego Ferhatis Boſnæ præfecti fratre, ſed etiam in Pannonia, Comaronienſi ac Coppanienſi cladibus illatis, longè majori detrimento refuderunt, Palffio imprimis, non ita pridem Comaronienſem præfecturam adepto, haud ſegnem operam impendente. Is Naraſdio & Ferdinando Speciaſa, cæteriſque, qui Jaurini & Papæ erant, in ſocietatem adſcitis, adverſus Albanos Turcas fortunam belli experiri voluit; cúmque feriis Paſchalibus ſilentio noctis copias tranſjiceret, earumque parte in ulteriorem ripam vectâ pars adhuc in tranſeundo occuparetur; ab iis, qui anteceſſerant, & juſſu Palffii in diverſis partibus vigilabant, animadverſum eſt hoſtes pro vallo adeſſe; nam Iſacus Albæ præfectus Giafferia Eunuchi, qui Conſtantinopoli purpuratorum unus & hortorum magiſter erat, Germanus frater, cum validâ ſuorum manu, ut illud vallum à Palffio extructum dirueret, & ſi noſtri reſiſterent, cum iis manum conſereret, eâdem nocte eò pervenerat. Denſis obſcuræ noctis tenebris, noſtri nuntio ad Palffium, qui hoſtes adeſſe diceret, remiſſo, pugnam quidem ſine mora inchoarunt, ut clamor dimicantium exaudiretur; ſed de numero hoſtium, & qua in parte pugnaretur, non ſatis diſcerni poterat. Sed ut tamen cuique proximum erat, ad voces & clamorem certantium adcurrebatur.

Palffius Albanos Turcas cadit & fugat.

1586.

In eo ancipiti prælio multi noſtratium militum mutuis acti erroribus ſeipſos conficiebant, aut vulneribus debilitabant; eademque etiam apud hoſtes rerum facies, & dubius cæcâ nocte Martis eventus erat, donec inalbeſcente aurorâ, interimque noſtris trajicientibus, hoſtes apparere incepiſſent. Tum verò incumbente Palffio & cæteris atrox prælium redintegratur, & Iſacus cum ſuis in confertiſſimam noſtrorum aciem invehitur, pugnaturque magnâ vi. Sed noſtri ſubſidio peditatûs, qui ponè advenerat, adjuti, cohortante Ferdinando Turcas ſuſtinent; ibique ſtratis vexillis, & aliquot Turcis captis atque interfectis, cæteri ad ſocios, ubi cum Palffio & Naraſdio pugnabatur, ſeſe recipiunt. Sed creſcente noſtrorum numero, dum Iſacus à fronte, à tergo, à lateribus undique acriùs & inſolentiùs urgeretur, ac multi ex Turcis occumbont, victoriâ noſtris relictâ profugit, & ad proximas ſilvas Verteſii montis, cum Veliaga legato cognomine Ribiccia, ac parte ſuorum evadit: Cæteri quâ quiſque potuit, fugâ ſalutem quæſivêre, tantâ trepidatione, tamque extenuatis animis, ut nonnulli abjectis armis & veſtibus, ipſoque capitis tegumento, quo à noſtris diſcerni ſolent, habitum agreſtem & pileos ſumerent, nonnulli in prægrandibus curruum orbitis, pondere rotarum cavatis, ſuperingeſta humo ſeſe abſconderent, ſed ab inſequentibus noſtris agniti extraherentur.

In ejus noctis pugna deſideratus inter alios

fuit

1587. fuit in partibus noſtrorum Acharius Corontalius, Nadaſdii equitum ductor, à Turcis, ut quidem putabant, interfectus; ſed poſtea clarâ luce caput ejus apud quendam è noſtris, qui eum in tenebris pro hoſte occiderat, cilicina in capſula ſimul cum ejus lorica inventum fuit, quod ſimul cum trunco ſocii honorificè compoſuêre. Inter fugiendum etiam cùm Petrus Zalaius, veteranus equeſtris ordinis miles, in Caraberhamum cognomine Nigrum Albenſis turmæ ductorem incidiſſet, in modum ſingularis duelli cum eo dimicavit, eumque captum & vinctum & Comaronium perduxit. Captus quoque fuit Aliaga, interioris Albanæ arcis cuſtos, vir ſenex, & apud hoſtes ſecundum Veliagam præcipui nominis & dignitatis. Cæſi autem in univerſum fuêre ex hoſtibus LXVIII. capti CCLII. ſigna militaria IX. Duæ item colubrinæ verſatiles ad campeſtres uſus idoneæ, in noſtrorum manus devenêre, Comaroniumque vectæ ſunt. Ex noſtris præter Johannem Quiucium, in facie vulneratum, & aliquot conſauciatos, Corontaliumque cæſum, pauciſſimi deſiderati ſunt.

Et hæc quidem hoc anno ad primi veris initia geſta eſſe conſtat. Hieme verò ſubſequutâ, Nadaſdius cum Ferdinando Veſprimii, Petroque Huſſariu Papæ, atque Ormandio Palatæ præfectis colloquutus, quum Balatonem lacum rigidâ glacie conſtrictum vidiſſent, ac Villas, quæ inter Lacum, & Sancti Ægidii collegium à Thracibus habitabantur, Chriſtianiſque tributum pendere recuſabant, depopulandas ire ſimul cum Battianianis turmis & cohortibus decreverunt. Ad condictum igitur diem circa ultimos Februarii dies iter aggreſſi, jam mediâ in glacie progrediebantur, quum Paulus Sylva peditum Veſprimienſium centurio, Petrum Orſium alæ equeſtris ductorem, & quid velint, quorſum tendant, quærit; quumque ille, qui conſilii conſcius, ad vaſtanda Thracum mapalia, abigendaque pecora inſtitutum iter eſſe reſpondiſſet; quin inquit, omiſſo hoc propoſito, quo non multum operæ facturi ſumus, dum adhuc commodum tempeſtivumque eſt, ad aliud egregium facinus patrandum imus; & non potiùs ad Coppanum intercipiendum proficiſcimur; quo facilè capto omnem exercitum luculentâ prædâ non ſolùm explere, ſed etiam ditare queamus; ubi hoſtes nunc ſecuri, nec quicquam adverſi metuentes otiantur, nec difficilè ſit oppidum ſimplici vallo, nec arcis ullius munimento validum primo impetu expugnare; ſe in primo certamine operam navaturum, ut qui omnes loci aditus, ſtationumque loca & portarum cuſtodias apprimè cognitas habeat, effecturumque, ut cum ſuâ centuriâ exercitum præcedendo viam irrupturis aperiat, quæque nunc verbis promittit, opere compleat. Quæ quum Orſius Nadaſdio in agmine equitanti commemoraſſet, ac Sylvæ conſilium placuiſſet, jubet illum ſtatim Coppanianâ viâ pergere, ſeque cum reliquis ſubſidio ſequuturum promittit; ſimulque centuriam peditum Battianianiorum, quam Thomas Babocianus ductabat, ei adjungit: Illi igitur Coppanum tendere juſſi, contentis paſſibus antegrediuntur.

Nadaſdius militari aſtu Coppanum intercipit.

A. 1587.

Huſſarius fortè repentino & militari huic conſilio non interetat, retro poſt agmen cujuſpiam rei causâ profectus, is cùm ad Nadaſdium paulò pòſt reverſus mutatum conſilium cognovit, ſive detrectando alienis conſiliis, iiſque ſuum ambitioſè præferendo, ſive alia de cauſa diſſuadere, Nadaſdiumque maximè dehortari cæpit; Coppanium longæ optimæ præfecturæ ſedem eſſe dictitans, multos ibi hoſtes tam equites, quàm pedites in præſidio eſſe, qui pro aris & focis, proque conjugibus & liberis quàm acertimè & pertinaciſſimè pugnaturi ſint; oppidum vallo & foſsâ, multiſque tormentis & apparatu bellico munitum eſſe; Turcas, qui in præſidiis Endredii, Latrani, Bolonduarii, ac Capoſiæ maneant, poſſe in ſubſidium facili negotio provolare, qui ipſos vel ab loco expugnando armis propulſent, vel certè à Balathone ac glacie excludant. Quo itinere intercluſo quâ tandem viâ, inter tot hoſtiles arces reverſuri ſint? quum victis, quod DEUS avertat, & fugientibus periculoſiſſima omnia, quæ hodie proſperrima ſunt, fore in aperto ſit. Hæc ubi dixit, Nadaſdium non parum commoviſſe viſus eſt, qui ea non abſque certa ratione dici putaret, Igitur Paulum Cytharœdum propè forte obequitantem, in veſtigio procurrere jubet, Sylvæque præcedenti dicere, ut poſthabito Coppanienſi itinere, quod id periculi plenum foret, alio quod ad Thracum villas ducit, progrediatur. At ille ſubitis equo calcaribus provolans, felici uſus mendacio, nomine Nadaſdii Sylvam, ut citatiore gradu pergat, nec Coppanum aggredi dubitet, ſeriò admonet. Mox ad Nadaſdium reverſus, ſe Sylvæ & antecedentium cohortium copiam nequaquam habere potuiſſe retulit. 1587

Per hunc modum unius Citharœdi aſtutâ quamquam proſperâ prævaricatione factum eſt, ut quum paulò pòſt Sylva proximè oppidum veniſſet, & craſſiore matutinâ nebulâ aër denſior eſſet, ut hoſtibus, qui nihil de noſtrorum adventu ſciebant, e conſpectum eriperet, ad minorem portulam, per quam ab occidente ſitam peditibus ſola commeandi facultas erat, deferretur, eámque mox nullo ſentiente ſecuribus & dolabris aperiret, reliquóſque ſuorum intromitteret. Nec mora, adventanti jam cum omnibus copiis Nadaſdio decumanam portam, nemine reſiſtente pandit, ſociique omnes uno impetu, magnis ſublatis clamoribus irrumpunt, clamante Sylvâ & vociferante, ut ſe primo in agmine vadentem ſequerentur. Ibi hoſtes conſternati, quò ſe vertant non ſatis explicare, pars conjuges & liberos, pars fortunas tueri, nonnulli conſcenſis ſubitò equis profugere, pars quantum poterat ſumptis armis pugnare. Sed ut fieri in re inopinata, & improviſa ſolet, attoniti & palantes, nec pugnando, nec ſeſe tuendo ſatis rationis habere, fœminarum & puerorum clamor ſuorum opem implorantium, ac rapinas cædeſque paventium, atque ejulatus multus ubique eſſe. Noſtri quum è ſtabulis equos militares, poſtea ſupellectilem obviam certatim diripuiſſent, poſtremò ſcriniis perfringendis incubuêre, ubique reconditæ veſtis, pecuniæ, auri atque argenti vis magna reperta eſt ac ablata.

Regeſſus præfectus à ſuis deſertus, rebus deſperans domi ſuæ repertus, nec quicquam repugnans ſeſe dedidit. Is eſt Regeſſus, qui Muſtaphæ olim purpurati Budenſis cubicularius fuit, per quem ille MAXIMILIANO Imperatori equos militares & alia munera dono miſerat. Muſtabegus Sinanis filius, & Abdulahis frater, (is adhuc Veſprimii captus detinebatur; ſed poſtea mirâ arte eſt elapſus) in penuariam cellam ſubterraneam ſeſe abdiderat, & cum aliquot ſervis diu ſe ſclopetis ſagittiſque tueri contenderat, poſteà cùm ab ſociis jam captis vinctiſque, & in ejus conſpectum adductis, res perditas cognoviſſet, noſtrique eum hortarentur, ut ſibi ſuiſque par-

Regeſſus præfectus Coppanus capitur.

1587. parcendum exiſtimaret, Nadaſdium ad ſe acciri rogavit, cui ſe dediturum, ejus fretum humanitate, inquiebat. Cùm verò loco Nadaſdii Johannes Thrax, cognomento Odabaſſa produxiſſet, Muſtabegus, diſtento arcu ſagittam ita in eum direxit, ut guttur ei transfigeret, illeque equo provolutus in veſtigio expiraret. Quamobrem noſtri irritati, iráque & furore percitt, ſuadentes deditionem, ſimul & terrentes, magno numero in fores vectibus & prægrandi trabe arietare inceperunt; pars per feneſtras fœnum & ſtramina fumantia injiciunt, quumque perfractis poſtibus ingreſſi eſſent, illum eum ſuis omnibus & conjuge elegantiſſimæ formæ, quæ duos liberos, ſpirantibus ſimiles, ſinu complexa tenebat, præcluſis ſumo fumo ſpiritibus ſuffocatos repererunt. Omerbegi quoque uxor, & ſocrus, ac quatuor liberi capti ſunt, ipſo ad ſubjunctæ oppido piſcinæ glaciem ſe præcipiente, & in tutum evadente. Præda omnis generis cum DC. promiſcui ſexûs hominibus, tanta congeſta fuit, ut quum auferri nequiret, neque conquirendis plauſtris mora tuta eſſet, plurima etiam in cœnum ac lurulentas aquas abjecta, aut inutilis humano uſui reddita paſſim proculcanda relinqueretur.

Poſtquam ſatis captivorum, equorum & prædæ fuit, Nadaſdius receptui cani, & oppidum injecto igne concremari juſſit ac onuſtum ingenti prædâ exercitum reduxit; eò etiam feſtinantiùs, quòd vereretur, ne eo biduo meridionalibus ventis calidiore aurâ perflantibus diſſoluta glacies, difficiliorem viam redderet. Arsêre quidem aliquot domus in oppido, ſed quòd tecta forinſecus nivibus ſtrata eſſent, nequaquam gliſcentibus flammis, Turcæ diſcedentibus noſtris reverſi, incendium exnnxêre; vix centum ædibus ambuſtis. Regeſſius cum aliquot equis, & captivis, ſigniſque militaribus Viennam ad Erneſtum principem miſſus fuit; Nadaſdius verò & cæteri eadem quâ venerant viâ, Papam redierunt, ibique vendita ac diviſâ prædâ, ſuas quiſque ſtationes expetivêre.

Hoc modo Nadaſdius & Palffius, exercendo & in hoſticum ducendo, rapiendoque, militare otium redimebant, fortunâ ceptis plerumque blandiente. Sed paulò poſtquam ad Comaronium & Coppanum res benè proſperéque geſtæ eſſent, prædâ gloriâque feroces, quærere rurſus arma & novam ex armis laudem & ſpolia contendebant. Nec deerant Johannes Græcus Novæ arcis legatus, ac alii, qui ardore militum oſtentato, ipſos ubique victores, celebri ubique famâ in ſolos Budenſes Turcas inſtigarent, quorum vilo atque virtutem nondum pertentaſſent: nunc magnum equorum militarium numerum, quorum major pars ex ultramarinis generoſæ ſobolis armentis conſtaret, per gramina inter Sambucum & Bodam, Danubio non procul paſci; ad eliciendos ex urbe hoſtes, & cum iis certamen piriclitari, nihil eſſe proclivius, quàm ut illi abripiantur; ſe cum ſuis adfuturum, venturas in ſocietatem è Leva Dobonis, & Battiani ex Vivario copias, Comaronienſem peditatum, & ſocios navales haud contemnendum militiæ robur, & milites Tatenſes, locorum viarumque peritos in promptu fore.

Noſtri prædatum excurrentes, à Budenſibus Turcis fœdè profligantur.

Re conſtitutâ, copiiſque omnibus, quas ad deſtinata perficienda idoneas eſſe arbitrabantur, Comaronium convenire juſſis, facto penès Sambucum itinere, ad Quelenfeldum, obi equi longo ordine paſcebantur, primâ luce pervenêre, ac præeunte Græco, Turcas, qui in tentoriis cuſtodiæ equorum attributi erant, quieſcentes, nec quicquam tale ſuſpectantes, magno clamore impetúque aggrediuntur, ac cæſis puncto temporis, iis, qui reſiſtere auſi eſſent, cæteris relictis equis, pars ad ſcaphas, & naviculas, quæ ad varios uſus in ripa diſpoſitæ erant, fugêre; pars in montes & ſilvas, quà cuique dabatur, procurrere, pars arreptis, quos ſors obtulerat, equis in urbem celeri curſu ferri. A quibus quum Ferbates (is non ita pridem in locum Regeſſi diſcedentis, quo magiſtro Murates princeps literas Arabicas puer s pueritiæ annis didicerat, è Boſna miſſus advenerat) & equorum periculum, & ſuorum cædem, fugámque cognoviſſet, ſine mora ad arma conclamari, tubaſque perflari, tympanis, ac fiſtulis ſignum pugnæ dari jubet. Et tanta fuit hoſtium in procurrendo velocitas, ut nullo expectato cujuſvis imperio, nec ullo ſervato ordine, in occurſum noſtrorum, quiſque magno ardore certatim ruere videretur. 1587.

Ferunt noſtros rebus ex animi ſententia confectis equiſque abductis, dum fama ad Turcas perferretur, dumque ipſi ſtratis, quos domi habebant, equis, noſtros perſequi incepiſſent, facilè in tutum pervenire potuiſſe; ſed ita volentibus fatis, ut qui multis in rebus propriam fortunam experti eſſent, ne ſuperbiâ atque arrogantiâ inflati, humanæ conditionis lubricæ inconſtantiæque obliviſcerentur, importuna & incautiore morâ res omnes & anteacta corrupiſſe. Dum enim magno capto equorum numero contenti eſſe nolunt, ſed & ſtragula, ac tentoria, & viliores lodices ciliciaque auferre parant, plauſtra avehendis illis pagatim conquirunt, eaque in re ad multum diei, jugis boum lento paſſu progredientibus fruſtra hærent; hoſtibus tempus & ſpatium dedere, captis armis obviam eundi. Quamvis autem Palffius periculoſam in talibus moram eſſe haud ignarus receptui canere, militeſque prædâ onuſtos reverti juſſiſſet; à Mathia tamen Huſſario, Petri fratre, lingua potiùs immodico, quàm manu prompto, multis verbis retentus eſt, ne juſto ocyus reverti maturaret; affore mox Budenſes, non armis, non numero, non virtute ipſis pares, linteatis & orbiculatis capitum tegumentis conſpicuos, aquiſque auro & argento ornatis fulgentes, quos non niſi ſtatim comprehendi vincirique opus ſit; ita ut omiſſis vilioribus mancipiis, ſoli divites & pecunioſi deligantur, in veſtigio abducendi, nec niſi multo extorto auro poſtliminio remittendi.

Quæ dum ille magnitudinis prædæ nondum captæ ſpe prædicat, ſuoſque lactat, Palffio non abſque diſcriminis metu anxio ſollicitoque hoſtium antecurſores in conſpectum advolant, & Ferhates viſis noſtris, magna ad ſuos voce; irent ultores, inquit, in perfidos & ſceleratos, eorumq; ſuperbiam & temeritatem ferro retunderent; neque principalis ſedis violatoribus res temere violenterq; raptas, in ſuo exercitúque conſpectu non ſine ſempiterno nominis ſui opprobrio auferri paterentur. Sic animis ſuorum inflammatis, magnâ utrinque contentione pugna committitur; & primi quidem agminis equites, qui procurrerant, non modò à noſtris non ſuſtinentur, ſed etiam fortiter repulſi, ad Ferbatis, qui ſequebatur, copias retro fugere compellunt:

præda

1587. præda cum equis & ſarcinis præmittitur ; & noſtri pedetentim ſeſe recipere incipiunt: Sed quum hoſtium numerus magis ac magis ſubinde aggregaretur, & Pellani quoque Turcæ cum Janiceris, qui celeritatis cauſa currus tumultuariâ manu coactos conſcenderant, adcurriſſent, ac ſclopetis craſſioribus tem gerendo multos ex noſtris proſternerent; ex altera quoque parte Sambuciani agminatim in cæterorum ſubſidium advolarent, ac Nicolaus Bornemiſſa è turma Battianiana eques cum aliquot ſociis cecidiſſet; noſtri pavore perculſi deſerto peditatu, fœdè terga dantes profugiunt. Quos nec Palffius, nec Nadaſdius, nec cæteri duces, quamquam acerrimè contenderent, retentare potuerunt.

Initium fugæ ab iis qui penès Mathiam Huſſatium erant equitibus factum eſſe, eoſque ante diſcrimen feroces, in periculo poſtea pavidos fuiſſe ferunt. Tum relictâ hoſti prædâ quilibet quò ſors tulit, per vaſtiſſimas Verteſii ſilvas in diverſa profugere. Pedites, quum fugæ locus non eſſet, diu certavêre: Sed quum prætoriani equites cum Giumliatum Budenſium turma, ac Janicerorum validâ cohorte, aliiſque hoſtium agminibus acriori impetu irruiſſent, victi demum & cæſi victoriam hoſtibus reliquêre, pauci per notos tramites ſylvarum beneficio uſi, poſt varios errores & pericula in tutum evaſêre. Signa militaria, potiſſimùm pedeſtria capta ad XXII. cæſi verò ex noſtris & capti, non pauciores ſexcentis, inter quos Antonius cognomento Literatus, Palffiani ſtabuli magiſter fuit. Jacobus Solius aliquot acceptis vulneribus captus eſt, ac poſtea feliciori uſus fortunâ, ruptis vinculis evaſit.

Ferhates quamquam non levi detrimento accepto, non paucos ex ſuis amiſiſſet, partâ tamen victoriâ lætus, captivos cum ſignis, ac capita noſtrorum contis & longuriis præfixa præmiſit, ipſéque cum ſuis magno tympanorum ſonitu, tubarúmque clangore triumphanti ſimilis urbem invectus eſt ; in qua captivi ſolitâ hoſtium inhumanitate ac ſævitiâ, ſamêque & rerum neceſſariarum inopiâ per aliquot dies malè habiti, ut nulla ſauciorum cura, eis etiam muliereulæ arrogantèr inſultarent ; illóſque perfidis, canibúſque appellatis eam urbem non Coppanum, quod nuper fraude cepiſſent, & diripuiſſent, ſed Budam vocari; nec cujuſvis præfecti minorum gentium, ſed purpurati ſedem domiciliúmque eſſe objectarent, id quod nunc inſigni damno & detrimento didiciſſent. Poſtmodum captivi nonnulli & ſigna capta, omnia ad Muratem principem Conſtantinopolim miſſi ſunt. Sed neque Ferhates diuturnum ejus victoriæ fructum percipere potuit, quum non multò pôſt à Turcis ipſis, ut ſuo loco dicemus, crudeliter foret interfectus. Caſtigatâ in hunc modum noſtrorum temeritate, converſis ad quietem animis, non ampliùs cura eadem excurrendi in hoſtes habebatur, niſi Saloares è Boſnenſi præfectura, quam poſt adminiſtratam Solnocenſem obtinuerat, Sighetum tranſlatus, prædæ magis quàm pugnæ avidior, ſed magna ferocia occaſionem ſubminiſtraſſet: prout id in tempore memorabo.

Inſultatio Budenſium mulierculárum in noſtros captos.

Nunc ad res Polonicas convertamur ; quas tametſi integro antè anno actas eſſe non ignoramus, eas tamen hunc in locum rejiciendas eſſe exiſtimavimus, ut ordine rerum ſervato, nec intercisâ ſerie commemorari poſſint. Stephanus Rex Poloniæ Grodnæ exceſſit è vivis menſe Decembri anni ejus, qui fuit à partu virginis octuageſimus ſextus, ſupra mille & quingentos, cùm vixiſſet annos quinquaginta tres, & regnaſſet decem: non tam atrocitate morbi, quàm Nicolai Bucellæ imperitiâ extinctus, Arianâ labe infecti hominis, quo medico utebatur. Virtutes in eo fuerant maximæ & admirabiles ſplendoris, munificentiæ, facilitatis, exactiſſimæque in bello ſcientiæ, diſciplinæque & in pace pietatis ac juſtitiæ; ita ut vi bellica magnitudinéque animi, ac victoriarum curſu & numero, non tantùm eos qui paulò ante eum in Polonia regnaſſent ; ſed etiam ſuperioris ſæculi reges ſummo gloriæ faſtigio ſupergreſſus eſſe videretur. Ejus immaturam mortem Poloni & Tranſilvani paribus lachrymis luxêre, quum his magno haud dubiè defenſore carendum foret ; illorum verò res iterum ad importunas frequentioris interregni conditiones devenissent, quòd ille nullos poſt ſe hæredes reliquiſſet. Funus ejus Grodnæ relictum fuit, donec more majorum ſolenniore pompâ curaretur. 1587.

Stephani Regis Poloniæ obitus. A. 1587

Nec multò pôſt comitia creando Regi ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Varſoviam indicta ſunt, in quibus Erneſtus & MAXIMILIANUS Auſtriaci Principes, & Sigiſmundus Sueciæ Regis filius, ac Joannes Baſilii filius Moſchorum Princeps competitores fuêre. Sueco ingentem favorem Joannes Samoſcius Polonicus Cancellarius, quem Stephanus rex ad magnos honores, & copiarum imperium, conſiliorúmque omnium arbitrium, datâ etiam ei fratris filiâ Griſeldi, evexerat, ac magnum ſuffragiorum numerum, auctoritate ſuâ quâ plurimum pollebat, conciliare non prætermittebat. Maximiliano aderat ambiendi regii nominis auctor & concitator Chriſtophorus Sborovius, qui tametſi cum Samoſcio ob affectum ab eo capitalis ſupplicii pœnâ Samuelem fratrem, immortales inimicitias atque odia exercebat ; tamen ad comitia Varſoviam veniendum duxit, ut in iis prenſando atque agendo partes Maximiliani tueretur, ac promoveret. Eum omnibus viribus quibus poterat atque artibus Andreas frater prætor regni, aut ùt ipſi vocant, Marſcalcus cum Spitcone Jordano, Joanne Staduiecio, Stanislao Ciocleco, & cum pluribus aliis adjuvabant. Itaque quum Archiepiſcopus, qui more veteri Reipublicæ & conſiliis præeſſe ſolet, cum Samoſcio Cancellario ac Nobilitate, majoribus ſuffragiis Sigiſmundum Suecum pro rege in Comitiis proclamaſſent, Sborovii quoque fratres cum ſuis, & cum Lithuanicis proceribus aliquot, ac Epiſcopo Quiovienſi, Maximilianum Auſtriacum magnis ſublatis vocibus, viciſſim proclamarunt : omnibuſque in diverſa ſuffragiis, nec ulâ parte ullo metu aut minis alteri cedere volente, ii ad Maximilianum, illi verò ad Suecum legatos miſêre, ut ad capeſſendum regnum in Poloniam venire maturarent.

Competitores regni Polonici.

Maximilianus Archidux & Suecus electi.

Nec mora, Maximilianus quidem cum ea manu & copiis, quas in ea temporis brevitate ex Auſtria & Moravia cogere potuerat, facto per Moraviam & Sileſiam itinere, ad Racovitium venit, unius diei iter ab Cracovia diſtantem. Erant cum eo Stanislaus Paolovius Epiſcopus Olomucenſis, Georgius & Ladislaus Poppelii, Fridericus Sirntinius, Felicianus Herbeſtanius, Ferdinandus Comes Hardeccus, quorum conſiliis utebatur, atque alii tam militares, quàm togati viri; paulòque poſt Andream Duditium, quòd Polonicarum rerum cognitione & uſu polleret ac Sborovius, ductâ ex eorum familia uxore,

Maximilianus cum copiis ſuis in Poloniam movet.

pro

1587. propinquitate jungeretur, ad ſe acciret. Sed quum Paulovius uno in conſeſſu, ac conſultatione eſſe cum eo unà nollet, quod illum ſacerdotii deſertorem ad ſectariorum caſtra profugiſſe diceret, ſeorſim ejus conſilia exquirere erat ſolitus. Cùm Maximilianus multos dies Racovitiæ, ac demum in Mogilano collegio tranſegiſſet, Suecus quoque conſcenſis navibus per Balthicum mare vela dedit; ac proſpera uſus navigatione, paucis diebus Dantiſcum celeberrimam Pruſſiæ urbem trajecit, ibique à civibus magnificentiſſimè exceptus eſt, & complures ex Senatorio ordine & equeſtri proceres congratulantes ei occurrerunt.

Samoſcius nomine Sigiſmundi Cracoviam occupat.

Utroque rege jam præſente, Samoſcius, qui tuendis Sueci partibus incumbebat, cum validiſſimis copiis Cracoviam venit, eamque veluti ſedem regiam & coronæ ſervandæ locum, regniq; caput, contra adverſarios & hoſtes quoſcunque omnibus viribus defendendam ſuſcepit; multoſque proceres ſuæ factionis eodem convocavit. Deinde modò per literas ultro citroque miſſas, modò per legatos actum eſt, ut Maximilianus in urbem, & ad gubernanda regni ſceptra admitteretur: Sed id Samoſcio ac Suecianæ factionis proceribus nequaquam perſuaderi potuit; quod illum non communibus votis, ſed per quatuor aut quinque ſenatores, quorum nonnulli obærati, & decoctores, nonnulli verò legibus proſcripti eſſent, ac unum Epiſcopum Quiovienſem nec quidem auctoritate ſummi Pontificis ſacratum aut confirmatum, ſed tantum electum, paucìſque nobilibus, qui in illorum ære aut famulitio forent minus legitimè nominatum eſſe contenderent, ideoque ad Suecum omnibus ſuffragiis electum diadema ſimul, ac poſſeſſionem regni deferendam atque tradendam arbitrarentur. Nec multò pòſt Maximilianus ſuorum uſus conſilio, & Polonorum maximè, quos apud ſe habebat, vim admovendam ratus, urbem Cracoviam invadendam decrevit, in qua non defuturos factionis ſuæ aſſeclas, & pro ſuo ac novæ dignitatis ſuæ aſſerendæ ſtudio arma ſumpturos exiſtimaret.

Maximilianus Clepardiam oppugnat.

Itaque XXIV. Novembris die, iis copiis, quas habebat, in conſpectum urbis miſſis, partem eam, quæ Clepardia vocatur, magno impetu aggreſſus eſt, Sborovis ac Germanicis cohortibus, ſtrenuè rem gerentibus. Verùm metu præſentis Samoſcii nemo vel hiſcere, nedum ad arma conclamare auſus, ita ut ipſe cum militibus ſuis ſtipendiariis, ac urbano delectu, ac proceribus, qui unà intus erant, cumque ea manu, quam extra urbis mœnia idoneo in loco ſtatuerat, irrumpentes Germanos pari virtute ſubmoveret, qua in re magno ei detrimento fuit locus ille extra urbem plectendis ac ſuſpendendis furibus dicatus è muro conſtans, ſiquidem hunc ingeſta humo, eaque bene communita, duabus colubrinis additis muniverat, ex quibus pilæ in ſubeuntes Germanos ita collibrabantur, ut plures ex eorum numero proſternerentur. Nec tamen eâ re perterriti quicquam remittebant, ſed tantâ vi mœnia & portas oppugnabant, ut ſe Clepardiâ potituros ſperarent, jamque valvis perfractis ingreſſuri videbantur, quum adhortante Samoſcio, non ſine ſtrage repelluntur inſtantibuſque à tergo Polonis, Mogilam verſus, ac qua cuique via patuit, ſeſe recipiunt. In eo conatu perficiendo ferunt, Maximilianum Ungarici nominis milites, ut Polonis armorum ſimilitudine agilitateque pares, vehementer deſideraſſe: Quocirca ex iiſdem caſtris, ad præfectos illos, quibus pecuniam ad ſtipendia numerari curaverat, literas dederat, cohortatus eos ut cum copiis, quanto celerius poſſent, venire ne cunctarentur. Erant ii Valentinus præpoſituarius, Paulus Melchius, & Petrus Andraſſius è Siculis Tranſſilvanis ortus, qui ducentenos ſinguli equites, ac aliquantam peditum manum, in locis Caſſoviæ & Tocajo vicinis, ac Gemeriana regione, mercede conduxerant. 1587.

Interea Sigiſmundus Suecus, cui majores è Polonia vires, ac validiora partium ſtudia erant, concurrentibus ad eum nobilitatis copiis, Dantiſco progreditur, ac Cracoviam petiturus Viſſiciam oppidum Salinarium, uno ab urbe milliario conſedit, eamque noctem in ea quievit, inde ad Caſimiriam, quæ ſolo flumine Viſtula à Cracovia disjungitur, ventum eſt, exercitu eum expectante, ac magno tormentorum & ſclopetorum fragore ſalutante. Inde Samoſcio exercitus imperatore unà equitante, Clepardiam deinde ductus eſt, iſque ei congeriem armorum & ſpoliorum, quæ nuper ab irrumpentibus Germanis, repreſſiſque relata erant, oſtendit, ſicque ad quintum Idus Decembris Cracoviam introduxit. Neque poſtea ceſſatum eſt ab mutuis excurſionibus ac nuntiis & literis intercipiendis, quum Germani in pagos & oppida rerum neceſſariarum cauſa caſtris exirent, contra Poloni in eos captivitate ac cædibus hoſtilem in modum graſſarentur. Sborovii quoque fratres, qui à Samoſcio & ejus aſſeclis capitali odio diſſidebant, novis quotidie contumeliis illum, & ſocios afficere non deſinebant: quorum alter Chriſtophorus Viſliciam, Nicolai Firlei clariſſimi Senatoris, ditionem vi & armis occupaverat. Andreas verò Stanislaum Tarnovium, Senatorium virum nihil tale expectantem improviſu ceperat, nec niſi graviſſimis conditionibus ab eo exactis dimiſerat, inter quas ea fuit, ut ad promittendum in electionem Maximiliani principis ſuum conſenſum adigeretur. Quibus rebus utrinque effectum fuit, ut Samoſcius juſſu ordinum novique regis, Maximilianum & ſuos bello perſequi, & Poloniæ regno armis arcere neceſſarium putaret.

Sigiſmundus Cracoviam advenit.

Sigiſmundo ſuppetiæ à Tranſſilvanis miſſæ.

Itaque perfectâ legitimis ceremoniis Sueci coronatione, literis ad Joannem Gicinum in Tranſſilvaniam miſſis, auxilia poſtulavit, & accepit: qui non diu cunctatus, Balthaſarem Bathorium, cui Rex Stephanus arcem Fogaraſſiam moriens teſtamento legaverat, ac Johannem Bornemiſſam, multis facinoribus bello Moſcovitico præclarè editis inſignem, cum quadringentis equitibus ad eum miſit. Contractis igitur in unum copiis adverſus Maximilianum, caſtra movit. Non latuêre ejus conatus Germanos, ipſumque imprimis Maximilianum, ad quem per certos fidoſque exploratores omnia perferebantur. Igitur quum ſe & copias ſuas, impares Polono, atque inferiores viribus animadverteret, conſilio ſuorum uſus, ad Sileſiæ fines ſeſe recepit, ibique haud procul Bicino oppido caſtra poſuit. Samoſcius & Poloni ſuis viribus freti, eum ſequuti ſunt, ita ut per lutulenta geluque & glacie impeditiſſima itinera ejus veſtigiis inſiſterent, nec procul à Germanorum caſtris ſua caſtra metarentur.

Ante hunc Maximiliani receptum præfecti copiarum, qui eum in Poloniam comitati erant, uno Melchiore Redero excepto, partim litibus ſe domi circumventos dictitantes, partim neceſſariorum ſuorum morbos & mortes cauſati,

1587. petito conmeatu, domum redierant; neque adhuc Ungari equites in caſtra pervenerant, ii enim aliquot dies ſub arce Lublone conſumpſerant, quam ab imbelli & metu conſternato Polono cuſtode, facili negotio deditam, nomine Maximiliani tanquam Poloniæ regis in manus & poteſtatem redegerant, ſimul cum oppido Polemicio, ditioneque eò ſpectante, demumque impoſito eis Ungarico præſidio, & arce fidei Jacobi Derviſſii commendata, ceptum in Poloniam iter proſequebantur. Ea arx in provincia Scepuſienſi ſita, antiquiſſimo jure ad Ungariam ſpectabat, ſed à Sigiſmundo rege atque Imperatore Jagelloni primo, Poloniæ regi, pro octoginta octo millibus aureorum numûm, ſimul cum XIII. oppidis oppignorata, in hunc uſque diem à Polonis detinebatur. Perculit ea res vehementer Samoſcium & Polonos, eorumque iram in Maximilianum magis exacuit, quum injuriæ ac ignominiæ impatientes, ulciſcendi libidine plurimum deflagrarent.

Cùm igitur Bicinum perventum eſſet; Maximilianus & noſtri, quamquam numero & viribus inferiores; cùm tamen explicandi via nulla eſſet, nequaquam pugnam detrectandam decrevêre; quòd patentibus in campis fortunam prælii experiri, quam mœnibus imbellis, & ligneo vallo muniti oppidi ſe ac ſalutem ſuam committere ſatius & præſtabilius eſſe arbitrarentur: vel eò potiſſimum confidentius, majorique ſpe, quod equitatum Ungaricum jam non procul eſſe cognoviſſent. Ferunt circa Bicinum complures piſcinas, congeſtis, quæ fluentes rivulos coërcent, aggeribus, more gentis extructas eſſe, quas ſi duces aliquot ſclopetariorum manu in tumulis aggerum collocata præmuniviſſent, Polonis quamquam equitatu ſuperioribus, facilè aditum in noſtrorum caſtra præcludi potuiſſe. Sed Maximilianus & Germani obviam hoſtibus progredi ſtatuentes, dum componendis ordinibus & ſtruendæ aciei incumbunt, Regero inter primos rem gerente, tamdiu expectati equites Ungari, labore ac itineris hiberni difficultatibus feſſi, atque fatigati ſupervenium, eiſque ſpem addunt. Nec mora, Polonis magno impetu irrumpentibus, pugna inchoatur. Sed quum Poloni recentiores tam numero quàm viribus longè præſtarent, Ungarorumque equi, qui modo per magnas viarum aſperitates, inedia fameque enecti, nec ſpatium reſpirandi habuiſſent, vix pedibus inſiſterent, magno incommodo noſtrorum & detrimento certabatur. Ad extremum incumbentibus Polonis & Tranſſilvanis, Maximilianus cum ſuis terga dare cogitur, & omnes in effuſam fugam ruere compelluntur: non adeo multis ex ſuorum numero amiſſis.

Maximiliani cum Polonis pugna.

Quum Præpoſituarius ei, ut ſe fugæ comitem ſibi in tutum iruto conjungeret, nec ſe incertis in oppido obſidionis periculis committeret, ſuadere cepiſſet, ipſe Germanis potiùs ſe ut Bicinum è fuga reciperet, quem locum in Sileſiacis Cæſarianæ ditionis finibus ſitum Poloni minimè violare auſuri eſſent, ſuadentibus paruit, infelici exitu, præter conſilium ante pugnam ſuſceptum cum majori parte ſuorum in oppidum ſe recepit. Ungari autem, ut feſſis recenti labore & pugna equis venerant, ita amiſſis aliquot ſociis ac impedimentis omnibus, ea qua quiſque potuit via, unà cum Redero ſimul profugêre. At Samoſcius & Poloni victores, tam bene gerendæ rei occaſionem nequaquam prætermittendam rati, ad oppugnandum oppidum ardentiſſimis animis convolarunt, exiſtimantes in perpetuum debellatum fore, ſi uno eodemque impetu Maximilianus ipſe princeps, atque alii & præcipuè Poloni, factionis ejus capita commodùm opprimerentur. Itaque pedites acrioribus verbis cohortatus, ad dejiciendum dolabris & ſecuribus vallum impulit, qui tanto animorum ardore atque audacia pedem intulerunt, ut ſubire portas ac exſcindere non dubitarent. Noſtris verò vix ſpiritu ex fuga recepto, ita animi protinus conciderunt, ut nec ſatis ad tuendum ſe, & defendendum rationis haberent, & etiamſi præſentem gererent animum, tormentis tamen ac ſulphureo pulvere, rebuſque omnibus neceſſariis ac commeatu deſtitutis, nulla ſalutis conſervandæ via ſupereſſet. In hunc modum extremo diſcrimine circumventi, ex eminentiori valli parte proloqui, & ab Samoſcio, ut ad ſe nuntios venire permitteret, petere ceperunt.

Noſtri fuga ſe in oppidum Bicinum recipiunt.

Prodierunt inde Alexander Prumſcius, præfectus Lucenſis, & Stanislaus Ciolecus Poloni, ac Georgius Logus Sileſius, expoſtulantes Maximiliani principis nomine, quod in ditionem alienam & pacatam, eum perſequi & armis oppugnare non dubitaſſet. Reſponſum eſt; non eſſe jam de iis rebus agendi locum, quum lis omnis Marte judice dijudicata eſſet, quamvis antea ſatis Cracoviæ ultro citroque de ea diſceptatum foret; debere Maximilianum principem, quo in ſtatu res eſſent conſiderare, & alia, quæ ſibi magis conducerent, proponere. Quum ſe illi hoc reſponſo recepiſſent, non multo poſt redierunt, oſtenderuntque, ſi quod princeps in Poloniam tranſiiſſet, eum propterea oppugnaret; primo non tanquam hoſtem veniſſe, ſed veluti regem vocatum ab iis, qui partim adhuc penes ſe eſſent, partim abſentes, id ſe jure facere exiſtimaſſent. Nunc ſi de eo Polonis ſecum certamen eſſet, tum ſe abdicare regno & titulo regio. Samoſcius ad ea reſpondit, de eo quidem potiſſimum agi; non ſatis tamen eſſe, ut eo ſe abdicaret, niſi etiam id caveretur, ut & ſtabilis pax conſtitueretur, & hæc controverſia non amplius excitari poſſet. Ad eam rem conſequendam neceſſarium eſſe, ut princeps Maximilianus factâ deditione, in poteſtate regis & reipublicæ eſſet. Actum deinde paucis de conditionibus deditionis, eæque manu Samoſcii in pugillari exaratæ, ad Maximilianum in hunc fere modum miſſæ fuerunt.

Maximiliani legatio ad Samoſcium.

Deditionis conditiones à Samoſcio præſcriptæ.

Imprimis Samoſcium rogare, ut princeps caſum hunc moderatè & fortiter ferat, inſcrutabili " DEI Opt. Max. judicio ei irrogatum, qui eum " alio loco, alio imperio compenſare queat: convenire verò tam ſummo loco nato adverſam " fortunam conſtanter ferre; ſe non elatione ali- " qua animi, ſed ob tranquillitatem patriæ Polo- " niæ requirere, ut princeps ſe ad eum conferat in " cuſtodiam, quæ principis dignitati, tantique & " tam clari faſtigii homini conveniant, contume- " liam aut ſubſannationem, in ſiſtendo eo coram " rege, nullam futuram. Eum in arce aliqua priva- " tim tali loco futurum, qui ipſius dignitati par " ſit, uſque ad pacem & concordiam, quæ inter " regem & rempub. ac Cæſarem, certis & æquis " conditionibus tranſigetur: quæ quidem condi- " tiones ſine ulla ejus ignominia fient, maximéq; " ad integritatem regni, & tam inſignium dam- " norum atque ſumptuum tam privatorum, quàm " publicè factorum compenſationem pertineant. "

Homi-

1587. „Homines nationum exterarum ſalutis ſuæ ſecuros fore, qui renuioris fortunæ ex illis ſunt, armis traditis, ſine pretio dimitterentur: inſigniores libertatis & ſalutis æquè ſecuros ſub pretio futuros. Qui nationis Polonicæ gregarii ſunt milites, Regi Sigiſmundo, & reipub. juramento præſtito libere abire permitterentur; inſigniores circa principem, ad deliberationem regis & Senatus futuros. Quantum ad vitam & famam eorum pertineat, earum pænas non irrogatum iri, idque Samoſcium in ſe recipere. Pro bonis eorum & fortunis conſervandis Samoſcium promittere, ſe apud regem omni ope laboraturum; res tamen, quas apud ſe habeant, non poſſe ſalvas ab iis retineri, quandoquidem militiæ jura quid poſtulent, non ignorari, quæ Samoſcio infringere animus non ſit. Hæc ut Maximilianus omnia ſpondeat, & Lubouliam ab Ungaria nuper captam, reſtituendam jubeat, eſſe neceſſe. Quod ad ſe ſpectet, ſe iis omnibus conditionibus ſubſcribere, idemque à principe poſtulare. Quæ cum ſupremæ neceſſitatis vi adacto principi facienda forent, tandem XXIIII. die Januarii, utrinque approbata fuêre; ipſeque deinde juxta ipſas conditiones ſeſe Samoſcio dedidit, ab eoque honeſtiſſimè cuſtoditus, & in Poloniam fuit abductus, ubi primum Craſniſtæ, ac demum Rodlone honeſtiſſimam, dignamque ſuo loco cuſtodiam, per annum ferme annum cum dimidio toleravit.

Quæ cum ad Cæſarem & regem Hiſpaniarum, indeque ad matrem, quæ ſe jam antea in Hiſpaniam contulerat, perlata eſſent, incredibilem eis dolorem attulerunt. Qui rebus & conſiliis cum Sixto pontifice communicatis, certas illius in libertatem reſtituendi rationes, opera arbitrorum utrinque deligendorum inire decreverunt; iiſque conditionibus, ut Cæſar ſuo, ac inclitæ familiæ Auſtriacæ nomine, idoneos homines è regnis & provinciis ſuis deligendos ſtatueret, qui in Sileſiæ finibus Poloniæ vicinis convenirent; contra à Polonis alii ad eoſdem fines venturi deligerentur: iiſque præeſſet è numero Cardinalium præcipuæ dignitatis legatus, à ſummo pontifice mittendus: quorum arbitraria compoſitione, ſopita controverſia, princeps eâ calamitate indignus libertatem recuperaret. Hæc Cæſar, miſſo in Poloniam Johanne Cobencelio, ad Maximilianum perferenda curavit; iſque ad regem & Senatum Poloniæ, ac Samoſcium repetitis vicibus commeando, laborandoque effecit, ut omnes partibus ſuffragiis duo opportuna oppida deligerent, ad quæ Pontificis, Cæſariſque, & Regis legati convenirent, Benginium nempe & Bithoniam, unius milliaris intervallo inter ſe diſtantia, quorum illud in Polonia, hæc in Sileſia, interfluente Clodnicia amne, metas utrinque diſtinguente ſita ſunt.

Legati in Poloniam ob liberationem Maximiliani miſſi. A Pontifice quidem miſſus fuit Hippolytus Aldobrandinus Cardinalis, vir manſuetudine, ac ingenii moderatione & æquitate inſignis. A Cæſaris partibus Stanislaus Paulovius Epiſcopus Ulomucenſis, Wilhelmus Roſenbergus, Aurei velleris eques, Bohemiæque Burgravius, & Chriſtophorus Poppelius ærarii Bohemici præfectus; ex Ungaris Petrus Hereſincius Epiſcopus Jaurienſis & Cancellarius Ungaricus, ac Nicolaus Iſthuanffius Propalatinus; ex Auſtriacis Richardus Strainus; è Sileſiis Saifridus Promovicius, & Johannes Cobencelius ordinis equitum Teutonicorum commendator Pruſeccenſis è Carnis & Stiriacis, Bithoniam ad Calendas Januarias convenerunt. Ex parte verò Polonorum & Lithuanorum Hieronymus Uladislaviæ & Pomeraniæ Epiſcopus, Januſius Dux Oſtrogenſis, Stanislaus Goſtomſcius Rabenſis, Chriſtophorus Senovicius Breſtenſis Palatini, Andreas Opolinſcius de Bnino Marſcalchus, ac Johannes Samoſcius regni Poloniæ Cancellarius, & ſummus copiarum imperator, viri undecunque graves, ac experientes, circa eoſdem dies Benginium ſeſe contulerunt. Qui poſt multos & difficiles ultro citroque habitos ſermones & colloquia, Cardinale, velut pacis & concordiæ ſequeſtro ac interprete, modò apud hujus, modò apud alterius partis legatos, auctoritatem ſuam interponente, aut nuntios miſſitante, tandem Quinto Idus Martias iis conditionibus transactum eſt, & concluſum. 1587. *Transactionis conditiones.*

Ut enim in pace omnia floreant, ita non modò ullum malum tantum eſſe poſſit, quod à bello abſit, ſed ne auctor quidem & aliorum bonorum, ita etiam pacis Deus, non niſi in pace piè recteque coli poſſit, cùm ob publicam reipub. Chriſtianæ ſalutem, tum inprimis nominis divini gloriam, omnes offenſiones ſuſpicioneſque & cauſæ offenſionum perpetuò obliterentur: condonabuntque utrinque tam Cæſar, & illuſtres inclytæ familiæ Auſtriacæ principes, quàm Rex Poloniæ omnia, quæ ſuperiore anno inter ipſos & ditiones eorum, quomodocunque interceſſiſſent, primum univerſæ Chriſtianitatis tranquillitati, deinde non minus etiam mutuæ neceſſitudini, ac ſanguinis conjunctioni, maximè verò ſummi ipſius Pontificis auctoritati. Id autem quo facilius fieri poſſit, Maximilianus omne jus & titulum regium abdicet, neque eo amplius utatur; præterque eum cæteri etiam Auſtriacæ ſtirpis principes, ipſeque Hiſpaniarum Rex, nullam unquam pro eo controverſiam; regno Poloniæ aut Sigiſmundo ejus regi, ſucceſſoribuſque movebunt: neque ea res in ullam Maximiliani principis injuriam aut contumeliam accipi, aut quiſquam interpretari debeat.“

Si (quod Deus diutiſſimè ſuſtinere velit) regnum iterum vacare contingeret, ordines ejus, ad quos libera electio pertinet, nullo modo, nec vi aut armis, neq; largitione aut factionibus, in libera regis electione turbabuntur. Lublovia cum oppidis villiſque, ac tormentis & bellico apparatu in ea reperto, in priſtinum uſum & poſſeſſionem regni Poloniæ reſtituatur conſigneturque, ad quam accipiendam à Polonis & occupandam XXI. menſis Julii dies præfinitus eſt. Et ut non ſolum controverſiæ omnes ſopiantur; ſed etiam priſtina fædera & pacta, quæ ab aliquot ſæculis utriuſque partis regnis & provinciis interceſſerunt, renoventur, ac conſtans in poſterum & ſincera amicitia conſervari poſſit; Cæſar & Rex Poloniæ tranſactionem hanc noviſſimam Sacramento præſtito confirmabunt. Ad quod recipiendum, & ad deprecandas injurias præteritas, mutuo legati ab utraque parte mittentur, ita ut ad XX diem menſis Aprilis, rex Poloniæ prior ſuos ad Cæſarem mittat; deinde verò ad diem XV. Maji ſimili modo Cæſar ad Polonum regem legatum miſſurus eſt, per quem gratam ſibi Polonicam legationem oſtendet, & quæ Cæſari alia in benevolentiæ atque amicitiæ teſtimonium videbuntur, addet. Eodem deinde legato præſente, Polonus rex juramentum præſtabit, cujus forma nunc conceptis verbis deſcripta eſt,

1587. „cui ſimile præſtebont ordines Pulonici & Li-
„thuanici publico nomine.
„ Quæ cùm perfecta fuerint, intrà diem XV.
„menſis Junii, mittet res Poloniæ alterum lega-
„tum ſuum, qui tranſactionem hanc & jure-
„juenta rem regis, quàm ordinum Cæſeri trader,
„atque idem legatus tune Cæſatis Sacrementum
„præſens audiet in eam formulam quæ præſcri-
„pta eſt, tam ab ipſo, quàm ab ordinibus & ſtati-
„bus Ungariæ & Bohemiæ, ceterarumque pro-
„vinciarum præſtandum, eaque omnie ſcripto
„comprehenſa, ac ſignis obſignata ſibi tradi pu-
„ſtulabit, & in Poloniem referet. Viciſſim M.xi-
„milianus princeps debebit è Rodlone, quo io
„loco nunc detinetur, ad diem XVI. Julii move-
„re, ac quàm honorificentiſſimè Bicinium, vel ſi
„maluerit, Bithoniam eurâ Polonorum ad diem
„XXVIII. ejuſdem Julii menſis ſiſti, qui priuſ-
„quam è regno Poloniæ exeat, à rege convenie-
„tur, mutuæque benevolentiæ declarationem
„accipiet, ut ea ſuperioris temporis injuriâ po-
„tiùs interrupta fuiſſe, quàm vel tum defuiſſe vi-
„deatur. vel in poſterum defutura ſit: quemque
„maximam poterit dignitatis ejus rationem ha-
„bebit: Queroptimum autem ultra fines Polo-
„niæ perducetur, hanc per Bicinenſes, & Bitho-
„nianos legatos, factam tranſactionem, ipſe
„quòque acceptabit, deinde etiam juramento
„addito confirmabit: illudque ſuâ manu, ac pro-
„cerum aliquot Germanicorum, quos tunc ſe-
„cum habebit, manibus ac ſignis roboratum da-
„bit. Ad quæ omnia inviolabili fide obſervanda
„utriuſque partis legati ſub fide, honore, jura-
„mentiſque ſuis promiſerunt, & eb Cardinele,
„cujus prudentiâ, ſtudio, atque operâ maximè
„hæc res confecta fuit, ut tranſactioni ſubſcribe-
„ret, & ſigillo ſuo muniret, communibus votis
„impetrarunt, tùm verò duo ejuſdem exempla
„conficienda curarunt, eaque eb omnibus com-
„muniter ſubſcripta ſecum acceperunt.

His rebus ultro citroque perfectis, reſtitutáque Lublovià, (quòd ne cui præjudicio juribus regni Ungariæ foret, legati Ungarici apud collegas cautum eſſe voluerunt) Maximilianus ſexcentis plus minus equitibus Polonis comitatus, Bithoniam adductus eſt; accidítque ut quum è Sileſia mille & amplius cataphracti equites ei recipiendo occurriſſent, ducibus Gulielmo Opperſturffo & Melchiore Redero, inter congratulantium & ſalutantium voces, ac amplexus, juramenti, quod de renuntiando regno, & obſervandis conditionibus, eo loco & tempore erat præſtandum, obliviſceretur, & quanquam Poloni urgerent, ipſe tamen in eo fortuito tumultu, conſcenſo equo, & eis valere juſſis, ad ſuos ſe reciperet, & ab iis in tutum mox deduceretur. Quæ res animis Polonorum, non parum ſuſpicionis & mutatæ fidei ſcrupulum injecit; cui tamen non multò pòſt Cæſar ita occurrit, ut interpoſito etiam propinquitatis vinculo, omnis ea ſuſpicio aut controverſia prorſus tolleretur.

Maximilianus libertati reſtituitur.

Cardinalis ipſe rebus ex animi ſententia confectis, liberatóque Maximiliano, ſalutatis Cæſare ac fratribus ejus, & patruo Carolo in Italiam conceſſit, ac poſt paucos annos, Diis juvantibus, virtutéque & pietate comitibus, ad ſummi pontificatûs faſtigium, Clementis octavi nomine deſumpto, evectus eſt, fuitq; per omne ætatis tempus, quo vixit, Cæſari & principibus Auſtriacæ familiæ, omni amore amplectendis, juvandiſque & tuendis Ungariæ reliquiis quàm promptiſſimus. Sed & Maximilianus priùs quàm Rodlone diſceſſiſſet, pro ſe ac cæteris, qui ſecum erant, Germanici nominis captivis, ſolutis XL. millibus argenteorum nummûm, quos Telleros vocant, Samoſcio præſenti pecunia ſatisfecit; quam ille, tametſi ex uſu victoriæ, quæ rebus omnibus ad arbitrium leges imponere ſolet, pro tanto principe parvam eſſe reputaret, pro iis tamen humanitatis ac munificentiæ ornamentis & virtutibus, quæ in eo viro raræ erant, & ſingulares, nihil tergiverſatus aut cunctatus, accepit: illæque taliter ex captivitate, in quam ex infelicitate prælii Bicinenſis inciderat, poſtliminiò fuit reverſus.

Aldobrandinus Cardinalis in Italiam redit.

Atque hæc quidem foris eo anno minus felici ſorte geſta eſſe ſatis conſtet; domi tamen Cæſariani duces, meliori fato fortunéque ad verſùs Turcas, & quidem geminatâ victoriâ repreſſos, etma exercuêre. Talis enim & tantus erat utriuſque partis è mutuis & quotidianis rapinis & excurſionibus exortus abuſus, ut quamquam & Cæſar & Murates novennales inducias cum patre Selimo pactas, ratas habuiſſent, tamen milites & duces nullo cujuſpiam imperio coërciti, expeditis armis & minutioribus præliis, quæ abſque tormentorum curulium apparatu fieri ſolent, ſalvis induciarum vinculis in mutuam perniciem graſſari poſſe arbitrarentur. Quibus rebus fiebat, ut ducibus & præfectis, quum victores evaderent, ingentia præmia ex præda & captivis, qui ſe multo auro redimebant, provenirent, limites tamen regni & regiones ab hoſtibus crudeliter vaſtarentur, ac tenuis & innoxia agricolarum plebs ad pendendum hoſti vectigal, & ſervilis quæque miniſteria ſubeunda, tributaria redderetur.

Nondum Maximilianus adverſam matris aleam erat expertus, ſed Polonicis rebus irrito, ut diximus, conato incumbebat, quum Saſuarea è Boſnenſi præfecture, quam tranſlato poſt cædem Aurſpergi Budam Ferhate iniveret, trajecto uſitatis itineribus Savo atque Dravo, ad primo veris initia Sigetum venit; ac majorem æſtatis partem curandæ valetudini, ac dandâ militibus quiete conſumpſit. Poſtquam equos è paſcuis in ſtabula reduxit, milites ut ſe & illos curarent, paratoſque ad imperia ſervarent, admonuit. Deinde diuturno ſilentio & mora abrupta eam regionem, quæ Sòriæ finibus vicina, ad flumen Muram longo tractu protenditur, in qua Sombatum oppidum, à Germanis Olſnicium appellatum, ac complures pagi inter Muram & Cernicium amnes habentur, quæ adhuc deditionem ſubire recuſaverant, vaſtandas & depopulandas ire conſtituit; ratus noſtris in occurſum prodeuntibus, nobilis alicujus pugnæ ſimul & victoriæ occaſionem oblatum iri. Gnarum id erat Comiti Georgio Zriniano, qui eo tempore Caniſæ tuendæ cum præſidio præerat; & cui conſilia illius per certos ſpeculatores ac fidos ex tributariorum plebe homines, qui quum Chriſtiani eſſent uno conſenſu, naturâ cogente, noſtris rebus favebant aſſiduè perferebantur; iſque eos conatus Battianio & Nadaſdio, ſingulis fermè horis, per celeres tabellarios ſignificare ſolebat.

Saſuarus Sygethanus præfectis depopulatio. A. 1587

Erant inter Turcas complures præfecti minores, qui à tempore capti per Solymannum Sigeti multorum annorum ſtipendia, non ſinè manifeſtis vitæ periculis ibidem exegerant, quibus minimè eo tempore laceſſendos & irritandos Ungaros ſeriùs & conſultiùs fore videbatur: poſtquam brevi in unum convenire, & non contemnendum copiarum numerum opponere, Germanoſque & Illyricos, quorum fines non

procul

1587. non procul eſſent, uno die in ſocietatem convocare poſſent. Sed ille, quamquam antea frequenter adverſam fortunam expertus eſſet, & diras aliquot clades ab Ungaris accepiſſet, fatali tamen arrogantiâ & temeritate eos cautos magis, quàm pugnaces appellando, copias tantùm, quas ad Idus Sextiles è variis locis Poſegâ, Coppano, Quinqueeccleſiis, Diaco, Sirmio (hoc adhuc vetus retinet nomen) ac Simontornia, aliiſque finibus convenire juſſerat, præſtolabatur. Quas cùm in caſtra ad VIII. millium numerum recepiſſet, non ampliùs cunctatus ea promovit: & quum nonnulli ex Turcis monerent, ut de nocte, ac procul Caniſa iter faceret, ne à noſtris animadverti poſſet, minimè paruit, tanto noſtrorum contemptu, ut ſe de induſtria in conſpectu Zrinii, & Caniſianorum iturum diceret, quos tanta ſui exercitûs formidine perculſos vaniſſimè prædicaret, ut tranſeuntem ſe ne aſpicere quidem auſi eſſent. Contrà Zrinius identidem Battianium & Nadaſdium de hoſtium itinere & conſiliis certiores reddebat, ac ut parati in ſingulas horas eſſent, & quum majorum tormentorum fragore ſignum daret, quàm celerrimè capto itinere convolarent, hortabatur: atque illi non ſolùm ſuos milites & clientes, ſed etiam magnum nobilitatis numerum paratum habebant. Præter hos Joannem Globiceium, qui Capronciæ præerat, ac Fridericum Trautmanſdorffium trecentorum Germanorum equitum præfectum literis & nuntiis admonuerat, ut ad exploſarum majorum machinarum crepitum convolarent, ſeque deſignato loco ſibi conjungerent.

Quibus rebus oportunè diſpoſitis, jam tertius erat dies, ex quo Safuares copias & caſtra promoverat; quarto autem die ad Pamlinum vicum, dimidio ſtadio à Caniſa diſtantem, paludem, quæ ſtagnante rivo Caotho latè ibi diffunditur, meridiano tempore trajecit, noſtris ex arce proſpicientibus, nec tamen prodire aut tormenta in tranſeuntes dirigere volentibus. Quam rem ipſe mox metum, & pavorem interpretatus, peditatum præmiſit, ipſe cum equitibus ſubſequutus eſt; poſtea intentiore gradu eam viam, quæ inter Linduam & Nempitum oppida, ac inter Quercam & Muram fluvios ſita, tenuit: quumque Turcarum agmen, quod præcedebat, ad Redicium pagum perveniſſet, & Stephanus Serenius cum paucis equitibus Linduâ profectus, levi cum iis certamine inito, ſclopetum in conſertos exploſiſſet, & illud reponere in thecam vellet, nec acinacem ocyùs expediret, immani vulnere per caput ictus atque interfectus eſt. Turcæ ulteriùs profecti pagos & villas, ſive illæ deditiæ & Turcis vectigales forent, ſive non, pari tamen paſſu urebant, atque vaſtabant, miſeramque plebem ſine diſcrimine abducebant.

Noſtri, tumultuaria collecta manu, hoſti occurrunt. Intereà Zrinius ingentibus tormentis frequenter exploſis ſignum ſociis, quos nominavimus, dare, eoſque per litteras & nuntios duplicatos, ut ſi unis quid adverſi accideret, alteri tamen tutò pervenirent, accire, ſuos in armis tenere, clientes ex ſua peninſula magno numero, magnâque celeritate convocare. Battianius, quamquam non ſatis proſperâ valetudine uteretur, & nonnihil pedibus laboraret, facto per Egerſegum & Carnacum itinere, cum quingentis equitibus, quos ſuo ſumptu alebat, & ducentis peditibus, prior ad deſtinatum locum venit; deinde Globicerius & Germani cataphracti equites duce Trautmanſdorffio; poſtremò Nadaſdius & Papenſis præſidii ductor Petrus Huſarius, iique omnes inter Inſulam Sarcaniam ac pagum Cacerlaeum, æquali à Caniſa intervallo diſtantes, caſtra conjunxêre; ut ſi hoſtes reverterentur, & ſive dextrum iter, ſive ſiniſtrum tenerent, in utrumque parati eos expectarent; ac cum illis flumine & paludibus, ac locorum anguſtiis, & quod magis terreret, duobus exercitibus interclutis, de ſumma rerum dimicarent. Erant copiæ noſtrorum Turcicis fere pares: tria ſiquidem millia equitum, huc numeratis etiam Germanis, facilè cenſeri poterant; nec minor erat peditum numerus.

Interim Safuares & Turcæ vaſtatis incenſiſque pagis aliquot, coloniſque abductis, reverti inceperunt, & cùm ad vicum, cui Sancto Blaſio nomen eſt, lucente lunâ perveniſſent, ac loca omnia, per quæ tranſeundum eſſet, ab hoſte teneri animadvertiſſent, tum primum temeritatis ſuæ ſentire incommodum cepêre, & conſilio cum ductoribus viarum communicato, fruſtraque tentatis effugiis, necdum orto ſole, ad Cacerlaeum progrediuntur, ut ſi quâ poſſent factâ vi & armis viâ in tutum evaderent. Sed Zrinius ac cæteri duces locorum oportunitate, & ſuorum virtute ac viribus freti, hoſtes in ipſis paludum anguſtiis de tranſitu hæſitantes, magno impetu adoriuntur, & quà dabatur, equites perfractis haſtis eos ſternere & cædere contendunt: ſed quum cœnoſus difficiliſque locus equiti incommodus foret, peditatum, quem per oportuna loca diſtribuerant, incitante Nicolao Malicocio, Zrinii legato, viro acri & militari, ſclopetis rem gerere jubent, quorum mortiferis ictibus tam equi quàm homines, quamplurimi ex hoſtibus partim occubuêre, partim ab iiſdem cum vexillis aliquot capti, in noſtrorum poteſtatem devenêre. In ea rerum & locorum aſperitate Berſenciani & Segeſdiani Turcæ equites viarum peritiores, fœdo pavore perculſi, nec expectato quidem primo noſtrorum impetu, fugam dedêre, nullo Safoaris aut aliorum ducum imperio retenti, ac citatis equis, per invia, & ſaltus, ac paludes, non ſine certo in iis quorundam interitu, evaſerunt. Cæteri ex Quinqueeccleſienſibus ac Mohacienſis & Poſeganis Turcis, quum aliquamdiu pugnaſſent, tamen à peditibus, qui eos ſclopetorum glandibus vulnerare ac proſternere non ceſſabant, magno affecti detrimento ſimiliter profugerunt. *Turcæ in fugam conjecti paſſim trucidantur.*

Reliqua multitudo equitum pariter & peditum, quæ feſſa itineris labore, & anhelantibus equis, in recentes, & fortiſſimas noſtrorum alas, & cohortes inciderat, neque ſe parem eis futuram videbat, quo quiſque poterat modo, vitæ ſaluti que ſuæ conſulebat, jamque ad tantas trepidationis & deſperationis anguſtias ventum erat, ut nonnulli Turcæ, exemplo & periculo ſociorum deterriti, qui paludes tranſnatare conati, in iiſdem fœdo mortis genere ſuffocati perierant, ſuis acinacibus ultro traditis, ſeſe noſtris capiendos offerrent: nonnulli abjectis omnibus armis, vitam & incolumitatem voce geſtuque lamentabili deprecarentur. Alii verò firmiori ſpe evadendi, per carecta & arundines, fœdis lapſibus colluctati, ipſis ſe paludibus immergebant, ſic tamen ut moribundi & viribus exhauſti, quod ulteriùs pergere non poſſent, opem noſtrorum implorarent à quibus miſeratione tantæ calamitatis erepti ſervabantur. Poſtremò Safuares cæterique omnes, infeſta ſibi numina conſpicati, his

Iſtuanf. Hiſtor.

1587. rebus deſperatis, aut latebras quærere, aut in effuſam fugam ferri & ruere ceperunt.

Mahmutes Aly Baſſæ filius capitur, &c.

In fuga Mahmutes Quinqueeccleſienſis præfectus, Alybaſſæ prælio navali ad Echinadas ab Hiſpania cæſi filius, qui Romam perductus, & unà cum fratre à ſummo pontifice Pio V. ad matrem remiſſus erat, à Stephano Praſchocio captus eſt: quum enim Alygianem quendam citato equo, infeſtiſque armis perſequeretur, is ore inter fugiendum obverſo, quid, inquit, me pauperem, & modo è captivitate redemptum perſequeris? cur qui ante me fugiunt, duces & præfectos opulentos teque facilè ditaturos capere & vincire dubitas? igitur præterito eo, in Mahmutum ipſum ſplendenti ac deaurato thorace, armiſque conſpicuum incidit, eumque captum è fuga retraxit. Haſſanes Coppanii præfectus, in locum Regeſſi captivi nuper ſuffectus, dum in pedites Capronczianos, qui tranſitus cuſtodiebant, incidiſſet, ſeque, ne caperetur, acriùs defendiſſet, poſtremo ſecuricula dextram manum ictus (quo ictu etiam enſis ejus, miræ temperaturæ, qui à Solimano principe ei è cubiculariis adoleſcentibus uni datus eſſe dicebatur, ſupra capulum levi fragmine contuſus fuit) deditionem fecit. Sed Sinanus Mohacienſis, dum calcaribus equum in cænoſam paludem adigit, in ea defixus hæret, ſclopeti per mediam frontem glande petitus occubuit.

Haſſanes Coppani præfectus

Sinanus Mohacienſis occumbit.

Safuares fœda fuga evadit

At Safuares cùm equum abſolutæ nigredinis unicolorem, quem ipſe ex armento Nicolai Homonniani ortum, fuſis ad Solnocum quibuſdam Ungaris, ceperat & educaverat, in cænoſam paluſtremque lacunam direxiſſet & ex ea emergere non poſſet, hoſteſque infenſiſſimi inſtarent, omiſſo equo & calcaribus calceiſque abjectis, nudis pedibus profugit; ac Durmiſe quodam & aliis viatum peritis comitatus, verſus Berſinciam per avios ſaltus, & varios errores delatus eſt; ſic, ut quum aſperitate viarum pedes inſolito labore læſi turgeſcerent, ex pelle tigridis magni pretii, quam aureis fibulis & ſerico ſuffultam, more militari è collo ſuſpenderat, in fruſtra & particulas conciſa, pedibus plantaria adaptaret, ac quinto poſt pugnam die, ab eodem Durmiſe & ſociis ægre Sziguſdium perduceretur. Naſuffio quoque Sziubiciano cognomine, qui Chriſtianis ortus parentibus, clade Palaſtianâ cum Sforcia Pallavicino à Turcis captus ſe eorum ſuperſtitioni addixerat, quem Gaſpari Alapiano conatus hoſtium perſcripſiſſe ſupra diximus, miro caſu fortuna illuſit, quum enim adacto in paludem equo ejus viribus fretus ſe vadare poſſe ſperaſſet, mox eò in caput & aures procidente, & exanimato, ipſe eam diem noctémque profundo in luto hæſit; ac hinc venenatis culicum & tabanorum aculeis, illinc à ranis & ſerpentibus morſus & corroſus, noſtris ibi paluſtria nemora & exitus paſſim indagantibus, lamentabili ejulatu & clamore ſeſe prodidit, à quibus limoſo lacu extractus Caniſæ apud Bartolum Grecium equeſtris turmæ ductorem eodem die expiravit. Memis quoque Spahoglanes, & Bethanes Quibaja dictus Quinqueeccleſiis oriundi, & Haſſanes Muſtaphæ Epirotæ, qui olim cum Valentino Magiaro ſingulari duello pugnaverat, filius, ex eorum ordine, quos Turcæ Zaimos vocant, inſignes viri, cum compluribus aliis, & Oſmane Celebi in eadem fuga capti ſunt. Halules etiam juvenis, ſorore ipſius Safuaris genitus, ac Corcutus Tarquinius privignus, ac alter Corcutus ſcriba, & multi alii, quos longum eſſet enumerare, eandem fortunam ſubierunt.

Fuſis fugatiſque hoſtibus noſtri, juvantibus 1587. etiam agricolis, ad aliquot dies fugâ & latebris ſilvarum occultatos inſequuti, velut in ferarum venatu fieri ſolet indaginibus quaſi quibuſdam cinctus incluſoſque cepere: ita ut multi vel inveſtigantium ſtudio reperti, vel quod omnem evadendi ſpem ſublatam viderent, ſponte ſuâ ſeſe dedentes, in poteſtatem venirent. E caſtellis etiam atque minoribus arcibus præſidiarii milites, ad prædam effuſi, ubi ſepes aut foſſæ conciſaque itineta, aut denſiores arborum frondes eſſent, multos palantes & trepidos, faméque & curſu debilitatos oppreſſerunt. Inter quos Curtus Vaivoda fuit, Alibegi cognomento Sari legatus, qui illis ipſis diebus ex Armenia, ab hero contra Perſas bellum gerente, in Pannoniam remiſſus fuerat, quem Peleſcani milites errantem in ſilvis, ac paganâ veſte vili indutum, nec agnitum, tertio poſt pugnam die, pro gregario milite ceperant. Cæſi tam in pugna quàm deinceps, & in paludibus ac ſilvis extincti hoſtium ad duo millia, nec captivorum minor numerus fuit.

Cæſabiſtium 2000. captatorúm.

Confecto prælio, duces tanto ſucceſſu læti, quum multis & Globicerio imprimis præ gaudio lachrimæ manarent, ut vix per multum ſpatium effari poſſet, tandem adhibitis ſibi Malicocio & Trautmanſdorffio Zrinium & Batthianium, qui tametſi ſanguine juncti, privatis tamen ſimultatibus inter ſe acriter diſſidebant, in mutuam gratiam reductos, ad dextras jungendas induxerunt, ut pro tanto tam celebris victoriæ proventu, oblitteratis ſincero corde offenſionibus, dignas DEO Opt. Max. gratias agere poſſent. Deinde communi conſenſu Linduam, quæ inferior vocatur, deligunt, ubi captivi & præda omnis in medium collata, more militiæ venum exponeretur. Itaque ſub finem menſis Auguſti, producti fuère captivi MDXXIII. nec enim fieri potuit, quin ab inhiantibus vel indecoro turpique lucro militibus ac aliis, complures ex iis occultati ſupprimerentur. Equorum militarium cum ephippiis & apparatu ad MC. ſigna XIX. Decretum quoque eſt, ut duo inſigniores præfecti Quinqueeccleſienſis & Coppanienſis, cum eorum equis & armis, ac vexillis, ad Cæſarem ſeu ejus loco Erneſtum fratrem, quorum auſpiciis, ſecundum Deum, res proſpere geſta eſſet, dono mitterentur: & poſtquam ducibus, quorum virtute & operâ victoria parta fuiſſet, idonea munera data forent, reliquus captivorum grex & præda cujuſvis generis per auctionem divenderetur, pretiumque tatis æquè omnium portionibus dividendum eſſet, quæ omnia mox ibidem peracta fuère.

Præda hoſtilis diviſa.

At Safuares tanto inconſultæ ferociæ & temeritatis ſuæ detrimento accepto triſtis & mæſtus, ac laquei pœnam à ſuo principe veritus, poſtquam vires reſumpſit, graviſſimo auri pondere, & longè ampliſſimis muneribus, aulæ & purpuratorum collegio largiſſimè dividendis, Byzantium profectus eſt, ut ſi fieri poſſet, cladem ſuâ temeritate acceptam verbis elevare, largiendoque & donando priſtinum militiæ ordinem & dignitatem retinere poſſet. Sed quum Muratis antes eorum operâ, quorum fratres & propinqui infelici prælio cecidiſſent, præoccupatas clauſaſque reperiſſet, ac ab Janitorum præfecto, cujus præſidio ſtudioque ſe imprimis tutum fore fruſtrà ſperabat, nullum ſupereſſe veniæ locum præmonitus eſſet, ut ignominioſæ necis pœnam præverteret, venenum, quod ad tales ſupremi

Safuares Conſtantinopolim profectus.

1587. *Veneni hauſtu ſibi mortem conſciſcit.* premi infortunii caſus paratum habebat, hauſit, & paulò pòſt interiit. Hoc diro infamique exitu Saſuares infelix vitam ſuam, quam nulla humaniori conſuetudine, ſed multam in miſeros captivos feritatem, & ſævitiam exercendo impiiſq; & cruentis bellis, omne Chriſtianum nomen implacabili odio exagitando, tranſegerat, ultoribus tandem ſuperis fœdè terminavit; ita ut quum vivens damnata fatis arma contumaci pertinaciâ ſemper renovaret; ſemper tamen victus, & multa cum ſtrage repulſus, meritas immanitatis ſuæ pœnas dediſſe videretur.

Poſonienſia Comitia A. 1587. At Cæſar actis pro hujus victoriæ lætitia Deo Opt. Max. gratiis, paulò pòſt comitia Ungaris Poſonium ad Calendas Novembres indixit, & quod ipſe aliis graviſſimarum rerum curis in Germanis & Bohemia occupatus, iis intereſſe non poſſet, Erneſtum fratrem præeſſe juſſit. In his duos præfectos Turcas, ad Cacerlacum captos, ac vexilla & munera, quæ Cæſari ſeu Erneſto fratri, ut diximus, conſenſu militari offerenda erant, Nicolaus Malicocius, Alexander Senniejus, Petrus Huſſarius, aliique aliquot minores præfecti, magnâ ſpectantium multitudine circumfuſa obtulêre, quos ipſe omnes benignè alloquutus, catenis poculiſque aureis, aliiſque rebus remuneratos dimiſit.

Porrò fuêre hæc quòque comitia inſtar priorum tumultibus, querelis, & inconditis clamoribus plena turbidaque, ſicuti ex publicis, quæ extant, actis conſtare poteſt. Neque enim adhuc præfecturis & magiſtratibus exteri homines amoti erant, ſicuti crebrius fuerat promiſſum; & nobilitas res Ungaricas ab exteris, earum imperitis & ignaris tractari, ac intolerabili mora, nec ſatis digno fine expediri vehementer dolebat. Itaque petitum eſt à principe, ut quum annus in 4. partes, quæ ſingulos ternos menſes conſti- *Senatus trimeſtris* tuunt, dividatur, eis ſingulis omnes Senatores, aut eorum potior pars conveniant, reſque omnes tam publicas quàm privatas ipſi tractent & expediant, ſenatuique Ungarico priſtina auctoritas reſtituatur; ac pro iis rebus, quæ trimeſtris conſultationis moram pati aut expectare non poſſent, terminandis aliquot Senatores continuè *Palatinus.* apud principem manerent. Magnâ quòque contentione actum eſt de Palatino more majorum creando, qui eſt primæ poſt regem, ut antea diximus, auctoritatis & dignitatis magiſtratus. Sed quum tempus & commoda occaſio ejus creandi in præſens ſe nequaquam offerret, ut præfecti, qui illius loco ſupplendo delecti eſſent, è Pannoniorum numero crearentur, decretum eſt.

Quæſitores proventuum regni. Cæterum de omnibus regiis & ærarii juribus, ac publicis vectigalibus, & proventibus inquirendis, quæ eorum incuria & negligentia, per quos adminiſtrabantur, vehementer conciſa & diminuta eſſe ferebantur, nec non ad inveſtigandas arcium & locorum hoſtibus vicinorum rationes, legati conſtituti ſunt, qui abſolutis comitiis in omnes partes regni uſque ad littora Adriatici ſinus egreſſi, omnia quàm diligentiſſimè & ſolertiſſimè inquirerent; & ad Senatum trimeſtris conſilii, qui primus habebitur, bonâ fide referrent. Et quidem à Danubio ad Montanas Civitates perluſtrandas quatuor viri Balthaſar Battianius, Stephanus Illieſius, Franciſcus Eſterhaſius, & Andreas Juſtus delecti ſunt, verſus Poloniæ & Tranſilvaniæ fines, ac ſuperioris Ungariæ partes, Simon Forgacius, Franciſcus Revajus, Nicolaus Socolius, & Sigiſmundus Racocius, Ultradanubianis uſque ad Dravum flumen partibus, Franciſcus Nadaſdius, Nicolaus Palfſius, Emericus Megierius, & Chriſtophorus Peteo delegati. Ad Illyricum & Dalmatiæ reliquias, Gaſpar Stancovacius Epiſcopus Zagrahienſis, cum Stephano Berislavio, ac Gaſpare Petricevirio profecti fuêre. Quibus omnibus ex publico ſumptus ſuppeditati ſunt, juſſûque omnibus, ut ad diem XX. Aprilis menſis rebus confectis reverterentur. 1587.

Sed magni hujus & ſummâ contentione ſuſcepti conſilii & laboris nullum aut planè exiguum operæ pretium vidimus: nam dum interventu variorum negotiorum ea, quæ in inquiſitione comperta erant, anno demum ſequenti in ſenatu proponerentur, multi ex Senatoribus obliquè interceſſerunt, ea præſente Cæſare referenda eſſe contendentes, à quo etiam remedia poſtulanda eſſe exiſtimarent: aut ſi Erneſtus attributâ ſibi à Cæſare poteſtate eos abuſus, qui irrepſiſſent, altiuſque radices jeciſſent, evellere poſſet, aut peculatibus vectigalium corrigendis etiam Cæſare inconſulto ſtatim manus admoveret, tum poſſe referri. Sed quum neutrum in promptu eſſet, quòd tam procul Cæſar abeſſet, quòdque princeps Erneſtus eam provinciam ſibi nequaquam ſumendam arbitraretur, re totâ in aliud commodiùs tempus dilatâ, nec poſteà ullâ adveniente occaſione conatus tanto ſtudio & labore inchoati fruſtrà fuêre. Quod quidem incommodum poſteà multis & magnis Reipublicæ perturbationibus & detrimentis non parvam novarum rerum ſtudioſis opportunitatem ſubminiſtravit. Cenſus tamen publico nomine promiſſus eſt, ita ut de fundis agricolarum, qui oppida & pagus incolerent, quique veteri more cenſeri ſolent, bini nummi aurei duobus terminis exigerentur, & in ærarium inferrentur: Erneſto quòque Principi ex eodem cenſu fundorum munus honorarium dimidii taleri decretum eſt.

Eodem in tumultu æſtuque comitiorum Ge- *Georgius Debrecenius proſcriptus.* orgius Debrecenius, qui vice & loco magiſtri Thavernicorum, quo magiſtratu Georgius Zrinius eo tempore fungebatur, liberis civitatibus jus dicebat, quòd Senatui Ungarico verbis contumelioſis & illicitis inſultare & obloqui auſus eſſet, auctoritatemque eorum tam enormi verborum convitio, quàm infamibus libellis læſiſſet, iique ſtatuum & ordinum fidem, & legum opem imploraſſent, neque reus citatus ad diem reſpondiſſet, læſæ majeſtatis damnatus & proſcriptus eſt. Quæ publici judicii ſeveritas tametſi haud indignè homini immodicos ſpiritus gerenti irrogata eſſe videretur, triennio tamen pòſt eodem Georgio comite Zriniano apud Cæſarem & Senatores, quos ille offenderat, & univerſæ Reipublicæ ordines vehementer pro eo laborante, & ſummi odii crimen deprecante, mitigatis animis in integrum reſtitutus eſt, amiſſaque dignitatis ſuæ bonorum jura recuperavit, nec diu poſteà vixit. Poſtremò nomine Cæſaris poſtulatum eſt, ſicuti ſuperioribus annis ipſe per edicta juſſerat, ut nova ſubducendi anni aut commu- *Novum Calendarium receptum.* mutandorum faſtorum ratio à Gregorio ſummo Pontifice inventa atque introducta ubique ab omnibus reciperetur; quam innovationem à quadam parte nobilitatis Ciſdanubianæ abſque omnium ordinum conſenſu minimè admiſſam fuiſſe oſtendimus. Itaque his comitiis non ampliùs reluctari, eum uſum in foro & contractibus, item tem-

 plis

1588. plis & ſacris ubique pari modo obſervandum approbârunt, utque reciperetur, latâ lege conſtituerunt; quum in Polonia & Tranſſilvania jam anteà receptum fuiſſe cognoviſſent.

Poſt finem Comitiorum, à primordio veris ad æſtatis uſque adultæ tempus judicii Epericſſi adminiſtrandis ſuperior Ungaria vacavit, fuêreque omnia domi foriſque pacata, quòd Turcæ bello adverſus Perſas gerendo occuparentur, multique è limitibus Pannoniæ ad illud gerendum conſcripti eſſent. Autumno res domi turbari cepêre, hoſtibus ad arma priùs ruentibus, qui non induciarum vi, aut fœderibus, ſed contrariis armis, mirâque & manifeſtâ divini Numinis ope coërciti fuêre. Quippè mihi multa tam veterum quàm recentium exempla revolventi, non facilè in mentem venit uſpiam validiſſimas & inſtructiſſimas copias à paucioribus victas fuſaſque fuiſſe, atque hoc anno noſtris ad Sixonem crudeliſſimo prælio dimicantibus contigiſſe conſtat. Ferhates quum è Boſna Budam veniſſet, pro ea, quâ laborabat, inexplebili avaritia populos ſibi ſubjectos pro libidine expilare, ab eiſque inſolitos cenſus, intolerandamque pecuniæ vim extorquere cepit tam immani ſævitiâ, ut oppidis & pagis tributa duplicaret, quæ ſi ſolvendo non eſſent, incolæ eorum cum conjugibus & liberis in ſervitutem rapti divenderentur. Quâ ejus crudelitate brevi effectum eſt, ut magna miſerorum pars ſedibus relictis aliò migraret, cæteri, quibus arces finitimæ præſidio eſſe poſſent, et ampliùs tributariæ aut vectigales eſſe recuſarent.

Prælio ad Sixonem commiſſo noſtri inſigni victoriâ potiuntur A. 1588.

Ferhatis Budenſis avaritia & ſævitia

Inter alia loca Sixo oppidum erat, cujus cives & incolæ millenos aureos nummos quotannis ſolvere jubebantur: quod quum ſupra vires eorum facultateſque eſſet, truculenti imperii pertæſi, noſtrorumque præſidio, qui Caſſoviæ & Tocaii, ac Sendrone erant, ſe tutus ab illius injuria fore rati, tributi pendendi curam intermiſerunt; ita ut crebriores Achomatis curatoris minas ſurdâ aure præterire non dubitarent. Quod ille ægrè ferens, tam literis quàm nunciis debitum aliquot annis tributum ſuperbo ore repoſcere, & niſi dicto parerent, ferrum & ignem, & quæque extrema minari non deſinebat. Itaque nec recenti Saſuaris infortunio & clade territus oppidanos ad imperata facienda armis compellendos eſſe decrevit, addens ſe etiam ſi ſibi & exercitui funditùs pereundum eſſet, de illis tamen ut refractariis meritas pœnas ſumpturum. Nec mora, omnibus præfectis, qui ejus imperio parebant, ut ad diem pridie Calend. Octobris in agro Peſthano ad Racoſium amniculum cum copiis præſto ſint, feriò edixit, atque ii magno numero ad eum locum convenerint, ita ut ager omnis expanſis tentoriis & carris, equiſque & militibus impleretur, ejuſque apparatûs fama paſſim ad omnes diffunderetur. Ipſe ex urbe in caſtra profectus, Caralibegum Albæ Regiæ præfectum, qui maximi in militia uſûs & experientiæ dicebatur, & qui anteà in partibus illis bellum cum Balaſſio & noſtris haud improſperè geſſiſſet, omnibus copiis præfecit, tormentaque quatuor mediocria, quorum in campeſtribus præliis uſus eſt, attribuit. Fuêre caſtra ad Peſthum per aliquot dies, dum de itinere progreſſuque exercitûs conſultatur, ac commeatus & res neceſſariæ parantur: deindè cùm ad octo circiter millia

Ferhatis Baſſa copia.

armatorum conveniſſent, lentis paſſibus Vaciam, indè Seecenium, ac demùm Filecum perventum eſt, ibique dies militi conceſſa, donec eorum quoque locorum præſidia, in quibus robur exercitûs conſtabat, unà conjungeretur. 1588.

Nec adhuc noſtri ſatis compertum habebant quorſum conatus hoſtium tenderent: à quibuſdam enim Onodium verſus ad populandam regionem excurſuri dicebantur; quidam verò illos munitionem aliquam adverſus Cæſarianos opportuno quopiam in loco ædificaturos eſſe exiſtimabant. Sed poſtquam auditi ſunt Loſſuntium, poſteaque Sabaticam, & Rimâ amne vado ſuperato Sombatum perveniſſe, noſtri quoque quamquam conjecturâ, id quod erat, aſſequerentur, Sixonem infeſtis armis peti, tamen à quibuſdam transfugis & exploratoribus certiùs edocti, Sixonem verſus concurrere ſtatim ceperunt. Hoſtium exercitus præſidiariis Seceni, Vaciæ & Fileci auctus jam adeò excreverat, ut equitum ſelectiſſimorum ſex millia, peditum verò totidem aut ampliùs conſtituere diceretur; quorum ne tertiam partem noſtri æquare videbantur: quippe quorum non niſi M. & D. è præſidio Agrienſi, duce Sigiſmundo Racocio & Stephano Balaſſiaco, Johanneque Barcio ejus legatis adveniſſent, Caſſoviâ autem Michaël Serenius plus minus ducentos, è Sendrone Thomas Secius, & Joannes Rottallius, ac Albertus Raibicius Germanos Ungaris permiſtis CCCXX. adduxiſſent. His equites Germani nigri ex Scepſio, rubrique & gilvi è Goncio à ſagorum coloribus dicti numero CCXXX. acceſſerunt. Cum Stephano Drugeto Homonniano ex ſuis ſtipendiariis, ac qui in Dioſgiorio Onodio, Vardaminori, aliiſque locis militabant, CCCXXXIX. armati ſeſe Racocio conjunxerunt: ita ut noſtri in univerſum duo M. bellatorum D. & LIX. haud excederent; exigua manus adverſus tam numeroſum hoſtium exercitum: ſed quæ ſubeundam omnem fortunæ aleam tuendo decori & popularibus defendendis conſtanti animo decreviſſet.

Hoſtium exercitus noſtros longè ſuperat.

Ita hoſtes facto prope Putnocum, quod à noſtris tenebatur, itinere, in conſpectum oppidi ad quintum Idus Octobris ſub Veſperum progreſſi, illud majori ex parte vacuum repererunt, quòd incolæ cognito eorum adventu relictis ſedibus ad tutiora loca profugiſſent; præter aliquos è numero juventutis, quæ ſuis freta viribus, & noſtrorum, quos venturos ſciebant, auxiliis, in templum, quod præaltâ turre & mœnibus medio in foro eſt, ſe receperat, illudque ſclopetis craſſioribus in omnes partes jaculando eminùs & ſubeuntes arcendo pro virili tuebatur. Eodem ferè tempore noſtri quoque duabus ex partibus, duobuſque factis agminibus in conſpectum hoſtium obſcuriore jam ad veſperum cœlo advenêre: Racocius enim cum ſuis Agrienſibus, & Serenius ac Secius cum Germanis & Ungaris bipartito ordine veniebant. Quibus viſis hoſtes, qui templo incluſos obſidere atque expugnare contendebant, omiſsâ eâ contentione, juſſu Caralibegi ſeſe ad pugnam parârunt, incenſiſque templi tectis, oppido quoque aliquot in locis faces ſubdiderunt, ac in proximam planiciem, in qua Purpureus & Hernatus fluvii labuntur, ac demum in Saionem illapſi, ſimul ad S. Petri oppidum Tibiſco miſcentur, ſtructâ acie, explica-

1588. plicatiſque vexillis conſtitêre ; ita ut cornua eorum ſeu latera magnâ carrorum multitudine utrinque clauderentur, & in fronte tormenta collocarentur. Nec noſtri, quin hoſtes validiſſimo impetu aggrederentur, quicquam ſibi dubitandum exiſtimavêre; quibus plurimùm profuit exortus incenſi ab hoſtibus oppidi ſplendor, quum collucentes undique flammæ obſcuram noctem & tenebras longè lateque diffuſo lumine illuſtrâſſent.

Acriter utrinque certamine dimicatur. Quum Caralibegus in prima acie criſtis armiſque conſpicuus verſaretur, ſuoſque ad prælium incitaret, noſtra tympana tubæque increpuêre, ſimúlque ſublato ingenti clamore ſigna ſignis collata ſunt. In eo primi certaminis fervore compluresex Turcis, è noſtrorum autem numero Georgius Pereius, ſummæ virtutis adoleſcens occumbunt, & Caralis excuſſu è capite linteo tegumento magnum in fronte vulnus accipit; ſed etiam is, qui eum ſauciaverat miles, à Turcis mox ibidem interficitur; fit prælium ſi aliàs unquam atrox & cruentum. Muſtapha Seceneſiſis præfectus dum vulnerato ac pugnâ excedente Carali, nutantem ſuorum aciem reſtituere contendit, à noſtris haſtâ trajicitur, cadítque, & utrinque ancipiti victoriâ dubióque Marte diu pugnatur; cùm Pajazetes Peſthanæ claſſis præfectus, & Mehemetes Janicerorum tribunus ſuos cohortati, tormenta in adverſos noſtros à latere explodi jubent, & contentiùs gradum inferre. Quamquam autem inter peditem equitéſque noſtros intervallum intercedebat, ita ut tormentorum pilis leve admodum incommodum illatum eſſet: eorum tamen fragore & reboatu, juvantibus etiam tenebris, pars eorum loco moveri, ſolutiſque ordinibus perturbati, poſtremò inientu curſu terga dare, & fugam capeſſere cœpit. Conſtat ea in præcipiti fuga aliquot Germanorum & Ungarorum vexilla ſtrata captáque eſſe, & fugientes verſus Vadazum pagum noſtros à Turcis perſequentibus magno numero trucidatos eſſe. Pugnabatur tamen alio loco enixiùs, & multi utrinque cadebant; verùm cæcæ noctis ſolitudine atque horrore cunctâ implente, quænam victrix pars foret, quæ victa, in incerto habebatur.

In tanta perturbatione & prælii aſperitate Andreas Pacioms Racocium ſuus animantem trepidanter alloquutus, ut ſibi conſulendum putaret, admonuit res eſſe perditas, noſtros fuſos fugatóſque, victoriam à noſtris vi extortam ad hoſtes inclinâſſe: ſatiùs videri, ſi ſe ad meliora reſervet, ac pugnâ ſubducat. Credidit vir alioqui cautus ac pugnax, nec tamen in tenebris diſcrimen pugnæ ſatis diſcernens homini amiciſſimo & militiæ claro, utpotè qui paucos ante dies ſingulari pugnâ cum quodam Turca congreſſus victor evaſerat, quamquam nimis præproperâ deſperatione mentienti, ac Serencium verſus ſe recipere cœpit; ſic tamen ut paulò pòſt à ſuis, qui hoſtes fuſos & fugatos, victoriam noſtram eſſe nuntiaverant, revocatus, ſub pugnæ exitum reverteretur. At Balaſdiacus & Barcius ſuorum partem, quæ in pugna conſtanter perſtiterat, cohortati, prolatis duobus colubrinis, & in hoſtes cum ſummâ ſtrage eorum exploſis, rem reſtituerunt, adcurrentibúſque Serienio & cataphractis Germanis atrox pugna reſtituta eſt, in qua utrinque plurimi cadunt, ſed ex hoſtibus longè plures; ibique laborantibus noſtris ſexcenti etiam haſtati, & manus ſcloperariorum equitum Germanorum opportunè ſubveniunt. Hic primùm Janiceris loco pulſis, & proturbato hoſtium peditatu tormenta curulia adempta fuêre, uſque in hoſtem obverſis unius horæ & ampliùs ſpatio inter ſe variâ ſorte, & ſummâ utrinque obſtinatione, Corcute Fiſecienſi præfecto ſuos animante, colluctati ſunt. Quo in conflictu omnium acerrimo Stephanus Homonnianus equo cadente, ac ad hoſtes profugiente, pedes pugnare coactus, dum à Damiano Thrace familiare ſuo equum poſceret, & ſi ab hoſte caperetur, ſe eum redempturum polliceretur, nec id ab homine omnium ingratiſſimo obtinuiſſet, à Turcarum peditibus captus victúſque fuit; cui quum chirothecas loricatas auro exornatas, ac arma & veſtes detrahere contendunt, nec de iis dividundis ſatis convenire poſſunt, ſuperveniu equitum Ungarorum feliti ſuâ ſorte è manibus eorum ereptus liberatur.

Nec tamen prælium adhuc intermittebatur, quamquam utraque pars pugnando fatigata langueſceret. Erat à latere ejus loci, in quo pugnabatur, inter vineas collis eminentior, hoc tubicen Racucianus ſive à ducibus juſſus, ſive ultrò conſcenſo tubam Germanico more inflare cœpit; tum verò hoſtes nova noſtris Germanorum auxilia adeſſe ſuſpicati, non parum conſternari animis cœpêre: & quum quatuor ferè horis continuè dimicatum eſſet, laboréque & vulneribus laſſi, neminem ex præfectis, qui eis cohortandis animos adderet, prodeuntem viderent; jamque tormentis etiam amiſſis Pajazetes quoque peditatui præpoſitus occubuiſſet, tandem in fugam ſe proripuêre; ita ut equites Turcæ attoniti & trepidi pedites ſuos proculcatos & deſertos noſtris mactandos relinquerent. Multi in fuga capti cæſique: & qui ad Sajonem pervenerant, cùm non quibuſvis in locis vado tranſire poſſent, magna eorum pars in flumen ſe præcipitavit, & gurgitibus abſorpta periit. Cecidêre ex hoſtibus ampliùs IIM. capti CCCLXXVI, ſigna militaria omnia & colubrinæ: equi CCCCLXXXII. carri impedimentis & commeatu variis rebus onuſti, CXXI. in loco pugnæ cadavera hoſtium MDCCXLV. Serienius in unum acervum congeſſit, ac obducto ſepimento, ne à feris & canibus manderentur, claudenda curavit. Nec noſtris incruenta fuit victoria, cùm ex Germanis CCXX. ex Ungaris CCCCX. interiiſſent, inter quos præter Georgium Pereium Petros Sequius Agrienſis eques, ac Leonardus Quercius, Lucas Tarnocus, & multi alii deſiderati fuerunt. Ex Germanis Fridericus Raibicius, Joannes Nimpſius, & Chriſtophorus Praiſicius cum quàmplurimis ſociorum periêre. Paulus autem Sorius, & Franciſcus Soldoſſius inter fugiendum ab hoſte capti ſunt. *Numerus cæſorum & captorum hoſtium.*

Hæc eſt pugna memorabilis ad Sixonem magnâ utrinque animorum & virium pertinaciâ ſummoque ardore pugnata; cujus exitum & victoriam ſi quis vel hoſtium numero & robore ponderare velit, ſive magnitudinem periculi, ſi res improſperè cecidiſſet, metiatur; ſive tam noſtrorum, quàm barbarorum conſtantiam & fortitudinem conſideret, omni ratione magnam, & divinitùs planè conceſſam nequaquam negaverit. Et eſt hoc oppidum noſtrâ memoriâ binis anteà Turcarum cladibus nobilitatum, ſemel Veligiane Perſâ cum quinque millibus Tur-

1588. Turcarum à Telequeſſio ad internecionem victu & profligato, nonum annis ab hoc poſtremo conflictu undecim, ab hoc eodem Racucin & Præpoſituario victoria de Filecienſibus mille Turcis parta, quâ Haſanes Allaibegus, Spahiis equitibus præpoſitus, magni vir nominis captus fuit; adeóque ut fatalis hic locus ad interitum Turcarum à fortuna deſtinatus haud immeritò dici poſſit.

Paucis poſt hanc victoriam diebus Vincentius Gregorocius Jaurini, ac Petrus Huſſarius Papenſis legati, cum ſuis præſidiariis, qui ad duorum circiter millium numerum conſtituebant, fortunam experiri conſtituerunt, ac mutuo habito conſilio versùs montes & ſilvas Verteſias copias promoverunt, eo animo, ut ſi Budenſes aut Albani Turcæ occurriſſent, cum iis manum conſerere, viréſque periclitari non dubitarent. Ipſis ſe in itinere conjunxit Radicius Voivoda Thrax cum ducentis è Veſprimio militibus, ac è præſidio Comaronienſi aliquot è claſſiariis pedites: cúmque per biduum ſilvis morati neminem ex hoſtibus obvium habuiſſent, quòd illi clade ad Sixonem acceptâ domi ſe continerent, ad oppugnandam arcem Geſteſiam, quæ non procul erat ſuadente Radicio, qui quòd anteà iſthic ſtipendia meruiſſet, loci peritus erat, animum & vires converterunt. Approbante conſilium Gregorocio, V. Idus Novembris intempeſtâ nocte proximè ad arcem ſilentes & ſuſpenſo gradu pervenêre. Nec mora, præeunte Radicio peditatus omnis ad portas occupandas improviſo impetu irrupit; ita ut tantiſper, donec hoſtes, qui intùs erant, è ſtratis procurrere, armaque capere, aut explodendis tormentis manus admovere poſſent, noſtri primam portam ſecuribus & dolabris, ac multò lancearum nixu aperirent & ingrederentur, hoſtéſque trepidi in ſuperiorem arcem ſeſe reciperent: cujus fores & valvas cùm pari ardore adorti eſſent, & modò trabium concuſſu, modò bipennibus refringere conarentur, & intereà incluſis, ſi ſe dederent, incolumem vitam atque abitum pollicerentur; hoſtes rebus deſperatis de tradenda arce proloqui cœperunt: eaque ad interpoſitam Gregorocii & Huſſarii fidem iis conditionibus dedita eſt, ut propugnatoribus cum gladiis & ſclopetis, aliisque armis eò quò vellent, abire liceret; ſed tormenta ac eorum apparatus, commeatúsque omnis generis ibidem relinquerentur. Quibus peractis, & hoſtibus, qui ad LX. pedites erant Budam dimiſſis, noſtri arcem occupârunt, & Gregorocius eam Radicio Thraci, cujus in ea capienda eximia virtus conſpecta erat, tuendam commiſit, ipſeque cum ſuis Jaurinum poſtliminio reverſus eſt.

Gregorocius Geſteſiam arcem Turcis eripit.

At Ferhates re ab iis, qui arce exceſſerant, cognitâ, litteras minarum contumeliæque plenas ad Principem Erneſtum, eóſque, quorum conſilio in rebus bellicis utebatur, queis eo tempore David Ungnadius præerat, paulò pòſt dedit, quibus arcem contra inducias ereptam repetebat, niſique redderetur, ſe mox prolatis tormentis, eductoque exercitu aliam quampiam arcem expugnaturum, barbarico faſtu comminabatur. Reſponſum illi eſt, ipſum nuper admodum ad vaſtandam ſuperioris Ungariæ partem juſto exercitu contra pacta induciarum excurriſſe: quòd ſi hoc ipſi licuiſſet, noſtris quòque ejus exemplo arcem ſinè tormentis, & ſinè ullo belli apparatu licuiſſe in poteſtatem redigere; ut tamen in aperto ſit, ipſos nolle occaſionem præbere, quâ induciæ violentur, mandaturos iis, qui tunc intùs eſſent, ut illâ reſtitutâ confeſtim excedant. Proinde juſſum eſt Gregorocio, ut ad certum diem, de quo inter ipſum & Ferhatem conventum fuerit, arcem Turcis reſtituat. Quod ille exequutus, Radicium & milites, quos in ea reliquerat, eduxit; poſteaque toto hoc anno & inſequenti apud Ungaros res quietæ & tranquillæ fuêre. 1588.

Sed tis paulò pòſt reſtituitur.

In Tranſilvanis Joannes Gicius, quem Sigiſmundo Chriſtophori Bathorii filio impuberi tutorem ab Stephano Polonorum rege patruo datum fuiſſe diximus, hoc ferè tempore migravit è vivis; quum pupillum decimum jam & ſeptimum ætatis annum agentem, provinciam pacatam, & ſub clientela Turcica florentem, & in ærario ingentem præſentis pecuniæ vim ad futuras pupilli neceſſitates repoſitam reliquiſſet. Apud nos annus fuit clariſſimorum virorum morte notabilis. Nam Joannes Trautſonius, qui tribus Imperatoribus togâ & pace charus, primum ſemper locum inconcuſsâ fide regundis conſiliis promeruerat, & res Ungaricas magno ſemper ſtudio atque amore erat complexus, ſub hoc tempus fato conceſſit. Nec magno interpoſito temporis intervallo Leonardus quòque Harrachus, qui parem gloriam, aut certè ſecundas poſt ipſum partes obtinebat, morbis ſenioque confectus naturæ fato illum ſequutus eſt. Sed Balthaſaris Battianii properata mors eò gravior & luctuoſior patriæ fuit, quod eâ virum ingeniis pace belloque negotiis parem amiſit, ac niſi eum fata ante provectæ ætatis terminos properè ſuſtuliſſent, ut res Pannonicas cum Turcis ad bellum brevi poſt deductas attingere potuiſſet, militaris quòque diſciplinæ ſcientia, & adminiſtrando bello haud poſtremæ dignitatis virtutiſque ducem habitura fuiſſet.

Joannes Gicius tutor Sigiſmundi Tranſilvani.

Trautſonius,

Harrachus,

Battianus.

Carolus quòque Auſtriacus Princeps præſtantiſſimus eâdem æſtate quinquageſimo ætatis anno ſubitâ vi atrocioris morbi extinctus fuit, ſummo omnium mortalium, ſed maximè Illyrici nominis militum luctu & dolore, quos ſingulari amore & liberalitate proſequebatur, eiſque ſtatis ſemper certiſque ſtipendiorum temporibus ſummâ fide ſatisfaciendum curabat; ut ſalvis eorum operâ & labore confiniis ipſe ſubjectæque ejus imperio gentes quietem & otium, ac ſecuram vitam agitarent. Ei Cæſar ut patruo longè omnium amantiſſimo de more magnificentiſſima funeris juſta perſolvit, compoſituſque eſt Secaviæ ſepulchro, quod vivens ſibi condendum curaverat. Liberos ex Bavara Maria complures reliquit, quorum maximum natu Ferdinandum, avi Cæſaris nomen referentem, paterniſque inſiſtentem veſtigiis ſceptra provinciarum gubernare videmus. Sed ante alios noſtræ ætatis Principes, vel poſt obitum felix & fortunatus elegantiſſimâ & pulcherrimâ filiarum prole meritò dici poteſt; cùm ex earum numero maximis & potentiſſimis Hiſpaniæ ac Poloniæ Regibus, cæteriſque nobiliſſimis Europæ principibus aliquot connubio junctas, & ſplendidiſſimo apparatu collocatas conſpiciamus.

Caroli Archiducis vita exceſſus.

Paulò ante ejus exceſſum res ſatis pro temporum conditione tranquillæ, parum abfuit quin militari temeritate turbarentur. Georgius Turzo Franciſci olim ærario præfecti filius, ſummæ ſpei ac virtutis adoleſcens, cùm ſob duce

Noſtri ferocia temere ab ... capiunt.

1588. duce Palffio in arce Nova Arch epiſcopali, ad Nittiam flumen ſita, ordines equitum doceret, cum CCCC. equitibus fortunæ aleam periclitatus Strigonium verſus profectus fuit, ibique cùm ſe & ſuos in inſidus collocâſſet, Matthiam Huſſarium, & quoſdam alios, qui ſe in conſpectum darent, eoſque elicerent, præmiſit. Quos cùm Memis præfectus validiore Turcarum agmine inſequutus adeò premeret, ut res in extremum adducta periculum eſſet, evenit ut iter aliorſum flectere cogerentur, quàm eò, quò à Turzone expectabantur. Itaque hoſtes captis & trucidatis nonnullis ex eorum numero, qui præcurrerant, Turzonem etiam & ſocios in ſilva latentes aggreſſi, eodem proſperi eventûs tenore fuſos & fugatos, quamquam diu & acriter repugnantes, terga dare coëgerunt. Quo in certamine complures ex noſtris claro loco nati, ſummæque ſpei adoleſcentes in manus hoſtium inciderunt; inter quos Andreas & Laurentius Zaii, Franciſco patre olim magno nominis viro geniti, ac Emericus Jacuſitius, Sigiſmundus Peſthius, Johannes Caconius, & ipſe Matthias Huſſarius, complureſque alii fuêre. Joanni tamen Sz...thio benigniùs fortuna faviſſe viſa eſt; quum enim eum hoſtes inſequuti ita premerent, ut laſſo equo vix ſe evaſurum ſperaret, equitem ſuæ turmæ æquè fugientem nactus, illum celeriter equo deturbavit, eoque conſcenſo inſequentium manus effugit. Turzo etiam meliore uſus fato, generoſique equi pernicitate fretus, periculum vitavit, ac cum palantibus ac diſperſis ſociis domum reverſus eſt.

Poſt acceptum hoc incommodum milites irritati, ſumendæque ultionis cupidi, quonam modo hoſtibus par vulnus infligere poſſent ſæpè conſultarunt. Intereà rei inter ſe penſitatæ occaſio oblata eſt, quam temerè quidem & inconſultè, nec ſinè flagitio arreptam meliùs omittere fuiſſet. Hiſdem enim ferè diebus Michaëli Borio Bacabanienſis præſidii legato, cum Ibraimo equitum ductore Palancano ob captivorum quorundam redemptionem, mutuis convitiis contracta diſcordia interceſſit, quâ magìs ac magìs gliſcente eò demum iratum atque indignationis utrinque exarſit, ut miſſis ultrò citroque literis ad ſingulare duellum ſeſe mutuò provocarent. Quòd quum legibus induciarum cautum eſſet, prior Ibraimus à Ferhate pugnæ poteſtatem obtinuit. Cujus exemplo Palffius quòque, qui partibus ultradanubianis ſummâ cum poteſtate præerat, eam conceſſit, eâ conditione in literas publicæ fidei inſertâ, ne Ibraimus ad eam pugnam, niſi centum equitibus comitatus veniret; quòd ſi eum numerum excederet, tum literæ ſuum vigorem amitterent: quæ quidem ambigui ſenſus formola perturbandis rebus occaſionem ſubminiſtravit; quandoquidem eam aliter Palffius, aliter milites interpretabantur: ille enim, ne pugnaretur; hi verò ut noſtris jus interficiendorum hoſtium eſſet, intelligendum exiſtimabant. Cæterùm à Gaſpare Sibricio, qui tum Bacabaniæ præerat, dies pridie Iduum Maji conſtituitur, ad quem Ibraimus cum centuria ſociorum ſecundùm literas Palffianas veniret, ſicque pugnaretur.

Borius & Ibraimus duello concertare ſtatuunt.

Ad diem Benedictus Pogranius Corponæ, Franciſcus Nagius è Lezena, Lævæ præfecti, & Georgius Turzo, ac Andreas Revaius cum Gregorio Dulooe, & Joanne Barbelio ex Novâ arce advenêre; & ex montanis civitatibus non contemnendus ſclopetariorum numerus confluxit. 1579. Haſanaga quòque Ciquatio præfectus (qui locus Albæ vicinus, alio nomine Battianium vocatur, natale celeberrimæ Battianiorum familiæ ſolum) cum Turcis, qui in Palanca & Boſca caſtellis erant, Ibraimum eò adduxit; acciditque non dolo, qui omnis eo tempore aberat, ſed fortuito quodam caſu, ut Turcæ paulò plures centum equitibus eſſent, qui numerus ſecundùm Palffii literas minimè erat excedendus. Itaque Haſanaga noſtros alloquutus, ſe multis verbis excuſavit, quòdque ampliori numero advenîſſet, non de induſtria factum retulit; quos ipſe ſingulatim, ad Hippoli fluminis pontem omnes numerato recenſuiſſet, & qui centuriam exceſſiſſent, eos retrò in oppidum reverti non ſolum verbis ſed etiam verberibus compuliſſet. Verùm ſpectandi aviditate quoſdam juvenes vel clam præcedentes in itinere cæteris ſe aggregâſſe, vel poſteà ſequutos eſſe: nec tamen eos decem & viginti numero eſſe; petere ſe ne id vitio vertatur. Pogranius & Sibricius id parum referre, nec eis fraudi futurum reſponderunt.

Cùm intereà Borius ferociſſimum ab Ibraimo equum adductum eſſe didiciſſet, adeò ut calcibus & morſibus hoſtem petere, ac quicquid membrorum ſive hoſtilis equi, ſive hominis mordicus conſtrinxiſſet, non niſi avulſum dentibus diſceptumque relinqueret; ſic ut ſibi non cum Ibraimo ſolùm, ſed ejus equo ſimul pugnandum foret, detrectare pugnam cœpit, niſi ille alio equo conſcenſo certamen iniret. Quod quum Ibraimus nequaquam facere vellet, aliquot horas multis verbis altercando conſumpsêre. Ad extremum quum ambobus tergiverſantibus certamen ſucceſſu caruiſſet, & Turcæ annuentibus Pogranio & noſtris re infectâ reditum pararent, milites è Nova arce præconceptis, uti credi par eſt, conſiliis mutuo ſeſe cohortati in eos jam recedentes magno facto impetu, inclinatis haſtis irruperunt. Mox quòd Turcæ pauci eſſent, fuga facta, in qua major eorum pars protrita interfectaque eſt: quanquam Pogranius voce, manuque & clamore, demùm ſtricto quoque enſe, ne tam inſigne flagitium adversùs datam fidem, quæ etiam hoſtibus ſervanda eſſet, committeretur, prohibere contenderet. Quâ quidem re ipſe ſuos Corponenſes in officio continuit; ſed cæteri retineri nequaquam potuerunt, quin in fugientes, & Deûm atque hominum fidem implorantes Turcas vulneribus & cædibus crudeliſſimè graſſarentur tantâ ſævitiâ, ut fugientes uſque ad Pecenediam villam & Semberum caſtellum cædendo, capiendoque & vulnerando perſequerentur, ac Sabanum & Curtum clari nominis equites cum ampliùs ſexaginta Turcis interfectos trucidarent, & circiter quatuordecim, & inter eos Alagam peditum ductorem retraherent. Haſanaga tamen & Ibraimus notitiâ locorum freti cum pauciſſimis in tutum evasêre; ſed ita ut equum illum præferocem ſpadicei coloris, qui intermittendæ pugnæ cauſam præbuerat, noſtris capiendum relinquerent: quem quum aliquot poſt dies jubente Palffio Joannes Draſcovitius periculum ferociæ facturus conſcendiſſet, & cum altero equite congreſſus eſſet, adverſarium anterioribus pedibus deturbatum, dentibuſque & immani morſu petitum in veſtigio confecit,

Equi Turcici inſignis ferocia.

Noſtri hoſtes contra datam fidem occidunt.

ſeſſore

1589. ſeſſore Draſcovitio habenis retractis, pugniſque & verberibus fruſtra reluctante.

Hoc facinus militum tantâ indignitate & publicæ fidei oblivione ſive contemptu (quod nunquam antea contigerat) patratum, adeò Turcarum animos, & ipſius potiſſimùm Ferhatis in noſtros concitavit, ut ſi ulteriùs vitam produxiſſet, ac niſi brevi pòſt induciæ in apertum bellum prorupiſſent, graviſſimas omninò moleſtias vir ferox, & ſumendæ ultionis cupidiſſimus Cæſarianis intuliſſet. Dedit tamen impacato animo litteras ad Erneſtum Principem, ac Davidem Ungnadium, quibus captivos cum equis & rebus reddi, ac de cæſis & interfectis æqui juris & juſtitiæ adminiſtrationem minaciter poſtulabat. Qui totius facti nomen ita diluere & refellere conati ſunt, ut ſe illud ægerrimè ferre, brevique cauſam enormis ejus inſolentiæ injuſſu ſuo factæ militari judicio cognituros, & ſummâ ſeveritate caſtigaturos teſtarentur. Interea captivi ut dimitterentur, ſerió injunctum eſt, & equi ac arma, & cætera præda, quæ Turcis erat adempta, reſtitui juſſa.

Ferhatis de hac injuria querela.

Cùm verò poſt contractam non parvam temporis moram circa hibernos eos dies publica judicia per ordinarios regni magiſtratus Poſonii exercerentur, viſum fuit ut eodem tempore Palffius ſe & milites judicio ſiſteret, cauſaque ſecundùm militarium legum formulam decideretur. Convenêre ad diem citati milites ac præfecti complures, ac juſſu Principis etiam Germanici aliquot præcipui nominis diſceptatures, ſe eò contulêre: David ipſe Ungnadius, Andreas Taifalius Jaurini præfectus, Lupus Gilles ejus gener, Eraſmus Prauntius, aliique qui ordinariis judicibus permiſti, controverſiæ dijudicandæ intereſſent. Verùm quum milites ſe niſi Ungaricis legibus ſubmittere nollent, in cauſa præſertim, in qua provocatio non daretur, ideòque Germanos, qui diverſas & alienas à noſtris leges ſequerentur, nequaquam admitterent, eo quidem tempore res in alium terminum dilata eſt, irato ac frendente Ungnadio, qui ſe & Germanos excludi admodum moleſtè graviterque ferebat. Deinde dum invidioſæ litis actio de die in diem comperendinando extenditur, & Palffius ac Turzo noxæ eximuntur, eò tandem deducta eſt, ut lis omnis Palffio, ſub cujus imperio nata erat, militari ac compendioſo jure decidenda committeretur. Qui die dictâ, teſtibúſque productis ita litem diremit, ut paucorum pœnâ contentus, cæteris abſolutis, Franciſcum Naginum, Georgium Nirium, & Petrum Ormancozium irritati in Turcas militis reos pronuntiaret, & captos cuſtodiæque traditos, pœnæ aut gratiæ Principis aut Cæſaris reſervaret: idque ideò ab eo factum, ut exaſperatos hoſtium animos eorum carcere & captivitate deliniret; quandoquidem qui occubuerant, nullâ jam arte nulliſque remediis in vitam revocari poſſent. Quorum etiam placandorum causâ cum muneribus miſſus ad Ferhatem fuit Joannes Jurcovitius Dalmata, quem primò in congreſſu acrioribus verbis & convitioſis, more barbarico exceptum, poſtmodum à ſuis ideò reprehenſus, in honore habuit, & veniâ ab eo petitâ nec irremuneratum dimiſit; ſic tamen ut de reis pro læſo gentium jure, & publicâ fide violatâ ſupplicium ſumendum eſſe ſæpè repeteret.

Judicium militare de auctoribus cædis exercitum.

Verùm non multò pòſt ipſe quòque Ferhates per ſuorum ſeditionem Budæ interficitur: nam Giumliæ & Janiceri, ac Beſliæ, cæteríque qui ſtipendia merebant, quòd ſtatis temporibus ea non perſolveret, ac monetæ aureæ & argenteæ, & rerum omnium pretium ſummâ militum injuriâ maximè intendiſſet, ac vilem pannum Theſſalonicenſem, Oryzamque, & frutticis ejus Ægyptii pulverem, qui tingendis croceo colore equorum ſetis in uſu eſt, ſimiléſque minutias duplici pretio eis obtruderet, & ab eo conventu nihil æqui retuliſſent, ad arma converſi eum multis illatis vulneribus in ipſo prætorii atrio contrucidarunt: manſitque mors ejus inulta, Murate ob eam in neminem animadvertente. Venit tamen poſteà in ejus locum Conſtantinopoli Haſanes, Mehemetis magni Purpuratorum olim Principis filius, qui res Pannonicas curaret, ac muneris honorarii mittendi curam apud Cæſarem urgeret, quod à biennio intermiſſum eſſe ferebatur.

Ferhates Baſſa à ſuis trucidatur. 1589.

Haſanes in præfectura Budenſi illi ſuccedit.

Sed & fœdus à Murate cum Perſis, eorumque Rege Mehemete cognomento Hodabende ſub id tempus ictum fuit, quum integros quindecim annos bellum variâ utrinque fortunâ geſtum eſſet; ſic ut locorum quidem complurium, ac Calpini quoque, ubi interior ſedes Perſarum Regum erat, Turcæ potirentur; extrema tamen & ferè incredibilis Turcarum ſtrages aliquot prœliis & conflictibus edita eſſet, eorumque exercitus, cui primùm Muſtapha purpuratus, cujus immanitas & perfidia bello Cyprio adverſus Venetos geſto nobilitata eſt, item Oſmanes, deindè Sinanus, Guletâ captâ & everſâ clarus, poſtremò Ferhates præfuerant, ſæpiùs ad internecionem fuſus fugatúſque eſſet; ipſique Turcæ ferro faméque, & rerum omnium neceſſariarum inopiâ preſſi, & ad contemnendam paucitatem ſæpè redacti, tranſmarinum bellum diris omnibus devoveſent, pacémque & otium vel maximè præoptarent; ut poſt tot & tantos labores, rerúmque omnium difficultates exantlatas quiete & tranquillitate partâ apud ſuos penates frui poſſent. Tentata quidem fuit ſæpenumerò pax & amicitia per legatos utriúſque gentis; ſed Turcis difficiles & intolerandas conditiones poſtulantibus coaleſcere nequaquam potuit: poſtmodùm cùm utroſque tædium diuturni difficiliſque belli cepiſſet, his demùm legibus pax conſtituta eſt, ut utraque pars quod in manu & poteſtate haberet, id retineret, & Hodabendes obſidibus, qui è regio ſanguine originem ducerent, datis, de pace ſervanda caveret. Itaque brevi pòſt Hodabendes ſolennes legatos, ſimúlque Haidarem puerum Abâ fratre ſuo uterino genitum miſit, matre illius ſingulari pietate filium comitante, qui obſidis loco Conſtantinopoli ſervaretur: ſicque relictis, qui regiones in poteſtatem redactas in officio continerent, locaque bello capta munirent, præfectis, exercitus in Aſia deductus eſt.

Fœdus à Perſis cum Murate ictum.

Rebus in hunc modum compoſitis, annitente non multò pòſt ſingulari aſtu & perfidiâ Sinano, qui paulò antè Purpuratorum princeps effectus, famam belli in Aſia & Africa geſto partam, Europæ quoque finibus extendere cupidiſſimus erat, bellum illud tranſmarinum in Pannoniam contra Cæſarem, induciarum fide confiſum nefariè tranſlatum eſt; quod non ſolùm Bicabanienſis controverſiæ obliviſcendæ occaſionem attulit: ſed etiam per quindecim continuos annos vario & ancipiti Marte ita geſtum eſt, ut hinc diverſæ Chriſtiani nominis gen-

1590. gentes & nationes pro Reip. ſalute; illinc barbari ab ultimis Aſiæ, Syriæque & Ægypti finibus exciti, adeò pertinacibus animis armiſque inter ſe contenderent, ut jam non de Pannoniæ poſſeſſione, ſed adverſus Germanos vetere militiæ gloriâ, & præſenti libertate ſpoliandos periculoſiſſimum certamen ſuſceptum eſſe, & ſæpè utra pars periculo propior fuerit, in dubio incertoque hærere videretur.

Terræ motus A. 1590. Per eos dies terra vehementi impetu multis in locis tremuit; ita ut Viennæ & Poſonii, Tirnaviæque & propinquis locis, ac in Illyrico Zagrabiæ, & non procul à mari Segniæ, non ſine ingenti mortalium formidine, collapſis pleriſque ædificiis moveretur: *Poſonii conflagratio.* Poſonii verò etiam fortuitus ignis ex angiportu, in quo officinæ fabrorum ferrariorum non procul à ſuperiore urbis porta habentur, meridiano tempore ſubortus, uſque adeò immani violentiâ debacchatus eſt, ut præter ſacratarum Virginum cœnobium, templumque divæ Claræ eodem igne correptum ac concrematum, tota ferè urbe pauciſſimis domibus exceptis, populantibus terribili velocitate cuncta incendiis conflagraret. Manſit tamen intactum ope Numinis templum majus divo Martino ſacrum, & Franciſcanorum Sodalium collegium cum templo, ac domus Archiepiſcopalis cum ſacello divi Ladulai Regis, ac prætorium urbis; cæteris omnibus publicis privatiſque ædificiis eodem igne quàm citiſſimè conſumptis. Moa juvantibus ventis ſuburbana etiam ædificia ſub radice montis, cui arx impoſita eſt, & attiguas verſus Sulis ortum domos inflammavit, & momento temporis miſerabili vaſtitate atque ſtrage abſumpſit. Quòd ſi repentinum iſtud atroxque incendium nocturni temporis obſcuritate erupiſſet, res & fortunas miſerrimæ urbis longè majore procul dubio cladis mole afflixiſſet, quando ſcilicet pervagantibus ubique ſummâ rapiditate flammis non tam facilè, ut interdiu, remedia ad reſtinguendum adferri potuiſſent. 1590.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXVII.

PAce cum Perſis factâ, eâque obſidibus præcipuis ſtabilitâ, Murates exercitum tot annorum laboribus & ærumnis feſſum quiete & otio recreare, dimiſſiſque ad ſuas ſtationes militibus, vacationem dare conſtituit. Nec deerant præcipui ex purpuratis, quorum numerum auxerat, qui id imprimis neceſſarium eſſe arbitrarentur, ac ut exequeretur, rectiſſimis conſiliis ſuadere contendebant. Verùm Sinanus, qui ſublato nuper è medio & ſtrangulato Ferhate æmulo ad clavum & gubernacula imperii ſedebat, ac lentum & pacatum Muratis ingenium fallacibus & ſubdolis conſiliorum ſuorum rationibus, quò volebat impellere poterat, bellum in Europam transferendum, ac Polonos aut Venetos, aut certè Pannonios armis laceſſendos *Sinanus bellum in Europam transferendum ſuadet.* & compeſcendos diſſerebat. Quibus tametſi pacem conceſſam eſſe non iret inficias; illa tamen ab iis crudeliſſimis in Turcicam ditionem factis excurſionibus identidem violaretur, ut nuper Benditia & Coſſo urbes à Coſacis improviſo impetu captæ atque direptæ: ab Ungaris autem multa Turcarum millia ad Caceſlacum & Sixonem, captis præcipui nominis præfectis, & in his Mahmuto Alipaſſæ filio, regii ſanguinis adoleſcente, cujus caſum mater infelix quotidie deplorabat, ad internecionem cæſa teſtarentur. & Cæſar ad mittendum munus honorarium jam à biennio intermiſſum, quamquam ſæpiùs ſollicitatus adduci nondum potuiſſet. Venetorum autem arrogantiam minimè ferendam, qui certum quendam, non quidem magni momenti cenſum, ſed tamen qui jam à multis annis pro Corcyræis ſolvendus fuiſſet, in hunc uſque diem ſingulari contumaciâ denegare non dubitâſſent.

Erant qui huic ſententiæ multis rationibus obliquè contrairent, nec exercitum multis laboribus & diuturno bello fatigatum, majoribus periculis temerè objiciendum exiſtimarent; quòd Polonos atque Ungaros, ſi ſocietate initâ communibus viribus bellum propulſaturi forent, non ſine aperto diſcrimine ſuſtineri poſſe dicerent; quandoquidem illi trajecto in Valachiæ finibus Iſtro, per apertos & planos Bulgariæ campos in Thraciam, & ad uſque Imperii ſedem Conſtantinopolim irrumpere, ac ferro & igne terrorem circumferre poſſent. Venetorum verò vires levibus de cauſis minimè irritandas, qui quum divitiis & claſſibus maximè valeant, tum vero ſi potentiam cum Hiſpano & cæteris Principibus conjungant, ut bello Cyprio feciſſent, verendum eſſet, ne nimis ancipiti rerum eventu cum iis dimicandum foret. Variantibus in hunc modum ſententiis viſum Murati fuit, ut priùs quàm de ſumma conſultationis deliberaret, Muphti ſummo ſuperſtitionis Mahometanæ *Muphtis ſententia de bello gerendo.* antiſtiti in conſilium adhibito, ea ordine referrentur, quo ſalvis auſpiciis & religione maturè omnia terminari poſſent. Qui quum in Divanum, quo nomine publicum à Turcis concilium vocatur, acceſſiſſet, aliorumque ſententias referentibus ſcribis didiciſſet, in hunc modum loquutus eſſe fertur.

Si Principibus & Imperatoribus noſtris, " quorum opes in excelſo ſunt, in uſu fuiſſet ad" verſus hos aut illos Reges aut populos pro" arbitratu & libidine, non maturo conſilio ac" ratione bellum ſuſcipere, ac fortunæ temeri" tati, quæ ut plurimùm vitrea fragiliſque eſt, " rerum ſummam committere, ſupervacaneè" nunc de iis rebus diſceptatio inſtituta eſſe vi" deretur. Verùm poſtquam conſiderandum" ſemper & prudenter dijudicandum cenſue" runt, quâ rerum opportunitate, quibuſnam" hoſtibus, quo ordine, quibuſdam de cauſis" bella inferenda eſſent, in deliberando qui" dem maturis conſiliis, in aggrediendis verò" expediendiſque rebus celeritate ac conſtan" tiâ, indomitiſque viribus arma tractârunt."

1590.

„Quibus etiam ſummæ prudentiæ, & expediti
„roboris artibus & adminiculis ab Oriente ad
„Occidentem admirabili virtute & gloriâ in-
„numerabilia trophæa ex diverſiſſimis orbis ter-
„rarum nationibus & ingentes victorias pepe-
„rerunt, Imperiumque longè lateque produ-
„ctum, poſtremò in hac urbium Regina Con-
„ſtantinopoli feliciſſimè condiderunt. Eorum
„ſequutus morem potentiſſimus Imperator no-
„ſter, qui nunc rerum potitur (cujus ut unicus
„dies concedentibus Superis in millenos exten-
„datur, precor) Perſas Deo & hominibus invi-
„ſos noſtræque religionis impios deſertores,
„armis perdomitos pacem petere coëgit; eam-
„que ipſis, uti planè victis & ſub jugum miſſis
„ita conceſſit, ut conditiones vel non ſatis
„æquas accipere, eaſque obſidibus è regio ſan-
„guine progenitis firmare ſunt coacti. Nunc
„utrum victori exercitui quies & otium detur,
„vel bello in Europam adverſus Chriſtianos
„tranſlato, his aut illis rationibus, Regibus aut
„populis provinciiſque arma inferantur, in quæ-
„ſtionem & diſceptationem vocari animadver-
„to. Mihi quidem ſive externas, ſive domeſticas
„res conſidero, pace nihil æquius, nihil tutius
„eſſe videtur; ſcio enim Imperatori noſtro mag-
„nas opes, virorum, armorum & auri ſatis eſſe;
„nec ea aut talia eum ad prædam minùs æquè
„ab aliis contra fas & jus petendam ſtimulare,
„nec eſſe opus ut audendo & fallendo, bellaque
„ex bellis ſerendo magnus aut clarus evadat,
„eâque conſilium portunitate ærarium, opes,
„copias vireſque exhauriat. Si viciſſim extero-
„rum Regum & Principum conditionem pro-
„cul ambitione ac avaritiâ, procul privatis ſtu-
„diis contemplemur, neque eâ re, qui bellum
„gerendum ſuadent, homines ſceleſtiſſimi ſatis
„cauſæ habent, cur tam atrox & crudele facinus
„deſignent. Nam quum illi ferè omnes, qui
„noſtris finibus, quacunque ſpectemus, attigui
„ſunt, amicitiam noſtram colere, & imperata
„facere non abnuant, iniquum ſanè, & præter
„recti verique fidem videtur, quæſitis ultrò belli
„cauſis, per ſcelus & invidiam eos exagitare, &
„invictos exercitus temerariis & ancipitibus pe-
„riculis objectare, quorum exitus incerti inde-
„terminatique ſunt. Gallorum & Anglorum
„Principes amicos habemus, eorumque legatus
„quotidie hîc cernimus. Veneti pacem nobiſ-
„cum habent, eamque colunt, & ex eorum
„quæſtu & negotiatione commerciiſque non
„parum commodi ærario quotannis infertur.
„Cæſar Romanus habet ſuum in hac porta, ut
„vocamus, legatum, iſque munus honorarium
„utriuſque anni brevi huc allatum iri promittit;
„ita ut pro ea re digladiandum, aut armis con-
„tendendum nequaquam exiſtimaverim. Po-
„lonorum Rex paucos ante dies munera planè
„regia huc miſit, & ſe amicitiam pacemque no-
„biſcum inviolatam ſervaturum, & Coſſaco-
„rum contumelias nobis injuſſu ſuo illatas na-
„ctâ occaſione ulturum pollicetur. Quâ ergò
„tantâ tamque effrenatâ quorundam libidine
„incitati amicis & confœderatis, qui nullam
„violandi juris & æqui occaſionem præbue-
„runt, arma & iniquum bellum inferamus?
„Quid ſi nos violato jure gentium, ruptis in-
„duciis bellum primi ſuſceperimus, DEO Opt.
„Max. & Mahometis noſtri numine irato, pri-
„mi etiam à fortuna deſerti, amiſſis exerciti-
„bus (quod omen procul abſit) meritas pœnas
„luemus? Numina enim ruptores fœderum,

Hortatur ad pacem.

& maximè impios averſantur, & flagitioſo-
rum tam in hac vita, quàm poſt obitum acer-
rimi vindices futuri ſunt. Itaque jam mihi
ſenectâ ætate non aliud quàm felicitatem, ac
fauſtum & diuturnum imperium Principi no-
ſtro potentiſſimo optanti, & noſtræ incon-
cuſſæ religionis placitis conſilia expromenti,
ea eſt mens & ſententia, ut pax omnibus iis,
quibus ſemel conceſſa eſt, inviolata conſerve-
tur, quamdiu illi nihil, quod contrà eſſe poſ-
ſit, admittant, ſicuti hactenus minimè admi-
ſiſſe conſtat; neque dolo malo excogitatis in
ſpeciem cauſis, quæ nullum pondus habeant,
iniquum bellum cuipiam inferatur. Quod ad
me attinet, ego meâ & ſacrorum noſtræ legis,
quibus præſum, auctoritate uſus, omnibus il-
lis, quicunque diverſum ſuaſerint, aut fece-
rint, ſive ii Purpurati, ſive præfecti ac copia-
rum ductores, ſive togati, aut cujuſvis morta-
lium generis fuerint, communione & com-
mercio hominum, & aquâ & igne interdicam;
animas verò diris cacodæmonibus apud infe-
ros æternis ignibus excruciandas tradam &
devovebo.

1590.

Hâc Muphtis oratione magno ſilentio audi-
ta, Purpurati, & quotquot aderant Turcarum
primores, ſed ipſe ante alios Sinanus, qui au-
ctor belli & concitator erat, magnoperè com-
moveri viſi ſunt, vel eo præcipuè nomine, quòd
ejus tam gravi & concitato ſermone diſſerentis
verba ab ipſo Murate è conclavi, cujus feneſtella
prætorium, in quo conſultatio erat, reſpiciebat,
audita eſſe non dubitarent. Soluto concilio
Sinanus Muphtim honoris & venerationis causâ
in convivium vocavit, quod illi ſupremum fuit.
Et cum eum in ſe, uti rebatur, infenſiùs loquu-
tum, graviter indignéque vir ambitioſus & cru-
delis tuliſſet, ſed profunda ac cæca diſſimulatio-
ne in præſens devoraſſet, venenum inter epulas
ei clam præbendum curavit, quo tabefactus,
antequam ſuaſores & auctores belli excommu-
nicare poſſet, è medio tolleretur. Et tanta ejus
ſive de induſtria, ſive caſu in eum modum tem-
perati vis ac enecandi facultas fuit, ut quanquam
poſt intervallum aliquod vires & effectum exe-
rere debebat, tamen eùm poſt convivium gra-
vato torminibus ſtomacho equum popoſciſſet,
quo domum veheretur, à gradibus atrii uſque ad
fores ædium, quæ in plateam aperiebantur, pro-
gredi nequiverit, quin equo decideret, & pro-
tinùs expiraret. An autem Murati gnarum fue-
rit illum veneno periiſſe, aut forſan à Sinano
perſuaſus, nimio imbecillis ſenectæ vitio repen-
tè exanimatum fuiſſe crediderit, mihi quidem
hactenus incompertum.

Muphtis à Sinano veneno è medio tollitur.

Intereà Sinanes, uti erat ingenio turbido,
crudeli & furioſo, ac Pannonici belli cupidi-
ne, quod præ aliis adminiſtrandum decreve-
rat, æſtuanti, adeòque in rabiem quandam
verſo, per literas Haſanem Boſnæ præfectum
ſecretò admonuit, ut ea in parte bello Cæſaria-
nis illato, cauſas novarum rerum quærere non
intermitteret: ſic ut poſteà ſe ab iis contra indu-
cias armis petitum, ſcriptis Byzantium literis
aſtuta diſſimulationis oſtentatione conquerere-
tur. Non erit, ut puto, alienum, poſtquam in
mentionem Haſanis hujus incidimus, qui ſecun-
dùm Sinanem auctor violati fœderis, & diutur-
ni belli fuit, & primus perfidiæ ac temeritatis
ſuæ pœnas fœda morte perſolvit, ſi ejus vitæ
conditiones paucioribus, quàm potero verbis
hîc recenſeam.

Sinanes Haſanem Boſnenſem ad bellum nobis inferendum extimulat.

Igitur

1591.

Haſanis origo & fortuna.

Igitur ei genus ex Thracia, ac cum Haſane illo, quem Filecienſem Bebeci & Maguchii calamitate notum ſuprà memoravi, neceſſitudo & propinquitas fuit; eumque ille in numerum adoleſcentum Selymi commendaverat, à quo brevi aucupibus ſuis, & curæ aquilarum ac hierofalconum, aliarumque rapacium avium, quarum in venatu uſus eſt, præfectus fuit. Nec multò pòſt, quòd Principi charus eſſe diceretur, Oſmanis purpurati, bello adverſus Perſas geſto clari uxorem viduam in conjugem accepit, quæ ſecum haud contemnendas opes & dotales divitias adferebat. Ea erat nobiliſſimæ ſtirpis Semhalemis Perſæ filia, qui ditionem ad Derbentum maris Caſpii urbem obtinebat; ſed qui à genero Oſmane primùm ad Turcas à Perſis ſeductus, & poſtremò veneno nefariè erat ſublatus. Ductâ eâ Bacienſem præfecturam, quæ è regione Colociæ ad Danubium ſita eſt, liberalitate Principis obtinuit. Sed quia illa inops & tenuis ſuo novæque nuptæ luxui minimè reſpondebat, quum Murates relaxandi animi causâ in gynæceum ad fœminarum & cinædorum greges proceſſiſſet, annuente eâ, cujus jucundâ conſuetudine præ cæteris maximè oblectabatur, & quam Perſica Haſanis uxor ſibi conciliatam habebat, accedentibus Sinanis quoque ſuffragiis & commendatione ad Boſnæ præfecturam conſcendit, quam eo tempore Ferhates Budam tranſlatus fortè vacuam reliquerat, & Saſuates eam gubernabat, donec alius mitteretur: pro quo favore & dignitatis acceſſione Sinanis imperio adeò erat addictus, ut vel ſolis ejus nutibus maximè obtemperaret.

Haſanis in noſtros fines irruptio. An. 1591.

Hunc Sinanes propoſiti tenax per ſe belli avidum ac temerarium facilè ad irritandos armis & cruentis incurſionibus Cæſarianos impulit; primumque omnium collectis totâ provinciâ copiis, cum quinque armatorum millibus, ac totidem tormentis currulibus minoris formæ, quæ binis equorum jugis trahebantur, acerrimam in eam regionem, quæ inter Criſium & Ivanicium eſt, irruptionem fecit, ac circumlato paſſim terrore, Cuſtaneium pagum ſuccendit, caſtello, quod illinc eminùs peteretur, intacto relicto. Boſiacum autem Tahii caſtellum, in quo haberi quidem tormenta, ſed pulveris ſulphurei ne pugillum quidem à transfuga quodam edoctus erat, acri peditatûs impetu cepit & diripuit, & capto ibidem Laurentio Radinovo, conjugeque & liberis ejus in ſervitutem abductis, injecto igne concremavit. Poſtremò capto ſatis magno circuitu, ex Rocnnoca, Verboccio, & ſanctæ Helenæ vico, pagiſque cis Zagrabiam ſitis, ingentem prædam egit; majorem acturus, niſi ingentes pluviæ autumnales itinera cœno & crebris lacunis impediviſſent, inflatique & exundantes amnes Golgnucius & Lonius ulterioribus ejus conatibus reſtitiſſent.

His difficultatibus circumventum, & cum captivis ac præda redire cunctantem Stephanus Gratbanius è Caproncia, Gregorius Labohatius & Michaël Siculus è Criſio, ex Ivanicio autem Albanus Graſbanus (nam Halecus & Globicerius paulo antè è vivis exceſſerant) ac cæteri arcium finitimarum præfecti cum Germanis & Illyricis militibus inſequi decreverunt, ac contento gradu veſtigia abeuntium inſtiterunt. Haſanes cùm noſtros adventare intellexiſſet, relictis tormentis, quæ profundo in cœno pertrahi nequaquam poterant, pluviis intermittentibus cœptum iter ita proſequutus eſt, ut valido à tergo equitum & peditum præſidio relicto ipſe cum cætero exercitu præcederet. Noſtri Turcarum agmen noviſſimum acerrimo illato impetu aggreſſi ſunt, quum illud ad Gradacium lentis paſſibus progreſſum attigiſſent. Nec Turcis defuit animus reſiſtendi, qui obversâ in adverſos noſtros fronte acre certamen inceperunt, cohortante eos Alibego & Oſmane Sirciano, qui tuendis poſtremis agminibus invigilare juſſi erant. Dum pugnatur, Oſmanes expeditiſſimos equites ad Haſanem, qui præcedebat, mittit, nuntiatque hoſtes adeſſe, certamen acre contractum, & niſi ſuppetias mittat, Martem ancipitem eſſe. Sed ille cùm cogitabundus paululum ſubſtitiſſet, remiſſis equitibus reſpondit, ſe aſſiduis imbribus impediri, ut recurrendo labentibus ſuccurrat, at ſi imparem ſe hoſti viribus videat, ad exercitum ſe recipiat.

1591.

Turcæ compluribus cæſis terga dant.

In hunc modum quum noſtri diutiùs atque acrius certamen protraxiſſent, nec Haſanes auxilio ſuperveniſſet, Turcæ multis ex numero ſuorum amiſſis terga dedêre. Cecidit eo prælio Oſmanes, & complures Turcarum capti ſunt: ſigna militaria XXII. capta, quæ majori ex parte pedeſtris erant, cum LXXII. Turcis, interque eos Muſtapha equeſtris turmæ Vetucianæ ductor, ac equis C. & cæſorum CXX. capitibus. Sed gratum militibus noſtris ſpectaculum ante alia attulêre captivi Chriſtiani ad CCCC. promiſcui ſexûs hominum numerum, vinculis eorum operâ ſoluti, & in libertatem vindicati, quum hoſtes viſis noſtris ſeſe ad pugnam parantes illos ſtatim dimiſiſſent. Compertum eſt à captivis tormenta non procul à loco pugnæ relicta eſſe, quòd fatigatis & procumbentibus jumentis ulteriùs protrahi nequiviſſent, Itaque ea etiam in noſtrorum poteſtatem devenêre. Ex noſtris nemo præter Franciſcum Jaicianum veteranum equitem deſideratus eſt, qui ſine galea pugnans diſciſſâ immani vulnere fronte occubuit, & poſt hoſtium fugam in loco pugnæ tumulatus eſt. Saucii ex partibus noſtrorum pauci, atque ii brevi pòſt omnes convaluerunt. Haſanes hoc accepto detrimento nihil permotus cum domum perveniſſet, duos è captivis Gracium ad Ferdinandi Principis impuberis, qui patri Carolo ſucceſſerat, curatores cum literis miſit, quibus tormenta curulia, quæ avehere ob viæ incommoditatem non potuiſſet, ſibi reddi poſtulabat, à quibus tamen reſponſum fruſtrà expectavit.

Haſanes Sigethanus Comariam arcem improviſo impetu capit.

Interea in Ungaria ab altero Haſane, cognomento Parvo, qui Sigetanam provinciam obtinebat, non leve detrimentum acceptum eſt. Is enim quum Segudium veniſſet, & noſtros in arce Comaria ſegnius vigilias obire, ac ſummâ negligentiâ arcem cuſtodire accepiſſet, nocte intempeſtâ adductis peditum promptiſſimis ſcalas mœnibus apponi juſſit, ac ſummâ celeritate miroque ſilentio prius arce potitus eſt, quàm noſtri adeſſe hoſtes ſentirent. Erant enim ſomno vinoque importunè gravati, quòd die Divæ Virgini in cœlum aſſumptæ feſto ad ſecundam circiter vigiliam uſque ad temulentiam compotaſſent. Itaque ea nocte Franciſcus Capta (id præfecto nomen erat) ad primum eorum clamorem experrectus, arma capit, & ſuos, quantum in re improviſa & inexpectata poteſt, cohortatur, ut præſenti animo reſiſterent hoſtibus, & pro ſalute ac vita, proque arce ſervanda fortiter ac ſtrenuè dimicarent. Sed tarda jam omnis contentio erat, cum hoſtes, qui mœnia ſupe-

1591. ſuperârant, ſociis portam aperuiſſent, & ii magnu numero acerrimoque impetu irrumpentes, eos, qui arma cepiſſent, facili negotio trucidarent, & reliqui partim in lectulis & ſtraria, è quibus, quòd nimiam crapulam nondum exhalâſſent, ſe erigere vix poterant, partim in latebris, ad quas præ metu ſe abdiderant, ab iiſdem hoſtibus crudeliter mactarentur. Cecidit præfectus initio pugnæ, & cæteri omnes pariter cæſi præter impuberes pueros, & fœminarum turbam. Quum hoſtes ad claram uſque diei lucem ſupra multos captivos ac equos, ac militarem ſupellectilem, tormenta etiam, & ſulphorei pulveris magnam copiam ac ingentem prædam ex capta arce exportâſſent, ſuccensâ eâ & concrematâ Segoſdium, unde venerant, ſeſe receperunt.

Nec Zrinius, & qui in Caniſienſi præſidio agitabant, priùs vicinæ arcis excidium ſensêre, quàm collucentes procul incendii flammas conſpexiſſent, ac à paucis, qui nudi & inermes obſcuræ noctis beneficio adjuti profugerant, totius funeſtæ cladis exitium cognoviſſent. At Zrinius, quòd re jam peractâ ſera eſſent remedia, nuo aliud in præſens faciendum exiſtimavit, quàm quòd convocatis ſummâ celeritate circumvicinæ nobilitatis copiis, ac militibus præſidiariis, qui Caniſæ, Jantini, Papæ & locis propinquioribus ſtipendia merebant, arcem è materia & ceſpite dennò reſtauraret, ac tormentis & rebus neceſſariis, ac militum tam Germanorum, quàm Ungarorum præſidio impoſito muniret. Quo opere peracto, & arce Melchioris Ratquii curæ demandatâ, ipſe Caniſam reverſus eſt, cæteros verò ad ſuas ſtationes dimiſit.

Parte aliâ in Illyrico Haſanes habito cum ſuis conſilio, quorum præcipui erant Ruſtanes ejus legatus, ac Velehrames & Erdoglis, viri undecunque promptiſſimi, ac regionum & viarum peririſſimi, Caſtellum non procul à Colapi fluvio erigeodum, præſidioque muniendum decrevit, ex quo Raſtovicia ac Gora, quæ adhuc à noſtris tenebantur, in poteſtatem redacta, planiciem eam, quæ à Colapi ad Savum uſque flumen & Zagrabiam amœna & ſpatioſa, ac populis referta protenditur, ſibi armis ſubjicere poſſet. Et cùm de loco, ubi commodiùs extrueretur, non ſatis convenirent (alii enim è regione Breslii, inter Drencinam & Raſtoviciam idoneum locum putabant, aliis Berculevina opportunior cenſebatur) ipſe eam regionem omnem perluſtrare voluit. Igitur cùm noſtri, qui Goræ & Raſtoviciæ in præſidio erant, repentino metu perculſi arces dediſſent, caſtello extruendo eum locum delegit, in quo Petrinius amnis è montibus, qui ab iis arcibus uſque ad Dalmatiæ finea longâ & diverſâ ſerie diffunduntur, decurrens Colapi miſcetur. Eo loco ab omnibus collaudato quum materia & res neceſſariæ in promptu non eſſent, neque operæ haberentur, ſed ea omnia è Boſnenſi provincia comparare neceſſe eſſet, deſtinata animo in annum ſequentem diſtulit, præfectiſque fabrûm ſeriò edixit, ut quicquid foret neceſſarium, interea pararent, pollicitus cætera ſibi curæ fore.

Haſanes Sciſciam arcem obſidet irritâ operâ. Sciſcia, quæ ad unius milliarii ſpatium diſtabat, nondum ei viſa erat: igitur ſuorum uſus conſilio illuc divertit, arbitratus id poſſe evenire, ut ii, qui intùs erant, adventu ſuo ac oſtentatis tantum copiis perterrefacti ad deditionis conditiones, ac tradendam arcem compellerentur. 1591. Ea arx lateritia & triangularis, ad ipſum Savi & Colapis confluentem à ſodalibus Collegii Zagrabiani, ad quos priſcorum Ungariæ Regum munere pertineret, olim ædificata, vetus adhuc nomen retinet, antiquamque ibi Romanorum coloniam fuiſſe, per quam ex Italia Sirmiom & Pannonia ſecunda adiretur, cùm pleraque marmora vetuſtis inſcriptionibus, Latiniſque literis inſculpta, quæ ibi viſuntur; tum etiam Dionis, Zoſimi, Herodiani, & aliorum veterum monumenta teſtimonio eſſe poſſunt. Præerat arci nomine reliquorum ſodalium ipſe ex iis unus Nicolaus Macaeius, patriâ Siſcienſis, vir ſupra togæ & ordinis ſui opinionem fortis & impavidus, ſed ingenio ſuſpicaci, cum Stephano Fabritio collega. Is adventanti Haſani, & arcem ſubindè petenti tormentorum ictibus & & reboatu reſpondit: & quum Marcus Vaivoda peditum centurio, ſive verè, ſive falsò apud eum delatus eſſet, ut qui ſecreta cum hoſtibus & clandeſtina conſilia nuſceret, & Haſanem ſpe potiundæ arcis eò clam vocâſſet, illum menſæ adhibitum per Balthaſarem Cranecium, tormentorum magiſtrum, minoris ſclopetæ glande per ilia confodi, ac noctis tenebris Savu immergi juſſit. Haſanes per triduum in ulteriori Colapis ripa ad turrim deſertam è regione arcis cum copiis hæſit, ac minoribus colubrinis, quarum pilæ ovi anſerini magnitudinem æquabant, arcem petere non intermiſit ſed nullo ferè illato incommodo: quumque ab Macacio arcis deditionem occ nimis, nec terrore tormentorum exprimere poſſet, interminatus ſe poſt breve temporis intervallum majoribus viribus, ac majori ejus expugnationæ apparatu rediturum, cutemque ei crudeliter detractaturum, eo quo venerat itinere retroceſſit, cùm priùs arcis ſitum, ac condendi caſtelli locum diligentiſſime fuiſſet contemplatus.

Erdodius Haſanes injuriis irritatus, Tot & tantis hoſtium contumeliis provocatus Erdodius Illyrici præfectus, nequaquam eas ampliùs ſuſtinere certus, Haſanem omne fœdus abrumpentem, & bellum ſubindè renovantem, armis ultum ire properavit; excitiſque ad ſigna & caſtra Nobilitatis copiis, & adjuncto ſibi è variis præſidiis milite, cum aliquot colubrinis Munoslonem obſidere conſtituit. *Monoslonem capit,* Id oppidum Plinio & veteribus Montem Claudium appellatum fuiſſe, quibuſdam videtur; abeſt autem ab Ivanicio trium aut quatuor millium paſſuum intervallo, & eo tempore à peditibus Turcicis plus minus ſexaginta cuſtodiebatur. Cùm autem exercitus præcuore Stephano Tahio ſub arcem perveniſſet, aggeres primum fieri cepti, ac deindè tormenta muralia curulia in iis more conſtituta ſunt; quibus cùm muri per ſe ob vetuſtatem debiles concuterentur, & non parvam ruinam feciſſent, triduo poſtquam oppugnari cepta eſſet, dedentibus propugnatoribus recepta eſt eâ conditione, ut ii qui intùs erant, incolumes dimitterentur. Captam arcem Erdodius, quanquam ei hæreditaria avitaque eſſet, quòd non ſine magnis ſumptibus conſervari poſſet, nec ſatis opportuno ad defendendum loco foret, dirui juſſit; tametſi multi eam impoſito præſidio retinendam eſſe cenſerent.

Ruſtanes Haſanis legatus Mura- Haſanes cognitâ re, atque hinc idoneâ captâ rerum novandarum occaſione, Ruſtanem legatum ſuum Conſtantinopolim miſit, ſiqua vera falſis miſcendo, inducias ab Erdodio violatas,

1591. latas, arcem cum inſigni apparatu bellico, ac tormentis inuſitatæ magnitudinis obſeſſam expugnatamque conqueſtus eſt, brevique Velicam iiſdem oppugnatum iri retulit, prout id ab exploratoribus certò didiciſſet: igitur petebat ut copiæ ſuæ ultra ordinarium numerum augerentur, ſibique poteſtas daretur ſua tuendi, & injurias Erdodii primo quoque tempore armis ulciſcendi. Et quum perorâſſet, quo dictis fides eſſet, pilam ingentem ferream ſexaginta pondo alibi acceptam, in veſtibulo curiæ projecit, eâque & ſimilibus arcem concuſſam, & ad deditionem coactam falsò retulit. Non deerat Sinanus, qui novi belli cupidine rem verbis exaggeraret, ac Haſani & nobiliſſimis Boſnæ provincialibus ante omnia opem ferendam conſuleret; jam non eſſe obſcuram Cæſarianorum voluntatem, qui adverſus induciarum & amicitiæ jura & fœdera prolatis tormentis & caſtrenſi apparatu primi fidem fefelliſſent, & Turcas inducus fretos & quieſcentes improviſo inexpectatoque impetu invaſiſſent, & anicâ munus honorarium à duobus retroactis annis mittere neglexiſſent. Quibus rebus effectum eſt, ut Murates Sinanis ſequutus conſilia Ruſtanem grato eum reſponſo dimitteret, ampliſſimamque Haſani auctoritatem tribueret, ut curaret, nequid ea in parte Reſpublica detrimenti caperet: admonerique juberet Fridericum Crecovicium Cæſaris Byzantii legatum, ne qua in mittendis muneribus mora fieret, quam ipſe pro ſigno commutatæ voluntatis, ruptæque amicitiæ interpretaturus eſſet.

Rem Imp ad bellum mobis movendum excitat.

Sinano ſtrenuè rigidam ſuffundente.

At Cæſar intereà nihil minus quàm quicquam adverſus fœdera & pacta admiſſum cupiens, munus, quod à biennio variis de cauſis intermiſſum erat, ſine ulla mora curari, ac Comaromium ſecundo Danubio mitti juſſit, ac Adamum Poppelium, clarum in Bohemia virum, à quo illud Byzantium deferretur, legatum conſtituit, mandavitque Palffio, ut Haſanem Purpuratum Budenſem de iis certiorem redderet, eumque hortaretur, ut ſi dona honoraria mitti vellet, Boſnenſis Haſani incurſiones in Cæſaris ditionem variæ & cruentæ, & obſidiones, & hoſtilia quæque adverſus pacta fœderum temerariè tentata ſeriò interdicerentur. Quæ dum ab illo peraguntur, ac nuntii Budâ Byzantium eunt, atque illinc redeunt, Haſanes Boſnenſis à Sinano, ut credi par eſt, ſtimulatus, juſtis iterum comparatis copiis, adultâ inſequentis anni æſtate Bihigium gravi obſidione cinxit. Eſt oppidum in parte Illyrici, quæ recentiori nomine Croatia appellatur, clari nominis, quod H na fluvius in modum inſulæ circumfluit, à Bela quarto Ungariæ Rege olim, dum à Tartaris pulſus in Dalmatia exularet, opportuno loco conditum, & libertate donatum, quâ muro cinctæ urbes fruuntur. Illud eo tempore à Germano præfecto Chriſtophoro Lambergo cuſtodiebatur cum quadringentis utriuſque nationis militibus, quibus ſtipendium è Carniæ provinciæ vectigalibus & contributione ſolvebatur. Jam ab octo diebus mœnia tormentis aſſiduè quaſſata hiatum dederant; ſed qui à propugnatoribus, ſi viri fuiſſent, ceſpite & materiâ ad diuturniorem defenſionem obſtrui potuiſſet; verùm imbellis, & ante tempus degeneri metu perculſus Lambergus, nullâ ulteriore morâ expectatâ cum Haſane de deditione paciſci decrevit. Itaque miſſis internuntiis, & pernâ publica fide facilè tranſactum

Haſanes Boſnenſis Bihigium obſidet.

Noſtri oppidum hoſti dedunt.

Iſtuanf. Hiſtor.

eſt, ut obſeſſi tradito oppido incolumes dimitterentur. 1592.

Occupato à Turcis oppido Lambergus & alii cum conjugibus & liberis ſarcinisque verſus Sluniuio, quod à noſtris tenebatur, iter aggrediuntur, eiſque Velchtanes, qui ſecuriori comitatu deducat, cum equeſtri turma adjungitur: acciditque inter eundum, ut quum Turca quidam fœminam egregiæ formæ conſpexiſſet, eamque à marito Thoma Batalitio, ne ſibi pecuniam pro illa numeranti abnueret, petiſſet, idque illi pernegâſſet, quod inter ſe & illum Sacramentum matrimonii intercederet, Turcâ vim parante, noſtriſque ſeſe tuentibus res ad rixam & arma devenit, Thomà Turcam ſclopeto trajiciente, eoque mox ab circumequitantibus Turcis interfecto, ac compluribus ex utraque parte cæſis. Vulneratus quoque fuit eo in tumultu ſub poplite Ibraimus claſſis Gradiſcanæ præfectus, qui ex vulnere poſteà ſemper claudicavit. Itaque Lambergus & alii quum adhuc non procul caſtris deducti eſſent, retracti coram Haſane ſiſtuntur, conclamantibus Turcis eos in ſervitutem redigendos, aut trucidandos, qui ficti & deditii contra fidem publicam ferrum in victores ſtrinxiſſent, & non paucos Turcas interfeciſſent. Verùm Haſanes recognitâ, cujus utpote initium ab inſolentia Turcarum profectum fuiſſet, omnes iterum abire permiſit. Per hunc modum urbecula illa opportuno & amœno loco ſita, mœnibus, turribus, ac Sacerdotum & Franciſcanorum Sodalium templis & cœnobiis, veteranorumque militum & ducum ſepulchris clara, ac multo ſudore & ſanguine veterum indigenarum à tot ſeculis fortiter conſervata Turcarum imperio & poteſtati ceſſit.

Haſanes eâ re patratâ non ampliùs quàm unius menſis ſpatium, quo domi quieſcerent, ſuis daudum ratus, nulla jam ratione induciarum, nulla juris ac æquitatis cura, ad ædificandum infeſtandis noſtris caſtellum innumerabili plauſtrorum ac jumentorum ſimul, & agreſtium multitudine ſecum adductâ, ad eum locum venit, in quo Petrinius amnis, ut diximus, Colapim influit. Nec mora, ſuccisis ibidem roboribus, quorum ingentem vim ſaltus propinqui ſubminiſtrant, munitionem, quam inſtituerat, tantâ celeritate perfecit, ut non ſolùm caſtellum firmiſſimâ roborum clavis ferreis bipedalibus connexorum compage, ac propugnaculorum ad lineam æquis inter ſe ſpatiis diſtantium ſerie erigeretur; ſed etiam Colapis ipſe haud ſpernendæ latitudinis, ponte ſublicio tam lato, ut ſeni equites uno eodemque ordine facilè commearent, intra XX. diem commodiſſimè conſtratus eſſe conſpiceretur. Jam Haſanes ac Turcæ vallum novæ munitionis argilla molliore obducere, ac ſpatium inter robora ceſpitibus implere cœperant, portaſque & valvas erigere, cùm Erdodius coactis copiis ſuis, & quæ à nobilitate contrahi poterant, caſtra ad Breſtum metatus eſt, ac cæteros iſthuc convocavit, perſcripſitque Stephano Grasbanio Capronciani, qui mortuo Halecco tunc præſidiis locorum finitimorum curandis præerat, ut cum majori quàm poſſet manu ad caſtra primo quoque tempore ſe conferret. Per eos dies advenêre cataphracti Germani equites numero ſexcenti, è Carnis & Stiria conſcripti, eo propoſito, ut cùm ex omnibus partibus in unum conveniſſent, cum hoſte confligerent, ac

Haſanes caſtrum Petriniū extruere laborat.

Erdodius caſtra ſua hoſti opponit.

1592. partâ ſecundùm Deum immortalem victoriâ caſtellum cervicibus miſerorum accolarum impoſitum demolirentur. Complures jam dies effluxerant, cùm caſtra caſtris proximè collocata eſſent, ut Colapi tantùm interfluente dirimerentur, & utrinque non ſolum curulibus tormentis minoribus, ſed etiam ſclopetis res geri poſſet, ſæpéque milites dat. acceptâque fide, variis ſermonibus collatis mutuo inter ſe congrederentur; interim tamen hoſtes in perficiundo inſtituto opere nullam intermiſſionem aut moram facere viderentur. Sed Graſhanius ſummâ negligentiâ copias cogebat, cauſatus ſe pecuniam militibus in ſtipendium dividendam expectare, & adventum ſuum de die in diem procraſtinando & differendo protrahebat, fremente Erdodio, qui ejuſmodi pigritiâ & morâ oblatas rerum gerendarum occaſiones magna cum Reipublicæ jactura & detrimento negligi vehementer dolebat.

Erdodius caſtra ſua hoſti opponit.

Intereà Voinus Thrax viarum ductor & conſiliorum omnium Erdodii conſcius, ſive ſponte ſua, ſive à Turcis, apud quos anteà militaverat, clam ſollicitatus, relicto Erdodio ad hoſtium caſtra ſumma perfidiæ notâ transfugit. Is Haſanem cunctantem, ac extruendo operi intentum, multis verbis ad invadenda noſtrorum caſtra ac ineundam pugnam incitavit; nunc eſſe tempus & occaſionem dictitans hoſtes aggrediundi, quum adhuc & pauci ſint, & magna peditum pars è juventute, ab agrorum cultura nunc primum ad militiam exercendam abſtracta conſtet; ſed ſi omnes in unum confluant, prout id Erdodius magnâ contentione poſtularet, brevique futurum ſperaret, tum ob Germanorum equitum, qui oblongis ſclopetis rem geſturi eſſent, tum peditum iiſdem ſclopetariorum haud contemnendum numerum, qui conjunctis viribus pugnaturi forent, rem in ancipiti futuram; proindè tolleret moras, & quod inſtaret periculum, ferro avertere maturaret. Biduum in conſultando extraxêre, donec copiæ convocato majori è proximis præſidiis militum numero augerentur, qui intereà tempeſtivè in caſtra pervenêre. Triduo pòſt, qui fuit XIX. menſis Quintilis, Solis fervore æſtuoſiſſimus, Turcæ pontem tranſire ceperunt; ita ut peditatus cum tormentis præcederet, & equites turmatim ſubſequerentur. Erdodius viſo hoſtium tranſitu ſuis ſtatim tubâ ac tympano ſignum pugnæ dari jubet, iique celeriter conſcenſis equis in ordines rediguntur. Sed mora in Germanis aliquamdiù fuit, quòd meridianum fortè tempus erat, quo plerique graves cibo vinoque ſopiti jacebant, & multi eorum pabulatum caſtris egreſſi, aut aliis rebus occupati, conſcendere equos, ac diſponere aciem, præoccupati hoſtium repentino impetu, non potuiſſent.

Haſanes noſtros magno aggreditur impetu, ac multis caſis in fugam conjicit.

At Haſanes cum equitatu noſtros ſine ordine tumultuantes aggreditur, & Erdodiani eos irrumpentes fortiter excipiunt, haſtaſque invicem perfringunt: ſed quia impares viribus ac numero erant, hoſteſque commoditate pontis, novi & recentes ſubindè concurrerent; tormentoque, quod noſtri unicum habebant, res geri nequiret, quod à feſtinante & trepidante ejus magiſtro Zanieco pertica fagina, in imo ferrata, qua pulvis ſulphureus cum pila ingeri ſolet, quam magiſtri tormentorum tudiculam vocant, in tubo relicta exploſaque eſſet, terga haud dubiè verterunt. Quos Turcæ non ulteriùs cædendo capiendoque inſequi voluerunt, quàm ad veterem uſque piſcinam, ac ſaltum, qui verſus Litovaniciam munitionem prætenditur. 1592. Ea hoſtium remiſſio Erdodio cum equitibus ſimul in fugam ruenti, & Germanis quoque, qui vix tentato certamine turmatim ſe fugæ dederant, commodo ſalutique fuit: dum hoſtes ad ſocios, qui magnum cum peditibus certamen contraxerant, reverti contendiſſent. Reverſi à perſequendo hoſtes, peditatum adhuc ſeſe defendentem circumcingentes, in orbem pugnare compellunt, ac cùm feſſos pugnâ & vulneribus terga dare coëgiſſent, majorem partem trucidârunt, paucis, qui Savo tranſnatato evaſiſſent, aut ſilvarum latebris ſeſe abdidiſſent, ſalvis remanentibus. Haſanes victoriâ potitus caſtra diripit, ac cæſorum capita ad DC. detractâ oſſibus ſummâ cure pro Turcarum more Byzantium miſit, cum multis ſignis militaribus, quorum numerum ut augeret, multa atri coloris vexilla, quæ variorum ducum ſepulchris in Bihigianis templis affixa pendebant, detrahenda curaverat. Ruſtanes ejus legatus ea cum ſatis magno captivorum numero Murati obtulit; Sinanem verò peculiaribus donis magni pretii cohoneſtavit. Quo extollente jam Haſanes magnus clāruſque in aula apud ignaros futurorum haberi, ejus nomen undecunque celebrari, in ejus viri fortitudine eâ tempeſtate rem Turcicam ſitam prædicare.

Haſanes Siſciæ obſidionem repetit.

Poſt hanc victoriam de Erdodio ac paucis Germanis reportatam ad obſidendam Siſciam, quam anno ſuperiore propugnante Micacio fruſtrà tentaverat, ire perrexit, eamque atrociore quàm anteà vi, non ſine temerario immoderati animi impetu circumvallavit. His in hunc modum procedentibus Murates quum ab Haſane Purpurato Budenſi certiùs cognoviſſet, honorarii biennii donum unà cum legatis Comaronii eſſe, ac propediem Byzantii affore, ſi Boſnenſis à maleficio abſtineret, mandata ad illum ſeveriora dedit: addito, qui ad eum perferret, peculiari ex Chauſiis nuntio, ut ab inſolentiis atque armis abſtineret, neque Cæſari muneris diutiùs retinendi, aut bellum bello propulſandi occaſionem daret. Verùm Haſanes cùm in caſtris ad Siſciam poſitis mandata accepiſſet, inſigni uſus fraude, Chauſium largitione corruptum remiſit, adjuncto ei Ruſtane legato ſuo, per quos Muratem dolo ſic circumvenit, ut Cæſarem quidem in ſpeciem retinendæ pacis munera Comatonium miſiſſe non negaret, re tamen verâ ingens bellum parare mentiretur; adeò ut XL. millia Germanorum peditum jam Zagrabiam perveniſſent, & equitatum ac tormenta curulia cum incredibili rerum omnium neceſſariarum apparatu brevi affutura expectarentur. Quâ rerum ambiguitate Murates dubius animique pendens hærebat, neſcius utrinam è duobus Haſania, Budenſine an Boſnenſi major fides danda eſſet; tametſi Boſnenſis à Sinano, qui lentioribus Muratis conſiliis pro libidine dominabatur, cum inſigni rerum geſtarum laude & approbatione ſuſtentaretur.

Ejuſdem fraus.

Præerant hoc anno Siſciæ præſidio duo è collegio Zagrabiano ſacerdotes, Blaſius Juracus, & Mathias Finritius (nam Micacius expleto præfecturæ tempore, quod annuum eſſe ſolet, domum ſe receperat) qui non minore conſtantiæ & fortitudinis laude locum tuebantur, ſic ut quum per octo dies mœnia majoribus tormentis vehementer quaſſata eſſent, nihil tamen proficeretur, & noſtri præſenti animo ſeſe tueri,

&

1592. & hoſtibus haud parva detrimenta tormentis jaculando, & nonnunquam ad aggeres excurrendo inferre non dubitarent. Quum Haſanes tandem oppugnandæ arci fruſtrà incubuiſſet, ne tempus & laborem inani conſumpto conatu terere videretur, retractis tormentis reductoque exercitu ſe Petriniam recepit, ac paucorum dierum quiete militi conceſſâ Colapim ponte novo tranſire, ac Turopolianum campum, planaque inter Savum atque Colapim loca populando & urendo vaſtare conſtituit; caſtriſque ad Lomniciam locatis, quaquaverſus equites pariter & pedites populatum ire, ac prædam agere juſſit. Deſeruerant ædificia accolæ periculo propinquiores, ita ut qui paulò longiùs abeſſent, tuti ſe viarum diſtantiâ futuros fore, domi agitarent: itaque ſupervenientibus inopinato hoſtibus cum familia & pecoribus prædæ fuêre; & amœniſſimus atque fertiliſſimus ager inter Savum & Colapim omni belli clade uſque ad Coreſtincium & Oquicium impunè vaſtaretur; ipſeque hoſtium dux ad Lomniciam aucupio & venatu ſeſe recreando per aliquot dies oblectaret.

Idem vicina omnia loca ferro flammâque populatur.

Interea Palffius & Nadaſdius, ac Joannes Coraſſius Jauriensis Epiſcopus, qui nunc Cancellarii munere fungebatur, Pragam profecti apud Cæſarem multis verbis de Boſnenſium Turcarum maleficiis conqueſti, opemque iis avertendis implorantes, ab eo ad ſuos defendendos egregiè propenſo brevi obtinuêre, ut ſi hoſtes ab inferendis contumeliis abſtinere nollent, ne inducias omninò reſpuerent, ſe daturum operam polliceretur, ne qui ſingulari patientiâ hactenus omnia adverſa toleraſſet, pacéque minimè abrumpendam exiſtimâſſet, ad extremum ab hoſtibus circumventus ludibrio haberi poſſet. Itaque Nadaſdio ſtatim in mandatis dedit, ut præter eas copias, quas Carolo Auſtrio Marchioni Burgavio, ac Bernhardo patri, & Annibali filio Ratenavus apud Tirolim & Salisburgum conſcribi juſſerat, primo quoque tempore in patria, majori quâ poſſet celeritate, mille equites Ungaros, ac totidem pedites conſcribendos curet, & cum iis Zagrabiam proficiſcatur; avertendiſque conatibus hoſtium invigilet, ſe dediſſe in mandatis, ut omnes tam qui in præſidiis finium ſtipendia mererent, quàm quos Carolus Burgavius, cæteriſque duces adducturi eſſent, cum eo ad defendendam Remp. arma & vires conſociarent. Quæ Cæſaris præclara voluntas tam ſibi laudabilis, ſummæque plena gloriæ, quàm ipſis magno ſubſidio fuit; Nadaſdiúſque intra paucos dies copias conſcripſit, ita ut ante ſolſtitium autumnale Varaſdinum, ac ante diem Calend. Octobris Zagrabiam perveniret. Dedêre ei nomina Franciſcus Derſſius, Stephanus Euningius cognomine Turcus, aliique clari nominis militares viri; ſequutúſque eſt poſt aliquot dies Sigiſmondus Forgacius, & Thomas Nadaſdius Franciſci patruelis, qui ſingulis bis centenos equites ductabant, inter quos veterani complures, & egregia militum manus erat.

Cæſar copias adverſus hoſtem comparat.

Cùm ad Somſediam arcem in itinere eſſent, quæ in colle Savo imminenti poſita Turopoliam & omnem ultra flumen regionem longè latéque proſpicit, cognitum eſt hoſtes non procul Coreſtincio eſſe, & ubique hoſtiliter populari. Nadaſdius conſilio cum ſuis habito aggredi illos conſtituit, naviguſque & pontonibus, quibus exercitus trajiceretur, celeriter comparatis, Fabianum Tolnenſem cum peditatu præmiſit, ipſe cum equitibus ſequi conſtituit. Sed quum ab Thoma Erdodio ſuperveniente Turcas majori eſſe numero didiciſſet, quàm ut eis nocere poſſet, revocato Fabiano & peditibus coeptum Zagrabiam iter proſequutus eſt, & copias tam in ſuperiori civitate, quam Montem Græcum vocant, quàm in ea, quæ à collegio ſacerdotum nomen habet, per domos & hoſpitia diſtribuit, & illinc Alexandrum Sennieium legatum ſuum Carolſtadium miſit, qui adventum ſuum Andreæ Aurſpergo, eorum finium præfecto nuntiaret, eumque ad conjungenda conſilia & arma cohortaretur. Qui dum ab illo rediret, Aurſpergi promptitudinem relaturus, in Turcas agrum populantes forrè incidit, ac contractâ cum illis pugnâ, interfecto uno ex illis aut altero, ægrè ſe explicavit, ac ad Nadaſdium reverſus eſt. Qui multo tempore Burgavium cum copiis Zagrabiæ expectavit, ac populantes Turcas victis ac caſis quàmplurimis coërcere contendit, ac Petriniam ad pontis uſque extremas partes excurrere ſuos juſſit, Turciſque laceſſendis atque eliciendis operam impendit, ſed illis congreſſum vitantibus, nec ſi clandeſtinis prædis gentibus, quòd ita ab Haſane Banialucam repetente juſſum eſſet, tempus inutiliter atque mora conſumptum eſt.

1592.

Dum Burgavius expectatur, ac lentiùs quàm res poſtulabat, progreditur, immodica vis pluviarum multâ nive permiſtarum, ut inclinante in hiemem autumno plerumque fieri ſolet, turbato cœlo decidit, ut inexplicabiles cœno limoque vias efficeret, & amnes incredibili aquarum mole ubique intumeſcerent. Venit tamen ille tandem ad VII. Idus Novembris, ac Zagrabiæ magno omnium applauſu atque lætitiâ exceptus eſt. Adducebat legiones Germanorum duas, à Rotennavio, ut dixi, conſcriptas, ac equites DC. inter quos erat turma equeſtris Italica duce Sebaſtiano Montis Cuculi Comite, ac egregia voluntariorum è Stiria & Carnia manus, quibus omnibus poſt Burgavium præerat Hieronymus Comes Lodronius legatus, rerum uſu & militari prudentiâ inſignis ſenex. Caſtrorum verò metandorum cura Chriſtophoro Haimo, qui olim Bihigii ordines duxerat, concredita fuit; iſque copias inter Savum flumen & Zagrabiam urbem æquali ferè intervallo tendere & conſidere juſſit, loco aquationi & lignationi admodum opportuno. Sed tanta mox imbrium vis ſupervenit, & Savum inundavit, ut caſtra & tentoria, impedimentáque exercitûs omnia aquis innatarent; atque iis in immenſum creſcentibus, perenndum pleriſque fuiſſet, niſi propere ab equitibus Ungaris occurſum foret; qui jubente Nadaſdio pedites Germanos & eorum mulierculas, quas pudendâ conſuetudine ſecum circumferre ſolent, equorum clunibus ſublatos ſingulari beneficio ſtagnantibus aquis eripuerunt. Eadem moles ſummâ vi excreſcentis fluminis frumentarias molas, quæ ad utramque ejus ripam extructæ erant, ruptis retinaculis ad pontem, qui paulò ſupra caſtra ad commodiorem commeatûs ſubvectionem, ac copiarum tranſitum paratus erat, repentino impetu abripuit & dejecit, ita ut nequaquam ceſſantibus pluviis exercitus relicto campo per colles eminentiores, qui à ſuburbio uſque ad arcem Somſediam longo ordine protenduntur, partim ſub tentoriis, partim per domos & hoſpitia collocaretur.

Burgavius Marchio copias ſuas Hungaris conjungit.

1592. Interea Burgavius quamquam navandæ operæ cupidus, neceſſaria belli haud ſegniter curabat, gliſcentibus tamen temporis difficultatibus, quæ nec tormenta ac eorum apparatum provehi, nec peditatum, niſi apertu cum diſcriminis metu procedere patiebantur, ac continuis imbribus, qui ſclopetorum uſum omnem importunè ablaturi videbantur, coacto præfectorum & ducum concilio, quidnam faciundum eſſet, an non gerendi belli rationes intermittendas exiſtimarent, exquirere decrevit. Omnium ea fuit ſententia multis confirmata rationibus, etiam eorum, qui fervidis ingeniis ad pugnam proni ferebantur, hac adverſâ pluvioſi cœli tempeſtate non eſſe eò progrediendum, unde vel difficilis receptus foret, vel clades & ignominia timerentur: conſultiùs futurum, ſi commodior occaſio pro militaria diſciplinæ ratione eligeretur, quâ deſtinata perfici faciliùs poſſent. Obventuram, Diis benè juvantibus, primo apparente vere commoditatem exequendæ rei, quæ nunc intolerabili ingruente cœli aërisque injuriâ, & obſeſſis luto limoque itineribus, ut nec componi, nec ullo ſtabili veſtigio niti acies queat, prorſus ſublata eſſe videatur: habere in promptu militiam in Croatiæ ac Illyrici finibus, in ſpeciem juſti exercitûs, duratam in armis, & ſtudio pugnæ vindictæque flagrantem, cui ſi quid auxiliorum aliundè accedat, hoſtile hoc caſtellum non adeò firmum & munitum eſſe, quin ab illa per temporis opportunitatem intercipi atque exſcindi queat. Quæ quum ab omnibus uno ore

Noſtri cœli injuriâ exagitati, rebus infectis in hyberna dimittuntur.

conſenſuque dicta eſſent, & à Burgavio approbata, copiæ dimiſſæ ſunt, conceſſumque omnibus, ut quique ad hibernas ſuas ſtationes reverterentur. Verùm per eos ipſos dies altiſſimæ nives turbidis è nubibus delapſæ terram cooperuêre, ita ut omnis ferè exercitus non niſi curribus, & omnibus impedimentis ac ſarcinis cum gravi detrimento relictis, quorum magna pars poſteà perierit, redire cogeretur, & Nadaſdiani iter illud, quod veniendo VI. vel VII. diebus confecerant, vix integri menſis ſpatio revertendo ſuperare potuerint. Per hunc modum noſtris, Petriniâ apud hoſtes relictâ, dilabentibus, nulla quies, nullum otium Turopolianis ab infeſto crudelique hoſte fuit, qui Vocovinam Nicolai Alapiani caſtellum amœno loco poſitum, nocturnâ irruptione captum & direptum delevêre; Selinum tamen ſæpè eorum inſidiis petitum, ab Erdodianis militibus meliori diſciplinâ excubantibus conſervatum defenſumque eſt.

Nec tamen deinceps poſt diſceſſum noſtrorum ob vias profundis nivibus oppletas, hoſtis notabile aliquod incommodum aut detrimentum intulit uſque ad inſequentis veris initium, quo appetente Haſanes è Banialuca Petriniam adveniens, pontem, qui inundatione Colapis fortè interruptus erat, firmioribus ſublicis & trabibus reparavit; atque adeò ſuis omnibus edixit, ut ſeſe paratos ad accipienda imperia

Haſanes ingentem militum numerum ex omnibus præſidiis contrahit.

tenerent. Miſit etiam ad Purpuratum Budenſem nuntios, petitum ut ex ſingulis Ungaricis præſidiis certum militum numerum ſubducere, ac ſilentio ad ſe mittere primo quoque tempore vellet; eſſe enim ſibi à Sinano ſeriò juſſum, ne interim quieſceret, donec quibuſcunque poſſet artibus Siſciâ potiretur: nec modo defore occaſionem imperata exequendi, quum eos, qui in præſidio agitarent & paucos eſſe intelligat & imbelles, quibus nimirum homines togati, & ſacris obeundis dicati, quàm militares viri præſint, quod ab vicinis Petrinianis aſſiduè illuc irrumpere aſſuetis certò compertum atque exploratum haberet. Eadem ad Albæ, Strigonii, Quinqueeccleſiarum, Sigethi, Fileci, aliorumque locorum præfectos mandata dedit, quos etiam ſingulos Sinanus inſtituti belli avidus peculiaribus literis ejuſdem rei admonuerat. Quibus rebus incitati, quos modò nominavi, præfecti, poſtquam equos è graminibus ſeu paſcuis ſolito celeriùs in ſtabula recepiſſent, ſingulas equitum turmas tricenarias miſere, & Sigethanus magiſtros etiam tormentorum petitos adjunxit.

Venit etiam è Segedino, quod ad Maruſſi & Tibiſci confluentem procul Boſnæ terminis celeberrimum Pannoniæ oppidum eſt, Ibraimus pede & nomine claudus, XL. equitibus comitatus, ac complures è Belgrado & Temeſuario, cæteriſque Ungariæ præſidiis, cùm ab Haſane invitati, tum verò famâ ingentis armorum apparatûs, & lucri ſpe, voluntariæ militiæ nomina dantes: quos Haſanes ad varia provinciæ loca diſtributos, donec ex omnibus locis convenirent, ſummo ſilentio habuit: poſtremò ad Cal. Junias Banialucam in caſtra convocavit, quibus in caſtris quum aliquot dies quieti & otio indulſiſſet, ea tandem promovit, & lentis paſſibus iter fecit, propterea quòd tormenta curulia majora & eorum apparatus (inter quæ illud, quod clade Eſſequianâ Cociano ademptum, inſculpto Ferdinandi Cæſaris nomine inſigne erat) prægrandibus quatuor navigiis, quæ è robore conſtabant, impoſita, adverſo Savo per claſſiarios Gradiſcanos, qui XXIX. Saicas, quas vocant, habebant, remulco trahebantur. Aderant præter copias ex Ungaria convocatas præfecti, qui ejus imperio parebant, cum majori quo potuêre equitum & peditum numero; ita ut qui minimum XXV. millia Turcarum in caſtris

XXV. Turcarum millia in caſtris.

fuiſſe, qui verò maximum numerum proderent, XL. millia exceſſiſſe affirmarent. Fuit ſanè juſtus exercitus, & tam copiarum multitudine & robore, quàm tormentorum apparatu, navibus, claſſe, commeatu, armis viiſque, poſtremò triſti funeſtoque exitu, qui immoderatum ſuperbi animi faſtum ac temeritatem conſequi ſolet, ſatis memorabilis. Præmiſerat DC. equites cum II. millibus peditum, & magna operarum & calonum turba, qui itinera confragoſa, ac cœno paluſtribuſque lacunis impedita, ſtratis pontibus complanarent, ne quæ mora progrediendi exercitui & impedimentis objiceretur.

Siſciam denuò obſidet.

Ventum verò eſt Siſciam, itinere penes Savi ripam ulteriorem facto ad XV. diem menſis Junii, & caſtra per colles & valles ſubjectas poſita, quibus proximi ſaltus & lignationem commodam, & virides arborum frondes, an cœna, ſub quibus tenderent, æſtumque vitarent, umbracula præbebant. Eâ, quæ ſequuta eſt, nocte, aggeres in ulteriori Colapis ripa, ad turrim deſertam templi, quod olim in oppido erat, conſtrui juſſit, & corbes viminei terrâ oppleri, interque eas tormenta collocata. Peditatum autem & navales ſocios, qui ſtipendia merebant, per pontem tranſire flumen juſſit Memibego duce, quem ſuperiore anno, quum Strigonii præfectus eſſet, noſtros profligâſſe retulimus; eique dedit in mandatis, ut quàm proximè arcem aggeres conſtitueret, inque iis pedites collocaret, qui ſclopetis rem gererent, tormentumque unum aheneum quidem breviore tubo attribuit, quo

in

1593. in portas & feneſtellas arcis obruendas, & in eos, quos per mœnia conſpexiſſent, propugnatores feriendos ac dejiciendos uterentur. Cæteri peditum & Thraces potiſſimùm, quorum magna erat multitudo, in caſtris manſêre. Tuebantur arcem iidem, quos anno ſuperiore octiduanam obſidionem toleràſſe memoravi, Jitracus & Finitius, atque ii haud ignari conſiliorum & conatuum Haſanis, ſupra ordinarium militum præſidium centuriam peditum Germanorum à Ruperto Equenpergo, qui XVII. annos in Belgio civilibus bellis ætatem agitaverat, ac nunc Zagrabiæ rebus adminiſtrandis præfectus erat electus, paulò antè impetraverant, & novos quoque milites conſcriptos in arcem induxerant; inſuper agreſtium juventutem tractandis armis idoneam ex pagis collectam habebant, ſeque forti animo ad toleranda quævis obſidionis incommoda comparaverant.

Jitracus & Finitius Canonici Siſciæ præſunt.

Non ceſſabat interea Haſanes, quin propugnaculum, quod ex parte Colapis rotundâ formâ, ad aliorum triangulum conſtructum eſt, continuè verberaret. Accidit autem fortuitò, ut cùm repagula ferrea, quibus arcis valvæ claudebantur, ictu minoris pilæ ex caſtris Memibegi contortæ, loco mota violenter reſiluiſſent in conſpectum Finitii alterius ex præfectis vehementi impetu inciderent, eumque protinùs exanimarent; eodemque ictu alii quoq; XII. ſocii fragminibus percuſſi interirent. Cæteri, qui intus erant, miſſis frequenter nuntiis à ſodalibus Zagrabianis, & Bano Erdodio, Germani verò ab Equenpergo opem & auxilia implorabant; quibus ipſe prolixâ pollicitatione fidem dediſſe dicebatur, ſe rebus omnibus poſtpoſitis, cum iis, quas pro rerum & temporum anguſtiis habere poſſet copiis, laborantibus auxilio affuturum. At Erdodius & Equenpergus ſocios minimè deſerendos rati, ne deſperatis auxiliis duriùs ſibi conſulendum putarent, ſinè morâ copias cogere cœperunt; & ille quidem nobilitatem omnem ſtatim ſumptis armis in caſtra Zagrabiam convenire juſſit: hic verò per celeres nuntios Aurſpergo & Grasbanio, cæteriſque præfectis in mandatis dedit, ut dies & noctes eodem venire, ſeque in unum conjungere maturarent: eſſe haud leve periculum in mora conſtitutum, quum Siſciani diruto propugnaculo, ſi res ad ſummi certaminis & oppugnationis aleam deducatur, actum de ſe & loco eſſe identidem nuntiarent.

Erdodius & Equenpergus collectis copiis, noſtris ſuppetias ferunt.

Interim autem dum ii ſolicitantur, Equenpergus Savum ponte è navibus facto ſternendum curat, quo exercitus celeriùs tranſiret. Neque in illis mora ulla fuit; ſiquidem ante diem XIX. Junii omnes Zagrabiam venêre, & ibi Savum tranſiêre; Aurſpergus autem cum ſuis Caroloſtadianis, & Carnorum & Hiſtrorum auxiliis & Georgio Paradiſio, Chriſtophoro Obrucianc, & Jacobo Plancherio equitum ductoribus, in Turopoliano campo non procul à ponte ſe illis conjunxit: copiæque in univerſum ad ſummam VIII. millium militum excrevêre. Opportunè autem admodum ad totius victoriæ momentum accidit, quòd Melchior Rederus è Sileſia, rebus bello Stephani Poloniæ Regis adversùs Moſchos eorumque principem Joannem Baſilium geſtis clarus, qui ſuis ſtipendiis inter voluntarios militavit, ante paucos dies cum D. equitibus ſcloperariis ad Equenpergum adveniſſet. Advenit etiam cum uno Germanorum peditum vexillo Ferdinandus Waidinerius, Pauli Medici è Judæo Chriſtiani facti filius. Progreſſi illinc ulteriùs ad Selinum caſtra poſuêre, 1593. & Georgium Zrinianum Comitem iſthic eo die fruſtrà expectavêre; is enim, incertum quibus de cauſis, venire non potuit.

Dum ille expectatur, duces in concilium convocati ab Equenpergo ſententias rogantur: Redero de hoſtium numero, & locorum ſitu ab aliis percunctanti, quòd ipſe eorum ignarus tum primùm illuc veniſſet, videbatur adversùs hoſtes progrediendum, & cum eis certamen ineundum, ſub quo militum pars ſelectior in arcem immitteretur ab hoſtili oppugnatione eam defenſura; quòd ſi propitior fortuna Diis propitiis aſpiràſſet, ut hoſtes terga verterent, tum capiendum conſilium ex re & tempore eſſe. Hæc etiam Aurſpergo & Equenpergo probabantur, qui fidei ſuæ non immemor, obſeſſis ante omnia opem ferendam cenſebant. Aſt non deerant complures, & Stephanus inprimis Talius, qui vires hoſtium ſupra modum extollendo, copias noſtras numero longè inferiores, nec temerè periculo objiciendas putarent; conſultiúſque fore dicerent, ſi inito leviore prælio hoſtis detineretur, ſub quo obſeſſi relictâ incenſáq; arce erumpentes vitæ & ſaluti conſulerent, omneſque poſteà unà ad Novigradum Erdodianæ ditionis caſtellum, vallo foſsáque munitum ſeſe reciperent. Sed Equenpergus priore approbante ſententiâ, hanc utpotè degenerem, & amittendæ Siſciæ dedecus in ſe complectentem rejecit, ac compoſitis ordinibus pergendum rectà adversùs hoſtes decrevit; ſic ut Erdodius pro officii prærogativa cum ſuis præcederet, eumque Aurſpergus ſequeretur, ab ipſo autem & Rodero cum peditatu & reliqua copiarum parte agmina clauderentur.

Quum ad XXII. diem Junii ſtructis aciebus exercitus progrederetur, Memibegus Suornici præfectus, qui ponte cum peditibus tranſito cis flumen excubare juſſus erat, Haſani in caſtris prandenti nuntiavit, ſe & excubitores tympanorum ſonitum procul audire; ita ut ſenſim magis ac magis appropinquare ſentiatur. Tum ille Voinum tranſfugam, qui proximus ei diſcubuerat, quid hoc rei eſſe putaret, interrogat? iſque quòd noſtros minimè conventuros crediſſet, ſe non aliud quàm alterum ex Erdodiis fratribus, inquietandis levi aliquo certamine caſtris adventantem putare reſpondit. Intereà alii nuntii poſt alios accurrentes jam præter appropinquantem tympanorum ſonitum etiam ſigna procul ſplendentia, & exercitum haud contemnendum gradum promoventem conſpici nuntiàrunt. Perturbatus eâ re Haſanes temoria ſubitò menſis ad arma conclamare, tubâ ac tympanis pugnæ ſignum dare, ſuos ad conſcendendos equos hortari, vexilla expandi, & versùs pontem procedere juſſit; ſimulque Chauſiis ad pontem diſpoſitis mandavit, ne quem Thracem tranſire, ſed ſelectiſſimum quemque Turcam patiantur. Nec mora, mille equites ex omnibus quàm lectiſſimos pontem tranſire, & cum iis qui noſtrorum agmina præcedebant, manus conſerere jubet, quorum veſtigiis ipſe cum præfectis & primoribus inſiſtit. Interim etiam noſtri propiùs pedem inferunt, ac Joannem Draſcovitium, Benedictum Turocium, & Franciſcum Orehocium ſingulas equitum centurias rectà in hoſtem ducere jubent. Sed quum illi Turcarum præcedens agmen longè validius eſſe cernerent, Lupum Draſcocium clarum adoleſcentem ad Aurſpergium, qui cum DC. ſcloperariis equitibus ponè ſeque-

Noſtri appropinquant hoſti.

1593. ſequebatur, remittunt; ac ut gradum promoveat, hortatur. Is arrepto breviore ſclopeto ſuos, ut gradum intendant, & abſque ullo metu in hoſtes ferantur, admonet; ſimulque ſeriò edicit, ne ſclopetos longiores uno eodemque impetu, ſed per vices explodant, ut primis ſecundi, ac iis tertii ſuccedant: quæ res mirum quantum ad ſummam victoriam profuiſſe viſa eſt.

Ferunt, antequam ad conſerendas mutuò manus veniretur, Haſanem à Taliſmanno ſacerdote ponè equitante quæſiviſſe, quamnam prælii fortunam fatalea liberi portenderent? tum illum certâ verborum ſuperſtitione, & hordei grano indito, librum è ſinu depromptum conſuluiſſe, ac Deum Optimum Maximum Turcis falſis ad Chriſtianos eſſe profectum dixiſſe, eâ re perculſum illum omnia tam proſpera quàm adverſa, ut Deo viſum foret, hominibus toleranda reſpondiſſe. Interim concurſum eſt terribili utrinque ſublato clamore, & noſtri primâ fronte rejecti rurſus ſe recipiebant, quum ab Aurſpergo ſubſidio accurrente adjuti pugnam reſtituârunt, tubiſque & tympanis horrendùm perſtrepentibus diu anceps fuit certamen, & equites ſclopetarii ducenti Turcas à latere glandibus petere cœperunt, cadentibus ex eorum numero quàm plurimis: moxque alii totidem eodem modo glandium procellâ petitâ & opportunè in eos ſparsâ multos partim ſauciârunt, partim equis viriſque cadentibus interfecerunt; ita ut Haſanes pro ſubſidiaria acie, cujus pars nondum pontem trajecerat, pars tunc trajicere inceperat, mittere compelleretur, & jam Turcarum acies nutando & vacillando fugam circumſpectaret. Fervente in hunc modum pugnâ, ac Erdodio cum ſuis equitibus acerrimam impreſſionem in hoſtes faciente, ac Aurſpergianis tertii quoque ordinis equitibus ſclopetos cum maxima hoſtium ſtrage & pernicie explodentibus, Turcæ inclinare cœperunt, tandemque captâ fugâ terga vertere; quum nec Haſanes, neque alii præfecti aut minis, aut verbis, neque verberibus retentare potuerunt, quin ſolutis ordinibus, effusâ fugâ pars ad pontem, quò tranſierat, curſu penetrare contenderet, pars in Colapim inſiliret, & quocunque poſſet modo, saluti conſulere feſtinaret. In eâ rerum perturbatione ipſe quoque cum cæteris præfectis fugam capeſſere coactus, ad pontem ferri cœpit, in cujus medio cùm præcones Chauſii clavâ ferreâ iter eis parare, ac tumultuantem fugâ & metu militum turbam dimovere conarentur, nec quicquam præoccupante omnia formidine proficerent, ac Turcæ confertiſſimi à fronte, à tergo, à latere ſe ipſos urgerent, atque urgerentur; Haſanes, & qui cum eo unà erant, ſive ſponte, ſive impulſi ab aliis è ponte in flumen unà cum equis præcipitantur, ac aquis ſubitò abſorbentur. Eandem fortunam ſubiêre innumeri Turcæ, dum fugientes & tumultuantes in ponte invicem colluctantur, & urgente fato, noſtriſque inſtantibus quilibet alium præcurrere feſtinat; ita ut tot hominum & equorum confertim natantium corpora ſecundo flumine deveherentur, ut flumen præ eorum denſitate haud facilè conſpici poſſet. Parte aliâ peditatus noſter Janiceros & alios Turcarum pedites, quos ad arcem in aggeribus diſpoſitos fuiſſe diximus, & qui ad Odeſam flumen caſtra poſuerant, adortus, partim pugnando, & ſclopetis rem gerendo proſtravit,

Noſtri cum Turcis acerrimo prælio congrediuntur.

Turcæ profligati effusâ fugâ ſaluti ſuæ conſulunt.

Haſanes Boſnenſis ponte in flumen dejectus perit.

Peditatus etiam Turcicus victus delabitur.

partim in flumen præcipites inſilire coëgit; ita ut ad unum uſque occidione delerentur. 1593.

Oritur Odera ex rivis & fontibus apud Selinum magnâ copiâ ſcaturientibus, ac paludibus, quæ ibidem perpetuò ſtagnant, ac à Savo ad Colapim in inſulæ modum tranſverſim facto curſu evolvitur, tam profundo alveo, ut raro vado tranſiri queat. Mehemetes præfectus Hercegovinæ, Turcici Principis ſorore genitus, quum è ponte delapſus dimiſſo equo, ſublicis ut aquæ manu comprehenſis, Deûm atque hominum opem imploraret, ac potiſſimùm Erdodium Banum altâ voce identidem clamaret, à peditibus innumerâ glandium procellâ petitus atque interfectus fuit. Cæteri, qui ultra Colapim in caſtris erant, viſâ ſociorum clade, quos ipſi victores ad opimæ cœnæ epulas expectabant, collectis extemplò vaſis & impedimentis ſummâ celeritate profugerunt, qui tamen majori ex parte è Thracibus, & lixis ac calonibus conſtabant. Quibus fugientibus ſi noſtri à tergo inſtitiſſent, nemo, qui evaderet, aut certè pauciſſimi reperti forent. Sed Tabius Haſanem & omnes præfectos periiſſe ignarus, interrupto non ſatis expeditâ ratione uſque ad ſecundas ſublicas ponte, neminem tranſire permiſit; quæ res fugientibus effuſè hoſtibus ſaluti & commodo fuit. Periêre hoſtium multa millia, partim cæſa, partim aquis hauſta: quorum numerus haud facilè iniri aut dici poteſt; adeò res quantumvis recentis memoriæ in dubio eſt; duodecim tamen millia, aut ampliùs interiiſſe pro comperto affirmari poſſe crediderim. Præter Haſanem ſiquidem ducem, & Mehemetem regii ſanguinis juvenem, ac duodecim præfectos, quos ipſi Begos vocant, eodem fato amiſſos, quadraginta Allaibegas, qui ſunt Spahiarum ductores, Zaimos ducentos, hoc eſt, magnates, item CCCC. Spahias clarioris nominis, & inſuper maximam multitudinem Janicerorum & Aſaporum uno eo prælio aut trucidatos, aut gurgitibus ſuffocatos eſſe ſatis conſtat.

Eodem die Haſanis cadaver ſuſpenſâ à collo tigridis pelle, lividam dextræ genæ partem habens è flumine extractum eſt, ac quinque aliorum corpora tumentia aquis, Voini nimirum transfugæ, Memis Suornicienſis, Ramadania Poſegani, Curti Chlienſis, Sinanis Rahocistii, & Mehemetis ſorore Muratis Principis geniti Hercegovinæ præfectorum, milites uncis ferreis, & lanceis, & longuriis tractum ad ripas educta ſpoliavêre; hujuſque collo Bezoaris lapidis dimidium fruſtulum cum cote, ad quam fricari ſolet, purpureo involucro ſuſpenſum reperêre. Omnibus verò acinaces auro & gemmis ornatos, ac veſtes & annulos aureos, ac aliam ingentis pretii ſupellectilem detraxerunt. Capita autem cute deglubita, ac paleâ ſeu molliori fœno repleta, Vitus Clecovitius in Herbarti Aurſpergi ultionem, cui idem Turcæ immaniter fecerant, perticis infixa, & ſpectanda exercitui expoſuit. Sed & vulgus militum & agricolarum non eo die ſolùm quo pugnatum eſt, ſed multis etiam poſt diebus inſtar opimæ piſcationis, cadaveribus tam hominum quàm equorum extrahendis & ſpoliandis haud inutilem operam impendit, quum apud homines pleroſque omnes aurum, & veſtes, ac gladios auro & argento obductos, in equis verò ephippia & phaleras ſuperbi operis, & laniores enſes, & ſicas aureas reperiret. Naves, quas Saicas vocant, & navigia majora, quibus tormenta impoſita erant, ac magna pilarum ferrearum & ſul-

Mehemetes ſororis Muratis natus interimitur.

XII hoſtium millia periêre.

1593. 1593.

& ſulphurei pulveris copis, & octo muralia tormenta, & illud prægrande Cociaoi nomine appellatum, in poteſtatem noſtrorum devenêre. Signa militaria omnia, & equorum ad duo millia capta. Captivorum exiguus fuit numerus, adeò ut vix decem aut duodecim totis caſtris reperirentur, præter Haſanagam ſtabuli præfectum, quem cum equis fugientem Luchinus Dalmata Tahii equea, cum uno aut altero equo ex iis, qui ad manum ducebantur, ac Dauthem Spahiam ſenex Radecius retraxit, & quendam gregarii ordinis equitem, qui primus Haſanem exercitûs ducem è ponte præcipitatum periiſſe noſtros certiùs edocuit.

Hæc Siſciana pugna maximè cruenta, quâ Haſanes inauſpicati honoris ac ruptorum fœderum inuſitatâ clade obrutus pœnas dedit, inter memorabiles ſæculi noſtri, quæ à multis retroactis annis acciderint, meritò numerari poteſt, ſive quis clariſſimorum ducum inopinatum interitum, ſive peditatûs internecione deleti cladem cum paucitate noſtrorum conferat, ſive promptiſſimi cujuſque funeſtam mortem & cædem animo contempletur. Eâ nobili victoriâ per celeres nuntios ex ſuorum ducum literis auditâ Rudolphum Cæſarem maximè lætatum ferunt, & ſtatim aditis templis DEO Optimo Maximo ingentes gratias egiſſe, qui fœdifragum barbarum, ducum juris & æqui contemptorem, in ipſo admiſſi ſceleris veſtigio tam præſenti numine ultus eſſe videretur.

Clementis Pp litere ad Equenpergum & Erdodium.

Sed & Clemens ſummus Pontifex datis ad Erdodium & Equenpergum literis eorum in tuenda Republica Chriſtiana ſtudium & operam gratam ſibi accidiſſe oſtendit; eoſque ad continuanda officia cohortatus eſt. Cæterùm Equenpergus & Erdodius, cæteríque duces bidui quiete militibus conceſſâ Petriniam invadendam eſſe decreverunt, quòd multi ex hoſtibus, ac ipſe Ruſtanes & Erdoglia è fuga illuc ſe receperant, tranſmiſſoque per pontem, qui refectus erat, exercitu, eo die in hoſtilium caſtrorum loco pernoctârunt.

Erdodius Petriniam obſidere conſtituit.

Sequenti porrò die, relicto ad dextram Colapi, per ſilvas, quæ Dreneinam & Petriniam interjacent, levi cadente pluviâ progredi ceperunt. At Ruſtanes cognito noſtrorum adventu nequaquam demiſſo animo ſe ad defenſionem parat, ſcandulas tectis dejecit, tormenta idonea in locis collocat, ſtationes ſuis diſtribuit, per quas defendendæ arci invigilent.

renitente & abeunte Equenpergo.

Progrediente exercitu ac Erdodio, & omnibus indigenis, nihil magis quàm ut Petriniâ potirentur deſiderantibus, operæque navandæ cupidiſſimis, inſperatò nuntiatur Equenpergum & Germanos, qui poſtremo in agmine incedebant, commutatâ voluntate agmina & tormenta retroverſiſſe. Quo nuntio perturbatus Erdodius, ſuis ſubſiſtere juſſis illum multis verbis obteſtandum duxit, ne rebus hactenus divini Numinis ope proſperè feliciterque fluentibus inſtituta oppugnandæ Petriniæ conſilia intermitteret, & inuſitatâ deſperatione reverti vellet; futurum enim eſſe ſi in conſpectum ejus veniretur, hoſtes tametſi nunc tuendæ arcis ſpeciem præ ſe ferant, non multis tamen tormentorum ictibus expectatis deditionem oblaturos. Sed quum nullis precibus aut obteſtationibus id ab eo impetrare potuiſſet, reditum in Siſciana caſtra eſt: dicebat enim ſe injuſſu Cæſaris, cujus de pace ſervanda animum nondum planè cognitum habeat, tormenta ad expugnandas palam arces protrahere nequaquam poſſe: ſatis caſtigatam eſſe hoſtium inducias violantium perfidiam ac temeritatem, deleto eorum exercitu accidere poſſe, ut utrinque denuò ad fœdera & pacem colendam recurratur. Ad quæ tametſi ei reſponderent, fuſis fugatiſque hoſtibus, & tam florente exercitu ferè deleto victoriâ utendum, ne apud omnes mortales, quibus ea conſtiterit, importunæ ceſſationis malè audiendo pœnas luat; non fore adverſos Cæſarem, ſi jugum hoſtile cervicibus accolarum eâ munitione impoſitum excutiendum armis diruendumque putet; à quo ſi tam brevi momento temporis inſtrui præceptis non poterit, à Deo tamen immortali abundè eſſe inſtructum, qui hoſtibus ſummâ celeritate inſtar vetuſtiſſimi Pharaonis profundo merſis, nos veluti manu ductos ad proſequendam longè omnium pulcherrimam occaſionem invitare videatur, ne nobis dictum illud meritò quadrare poſſit: Vincere nos ſcire, ſed victoriâ uti neſciviſſe. Erant hæc vera, prout haud longo ſequuto temporis proceſſu, & Cæſari & cæteris clariſſimæ ſtirpis Auſtriacæ Principibus eadem conſilia placuiſſe conſtitit; ſed ipſe, incertum quibus de cauſis, divelli à propoſito non potuit, & exercitum Siſciam reduxit, breviſque pòſt copias ad ſua loca & ſtationes dimiſit. Erdodius verò ſuis & Illyrici nominis militibus non priùs abeundi poteſtatem conceſſit, quàm diruta tormentis hoſtilibus propugnacula, conſibulatis è materia trabibus, eaque ceſpite cum virgultorum faſcibus repleta tumultuario opere reſarciviſſet; cui operi ipſe quoque & alii ex primoribus manus admoverunt, ut ſuo exemplo gregariorum militum & agricolarum turbam ad ſubeundum alacriùs laborem incitarent.

At Turcæ, qui cruentiſſimam cladem effugerant, creberrimis nuntiis Byzantium miſſis, deletas ſub Siſcia copias, Haſanem eum undecim præfectis, ipſoque Mehemete Imperatoris propinquo cæſum, caſtra cum tormentis & impedimentis omnibus capta & direpta, claſſem amiſſam, rerum ſummam in extremum diſcrimen adductam ſignificaverunt, re adeò exaggeratâ, ut ſi Cæſariani victoriam incredibili aſpirantis fortunæ beneficio ac ſummâ celeritate partam proſequi animus ſit, non Boſnenſi duntaxat provinciâ, quæ adverſo eo prælio exhauſta viribus defenſoribúſque nudata reſiſtere nequeat, potiri; verùm etiam totum Sirmium cum Belgrado & ampliſſimâ regione, quæ à Savo ad Danubium protenditur, facili negotio occupare poſſint. Tum verò Sinanus paulò ante ferox & ſuperbus improſpero conſiliorum ſuorum exitu cognito, quum arma, quæ ipſe levibus diſcordiarum initiis temerè ſuſceperat, ſatis quoque damnata, & robur Pannonici atque Illyrici exercitûs radicitùs convulſum videret, immoderati animi detrimenta ſentire cepit, Muratemque tantâ ſuorum clade magnopere perturbatum non tam ad invadenda aliena, quàm ſua defendenda hortari, cohortes Janizerorum & prætorianorum equitum turmas, & Aſiaticos præfectos ad bellum propulſandum conciare, opem & præſentiam ſuam ei gerendo & adminiſtrando ultrò offerre. Soror quoque Muratis filio adoleſcente orbata eum ad vindicandam miſerabilem filii necem aſſiduè incitabat, neve illam inultam pateretur,

Murates clade Siſcianâ auditâ, à Sinano & ſorore inſtigatus bellum Cæſari infert.

cum

1593. eum multis lachrymis & lamentis orare & obteſtari non deſiſtebat. Quæ dum fiunt, & Turcæ cogendo exercitui rebuſque neceſſariis ſeriò vacant, Muratesimpellente Sinano contra jus gentium Fridericum Crecovitium Cæſaris legatum cuſtodiæ traditum ad ſeptem turrium carcerem mitti, ejuſque familiam partim ad triremes damnari, partim variis carceribus includi juſſit, Sinanumque delegit, qui ſine mora bellum Pannoniæ & Cæſari inferret.

Quâ rei indignitate permotus Cæſar, quum ſublatam à barbaris omnem ſpem pacis videret, ipſe quoque legatum Poppelium Cottaronio revocat, pecuniam Byzantium pro munere deſtinatam in uſum belli convertit, Palffioque & Comiti Zriniano, ut quacunque in re poſſint, Turcis quàm maximè noceant, edicit, in Illyricum verò ut Petriniæ obſidio, importunâ Equenpergi ceſſatione interruptâ, primo quoque tempore repetatur, iiſdem quibus antea ducibus in mandatis dat. Itaque rebus manifeſtè ad arma deductis bellum ſuſcipitur, & primùm exercitus, qui anno ſuperiore celebrem de barbaris pro Siſciæ mœnibus victoriam pepererat, Zagrabiam convenit: eodem etiam ex Ungaria Zrinius, & adoleſcens Battianus prima militiæ rudimenta poſiturus cum ſuis copiis venêre, conjunctiſque viribus ad quartum Idus Auguſti Petriniam obſidione

Exercitus Cæſareus Petriniam obſidet.

cinxêre, quam Ruſtanes & Erdoglis cum validâ Turcarum manu tuendam ſuſceperant. Eâdem nocte aggeres jubente Equenpergo, qui exercitui præerat, effodiuntur, & inter corbes vimineos octo tormenta de more collocantur, tanto ſilentio, ut hoſtes, qui intùs veſpertinis & nocturnis precibus præcinente Taliſmano vacabant, non niſi perfecto opere, & tormentis ad ſua loca advectis rem perſenſiſſe viderentur. Sed exitus rei omnium judicio videbatur fore difficillimus, quandoquidem arx & procul verberabatur, & ſi quæ muri pars concuſſa decidiſſet, non tamen à noſtris tutò aut facilè irrumpi poſſet, quòd Colapis caſtra noſtrorum & hoſtilem arcem interflueret: pons autem tametſi ſatis latus, arci tamen attiguus ab hoſte facilè tormentis eminùs defendi poſſet, ne à noſtris ſubiretur. Nocte tamen, quæ ſequuta eſt, aggeres & tormenta propiùs arcem promota ſunt ita, ut pilæ ferreæ tantâ vi in vallum inciderent, ut quamquam conſignatio duplex terræ interjectu ſatis firma eſſet, utrinque tamen illud perforarent, & multi intùs ex numero hoſtium fortuitis ictibus ſternerentur. Hac noſtrorum difficultates Turcæ, qui arcem tuebantur, rerum bellicarum periti ſatis intelligebant, tantaque erat eorum confidentia, ut nec portam clauderent, & quotidie in flumine aquarentur; noſtri verò de victoria deſperarent, niſi majoribus copiis auxiliaribus caſtra augerentur: quas Equenpergus ſive verè, ſive ad augendam noſtrorum ſpem brevi adfuturas affirmabat.

Jam octavus dies irritæ oppugnationis erat, quum Sinanus, qui poſt cladem Siſcianam

Sinanus Belgradum advenit.

poſthabitis omnibus moræ cauſis Byzantio exercitum eduxerat, ſummâ adhibitâ celeritate Belgradum, & illic ſuos Petriniæ obſeſſos magno eſſe in diſcrimine intellexit. Itaque nihil cunctatus filium Haſanem, Græciæ & Thraciæ præfectum, quem ipſi Beglerbegum vocant, cum ſuis copiis ad novum Boſnæ præfectum itidem Haſanem cognomine Parvum,

Filium ſuum Beglerbegum Petrinenſibus ſubſidio præmittit.

qui, donec alter mitteretur, è Sigetho iſthuc ire juſſus erat, auxilio laborantibus ſtatim adcurrere jubet, ipſe verò paucis pòſt diebus rectè Budam contendit. Haſanes Parvus cum Boſnenſium copiis, quæ cladi ſupererant, XIII. menſis Auguſti die Raſtoviciam venit, ibique in edito monte prope arcem fixis tabernaculis conſedit. Biduo pòſt Beglerbegus ſuperato ad Sinarium trajectum Savo ſequutus eſt, eodemque in monte caſtra cum illo conjunxit, loco nec lignationi, nec aquandis jumentis opportuno; quum & ligna è remotioribus ſilvis petenda eſſent, & equi ac jumenta ad amnem Petriniam, qui in ſubjecta valle profluit, & in Colapim illabitur, longo & difficili labore deduci oporteret. Verùm barbarico faſtu factum apparuit, ut ſicuti primus Haſanes nuper aquis ſubmerſus arroganter fecerat, ita ipſi quoque ejus exemplum imitati, à noſtris, qui in ſubjectis campis ad Colapis ripam caſtra habebant, oſtentatâ ad incutiendum terrorem copiarum amplitudine conſpici poſſent.

Cùm in hunc modum bina caſtra mutuis aſpectibus expoſita eſſent, Ibraimus ſenex vegetus è campo Merulæ cum Beglerbego huc profectus, à noſtris iſthic inſidiantibus interceptus fuit: is referebat hoſtes eo eſſe animo, ut ponte penes arcem flumen tranſire, ac de ſumma rerum ferro decernere velint; aut ſi eos noſtri expectare non auſi receſſiſſent, Siſciam expugnent, ac ſociis, qui ſuperioribus diebus ibi periiſſent, illorum cæde & ſanguine parentent. Igitur Equenpergus & cæteri duces

Equenpergus cæterique duces hoſtes caſtra in inſula opponenda cenſent.

ad prætorium Zrinii tabernaculum congregati, quidnam conſultius foret, conſultandum duxêre. Zriniani comitis ſententia ac Erdodii erat, ab eo, quo nunc erant caſtra, loco Siſciam eſſe deflectendum, ad eam inſulam, quæ hinc Colapi, illinc Savo, & per tranſverſum Oderâ fluvio decurrente, in trianguli cujuſdam formam ſita eſt, & caſtra penes Siſciæ arcem ad tormenti jactum collocanda, foſsâque & vallo munienda, ac Colapis & Oderæ ripas idoneis militum cuſtodiis præſepiendas, ne hoſti liber tranſitus pateat; commeatus in eum modum minimè defuturos, quum terrâ æquè ac flumine Savo devehi commodè poſſint, & Siſciæ conſervandæ conſultum fore: nec hoſtem temerè ſe fluminibus objecturum, quæ ab armatis noſtris cuſtodita, tranſituque difficilia eſſe conſpiciat; quòd ſi præproperâ feſtinatione in præſens diſcedatur, non eſſe dubitandum, quin opportunus locus protinùs hoſti expugnandus relinquatur. Auſpergus & Equenpergus huic ſententiæ non admodum reluctari videbantur, & ſi ingruente hoſte res minùs ex ſententia proceſſuræ viderentur, Savum ponte facto tranſiri poſſe exiſtimabant.

At contra obnititur Prainerius, exercitumque eſſe reducendum pervincit.

Verùm Godfridus Prainerius, qui mille equites, & pedeſtres copias è Stiriæ & Carinthiæ provinciis conſcriptas ducebat, intempeſtivam eorum audaciam, qui expectandos hoſtes ſuaderent, nequaquam probabat, nec rerum ſummam fortunæ caſibus & temeritati committendam arbitrabatur. Quid enim, “inquiebat, ſi dum vos hoſtem tantoperè con- “temnitis, res interim ad conſerendas ma- “nus deveniat, & quod Deus omen avertat, “fortuna & victoria ab hoſte ſtare videatur? “Savum, etiamſi ponte ſternatur, tranſiri “poſſe exiſtimabitis? num præferocem ho- “ſtem, numeroque & viribus ſuperiorem, id- “

eòque“

1593. „eóque tumidum quieturum? Bello Babocienſi,
„quod me puero adverſus Turcas Sigetum op-
„pugnantes, auſpiciis Ferdinandi Cæſaris ab
„ejuſdem nominis filio Ferdinando geſtum eſt,
„quum Græciæ Beglerbegus ſuis ſubſidio veniſ-
„ſet, à ducibus noſtri exercitûs, magnis viris,
„vitatum ejus congreſſum ut periculi plenum,
„ab iis qui bello interfuerunt cognovi. Et eo
„quidem tempore ex Ungaris Nadaſdium Pala-
„tinum, Nicolaum Comitem Zrinianum, Fran-
„ciſcum Tahium, Emericum Telcqueſſium, &
„ex noſtris Nicolaum Polbaſlerium, Joannem
„Ruberum, Honorium Quinſpergum, Caro-
„lum Sirotinium, clariſſimos bellatores & du-
„ces in caſtris fuiſſe, & majores quàm nobis
„modò ſuppetunt vires, & copias habuiſſe cer-
„tum eſt. Mihi igitur noſtras cum hoſtilibus
„vires comparanti hinc extempló retrocedeu-
„dum videtur, reductiſque tormentis Zagrabi-
„am redeundum; ne copias has, in quarum vir-
„tute & dextris ſalus & permanſio non harum
„duntaxat regionum, ſed Carnorum ac Stiriæ
„& Carinthiæ populorum ſita eſt, fortunæ te-
„meritati ac fortuitis prælii caſibus objicia-
„mus. Quod ad me attinet, ego profectò meas,
„quas huc adduxi copias, quæ ferè è nobili-
„tate earum, quas nominavi, provinciarum
„collectæ ſunt, & nunc tirocinio & rudimen-
„tis belli aſſueſieri cœperunt, nequaquam in
„aciem producam; ſed ſi vos in ſententia perti-
„nacius hæſuros cognovero, una cum iis pro-
„timus caſtris excedam, voſque conſiliorum
„veſtrorum rationibus ſubnixos DEO Opti-
„mo Maximo ac bono eventui commendabo,
„precatus, ut quæcunque egregiâ virtute aggre-
„diemini, ea omnia proſperè feliciterque ce-
„dant.

Poſtquam dicendi finem fecit, Aurſpergus cæteros etiam minores duces; ac turmarum præfectos in conſilium convocavit, ut eorum quoque ſuffragia voluntatemque cognoſceret: quibus quo res eſſent in ſtatu, quo hoſtis animo ex oppoſito caſtra locaſſet, commemoravit. Ii petito ad deliberandum ſpatio paulò pòſt rediê-ſunt, ac Ladiſlaus Bucovaccius, (is Carolſtadii turmam equitum ductabat) nomine omnium breviter in hanc ſententiam reſpondit: Ante-
„quam Zagrabiâ exiiſſetis, nihil de hujus belli
„progreſſu nobiſcum communicatum voluiſtis,
„veſtrorumque omnium conſiliorum hactenus
„expertes fuimus, itaque non eſt noſtrum ne
„nunc quidem quicquam in medium adferre,
„niſi id quod vobis, qui auctoritate & belli glo-
„riâ anteſtatis, placere & probari videtimus,
„conſenſu & obedientiâ approbare pariter, &
„juſſa veſtra exequi. Vos enim æquum in nos
„imperium exercetis, nobis ubique ii decus re-
„lictum eſt. Hortari tamen non omittimos,
„quod, ſi nos tacemus, vobis cordi eſſe debet,
„ut conſilia factaque veſtra omnia ad Reipubl.
„& exercitûs ſalutem convertenda exiſtimetis.
„Brevis ambiguaque oratio animos minimè
„pugnam appetentes declaravit.

Igitur quamquam imperii ſumma ad Equenpergum reſpiciebat, tamen diſponente cuncta Zrinio, cujus militari ſcientiæ & virtuti plurimum ab omnibus tribuebatur, exercitum eâdem nocte reducendum eſſe decernitur; ita ut ad tertiam vigiliam tormenta cum carris & impedimentis præmitterentur, peditatu ea ſubſequente, deinde Germani equites ſuccederent, poſtremam aciem Ungari utriuſque ordinis milites inalbeſcente cœlo ſubſequerentur: Zrinius & Erdodius cum ſuis copiis agmina clauderent, & ſi hoſtes conſpecto noſtrorum receptu poſtremos invadere vellent, ubverſâ fronte antecedentium terga tuerentur. In hunc modum ſtructis ordinibus appetente aurorâ redire cœptum eſt tantâ feſtinatione, ut multi mortales, quibus avehendis impedimentis currus deerant, quòd caſtra tam maturè diſſolvi nequaquam putâſſent, ea relinquerent, imprimiſque mercatores, qui vino Cretenſi aut Pucino, aliſque id genus poculentis & edulis negotiabantur haud contemnendi pretii merces corrumpere, vinaq; doliis effundere, & multa injecto igne concremare cogerentur, ne illa hoſtibus uſui forent. Sed illi quamquam noſtros ſeſe recipientes eminùs conſpexiſſent, ignari tamen quibuſnam de cauſis diſceſſiſſent, nec temerè eos irritandos putarent, quietos ſe in caſtris per aliquot dies continuerunt. 1593.

Verùm quum poſteà dilapſos ad ſuas ſtationes noſtros, ac Zrinium, & qui ex Ungaria venerant, domos ſuas repetiviſſe cognovêre, relictis montibus caſtra ad Petriniam tranſtulerunt, eaque illinc ad expugnandam Siſciam promoverunt, quæ tunc à Gaſpare Grangia, ac Andrea Fabricio collegii Zagrabiani ſodalibus præſidio tenebatur. Verùm ii noſtrorum diſceſſu conſternati, adeò animos dimiſerant, ut de retinenda arce deſperâſſe viderentur. Turcæ per quinque dies propugnaculum rotundum è parte Culapis conſtructum majoribus tormentis acerrimè verberârunt, ut irrumpi poſſe non dubitarent. Propugnatores ſtrage diruti muri perterriti, de auxiliis deſperantes de arce dedenda cum Turcis colloqui & paciſci decreverunt, & nuntios ad eus, qui tranſigerent, in caſtra miſerunt: qui paulò pòſt Turcis aliquot comitati cùm rediiſſent, protinùs datâ acceptâque fide, ut inter tractandum à tormentis & ſclopetis utrinque ceſſaretur, complures Turcæ in arcem colloquendi, ut dicebant, causâ, convenire cœperunt; ex alia verò parte Janiceri per ruinas adaperti propugnaculi magno numero, & nemine prohibente conſcenderunt, ſublatoque clamore noſtros nec opinantes oppreſsêre, cæſiſque ita aut captis, & interfecto Grangiâ præfecto, ac Fabricio capto arce punctu temporis potiti ſunt. Per hunc modum inter fraudulenta colloquia occupatâ arce pauci ex defenſoribus tranſnatato Savo evasêre, cæteri aut crudeliter cæſi, aut in ſervitutem redacti ſunt, ſeras ignaviæ & credulitatis ſuæ pœnas dederunt. Captæ Siſciæ præeſſe juſſus eſt Ibraimus, claſſis Gradiſcanæ trierarchus, quem Bihigii ſub poplite vulnus accepiſſe diximus, altero pede ex eo vulnere claudus, ita ut utriuſque arcis cura ei demandaretur; Beglerbegus verò illinc caſtra movit, & magnis itineribus Budam ad patrem Sinanum contendit.

Turcæ noſtris diſcedentibus Siſciam occupant.

At Sinanus recepto in caſtra filio, cùm victore exercitu non ampliùs cunctatus, quintis caſtris Albam pervenit, ibique unum non ampliùs diem commoratus, Calend. Octobris caſtra Veſprimium verſus progredi juſſit. Dicebant Turcæ, ut ſunt ſuperbiâ & jactantiâ ſingulari, eum ampliùs centum millia militum in caſtris habere; verùm ſi ad eos, qui idonei ad pugnam ſint, reſpiciatur, vix ejus numeri dimidia pars bello apta erat: cæterâ multitudine inter impedimenta potiùs, quàm alicui ad prælium momento aut auxilio recenſendâ,

1593. Sinan à Veſprimium obſidet & occupat.

Sequenti die, qui fuit ad quartum Nonas Octobris, Veſprimium venit, ac colles, & agros, & valles, quæ plurimæ in circuitu ſunt, caſtris & tentoriis implevit; aggeres autem & tormenta ſupra eum collem juſſit collocari, qui valli, quam Abbatiſſæ vocant, imminet; quo in loco ea ab Ali Eunucho Purpurato Budenſi ante quadraginta annos collocata fuiſſe memoravimus. Octo muralibus tormentis primùm arx verberari cœpta eſt, & quòd muri vetuſtate debiles, atque arx ipſa veterum in morem oblongâ & anguſtâ ædificii forma conſtaret, tanta via atque impetus incidentium pilarum fuit, ut non ſolum mœnia aggeribus proxima penetrarent, ſed etiam quæ ex adverſo erant, unâ eâdemque violentiâ perforarentur, pilæque in agrum Ratolttanum incidentes colligerentur, quas ſi quis in caſtra retuliſſet, pro ſingulis illud monetæ genus, quod ipſi Sainum vocant, accipiebat.

Præerat Veſprimio Ferdinandus patre Mario Speciacaſâ Neapolitano ortus, quem bello Peſthano claſſi Danubianæ præfuiſſe diximus, cum ducentis equitibus, & trecentis peditibus, & quum proximè cognitum eſſet, Sinanum ad illud expugnandum venturum, trecentos etiam Germanos pedites, quos Andreas Hoffquinhius ducebat, in ſupplementum ordinarii præſidii acceperat. Commeatus, & quæ alia erant neceſſaria, abundè curata erant. Sed angebat plurimùm obſeſſos aquarum penuria, quæ, ſi longior obſidio foret, haud dubiè expectanda erat; quum puteus, qui in arce erat, & quem Turcæ, dum arce potientur, ſingulari diligentia purum atque incorruptum ſervaverant, eorum, qui intùs erant, ſocordiâ & negligentia vitiatus uſui eſſe non poſſet: aquæ verò è rivis & fontibus, qui extra arcem ſcaturiunt, quos jam Turcæ occupaverant, niſi ſummo cum diſcrimine peti nequaquam poterant. Occurrebant tamen ei difficultati, quum utribus & cuppis coriaceis ligneiſque obſcuræ noctis beneficio egreſſi aquarentur. Sed brevi tanta murorum per ſe debilium ſtrages edita fuit, ut & hoſtes ad irrumpendum mutuò ſeſe incitarent, & Ferdinandus de ſua & arcis commilitonumque ſalute deſperaret, poſtquam duro ſaxeoque in ſolo glebæ terreæ deeſſent, quibus adaperti muri ruinæ militum labore obſtrui poſſent. Quibus rerum anguſtiis multi illum palam, quamquam ſerò, acrioribus verbis coarguebant, ut qui per ſexdecim annos loco præfuiſſet, eum tamen fatali deſidiâ, quæ demùm illi dedecori ſimul & exitio fuit, reſtaurare & munire neglexiſſet.

Rebus in hunc modum deſperatis, Ferdinandus præter veterem ſuam exiſtimationem, & alii ferè omnes per portulam, quæ ad meridiem vergit, exeundum, & relictâ hoſtibus arce in ſilvas profugiendum, ſeque & ſuam ſalutem fortunæ caſibus committendam eſſe decreverunt, ſolo Lupo Tarnocio ejus legato, ne tantum dedecus & flagitium committeretur, quem anteà ut nullius frugi hominem decoctoremque omnes contempſiſſent, ſocios multis verbis dehortante. Re deliberatâ, Ferdinandus Martino Seplaquio impigro juveni equum ſuum ducendum dat, & ut ſe paulò pòſt exiturum extra portulam præſtoletur, jubet: reliqui militum eunde in locum unà cum Germanis conveniunt, globoque facto properanti gradu taciti erumpunt. Sed fuga tanto ſilentio fieri nequivit, quin eam Turcæ arcis & exitus conditionum gnari, ac ubique ſummâ diligentia excubantes perſentiſcere cepiſſent. Itaque ingenti clamore ſublato accurrunt, ac ſclopetis & gladiis in exeuntes irrumpunt: in eo tumultu Martinus, qui Ferdinandi equum ſervabat, eo amiſſo interficitur, ipſe in pedes deſtitutus cæteris fugientibus ſe aggregat. Alii, qui hoſtium concurſu præventi profugere non poterant, partim pugnando cadunt, partim patefactâ armis per tumultum & noctis tenebras viâ, quò quiſque potuit, in valles & ſilvæ Bacaniæ latebras inconditi & palantes de ſuo periculo ſe exemerunt: inter quos Radicius Vaivoda, & Paulus Silva, ſummâ virtute centuriones cum aliquot ſociis fuêre. Major Germanorum cædes fuit, qui quòd locorum & viarum ignari eſſent, partim in veſtigio cæſi, partim capti fuerunt: ita ut ex trecentis vix ſexaginta in tutum pervenire potuerint. Ferdinandus & Hoffquinhius quum non procul fugere potuiſſent, multitudine hoſtium undequaque tanquam indagine clauſi & circumventi, vivi in poteſtatem hoſtium devenêre. Multi etiam ſequentibus diebus, dum errabundi in Bacania latebras mutarent, retracti ſunt; ut Matthæo Nigro centurioni accidit, qui poſtea diuturnæ captivitatis pertæſus, ad hoſtes deſcivit. Tarnocius, qui cum ſociis exire arce noluerat, ſupra tectum ſuæ domûs inventus, eandem captivitatis fortunam ſubiit, pauloque pòſt apud hoſtes periit. Ferdinandum tamen & Hoffquinhium benigniora numina poſt unum aut alterum carceris annum ad ſuos poſtliminio reduxerunt, quum ille è turri Neboiſana, quæ Belgradi eſt, cum Joanne Barciano Agriæ capto, & aliis tunc dimiſſus; hic verò Byzantii, corruptis multo auro quibuſdam Turcis, è carcere ſeptem turrium ad Boſphorum Thracium ſito, miro aſtu evaſiſſent. 1593.

Inde Palotam noſtrorum ignaviâ deditam invadit.

Veſprimio poſt XXVII. annum, quàm ab Ecchio Comite Salmenſe recuperatum erat, in hunc modum quatridui oppugnatione turpiter amiſſo, Sinanus nihil ibi moratus, ad V. Idus Octobris Palotam duobus milliaribus Veſprimio diſtantem, iiſdem tormentis, eodemque exercitu obſedit. Arcem eam à Nicolao Vilaquio, avorum noſtrorum memoriâ ad voluptuarios ſeceſſus, in valle potiùs quàm plano ædificatam, poſteaque à Laurentio ejus filio concameratis teſtudinibus & palatio auctam, indéque nomen adeptam eſſe ſatis conſtat. Foſſam habet latam præaltis muris undique circumſeptam, in qua ſalubres perennis aquæ fontes ſcaturiunt, & Orientalem partem, quæ Albam reſpicit, lacu veluti quodam muniunt, quum ſuperior pars ſeptentrionibus obverſa aridior aquis careat. Ex hoc latere Sinani juſſu aggeres conſtituti ſunt, & tormentis ibidem collocatis mœnia verberari cœpta: quibus quum haud mediocris ruina facta eſſet, neque tamen tanta, ut hoſti ingreſſus pateret, Petrus Ormandus præfectus altero ſtatim oppugnationis die fœdo & intempeſtivo metu perfuſus, hoſtibus è muro deditionem obtulit, ſi interim ab emittendis tormentis ceſſaretur, donec de conditionibus tranſactum eſſet. Eo impetrato Nicolaum Berentium ad Sinanum emiſit, ſeque arce exceſſurum nuntiavit, ſi ipſe & ſocii cum omnibus rebus incolumes in tutum abire permitterentur. Nec mora, annuente Sinano, ac Berentium purpurea veſte donatum remittente, collectis vaſis & ſarcinis egrediuntur. Sed nondum omnes exierant, quum Janiceri Berentio, & iis qui primi præibant, trucidatis,

Noſtri arce deſertâ profugiunt.

pueris

1593. pueris & fœminis manus injicere, & ſarcinas diripere cœperunt: eodemque tumultuario hoſtium in accurſu Andreas Segedinus, Barrabas Sangallianus centurio, & Gregorius Pataquius, aliique cæſi occumbunt. Ormandius equo deturbatus, & telis undique petitus, in ſummo vitæ diſcrimine verſabatur, niſi à bonis Turcis, quos complures habebat, fuiſſet defenſus; à quibus etiam equum, quo Papam uſque veheretur, eâ conditione accepit, ut eum inde remittendum curaret.

Sinanus exercitū Budam reducit.

Sinanus bidui ſpatio arce potitus, cujus obſidionem anteà Moræus, demùm verò Thurius per multos dies fortiter toleraverant, nullâ ulteriùs belli fortunâ tentatâ Budam reverſus eſt, ibique diutiùs exercitum in æſtivis tenuit. Cur autem Papam vicinam, & alias arces aggredi & expugnare noluerit, quæ adverſis vicinorum commilitonum rebus cæco impetu vehementer perturbatæ erant, ceu injuriæ ac periculo opportunæ, non ſatis conſtare apud Auctores video. Alii enim mandato Muratis eum revocatum è curſu rerum gerendarum tradunt; aliis videtur eum exiſtimâſſe, quòd Cæſar oſtentatis terrore & armis, ac repentinâ duarum arcium amiſſione perculſus, ad amplectendas pacis conditiones reduci poſſe videretur. Qui tamen in te ſpe ſua maximè falſum eum fuiſſe mox apparuit: Cæſar enim auguſtalis ſuæ dignitatis benè memor, ac tot tantarumque injuriarum impatiens, ducibus ſuis omnibus, ac imprimis Palffio, cui in ditionem citerioris Ungariæ à Danubio ad Scepuſium uſque imperium erat attributum, ac Zrinio, qui locis & regionibus ultra Danubium præerat, Ferdinando item Comiti Hardecco, qui Jaurinum obtinebat, & in cujus provincia bellum gerebatur, ſeriò in mandatis dedit, ut hoſtium injurias, qui fidem improbè fefelliſſent, & inducias primi ſuſtuliſſent, legatoſque ſuos violato jure gentium in vincula conjeciſſent, paribus illatis damnis & detrimentis primo quòque tempore ulciſcerentur.

Itaque nulla facta mora collatis inter ſe conſiliis copias cogere, nobilitatem & regiones ſibi ſubjectas ad arma concitare, & præſidia militum evocare, omnibuſque mandare, ut ad certa loca armati convenirent, in quibus luſtrarentur. Quod tanta alacritate, ac animorum promptitudine factum fuit, ut in oppido Mozonoceo ad XIII. diem Octobris ex duabus Nidriæ & Poſonii regionibus mille equites armis optimè inſtructi, & decem millia peditum cenſa fuiſſe conſtet. Ex Trinciniensi verò tractu duo millia militum, & ex aliis pro virium facultate haud contemnenda manus collecta eſt; ita ut voluntariorum peditum XXX. & ampliùs M. in caſtra convenerint, præter nobilium & evocatorum, ac qui in finibus ſtipendia merebant, equitatum. Cùm ad diem XX. Octobris Palffianus exercitus Comaronium in caſtra confluxiſſet, ac Zrinius & Hardeccus, ac quæ ultra citraque Danubium conſcriptæ erant copiæ paulò pòſt vires in unum conjunxiſſent, præterea ex Auſtris equites circiter mille Germani, ducibus Leone Gallo, & Wilhelmo Maraxio ſuperveniſſent, & Carolus Teuffius è Moravis trecentorum equitum turmam mercede conductam adduxiſſet, omnes copiæ XL. millium bellatorum numerum haud dubiè æquâſſe ferebantur. Aderant præter Nadaſdium & Georgium Turzonem Battianius tum primùm ex ephebis egreſſus, Sigiſmundus Forgacius,

Cæſareus exercitus recenſetur.

Franciſcus Detffius, Michaël Telequeſſius Stephano patre ortus, ac Emerici clariſſimi quondam ducis nepos, juvenis infami poſteà vitæ exitu notabilis, Nicolaus Iſthuanffius, & alii complores, quorum nomina enumerare longum eſſet, & ſupervacanei laboris. Ad navandam enim pro patria operam nemo omnium erat, qui non ad ſacræ adversùs barbaros militiæ munia libentiſſimè & promptiſſimis animis nomen profiteretur, ita ut amiſſione duarum arcium ita magìs noſtrorum accenſa, & irritati quàm imminuti animi viderentur. 1593.

Non ignarus harum rerum Sinanus erat, ut qui ab exploratoribus noſtros caſtra Comaronii metatos eſſe, ac Danubium, qui ibi duplici decurrit alveo, binis utrinque pontibus, non navium contabulatione conjunxiſſe didiciſſet. Sed quum eſſet naturâ & moribus ſuperbus & inſolens, vel quòd ſe, ut res in tuto eſſent, rectè providiſſe putaret, nec quicquam adverſi metueret; vel omninò noſtrorum copias uti collectitias, & nihil egregii facinoris auſuras, elato animo contemneret, publicata in caſtris profectione, ut ſibi quiſque de commeatu rebuſque ad iter neceſſariis proſpiceret, ſe ad reditum comparabat, jamque ex Janiceris duo millia ſelectiſſimorum deſcribenda curaverat, qui Budæ ad urbis cuſtodiam, ac ad incerta belli relinquerentur. Noſtri convocato concilio in arcem Comaronienſem, cui etiam minores duces & præfecti interfuêre, quidnam aggredi opus eſſet, neve tantus exercitus, qui navandæ operæ deſiderio ardere, pugnamque poſcere videbatur, fruſtrà per otium & deſidiam tempus tereret, diu multùmque conſultavêre. Nonnulli Strigonium, aut certè Albam obſidendam eſſe, ſi Sinanus diſcederet, ut fama ferebat, exiſtimabant; pars eas urbes admodum munitas eſſe, & magnis præſidiis cuſtodiri, nec ea aggredienda, quæ in irritum recidere poſſent conſilia, dicebant: ſed Veſprimium & Palotam infirmiora loca tentanda, ut quæ incuriâ & fœdâ noſtrorum conſternatione recens amiſſa eſſent, recenti etiam occaſione recuperarentur. Atque hæc ſententia vicit; tametſi Hardeccus, & tunc, & poſteà, ut Alba non quidem ſummis virium conatibus, ſed acriori tantùm impreſſione tentaretur, magna verborum contentione obtinere conaretur.

Conſultatio de ſumma belli.

Dum in hunc modum diſceptaretur, & noſtrorum profectio ad XXVIII. diem Octobris indicta eſſet, Sinanus (quod poſteà cognitum eſt) uno antè die caſtra promovit, eaque Tolnam versùs progredi juſſit. Noſtri quum imparibus ſuffragiis ducem Hardeccum, qui exercitui præeſſet, conſtituiſſent, (Palffius enim & Zrinius ex officii prærogativa cedere illi nequaquam volebant; ſed poſteà, ne ea contentio rebus gerendis obſtaret, hortatu procerum acquievêre) inflatis tubis & tympanorum ſtrepitu, vexilliſque explicatis ſignum progrediendi dedêre, relictaque ad lævam Tatâ, breviori autumnali die duo milliaria confecêre, eo propoſito, ut Veſprimium invaderetur; quanquam quatuor aut quinque non ampliùs tormenta curulia, & modica rerum neceſſariarum copia in promptu haberentur. Primis in caſtris Hardeccus propoſiti ſui tenax, & omninò Albæ tentandæ conſilia animo complexus, Nicolaum Iſthuanffium ad Palffium & Zrinium miſit rogatum, ne ſuis ejuſmodi conſiliis reluctari vellent: quos quum ille cum Nadaſdio in ta-

1593. bernaculo colloquentes adiiſſet, commodam nactus occaſionem, non ſinè aliqua difficultate obtinuit, ut ſi Albana via nondum prætérita eſſet, Hardecco obtemperarent: cùmque à Georgio Hermannio, & Joanne Barbellio, qui erant locorum viarumque peritiſſimi, intellectum eſſet, eam adhuc ſupereſſe, ut ſummo manè diei ſequentis caſtra per eam viam ducerent, ſumma cum Hardecci ſatisfactione juſſum fuit.

Noſtri urgente Hardecco Albam aggrediuntur.

Sequenti die poſt promota caſtra, quamquam ingens & nebuloſa caligo aërem obtenebrâſſet, ita ut cohortibus & turmis mutuum aſpectum eriperet, & equites haſtarum, quas in manibus habebant, ſummas cuſpides nequaquam viderent; tamen itum eſt rectà Albam versùs, & relictis ad medium milliare tormentis & impedimentis, expedito agmine ſub Solis occaſum eò perventum. Turcæ nihil tale ſuſpicati, otium & quietem agitabant, quum aliquot equites urbe egreſſi, nebulâ proſpectum impediente, in noſtros inciderunt, & duobus aut tribus eorum cæſis alii effuſo curſu reverſi, ad arma conclamârunt, noſtroſque adeſſe nuntiârunt. Præfectus Iſacus inopinatâ re perculſus, ex ſuburbano vallo, quod Ingovanum vocant, in quo habitabat, cum equis & ſervis, ac rebus, quas ſubitaneo in tumultu auferre poterat, in urbem interiorem, quæ muro cincta eſt, profugit; reliqui Turcæ, quòd locus ſimplici vallo circumdatus defendi nequaquam poſſet, raptis ſecum conjugibus & liberis, & multâ ſupellectile relictâ idem fecêre. At noſtri, quòd tormenta nondum attrahi potuiſſent, eò, ubi illa conſtiterant, ſub noctem redeuntes, conſilio habito Petrum Huſarium cum quatuor millibus peditum selectiſſimorum primis tenebris mittunt, qui ſuburbia improviſo impetu invadant, & ſi fortuna proſperè aſpiraverit, ut trucidatis defenſoribus illa occupari queant, etiam in urbem appoſitis ſcalis irrumpere ne dubitet; ſeque cùm primum ſignum dederit, cum toto exercitûs robore affuturos pollicentur.

Is igitur nocte intempeſtâ per notos tramites proximè vallum pervenit, & promptiſſimos peditum partim ad quaſdam portulas, quæ ad rerum neceſſariarum convectionem de induſtria adapertæ erant, partim ad majorem portam ſecuribus diruendam irrumpere juſſit; & re celeriter confectâ, ac militibus per diſſectas fores irrumpentibus, Turcæ magnum clamorem ſuſtulerunt, ſéque ad defenſionem confertim comparârunt: tametſi major eorum pars veſpertino tumultu perculſa in urbem ſeſe recepiſſet. Oborto certamine & ſclopetarii noſtris multam glandium procellam in hoſtem ſparpentibus, ita ut fragor & ſtrepitus, ac ingens pugnantium clamor in caſtra exaudiretur, Turcæ tametſi ſatìs diu ſeque & vallum defendiſſent, tamen amiſſis quamplurimis, deſerto exteriore oppido, in urbem compulſi ſunt. Tum verò noſtri potito vallo, & ad agendam prædam converſi domos invasêre, inventaque eſt in iis varia & multiplex militaris ſupellectilis copia, eaque ſummâ celeritate omnis direpta. Huſarius deinde nihil cunctatus proximam vallo urbis portam adortus diu oppugnavit; ſed irrito conatu, quòd ea muro cincta eſſet, & majorum tormentorum pilis, & ſclopetorum glandibus ab hoſtibus acerrimè defenderetur; miſit tamen in caſtra ad Hardeccum, qui Ingovanum in poteſtate eſſe, & ſi exercitus ſubſequeretur, tormentáque admoveret, ſe, quin territis hoſtibus urbs intercipi poſſet, minimè dubitare nuntiarent. Itaque motis ante auroram caſtris, urbs adhibitis etiam Germanis militibus acriùs oppugnari cœpta: ſed ne tum quidem feliciore ſucceſſu, quòd modica expugnandis viribus inſtrumenta non tam anguſtiâ temporis, aut viæ difficultate, quàm Hardecci negligentiâ præter quædam falconum minorum paria advecta eſſent. 1593.

Intereà Turcæ crebris tormentorum fragoribus, quæ aſſiduè vel in incertum emittebantur, ac incenſis interdiu noctuque ignibus, urbem circumvallatam eſſe, ſeque in ſummo ſalutis ac urbis amittendæ diſcrimine verſari ſignificabant, ut Budenſes & alii vicini exciti ad opem ferendam incitarentur. Et mox ingruente Solis occaſu, & noſtris needum ab incepta oppugnatione deſiſtentibus, aliud ſuburbanum, quod ab equitibus, qui illud inhabitabant, Beſliam vocant, quodque anteà ſub exercitûs adventum vacuum reliquerant, inflammârunt, atque inſuper multis etiam ſtrâminis & fœni cumulis, qui ibi coacervati erant, faces & ignem ſubdiderunt, tum ut eorum flammis procul collucentibus periculum ſuum ſociis indicarent, tum etiam ut noſtri, qui omnes angulos & latibula, ac domos, contemptu plerumque incendio, rimari & diripere non ceſſabant, certioribus ad ignium ſplendorem ictibus ferirentur. Cùm in hunc modum incerto ancipitique Marte certaretur, Huſarius colubrinam ab Hardecco & ducibus mitti ſibi poſtulavit, quâ porta urbis quaſſaretur; qui tametſi eâ re parum profici conſpiciebant, ne ſe tantæ tamque munitæ urbi expugnandæ apparatu, quem habebant, pares eſſe noſſent; eam tamen petenti illi minimè denegârunt. Quâ labore & humeris peditum nec expectatis ob celeritatem jumentis attractâ, majorem partem peditatûs denuò in mœnia & portam urbis irruere, ſclopetiſque rem gerere, ſimul & majoribus pilis eam verberari juſſit. Sed illa jam ab incluſis hoſtibus terrâ & ceſpite, roboribuſque interjectis adeò erat munita, ut vel ingentium tormentorum ictus facilè ſuſtineret, & labor omnis noſtrorum irritus & inanis redderetur: atque ii pedem referre cogerentur, multique interirent, inter quos Joſephus Veſſeius Thomæ Nadaſdii juvenis equitum ductor, & ei propinquitate junctus, dum pedites voce exemplóque incitaret, glandéque trajiceretur, quo ex vulnere biduò pòſt interiit.

Haſanes Budenſis Albanis laborantibus opē affert.

Dum hæc geruntur, Haſanes Purpuratus, qui Budæ præerat, Mehemetis magni Veſirii filius, Albanorum periculo permotus, ac ab Iſaco Albæ præfecto, qui noſtrorum copias non tam militarium virorum robore, quàm agreſtium inconditâ multitudine conſtare nuntiabant, ſollicitatus, miſſis in omnes partes celeribus nuntiis, copias tantâ curâ & celeritate coëgit, ut intra quintum diem juſti exercitûs numerum in unum colligeret, & aſſumptis ſecum duobus Janicerorum millibus, quos Sinanus Budâ profectus ibi reliquerat, cæteróque peditatu ex arcibus deducto Albam provolaret, ſuis laborantibus opportunam opem allaturus. Jam Cal. Novembris aderant, Huſario & noſtris inceptis nondum deſiſtentibus, quum duces equis vecti haud procul urbe in unum convenerunt, eique, ut copias unà cum tormento reduceret, nec ampliùs fruſtrà contendendum putaret, nuntiaverunt, & in diem poſterum reverti

verti

1593. verti decreverunt. Eo ferè temporis momento equites duo ex Jaurino, Turcam multis in capite & pectore, dum ſe acriter defenderet, vulneribus ſauciatum adduxêre; qui, quòd nullius niſi Illyricæ linguæ gnarus eſſet, Zriniano Comiti cæteris omnibus arbitris præter Iſthuanſfium remotis, percunctante, Budenſem cum exercitu Albam ſubſidio venire, nec procul abeſſe retulit, eoque dicto paulò pòſt expiravit. Accidit autem miro ſanè caſu, & haud obſcuro divini Numinis beneficio, ut neuter eorum ſive oblivione, ſive quòd incerto indici fidem derogarent, ulli eum rumorem ſignificaret. Sub veſperum duces ignari hoſtium adventûs, permutari vigilias juſſerunt, ac recentiores milites trifariam emiſerunt, Palffius Georg. Croantm Barth. filium, Hardeccus Hermuunium, & Nadaſdius Benedictum Bicerdium, ac ut in omnes partes ſingulari diligentiâ excubarent, & ſi quid, quod ſua ſcire intereſſet, ſpeculari poſſent, ſe quàm celerrimè de eo certiores redderent.

Intereà illuceſcente altero poſt Calendas die, exercitus colligere vaſa cepit, ac lentis paſſibus, relictâ Albâ, ad Sarviſium amnem, de cujus è Balathone lacu origine alibi diximus, in loco, qui à delubro olim ibi conſtructo Divæ Barbaræ quercetum vocatur, ob aquationis commoditatem conſedit, ibique pernoctavit. Die poſtero, qui ad tertium Novemb. illuxit, Eraſmus Praunius, Comaronienſis præfectus, & caſtrorum magiſter cum ſuis redire cepit, eumque peditatus ferè omnis, & impedimentorum magnus longo ordine numerus ſubſequutus eſt, cohortibus inordinatè & tumultuariè, quà cuique viſum fuit, progredientibus; ſic ut in caſtrorum loco modica admodum peditum manus, ac vix octo aut novem millia equitum relinquerentur; ii quoque non multò pòſt præeuntes legiones ſequuturi. Profectis iis, ac modico imbre è nubecula decidente, qui tamen mox ad pugnæ initium pluere deſiit, ab iis, qui in excubiis vigilabant, ſe noctis pervigilio viâ Budenſi frequentiores ignes conſpexiſſe nunciarur, tum etiam venaticos hoſtium canes, quales propendentibus auriculis, ac villoſâ caudâ à noſtratibus, qui arrectas & glabras habent, dignoſcuntur, ad ipſorum ſtationes adcurriſſe; jam verò haud obſcurâ luce progredientem exercitum videri.

Hæc primò ad Nadaſdium perlata, ac ab eo ſtatim Palffio & Hardecco, cæteriſque nunciata, eos haud parum perturbavêre, ut qui adventûs hoſtium ignari, magnam virium partem præmiſiſſent; nihilo tamen minus ingenti animo ſummâque celeritate, quòd hoſtium præſentia, & maximè urgens neceſſitas moram omnem excluderet, ſuos in ordinem redigere, aciemque componere cœperunt. Ex adverſo Haſanes jam ſuos longo ordine & lunatâ acie inſtruxerat; ita ut XLIV. tormenta curtulia, quorum campeſtribus in præliis uſus eſt, ante agmina unâ eâdemque ſerie collocaret, ac à dextra duo millia Janicerorum prætorianorum, quos à Sinano Budæ relictos eſſe diximus, ac mille alii veterani; à ſiniſtra verò Aſapi Albani, ac alii ex diverſis præſidiis deducti pedites, haud pauciores tribus millibus; in medio ipſe cum equitatu, qui ad duodecim millia cenſebatur, conſiſterent, tormentis interim in noſtros non ceſſantibus, nec tamen notabili damno. Certum de hoſtes, quòd nullâ factâ morâ noſtros nec opinantes & imparatos primo ſtatim impetu aggreſſi non fuerint, ſpatiumque ſtruendæ aciei conceſſerint, quod facilè prohibere poterant, victoriam, quæ haud dubiè penes ipſos futura fuiſſet, prærbitâ eâ quantacunque morâ corrupiſſe; ſed Diis ſuperis res humanas æquâ lance moderantibus ſic fuit placitum, ut tam in Illyrico quàm Pannonia Impii fœderum & fidei ruptores debitis perfidiæ pœnis plecterentur. Contrà noſtri hoc ordine in occurſum proceſſerunt, ut aciem ſiniſtram Palffius cum ultradanubianis copiis, ac equitibus ſclopetariis, tam ſuis peculiaribus, quàm è Moravia mercede conductis; dextram verò Hardeccus cum Jaurini & Papæ præſidiariis, ac cataphractis Auſtriacis duceret, Zrinio & Nadaſdio cum ciſdanubianis turmis media acies obveniret, quæ Haſani & equitatui hoſtili ex adverſo opponeretur. 1593.

Stetêre ambæ acies, mirum dictu, obverſâ invicem fronte immobiles integro duarum horarum ſpatio; quum Haſanem, dum Ungaros & Germanos egregiè inſtructis ordinibus ſtantes, & ad pugnam paratos conſpexiſſet, Albenſi præfecto dixiſſe ferunt, eam aciem non plebeiam aut agreſtem, qualem ipſe retuliſſet, ſed virorum militarium, nec pugnam detrectantium videri. Cùm in hunc modum congreſſuræ acies ſtarent, noſtrique duces, qui prior inferre pedem pugnamque inire deberet, per nuncios mutuò ſeſe cohortarentur, Palffius primus in Janiceros ex oppoſito ſtantes acerrimo impetu invectus eſt, ſimúlque eodem momento cæteræ acies in hoſtem pedem intulêre, tanto ſilentio, & quod mirum videri poſſit, tam taciturno congreſſu, ut tametſi continuè cruentum & atrox prælium ſuboriretur, nullæ tamen utrinque voces, nullus clamor, nec tubarum aut tympanorum ſtrepitus, ſed horrendus armorum & pugnantium fragor, moxque diſſoni occumbentium gemitus exaudirentur. Tum Janiceri ſclopetorum grandinem diffudêre, ſimul & magiſtri tormentorum omnes culubrinas in noſtros proximè invectos exploſerunt; ſed quod veterem quampiam foſſum eo momento tranſirent, pilæ ſupra haſtarum ſummitatem volitantes exiguum detrimentum intulerunt: Noſtri verò tormentarii, qui quatuor duntaxat falcones habebant, nullum operæ pretium jaculando fecêre. Palffius cum Janiceris congreſſus diu ancipiti prælio dimicavit ſauciato aliquot vulneribus ejus equo, & vehementer clavarum ictibus contuſa galea, nec tamen cum ſuis pugnam intermiſit, donec Janiceri ad unum omnes delerentur. In dextra parte, quæ hoſtibus ſiniſtra erat, eodem modo Hardeccus & Auſtriacus equitatus, ac turmæ ex Jaurino & Papa egregiè contra hoſtium pedites rem gerebant.

Acie utrinque inſtructâ prælium initur.

Noſtri ſtrenuè rem gerunt.

Quo in certamine ferox pedeſtris ordinis Turca Hardeco grave vulnus in crure inflixit, deriſurus ei haud dubiè tibiam, niſi ferreo inſtrumento concavo, quo ſclopetum pulvere ſolphureo impleri ſolet, ocreæ fortè impoſito eam muniviſſet; illum autem Turcam Sigiſmundus Hagerius, & Gilbertus Santolerius è Burgundis ortus, ille unius equitum alæ Germanicæ Jaurini, hic verò cohortis ductores, interfecto hoſte protexerunt. Praunius, & qui manè ejus diei præceſſerant, audito tormentorum fragore, admirantibus cunctis, nequaquam reverterunt, præter Lupum Srarcitium ejus legatum, virum fortem, qui id quod erat, ſuſpicatus, Turcarum ſuperventu certamen eſſe contractum, durante adhuc pugnæ fervore

1593. cum paucis adhuc erat reverſus. Sed dum Zrinius & Nadaſdius adverſus Halanem in medio agmine præſtanti equo vectum irruerent, qui Zrinium vehebat, procerus albuſque, & multis anteà prælus probati roboris equus fortè prolapſus eſt, & ad hoſtes profugit, ipſe ſuorum interventu, quos præſtanti virtute ſibi tuendo elegerat, protectus, & alteri equo illatus eſt.

Hoſtes victi fugatique.

Nec diuturna cum hoſtium equitibus pugna fuit; nam cùm primum proſterni ad utrumque latus peditatum & Janiceros vidiſſent, ſtatim metu nimio correpti, nec primum noſtrorum impetum ferre potuêre, quin ſtatim relictis tormentis & pedibus effuſam fugam capeſſerent, & pars Albam, pars ad Bacaniam ſilvam, & quò quemque ſors tulit, profugere feſtinarent. Verùm plurimi in fuga partim cæſi, partim pauci è curſu retracti fuêre: inter quos Veliaga & Ibraimus, ducentis Janiceris præpoſiti, ſericeis veſtibus & tiarâ illâ pyramidali, quales Chorhagus geſtare mos eſt, inſignes intercepti fuêre. Nec in toto hoſtium exercitu, præter hos & quendam Chanſium, ac unum aut alterum è Janiceris quiſquam captus fuit; adeò omnes efferatis animis ad trucidandos delendoſque hoſtes ferebantur. Jam Janiceri & alterius ordinis hoſtium pedites internecione occiſi erant, nemine omninò evadente, cùm Palffius alio conſcenſo equo, cum ſuis, quorum equi adhuc vegetiores erant, cæteris, qui hoſtes perſequebantur, Nadaſdioque imprimis ſeſe adjunxit, & eò major Turcis fugientibus terror illatus eſt; ita ut major eorum pars ad lacum Pacoldium temerè confuſeque illata, ac illum tranſnatare conata profundioribus aquis mergeretur, ſupernatantibus anterum inſtar lineis & orbiculatis capitum tegumentis: qua in colluctatione cum multis aliis periit Aliocgus ille Eunuchus Cuppanenſis præfectus, ſuperioribus annis, ut diximus, Veſprimii captus, qui nondum Principi Erneſto integrum redemptionis pretium perſolviſſet. Cernere erat patentibus in campis vias, quà hoſtes pugnaſſent, quive inter fugiendum obverſâ fronte reſtitiſſent, & aliquamdiu certamen protraxiſſent, jacentium cadaveribus in cumulum ſtratas eſſe, quoſdam adhuc ſemivivos palpitare, nonnullos manibus & brachiis, aut alia corporis parte detruncatâ petere, ne diutius tanto in cruciatu vitam producerent, ſed crudeli miſericordiâ extempló trucidarentur.

Peditum VI. millia, equitum IV. interiêre.

Pugnatum eſt cum peditibus & maximè Janiceris ampliùs duabus horis, ſed equites nequaquam pari fortitudine dimicârunt. Peditum ſex millia, equitum quatuor interiiſſe poſteà à transfugis cognitum eſt. Halanes hoſtium dux, dum inter fugiendum in quendam Joannis Tapolchanii equitem elingoem & mutum incidiſſet, diu cum eo ſingulari pugnâ dimicavit; demum cùm vulnus accepiſſet, & acinacem pugnando perfregiſſet, qui vaginâ & capulo è ſolido auro gemmis exornato conſtabat, in tutum profugit. Equus quoque, quem ſub Zrinio concidiſſe retulimus, à quibuſdam equitibus pro hoſtili captus reductuſque fuit. Ex noſtris vix XL. deſiderati ſunt, & pauci etiam vulnerati. Ludovicus Sarca, Pauli filius, cui in primo congreſſu caput cum galeâ immani colubrinæ ictu abreptum fuit, & Michaël Aniolius glande plumbeâ trajectus, ac Joſephus Veſſeius, quem ad urbis portam cecidiſſe diximus, Jaurinum à ſociis perducti, exquiſito ſepulturæ honore tumulati fuerunt.

Delcto in hunc modum hoſtium exercitu, 1593.
Hardeccus cohortante Nadaſdio caſtra ad lacum urbi vicinum, quem Soſtonem vocari diximus, tranſtulit; ipſeque, quòd ſaucius eſſet, curru eò vectus eſt. Et conſtat eos, qui intùs erant, Albanos noſtrorum victoriâ territos, extremoque metu perfuſos, haud dubiè urbem dedituros fuiſſe, ſi vel minima vis tormentis illata à noſtris foret; nam & captivos jam quoſdam Chriſtiani nominis cædere, conquiſitaſque portarum claves Huſamo veterano alæ unius equeſtris præfecto, qui de deditionis conditionibus tractaret, tradere inceperant; verùm duces præpoſteris uſi conſiliis, ſummo manè diei ſequentis conclamatis vaſis, relictâque Albâ, & ejus capeſſendæ commodiſſimâ occaſione omiſsâ, domum reverti maturarunt. Quo animadverſo hoſtes quoque ab incepto deſtiterunt. Exercitus autem Palffianus Comaronium, indéque ad Novam arcem Archiepiſcopalem, cæteri cum Hardecco Jaurinum, & indè ad ſuas quiſque domos & ſtationes redierunt. Tormenta omnia & ſigna, ac tympana hoſtium circiter XLIX. fractumque hoſtium ducis acinacem, & gladios ac ſpolia magiſtri Leo Gallus & Eraſmus Pratnius triumphantibus ſimiles Erneſto Principi Viennam detulêre: qui lætum partæ felicibus auſpiciis tam inſignis victoriæ diem gratiis DEO Optimo Maximo ſolenni ritu actis, quantum potuit impenſiùs celebravit.

Sinanus auditâ ſuorum clade Eſſecum revertitur,

At Sinanus Tolnâ progreſſus, cùm Carancio in oppido, ubi prandendi causâ ſubſtiterat, Albanæ ſuorum cladis famam cognoviſſet, nihil cunctatus, omiſſis omnibus rebus Dravum ponte ex navibus anteà contabulato trajecit, & Eſſecum delatus eſt. Cur autem ſuis laborantibus opem reverſus non tulerit, quos etiam iiſdem diebus à Cæſarianis obſideri comperiſſet, incertum eſt. Beglerbegum tamen filium cum quatuor millibus militum ex itinere remiſit, ut Budam præ aliis omnibus locis tuendam atque defendendam ſuſciperet, & quæ deinceps gererentur, de iis ipſum certiorem redderet.

relicto Budæ filio.

Palffius quum victor rediiſſet, Chriſtophoro Tiffenbacho, qui nomine Cæſaris Caſſoviæ Pannoniæque ſuperiori imperabat, ac Sigiſmundo Racocio, cæteriſque amicis victoriam ab ſe & ſociis de hoſte partam ſignificavit: eoſque hortatus eſt, ne otio torpere vellent ſed haud diſſimili alacritate bellum hoſtibus inferrent, poſtquam Turcis auctoribus res ab induciis ad arma & apertum bellum prorupiſſent; ſe, ſi opus ſit, idque ipſi velint, cum ſuo exercitu ſubſidio venturum. At illi vindictæ & gloriæ avidi, tum ſponte ſuâ, tum à Cæſare juſſi, omnes jam in armis, ſoque rerum gerendarum procinctu erant, Sabatcam invadendam conſtituerant, cohortante eos atque impellente Simone Forgacio, clariſſimo ſene, rebuſque cum Loſſontio, & demum cum Suendio præclarè geſtis inſigni. Convenerant in caſtra præter militem ſtipendio conductum ac præſidiarium certatim nobilitas, ſenatores, equites, evocati, ſummi, infimique, & ſuas quiſque copias militarem in modum inſtructas adduxerant, Stephanus Bathorius, Franciſcus Dobo, Stephanus Homonnajus cognomento Drugetus, Racocius, & ipſe Forgacius, multique alii, quibus Tiffenbachius tormenta & eorum apparatum ſubminiſtravit, ac ſe ducem præbuit; itumque eſt primo impetu ad Sabatcam expugnandam.

Tiffenbachus Sabatcam expugnat.

Erat

1593. Erat id caſtellum à Filecianis Turcis paucos ante annos in ripa Rimæ fluminis, opportuno adverſùs noſtros loco conſtructum, ſive versùs Caſſoviam & Sixonem, ſive Agriam & Tocajum infeſtis armis excurrendum foret: ibi euntibus & redeuntibus ſtationes & hoſpitia opportuna, ac quietis receptacula præſtò erant, & ad colubrinæ jactum propinquum habebatur oppidum Sombatum, magno Sabatcanis Turcis adjumento commodoque. Conſtabat duplici vallo valdè firmo, & propugnaculis validis, & in medio lapidea turris erecta erat, quadratæ nec contemnendæ munitionis, foſſáque latâ & aquis plenâ circumdabatur. Hic quoties ad Sixonem pugnatum ſuperioribus annis fuit, ab hoſtium ducibus & copiis quæſitis quantum ſatis ſumptum: huc Bebecus, Magocius, & Sarcoſius uno eodemque certamine capti; Georgius poſtremò Secius, & Gaſpar Putnoquius, & innumeri alii variis intercepti caſibus huc deducti fuerunt, atque adeò hinc variis excurſionibus adjacentes, & procul quòque diſſitæ regiones crudeliter evaſtatæ. Igitur omnibus & Tiffenbacho viſum eſt huic loco primum omnium terrorem & tormenta admovenda. Inerant præſidio quadringenti Turcæ, omnium, qui illic in limitibus eſſent, promptiſſimi & ferociſſimi: qui quum ad primos tormentorum ictus egregiè ſe defendere ſtatuiſſent, biduo oppugnationem fortiſſimè ſuſtinuerunt; nec ad noſtrorum voces incolumitatem, ſi caſtello tradito exceſſiſſent, promittentium quicquam reſponderunt. Dejecto interim majoribus pilis & procidente vallo, tam Ungari quàm Germani pedites, cohortante Drugeto, linguæ eorum gnaro, & qui dies & noctes in aggeribus tormentariis aſſiduè verſari, ibique cibum & ſomnum capere ſolebat, ad irrumpendum ſeſe accinxêre. Nec mora, acerrimo facto impetu repulſi hoſtes, & ad interiorem lapideam munitionem rejecti, multis ſuorum amiſſis, ſerum de deditione colloquium poſtulavêre. Sed noſtri, quòd ſe vel invitis hoſtibus loco potituros viderent, eo denegato acrius inſtare cœperunt; cæſiſq; ad internecionem hoſtibus caſtellum triduui labore in poteſtatem redactum, quòd vi tormentorum adeò dirutum eſſet, ut retineri non poſſet, nec retento eo opus eſſe videretur, reductis tormentis, quæ intùs erant, ſolo æquatum eſt.

Proximum erat Filecum, magnæ apud Turcas & opulentæ præfecturæ ſedes, in qua DCCC. equites, & totidem pedites continuè præſidium agitabant: prætereà magnus voluntariorum equitum, & Martalaciorum pedeſtris ordinis militum numerus, qui per montes & ſaltuoſa ea loca excurrendi & prædandi magnam habebant opportunitatem. Olim arx erat Bebecorum, à quibus, quo aſtu quâve unius noctis fraude ante XL. annos amiſſa fuerit, ſuo loco memoravi.

Hinc Filecum oppugnat

Ab eo tempore nobiliſſima regni pars, hinc ad viſcera & penetralia montanarum civitatum, Zolium uſque & Biſtriciam, illinc verò ſub ipſos ferè Caſſoviæ muros tyrannicum & crudele hoſtium jugum ferre, & tributum quotannis pendere coacta erat. Hanc arcem cum ſubjecto oppido Tiffenbachus, & quos ſuprà memoravi duces, omnibus viribus expugnandam ſuſcépêre, nihilque cunctati, permotis caſtris poſt aggeres ſummâ celeritate conſtitutos tormentis oppidum magnâ vi concuti ceptum eſt, eâ opportuniore occaſione, quòd Ufreſſus præfectus, privatarum rerum causâ alioſum profectus, eo tempore abeſſet. Intereà Palffius, quamquam exercitum labore itineris fatigatum, ideoque quietis indigentem haberet, quem paucis antè diebus reduxiſſet; admonitus tamen à Tiffenbacho & Racocio, Sabatcam in poteſtatem redactam, & Filecum oppugnari caſtra protinùs promovit, ac Ladiſlao Martinio Zolii, Benedicto Pograni Corponæ præfectis, ac Georgio Fancio, qui Boſoco præerat, ut ſe cum ſuis copiis ad certum locum conjungant, in mandatis dat, ac de curanda annona, & mittendis, quæ decreto publico debebat, auxiliis nobilitatem commonefecit; ipſeque navandæ operæ cupidus, non multò pòſt, confecto celeriter itinere, ad Tiffenbachum pervenit. Habebat ſecum ad ſeptem millia militum, qui omnes erant cùm præteritis annis exercitatiſſimi, tum proximè prælio Albano magnam bellicæ laudis ac virtutis opinionem adepti. Exhilarati ejus adventu omnes, animiſque aucti oppidum majori vi ac impetu oppugnare ceperunt; ipſeque perluſtratis aggeribus nonnulla in eis vitia aſſentiente Tiffenbacho correxit, ac propiùs admoveri tormenta juſſit: ita ut illa ipſemet ſæpè collimaret, atque ad deſtinatum ſcopum nuſquam fallente ictu diſploderet. 1593.

Itaque oppidi vallum brevi tempore magnâ ruinâ & ſtrage patefactum eſt, ut duces irrumpi poſſe putarent. Nec mora, ſigno dato peditatûs major pars, quæ ad quatuor millia militum ſelectiſſimorum conſtituebat, ad ſuperandas ruinas magno animorum ardore atque alacritate procurrit. Sed mox ab hoſtibus fortiſſimè ſeſe tuentibus non ſinè cæde rejecta atque repulſa fuit. Quo irrito conatu tantum abfuit, ut noſtrorum animi diminuerentur, ut etiam magìs ad vindictam efferati irritarentur; quippe eodem die modicâ quiete ſumptâ oppugnationem indefeſſo animi corporiſque robore redintegrandam duxêre; cohortantibuſque Tiffenbacho & Palffio, ac imprimis Racocio, explicatis ſignis, magnaque ſublatâ voce adaperti muri ruinas conſcendere cœperunt: Et hoſtes nihil pretermisêre, quin fortiter nec ſinè noſtrorum cæde pugnarent, ac conſcendentes deturbare conarentur. Sed ad extremum victi, & ad interiora oppidi compulſi illud noſtris relinquere coacti ſunt, in quo ii, qui in arcem ſe fugiendo recipere nequivêre, quorum magna multitudo fuit, omnes aut capti, aut crudeliter interfecti fuêre: magnæque opes inventæ, & ingens præda comportata: quæ deindè exercitum equis eximiis, prædâque omnis generis divite & armis implevit. Mulierum etiam & puerorum turba ingens in manus noſtrorum incidit, quæ ut in re inopinata & improviſa nec ad tutiora loca mitti, nec nunc inſtante periculo in arcem profugere potuiſſet.

Oppidum à noſtris capitur.

Reſtabat arx duplex, ſaxeæ rupi impoſita, quæ unicum ex oppido aditum habebat, cæteræ partes vaſtâ rupium crepidine aſperæ & inviæ erant, & ab iis, qui intùs erant, non ille duntaxat aditus tormentis defendebatur, ſed etiam ii, quos loca arci propinquiora ſpeculari, aut oculis luſtrare animadvertiſſent, deſtinatis ictibus petebantur, tantaque erat pilarum vis & frequentia, ut nemini in aggeribus conſiſtendi ſinè aperto vitæ diſcrimine facultas eſſe videretur. Palffius tamen & Tiffenbachus contempto omni periculo frequentes in iis verſari, magiſtrus tormento-

 rum

1593 rum inſtruere, ac ad dirigendas in mœnia pilas incitare, ſuiſque omnibus ſpem & animos addere. Obſtaculo obſeſſis erat arcis exterioris murus, penes quem ad tuendam portam commeare oportebat, & propugnaculum à Gaſpare Raſcaio, Blaſii filio, qui arcem ante tempora Bebecorum obtinebat, conſtructum, qui tormentis concuſſus ingentem hiatum fecerat, & identidem procidendo multos fragminibus lapidum aut graviſſimè affligebat aut omninò oppreſſos celeriter exanimabat. Nec prætermittendum videtur, quòd paſſim ab omnibus, qui obſidioni interfuerunt, Turcis pariter & Chriſtianis traditum eſt, plurimos propugnatorum partim comitialibus morbis, & inſolitâ vertigine, aut membrorum omnium reſolutione, partim oculorum caligine tentatos officium præſtare nequiviſſe, idemque & fœminis & virginibus, pueriſque, qui nunquam anteà tale quicquam ſenſiſſent, uſu veniſſe, uſque adeò, ut præfecti & tribuni ab iis, magno ejulatu & lamentis aſſiduè ad deditionis conditiones ultrò offerendas, & tradendam arcem ſolicitarentur.

Propugnatores miris exagitati morbis.

Quibus rerum difficultatibus, ſive obſidentium præſtigiis & incantamentis, quod Turcæ falsò ferebant, ſive divinitùs ut credi par eſt, immiſſis, hoſtes perturbari ac deſperare cœperunt. His malis accedebat, quòd nulla ex Budenſibus auxiliorum ſpes recenti ad Albam clade attritis expectari poſſet, nec adhuc Beglerbegus cum copiis iſthuc perveniſſe diceretur. Itaque à noſtris de deditione interpellati, ſe eam non abnuere de muro reſponderunt, ſi de conditionibus convenirent. Nec mora, jubentibus Tiffenbacho & Palffio ſex è præcipuis paulò pòſt propter portam aggeſtâ terrâ & materiâ obſtructam funibus per mœnia dimiſſi adfuerunt; atque ii cum Racocio (ſic enim poſtulabant, quòd eum anteà, quum Sendroni præfuiſſet, familiariter cognitum habebant) ita tranſegerunt, ut ſingulis unis enſibus accincti, ſine equis, ſine ſignis, ſine tympanis incolumes dimitterentur, conjugeſque & liberos ſolos efferre liceret; ſed ſubſtantia omnis ac facultates ibi relinquerentur: miſſuſque eſt Pogranius in arcem, poſtquam porta magno labore repurgata eſſet, qui eos ex arce deduceret, neve quid ultra conditiones à quopiam auferri pateretur. Exceſsêre ampliùs tria millia hominum promiſcui ſexûs, deduxitque eos uſque ad Seceniam Turcico adhuc præſidio cuſtoditam, ad tertium lapidem diſtantem, Drugetus tribus Germanorum & Ungarorum millibus comitatus, ſine maleficio, iiſque ibidem relictis, ipſe cum ſuis in caſtra reverſus eſt.

Arcem noſtris dedunt.

Noſtri tam opportuno loco intra ſextum diem incredibili celeritate potiti, quum quamnam in partem ulteriùs arma promovenda eſſent, conſultarent, multique ut Hathoana arx obſideretur, quæ ſola Budam petentibus reſtare videbatur, utendumque occaſione divinitùs oblatâ cenſerent, ad Tiffenbachium adfertur magnas apud Seceniam hoſtium copias, in caſtris eſſe, quæ nimirum tantâ clade colligi potuiſſent. Itaque ſine mora ex omnibus copiis ſeptem millia militum utriuſque ordinis deliguntur, eiſque Stephanus Bathorius, & alter Stephanus Drugetus Homonnianus duces præficiuntur; moxque quadratis & inſtructis ordinibus iter aggrediuntur. Cùm haud procul Seceniâ perveniſſent, hoſtes ad Hippolum amnem caſtra metatus eſſe, & inalbeſcente aurorâ ſignum profectionis tubis inflatis dediſſe animadverterunt. Verùm quum noſtrorum antecurſores in eos, qui ab hoſtibus præmiſſi erant, equites fortè incidiſſent, eoſque terga dare compuliſſent, non ſine præſenti divini numinis ope ſingularique beneficio accidit, ut cæteri, quorum pars impedimenta carris impoſuerat, conſcenſiſque equis ſtabat, pars adhuc frenandis equis, & induendis armis componendiſque ſarcinis occupabatur, viſâ ſuorum fugâ, & noſtrorum adventu perterrita, extemplò fugam daret, ſeque ad ſilvas & montes proximos proriperet, noſtriſque incruentam victoriam, & carrorum impedimentorumque omnium prædam relinqueret. In hunc modum quum hoſtes ad varia loca, in quibus ſtipendia merebant, diſperſi, Filecum tam nobilis præſidium amiſſum, copiares auxiliares fuſas fugataſque, caſtra capta & direpta ſociis & commilitonibus trepidi retuliſſent, tantus repente Turcas terror occupavit, ut nullâ factâ morâ complures arces commeatu rebuſque omnibus refertas, nec ſpernendæ munitionis Plabenſtaniam & Deniniam Balaſſianæ ditionis, à Muſtapha olim Purpurato, ut diximus, captas, Bujacum, Ainaſcoorem, Somoſconem, & Caſtrum Corvi vocatum, vacuas, & noſtris occupandas relinquerent, ſeque cum conjugibus & liberis ad tutiora loca conferre maturarent: quibus in poteſtatem noſtrorum redactis poſteà Tieffenbachus idonea præſidia & cuſtodias impoſuit.

1593.

Auxiliares Turcorum copiæ à noſtris fugata,

arceſque ab iis plures deſerta noſtra ditioni accedunt.

His rebus geſtis, quòd mediâ hyeme & intolerandis frigoribus nec homines nec jumenta in caſtris perdurare poſſe ampliùs viderentur, nec Tieffenbachus ſibi cum hoſte acerrimo ſimul, & cum aëris & cœli injuriis colluctandum eſſe arbitraretur, aliiſque multis de cauſis, relicto Fileci, qui præeſſet, & dirutas ejus partes reſtauraret, Michaële Serienin, Caſſoviam verſus cum caſtris reverti conſtituit; Palffiumque collaudatum ab ſe dimiſit, gratiaſque ei ingentes habuit, quòd præſenti occaſione, Dei Opt. Max. ſingulari beneficio oblatâ, tam neceſſariam quàm opportunam reipublicæ Chriſtianæ & patriæ ac Cæſari operam præſtitiſſet. Qui cum ſuis copiis in reditu Turcas Secenii præſidia agitantes, tormentorum terrore admoto perterritos ad deditionis conditiones compulit, ac liberos & incolumes dimiſit, arcique præſidio impoſito Honorium Tanhauſerum, Germanum quidem origine, ſed in Ungarum familiæ Harhalmianæ adoptatum præeſſe juſſit; ac ulteriùs progreſſus, Dregelum edito in monte ſitum, ac Palancam, quæ ad Hippolum flumen amœno & opportuno loco à Turcis conſtructa erat, perterritis & diffugientibus defenſoribus vacuas reperit, eaſque facili negotio occupatas Ægidio Magno præfecto, viro forti cuſtodiendas attribuit, & ad XV. Calendas Januarias incolumem & victorem exercitum reduxit.

Noſtri in hiberna diſcedunt.

Palffius Secenium atque Palancam occupat.

DE

DE REBUS HUNGARICIS LIBER XXVIII.

1594.

SECUNDUM hanc victoriam, auſpiciis Cæſaris, & curâ atque adminiſtratione Erneſti fratris partam, Alexander Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux, rebus in Belgio & Gallia geſtis clariſſimus, qui exercitum Philippi Regis Hiſpaniarum immortali cum laude, ac nominis fama ductaverat, è vivis exceſſit, aquâ intercute extinctus. In ejus locum Philippus Rex Erneſtum delegit, ut ſibi ſanguine junctum, qui Belgicis provinciis adminiſtrandis imperatorii muneris nomine præeſſet; quem etiam per legatus ſummæ auctoritatis ad amplectendam conditionem hortatus eſt: qui cùm Pragam conveniſſent, convento primum Gulielmo de Sancto Clemente, ordinario ejuſdem Regis apud Cæſarem legato, paribus cum eo ſtudiis Cæſarem orârunt, ut Erneſto fratri ad ſe vocato auctor eſſe vellet voto Philippi Regis ſatisfaciendi. Annuente Cæſare, nec Erneſto pariter detrectante, qui Regis potentiſſimi, & propinquitate ſibi juncti rebus plurimùm ſtudebant, non multò pòſt accepto per literas ab Ungaris magno verborum cum honore commeatu, & Pannonicis rebus atque exercitibus Matthiæ fratri de Cæſaris voluntate traditis, ac tutelâ Ferdinandi patruelis Caroli filii ſimul & Stiriæ, Maximiliano alteri fratri commendare, per Norinbergenſes & Wirciburgenſes, ac deindè trajecto Rheno per Lucemburgum ad Belgas profectus in urbem Bruxellas pervenit, magnificentiſſima ubique pompâ & populorum acclamatione exceptus. Sed ea res inauſpicatò ſuſcepta eum habuit eventum, ut Princeps pacis belli que artibus clarus, & longiori vita dignus non diu Belgis præeſſe poſſet, ſed biennio nondum exacto, incertum veneno an alterius morbi atrocioris vi extingueretur.

Ducis Parmenſis obitus.

Erneſtus Archidux ei ſuccedit.

Ejuſdem è vita exceſſus.

At Matthias ſuſceptâ Pannonici exercitûs curâ, poſtquam bellum cum Turcis contractum indies magis ac magis exarſiſſet, nihil antiquius habuit, quàm victorias toties & tam feliciter partas, virtute & induſtria ſua proſequi, ac priuſquam hoſtium vires, ut fama ferebat, in Græcia ac ultramarinis Aſiæ partibus colligi juſſæ adventarent, ardua quæque & difficilia, quod illa eſſent tum decora, tum plena laudis militiæ excitamenta, primo quoque tempore experiri. Igitur poſt Calendas Januarias Jaurinum profectus, duces copiarum tam Ungaros quàm Germanos, imprimiſque Palffium è Nova arce ad ſe vocavit, ac cum iis de futuri belli progreſſu, ac quibuſnam in locis illud inchoaretur, conſultandum decrevit. Non defuêre, quemadmodum in ſuperiori conſultatione Comaronienſi acciderat, qui Veſprimium & Palotam recenti Turcarum expeditione captas, recuperari oportere exiſtimarent; neque id factu difficillimum fore, quandoquidem in propinquo nec munitæ admodum eſſent, nec magno hoſtium numero cuſtodirentur: pertinere ad famam & exiſtimationem Cæſaris exercitûs, ſi illæ maturiùs ab hoſtibus extorqueantur, & ad Papæ ac Jaurini quietem, quæ loca ab illis, qui ibidem excubarent, aſſiduè inquietarentur. Hujus ſententiæ Hardeccus cum Chriſtophoro Quintpergo, & quibuſdam aliis princeps erat, qui illas arces præfecturæ ſuæ ademptas ferre æquo animo non poterat, & ideo ut hoſtes iis ejicerentur, audaciæque ſuæ & temeritatis citò pœnas darent, cupiebat. 1594.

Matthiæ Archiduci belli Pannonici præfectura demandatur. A. 1594.

Deliberatio de belli ſumma.

Ex adverſo Palffio minimè dignum videbatur, Principem tanti nominis cum exercitu, cujus recentem curam ſuſcepiſſet, oppugnandis illis occupari, in quibus vel recuperatis haud magnum operæ pretium foret, niſi Alba vicina teneretur; cujus viciſſim oppugnatio aliam occaſionem, alias vires & copias requireret. Proindè ad magis illuſtre extendendæ famæ & gloriæ decus, reique publicæ majus emolumentum fore, Nugradum, quod anno ſuperiore ob adverſas ingruentis hiemis tempeſtates omiſſum erat, repetere, illudque fortiter expugnare: cujus acceſſione Zolio, Corponæ, & Bolocu, ac civitatibus Montanis quies & tutus redderetur, & præſidia, quæ hactenus in illis locis fuerant, Nogradum transferrentur, quod opportuno loco & itinere ad Budam, Deo auſpice, brevi recuperandam, quam ad conjugendas Ungariæ ſuperioris vires & copias ſitum eſſet: locum quidem eſſe Veſprimio & Palotâ munitiorem, ſed quæ vim noſtrorum nequaquam diu ſuſtinere poſſe videretur: ſe curaturum ne exercitus, quanquam viæ ob incommodiſſima anni tempora multo cœno ac gelu impeditiſſimæ ſint, ex iis, quas ſibi ſubjectas habeat, regionibus, re frumentaria & rebus neceſſariis deſtituatur.

Princeps approbatâ hâc ſententiâ eam ſequi deliberavit, legatumque poſt ſe cum ſummâ poteſtate in exercitu Palffium dixit; Eraſmum Braunium Comoronii præfectum, magiſtrum caſtrorum conſtituit, Leonem Gallum tormentario negotio præpoſuit, Engelhardum C... legionis unius Germanicæ tribunum præ... vigiliis, Joannemque Jovium, prætorem regni, annonam curare juſſit, ac omnibus, ut ſequenti menſe Februario Levam in caſtra convenirent, in mandatis dedit. Tormenta verò, & eorum apparatum quòd lentiori gradu promoverentur, ſine mora præire, ac ſe Levæ expectare juſſa ſunt; idque Leo Gallus ſummâ diligentiâ curavit. Advenêre juſſu Principis, quanquam ob viarum difficultatem lentius facto itinere, mille equites cataphracti, quos Sebaſtianus Sliccus ducebat, ac legio Germanica Curtii, quatuor millibus peditum conſtans, è Suevia & Rhætia gentibus collecta, ſummæ virtutis, ac militum Ungarorum è Jaurino, Papa, Comaronio, Corpona, aliiſque locis egregia manus, omneſque ad Dregelium & Palancam præire juſſi. Hos Palffius cum ſuis ac Nobilitatis Ultradanubianæ, & poſtea cum ultimis agminibus Princeps ipſe ſecutus eſt. Tametſi autem omnes properandi, & operam præſtandi cupidiſſimi forent, tamen ob continuas nives & pluvias, ac itinera glacie & gelu conſtricta, progredienti exercitui infenſiſſima, non antè Palancam perventum eſt, quàm circa ultimos menſis Februarii dies; Principe Matthiâ omnes cæli injurias & tempeſtates invicto animi & corporis robore, patientiâque perferente: adeò ut ejus exemplo cæteri quoque omnes viarum incommoda infracto animo ſuſtinere viderentur. Ibi exercitus, ut

Cæſareus exercitus duce Matthiâ Nogradum obſidione cingit.

1594. ut aliquandiu quieſceret, & corpora curaret, in hiberna per pagos diſtributus eſt, qui ad decurſum Hippoli fluminis frequentes ſunt: atque illinc ad Tieffenbachium mandata data, ut ſuas copias educere, & cum iis, quas Princeps ducebat, conjungere maturaret.

Verùm cùm ob itinerum graviſſimas difficultates Tieffenbachius nimis tardè adventare videretur, & res omnis in celeritate poſita eſſet, Princeps ſuaſu Palffii & aliorum, ne quid mora ſecum diſcriminis adferret, neve hoſtibus ad reſiſtendum vires atque facultatem ſubminiſtraret, nihil cunctandum aut expectandum ratus, exercitum promovit, & ad ſextum Idus Martias ad oppidum Ruthenicum Oroſzfalvam, uno lapide ab Nogrado diſtans, de quo anteà diximus, caſtra locavit, in quibus Germanorum atque Ungarorum quatuordecim millia peditum, ac ſeptem millia equitum cenſa fuiſſe ferebantur. Illuc pernoctanti exercitu adfertur Turcarum haud contemnendum numerum ſub Nogrado in caſtris eſſe. Itaque habito conſilio decernitur, eos primâ luce invadendos eſſe, cumque iis ferro decernendum. Sed aliis ſubindè exploratoribus advenientibus, & hoſtes noſtrorum adventu cognito, retrò ad Vaciam ceſſiſſe referentibus, ab incepto deſtitêre, ac ſequenti die ſtructis ordinibus, ac explicatis vexillis, tormentiſque ſequentibus, ſub meridiei tempus, quo Turcarum ſacerdotibus mos eſt conſcenſis turribus altâ voce ſuos ad preces convocare, in conſpectum Nogradi perventum eſt.

Nogradi deſcriptio. Ea arx ditionis olim Epiſcopi Vacienſis, rupi non admodum editæ impoſita eſt, avorumque noſtrorum memoriâ magno Nicolai Bathorii Vacienſis Epiſcopi ſtudio, multis ædificiis ac elegantibus, opere Jacobi Traguriní architecti & ſtatuarii reſtaurata fuit: habetque ab occidente ſole vaſtiſſimas ſilvas, quæ Filecum & Dioſgiorium verſus longè latéque protenduntur, ac ad meridiem Danubium & Vaciam duobus diſſitam milliaribus; ad Solis verò ortum colles ſunt & vineta minimè alto vertice, è quibus haud irrito labore tormentis peti poteſt: habet etiam circumcirca foſſam XXX. pedes profundam latamque, in ipſa rupe, magno, ut apparet, labore & ſumptu ejuſdem Bathorii antiſtitis exciſam, cum puteo haud minoris laboris & impendii, ac turrim in medio erectam, quibus ipſius nomen & gentilitia trium lupinorum dentium inſignia exſculpta adhuc extare videntur. Hanc autem veteris ædificii molem Turcæ, erectis forinſecùs duplicis & valdè craſſi valli cratibus, iiſque roboribus confibulatis, ac ceſpite repletis, ad propugnaculorum formam longè firmiorem reddiderant. Præerat ei Mehemetes Niger, è Pheris Theſſaliæ urbe oriundus, ideóque Carapheris cognominatus, cum octingentis circiter Turcis, qui ad primum exercitûs conſpectum, oppidum arci ſubjectum non contemnendæ amplitudinis ac firmitatis injecto igne funditùs concremârunt; ſimul cum horreis & frugibus, ac fœni ſtraminiſque cumulis, quos foris congeſſerant, tantâ vi & ſævitiâ, ut etiam in hortos, eorumque ſepimenta & arbores fructiferas, ne noſtris uſui eſſe poſſent, exſcindendas, barbarâ feritate debacharentur; interimque noſtros caſtra & tentoria collocantes aſſiduis tormentorum ictibus, nec tamen notabili aliquo detrimento, infeſtare non deſinerent.

Sub veſperum ejus diei ſole nondum occidente, Leo Gallus cum tormentis & eorum apparatu adventavit, lentiore ob itineris difficultates facto progreſſu, ac tormenta in eo colle, quem ex adverſo arcis ad orientalem plagam eminere diximus, collocavit; ac tria majora, quæ viginti aut triginta pondo ferream pilam evomebant, in arcem ſalutandis veluti hoſtibus exonerari juſſit, & hoſtes pariter ex arce reſponderunt. Eâdem nocte aggeres fieri, & corbes terrâ ac ceſpite celeriter repleri, ac tormentis inter eas collocatis arcem verberari juſſit; ita ut die quoque toto inſequenti & nocte nulla in concutiendis mœnibus intermiſſio fieri videretur. At Turcæ, qui eâ temporis & anni aſperitate noſtros nequaquam bellum moturos exiſtimâſſent, ideóque ad defendenda mœnia arcemque minus parati eſſe viderentur, ad obſtruendam ceſpitibus & materiâ portam, ac ad attrahenda idoneis in locis tormenta ſeſe converterunt, tanto ſilentio operi intenti, ut & tormenta diſplodere in obſidentes, & excubitores ſublato ut moris eſt clamore, obire vigilias prohiberent; adeò ut multi eos relictâ arce diffugiſſe exiſtimarent. Verùm perfecto opere ad mœnia tutanda reverſi, expanſis per ea, ac turrim ac propugnacula multis vexillis, ſeſe ad defenſionem compatârunt, ut ſe nequaquam territos eſſe, nec de ſalute & victoria deſperâſſe demonſtrarent: itaque magnam in noſtros pilarum majorum minorumque procellam diffuderunt. 1594.

Palffius nullam eis quietem dandam ratus, operas, quarum haud contemnendum numerum è montanis civitatibus acciverat, quæ effodiendorum varii generis metallorum apprimè gnaræ eſſe ſolent, ad faciundos ſub exteriori vallo cuniculos, quod è craſſiſſimis roboribus contextum erat, ſubire murum jubet, uſque mille, aut paulò plures pedites, quorum dimidia pars ex Ungaris conſtabat, reliquum è Curtii & Galli legionibus ſelectum erat, attribuit, qui eos ab injuria hoſtium, ſi fortè excurrerent, tutarentur; interim autem tormentorum magiſtris ſeriò imperavit, ut crebriùs & terribiliùs pilas in arcem contorquerent, ne illos, qui cuniculos agere cœperant, ſentire poſſent. Verùm fieri nequaquam potuit, quin hoſtes in omnia intenti & vigilantes animadverterent, ac ad eum locum accurrentes, tam eos, qui in opere erant, quàm qui illis tuendis excubabant, glandibus, & ſaxis, ac trabibus ſupernè in ſubeuntes dejectis eminùs vulnerare ac deturbare conarentur; ſic ut pluribus ex noſtris ſauciatis, ac nonnullis cæſis re infectâ redire conarentur.

Nec mora, Palffius receptis in caſtra foſſoribus alias cohortes ſociis laborantibus ſubmiſit, ducibus Ladislao Martinio, & Benedicto Pogranio, multiſque ex earum numero ſecures & dolabras dedit, quibus dejiciendo vallo, quod jam argillâ nudatum erat, operam darent; cæteros faces & ſtraminum manipulos inferre, & vallum ſuccendere jubet. Et exteriores quidem valli partes, quæ præacutis palis, ſupernè virgultis connexæ erant, aliquot in locis inflammatæ arſerunt, ita ut ad interiora poſt hac facilior aditus adaperiretur. Duravit hæc pugna à media nocte ad quintam ferè horam diei, cadentibus utrinque vel ſauciatis non paucis: è numero ſiquidem noſtrorum circiter XLV. cecidêre, ſauciatis ampliùs ducentis;

ex

1594. ex hoſtibus verò LXX. cæſi, ac CL. graviter vulnerati fuêre, ita ut Carapheri & ſociorum animis haud dubius diſcriminis metus & rerum deſperatio injiceretur, cogitantium & reputantium, ſi dejecto interiore vallo oppugnatio repeteretur, ſe tanto ardore æque ordine incumbentibus nequaquam pares futuros. Intereà Palffius ultra priora octo tormenta, quibus mœnia ex utraque parte quaſſabantur, alia quatuor attrahi, & ex aggeribus, quæ verſus ſeptemtrionem, quà hoſtes ex ſumma arce in exteriorem commeabant, conſtitui juſſerat, rem gerere cœpit, periculum facturus, an incluſi tanto tormentorum ingentium apparatu è tribus locis petiti, ad complectendas deditionis conditiones compelli poſſent, cujus rei haud dubiam animo ſpem concepiſſe videbatur.

Matthias Archidux in caſtra venit.

Dum hæc fiunt, Matthias Princeps è Dregelio, ubi pernoctaverat, cum mille equitibus, ac legione Germanica, aulæque ſuæ comitatu lentiùs ob viarum incommoditatem progreſſu facto, in caſtra venit, ac poſtquam ſtatim aggeres & tormenta perluſtrâſſet, collaudatâ Palffii & Galli diligentiâ ac ſolertiâ, ut iis in arcem emittendis nihil ceſſaretur, imperavit. Quorum vi ac impetu cùm vallum haud leves rimas feciſſet, & Turca inſignis tormentario negotio præpoſitus terribili ictu pilæ diſcerptus eſſet, Carapheri & reliquis animus concidit; nec diu pòſt Alaibegus, quo nomine is, qui Spahis, hoc eſt, pagos & latifundia habentibus præeſt, è muro proloqui, ac Benedictum Pogranium, ac Michaëlem Botinum (is erat Bicabaniæ præſidii legatus) nomine compellare cepit: qui quum præſtò adfuiſſent, ut tormenta ceſſarent, petivit, ſeque acceptâ fide ad tranſigendum de deditione exiturum ſignificavit. Eâ datâ exivêre cum Alaibego ſex alii elatioris nominis Turcæ, & cum iis Palffius, qui perſonam Matthiæ Principis ſimulabat, ſic tranſegit, ut ſe & arcem cum omnibus, quæ intùs eſſent, ad arbitrium victoris mox dedere maturarent. Cùm internuntii in arcem remeâſſent, & Matthias ac cæteri duces à Palffio invitati, ſub pellibus & tentoriis prandiſſent, paulò pòſt rediêre, & Carapherim conditionibus non aliter aſſentiri retulerunt, quàm ut inſtar Filecienſium cum uxoribus & liberis, ac ſingulis gladiis arce excedere liceret; ſed ut in arbitrio victoris vitæ ac incolumitatis poteſtas ſit, id nequaquam admittere; quin illum in arce extrema quæque pati, quàm tam fœdam & inhonoratam ſervitutem ſubire malle.

Eâ re cognitâ quamquam non deerant, qui verberandam iterum tormentis arcem, ac vi expugnandam cenſerent, nonnullis verò æquæ conditiones, quas poſtulabant, admittendæ viderentur, ad extremum, ne qua difficultas aut mora in recipiendo fieret, tranſactum eſt, & abeundi omnibus facultas conceſſa; cautum tamen, ne quid præter ſingulos enſes auferre liceret; atque eo die, qui fuit quarto Idus Martias, Ferhates, qui nuper præfecturâ Belgradienſi & Samandriæ deceſſerat, cum tribus aliis pro obſide datus, in caſtris remanſit; ac ſequenti die Carapheris cum cæteris ac puerorum & fœminarum turbâ arce excedens, claves arcis Palffio traditas ſimul cum arce reliquit; quadrageſimo ſecundo anno, poſtquam à Turcis bello Temeſvarienſi capta fuerat. Quæ deinde à principe curæ & fidei Andreæ Revaii, qui turmam equeſtrem cum laude ductaverat, commendante Palffio tradita eſt, ſic ut cum CCC. Ungaris, ac tribus vexillis Germanorum, quibus Andreas Ridemannus præerat, tuendam ſuſciperet; ac deindè difficillimis itineribus, ac amnium inundationibus, continuiſque pluviis ægerrimè reditum eſt: adeò ut nullis in promptu navigiis, & pontibus ubique vi aquarum interruptis, exercitus multis in locis complures dies ſubſiſtere, famemque & frigus, rerumque neceſſariarum inopiam, cæteraque incommoda ſuſtinere cogeretur, ſicuti Principi ad Nitriam contigit; ubi ipſe quidem ratibus non ſine ſummo labore tranſvectus, ac à Stephano Feircuvio Epiſcopo convivio exceptus, donec copiæ & impedimenta decreſcentibus aquis trajicerentur, aliquamdiu morari atque expectare fuerit coactus. Priùs verò quàm caſtra ſolverentur, ducibus ac præfectis copiarum in mandatis dedit, ut ad Calendas Apriles rurſus Jaurinum, aut quò ipſe juſſiſſet, convenirent: nam cum primùm majores copiæ, quas ad eum diem affuturas ſperabat, in unum conveniſſent, Strigonium obſidione cingere decreverat. 1594.

Turcæ arcem noſtris dedunt.

Comes Zrinius cum aliis ducibus in Illyrica varia caſtella ſubigit.

Intereà Georgius Comes Zrinianus collatis cum præfectis copiarum, qui in Illyrici partibus agitabant, Sigiſmundo Herberſtainio, Friderico Trautmanſdorffio, ac aliis conſiliis copiiſque maturè collectis, quibus ſeſe conjunxit Joannes Lateſius Melchioris Redesi legatus, cum D. equitibus Sileſitis Caniſam in caſtra convenerunt, & cum Nobilitatis militibus ac Caniſiano præſidio in hoſticum excurrere, ac dignum aliquot facinus adverſus hoſtes exequi decreverunt. Igitur quamquam flumina Dravus & Mura, cæterique amnes ubique continuis pluviis & nivibus tum primùm colliquatis inflati exundâſſent, nihilo tamen minùs Caniſam confluxerunt, & undecim tormentis currulibus in campum protractis, quæ Jacobus Pillerius curabat, ad XXI. diem Martii, memoriæ Divi Benedicti dicatum, caſtra ad Mauritii pagum promovêre; indè ſecundis caſtris ad Berſenciam perventum eſt, à Turcis bello Sigetano occupatam. Sed hoſtes, qui intùs erant, nec conſpecto exercitu, neque expectatis tormentis, ſuccenſâ arce profugerunt; noſtri verò extinctis quantum fieri potuit, ignibus, tormenta majora ſeptem, totidemque colubrinas inde avexerunt; cæteris ferè omnibus, ut re frumentariâ ac reliquo commeatu, ac militari ſupellectile eodem incendio corruptis, aut omninò abſumptis. Sequenti die ad Chorgonem itum eſt, ibique tormenta, quæ in caſtris erant, duplici ordine, juſſu Zrinii exploſa ſunt; ita ut donec dimidia eorum pars diſploderetur, interim reliqua ſulphureo pulvere implerentur, quò major verò & amplior eorum numerus procul audientibus exiſtimari poſſet. Quorum boatu & fragore audito Haſanaga Seguſdii præfectus, qui tunc fortè vallum arcis & feneſtellas tormentis ejaculandis aptas reſtaurabat, dimiſſis, quos ad operas faciundas convocaverat, agricolis, arcem ipſe quoque ſuccendit, & ſe cum ſociis Baboſciam, indéque ad tutiora loca recepit. Zrinius miſſis ad primum flammarum conſpectum equitibus quadringentis, tormenta ignibus, ſi poſſent eripi, eoſque extingui juſſit. Verùm cùm iſthuc perveniſſent, jam rotæ & axes eorum abſumpti igne erant; tubos tamen ſeu fiſtulas æneas, ne fervefactæ liqueſcerent, mag-

Berſenciam,

Seguſdium.

1594. magno labore extrahendas curavêre, quæ cum aliis Caniſam devecta fuêre.

Babociam aggredi viarum difficultatibus inhibetur.

Reſtabat Babocia, quam eodem itinere laboréque in poteſtatem redigere decreverant, eâ ſpe, quòd ne illam quidem impetum aut vim exercitûs ac tormentorum ſuſtinere auſuram exiſtimarent; verùm Turcæ id futurum arbitrati, pontes, quibus Rinnia fluvius tranſiri poterat, ubique disjecerant: vado autem ſuperandi, aut tormenta & impedimenta tranſvehendi, ob latè patentes aquas nulla facultas apparebat. Tantis tumeſcentium amnium obſtaculis ea etiam difficultas accedebat, quòd illud arenoſum ingentis ſilvæ Giotæ ſolum, quà tranſeundum erat, ſuapte naturâ ad primi veris initia, liquatis nivibus adeò molleſcere ſolet, ut quamquam ſupernè herbidum ac viride appareat, calcatum tamen ab equite ſive pedite ſtatim veſtigia devoret & abſorbeat; adeò ut ignari & incauti ejus rei homines, niſi præſenti ope ſuccurratur, non minùs ac profundioribus lacunis ac ſcrobibus immerſi interire ſoleant. Miſit tamen Zrinius quoſdam viarum & locorum peritos ad Corpadum oppidum, ubi in Rinniam amnem paludoſum Labadus alter rivus æquè ſtagnans influit, tentaturos, an eo in loco tranſiri poſſet. Sed illi quoque pontes cum ſublicis juſſu Turcarum disjectos, & aggeres ligonibus complanatos, nec cuipiam vel expedito equiti, nedum exercitui ac impedimentis pervios eſſe retulerunt. Itaque decimo, poſtquam Caniſâ diſceſſerant, die, utrâque arce vacuâ relictâ, ac ſubjectis in ima fundamenta pulveris ſulphurei aliquot cadis disjectâ, incolumem exercitum reduxerunt.

Exercitum reducit.

At Matthias, quamquam copias, quas ad Calendas Apriles Comaronium convenire juſſerat, viarum difficultatibus impeditas cognoviſſet, quò minùs ad præſtitutum locum venirent, tamen ut eis moram omnem excuteret, poſt Paſchales ferias Viennæ tranſactas ferventiore ad res gerendas cupidoque animo Poſonium venit, ibique biduum commoratus Jaurinum deſcendit; ac cum Hardecco cæteriſque ducibus de rebus ad obſidionem neceſſariis, deque promovendis caſtris conſultavit; quum Palffius eodem tempore ad Novam arcem cum ſuis, qui ſtipendia merebant, ſimul & cum Nobilitatis ultradanubianæ copiis, haud contemnendo numero in caſtris eſſet, & Zrinius ac Nadaſdius cum ciſdanubianis brevi eodem expectarentur, qui etiam mox, cùm Matthiam Jaurinum veniſſe cognoviſſent, adfuerunt. Franciſco Duci Saxoniæ Lauenburgico cum quatuor millibus equitum Germanicorum per Moraviam venienti, Sigiſmundum Forgacium obviam ire juſſit; iiſque præcedentem Principem in caſtris ſub Strigonio poſtea poſt à aſſequutus, in citeriore ſiniſtra Danubii ripa à Pateani Turcarum præſidii parte, conſedit. Intereà Princeps Comaronium venit, ac Danubium ponte trajecit, & ibi Palffianas copias in ſua caſtra recepit, iiſque promotis, ſextis demùm caſtris in conſpectum Strigonii perventum eſt.

Matthias Archidux Jaurinum ſe confert, copiaſque undique contrahit.

Copiarū numerus.

Præter Ungaros, quorum copiæ ad quindecim millium bellatorum numerum conſtituebant, Sebaſtianus Schiceus mille equites Germanos ducebat, & Rederus totidem, ac Brandeburgenſis equitatus cum Moravis & Auſtriacis, ac Bernardi Comitis Turriani & Seifridi Colonicii, ac Richardi & Ulrici Quinsbergorum, necnon Gotthardi Starenbergi turmis, paulò minus decem millibus conſtabat. Peditum Germanorum ampliùs ſexdecim millia erant, in tres legiones diſtributa, quarum unam Leo Gallus ſub duodecim ſignis, quinquies mille circiter pedites continentem ductabat; ſecundæ Engelhardus Curtius præerat, tertiæ Schombergius, quæ ſingulæ tantundem peditum ſub totidem ſignis habebant, quorum ſingula CCCC. milites continebant. 1594.

Poſteà quoque unâ legione, quæ quatuor millibus militum conſtabat, caſtra aucta fuerunt; quam è Salisburgo Rottennavinâ juvenis (pater enim Zagrabiæ è vivis exceſſerat) navibus impoſitam celeritatis causâ advexerat. Aderant biremes quoque tredecim à Ferdinando Imperatore olim conſtructæ, & nunc ex Viennæ navali in Danubium deductæ, in quibus octingenti aut ampliùs mille ſclopetarii cenſebantur; & ſupra has XXV. navigia ejuſdem formæ, ſed paulò minora, quæ noſtri Naſadas aut Saicas vocant, in quibus ſingulis XXXIII. Ungari, milites ſimul ac remiges erant, ac in earum proris breviora ex ære fuſili tormenta habebantur, & in anterioribus ſentinis pilæ ferreæ ovi gallinacei magnitudine cum certo pulveris ſulphurei pondere ſervabantur. Claſſi huic Joannes Alexander Puncenſtainius præerat legatus, donec Antonius Rideſelius eques Marianus Theutonici Ordinis, uti vocant, commendator, in caſtra adveniſſet. Caſtrorum magiſter Hardeccus erat declaratus, ac tormentarium negotium Leo Gallus procurabat, idem qui ſub Nogrado eodem officio functus fuit: iſque tormenta navibus collocata ſecundo flumine devexit, jumentorum jugis terreſtri itinere ſubſequi juſſis.

Biremes XIII.

His copiis, quæ omnes quinquaginta millia armatorum facilè æquabant, Matthias Nonis Maji, die divo Gothardo ſacrâ, urbem ſimul & arcem obſedit, caſtris in planitie latiſſima & amœniſſima collocatis. Quæ ideò aliquantò longiùs à Danubio & aquatione ſita erant, quòd ripas fluminis ſocii navales & claſſiarii, nautæque occupabant. Turcæ cùm noſtros caſtra metantes conſpexiſſent, extemplò ſuburbia, quæ latè patebant, ac hortea & id genus ædificia injecto igne concremârunt, expanſiſque per turres & propugnacula ac muros plurimis vexillis ſeſe ad defenſionem parârunt. Credidêre complures, ſi eo tempore, quo Filecum & Nogradum noſtri cepêre, Strigonio terrorem admoviſſent, multò minore labore eos, qui intùs erant, ad deditionem compelli potuiſſe; quum nec præſidio militari, nec rebus neceſſariis abundarent. Verùm illos duarum longè munitiſſimarum arcium exemplo ſibi intereà ita caviſſe, ut rebus obſidioni tolerandæ idoneis comparatis minimè imparati reperirentur: nam ad Iſaci præfecti & reliquorum preces Caralibegus Albenſis, quem ad Sixonem exercitui præfuiſſe, ac ingens in capite vulnus accepiſſe diximus, cum validis Janicerorum cohortibus, quibus multi equites elatioris nominis, peditum functuri officio intermixti erant, paucis antè diebus arcem erat ingreſſus, cujus inter Turcas eâ tempeſtate elatum militiæ nomen habebatur. Eo auctore collis ſatis altus, & minimè ſaxeus, quem à delubro elegantiſſimi operis olim ibi conſtructo Divi Thomæ montem vocant, è regione

L. millia armatorum.

Strigonium Archidux obſidione premit.

Caralibegus illi præerat.

1594.

gione arcis ad tormenti jactum eminens, caſtello è vimineis cratibus ac roboribus tumultuario opere munitus fuit; cui ipſe proſiliarios milites, & duo currilia tormenta imponenda curaverat, quibus noſtri, qui arcem aut urbem aggreſſuri forent, undique peterentur.

Cæterùm Gallus Palffio cohortante atque ſatagente, eâdem nocte tormenta per vineta ſcrobibus ac foſſis impedita, ac alia confragoſa loca magno labore tranſvehenda curavit, iiſque arcem magnâ vi verberari juſſit. Sed quum is locus non ſatis commodus eſſet, utpote qui longiuſculè diſtaret, eâ demum quæ ſequuta eſt nocte, propiùs arcem promota ſunt, non procul à ſepulchris, quibus Turcæ ſuos humare conſueviſſent, ibique aggeres corbeſque è diſciplina conſtituti, ex quibus ſine intermiſſione pilæ majores in arcis mœnia directæ ſunt.

Arx tormentis verberata.

Palffius etiam non ſolùm ad aggeris & tormentorum cuſtodiam validas Ungarorum & Germanorum peditum cohortes diſpoſuit; ſed etiam ultra arcem ad ortum Solis aggeres fieri juſſit, & in iis utriuſque nationis ſclopetarios occultavit, qui tres biremes hoſtiles commeatu & militibus onuſtas arcis acceſſu prohiberent. Claſſi enim noſtræ metu tormentorum, quibus tam ex arce, quàm è Parcano infeſtari poterat, deſcenſus ſine aperto diſcrimine minimè patebat. Sed illi vitatâ dextrâ ripâ in ulteriorem, quæ verſus Parcanum ducebat, curſum direxerunt, ac ſociorum ſubſidio freti, de nocte ea quæ vehebant, ad Aquarium oppidum expoſuerunt.

Pilæ igneæ.

Biduo poſt ad VII. Idus Maji quum nunquam tormenta ceſſâſſent, tandem ſub veſperum pilæ ferreæ igne candentes (hoc rei genus novum Stephani Poloniæ Regis bello Moſcovitico expugnandis ligneis arcibus inventum fuiſſe fertur) nec non fictiles tubi notâ ratione confici ſoliti, qui bituminoſi & ſulphurei ignis flammas jaciunt, in turrim ſummi templi Divo Alberto dicati, cui etiam Solimanus pepercisse ferebatur, ac cætera ædificia arcis conjuncta fuerunt, quibus illa ſuccenſa ingenti mox fragore & ſtrepitu conflagrârunt, ut non ſolùm quàmplurimi ex propugnatoribus, qui extinguendo igni opem ferre contenderent, peruſtis crudeliter membris ſauciarentur, aut flammis fumoque correpti, in veſtigio ſuffocati interirent: ſed etiam commeatus ac ſulphurei pulveris maxima pars uno eodemque incendio abſumeretur: neque dubium fuit, quin invadentibus tunc noſtris aditus in arcem eſſe potuerit, ſi per ruinas muri, quæ jam ad aliquot paſſus apertæ erant, duces impetum fieri imperâſſent. Sed ii, quòd vallum pro mœnibus erectum obſtare exiſtimarent, ſuos eo tempore prælio continuerunt; ita ut ad diem ſequentem, quum illud obſtaculum amoveretur, differrent.

Oppugnatio irrita.

Sed etiam tunc fruſtrà tentata oppugnatio fuit: cùm enim noſtri diu multumque ancipiti conatu vallum illud conſcendere contendiſſent, quod ab hoſte pauculâ morâ ei conceſſâ reſtauratum erat, emiſſis ampliùs XXX. ſociis, ac Rudolpho Greiſio Curtii legato, multiſque aliis vulneratis repulſi & rejecti in caſtra ſeſe receperunt: altero poſt irritum conatum die tormentis XVIII. duabus ex partibus arx quaſſari denuò cepta, eo propoſito, ut per hiatum mœniorum poſtridie oppugnatio repeteretur.

Intereà autem curante per idoneos internuntios Palffio clandeſtina conſilia cum Thracibus, qui in urbe erant, Chriſtianis quidem, ſed Græcos ritus ſequutis, contracta ſunt; ac ii promiſſis ingentibus onerati, ſi cæſis Turcis, qui cuſtodiæ urbis attributi non magno erant numero, urbem noſtris tradere conarentur. Qui quum diem conſtituiſſent, ad quem Palffius cum validis ſuorum & Germanorum cohortibus nocte intempeſtâ ad portas & mœnia adfuiſſent; cæteri verò duces oppugnationem ex alia parte tentaturi, ſuos, ut clamore ſublato procurrerent, Turcaſque ad eam partem tuendam provocarent, in mandatis dediſſent, Palffio adventanti portam patefecerunt, cæſis qui obſtabant Turcis, eumque & cohortes in urbem intromiſerunt, à quibus Turcæ reliqui confeſtim cæſi aut capti ſunt, oppidumque munitiſſimum facili labore à noſtris occupatum eſt.

Thraces urbem Palffio produnt.

Thraces in fidem recepti, & urbs præſidio Germanorum & Ungarorum peditum firmata eſt. Sed cùm in urbe nemo à tormentis, quæ è monte Divi Thomæ in commeantes conterium diſplodebantur, tutus eſſe poſſet, juſſu Principis tormenta in alium ex adverſo collem quatuor attracta, iiſque caſtellum concuti cœptum eſt: quod quum abſque propugnaculis, quæ latera munirent, feſtinanter erectum eſſet, ictus tormentorum ſuſtinere diu non potuit, ſed primò patentiores rimas, demùm verò à parte orientali haud minimam ruinam fecit, ita ut noſtris irrumpendi facultas oblata eſſe videretur. Igitur cùm Germani & Ungari paribus animis & ſingulari alacritate procurriſſent, vallum celeriter conſcenderunt, primique Radicius & Silva Veſprimii centuriones ſigna in ſumma valli parte ſuſtulerunt; ſequutuſque eos paulò pòſt ſignifer Germanus legionis Schombergianæ cum militibus, ac ſubindè aliis atque aliis conſcendentibus vallum captum eſt, & Turcæ ferè ducenti, à quibus defendebatur, cæſi omnes ſunt; nam quum in oppidum jam antè à noſtris occupatum tutò ingredi non poſſent, & arx longiùs diſſita peti non poſſet, pauciſſimi fugâ ſalutem acquiſivêre.

Mons S. Thomæ captus.

In hunc modum redacto in poteſtatem oppido, pariter & monte Divi Thomæ vi capto, tormenta è prioribus locis in oppidum ad domum præfecti, inter carcerem & equorum ſtabulum, ac quatuor alia in montem Divi Thomæ, quibus utrinque in arcem & ſubjectam urbeculam Aquariam (quam etiam minorem civitatem vocabant) acerrimo impetu diſploderentur, attracta fuerunt; quæ dum lentiùs & bidui morâ adminiſtrantur, hoſtibus ſpatium datum eſt, labore nec interdiu nec nocte intermiſſo, ruinas reſarciendi, ac foſſas denum pedum latas introrſus conficiendi, quarum objectu noſtri, tametſi conſcenſis ruinis mœnia ſuperâſſent, retardari poſſe viderentur. Dum inter hos aggeres tormentis res acerrimè geritur, pars muri Aquariæ urbis, quæ ad occidentem ſolem vergit, ſatis lato facto hiatu concidit: quo animadverſo Hardeccus & alii duces, erectis animis oppugnationem inſtituerunt; quamquam non deeſſent ejuſmodi rerum periti, quibus ampliùs diruendi muri viderentur, quum nondum XV. paſſibus latior aditus eſſet patefactus.

Itaque Matthiâ Principe ſuorum ducum conſiliis nequicquam reluctante, octingenti ferè milites Germani è legione Curtiana deliguntur, qui murum dirutum ſubeant; iique explicatis ſignis magno animo ad irrumpendum procurrerunt, ducibus ſe eis præbentibus

1594. *Aquarium oppidum fruſtrà tentatum.*

Palffio & Nadaſdio, ac Comaronienſi præfecto Praunio & ipſo Curtio, aliiſque paucis Ungaris: datum enim hoc fuit honoris & exiſtimationis gentis exterarum nationum militibus, quaſi Ungaris parcendo, ut primæ oppugnationis qualemcunque eventum ipſi periclitarentur. Sed quum ex adverſo Turcarum promptiſſimi quique, ad duorum millium numerum pro muris in acie conſtitiſſent, noſtri vix ſubire quidem muros auſi, amiſſis plus minùs ducentis è ſociorum numero retrocedere coacti fuêre; Palffiuſque & cæteri, qui prodierant inter pilas volitantes, & tædas ac tubos fictiles ſulphure & pice repletos ardenteſque, non ſine vitæ periculo verſati, poſt monumentum quodnam lapideum ſeſe reduxêre, quo in conatu Valentino Balaſſio, impigro juveni, ac Martis ſimul & Palladis cultori utrumque femur glande plumbeâ trajectum aſt, quo vulnere quamquam intactis oſſibus inflicto paucos poſt dies interiit. Eandem fortunam ſubiit Curtius quoque tribunus ex aſſiore ſelopeto vulneratus, ac Balaſſium eodem fato iiſdem in caſtris ſequutus eſt. Vulnerati etiam ſagittis & glandibus, ac pulvere ſulphureo uſtulati militum complures. Nec hoſtibus incruenta pugna fuit; ſiquidem in ea Catalibegus Albenſis, dum ſuos cohortaretur, glande per frontem trajectus, in veſtigio concidit, exanimiſque in arcem à ſuis relatus eſt.

Balaſſius & Curtius cadunt,

Catalibegus occumbit.

Poſtridie cùm tormentis majoribus nuſquam ceſſaretur, oppugnatio iterum & tertiò repetita eſt; ſed irrito ubique conatu: quum enim noſtri mœnia conſcendere conarentur, & ſignifer cohortis Schombergianæ vexillum magno auſu ſupra rudera ſuſtuliſſet, ac ſocios ut ſequerentur intrepidè moneret, majoris colubrinæ pilâ alterum pedem ictus atque diſcerptus eſt, & ſociorum ad mille deſiderati. Multi etiam ex hoſtibus eminùs icti occubuerunt: inter quos Iſacus præſidii præfectus è noſtrorum aggeribus majori tormento in dextro humero ſauciatus, eâdem nocte expiravit: ac utriuſque ducis cadavera noctis ſilentio navigiis impoſita, Budam non ſine publico luctu delata, ibique honorificentiſſimè tumulata ſunt. Quamquam autem noſtri aliquot præliis cum cæde repulſi, ac multis millibus ſociorum amiſſis ingenti detrimento affecti eſſent, necdum tamen animo penitùs frangi videbantur, & ab ducibus Palffioque imprimis, ut militaris conſtantiæ memores eſſe vellent, & commilitonum cædem ultum ire properarent, ac ſpe prædæ, quam ampliſſimam & opulentiſſimam captâ arce adepturi eſſent, ne à repetenda oppugnatione deterrerentur, appoſitis verbis ſuſtentabantur. Hunc in modum animati, quum ad XXII. diem menſis Maji ad Aquariæ urbis angularem turrim rotundam, cujus pars huncotenus ferè diruta erat, validiſſimo facto impetu iterum irrupiſſent, Janicerorum tamen validis cohortibus ſeſe opponentibus, & ſubeuntes glandium procellâ ſternentibus, plurimis amiſſis pedem retulerunt.

Impreſſiones noſtrorum iterum repulſa.

Iſacus præfectus extinguitur.

Quo in irriti conatûs fervore ſupra cæteros aut cadentes, aut vulneribus debilitatos Gallus quoque tribunus, & tormentis præfectus vulnus accepit, & ex hoſtibus ac Janiceris plures trecentis deſiderati ſunt; ita ut jam tot oppugnationibus fortiter exantlatis defenſores quoque ad exiguum numerum redacti eſſe viderentur; cui tamen defectui brevi proviſum eſt: nam decimo poſt die quingenti Janiceri biremibus vecti, duce Annivano Belgradienſi præfecto, qui duobus nuper interfectis ſuccederet, apud quem laus ſervatæ arcis manſit, clarâ diei luce Patcanum appulerunt, ac eâdem nocte in minorem urbem recepti ſunt, quod ex vexillorum colore animadverſum fuit, quæ cùm anteà in puppibus biremium conſpecta eſſent, orto ſole per muros explicata à noſtris ſpectabantur. Quorum adventu obſeſſis adeò crevêre animi, ut ſaucii per eaſdem biremes Budam miſſis, in noſtros aggeres & tormenta, quæ ad ripam Danubii è regione urbis Aquariæ conſtituta erant, naviculis trajecti excurrere non dubitarent. Qua in ſtatione quamquam dimidia pars legionis Schombergianæ excubaret, tamen niſi ſignifer forti animo cum paucis ſeſe oppoſuiſſet, actum etiam de tormentis foret: ille enim diffugientibus ſociis, increpitâ fugâ cum parvo ſuorum numero reſtitit, tamdiuque certamen protraxit, donec ad clamorem & tumultum cohors Ungarica ex majori urbe procurreret, ac Turcas ſubmoveret. Quorum adventu Turcæ pedem retulerunt, amiſſis XXX. ſociis, ac duobus ſignis militaribus, ac quinque vivis captis.

Quingenti Janiceri

1594. *duce Annivano arci præſidio veniunt.*

Jam quinque præliis Turcæ ſuperiores facti adeò noſtros nihil pendere videbantur, ut biremes & alia navigia impunè ire & redire, modòque ſaucios & ægrotos Budam vehere, modò varii generis commeatum, & multos farinæ culeos invehere auderent: nam claſſis noſtra quamquam hoſtili haud inferior, nullo totâ hac obſidione uſui fuit; adeò ut trierarchis torpore & ignaviâ, ac tormentorum metu agitatis omnis hoſtis invadendi, ejuſque temeritatem contundendi animus defuiſſe videretur. Interim verò ii, qui intùs erant, quicquid in mœnibus & propugnaculis interdiu diruebatur, nocturno labore celeriter reficiebant; noſtris verò diuturno eoque irrito conatu animi vireſque miserum in modum diminuebantur; ut ſumma rerum omnium & proſperioris eventûs deſperatio haud inanis ſuborireretur. Princeps tamen, quamquam difficilem & ærumnoſam munitiſſimi loci expugnationem haud diffiteretur, ſingulari patientiâ omnes rerum difficultates tolerare, duces & milites ad perſiſtendum & labori incumbendum hortari, in eorum dexteris & virtute obtinendæ victoriæ ſpem ſitam dicere; futurum affirmare, ut propediem opulentâ omnis generis prædâ quàmprimùm largiſſimè recrearentur.

Claſſis noſtra ignava.

Eodem tempore, ac triduo fermè priùs, quàm Strigonium noſtri obſediſſent. Tiffenbachus cum ſuis præſidiariis, qui Saemarii, Callonæ, Tocaii, Sendrone, Caſſoviæ, cæteriſque locis ſtipendia merebant, ac ſuperioris Ungariæ nobilitate & copiis Harbuaniam arcem, medio inter Budam & Agriam itinere ſitam, obſidione cinxerat, eamque tormentis magnâ vi verberabat; ita ut ſi paulò ampliorem numerum militum haberet, magnâ ſpe teneretur ejus brevi in poteſtatem redigendæ. Itaque de eorum, quos ſecum in caſtris habebat, conſilio, Demetrium Napradium Agrienſis ſacerdotii Præpoſitum, ac Nicolaum Dengelegium ad Matthiam Principem Strigonium mihi petens accuratè ut novæ ſibi copiæ mitterentur, quarum ope voto potiretur. Tametſi autem magna multitudo ex Principis exercitu tot & iam cruentis oppugnationibus & conflictibus partim cecidiſſet, partim vulneribus

Tiffenbachus eodem tempore Harbuaniam obſidet.

&

1594. & variis morbis debilitata eſſet, ita ut rareſcentibus paſſim legionibus nec peditatu, nec equitatu abundaret; illius tamen deſiderio, quantum tempus & occaſio tulit, ſatisfaciendum arbitratus, quatuor vexilli Germanorum peditum, quibus ſingulis trecenariæ cohortes ſubeſſent, mittere decrevit.

Haſanes Budenſis & Beglerbegus Hathuaniæ opem ferre conantur.

Tiffenbachius autem priùs quàm hos in caſtra recepiſſet, egregiam de hoſtibus victoriam erat conſecuturus: Haſanes enim Budenſis & Beglerbegus, quem paulò antè à patre Sinano ad tuendam Budam miſſum eſſe diximus, collectis quas habere poterant copiis, quum ſe ad ferendam Strigonio opem viribus impares viderent, quòd noſtros numero ſuperiores aggredi tutum non putarent, ſuis Hathuaniæ laborantibus ſuccurrere, & Tiffenbachum invadere conſtituerunt. Itaque cum decem millibus equitum & peditum ultimâ Aprilis, ſuperato ponte ad Jazberinum caſtellum Sagivâ flumine (hoc caſtellum Jazygum quondam coloniam, ſuperioribus annis Muſtapha Purpuratus Budenſis, inſtigantibus Calvinianis, ex Monachorum Franciſcani Ordinis collegio expulſis illis, conſtruxerat) ſequenti die versùs Hathuanum iter ſuſcepêre, nec multum progreſſi, ad Sajonem caſtra poſuêre. Tiffenbachius cognito hoſtium adventu, & habito cum ſuis conſilio, ipſe continuatâ obſidione in caſtris manere; Ungaricas autem copias cum equitatu Germanico hoſti obviam mittere decrevit: poſtulantibúſque id omnibus Simonem Forgacium, eximiæ virtutis & fortitudinis ſenem copiis præeſſe voluit. Adjunxêre ſe illi ceteratim Stephanus Bathorius, Franciſcus Dobo, Sigiſmundus Racocius, Stephanus Drugerus Homonnianus, aliique viri inſignes, & cùm aliquantum itineris proceſſiſſent, hoſtes non longè à Tura pago inſtructâ acie advenantes reperêre. Forgacius ex adverſo ſuos in pugnam & ordines mox diſtribuit, ac paucis cohortatus, ut pro Chriſtiani nominis, proque dulciſſimæ patriæ à barbarorum ſervitute vindicandæ gloria quàm fortiſſimè pugnare niterentur, explodi tormenta jubet, quibus haud modica ſtrages hoſtibus illata fuit, ut eorum ordines perturbarentur; moxque in trepidos & metu perculſos haſtis & gladiis irrumpit, peditatúmque ex latere ſclopetis rem gerere jubet.

Noſtri hoſtem aggreſſi eum fundant & fugant.

Haſanes quòque & Beglerbegus ſuos animare, & ad pugnam cohortari: & Turcæ ſanè diu dimicavêre, ut ampliùs duabus horis acerrimè reſtiterint, cùm tamen ſuos à noſtris acriùs urgeri viderent, ita ut plurimi in certamine cæſi occumberent, & ipſe Budenſis Haſanes vulnus ſub cingulo inter ſemur & ventrem accepiſſet; ad extremum fortunæ ſibi & ſuis infenſæ cedere coacti, fugæ ſe commiſêre, & ad Iſſazegum ſilvam versùs Peſthum effuſo curſu ſe proripuêre. Ejus exemplo cæteri quòque, nequaquam diutiùs extracto prælio, terga dedêre; quos noſtri cædendo, diſſipatóſque & palantes trucidando, per campos & extentam illam planitiem proſequuti ſunt: cautum enim erat juſſu ducum, Forgaciique imprimis, ne quiſpiam hoſtem capere aut vincire liceret. Periêre tam in pugna, quàm inter fugiendum ex numero hoſtium, tria millia & trecenti; ſigna militaria XXV. & tormenta omnia, quæ hoſtis circiter XVII. advexerat, in noſtrorum poteſtatem redacta. Cæſi complures ex

Turcorū tria millia, & 300. cecidêre.

Iſthuanſ. Hiſtor.

primoribus & præfectis Turcarum admodum inſignes: nam & Giulenſis Mehemetes, & præfectus claſſis urbíſque Peſthanæ Fervaga, quem Turcæ peculiari officii nomine Capitanbegum vocabant, ſimul cum Muſtapha Chauſio, qui recens Byzantio venerat, ac Solnocenſis Alaibegus deſiderati fuerunt. Ex noſtris C. aut paulò plures periêre. Bathorius cùm in peditea hoſtium, qui quòd fugere non poterant, pugnare cogebantur, incidiſſet, vulnus in dextro pede accepit, nec tamen atrox aut lethale. Cæteri cum Forgacio victores cum ſpoliis & tormentis, ac XXVII. gregarii nominis captivis, quos poſt fugam ceperant, in caſtra redière, & à Tiffenbacho obviam prodeunte cum lætitia & applauſu excepti ſunt, tormentis in gaudii teſtificationem, ac obſeſſorum terrorem magno fragore & boatu exploſis.

Hac victoriâ cognitâ hoſtes, qui Jazberinii erant, ſuccenſo caſtello & concremato profugerunt: & Tiffenbachus poſtero die aquas, quæ è Sagiva amne in foſſam oppidi deductæ erant, aliorſum derivare contendit, idque multo agreſtium labore, ſed irrito conatu tentavit; quandoquidem foſſæ incidentibus pluviis, & ſuapte verni temporis naturâ, creſcente fluvio iterum replebantur. Re ad Turam bene geſta, ad Hathuanum tamen ancipiti, cùm Tiffenbachus per exploratores didiciſſet, multos carros farinâ & hordeo onuſtos è Solnoco Budam iter facere, ut illinc Strigonium obſeſſis, qui earum rerum inopiâ laborabant, mitterentur, Franciſcum Balaſſium impigrum juvenem, Valentini nuper cæſi fratrem, cum ſua equeſtri turma, cui Tocaji præerat, miſit, qui interceptis plauſtris commeatum ad caſtra perferret. Is igitur cùm non procul Jazberinio in hoſtes, qui plauſtris præſidio erant attributi, incidiſſet, acerrimam cum illis pugnam contraxit, cæſáque eorum majori parte cæteros fudit & fugavit; commeatuque potitus victor ad Tiffenbachum reverſus eſt, cui aliquot hoſtes, ac cæſorum capita dono attulit; iſque collaudato Balaſſio ad inceptæ obſidionis curam conſiliaque vires animúmque adjecit.

Balaſſius commeatum Turcis intercipit.

Dum in hunc modum Matthias Strigonii, & Tiffenbachus Hathuaniæ gravi curâ anxii hærent, deque iis obtinendis haud obſcurè dubitare videntur, Maximilianus precibus populorum Stiriæ & Carnorum permotus, Illyricorúmque præfectum, qui ex præſidiis, quæ in nova Petriniæ munitione erant, aſſiduis populationibus, igneque & ferro infeſtabantur, Equenpergo & Graſbanio ac Lencovitio perſcripſit, ut cum exercitu quiſque ſuo tormentiſque & rebus neceſſariis convenirent, & ad cingendam obſidione Petriniam ducerent, ſe quòque ad dimidios quintili menſis dies ibidem affuturum pollicitus. Eâdem de re & ſuo adventu Erdodium quòque Illyrici præfectum certiorem reddidit. Hi igitur collectis brevi copiis, cùm XVI. millibus armatorum Savum tranſgreſſi, ad XXI. diem ejuſdem menſis caſtra in campis ſubjectis, interfluente Culapi, collocavêre: nec quicquam cunctati aggerem eâdem nocte & tormenta priori in loco citra flumen conſtituerunt, ac ſequenti die pontem ex XXIV. navibus, quas plauſtris ſecum advexerant, loco à munitione paulò remotiore, ne ex ea tormentis impeti poſſent, ſupra Colapim conſtruere ac contabulare ceperunt,

Petriniā noſtri obſident.

1594. perunt, quo exercitus trajiceretur. Quod cùm Turcæ animadvertiſſent, cum CL. equitibus, ac paucis peditibus in noſtros faciundo ponti intentos ſine mora prorupêre. Advexerant ſecum quatuor currules falcones, quos primo ſtatim impetu in opus facientes exploſerunt, & uno aut altero ex Germanis militibus, qui in ſubſidium operarum procurrerant, interfecto, magnum totis caſtris tumultum & terrorem concitârunt. Sed quum noſtri ponte in ulteriorem ripam perducto tranſiiſſent, ac cum hoſte manus conſeruiſſent, quamquam etiam tormentis frequentioribus ex arce peterentur, non ſolùm tamen eos cum cæde repreſſos in fugam conjecerunt; ſed etiam falcones omnes relinquere coëgerunt, cæſo in pugna Regeſſo legato, quem illi Quhaiam vocabant, qua in pugna & reprimendo hoſte Nicolai Iſthuanffii, Petri Caſtellanffii, ac Gregorii Peteonis mirifica virtus enituit: nam Daniel Franeolus equitum Catoloſtadianorum turmæ præfectus, ſecùs quàm erat pollicitus, & ſeriùs poſt pugnam ſubſidio advenerat. Intereà vallum munitionis tormentis verberabatur; ſed quod illud duplex erat, & craſſioribus roboribus bipedalium ferreorum clavorum confibulatione conſtabat, parum proficiebatur, & Turcæ ejuſmodi noſtrorum conatus irriſui ac contemptui habebant, quòd inter caſtra & munitionem Colapis interflueret, & vel dirutis mœnibus difficillimus irrumpentibus aditus & oppugnatio fore videretur.

Eruptiones hoſtium.

In hunc modum re per aliquot dies protractâ, Maximilianus Zagrabiam venit, ejuſque adventu noſtris animi admodùm crevêre: interim verò ipſo quietis nounibil ſuis concedente mirum apud hoſtes erat ſilentium; qui quum eruptionem in aggeres & tormenta noſtrorum molirentur, ſua tormenta omnia in eam munitionis partem ſummo quantum poterant ſilentio attrahere contenderunt, quâ parte noſtros ad illa tutanda adcurſuros exiſtimabant. Nec mora, XXVII. die Julii ſummo manè hoſtes ferè treceni, Ruſtane & Erdogli ducibus, qui candidâ veſte induti facilè ab iis dignoſcebantur, per pontem ſublicium arci contiguum preſſis veſtigiis improviſi in aggeres irruperunt, ac ſummâ celaritate uſi pugnam cum noſtris contraxerunt. Qui cùm & pauci eſſent, & negligentiùs quàm neceſſitas poſtulabat excubias obiiſſent, facilè à pluribus hoſtium circumventi cæſique ſunt, interfecto Stephano Garaio centurione Capronceſi, ac Joanne Velico cohortis præfecto, quibus eo die tormentorum & aggerum cuſtodiæ erant commiſſæ, fugâ evadente. Ex alia parte duæ equitum hoſtilium alæ vexillis explicatis, ac magno ſublato clamore pontem aggreſſi, reſcindere nitebantur, ut noſtri utrinque exagitati diſtrictique, in quam ſe partem verterent, non ſatis explicare poſſe viderentur. Ad primum pugnantium clamorem & tumultum totis caſtris ad arma conclamatum eſt, & Equenbergus adcurrere, ſuiſque opem ferre contendebat. Verùm ingenti ex arce tormentorum multitudine exploſâ, inter volantes majores minoreſque pilas, ac hoſtes magno utrinque conatu incumbentes, dubia & anceps rerum facies, ac Martis alea erat, ita ut ipſe, quid faceret, ignarus, animo anxio & pendenti nutare videretur. Ejus certaminis poſtremò is fuit exitus, ut pons à noſtris ingenti virtute fortitudineque defenſus conſervaretur: ſed in aggeribus plures XC. militibus Germanici & Illyrici nominis trucidatis, cæteriſque fuſis & fugatis tormenta quinque, quibus arx verberabatur, in manus & poteſtatem hoſtium devenirent, ac humeris & multo nixu militum in arcem pertraherentur; uno majori excepto, quod immani pondere vix moveri poſſet, & noſtri auxilio accurriſſent, auferri nequivit. 1594.

Maximilianus Archidux in caſtra venit.

Re hac ad Maximilianum perlatâ, morâ omni poſthabitâ in caſtra venire maturavit, eodemque die dimidio à caſtris milliari, cum M. circiter equitibus ſuis loco inter Litovaniciam & piſcinam quandam deſertam idoneo conſedit, ibique pernoctavit. Deindè ſequenti mane in caſtra pervenit: nec ibi quicquam moratus, Calendis Auguſti cum toto exercitu pontem trajecit, & propiùs arcem in propinquiore ſilva caſtra locavit. Cùm autem eodem die Lencovitium cum ſuis Croaticis & Caroicis copiis in caſtra venturum cognoviſſet (is enim ſic iter ſuum compoſuerat, ut cum Maximiliani adventu in idem tempus incideret) ei dedit in mandatis, ut ex itinere arces propinquiſſimas Petriniæ Raſtoviciam & Goram, quæ à paucis hoſtibus tenebantur, admoto tormentorum terrore, quæ ex caſtris ad illum miſerat, expugnaret. Is igitur primò Raſtoviciam adortus, facili negotio eâ potitus eſt: Ibraimus ſiquidem, qui cum XL. Aſapis peditibus Thracibus & Turcis mixtim eam cuſtodiebat, non expectatis ampliùs ſexdecim ictibus tormentorum, incolumitatem pactus, arcem dedidit, ac abire permiſſus eſt. Eâ re intellectâ Gorani perterriti, nec quicquam cunctari auſi, arce vacuâ, ſed integrâ relictâ, profugerunt, & Lencovitius arcibus præſidio firmatis ad Maximilianum in caſtra exercitum adduxit.

Lencovicius Raſtoviciam & Goram caſtella occupat.

Ruſtanes & Erdoglis è regione Petriniæ turrim è roboribus partim in quadrum ſectis, partim teretibus & rotundis, ferroque confibulatis conſtruendam curaverant, tormentumque unum prægrande impoſuerant, quod pilam ferream XX. pondo evomebat, eaque ab XXC. militibus cuſtodiebatur: qui aſſiduè jaculando eminùs, & ſi qui propiùs ſubiiſſent, ſclopetorum glandibus cominùs feriendo atque cædendo caſtra adeò inquietabant, ut noſtri nec in tentoriis à volitantium pilarum vi ac ictibus tuti eſſent, neque aggeres & tormenta idoneis in locis collocari poſſe viderentur. Haud procul ab hac turri Haſanes Boſnæ præfectus, primus, ut diximus, hujus belli concitator, tumultuario funere humatus erat. Tametſi enim illum è Colapi extractum, Petrus Erdodius humanarum miſeriarum memor, tapetibus novis involvi; ac Siſciæ in colle eminentiore ſepeliendum curâſſet, haſtâ & vexillo ſuperjectis; Ruſtanes tamen & Erdoglis quâdam ſuperſtitione moti, eum intempeſtâ & tenebricoſâ nocte illinc effoſſum, ac Petriniam delatum hoc in loco tumulaverant.

Igitur Maximilianus hanc turrim, ut maximè arci oppugnandæ obſiſtentem, primùm omnium tormentis conquaſſari juſſit; quod licèt impigrè fieret, quòd tamen à propugnatoribus fortiter defenderetur, & ex arce quoque frequentia incommoda obſidentibus inferrentur, lentiùs oppugnatio procedebat. Sed quarto, poſtquam concuti cepta eſſet, die, meridiano tempore milites Segnienſes circiter

DC.

1594. DC, quorum magna virtutis opinio erat, ſublato clamore, tumultuarióque facto procurſu turrim repentè adorti ſunt: nec mora, partim admotis ſcalis, partim per prominentes extantium roborum extremitates, quæ nondum luto aut argillâ obductæ erant, celeriter conſcenderunt. Quanquam autem ii, qui intùs erant, illos haſtis & lanceis detrudere, ac ſclopetis vulnerare aut interficere niterentur, multíque è ſcandentium numero incenſi ſulphurei pulveris ignibus in eos conjectis crudeliter amburerentur; in tantâ tamen animorum viriúmque contentione pugnavêre, ut tandem ad ſummitatem pervaderent, dejectíſque & pulſis defenſoribus turri potirentur: pauci ex hoſtibus, qui cædi ſuperfuiſſent, quòd arx vix ducentis paſſibus abeſſet, in eam recepti fuêre. Captâ turri, in cujus conſervatione hoſtes omnem ſpem collocaverant, Maximilianus collaudatis, ac pecuniâ donatis Segnienſibus, tormenta octo in arcem obverti, iiſque eam concuti mandavit; quorum vi penetrantibus mœnia pilis, multi ex propugnatoribus icti, aut lethalibus vulneribus debilitati in dies deficiebant, aut in veſtigio exanimabantur, ac quòd in medio æſtatis fervore intolerabilis cadaverum fœtor à cæteris, qui adhuc ſuperſtites erant, ſuſtineri nequaquam poterat ita ut ex multis jam ad paucos redacti eſſent: Ruſtanea & Erdoglis rebus deſperatis, ſuæ & ſuorum ſaluti quàm maturrimè conſulendum decrevêre.

Turris hoſtilis à Segnienſibus fortiter occupata:

Igitur ſparſis per mœnia & propugnacula ſulphureis pulveribus, & tormentis magna ejuſdem pulveris & pilarum copiâ oneratis, ut cum ignes concepiſſent, eò faciliùs diſſilirent, inutiliaque redderentur, arcem injectis facibus incenſam inflammârunt, deceptiſque noſtrorum excubiis, ſummo noctis ſilentio Zrinium, ac deindè Coſtanitiam profugerunt. Eodem momento Turcæ quoque, qui Siſciæ in præſidio erant, collucentes ignes conſpicati, pulveriſque & tormentorum fragore audito, id quod erat, ſocios metu coactos Petriniam deſeruiſſe rati, haud diſſimili terrore, relictâ arce & incenſâ ad Saicas, quas ad ejuſmodi extremos caſus paratas in Savo habebant, fugâ factâ ſe proripuêre, tanto tumultu ac perturbatione, ut multi, qui in navigia inſilire ocyus non poſſent, aut illa natando aſſequi cogerentur, aut relicti ab ſociis abnavigantibus cum aperto vitæ & ſalutis periculo delererentur. Inter quos fuit Ibraimus claſſis Gradiſcanæ trierachus, ſub cujus poteſtate (id quod eò magis contumelioſum fuit) navigia habebantur, qui quòd ex vulnere ad Bihigium, ut diximus accepto, altero pede claudicaret, ideóque cæterorum curſum æquare non poterat, à militibus Petri Erdodii captus fuit; qui viſis Siſciæ flammis, & equis celeriter conſcenſis, eò advolaverant. Maximilianus intra vigeſimum diem confecto, pro quo venerat, bello, & receptis inſigni celeritate quatuor munitis arcibus, liberatíſque metu Illyricis, Petriniam quod tota exuſta eſſet, nec ea reſtaurata aut retenta opus eſſe exiſtimaret, eductis tormentis funditus dirui juſſit, & eodem, quo venerat itinere, per Gracium & Stirios Neoſtadium eſt reverſus. Siſciam autem collegio ſacerdotum Zagrabiæ reſtituit, à quo brevi reparata eſt, ac impoſito præfecto & militibus præſidiariis cuſtodita. Ut autem commodiùs retineri poſſet,

Turcæ Petriniã & Siſciam deſerentes profugiunt.

Petrinia funditus exciditur.

Poſonienſe ſacerdotium, quod inter Quermendum & Nemetvivarum ſitum eſt, ad certum uſque tempus à Cæſare eò collatum fuit. Nec multò poſt Maximiliani diſceſſum Erdoglis, quum necdum quieſcere poſſet, ſed in agrum Turopolianum vaſtandi & populandi cauſa cum trecentis equitibus veniſſet, à noſtris, qui Zagrabiæ & Caroloſtadii ſtipendia merebant, ac in hoſtiles excurſiones invigilabant, captus fuit, ac juſſu Maximiliani Poſonium delatus, in carcere & cuſtodia interiit. 1594.

Erdoglis à noſtris capitur.

Interea dum hæc in Illyrico adminiſtrantur, & in Pannonia magnis, ſed ubique irritis conatibus duarum inſignium arcium oppugnatio lento pede procedit, certiſſimis nuntiis in caſtra adfertur, Sinanum purpuratum cum magnis copiis, tam ex Europa, quam Aſia collectis, adventare, ut Strigonio laboranti opem ferat; habere eum in caſtris ad centum millia armatorum, & Tartarorum principem cum ingenti ſagittariorum equitum multitudine expectare, qui vitea ſuas ſecum conjugeſque; cujuſque eſſe propoſiti, ut ſolutâ Strigonii obſidione locum aliquem finitimum præcipui nominis obſideat, ac ſi occaſio ferat, cum noſtris de ſumma rerum collatis ſignis & viribus periclitetur; jamque trajecto ad Belgradum Savo, & ad Eſſecum Dravo non procul abeſſe, Grecoviciumque legatum in caſtris malè habitum Belgradi mori coactum eſſe. Quæ res ut nova & inexpectata iis, quorum conſiliis princeps utebatur, magnam animorum commutationem attulit, cùm potiſſimum Sinanus famam adventûs ſui celeritate prævertiſſe videretur: is enim juſtis factis die noctuque itineribus, jam Tulna exercitum promoviſſe, & Budam intra paucos dies venturus eſſe ferebatur. Itaque metu novi belli concuſſi, cum principe in concilium coëunt, ac collatis ſententiis retrocedendum cenſent, ne rem maximè dubiam & periculoſam ingreſſi, cum innumerabilibus hoſtium copiis, inexpiabili facinoris auſu certamen ſuſcepiſſe viderentur; decernitúrque ut caſtra ad ſiniſtrum Danubii latus & ripam, ubi Parcanum ſitum eſt, quamprimum transferantur; & fixis ibi caſtris Parcani intercipiendi conſilia ineantur, ſi qua arte aut vi in poteſtatem redigi queat, donec ferox hoſtis appropinquet, ac iis, quam in partem propoſito itineri incumbat, explorari cognoſcique poſſit, tum demum capi conſilium ex re & tempore poſſe.

Sinanis adventus in Hungariam,

Cum numeroſis copiis.

Huic ſententiæ magna Germanorum ducum pars, Saxo & Brunſuicenſis, ac tribuni legionum adverſabantur, qui nequaquam ſolvenda caſtra, ſed in iiſdem quibus nunc eſſent caſtris, ac eadem in Strigonii planicie hoſtes expectandos, & prælii fortunam tentandam exiſtimabant; nec deerant ex Ungaris Palffius & Nadaſdius, quibus idem probaretur, & qui ſe oppidum ſimul cum munitione montis Divi Thomæ adverſus hoſtem defenſuros offerrent, ac primas in congreſſu partes expoſcerent, remque peſſimi exempli & ignominiæ plenam eſſe ducerent, poſt tot labores & commilitonum ſociorumque cædes, ac tantum auri ſimul & ſanguinis profuſum re infectâ diſceſſiſſe. Verùm quum iterum in concilio eædem, quæ antea conſiliorum rationes explicatæ eſſent; neque tutum eſſe cenſeretur, ſalutem & dignitatem Chriſtiani nominis & totius exercitûs hoſti bellicoſo, & ancipiti Martis aleæ temerè committendam, princeps convocatis iis,

1594 qui fervidiore animo pugnam & prælium malle videbantur, per Davidem Ungnadium cauſas commutatæ voluntatis, ac retro vertendorum agminum propoſuit, iiſque, quòd pro dignitate Cæſaris & reipublicæ tutela tam fortem, quàm fidelem operam præſtare non renuerent actis gratiis, ut non tantùm bonis & proficuis, ſed omnino neceſſariis conſiliis obtemperandum ducant, cohortatus eſt: à ſe quidem non ut caſtra ſolvantur decretum eſſe; ſed ut in ulteriorem ripam tutiori conſilio transferantur, donec quodnam iter hoſtis ſuſcepturus ſit, quidve conetur, apertius cognoſci queat; neque ibi conſtitutis deſore occaſionem, ſi ea è republica fore videbitur, ipſis rem prælio decernere cupientibus ſatisfaciendi. Hæc tametſi nequaquam vana erant, ſi quis recentes & haud dubie numero longè ſuperiores hoſtium vires, cum noſtris jam multis militiæ laboribus ac cædibus attritis conferendas cenſeret; neque temere à principe in medium adferebantur; ſed tamen mirum dictu, quàm ægrè & difficulter avelli à propoſito expectandi hoſtis, & conſerendæ pugnæ potuêre: ad extremum tamen teſtificati diverſam nec levibus ſubnixam rationibus ſibi fuiſſe ſententiam, principi ut Cæſaris auguſti ſummæ auctoritatis perſonam ſuſtinenti ceſſerunt. Decreta caſtrorum translatione, mox tormenta aggeribus, & monte Divi Thomæ extrahuntur; ac per pontem in ulteriorem ripam transmittuntur, deinde currus, & impedimenta ſubſequi jubentur: tentoria evelluntur, equitatus præit, legiones Germanicæ agmina claudunt. Quæ ex arce hoſtes conſpicati, magno ſublato clamore, divinum numen invocant eique grates reddunt, lætitiamque multo tormentorum fragore teſtantur: & miſſis exemplò nuntiis Sinanum, qui jam in Peſtanos campos cum exercitu pervenerat, de noſtrorum recepto certiorem reddunt. Tiſſenbachus quoque cum Hathuniæ capiendæ eum deſperatio cæpiſſet, & adventum ingentis hoſtium exercitûs cognoviſſet, non improbando conſilio reductis tormentis, ſolutaque obſidione Caſſoviam reverſus eſt.

Strigonii obſidio ſoluta.

Et caſtra in ulteriorem tranſlata ripam.

Tiſſenbachius metu caſtris Caſſoviam redit.

Sinanus iis cognitis, conſilio cum ſuis habito, Danubium è Peſto Budam uſque ponte exemplò ſterni jubet, ac quo celeriùs exercitus trajici poſſit, prægrandibus undiquecunquiſitis celocibus, milites tranſvehendos eodem tempore curat: demum quod reſtabat copiarum, ponte tranſducit, ac non multò pòſt verſus Sambucum & Banhidam oppida (quod iter Tatam ducit) caſtra promovet. Interim noſtri Parcanum aliquot oppugnationibus adorti, quum omnem ſe laborem fruſtra ſuſcepiſſe viderent, quòd hoſtes id futurum ſuſpicati, magnum numerum Janizerorum & aliorum militum ei tuendo præmiſiſſent, incepto deſtiterunt. Et princeps cognitâ hoſtium verſus Tatam profectione ſua caſtra promovere, rectáque Comaronium ducere conſtituit. Quò cùm perventum eſſet, ab exploratoribus certo cognitum eſt, Sinanum ejus eſſe propoſiti, ut redactâ ex itinere in poteſtatem Tatâ, ne quid hoſtile à tergo relinquat, rectà Jaurinum ducturus, eamque urbem validâ vi circumvallaturus ſit. Itaque Matthias nihil Comaronii moratus, caſtra Jaurinum duxit, & navales ſocios cum tota claſſe ſubſequi juſſit, & loco caſtris idoneo ad Arrabonem & Danubium conſedit; & illinc literas ad omnes circa regionum incolas, mandataque dedit, ut quanto majorem militum numerum poſſent, in ſupplementum exercitûs magnis itineribus in caſtra mitterent. Tiſſenbachium quoque, & qui cum eo ad Hathuaniam in caſtris fuerant, admonuit, ut ſe paratos ſervarent, & cùm neceſſitate urgente juberentur, ad Jaurinum venire maturarent. Ferunt Hardecum, qui Jaurienſi præſidio præerat, audito hoſtium adverſus eam urbem obſidendam propoſito, præferocem & gloriabundum in ea verba prorupiſſe, ut ſe gratias Deo Optimo Maximo ingentes habere diceret, qui hunc hoſtibus animum indidiſſet, ut Jaurinum potiùs, quàm alium minùs munitum locum obſiderent, quòd ſe urbem ad extremum uſque ſpiritum fortiter tuente, rebus infectis, & funeſta etiam ac ignominioſa clade accepta, diſceſſuros certò ſperaret. 1594

Sinanus Jaurinum obſidere decernit.

Hardecci comitis vana jactatio.

Interea Sinanus (Mehemete Carapheri, qui Nogradum noſtris dediderat, iiſdem purpureis quibus indutus erat, veſtibus è feneſtra domûs ſuæ laqueo ſuſpendi juſſo) promotis copiis, & pontibus, qui ad Banhidam interrupti, erant, celeriter refici juſſis, Tatam pervenit; quam eo tempore Georgius Paxius præfectus cum CLXX. Ungaris, ac CL. Germanis militibus tuebatur. Cum hoſtes tormenta promoviſſent, arcemque verberare cepiſſent, quod murum haberet vetuſtate & prioribus oppugnationibus invalidum, pilæ ferreæ majores facilè eum penetrantes, multos ex defenſoribus proſternebant, aut ſauciatos adeo debilitabant, ut uſui eſſe non poſſent. Igitur Paxius cùm aliquot dierum oppugnationem anxio perterritoque animo utcunque toleraſſet, vitæ parcus quàm honoris, poſtulantibus identidem deditionem hoſtibus, ac ut ſuæ & commilitonum ſaluti conſuleret hortantibus, aſſenſit, ac non difficili negotio cum Sinano tranſegit, ut incolumi ſibi & ſociis unà cum rebus omnibus arce excedere liceret. Confectis tabellis, Paxius traditâ arce, trajectoque ad Comaronium Danubio, domum, quam in Cicione pago habebat, ſe contulit: milites autem ad varia loca ſparſim diſceſſere.

Sinanus Tatam ſibi deditam occupat.

Redacta in poteſtatem Tata, arx Divo Martino ſacra, hoſtibus obvia erat, opulento Monachorum Benedictinorum collegio inſignis, quod olim Divus Stephanus primus Rex Pannoniæ, in edito & amæno ac in longum exporrecto colle, ante DC. annos è ſpoliis & manubiis devicti ad eum locum Cuppani perduellis ſui, quamquam ſanguine juncti condiderat, & ſacrum Pannoniæ montem nominaverat. Ea arx Paulo Baroniano Abbati parebat; militari autem præſidio, quod ex duobus ferme centuriis peditum, & turma equeſtri conſtabat, Joannes Zadorius præerat, iſque ex eo loco velut è ſpecula excurſiones & itinera Albanorum & Budenſium Turcarum obſervare ac Jaurienſibus ſignificare ſolebat. Sinanus nequaquam intermiſſo itinere, Haſanes filium Beglerbegum cum parte Janizerorum, ac quinque millibus equitum ad oppugnandam illam ablegavit, attributis ei tormentis ac rebus neceſſariis. Qui cùm in conſpectum veniſſet, Paulus & Zadorius extremo metu perfuſi, nec ullis tormentorum ictibus expectatis, altero ſtatim die deditionem fecêre, ac incolumes ad pacata loca dimiſſi ſunt. Beglerbegus autem ad patrem reverſus, eum in ſubjectis Jaurino campis longo ordine caſtra metatum invenit, eique ſeſe conjunxit.

Arx S. Martini ab hoſte obſeſſa, altero die deditionem facit

Fama

1594. Fama fuit eum in caſtris habuiſſe centum millia armatorum, præter Janiceros, & peditatum ex multis & variis regionibus collectum; idque Turcæ pro certiſſimo affirmare non dubitabant, qui & lixas, & calones, & inconditæ plebis colluviem eo adnumerare ſolent; ſed erant complures, qui neque dimidium ejus numeri militum pugnæ idoneorum æquare exiſtimarent. Caſtra autem in urbis conſpectu, ultra colubrinæ jactum eo ordine collocavit, ut ad ripam Danubii longâ ſerie, uſque ad veterem piſcinam, quæ euntibus ad ſancti Martini delubrum in ſiniſtra parte eſt, extenderentur, & ipſius ampliſſimum viridis coloris prætorium tabernaculum, in caſtrorum medio ſupra collem collocaretur, quòd in expeditione Sigetana Solimani principis fuiſſe, illeque ſub eo è vivis exceſſiſſe, nuper verò ei in Pannoniam proficiſcenti a Murate nepote dono datum fuiſſe ferebatur. Cùm urbis ſitum & munitionem eſſet contemplatus, ſequenti nocte aggeres conſtituit; atque in iis tormenta collocavit, ſed paulò ab urbe remotius: Nam Nicolaus Perlinus Urbinas architectus, & oppugnandarum defendarumque urbium mirus artifex habitus, terrenus aggeres oblongos, & denum pedum craſſos latóſque inſtar propugnaculi extra urbem ex adverſo portæ, quæ ſacra vocatur, extruendos curaverat, tormentaque curulia, & aliquot cohortes ſclopetariorum iis tuendis imponuerat, è quibus hoſtes aliquamdiu à propiore urbis acceſſu arceri poſſe cenſebat: tranſierantque jam complures dies, quum caſtra caſtris inter fluente Danubio ſatis propinquâ fronte collata erant, ut continuis vigiliis, & minutioribus præliis milites utrinque corpora atque arma exercerent, ac interim tormentis omnia quaterentur.

Caſtra Sinani Jaurino admota.

Tartarorū copia.

Nec multò pòſt Tartarorum quòque, quos Precopitas & Queretios vocant, princeps Cazis nomine, cum XXV. millibus equitum hujus gentis, qui ſagittaro omnium peritiſſimi habentur, in caſtra venit, mirumque dictu, quantum Sinani & Turcarum animos adventu copiiſque ſuis recreavit. Is per Moldaviam & fines Podoliæ, ac per alpes Beſquedias, quæ Poloniam a Pannoniis diſterminant, ac ingentes ſilvas montium confragoſis anfractibus impeditas, ideoque tranſitu difficillimas, facto itinere in Maramaruſium pervenerat, multiſque ſuorum amiſſis, quòd loca ea à Gaſpare Curoſio cum Tranſilvanicis & accolarum copiis infeſſa ægerrimè ſuperaſſet, tandem tranſnatato Tibiſco Solnocum, indeque ducentibus Turcis in Sinani caſtra venerat; cui antea quòque bello Perſico cognitus erat. Ibi enim, quum operam Murati principi adverſus Perſas navaret, ab iis captus, ac biennio & amplius graves carceris & vinculorum moleſtias paſſus, miro demum aſtu decepto Perſarum rege, cujus ſororem in matrimonium duxerat, profugiens ad ſuos erat reverſus. Nec Tiffenbachus quantum viribus poterat quicquam prætermiſit, quo Tartaros à tranſitu Tibiſci prohiberet; ideoque eductis Caſſoviâ copiis, verſus Maramaruſium & Huſtum iter intendit, ac ad oppidum Zoloſium caſtra eſt metatus; verùm impar numero & viribus, ac etiam adverſa ex membrorum dextræ partis paralyſi decoratus valetudine, eodem quo erat profectus itinere reverſus fuit. Quo in conatu Franciſcus Balaſſius impiger ac maximæ expectationis adoleſcens, dum extrema Tartarorum agmina laceſſendo carpenduque infeſtaret, ſagittis ſub cingulo per ventrem & ilia ictus, magno cum omnium dolore erat interfectus. 1593.

Turca Perlinianos aggeres invadunt.

Hunc in modum auctis acerrimo militum genere, ac diſtinendis & inquietandis noſtris aptiſſimo Sinani copiis, ante omnia Perlinianos aggeres, pulſis noſtrorum ſclopetariis in poteſtatem redigere conſtituit. Igitur cohortatus Janiceros, & quemlibet militum promptiſſimum, eos tormentis jam antea quaſſatos invadi jubet, ac acerrimè oppugnari. Noſtri qui tuendis illis è numero militum nobilitatis impoſiti erant, non diu protracto certamine, fœdo metu perterriti terga dant. Hos fugientes conſpicatæ Italicæ cohortes, quas ex Hetruria Joannes Medicæus Florentini principis frater adduxerat, Virginio Urſino duce, è ſtatione ſua per pontem ſubſidio procurrunt, ac celeriter opem ferunt, pulſiſque magna virtute Turcis, aggeres recuperant. Quos tamen tormentis hoſtium adeò dirutos, ut ſinè detrimento & periculo defenſorum diutiùs ſervari nequaquam poſſe viderentur, poſtea noſtri retractis in caſtra tormentis, deſeruerunt. Sinanus ergo, aggeſtis novis aggeribus, propiùs urbem tormenta promoveri, ac mœnia & munitionem, quæ ad portam Sacram conſtructa de nomine centurionis Valentini Toti appellatur, indeſinenter verberari juſſit. Quorum vi ac impetu non mœnia duntaxat & propugnacula; verùm etiam interiores domus & ædificia vehementer infeſtabantur; adeò ut Martinus Loſpergius, ordinarii Germanorum præſidii tribunus, cùm in fornice inferiori ædium ſuarum ex vulnere ad aggerem Perlinianum ſuſcepto æger decumberet, penetrante parietem majoris colubrinæ pilà in lectulo interficeretur, & multi milites ultro citroque commeantes, ſimiliter icti quotidie perirent.

Noſtri deſerunt, forte.

Munitio Totiana tormentis concutitur.

Tartari principe præeunte Danubiū tranſnatant.

Eodem tempore Tartari ex adverſo deſerti fani, quod Divi Viti vocatur, tranſnatare in inſulam juſſi, quum profundiſſimo & rapidiſſimo flumini, & omnium Europæ totius maximo ſe credere non auderent, Cazis eorum princeps navandæ operæ avidus omnium primus equum in flumen adegit, ac cæteri ejus exemplum ſequuti, magno numero tranſnatarunt, pagúmque Segiem inflammarunt. Quo viſo Palffius cum omnibus ſuis copiis Ungaricis, ac Germanico Saxonum & Sileſiorum equitatu tam in eos, qui tranſierant, quàm qui natando ſequebantur, irrupit, eoſque terga dare coëgit. Qui dum palantes tumultuaria fuga in flumen ſe præcipitant, noſtriq; ultum ire properant, magna eorum multitudo tam colubrinis campeſtribus, quàm ſclopetis & gladiis cæſa, ſed longè major in flumine aquis abſorpta eſt; ita ut tria ampliùs millia eorum deſiderata eſſe exiſtimentur.

A noſtris caduntur

Jam aggeres, quorum latebris Janicerorum promptiſſimi ſclopetis rem gererent, uſque ad marginem foſſæ per ſinuoſos circuitus excavati erant, & ex iis non ſolùm prætoriani, ſed etiam Aſapi, & quos Sarhorios vocant pedites, ac magna agreſtium multitudo, ſive illi noſtrates tributarii forent, ſive Aſiatici ad implendas virgultorum faſcibus, ramiſque & frondibus arborum, & ſaccis terrâ repletis foſſas, nullo cujuſpiam habito diſcrimine, compellebantur: nec ſi obſeſſi operi intentos glandibus ferirent, quicquam penſi habebatur. Sed cùm injecta curſu fluminis abriperentur, nec quicquam

1594. proficeretur, tum Sinanus advocatis Janicerorum tribunis, ac magiſtris fabrum, quos ſecum adduxerat, naviculas conquiri jubet trium aut quatuor hominum capaces, plauſtriſque vectas in foſſam demittit, quibus ſingulis ternos fabros imponit: ii ſilentio noctis taciti proximè oppido ſuccedunt, ac malleis & inſtrumentis quibuſdam ferreis in imo acuminatis muros, qui latericii erant, ſuffodiunt; ita ut uno aut altero laterculo exempto cæteri facilè eliderentur, quo poſtea in loco, pluribus identidem operis immiſſis, ingens ligonibus & batillis ſcroba effoditur, & pulvere ſulphureo impletur. Noſtri periculo animadverſo, ad deturbandos eos, qui in opere erant, ſine mora concurrerunt: verùm quum ſub ima propugnaculi parte nec peti glandibus, nec majoribus pilis poſſent, & conſiſtendi in muris facultas, fulminantibus ex aggere omnibus hoſtium tormentis nequaquam eſſet, operæ hoſtium funiculo indito ignito, quo pulvis ad certam temporis moram incenderetur, retroceſſere, paucis, qui poſtremi erant, noſtrorum ſuperventu trucidatis. Nec mora, propugnaculum ingenti edito fragore disjectum concidit, ſed non adeo lato hiatu, ut irrumpi poſſet; & flumen obſtabat, nequaquam hoſti pervium. Hæc res obſeſſos & maximè Hardecum perterruit; ita ut ſi hoſtes ejuſmodi artificii genere pluribus locis uſi muros perfoderent, muſſitando & diverſa inter ſe conſilia miſcendo, de urbe retinenda deſperare viderentur. Adhuc tamen ſpe & fiduciâ exercitûs circa urbem in caſtris collocati, ex quo per pontem milites in urbem commeare, ac feſſis & vulneratis recentiores ſubinde ſubmitti poterant, aliquantum ſuſtentabantur.

Cuniculis actis muros hoſtis ſubruit.

Propugnaculum pulvere ſulphureo disjectum corruit.

Interea Matthias cùm ſuas copias indies dilabi ac diminui videret; nam voluntarii milites è nobilitate, quòd præſtitutum legibus tempus in caſtris expleviſſent, partim ipſo inſcio caſtra deſeruiſſent, partim ægerrimè detinerentur; mandata ad omnes regiones, in quas Pannonia diviſa eſt, dedit, ut quamprimum novos delectus haberet, & majoribus coactis copiis, ad tuendam patriam confluere maturarent. Ad eoſdem Palffius quoque literas dedit & nuntios, qui rem urgerent, ſine cunctatione expedivit. Ad Moravos quoque & Sileſios, ac Bohemos miſſi, qui eorum in caſtra adventum ſolicitarent, Cæſaremque hortarentur, ut illis ad concurrendum & opem ferendam ſuâ auctoritate calcar adderetur. Nam ipſe, quòd plures cohortes Jaurino & aliis præſidiis tuendis diſtribuiſſet, eo quidem tempore in caſtris vix equitum ſex millia, ac peditum bis totidem habere cenſebatur.

Copiæ noſtræ paſſim dilabuntur.

Confluxêre ex Ungaria ad mandatum principis die condictâ, in caſtra circiter XL. millia equitum & peditum magnâ celeritate, quorum major pars collectitia quidem è plebe & ex agris erat; tamen & ſclopetis & armis ſatis bene inſtructa, & tantæ neceſſitatis tempore gratus & commodus eorum adventus fuit: quod & erigendis aggeribus, & vigiliis aliiſque muniis caſtrenſibus obeundis tutò adhiberi poſſet: & non modica pars etiam militiæ exercendæ haud inepta eſſe videretur. Cæterùm Carolus Burgaviæ regulus, qui caſtrorum magiſter & principis legatus à Cæſare erat deſignatus, cum legione ſua & equitibus, viarum difficultate impeditus nondum in caſtra venerat. Itaque Franciſco Saxoniæ duci Lauenburgio ejus vices erant demandatæ, viro cæterà quidem cauto & pugnaci, ſed Turcicis bellis & præliis minùs exercitato. Ungaria Palffius præerat, vir indefeſſus & fortis, navandæque operæ cupidiſſimus. Is quantum ingenio viribuſque poterat, hoſtibus arcendis & inquietandis incumbere non prætermittebat. 1594.

XL. millia equitum & peditum Hungarorum denuo confluunt.

Igitur cum minoribus ducibus & præfectis colloquutus, permittente principe in hoſtium caſtra irrumpere decrevit; & opportuniore occaſione, quòd eodem die Tartarorum major pars ad populandum in inſulam, quam Arrabo fluvius in aliquot diviſus alveos efficit, caſtris diſceſſiſſet; re itaque cum Hardeco & trierarchis communicatâ, tali ordine, ut ipſe è caſtris, ille verò ex urbe cum ſuorum ſelectiſſimis excurrerent; trierarchi verò cum claſſe ſociiſque navalibus ſecundo flumine devecti, ſuos ex adverſo aggerum, in quibus tormenta erant, in continentem exponerent, & uno eodemque impetu aggeres & caſtra aggrederentur, decrêvere. Itaque XXVIII. die menſis Sextilis ſummo mane Palffius cum quinque millibus equitum & peditum, & Hardecus cum Joanne Gaiſcloperio tribuno haud minore ſuorum numero erumpentes in Janiceros, qui in aggeribus ad tormenta cuſtodienda excubabant, validiſſimum impetum fecêre. Qui tametſi fortiter aliquandiu reſtitiſſent, ad extremum tamen fuſi fugatique in caſtra fœdâ factâ fugâ evasêre. Ad quem tumultum Budanſis purpuratus, ac Sinani filius Beglerbegus, ſuos totis caſtris ad capienda arma cohortati, eò occurrerunt: initumque eſt acerrimum certamen, in quo noſtri premere Turcas & occidere, partem in aggeribus penès tormenta trucidare, partem in effuſam fugam vertere cœperunt, eratque res Turcarum in extremum adducta diſcrimen, adeò ut Beglerbegus vulnerato, quo vehebatur, equo, in magno periculo verſaretur, & Palffius ancipiti fortunâ cum quodam Turca dimicaret, qui tamen à Derſffio brevioris ſclopeti glande trajectus occubuit, jamque Budenſis & Beglerbegus fugam dederant, in qua multo maximus hoſtium numerus cæſus erat; ni Sinanus omnem ferè equitatum & prætorianos ſuis laborantibus opem laturos ſubmiſiſſet. Ibi prælium atrox ſi unquam aliàs redintegratur; & tametſi hoſtes magnis viribus noſtros repellere contenderent, vincentibus tamen noſtris denuò terga dare coguntur: apparebatque Turcas facilè fundi delerique potuiſſe, quum jam totis caſtris trepidaretur, & multi etiam tentoria revulſa componere feſtinarent, ſi claſſis & ſocii navales in tempore, ut decretum erat, adfuiſſent, & pugnantes hoſtes adorti eſſent.

Palffii irruptio in hoſtium caſtra.

Eâ pugnâ fervente, Petro Huſatio Papenſi præfecto ſiniſtra manus ad cubitum craſſiore ſclopeti fractis oſſibus vulneratur; cadit etiam Joannes Barberius, viarum ductor celebris & fortis, cæterique nonnihil animo perturbantur, ſed cùm ſocios navales tardiùs quàm res poſtulabat, incedentes animadvertiſſent, increpitâ morâ, gradum eos accelerare jubet. Verùm illi noſtrorum receptum fugæ haud diſſimilem arbitrati, retro ad naves trepidi refugiunt, uſque adeò trepidanter, ut Joannes Gaiſcloperius eos retentare fruſtra conatus, ut ſaluti conſuleret, unà cum eis ad naves ſe proriperet, & inter tumultum, dum in biremem inſiliret, fallente fortè veſtigio, in Danubium prolapſus mergeretur. Prodierat etiam è claſſe

Hono-

1594. Honorius Tanhauſerus, Seceni præfectus, quamquam tardiùs, & dum redintegrare aciem & ſuorum fugam ſiſtere contendit, ſuperventu hoſtium in humero vulneratur. Pugnabatur tamen adhuc à noſtris fortiſſimè, & plurimi ex hoſtibus occumbebant; & haud dubiè victoria ad noſtros inclinare videbatur, cùm Palffio ſiniſtrum pedem prope talos glande vulnerato, ac Sinano ſuis laborantibus totum exercitum è caſtris ſubſidio adferente, noſtri ſe in urbem & caſtra recipere cœperunt.

Tria ferè millia hoſtium eâ pugnâ caſa.

Duravit hæc pugna ab ſolis ortu uſque ad meridiem, ac tria fere millia Turcarum cæſa fuiſſe dicuntur, neque erat dubium, ſi validior manus noſtris ſubſidio veniſſet, hoſtes eâ die fundi, & caſtris exui potuiſſe, quod etiam ex literis Budenſis purpurati, biduo poſt interceptis cognitum fuit. Tartarorum ſiquidem major pars cum Turcis Albanis & Coppanianis ad vaſtandos inſulæ Arrabonianæ populos excurriſſe, & negligentiùs in hoſtium caſtris omnia adminiſtrari ferebantur. Nec noſtris incruentum certamen fuit; inter quos præter Palffii ducis, & Huſarii graviſſimum vulnus, lectiſſimi milites ad CCLV. periiſſe ac vulnerati eſſe exiſtimantur. Poſt hanc pugnam Nadaldius cum Franciſco Deſſfio, Stephano Turca, Thoma Secio, aliiſque nonnullis, ac eum haud modica parte copiarum, ad tutandam adverſus Tartaros Arrabonis inſulam, cujus major pars ejus erat ditionis, accepto à principe commeatu, proficiſci decrevit. Sed quum eò perveniſſet, jam hoſtes ingenti hominum & pecorum abactâ prædâ diſceſſiſſe cognovit: itaque ſe domi ſe continuit, nec caſtra repetivit ſuis defendendis intentus.

Papenſes præſidiarii à Turcis conciſi

Exinde hoſtes ad Papæ præſidiarios tentandos excurrerant; rati, ſicut evenit, eos ad inſidias elici poſſe. Erat in oppido Nicolaus Becaſius, quem Huſarius, dum Jaurini vulnus curat, ſui loco legatum conſtituerat: is cum Matthia Hathalmio equitum præfecto, ac centurionibus colloquutus, nec ferendam hoſtium inſolentiam dictitans, eum ſuis adverſus hoſtes vociferantes, ac in gyrum obequitantes excurrendum exiſtimavit; pugnâque contractâ, quamquam noſtri pro vetere ſua fama, qua pugnaces fortesque habebantur, diutius eam protraxiſſent, cùm tamen Tartari ex inſidiis procurriſſent, numeroque & ſagittarum vi multos non ſolùm milites, ſed etiam equos, crudeliter ſauciare atque interficere cepiſſent, & Becaſius ac Hathalmius ſagittis confixi in veſtigio occubuiſſent, cæteri fuſi, fugatique & uſque ad oppidi portas cæſi ſunt; paucique oppidum incolumes reverterunt; adeo ut niſi inde tormentorum pilis ſubmoti fuiſſent, parum abeſſe videretur, quin fugientibus intermixti in oppidum penetrarent.

At Sinanus propoſiti ſui tenax, quo Jaurinum in poteſtatem redigere ſtatuerat, Danubium vel invitis noſtris ponte conſternere, ac de rerum ſumma ferro decernere aut ſi ii vitato congreſſu retroceſſiſſent, oppidum verà vi expugnare, aut admoto terrore ad deditionem compellere decrevit. Igitur imperata oppidis & pagis tributariis infinita plauſtrorum ac jumentorum multitudine, naves Budà Strigonium adverſo flumine ſubvehi, & illinc jugis boum aut equorum per continentem in caſtra ferri juſſit. Denſior caligo ac nebula diem obſcuriorem reddiderant, ſicuti locis humidis fieri ſolet, ut aſpectum eriperent, dum hæc agerentur; ex multo tamen agreſtium hominum qui jumenta urgebant, clamore, hoſtes aliquid moliri ſuſpicio erat, & interea etiam ab exploratoribus & tranſfugis cuncta hoſtium conſilia ad principem adferebantur. Ipſe cùm omnia ponti conſtruendo neceſſaria comportari juſſiſſet, ut quod animo volvebat, bene verteret, ſucceuſis per omnia tentoria innumeris cereorum luminibus, præcinentibuſque Taliſmanis, preces & ſupplicationes placando numini fieri inſtituit. Quibus peractis, tormenta eurenſia majora minoraque ferme XXC. ad ripas Danubii, longâ ſerie, interpoſitis corbibus terrâ repletis collocari juſſit, quæ tuendis iis, qui pontem curarent, ſubſidio eſſent.

Danubium ponte conſternit Sinanus.

Quæ tametſi ab hoſtibus maximis conatibus propalam fieri duces noſtros minimè latebat, fatali tamen quadam negligentia adeo animos corporaque laxaverant, ut nedum maturè obviam ire contenderent, ſed etiam copias auxiliares, quæ audito hoſtium adventu in caſtra convenerant, domum redire permitterent, ſuaſu, ut fama fuit, Stephani Illeshazii, qui Palffio affinitate junctus erat, jam non procul caſtris eſſe legionem Burgavianam, ac Bohemorum & Moravorum auxilia Sacolciam perveniſſe dicentis; ac iſtos collectitios tempus præſtitutum expleviſſe, ſtipendiiſque & commeatu deſtitutos dimitti ad curandos agros oportere. Qui quum vexillis explicatis via Comaronienſi revertterentur, idque Tartari, qui prædatum exierant, ex ulteriori Danubii ripa conſpexiſſent, fraudem ſubeſſe rati, id non ſine admiratione in caſtra reverſi ſuis retulerant. Oportunam igitur occaſionem nacti hoſtes, navigia in flumine componere, & contabulare aggrediuntur, ac noſtros numero paucos prohibere conantes, innumeris tormentorum pilis ex adverſa ripa ſubmovent. Tartari denuo eodem in loco tranſnatantes, noſtros diſtrahere contendunt, & Janicerorum validæ manus per Saicas & navigia tranſvectæ, aggeres noſtrorum, paucis peditibus, qui eos tuebantur, cæſis, occupant, ubverſiſque in noſtros tormentis non modicam in eis ſtragem edunt. Burgavius legatus, quum relicta in itinere legione ſua, per celeres equos in caſtra veniſſet, nec adhuc Bohemi auxiliares, qui ad XX. millia hominum eſſe dicebantur, Poſonio è ſtativis moviſſent, Palffius autem ex vulnere nondum convaluiſſet, quidnam in hac rerum perturbatione ageret, non ſatis explicabat. At Zrinius ingenti animo extremis periculis præſentem opem ferendam ratus, cum ſuis copiis in Janiceros, qui aggeres occupaverant, acerrimo impetu irrumpens, magnâ eorum parte cæſa, cæteros illinc exegit, ac amiſſis quamplurimis, ad naves retro fugere compulit. Supervenêre etiam ei ſubſidio Palffiani, ac Saxonum & Sileſiorum equites, globoque facto Tartaros in fugam conjecêre; qui cum temerè in flumen præcipites ruiſſent, multos ſuorum aquis immerſos amiſerunt.

Auxiliares Hungarorum copiæ domum redeunt.

Hoſtes ex aggeribus repulſi cedunt.

Dum noſtri in hunc modum extremo in diſcrimine verſantur, hoſtes ex ulteriori ripa tormentis majoribus in noſtrorum aciem directis acerrimè rem gerebant, tantâ pilarum frequentiâ, noſtrorumque ſtrage, ut multi ex promptiſſimis viri ſimul cum equis majorum pilarum ictibus membratim dilaniati interirent: & nec proſpici quicquam, neque facilè exau-

1594. exaudiri poſſet, fumo ſcilicet in craſſiſſimæ caliginis morem latè diffuſo, ac crepitu tormentorum cuncta terribili impetu quatiente. Inter quos Andreas Revaius, nobili ortus genere Nogradi præfectus, ac Franciſcus Topos alæ equeſtris Palffianæ ductor, ac Benedictus Totus, ejus Thomæ filius, qui bello Peſtano inter Ungaros caſtrorum magiſter erat, diſcerpti fuêre. Hæc pugna ad VIII. Idus Septembris inchoata ac illuceſcente aurora, ad Solis uſque occaſum protracta eſt, quum milites totâ die nec ſua, nec equorum corpora curaſſent: in qua ex Ungaris & Germanis circiter CCXX. equites pedit éſque deſiderati ſunt, ex Turcis verò & Tartaris ampliùs duo millia interiiſſe, ipſorum etiam confeſſione relatum eſt. Interim autem dum pugnaretur, pons ſine intermiſſione, urgentibus hoſtium præfectis conſtruebatur; & quum diſcuſſis nebulis luna pernox eſſet, quod interdiu perfici non poterat, de nocte finitum eſt; & noſtri amiſſis aggeribus magna cum trepidatione in caſtra redierunt. Dum in hac perturbatione res adminiſtrantur, ac hoſtia per pontem agminatim explicatis vexillis trajicit, Matthias princeps & duces Germani, ut quidnam conſilii pro tempore capiendum ſit, in concilium coeunt, evocatur ex urbe Hardecus, Palffii quoque lectulo decumbentis ſententia, miſſo ad eum Benedicto Pogranio exquiritur: ac communibus ſuffragiis, nequaquam tamen evulgatis, decernitur, urbe Hardeci curæ, fideique relicta, præſidióque firmiore, & rebus neceſſariis munitâ, retrocedendum ac caſtra ad Ovarinm reducenda; eo ordine, ut currus & impedimenta, per inſulam itinere Hedervariano præmitterentur; exercitus verò Abdana via procederet, ac Ovarii ad Laitam flumen conjungerentur.

Optimates Hungari aliquot occumbunt.

Noſtri caſtra Ovarium reducunt.

Sed quum ſubita ejuſmodi conſilia exequi contendunt, molæ frumentariæ, quæ in minore Danubii parte ſtabant, incertum caſu ne an conſilio, ruptis vimineis retinaculis, vi & curſu fluminis tunc fortè exundantis, deorſum ferri ceperunt; ac pontem, quo noſtri Jaurinum commeare ſolebant, puncto temporis disjecerunt; commodum tamen evenerat, ut priùs quam pons interrumperetur, VI. circiter millia peditum Germanorum in urbem ingrederentur, ducibus Antonio Tino, Rudolpho Graiſio, Gaudentio Rechpergio, Honorio Sigeſtorffio, & Hieremia Plairotio. Italicis autem cohortibus Ferrantes Roſſius imperitabat. Ungari verò vix CLX. in urbe relicti erant, quum Hardecus cæteros, aut eorum diffiſus fidei integritatíque, aut minis invidioſo præjudicio, partim in caſtra tranſire juſſiſſet, partim in aliorum locorum præſidia diſtribuiſſet: & Joannem duntaxat Iſdenrium, equeſtris turmæ præfectum, ac alterum Joannem Otmandium militari juri dicundo præpoſitum penes ſe retinuiſſet. Nec multò pòſt conclamatis vaſis, ac ſolutis tentoriis, noſtri duplici vis, ſicuti erat decretum, iter ſuſcipiunt, tantâ perturbatione ac rerum omnium confuſione, dum quiſque in progrediendo alterum præcedere contendit, ut multi de ponte in flumen præcipitarentur: nonnulli de progreſſu altercantes armis inter ſe digladiarentur. Interim equites conſcenſis tumultuariè equis, nec ullius expectato imperio, qua cuique libitum fuit, verſus Ovarium procedere: princeps quoque cum ducibus ac primoribus eodem modo, ſine ordine progredi, quiſque anxiis animis ſibi privatim conſulere, nullâ publici decoris aut virtutis curâ permoveri. Et quum Germani pro more tuguriola ſua, ſecus quàm habebant in mandatis, ſubjecto igne incendiſſent, latè relucens flamma fœdam militum & equorum trepidationem & fugam, qualem nocturno in metu & perturbatis confuſiſque omnibus oriri neceſſe erat, hoſtibus oſtendit.

VI millia præſidio Jaurino impoſita.

Noſtrorum perturbata in diſceſſu.

1594.

Quid quod erat rati, noſtros haud dubiam fugam capeſcere, nihil cunctati mox equos conſcenderunt, Turcæque & Tartari partim ad diripiendos currus & impedimenta, partim in caſtra, quæ partim jam ſoluta erant, partim ſarcinis colligendis occupabantur, provolarunt: & ubique incredibili omnium rerum atque hominum præda potiti ſunt. Irrumpentes enim magno clamore atque impetu magnam partem peditum aut captam, aut interfectam, aut in Danubium præcipiti curſu profugientem deleverunt; & impedimenta ac currus, quibus non tantum variæ ſupellectilis ingens copia, ſed etiam paratæ pecuniæ magnus numerus repertus fuit, unà cum equis & vectoribus facili negotio in poteſtatem redegerunt. Plurimi etiam onuſtos variis rebus & pecuniâ currus per tumultum & trepidationem in via reliquerunt, qui poſteà vel hoſtibus, vel vagis Haidonibus, aut agreſtibus prædæ fuêre. Inter quæ Matthiæ principis & Burgavii legati res ingentis pretii, ac argentea recuſis, & abaco dicata ſupellex, pari infortunio damnoque amiſſa eſt. Zrinius tamen & paucæ quædam Ungaricæ turmæ, quæ poſtremi agminis terga claudebant, ſatis pro diſciplina Turcas confertim irrumpentes excepêre, ſolitâque earum virtute impetus hoſtium aliquantum repreſſus: quo in tumultuario certamine Joannes Cunovitius, & Martinus Somogius, Zrinii equites interiêre, & Andreæ Chozio viro forti, & viarum perito, longioris Numidicæ lanceæ cuſpide dextrum brachium lethaliter ſauciatum eſt, multíque alii cæſi ac vulnerati; aliquotque muli ſarcinarii abrepti. Nec deſtitêre hoſtes noſtris infeſtandis, donec ſumma diſſipatorum ordinum confuſione, neglecto ducum imperio ad Ovarium perventum eſt. Triremes quoque & claſſis quæ ad Inſulam, quam Danubius in duos diffuſus alveos efficit, quorum uno Comaronium, altero Jaurinum navigatur, in ſtatione erant, eâdem trepidatione, multis navium, quæ remigio & epibatis fortè carebant, hoſti relictis, ab Rideſelio duce ſaluti ſuæ conſulente, Danubii ripam ad Moſonum oppidum ſubierunt.

Hoſtes caſtra noſtra invadunt diripiuntque.

Claſſis etiam noſtra turpi fuga ſibi conſulit.

Pulſis in hunc modum noſtris, ac cauto potiùs quàm honeſto conſilio caſtris Ovarium perductis, Sinanus eo victoriæ ſucceſſu animis auctus, Jaurinum arctiori quàm hactenus obſidione circumvallavit, ac aggeres in ſuburbio Aquilonaris plagæ, quod ab Hardeco ſub adventum hoſtium concrematum erat, conſtitui, ac in iis decem tormenta collocari juſſit, quibus mœnia verberarentur. Et quamquam id ſine intermiſſione fieret, quia tamen firmiſſima multòque repleta ceſpite erant, ictus omnes irriti vanique eſſe videbantur. Itaque rurſus ad agendos cuniculos converſus, propugnaculum aliud, quod verſus meridiem, arcémque Divi Martini ſpectat, iiſdem quibus anteà inſtrumentis ſuffoſſum, ac laterculis exemptis nudatum, injectóque pulvere ſulphureo

Noſtris diſcedentibus arctius Jaurinum premit Sinanes.

1594. reo in ſublime jactandum decrevit; mirúmque dictu, & vix credibile, tantum hoſtium conatum, tanto diurni nocturníque temporis labore ſuſceptum, extremíque plenum periculi nec à Perlino, ejuſmodi rerum artificiíque imprimis perito, nec ab Hardeco, aliíſque ducibus animadverſum fuiſſe; ita ut pro diſciplina contrariis ſuffoſſis cuniculis ubviam iretur. Cùm igitur pulvis ſcrobi egeſtæ injectus, nemine prohibente ſucceſſus ignem concepiſſet, ac muri partem ſatis amplo facto aditu patefeciſſet, qua tamen hoſtes necdum irrumpere poſſe multis videretur, extemplo turbata intus omnia, tumultuari Hardecus, milites repentino periculo perterrefieri, nec Perlino ſatis animi audaciæque ſupereſſe. Itum tamen confeſtim ad locum, & oſtendente Perlino hiatus gleba & ceſpite ac trabibus ſine mora reſtauratur.

Altero propugnaculo pulvere ſulphureo ſubverſo.

Eodem die hoſtes magno ſublato clamore, per rudera conſcendere contenderunt; verùm objectu fluminis, & quòd majora fragminum fruſta, non in foſſam ſed interiorem propugnaculi partem fortè fortuna procidiſſent, moltíque ex ſubeuntibus tormentis petiti occubuiſſent, receptui cecinêre, plurimis ſuorum cadaveribus in foſſa relictis. Secundum hanc oppugnationem Hardecus res ſuas & ſociorum perditas ac profligatas exiſtimans, nec jam ſalutem ſuam urbi duobus in locis adapertæ committendam arbitratus, diverſa degeneris animi de urbe dedenda, ac paciſcendo cum hoſtibus conſilia volutare, eaque cum ducibus, quos paulò antè nominavi, diſcrimine in majus quàm erat antè amplificato, communicare cœpit. Tametſi autem Matthias princeps, ex Ovario per idoneos homines eum honoris & exiſtimationis ſuæ admonuiſſet, ac ut omnem obſidionis fortunam, forti animo tolerando præſtitæ fidei memor eſſe vellet, cohortatus eſſet, atque adeò certum eſſe perſcripſiſſet, Burgavianam quater millenariam exercitatiſſimorum militum legionem, Bohemoſque & Moravos, cum juſto exercitu jamjam affuturos, nec de ſuppetiis primo quoque tempore ferendis dubitandum eſſet; ipſe tamen ingenti pavore & conſternatione occupatus, nihil ejuſmodi ſermonibus moveri, ſed in propoſita deſperatione perſiſtere.

Noſtris animus concidit.

Igitur perductis in ſuam ſententiam Perlino, & Germanorum militum tribunis, unóque ex Ungaris Ormandio, tabulas deditionis conficit, ac eorum ſyngraphis firmat; petitóque colloquio, & publicâ fide Perlinum, qui cum Sinano de conditionibus tranſigat, in hoſtium caſtra emittit. Sinanus re cognitâ, ſicuti ſua & omnium opinione celeriùs, ita gratiſſimo lætiſſimóque animo Perlinum deditionem ultro offerentem audit, ac tridui inducias concedit, quibus & tormenta utrinque ceſſent, & de re tota tranſigatur. Itaque ſuum & Beglerbegi ac Budenſis purpurati legatos in urbem mittit; breviſque in hunc modum concluditur; ut cum omnibus rebus, ſarcinis, equis, armis, & ſupellectili arce excedatur, iiſque & ſauciis ægrotíſque avehendis naves idoneæ concedantur. Quibus à Sinano obſignatis, Hardecus claves Beglerbego (eum enim Sinanus loco ſuî miſerat) tradit, precatus impudenter, ut occupatâ urbe quàm diutiſſimè potiretur; eoque dicto, nec exſpectatis iis, qui naves conſcenſuri, aliquantulum moræ protrahebant, urbe exceſſit, rectáque ad principem contendit: qui auditâ non ſine ſummo dolore intempeſtivâ urbis deditione, relicto Ovarii valido præſidio, eoque fidei & curæ Sigiſmundi Hageri concredito, ad Priccum Laitæ flumini adjacens oppidum, ſeſe receperat. Ubi quum principem ei colloquium expetenti, uti abjecto & contempto homini denegâſſet, ejuſque etiam congreſſum Burgavius & Zrinius averſati eſſent, Viennam ſe contulit, ibique juſſu Cæſaris non multò pòſt unà cum Perlino cuſtodiæ traditus fuit, ut in eos judiciis convictos, per rerum capitalium judices lege ageretur. Sed iis, qui naves conſcenderant, aut ægri per domos atque hoſpitia inventi, quive tardius antecedentium agmina conſequuti fuerunt, fides publica ita ſervata eſt, ut omnibus ferè miſerabilem in modum cæſis, aut captis, aut omnibus bonis & fortunis ſpoliatis, novum documentum nos capere Turcicæ fraudis & fallaciæ, & quæ fictis à perfido hoſte pertimeſcenda ſint, fortuna voluiſſe videatur.

Hardecus de deditione cum Sinano tranſigit.

Idemque cum Perlino Viennæ cuſtodiæ traditur.

Turcica perfidia.

Sinanus Jaurino potitus, primo urbis ingreſſu gratiis Deo actis, captivos Turcas, ad XX. qui juxta pacta ibi erant relicti, ad ſe vocat, deinde vinculis ſolutos, quod pro ſacris Mahumetanis crudeles carceris & compedum ærumnas, & vitæ pericula forti & conſtanti animo pertuliſſent, collaudavit; pedéſque eorum aqua calefacta, ſpectante exercitu, ſuis manibus lavit, ſingulóſque denis aureis nummis donatos, ut in iis perpetuâ fide permanerent, cohortatus dimiſit. Deinde relictis in præſidio mille Janiceris, ac totidem equitibus, ac urbe Aly purpurato Italicæ originis, (Surrentinum eum è Campania fuiſſe tradunt) commendatâ, expeditam exercitûs partem Beglerbego filio tradidit, ac cum Tartaris Papam miſit, ut eam quoque urbem dejectis hoſtium præſidiis in poteſtatem redigeret, ac partâ victoriâ ad ſe Comaronium, quod obſidione cingere decreverat in caſtra venire maturaret. Papæ nemo ferè præter gregarios milites erat, qui præſenti animo hoſtibus reſiſtere, urbémque pro diſciplina tueri velle videretur: Nam Huſarius cogente ingenti vulneris ac fractorum oſſium dolore, in Muravium ad medicos fuerat profectus, & Becaſius ejus legatus, Hathalmiúſque cum majori parte equitum paulò antè à Tartaris cæſi occubuerant, & ii qui domi erant relicti, fugæ magis quàm prælio arma atque animos præparatos habebant.

Sinanis in captivos Turcas humanitas.

Urbis præfecturam Aly purpurato mandat.

Itaque cognito Beglerbegi & Tartarorum appropinquantium adventu, tanta in urbe atque arce perturbatio exorta eſt, ut præ tumultu & trepidatione militum, quibus fœminarum, & puerorum plangentium pavidum genus cum ejulatu & lachrymis immiſcebatur, nihil aliud conſilii, quàm de urbe deſerenda cogitaretur. Itaque ſubito pavore exterriti, ac anteactæ militiæ laudíſque obliti, reconditis in publico carcere XXX. ferme captivis (id gratum Beglerbego poſtmodum accidit, quòd eos vivos repererit: eamque ob cauſam Papenſes, immiſſis equitibus, perſequi nequaquam ſuſtinuit) in adverſos montes & ſilvas ſeſe proripuêre, ac pars Arrabonis inſulam, pars Sarvarium Nadaſdii oppidum, alii Sopronium, & quo quiſque potuit effuſa fuga perrexerunt. Beglerbegus incruentâ potitus victoriâ, miſſis populatum Tartaris, biduo ibi ſtativa habuit, iiſque rurſus cum præda in caſtra receptis, Jaurinum ad patrem rediit, & ab eo Papæ in præſidio Hydrizes cognomento Cocacevitius natione

Papa à noſtris derelicta in hoſtium poteſtatem venit.

1594 tione Dalmata, Zlinii olim Comitis alumnus, cum M. utriuſque ordinis militibus Turcis relictus fuit.

Inde Sinanus promotis caſtris ad dextrum Danubii latus, verſus Comaronium iter tenuit, gloriabundus & jactitans ſe, uti ab Hiſpanis in Africa munitiſſimum Guletæ præſidium verâ vi ac virtute expugnâſſet, nunc verò Germanos & Ungaros, extorto ab eis Jaurino perdomuiſſet; ita etiam tertiam Comaronii munitionem, quam Chriſtiani inexpugnabilem putent, brevi captam cæteris ſuis victoriis ſuperadditurum; quòd ſi Murati principi ſuo omnium potentiſſimo videatur, idque ſibi exequendum committat, etiam Corcyræ maris Adriatici inſulæ arcem à Venetis, nullâ acie, nullâ vi expugnari poſſe arbitrantibus poſſeſſam, duorum menſium labore in poteſtatem redacturum. Hæc ab iis, qui ſermoni interfuerunt, poſteaque ad nos transfugerunt, didicimus.

Inde Comaronii Sinanus obſidet.

Igitur quum ad IV. Nonas Octobris, die Divo Franciſco dicatâ Comaronium perveniſſet, primum quidem ex dextra Danubii ripa tormentis arcem quaſſari; ſed quum partim id proficeret, quod fluminis latiſſimi & ampliſſimi interfluentis objectu, vanos conatus eſſe cognoſceret, poſt irritam aliquot dierum oppugnationem, expediri naves pluteoſque, & in inſula Danubii bipartito ſupra oppidum decurrentis pontem conſtrui juſſit. Qui dum conſtruuntur, Matthias princeps, qui hoſtem jam appetente hieme obſidionem tam munitæ arcis tentaturum minimè crediderat, è Proceo Poſonium cum exercitu contendit, ac cum Palffio & aliis communicato conſilio, eum cohortes Burgavianas, quæ jam Poſonium pervenerant, dimidiam nimirum legionis partem, Comaronium, priùs quàm hoſtis ponte facto trajiciat, perducere jubet. Palffius quamquam nondum ex vulnere ſatis convaluiſſet, id tamen impigre neque cunctanter exequendum ſuſcepit. Sed cohortes ſeſe non ad tuendas ab hoſtibus arces, ac toleranda obſidionum incommoda periculaque, ſed ad pugnas campeſtriaque prælia ſtipendio conductas cauſando, id militiæ genus detrectare ac ſubterfugere videbantur. Verùm Palffio cohortante, & appoſitis ſermonibus earum præfectos & centuriones promiſſis ingentibus onerante, naves conſcendere, & eos ſecundo Danubio Gutam, quod oppidum inter Novam arcem & Comaronium jacet, deductos expoſuit: additiſque viarum peritis, Comaronium feliciter introduxit, ſimulque obſeſſis commeatum, cujus penuriam jam ſentire ceperant, & res neceſſarias ſubminiſtravit. Quæ opportunè curata, ad conſervandam eam arcem, & totius belli conficiendi rationes quam maximè conduxiſſe viſa ſunt.

Tormenta mœnibus concutiendis admoto.

Confecto interea ponte Sinanus cum toto exercitu non procul ab oppido (quod Eraſmus Praunius loci præfectus, ne receptaculo hoſtibus foret, ſub eorum adventum funditus concremaverat) conſedit; tormentaque inuſitati ponderis XVIII. primum quidem proximè templum ſtatuit; ſed deinde biduo pòſt ad ipſius foſſæ marginem, in aggeribus nocturno agreſtium operarum labore effoſſis, promota collocavit: quo in opere quamquam majoribus pilis ex arce emiſſis multos ex Janiceris operi & cuſtodiæ tormentorum intentos amiſiſſet, tamen nihil eorum cæde permotus duo propugnacula, inter quæ porta arcis aditi ſoret, interdio noctuque inceſſanter dirui mandavit. Praunius ex adverſo, ac Lupus Starcitius ejus legatus, atque alii, qui intus erant, iis, quæ ad defenſionem erant neceſſaria, indefeſſo labore & ſolertiâ comparatis, mutuo conſilio & paribus armis ſeſe impigre tueri non deſinebant. 1594

Hoſtes ab agendis cuniculis repelluntur

Quæ dum in hunc modum geruntur, & Sinanus fruſtra tormentis laborat, ad agendos in medio tonitrorum cuniculos, quibus Hardecum in obſidione Jaurini perterruerat, animum adjecit; ac fabros & Janiceros ejus rei peritos uſvigiis impoſitos, quid fieri velit edocuit: nec mora, iiſdem inſtrumentis, quibus Jaurini uſi erant, latera & lapides, quibus murus conſtabat, eximebant, ut ſcrobibus brevi effectis pulverem ſulphureum immitterent, eoque incenſo mœnia diſturbarent. Non tulit immoderatam hoſtium inſolentiam Starcitius; ſed Martinum Contrarium, & Franciſcum Zapatam trierarchos, ac ſociorum tam Ungarorum, quàm Germanorum promptiſſimos cohortatus, ut ſe adverſus hoſtes vadentem intrepidè ſequerentur, ſub veſperum erupit, contractoque cum hoſtibus acri certamine, eos ab opere ſclopetis & glandibus ſummâ vi ac fortitudine ſubmovit; cæſiſque & interfectis fabris & Janiceris, inſtrumenta, quibus opus faciebant, ademit, ac navigia fruſtulatim ſecuribus diſſecta inutilia reddidit, incolumiſque in arcem eſt reverſus.

Matthias Archidux novas copias comparat.

Intereà Matthias periculo Comaronienſium permotus, per celerrimos curſores mandata ad Bohemos dat, ut venire in caſtra maturent: Tiffenbacho ac nobilitati Pannoniæ ſuperioris, ut omnibus viribus periclitanti patriæ opem ferre feſtinent, jubet: Palffius ſponte ſua copias tam ſuas, quàm quæ ei ſubjecta erat nobilitatis, quam citiſſimè conſcribendas, & Danubium in inſulam Sallocoziam trajiciendas curat: Princeps ipſe, facto ſupra Danubii cornu, quod infra Poſonium ad Verecuiam vicum fluit, è navibus & tabulatis ponte ad Piſpecum oppidum proficiſcitur, exercitumque ſuum ac Burgavianæ legionis partem, unà cum Italicis cohortibus, quas Joannes Medicæus adduxerat, ibidem per hoſpitia diſtribuit. Paulò pòſt Ungari è ſuperiori regni tractu frequentes adfuêre, & Sigiſmundo Racocio, Franciſco Doboni, Stephano Humonniano, ac Stephani Bathorii equitibus, & cohortibus, quibus Nicolaus Socolius, & Ladiſlaus Veteſius præerant, in oppido, quod Paca vocatur, ſtationes diſtributæ. Bohemi etiam & Moravi Petro Roſembergio regulo duce, quorum numerus ad XX. millia hominum cenſebatur, jam non procul Poſonio ad oppidum Stompham veniſſe nuntiabantur. Annibalem quoque Rottenavium, principes ut juſtis paſſibus, ac itinere etiam de nocte continuato, adeſſe cum ſua legione maturet, per litteras & nuntios incitavit; qui non multò pòſt exercitui ſe conjunxit: jamque ferè ad XL. millia armatorum in ſtativis haberi exiſtimabantur; quorum virtute pleriſque arceri hoſtes aut certè ſuſtineri poſſe, haud inſulſo judicio videbatur. Sed ubi virtutes imperatoriæ ac felicitas deſunt, caſuque magis & fortuna, quàm virtute & conſilio res geruntur, & magnæ copiæ oneri magis, quàm auxilio ſunt, & fruſtra ſuſcipi omnem laborem oportet.

Confluentibus in hunc modum undique noſtrorum copiis, Matthias concilium denuo cogit, ut à ducibus quidnam, quod è republica ſit, faciundum putent, deliberetur. Diſputarunt

ab iis

1594. *Diſceptatio de bello gerendo.*

ab iis variè, utrum ſociis laborantibus ſuccurrendum, caſtraque promovenda ſint, an majorum auxiliorum adventus ex Auſtriacis provinciis præſtolandus? Cæterùm omnem moram non inutilem duntaxat, ſed ſummi etiam periculi plenam eſſe judicans, ea conſilia, quæ protrahendo tempori amittendæque occaſioni cauſas adferre viderentur, abjecit, & caſtra plenis paſſibus verſus Comaronium promovit; itumque eſt ad Niaraſdum pagum, duobus Piſpeco milliaribus diſſitum; eo propoſito, ut caſtris ibi collocatis, valloque & foſſa munitis, hoſtium conſilia certiùs explorarentur. Quo cùm ſecundis caſtris ad veſperum ſequentis diei perventum eſſet, cognitum eſt, Bohemos Poſonium veniſſe, & dum exiguam militi quietem conceſſiſſent, in caſtra feſtinaturos.

Caſtra Comaronium verſus promota.

Nec mora, Palffius cum toto Ungarico exercitu, ac iis, quæ ex ſuperiori Ungaria accitæ erant, auxiliaribus copiis ac equitibus M. Comaronium verſus miſſus fuit. Is non procul Comaronio ſubſtitit, & validam equeſtrem alam, quæ hoſtium caſtra latè ſpecularetur, ac aliquos è numero hoſtium caſtris egreſſos interciperet, à quibus hoſtilia conſilia ſciri poſſent, præmiſit. Seb ab ea paulò ante occaſum ſolis redeunte, Sinanum ſolutâ obſidione exercitum reduxiſſe cognovit. Poſtquam enim principem in inſulam cum Germanicis & Italicis legionibus trajeciſſe, Ungariæque ſuperioris auxiliis, quorum apud hoſtes magna virtutis & fortitudinis opinio erat, auctum eſſe, Bohemos etiam & Moravos adventare didiciſſet, quorum omnium numerum vulgaris rumor ſupra veri fidem auxerat, tantum mox timorem concepit, ut nequaquam planè collectis vaſis effugere cogitaret, ægreque & difficulter tormenta ea aggeribus in caſtra pertrahi poſſent, tantâ omnium Janicerorum & aliorum Turcarum celeritate & conſternatione; ut præter pulveris, & pilarum magnam copiam, unum etiam ex majoribus inuſitatæ magnitudinis tormentis, Arabicis inſculptum literis, erumpentibus Starcitio, & Ungaris ac Germanis, qui intus erant, relinquerent, & multis ſuorum amiſſis, effuſa per pontem fuga, ſaluti ſuæ conſulere cogerentur; moxque reſciſſis repente ſuccenſiſque navigiis, & tabulatis, quibus pons conſtabat, ne noſtri per ardentes pluteorum & aſſerum flammas inſequi poſſent, Tatam verſus perculſis metu totis caſtris & diſſipatis ſine ordine agminibus profugerent.

Hoſtes à Comaronii obſidione metu perculſi diſcedunt.

Quâ hoſtium fugâ & diſceſſu, ii qui obſeſſi erant, mirum in modum exhilarati, gratiis Deo actis tormenta omnia audiente Sinano exploſerunt; eò tamen minori animorum lætitia, quòd Praunius præfectus, dum inter pinnas dextri propugnaculi incautius verſaretur, ab Janiceris in commeantes dejiciendos vigilantibus, craſſioris ſclopeti glande in ipſo genu lætifero vulnere eſſet ſauciatus, ea quo non multo pòſt Viennam delatus è vivis migravit. Cæterum Palffius die, qui ſequutus eſt, ad principem reverſus, hoſtes metu adventantium noſtrorum, ſalvo Comaronio, reque infecta, diſceſſiſſe ſignificavit: quo nuntio ſolicitum & ancipiti ſpe nutantem ejus animum haud dubiè erexit, & confirmavit, iiſque de receptu hoſtium, fugæ haud diſſimili, Cæſarem certiorem reddendum curavit. Non defuêre, qui hoſtiles copias diuturnis militiæ laboribus, ac urbium oppugnationibus feſſas, ac multis commilitonum amiſſis aut vulneratis debilitatas diminutaſque, ſi non deleri, at certè inſigni clade affici potuiſſe exiſtimarent, ſi noſtri tempeſtivè confluentes, eos fluminibus utrinque incluſos, unanimi armorum impetu aggreſſi fuiſſent; ſed alii contrà ſalubriori conſilio, vitatum conflictum publicæ ſalutis interfuiſſe dicebant, ne univerſis copiis in unius pugnæ diſcrimen deductis, aliquod è temeritate infortunium eveniret, quo Ungariæ & Auſtriæ fines omni militari præſidio nudati funeſto & inexplicabili periculo exponerentur. 1594.

Praunius ſclopeti ictu ſaucius Viennæ moritur.

His rebus confectis Matthias, relicto in inſulæ ſtativis exercitu, cum ducibus Comaronium deſcendit, ac collaudatis militibus, qui ſecundum Dei Optimi Maximi opem repulſis hoſtibus arcem conſervaſſent, loca ab hoſtibus diruta reſtaurari juſſit, & ad ultimos menſis Octobris dies in caſtra reverſus eſt, commendato curæ Palffii Comaronio; qui Starcitium ob navatam in obſidione fortem fidelemque operam in præſidio reliquit, donec alius in Praunii locum à Cæſare mitteretur. Nec multo poſt, quòd hibernæ tempeſtates bello gerendo maximè adverſæ ingruerent, & Bohemi voluntariæ ipſorum militiæ præfixum tempus præteriiſſe dicerent, nec Ungaris diſcedente ad hiberna hoſte quicquam amplius incommodo frigidoque tempore, quod utile fructuoſumque foret, geri poſſe videretur; princeps eos ad ſua loca redire permiſit, & ipſe cum ſuo comitatu equeſtri, ac prætorianis cohortibus Viennam reverſus eſt, quum copias omnes mercede ex Germania conductas, per eam inſulam amnicarum quæ in Danubio ſunt maximam, à Piſpeco uſque ad Comaronii limites, ac inde ab Ovariana ditione ad Fertonem lacum & Laitam flumen, per oppida & pagos, non ſine incomparabili miſerorum incolarum damno & detrimento diſtribuiſſet, donec eis de emerito ſtipendio ſatisfactum foret: ii ſiquidem tam antea in caſtris, quàm deinde per ſtationes ea præda victitando, fertiliſſimarum & amœniſſimarum regionum vicos, vexatis & direptis agricolarum fortunis atrociter planéque hoſtiliter pervaſtabant; adeo immani licentia, peccandique impunitate, ut ex militibus immaniſſimi latrones effecti, miſerorum hoſpitum pecora, quibus ſe & parvos liberos ſuſtentare, variaque onera ad varias publicas, privataſque neceſſitates obire ſolebant, non quotidiana duntaxat ingluvie mactata vorare & conſumere, ſed rapta & in longinquas terras abacta divendere conſueviſſent; & reconditas cellis penuariis fruges & vina, & quicquid eſſet ejus generis obſonii, è fraudibus comploratum crudeliter extorquere: deſectas verò tempore meſſis & in acervos compoſitas fruges in ſuos & equorum uſus exponere non vererentur; & denique freti nimia impunitate miſeris hominibus, ſi qui facultatum ſuarum rapinis probibendis paulo contentioſius reſtitiſſent, impias & crudeles manus inferrent: nec eâ, quam obtinebant, regione contenti in remotas etiam partes ſæviendo, & abditiſſima quæque loca perſcrutando rapiendoque truculentiſſimè graſſarentur: poſtremò ſegniter imperata facientibus, niſi notabilis tributi pecuniâ ſeſe & pauculas ſubſtantiæ reliquias redemiſſent, omnem cædis & incendiorum cladem denunciare atque inferre non dubitarent; atque adeo uno

Copiis in hyberna & domum dimiſſis, Princeps Viennam redit.

Germanorum rapina.

1595. ejuſmodi graſſantium prædonum agmine diſcedente, alii æquè crudeles & flagitioſi nullo miſeriarum fine ſubinde ſuccederent.

Quibus immanium ſcelerum irritamentis, Deum Optimum Maximum, divoſque omnes offenſos atque iratos, credibile ſanè eſt, ducibus atque exercitibus noſtris, felices & proſperos rerum gerendarum ad decumanam victoriam ſucceſſus haud immeritò eripuiſſe: erepturoſque etiam deinceps, niſi eorundem ſuperum benignitate, aliquis glorioſi nominis & ſummæ pietatis imperator exoriatur: qui revocatâ veteris & incorruptæ militiæ diſciplinâ, & immanibus militum flagitiis coërcitis & caſtigatis, placatoque numine, miſeram & innoxiam plebem, immunem ab injuria, indemnemque conſervare, conſulendoque & bene agendo avaritia atque ambitione procul habitis, ad ſolius tantummodo victoriæ de barbaris hoſtibus reportandæ immortalem laudem flagrantiſſimo ſtudio & ardore pugnacis animi, contendere velle videatur. 1595.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXIX.

Liberato acri obſidione Strigonio, ac rapto inſuper ſub jugum Jaurino, redeuntem Sinanum magnâ domi foriſque partâ gloriâ, domeſticiſque opibus & potentiâ adverſus æmulos ſtabilitâ, Murates congratulabundus magno ſtudio & benevolentiâ excepit: tanta ejus virtutis ac militaris ſcientiæ excitata ubique fama & opinione, ut quamcunque ſe in partem vertiſſet, aut certam ſecum ſalutem, aut perniciem haud dubiam allaturus putaretur: atque ipſi ambo mutuis conſiliis ſibi blandiendo, Cæſarem veluti poſt detractum Jaurinum, & vicinas Viennæ munitiones amiſſas, animo viribuſque fractum, ad extremam neceſſitatem in reliquum tempus, quærendæ pacis potiùs, quàm inſtaurandi belli conjectum prædicabant; Sinanuſque niſi id fieret, ſe, qui non hoc duntaxat bello; ſed etiam ſuperioribus in Africa atque Aſia feliciter geſtis nomen cuncta expugnantis eſſet conſequutus, denuo egreſſurum eum exercitu, & Viennam, quæ Jaurino non multo munitior, aut expugnatu difficilior foret, in poteſtatem redacturum, ſumma vanitate & jactantia gloriando dictitabat. Verùm ſecus, quam ipſe, & multo maxima pars hominum exiſtimabat, Cæſarem neque fuſi aut fugati exercitûs; neque amiſſi Jaurini incommoda adeo perturbaverant, quin eadem infracti ardentiſque animi magnitudine, qua bellum ab initio ſuſceperat generoſiſſimo conatu, in utramque ſortis aleam finire deliberatum haberet.

Sinanes triumphans Conſtantinopolim redit.

Ejuſdem jactatio.

Primum omnium inſtitutam paulò ante interventu Summi Pontificis, cum Sigiſmundo Bathorio Chriſtophori filio, Tranſſilvaniæ principe amicitiam, novo icto fœdere confirmandam decernit; eaque de re mandata ad Tiffenbachum Caſſoviæ præfectum dat, deinde promulgatis ad menſis Aprilis initium Comitiis Germaniæ, quibus ipſe de ſumma rerum conſulturus interſit, legatos ad Sigiſmundum Poloniæ regem delegit Stanislaum Paulovium Epiſcopum Olomucenſem, ac Wencealaum Beream; nomine verò regni Ungariæ tres alii legati publicis votis mittuntur, Demetrius Napradius Aradienſis collegii Præpoſitus, ac Nicolaus Socolius, & Michael Quellemeſius. Qui cùm Cracoviam ad publicum Polonorum conventum perveniſſent, luculenta & eleganti oratione ſigillatim habita, quæ ambæ extant, Regis & Polonorum animos ad ferenda auxilia ac conſociandas vires & arma cohortati ſunt: neve laboranti Chriſtianæ reipublicæ deeſſe vellent, ſummâ ope & precibus flectere & inducere contenderunt: quam ſummus Pontifex, & potentiſſimus Hiſpaniarum Rex, Italique principes, omniſque adeo Germania conjunctis animis & armis juvare conſtituiſſent, eaſdemque confœderationis conditiones apud regem & principes Poloniæ impenſiùs ſollicitarunt duces Electores Saxo, & Brandeburgicus per legatos Joannem Coſticium & Nicolaum Reuſnerum, viros doctos & prudentes. Verùm illi Joanni Samoſcio Cancellario, qui eo tempore non regis tantùm juvenis animum, quo volebat, impellere poterat; ſed cunctis etiam aliis pari ferè cum rege poteſtate dominabatur, ne barbarorum ſocietatem repudiarent, nec ſeſe, dum quieſcere poſſent, novis incertiſque belli caſibus involverent, magnâ contentione ſuadenti paruerunt, & legati re infectâ redierunt.

Legati Cæſarei ad Poloniæ Regem miſſi.

Re infecta redeunt.

Efficacior apud Tranſſilvanum legatio fuit, cujus animum Tiffenbachus, miſſo ad eum Sigiſmundo Paczothio paulò ante pertentarat: & quod is ſuopte inſtinctu erectus in ſpem communis libertatis, ac multis & variis Sinanis purpurati injuriis ac minis territus eſſet, tunc fortè haud parum eum à ſocietate Turcica alienatum repererat, occaſioneſque & modos, quibus pro præſentis periculi neceſſitate pernicioſis tumidi & inſolentis barbari conſiliis, ad excutiendum ſervitutis jugum obviam iret, quærentem. Obſtabat tamen ei tutam & expeditam viam animo agitanti maxima procerum pars, qui Turcicis ſtudiis inveterati, nequaquam à conſortio impiæ gentis diſcedendum arbitrabantur, ne mox invictis ejus armis ſub jugum priſtinum redacti, deteriorem & crudeliorem ſervitutem ſubire cogerentur: à qua eos nec Germania omnis, neque alii principes Chriſtiani, utpote procul diſſiti, nec ſatis concordes aſſerturi fore crederentur; quamquam nec deerant plerique ex iiſdem, qui ſtudio aſſerendæ libertatis, uti humaniores, æquiſſimique homines, communi conſentientis Chriſtianitatis voto nequaquam reluctandum, ſed omnem ſortis aleam ſimul ſubeundam ſuaderent; poſtquam Sinanus cùm aliàs ſæpè, tum verò non ita pridem Georgio Ravaſdio, qui legatus annuum Tranſſilvaniæ cenſum Byzantium detulerat, apertum ſe inimicum & hoſtem declaraſſet,

Legati Cæſaris ad Tranſſilvanum.

raſſet,

1595. raſſet, ac cuncta humanitatis, amicitiæ, ac denique priſtinæ etiam clientelæ jura inſolenti faſtu ſubvertiſſet. Petentem enim Ravaſdium, ne majoribus tributi oneribus provincia gravaretur, quam Joannis Sigiſmundi, qui Joannis regis filius Tranſſilvaniam poſſedit, tempore factum fuiſſet; ille intoleranda ſuperbia eum convitiosè canem appellatum, ut ſileret, interpellaverat, & Joannem Sigiſmundum ab Solimano potentiſſimo principe filii loco habitum fuiſſe; eum verò, qui nunc provinciæ præeſſet, imperatorium ſervum & mancipium eſſe; idque, ſi per ſe ſtet, brevi redactis in ſervitutem provincialibus, reipſa, quid & quantum inter illum, & hunc interſit, demonſtraturum illoto ore palam addiderat.

Sinanis faſtus erga legatum Sigiſmundi.

Auxerant formidinem mandata Sinani præter morem iniquiſſima, & imprimis factu difficillima, quibus ad bellum, quod adverſus Cæſarem in Pannonia gerebatur, L. millia haſtarum, XL. cubitorum longarum poſtulabat; quarum media pars ſolida eſſet, altera dimidietas cuncava, ſed cannabe, ſtuppaque & bitumine bene contorta. Totidem operas cum dolabris ad cedendam materiam, ac palis & ligonibus ad egerendos cuniculos, cæteraque caſtrenſia munia obeunda. Tormenta item curruſia & naves, quibus in oppugnando Tocaio & ponte faciendo Joannes Sigiſmundus, Joannis regis filius uſus fuiſſet. Ad hæc ut fruges tota provincia tam perticis flagellatas, quam jumentis excuſſas, ad Danubium convehendas curaret, eodemque modo & apparatu, quo ante triginta annos filius regis Joannis cunti ad Sigetanam expeditionem Solimano obviam prodierat, ſibi Belgradum profecturo, honoris officiique cauſa occurrat, ſerió imperabat. Quæ res manifeſti plenæ periculi, non ſecus, quam ſi ab ipſo Murate principe profectæ fuiſſent, ingentem omnibus, ſed ipſi potiſſimum Bathorio juveni formidinem incuſſiſſe videbantur. Itaque ſibi & provinciæ conſultum cupiens comitia, in quels de aſſerenda publica libertate deliberaretur, ad oppidum Saſſebeſſum uno ab Alba milliari diſſitum indicit. Ubi quum magnitudinem periculi, perfidiam Turcarum, inſidias Sinani, ac viam, qua illæ caverentur, defectionemque ab impia barbarorum ſocietate differuiſſet, ac vires & arma cum Cæſare, ac cæteris Chriſtianæ religionis principibus conjungenda ſuaſiſſet, non tantum proceres & populum, ſed eos etiam, quorum conſilus utebatur, & quos ſe jàm in ſuam ſententiam pertraxiſſe putabat, longè diverſa ſentire animadvertit, & ſimul maximum ſentiens dolorem, nova animo conſilia volvere cepit, ac ut omnes Tordam ad certum diem armati convenirent, certique aliquid deliberarent, edixit.

Iniquiſſimæ Sinanis poſtulationes.

Sigiſmundus à Turcica ſocietate deſciſcere laborat.

Repugnantibus nonnullis e procerum ordine.

Quo quum rurſus frequentes conveniſſent, & ipſe tamen adhuc Albæ ſe contineret, certis indiciis cognovit eos etiam, qui ſibi auctores deſerendæ Turcicæ ſocietatis fuiſſent, inter quos Balthaſar Bathorius patruus præcipuum locum obtinebat, alia & diverſa conſilia, ſecus quàm antea cenſuiſſent, amplexos eſſe novisque rebus ſtudere, ita ut in priſtina Turcici fœderis vincula iterum conſpirare, multoſque è plebe & primoribus, vel diſſentire paratus, aut certe perplexos in ſuam ſententiam perducere contendant. Secedendi autem cauſam eſſe, ut Turcicis armis confiſi, alias novi principatus conditiones, ipſo abdicato, conſtituere poſſint. Quæ tametſi conficta, nec ſatis explorata nonnullis videbantur; ipſe tamen conſilii inops, gravique cura & dolore anxius, & ſibi metuens, cùm neminem cui opinione prudentiæ ſubnixo fidere poſſe videretur, penes ſe haberet, ad Comitia Tordam proficiſci minimè ſibi integrum duxit; ſed unà cum rebus & pretioſiore ſupellectili, Stephano Joſica, aliiſque paucis comitantibus, iter Cuvarium inſtituit, quod eſt arx & munimentum in ipſo Tranſſilvaniæ limite poſitum: prius tamen quàm iter ſuſciperet, literas ad provinciales dedit, quibus ſe abſente Balthaſarem Bathorium patruum cum ſumma poteſtate rebus omnibus gerendis & adminiſtrandis præficiebat, univerſiſque provinciæ ordinibus, ut ſui loco illi parerent, jubebat. Is mox accepta dignitate edictum in caſtris promulgavit, ut univerſi ſine mora ſe Claudiopolim conferrent, ipſeque ſuis tentoriis ac impedimentis compoſitis eò proficiſci ſtatuit, nec comitia in campo, ſed in urbe haberi voluit.

Sigiſmundus Tordenſia comitia adire recuſat.

At Sigiſmundus in itinere ad Caplianum oppidum divertit, illincque ad eos omnes, qui Claudiopoli comitiis vacabant, alias literas dedit, quibus ſignificabat, ſe non alias ob cauſas Tordam, ac deinde Claudiopolim ire nequiviſſe, quàm quòd non inanibus indiciis priora ſua, eaque rectiſſimè ſuſcepta de rejicienda Turcica ſervitute conſilia, quibus ipſorum major pars aſſenſiſſet, inverſa ac immutata eſſe cognoſcat; proindè etiam atque etiam viderent, quibuſnam conſiliorum rationibus innixi communem Chriſtiani nominis ſocietatem fugiendam, ac in amicitia perfidorum hoſtium perſiſtendum cenſerent; ejus rei ſe neque auctorem, neque conſultorem unquam futurum: nec ea comitia, quibus jus faſque, ac reipublicæ Chriſtianæ decus nefariè ſubvertatur, approbaturum; quin potiùs in eos, qui novis hujuſmodi rebus, cum certiſſima ſua ac totius reipublicæ pernicie ſtudeant, adhibitis Chriſtianorum principum auxiliis, ſeveriùs animadverſurum. His literis in publico conventu lectis & recitatis, mira protinus animorum mutatio ſequuta fuit, ac diverſi diverſas dixêre ſententias: Nonnulli enim & quidem ex præcipuis, qui vel rebus novandis animum adjecerant, ac in iis opes & dignitates ſe adepturos ſperabant, vel metu impendentium malorum ſi Turcico fœderi nuntium remiſiſſent, attonitâ & ſuſpenſâ mente perſiſtebant, & qui neque ex uſu commodoque reipublicæ futurum putabant, ſi violato eodem fœdere novus rerum ſtatus induceretur, palam proloquebantur, illum, uti inconſulto Senatu ac cæteris omnibus, diſceſſum fugæ haud abſimilem ſibi ſumpſiſſet; ita etiam temerè, quò vellet, abire poſſe. Sibi Dei Optimi Maximi munere uno avulſo non defore alium, qui in ejus locum conſultius ſuccedat. Hæc multo maxima pars primariæ nobilitatis, apertis votis & ſuffragiis dicendo, ad novi principatûs rationes inclinabat.

Ex adverſo nonnulli ex Ungaris, ac Siculi, & Saxones ferè omnes, tacitis primum inter ſe collatis ſermonibus, poſtremò magna ut fit, voce ſublatâ, principem nonnullorum fidei diffiſum, adeoque metu perculſum, ubicunque

1595. que locorum fuerit revocandum exclamare, cædem & ſupplicia aliis, qui eum abdicandum vellent, minari: neque ſe alium principem, eo vivo, agnituros, nec niſi eo reverſo, quicquam in publicum conſulturos vociferati: qua atroci denuntiatione territi ii, qui ratum ejus exilium malebant, languidius & conſultius deliberare, perplexiſque animis ſuſpenſi nutare videbantur; non parvum enim eis terrorem incuſſerat conſentientis populi fremitus; ita ut victi ſuffragiis, nec ultra hiſcere auſi, contentioni finem imponerent. Igitur communi conſilio quatuor viri deliguntur, qui illum publico nomine adeuntes Cuvario reducant: Gabriel Quendius, unus optimatum factionis, Balthaſar Bogathius, Joannes Sigerius, Albertus Sivegus Cibini Saxonum prætor. Intereà priuſquam ii Cuvarium perveniſſent, Franciſcus Gethinus è Deva, ac Stephanus Boſcaius Varadini præfectus, propinqui ejus, non ſine militibus præſidiariis, ad ejus auxilium confluxerunt; iiſque ac Chriſtophoro Quereſturio Cuvarii præfecto conſulentibus, animum quem hactenus deſpondiſſe videbatur, erexit; ita ut ad Comitia Claudiopolitana profecturus, Vivarium à Fratre Georgio Monacho olim amæniſſimo loco ædificatum veniret. Ibi quatuor viri nomine publico eum ſalutarunt, ac ut in conventum tutò veniret cohortati ſunt: & eodem ferè tempore Gaſpar quoque Corniſius Maramaruſii ac arcis Huſtianæ præfectus cum copiis, Varadienſe præſidium militare ad eum pervenerunt. Quibus receptis, poſtquam ſe ſat ſecurum arbitraretur, quatuor viros, qui ſuum Claudiopolim adventum nuntiarent, miſit. Quos ipſe ſequutus, cùm eo veniſſet, non tantùm civitas univerſa, ſed Ordines omnea populi magnâ frequentiâ obviam prodeuntes eum excepêre; ipſeque diſſimulatâ in præſens, quam in quoſdam conceperat, irâ atque indignatione, dextra junctis eos comiter habuit; ſicque in hoſpitium deductus eſt. Poſtero die concionem habuit brevem, quâ illos ſuam voluntatem è Lupo Covachocio Cancellario cogniruros memoravit: qui longiori ſermone proſequutus diſſeruit, principi ſtare ſententiam, jugum barbarorum ſtatim excutiendi. Nec mora, omnes vel non ſatis liberis ſuffragiis & votis, metu tamen compulſi aſſenſere, & decretum ſanxêre.

Princeps de communi ſententia Curario reducitur.

Claudiopolim advenit.

Die quæ ſequuta eſt, quæve nona & vigeſima menſis Augusti dies erat, Divo Baptiſtæ decollato ſacra, ſe in templum ſacrorum cauſa iturum ſimulavit, primoreſque procerum nec quicquam mali ſuſpicantes adeſſe juſſit. Ibi è feneſtra proſpiciens (quod erat ſignum prætorianis in id maximè intentis clam pro teſſera datum) Stephanum Lazarium & Michaëlem Calmandium eorum ductores acceſſit: qui quum armati celerrimè adcucurriſſent, proceres, quorum nomina jam notata habebant, in exteriori cubiculo egreſſurum illum expectantes, inermeſque ſcloperis, gladiis ac ſecuribus circumſtetêre, ac captos injectis manicis, in inferiorem conclavis teſtitudinem clatris ferreis munitam deduxerunt: ii fuêre Balthaſar Bathorius patruus ejuſque vitricus Joannes Iffiu, qui compluribus antea annis è Sigethano præſidio iſthuc profugerat, Lupus Covacbocius Cancellarius, Alexander Quendius ſenatûs princeps, vir clarus & prudens, Gabriel & Franciſcus Quendii ejus patrueles, Joannes Bornemiſſa, Gregorii cognomento Litterati, præfecti olim Agriæ, ejuſque loci obſidione toleratâ clariſſimi filius, Joannes Forro, Gregorius Diacus fiſci advocatus, Joannes Gerundius, Albertus Lonaius, Gregorius Salancius, & Balthaſar Silvaſius. Triduo poſtquam capti fuêre, capitale de iis ſupplicium ſumi juſſit, Geſtio, Boſcaio, ac Joſica ſuadentibus: ita ut Alexander & Gabriel Quendii, cum Joanne Iffiu, Gregorio Diaco, & Joanne Forrone, paulò ante auroram tortoribus & carnificibus traditi, indictâ cædis cauſa, in foro urbis obtruncarentur. Quo tempore peractâ cæde, denſiſſimus & procelloſiſſimus imber, multâ permiſtus grandine, turbato cælo decidiſſe viſus eſt. Balthaſar verò Bathorius cum Lupo Covacbocio Vivarium deductus eſt, amboque poſt aliquot dies laqueo in collum injecto ſtrangulati ſunt, Bathorio diu cum lictoribus ſed fruſtra reluctante. Idem vitæ exitus fuit Franciſco Quendio ac Joanni Bornemiſſæ in arce Gialuina, ad quam vincti ſub cuſtodia erant deducti; horumque omnium bona, pecuniæ & facultates, quæ inæſtimabilis ſummæ pretiique eſſe ferebantur, publicatæ ſunt. Ex iis quatuor poſteriores, Gerundius, Lonaius, Salancius, & Silvaſius interventu & opera amicorum, vitâ quidem donati, ſed bonis ac rebus omnibus exuti ſolum verterunt.

Procer es complures cuſtodiæ mancipat.

1595.

Deque iis capitale ſupplicium ſumit.

Princeps

His in hunc modum è medio ſublatis, Sigiſmundus in publicum prodiens factum ſuum excuſavit, culpamque omnem in eos, qui cæſi erant, transferre conatus eſt, atque adeo illos ſibi exilium aut cædem machinatos eſſe; Tartaris iter & tranſitum per fines provinciæ clandeſtinis conſiliis conceſſiſſe: quoſdam ex iis veneno, nonnullos ſica, & pugione, aut minore ſclopeto vitæ ſuæ inſidiatos affirmavit: quæ ſcelere luculentis & locupletibus teſtimoniis, ac illorum chirographis comprobari poſſe aſſeveravit. Quæ tametſi minimè producta fuêre; provinciales tamen cauſas peccati facillimè mortuis delegantes, miro præpoſteroque judicio jure cæſos fuiſſe pronunciarunt; idque publicis Comitiorum decretis inſerendum curaverunt. Nec diu poſt, ad ſtabiliendam cum Cæſare pacem miſſus fuit Pragam Alphonſus Carillius Hiſpanus, ſocietatis Jeſu Theologus; quem ſequutus ſubinde eſt avunculus ejus Stephanus Boſcaius legatus, qui conditiones noviret icti fœderis, petitâ in conjugem Sigiſmundo unâ ex Cæſaris neptibus, novâ etiam affinitate confirmandas procuraret. Adjunxerant ei veluti conſiliarios ac adjutores præter Carillium alios quatuor, Gregorium Chiaquium doctum & eloquentem virum, ac Joannem Sigerium, Albertum Sivegum, & Joannem Frataium.

Legati Sigiſmũdi ad Cæſarem.

Cæſar quoque præcipuos ex iis, quorum conſiliis utebatur, delegit, qui cum illis mutuo habito tractatu fœdus ſancirent, Joannem Cutaſſium Jaurienſem, ac Stephanum Zuhaium Vacienſem Epiſcopos, Thomam Erdodium Illyrici præfectum, quem Bannum appellant, Nicolaum Palffium, ultradanubianarum partium imperium obtinentem, Simonem Forgacium, eodem antea munere functum, ac Joannem Jonium regni Ungariæ prætorem. Qui verò inter hos pro arbitris forent, Cæſarem Specianum Epiſcopum Cremonenſem ſummi Pontificis nuntium, ac Gulielmum de S. Clemente Hiſpaniarum regis oratorem, ac

Paulum

1595. *Solenne fœdus cum illis pactum.*

Paulum Trautſonium aulæ ſuæ Marſcalcum adhibuit, qui non multis interjectis diebus ſub Januarii menſis finem ſolenne fœdus pepigêre: idque duodecim conditionibus ritè conceptis utrinque concluſêre; quibus Tranſſilvano illuſtris principis titulus, cum aurei velleris torque, & Tranſſilvania omnis cum ea parte Ungariæ, quam ei attiguam hactenus poſſediſſet, ac Moldavia & Tranſalpina Valachia, quarum Vaivodæ ſeu principes Stephanus Reſvanus, & Michael cognomento Bartus à Turcis receſſerant, ſeque Tranſſilvano ſubdiderant, mero & abſoluto jure ei concedebantur; ſic ut decedente eo abſque hæredibus, eæ provinciæ rurſus ad Ungariæ regnum, ejuſque reges, ad quos antiquitus pertinebant, abſque ulla controverſia redigerentur. Quæcunque arces aut oppida & Civitates communibus viribus, ac miſſo à Cæſare juſto exercitu capientur, aut recuperabuntur, ea Cæſari, tanquam Ungariæ regi cedant. Quæ verò Tranſſilvanus ſuis armis ac induſtria, aut alia indulgentia hoſti ademerit, ſibi jure clientelæ retineat. Sed quæ ad coronam regni propriè pertinebunt, Cæſaris ſunto, qui pro iis Tranſſilvano æquam ſatisfactionem impendito. Si forte Tranſſilvanus ab hoſtibus, quod Deus avertat, ejecto, ſolum foret vertendum, Cæſar locum certum ſecurumque cum redditibus, quibus cum dignitate ſeſe ſuſtentet, dabit. Conjux illi dabitur ex auguſta domo Auſtriaca: & ut ille adverſus communem hoſtem alacrius & promptius ſuſceptum bellum gerat & adminiſtret, Cæſar nec ipſum, nec provincias ejus ullo unquam tempore, quicunque rerum caſus, fortunæque mutatio ingruat, deſerturus eſt, nec conſilio, armis, pecuniâ, exercitu idoneo, ejuſque apparatu neceſſario juvare deſinet. Hæc omnia Cæſar approbavit, ac in comitiis regni Ungariæ, quæ deinde menſe Martio ſequuta ſunt, à Statibus & Ordinibus recipi & confirmari curavit; ipſeque Bolcajus brevi pòſt à Cæſare liberaliter donatus, dimiſſuſque Gracium Stiriæ urbem profectus, Mari-

Maria Chriſtiana Sigiſmundo deſponſa.

am Chriſtiernam, Caroli Archiducis, qui Cæſaris patruus fuerat, filiam, ſingulari elegantia ac forma virginem, ac Latinæ linguæ peritam, à vidua matre Maria Bavara Sigiſmundo petivit, & ſolenni ritu deſponſavit; quæ ſequenti æſtate deducente matre, in Tranſſilvaniam conceſſit, nuptiæque ſolenni pompa Albæ peractæ ſunt.

Murates Imper. Turcarum fato fungitur. Mehemetes filius illi ſuccedit.

Dum hæc in hunc modum aguntur, Murates Turcarum princeps Byzantii Nonis Januarii nephriticis doloribus extinctus, è vivis exceſſit, cùm imperaſſet annos XX. & vixiſſet XLVI. Succeſſit ei Mehemetes filius, ominis ejus tertius, XXVII. annorum juvenis, quem ad Magnetes, & Cappadociæ urbem Amaſiam, poſt eum ſolenni ritu circumciſum, à patre amandatum fuiſſe retulimus. Is quum paternum ſolium Byzantii, procurante Sinano occupaſſet, imperium cæde & ſanguine juniorum fratrum auſpicatus eſt; matreſque eorum, novercas ſuas mari ſubmerſit: demum purpuratis ſuis, & Janicerorum tribunis pro concione pollicitus eſt, ſe æſtate inſequentis anni in Pannoniam cum exercitu venturum, ac obvia quæque uſque ad urbis Viennenſis portas & ſuburbia, igne & ferro vaſtaturum; proinde ut hujus futuræ expeditionis memores, ſeſe ad caſtra & bellum pararent, ſeriò edixit.

Iſthuanf. Hiſtor.

1595.

Quæ quum certis nuntiis ad Cæſarem perlata eſſent, eum ſuâ ſponte ad proſequendas inſtituti belli rationes non obſcurè proclivem, multo magis ad reſiſtendum, ac propulſandum hoſtem exacuerunt. Itaque cùm duce rei militaris admodùm perito ac exercitato opus eſſe cenſeret, cujus penuriâ hactenus ſe haud parum laboraſſe comperiebat, ſcriptis ad Carolum Comitem Mansfeldium literis, qui vir ſtrenuus, & à primo ætatis flore bello exercitatiſſimus, in exercitu Belgico claſſis regis Hiſpaniarum præfectus erat, multaſque & præclaras res terra marique geſſerat, id muneris detulit, ac ut illud haud gravatim ſubire vellet, hortatus eſt: Petrum quoque Erneſtum, ejuſdem Caroli patrem, octogenarium ſenem, ſed vegetum, qui Lucemburgenſis provinciæ præſes in exercitu Belgico, poſt Alexandrum ducem Parmenſem, ac deinde eo vitâ functo, poſt Erneſtum principem, primam dignitatem obtinebat, itidem rogavit, auctor filio eſſet, provinciam eam, qua totius Cæſariani exercitus poſt Matthiam Archiducem ſupremi ducis ac Gubernatoris, minimè detrectandi; quæ ut ei magno honori & gloriæ, ornamentoque foret, ita Cæſari haud dubiè gratiſſimam, omnique ſtudio & grati animi ſignificatione reponendam eſſet tacturus. Permiſſu igitur regis Hiſpaniarum prævio, ac deinde Petri Erneſti patris ſuaſu

Carolo Mansfeldio ſummum exercitus Cæſ. imperium defertur.

æquè & hortatu Mansfeldius, ſuſcepto per Germaniam ac Francofurtum itinere, ad Cæſarem contendit; ac inundatione aquarum, & itineris difficultate, multis in locis retardatus, ad ſeptimum tamen Idus Martias Pragam appulit; atque à Cæſare ſummâ benignitate exceptus, muneribuſque excultus, & titulis principalibus ornatus fuit: copiaſque ſuas, quas ad futuri belli rationes conduxerat, quæ viarum difficultatibus lentius progrediebantur, ibidem expectavit. In iis duo millia equitum ſelectiſſimorum habebantur, quibus Adolphus Suarcemburgius illius juſſu præerat; ſub quo Hermanus Rotwarmius alam eque-

Copia Belgica ab illo contracta.

ſtrem ducebat. Bina peditum Wallonum millia à Danſio & Aſſicurto tribunis ducebantur; Bovilletus verò & Marcicius ſinguli mille pedites Vallones ſub ſignis habebant: Leonardus Jellus caſtrorum præfectus erat, qui poſtea omnes, atque imprimis Suarcemburgius, hoc Pannonico bello reipublicæ Chriſtianæ & Cæſari egregiam operam navaverunt. Eos verò, ut Viennam ſeſe conferrent, præmiſit; ipſe autem ſub menſis Aprilis finem, cum Matthia principe, qui poſt Comitia Ungarica Pragam ſe contulerat, Viennam venit: ibique juſſu Cæſaris Matthias exercitum ita partitus eſt, ut qui infra Viennam ad Danubium caſtra habiturus eſſet, ſibi regendum conſervaret, conſtituto, qui omnibus ſecundùm ſe imperaret, ſummo duce Mansfeldio: quæ verò copiæ in ſuperiori Ungaria eſſent, eas fratri ſuo Maximiliano gubernandas ſubjiceret, eique Chriſtophorus Tiffenbachius vicariam operam præſtaret. Tunc primum nomen Vallonum militum apud nos innoteſcere cœpit, antea quidem in Pannonia vix famâ auditum; qui itaque toto hujus belli Pannonici curſu nomen illud ſuum inſigni rerum benè geſtarum laude decorârunt, ac à Cæſare aliiſque ducibus collaudati, muneribuſque plurimis exculti ſunt.

1595. Porrò Mansfeldius paratis omnibus ad bellum neceſſariis, ac idoneo tormentorum apparatu in naves impoſito, primùm ad oppidum Pruccum, quod ad Laitam flumen ſitum eſt, cum exercitu venit; ac deinde paulò ſupra Ovarium caſtra ad Moſonium metatus eſt: quæ aggere & foſſa lata ad Danubii ripam ſummâ celeritate atque arte munienda curavit, tormentaque ad angularia propugnacula collocavit; ita ut extenſis in eo tabernaculis muniti cujuſdam oppidi ſpeciem repræſentarent: tanta ubique in caſtris rei militaris diſciplina ſervata, ut quamvis demeſſæ fruges nondum in horrea comportatæ, cumulatim per agros jacerent, nemo tamen militum rapaces, ut antea impunè conſueverat, manus eis admoveret, præſens & feſtinatum ab ſevero duce veritus ſupplicium: in foro autem & diverticulis caſtrorum tam edulia & poculenta, quàm anſeres gallinæque, & alia id genus tutò venum exponerentur: nec mercatoribus atque agreſti plebe omnia ad victum neceſſaria affatim ſubminiſtrantibus, quicquam omninò præſenti ementibus pecuniâ deeſſet. Expectavit ibidem reliquas copias, quæ ex Germania ſumptibus ordinum Romani Imperii, Cæſariſque ipſius ære conductæ erant, atque adeo Italicorum principum, ac ſummi Pontificis auxilia, & quæ Auſtriacæ ditiones, Bohemique ac Moravi & Sileſii miſſuri erant, quæ quotidie conveniebant: quarum ſumma militum millis ſexaginta excedere ferebatur: Palffio autem in mandatis dedit, ut cum ſuo exercitu Ungarico paratum ſe ad imperia contineret. Et eo ferè tempore Franciſcus Aldobrandinus, Pontificis frater patruelis, cum duobus equitum, & octo peditum millibus, Joannes verò Medicæus cum tribus millibus pedeſtris ordinis militum, à fratre Hetruriæ principe Ferdinando miſſis in caſtra venerunt, huncque haud cunctatus tormentario negotio præfecit. In Pontificio exercitu erant tribuni claris orti natalibus, clarique militiæ Marcus Farneſius, Julius Cornetanus, Leo Strozza, Rudolphus & Horatius Baleoni, & Fridericus Giſlerus, compluréſque alii. Nec cæteros, qui erant in itinere expectandos duxit, ſed inſtitutam expeditionem primo quòque tempore maturandam ſuſcepit. Quo autem magis ac cautiùs conſilia ſua, quæ pectore animoque volvebat, occultaret, hoſtémque aſtutum ac in omnia intentum falleret, omni Auſtria, quæ ad utramque Danubii ripam exporrecta eſt, ac Ungaris, qui infra Viennam, inſulámque Sallocoſiam, quæ à Germanis Sitta vocatur, uſque ad loca Jaurino propinquiora Danubium prope habitant, ſub capitis pœna mandavit, ut multas myriadas faſciculorum è ſalicibus ad ripam enatis, aliiſque arborum frondibus colligatas, ad flumen conficerent, ut inde navibus in caſtra conveherentur. Quæ res ad hoſtes delata, eorum animos variis curis anxios diſtractóſque tenebat, Jaurinoque imprimis metuere cogebat; cujus foſſas ea faſcium multitudine implendas fore ſuſpicabantur.

Diſciplina militaris à Mansfeldio obſervata.

Copia Italica Pontificis & Hetruriæ Ducis.

Interea dum hæc fiunt, Cæſar adversùs Ferdinandum Comitem Hardecum, ac Nicolaum Perlinum Urbinatem, qui Jaurinum ut diximus, puſillanimitate an proditione incertum (utrumque enim vulgo dictum fuit) Turcis tradiderant, lege agi juſſit; ac de iis jure militari convictis, in foro ſublimi loco è tabulatis erecto, extremum ſupplicium ſumptum fuit; ita ut ambo truncatis cervicibus interirent; ſed Hardeco dextra quòque manus eodem ferè alterius carnificis ictu præcideretur. Cæteris tribunis Cæſar ignovit, ita ut inter legiones Carolo Burgoviæ regulo ſubjectas diſtributi, ſuis ſumptibus ad certum tempus militarent: ſimul & Paxium, Ormandium, Orſium, ac Joannem Zadorium, qui Tatam, Palotam, Veſprimium, & Montem ſacrum Pannoniæ Turcis capienda deſeruerant, quamquam in comitiis centumvirali judicio damnatos, dimitti liberos juſſit. 1595.

Comes Hardeccus ac Perlinus capitis ſupplicio affecti.

Cæterùm Mansfeldius quo minus quam in partem bellum facturus eſſet, hoſtes ſcire aut explorare poſſent, modò Comaronium ire, ac indè Albanis Turcis terrorem inferre; modò aſſumpto ſecum Palffio, cum parte copiarum Jaurinum obequitare, locique ſitum contemplari, ac idoneum caſtris locum, ut opportunius falleret, deſignare ſolebat. Porrò poſtquam in ſua caſtra reverſus eſſet, nihil cunctatus tubis ac tympanis ſignum profectionis dari, ac vexilla attolli juſſit, ac apud Comaronium, ſtrato ſummâ celeritate ponte Danubio, ductóque per inſulam Sallocoſiam juſtis paſſibus exercitu, Calendis Julii nec opinantibus hoſtibus Strigonium obſidione cinxit: quod eo tempore annonâ ac rebus neceſſariis ſatis munitum erat, ſed quòd inopinatus noſtrorum adventus ingruiſſet, pauciſſimos in præſidio milites & defenſores habebat. Ab oriente Aldobrandinum cum Pontificis copiis collocavit: Suarcemburgum autem cum Vallonibus ad viridaria, quæ ſancti Georgii, à delubro quondam ibi extructo vocantur, ſub vineis tendere, ac in omnes partes excubare juſſit. Ab Aquilone Ungaros Palffio duce, longo penès Danubium ordine curare voluit. Ipſe in medio caſtrorum non procul flumine, ſuis tentoriis ac peculiaribus copiis locum delegit, & tormenta prægrandia octo ex parte oppidi, quod à Turcis poſt tridui defenſionem in arcem profugientibus vacuum erat relictum, ſinuoſis factis more militiæ aggeribus diſpoſuit, totidem apud Orientalia Aldobrandini caſtra, quibus propugnaculum è lapidibus quadratis dirutæ majoris templi teſtudinis, à Solimano conſtructum, concuteretur, pertrahi juſſit. In monte quòque ſancti Thomæ, ac alio ex oppoſito arcis ad occaſum exporrecto, ad diſtantiam unius ſtadii, item in vineis, quæ ad meridiem vergunt, caſtella inſtar ſpecularum erigi, eaque foſſa & tormentis, ac præſidio militari munienda curavit, magiſtro fabrûm uſus Cornelio, quem è Belgio ſecum adduxerat, ſibi imprimis fido, ſuæque artis peritiſſimo, ac Claudio Cogorano Architecto Italo: idque eo conſilio, ne ſi hoſtis prior ea loca oppugnaret, tormentis ſuis caſtra noſtrorum continuè infeſtaret. Ex illo etiam monte, quem olim Latonem, nunc verò montem Caroli milites vocabant, hoſtes Budâ commeantes videri, & commonefacto per caſtra exercitu, tempeſtivè arceri poterant. Erant qui ea opera non ſupervacanea tantùm eſſe dicerent, ſed etiam ut inutilia minimèque neceſſaria, clam & in occulto irriderent, ne legiones illis cuſtodiendis ráreſcerent, minuerenturque; verùm brevi pòſt cùm hoſtes magno numero ad ferenda obſeſſis auxilia, ac

Mansfeldius Strigonium obſidione circumvallat.

1595. tentandam ingrediendi in arcem viam adcurriſſent, manifeſtè apparuit ea omnia prudentiſſimè & ſolertiſſimè excogitata proviſaque fuiſſe; quorum adminiculis, hoſtis acerrimè in noſtros invectus, conceſſa eis haud dubiè victoria repreſſus fuiſſet.

Per hunc modum circumvallato oppido, Palffium cui multum tribuere erat ſolitus, hortatur, ut equites Ungaros celeritatis cauſa Budam versùs emittat, tentaturos, an quippiam certi de hoſtium conatibus & conſiliis explorari poſſet: qui cæſis aliquot hoſtibus, ac captis nonnullis, ſequenti die reverſi, hoſtes inſtructis aliquot celocibus ac Saicis, annonam & auxilia adverſo flumine in urbem Aquariam immittere conſtituiſſe attulerunt. Quorum certior factus cohortes Ungaricas Wallonibus & Belgis permiſtas obviam miſit, ut ab ulteriore ripa ſubeuntes hoſtes glandibus arcerent; ejuſque rei Aldobrandinum admonuit, ut & ipſe è citeriore ripa eoſdem tormentis & ſclopetis infeſtandos curaret. Itaque noſtri duplici ab otraque ripa eoſdem tormentis & ſclopetis infeſtandos curaret. Itaque noſtri duplici ab utraque ripa impreſſione, hoſtes verſis retro navibus in effuſam fugam conjecerunt. Poſtea Mansfeldius Aquariæ urbis portam, quæ Parcanum ſeu Carcanum reſpicit, petardo teterandam & convellendam conſtituit. Id erat inſtrumentum è materia & trabibus ſolidum, ferroque compactum, ac inſtar tormenti ahenei fabrefactum, ſulphureoque pulvere indito tantæ violentiæ, ut vel ferreas portarum valvas quantumvis firmiſſimas, uno eodemque terribili velut fulminis ictu, totis cardinibus evelleret & proſterneret; ſed cujus formam à nobis, quamquam omnibus his bellis & expeditionibus verſatis vix commodè deſcribi poſſe putemus, quòd illud in arcano ſervari, nec cuiquam oſtendi ſoleat, ne ad hoſtes transferatur. Sed quum importunæ ac aſſiduæ pluviæ cecidiſſent, viáſque & flumen vehementi mole aquarum impediviſſent, Inſtituta res nedum perfici, ſed neque tentari potuit. Ejuſdem noctis crepuſculo ad proſternendum propugnaculum, quod in angulo Aquariæ urbis rotundæ formæ extructum erat, ex quo noſtris, qui in aggeribus latentes excubabant, crebra damna ab hoſtibus inferebantur, tormenta aliquot juſtæ magnitudinis collocata ſunt; juſſumque eſt magiſtris eorum, ut utrobique, tam illinc, quàm è monte Divi Thomæ, illud idem ſinè intermiſſione quateretur. Sub id tempus legio Bohemica, duce Wilhelmino Terſcooe, in caſtra venit, quæ tria millia peditum continebat, cui locus in caſtris penès Belgicas legiones datus fuit.

Petardi deſcriptio

Hoſtes auxilia & commeatum noſtris fruſtra repugnantibus urbi important.

Nec diu pòſt certis indiciis allatum eſt, hoſtes pleniori numero cum tribus triremibus, ac aliis multis navigiis & Saicis iterum adverſo flumine advenire; eo conſilii propoſito, ut extrema quæque tentare, & vel auxilia reſque neceſſarias urbi imponere, aut omnes fortiter occumbere parati ſint. Igitur Mansfeldius nihil cunctatus, Palffio, ut mille quingentos pedites Ungaros ex ſelectioribus & promptiſſimis in ulteriorem ripam feſtinanter trajiciendos curet, in mandatis dat: Aſſicurtum verò tribunum cum Belgicis militibus, & quibuſdam tormentis campeſtribus citeriorem ripam obſidere, hoſtique aſcenſuro viam præcludere jubet. Quo viſo hoſtes in alteram ripam, ubi Ungaros confertis ordinibus ſtare conſpexerant, deſcenſione è navibus celeriter factâ prorumpunt, ac certamen acerrimum ineunt, quos Ungari, quamquam longè pauciores, quàm imperatum erat, primâ fronte non ſolùm ſuſtinuêre; verùm etiam interfectis quamplurimis & ſauciatis, retro ad naves præcipiti fugâ ſeſe recipere coëgerunt: ſed poſteà quum cæteri è navibus in terram proſiluiſſent, ſimulque hoſtes, animadverſo ſociorum periculo, ex urbe erumpere non dubitaſſent, creſcente ſubinde hoſtium numero, deſideratis è numero eorum ampliùs trecentis, in fugam conjecti fuerunt: Aſſicurto & Belgis ex altera ripa, glandibus & falconum pilis, nullam aut exiguam eis opem ferentibus: ſicque Turcæ repreſſis, qui obſtiterant, Ungarorum cohortibus, in urbem recepti ſocios haud leviter recrearunt. Quæ res Mansfeldio imprimis non parvum dolorem attulit; Palffiumque, quamquam ſibi charum, & alias ipſius quoque judicio fortem & impigrum virum, quia tamen minorem numerum militum, quàm juſſus erat, rei tam arduæ perficiendæ miſerat, acrioribus verbis caſtigavit: tametſi ipſe omnem eam culpam tribunorum aut centurionum ſuorum negligentiæ tribuebat. 1595.

Cæterùm poſtquam mœnia aſſiduis tormentorum pilis uſque adeo diruta eſſe videbantur, ut quædam veluti via irrupturis facta cenſeri poſſet, Mansfeldius Aſſicurtum tribunum Belgicæ legionis occupare murum jubet. Qui dum cum ſuis militibus multo ſonitu tympanorum ad pugnam ſe pararet, jamque ad locum propiùs adventaret, pedites Ungari variis è locis miſtim procurrerunt, & tumultuariè ac temere Belgis ſeſe conjunxerunt. Sed quòd nullo ſervato ordine in aciem cæterorum irrupiſſent, impedimento potiùs quàm uſui aut auxilio fuerunt. Nam quum hoſtes ad defenſionem murorum adcurrentes ingentem clamorem ſuſtuliſſent, remque adverſus noſtros glandibus & gladiis egregiè gererent, confuſos & inordinatos noſtros, cùm ſibi invicem oneri & obſtaculo forent, vulnerato etiam graviter Aſſicurto, ejuſque centurione cum multis aliis cæſo, procul mœnibus ſubmoverunt. Mansfeldius & Palffius juſto dolore exacerbati, illos, qui ſuo injuſſu temerè progrediendi auctores fuiſſent, ad ſumendam de iis ad cæterorum exemplum gravem pœnam ubique per caſtra quærendos curarunt; ſed eos multo vino temulentos id facinus inceptâſſe, ac in pugna periiſſe cognoverunt.

Noſtri occupando muro tentantes reprimuntur.

Caſtigatâ in hunc modum noſtrorum temeritate, Mansfeldius ſummo ſequentis diei diluculo tormenta rurſus ad diruendos muros, quos heſternâ die occupare non potuiſſent, obverti, latioremque aditum ad irrumpendum fieri juſſit; Wallonibúſque ſimul & Ungaris irrumpendi facultatem conceſſit: & ut viminеas corbes duplices ſecum ferrent, quibus ceſpite impleris protecti, tutiùs hoſtes infeſtare poſſent, ordinatis ad opus certis manipulariis, mandavit. Navem etiam armatam, quæ ſupernè craſſioribus tabulis, ad arcendos hoſtilium telorum & glandium ictus cooperta militibúſque plena erat, magnâ induſtriâ, nec minore labore conſtructam, inter inſulam & urbem aquariam prono flumine demittendam curavit, ut per eam veluti per pontem in proſtratos muros conſcendere poſſent. Nec mora,

Irruptio iterum à noſtris tentata.

 noſtri

1595. noſtri tam terrâ, quàm flumine alacriter & fortiter progreſſi, ingens & maximè cruentum prælium inivrunt: quum hoſtes mutuo ſeſe cohortati, ad murorum ruinam unanimiter adcurriſſent, ſeque & mœnia pari fortitudine defendere, noſtroſque deſcendentes ſclopetis & haſtis ferire & detrudere conarentur. Magna eo die, qui decimus Julii menſis fuit, ingenti ſolis ardore æſtuoſiſſimus, ſtrages hoſtibus illata eſt, quandoquidem noſtrorum machinæ & tormenta, quæ in aggeribus propinquioribus, ac monte Divi Thomæ indeſinenter fulminabant, hoſtes frequentiſſimis ictibus proſternebant, aut lethaliter ſauciabant; adeò ut eo tantùm conatu octingentos Turcas haud dubiè interiiſſe conſtans fama eſſet, idque poſteà à transfugis quoque cognitum fuit. Quum noſtri magnâ virtute proſtratos muros ſuperaſſent, jamjamque occupaturi eſſent, hoſtes nihil cæde & ſanguine ſuorum territi, iiſdem defendendis non arma ſolùm & ſclopetos, ac majora tormenta egregiè expediverunt, ſed

Hoſtium virtute rejecta eſt.

etiam ferveſacto plumbo, ac ollis & tubis ſulphureo pulvere plenis, funiculoque ardente ſuccenſis, noſtros ſubeuntes arcuerunt; tandemque noſtri cedere coacti, obſcuro jam & tardo veſpere, irritoque labore, amiſſis ampliùs ducentis ſociis, compluribúſque ſauciatis, & igne ambuſtis, receptui cecinêre, & in caſtra redière. Cecidit in eo certamine Antonius Tinius, cui ob deditum Jaurinum capro & condemnato nuperrimè Cæſar ignoverat, ac Fridericus Merſpurgus, & Terſco per brachium, Greiſius verò penetrante per galeam plumbeâ glande per caput icti, ſauciatique fuerunt. Navis quoque illa militibus ſclopetariis plena, quam ad ſecundi fluminis curſum demiſſam eſſe diximus, quum inſpectante, ac è ripa urgente Mansfeldio jam à poſtrato muro haud procul abeſſet, ignominioſe & turpiter à militibus deſerta, non ipſius tantùm, ſed totius exercitûs ſpem & exſpectationem, irrito & in auſpicato ſucceſſu eluſit, atque fefellit. Quam hoſtes noctis tenebris protecti, naviculiſque eò delati, partim incenſam exuſſerunt, partim demerſerunt.

Poſtero die Mansfeldius duplicis irritique conatûs infelici exitu permotus, ſuos, qui ſub peculiaribus ſuis ſignis & vexillis ſtipendia merebant, quos Henricus Solenius ſorore ſuâ genitus ductabat, cohortatus eſt, ut præ oculis totius exercitûs, ac tam diverſarum gentium & nationum, edito ſupremæ virtutis ſpecimine, murum amiſſum recuperare contenderent.

Mansfeldiani incredibili auſu murum occupant muniuntque.

Quod tùm nihil cunctati impigrè aggreſſi eſſent, iiſque Columbæus Burgundus Belgicæ peditum cohortis præfectus ſeſe aggregaſſet; nullis aliorum militum ſubſidiis adjuti, ſubmotis hoſtibus, incredibili auſu & virtute murum occuparunt, ac totam diem noctémque pugnando, hoſtéſque fortiter ſuſtinendo, eundem adverſus hoſtium eruptionem egregiè muniverunt, nec ceſſatum eſt à minutioribus pugnis, quum è Parcano Turcæ naviculis delati, nonnunquam ſuis auxilium ferrent, ac nonnullos è lixis & calonibus obvios trucidarant, aut captos abducerent: nonnunquam verò majorum etiam tormentorum pilis noſtros opus facientes infeſtarent. Itaque Mansfeldius obviam eorum inſolentiis eundum ratus, Palffio ejus expugnandi curam committit, cupiaſque è toto exercitu collectas, cum rebus neceſſariis ac tormentis attribuit; ipſe autem in caſtra reverſus, vallum quod 1595.
ab urbe Aquaria ad Danubium uſque hoſtes extruxerant, evelli ac proſterni juſſit: quo noſtri propiùs aggeres effodere, inque iis ſeſe occultare, ad hoſtes faciliùs tutiuſque feriendos poſſent. Quod quidem ipſo præſente, ac opus urgente, quamquam undique tormentis tam ex arce quàm urbe peterentur, ad effectum perductum fuit; hoſtéſque eo nudati præſidio rarius & cautius poſtea eruperunt.

Parcanũ à Palffio expugnatur & evertitur.

At Palffius accepto ſecum Nadaſdio, trajectoque per pontem Danubio, Parcanum tantâ vi, & ardore pugnacis animi adortus eſt, ut convocato ad concionem peditatu Ungarico, ac Germanicis cohortibus, quæ variis in locis ejus imperio poteſtatique ſuberant, priſtinæ virtutis admonitis, nullo adhibito tormentorum apparatu, vallum, quod è materia & ſepimento, ceſpite tamen & terra injecta haud modicè firmato conſtabat, tametſi tam ab iis, qui intus erant, quàm ex arce Strigonienſi majorum tormentorum pilis acerrimè defenderetur, unius horæ momento fortiter expugnarit, cæſis ferè omnibus defenſoribus, paucis captis, & quibuſdam per arreptas fortè naviculas Strigonium evadentibus. Duo tormenta cum ſignis & captivis Mansfeldio per legatum ſuum Martinum Turium miſit, cui ille collaudato imprimis Palffio torquem aureum donavit: porrò Parcanum à Palffio incenſum ac concrematum funditùs, deletumque fuit. Tentarunt interea hoſtes adverſo Danubio per Saicas delati in urbem clandeſtinè ingredi; ſed ab Italicis cohortibus & Ungaris, qui ad Orientem caſtra habebant, animadverſi, crebriſque tormentorum pilis & glandibus petiti, retro unde venerant Vaciam redierunt. Nec multò pòſt Mansfeldius effoſſis aggeribus, ac collocatis tormentis Aquatiæ urbis portam, quæ Parcanum ſpectat, diruendam decrevit; Ungaricaſque & Belgicas cohortes, quæ ibi operam navarent, impoſuit, idque muneris & curæ Palffio commiſit; qui impigrè loco præeſſe, & portam ſimul ac ambigua murorum latera acriter verberare cœpit: verùm quum inde parum damni hoſtibus inferri poſſe, nec quicquam operæ pretii fieri animadvertiſſent, incepto deſtiterunt.

Inter hæc hoſtes, quo magis Mansfeldium anxio animo ſuſpenſum & ancipitem tenerent, & caſtra ejus inquietarent, incertis itineribus vagari, modò ex parte Montis Caroli, modò è viridariis ſancti Georgii ſeſe videndos præbere, nonnunquam noſtros provocando & illudendo, minutioris prælii occaſionem offerre, & refugere: nonnunquam circumactis in gyrum equis, ſubitò ſeſe retro in in ſilvas ac valles & nemora proripere. Poſtremò Calendis Auguſti à fidis exploratoribus, Palffii ſtudio & operâ quæſitis, certiùs allatum eſt, Budenſem præfectum Haſanem, ac Beglerbegum ejuſdem nominis, nec non Mehemetem Ciliciæ præſidem, cum XXX. millibus Turcarum, ad ferendum obſeſſis auxilium iter ſuſcepiſſe, nec procul abeſſe eo propoſito, ut ſub pugnæ tempus, valida militum præſidia urbi, atque arci inferant: atque adeò ſi res & occaſio tulerit, nobiſcum alicujus pugnæ edendæ facultatem experiantur.

Turcæ obſeſſis opem ferre conantur.

Quibus hoſtium conſiliis cognitis, extemplò foſſas & aggeres, ac vallum quod caſtra ambiebat reparari, ac à militibus diligenter cuſtodiri juſſit, tormentaque idoneis in locis

collo-

1595. collocavit, & ſingulis ducibus ac tribunis, ut intenti in omnia momenta vigilarent, ſeriò edixit. Ipſe verò totam ferè noctem inſomnem ducens, caſtra & vigilias obivit, omnibuſque rebus neceſſariis quàm rectiſſimè in ordinem redactis, hoſtem paratus expectavit. Dum autem his adminiſtrandis ſummâ ope & induſtriâ incumbit, opportunè duo millia equitum Belgicorum, quos jam diu ſummo deſiderio expectabat, in caſtra advenerunt; quorum adventu exhilaratus, quod lentioribus factis itineribus, recentiores equos vireſque adduxiſſent, ſpem haud dubiam inſignis victoriæ animo concepit, atque omnia, quæ erant in caſtris majora minoraque tormenta, ac ſclopetos in lætitiæ ſignum, cum ingenti fragore & ſtrepitu explodi juſſit.

Turcarum caſtra. Nec multâ interjectâ temporis morâ, Turcarum duces copias ſuas omnibus rebus inſtructiſſimas noſtris videndas præbuerunt, ac uno à noſtris milliari caſtra ſua collocaverunt; nullo tamen edito certamine, quòd ſub ejus diei veſperum, totamque noctem inſequentem, inſolita aëris perturbatio, ac pluviarum tempeſtas, non ſine horrendo tonitru & fulgetris, ac validis ventorum turbinibus repentè coorta eſſet. Sub cujus procelloſæ tempeſtatis ſtridore tumultus in caſtris ad arma conclamantium, ac non modicus, quamvis inanis terror, & conſternatio ſubſequuta eſt, initio à Bohemicis, & Terſcanis cohortibus facto; adeo ut multi ex iis de fuga cogitarent, niſi à cuſtodibus, qui ad pontem excubabant, tranſitu prohibiti eſſent, ac Mansfeldius cum ſclopetariis Wallonibus, ac Palffio & Burgavio accurrens, reſtitutis animis tumultum compeſcuiſſet. Redeunte ſub auroræ tempus tranquillâ ſerenitate, hoſtes validam turmam equeſtrem, intermiſtis Janiceris jaculatoribus, verſus noſtrorum caſtra emiſerunt, quæ & caſtra ſpecularetur, & certamen ſereret; univerſæ tamen pugnæ eſſum vitaret. Mansfeldius viſis hoſtium antecurſoribus, Palffium cum tribus millibus equitum Ungarorum & Germanorum, qui è Franconibus ac Rheni accolis conſtabant, confeſtim miſit: quos quum Turcæ conſpexiſſent, ſimulato timore ſe in fugam conjecerunt, ut noſtros inſequentes ad in-

Certamen cum Turcis. ſidias, quas in valle ſaltuoſa caſtris proxima tetenderant, perducerent. E quibus tametſi hoſtes in noſtros appropinquantes celeriter erupiſſent, noſtrorum tamen tanta virtus, & fortitudo fuit, ut illos quoque haud ſecus, quàm qui ad caſtra procurrerant, funderent, fugarentque. Ea re à Turcis animadverſa, aliæ atque aliæ ſubinde turmæ fugientibus auxilio mittuntur, & Turcarum fuga ſiſtitur: fit pugna anceps & cruenta, ac uſque ferè ad occaſum ſolis protrahitur; adeo ut noſtri, quamquam acerrimè & diutiſſimè dimicaſſent, ad extremum tamen creſcente hoſtium numero, amiſſis aliquot ſociis, terga dare cogerentur, & verſus caſtra fugam intenderent; niſi à Mansfeldio nova tam Ungarorum, quàm Belgarum & Vallonum ſubſidia, ſclopetarioſque equites accepiſſent. Quibus opportunè accurrentibus hoſtes uſque ad ſua caſtra fugati, pari accepto detrimento pedem retulerunt: quos quum noſtri conversa fortuna acrius avidius ſectarentur, Turcæ colubrinis campeſtribus, quas in colle proximo aſtutè collocaverant, eos ſubmoverunt, ac ut ſe ad caſtra reciperent, compulerunt. Nec ejuſmodi certaminibus modus, aut finis futurus apparebat, noſtris ac hoſtibus mutuo clamore & provocatione ſeſe irritantibus, niſi Mansfeldius ipſe cum toto robore equitatûs procurſuro ſimilis, ſeſe commoviſſet, ac interim mox ſuperveniens prælium diremiſſet. His pugnæ præludiis, ſupra paucos ex Ungaris interfectos, Germani etiam equites ex ala Comitis Georgii Hollachii, ac Joannis Reccii, & Chriſtophori Brandeſtoii, quinquaginta tres deſiderati ſunt; ſauciati verò quinquaginta ſeptem.

Turcæ ſub heſterni prælii tempus munitionem, quæ in monte Carolino extructa erat, contemplati, oculos, mentem & induſtriam omnem ad eam defixerant, ut ejectis vel vi vel dolo defenſoribus occupare poſſent. Itaque duo millia Janicerorum deligunt, qui ante auroræ exordium eam in poteſtatem redigant: ii ſummo conatu ac viribus acerrimè oppugnatam, cum ſumma ſua tandem clade relinquere ſunt coacti: Wallones enim & Belgici milites, duce Danſio ſtrenuè & fortiter eam ſeque incolumes ſervarunt; interfecto cum aliis plurimis Naſupho Janicerorum præfecto, ex iis, quos Chorbagias vocant: Turcis abeuntibus Mansfeldius caſtellum inviſit, militibuſque collaudans, in locum ſauciorum integros & vegetos ſubſtituit; ejuſque præſidium majori propugnantium numero auxit, pluraque tormenta ibidem collocavit, quibus, ſi hoſtes rurſus in conſpectum ſe darent, eminus peterentur, ac iis rite adminiſtratis, in caſtra reverſus eſt. 1595. *Turcæ munitionem in monte Carolino fruſtra adoriuntur.*

Jam ad quartum diem Auguſti manſis perventum erat, quum Beglerbegus & cæteri duces caſtra promovent, relictâ ad præſidium caſtrorum certâ peditum manu, iterque ſuum bipartito diſtribuunt; ſic ut ex altera montis parte, quæ prata Divi Georgii reſpicit, & ubi Suarcemburgum à Mansfeldio relictum diximus, ſeptem millia equitum ex Spahoglanis, qui ſunt equites prætoriani, ac Aſiaticis ſeligerent, quibus Mehemetes Cilex præerat; reliquum verò equitatum, ſimul cum toto Janicerorum ac exercitûs robore adverſus Mansfeldium, qui ex caſtris progreſſus, ſtructis ordinibus in acie ſtabat, Beglerbegus cum Budenſi duceret; utramque autem hoſtilem aciem ſeptem & deni falcones, quorum uſus in pugnis campeſtribus eſt, cum totidem magiſtris tormentorum munirent. Progredientibus in hunc modum ſtructâ acie Turcis, Mansfeldius Suarcemburgo & cæteris, qui cum eo erant, per idoneos homines nuntiat, hoſtem lento paſſu ad pugnam adventare; proinde nunc ſe virum fortem præſtet, ac vel vincendum, vel moriendum ſibi exiſtimet; nihil eſſe timendum; ſimul ipſe ſuos in ordinem redigit, ac cum Burgavio regulo ſingulas acies obequitans, adeſſe jam tempus, quo ſe fideles & ſtrenuos viros, ipſius auſpicia, nomenque ſequutos ac præclarè geſtâ oſtendere poſſint, brevi ſermone proloquitur: in ipſorum virtute, & dextris Chriſtianæ Reipublicæ & Cæſaris decus, & propriam ſalutem conſiſtere; nullum planè dubium eſſe, quin Deus Optimus Maximus adverſus fœdiſſimi generis hoſtes exoptatam victoriam largiturus ſit, modò ipſi ſe eos præſtent, de quibus ipſe præclaram ſpem & opinionem diu antea concepiſſet, eaque expectatione è longinquiſſimis regionibus eos in illius diei fortunam ſecum deduxiſſet, ut parto inſigni trophæo cum digni- *Turcæ promotis caſtris, acieque inſtructa, prælio cum noſtris acerrimo concurrunt.*

S 4

1595. tate, & honore in patriam, paternoſque lares reduci poſſent.

Nec mora, hoſtis nihil cunctatus, verſus majorem urbem rectâ procedit eo animo, ut illatis ſub prælio ſubſidiis, locum tueri & conſervare queat. Ex adverſo Mansfeldius totis agminibus inſtructis contra prorumpit, certâque in hoſtem pergit: Palffio ut cum equitatu Ungarico & Germanico pugnæ initium faciat, jubet; ipſe cum Wallonibus equitibus, ac Germanis, nec non duodecim millibus ſelectorum peditum, qui ex Italis & Germanis conſtabant, ac colubrinis aliquot, quas verſatiles vocant, mox illum ſequitur, pugnantique ſuppetias fert. Nec in ea parte certamen uſque adeò diuturnum aut anceps contigit: Cùm enim Palffius cum Ungaris & Nadaſdio prælium iniiſſet, reſtiuêre quidem hoſtes impigrè, & perfractis in noſtrorū pectora haſtis aliquamdiu noſtros ſuſtinuêre, ita ut utrinque nonnulli occumberent; inter quos Chriſtophorus Brandeſtainius, & Joannes Reccius, rotmatum ductores, à Janiceris procellâ glandium dejecti, deſideratique ſunt, ſed quum Mansfeldius validiora pugnantibus auxilia atque arma intuliſſet, nutare primùm hoſtes cepêre; denique quum ab equitibus æquè ac peditibus innumera glandium vi, veluti denſa quadam grandine peterentur, relictis omnibus tormentis, abjectiſque ſignis fœdâ per montes, vineas, valles, & ſilvas fugâ ſeſe proripuêre, quos palantes effuſè & diſperſos Ungari pariter & alii partim ad uſque prata Georgiana, partim longè ultrà, per notos tramites proſequuti, ſine diſcrimine cæcidêre, aut captos in caſtra perduxêre. Ex parte alia Suarcembergus cum Henrico Obetenprueco ac Bovillerio eos, qui eum adorti erant hoſtes, haud diſpari contentione, ac virtute non ſolùm ſuſtinuit, ſed etiam ingenti edita pugna proſtravit, & in fugam conjecit; adjutus etiam tormentorum pilis, quæ jubente & curante Medicæo è caſtellis ad Divorum Thomæ, Caroli, & Georgii montes, induſtria Mansfeldii extructa erant, paſſim cum ſtrage hoſtium volitantibus. Qui quidem tempore cognitum fuit, eas munitiones à Mansfeldio non inanibus conjecturis, ut quidam putabant, ſed ſummo judicio, ſingularique prudentia & peritia erectas fuiſſe, & ad totius victoriæ eventum non parvo uſui fuiſſe. Ex ea fuga para hoſtium, quæ primum omnium fugæ initium dederat, Budanam viam effuſo curſu tenuit: pars cum Mehemete Ciliciæ, quem Citamanum vocabant, à noſtris à fronte, à tergo, à latere, circumventa, quum aliò fugere non poſſet, amiſſis decem & ſeptem colubrinis (quarum vix dimidiam partem in noſtros, idque ſemel tantùm & ſine notabili damno exploſerant) & ampliùs tribus ſociorum millibus, ad urbem Aquariam præcipiti fugâ contendit, ibique à ſociis recepta eſt: quorum numerum ad quingentos circiter Turcas fuiſſe ferunt. Parta victoria, noſtri ſummâ celeritate in hoſtium caſtra delati, ea rebus omnibus referta, puncto temporis diripuêre: in queis mille quingenta & ampliùs tentoria, cameli totidem ac muli ſarcinarii, haud multò pauciores reperti, in noſtrorum poteſtatem devenerunt. Cæſa aut capta ad quatuordecim millia hoſtium dicuntur. Signa 37. cum totidem colubrinis relata, ac prædæ ingens parta: ex qua Mansfeldius nihil præter tormenta & ſigna retinuit: 1595.
cætera victoribus ducibus & militi conceſſit. Tentorium tamen Beglerbegi, quod Quinſquio Bohemorum equitum ductori obtigerat, communi conſenſu, ei, ut ſummo duci exercitûs, dono datum fuit; quod erat Phrygio opere elegantiſſimè elaboratum.

Reccius & Brandeſtainius cadunt.

Hoſtes victi & fugati cedunt.

Caſtraque illorum direpta.

Cæſaque & capta 14000. hoſtium.

Hoc in prælio Mansfeldius imperatoris duciſque imperterriti, ac militis fortiſſimi munere functus eſt: pugnando ac obequitando, ſuoſque ne pugnam, quam forti & invicto animo inchoaſſent, intermitterent, neve victoriam, quæ foret in manibus, cunctatione aut ſocordiâ corrumperent, animando: ſic ut tres equos fatigatos recentioribus permutaret, ac inter tormentorum fragorem & reboatum intentâ ad ravim uſque voce impenſiùs clamare non ceſſaret. Unde ejus prælii laborioſiſſimo die viribus exhauſtus, ac ſitibundus recentia cujuſvis generis poma, uvaſque & Melopepones, quæ omnia in Pannonia affatim reperire eſt, copioſè ſumpſit, ac avidè potavit. Quamobrem moleſtâ & importunâ febri tentari cepit, ad quam quum etiam alvi profluvium acceſſiſſet, ſiſti nullis remediis potuit. Ipſe nihilominus actis Deo gratiis, hymnoque in ejus laudes decantato poſtridie continuandæ oppugnationi & proſternendis muris totus incubuit, quæve agi vellet Medicæum edocuit, & militibus, præſertim Ungaris, qui veluti viatum periti toto triduo, nova ſpolia & captivos in fuga & latebris deprehenſos in ejus conſpectum adducebant, dona ac pecuniam diſtribuit. Deinde heſternæ victoriæ ſucceſſum Matthiæ principi perſcripſit, miſitque ad Cæſarem Henricum Salonium, ſorore ſuâ genitum, cum ſignis aa ejus generis vexillis, qualia ex ſetia caudæ equinæ eleganter facta Turcarum principes ſuis præfectis dare ſolent, ac aliquot equis militaribus, captivis item præcipui nominis duobus. Denique ſuadentibus Medicis, ut aërem mutaret, & caſtrenſes curas & labores aliquandiu intermitteret, paruit, ſeque Comaronium lecticâ deducendum curavit. Ubi creſcente morbo, vir nobiliſſimus & fortiſſimus, longiorique vitâ dignus, die Aſſumptæ in cælum virgini matri dicato extinctus eſt, quum 52. ætatis annum ageret, ſummaque ſpe capiendæ urbis teneretur. Luxêre eum paribus lachrymis Ungari pariter & Belgæ, Germanique, à quibus omnibus ut pater amabatur. Fuit à teneris annis, & ipſis ferè incunabulis à patre, qui adhuc erat in vivis, inter caſtra & militiæ munia educatus; ita ut nemo eo melius diſciplinæ militaris leges calleret & exerceret, nemo fortibus viris & militibus æquior eſſet; contrà erga malus & flagitioſos inexorabilior. Veneficio & incantamentis, dum eſſet adoleſcens, non ſine exquiſitiſſimis doloribus tentatum eum ſatis conſtat; ita ut vivum inſtar lacerti animal ex ejus crure ſupra talos excinderetur; quo vulnere læſis nervorum compagibus eum nonnihil claudicantem ſæpe conſpeximus. Eo mortuo quum imperii ſumma Matthiam principem reſpiceret, cæteri duces obitum Mansfeldii, magno animorum dolore illi ſignificarunt. Nec ſine luctu, & lachrymis memorari poteſt, quantopere ſimul ac Mansfeldius fato conceſſit, omnis diſciplinæ militaris atque religionis, pietatiſque cura in caſtris collapſa fuit, quantum non miſeræ ſolùm plebis, ſed aliorum quorumcunque fortunæ & facultates impunè diripi vaſtarique cæptæ ſunt: & qui ſupra alios dignitate

Mansfeldii eximia virtus in hoc prælio.

Unde morbo correptus fato concedit.

Mansfeldio defuncto licentia militaris apertè denuo erupit.

1595. gnitate imperioque eminebant, nedum ad inſolentiam ſubjectorum militum licentiamque compeſcendam quicquam penſi habebant, ſed potiùs maligno pravoque ingenio, bellum avarè, crudeliter, & impiè adminiſtrando, ſuoſque rapto vivere permittendo, rempublicam poſt privatum decus facilè habebant.

Matthias Archidux obſidionē ſtrenue perſequitur.

Venit interea in caſtra Matthias, nihil Viennæ cunctatus, ac priuſquam equo deſcendiſſet, caſtella & munitiones Mansfeldii, aggereſque & loca tormentorum ab illo diſpoſita, ſitumque caſtrorum perluſtravit & collaudavit; eodemque ordine, quo ille vivens inſtituerat, obſidionem proſequendam mandavit. Nec mora, ſatagente Medicæo, mœnia Aquariæ urbis denuo ſine intermiſſione verberari cœpta ſunt; & ſimul Pontificis copiæ, poſtquam propugnaculum Orientale, quod à Solimano è lapidibus ſacrati majoris templi conſtructum diximus, adeò dirutum eſſet, ut illud proximè ſubirent, in egerendis cuniculis, & ſubvertendis ab imo fundamentis aſſiduè occupabantur. Qui verò intus erant hoſtes, rebus quidem ad victum neceſſariis, quanquam parcè & frugaliter, uti ipſis conſuetudo eſt, nondum erant deſtituti, ac inter reliqua magnam hordei nondum moliti copiam in cellis penuriis & ſubterraneis reconditam habebant; unà tamen militum & defenſorum penuriâ magnopere laborabant: quum tot & tantis prœliis, à diverſis fortiſſimis Chriſtiani nominis nationibus acerrimè oppugnati, cæſique magna ex parte aut ſauciati, ad exiguum numerum redacti eſſe viderentur: Sauciorum etiam ac puerorum & mulierum magna erat multitudo, utpote quibus inexpectata obſidio nec opinantibus ingruens, imbellem ejuſmodi turbam emittendi ſpatium ademiſſet: quorum precibus & ejulatibus præfecti ſingulis ferè horis, ut arcis & oppidi deditionem, quæ defendi ulterius non poſſet, honeſtis conditionibus maturarent, obtundebantur.

Dux Mantuanus in caſtra venit. Oppugnatio à noſtris tentata feliciter cedit.

Interea minimè ceſſantibus tormentis, pars muri concuſſa pilarum ictibus concidit, tanto hiatu, ut principes irruptionem tentari poſſe haud dubiè exiſtimarent. Quo tempore Vincentius Gonzaga, Mantuæ & Montisferrati Dux, à Cæſare in caſtra venit, quingentos equites totidemque pedites egregiè inſtructos ſecum adducens; iſque Carolum Roſſium clarum militiæ virum legatum habebat. Ad diem XIV. menſis Auguſti Matthias ſuos ad pugnam inſtructos eſſe, ac legionem Annibalis Rottenuavii, cum Suevis & Belgis, ad Ungaros Palffii imperio ſubjectos procurrere ad mœnia jubet. Hoſtes contrà ſe intrepidè opponunt, ac diu in muris certamen, cæſis è noſtrorum numero quamplurimis, protrahunt, & ex ipſis multi occumbunt; poſtremò tamen aliis ſubindè atque aliis cohortibus ſubſidio ſupervenientibus, Palffioque & Suarcemburgio, ut rem præclarè & fortiter gererent, cohortantibus, tandem mœnia ſuperantur, & hoſtes detruduntur: quorum pars præcipiti fugâ in arcem evadere contendit, pars in urbis foro conglobata, pugnæ ſe parat; ſed mox à noſtris diſſipatur & conciditur.

Mœnibuſque ſuperatis, oppidum capitur.

Supervenit etiam Ridelehus eques Theutonicus, claſſis præfectus, ejuſque milites & ſocii navales, quamquam ex arce pilis acriter peterentur, deſcenſione è navibus facta, auxilio noſtris adcurrunt, & hoſtes fruſtra repugnantes ad internecionem cæduntur: in hac pugna Alibogus ſenex præfectus pugnans interficitur; alter Mehemetes Cilex ſeu Caramanus in arcem ægrè evadit; cæteri aut trucidantur, aut ſe Ungaris capiendos ultro dant. 1595.

Aly Begus occiditur.

Quorum cauſa inter Germanus & Pannonici nominis milites rixæ oriuntur; Germanis captos Turcas, cæteraque ſpolia adimere conantibus, illis verò contumaci animo reſiſtentibus, nec niſi Palffii interventu ſedantur. In eo certamine præter Germanos Italoſque qui ceciderunt, periit glande per os ictus Stephanus Mailatus junior, Stephani clariſſimi viri è Gabriele filio nepos, in quo ejus familiæ progenies defecit; & Baptiſta etiam Peczius Tirolenſis legionis tribunus vulnus haud quaquam tamen lethale accepit. Capto oppido Aquatio, pro quo tamdiu tamque ancipiti eventu aliquoties dimicatum eſt, noſtri ad arcem oppugnandam animos vireſque converterunt. Sed mox incidentibus pluviis, quibus cænoſum & lubricum ſolum redditum eſt; & tempeſtas ſclopetis minùs idonea ſuborta, conatus ad ſerenitatis commodiorem occaſionem delati ſunt, nec tamen à concutiendis mœnibus ceſſatum.

Interea certis nuntiis adfertur, Beglerbegum & Budenſem cæteroſque Turcas, qui proximo prœlio evaſerant, copiis collectis bellum inſtaurare, caſtraque ad veterem Budam poſuiſſe, rurſuſque novas ad ferendas obſeſſis ſociis ſuppetias conſilia agitare. Itaque Matthias octo millia Germanorum utriuſque ordinis militum, ac cum Palffio & Nadaſdio quater mille Pannonios delegit, ducémque eis Carolum Burgaviæ regulum conſtituit, qui eorum caſtra explorarent, invaderentque. Sed Palffius ob ſimultates inter ipſum & Burgavium ſubortas manſit in caſtris.

Nadaſdius prœlio cum Turcis proſperè decertat.

Porrò quum propius hoſtium caſtra ventum eſſet, Nadaſdio procurrendi cum Ungaris munus imponitur; iſque impigrè hoſtes adortus pugnæ initium facit, quæ ſtatim adcurrentibus Turcis ſummo ardore accenditur; ita ut quamquam Nadaſdius fortiter ſeſe tueretur, tamen multitudine hoſtium circumventus, multis circa cadentibus maximè laboraret: igitur miſſis, qui ſe in diſcrimine verſari referrent, idoneis hominibus opem à Burgavio & ſuppetias poſtulavit; ſed quum ille incertum ob quaſnam cauſas lentiùs & ſeriùs, quàm par erat, & magnitudo periculi poſcebat, cunctaretur, Belgæ & Vallones, Oberenprucco præfecto, vel injuſſu Burgavii, ad ferendam laborantibus ſociis opem citatis equis protinus advolarunt, Nadaſdioque & Ungaris æquiorem confligendi facultatem attulerunt. Ibi asperâ recrudeſcente pugnâ, & multis utrinque occumbentibus, Abdulahes Coppanienſis præfectus, quem ante aliquot annos à Veſprimii præſidiariis acie captum, è carcere miro aſtu evaſiſſe diximus, acerrimè pugnans, ſuffoſſo & procidente equo ab Ungaris capitur: eandémque fortunam aliquot ex ejus ſatellitio, qui cadenti opem ferre feſtinabant, ſubierunt. Progrediente verò inter hæc cum ſuis Burgavio, Turcæ quòd ſe impares eſſe animadverterent, omiſſo prœlio, in ſua caſtra redierunt. Sic etiam noſtri, pugnâ ſuperiores, facto per noctem itinere ſub auroram, adducto Abdulahe & quibuſdam vexillis hoſtilibus, ad caſtra reverſi ſunt. Ferunt Turcas eo adverſi certaminis eventu uſque adeò fuiſſe conſternatos, ut ſi Burgavius, poſtulante Nadaſdio, cum tota

mole

1595. mole copiarum gradu ociùs promoto, in pugnantes irruiſſet, haud dubiè in fugam conjici, & caſtris exui potuiſſent. Magnum tamen momentum ad totius victoriæ acceſſum attulit Abdulahis capti, & in aggeres tormentarios producti conſpectus: Palffius enim & Nadaſdius Mehemeti Caramano, qui conſenſu militum Alibego interfecto præfectus erat conſtitutus, ſub fide publicâ ex arce ad mœnia vocato, Beglerbegum & alios purpuratos, in quorum auxiliis omnem ſalutis ſpem collocatam habebat, acie cæſos, caſtra capta & direpta, poſtremò debellatum eſſe ſeriò affirmaverunt. Sive igitur ipſe id revera eveniſſe non dubitans, ideoque ulterius infenſæ fortunæ reluctari nequaquam debere ratus, ſive jam amiſsâ urbe Aquaria, ſitis incommoda & aquæ penuriam veritus, ſive aliis duræ neceſſitatis anguſtiis adactus, Calendis Septembris poſt multam contentionem verborum cum Palffio ita convenit, ut datis utrinque obſidibus, omnes cum ſarcinis & rebus univerſis exire permittantur: cuncta tormenta currulia, apparatúſque eorum, ac commeatus in arce relinquantur: XXX. naves onerariæ, quæ abeuntes Viſſegradum uſque devehant, eis concedantur, quas illinc remittant.

Strigonium noſtris deditur ſecundâ die Septemb. A. 1595

His pactis à principe firmatis, ſequenti die, traditâ arce, quingenti circiter è propugnatoribus, ac mille imbellis fœminarum & puerorum turbæ capita, præter ægros & ſaucios excedentes, navigia conſcenderunt; quæ licèt Viſſegrado remittere debebant, promiſſi tamen immemores, Budam uſque perducta retinuerunt. In hunc modum locus inſignis momenti, poſt quinquageſimum ſecundum annum, quam à Solimano dedentibus Hiſpanis urbs capta fuerat, Deorum immortalium ope Reipublicæ Chriſtianæ reſtituta eſt, Manſfeldio paulò antè vitâ functo, cujus fortitudine & militaris diſciplinæ ſcientiâ ejus recuperandi fundamenta jacta fuerunt. Fama recepti Strigonii non ſolùm Cæſari lætiſſima accidit; ſed etiam Romæ, ac omnibus ferè Pontificiæ ditionis urbibus, Deo Optimo Maximo gratiæ actæ ſunt; ipſeque Clemens Pontifex è Vaticano ad Minervam pedibus profectus, ibique ſacris operatus, pro re bello bene geſta preces ſupplicationeſque inſtituit.

Strigonii præfectura Palffio committitur.

Poſt hæc Mathias Strigonium, valido militum præſidio indito, curæ Palffii commiſit; diruta verò loca, Joanni Alberto Princenſtano magiſtro fabrûm reſtauranda commendavit: exercitúmque ad Viſſegradianam arcem obſidione cingendam promovit. Ea eſt editiſſimo & muniſſimo loco ſita, in qua olim Corona regni Ungariæ marmoreo in fornice ſervabatur; atque inter hanc & palatia, ac prætoria Caroli regis, quorum nunc rudera tantùm ſpectantur, turris eſt aquaria Danubio imminens ſatìs munita. Verùm hoſtes viſis procul noſtrorum agminibus, hac deſerta, in ſuperiorem arcem migraverunt, eámque defendendam conſtituerunt. Quum noſtri caſtra ad dextram Danubii ripam collocaſſent, partim verò ad oppidum Maroſſum è regione arcis cum equitatu ſubſtitiſſent; Palffius nuntios ex Ungaris ad eos, qui intus erant, miſit, hortatus ut ſibi ipſis parcerent, deditâque arce incolumes abirent; ne ſi pertinaciùs reluctari, aut vim noſtrorum experiri mallent, nullus poſtea veniæ aut gratiæ locus foret,

Mox Viſſegradum oppugnare inſtituit Archidux.

Turcæ tam loci naturâ, quàm ſuis viribus freti, ſe ad extremum uſque ſpiritum arcem ſuo principi ſervaturos reſponderunt, neque enim adhuc tormenta currulia attracta erant, nec eos, niſi ſummis difficultatibus & laboribus ad juga præcipitis, arduique montis attrahi poſſe putabant, & ſpe etiam auxiliorum ſeſe ſuſtentabant. At Palffius re cum Medicæo & Aldobrandino communicatâ, expugnandam vi & armis hoſtium pertinaciam conſtituit, tormentáque magno & indefeſſo militum ſtudio & operâ, ac ubi per loca aſpera & ſentibus, ac ſpinetis, & arboribus impedita equis & jumentis via deerat, ergatarum molimine & craſſioribus funibus, ipſis etiam militibus Italis & Ungaris impigrè manus admoventibus, in ſupercilium ac cacumen excelſi montis, unius diei & noctis labore ſtatuerunt, atque iis murum vetuſtum, & variis ſuperiorum annorum oppugnationibus debilitatum verberare cœperunt. Præerat arci & trecentis, qui in ea erant militibus, Pyrrhus Aga Peſtanus ſenex; qui dum auxiliorum ſpei & expectationi inhæret, interea ſe & ſocios, amiſsâ etiam arce perituros animadvertens, deditionem facere conſtituit, ſi ea à Palffio honeſtis conditionibus acciperetur. Igitur è muro prologuutus, ut ſibi & ſociis cum ſupellectili & armis in tutum abire liceret, petere cœpit; ſed quum Aldobrandinus, Medicæus & Mantuanus, nonniſi vitæ eorum parcendum, & relinquenda quæcunque alia habebant omnia, ac abſque gladiis & armis diſcedendi facultatem conceſſiſſent, ac interea Fridericus Ghiſelerius cum ſuis Italicis cohortibus arcem ingreſſus eam occupaſſet, extremo metu perfuſi, nec quicquam amplius locuti, arbitrio victoris arcem tradiderunt. Verùm quòd Turcæ Strigonio dimiſſi naves, quas juxta pacta Viſſegradum uſque devehere debebant, retentas non remiſiſſent, communi conſenſu militum ducúmque retenti fuerunt; ita ut per cohortes & contubernia diviſi, in varias Italiæ partes abducerentur; nonnullique eorum, ope Venetorum, è ſervitute redempti, longis exantlatis erroribus, Byzantium, atque in patriam reverterentur, multi natale ſolum nunquam viſuri in tranſtris triremium & vinculis expirarent. 1595.

Hoſtes arcem arbitrio victoris tradunt.

Horum exemplo atque infortunio cognito, Mehemetes, qui Vaciæ præerat (is antea Gregorius Borſius appellatus, è præſidio Palotenſi tranſfugiens ad Turcas defecerat) nequaquam ſe dubiis & periculoſis fortunæ caſibus objiciendum arbitratus, incensâ arce, ac duabus etiam aut tribus biremibus, quas noſtri prioris & irritæ obſidionis Strigonienſis tempore turpiter reliquerant, præ nimio metu & fugæ feſtinatione ibidem relictis, Budam ſeſe recepit: Palffius autem re ex fumo ac flammarum ſplendore, haud inani conjecturâ, uti acciderat, comperta, per Saicas citatis remigiis eò delatus, reſtinctis ignibus, opportunum locum occupavit, impoſitoque præſidio, eoque Andreæ Oroſſii curæ & induſtriæ commiſſo, ad caſtra reverſus eſt. Ferunt noſtros, ſi totis viribus in Budæ conſpectum veniſſent, tormentaque mœnibus diruendis admoviſſent, ea quòque potiri haud magno labore potuiſſe: Adeò enim tunc Turcæ, amiſſis brevi tempore tribus munitiſſimis præſidiis perterriti, & ad ſummam rerum deſperationem redacti erant, ut conjuges & parvos liberos, ac cariorem

Turcæ deſerta Vacia, Budam refugiunt

ſubſtan-

1595. ſubſtantiam navibus imponerent, & Albam Græcam ac Samandriam, aliaque longinquiora & tutiora loca dimittere contenderent, multique confictis abeundi cauſis, in Aſiam ac ultramarinas regiones dilaberentur. Sed quia frigidior jam autumnus præ foribus erat; ac Italicæ cohortes confectis ſtipendiis in patriam reverti feſtinarent, ut iterum ad conficiendum bellum commodiori tempore redirent, nec Cæſar de Budæ obſidione quicquam ad id uſque tempus deliberaſſet, Matthias rebus in præſens divinâ ope bene geſtis, rejectiſque aut dilatis Budæ invadendæ conſiliis, reliquo exercitu & tormentis, aliiſque rebus bello neceſſariis curæ Maximiliani fratris, ut erat à Cæſare conſtitutum traditis, Viennam reverſus eſt.

Matthias Archidux dimiſſis copiis, Viennam redit.

Sub id tempus, & eo ferè die, quo Mansfeldius ſub Strigonio fuſis fugatiſque hoſtibus, tam præclarè geſtâ victoriam eſt adeptus, Georgius Comes Zrinianus, cum Joanne Sigiſmundo Herberſtainio, limitum Illyrici præfecto, ac Stiriacis Ferdinandi principis copiis undiquaque contractis, præſidioque militari Caniſiano, cui Chriſtophorus Haimus præerat, in ſocietatem adſcito, arcem Babociam, inter Caniſam & Sigetum ad Dravum flumen ſitam, quam anno ſuperiori aquarum inundatione impeditus, intactam relinquere erat coactus, obſidere conſtituit; facto ſupra Rinniam paludoſum & ſtagnantem fluvium, penès Corpadum, (eſt id oppidi nomen) ponte tumultuario. Promotis igitur caſtris, in quibus ad decem millia militum, cum neceſſario tormentorum apparatu erant, ad Chorgonem conſedit, eo conſilio, ut die ſequenti Babociam tempeſtivè perveniret. Sed quòd eſſet æſtuoſiſſimus intolerabili ſolis fervore dies, ita ut equi præſertim pinguiores, & peditum nonnulli nimio calore exanimati inter eundum conciderent, & interirent, propoſitum tenere non potuit; ſicque ad pagum Senquiralum, qui à Babocia medio milliari abeſt, eam noctem in caſtris quievit. Turcæ nondum quicquam de adventu exercitûs comperti habebant, quod ab iis, qui in pagis otioſi & vagi errabant, fortè in manus noſtrorum incidentibus cognitum fuit. Verùm ubi nocturnos ignes conſpexêre, & fremitum caſtrorum audivère, ſuorum promptiſſimos ad ſpeculandum emiſerunt; reque compertâ, totam noctem conſultando, & quidnam fieri expediret, diſputando inſomnem duxère: poſtremò quòd imparati paucique eſſent, ſub auroram incenſâ arce, relictiſque ibi tormentis & rebus omnibus profugerunt; juſſu autem Zriniani Comitis tormenta octo juſtæ magnitudinis flammis erepta ſunt; ſed pulveris ſulphurei magna copia eodem incendio abſumpta evanuit: ac ædificia, in quibus ſervabatur, attiguaſque domos puncto temporis disjecit & concremavit; nemine noſtrorum, qui jam omnes angulos & latebras prædando perſcrutabantur, læſo.

Zrinius cum Herberſtainio Babociã occupat.

Captâ Bobociâ duces nondum Mansfeldii victoriæ gnari, in conſilium conveniunt, diſputatùrque, quorſum arma vertenda ſint? Herberſtainius tranſeundum Dravum, ac ulteriorem regionem uſque ad Poſegam igne & ferro vaſtandam, depopulandamque exiſtimabat; eamque ob cauſam lintres & Saicas, ac varia navigia ſecundo Dravo devehenda curaverat, quibus exercitus trajiceretur. Haimus victoriâ lætus, relicto ad ſiniſtram Sigeto, ac itinere inter Dravum, & Ormanum rivum, inſtar paludis lacunoſum facto, Quinqueecleſias urbem cum ſpe opimæ prædæ improviſo invadendas proponere non dubitabat, quòd eſſet locus minùs munitus, & Turcæ ex illis confiniis Strigonium profecti necdum rediiſſent, ideoque nemine, qui reſiſteret, obvio, proclivia omnia futura diſſerebat. Quibuſdam ad majorem terrorem circumferendum videbatur, locus ille penès Sibotum oppidum, ultra Sigetum ſitus, quem Torbitum Turcæ vocant, in quo viſcera Solimani in delubro Taliſmanorum ſacerdotum condita ſunt, igne & ferro funditus excindendus. Sed vicit ſententia Zriniani Comitis, ut Reipublicæ utilior, qui prætermiſſis ac repudiatis aliorum ſententiis, ibidem perſiſtendum, ac Babociam veterem ſuperioribus bellis dirutam, repurgatis ruderibus inſtaurandam præſidioque muniendam decrevit: ac in caſtris magnam curruum & jumentorum copiam conquiſivit (agricolæ enim metu belli, relictis ſedibus, ad interiora & longinqua regionum migraverant) quibus rubora & virgulta, cæteraque neceſſaria tantâ celeritate convecta ſunt, ut intra VII. diem tota arx vallo, propugnaculis, valvis, cæteriſque ædificiis ad defenſionem neceſſariis, ſolâ militum operâ & laboribus, ex præſcripto Cæſaris Portæ Placentini Architecti, ſat commodè erigeretur. Cui quum Zrinius Nicolaum Horvatum Caniſæ peditum centurionem præfeciſſet, & Haimus forte ductâ centuriam Germanorum peditum Vemillerio ducture addidiſſet, duces X. poſtquam domo diſceſſerant, die, incolumi reducto exercitu redierunt: & in itinere ad Orſadum vicum haud procul Chorgone, lætum de Mansfeldii victoria, ſub Strigonio reportata nuntium accepêre; confeſtimque tubas & tympana paſſim reſonare, tormenta quæ habebant omnia explodi, & ignes plurimos in lætitiæ ſignum in caſtris excitari juſſerunt.

Babocia vetus à Zrinio inſtaurata ac munita.

At Herberſtainius domum perveniens, haud multorum dierum quiete ſuis conceſſa, conſilio cum Thoma Erdodio Bano, Equempergo, ac Lencovitio, cæteriſque ducibus communicato, Petrinjam, ex qua hoſtes acerbas & funeſtas in agrum Turopolianum, ac Zagrabianum excurſiones faciebant, improviſo impetu tentandam, ac ſi tempus & occaſio ferat, appoſitis repentè ſcalis, operâ peditum, quos habebat promptiſſimos, occupandam conſtituit. Re ab illis approbatâ ad certum locum ultra flumen Savum convenêre, ac caſtra ad Novigradum, inter Savum & Colapim conjunxêre; nec diu cunctati, relictis Siſciæ, quæ prope erat, impedimentis caſtrorum, & tormentis paulò ante Solis occaſum, leviori accincti apparatu, Petriniam appulêre. Præerat arci Ruſtanes, de quo ante dixi, vir clarus & pugnax, apprimeque militaris; qui adventantes noſtros conſpicatus nequaquam contineri potuit, quin conſcenſo ſtatim equo promptius prodiret, ſuoſque ad pugnam educeret. Quâ fervente, & cadentibus utrinque nonnullis, ipſe brevioris ſcloperi glande, à Gaſpare Curtirio equite, ut poſtea intellectum eſt, lethale vulnus in ſiniſtro latere accipit, ſauciuſque ſe mox cum ſuis in arcem recipit, quum eum vulneratum eſſe noſtris minimè conſtaret. At pedites appoſitis ſcalis propugnaculum, quod penès Colapim venientibus à dextra parte ſitum, conſcendere conati, à Turcis magnâ vi, haſtis, ſagittis, & ſclo-

Noſtri Petriniã felici ſucceſſu capiunt.

1595. petis, aliiſque telis in ſubeuntes confertim jactis detruduntur. Illi tamen eo irriti conatûs ſucceſſu nequaquam territi, repetito ſummis viribus certamine, vallum ſecuribus & dolabris ſternere, modò roboribus detrahendis uncos ferreos injicere, modò ligonibus & batillis ima fundamenta ſubruere; nec tamen, quòd Turcæ pari virtute & contentione locum egregiè tuerentur, quicquam profirere. Poſtremò multâ & obſcurâ gliſcente nocte, quamquàm iniquiſſimi loci occaſionem ereptam viderent, nihilominus quo inefficaciùs, tanto tamen pertinaciùs ad perſiſtendum à præfectis incitati, stramina & fænum, quod ab hoſte accumulatum in promptu erat, cæteramque aridæ materiæ copiam, vallo ſuppoſitam ſuccenderunt, eodemque igne munitio flammam concepit, & noſtri magnum clamorem ſuſtulerunt. Tum verò Turcæ, quamquam nox intempeſta, & cælum nubiloſum, ac inconditæ ſonis clamantium voces, & fremitus cuncta terribiliora reddebant, nihil tamen animis ſeſe demittentes, ad eam ſtationem celerrimè adcurrerunt, ſclopetiſque & falconibus rem gerendo, noſtros operi intentos multis eminus interfectis ſubmoverunt; & partim cuppis & doliolis aquæ, è puteo, qui media arcis in area erat, hauſtis, partim madefactis lodicibus, aut luto & ceſpite, & quicquid ad reſtinguendos ignes in re tam ſubita obvium ac opportunum ducebant, raptis, ægre tandem flammam extinxêre, noſtrique totam noctem uſque ad clarius diluculum fruſtra laborantes, re deſperatâ receptui ſignum dedêre, & eodem quo venerant itinere, Siſciam triſtes & conturbati repetivêre.

Vix dum eò ubi tormenta & caſtrenſem ſupellectilem reliquerant, perventum erat, quum adoleſcentulus vix pubertatem egreſſus, Chriſtianis ortus parentibus, ſed depopulatione fortè ſuperioris anni captus, quo in ſcribendis Illyrica lingua litteris Ruſtanes amanuenſe utebatur, in caſtra venit, illumque dolore ſuſcepti vulneris ſuo in complexu extinctum eſſe, & Turcas ejus morte magno metu perterritos, de fuga & deſerenda arce cogitare nuntiavit. Fuêre qui ſtatim redeundum, hoſtemque improviſâ urgente formidine conſilii inopem invadendum, & fortunam denuo experiundam arbitrarentur. Contrà qui cautiores prudentiæ & conſilii nomine valebant, verba pueri fidem derogare, nec rem irrito incepto, adverſaque fortuna ſemel tentatam, iterum temerè majoreque detrimento, nec minore ignominiæ labe repetendam cenſere. Itaque Herbeſtainius ac Lencovitius unum è centurionum numero promptum, & viarum peritum, ſine mora Petriniam verſus proficiſci, ac ſummâ ope niti jubent, ſi quis ex hoſtibus intercipi poſſit, à quo certiora cognoſcantur. Qui paulò pòſt reverſus captos ſeptem, aut octo Turcas adduxit, atque it cuncta, ut à puero relata erant, ſuâ etiam confeſſione vera eſſe confirmarunt. Quam ob rem noſtri captis ſubitò armis & conſcenſis equis, Petriniam extento curſu delati, jam hoſtes majori ex parte arce exceſſiſſe, paucos intus eoſque metu attonitos hærere comperêrunt: cumque portæ arcis paterent, ſignifer Joannis Draſcovitii equitum præfecti, primus ſignum illatum in vallo affixit, cæteri equites pariter & pedites, partim promiſcuè ingreſſi, cæſis paucis, qui cunctabundi ex hoſtibus intus remanſerant, eam occuparunt, partim verò fugientes perſequuti, plurimos retraxerunt, ac equis militaribus, & rebus diverſi generis, magnique pretii, captiviſque & opimâ prædâ, ac Ruſtanis ipſius ſupellectili potiti ſunt; quum ii, qui ejus cadaver Banialucæ humandum deferebant, aliquot ante horis, in tutum præceſſiſſent. 1595.

Raſtovicia etiam & Gora à noſtris recuperata.

Receptâ in hunc modum nec opinato ſucceſſu, ſecundùm Dei opem Petriniâ, hoſtes qui Raſtoviciæ erant, incenſa eâ, profugerunt; qui verò Goram cuſtodiebant, collectis ſubitò vaſis ad tutiora loca trepidi ſeſe recepêre, Herbeſtainius & cæteri duces re bene geſtâ hilares, quod præcedenti nocte ſemiambuſtum erat propugnaculum, è materia & ceſpite notâ ratione reſtaurandum curarunt, locumque præſidio militari impoſito, Danieli Franeolo Tergeſtino turmæ equitum præfecto cuſtodiendum dederunt; ac deinde his rebus proſperè confectis ad ſuas ſtationes reverſi ſunt. Fama fuit, eaque tam apud hoſtes quàm noſtros conſtans, inſigne à ducibus operæ pretium fieri potuiſſe, ſi armis ulteriùs prolatis, Jaiciæ & Banialucæ terrorem admoviſſent: neque iis recuperandis irritos futuros fuiſſe eorum conatus, niſi in medio rerum gerendarum curſu importunis conſiliis ceſſatum fuiſſet.

Bathorii nuptiæ cum Caroli Archiducis filia.

Intereà dum hæc in Pannonia & Illyrico, Cæſaris auſpiciis ſat proſperè geruntur, Sigiſmundus Bathorius fœdere, ut diximus, cum Cæſare inito, ductâque in matrimonium filiâ Caroli Auſtriaci Cæſaris patrui, nuptias Albæ Juliæ concurſu populorum, ac muneribus planè regiis ſolennes peregit: ac ſub finem menſis Auguſti ſocrum, quæ filiam in Tranſilvaniam uſque comitata erat, excultam donis dimiſit: quum ipſe eam uſque ad Eniedinum oppidum officii cauſa deduxiſſet; novæ verò nuptæ Taſnadium uſque, quod eſt in provinciæ finibus oppidum, ut matrem comitaretur, permiſiſſet. Is jam antea, poſtquam veteris Turcicæ clientelæ jura, ſeu potiùs compedes exuiſſet, nec eſſet ignarus, Turcas omni ope & viribus arma & bellum adverſus ſe & provinciam rurſus ſub jugum mittendam concitaturos; nihil prius potiuſque habuit, quàm quomodo rebus ſuis, & reipublicæ conſulere, ſeque & ſuos populos ab injuriis barbarorum tueri poſſet. Eam ob cauſam, cum Arone, Muldaviæ (ſed is proditionis, ac Turcicæ ſocietatis ſuſpectus loco & dignitate poſtea motus fuit) ac Michaële Bano (ſic eum à præfectura Craliovana ad Iſtrum ſita vulgo vocabant) Valachiæ Tranſalpinæ principibus, Turcæ tributariis, per internuntios Stephanum Joſicam, & Pancratium Senieium tranſegerat, ut ſuo exemplo ſervitutis Turcicæ jugum cervicibus excuterent, ac ſecum unà Cæſari ad Chriſtianam rempublicam ab immanibus barbaris vindicandam præſto eſſent; eaſque duas provincias Pannoniæ olim attributas, permittente Cæſare, unà cum principibus, quos nominavi, certis conditionibus & legibus ſuæ poteſtati & clientelæ ſubjecerat: quum etiam Cæſar eis ſe, ad ferenda auxilia, & equitatum copiaſque idoneas, cum tormentis bellicis & eorum apparatu, pecuniam item rerum gerendarum nervum ſubminiſtrandam promiſiſſet. Itaque ſtatim poſt violatum Turcicum, & confectum cum Cæſare fœdus, limites ſuos neceſſariis præſidiis munire, eoſque viris militaribus cuſtodiendos diſtri-

Tranſilvanus Muldaviæ & Walachiæ Principibus, ut jugum excutiant Turcicũ, perſuadet.

buere

1595. bnere cepit; ac Georgium Barbelium è diſciplina Gaſparis Magochii, olim dum Giulæ præeſſet, virum fortem, & ducendi exercitus peritum, traditis ei copiis, Caranſebeſſum proficiſci, & in hoſticum ducere juſſerat: iſque primo &

Bochciā & Varſocū Turcis eripit.

improviſo impetu Bochciam, & Varſocium Turcis omnibus, qui in iis erant, trucidatis, receperat. Turcæ quum initium belli a Tranſilvanis factum eſſe vidiſſent, ipſi quòque, qui Giulæ, Chanadii, Lippæ, & Jenone in præſidiis erant, in Tranſilvaniæ fines ingreſſi, aliquot pagos non procul Joſſeo oppido diſſitos, abductis in ſervitutem incolis cauſſerant. Ex adverſo militea Tranſilvani adjunctis ſibi nobilitatis copiis, quæ ad MD. equites conſtituebant, jubente Sigiſmundo Totuardiam, Turcicæ ditionis oppidum ſatis populoſum, invaſerant, oppidoque concremato, ac arce appoſitis ſcalis conſcenſa & capta, Turcas ferè ducentos, qui in ea erant, trucidaverant: reque

Totuardiam

eonlectâ ſeſe in caſtra Barbelii Caranſebeſſum contulerant. Qui auctis eo modo copiis, Fadſato terrorem admoverat, locúmque dedentibus ſe Turcis, occupaverat: venientemque Fadſateuſibus auxilio Temeſienſem purpuratum Solimanum, cæſis duobus Giulæ & Chanadii præfectis, & hoſtium duobus millibus fuderat: Eperieſſum & Solmoſum diffugientibus hoſtibus receperat, Lippam poſt quatuor & quadraginta annos, quàm ab Hiſpania deſerta erat, admoto tormentorum terrore, deditione in poteſtatem redegerat; ejuſque inſignis loci periculo territi Turcæ, qui Vidagoſuarii, Chanadi, Aradi, Paucoiæ, Sitini, aliiſque propinquioribus locis erant, quo quiſque potuit, profugerant: ita ut Barbelius ſingulari virtute & celeritate, ad urbem Temeſienſem recuperandam viam aperuiſſe videretur.

Fadſatū.

Eperieſſū

Lippam, aliaque loca ditioni ſuæ adjicit.

His rebus & apertâ Tranſilvanorum rebellione auditâ, Sinanus tot & tantis rebus in Aſia & Africa geſtis clarus, & nuper capto Jaurino, & repulſis illinc Cæſarianis tumidus, ſuóprè ingenio Tranſilvanis infenſus, petita adminiſtrandi ejus belli venia & ingenti comparato exercitu, ad prima veris initia, Byzantio egreſſurus nuntiabatur, animo Tranſilvaniæ & utriuſque Valachiæ provinciis priſtinum jugum imponendi. Michaëlem etiam Tranſalpinum principem, ſeu, ut à ſubditis veteri nomine vocatur, Vaivodam, Alexandri, qui ob avarè & crudeliter adminiſtratam provinciam à rebellantibus ſubditis regno pulſus fuit, ſucceſſorem, Petrique, qui ante Alexandrum ſceptra tenuerat, filium, impensè oderat, quòd is poſt fœdus cum Cæſare ac Tranſſilvano ictum, Turcas, quorum duo amplius millia in ſua ditione, ne conſcio quidem ipſo, nedum concedente, ſedes & domicilia fixerant, ac Judæos Turcarum ſocios, ad unum omnes trucidari juſſiſſet. Huic Tranſſilvanus debita ex fœdere auxilia & copias poſtulanti tempeſtivè ultra alpes miſerat, in queis duo millia equitum & quingenti totidemque pedites Pannonici nominis cenſebantur, præeratque eis Albertus Quiralius, vir fortiſſimus, & bello Moſcovitico, à Stephano Poloniæ rege adminiſtrato, multis rebus præclarè geſtis clariſſimus, ex provincia Gemerienſi Pannoniæ ſuperioris oriundus. Igitur Michael & Albertus communicatis conſiliis, adventum atque arma Sinani præoccupandi arbitrati, primò Flocium oppidum

Sinanus, magno coacto exercitu, Conſtantinopoli ſe movet.

Ejus in Michaelem Vaivodam odium.

Michael Vaivoda & Kira-

lius Flocium oppidum funditus diruunt.

inter Uroſcicum & Nicopolim pari intervallo diſtans, trucidatis aut in ſervitutem abductis omnibus Turcici nominis incolis funditus deleverunt. Inde ad Civitatem Arſonam verſi, quam Carolus & Lodovicus Pannoniæ reges muro clauſerant, unius diei itinere a Braila inſula Danubiana diſtantem, ſcalis appoſitis repente captam incenderunt: Seliſtriam, quam Bulgari & Turcæ Deſtorum appellant, urbem amplam & mercatu celebrem, Conſtantini, ut ferunt, Magni opus, haud diſſimili detrimento affecêre: Achomatem inſuper Eunuchum purpuratum, cui Aphis cognomentum erat, quæ vox cantorem exprimere dicitur, cum valida Janiterorum Tartarorumque manu, ac quatuordecim millibus Bulgarorum & Thracum obviam venientem, ut pulſo Michaele Bogdanum quendam provinciæ præficerent, collatis ſignis & manibus fuderunt & fugarunt; ita ut Turcæ Tartarique amiſſis copiis & caſtris turpiter refugerent: & Aphis ſuffoſſo equo pedibus pugnare, & puſillo ac degeneri equo à ſervis fortè oblato impoſitus, ſalutem fugâ quærere cogeretur. Quibus rebus adminiſtratis, Michael relicto cum Tranſſilvanis, & mercede conductis militibus ad Iſtri ripam Quiralio, ipſe cum ſuo peculiari præſidio reipublicæ negotiis revocatus, Bucareſtam reverſus fuit. Nec multò pòſt Quiralius concreto glacie Iſtro, cum Ungarorum & Colacorum turmis & Valachis ſtipendiariis, in Bulgariam trajecit, ac paucis diebus Viſtovam & Orehovam oppida cepit, & diripuit, ulteriuſque progreſſus Cernavodam, Roſgradum, ac Obluſiciam vaſtavit; ac per omnem circa regionem uſque ad Achilleam & Moneaſtrum urbes, non procul ab Iſtri in pontum Euxinum ſeſe exonerantis oſtiis ſitas, cuncta obvia ferro & igne vaſtando & exurendo, arma circumtulit: neque ullo accepto detrimento, victorem & incolumem exercitum cum ampliſſima & ditiſſima præda ad Michaelem reduxit.

Arſonam captam inflammant.

Seliſtream diripiunt.

Achomatem Eunuchum fundunt fugantque.

Kiralius Bulgariam ferro flammaque exscindit.

Interea Sinanus adultâ jam æſtate Byzantio digreſſus, decimis quintis caſtris ad campos, quos Doburgianos vocant, pervenit; indeque progreſſus caſtra haud procul Iſtro poſuit, in quibus ſupra centum millia armatorum eſſe ferebantur: nec diu cunctatus, ponte facto in Valachiam trajecit: ac Bucoreſtam, quæ ei prima occurrebat, ſubito adortus impetu, cepit: ulteriuſque progreſſus Tergoviſtam principatûs ſedem vacuam repertam, facilè occupavit. Nam Michael ſuis viribus diffiſus, uxore & filio Petraſcone, ad Cibinium Tranſſilvaniæ urbem miſſis, cum Quiralio & exercitu ad Alpes, quatuor millium paſſuum intervallo diſſitas, quæ à vetuſta arce ibi conſtructa, ſed jam olim à Turcis diruta Negrevodæ appellantur, ſeſe receperat: quæ loca ob confragoſas & aſperas rupium crepidines, & cænoſum lateque ſtagnantem ad earum radices rivum, & internata humido ſolo ad juſtam proceritatem ſalicta diverſoſque frutices, acceſſu difficillima, ac ferè impervia ſunt: nec niſi unico itinere, pontibus ſublicis, nec tamen continuis ſtrato adeuntur, quos ſi quis vel parvo ſclopetariorum numero, ac mediocribus colubrinis obſtruat, hoſtium magnas etiam copias aditu prohibere poteſt. In iis anguſtiis avorum noſtrorum memoria, quum Ladicus Tranſalpinæ Valachiæ princeps ad

Sinanus Bucareſtam & Tergoviſtam, Michaeli adimit.

1595. Bulgarorum regem Strahimirum transfugiens, Ludovico Pannoniæ regi ejus nominis primo rebellaſſet. Niconem Garanum & Simonem Megeſalium Ludovici duces, à Dragomiro, Ladici perduellis copiarum ductore in inſidias perductos, ac ad internecionem cæſos memorabant. At Sinanus miſſis Chanſiis non ſolum totâ provinciâ coactis operis, ſed etiam è Bulgaria ad opus accitis, Bucareſtum & Tergoviſtam vallo è materia & cratibus craſſioribus, ac ceſpite duodenos pedes lato circumſepiendas ſuſcepit, laborere dies & noctes continuato: ipſe autem exercitum bipartito diviſit, ita ut partem cum Ali purpurato Trapezuntino, qui copiis & cepto operi urgendo præeſſet, Tergoviſtæ relinqueret; reſiduum verò virium & præcipuum robur ad hoſtes perſeqoendos duceret: nec procul ab iis, quas diximus, anguſtiis, in conſpectu noſtrorum editiore in loco caſtra poneret, ut bina caſtra mutuò ſeſe intueri poſſent: ipſeque noſtrorum temeritatem, qui ſe invictis armis, ut putabat, & viribus metuendum, & inſuperabilem expectare auſi eſſent, non parùm miſaretur.

Michaël & Kiralius acerrimo cũ Turcis prælio congreſſi. Die quæ ſequuta eſt, duodecim millia expeditiſſimorum Turcarum, quorum pars dimidia è Janicetis conſtabat, delegit, qui ſuperatis anguſtiis noſtros invaderent, nec niſi victores reverterentur. Michaël & Quirlius quamquam paucitatis ſuorum gnari, virtute tamen ſui ſecundùm Dei opem, & locorum commoditate freti, in ipſis, quas diximus, paludis & ſilvæ anguſtiis hoſti occurrerunt. Hoſtes numero & multitudine, Ungari & Valachi virtute confiſi pugnabant, ſicharque ambarum partium pertinacia, ut aliquando hoſtes retrocedendo à noſtris magnâ cæde editâ, uſque ad caſtra fugarentur: nonnunquam noſtris hoſtium impetu loco pulſis barbari ſeſe jam viciſſe proclamarent: aderatque Sinanus pugnantes voce compellans, ac reſtitantes & ignavos, modò contumelioſis verbis, modò clava & verberibus incitans, hunc in modum tota ferè dies, uſque ad occaſum ſolis, alternante dimicantium fortuna, tranſacta eſt. Ad extremum tricenaria ſcloperariorum peditum Ungarorum manus, quæ caſtris uno ante die pabulatum egreſſa fuerat, velut cælo divinitus demiſſa ſupervenit; juſsúque Michaëlis defatigatis labore pugnæ noſtris, oportunum neceſſariumque auxilium attulit, hoſteſque recentiorum copiarum adventu territi fugam dedêre: quorum noſtri tergis inſiſtentes, non ſolùm multos ex potioribus Turcis cecidêre; ſed etiam quatuor curulia tormenta cum aliquot ſignis, & in iis prægrande unum viridis coloris intercepta retulerunt. *Sinanum vincunt & in fugam conjiciunt.* Quo in fugæ tumultu Sinanum è ponte, quem à noſtris ruptum ſubitario opere reſtauraverant, in paludem delapſum, ac equi colluctatione præter veſtes & ora turpiter fœdatum, duobus etiam excuſſis dentibus, vix à ſuis periculo ereptum fuiſſe ferunt. Hujus pugnæ à Sinano & Turcis malè pugnatæ infortunium non multis pòſt diebus Byzantium allatum, æmulis illius & obtrectatoribus, qui ejus intolerandam ſoperbiam ferre non poterant, non minimam obluquendi occaſionem præbuit. Unde ipſe in iram & ultionem pronus, redintegrandum omnibus viribus bellum, & Michaëlem provinciâ pellendum, ac eo bello confecto Tranſilvaniam invadendam conſtituit.

Sed Michaël quòd ſe imparem hoſti futurum 1595. intelligebat, ad interiora alpium juga, æquè adito difficilia ſeſe & copias ſuas recepit: & menſem ferè integrum ad auxiliorum adventum in iis continuit: ſimulque Sigiſmundo in Tranſilvaniam ſinè morâ perſcripſit, ſuas res in eas anguſtias & difficultates eſſe redactas, ut niſi maturè ſuccurrat, periculum eſſe, ne ipſe cum exercitu & provincia hoſti prædæ ſit futurus, qui ſe devicto & pulſo Tranſilvaniam protinus invaſurus foret. Sigiſmundus viro forti, ſuámque fidem ſequuto, pro eo ac juxta pacta debebat, maturam opem ferre conſtituit: ſtatimque poſt peractas nuptias, ſocrumque in Stiriæ fines dimiſſam, Benedicto Mindccntio, Siculorum Vicecomiti ſeu prætori, ac Balthaſari Bogathio, & Lupo Cornisſio in mandatis dat, ut omnes Siculos, quicunque octo tribubus ſeu tractibus continentur, arma ſumere, & in caſtra ad campos Bareenſes, & oppidum Saxonicum, quem nigrum collem vocant, convenire jubeant, ſuoque nomine eis promittant, ſpondeantque, ſe priſtinas ipſis libertates, quas ob crebras rebelliones, ac læſæ majeſtatis crimen ſuperioribus annis amiſiſſent, redditurum, ſi quampromptiſſimos ſeſe ad communem reipublicæ defenſionem præſtiterint. Ipſemet, quo & Siculis & aliis provinciæ incolis celeriùs conveniendi exemplum daret, XXVII. die Menſis Auguſti motis Albâ caſtris Sebeſſum venit, ibique tridui ſpatio ſubſtitit, ut reliquos opperiretur. Ibi in æſtivis quieſcens, lætiſſimum nuntium de triplici fortunæ arridentis ſucceſſu accepit: Lippam nimirum captam, repulſos in Valachia Sinani conatus, ac Tartaros, qui duce Cazi eorum principe, quem Hamum vocant, magno numero Moldaviæ ac Tranſilvaniæ infeſta arma illaturi, ſuis ſedibus emigraverant, poſtquam Boryſthenem tranſiiſſent, à Moſchis ferro & igne, regionem eorum omnem vaſtantibus, revocatos, ad tuendam patriam reverſos fuiſſe, neque eo anno ob imminentem hiemem eorum excurſiones eſſe formidandas. *Tartari profligati à Moſchis.*

Sigiſmundus exercitũ comparat. Poſt tridui quietem quum ad Nigrum collem ſextis caſtris perventum eſſet, ac Calendæ Septembres illuxiſſent, equites Germanos à Cæſare miſſos, qui tunc erant in itinere, expectandos duxit, & Siculi eò quò juſſi erant, armati & frequentes convenerant, quos unà cum Stephano Boſcaiu, & Gaſpare Cornisſio, patentibus in campis aſpexit & perluſtravit; repertuſque eſt eorum numerus ad XIV. millium, DCC. & LV. armatorum. *Siculorũ copia.* Tantâ promptitudine eorum visâ atque collaudatâ, edictum per tota caſtra conceptis verbis, de ſcripto publicari juſſit, quo veteres libertates Siculis reddebantur. At ii lætitiâ ingenti perfuſi, mox certos nuntios remiſerunt, cum ſeriis mandatis, ut qui ſuis in ſedibus remanſerant, impuberibus tantùm & ætate confectis domi relictis, omnes ſub capitis pœna in caſtra properarent. Quo cognito magnus eorum numerus dulcedine libertatis illectus certatim in caſtra venit, ita ut intra paucos dies omnium ſumma ad XXIV. millia hominum accederet: quorum IX. millia & CC. ſcloperarii, cæteri haſtati & ſagittarii erant. E Varadino equites præſidiarii DCCC. omnes haſtati; ac MCC. ſcloperarii pedites adfuerunt. E Pruſſia Poloniæ provincia, Joannem Viberium, Erneſti filium, cum trecentis Cuſacis, qui omnes

1595. *Coſacci,* nes duplici ſclopeto, uno oblongo, altero breviore muniti erant, arcumque & pharetram ſagittis plenam ſinguli habebant, in caſtra venientem lætus excepit. *Germani equites,* Ibidem Germani quòque equites gravioris armaturæ, quos Cæſar ſubſidio mittebat, numero MDC. armis, equis, & vitis egregiè inſtructi, duce Alberto Raibicio Sileſio, variis bellis & certaminibus in Pannonia exercitato ſupervenerunt. Quorum adventu exhilaratus caſtra promovit Braſſonem, ſeu Coronem versùs: literaſque ad Stephanum Reſuanum Moldaviæ Vaivodam perſcripſit, ut in caſtra venire maturet. Qui itinere abſque mora ſuſcepto, quòd metu Tartarorum rectà progredi non poſſet, versùs Tranſilvaniæ & Siculorum fines divertere coactus, *Moldavica copia.* obviam hoſtilem Polonorum manum habuit, quæ & iter obſederat: cum qua dimicare compulſus, eam cæſis quamplurimis diſſipavit, itinereque continuato copias, in quibus MMCCC. pedites, ac DCCC. equites erant, ac XXII. tormenta currulia in caſtra, quæ jam ad Terchvaram erant poſita, adduxit. Ea eſt arx à Ludovico Ungariæ rege, inter anguſtias alpium olim ædificata, poſteaque à Joanne Huniade aucta, quam hoc tempore Branſſoviani ſeu Coronenſes obtinent. Supra has copias mille pedites ſclopetarii à colore veſtimentorum Nigri vocati, quos Civitas Cibinienſis continuè ſuis ſtipendiis alit, & cærulei æquè mille à Coronenſibus, & mille virides à Megieſanis, tubique totidem à Biſtricenſibus miſſi caſtra auxerunt. Equites prætoriani bis mille, & pedites totidem principis latera ac tentoria ſtipabant.

Cùm eſſet in caſtris ad Terchvaram, allatum eſt Joannem Samoiſcium Poloniæ Cancellarium exercitúſque ducem, audita Stephani Reſuani e Moldavia profectione inſcio rege ſuo, è Podolia in provinciam cum copiis irrupiſſe, eique facilè occupatæ, Hieremiam Mogilam Moldavum, clientem ſuum obſcuri quidem nominis, ſed ſibi gratum hominem præfeciſſe. Quo nuntio perculſus collatis conſiliis, eam injuriam in præſens concoquendam duxit, quod Sinano ingentibus viribus ſibi imminente, & Siculis ob nondum redditum eis libertatis diploma tumultuantibus, nulla eſſet occaſio vindicandi; confecto tamen, quod ſuſceptum erat, bello, ejus tam importunæ injuriæ memoriam nequaquam depoſiturum pollicitus, Siculis diploma in membrana deſcriptum reddi juſſit, eoſque in Walachiam præmiſit; ipſeque paucis pòſt diebus, difficillimo *Sigiſmundus copias ſuas recenſet.* & cænoſiſſimo itinere, ſuperatis magno labore alpibus, ad villam Rucariam, ſub earum radicibus ſitam pervenit: ibique copias denuo recenſuit, quæ in univerſum in novem agmina diviſæ, XX. millia equitum haſtatorum, ac XXXII. peditum conſtituebant. Tormenta currulia LIII. ac magnus carrorum numerus, quibus pulvis ſulphureus, & res bello neceſſariæ vehebantur, ac impedimenta exercitûs longo ordine procedebant: quæ omnia ob ſummas itineris anguſtias, nonniſi ſingulatim funibus, & ergatarum labore ex alpium ſummitate ad imam vallem tranſportari poterant. Adhæc Michaël & Quiralius cum octo millibus ſelectiſſimorum militum, illum adventantem ſummo eum deſiderio opperiebantur. *Aquila propè Præcipis* Caſtra ad Rucariam habenti principi, aquila ex Alpibus præcipiti volatu delapſa, propè prætorianum ejus tentorium, quod tunc tendebatur, conſedit; 1595. *tentoriū conſidens* quam præ magnitudine humo ſe attollere nequeuntem, milites captam, boni ominis ergo, ut interpretabantur, ad eum deduxêre. Ab hac Rucaria promotis caſtris & flumine Dombovicia, qui è jugis alpium ſummâ rapiditate provolutus, recepto Jalovincia amne, in Danubium procurrit, vado ſuperato ventum eſt, ad eum locum, in quo Michaël ſua caſtra metatus erat. Ibi ex ejus ſententia, decem dierum quies militibus conceſſa eſt, donec impedimenta dimitterentur; interea tamen pabulatione, & velitationibus in hoſticum nequaquam ceſſantibus, in quibus noſtri ſæpè victores, magnum adversùs hoſtes animum, magnam audaciam concepiſſe videbantur.

Mons erat caſtris haud procul, ſubterlabente Dombovicia fluvio, in longum exporrectus, quo conſcenſo ferunt Sinanum caſtra noſtrorum eminus ſpeculatum fuiſſe, eaque diſſimulato metu, quem, uti exitus docuit, haud parvum animo conceperat, verbis elevaſſe. Interim vallo, quo arcem Tergoviſtæ circumdare inceperat, ad finem perducto, ſuis in concionem vocatis, perſuadet ſe unà cum copiis, donec Tranſilvani propiùs acceſſiſſent, Bucoreſtum ſubducturum, fugamque in præſens & metum ſimulaturum, & mox ſi tantum audaciæ ſibi ſumerent, ut Tergoviſtam obſidione tentandam exiſtimarent, inſtructâ acie in illos improviſo irrupturum; ita ut cæſis & diſſipatis eorum caſtris, nihil tandem obſtaculo futurum, quin eodem victoriæ curſu Tranſilvaniâ quòque potiatur. Finitâ concione, magnaque tormentorum ac apparatuum bellicorum, & commeatûs copiâ in arcem impoſitâ, quatuor millia Turcarum ejus cuſtodiæ præſidioque reliquit, & eam curæ Alis purpurati Trapezuntini commendavit, adjuncto ei Bali Epirota, Aulonis Macedoniæ urbis præfecto, & Mehemete Cadi ejuſdem loci prætore, qui eam tuerentur; ipſe cum exercitu de nocte Bucoreſtum contendit, ſucceſſo priùs oppido, ac templis ad XX. quæ in eo erant, concrematis. *Sinanus Bucoreſtum cū exercitu ſe recipit.*

Sequenti die Tranſilvanus inſtructâ acie copias promovet, animo fortunam prælii cum Sinano & Turcis, Deo Optimo Maximo juvante, experiundi, totiſque viribus confligendi. Præcedebant in primo agmine Michaël & Quiralius cum vetere exercitu, quibus quatuor millia equitum, ac Stephani Chaquii turmæ adjunctæ erant. Hos Siculorum legiones ſequebantur, inter quarum & Germanici equitatus ordines ponè ſubſequentes, tormenta currulia LXXV. cum ſuo apparatu vehebantur. A dextro primi hujus agminis latere duæ validiores turmæ equitum progrediebantur, quarum utrique quina millia equitum inerant. Lævum latus idem numerus quinum millium equitum binis agminibus, atque eodem ordine claudebat: quos omnes Sigiſmundus cum reliqua exercitûs Tranſilvanici parte, quæ ad duodecim millia equitum conſtituebat, proximo intervallo ſequebatur; iiſque omnibus poſt Sigiſmundum legatus imperabat Stephanus Boſcaius, non tam virtute, aut rebus fortiter geſtis eam dignitatem conſequutus, quàm quòd Sigiſmundo avunculus arctâ conſanguinitate jungeretur. Servato in progreſſu hoc ordine, III. Nonas Octobris ad eum locum, ubi Sinani caſtra erant, nemine præterquam quinque aut ſex Turcis, qui egreſſi anteà caſtris palantes revertebantur,

1595. repertis, iiſque illico jugulatis, ſub meridei tempus ventum eſt; veritique inſidias ſubeſſe duces, eam noctem in armis vigilando, & caſtra obeundo tranſegerunt. Poſteà cùm certiùs conſtitiſſet, illum eo quo diximus modo Bucoreſtum citatis paſſibus diſceſſiſſe, Sigiſmundus convocatis ducibus, quidnam facto opus eſſet, an Sinanum haud obſcurè fugâ ſibi conſulentem inſequi; aut dato ei fugiendi ſpatio, arcem obſidere præſtaret, quæſivit.

Poſt haud longam conſilii moram, Michaëli & Quirabo conſentibus, ne illi inſiſtendum putaret (quamquam fugienti hoſti juxta vetus acutè dictum pons foret ſternendus) id enim periculoſum foret, quandoquidem ab iis, qui Tergoviſtæ in præſidio relicti eſſent Turcis, ſi à tergo relinquerentur, intercludi commeatus poſſet, faciè obtemperavit, arcémque potiùs obſidere ſtatuit: eadémque nocte aggeres more militiæ fieri, & corbes tormentaque collocari juſſit, & arcem tribus in locis acertimè verberari. Reſvanus cum ſuis Moldavis, ac Siculorum legionibus, à parte orientali, quâ ad Bucoreſtum itur, cum X. tormentis collocavit: is nuper Arronem apud Sigiſmundum, multis proditionis & mutuæ fidei calumniis oneratum detulerat, ideoque illi dignitate moto ſucceſſerat. Michael & Sigiſmundus cum Quirabo, à montium & Jalouniciæ fluminis latere propè templum, quod ſagittæ jactu ab arce diſtat, locum ſibi delegère, ac XX. tormentis vallum à Sinano noviter extructum, nunquam intermiſſis ictibus diruendum ſuſcepêre. Ex adverſo Turcæ, ſupremo virtutis conatu edito, tormentis ſuis oppugnantes crebrò petere, ſubeuntes & ignem ab imo inferentes, ſclopetis arcere, ſcalas mænibus apponere conatos deturbare, nec quicquam ad ſe & mænia defendenda prætermittere. Simili modo noſtri extrinſecus tormenta & pilas, ad diverberanda valli latera, continuò diſplodere; adeò ut fumo ſulphurei pulveris, qui tam ab obſeſſis, quàm oppugnantibus, frequentiſſimis editis fragoribus excitabatur, aër ipſe obſcurior reddi, & mutuum utrinque aſpectum eripere videretur. Sub ejus quadam caligine Siculi ligna arida ac piceam materiam, ac tædas & ſimilia ignibus concitandis idonea comportare, lignciſque munitionibus injicere, arcémque ſummis viribus oppugnare cœperunt. Sed quia opus è recenti & viridi materia, ideoque humoris plena conſtabat, & argilla necdum ſiccata, obductum repente ignem concipere non poterat, & tormentis interim continuè tonantibus ruinoſæ arcis fragmina in ſubeuntium capita concidentia, oppugnationem difficilem imprimis, & ancipitem reddebant; & hoſtes quòque rem fortiter gerendo, oppugnantes procul ſubmovebant.

Sigiſmundus Tergoviſtam obſidet.

Alterâ die Sigiſmundus, cæterique duces aderant, qui Siculos, ut recens recuperatæ libertatis memores eſſent, neve rerum difficultatibus ac laboribus permoverentur, ſed ſe mactos virtute viros, libertatéque haud indignos præſtarent, hortabantur. At illi mutuò ſeſe cohortari, majorem aridæ materiæ copiam ad incendenda valli robora certatim comportare cœperunt. Nec mora, quamquam fieri non poſſet, quin ab hoſtibus complures ex eorum numero proſtrati occumberent, tamen indefeſſo tandem eorum labore effecère, ut vallum conceptâ flammâ ſuccenderetur. Qua viſa, Siculi Salvatoris Jeſu, ac Divæ Virginis Matris tutelaria nomina ingeminantes, magnam vocem ſuſtulerunt; ac pars mænia ſcalis conſcendere, pars aliis munitionis lateribus ignem inferre cœpêre. Hoſtes ingentis uſque adeò creſcentis flammæ periculis territi, quum utrum igni extinguendo, an repellendis hoſtibus incumberent, ancipites eſſent; tandem conſilii inopes, per portulam quandam, quæ noſtris erat incognita, agminatim erupêre. Sed re ab equitibus, qui more militiæ, ad incerta belli parati, in equis exitum oppugnationis præſtolabantur, intercepti ac majori ex parte trucidati fuêre. Alis purpuratus Trapezuntinus ac Balis & Memeres, ſive quòd ſ acce excedere noluerint, quam tuendam ſuſceperant, ſeu quid aliud animo volventes, capti, vivi in poteſtatem devenerunt: prædaque ingens parta, cujus major pars Siculis, qui primi mænia ſupeccaverant, obtigit: eaque omnia militi conceſſa præter duo tormenta inuſitatæ magnitudinis, quæ pilas LVI. pondo ferreas evomebant, ac colubrinas mediocres XLIV. In tanta autem re conficienda, ex noſtris LX. milites gregarii cecidêre; ſauciati tamen complures. 1595.

Eaque Siculorũ virtute expugnatur.

Captæ Tergoviſtæ fama cùm ad Sinanum perlata eſſet, tantum ei mox timorem incuſſit, ut quamquam Bucoreſti templum majus, quod ab Alexandro tertio provinciæ ante Michaëlem principe, magnis ſumptibus erat extructum, aggere & craſſioribus roboribus, firmiore ferè, quàm Tergoviſtæ fecerat, opere munitum reddidiſſet; tamen neque illius ſe munitioni credere, aut in ea victorem, infeſtúmque hoſtem expectare auderet. Itaque conjecto in templi fundamento multo pulvere ſulphureo, eoque paleâ contecto, ut quum noſtri locum occupaſſent, illo tum demum ab ardente ſenſim ignito funiculo ſuccenſo, templo in arcem magnâ vi ſublato, ab ejus ruinis & fragminibus, miſerabiliter dilacerati interirent: conclamatis vaſis, & impedimentis Bucoreſtum incendit, & quantâ potuit adhibitâ celeritate turpiſſimè fugiens Girgionem ire maturavit. Sigiſmundus relicto ad lævam Bucoreſto, ideoque vitatis, quæ ad templi imos parietes locatæ erant, inſidiis, fugientes inſequi ſtatuit, firmo eo ſibi propoſito conſilio, ut ubicunque eos aſſequutus fuiſſet, manus confereret, & fortunam belli cum eis periclitaretur. In itinere cùm eſſet, à transfugis, qui erant natione Ungari occurrerant, Sinanum metu adventantium copiarum tam intentâ fugâ ſe proripuiſſe cognovit, ut multa tormenta, quæ rotibus vel rotis lunaris avehi non potuiſſent, aliaque impedimenta in itinere reliquiſſet; uſque adeo gliſcente totius exercitûs formidine, ut ubi ad loca anguſtiora, aut pontes paludibus & lacunis impoſitos perventum eſſet, in præoccupando tranſitu mutuis ſeſe vulneribus conficere haud dubitarent.

Sinanus Bucoreſtiano templo incenſo turpiter fugit.

Tametſi autem transfugæ haud incomperta attuliſſe viderentur; tamen illicò Nicolaum Senicium, ac Georgium Farcaſſium equitum præfectos, qui locum caſtrorum hoſtilium ſpecularentur, cum centuria equitum miſit. Qui ſub veſperum reverſi, eadem, quæ ab transfugis cognita erant, certiùs confirmarunt. Itaque promovendum gradum, & fugienti hoſti metum & terrorem augendum eſſe cenſuêre. Sed quia Sinanus, quacunque iverat, pagos & oppida depopulatus injecto igne concremaverat;

Sigiſmundus fugientẽ inſequitur.

verat;

1595. verat ; & cuncta obvia adeò vaſtaverat, ut eodem itinere exercitus duci ob rerum penuriam nequiret ; propterea relicto ad ſiniſtram Bucoreſtu aliam, quæ adhuc intacta ab hoſte erat, viam, quâ duceret, elegit. Quum duobus autem milliaribus à Girgione abeſſent, qui exercitum præcedebant, in Turcas palantes & diſperſos inciderunt, ac captos quoſdam ex iis ad Sigiſmundum perduxêre : à quibus Sinanum, cognito ab indigenis Tranſilvanorum adventu, uno antè die cum potiori parte copiarum Iſtrum trajeciſſe intellectum eſt ; adhuc tamen ſupereſſe in citeriora ripa magnam carrorum & impedimentorum multitudinem, cum ingenti captivorum numero, ac maxima omnis generis præda ; ad quorum cuſtodiam octo circiter millia Turcarum relicta eſſe, qui nondum tranſiiſſet, quòd pontem graviori carrorum & tormentorum pondere fortè fatiſcentem priùs experiri non eſſet auſus, quàm equeſtres & pedaſtres copiæ priùs tranſjeciſſent. Igitur Sigiſmundus conſilio ſuorum uſus, XXVIII. die Octobris Girgionem propiùs caſtra promovit, nec multò poſt meridiem peditatum ferè omnem & Siculorum cohortes centuriis tantùm aliquot prætorianorum, quos ad corporis cuſtodiam retinendos duxit, exceptis, in hoſtes prælio laceſſendos, & tranſitu prohibendos irrumpere juſſit. Qui protinus in conſpectum hoſtium delati quamplurimos Turcas, magnos animalium greges, ac majoris minoriſque pecoris armenta bello capta, ac maximum captivorum numerum præ ſe agentes offenderunt ; eoſque confeſtim adorti in fugam conjecêre, partim cepêre ; cæteros uſque ad Girgionem, & qui ibi erat, pontem perpulêre.

Turcas in ponte tranſeũda occupatos Tranſilvani turbant, cadunt, ac mergunt.

Girgionis ſitus.

Girgionis ſitus arte & naturâ ſatis munitus eſt, jacet enim in peramœna inſula, quam Iſter paulò ſupra arcem in duos diviſus alveos, ac non multò pòſt in unum junctus curſum efficit, ponteſque habet utrinque duos, ad dimidii ſtadii ſpatium inter ſe diſtantes. Ea à Sigiſmundo Imperatore & Rege Ungariæ muris & aliis ædificiis inſtaurata fuit, quando Radulonem cognomine Praxnagluvam, Turcarum auxilio, & rebellantium ſubditorum auxilio fretum provinciâ ejeciſſet, ac Danum Nigrum ad ſe confugientem, ac clientelæ nomine opem poſtulantem, miſſo cum exercitu Joanne Marothio celeberrimo duce, dignitati priſtinæ reſtituiſſet. Jam Turcæ citeriorem pontem tranſierant, quando improviſo noſtrorum adventu perturbati, ſtudio & contentione altarius pontis tranſeundi tumultuari, denique creſcente periculo metúque, mutuis etiam vulneribus ſeſe confodere inceperunt : Sinane ex ulteriore ripa eos inſpectante, nec ullam tamen laborantibus opem adferente. Multi etiam ſive metu diſcriminis, ſive nandi peritiâ freti, ſeſe in flumen præcipitantes, ac evadere conati, quòd latiſſimi fluminis vortices ſuperare non poſſent, abſorpti perierunt. Cæteros, Michaëla imprimis voce, manu, exemploque ſuos ad pugnam cohortante, longè latéque cecidêre. Supervenit pugnantibus Sigiſmundus cum exercitu reliquo, & hoſtes objectu carrorum adhuc ſeſe defendentes, ſed labore prælii ac vulneribus debilitatos, miſſis ſclopetariorum promptiſſimis, facilè diſjecit, tanta editâ eorum ſtrage, ut citerior fluminis alveus viris, equis, camelis, cæterorumque cadaveribus oppletus, ac multo cruore immixtus ; vix curſum tenere poſſet. Periêre in ea pugna ad quinque millia 1595.
hoſtium, partim cæſa, partim profundis aquarum gurgitibus hauſta, nec minor jumentorum numerus captus eſt. Carrorum, qui variis belli apparatibus, ac non ſolùm privatis militum rebus, ſed etiam negotiatorum mercibus onerati erant, ſex millia in noſtrorum poteſtatem reducta, ſimul cum tormentis, quæ tranſvehi non potuerant. Sed jucundum præ aliis ſpectaculum fuit, ſupra quatuor aut quinque millia captivorum Chriſtiani nominis eu bello è Moldavia & Walachia in ſervitutem rapta, priſtinæ libertati & ſaluti vindicâſſe. In eo tumultu aliquot ſulphurei pulveris cadi, qui in arcem invehi debuerant, à noſtris prædandi cauſa inter currum ordines vagantibus fortè ſuccenſi, magno editu fragore, in fumum & aëra evanuerunt, nullo quod mirum fuit, læſo.

Periêre ibidem quinque hoſtium millia.

Ingens præda capta.

Multique Chriſtiani è ſervitute erepti.

Quæ res magno noſtris adjumento evenit ; ſequenti enim die aggeribus factis & tormentis, quæ Tergoviſtæ hoſti adempta erant, prulatis, arx diriu cæpta eſt ; in qua quum defenſores pulveris inopiâ laborarent, bidui quaſſatione latior in muro hiatus effectus eſt. Quo animadverſo ex ſingulis contuberniis bini pedites, ad occupanda mœnia irrumpere juſſi, primam oppugnationem irritam habuêre, quòd complures ex noſtrorum numero ab hoſtibus non ſolùm ſclopetis, quos ob defectum pulveris ſulphurei rarius, ſed certis ictibus diſplodebant, verùm etiam ſagittis aliiſque telis miſſilibus, & denique prægrandibus ſaxis vulnerati dejicerentur. Sed brevi pòſt repetito conatu, pulſiſque barbaris mœnia occupata ſunt, & omnes qui intus erant cæſi, adeo ut ex DCCC. unus tantùm evaderet, ac ſuperatu flumine, quamquam innumeris petitus glandibus, incolumis tamen ad caſtra Sinani natando perveniret. Duo tormenta prægrandia, ac colubrinæ mediocres XXXVIII. in arce inventæ noſtris ceſſerunt. In hunc modum Sinanus, cui domi & foris indomitus ſemper, & contemptor aliorum omnium animus & ſuperbia inerat, quique viribus ſuis tumidus aſpernari cæteros, omniaque libidini & ambitioni ejus ceſſura exiſtimabat, tota Walachia trans Iſtrum pulſus, temeritatis atque imprudentiæ ſuæ meritas pœnas dedit, ſcilicet ut Girgio, tanti nominis locus, qui ab aliquot ſeculis Turcico imperio paruerat, à tyrone duce & tumultuariis copiis, ipſo inſpectante expugnaretur ; ipſeque amiſſa parte exercitûs, impedimentiſque ferè omnibus exutus, raris diſcinctiſque agminibus, itinere fugæ haud diſſimili Byzantium profugiſſe videretur. Ubi etiam non toto vertente anno, ſeu morbis & ſenio confectus, (octogeſimum enim ætatis annum exegiſſe ferebatur) ſive dolore rei malè infeliciterque geſtæ ; ſeu uti fama fuit, ignominiæ impatienna, ſumpto veneno migravit è vivis : quum hujus in Walachia acceptæ cladis dedecus & infamiam, multo tàm publicè quàm privatim diſtributo auro, ac per difficilimos labores, expugnatis largitione & reconciliatis æmulis redemiſſe diceretur.

Girgionis arx expugnata.

Sinanus profugus paulò pòſt Byzantii extinguitur.

Cæterùm Sigiſmundus captæ arci præſidium militare in præſens imponere minimè opus eſſe cenſuit ; ſed tectis igne injecto, ac ponte reſciſſo, ejuſque navibus ac tabularia concrematis, re feliciter geſta exercitum victorem & prædâ ingenti onuſtum reducere conſtituit, quem uſque ad Gergiciam Walachiæ

1595. Sigiſmundus rebus præclarè geſtis domum repetit. Valachia cura Michaeli commendata.

oppidum ſub alpibus poſitum comitatus, relicto cum imperio in caſtris Boſcaio, ipſe Braſſonem profectus præceſſit, ejus iſthic adventum expectaturus. Priuſquam ſe viæ daret, Calendis Novembris Michaeli ſuopte ingenio ad id proclivi, defendendæ Walachiæ curam commendavit; & gravi ſermone eum, ut fidei & fœderis nuper icti memoriam retineret, ac Chriſtiani nominis decus, adverſus barbaros invicto animo tueretur, admonuit. Ubi exercitus ſuperans alpium jugis in Tranſſilvaniam pervenit, Stephanum quoque Reſuanum, quem amoto Arone Moldaviæ præfecerat, iſque illinc in caſtra profectus provinciam à Polonis, ut diximus, occupatam abſens amiſerat, ab ſe dimittere decrevit: ac datis ei in ſubſidium duobus millibus Siculorum qui eum in provinciam comitarentur, ipſe Albam Juliam reverſus eſt.

Reſuanus Moldavus à Samoiſcio vincitur.

At Reſuanus tametſi eum, ne quid temere aggredi, neve prælii fortunam cum Polonis experiri maturaret, ſi eos numero & armis ſuperiores eſſe animadvertiſſet, tam ipſemet, quàm per nuntios admonuiſſet, ſeque majora ſubſidia, ſi res & neceſſitas poſtularet, mature ſè ſubmiſſurum fuiſſet pollicitus; quum tamen ſuperatis Aroſſiis alpibus, quæ Siculorum ſepes à Moldaviæ finibus ſeparant, in provinciam veniſſet, Joannem Samoiſcium Regis Poloniæ Cancellarium, ac Hieremiam Mogillam, ab ipſo conſtiturum principem, ac Polonos, magno collecto exercitu, in limine eſſe, ut eum aditu provinciæ armis prohibeant, cumque eo acie confligant, certis nuntiis accepit. Quibus quum ſe viribus imparem videret, à Sigiſmundo majores in ſupplementum copias, & equitum imprimis majorem numerum poſtulavit. Sed antequam ii in Moldaviæ fines pervenire potuiſſent, Poloni præoccupato eorum adventu, caſtra Reſuani adoriri, ac ſummis viribus cum eo congredi maturarunt. Nec Reſuanus, tametſi numero & copiarum robore longè inferior, incumbentibus Polonis prælium detrectare aut vitare potuit. Conſertis igitur manibus quum diu pugnatum eſſet, ad extremum à Moldavis, ſive ii loco à Polonis verâ vi pulſi fuerint, ſeu ſimulato metu, novi principis ac Samoiſcii gratiam oportuna ea fraude aucuparentur, fugæ initium factum fuit: quorum fugâ territi auxiliares Siculi, veluti deſerti à ſociis, & hoſtibus inferiores, mox terga verterunt. Reſuanus cum paucis ſuorum relictus, fortiter quantum potuit, & diu certamen protraxit, ita ut duobus interfectis equis, tertium quoque ſummâ agilitate conſcenderet, multoſque obvios trucidaret. Sed tandem etiam à ſuis, & ab infeſta fortuna deſertus, à Polonis non ſine vulnere captus fuit; cæteri palantes & diſperſi, pars ad alpes delati, pars eò, quò fors tulit, per montes & ſilvas dilapſi ſunt.

Fortiterque pugnans capitur, Crudelique ſupplicio necatur.

Potitus victoriâ Samoiſcius Reſuanum extremo ſupplicio affici juſſit; ita ut naſo & labiis mutilatus deformatus, ſingulari crudelitate adacto per inguina præacuto ſtipite in altum ſublatus, ac exercitui & incolis provinciæ miſerabili ſpectaculo expoſitus, è medio tolleretur; Hieremiam verò cum pactione tributi quotannis Turcarum principi pendendi in provincia reliquit.

1595. Et Moldavia provincia præſectus. Cæſar & Pontifex hac Moldavica cæde graviter offenſi fuêre.

Fuit hæc Moldavi cædes non ſolùm Cæſari, veluti Ungariæ Regi, ad quam Moldavia à multis ſæculis, & ante captam à Turcis Conſtantinopolim, jure clientelæ attributa, poſſeſſaque erat, & quam ab ea avelli nolebat, imprimis gravis & moleſta: ſed etiam Clementis Pontificis animum non parum pupugerat, qui res Pannonicas & Tranſſilvanas, eo Samoiſcii acerbiore atque importuniore facto perturbari indignè ferebat. Sed ipſe eam ſummæ opportunitatis provinciam Sarmatis vicinam & conterminam, ad jura Poloniæ potiùs pertinere arbitratus, præſtabilius reipublicæ Chriſtianæ fore ducebat, à Polonis occupari, quàm in ſervitutem & tyrannidem immanium barbarorum ſedigi, à quibus ejecto indigena principe, per purpuratos præfectos, ſummæ crudelitatis, & rapacitatis homines, cum aſſiduo vicinorum metu & periculo, expolianda vaſtetur, ac corruat, aut Tartaris æquè immanis ſævitiæ barbaris inhabitanda concedatur: tametſi ea litis controverſia inter Polonos & Ungaros, ut alibi retulimus, anteà quòque non tantùm verborum præjudicio & contentione, ſed etiam armis tentata, non tamen idoneo judice deciſa, in ancipiti pendere videatur.

Sigiſmundus eam armis vindicare ſtatuit. Sed à Pontifice inhibetur.

Tranſſilvanus novam, & intempeſtivam contumeliam, cum regno Ungariæ & Cæſare conjunctam, armis protinus ulciſci conſtituerat; nec Cæſar, ſibi pariter illatam injuriam reputans, illi deeſſe poterat, utpote quum res communis utrique ageretur; niſi à ſummo Pontifice, quem eximia pietate, illuſtrique ſtudio ſupra cæteros Chriſtiani orbis principes eminentem, miſſis idoneis hominibus conſuluerant, prohibiti fuiſſent; ne ſcilicet eæ controverſiæ incommodo tempore exortæ, ipſis inter ſe digladiantibus, cæptos feliciter bellorum adversùs Turcas progreſſus, aut injectâ morâ retardarent, aut in medio rerum gerendarum curſu, rem Chriſtianam invecto aliquo graviore periculo corrumperent, quod poſtea nullis remediis, aut conſiliis reparari poſſet. Is enim paternâ & promptâ oblatione, ſe earum rerum & totius contentionis æquum arbitrum & diſceptatorem futurum reſponderat, daturumque operam, ut ſuâ auctoritate & interventu diſſidentium jura in mutuam opimæ pacis concordiam redacta componerentur, ac rectiſſimi judicii ratione ad certum exitum pervenirent; literáſque haud diſſimili argumento ad Regem Poloniæ & Samoiſcium, à quo ille regebatur, dederat, quibus eos magno ſtudio & amore planè paterno, ad omittendas intempeſtivo tempore finium regundorum contentiones & diſcordias, ac amplectenda ſe arbitro & moderatore quietis conſilia hortabatur. Sed quum variis curis & laboribus impeditus eam curam & diſceptationem tamdiu differendo, & prolongando extraxiſſet, donec Turcico bello nondum confecto, poſt annum Sæcularem Romæ ſolenni ritu & pompâ ab eo celebratum, confectâ ætate ad ſuperos evocatus, vivere deſiiſſet, res quoque Moldaviecæ ſegniter procuratæ, eadem in ambigui ſtatûs conditione uſque ad hoc tempus permanſerunt.

DE

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XXX.

1596. AT Maximilianus accepto à fratre exercitu, quamquam multi ex ducibus hiemis tempeſtates, ac tempus anni nulli rei bellicæ aptum, jamjam ingruere cauſarentur, ipſe tamen navandæ operæ cupidiſſimus, præparato ad gerendum bellum animo, priusquam milites ad hiberna concederent, aliquid operæ pretii tentandum exiſtimabat, dabatque ſolerti ingenio operam, ut ſui fœtoris belli conſilia, quàm fieri poſſet maximè tegerentur, nec hoſtes quam in partem arma verterentur, ſcire poſſent. Itaque Tiffenbachium conſilii ſui atque animi certiorem reddit, Ferdinandum Gonzagam & Georgium Baſtam, qui Belgicis & Gallicis bellis magnam laudem erant conſequuti, à Cæſare evocatos ad ſe accerſit, illumque legatum in exercitu ſuum conſtituit; huic verò caſtrorum præfecturam confert, ac copias omnes Strigonium in caſtra convenire jubet. Nec diu cunctatus, caſtra Strigonio promota Agriam verſus ducit, & ut hoſtes ingenio ſemper excubante, paratoque iter ſuum obſervantes falleret, Hathuanienſi via procedit, mox eâ declinatâ ad Saſonem flumen in lævum divertit, ac deinde Tibiſcum trajicere, & Solnoco vim adhibere deliberavit. Quò quum tertiis à Saione caſtris perveniſſet, & hoſtes, quid in animo haberet, facili conjecturâ eſſent aſſequuti, eum nimirum Solnoco tormenta & exercitum admovere velle, ſeſe ad defenſionem impigre pararunt; ii tamen qui in caſtellis Sarvaſſo & S. Nicolai, quod à Bala amne nomen habet, præſidio impoſiti agitabant, quòd pauci numero eſſent, & locis ad reſiſtendum infirmis minùs fiderent, igne tectis injecto, partim Giulam, partim verò Solnocum ſeſe receperunt.

Maximilianus Archidux Solnocum irrita obſidione urget.

Solnocum ante 48. annos juſſu Ferdinandi à Nicolao Comite Salmenſi, ad Tibiſci & Sagivæ confluentem ædificatum, ac biennio poſt ignaviâ præſidii deſertum & à Turcis occupatum fuiſſe docuimus. Maximilianus ad penultimum Octobris diem, Solnoco propiùs tormenta admoveri, iiſque à ripa Sagivæ haud procul collocatis arcem verberari juſſit. Nec deerat ſpes loci potiundi, ſi diutius in eo oppugnando perſeverari potuiſſet; Aggeres enim terreni, quibus arx novo militiæ more extructa erat, tot annorum ſpatio minimè ſubſederant, ita ut non multis tormentorum ictibus dejici, factoque impetu oppugnari poſſe crederentur. Verùm quòd milites frigidiore autumno exagitati nequaquam in ſtationibus aut tabernaculis conſiſtere poſſent, & in ampliſſima planitie, & locis campeſtribus, ubi nulla arbor, nullæ ſilvæ, niſi procul erant, luculenti ignes propulſandis aëris injuriis excitari nequirent, & jam tam miſerorum agricolarum caſæ, quàm horrorum hoſtilium ſepimenta, & arbores fructiferæ ad caſtrenſes ignium uſus concrematæ defeciſſent, ſed neque frumentariæ convectiones & commeatus ſatis commodè expedirentur, obſidio eum habuit exitum, ut quamquam Maximilianus nihil earum rerum difficultate deterritus eam continuare mallet, tamen ducum ſuorum uſus conſilio, qui oppugnationem alacriter cæptam, ſed quæ durior & aſperior opinione evaſiſſet, ac militum vires & animos non mediocriter hebetaſſet, omittendam ſuadebant, obtemperavit, & exercitum incolumem quidem, ſed rebus infectis, & irrito labore fatigatum reduxit, ac in hiberna diſtribuit, iis additis mandatis, ut ad imminentis veris initium denuo in caſtra reverterentur; ipſe verò Viennam, ac deinde Neoſtadium conceſſit. Turcæ quoque temporis incommoditate coërciti, ſuis ſe in locis & ſtationibus continuerunt. 1596.

Erdodio Illyrici præfecturâ abeunti Epiſcopus Zagrabienſis, & Draſcovitius ſuccedunt.

Sub hujus brumæ atque anni principium, Cæſar aſſiduis precibus Erdodii, qui per aliquot retroactos annos Illyrici præfecturâ functus erat, permotus eum ſeſe officio abdicare volentem dimiſit, ac in ejus locum Gaſparem Stancovaccium Epiſcopum Zagrabienſem, ac Joannem Draſcovitium Criſii equitum præfectum conſtituit; ſic tamen, ut Epiſcopo paucos poſt dies gravi morbo è vivis ſublato, ſolus Draſcovitius abſque collega magiſtratu potiretur, eumque per complures annos, qui ſequuti ſunt, cum laude & omnium ſatisfactione adminiſtraret.

Tranſſilvaniæ princeps ad Cæſarem venit. A. 1596.

Venit etiam per eos brumales dies Pragam ad Cæſarem Sigiſmundus Tranſſilvaniæ princeps, facto per Caſſoviam, ac deinde Moraviæ fines itinere, ac paſſim ubique magnis honoribus exceptus eſt. Dum apud Cæſarem de iis rebus quarum cauſa iter inſtituerat, verba faceret, inter loquendum importunâ ac gravi febre concuti ac tremere cœpit; adeo ut abrupto ſermone, in hoſpitii cubiculum, quod ei juſſu Cæſaris in palatio erat adornatum, ſeſe recipere cogeretur: ubi paulò pòſt erumpentibus per ora vultumque liventibus puſtulis, qualibus puerilis infantium ætas tentari ſolet, per aliquot dies lecto affixus decubuit. Sed tamen miniſtrorum quos adduxerat operâ, cum Cæſare, de futuri belli adverſus Turcas gerendi apparatu ſubſidiiſque tractavit, cui ſuſtinendo à Cæſare militem, exercitum, tormenta, pecuniam ad ſtipendia jure fœderis obtinuit: deinde ope medicorum recuperatâ valetudine dimiſſus fuit, certa cum ſpe, torquem aurei velleris, ab Hiſpaniæ rege, cohoneſtandi amplificandique ejus ergo propediem allatum iri. Sunt qui dicunt illum eodem itinere duo difficillima & maximè ardua negotia Cæſari ſuppliciter inſinuaſſe, unum de permutanda Cæſarique reddenda Tranſſilvania, alterum de impetrato conjugis divortio, quamvis illa moribus lectiſſima, ac forma & pudicitia longè omnium maximè præſtare diceretur. Sed Cæſarem, quòd utrumque longiori egeret conſilio ac deliberatione, in aliud tempus rejeciſſe, ita ut eum ab incepto graviſſimis verbis dehortaretur; ſimulque ei promptum ſuum, ac omnium Chriſtianæ reipublicæ

publicæ

1596. publicæ principum patrocinium, in omni qualicunque fortunæ conditione ſummâ benevolentiæ ſignificatione offerret. Et tunc quidem ſpes illius hoc modo inchoatas, ſummoque tectas ſilentio ad alias occaſiones extrahendas exiſtimaſſe. Ipſe Pragâ diſcedens profectionem in Stiriam ad inviſendam ſocerum inſtituit. Verùm cùm paululum proceſſiſſet, ex literis Boſcaii, quem tuendæ provinciæ domi reliquerat, de Siculorum ſeditione & tumultu cognovit: qui quòd libertate, quam bello Tranſalpino feliciter geſto confectoque recuperaverant, rurſus ab illo per provinciales Ungaros & Saxones ſollicitato, privati in priſtinam ſervitutis conditionem relapſi eſſent, arma cepiſſe afferebantur. Quamobrem relicto in præſens Græcenſi itinere, per literas neglectum officium deprecatus, eum Maximiliano, quem Viennæ repererat, Poſonium ad Matthiam tunc comitia Ungarica habentem divertit, à quo obviam ad Danubium uſque prodeunte, honorificè exceptus ac in arcem deductus, medius inter duos principes cænavit, ac biduo pòſt, rectà in Tranſſilvaniam iter pertexit. In itinere autem cùm eſſet, Siculos tumultuantes à Boſcaio diſſipatos, atque cæſos intellexit; Is enim principiis obſtandum ratus, antequam omnes convenire in caſtra poſſent, coactis eopus & præſidio Varadienſi in ſubſidium accito, duce Georgio Ravaſdio apud Ciquium oppidum eos prælio fudit, captoſque ex eis complures partim variis & enormibus ſuppliciis affectos, partim auribus ac naſo mutilatos dimiſit, provinciamque omnem ante ipſius reditum pacavit.

Siculi tumultuantes coerciti.

Cliſſia à noſtris recuperata.

Appetente interim vere ineuntis anni, belli initium à noſtris in Dalmatia exortum eſt, recuperata per clandeſtinam fraudem Cliſſiâ, quam ſexageſimo ab hinc anno cæſo in fuga Petro Cruſitio, ab Amurate Varbolaniæ præfecto, dedentibus iis, qui intus erant, captam fuiſſe memoravimus. Erant complures viri fortes Dalmatæ, & in iis Bertucius eques Rhodius, qui jam inde à pluribus annis cupiditate ejus recuperandæ incenſi, occaſionem expectabant, quâ Turcas cuſtodes inopinantes & imparatos invaderent, priuſquàm auxilia convenire poſſent: erantque ea conſilia quibuſdam Cæſarianæ aulæ proceribus, & ipſi Cæſari haud incognita, perſcribente ea Georgio Lencovitio, qui illis regionibus cum poteſtate præerat, quibus quidem perficiendæ rei opportunitas, conſilio quam ſecretiſſimo habito, in hunc modum oblata eſt. Ad diem Solis, quæ Paſcha præcedit, ac Palmarum nomine à Chriſtianis vocatur, nundinæ ad Dulonem quotannis haberi ſolent, ad quas magnus mercatorum numerus confluit; qui ut à prædonibus & militibus rapto vivere ſolitis, qui Uſcoci & Morolachi vocantur, ac Segniæ præſidiariis tutiores ſint, à Cliſſiæ præfecto, & qui ei ſubſunt, militibus, cuſtodiri ſolent. Itaque profecto illuc Ibraimo ejus præſidii duce, Cliſſia majori militum parte nudata, & à paucis cuſtodita relinquebatur. Igitur Bertucius conſtituto rei perficiendæ tempore, cum quibuſdam Cliſſianis ac Segnienſibus ipſe ad montem Marlianum, qui ſupra Salonarum portam, (cujus urbis veſtigia adhuc apparent) editiſſimus eſt, unde Bracciam, Buam, Soltam, aliaſque plures Dalmaticas maris Adriatici inſulas, ac Tragurium & Spalatum urbes, Cliſſiamque & montes circumcirca poſitos videre eſt, cum quinquaginta promptiſſimis ſociorum procedit, ac Turcas ſex vel ſeptem, qui ibi ſpeculandi cauſa agitabant, vino ad hunc finem eis largius propinato ſopitos obtruncant; moxque igne accenſo Segnianis, qui ad templum Divæ Virginis Mariæ in littore poſitum, numero quingenti naviculis eo appulſi excubabant, ex condicto ſignificant, rectáque eò feruntur, cæſorum Turcarum capita oſtendentes; neve quæpiam mora, ſæpe ſeris in rebus periculum adferre ſolita fieret, quam citiſſimè aggrediendam pro Chriſtiani nominis gloria, ac patriæ libertate rem deliberant. Nec mora, confertis ordinibus progreſſi, Chriſti Dei, Divæque Virginis matris nomina exili voce invocantes (nec enim tollere clamorem furtim agentibus expediebat) relicto ad lævam oppido, rectà ad arcis murum vetuſtate debilem feruntur, præeuntes eos ſequuti, qui locorum periti aditum, per quem occultus in arcem ingreſſus patebat, probe noviſſent: illud erat foramen jam pridem exeſis vetuſtate latericulis apertum, ſed cæno ac argilla utcunque obſeptum, facili tamen labore diſcutiendum, per quod purgamenta arcis egerebantur, à Turcis, qui intus erant, vel non animadverſum, vel in tam præcipiti ſaxo minus periculoſum exiſtimatum. Superatis primum nocturno difficilique labore præruptis cautium crepidinibus, duces Dalmatæ ante primum diluculum locum detexêre, ac bipennibus ſubmotâ celeriter argillâ priores arcem intravêre, ſubſequutis mox ſilentio Segnianis; cumque jam in area eſſent, ſublato ingenti clamore ſemiſopitos & novitate rei perterritos Turcas ad XXX. qui in exteriore area erant, ac arma ceperant, primo impetu obtruncavêre. Erat in ſuperiori arcis parte ſaxum ingens & præruptum, ac ſupra illud munimentum antiquitus extructum, quod non niſi per gradus ferro exciſos, ac poſtulam anguſtam adiri poterat. Quod quum Segniani impigrè celeriterque conſcendiſſent, Turcas ſe defendere conatos, facileque repulſos trucidavêre; paucis exceptis qui quum in turrim ſaxo ſuperimpoſitam in qua captivos ſervabant, ſeſe recepiſſent, paulò pòſt ſalutem, & abeundi facultatem pacti, ſeſe & arcem dediderunt. 1596.

Receptâ in hunc modum Cliſſiâ noſtri in genua provoluti, Deo primùm Optimo Maximo gratias egêre, deinde diſploſis tormentis & ſelopetis, lætitiam inde conceptam palam declaravêre. Quorum fragore & reboatu audito, Turcæ peditibus Martoloſiis immixti, duobus itineribus, quorum unum in valle montis Coſaeca, qui duorum milliarium ſpatio abeſt, alterum ſub radicibus arcis anguſtum, ſoloque pediti pervium habetur, agminatim ad ferenda ſociis auxilia accurrerunt. Quibus Segniani milites in planitie, quæ inter mare & alpes non nimium latè protenditur, relicta in arce dimidia ſuorum parte occurrêre, & ſtatim manus conſeruêre. Hoſtes cum ſerò ſe veniſſe viderent, perterriti, nec diu contracto certamine terga vertere, multiſque ſuorum amiſſis & vulneratis juga montium, de quibus tumultuariè deſcenderant, palantes repetiverunt. Sub hac pugnæ contentione, Turcæ, qui in oppido arci ſubjecto commorabantur, cum conjugibus & liberis, ac ſubſtantia, quantam improviſa illa & inſperata conſternatio auferri patiebatur, quo quemque ſors & fortuna tulit, profugerunt. Nec tamen fieri potuit, quin à Segnianis eorum veſtigia prementibus, multi &

Turcæ ex oppido Cliſſia profugiunt.

qui-

1596. quidem opulentiores è fuga retraherentur, nec captivitatem evitarent; adeo ut præter opimam prædam, & ſpolia ingentis pretii, trecentorum captivorum numerus Segniam deportatus, cum equis & rebus ſub haſta per auctionem divenderentur. Ibraimus ſtrepitu tormentorum audito, periculum ſubeſſe ſuſpicatus, tum verò ab iis, qui arce exceſſerant, re compertâ, ſe ad Hliunonem attonito ſimilis, & conſilii inops recepit: quum præter ingens rerum ſuarum & fortunarum diſpendium, ſupra quàm credibile ſit, ſubitâ eâ interceptione acceptum, tum verò ne incuriæ aut negligentiæ nomine accuſatus extremum vitæ diſcrimen ſubiret, vehementer formidare videretur. Lencovitius abſens per literas arci trecentorum peditum Germanici & Illyrici nominis præſidium imponi juſſit, ac eis Nicolaum quendam Tergeſtinum præfecit, juſſitque, ut daret operam, ne arx & militea commeatu deſtituerentur, neve, ſi opus foret & res ad obſidionis neceſſitates deveniret, ſiti & aquæ penuriâ laboraretur: quorum illud Dalmatæ vicini Chriſtiani nominis, & Regum Ungariæ ſtudioſiſſimi, quorum olim leni & moderato imperio regebantur, affatim ſe ſubminiſtraturos pollicebantur, jamque larida, & ſalitas carnes, & farinam, ac certum ovium numerum ſummâ promptitudine contulerant: huic verò incommodo avertendo modico labore provideri poterat, utribus è fonte, qui ante arcem largè ſcaturit, aquâ impletis, inque excisas è petra cellas, ad neceſſarios uſus collocatis.

Sed his omnibus tametſi rectè diligenterque proviſis, una infeſta rebus humanis fortunæ vis, fatali quadam invidia illuſit; neque diuturnam hanc recuperatæ Cliſſiæ felicitatem eſſe voluit: vix enim ſexaginta dierum ſpatio à noſtris retineri potuit, quum Turcæ ejus loci jacturam minimè ferendam rati, conſiliis cum Apardi Boſnæ præfecto collatis, ac coacto è Dalmatiæ, Boſnæque & Polegæ finibus juſto exercitu eum obſidione cingendum, ejiciendoſque ex eo Chriſtianos decreverunt: Nihil enim eis moleſtius, nihil pernicioſius accidere poſſe exiſtimabant, quàm ex ea arce, veluti tutiſſimo receptu Segnianos, ac alios prædæ & rapinis aſſuetos homines infeſta itinera terrâ marique reddituros, invitis oculis ſpectare. Huic accedebat, quòd cæteri Dalmatæ factioni Venetæ addicti, & Cæſarianorum progreſſibus haud dubio odio invidentea, eos ad reperendam amiſſæ per fraudem arcis poſſeſſionem omnibus conatibus aſſiduè incitarent, ſeque occultâ manu commeatum & res neceſſariaa, pulveremque ſulphureum ſuppeditaturoa pollicerentur: poſſeque facilè evenire affirmarent, ut interceptis rebus ad victum neceſſariis, ac interclusa fontis hauriendi commoditate, lento obſidionis genere, & ne ſtrictis quidem gladiis loco poni poſſent. Igitur ad Calendas Junias, adductis ſecum tormentis, factiſque idoneo loco caſtris, in quibus ad X. hominum millia erant, arcem tribus in partibus circumvallarunt: ac tametſi tormentis nihil efficere ſe poſſe ſatis ſcirent, terrendi tamen cauſa frequenter jaculari, pilaſque in arcem vel fruſtra frequentes intorquere non deſinebant: omnémque dabant operam, ne quiſpiam arce exire, aut in eam ingredi poſſet. Contrà obſeſſi noctu quidem ignibus ſupra interiorem rupem excitatis, interdiu verò tormentorum

Turcæ Cliſſiam obſidione iterum premunt & recipiunt.

ſtrepitu, aut fumo opem & auxilium implorabant. 1596.

Lencovitius è republica & Cæſaris commodo futurum arbitratus, ſi loco idoneo, & maximè ad reliquam Dalmatiæ oram recuperandam oportuno tempeſtivè ſuccurreret, poſt poſitâ omni morâ copias colligere cœpit, ac iis, qui Caroloſtadii, Segniæ, Otociani, Brinæ, ac Vinodoli, cæteriſque finitimis oppidis ſtipendia merebant, ut Segniam quamprimum convenirent, in mandatis dedit: interim ipſe biremes, & alias naves onerarias, quæ velis, remiſque aguntur, ſummâ diligentiâ conquiſivit, militeſque, qui nihil cunctari conveneſrant, iis impoſuit, litoriſque oram legendo vela dedit; quòd terreſtria itinera ab hoſtibus occupata, obſeſſaque tenerentur: cumque ad Rogoſnitiam villam perventum eſſet, ſuborto validiore Auſtro biduo ſubſiſtere coactus eſt: ubi cum jactis anchoris moratur, Cliſſiâ emiſſi homines affuerunt, maturatam opem petentes, quæ niſi primo quoque tempore afferretur, ſe ediâ & ſiti coactos deditionem facturos nuntiabant. Remittentibus ventis, ſubſequutaque malacia, noctem inſequentem, & diem totam circa littus, remigum labore actis navibus, progreſſi ſunt: poſtea quum dimidio miliari à Tragurio abeſſent, ſub veſperum deſcenſione in continentem factâ, reliquum iter uſque ad Cliſſiam pedibus conficere maturarunt: quo tempore complures ex Dalmatis & Traguriniſ etiam iis, qui Venetis parebant, ſeſe noſtris aggregarunt; ac ſub veſperum diei alterius, Sutturciam Archiepiſcopi Spalatenſis arcem, ac inde Cliſſiam pervenerunt. Gnarum erat Apardi & Turcis noſtros adventare; eo enim fortè die Ibraimus antea Cliſſiæ præfectus, ad Loucharicum caſtellum cum turma equeſtri vigilando, excubias agitaverat, idque animadverſum locus in caſtra nuntiaverat; qui eos parati ac inſtructi expectabant. Cum in conſpectum hoſtium ventum eſſet, Lencovitius ſuus, qui trium vel quatuor millium ſummam conſtituebant, paucis verbis cohortatus, ut nihil cunctandum, ſed invadendos hoſtes, nec quicquam de victoria dubitandum ducerent, rectà verſus caſtra hoſtium duxit; neque ii, ut numero & viribus ſuperiores, prælium detrectaverunt. Igitur eo conſerto, & noſtris acerrimo impetu irrumpentibus, nec diu extracta pugna, hoſtes terga vertunt, fugæ initio ab Thracibus & Martaloſiis, pedeſtris ordinis militibus orto. Quorum celeri conſternatione & fugâ Turcis adhuc pugnantibus animus concidit: Apardis & alii concitatis equis diffugiunt, noſtri pauciſſimis amiſſis, victores ac caſtris & tormentis hoſtium puncto temporis potiuntur; ac pauci equites, qui cum Lencovitio tergis hoſtium inſiſtebant, ſubſequuturum peditatum, nec hoſti territo & fugienti ſpatium recolligendis animis permiſſurum reputabant.

Lencovitius Cliſſianis laborantibus opem ferre contendens

Primò victor & mox, ab noſtros prædationi incumbantes, victus diſcedit.

Sed illi ac potiſſimùm Uſcoci, ſpreto ducum & tribunorum imperio, non ad perſequendos hoſtes, ſed ad occupanda caſtra, & diripiendas varii generis res ac tentoria, pro ſua quiſque libidine & arbitrio, verti fertique cœperunt, jamque partam magna ex parte victoriam, infelici eâ & intempeſtivâ interpellatione è manibus amiſerunt. Turcæ enim in editis montium cacuminibus in unum collecti, quum ſuis veſtigiis neminem inſiſtere, & noſtros victores in congerenda præda per caſtra ſparſim vagari

1596. vagari conſpexiſſent, cohortante Ibraimo, qui ſolus amiſſæ Cliſſiæ culpam ſuſtinebat, ideoque ejus repetendæ avidiſſimus erat, globo facto reverſi in noſtros improviſo impetu irruperunt, diſperſoſque & palantes, prædâque irretitos citiſſimè perturbarunt: nec mora, pluribus partim interfectis, partim captis, eadem qua amiſerant celeritate, pulſis noſtris & caſtra & tormenta recuperarunt. Lencovitius & ejus legatus Vitus Clecovitius, ut præſenti animo reſiſtendum hoſtibus, nec partum ſemel decus turpiſſimo flagitio & terrore corrumpendum ducerent, ac ut turpem fugam ſiſterent, voce, manu, ſtrictis denique gladiis hortari atque obteſtati non deſinebant. Et quanquam Segniani, Dalmatæque quantum fieri in ea perturbatione, & omnium rerum confuſione poterat, ad inſtaurandam pugnam conglobati redireque contenderent, incumbentibus tamen hoſtibus, qui identidem è montibus agminatim ſeſe demittebant, vincente pudorem & verecundiam formidine, omnia fruſtra erant; ſic ut cedentibus noſtris & ad effuſam fugam concitatis, Turcæ inſperatâ victoriâ, quam pene jam amiſiſſe videbantur, potiti ſint. Cecidêre in eo tumultu ex noſtris complures, inter quos Proſper Marchio Neapolitanus, verùm captivorum longè major fuit numerus. Nam Franciſcus Barbus, Fridericus Sauranus, Antonius Ginius, Jacobus Mungezonius, Felix Peczius, Bartholomæi Conſtantinopolitana legatione functi frater, cum duobus filiis Andreæ Paradiſii, ac Franciſco Jaconinio è Terſato ſeu Flumine oppido, ac multi alii claris natalibus, ac egregia virtute juvenes vivi in hoſtium poteſtatem devenêre. Lencovitius ipſe cum majori ſuorum parte, ac Clecovitius in arcem fugientes, ſaluti ſuæ conſulere; ac biduum iſthic morati, ne commeatus, qui vel priori præſidio parcè fuerat ſuffecturus, ab aliis magno ingreſſis numero abſumeretur, communi conſilio iſthinc recedendum, ac arci de commeatu & rebus neceſſariis mittendis denuo providendum decernunt. Itaque relictis in ea CCC. militibus Mauritio Alfiero duce, ac DC. aquæ utribus, XXXVI. equis, qui ſi dura neceſſitas urgeret, uſui eſſe poſſent, ac pane biſcocto, quibus per aliquot dies ſeſe ſuſtentarent, nocte egreſſi iter Segniam verſus ſuſcepêre.

Captivorum è noſtris numerus.

Nec tamen diſceſſus eorum hoſtes latere potuit, qui eo cognito totis viribus in confertos & lentius progredientes irrumpere nequaquam dubitarunt, quòd partâ victoriâ efferati, aliquot in locis anguſtioribus, per quæ erat tranſeundum, inſidias collocaſſent, & luna pernox claraque ad audendum incitare videretur. Nun defuêre, qui Dalmatas Venetis ſubjectos, qui in campis Policianis ſedes ac domicilia habent, noſtrorum diſceſſum, quove itinere progrederentur, hoſtibus indicaſſe retulerint, quod ut affirmare non auſim, ſic neque negaverim: quum ſæpenumero atrocia paſſi aliis crimen delegare ſoleant. Numerus eorum, qui cum Leucovitio exiêre, ad DC. milites conſtituit, cumque haud procul ab arce ſilenti agmine irent, Turcæ in utrumque latus progredientium ingenti ſublato clamore irruerunt, pugnaque magna utrinque viribus inita eſt. Verùm noſtris numero longe inferioribus prævaluere hoſtes, ac geminata partâ victoriâ noſtros in effuſam fugam vertere; ita ut cadentibus multis, & Joanne Dominivio Epiſcopo Segnienſi, cum aliquot Jacriſienſis, quos Glagolias vocant, item Andrea & Joanne Baſſanita fratribus unâ interfectis plures tamen vivi caperentur: inter quos Georgius Paradiſius Segniæ præfectus, Vaichardus Aurſpergus, Andreæ ex fratre nepos, Joannes Mardax, Gabriel Criſanitius, ac aliquot centuriones Segniani. Lencovitius accepto vulnere cum tribus fugæ ſociis, ac Michaele Radicio viarum perito, è mediis hoſtibus elapſus, poſt varios & multiplices errores Segniam pervenit. Clecovitio ætate ac laboribus confecto equus ſuffoditur, ac ipſe quum fugere non poſſet, ſub rupe quadam cava, velut antro, eam noctem ſe occultavit, ac haud procul caſtris Turcicis itinere facto alterâ nocte Sniriurciam, ac deinde Segniam veniens, Lencovitio ſe conjunxit: Magna etiam noſtrorum pars trepidi & conſilii inopes, in arcem unde exierant, refugere. In hunc modum variis caſibus alternante fortuna ſub Cliſſiæ mœnibus, ſatis improſpero eventu pugnatum eſt, ita ut utroque in certamine, tam in diripiendis caſtris, quàm in reditu nocturno, viri fortes ex noſtris ſupra trecentos deſiderati ſint: cæteri incolumes, ſed variis erroribus acti ad ſuas ſtationes redierunt. Nec Turcis incruenta ceſſit victoria; quandoquidem mille circiter eorum occubuiſſe feruntur; & Ibraimus ſclopero trajectus ex vulnere mortem obiit, plurimique ex præcipuis partim in acie cæſi, partim domi vitam finiverunt.

Noſtri cum Lencovitio e Cliſſia diſcedentes cæduntur.

Lencovitius è Segnia per idoneos nuntios confeſtim Cliſſianos bono animo eſſe juſſit, neve deſperati arcem hoſti traderent, admonuit, ſeque intra octiduum redintegratis viribus, adducto ſecum commeatu, & recentiori milite reverſurum pollicitus eſt; daturumque operam, ut vel invitis hoſtibus arci ſuppetias ferat: & frumentariis etiam anguſtiis quam celerrimè occurrat: jamque conveniſſe circiter mille milites ex Dalmatis voluntarios, qui iterum Cliſſiam repetere, & ſecum unà prælii fortunam cum hoſtibus experiri velint. Mauritius & obſeſſi ſe octiduum expectaturos reſponderunt; ſic tamen ut Lencovitium magnopere petitum vellent, ut promiſſi memor maturam intra hoc tempus opem ferre non differret, ne ipſi duræ neceſſitatis telo adacti ſpe celerius ſibi conſulere cogerentur. Verùm Turcæ miſſo in arcem Paradiſio, nocturna in pugna capto, omnibus, qui in arce erant, liberum abitum cum armis & ſarcinis, ſi arcem reddant, ultro offerebant: tum verò etiam eos omnes, qui utroque in certamine capti erant, ſeſe ſine pretio dimiſſuros jurejurando pollicebantur. Paradiſius multis verbis ſocios, qui in arce erant, cohortari, ut ſuæ & ſociorum ſaluti quam optimè conſultum vellent, ac conditiones à Turcis propoſitas haud cunctanter admitterent, ſatius & præſtabilius eſſe cedendo adverſæ fortunæ ſeſe ad meliora reſervare, quàm neglectâ propriâ ſalute arcem pertinacius tueri, quam mox inediâ & ſiti, rerumque neceſſariarum inopiâ coactis ad arbitrium crudeliſſimi hoſtis, nec poſtea cuiquam parſuri dedere oporteat. Quibus & aliis talibus verbis Paradiſius ultro citroque commeando perfecit, ut utrinque de conditionibus ſubſcribendis transigeretur, ac literæ mutuo conficerentur: quibus confectis captivi à Turcis dimittuntur; ipſe Paradiſius,

Paradiſius Cliſſianis, ut arcem Turcis reddant, perſuadet.

Auri-

1596. Aurſpergus, Criſanitius, & alii complures; Sed Jacominius, Peczius, ac Mardax, quòd eſſent decorâ formâ adoleſcentes, contra pacta occultati retentique fuerunt; jurantibus, quamquam falſo, Turcis, illos nocturna in acie cæſos occubuiſſe. Obſeſſis etiam militibus ferè quingentis fides ab hoſtibus ſervata eſt, & cum rebus omnibus dimiſſi domum redierunt. Atque hic fuit infauſtæ hujus Cliſſianæ expeditionis exitus; in qua profectò fortunæ potiùs inconſtantiam, quæ & dolis & virtuti noſtrorum malignè defuiſſe viſa eſt, inculare licet; quàm Dalmatarum qui facinus inceptaverant, fidem aut induſtriam deſiderare.

Sigiſmundus Herbeſtanius Coſtaniciam obſidet.

Paucos demum poſt dies Sigiſmundus Herbeſtanius, qui citeriores Illyrici partes & limites tuebatur, exercitu coacto ignominiam cladem que Cliſſiæ acceptam rependere hoſtibus conatus ad recuperandam Coſtaniciam vires animumque adjecit. Venêre ad eum mille è Stiria equites, quos Fridericus Schaffenburgius ductabat, & è Carinthia ac Carnis equeſtres pedeſtreſque copiæ, quas Deſelanas vocant, & Joannes Draſcovitius, cui nobilitas ea um regionum juſſu Cæſaris tanquam Bano, ut veteri vocabulo nnſtrare utimur, parere juſſa erat, cis ſeſe cum tribus circiter millibus utriuſque ordinis militibus conjunxit. Itum eſt primo Petriniam, ibique Lencovitius Caroloſtadianos ſuos, qui Cliſſiano bello ſuperfuerant, in caſtra miſit duce Chriſtophoro Obruciano equitum præfecto. Advenêre etiam nuntii Thracum cum literis à Radoſlano Archipresbytero, ac Rajaco Vaivoda, Voinio, & Stucon. Cneſius, Emanuele Jusbaſſa, Bogdano Harambaſſa, Novacaga, Dracola Odabaſſa, aliiſque omnibus, qui à Colapi ad Adriaticum litus uſque ſedes habent, communi nomine ſcriptis (eas autem, ut quam ſecretiſſimè haberentur, petebant) quibus ſi ipſis vacuæ arces, cum agris & fundis deſertis, quæ inter Colapim & Valdanum (ſic antiquitus flumini Hunæ nomen fuiſſe ferunt) circiter LXX. habentur, inhabitandæ concederentur, ſe arma adverſus Turcas ſumpturos pollicebantur.

Thracum in promiſſis levitas.

Sive tamen hoſtium metu, & quod rebus infectis reditum fuerit, ſive inſitâ ejus generis hominibus inconſtantiâ, ſive ob alias cauſas promiſſis minimè ſtetêre; tametſi duces nuntiis pecuniâ donatis, vota eorum rata fore reſpondiſſent. Primis caſtris è Petrinia promotis ad vallem Vinodoliam, qua Moſenicius rivus præterfluit, ventum eſt; ſecundis ad eam planiciem, quæ Plavicia nominatur, amniculo Veleſnone irriguam, indeque lentis agminibus ad diem octavum Iduum Julii cum impedimentis & carris, ac tormentis in Coſtaniciæ conſpectum ductus exercitus. Ejus arcis ſitum, & quaſi quantumque ſupinâ noſtrorum negligentia in hoſtium poteſtatem devenerit, ſupra expoſuimus. Turcæ pedites Thracibus permixti viſis noſtris, priuſquam tabernacula extenderentur, ac tormentis collocandis idoneus locus quæreretur, cymbis & naviculis tranſjecerunt flumen, ac ad Dedum montem, qui arci ſupereminet, delati; eos, qui primi ex noſtris procurrerant, ſclopetorum glandibus petere cæperunt: ſed mox aliis atque aliis auxilio ſupervenientibus, uno aut altero ex illis trucidato, cymbarum beneficio, ſuperato flumine in arcem redierunt. Paulò poſt meridiem tormenta promota, & duobus in locis collocata ſunt, tria quidem in edito Dedi montis ſupercilio, unde arx commodè peti poterat; duo autem in ejus radicibus circa Hunam fluvium, qui arcem in inſula ſitam circumfluit; quibus arx bipartito verberari cæpta eſt. 1596.

Apardis Boſnæ præfectus, qui Banialucæ fragorem tormentorum facilè exaudire poterat, miſſis equitibus obſeſſos, ut arcem fortiter ſervarent, admonuit, ſeque die ſequenti ſubſidio venturum promiſit. Nec dictis fides defuit; eodem enim tempore, quo venturus expectabatur, ipſe equo inſidens cum ducentis peditibus ſclopetariis, penes ulteriorem fluminis ripam verſus arcem per notos tramites ire perrexit; noſtris qui editioribus locis per montes paſſim tentoria ſua tetenderant, eum eminus conſpicientibus, ita ut eorum numerus facilè iniri poſſet. Sed tamen quum aliquot Turcæ noſtris aquationi intentis inſidiantes, ad flumen capti eſſent, impudenti ore illum octingentos ſecum Janiceros adduxiſſe falsò referebant; adeo illi ſuorum numerum pejerando atque mentiendo ſupra veri fidem augere conſueverunt: neque plures eo tempore auxiliares mitti poterant; eò quòd ex Boſnæ præſidiis magnæ militum manus in Pannoniam defendendæ Budæ cauſa tranſlatæ eſſe dicerentur. Cùm in hunc modum bidui ſpatio arx tormentis petita verberaretur; ſed quod interfluente Huna irritus omnis eſſet labor, Herbeſtanius habito cum ſuis conſilio, navibus, quas in hunc uſum ſecum plauſtris attulerat, & tabulatis, flumen ponte inſternere conſtituit; Sed indigenis vialiumque peritis poſſe vado trajici referentibus, paruit; moxque tubis & tympanis exercitui ſignum trajiciendi dedit: primique Joannes Voicovitius, & Chriſtophorus Mernaucius equitum præfecti cum ſuis turmis in ulteriorem ripam evaſerunt. Eorum exemplo cæteri equites eodem vado certatim tranſire cæperunt, & qui robuſtiores habebant equos, ſingulos pedites ſclopetarios eorum clunibus impoſitos tranſvexêre, ita ut totus ferè ex tertius ſummâ celeritate, diverſis quâ quiſque potuit repertis vadis, fluvium ſuperaret, & peditatûs major pars, ſclopetos & ſulphurei pulveris lagenulas, ne madefactæ ulli uſui eſſent, ſupra capita tolleret, & extantibus è flumine pectoribus pone ſequeretur.

Exercitus noſter Hunam flumen trajicit.

Apardis conſpectu noſtrorum tranſitu haud dubio perculſus metu, relicto in arce ordinario præſidio, cum iis quos pridie adduxerat peditibus, ac Thracum manu, quæ è Dubicia, ac monte Cozario tumultuariè confluxerat, obviam noſtris venit; ita ut equites haud plures ducentis præcederent, & iis quatuor vexilla equeſtria præferrentur; pediteſque rari & ſparſim laxiori ſpatio in ordines redacti, quo major eorum numerus appareret, ſequerentur.

Apardis Boſnenſis à noſtris fugatur.

Sed vix primum noſtrorum impetum ſuſtinuêre, quin ſtatim terga verterent: & equites abjectis ſignis in præruptos montes, & præcipitia rupium, vix feris aut capreis pervia fugam dirent; pedites verò urgentibus terga noſtris, ignari quam capeſſerent viam, pari terrore, ſed duplici viarum divortio fœdè profligerent: pars enim eo arduo & difficili aſcenſu, quà equites iverant, vitato, in proximas ſilvas multa ſilice proceraque & fruticibus denſiſſimas ſeſe proripuit; pars notis tramitibus verſùs arcem, ac quò paſſim unicuique

1596.

licuit, palantes & diſperſi, ſaluti conſuluêre; ſicque facilè evenit, ut etiam noſtri in tot agmina diviſi fugientibus inſiſterent. In eo fugæ tumultu, multi ex hoſtium numero, ſed etiam aliquot ex noſtris equites cecidere, ab hoſtium peditibus, inter frondes & proceriores ſtirpes latentibus circumventi; inter quos Joannes Clobucircius, & Ladiſlaus Bucovaccius, junior fuêre. Caſpar etiam Cryſanitius, Gabrielis nuper Cliſſiæ capti, & mox ex pacto dimiſſi frater, egregiæ virtutis peditum centurio, quum ad fontem viæ militari impoſitum, ut ſitim levaret, divertiſſet, à Thracibus maritalocis, ibi inſidiantibus glande trajectus, non ſinè commilitonum dolore occubuit.

Oppidum direptum & concrematū à noſtris.

Reditum deinde eſt ſub noctem ad ulteriorem fluminis ripam, ubi oppidum ſitum eſt, quod ſinè mora direptum eſt; ſed pauca ſpeque minor præda reperta fuit; quòd hoſtes rebus ſuis tempeſtive aſportandis proſpexiſſent, moxque igne ſubjecto concrematum. Diluculo facto, noſtri pontem extruere ceperunt; eodémque die maturato labore, ad ulteriorem ripam perduxerunt; eo animo ut arx tormentis tranſvectis, ac propius admotis expugnaretur. Nec cæptis optatus exitus defuiſſet, ſi duces ſtabili propoſito conſtantiæ decus retinendum duxiſſent; tranſvectiſque copiis tormenta mænibus admoviſſent. Verùm quum Herbeſtainius incertis & dubiæ fidei auctoribus Achomatem Eunuchum, cognomento Aphiſem, cum ingentibus copiis Coſtaniciæ opem laturum advenrare, jamque ad Suinarium Savi fluminis tranſitum perveniſſe didiciſſet, (quamquam is necdum Belgradum attigerat) reductis copiis, & reſciſſo plauſtriſque impoſito ponte, infectis rebus eodem quo venerat itinere, reverſus eſt. Primis in redeundo caſtris cometa ingens apparuit, magnu radiorum fulgore, crinibúſque oblongis, & latè lucentibus in Orientem converſis.

Herbeſtainius metu Achomatis, caſtra obſidione ſoluta reducit.

Cometa.

Per eos quòque dies Solimanus Temeſienſis purpuratus, cognomento Superciliosus, cum Ennchano Belgradienſi præfecto, coactis tumultuariè copiis, Lippam ſuperiori anno à Georgio Barbelio Tranſilvanienſium copiarum duce receptam, tormentis adductis oppugnare cæpit. Sed tuentibus ſe fortiter iis, qui in præſidio erant, quum Barbelium auxilio ſuis venire, ac Sigiſmundum principem cum juſto exercitu ſubſequi cognoviſſet, incepto deſtitit, caſtriſque repentè ſolutis domum ſe recepit. At Sigiſmundus cùm Devam perveniſſet, cognito hoſtium diſceſſu, nequaquam ſibi revertendum duxit, continuatóque itinere Lippam venit, ſeque Barbelio conjunxit, ulteriuſque terrorem circumferendum ratus, Naglacum invaſit, quòd eâdem die à Turcis deſertum eſt. Ibi quum Turcas & Tartaros magno numero Temeſvarii in caſtris eſſe audiſſet, eò cum exercitu delatus, eos metu perculſos dilapſoſque eſſe cognovit. Mox Temeſvario tormenta admovit, ratus eam quòque urbem ſibi ceſſuram; ſed cùm aliquot diebus fruſtra oppugnaſſet, quòd Turcæ urbem validam & purpurati ſedem fortiſſimè defenderent, quamquam & Cæſaris copias & pecuniam in ſtipendium in caſtris recepiſſet, tamen re infectâ domum redire conſtituit. Verùm Tartaros & Turcas duce principe eorum, quem Hamum vocant, ad ſolvendam obſidionem contra ſe venire cognoſcens, & obviam iis progreſſus, in planicie, quæ inter Nandoralbam & Temeſvarium latè patet, manus conſeruit, cæſoſque &

Lippa fruſtra à Solimano tentatur.

Sigiſmundus Princeps Temeſvario fruſtra

profligatos ad tria milliaria tergis inſtando perſecutus eſt. Deinde victor reductis tormentis, & incolumi exercitu, Cæſarianos in ſtationes ſuas dimiſit.

1596. oppugnato, Turcas ac Tartaros profligat.

Poſt noſtrorum receptum, circa Idus Menſis Septembris, Achomates Aphis Eunuchus, quem à Michaële Tranſalpino, & Alberto Quiralio in Bolgaricis campis fuſum & fugatum, caſtriſque exutum fuiſſe retulimus, trajecto Savo, cum copiis è Thracia ac Macedonia, ac Peloponneſo contractis in Illyricum venit, ac magno cum tormentorum apparatu Petriniam obſidione cinxit. Ingentem militum numerum in caſtris habere dicebatur; ita ut ſi quis fides hoſtibus vires ſuas in immenſum extollentibus dari poteſt, centum millium ſummam excederet. Nam quo majorem exercitum contraheret, permiſſu principis ipſemet triremibus vectus, ac Chauſiis ſecum ſumptis, inſulas, quæ Ægæo, Jonioque mari alluuntur, circumnavigaverat, & Turcas earum incolas, vel invitos & tergiverſantes, diuturnæque militiæ pertæſos, ſupplicio etiam de nonnullis refractariis ſumpto, in caſtra convenire coëgerat. Boſnenſis quòque Odaverdis, qui Apardi ſucceſſerat, cum præfectis ſibi ſubjectis, ac aliis voluntariis & evocatis ſeſe ei conjunxerat. Tuebatur Petriniam Daniel Francolus Tergeſtinus cum CCL. militibus, & ante obſidionem à Draſcovitio centum pedites Illyricos, duce Georgio Breſtoſcio in ſubſidium miſſos opportunè acceperat. Turcæ quin dies & noctes tormentorum ictus continuarent, nihil de diligentiâ remittebant; ita ut illud propugnaculum, quod à noſtris adversùs Ruſtanem irrito labore oppugnatum, ac igne ſubjecto ſuccenſum fuiſſe diximus, adeo ſuffoſſum ac debilitatum redderent, ut obſeſſi de arce retinenda non parum dubitarent: & Francolus metu perculſus, frenatis equis, de fuga aut deditione cogitaret, niſi à Breſtoſcio graviſſimis verborum minis fuiſſet caſtigatus, retentuſque.

Achmet Eunuchus Petriniam cum copioſo exercitu obſidet.

Daniel Francolus Petriniæ præf.

Cùm igitur frequentioribus nuntiis propoſito ſuo luciique periculo, opem à Lencovitio, Bano, Herbeſtainioque implorarent, ii nequaquam diutius cunctandum arbitrati, juſſis undiquaque in caſtra convenire copiis, trajecto Savo magnis itineribus Petriniam contendentes, unà cum Erdodio, qui in itinere ſe eis conjunxerat, ad Colapim conſederunt, ita ut utraque caſtra ejus interfluentis objectu dirimerentur. Quum fluvius ſuperiorum dierum pluviis auctus vado tranſiri non poſſet, neque pontis conſtruendi facultas daretur, quòd nec naves in promptu, neque hoſtes permiſſuri eſſent, duces conſilio habito, recedendum indè Siſciam, ibique tumultuarium pontem faciundum, tranſeundúmque, & cum hoſtibus prælium committendum decreverunt: Sed quum admoniti à tribunis peditum eſſent, ne priùs caſtra ſolverentur, quàm obſeſſos de ſua profectione atque inſtituto itinere, ac conſiliis certiores redderent; ut ne illi earum rerum ignari, ac ſuppetiarum incerti, rebus deſperatis, ad aliquas ſubitaneæ deditionis conditiones deſcenderent, profectione in diem inſequentem dilata, iis in caſtris ſubſtiterunt. Et quum diu nuntius quæſitus eſſet, qui ad obſeſſos iret, litteraſque perferret, poſtremò Martinus Segnianus peditum centurio, ita ut centum auri nummi ei reverſuro, aut ſi periiſſet, conjugi liberíſque ejus numerarentur, iſtud facinus

Digitized by Google

1596. cinus extremæ plenum audaciæ, ſe impigrè ſubiturum profeſſus eſt; moxque ſingulari auſu ſe Boſnenſis Sanni famulum ſimulans, per medias excubias deceptis cuſtodibus arcem propiùs acceſſit, & ab iis, qui intus erant, pro hoſte habitus glandibuſque petitus, tandemque agnitus, demiſſo fune in arcem protractus eſt, litteriſque redditis, obſeſſos de ducum itinere, animique propoſito certius edocuit, eoſque bene ſperare juſſit. Francolus verò, uti erat ab eo edoctus, edito majoris tormenti fragore, Martinum feliciter ad ſe perveniſſe ad caſtra ſignificavit.

In hunc modum ſequenti diluculo noſtri tentoria ſolvere, ac impedimenta convaſare, plauſtriſque & clitellariis jumentis imponere cæperunt. Id hoſtes ex adverſa ripa conſpicati, eoſque fugam capeſſere rati mox ad arma conclamarunt, ac partim tranſvadato, partim verò multis in locis tranſnatato flumine, ſine ordine qua quiſque potuit, in noſtros præmiſſis impedimentis iter facientes, magno ſublato clamore irrupêre. Duces perturbato ſed ingenti animo milites obvertere frontem, & pugnam fortiter capeſſere juſſerunt; tympaniſque ac tubis perſonantibus ſigna in adverſos hoſtes intulerunt: cumque haud adeò diu certamen eſſet protractum, Turcæ ſclopetariorum glandibus partim trajecti, partim crudeliter ſauciati terga verterunt, ac ad Colapim præcipiti curſu ſeſe proripuerunt. Ubi inſequentibus ſummâ celeritate ac ardore noſtris, maxima hoſtium pars in flumine partim cæſa eſt, partim protrudentibus & colluctantibus ſeſe invicem immodicè confuſione equitibus, aquis merſa interiit: & equi haud minore numero dejectis abſorptiſque ſeſſoribus conſternati, & in hanc citeriorem ripam enatantes à noſtris intercepti fuêre; inter quos unus præſtanti forma, aureis gemmatiſque ephippiis & phaleris, pendenteque ex iis elegantiſſimi operis gladio inſignis, quo Eunuchi frater Huſſainus vectus erat, ſeſe noſtris capiendum præbuit. Hac in pugna partim cæſi, partim hauſti aquis ex numero hoſtium haud pauciores tribus millibus feruntur.

Noſtri, caſtris motis, Turcas ſe invadentes cædunt.

Noſtri partâ ſecundùm Dei opem victoriâ eodem die Siſciam pervenêre, ibique apud veteres ſublicas, curante cum ſuis peditibus Draſcovitio, pons tumultuarius per Colapim celerrimè confectus fuit, quo copiæ tranſiêre, & verſus Drencinam iter direxêre. Poſtquam relictâ Drencinâ juſtis paſſibus progreſſæ eſſent, antecurſores noſtrorum in equites Eunuchi, quos ſpeculatum caſtris emiſerat, inciderunt; contractoque cum eis prælio, cæſiſque nonnullis in fugam conjecêre: trepidi ii & palantes in caſtra profugiunt, hoſtiumque copias magnis & validis agminibus adventare nuntiant: fit totis caſtris trepidatio & pavor; adeò ut qui paulò antè feroces cædem, vincula, carceres, ſupplicia noſtris deſignabant, nunc pavidi & attoniti non niſi de fuga & latebris cogitare viderentur. Cùm noſtrorum agmina in conſpectum ſe dediſſent, & obſeſſi quoque erumpere non dubitaſſent, Aphis, qui jam antea ſub noctem tormenta & impedimenta præmiſerat, conſcenſo equo cum ſuo peculiari famulitio profugit. Ejus exemplo Odaverdia cum Boſnenſibus, poſtremò omnes fugam capeſſunt; ita ut noſtri perterritis & fugientibus inſiſtentes, plurimos ex eis obtruncarent, ac aliquot vexilla, & duobus

Et ponte apud Siſciam extructum tranſeunt.

Equiteſque Eunuchi diſſipant.

Moxque totum exercitum in fœdiſſimam conjiciunt fugam.

inuſitati ponderis tormentis, quæ fatiſcentibus jumentis, ea quæ præceſſerant ſequi nequiviſſent, potirentur, quibus Pherhatis purpurati nomen Arabicis literis inſculptum erat, & axibus ſolido è ferro compactis vehebantur. Magna etiam pabuli & farinæ, ſalitæque carnis copia haud procul eo loco, ubi tentoria Eunuchi fuerunt, ſepimento incluſa reperta eſt: ac aliquot Chriſtianorum capita contis ac perticis infixa, inter quæ etiam infelicis cujuſdam fœminæ inuſitatâ crudelitate cæſæ caput, paſſis crinibus ſpectaculo fuit, quam non niſi propterea obtruncatam illius juſſu ferebant, quòd interrogata copias noſtrorum, uti verum erat, vix octo aut novem millium militum ſummam conſtituere dixerat, evaſuramque fuiſſe cædem, ſi earum numerum triplo ampliorem vel falſò affirmaſſet. Sed ea noſtri ſublata ſpectantium oculis confeſtim humanda curaverunt, geminatâque victoriâ læti, relictis Petriniæ, quæ ab hoſte ceperant tormentis, copias incolumes reduxerunt.

His rebus in Illyrico per hunc modum adminiſtratis, Maximilianus & Cæſariani duces, irritâ Solnoci oppugnatione nequaquam fracti animis, copias ex hibernis educere decreverunt, ac ut Ovatium convenirent, dederunt in mandatis, eo animo, ut nihil egregium quod fortibus viris tentandum, ac ſummâ ope aggrediendum foret, prætermitterent; indeque Strigonium progreſſi, caſtra ad Danubium poſuerunt. Cæſar quoque ſub id tempus ad legionum & equitatûs ſupplementum ac alia omnia bello gerendo opportuna comparanda, ſummam curam & ſtudium applicuit, ac in Germaniam miſſis nuntiis tribunos, qui è Vindelicia ac Franconia, ac Sileſiis & Moravis, aliiſque provinciis legiones in caſtra adducere debebant, ad maturandum iter ſeriò admonuit. Hortatus ſimiliter eſt Sigiſmundum Tranſilvanum, novâ ſibi affinitate & fœdere junctum, ut quanto majoribus poſſet copiis adductis vires conjungere ne cunctaretur. Nec prætermiſit legatos in Poloniam ad Regem & proceres expedire, qui fœderis adverſus communem hoſtem feriendi negotium priùs quoque tractatum, ſed nequaquam confectum, ſolerti curâ ac induſtriâ tractarent & abſolverent, hac præſertim neceſſitate urgente, quando Mehemetes Turcarum princeps, magnos Byzantii totaque Europa & tranſmarinis Aſiæ provinciis, bellicos apparatus facere, ac ipſemet propediem cum ingenti exercitu in Pannoniam egreſſurus nuntiaretur. Ivêre Joannes Cucaſſius Jaurienſis, & Andreas Uratialavienſis Epiſcopi, Joannes Horinſtanius, Adamgallus Poppelius, & Joannes Jovius. Sed Polonos ſpe & expectatione duriores invenêre: nec diu ultro citroque diſputando ac laborando quicquam profecêre; poſtremoque rebus infectis dimiſſi redire.

Cæſar undique copias comparat.

Ejus legati ad Regem Poloniæ.

Porrò apud Maximilianum diſputatum in conſilio fuit, Budane veterum regum ſedes totis viribus petenda eſſet, aut ne quid à tergo relinqueretur, Hathuanum foret expugnandum? Poſt rationes ex utraque parte in medium adductas, eorum ſententia valuit, qui Vaciam opportuno loco ſitam, ac alterutri ex duobus itineri impoſitam ante alia omnia in poteſtatem redigendam ſuadebant: quæ quum minùs munita eſſet, haud difficili labore obtineri poſſet; & eâ receptâ tum demum de ulteriori progreſſu conſultandum. Itaque Suarcem-

1596. Noſtri Vaciam ab hoſte deſertam invadunt

burgus cum Wallonibus, ac Palffius cum ſuis Ungaris, ac modico tormentorum numero protinus illuc mittuntur: & priuſquam Vaciam perveniſſent, Turcæ eorum adventu cognito, incensâ arce, partim navibus ad id ante paratis, partim conſcenſis equis, effuſo curſu Budam profugerunt. Noſtri re animadversâ gradum accelerantes, non militum duntaxat labore, ſed etiam civibus & incolis oppidi, quantâ adhiberi potuit celeritate ad opus coactis ignes extinxerunt, ac locum Stephano Comaronienſi muniendum curandumque dederunt. Dum Vaciæ reparandæ incumbitur, & aliquot dies prætereunt, Maximilianus convocatis ducibus, quid porrò conſilii capiendum, quamve in partem deflectendum ſit, deliberandum propoſuit: ac omnium ferè ſententiis probari animadvertit, ut quum Cæſar tentandæ Budæ conſilia nondum ſatis explicuiſſet, id conſilium differendum in aliud tempus, nunc verò ad Hathuanum oppugnandum vires convertendas. Igitur ſigno profectionis dato, copias progredi jubet, ac biduo pòſt die Divæ Virgini matri in cælum aſſumptæ dicato, in conſpectu oppidi caſtra locat idoneo nec procul Sogiva flumine capto ſpatio. Oritur is è paluſtribus lacunis, quæ inter Danubium & Matram montem inter Cumanos ſtagnare ſolent: ac primo Berinum Jazygum oppidum; indeque Hathuanum præterfluens, tandem apud Solnocum Tibiſco miſcetur.

Maximilianus Archidux Hathuanum obſidere aggreditur. 15. A. 1596.

Arslanes ei præfectus egregiè ſe tuetur.

Præerat arci Arslanes adoleſcens, Saralibegi, qui multis in Pannonia rebus præclarè geſtis inſignis, tandem adverſùs Perſas bellum gerere juſſus, in Armenia morbo perierat, filius, cum mille quingentis circiter militibus lectiſſimis. Ad eum enim fortiſſimus quiſque parata ad omne obſequium animis confluebat; quòd ipſe cum eis unà equitare, convivia agitare, equis, veſtibus, armis, pecuniâ denique promptiſſimùm quemque donare, captos ab hoſtibus redimere, poſtremò domi militiæque res dubias & aſperas tolerare conſueverat, cumque iis opes & divitias, quas à patre ingentes acceperat, liberali manu communicatas abſumpſerat. Cùm noſtri ſeſe in conſpectum dediſſent, Arslanes cum ſuorum promptiſſimis obviam egreſſus, pugnæ poteſtatem fecit, in qua levi inito certamine, cæſis ac vulneratis utrinque paucis arcem repetivit, ſocios & commilitones ſupra ætatem gravi ſermone cohortatus, ut æternæ laudis operam in defendenda ea præſtare vellent. Maximilianus circumvallato oppido tormenta tribus in locis collocari, eorumque pilis vallum, quod è materia & ceſpite conſtabat, dirui juſſit. At cùm jam aliquot dies in oppugnando ac verberando prætermiſſent, Turcæ conceſſa ab Arslane exeundi facultate circiter trecenti numero, in aggeres & tormenta improviſum impetum fecerunt: Tribunus militum Germanorum Rudolphus Greiſius, cui cuſtodiæ eo die fortè obvenerunt, capis armis acrem cum hoſtibus pugnam inivit; Sed cùm à ſuis metu perterritis deſertus eſſet, primo in congreſſu occubuit. Hoſtes cæſo eo, & fugatis magnâ ſtrage cohortibus, ad obſtruendas tormentorum fiſtulas, ac pulveris cados incendendos animum adjecerant; & proculdubio deſtinata perfeciſſent, niſi Palffius cum ſuis & turma Germanicorum equitum ſubſidio advolans, eos, deſideratis quamplurimis, pedem referre coëgiſſet. Ob hujus adverſæ

Greiſius tribunus occidit.

pugnæ detrimentum, fugâ Greiſianæ cohortis acceptum, Maximilianus milites, quorum ignaviâ acciderat, ignominiâ notavit, ſtipendiiſque privatos & inermes militari ſeveritate, ante ſolis occaſum caſtris excedere juſſit.

1596. Milites Greiſiani ignominia notati.

Interea ex aggeribus mœnia arcis triginta ſex tormentorum ferreis pilis, ingentis ponderis continuè quaſſabantur, & vallum quod triplici roborum ſerie, ac ſepimento obducto argillâ munitum erat, multis in locis concuſſum laceratumque ruinam fecerat, turriſque etiam quædam, ex qua hoſtium ſacerdotes interdiu atque noctu quinquies altiori ſublatâ voce populum ad preces proclamare ſolebant, & ſæpenumero minoribus tormentis caſtra inquietabantur, crebris ictibus everſa, ſimul cum Taliſmano prociderat: adhuc tamen Arslanes egregiè ſe cum ſuis tuebatur, refectis quantum poterat militum labore hiatibus; noſtroſque deditionem poſcentes, nulla edita voce, claro animo contemnebat. Ferunt Fatimam matrem ejus viduam, virili ingenio mulierem, revocatis ei in memoriam paternis virtutibus, identidem eſſe obteſtatam, ne ſeipſo vivo quempiam intempeſtivum deditionis auctorem eſſe pateretur; ut Turcarum princeps, qui propediem cum ingenti armorum apparatu in Pannoniam venturus expectaretur, eum conſervatâ arce ad honores divitiaſque eveheret; vel ſi fata ſecus ferrent, eum etiam mortuum juſtis laudibus efferendum cenſeret. Ad expugnandam ejus pertinaciam Albertus quoque Princenſtainius, fabrûm præfectus, tria navigia in caſtris fabricavit, craſſioribus tabulatis, ac coriis bubulis madefactis ſupernè tecta, quæ in Sagivam ac foſſas arcis, rotarum lapſibus ſeu ſcutulis ſubjectis intruderentur, ac ex illis hoſtes mœnibus eminus arceri poſſent. Quibus in hunc modum præparatis oppugnatio inſtituta eſt, tuentibuſque ſeſe egregiè hoſtibus, tribus ferè horis pugnatum, occumbentibus utrinque quamplurimis, ac inter alios Vallonum legato. Verùm quum Turcæ magno virium animorumque ardore mœnia defendiſſent, noſtri repulſi irrito labore in caſtra ſedierunt.

Phatima matris Arslanis virile robur.

Oppugnatio irrito labore inſtituitur.

Sed accidit miro fortunæ ludibrio, ac fatali hoſtium imprudentiâ, quòd cùm multi ex eis partim vulneribus affecti, partim nimio pugnæ labore fatigati eſſent, necdum die cibum ſumpſiſſent, deſertis ſtationibus ad curanda corpora, & illigandas plagas domum ſeſe reciperent, & noſtros quoque quietem ſibi ſumpturos putarent. Sed cùm duo milites gregarii, unus Ungarus ac alter Germanus colligendis ſarmentis, ut fieri ſolet, per oppletas ruderibus foſſas, ſubter mœnia ſenſim irrepſiſſent, cognito neminem ex hoſtibus ad mœnia excubare, commilitonibus fortè obviis, atque iis ſubinde aliis atque aliis rem puncto temporis ſignificarunt. Mox factis agminibus, ſublatiſque vexillis, tantâ celeritate ad mœnia procurſum eſt, tribunis etiam Terſcone, & Roſwurmio ſeſe militum turbæ aggregantibus, ut priuſquam Turcæ ad reſiſtendum è domibus exſilire potuiſſent, jam noſtri ſingulari auſu in oppidum pervaderent, & in obvios quoſque trucidandos crudeliſſimè graſſarentur. Arslanes improviſa eâ noſtrorum irruptione perturbatus, hortante matre, ut quando ad extremam oſtendendæ virtutis & fortitudinis metam perventum eſſet, fortiter occumberet,

Noſtri hoſte negligenter vigilias obeunte, urbem capiunt.

Arslanes fortiter prælians occumbit.

1596. beret, armatus in forum, ubi confertim pugnabatur, provolat; ibique pugnans ſimul cum Cutto patruele interficitur; nec cuiquam parcitum eſt, ſive ille miles, ſive mercator, aut adoleſcens, ſenex puerve eſſet, ne fœminis quidem exortibus periculi, jacuitque ingens ſtrages omnis ætatis atque ſexûs; adeo animos omnium ira præceps furorque efferaverat. *Promiſcua omnium cædes.* Interfectis ad unum defenſoribus paucæ ex matribus, quæ in latebras ac ſecretiores domorum partes cum infantibus pavidæ ſeceſſerant, ejulantes lachrymanteſque, ac metu & odio Germanorum, Pannonus potiùs militibus ultro ſe dedere volentes, extractæ captæque ſunt, inter quas Arslanis mater in Tercanorum militum manus incidit, ac demum in ſervitute mortem obiit. *Arslanis etiam mater capta.* Imò ſævitum in cadavera eſt, cùm Germani fœdo exemplo, nec ullo caſtigante, cutem eis detraherent, apertiſque viſceribus & inteſtinis, aurum in iis fruſtra ſcrutarentur.

Expugnato Hathnano Maximilianus aggeres & opera, quæ foris extenenda curaverat, dirui, & complanari juſſit, & ignes, qui tectis injecti erant, extingui, collapſa mœniorum loca reſtaurari reficique, & quæ præterea uſus poſcebat neceſſaria importari, locoque Michaelem Serenium, Fileci antea præfectum impoſuit. *Michael Serenius Hatvvano imponitur.* Sed quum is adventantem cum ingenti exercitu Turcarum principem cognoviſſet, metu perculi, ac provinciam non ſolùm recuſare, ſed etiam milites, qui loco tuendo deſcripti erant, propoſitis periculis, ſi hoſtis eò iter faceret, deterrere cepit: nec quiſquam præter quendam ſclopetariorum ductorem Germanum repertus fuit, qui ſe cum ſuis conſtanter permanſurum obtuliſſet. *Qui provinciam bant recuſat.* Itaque conſilio cum ſuis habito, ſatius viſum eſt, milites ſalvos, ac tormenta eorumque apparatum integrum ſervare, quàm manifeſto diſcrimini exponere, cùm potiſſimùm locus ille non pauciores quatuor millibus hominum requirere ad defendendum videretur, omiſſaque muniendi ejus cogitatione, & oppugnandi etiam Solnoci conſilio, quod Pannoniæ ſuperioris proceribus placere videbatur, id quoque quod adhuc reſtabat, ſolo æquari aut concremari fecit; & exercitum Vaciam ad Danubium reduxit eo animo, ne hoſtis commeatum intercluderet, & finibus Auſtriæ, ſi res poſceret, auxilio eſſe poſſet, atque ibi plus virium contraheret, ſimulque quid hoſtis moliretur aut inceptaret, ibidem opperiretur.

Mehemetes Turcarum princeps cum immenſis copiis in Pannoniam venit. Jam Mehemetes Turcarum princeps à Belgradum pervenerat, & illinc Crecovitii legati famulos numero XVIII. ab ſe contra jura gentium initio belli hujus captos dimiſerat, necdum tamen planè conſtare poterat, quam in partem vim copiaſque eſſet converſurus. Verùm poſtquam aliquot dies militum quieti conceſſiſſet, motis caſtris Segedinum clarum oppidum ad Tibiſci & Maduſii è Tranſſilvania profluentis concurſu ſitum, univerſum exercitum adduxit, quod abeſt à Solnoco viginti milliarium Pannonicorum intervallo, indeque Giapherem Eunuchum, è purpuratis unum cum XXX. millibus Turcarum Solnocum præmiſit. *Giapherem Eunuchum Solnocum præmittit.* Non deerant, qui hunc, antequam majores ad eum copiæ convenirent, aggrediendum cenſerent; nec Maximilianus ab eo conſilio alienus Palffio in mandatis dederat, ut idoneos viarum peritos mitteret, qui cognoſcerent, qua ex fluminis parte hoſtis caſtra poſuiſſet, & loca, per quæ ducendus exercitus, ac manus cum hoſte conferendi facultas eſſet, explorarent. Sed quum omnes captivi, uno ore conſenſuque confirmarent, Mehemetem principem cum univerſa mole copiarum Solnocum indies expectari, ut Giafferi ſe conjungat, nequaquam è republica fore putavit, ut ipſe impar viribus cum longè numeroſiſſimo Turcarum exercitu, non ſine aperto diſcrimine congrederetur. 1596. Nec diu poſt ſollicito principi certiſſimis nuntiis allatum eſt, hoſtem totis viribus ad expugnandam Agriam progredi conſtituiſſe. Statim igitur Paulus Niarius ejus loci præfectus, qui in caſtris erat, illoc redire juſſus eſt; traditaque ſunt illi tormenta cum neceſſario apparatu, adjunctaque legio Moravica, duce Joanne Jacobo Comite Turriano; data etiam Tiffenbacho mandata, ut Agriam proficiſci, & quæ in omnem fortunæ eventum neceſſaria fore judicaret, iis omnibus quam diligentiſſimè comparandis provideret. *Agria rebus neceſſariis & præſidio militari munitur.* Priùs verò quàm Hathnano diſcederet, Tiffenbacho & Niario ſeriò præcepit, ut equos & jumenta ad vehendum rei tormentariæ apparatum paſſim oppidis & pagis imperarent, quòd à quibus antea vectus eſſet, ſub obſidionis tempore clam diſceſſiſſent. *Niarius Agriæ præfectus.* Sed quum illi præter ſpem & expectationem ſecus quàm promiſerant, in exequendo ſegniores ſeſe præſtitiſſent, multa inſtrumenta bellica aut defodi, aut corrumpi, inutiliaque reddi neceſſe fuit; quòd deficientibus jumentis auferri nequirent. Quum ad X. diem Septembris Vaciam ventum eſſet, certioribus indiciis compertum fuit, de obſidenda Agria nullum jam ſupereſſe dubium, ſic ut Niarius præfectus ejus rei planè certus, plura militum ſubſidia, ac majorem ſulphurei pulveris numerum poſtularet, Maximilianus ſine mora Wilhelmum Terſconeio ultro ſeſe offerentem, cum D. ſclopetariis Germanicis, qui ex omnibus aliis legionibus ſelecti erant, ac tricenaria Walonum cohorte eò miſit; adjunxitque Claudium Cogoranum Architectum, & quoſdam præfectos ac milites, aliquot antea toleratis obſidionibus peritos, qui CCC. cados ſulphurei pulveris, quibus ſingulis centum pondo ineſſent, ac aliquot currus funiculis fovendo igni, & ſclopetis exonerandis onuſtos perferrent. *Terſco ſeſe Agriæ tuendæ offert.* Quæ omnia Agriam tutò feliciterque pervenerunt.

Eodem tempore cognitum eſt, Budenſes & Jaurienſes Turcas, ac alios, ut cum tormentis aliquot bellicis, quæ vehebant, Mehemeti principi ſuo Agriam invaſuro ſeſe conjungerent, caſtra prope Peſtum fixiſſe. Maximilianus quòd intelligeret eos non magno numero eſſe, & priùs quàm caſtris majoribus conjungerentur, invadi delerique poſſe, eam occaſionem minimè prætermittendam ratus, noctu eorum caſtra adoriri decrevit. Igitur vergente ad occaſum ſole caſtris egreſſus, inexpectatum hoſtibus aliquod facinus, detrimentumque erat illaturus, quibus, ut poſtea paruit, nihil de ejus adventu conſtabat, niſi fortuitus importunuſque caſus inſtituti itineris rationes & progreſſum perturbaſſet. Nam non procul Vaciâ tormenta, quæ præire juſſerat, lacunoſo in ſolo, ac ob pluvias frequentes molli & profundo, uſque adeo depreſſis axibus inhæſerunt, ut extrahi nullo jumentorum labore poſſent, ac aliquot horæ donec bona noctis pars abiret, & in cœno fruſtra conſumerentur. Quæ mora procul dubio effecit, ut initâ viarum ac temporis ratio-

1596. ratione, invadendi hoſtis commoditas interpellaretur, & Maximilianum ab incepto deſiſtere, & cum prætorianis Franconicisque equitibus pedem referre oporteret. Nihilominus Palffium ex eodem campo verſus Peſtum miſit cum Ungaris, & equitum Germanicorum parte, ut belli fortunam experiretur; ſed etiam illi re infectâ eodem die reverterunt.

Sub id tempus Vaciam ad Maximilianum venêre, à Tranſilvano principe, ac ab omnibus ſuperioris Pannoniæ regionibus legati, auxilia haud contemnenda, ſi Agria ab hoſte obſideretur, offerentes. Cum quibus conſilio
Tranſilvani auxilia offerunt.
ſine mora habito decretum eſt, pro eo tanti momenti loco, omnes vires in unum conferendas, ac cum hoſte armis decernendum: moxque id tam in Tranſilvaniam, quàm ad Ungariæ & Auſtriæ incolas perſcriptum eſt; evocatique undique in caſtra, & equi ac jumenta ad tormentorum & commeatûs vecturas paſſim ſerioque imperata. Sed donec ea, quibus erat imperatum, exequi contendunt, nec pari celeritate curantur, ne Maximilianus in planicie illa, ſi hoſtis ingruiſſet, non perinde tuta, tempus tereret, caſtra ad Hippolum flumen propè Coveldium oppidum tranſtulit, medio ferè ſpatio inter Vaciam & Strigonium ſitum; ibique an aliquid operæ facere, Tatamque obſidere, aut aliud quippiam redimendo militum otio aggredi præſtaret, quæſitum eſt; ac ut Tata invaderetur, viſum omnibus; ſicque Strigonium ductus exercitus. Sed inter deliberandum, ac modicam conſultationis moram ſupervenêre,
Agria 27. die Septembris obſeſſa.
qui Agriam XXVII. die Menſis Septembris ab hoſte obſeſſam eſſe, Niariumque, ne ſibi & præſidiariis, gravi in periculo conſtitutis, maturam opem ferre cunctarentur, vehementer poſtulare nuntiabant. Quo cognito mutandum conſilium fuit, & caſtra STRIGONIUM rurſus ad Hippolum & priorem locum transferenda, & iter Agriam verſus inſtituendum.

At Mehemetes Hathuanum ipſo Segedini ſtativa habente, à noſtris captum graviter ſuperbèque ferens, ac Maximilianum metu ipſius retroceſſiſſe exiſtimans, nequaquam diutius cunctandum ratus, Ibraimo purpuratorum principi, cui ſoror ejus nupta erat, & qui Sinano nuper vitâ functo ſuffectus erat, in mandatis dedit, ut caſtra promoveret, Solnocumque Giafferi nuntiaret, ut ad Agriam oppugnandam cum ſuo exercitu præire maturaret, eo ſervato in progreſſu ordine, ut ambo exercitus uno eodemque tempore in Agriæ conſpectu caſtra metarentur. Itaque ad XXVII.
Copiarũ Turcicarum multitudo.
diem Septembris, ingens hoſtium multitudo, ac tormentorum & tentoriorum apparatus, qualem à XXX. annis, qui jam inde ab obitu Solimani effluxerant, noſtra ætas non viderat, montes & valles ab agris ſuburbanis, uſque ad Maclarum & Felnemetum oppida, ac Talliam, viamque, quâ ad Gemmeum oppidum itur; ab occaſu verò ſolis ad Oſtoroſum pagum, & colles ei imminentes longè latéque implevit. Dicebantur enim in caſtris ad CC. armatorum millia reperiri; idque hoſtes non ſolùm affirmare non dubitabant, ſed etiam longè aucto numero amplificare non erubeſcebant; cùm tamen vix eorum dimidia pars bello apta eſſet, ceterâ multitudine ſervilibus caſtrorum miniſteriis dicatâ.

Eâdem nocte, multo ſervorum & agricolarum labore quatuor in locis aggeres ſunt conſtituti, ac in iis tormenta collocata; ſic ut è regione ædium Unguadianarum unius prægrandis tormenti pilis, ac duabus colubrinis; ex eo
1596. *Tormenta collocantur.*
verò loco, qui antea buſtis, ſeu ſepulchris militum dicatus erat, tribus inuſitatæ magnitudinis baſiliſcis mœnia quaterentur. A ſeptemtrione in locum ſedis regiæ quatuor mediocria tormenta, & ad jugum montis, ubi vineta olim erant, arci, ut videre eſt, importunè ſupereminentis, alia quatuor attracta fuêre, quibus murorum latera indeſinenter tunderentur. Erant
Præſidiũ noſtrum 4000. & 500. cenſetur.
in arce & oppido militum præſidiariorum quatuor millia & quingenti, quorum major pars ex variis nationibus, non ita pridem poſt ortam nimirum futuræ obſidionis famam, ut diximus, erat introducta. Quorum tanta virtus initio apparuit, ut neque portas urbis claudere, nec quicquam formidinis præ ſe ferre viderentur, ſæpeque cum hoſtibus facto haud improſperè virium periculo, minutioribus prælis congredi non dubitarent. Sed
Exuſto oppido in arcem ſe recipiunt.
demum cùm hoſtes oppido quoque tormenta admovere cæpiſſent, qui intus erant, tam arci quàm oppido tuendo ſeſe impares fore rati, poſt ſeptimum diem incenſo oppido in arcem ſe receperunt. Poſtquam hoſtes incendii flammas conſpexiſſent, magno ſublato clamore per portam Magiarianam in oppidum irruperunt, ac pertractis illuc tormentis propugnaculum, quod Dobontanum vocabatur, verberandum ſuſceperunt; & quum aſſiduis ictibus hiatum feciſſent, mutuo ſeſe ad oppugnandum cohortati, magno numero per ruinam conſcendere cæperunt. Sed à noſtris fortiter retruſi, amiſſis ampliùs mille ſociis, inde receſſerunt, quum ex noſtris triginta vulnerati eſſent, ac totidem cæſi occubuiſſent. Ex parte etiam aggerum, qui in Sede Regia erant ab hoſtibus facti, egeſtâ humo cuniculi fieri cœperunt, ad ſubruenda improviſo & clandeſtino impetu murorum fundamenta. Quod quum à Claudio Cogorano, ac Chriſtophoro Stella vetere loci ſupremo Architecto ac Capitaneo certis indiciis eſſet deprehenſum, mox ex adverſo aliis contrariis cuniculis obviam eundum cenſuêre, adhibitiſque operis ſcrobes magno labore, ſed mirâ celeritate perfecêre. Sed quum hoſtes forinſecus pulverem ſulphureum ſuccendiſſent, mœnia quidem, quòd flammæ viam, qua exhalarent, ſibi reperiſſent, parum detrimenti ſenſere; ſed ii, qui ſubterraneo labori incumbebant, violento ejus impetu diſcerpti, puncto temporis interiêre: inter quos Stella ipſa cum aliquot ex operarum numero, & Jobus Seonicius, & Georgius Balo deſiderati ſunt. Hic eſt ille Balo, qui ſuperioribus annis, à Sigiſmundo Racocio Agriæ præfecto, ob diras in Deum optimum Maximum ac divos execrationes impudenter effuſas, captus, ac neci deſtinatus, miro aſtu evaſerat, & illo præfecturâ ſe abdicante erat reverſus.

Intereà Maximilianus miſſis iterum nuntiis, qui copias adventantes ad properandum inci-
Maximilianus dimiſſis nuntiis, auxilia promiſſa urget.
tarent, facto circa Hippoli decurſum itinere, quantum aſſiduæ pluviæ ac viarum difficultates permittebant, caſtra indies promovebat. Et quo cuncta majori ſolicitudine & ſtudio gererentur, Chriſtophorum Quinſpergum bellici Senatûs collegam, cum Joanne Chriſtophoro Seterio, ad ſuperioris Ungariæ partes, Zachariam verò Gaiſcoflerum Romani Imperii in Germania quæſtorem, Pragam ad Cæſarem per diſpoſitos equos celeri-

tatis

1596. tatis cauſa emittendos duxit, qui ubique promiſſa auxilia ſeriò urgerent, & in caſtra perducerent; Venit ad eum etiam Gaſpar Corniſius è Tranſilvania, à Sigiſmundo provinciæ principe miſſus, referens illum cum ſuis copiis jam Varadinum perveniſſe, atque adeo ubinam ſua cum Cæſarianis caſtra conjuncturus ſit, cupere edoceri. Nec illum ſolicitum magis ac anxium quicquam reddebat, quàm (cùm copias partiri prætermittereque vellet) rei tormentariæ ac commeatuum vecturæ tarditas, quæ à nobilitate eorum locorum ſæpiùs promiſſa, nondum tamen præſtita erat, nec ea loco moveri deficientibus jumentis poterant. Qua in parte Tiffenbachii & Palffii diligentiam ſe imprimis deſiderare nequaquam diſſimulabat. Nihilominus tamen Corniſium nequaquam remorandum ratus, diſpoſitis itineris diebus & intervallis, tempus & locum deſignavit, ad quem utriuſque ipſorum ac Tiffenbachii exercitus conjungendi eſſent. Præſente adhuc Corniſio, protinus ſuas copias tripartito promoveri juſſit, ita ut Palffius cum equitibus haſtatis Ungaris ac peditatu, ultimâ die Septembris præcederet; eique Nobilitatis copiæ Secenii occurrerent, hos verò Suarcemburgus legatus cum mediâ parte exercitûs Germanici ſubſequeretur: poſtremum agmen cum tormentis ipſemet duceret, & quartâ die Octobris viæ ſe committeret; quum equos & boves ad vehendam rem tormentariam neceſſarios fruſtra interim expectâſſet, & non modicam ejus partem à tergo relinquere eſſet coactus. Superatis magno labore hiſce difficultatibus, ſequenti die ad Palancum, & pontem Hippoli fluminis ventum eſt. Ibique propter tormenta & impedimenta, quæ ob pluvias fortè incidentes ſequi non poterant, integrum diem ſubſiſtendum. Deinde biduo pòſt Secenium promota caſtra, ibique Palffius & Suarcemburgus, quos eædem viarum difficultates detinuerant, reperti ſunt; ac Maximilianus præmiſſis illis, non prius quàm ad XII. diem Octobris Filecum pertingere potuit, quòd toto eo tractu inter Secenium & Filecum, per invios montes & ſilvas recenti importunâque pluviâ humentes & cœnoſas, iter confici oportuerit. Acceſſit ad hæc incommoda rei frumentariæ, & annonæ incredibilis penuria, quantumvis ejus procurandæ & convehendæ cura ſeriò ubique injuncta imperataque eſſet; non aliunde orta, quàm eorum, qui præerant, incuriâ; quandoquidem in oppidis & pagis magna frugum omnis generis copia, ac plures acervi nondum excuſſis granis ubique habebantur. Unde fiebat, ut deficientibus cibariis plurimi militum, pedeſtris potiſſimùm ordinis, aſperitate itineris atque inediâ debilitati, in itinere paſſim ſuccumbere viderentur.

Maximilianus caſtra ſua promovet.

Inter progrediendum venit ad Maximilianum Nicolaus Raſcianus, à Niario & iis, qui Agriæ obſidebantur, miſſus, qui eorum nomine, auxilium mille peditum ſclopetariorum petebat. Quod quum juſſu ejus è diverſis legionibus ſelectum eſſet, nec tamen Nicolaus ſibi tantum audaciæ ſumere videretur, ut deceptis hoſtium cuſtodiis, illud in arcem inducere poſſet, niſi prius Agriam rediret, ac ſolertiùs & cautiùs indagatis itineribus ingreſſum exploraret, permiſſus eſt id facere, mox Agriam provolans, iterùm inde citatis paſſibus reverſus, obtulit ſe, quod prius promittere non erat auſus, opportunè effecturum. Itaque dati mox Julio Cæſaris Straſoldo Forojulienſi, Terſcanæ legionis legato, qui hanc provinciam lætus, libénſque ſuſcepit, octingenti milites Germani & Ungari, quibus præerat Petrus Nicolai Palffii fratris filius, cum Michaële Semereno, qui cùm die XV. Octobris duorum ab Agria milliarium ſpatio abeſſent, accepto certiore nuntio, eam heſterno die hoſti traditam eſſe; triſtes ac gemebundi in caſtra redierunt. 1596. Cùm enim hoſtes tam ex oppido, quàm ab jugo montis propugnacula adeo diruiſſent, ut non parvam animo ſpem capiendæ arcis concepiſſe viderentur, juſſu Mehemetis Chanſii per caſtra obequitantes, duplicem in craſtinum irruptionem, qui erat decimus Octobris, publicavêre: quæ tam pertinaci utrinque ſtudio, ac contentione inita & pugnata eſt, ut hoſtes quater per ruinas aſcendere conati, quatuor repetitis vicibus repellerentur, magnâ editâ utrinque ſtrage, adeo ut è noſtris quadringenti milites deſiderati eſſe tradantur: ex hoſtium verò numero tormentis & ſclopetorum glandibus icti amplius tribus millibus occubuiſſe. In ea pugna Terſconi caput penetrante galeam glande ſauciatum fuit, ſed leviori vulnere; Ex Germanorum verò Capitaneis tres fortiter pugnando illâ die occubuêre, inter quos eximia Virtus militaris Luitfridi ab Ulm. Suevicæ Nobilitatis, Equitis Ordinis Teutonici, Viri Gallicis, Belgicis, atque Hungaricis Bellis exercitati, præ cæteris enituit; inter Turcas verò præter mille Janiceros prætorianos, Odaverdis etiam Boſnæ præfectus, & complures purpurati atque prætoriani equites cæſi atque interfecti fuerunt.

Irruptio hoſtium magnâ virtute ab obſeſſis repellitur

Hujus pugnæ cruento admodum exitu Wallones & Germani pedites perterriti, cùm ſe viribus defectos, nec hoſti pares futuros dicerent, ſi adhuc oppugnatio repeteretur, degeneri animo cuncta metu & pavore attollentes, clancularia de arce dedenda inter ſe conſilia miſcere cœperunt. Quod cùm Niarius & Terſco animadvertiſſent, primùm ſeveritate imperii, quo fungebantur, in auctores animadvertere conati ſunt; eoſque correptos ad furcam, quæ in area arcis puniendis reis erecta erat, ſuſpendendos juſſerunt. Verùm cum omnes inter ſe conjuraſſe, & ſeditioſius, quàm probos fideleſque milites deceret, poſthabito contemptoque militiæ jure, captos commilitones è manibus lictorum ſtrictis gladiis extorquere, liberareque vidiſſent, & ipſis quoque cædem minitarentur, ad preces converſi, ne tantum flagitii & dedecoris committerent, neve hoſti fidem nequaquam ſervaturo quicquam crederent, orare & obſecrare; poſtremò aperto capite, genibus provolvi per Deos immortales, per ſalutem animarum, per fas, fidémque, ut honoris & virtutis memores fœdo ac infando incepto abſtinerent, ſeque prius occiderent, quàm tam turpe & nefarium facinus deſignarent, cum lacrymis & lamentis obteſtari; ſed fruſtra omnia erant.

Germani & Wallones arcem hoſti dedêre

Reluctantibus fruſtra ducibus

Rebus ad hunc ſtatum inter duces, ac conſternatos militum animos deductis, nec ſeditione quicquam remittente, Michaël Balogus ex Ungaris in muri ruinas injuſſu progreſſus, de deditione cum hoſtibus colloqui cœpit; cui ſtatim Wallones & Germani, omiſſis in præſens ducibus, catervatim ſeſe aggregavêre. Hunc Balogum poſtea aliam ob ſeditionem Fileci

1596. concitatam, Georgius Turco Palffii ſucceſſor capitis ſupplicio affecit; Diis immortalibus procul dubio hoc dirum ejus ſcelus, ſimul nec ſerò vindicantibus. Nec mora, hoſtes, propiùs arcem concurſu facto, purpuratorum atque ipſius principis fidem inconditis clamoribus ingeminare, ſecuritatem omnibus polliceri, tutum abitum cum rebus & ſarcinis offerre. Mox creſcente proditione tumultúque, ſpretis ducibus, multi ex Germanis & Ungaris Martinum Pacionam unum è collegio ſacerdotum, ac Georgium Beſſenianum deligunt, qui ad Mehemetem & Ibrahimum purpuratum egreſſi, certis liberè exeundi & recedendi conditionibus tranſigant: quibus extemplò diploma fidei aureis deſcriptum characteribus nomine Mehemetis datur: confeſtimque Turcæ & Tartari in arcem irrumpunt, Chriſtophorum Corlatum, qui arcis cuſtodiæ præerat, exutum veſtibus, ac flagellis cæſum per portam ejiciunt, Niarium & Terſconem, ac Quinſquium juvenem, cum Joanne Jacobo Turriano Comite, ac Joanne Barciano Niarii legato & Cogorano, vel invitos & reluctantes ad Mehemetem perducunt: atque hoc modo infauſti infelicíſque eventus XVIII. die obſidionis, cũ inſigni arce potiuntur. Eos omnes Mehemetes fidei ſervandæ admonitus amoveri, & de ſalute ac libertate bene ſperare juſſit. Sed partim in libera cuſtodia habiti, partim compedibus vincti Belgradum perducti fuerunt, uno excepto Niario, quem ſecum in caſtris à Janicerorum decurione cuſtodiri voluit. Ex iis Cogoranus, Beſſenianus, meliori uſi fortunâ ex caſtris ſe clam ſubducentes profugêre, alii poſt longi temporis captivitatem, ut Barcianus & Quinſquius, cum Ferdinando Veſprimii præfecto ac aliis, è turri Belgradenſi Nebulzana poſtliminio domum redierunt. Sed Terſco & Turrianus partim mærore animi, partim morbo ibi contracto, & rerum neceſſariarum defectu in cuſtodia periêre. Captâ Agriâ vicinas etiam arces, diffugientibus præſidiariis, Turcæ nullo negotio occupârunt: quum Michaël Beſſenianus Cerepiam, Joannes Gallus Sarvaſconem, ac Benedictus Corains, & Joannes Helmetius Siroeum metu perterriti vacuas deſeruiſſent.

Hungari de deditionis conditionibus tranſigunt.

Duces & præfecti, fide violatâ cuſtodiæ traditi.

Mox vicinas arces à noſtris deſertas hoſtis occupat.

Fama amiſſæ Agriæ ad Maximilianum perlata eſt, cùm ad oppidum Rimaſombatum caſtra haberet, eâque quanquam graviſſimè permoveretur, moleſtiſſimè quòd ferret, ſe ei labanti, ut vehementer cupiebat, tempeſtivè ſuccurrere non potuiſſe; nequaquam tamen fracto aut deſperato animo deſiſtendum à ſuſceptis conſiliis, ſed perſeverando atque audendo experiri decrevit, quantum divinâ adjutus ope, vel in recuperanda Agriâ, vel repellendis ulterioribus hoſtium conatibus præſtare operæ poſſet: eamque ſuam ſententiam principi Tranſilvaniæ, ac Tiffenbachio ſinè morâ perſcripſit: ac ut quamprimùm vires conjungere maturarent, admonuit. Sub id tempus, venit cum Tranſilvanis Sigiſmundus ad oppidum Vamoſum, trajecto ad Tocaium Tibiſco, ac relicto ibi exercitu cum paucis equitibus ſalutatum acceſſit Maximilianum, tunc ad Rimaſecium copias omnes in una caſtra colligentem, ac inde XVIII. die Octobris unà ad Vamoſum omnes copiæ promotæ ſunt. Quo die Tiffenbachius, qui erat in itinere, ac Tranſilvani cum Tartaris minutiore prælio dimicarunt, qui per fines Podoliæ, ac Maramaruſium, atque inde facto per juga & anguſtias montis Beſquedi, duce Galga, quæ vox dignitatem exprimit, ejus, qui principi eſt ſucceſſurus, ad Mahumetis caſtra pervenerunt, quum aliæ Tartarorum manus, illo adhuc Samandriæ caſtra habente, cum Caſilrano eorum principe Turcis ſeſe conjunxiſſent. 1596.

Sigiſmundus ſe Maximiliano conjungit.

Hæ noſtrorum copiæ trifariam diviſæ, omnium judicio ad ſeptuaginta millia bellatorum conſtituere credebantur; & ſanè fuiſſent, ſi omnes, uti debebant, integro numero confluxiſſent. Verùm poſtquam Maximilianus ipſemet univerſum exercitum perluſtraret, ac ab ſingulis præfectis & tribunis cenſum equitum & legionum popoſciſſet, quòd nimirum quiſque armatos in aciem producere poſſet, deprehenſum eſt, Germanorum equitum tria millia, peditum quatuor, tormenta campeſtria XXII. Tranſilvanorum equitatum unà cum Siculis, quos Raibicius ductabat, quinque millium eſſe, pedites totidem, ac XL. tormenta, Tiffenbachianos Germanos pariter & Ungaros ſuperioris Pannoniæ incolas quinque millia equitum, ac parem peditum numerum, ac XXXV. tormenta: ita ut ſumma totius exercitus in unum collata, ſimul cum Palffianis, XXXIX. millia equitum & pedum efficeret, ac XCV. tormenta haberet. Peracto cenſu atque habito cum præfectis & ducibus conſilio decretum eſt, ut ad oppidum Creſteſum, Diosgiorgianæ ditionis, olim ad reginam Pannoniæ ſpectabat, cum omni exercitu contenderetur; quòd locus ille anni ſuperioris ad Solnocum expeditione Maximiliano cognitus, ac ſi priùs occuparetur, propoſito commodus eſſe judicaretur. Quamobrem ſuſcepto itinere poſt tridui laborem iſthuc eſt perventum.

Copiæ noſtræ recenſitæ.

Cùm caſtra collocarentur, intellectum ab exploratoribus & captivis fuit, Giafferem & alios quoſdam purpuratos habere à Mehemete in mandatis, ut caſtra noſtrorum, quæ ad XXI. diem Octobris, propè Miſcocium collocata erant, vel circa noctem, vel ſummo diluculo, cum XXX. millibus Turcarum adorirentur. Quamobrem Maximilianus Suartemburgo legato, ut caſtra carris & curribus muniret, excubiarum numerum duplicaret, ac ſub noctis medium novis & recentioribus militibus ea variaret, omneſque in armis paratos eſſe juberet, ſeriò juſſit. Sequenti die, qui fuit XXII. Octobris, inſtructis aciebus ad Creſteſum promotus exercitus; præmiſſique Hermanus Rifwitzius excubiarum, ac Joannes Baptiſta Peczius, Contuberniorum præfecti, cum DC. equitibus, ut caſtris idoneum locum caperent, adventúmque caſtrorum ibidem opperirentur. Illi cùm Giafferem ejuſque copias non procul conſpexiſſent, ſubitò, remiſſis aliquot equitibus majorem equitum & peditum numerum tam Germanorum quàm Ungarorum celeri curſu ſubmitti poſtularunt; interim tamen minutiorem pugnam ad paludis tranſitum cum hoſte inceperunt. Palus illa oritur ex amniculo Cincia nomine, qui è montibus ſupra Vatam vicum poſitis in eam planiciem delapſus, nulliſque ripis coërcitus, repit potiùs quàm fluit, denique pigro ubique lapſu in Saionem ſupra Sancti Petri oppidum fertur difficilis tranſitu, quamquam vadoſus ob profundam cœni voraginem.

Ad Creſteſum promotus noſter exercitus.

Quibus mox præſto fuit Suarcemburgus cum Auſtriaco equitatu, ac Palffius cum Un-

Hoſtes prælio cũ

garis,

1596. *Noſtris dimicantes profligantur.* gatis, & Albertus Quiralius cum Tranſilvanienſibus copiis. Hoſtes fugam ſimulantes ac paulatim terga vertentes, noſtros ad inſidias Janicerorum, ac tormenta, quæ non procul collocaverant, allicere contendebant; Sed cùm à noſtris dolum animadverti vidiſſent, tormentis, quæ magno numero adduxerant, in noſtros obverſis & exploſis rem gerere cæperunt. Nec Suarcemburgus ſuis defuit, quin capto ex tempore conſilio, aſſumptâ quorundam Tranſilvanorum ac Palffianorum peditum validâ manu, ſex colubrinas campeſtri pugnæ aptas, paludi, quà erat tranſitus, celeriter admoveret, & in confertos hoſtes exploli juberet. Mox accurrentibus Franconicis & reliquis Auſtriacis equitibus, ſe ſuperioris Ungariæ copiis, & aliquot Wallonum turmis, prælium acerrimè redintegratur; tormenta cum magna ſtrage hoſtium, qui confertiſſimi ad vadum conſtiterant, bis diſploduntur, pedites ſclopetarii hoſti locum eripiunt, ac ſuperato paluſtri tranſitu eum in effuſam fugam vertunt. Quam quum noſtri equites vidiſſent, fugientium tergis inſiſtendo, ac cædendo ad duo milliaria proceſſerunt, cæſis ex hoſtium numero circiter M. Janiceris, & equitibus, qui ferè omnes prætoriani erant, ampliùs quadringentis. Ex noſtris non plures XV, militibus interfecti, totidem vulnerati ſunt; & in iis Dithmarus Quinſpergus equitum ſclopetariorum magiſter claro loco natus, vulnere minimè lethali perſtrictus fuit. Tormenta etiam omnia, quæ

Tormenta 45. Turcis adempta. hoſtes ſecum habebant, noſtris reliquerunt, quæ XLIII, numero in caſtra noſtrorum attracta ſunt. Et niſi nox ſuperveniens certamen diremiſſet, haud parva eo die victoriæ ſpes noſtris affulſiſſe videbatur. Hujus pugnæ lætiore ſucceſſu noſtris ingens animorum ardor, ac decernendi de rerum ſumma cupiditas creverat, ita ut Tranſilvanus ante auroram inſcio Maximiliano, cum ſuis omnibus paludem tranſiret, ut cæteros ſequuturos urgeret, quo citiùs ad conſerendas manus deveniretur. Verùm inito conſilio viſum fuit, ut eo revocato, tam equis, quàm viris, longo itineris labore fatigatis aliquantulum quieſcendi ſpatium concederetur; intereaque de progreſſu ac conſiliis hoſtium certiores cognoſci poſſent: quandoquidem multi Mehemetem reductis copiis jam reverſum eſſe, multi Agriæ adhuc ſubſiſtere, & noſtros invadendi conſiliis agitare ferebant.

Interea quòd eo loco nec pabulandi, nec lignandi, nec aquandi copia erat, meliori & commodiori loco delecto, caſtra ulterius quartâ parte milliaria à Creſteſo locari placuit; eodémque die ab Ægidio Magno, ac Joanne Atnor, qui juſſu Palffii Agriam versùs excurrerant; tum verò à Niſrio in hoſtium caſtris captivo, per idoneos homines allatum eſt, Mehemetem cum univerſo exercitu adversùs noſtros tendere, animo cum illis confligendi. Quamobrem Maximilianus & Sigiſmundus ac cæteri duces dictis ſententiis decrevêre, ſatiùs conſultiúſque fore, illum loco tutiore præſtolari, quàm obviam ei procedere. Nec eventu conſilii caruêre; eodem namque die circa meridiem ſex millia Turcarum & Tartarorum, ductore Galga paluſtrem illum locum trajecerunt, ſed eos noſtri magnâ eorum cæde repulerunt, & ſex tormenta, quæ advexerant, eis ademerunt. Mehemetes ſummo diei ſequen-

Mehemetis ca- tis diluculo, cum innumerabilibus copiis, ac ingenti tormentorum numero, ac camelis, mulis, & jumentis clitellariis, aliaque infinitâ impedimentorum multitudine, caſtra in conſpectum

1596. *ſtra ſua noſtris objicit.* noſtrorum poſuit, quæ multi duces veterani certo judicio ad CL. millia utriuſque ordinis militum continere exiſtimabant. Tametſi autem inſtructæ acies, ac denſata haſtatorum equitum agmina, invicti exercitûs robur, ac ſpeciem proſpectantibus præberent; nemo tamen erat ex noſtris, qui tumidum hoſtem, ac numero quàm virtute fretum magnopere formidandum putaret; ſed magìs pertinaci admodùm devoti animi propoſito pugnam poſcere videretur.

Nec mora, priuſquam caſtra univerſim conſediſſent, primum agmen validiſſimum, quod præceſſerat, in quo Haſanes Mehemetis magni filius Budæ præfectus, ac Sinanus Ferhate nuper ſtrangulato genitus, ac Cicala purpuratus, ac ipſius Ibraimi legatus, à Barbaris Quibasa dictus, rem gerebant, rectà ad paluſtrem tranſitum acceſſit, ac pars in Cæſarianos laceſſendos irrupit, pars verò pluribus in locis, ſicubi vado locus reperiretur, tentare cæpit. At Maximilianus, ex ea hoſtium circa paludem obverſatione facilè cognito, eos id agere unicum, quo caſtra circumvenire poſſent, mox relicto juxta locum tranſitus Tiffenbachio, ipſe relictis ad præſidia caſtrorum equitum peditúmque ſubſidiis, quæ ſuffectura putabat, reliquas copias in aciem produxit in tres ordi- *Copiæ noſtræ in aciem productæ.*
nes diſtinctas, ac Suarcemburgum opem Tiffenbachio laturum adcurrere ad vadum juſſit; qui oblatâ ſtatim occaſione inſtantes truci ululatu barbaros, ac tranſire conantes adorti, in hoſtilis exercitûs conſpectu, magnâ eorum *Hoſtes paludem tranſire conatos repellunt.*
cæde ſtragéque editâ, profligatos longè ſubmovere, tantâ vi atque ardore, ut quatuor colubrinis, quas attulerant, ac tribus circiter millibus ſuorum amiſſis turpiter profugere, ſocioſque, qui templum deſolatum propè vadum occupaverant, deſerere cogerentur. In tanta autem re perficienda neque noſtris incruenta victoria fuit; quandoquidem circiter CC. ex Tranſilvanicis peditibus, qui ſtudio inſequendi hoſtis præter mandatum, ultra vadum procurrerant, cæſi ſunt, nec pauciores ſauciati; ubi etiam Dithmarus Quinſpergus pilâ falconis ab hoſte emiſsâ ictus atque interfectus fuit: Franſpergus Bavarici equitatûs præfectus in crure, ac Georgius Rubetus Tocaio præpoſitus, in humero vulnerati: Sed in partibus Turcarum, præter Aſiæ Beglerbegum, tormenti ictu ſublatum, ac gregariorum militum maximum numerum, ex præcipuis prætorianis equitibus plurimi deſiderati ſunt. Eo in loco tormenta Cæſarianorum, quæ eminentiori in colle ab Joanne Preſtenſcio eorum præfecto collocata erant, ingens detrimentum Turcis intulerunt; adeo ut nulli ictus abſque certa & cruenta confertiſſimorum ſtrage emitti viderentur. Maximilianus ſolicito animo ad omnia intentus, tamdiu in acie ſtructis ordinibus perſtitit, donec hoſtes, regreſſi ad ſua caſtra profugiſſent; quæ non ſinè horribili clamore ac fremitu tandem ſubſederunt; ita ut bina caſtra vix quartâ parte milliarii invicem diſtarent, exiguo ſanè quamquam paluſtri & uliginoſo rivulo Ciocia diſcempta; qui amborum viris & equis potum uſumque præbebat, adeo non profundus, quod poſtea compertum eſt, ut multis in locis pediti

pati-

1596. pariter & equiti pervius, nec tranſitu admodum difficilis eſſet.

Repulſis hoſtibus Maximilianus receptui cecinit, ac ſuos in caſtra reduxit, datis Roſwurmio mandatis, ut totam noctem obitus diligenter vigiliis excubaret; Suatcemburgo autem, ut paſſim omnibus per caſtra publicaret, quo quiſque ante lucem in campo ſub ſuis ſignis & turmis armatus inſiſteret, ſeque ad experiendam ſummæ rei fortunam, Deo Optimo Maximo juvante pararet. Quod pro eo ac juſſum erat, ſummo diei diluculo, qui erat XXVI. Octobris, Divo Demetrio militi & martyri ſacer, factum fuit.

Vterque exercitus ſe ad prælium parat.

Ad tuenda verò caſtra, circiter ſex millia equitum ſubſidio relicta ſunt, inter quos quadringenti ſclopetarii erant, additique iis pedites Sileſiaci, Norimbergenſes, Auſtriaci, Caſſoviani, & Luſatii, ac non parvus Ungarorum peditum numerus, præter aurigas, calones, lixas, aliosque id genus homines caſtrenſibus miniſteriis dicatos, ac mercatores: quibus præeſſe juſſus Carolus Teraurus Moravicorum equitum ſclopetariorum præfectus, Ungaris verò Benedictus Pogranius. Altera ex parte hoſtes haud diſſimili pugnæ aviditate ducti, quòd noſtros adeo contemnerent, ut ſuum adventum, ne expectaturos quidem ſummâ vanitate credidiſſent, paludem de nocte magno numero tranſierant, & tam citra vada quam ultra, inſtructis aciebus ſtabant; ita ut omnis moles ac robur exercitûs in modum creſcentis lunæ, validis agminibus expanſa ac parata, confligendi poteſtatem tympanis, & aſſiduo tubarum & buccinarum ſono ac clangore offerre videretur.

Turcici Baſſæ, ſuos, ut fortiter rem gerant, hortantur.

Omnes enim purpurati, ac ipſe Ibrainius eorum princeps ejuſque legatus, magni vir nominis Mehemeres, ac Giaferes, & Cicala, ac Sinanus, multique alii, præter Chauſios & minores præfectos in acie obequitantes, multo ſermone ſuos ad prælium accendebant; ut ad victoriam omni ope contenderent, eamque inſignem & toto ævo memorabilem Mehemeti novo & juveni imperatori invictis dextris & armis pararent, qui & avo ejus Selimo, proavoque Solimano perpetuis nobilitati victoriis ſtrenuê pugnare pro una tantùm nominis gloria didiciſſent; quod ſi ipſi, ut ſint ſoliti, fortiter arma expediverint, non modò vim eorum hoſtes non ſuſtinerent, ſed nec aſpectum formidabili incumbentium impetu ferre poſſent.

Maximiliani Principis oratio ad milites.

Maximilianus contrà obeundo ordines, & quemque præfectorum ſingillatim compellando, & fortiter Chriſtianam rempublicam, cujus ſalus & incolumitas in eorum dextris ſita eſſet, tuendam defendendamque ſuſciperent, paucis verbis hortari, hanc diem, hanc aciem futuram dicere, qua poſtquam Dei immortalis ope victoriam de perfidis hoſtibus reportaverint, non tantùm laboribus & ærumnis hactenus exantlatis, ſed imperio barbarico finem, ac omnium, quæ erepta ſunt recuperandorum initium ſit allatura: non debere eos multitudine hoſtium terreri, aut eam formidare, quum Chriſti Dei Optimi Maximi muneris ſit ac benignitatis, ad extollendam ſui nominis gloriam, multos à paucis, ſuperbos & tumidos ab humilioribus poſſe ſuperari. Nunc vitam, corpus, fortunas, rem domeſticam, conjuges, liberos, ac omnia, quæ dici talia poſſunt, libertate, ac Chriſtiani nominis aſſerendi ſtudio, poſt ea tota ducant, ac arma expediant.

Dum hæc & alia Maximilianus fiduciæ ac bonæ ſpei plenus commemorat, Turcæ magis ac magis paludem tranſire, ac verſus Cæſarianorum caſtra progredi cæperunt. 1596.

Tum verò ſigno dato Suatcemburgum cum Palffio in prima acie hoſtem, Deo auſpice adoriri jubet; ſed ſi is terga det, ultra vadum inſequi ob certas cauſas prohibet: Ipſe cum Sigiſmundo & Tranſſilvanis medio agmine pedetentim ſubſequitur: A tergo in tertio agmine Tiffenbachius cum Simone Forgacio, Stephano Bathorio, aliiſque exercitum claudebat; quem etiam quum Tartari qui caſtra adoriri contendebant, à tergo invaſiſſent, rejectis eis & cum cæde repulſis, ſervato ordine ſuum iter proſequutus eſt.

Noſtri hoſtem ultra paludem repellunt.

Primum agmen noſtrorum duobus in locis in hoſtes irrupit, & ſtatim abſque acriori certamine in fugam vertit; ita ut qui lacunam tranſierant, multa cum ſtrage ultra eam fugati, ſocios qui ex ulteriore ripa tranſire parabant, magna ordinum confuſione perturbarent, plurimoſque ſociorum præcipui nominis & dignitatis cæſos amitterent, ſimul cum XLIII. tormentis, quæ ſecum tranſvexerant, ac quinque carris, quæ batillis & ligonibus, ac aliis effodiendo ſolo inſtrumentis onerata erant, ac decem, in quibus pulvis ſulphureus & pilæ ferreæ erant, in caſtra noſtrorum perductis.

Cum magna clade & tormentorum ademptione.

Quæ illi ideo ſecum advexiſſe ferebantur, ut occupato, quod ſecus pugnæ locum erat, delubro, à multis annis deſerto, aggeribuſque in eo conſtitutis & illatis tormentis noſtros premere & infeſtare acrius poſſent. Sed & ea omnia ibidem relicta fuêre, Janiceri circiter trecenti, qui operi perficiendo erant adhibiti, ad unum omnes cæſi interiêre. Parta feliciter hac victoria, fuſis & fugatis hoſtibus, Maximilianus, uti erat ante pugnæ initium in conſilio deliberatum, ſuos paludem tranſire nequaquam concedebat, cùm potiſſimum ſolem jam inclinare ad veſperum videret; verùm non ſolum princeps Tranſſilvanus cum Quiralio, cui ille plurimum tribuebat, ſed etiam Palffius, ac alii plures, tam Germani quàm Ungari, Italique, ut exorientem victoriam, Deo auſpice, proſequi maturaret, nec hoſti perterrito & fugienti ſpatium reſpirandi concederet, orare atque obteſtari cæperunt. Victus tandem eorum precibus, ne cunctatione ſua tantam rei bene gerendæ occaſionem amittere, ac ignaviæ notam ſubire videretur, quod Deus Optimus Maximus ſecundare vellet, macte virtute viri ite, inquit, mecum unà, & hoſti fractis viribus fugienti ad plenum victoriæ cumulum incumbite: tum Suarcemburgo, ut copias bono ſervato ordine tranſjiciat, jubet.

Dum hæc fiunt, ac noſter exercitus tranſjicere vadum parat, Mehemetes extra ſua caſtra ſub tentoriolo, quod ad ejus uſum uno Camelo clitellario geſtari ſolet, complicatis cruribus, humiliore plicatili ſcabello cogitabundus, exitumque pugnæ expectans ſedebat: ac ſonipes albi coloris, caudam & ſummos ſupra ungulam pedes, croceo colore tinctus juxta ſervabatur.

Mehemetes, noſtris tranſeuntibus, effuſo curſu fugit.

Ad eum citato equi curſu Cicala luto fædatus, amiſſo capitis tegumento veniens præſto fuit, & hoſtes paludem tranſiiſſe nuntiavit: Tum ipſe conſcenſo equo cum prætoriano ſuo comitatu, qui ad ſex millia equitum, armis, veſtibus, equis ſplendidiſſimè inſtructi erant, relictis aliis omnibus pro-

1596. profugi adeo extento curſu, ut eam noctem nuſquam ſubſiſtendo, alterius diei medio ad Solnocum perveniret, ibique eum prætor & nonnulli Segedini cives conſpicere poſſent, ac ab Ibraimo, qui unà fugæ comes erat, ut illi recenter coctus panes, uvaſque & ſimiles fructus afferrent, admonerentur. Ejus Exemplum ſequuti ſunt omnes alii, quotquot elabi paſſim potuêre, ſimul cum Ricardo Reginæ Angliæ Eliſabethæ legato, qui caſtra ſequebatur; ita ut diverſis viis, pars Agriam, pars Solnocum, multi Peſtum & Budam palantes pervenirent. Antequam totus exercitus noſtrorum trajiceret, multi ex Germanorum æquè ac Ungarorum numero vado trajecto, cum Turcis manus injuſſu conſerebant, hos alii ſuppetias laturi catervatim ſubſequebantur; ita ut magna manus utriuſque gentis ex ulteriore parte cum hoſtibus pugnans conſpiceretur. Quos quum Maximilianus retro ad ſua ſigna revocari, & eis, ne prædæ cauſa quiſpiam acie atque ordine excederet, aut ſigna deſereret, ſeriò interdici juſſiſſet, noſtri hoſtium nimis avidi, mandatis obaudiris, in hoſtes eo magis ferri, nonnulli cum Tartaris congredi & qui in poſtremo agmine locati erant, quiſque ad primos provolare, imperia ducum ſurdis auribus excipere, nec iis parere; poſtremò pedites palantes ac anhelantes, ruptis ordinibus, ad ſocios properare. Qua in rerum perturbatione uſque adeo noſtri, unanimi temeritate, ſine ordine, ſine ducibus hoſti incubuêre, ut non ſolùm totis caſtris, ſed etiam tabernaculis ipſius principis Mehemetis & tormentis quæ ibi penes tentoriorum ſeriem catenis ferreis connexa erant potirentur, ac multi ex Germanis tentoria egregii operis & ſplendida, variarumque rerum plena, fixis ante oſtia haſtis & alabardis, ad tribunorum & ducum ſuorum uſus certatim occuparent. Alii hoſtem fugientem inſectando, cùm in caſtrorum marginem perveniſſent, omiſſo hoſte ad prædam converſi tabernacula ſpoliare, ciſtas ſecuribus perfringere, multi funibus tentoriorum, qui inter ſe arctè connexi & illigati erant, irretiti, ac à Turcis cuſtodibus, partim gladiis, partim ſudibus & lignis, aut ſemiambuſtis titionibus, è foco arreptis ſubmoveri. Sed & iis fugatis aut interfectis, jam ad diripienda prætoriana tabernacula proceſſum erat, multique è ſpadonibus pueri, ac mutis, quos elingues ac per quædam ſigna animi conceptus edentes, Turcarum principes ad varios uſus, & ad illidendas fratrum ac purpuratorum fauces alere ſolent, cæſi atque interfecti paſſim jacebant; adeo ut etiam ipſi Taliſmani, & Hogiæ, & Derviſii, quæ ſunt ſacerdotum apud illos nomina, rebus deſperatis flere, ejulari, barbas ſibi ipſis evellere, elatis in cælum oculis Deum incuſare, qui ſectum religionis Mahumetanæ nomen, impiorum pedibus proculcari permiſiſſet, imperioque quod tot annis retroactis invictum, florens ac inſuperabile ſteterat, triſtiſſimum & luctuoſiſſimum finem impoſuiſſe videretur.

Noſtri, hoſtibus disjectis & fugatis,

Caſtris diripiendis incumbunt.

Hæc mora & noſtrorum inhiandæ prædæ aviditas Turcis fugientibus ſaluti fuit, quum ex adverſo noſtris, ne pleniore victoriâ potirentur, importunè retardatis, præclaram delendi hoſtis occaſionem, nec unquam fortaſſis offerendam proculdubio eripuiſſet. In eo tumultu Niarius, qui prope Mehemetis & Ibraimi tentoria à decem Janiceris cuſtodiebatur, nemine reſiſtente elapſus & equo impoſitus, ad noſtros feliciter evaſit. Alberto Lonjajo nuper in quadam excurſione capto, ne evaderet, acerbior fortunæ invidere viſa eſt: eum enim ſumptis armis evadere conantem, Janiceri haſtâ transfoſſum crudeliter mactavêre. Eodem modo Michael Bonus Nogradienſis, ac Vitus Vidffius Dregelienſis præfecti, qui alios ab agenda præda arcere debuerant, dum ciſtas aureis nummis & pecuniâ plenas effringunt, à ſupervenientibus Turcis trucidati, temeritatis ſuæ pœnas dederant. Interea Turcæ non magno numero, qui ad cuſtodiam caſtrorum relicti erant, cæteris abeuntibus, (qui tamen nequaquam ultra quingentos fuiſſe viſi ſunt) reſumptis animis, pedites noſtros rapinis onuſtos in turpem fugam conjecerunt. Tum Maximilianus ſuis laborantibus cum turma prætoriana accurrens in ipſo progreſſu obvios habuit equites Germanos pariter & Ungaros tanto pavore & formidine ſe & ſuam turmam prætervolantes, ut etiam proximos pedites proterrerent, & multos pari terrore poſt ſe trahere viderentur. Igitur concitato quantum potuit, equo ad vadum properavit, & non tantùm verbis, ſed & jurgiis & ſtricto gladio fugientes retentare conatus, tantum effecit, ut nonnulli falcones curules in hoſtes exploderentur, ac Bernardus princeps Anhaltinus, qui equitibus ſuperioris Saxoniæ præfuit, duo equitum vexilla ſiſteret, & in hoſtem fortiter duceret, iſque ab equitibus pulſus fortiter fugaretur. Sed quum cæteros cujuſvis nationis neque fugam ſiſtere, nec dicto audientes eſſe appareret; quin abjectis ſignis non victoriæ conſulere, ſed urgendo calcaribus equos ignominioſe & turpiter curſum intendere videret, jamque nox ingrueret, neque illis, qui trepidè fugiebant, nec ullis ad caſtra ſe recipiendi animus eſſet, ipſe quoque conſilio ex re capto cum paucis Miſcocium ſeſe proripuit, ac in itinere in Germanicum Stratoldum ac Carolum Ruſciuni comites incidit, qui poſtea ab ejus latere nuſquam diſceſſerunt. Ubi illuc perventum eſt, tum etiam Tranſſilvanos & Vallones ac Germanorum equitum plurimos jam Caſſoviam aut Sendroviem, Puthnocumque procurriſſe cognovit; indeque etiam ipſe leniori gradu Caſſoviam ire perrexit: Palffius & Burgaviæ regulus eum paulò pòſt ſecuti ſunt. Solus Tiffenbachius cùm ſuos fugientes ſiſtere nequiviſſet, nec à quo fugaretur quemquam hoſtem videret, in caſtris cœnavit, totamque noctem in iis tranſegit, ac mane facto tutus & intactus cum ſuis impedimentis Caſſoviam appulit: quum reliqui omnes omnia plauſtra oneraria curruſque & ſarcinas, ac tentoria pavidi deſeruiſſent, aut injecto igne ne hoſtibus cederent, concremaſſent. Tranſſilvanus Tocaium, ac deinde Varadinum, & poſtea in ſuam provinciam diſceſſit. Turcæ etiam omnes fugæ ſeſe committentes, deſertis caſtris & tormentis omnibuſque impedimentis, qua quiſque potuit, dilapſi ſunt; eorumque tabernacula & res Tartaris, ac vagis è confinio equitibus, noſtrorum verò Coſacis, & Haidonibus, & agricolis ceſſere; qui tamen ſeſe terreri paſſi non ſunt, ſed conferti rectà proceſſerunt, meliore uſi fortunâ feliciter evaſerunt. 1596.

Turcæ nonnulli noſtras ſpoliis onuſtas in fugam conjiciunt.

Panicus terror.

Qui nobis victoriam e manibus eripuit.

In hoc prælio, quo nullum acrius ac magis cruentum noſtra tempeſtate fuit, tam aperto in campo, quam hoſtium caſtris, interiêre ex noſtris

Interiêre è noſtris decem millia.

1596. noſtris quinque aut ſex millia equitum, ac totidem peditum, inter quos non particulari nominis præfecti, ac equitum magiſtri, tribunique & centuriones; inprimis verò fratres duo Erneſtus & Auguſtus Holſatiæ Duces: Cecidit etiam è Bohemis Wenceslaus Poppelius, cum Joanne Pierspſcio, ac ex Italis, Wallonibus, Weſtphaliſque, ferè omnes deſiderati; E Suevis & Vindelicis Eitelechius Raiſacus, ac Plemburgius, Conradus ab Ulm, Marquardus à Frybetg, ac centurio Praiſnerius cum plurimis ſuorum. Joannes Perſtinſeius relictis omnibus tormentis & apparatu bellico, cui præfuerat, ſe in tutum recepit. Ex Ungaris præter gregarios, ac Vidſſium & Bottum, qui primi equis deſcendentes, prædæ ac rapinis incubuêre, cæſos ac interfectos, Sebaſtianus quoque Forgacius, & Stephanus Zelemerius, Petrus Palffius, ac Joannes Telegdius, claro luco nati adoleſcentes, Nicolaus item Hathalmius, Stephanus Eſterbaſius, & Nicolaus Stritteius, cæſi periêre. Nemini enim vivum hoſtem capere licebat, quòd id uno ante pugnam die crudeli principis edicto cautum eſſet, Lupus Docius & Joannes Sofius, ſuſceptis vulneribus, quum à Medicis curari non potuiſſent, domi è vivis exceſſerunt. Paulum Brunmanum Archiabbatem collegii S. Martini, quod prope Jaurinum in edito ſacri montis Pannoniæ jugo ſitum eſt, nuperrimè Româ reverſum, & Gregorium Apunium Tartari ſagittarum ictibus transfixos, cum multis aliis, dum in caſtra irrupiſſent, ſuſtulerunt. Ex Tranſilvanis Andreas Georgii Barbelii filius, ac è Siculis Stephanus Lazarus, alter ab illo, qui prætorianorum peditum ductor erat, in tranſitu paludis ab Janiceris trajecti glandibus occubuerunt. Periit etiam Nicolaus Gabelmanus, vir Germanus, qui ut res in Pannonia adverſus barbaros geſtas literarum monumentis poſterorum memoriæ tranſmitteret, à Nadaſdio Cæſari fuerat commendatus, ac in caſtra ſe contulerat, ut eorum, quæ ſcribenda ſibi propoſuiſſet, pars foret, ſubjectaque oculis fideliùs commemoraret. Quo autem caſu perierit, in pugna ne, aut ejus nocturnæ fugæ tumultu, incertum eſt; quum poſtea à nemine viſus, nec quicquam de eo auditum aut compertum ſit. Ex hoſtium numero tribus in præliis XX. millis promptiſſimorum occubuiſſe fama fuit, eaque conſtans & ſimilis vero. Nam tormenta ſuis locis aptè diſpoſita, & collibrata, ingenti eis detrimento fuêre: & alios in fuga ac palude, multos glandibus & gladiis cæſos, cœnoque immerſos amisêre; quorum recenſeri nomina nequeunt; certum tamen eſt, purpuratos & præfectos, ac plurimos celeberrimi nominis & dignitatis viros tam prætorianos, quàm finitimis in locis ſtipendia merentes, ingenti numero interiiſſe. Nam & in caſtris hoſtilibus varii erant animorum habitus, alii enim mœrore, pauci gaudio affici videbantur; prout cuique ſocius aut propinquus in prælio occiderat, aut graviter vulneratus diſceſſerat, vel quælicunque prædæ lucro erat potitus. Sed quum Byzantium de fuga tanti regis, quem barbari Diis proximum & inſuperabilem ducebant, ac triplici exercitûs cæde allatum eſſet, famâ in majus cuncta augente, paſſim in urbe fletus & lachrymæ, non per privatas duntaxat domos, ſed in palatio gynæceoque principis, ac luctus & dolor ubique agitabantur.

Duces & primores quinam occiſi.

Ex hoſtibus XX. millia occubuêre.

Hæc eſt memorabilis pugna Creſteſiana, à 1596.
Turcis Agrienſis appellata, quam ſingularis magnanimitatis & virtutis princeps Maximilianus toto terrarum orbe meritis laudibus celebrandus, pro Chriſtiani nominis gloria vindicanda, ingenti auſu, & niſi prædæ ac ſpoliorum cupidine corrupta fuiſſet, haud improſpero fine pugnavit: quæ tametſi non omnino ex animi ſententia ſucceſſerit, id ſaltem propitia divini numinis majeſtas manifeſtum reddidit, hujus ipſius hoſtis potentiam & vires, quas in hoc prælio ex ſelectiſſimis omnium provinciarum ſuarum militibus conflatas habuiſſet, non eſſe tam formidabiles & immanes, ut Deo Optimo Maximo bene juvante, reprimi ac ſuperari non poſſint, modò ſecundùm Deum ejuſque opem forti & intrepido animo invadantur, ac ſervatis ordinibus (imprimis autem ne prædæ ſtudium obſtet) imperando ac bene agendo, ad ſolius victoriæ conſequendæ finem votis omnibus reſpiciatur. Quod verò non deeſſe pleri que videntur, à quibus carpatur, quòd vadum cum ſuis tranſierit, ac poſt id facinus, dilabentibus ad prædam colligendam militibus, victoriæ jam ferè in manibus habitæ exitum corrupiſſe exiſtimetur: ſi quis ea omnia, quæ in hujus totius prælii progreſſu, ac rebus quæ illud circumſtabant, acta ſunt, æquo judicio ponderanda arbitretur, legitimâ ac juſtâ neceſſitatis excuſatione, facilè calumniæ eximi jureque defendi poſſe videtur. Niſi enim Tranſilvano & Palffio cæteriſque multis hortantibus, ac partæ victoriæ gratulantibus, ac ad eam totis viribus proſequendam ſuadentibus paruiſſet, vitare nullo unquam tempore vel ignaviæ vel ceſſationis crimen potuiſſet, quòd tali tamque inſigni occaſione hoſtibus profligatis & ad internecionem deletis, in republica Chriſtiana perpetuo metu ac periculo liberanda ſegnius, ac flagitioſius, quàm virum principem deceret, proceſſiſſe videretur. Neque verò credendum eſt, Mehemetem anxio animo pugnæ exitum pro caſtris expectantem in fugam conjici potuiſſe, niſi ſuis fuſis & fugatis noſtros cæca paludis vada toto victore exercitu ſuperaſſe, ſibique præſens imminere ſalutis diſcrimen intellexiſſet; Quo animadverſo, conſtat tandem eum metu haud inani perculſum equum popoſciſſe, & fugam arripuiſſe; minùs rè id facturum, ſi noſtros adhuc trans paludem hærere ſenſiſſet, & fortaſſis extrema etiam inſtaurandi belli conſilia eâdem nocte initurum fuiſſe.

Cæterùm Mehemetes, ut erat corpulentus, & membris ex nimia agitatione graviter affectus, Solnoci aliquot dies quieti & otio indulſit; denique præmiſſis terreſtri itinere prætorianis & aliis, qui in ultramarinis Aſiæ regionibus ac Græcia ſedes habebant, ſeque Belgradi expectare juſſis, ipſe cum familiare ſuo comitatu conſcenſis biremibus ſecundo amne Tibiſco Titulium venit, ad ejus & Danubii confluentem ſitum, indeque à nullo laceſſitus, nec ipſe cuiquam infenſus eâdem vectus claſſe Belgradum pervenit: nec ibi diu moratus exercitu per Bulgariam ducto primò Hadrianopolim, ac poſt paucos dies Byzantium contendit, quo in itinere, priuſquam montem Æmum ſuperaſſet, ejus copiæ ſæpius à Tranſilvanis & Valachis, ſtructis carptim inſidiis petitæ, ac ut erant longo itinere, magniſque laboribus & ærumnis admodum extenuatæ, pluribus in locis multa variaque detrimenta acceperunt: iiſque

Mehemetes Byzantium revertit.

que

1597. que tandem ægre ſuperatis ad ſuas ſtationes in hiberna conceſſerunt. Maximilianus poſtquam paucos dies quieviſſet, plurimis ac maximis rerum difficultatibus circumventus, exercituque & rebus bello neceſſariis deſtitutus, nec inſtaurandi belli, nec repetendæ Agriæ conſilia amplecti potuit. Sed relicto Caſſoviæ Tiffenbacho, conſcenſis curribus ad ſextum Calcodas Decembris Viennam venit, ibique Suarcemburgum & Rosburmium cum Burgavio & Preſtenſcio, nonnulliſque aliis præfectis invenit: ac una cum iis brevi poſt ad Cæſarem fratrem, ut eum de fortuna & ſucceſſu prælii edoceret, & rationes propulſandi in futurum hoſtis, quem minime quieturum noverat, coram iniret, Pragam contendit. Ille enim totius hujus belli cum Turcis tam vario & ancipiti Marte geſti tempore, ne unico quidem paſſu pedem ex ea urbe extulit; Sed tamen & tum & poſtea infracto animo, redivivaque virtute bellum ſic adminiſtravit, ut Maximilianus adveniens nullo territum periculo, iiſdem etiamnum inſtaurandi belli cogitationibus, ac qui infenſæ fortunæ acerbitate, præfectorumque ignavia amiſſi erant finibus recuperandis maxime intentum, potiſſimum autem Jaurini ab hoſtium faucibus extorquendi, ſtudioſiſſimum cupidiſſimumque repertret. Quamobrem ei cuncta pro neceſſitate inſtantis belli denuo curanda committit, & quæ ex uſu & diſciplina forent, adminiſtrari jubet, utque dilapſum exercitum reparet, duces & præfectos ad conſcribenda nova legionum ſupplementa admoneat, equitarum, tormenta, eorumque apparatum reſtauret, in mandatis dat: ipſe vero inſtante jam nunc hyeme, in Germania aliiſque regnis & provinciis ſuis, ſe comitia promulgaturum, inque iis novas copias & pecuniam in ſtipendium, ac commeatum, reſque bello neceſſarias diligentiſſime curaturum pollicetur; ita ut ineunte vere ad primi graminis è terra erumpentis herbam, caſtra tempeſtive in apertos campos promoveri poſſint. Quæ omnia tametſi Cæſaris & Maximiliani etiam opinione ſetius confecta fuerint; hac tamen Cæſaris voluntate cognitâ in Tirolim digreſſus eſt, deinde Viennam ſecundo Danubio revectus, recte conſulteque ſe facturum duxit, ſi muneri ſibi impoſito oportune proſpiciendo, legionum tribunos, turmarumque & tormentorum præfectus, potiſſimum vero annonæ & commeatus curatores officii admonitos, ut mox appetente vere, recte omnia curata in promptu eſſe vellent, aſſidue urgeret.

Maximilianus Viennam indeque Pragam ſe confert

Sub id tempus prælii Creſteſiani Haſanes parvus Sigethi præfectus, quod majorem Ungarorum partem & caſtra evocatam exiſtimaret, & Nicolaum Horvatum præfectum abeſſe ſciret (is quamquam Turcas adventantes non ignoraret, vir tamen verbis ferox, ſed ut poſtea apparuit in periculo pavidus, ac rapinis infamis de induſtria diſceſſerat) collectis quatuor circiter hominum millibus, Baberciam tormentis admotis obſedit. Sed Gregorio Vego, ac Urmillero cohortis Germanicæ ductore fortiter defendentibus voti compos eſſe non potuit: nec tamen prius incepto deſtitit, quam Georgium Comitem Zrinianum cum auxiliis undiquaque contractis adventare, jamque Caniſam perveniſſe cognoviſſet: Quem expectare minimè auſus, reductis copiis & tormentis Sigethum eſt reverſus.

Haſanes Sigethi præfectus Baberciā irrito conatu oppugnat.

Iſthuanf. Hiſtor.

Zrinius tamen remiſſo in hiberna exercitu, cum ſua peculiari equitum ala eo profectus loca tormentis diruta reſtauravit, collaudatiſque militibus, qui obſidionem toleraverant; ac ut deinceps quoque virtutis memores ſimilem adverſus hoſtes operam navarent, admonitis, Caniſam, ac deinde domum rediit. Solutâ obſidione Horvatum redeuntem milites arce excluſerunt, quod eum metu obſidionis territum dolo malo abfuiſſe noſſent, & Matthias princeps, approbato eorum judicio Gregorium Perconem in ejus locum ſuffecit. 1597.

Principio ejus anni Sigiſmundus è Tranſilvania cum ſplendido comitatu Pragam venit, ut promiſſum ſibi aurei velleris, ut vocant, torquem, mittente Philippo rege Hiſpaniæ acciperet, & quæ de tradenda Cæſari Tranſilvania præter omnium opinionem tractare ceperat conſilia, aliquo fine terminaret. Torque ſolitæ pompæ more accepto, miſſis ultro citroque Boſcaio, Cornisio, Joſica aliiſque, quorum conſilio utebatur, provinciam, quæ antiquitus ad regnum Ungariæ pertinuiſſet, certis quibus utrinque conveniri poſſet conditionibus, redditurum obtulit. Et ſane Cæſari, qui eum in provincia manere maluiſſet, repentina & inſperata ejuſmodi conſilia non parum admirationis ac ſolicitudinis pepererunt. Nec deſtitit eum per arbitros, Pontificium & Hiſpanicum legatos graviſſimis rationibus à propoſito dehortari; poſtremo coram ſerio diſſuadere, ne hujuſmodi indecoris neque tutis conſiliis inhærendum duceret; licere ei, retenta provincia, quietem pacemque agitare; poſtquam ſuo interventu ac ſolicitudine Pontifex, & Hiſpanus Rex, uti hactenus, ſecundis rebus ſuis feciſſent, ita adverſis, ſi, quod Deus avertat, ingruant, minime eum ſint deſerturi; ſe vero è propinquo exercitum, tormenta, reſque bello neceſſarias, virorum & armorum, quod ſatis ſit, & aurum rerum nervum oportune ſubminiſtraturum, & ſi res poſcant, ſeipſum in tempore vindicem aſſuturum. Conſiderandum ei etiam atque etiam eſſe, ne hos ſubitaneos animi motus nullis nixos fundamentis, indignoſque prorſus viro principe ſic in præſens, dum integer famæ fortunarumque eſt, amplexetur, ut nec diu poſt, nec ſeram, nec ſine dedecore pœnitentiam cum irrecuperabili detrimento ſentiat; atque adeo inauſpicatis conſiliis omnes reliquas amborum ſpes temerarie evertat. Sed pertinax quædam & obfirmata animum libido occupaverat, ut honeſtis & præſentibus, incerta ac flagitioſa præferret, & in cedendo ac permutando, repudiatis omnibus rationibus perſiſtendum putaret, tanta obſtinatione, ut ſe vel diſpari etiam & iniqua permutatione contentum fore; & ſi Cæſar nollet, vel cum Polonis, atque adeo cum ipſo Turcarum principe, ſe tranſacturum affirmaret, dummodo graviſſima & difficillima impacatæ provinciæ adminiſtratione excedere, vitamque privatam & tranquillam in otio & libertate tranſigere liceret. Non defuere, qui exiſtimarent eum ſuaſu Italorum, quorum familiaritate utebatur, quorumque linguam didicerat, Italiam provinciarum pulcherrimam & opulentiſſimam, ac Galliæ & Hiſpaniæ amplitudinem & facultates impenſius laudando identidem extollentium, ad perluſtrandas eas inductum, intempeſtivæ pere-

Sigiſmūdus ad Cæſarem aurei velleris, & provinciæ illi tradendæ cauſa cōtendit.

Cæſar autem ab hiſce conſiliis illum modis omnibus dehortatur.

1597. grinationis conſilia ſuſcepiſſe, eo propoſito, ut abdicatâ conjuge tandem Romæ ſubſiſteret, opeque & ſtudio Cæſaris à ſummo Pontifice in Cardinalium collegium adoptaretur; ſicuti ejus rei deſiderium biennio ante, cum certis aliis ſignis, tum vero veſtibus & togis atri, ferrugineique & punicei coloris, quales ſacratis viris geſtare mos eſt, in ſuum uſum aptatis minime diſſimulaſſet. Cæterum quum nullis rationibus expugnari poſſe videretur, Cæſar ne inſignis regni Ungariæ portio in exterorum, aut barbarorum poteſtatem deveniret, atque ab iis rerum initiis ſupremæ cladis metus aliis quoque vicinis regnis immineret, ad neceſſarias conditiones cum eo tranſigendas deſcendere fuit coactus. Tandem itaque in hunc modum conventum eſt, ut Cæſar ei principatum Oppolitanum in Sileſia, quem antea Iſabella regina cum filio tenuerat, traderet: ac quinquaginta millia aureorum nummum duabus penſionibus ſuperadderet, quæ aut Venetiis, aut Romæ, aut Genuæ quotannis ei exſolverentur. Si vero animum ad ſacris initiandum applicaret, tantundem ei redditTuum ex bonis opimi alicujus ſacerdotii deſignaret, & apud ſummum Pontificem pro conſequenda purpuræ dignitate, omnem ſuam operam interponeret. Ipſe autem Praga diſcedens ad certum diem, Cæſari ante ſignificandum, comitia indiceret, ad quæ Cæſar idoneos legatos cum diplomate tranſactionis mitteret, per quos provincia Tranſilvania abſque bello & armis, nomine Cæſaris occuparetur; ad quam poſtea ſuis legibus gubernandam Maximilianus Cæſaris frater eo mitti poſſet. De divortio matrimonii eo quidem tempore nihil quod in publicum prodierit, tranſactum eſt: Cæſar tamen ſummâ offenſi animi diſſimulatione, omnem enormioris ejus facti contumeliam patienter tulit; & ſororem ſuaviſſimis moribus, ac ſingulari pudicitia præſtantem, majoriſque longe principis conjugio dignam, inde ad matrem reducendam aſſenſit, quod jam pridem ab eo intactam, ac geniali thoro excluſam, ac in intimos alpium receſſus nullis ejus demeritis Cuvarium relegatam comperiſſet, nec illa alienum à ſeparando animum habere videretur.

Tranſactionis conditiones inter Cæſarem & Sigiſmundum.

His tranſactis, Sigiſmundus Pragâ diſceſſit, & in ſuos fines provinciamque ſe recepit, brevique poſt appetente vere, belli primordia à Palffio & Joanne Preſtenſcio, cui Maximilianus tormentariæ rei negotium concrediderat, incepta ſunt. Genus quoddam machinæ bellicæ ad expugnandas clandeſtino impetu arces atque urbes, bellis civilibus, quæ proximis retroactis annis Galliam & Belgium uſque ad internecionem fere exercuerunt, inventum fuit, Petartum appellatum, quod portis etiam ferreis & robuſtiſſimis applicatum, eas vi ſulphurei pulveris inuſitatâ ac horrendâ improviſi impetus rapiditate, à poſtibus & cardinibus puncto temporis evellere ac diffringere ſolet. Hoc inſtrumentum nondum erat Turcis aut Ungaris viſum aut cognitum, & vix fama auditum. Sed cum à Preſtenſcio allatum eſſet, re cum Palffio communicatâ, Tatam eo genere ſubitæ expugnationis tentendam decreverunt. Ipſi igitur Comaronio profecti, quum ante auroram eo perveniſſent, Eliam Thracem cum Ungaris quibuſdam Turcicæ linguæ peritis præmittunt, eiſque quidnam in animo habeant patefaciunt; jubentque ut ſi excubitores hoſtium, quidnam velint, qui ſint, quorſum tendant percunctarentur, ſe Budâ Jaurinum venire, ac Turcis quibuſdam res ad victum neceſſarias, quorum penuria eſſet ferre; metuque Ungarorum, qui itinera infeſta redderent, plauſtra ad pontem arcis ſecuritatis cauſa donec illuceſceret, protrudere velle, reſpondèrent. Favit arridens aſtutis conſiliis fortuna, ſimulque Wallones applicandæ machinæ gnari eam valvis admovent, & mox ſuccendunt: Illa ingenti edito fragore portas extemplo patefecit, Palffiuſque & Preſtenſcius, qui cum quingentis equitibus, ac MCC. peditibus Ungaris, ac M. Germanis in proxima valle, penes templum deſertum ſtabant in latebris, accurrunt, trucidatiſque ad unum Turcis, qui ad inuſitati fragoris ſtrepitum evigilantes arma ceperant, loco potiuntur; ſolo duntaxat præfecto qui in arcem fulmine cælitus demiſſo percuſſam putabat, ſeque viſo ſtatim hoſte cum paucis in turrim receperat, vivo capto. 1597

Bellum reintegratur à Principe Maximiliano. Anno 1597.

Palffius & Preſtenſcius, petardo Tata admoto eam occupat.

Interea Maximilianus exercitu ex hibernis educto Ovarium in caſtra contendit, duceſque & copias omnes ad ſe convenire juſſit. Eodem modo Tiffenbachus ab exploratoribus ac amicis, quos in Polonia & Tranſilvania habebat, admonitus, Tartaros, facto per Moldaviæ & Podoliæ fines, ac Maramaruſiam Ungarorum provinciam itinere, ut ſe Turcis conjungant, in Ungariam irruptos, ad oppidum Zoloſum Pereniorum ditionis prope Tibiſci ripam ſitum, cum Germanis & Ungaris ſtipendio conductis, caſtra poſuit: copias autem Nobilitatis, quæ duorum millium equitum, totidemque peditum numerum, decreto comitiorum publico conſtituebant, ut eo conferre maturarent, edixit. Ruthenos autem & Walachos, ac Ungaros, qui alpes illas Beſquedias Pennoniam Sarmatiæ finibus, & Podolia ſeparantes accolunt, conſtitutis ad id exequendum certis centurionibus, loca ea & anguſtias per quas Tartaris tranſeundum foret; proceris craſſioribuſque arboribus, & ingentibus earum truncis, ſaxiſque prægrandibus obſtrui juſſit; eo animo, ut donec illi repugnando tranſitui incumberent, ipſe ſuis viribus ac campeſtribus tormentis, quæ in hunc uſum ſecum habebat, ac ſclopetariorum virtute eos invaderet, prælii que fortunam experiretur. Verùm rumores illi falſo, ut poſtea compertum fuit, & maligne à Polonis ſparſi, nullis admodum Tartarorum turmis ea venientibus, fruſtra fuerunt: & ipſe ſenio laboribuſque confectus, repentinâ membrorum paralyſi tentari in caſtris cœpit, nec ulterius copias retinendas duxit, ſed ad Sendronem, Tocaium, ac alias ſtationes ſuas remiſit, ipſeque ſeſe Caſſoviam lectica vehi juſſit; ubi prægravante morbo non diu poſt è vivis exceſſit, vir Ungaris univerſim charus, apud quos ductâ uxore multos annos Caſſoviam & ſuperiorem Pannoniam fortiter adminiſtraverat. Ejus locum Honorius Laſſotta Sileſius, qui luſtrando exercitui præerat, donec alius mitteretur, à Maximiliano non diu poſt obtinuit.

Maximilianus copias undique cogit, & in caſtra arceſſit.

Tiffenbachus Caſſovia mortem obit.

Laſſotta illi ſuccedit.

Cæterùm ipſe dum Ovarii copiis in caſtra contrahendis operam dat, duces in conſilium vocatos, de ſua profectione, & quidnam opportune tentandum cenſerent, conſuluit. Eorum aliis Budæ aut Agriæ invadendæ conſilia placebant,

1597 bant, quod & Tranſilvanienſia auxilia, & ſugeriotis Ungariæ militares copiæ commodius ac citius coovenire in una caſtra poſſent: alii Papam primis conatibus expugnandam ſuadebant; quod & loco infirmiore ſita eſſet, & ea in poteſtatem redacta, ſeu Jaurinum ſeu Albam aggredi mallet, nullo à tergo obſtaculo relicto, certiori cum ſpe obtinendi tentari poſſe cenſerent: hoc uoum horum ſententiæ videbatur impedimentum allaturum, quod relicto aliquantulum procul Danubio, verendum eſſet, ne convectiones frumentariæ tardiùs ac majore militum incommodo procederent: Sed Johanne Jovio, qui annonam curabat, ejus impedimenti tollendi curam pollicente copias Ovario promovit, ac quintis caſtris Papam duxit, eodemque tempore Comes Zrinianus, Franciſcus Battianius juvenis, Stephanus Turcus, & Franciſcus Dersſfius, ac Nobilitatis, quæ regiones cis Danubium ſitas incolit copiæ, ad ſeptem millium numerum, caſtris ſeſe conjunxerunt, & admodum opportunè DC. currus panibus & commeatu onuſti ſimul advenêre, qui externæ nationis militibus, ejus jam penuriam ſentire incipientibus confeſtim diſtributus fuit. Aberat Palffius ſuæ præfecturæ, ac Strigonio defendendo intentus, caſtriſque ad flumeo Granum poſitis, quorſum conſilia Turcarum tenderent, obſervabat, quos cum Beglerbego & Budenſi in campis Peſtanis ad Racoſum rivum caſtra metatos eſſe conſtabat. Cæterùm Papenſi præſidio Semenderes è Nicomedia Bithynia urbe oriundus præerat, ab Haſane Beglerbego Sinani filio cum DCCC. Turcis ibi relictus, qui erat unus ex Mehemetis principis diſpenſatoribus. Is quum exercitum adventantem conſpexiſſet, quamquam eo venturum ignoraſſet, magiſque Jaurino & Albæ quam ſibi metuendam cenſuiſſet, nequaquam demiſſo animo ea confeſtim parare ac adminiſtrare cepit, quæ ſuſtinendæ obſidioni oeceſſaria eſſe exiſtimabat. Noſtri arcem à parte molarum frumentariarum, quæ aquis è piſcina derivatis volvuntur, oppidum verò è tegiooe portæ ignea quæ vocatur, & qua in Simigiom & Balatonem lacum itur, prægrandibus tormentorum pilis verberare ceperunt. Sed oppidum foſſâ plena profundioribus aquis, ac duplici vallo circumdatum munitumque erat, & ideo difficiliorem habebat oppugnationem. Inter oppidum verò & arcem Semenderes oovam foſſam, denum pedum profundam, ac bis totidem latam agricolarum labore fieri curaverat, ut oppido fortè amiſſo, ſuos in arcem recipere, & in ea ſe ad extremum uſque ſpiritum tueri poſſet.

Maximilianus Papam obſidione adoritur.

Cùm autem oppidi vallum, quamquam duplici ſepimeoto validum, tormentorum vi adeò corruiſſet, agilla & roboribus in foſſam procidentibus, ut ingreſſus judicio militum tentari poſſe exiſtimaretur, Maximilianus à ducibus perſuaſus oppugnaoonem à Germanis & Italis, Valonibuſque & Gallis ineundam edixit; quod Uogarorum ſanguini & vulneribus parceodum putarent; tametſi Ungari eo rem ſpectare interpretareotur, ne ipſi prædæ, quam opimam quiſque fore ſpetabat, participes forent. Signo igitur dato fortiſſimarum nationum, quas nominavi, milites ſumma animorum viriumque alacritate & robore procurrerunt, ſuperatiſque oon ſine ingenti difficilique labore foſſis, in ipſis ruinis, & roborum fragminibus acerrimum certamen cum hoſtibus contraxêre. 1597. Sed pari contentione virtuteque reſiſtentibus Semendere & Turcis, repulſi ac rejecti cum magna cæde ſeſe in caſtra receperunt. Poſtero die, quo memoria Divi Stephani primi regis Ungariæ colitur, conceſſa eſt edicto principis militibus cujuſvis nationis oppugnandi oppidi facultas, oon tamen ex æquo, ſed diſtinctis ordinibus, ita ut Germani & Vallones uno eodemque agmine, Galli atque Itali altero mænia invaderent, tertia pugna ab Ungaris iniretur. Nec mora tubis ac tympanis concrepantibus mænia iovaduntur, Galli & Itali magna virtute conſcendentes, ſigna in ſummo vallo figunt: Ungari pari fortitudine vallum ſuperant, primuſque Radicius Thrax, militum centurio pinnas comprehendit oec Germani æmulatiooe alienæ virtutis ſibi deſunt; ſic ut undiquaque noſtri victores, quamquam fortiter & admodum cruentè repugnantes Turcas, terga dare ſeque effuſâ fugâ in arcem recipere compellunt, cæſis ex eorum numero circiter ducentis, ex noſtris verò plus minus L. militibus deſideratis. Capto oppido & hoſtibus in arcem evadentibus, noſtri ad prædam & ſpolia rapienda converſi, quanquam nonnulli ſurdiotes, & minus dicto obtemperantes, ſtrictis etiam gladiis à præfectis vulnerarentur, latebras omnes & ſtabula, ac penuaria ſcrutari, inter ſe pro capris & lucro rixari, poſtremò Ungari & Germani inter ſe, dum hi prædam extorquere, illi ut labore partam retinere contendunt, ad arma & mutuam cædem rapi, niſi ſuperventu ducum compoſita res foret.

Prima noſtrorũ oppugnatio irrita.

Secunda irruptione fortiter facta oppido potiuntur.

Reſtabat arx, foſſa, quam diximus, latâ à parte oppidi munita, cujus difficiliorem fore oppugnationem plurimi credebant, fuiſſetque procul dubio non ſine cæde & ſanguine militum ſuperanda, niſi Semenderes & Turcæ ex arce proloqui, & unius diei inducias petere cepiſſent, ut interea de conditionibus paciſcendi tractaretur. Conceſſis iis, obſides utrinque dantur, ac Franciſcus Dersſfius, qoi ultro citroque commeando rem tranſigat, à principe deligitur. Is in arcem ingreſſus, à Semendere, unde domo, quiſnam ſit, interrogatus, nomen & dignitatem profitetur, mox an ejus principis nomine arcem petat, qui cum Sultano Mehemete in campis Croſteſianis aperto Marte congredi auſus ſit percunctatur; Dersſfio illum ipſum eſſe, qui ſe miſerit dicenti: Redito ad eum, inquit, refertque meis verbis, me ei arcem, ut omnium audaciſſimo & maximè glorioſo principi & bellatori æquâ pactione traditurum, cujus ego vel nomine audito in admirationem & ſtuporem rapior, qui auſus ſit cum longè potentiſſimo terrarum orbis domino & principe, innumerabilibuſque & invictis ejus copiis æquo Marte dubiâque victoriâ congredi, quem nos nec conſpectum illius intueri aut expectare auſurum putabamus: quod ſi alter quiſpiam ſive is princeps, ſive dux, ſive Imperator foret, mori maluiſſem, quam verbum de deditione effari. Orare me per ejus dextram, fide virtuteque præſtantem, ac magnanimitatem cunctos mortales ſupergreſſam, ut mihi arcem tradenti cum ſociis, equis, armis, rebuſque omnibus incolumi, & ſecuro abire liceat. Redeunte ex arce Dersſfio, Maximilianus nuntiari iterum Semenderi jubet, ſe ei uni conceſſurum, ut cum rebus omnibus propriis, ac quatuor equis, quos velit, ſalvis excundi poteſtas ſit: cæteri

Mox Semenderes præfectus ſe cum arce dedit.

Semenderis encomium de Maximil. Archiduce.

1597. nihil præter veſtes & ſingulos gladios auferant, arx integra cum tormentis, & quæ inſunt, omnibus, abſque dolo & fraude dedatur: Si hæc amplecti pacta, has conditiones ſubito in animo habeat, utrinque diplomata conficiantur: Sin minus, armis ſtatim, & non verbis diſceptandum eſſe. Cùm ille in arcem rediiſſet, nec aliter tranſigi poſſe retuliſſet, non amplius quicquam obteſtatus eſt, quam ut gladium, quem à Mehemete principe dono acceperat, auferre ei liceret; eo quoque conceſſo, literas de tranſactione dat, & accipit, eodemque adhuc die arce egreditur. Sed non ſine magna Chriſtiani nominis nota accidit, quod Itali & Vallones publicæ fidei interventum nihili reputantes, arce egreſſos Turcas haſtis & gladiis crudeliter transfodere ac cædere inciperent, ac dum præfecti & duces adcurrunt, trecenti ex deditis puncto temporis trucidarentur. Mox Semenderes trepidus ac tremens, Deumque atque hominum opem implorans à Zriniano Comite periculo eripitur, ac cum CCL. ſociis, adhibita ei turma Vallonum equitum in tutum abire permittitur, qui nimirum cædi ſupererant. Sed quum vix ſtadii itinere progreſſi eſſent, ſulphurei pulveris magna copia in arce incenditur, ac jactis in ſublime ædificiis cætera tectorum ignem concipiunt. Viſa ea re Vallones Semenderem & Turcas retrahunt, victoſque & ſupplicio deſtinatos Ungaris Zriniani comitis militibus, id ipſis poſcentibus, uſque ad principis arbitrium cuſtodiendos tradunt. Sed quum teſtimonio complurium noſtratium, & Marotii imprimis, cui traditis arcis clavibus loca etiam tormentario pulveri ſervando dicata oſtenderant, ſatis cõſtitiſſet, ignem non dolo entum, ſed incuria peditum Germanorum, qui ſcintillantibus ſclopetorum funiculis, omnes latebras incautiùs uti ſolent excutiendo perluſtraſſent, concitatum eſſe, ſequenti die abire permiſſi ſunt. Maximilianus mille Germanis, & Ungaris in præſidio relictis arcem Andreæ Hofquirchio tuendam reparandamque commiſit, qui initio exorti belli Veſprimii à Sinano captus, Byzantio è cuſtodia ſeptem turrium admirabili aſtu, fortunæque arridentis munere evaſerat: in oppido verò commendante Nadaſtio, Michaël Marothius, equitum ſuorum præfectus, Ungaris præeſſe juſſus eſt: ac quatuor dierum quiete militi conceſſa diſſolvi caſtra juſſit, eodem quo profectus erat itinere, exercitum ad vetera caſtra Ovarium perduxit.

Trecenti ex deditius à Vallonibus & Italis caſi.

Hoffkirchio & Marothio Papa tuenda committitur.

Hiſdem diebus, quibus Maximilianus re ad Papam benè geſtâ Ovarium rediit, Draſcovitius qui in Illyrici præfectura Erdodio ſucceſſerat, Petriniam operâ agricolarum reſtaurari, ac citra flumen munitionem erigi curavit, in qua equitibus idoneæ forent ſtationes; ac re peracta ſimul cum Herbeſtanio, Sclavonicorum limitum præfecto, ad oppugnandam Verucziam profectus eſt; Sed ea oppugnatio adeò lentè negligenterque proceſſit, eumque habuit exitum, ut quamquam tribus tormentis mediocris ponderis mœnia quaterentur, arcem tamen vel pauci, qui intus erant Turcæ, iique gregarii ita defenderent, ut noſtros deditionem flagitantes nihil prorſus reſpondendo contemnere viderentur. Et Herbeſtanius relictâ parte exercitus, quæ obſidionem continuaret, ipſe Slatinam oppidum ad ſecundum inde lapidem diſſitum depopulatus, ignem injecto concremavit, cæſis Turcici nominis incolis omnibus multiſque, qui in turrim templi ſatis altam ſeſe receperant, ibidem fumo ac flammâ exanimatis, aut ſeſe periculoſo ſaltu præcipitantibus. Inde poſtmodum ad proximas villas & pagos, ac mapalia ducto exercitu, Thraces qui magno numero illinc ſedes habebant, Turcicum jugum excutere cervicibus cupidos, cum familia & pecoribus ac facultatibus ad propinquos agros, Turcarum armis & continuis excurſionibus deſolatos tranſtulit, omiſſaque irritæ obſidionis Veruczianæ cura incolumem reduxit exercitum.

Draſcovitius & Herberſtanius vanis conatibus Veruciã obſident.

Herberſtanius Slatinã direptã incendit.

At in Ovarianis Maximiliani caſtris nihil intermiſſa rerum cura, duces quidnam deinceps exequendum foret conſultaturi, ad principis tabernaculum in concilium deſcenderunt; acitusq; fuit Strigonio etiam Palffius: & omnium fere animi, ſive quod idem adhuc ſentirent, ſeu quod plerumque fieri ſolet, qualiſcunque conſtantiæ retinendæ cauſa, ad prioris ſententiæ ſummam inclinabant, cujus antequam Papa recuperaretur, fuiſſent, ut pars Budam oppugnandam, pars Hathuanio, atque inde Agriæ terrorem admovendum, alii, inter quos Aldobrandinus & Preſtenſcius, Jaurinum, veluti Auſtriæ Viennæque propugnaculum ante omnia recuperandum ſuaderent. Diſcrepantibus in hunc modum ſententiis, Maximilianus perplexo æſtuantiq; ſimilis, ſe Comaronium recta ducturum, ibique quorſumnam arma vertenda forent, deliberaturum reſpondit: Noniſque Septemb. caſtra Ovario promovit, Palffiumque, qui celeritatis cauſa levioribus quadrigis, vectus advenerat, remiſit. Sed quum per ea loca, quæ inter Jaurinum & Comaronium ab incolis deſerta, itum eſſet, mutato conſilio caſtra nequaquam ulterius promoveri, ſed prope Jaurinum ſubſiſtere juſſit, illudque oppugnandum ſuſcepit: ac Rupertum Equenpergum, & Joannem Preſtenſcium cum tormentis propiùs urbem proficiſci, factiſque moræ militiæ aggeribus & ſcrobibus, eam quam validiſſimè verberari mandavit. Quibus etiam valida peditum ſubſidia, ac equeſtres turmas tuendis tormentis adjunxit: Ipſe cum Carolo Burgaviæ regulo, quem legatum in exercitu habebat, ac Georgio Baſta, Italiciſque Albdobrandini cohortibus, ac univerſis copiis, penes ripam Danubii longo ordine conſedit. Palffius quoque juſſu Maximiliani ſuas copias ei conjunxit: Sed quæ ſub imperio Zriniani Comitis cis Danubium erant, quamquam ſæpiùs vocatæ, variis uſæ excuſationibus tam diu venire diſtulerunt, donec certis nuntiis allatum eſt Mehemetem purpuratum, cognomine Satergim, cum exercitu non quidem ex Aſia, aut militibus prætorianis ducto, ſed quem majori ex parte ex Boſnæ, ac Illyrici, ac Pannoniæ confiniis contraxiſſet, Belgradum perveniſſe. Eum à Mehemete principe exercitui præfectum eſſe dicebant, quod Ibraimi opera, qui purpuratorum princeps, & ſororis ejus vir erat, eo potiſſimum tempore magnopere domi indigeret: quandoquidem circa id tempus Haidares puer, à Perſis pro obſide Byzantium, ut diximus, miſſus, incertum morbo an veneno mortem obierat, ejuſque audito obitu, Hodabendes Perſarum Rex, novum adverſus Turcas bellum moliri nuntiabatur.

Maxim. Jaurini oppugnationem aggreditur.

Mehemetes Satergi Belgradum advenit.

Interea hoſtium adventu, nequaquam remiſſo animo, noſtri urbem continuè oppugnabant: tanta tamen inerat Alipaſſæ præfecti ac Janicerorum animis conſtantia, tantuſque noſtrorum

Aly Baſſa ſtrenue Jaurinũ tuetur.

con-

1597. contemptus, ut nec portas, niſi nocte, clauderent, & greges ovium tanto intervallo, ut tormentorum jactu defendi ab injuria poſſent, ad paſcua urbi propinquiora propellere auderent, excurrendoque frequenter, & rurſus ſeſe properè recipiendo, multos ex noſtris abriperent, atque ab iis ea quæ de noſtrorum conatibus ſcire volebant edocerentur. Hunc Alibaſſam Italum genere, patria Surrentinum fuiſſe, & quo tempore Solimanus Sigethum expugnavit, claſſiſque ejus duce Piali, Chium mediterranei maris inſulam à Genuenſibus inſigni inuſitataque fraude intercepit, captum, ad impiam Turcarum ſuperſtitionem defeciſſe ferunt. Illud quoque adminiſtraodis rebus in caſtris ſummo obſtaculo erat, quod continui perfrigidique imbres de cœlo deciderent, quibus itinera in caſtris & paſſim ubique impedita erant, ut & milites tabernaculis pluviâ madentibus in ſicco eſſe non poſſent, & qui ſub diu genuum tenus in luto hærerent, madefactiſque lodicibus frigore & macie conſumpti, ac inutiles redditi viderentur. Accedebat inopia commeatus, tum ob cœli injurias, ac itinerum difficultates oborta, tum verò militum & Valonorum præcipue inſolentia, quibus nihil ſanctum, nihil inauſum erat, nec rarò etiam Germanorum rapinis, qui non tantum terreſtri itinere convenientibus omnia vi auferre ſolebant, ſed etiam Danubio navigantibus per minores piſcatorias naviculas, collocatis inſidiis obviam armati ire, & nullo ſoluto pretio auferre conſueverant; Burgavio legato oedum in facinoroſos, & militaris diſciplinæ corruptores exemplum ſtatuente, ſed etiam haud obſcurè connivente. Quibus rebus negotiatores ac agricolæ territi, à commeatu & cibariis importandis abſtinebant, fiebatque ut in caſtris tam milites, quam eorum equi omnibus rebus neceſſariis vehementer premerentur, cùm ex adverſo hoſtibus in urbe omnia abundè ſuppeterent. Inter hæc hoſtes tam excurrendo, quam tormentis eminus rem gerendo acerrimè ſeſe & mænia defendebant: acciditque tertio Cal. Octobr. ut dum Preſtenſcius aggeres & tormenta inviſurus equum conſcendere vellet, ac nonnihil incautiùs cunctaretur, ab hoſtibus è propugnaculo in eum veluti ſcopum collineantibus, deſtinato prægrandis pilæ ferreæ ictu protinus diſcerptus interiret: eodem die Quinſquius ſenior in ſuo tentorio pila ingenti in incertum emiſſa vulneratus in veſtigio expiraret.

Preſtenſcius & Quinſkius icti cadunt.

Tantis rerum difficultatibus circumvento Maximiliano, exploratores & transfugæ Mehemetem Satergim jam Mohacianos campos ſuperaſſe, brevique ut Jaurino ſuccurrat, Budam venturum eſſe, nuntiarunt. Quapropter ſuorum conſilio uſus, ne ſub Jaurino duplici cum hoſte ſibi pugnandum eſſet, caſtra in inſulam Comaronienſem, trajecto Danubio tranſtulit, tanta feſtinatione, ut multa caſtrenſis ſuppellex, & non contemnenda commeatus & alimentorum copia, quæ eo tridui ſpatio convecta erat, ſimul & navium haud exiguus numerus hoſtibus relinqueretur. Traducto in inſulam exercitu, Palffius qui audito Satergis & hoſtilium copiarum adventu, ut Strigonio opem ferret, ad quod oppugnandum hoſtes venire fama erat, caſtris diſceſſerat, à Maximiliano cum ſuis copiis revocatur, qui quòd hoſtem, relictis Strigonii invadendi conſiliis, Tatenſi via per ſilvas Verteſias iter ſuſcepiſſe cognoverat, caſtriſque Comaronii relictis, ad Maximilianum proficiſcitur. Satergis vero poſtquam noſtros ſolutâ Jaurini obſidione in inſulam trajeciſſe accepiſſet, ſibi viribuſque ſuis fidens, caſtra ad montem Latonem, quo in monte Sinanum ante bienium conſediſſe milites meminerant, collocavit, ut à noſtris edito in loco facile conſpici poſſet, eademque ingruente nocte Tatam obſidione cingere, & tormentis expugnare conſtituit. Haud diſſimili modo Maximil. ad Comaronium trajecto flumine, prope Iſam pagum, ſimul cum Palffiano exercitu & aliis qui indies agminatim confluebant, è regione Tatæ & hoſtilium caſtrorum conſedit, ita ut interfluens Danubius utraque caſtra ſepararet, habitoque cum ducibus conſilio, flumen ponte è navibus & tabulatis conſternendum, & pro Tata vindicanda armis cum hoſte confligendum deliberavit. Sed ingruentibus confeſtim ingenti horrore validiſſimis ventis ac pluviis, inſolitiſq; tempeſtatibus pons perfici ad deſtinatum tempus non potuit, quamquam à Palffio operæ vehementer urgerentur. Satergis vero dies & noctes continuata oppugnatione propugnaculum, quod Ferrandinum vocabatur, actis in imo cuniculis, & pulvere ſulphureo injecto, magna parte dejecerat, adeo ut ſexcentis propugnatoribus, qui cum Chriſtophoro Vaida præfecto locum defendebant, ad ducentos tantum redactis, iiſque ſauciatis, ut plurimum & debilitatis, nec retinendæ arcis, nec auxiliorum ſpes ulla ſupereſſe videretur. Igitur quinto acerrimæ oppugnationis die, rebus deſperatis, intempeſta nocte vacuam arcem hoſti reliquerunt; quum à noſtris ſex menſium ſpatio poſſeſſa eſſet, ab eo die, quo Palffius & Preſtenſcius portis improviſa Petardi violentiâ perfractis eam occupaſſent. Hoſtes ut mænia reficerent, & noſtris poteſtatem pugnæ offerrent, octo pòſt diebus iiſdem in caſtris permanſerunt, verum cum eos elicere nequaquam poſſent, XX. die Octob. motis de nocte caſtris Budam contenderunt.

Mehemetes Tatam occupat.

Noſtri relicta obſidione caſtra in Comaronienſem inſulam transferunt.

Maximilianus vero qui Strigonio metum impendere ſuſpicaretur, facto cis Danubium itinere caſtra illuc promovit; Sed quum Turcas recta Budam contendiſſe, & ad Peſtum ponte flumen trajeciſſe cognoviſſet, Vaciam eos petituros, certa ductus conjectura, ac à transfugis quoque, qui frequentes veniebant, edoctus, ſine mora eodem ire maturavit, alteroque die ad Veruciam pagum parvo infra Vaciam intervallo ſitum caſtra metatus eſt. Turcæ nihil morati in conſpectu noſtrorum prolatis ſex tormentis majoribus, Vaciam verberare ceperunt. Verum propugnatores, & Georg. Duboſcius præfectus uti à Palffio in mandatis acceperant, paulo ante tormentis in tutum emiſſis, ne ſe infirmiſſimo in loco hoſtibus mactandos exponerent, pulvere ſulphureo fundamentis injecto, vacuam reliquerunt, & arx paulò poſt incenſa conflagravit. Turcæ occupata Vacia ruinas reſtaurare, & munire cæperunt, ſed non ita diu poſt, quod noſtros non ſine gravi cauſa munitis caſtris in propinquo conſidere, ac brevi poteſtatem prælii daturos exiſtimarent, omiſſa muniendi loci cura, noſtros, ſi animum ineundo certamini adjicerent, expectandos eſſe; ſin minus, eorum caſtra adoriri decreverunt. Nec Maximilianus id procul dubio futurum arbitratus, caſtra vallo foſſaque, & carris undique circumcingere deſtitit, ac admonente Georgio Baſta, caſtella quatuor in locis per editiores monticulos

Vacia à noſtris deſerta hoſti cedit.

Iſthuanf. Hiſtor.

1597. ad defenſionem caſtrorum erigi, ac invectis tormentis muris muniri juſſit, eiſque Germanos, Italos, Gallos, & Ungaros pedites impoſuit, exemplo ſalubri à Carolo Mansfeldio Comite ducto, quem ejuſmodi caſtellis in obſidendo Strigonio idoneis in locis erectis, victoriam peperiſſe memorabant.

Turcæ caſtra noſtra oppugnant.

Igitur hoſtes ad diem pridie Nonarum Novembris, maximo numero, acerrimoque impetu ad caſtellum illud ab Ungaris defenſum, quod è regione Neſmelii oppidi à Germanis Longendorffii appellati, conſtructum erat (eo in oppido Albertus Romanorum Imperator, ac Ungariæ Rex, dum Turcis Samandriam obſidentibus bellum inferre vellet, profluvio ventris exſpiraſſe traditur) irruperunt, ac totum ferè diem pro eo capiendo mutuo contenderunt, ſed à noſtris, qui intus erant, Ungaris peditibus fortiter defenſum, conſervatumque eſt; adeo ut innumeri Turcæ partim haſtis & ſclopetis, partim gladiis interſecti proſternerentur, plurimaque eorum cadavera paſſim ſtrata jacerent, & nocte prælium dirimente, cæteri cum ingenti detrimento ad ſua caſtra regrederentur, nec ſe quieturos minitando dictitarent, donec ſociorum & commilitonum cædem pari illis vitæ illoto exitu vindicarent. Maximilianus nequaquam contemptis hoſtium minis, eoſque ad repetendam oppugnationem redituros exiſtimans, caſtellum illatis duabus verſatilibus colubrinis, ac duabus peditum centuriis, eadem nocte munivit ac ejus aggeres reſtaurari juſſit.

Sequenti die pugnam inſtaurat hoſtis.

Sequenti die Turcæ duce Hiſane Budenſi, duobus prævalidis inſtructis agminibus rurſus in conſpectum noſtrorum delati ſunt; quorum alterum ad illam eandem munitionem oppugnandam direxère; alterum contra Colonicium, quem haud procul in colle proximo, cum mille Germanis equitibus Suarcemburgus collocaverat, inde dejiciendum.

Vano conatu & cum clade.

Et Caſtellani ſubeuntes magno ululatu barbaros, crebris tormentorum & glandium ictibus proſtratos & ſauciatos ita ſubmoverunt, ut amiſſis ſuorum amplius ſexcentis, & pluribus vulneratis, terga darent, & adeo conſternatis animis fugerent, ut quamquè à tribunis & centurionibus clavarum ictibus, & ſtrictis enſibus ad repetendum conatum adigerentur, tamen detrectatâ pugnâ nullus fugæ ſiſtendæ modus ſupereſſet. Colonicio ex adverſo arridens fortuna priùs favere videbatur: Nam dum illud Turcarum agmen, quatuor millium equitum & peditum ad inſtaurandam caſtelli impugnationem irruere conaretur, ipſe cum ſuis equitibus fortiter in hoſtes invectus, acerrimum certamen iniit, & eos in fugam conjecit, atque adeo uſque ad locum, ubi Satergis cum univerſis copiis conſtiterat perſequutus eſt. Quo viſo Satergis totum robur exercitus promovit, & Colonicium undiqoe circumventum in orbem pugnare coëgit; eratque Colonicius cum ſuis omnibus in ſummum adductus diſcrimen, niſi Nadasdius, qui cum DCCC. equitibus haſtatis pannonicis in proximo colle ſubſtiterat, properè accurrendo maturam opem attuliſſet; Sed quum vel ſic dubia adhuc acie pugnaretur, & hoſtes numero ac multitudine ſuperarent; Palffius cum ſex millibus armatorum Nadasdio ac Colonicio opportunè ſuccurrens prælium diremit, & ab hoſtibus in fugam effuſis aliquot ſigna, & in eis prætorianum unum purpurei coloris, aureis fimbis ornatum retulit; Capti etiam ſunt ex Tartaris Jarullahes Tangriverdis & Ahchurahes equitum decuriones, & Maximiliano dono dati. 1597.

Satergis interim increpitis ſuis & fuga retentata, copias in ordinem compoſuit, inſtructaque acie noſtris novæ pugnæ poteſtatem obtulit, in quibus multorum judicio XL. hoſtium millia ineſſe exiſtimabantur.

Levioribus deinde præliis certatum

Nec Palffius cum Nadasdio & Colonicio, quamquam viribus inferior, certamen detrectavit; ſic tamen ut non pleno virium concurſu, ſed per partes & agminatim minutioribus præliis dimicaretur. In quibus multis utrinque cadere neceſſe erat, ſemper tamen plures ex Turcarum numero occumbebant; ſicut quamquam hoſtes XII. tormentis campeſtribus frequenter in noſtros diſploſis rem gererent, pilæ tamen abſque notabili noſtrorum damno in aëris & cœli vacuum irritis ictibus provolarent. Nox deinde nebuloſa ſuperveniens & denſiores tenebræ, quales autumno locis aquoſis oriri ſolent, prælium diremerunt, & tam Turcæ quam noſtri receptui cecinerunt. Periêre è Turcis amplius tria millia, & inter eos præter unum è tribunis Janicerorum, Caſſonum nomine, Hydrizes quoque Dalmata natione, quem Papenſi arci à Beglerbego primum captæ, præpoſitum fuiſſe diximus, interfectus fuit, quum hoc tempore nullo fungens munere in Syrmio habitaſſet. Noſtri præter ſauciatos CLX. deſiderati. Interim verò Nobilitatis copiæ à Palffio celeriter convocatæ Strigonium, è ſuperiore verò Ungaria tria millia militum in caſtra venêre: Auſtriæ quoque injunctum fuit, ut quintam partem hominum armatam mittere maturarent.

Quæ dum expectantur biduo poſt pugnam, qui fuit quinto Idus Novembris, quum in hoſtium caſtris ſeditio inter equites prætorianos & Janiceros exarſiſſet, armatique inter ſe concurriſſent, ac plures CC. utrinqoe cecidiſſent, nec amplius in caſtris manere vellent,

Legati Turcici ad noſtros de pace miſſi dolo malo.

Satergis petitâ publicâ fide impetrataque, Chauſium prætorianum, qui poſt illius diſceſſum Byzantio venerat, cum ſex aliis ſplendidè ornatis ad noſtrorum caſtra miſit, qui petendis induciis ac conſtituendæ paci initium auſpicato facere viderentur. Qui juſſu Maximiliani ad Palffii tabernaculum quod in Vacienſi inſula Danubiana extenſum fuit, introducti, præſentibus Baſta, Nadasdio, aliiſque ſermonem amplius duabus horis protraxerunt, quamvis à ſuo principe nullas literas attuliſſent.

Mehemetes caſtris motis Peſtum exercitũ reducit.

Dum Chauſius Satergis juſſu parum ſincero colloquio de pace tractat, ac noſtrorum caſtra recentioribus copiis augentur, eadem nocte impoſitis in naves tormentis, convaſatiſque omnibus impedimentis, nec expectato Chauſio caſtra Peſtum verſus reduxit: fuitque tam impudens doloſiſſimi & flagitioſiſſimi hominis facinus, ut quum noſtros egregiè ludificatus eſſet, tamen Chauſium & reliquos, ſimul cum Palffii nuntio, qui literas ad eum pertulerat, Budæ in carceres condi (tanquam reos majeſtatis, qui rem tanti momenti, inter duos potentiſſimos terrarum orbis principes ſuo injuſſu, neque ſe conſcio tractare auſi eſſent) & per aliquot dies arctè cuſtodiri jubet.

Maxim. dimiſſis copiis Viennam redit.

Budæ militibus quum quietem conceſſiſſet, poſtmodum exercitum in hiberna dimiſit, & ipſe Belgradum ſecundo flumine reductus eſt. Maximilianus ſimiliter dimiſſis ad ſuas ſtationes copiis, Tirnaviam, & Poſonium indeque Viennam rediit; non ſine

exi-

1597. eximia in tantis rerum anguſtiis ſervati incolumis exercitus laude & gloria. 1597.

Eo diſcedente cura datur Palſfio reparandæ Vaciæ, ac præſidio muniendæ, quæ opportuno ad invadendam armis Budam loco minimè negligenda videbatur. Itaque Palffius continuato dies & noctes labore, eam celeriter inſtaurandam curavit, ut à ſubita hoſtium irruptione defendi poſſet, tormentiſque & vetere præſidio impoſito, & cuſtodia ejus Georgio Doboſcio, qui antea ei præfuerat, commendata, in ſuam novæ arcis ſtationem reverſus eſt, copiis etiam ad ſua loca remiſſis. Sigiſmundus quoq; Transſilvanus, qui ſe ad Budæ obſidionem cum Maximiliano principe conjunctis viribus tentandam paraverat, cum hoc anno ejus conſilia dilata eſſe vidiſſet, ne tempus in otio tranſigeret, Temeſienſem arcem urbemque denuo obſidione cingendam duxerat, tradiôſque curæ & imperio Stephani Joſicæ Cancellarii ſui XXV. millibus hominum, eam amplius XL. dierum ſpatio oppugnaverat: defendente eam Solimano ſuperciliofo genere Acarnane. Et is Chanadio, diffugientibus hoſtibus, ex itinere capto ſuburbiis Temeſii erat potitus. Sed quum multi variis oppugnationibus occubuiſſent, ac peditatus in paucos redactus minimè ad irrumpendum ſufficeret, re infecta copias & tormenta reducere fuit coactus, cadentibus inter alios equites, quos in pugnam relictis equis deſcendere juſſerat, cum aliis plurimis, tum verò Petro Poſedario Dalmata Zrimani Comitis alumno: clamantibus ſubinde Turcis, ne in capienda urbe deſudando, & nihil proficiendo tempus fruſtra extraherent; quam ante quadraginta quinque annos, ingentes principis Solymani copiæ, ipſeque Achomates purpuratus & Beglerbegus Mehemetes, Loſſontio & Hiſpanis propugnantibus, non niſi tardius & multo militum ſanguine in ſuam poteſtatem redegiſſent.

Sigiſmundus Temeſuarum fruſtra obſidet.

DE REBUS HUNGARICIS, LIBER XXXI.

1598. VT ex caſtris Vacianis in hibernâ Viennamque ſalvis exercitibus reditum eſt, Cæſar, qui Pragâ ſibi pedem efferre minimè integrum putabat, comitiis, quæ Ratiſponam Germaniæ principibus & populis indixerat, Matthiam principem fratrem loco ſui præeſſe; Poſonium verò, quo Ungaros eodem ferè tempore convocaverat, Maximilianũ proficiſci voluit, quibus utriſque conventibus de continuandis in futurum gerendi belli rationibus, ſumptibuſque in militum ſtipendia ſuppeditandis ageretur: ſimulque decrevit, ut abſolutis illis, & ex ſententia finitis, ille quidem uti antea, receptâ exercitûs curâ, bellum adminiſtraret; hic verò ad Transſilvaniam gubernandam (quod Sigiſmundus tam per literas quàm legatos urgere videbatur) ſeſe primo quoque tempore compararet: ad quem uſum Cæſar ei alium exercitum, tormenta reſque bellicas, & in ſtipendia pecuniam, ſupra provinciæ cenſum, qui haud contemnendus eſſe ferebatur, ſe ſubminiſtraturum promittebat.

Comitia Ratiſponæ & Poſonii habita.

Interea verò dum ipſe ad iter ſe inſtrueret, legati qui in provinciam irent, eamque tradente Sigiſmundo Cæſaris nomine occuparent, delecti ſunt Stephanus Zuhajus Epiſcopus Vacienſis, Franciſcus Nadasdius, ac Bartholomæus Peczius, clari & experientes viri. Verùm quòd Nadasdius morbo impeditus ſeſe excuſâſſet, in ejus locum Nicolaus Iſthuanffius ſuffectus fuit: atque is alios antegreſſos aliquot poſt dies citatis itineribus ſequutus, antevertere tamen niſi in Transſilvania non potuit: ii circa Calendas Aprilis Albam Juliam adventantes Sigiſmundum Comitiis provincialibus vacantem repperere: quos cùm honorificè excepiſſet, primum omnium in conſilium adhibitis, de Stephano Joſica Cancellario ſuo, quem ipſe obſcuro loco natum ad eum honoris & dignitatis gradum evexiſſet, acerbiſſimè conqueſtus eſt; manifeſtis indiciis compertum eſſe referens, illum occultis conſiliis cum Michaële Transſalpino communicatis, atque adeò tentatis etiam largitione complurium provincialium animis in eo laborâſſe, ne Cæſaris legati ad occupandam provinciam admitterentur; ſed ad quietem & felicitatem provinciæ pertinere, ut quiſpiam è ſuorum numero in ſui diſcedentis locum eligeretur: grave per ſe & intolerandum Germanorum jugum propoſuiſſe, uti antea patrum memoriâ, regnante Ferdinando Cæſare experti eſſent: nunc verò Turcas, qui provinciam exteris hominibus nunquam eſſent conceſſuri, incomparabilem præſentium temporum tranquillitatem, in qua hactenus ſub eorum clientela vixiſſent, invectis formidoloſiſſimis armis, & horrenda rerum omnium tam divinarum, quàm humanarum confuſione perturbaturos; ſubindeque plures oſtentata ſingulis ſpe ingentium promiſſorum, ut regnum ei defendendum putarent, in partes pertraxiſſe, proinde ſe ſtatuiſſe, ut ſi ipſis videatur, ſtatim illum ob tantum infidelis animi ſcelus, quo omnes ſuas pacis & fœderis cum Cæſare & ſummo Pontifice, cæteriſque Chriſtianæ Reip. principibus percuſſi cogitationes nefariè ſubvertendas ſuſcepiſſet, quam ſeveriſſimè animadvertat. Hæc & alia multa, vultu & ſermone ad iram prono præfatus Boſcajum primo loco ſententiam dicere juſſit, qui illum malis ambitioſiſque artibus, tale tantumque ſcelus auſum, ut reum majeſtatis acerbis pœnis afficiendum pronunciavit; cæterique qui aderant, ferè omnes in ejus ſententiam iêre: Legati tamen Cæſaris, quod de capite, & fortunis, ac exiſtimatione ſummi viri ageretur, ne quid temerè fieret, deliberandi ſpatium petiverunt. Re ita in ſequentem diem dilata, Joſica, qui ſummo mane relaxandi animi cauſa, extra urbem equo vectus exierat, & ab agro rectà in prætorium venerat, juſſu Sigiſmundi antecaptis legatorum ſententiis, à Boſcajo captus, ac Michaëli Calmandio peditum prætorianorum præfecto in cuſtodiam traditus fuit; qui cum confeſtim compedibus vinctum in carcerem perduxit, bonaque ejus omnia ſimul fiſco addicta ſunt. Quo inopinato tanti hominis caſu, 1598.

Legati Cæſarei.

Quibus Sigiſmundus provinciã traderet.

Stephanũ Joſicam, Cancellarium ſuum de graviſſimis inſimulatũ criminibus in carcerẽ compingit.

1598. quamquam docendæ rei nec teſtes ulli, nec legum adhibita neceſſitudo eſſet, perculſi omnes, ingenti metu ſilentium agitavêre; & eorum quoq;, qui forte conſcii illius ambitionis erant, animi vireſque extemplo conciderunt. Deinde cum legatis de ſtipendio militibus prætorianis, atque iis, qui finibus provinciæ tuendis invigilabant, perſolvendo actum eſt, & ita conventum, ut quæ illis hactenus deberentur, ipſe perſolveret, à Calendis autem Aprilis legatorum cura, Cæſariſque impendio ſatisfaciendum foret.

Legatorum Cæſaris dehortatio ne provincia decedat.

Nec diu poſt ad quartum Idus Aprilis, prius cum legatis in conclave ductis pauca loquutus, jam ſe juxta promiſſum ſuum reſignato Cæſari Tranſſilvaniæ imperio Viennam, indeque ad ſuam, quam ſibi privatam vitam acturo Cæſar dediſſet provinciam profecturum retulit, pluraque loquuturo legati interceſsêre, cumque multis in medium adductis rationibus, ne provincia excederet, dehortati cœperunt: poſſe & debere eum ſecum reputare, nullas eſſe tam graves & arduas cauſas, quibus inductus patrimonium ditiſſimæ & omnium rerum feraciſſimæ regionis relinquendum putet; ſupereſſe ſubditorum fidem indubiam, & promptum ad omnia obſequium: meminiſſe eum oportere, quanto fortunæ arridentis munere & felicitate, ſuperiore anno Turcarum & Tartarorum infenſiſſimas gentes, eorumque arma propriis viribus ſuſtinuiſſet, quàm longè imperii ſui fines & terminos prolatâſſet, accedentibus in præſentiarum ſummi Pontificis & Cæſaris, Hiſpanique Regis auxiliis, procul dubio eventurum, ut non ſolùm hoſtes barbaros procul Tranſſilvaniæ finibus propulſaturus ſit, ſed etiam eo anguſtiarum, ut ſua vix defendant, redacturus; ſicque minimè deſperandum, quin provinciæ ſuæ, ſecuritatis & quietis quantum ſatis ſit, comparetur, ſibi verò opportuna ſempiternæ laudis & gloriæ occaſio obveniat. Supereſſe Michaelem Tranſalpinum, conſtantem hactenus & fidum ſocium clientemque, venturum ad obſequium etiam Moldavum, quod in ea provincia recuperanda Summus Pontifex & Cæſar nihil opis, nihil laboris atque operæ prætermiſſuri ſint; donec Polonos ſive æquo arbitrio, ſive aliter diſceptando ad officium, & reddendas res pertrahant. Deum O. M. qui ei hactenus, expugnatis tot hoſtium munitionibus, tantis exercitibus fuſis & fugatis, Sinanum, qui orbem terrarum nominis terrore compleverat, ultra Iſtrum pulſo & profligato, certiſſimis divini ſui numinis præſidiis adfuiſſet, deinceps quoq; adfuturum: & Cæſarem, ſi tempora belli poſtulabunt, nequaquam neglecturum, quin ei pro Chriſtianæ Reip. ſalute & commodo bellum geſturo adcurrere, & præſentem opem allaturus ſit, quando eum non in conſortium duntaxat laborum, quos pro aſſerenda Chriſti nominis gloria, ſubeundos ſumpſiſſet, adſcitū; ſed tradita in conjugium ſorore præſtantiſſima arctæ etiam neceſſitudinis vinculis adſtrictum in omnibus quorum indiguerit, ſublevandum & defendendum ſuſcepiſſet. Facile eſſe momento, quo quis velit, cedere poſſeſſione magnæ fortunæ; facere & parare eam, difficile prorſus & arduum eſſe. Tametſi verò de recipienda Tranſſilvania, Ungarici olim juris provincia, ad neceſſarias cum ipſo tranſactionis conditiones jam deſcendiſſet, tamen in reddenda ea ne nunc quidem quicquam moræ facturum, & ſi recipere eam retinereque velit, (quod etiam ut faciat Cæſarem hortari & rogare, ac ejus nomine, ſe velut internuntios & ſequeſtros vehementer obteſtari) tum quicquid Cæſar habeat bonorum, amicos, genus, cognatos, divitias, arma, copias, regna, & quicquid in homine principe dici inſigne poteſt, ad eum tuendum & amplificandum, ſalvumque & incolumem cum ſuis omnibus protegendum quam benevolentiſſimo & ſtudioſiſſimo animo impenſurum, omninoque effecturum, Diis bene juvantibus, ut ſi rectiſſimis conſiliis parere velit, ſe ſuperſtite, tam domi dignitatem, quàm foris auctoritatem integram illabatamque conſervare poſſit. 1589.

Legatis ad hæc brevi ſermone reſpondit, ſibi firmam ſtabilemque eſſe ſententiam tranſactioni cum Cæſare factæ inhærendi, neque opus eſſe, ut longioribus in diſſuadendo verbis utantur, pauloque poſt in atrium majus à Joanne Sigiſmundo Joannis Regis filio ædificatum, in quo magna provincialium frequentia expectabatur, ſimul cum legatis & Senatoru ordinis viris progreſſus eſt, talemque ad eos orationem habuit. Meminiſſe vos decet, me in tenera ætate patre orbatum ſub tutela patrui Stephani, quem Dii immortales, qui terrena hæc atque mortalia procul dubio moderâtur, ex hac provincia ad Poloniæ florens amplumq; regnum, ob raras & inſignes ejus virtutes evexerant, eo uſque agitâſſe, donec in adultiorem ætatis gradum pervenirem: quo tempore me ex ephebis egredientem, publicis votis & ſuffragiis veſtris principem declarâſtis: neque ex illo eniti ſummis viribus deſtiti, ut me tam domi unumquemque veſtrum liberaliter habendo, atque indulgendo, quam foris, dum famam egregiis militiæ factis extendere contendo, ejuſmodi judicio veſtro non indignum oſtendere poſſem. Nec honeſtiſſimis conatibus noſtris, propitia numina defuiſſe viſa ſunt: poſtquam provinciam hanc, tanta in hunc uſque diem moderatione, cura, ſtudio, labore, rexi; ut nihil quod ad eam tuendam, defendendamque pertinuerit, neglectum eſſe videatur. Suſtinendo enim ac omni ope, apud potentiſſimos Chriſtianæ Reip. principes ſumum Pontificem, Cæſarem ac Hiſpaniæ Regem adnitendo, majora præſidia paravi, quibus hactenus ab infenſiſſimis barbaris, qui internecivo odio erga nos nomenque noſtrum, contra veteris clientelæ jura occidione delendum inhiabant, tuti & ſecuri redditi ſumus, neque ambigendum videtur, etiam in poſterum niſi fortuna virtuti & felicitati publicæ, nimio plus invidere velit, tutos futuros. Nunc verò pleroſq; veſtrûm me haud modicè admiraturos non dubitaverim, qui provincia diſceſſurus, ac commeatū veniamq; à vobis poſtulaturus, in medium prodierim, conſtantiamq; meam deſideraturos: Sed quæ me rationes, ut id facerem, induxerint, arduæ ſanè prorſus & neceſſariæ, eas modò aperire non eſt animus, quas utpote antea pleriſque veſtrûm cognitas ex meo ſermone eſſe non ſum neſcius, nec modò repetere opus eſt. Stat animo fixum provinciâ decedere, ſatiſque fore ſi uti cum Cæſare jam conveni, quietior mihi ſedes non ambitioſo non mortalitatis meæ inſcio, & ſpernendis honorum fulgoribus valido alibi contingat, tranquillam, nec divini humanique juris expertem conditionem tranſigere licitum ſit. Non deſunt veterum & recentiorum

1598. “centiorum principum exempla, quæ mihi imi-
“tanda propoſui, Diocletianique imprimis,
“quem ſi perſequendi Chriſtiani nominis infa-
“miæ quis eximat, cætera bonum principem
“haud negaverit, cui poſt abdicatos imperii fa-
“ſces privato perjucundum fuit paterna in do-
“mo hortorum amœnitati ſtuduiſſe. Sed patrum
“noſtrorum memoria Carolus Quintus Cæſar,
“Imperator, fortiſſimus & ſapientiſſimus prin-
“ceps, qualem prior ætas a multis ſæculis non
“viderat, privatam vitam imperii dignitati
“ſceptriſque antehabuit: nec amplius rerum
“humanarum ancipites caſus ſubeundos cen-
“ſuit, quas fortuna mille caſibus exponere ſo-
“let; ſed divinis rebus inſiſtendo, vitam feli-
“ciſſimo exitu terminavit. Porrò jus provin-
“ciæ adminiſtrandæ Cæſaris, tanquam Panno-
“niæ Regis legatis, quod benè vertat, jam nunc
“reſtituere in animo habeo; quem rerum ve-
“ſtrarum providum, in periculis conſtantem, in
“tuendis vobis munificum & liberalem, in aſ-
“ſerenda libertate impigrum, adverſus barba-
“ros potentem fortunatumque fore non eſt
“quod dubitetis. Proinde vos non ſolum teſtor
“& moneo, ne uti hactenus ad res novandas ſo-
“lita mobilitate agitemini, ne veſtræ incon-
“ſtantiæ nomen, ne quondam Punicæ fidei de-
“decus, in proverbium abeat, ſed etiam precor,
“ut fidei obſequium, quo vos Cæſari jamjam
“obſtringi cupio, inviolabile ac inconcuſſum
“perpetuo ſervetis: me verò & facta, famam-
“que nominis mei, quocumque fatis ducenti-
“bus conceſſero, cum laude & bonis recorda-
“tionibus proſequi non intermittatis.

Plura volentem dicere lachrymæ luminibus obortæ vocem impedivêre; & nemo etiam ferè auditorum fuit, qui lachrymas continere potuerit, Epiſcopus autem Vacienſis, unus ex legatis ea, quæ in conclavi dixerat, ut manere in provincia vellet, repetendo denuo interpellavit: ſed ille per verba ſingultu interrupta, tardè fabulam ſurdis narrari reſpondens, ſeu in cubiculum recepit. Boſcaius autem nomine omnium verba fecit, ac Cæſari & ejus legatis omnes obtemperaturos affirmavit, quamdiu in ſuis vetuſtis libertatibus indemnes conſervati fuiſſe videbuntur. Nec diu poſt primum viri ſenatorii, (inter quos Demetrius Napradius Albanus in provincia Epiſcopus, ac Boſcaius primi fuêre) ſacramentum Cæſari, & quem ſui loco principem ſtatuerit, ſolenni more præſtiterunt. Deinde Ungari, Saxones, Siculi, cæterique ſine diſcrimine nomina profeſſi, juramenta ſigillis chirographiſque munita legatis reddiderunt. Ipſe autem quo facilius adeuntes & ſalutantes arceret, non diu in palatio moratus, per portulam, quæ ex inferiore ædium parte in hortum patebat, ſeſe ſubduxit; & in villam Quiſſaludianam, quam in ſuburbano agro Lupus Cavaciocius, ad voluptarios ſeceſſus ædificare cœperat, ſed cæde præventus non abſolverat, ſimplici rheda vectus fuit: ibique interea privatorum more vixit, donec in Sileſiam proficiſceretur.

Proceres ſacramentum Cæſari more ſolemni præſtant.

Erat adhuc in rure ſuburbano Sigiſmundus, nondum decíſis, quæ in Tranſilvania habebat negotiis, quum exoptatiſſima & ſecundiſſima recuperati unius noctis labore & auſu è faucibus hoſtium Jaurini fama ad legatos allata eſt. Quia rem in omne ævum memorabilem, poſtquam inter omnia quæ adverſus Turcas clam & in tenebris doloque geſta ſunt facinoribus primas tenere videtur, quo ſucceſſu, quanta Reipub. felicitate, ac divini numinis beneficio contigerit, enarrare erit operæ pretium. Poſt irritum Jaurienſis oppugnationis exitum, ac caſtris extra ad Vaciam collata, ac clandeſtinum hoſtium diſceſſum, Cæſar cum Maximiliano fratre, ac Suarcemburgio colloquutus, cùm toto ingenii & virium robore, nec ullis deterrentibus impenſis ad recuperandum Jaurinum ferretur, advocandum etiam Palffium cenſuit, arcanique ſui conſilii rationes ita explicavit, ut validis agminibus ex omni copiarum numero delectis, ejus inſtrumenti, quam Petarram vocant, vi atque impetum experiundum exiſtimaret, ſi quæ fieri via ad irrumpendum poſſet; ſin minus, valida poſtmodum & aperta belli mole incumbendum eſſet: quandoquidem tempeſtates illinc & procellas impendere providebat, quæ niſi maturè diſcuterentur, in magnum diſcrimen rem Auſtriacam adducturæ eſſe viderentur; ideoque ſe gravi judicio duos ipſos tantæ rei agendæ delegiſſe teſtaretur, quod uſu & experientiâ rerum magiſtra, nullam rem cum aliis omnibus, tum maximè gerendis bellis æquè obeſſe, ac multorum imperium didiciſſet: quum omnibus eadem auctoritas, minimè verò aut fides, aut prudentia eadem ſit, magnam certamque ſpem ſe concepiſſe, fore ut Deus Optimus Maximus eorum operâ atque induſtriâ, quod moliretur, ingentis audaciæ operi perficiendo optatam & felicem ſucceſſum haud dubiè ſit conceſſurus, dummodo cavere providereque velint, ne hujuſmodi conſilia cuiquam panderentur. Igitur ii, quibus ætas ferè eadem ac magnitudo animi par, ac mutuus inter ſe amor, ac erga Cæſarem ſtudium fuit, re ſuſcepta, cujus ampliſſimus foret laborum fructus expectandus, toto hyemis decurſu intenti ad ea fuêre, copias luſtrando atque exercendo & quæ erant neceſſaria in tempore comparando.

1598. *Jaurinũ eximio ſtratagemate à Suarcẽburgio recuperatur.*

Sed nives genuum tenus profundæ totam hyemem occupaverant, mox initio veris diſſolutæ, auctæque pluviis, itinera infeſta ac incommoda reddiderant, ut exercitus educi ex hibernis non poſſent. Interim tamen deſideris Cæſaris, officiique ſui, ac muneris impoſiti memores, ab idoneis exploratoribus, ac captivis, & ruſticis, qui ultro citroque commeabant, de ſtatu portarum urbis, ac propugnaculorum, de hoſtium numero, de itineribus, ſemitis, pontibus, eorumque aditu, cæteriſque rebus, quæ tam intra urbem, quam foris neceſſaria videbantur, inquirere, ac quæ advertenda erant, animo imprimere non deſiſtebant. Itaque reſidentibus aquis, ac æquioribus nonnihil viis redditis, Suarcemburgus ex omnibus copiis equites & pedites quam promptiſſimos ſeligit, ac Comaronium convenire jubet. Fuêre Galli pedites noningenti, Vallones totidem, è Strigonio Galli Vallonibus permixti trecenti, ac ex veteranis Comaronii ſtipendia merentibus Germanis quinquaginta: qui juſſu Suarcemburgi tympana & fiſtulas, ut inſtrumenta clandeſtino conatui rem gerentibus minimè neceſſaria, abdicaverant. Palffius mille haſtatos equites Ungaros, ac totidem pedites ſclopetarios; nec multò minorem Germanorum equitum numerum addixit: ut omnium copiarum cujuſvis gentis nationiſque & ordinis ſumma V. M. ac CL. militibus conſtaret. Cum hac ſelectiſſima manu XXVII. die Martii, hora poſt meridiem prima, quod Dei Maximi providentia felix fauſtumque fuit, Comaronio per pontem, quem ea
nocte

1598. nocte ad fallendos è navibus & tabulatis celerrimè conſtruxerant, transjecêre, & in ulteriore Danubii ripa Matthæum Felnemethium, qui irrita obſidione Jaurienſi captus à Turcis fuerat, ac pro exolvendo redemptionis pretio è Jaurino veniebat, obiam habuêre: à quo Turcas nihil hoſtile metuentes in otio agitare, ac ducentos ex Janiceris heſterno die Budam pro ſtipendio, & commeatu profectos eſſe cognovêre. Tantus enim hoſtium animis inerat noſtrorum contemptus, ut ne portas quidem claudere ſatis cum cura, nec vigilias ſolitâ diligentiâ obire viderentur; jactarentque ſuperbo ore, quando Gallus gallinaceus è ferrea lamina in turris faſtigio collocatus vocem editurus eſſet, eo tempore Chriſtianos Jaurinum potituros. Igitur Felnemethium ipſis in compedibus, & eodem quo vectus erat curru reduxêre, de variis rebus, ſi opus foret, ab eo quæſituri. Trajecto Danubio, ſingulis cohortibus ac turmis Suarcemburgus certum locum aſſignavit, quoque ordine procederent, ſcripto comprehenſum exhibuit: atque eodem die ad ſolis occaſum; amnem Zomzonem, non quidem latum aut profundum, ſed ſtagnantem, & cœno impetitum, naviculis piſcatoriis ante eò per plauſtra allatis ſuperavêre, indeque ad alium rivum, qui è collibus & ſilvis Memphonis pagi decurrit, de nocte hora nona perventum eſt, & pars, quæ ſupererat noctis, militi ad quieſcendum & curanda corpora conceſſa.

Illuceſcente die ſequenti, qui fuit Martii XXVIII. hinc progreſſum eſt ad milliaris ſpatium in vallem Nemethianam, quæ ſaltuoſa eſt, & ad dextram itineris inſtituti partem porrigebatur; totuſque ille dies uſque ad veſperum eo in loco tranſactus fuit. Quum illinc diſcedendum foret, neque jam niſi duorum milliarium intervallo Jaurinum diſtaret, duces convocatis præfectis, quotquot aderant, ac equitum & peditum præcipuis, quem quiſque locum teneret, quo ordine procederet, qui civitatem adorirentur, qui in forum advolarent, nec hoſtem conglobari permitterent, qui occupandis propugnaculis præſto eſſent, allatâ etiam eleganti picturâ, diligentiſſimè propoſuerunt. Poſt accuratam harum rerum inculcationem, eodem ordine, juſtis paſſibus procedere inceperunt, ac unâ ante dimidium noctis horâ, in conſpectum urbis prope ſepulchra Thracum ad eum locum, ubi ſuperiori anno caſtra noſtrorum poſita erant, feliciter pervenerunt. Ferunt aquilam ſupra noſtrorum agmina, à Comaronio uſque huc volitantem viſam, militeſque eo omine boni eventus accepto, alacriùs ad rem gerendam incitatos eſſe. Sed unum ad explicanda felicius conſilia & conatus obſtare videbatur, quod luna pernox ſplendore ſuo noſtros hoſtium excubitoribus haud difficulter conſpiciendos proditura videretur, idque duces ante omnia metuebant; Verùm enim verò ſingulari & manifeſto Dei Optimi Maximi beneficio, mox illa paulùlum progreſſo exercitu, nubibus condi, ſeque obſcuriùs occulere cœpit; ità ut modico ſparſo lumine, noſtris favere inciperet, hoſtibus verò procul aſpiciendi facultatem adimere videretur. Illinc ad pontem progreſſum eſt, & excubitores hoſtium animadverſis ex voce & corporum motu ex noſtris, quidnam ibi inſidiarentur, utque procul irent, proclamare cœperunt. Babacurtus, cui cum ſua centuria militum munus applicandæ ad exteriorem portam, quæ pontis in medio clathris & cancellis ligneis munita erat, minoris Petardæ demandatum erat, cùm illam clauſam quidem, ſed neque ſerâ, neque repagulo obſtructam vidiſſet, felici arridente fortuna ſilentio aperuit, ac Lamarſium Gallorum militum decurionem, qui majorem petarram majori Albanæ portæ admovere debebat, ut ceptam rem celeriter conficeret, admonuit; ſed etiam ibi præſentiſſimo Dei numine providente animadverſum eſt; attractilem portam, quæ attolli, ac aliam interiorem duplici velut obice claudere ſolebat, ab hoſtibus minimè ſublatam fuiſſe. Itaque eo felicior fuit, Deo juvante, petarræ admovendæ ratio: Quæ ſine mora valvis applicata, ac ſubitò accenſa, eas, ruptis intus vectibus, quæ per tranſverſum extenſæ craſſioribuſque repagulis munitæ erant, momento temporis ita diſjecit, ut alteræ in forum CCC. paſſuum intervallo abreptæ provolarent: alteræ in veſtigio minutatim ſcinderentur; adeoque ingens ederetur fragor, ut hoſtes ſopiti & ſemiſomnes eo veluti tonitru audito excitarentur, & pars diſcincti & ſeminudi, pars ſolis induti tunicis arma caperent, & modò perturbatis animis ad forum, modò in arcem ad præfectum conglobati, quantum poſſent, confertique ſeſe aggregare conarentur. Verùm ut erat à ducibus ſeveriſſimè injunctum, Babacurtus & Henricus Oborenpruccus, ipſius Suarcemburgi legatus, ſtatim per apertas portæ Albanæ fores, cum quatuor tricenariis cohortibus Gallorum & Vallonum fortiter irruperant, & forum occupârunt. Hos celeriter inſequuti fuêre Vallones & Galli mixtim, binis ſingulæ cum cohortibus, ad dextram viam petivêre, quæ ad arcem & propugnacula ducebat. Nec mora ex præſcripto Ungaricus peditatus, duce Petro Orſio à dextra ſiniſtraque in propugnacula duo, quorum alterum Cæſaris, alterum Valentini Toti nomine appellabatur, provolavit, mixtuſque ſociis Gallis, qui priores erant ingreſſi, fortiſſimè rem gerere cœpit. Horum veſtigiis Michaël Lopes Hiſpanus cum ſua centuria mox inſtitit, & Germanicus Straſoldus nihil moratus, ac poſtremo univerſa Gallorum & Vallonum manus, ac veterani pedites Germani, docente inſtruenteque Suarcemburgo, quid quiſque peteret, quo tenderet, quibus ſociis ſubſidio eſſet, in urbem introiit. Suarcemburgus ipſe in concamerato portæ fornice, cum Sebaſtiano Tôcôlio, ac aliquanta peculiarium militum ſuorum manu ſubſtitit, ut facilius, quo neceſſitas poſtularet, ſubſidia expediret. Palffius verò cum equitibus Ungaris & Germanis, ad incerta belli in campo excubabat, ne quid hinc detrimenti ab hoſte poſſet accipi.

Rebus in hunc ſtatum deductis, tametſi hoſtes inſperatâ noſtrorum irruptione experrecti, quam ipſi nunquam fore credidiſſent, ſummâ animorum perturbatione arma cepiſſent; tanta tamen pertinacia & contentione pugnaverunt, ut poſtquam noſtri foro & aliquot præcipuis locis potiti eſſent, tribus amplius horis ſeſe acerrimè defenderent, & plurimos ex noſtris ſclopetis & gladiis cæſos obtruncarent. Præfectus Alipaſſa ad portam, quæ exeuntibus arce ſiniſtra eſt, cum XXX. ſuorum cæſus eſt, quum alterâ manu vexillum teneret, alterâ, quamquam nullis protectus armis acriter pugnando ſeſe tueretur. Incredibile memoratu eſt, quantâ

Aquila ſupra noſtrorũ agmina volitans.

Luna illuſtris nubecula obſcuratur.

Portæ urbis petarto disjecta noſtris aditum aperit.

Mox in forum fortiter irrumpunt.

Præcipuaque loca invadunt.

Aly Baſſa caditur.

1598. tâ ubique obſtinatione repugnatum ab hoſtibus ſit; adeo ut uno in loco non longè à foro, ubi Oberenpruccus & Babacurtus rem gerebant, plures ducentis è noſtrorum numero cæſi reperti fuerint. Ubi verò præfectus occubuit, LX. fere noſtratium partim interfecti, partim ſauciati ſunt. Adhæc tres vel quatuor è Janiceris, ut rebus deſperatis fieri plerumque ſolet, velut in rabiem quandam verſi, tam veſano temeritatis furore perciti in noſtros irruerunt, ut quingentos in fugam converterent, adcurrentibuſque ſubinde aliis atque aliis noſtros, ter repetitâ fugâ, verſus portam pedem turpiter referre compellerent; eſſetque tota res in ſummum adducta diſcrimen, niſi properè Suarcemburgus, adhortante Tôcôlio, Palffium, ut equites, qui foris vigilabant, deſcendere equis, & peditatui in urbe laboranti opem ferre maturarent, admonuiſſet. Ibi Palffius cum ſe apud equites voce & verbis nihil proficere videret, quod in re nocturna & ancipiti cunctari viderentur, exemplo tandem promovit, cum ipſe primus in pedes deſcendiſſet, & ad urbem procurrendo præceſſiſſet: Sic enim ipſi quoque minimè deſerendum ducem arbitrati, relictis equis extento curſu ſubſidio ſuis adcurrerunt. Ibi recrudeſcente Marte pugna atrox & admodum cruenta redintegrari cœpta eſt: Turcis in extremo diſcrimine tanto ardore & ferocia ſeſe defendentibus, ut quidam ex eis haſtis velut verubus transfixi, jam jamque morituri, noſtros tamen vulnerarent, & occiderent, ut victi & victores ſimul expirarent. Supra propugnaculum quoque Jacolitianum, alia pugna cum Strafoldo & Lopes, ac Orſio & Ungaris erat, in qua Alaibegus Spahiis & Timariotis præpoſitus, cum multis ex equitum & Janicerorum ordine cæſus occubuit, ibidemque è noſtris complures cecidêre. Sed poſtquam equites & Palffium auxilio ſuis veniſſe vidiſſent, pars cum Omeraga legato in arcem profugerunt, pars pulverem ſulphureum, qui ſub ejuſdem propugnaculi fornice, magna copia ſervabatur, ſuccenderunt, cujus violentia disjectis fornicibus & diſſipatis per aera multis tam noſtrorum quam hoſtium corporibus, ingens utrinque detrimentum acceptum, illatumque fuit.

Hoſtes ſumma pertinacia ſe defendunt.

Equites noſtris laborantibus opem ferunt.

Cùm jam hoſtes è foro & propugnaculis omnibus pulſi cæſique eſſent, Palffius Omeragam cum iis, qui ſeſe in arcem receperant, ut ſibi ipſis, quorum jam vita & ſalus conclamata eſſet, parcendum putarent, ſeque dederent, hortari cepit; Sed quum ſe ſclopetis eminus tueri nondum ceſſarent, attractis, annuente Suarcemburgo, tormentis, ac in arcem obverſis, eorum tandem pertinacia fracta eſt, ac ad arbitrium victoris in deditionem accepti. Multi etiam hoſtium ſeſe è muro in foſſas & Danubium præcipitaverunt, quorum pars luxatis aut fractis omnibus artubus in veſtigio interiit, pars ſed admodum exigua evaſiſſe dicitur; plures per abdita domorum ac ſtabulorum latibula, ac ſubterraneas ſcrobes occultati non ſine cæde & vulneribus inde extracti fuerunt; & tandem claro jam die integra victoria, cum ingenti præda parta eſt, quum à media nocte pugnatum ancipiti Marte eſſet: præda inter duces & milites æquis partibus diviſa eſt; ſic tamen ut tormenta CXXCVIII. cum apparatu Cæſari addicerentur. Hoſtium MCCCC. cæſi ſunt, capti CCC. abſque pueris & mulieribus. Sed nec noſtris incruenta victoria ceſſit; quum præter ſauciatorum magnum numerum, quingentos & amplius milites deſideratos fuiſſe ſatis conſtitiſſet. Babacurtus felices rei ſucceſſus ad Cæſarem allaturus, per diſpoſitos equos celerrimè profectus, quatuor millia aureorum nummûm donativi nomine obtinuit; ita ut millenos ex ærario quotannis caperet; Suarcemburgio autem centum millia aureorum data, & oppidum Huſtopecium in Moravia. Palffius ab Auſtriacis poculo aureo mille nummûm potido cohoneſtatus eſt; nec à Cæſare quicquam præmii poſtulavit, quum ſe operam omnem, quam hac in re præſtitiſſet, patriæ imprimus debuiſſe, ideoque gratuito impendiſſe profiteretur.

Præda ingens parta, ac magnus tormentorum numerus

Babacurto donativũ 4000. aureorum datum. Suarcẽburgio autem 500000 donata.

Hunc in modum admirabili Dei beneficio Jaurinum recuperatum eſt, non toto quadriennio à Turcis poſſeſſum: qua in re tota illuſtre documentum capi poteſt, diu contemptas vires, ubi temporis diuturnitate corroboratæ fuerint, pernicioſas contemnentibus eſſe ſolere. Nec multò poſt Suarcemburgus priſcæ ſeveritatis exemplum Jaurini præbuit; quum Michaelem Lopes turmæ equeſtris ductorem in vincula conjici juſſiſſet. Is commilitonem quendam Gallum, qui in præda non contemnendum auri pondus acquiſiverat, clam necandum & ſterquilio occultandum curaverat, ut auro potiretur. Tametſi igitur eum virum apprimè militarem eſſe noſſet, promptaque ejus & forti operâ in capienda civitate uſus eſſet, re tamen poſtmodum comperta, & certis indiciis comprobata, de convicto confeſſoque publicè in foro capitale ſupplicium ſumi juſſit. Legati in Tranſilvania ob recuperatum tanti momenti locum, ſacro hymno in triumphis & victoriis, ac publicæ lætitiæ ſignificatione decantari ſolito, ac tormentorum fragore edito, ſingulare ſuum gaudium teſtati ſunt: quamquam eſſent, qui ut rem fictam, & commentitiam, atque adeo incredibilem eſſe putarent.

Poſtea Sigiſmundus exiguo comitatu ſecum ſumpto, in Sileſiam iter ſuſcepit cum Alphonſo Carillio, Sigiſmundo Sarmaſſagio, & Emerico Sixoniano, cujus familiari conſuetudine oblectabatur, Joſicamque captum iiſdem in vinculis, in manibus & poteſtate legatorum reliquit, letiſque factis itineribus Galgocium, atque inde Strigonium, poſtremò Jaurinum recens à noſtris occupatum venit, & ubique ſummis honoribus exceptus eſt; nec prius in Tranſilvania fama recepti Jaurini, niſi ipſo perſcribente, credita fuit. Dimiſſo eo, unus ex legatis Iſthuanffius ad illius conjugem Cuvarii relictam cum literis Cæſaris, quibus illa ſive manere in provincia, uſque ad Maximiliani adventum, ſive ad matrem reverti vellet, libera permittebatur, profectus eſt; eamque comitantibus Stephano Chaquio, Petro Ghicio, Chriſtophoro Quereſturio, & Sigiſmundo Comite Turriano, quem ei mater conſiliorum arbitrum adhibuerat; Albam deduxit, atris veſtibus, quales viduis geſtare mos eſt, amictam: manſitque ibi per aliquot menſes, ac communi cum legatis cura rebus præfuit. Poſt paucos autem dies ab ejus adventu, Petzius legatus relictis Albæ collegis, Pragam reverſus eſt, Joſicamque ſecum ad novam arcem Samoſianam perductum; Alberto Hanvaio præfecto dedit, ut paulò

Sigiſmundus in Sileſiam contendit.

Conjunx Sigiſm. Albam deducitur.

poſt

1598. poſt Sacmarium perductus Michaeli Siculo, qui ei loco Cæſaris nomine præerat, cuſtodiendus traderetur. Hiſtorias verò rerum Ungaricarum, cura & ſtudio, auſpiciiſque, & impenſa Stephani Poloniæ Regis à Joanne Michaele Bruto doctè eleganterque ſcriptas, quæ auctore Albæ ſatis concedente, apud Sigiſmundum remanſerant omnium qui viderant firma aſſeveratione digniſſimas, quæ in lucem ederentur, ad Cæſarem pertulit. Diſcedente Peczio duo legati, qui Albæ erant relicti, miſſo ad Maximilianum cum literis Nicolao Bogathio, ut venire maturaret, cohortati ſunt. Sed quum rebus ad uſum & iter neceſſariis nondum eſſet inſtructus, cunctantibus, qui eas curabant, Cæſaris miniſtris, venire non potuit; venturum tamen cùm primum illæ expedirentur, pollicitus eſt.

Michaelis Bruti hiſtoria Ungarica ad Cæſarem defertur

Sub id tempus Michael Tranſalpinus miſſis ad legatos nuntiis, Elia Cacucio Siculo, & Petro Armenio, ſe poſt Sigiſmundi diſceſſum in ancipiti eſſe ſignificavit, quid ſibi faciundum, quove modo conſulendum ſit, poſtquam nec exercitum adverſus barbaros hoſtes abſque ſtipendio tenere queat; nec pecunia ei ingentes quotidie ad præſidia ſumptus effundenti ſuppetat, nec de Cæſaris aut legatorum mente quicquam conſtet; proinde petere vehementer, ut quid facere eum velint, admoneant, pecuniamque expediant; aut ſi id fieri nunc nequeat, quod ad multas, quæ prægravarent, neceſſitates impendenda ſit, ſe oppigneratis, quas habeat, rebus & fortunis ſuis, exercitui ſatisfacturum, dummodo à legatis certior reddatur, quem diem redimendo pignori ſtatuant, ac de futuro rerum ſuarum ſtatu certi aliquid cum eo deliberent: ſibi pro iis rebus decidendis venturum ad eos fuiſſe, ſed inter venandum caſu equi luxato humero facere nequiviſſe. A legatis, qui hominem militarem, & ad omnia promptum, ne ad hoſtes tranſiret, omnibus quibus poſſent artibus in officio retinendum putabant, reſponſum eſt, illum bono animo eſſe debere, futurum propediem, ut omnia pro ejus deſiderio perficiantur: deque iis omnibus non parvi momenti negotiis, vel per idoneos homines conferant, vel ipſimet coram congreſſi deliberent; Principem quoque Maximilianum interea affuturum, qui nihil quod ad ipſum propugnandum & tuendum, verum etiam ſummis quibuſvis dignitatibus & gloriæ ornamentis amplificandum pertineat prætermiſſurus ſit.

Maximilianus Archidux in Tranſilvaniam accerſitur.

Michaelis Vaivoda legatio ad Cæſaris legatos.

Nuntiis hoc reſponſo dimiſſis cùm nec Maximilianus veniret, nec ille ulterius expectare ſibi integrum diceret, Radulonem Clavigerum (eſt id genus officii & dignitatis, cui tributa & vectigalia cenſuſque provinciæ curæ ſunt) & Miriſſonem Logothetem legatos, turſus eadem adferentes miſiſſet, collato cum Tranſilvaniæ primoribus conſilio, ac relictis, qui res domi curarent, idoneis hominibus, ipſi ad Michaelem proficiſci conſtituerunt; ac per ſilvam Sarcaniam Cibinium, indeque Braſſonem facto itinere, ſuperatiſque ad Rucariam villam alpibus ſexto, poſtquam Alba diſceſſerant die, cum Gaſpare Cornilio, ac Pancratio Sennieio, Tergoviſtiam pervenêre, & à Michaele, qui valetudine impeditus prodire obviam non poterat, miſſo tamen in occurſu filio Petraſcone, cum amplius tribus millibus militum, ſummo cum honore excepti fuêre. Ibi poſtquam cum legatis per triduum multis ultro citroque contractis ſermonibus diſceptâſſet, & à legatis decem millia aureorum nummûm in ſtipendium militare accepiſſet, tandem in hunc modum conventum eſt: Michael Vaivoda Tranſalpinæ Valachiæ, quæ Regni Ungariæ portio, & pars eſt, princeps, Rodolphum Romanorum Imperatorem & Regem Ungariæ, pro ſuo legitimo Rege recognoſcet, contra Rudolphus provinciam Tranſalpinam ei & filio ejus Petraſconi jure hæreditario conferet, abſque ullo ſolvendi tributi onere, ſic tamen ut ipſe declarandæ clientelæ gratiâ, quotannis mittendi muneris honorarii, quantum virum principem decet, curam habeat. Si ipſe aut Petraſco filius abſque hæredibus decedant, Rudolphus & ejus ſucceſſores liberam Tranſalpinis Valachis poteſtatem concedent Vaivodam ejuſdem gentis & religionis, quam Græcam colunt eligendi, prærogativâ electionis & confirmatione ſibi retentâ, atque ii omnes Regibus Ungariæ juramento obſtringantur. Religio, quæ hactenus in provincia viguit, ſuo loco relinquatur: Cæſar Michaeli ſtipendium ad quinque millia hominum dabit, quibus adverſus quoslibet hoſtes rem gerat: Amicos Cæſaris pro amicis, hoſtes & inimicos pro hoſtibus & inimicis habebit. Ad quæ obſervanda quinto Idus Junii in æde Divæ Virginis Genitricis Tergoviſtiæ ſupra promontorium ſita, primus ipſe juravit ſolenne juſjurandum; ſequuti ſunt eum ſtatim Euthymius Archiepiſcopus Tergoviſtianus, Demetrius Vormcus ſummus provinciæ Judex, Michael arcis Craliovæ Banus, Radulo Claviger, Theodoſius Logotheres Cancellarius, Andronicus Veſtiarius Cubiculo præpoſitus, Nigronus Spatarius, Miroslo Logotheres, & Ban Calota, qui univerſæ provinciæ nomine ſimili ſe & poſteros juramento obligârunt. Quibus peractis legati Albâ redierunt, Cæſaremque & Maximilianum de iis, quæ acta erant, miſſo ad eos etiam fidei a Valachis præſtitæ diplomate, certiores reddiderunt. 1598.

Legatorũ Tranſilvania cum Vaivoda pacta conventa.

Dum per hunc modum res in Tranſſilvania & Valachia adminiſtrantur, Solymanus Temeſienſis purpuratus, qui binas Tranſſilvanorum obſidiones ſervatâ arce Temeſvariâ toleraverat, collectis militibus præſidiariis præfecturæ ſuæ ſubjectis, aliiſque è Nandoralba & Samandria accitis, Chanadium obſidione cinxit, ac quatuor tormentis acriter verberare cepit. Franciſcus Lugaſſius, qui non ita pridem ibi à legatis præfectus erat conſtitutus, miſſo ad eos Joanne Thurio, Franciſci prætoriani centurionis fratre, maturam opem imploravit: quæ niſi tempeſtivè adferretur, ſe loco infirmo vim hoſtium diu ſuſtinere non poſſe nuntiavit. Nec mora, legati Georgio Quiralio Varadini præfecto in mandatis dederunt, ut partem militum eo mitteret, ac præſidio, quod in oppido Joſſeo erat, ut in auxilium adcurreret, juſsêre: Media quoque pars prætoriani militis ſecundo Maryſo flumine celeritatis cauſa iſthuc miſſa eſt: quibus omnibus deducendis Thurius operam diligentem præſtitit. Verùm quum hoſtes auxilia obſeſſis venire cognoviſſent, incepto deſtiterunt, retractiſque tormentis eo, unde venerant, redierunt; villas tamen aliquot & pagos circumvicinos igne & ferro vaſtârunt.

Solymanus Temeſuarienſis Chanadium obſidet.

Irrito conatu abſcedit.

Ejus Solymani inſolentiis permoti legati, conſiliis cum Andrea Barciano Caranſebeſſi & Lugaſſi præfecto communicatis, qui diu apud

Na-

1598. Nadasdium tem militatem ſecunda nominis fama exercuerat, & virtute ac præclarè factis ad eam præfecturam conſcenderat, contulerunt, daret operam, ſi qua occaſio daretur, ut dum rapinis & prædæ è regionibus noſtris abigendæ inhiat, notabili aliquo detrimento afficeretur. Is navandæ operæ cupidus, re cum transfugis quibuſdam, qui Temeſium clam fugientes, Turcicæ ſuperſtitioni ſeſe addixerant, communicatâ, atque adeò impunitate ac oblivione omnium ſcelerum eis promiſſâ, ſi Solymanum in inſidias perducerent, brevi effecit, ut deſiderii votique compotes redderentur. Itaque Solymanus à transfugis perſuaſus, qui oppidum Lugaſſum infirmo muro, ac quibuſdam in locis pertuſo facilè capi poſſe æſtimabant, ſeque primos in iiſdem explorandis offerebant, mille equites, tondemque pedites ad iter accingi, ſeque in hoſticum vadentem ſequi juſſit. Cum pridie Nonarum Juliarum ſub veſperum Temeſſio egreſſus eſſet, & peditatum præmiſiſſet, ut ſunt æſtivæ noctes admodum conciſæ & breves, ante auroram tamen Lugaſſum pervenit, ubi à Barciano & præſidiariis, qui quo itinere, quo numero veniret, quibuſnam ex partibus oppidum adoriri vellet, docentibus clam transfugis, bene ſciebant, paratis animis viribuſque expectabatur. Itaque Turcæ obſcura nocte magno ſublato clamore oppidum invadunt; ſed Barcianus egregiè ſeſe defendendo tamdiu, donec illuceſceret, eos ſuſtinet: mox dubiâ adhuc luce portâ erumpit, & ducentis peditibus ſclopetariis, quos prope ſuburbia idoneo in loco occultaverat, & quando ad conſerendas cum hoſte manus ventum foret, prodire juſſerat, ſignum invadendi dat; pugna atrox & cruenta exoritur: Turcæ à fronte à tergo circumventi in orbem pugnare coguntur; & tandem dum ſe à ſclopetariis incumbentibus confertim proſterni vident, in fugam conjiciuntur: multi capiuntur, ſed multò plures cæduntur. Solymanus præcipiti equo vectus profugit, victoriâ Barciano relictâ: dumque intenſo curſu percitus ad pontem Temeſio flumini impoſitum perveniſſet, illum à noſtris disjectum reperit; quamobrem metu cogente fluvium cum paucis tranſnatando ſuperavit, ſicque in tutum ſe recepit. Ex noſtris nemo alicujus hominis miles deſideratus eſt, præter Joannem Joſeffeium, qui quum vulnus in capite accepiſſet, eodem die interiit. E Turcarum numero CCL. vivi in noſtrorum poteſtatem devenêrunt; ac inter eos Ibraim Aga equitum Centurio veteranus, cum multis aliis præcipuæ dignitatis; qui nec ſe paſſus vinciri, nec pedes compedibus conſtringi, octo millibus aureorum nummum intra triduum perſolutis, ſe redemit. Cæſorum capita CCCCXI. perticis & longuriis è muro præfixa ſpectaculo fuerunt, & ſpolia præter opinionem multa. Signa verò magna deaurata duo relata, & tertium, quod Solymani proprium erat, anguſtum quidem, ſed in longum extenſum, ut haſtam, cui affixum erat, longitudine ſuperaret. Quæ Albam ad legatos cum captivis & muneribus perlata fuêre. Caſtigatâ hunc in modum Solymani temeritate, modum poſtea excurſionibus & direptionibus poſuit, & non multos poſt dies Budam translatus, infeliciorem quam nunc fortunam expertus eſt, quum non toto vertente anno à paucis peditibus, qui Strigonio egreſſi propè thermas Budenſes, quæ Muſtaphanæ vocantur, ſeſe abdiderant, captus fuit, ut ſuo loco dicemus.

Solymanus non mediocrē cladem a Barciano accipit.

Iſthuanf. Hiſtor.

Cùm interea crebrioribus nuntiis, qui ferè quotidie veniebant, adferretur Turcarum ingentes copias, partim jam Samandriam, partim Nandoralbam perveniſſe, & Satergim, qui eis præeſſet, brevi ſubſequuturum, & conſilia de bello Tranſilvanis inferendo agitare; Legati miſſo per celeres equos Georgio Herbeſtaino Feliciani filio, Maximilianum denuò ad feſtinandum & defendendam provinciam invitavêre; cui ſe propediem venturum promiſit. Sed quum mora nimium longa videretur, Joannem quoque Bcicium, qui cum ſolicitudine adventum ejus urgeret, non multò poſt miſerunt: iſque illi Tapolciani occurrit, & de ſtatu Tranſilvaniæ, deque aliis rebus, quas illum ſcite intererat, edocuit. Nec minore cura ac ſolicitudine inter hoſce adventantium hoſtium rumores, premebantur, tuendæ, & in tutum emittendæ Mariæ Chriſtiernæ Sigiſmundi conjugis, ejuſdemque Cæſaris agnatæ, fœminæ undecunque præſtantiſſimæ. Itaque adhibito in conſilium comite Turriano viſum eſt, ut quando incertum foret, quorſum hoſtes arma inferrent, ſatius eſſe, ut tempeſtivè pedem efferret, quam Maximilian. fruſtra expectando, interclusa ab hoſtibus in diſcrimen conjiceret. Approbato conſilio, ſic ſui itineris rationes explicavit, ut ſtatim Cuvarium proficiſceretur, ibique decem dies quieſceret, denique Calend. Septemb. viæ ſe daret, rectaque Gracium ad matrem contenderet. Nec diu morata, conſcenſis curribus Albâ Claudiopolim diſceſſit, ut inde Cuvariū ire maturaret.

Venêre inter hæc per Moldaviæ fines in Tranſalpinam Valachiam, indeque in Tranſilvaniam ad legatos Caſi Querai Tartarorum Precopenſium ſive Tauricanorum principis nuntii, Seferſahes, & Alexánder Palæologus, natione & religione Græcus, nomine principis ſui referentes, illum literas Sigiſmundi, quas antea per Joannem Bernadthum, & Georgium Thracem cum muneribus miſiſſet, ac poſtremò ſex millia aureorum numûm à Joanne Peſonienſi legatorum nuntio dono allata accepiſſe, eaque ſibi tam grata accidiſſe, ut ſi Mehemeti Turcarum principi bellum adverſus Ungaros gerenti operam ſuam non obtuliſſet, priùs quàm legatorum literæ ad eum perlatæ eſſent, minimè ſe hoc anno ſuas vires cum Turcis conjuncturum fuiſſe, quod ab illis ut ingratis & inſolentibus barbaris alieno eſſet animo, utpote pro quibus ipſe apud Perſarum Regem bello captus, compedes & catenas, ac extrema captivitatis incommoda pertuliſſet, quorum veſtigia & vibices etiam nunc in manibus, collo, & cruribus, totoque corpore gereret, ac ægerrimè libertatem recuperaſſet; poſtea verò Sinano Jaurinum obſidente, ac ponte Danubium ſternere conante, ipſe primus omnium equo in flumen advecto, cæteros ad tranſnatandum invitâſſet: Verùm tamen, pro iis omnibus nullam à Turcis gratiam, ſed graves magis injurias, & varia contumeliarum genera pertuliſſet: Nihilominus ut legatorum ac Chriſtiani Imperatoris amicitiam, ſe non verbis duntaxat, ſed re ipſa plurimi & maximi æſtimare demonſtraret, ſe in caſtra Turcarum, quà nihil niſi ipſo præſente tentaturi eſſent, iturum quidem, tamen non obſervatæ fidei argui ab iis poſſet: Sed ante Calendas Octobres ſe è campia Doburgianis pedem minimè promoturum, ut hæc mora ipſis qualicunque commodo eſſe poſſit. De jungendis ulterioris amicitiæ officiis

1598.

Maximilianus iterum, ut in Tranſilvaniam iter acceleret, vocatur.

Maria Chriſtierna Sigiſmundi uxor domum redire ſtatuit.

Tartarorum legati in Tranſilvaniam veniunt.

1598. poſſe nunc, ſi ipſis videatur, cum nuntiis tractari, quos ejus rei cauſa mittendos cenſuiſſet, ut ipſorum rationes intelligerent, & ad ſe referrent. Legati re cum Napradio, Corniſio, Toldioque, & aliis Tranſſilvanis communicata, nuntios gladus auro atque argento elaboratis, ac pecuniâ donatos, ad Maximilianum qui jam erat in itinere, rejiciendos duxerunt, & adhibitis itineris ducibus, qui eos ubique publico ſumptu deducendos curarent, dimiſerunt.

Jam Valachia ad obſequium Cæſaris reducta, Chanadio obſidione liberato, pulſis & fractis ad Lugaſſum hoſtibus, Tartarorum gente emollita, ſtipendiis omnibus ad eum diem exſolutis, & Maximiliano adventante provinciæ quies & tranquillitas parta eſſe videbatur, quum unius hominis pravum & inconſtans ingenium quod nec principatus curam, nec privatæ vitæ quietem toties præoptatam pati potuiſſet, inauſpicato adventu, omnia quàm rectiſſimè proviſa perturbavit & evertit.

Sigiſmūdus ex Sileſia in Tranſilvaniā revertitur.

Nam Sigiſmundus repetendæ poteſtatis avidus, cui Opolitana ſedes in Sileſia à Cæſare aſſignata, uti Tranſſilvaniæ impar & inops ſordebat, à nonnullis etiam Tranſilvanis, ut poſtea patuit, incitatus XX. die Auguſti, relictis in via ſuis, ipſe paucis comitatus, diſſimulata perſona, Claudiopolim de improviſo venit, rectaque ad Michaelem Catonaium, qui eo tempore prætoriana poteſtate fungebatur, divertit; & ab eo conjugem, à qua ſine cauſa diſceſſerat, in urbe eſſe & reditum ad matrem adornare intellexit. Eum igitur ad illam precibus in templo vacantem ire jubet, dicereque ſuo nomine ſe ad illam ſalutandam veniſſe. Perturbata illa rei novitate, ſe mox peracto ſacro ad hoſpitium rediturum, nec colloquium detrectaturam per interpretem reſpondit. Tum illam conſilii inopem & auxilii indigam, ſimulatis blandimentis promiſſiſque ad ſe allicit: nec mora Benedictum Macedium, & Stephanum Lazarium, prætorianorum militum præfectum, apud quem claves urbis portarum ſervabantur, mittit, qui clam legatis Albam intromiſſis, deinde in caſtra, quæ propè Sebeſſum erant, ad Boſcaium proficiſcitur, eique literas reddit Claudiopoli exaratas, cætera quæ habebat in mandatis, ſermone exequitur.

Et principatum duce Boſcaio ſibi iterum vendicat

Boſcaius rapta, quam diu optaverat, occaſione nihil cunctatus, ad Corniſium de nocte adhuc in tentorio quieſcentem, armatorum caterva ſtipatus venit, Sigiſmundumque rediiſſe è Sileſia, & cum conjuge ſimul Claudiopoli eſſe nuntiat; proinde ut vel illum denuo in principem recipiendum conſentiat, vel ſibi in veſtigio moriendum ſtatuat, brevi ſed acerba denuntiatione ſignificat. Cunctantem illum & perplexum, eadem iterum atque iterum ſevero vultu repetendo deterret, & extremi ſupplicii metu coactum in ſuam ſententiam pertrahit. Mox Siculos, quorum præcipui in caſtris erant, operâ Moyſis Siculi, quem antea ſibi adſtrictum reddiderat, promiſſa eis veteris immunitatis reſtitutione, in partes traductos ſibi conciliat: prætoriani pedites intellecto reditu illius, ac Siculorum conſpiratione, ſponte Boſcaio nomina dant, & ad illum deficiunt.

His ad legatos perlatis, quod inermes ſolique cum paucis familiaribus eſſent, neque copiæ, quas Sigiſmundus Racocius Cæſaris pecunia conductas mittere debuerat, præter Paulum Melithium adeſſent, qui etiam ſuas turmas per pagos circa Claudiopolim diſtributas reliquerat, quidnam facerent, quæve conſilia captarent, non ſatis expediebant: nam ipſi de Sigiſmundi conatibus ad reditum ſe parantis aliquid ſubodorati, Cæſarem ante admonuerunt, ut in Sileſia eis obviam eundum cenſeret, ne ille revertendo maleſanis conſiliis provinciam perturbaret; idque minimè neglectum eſſe ſibi perſuaſerat. 1598. Re inopinata perculſi, ſuos homines citatis equis in caſtra mittunt pro Corniſio celeriter advocando, ut cum eo conſilia communicarent, qua ratione, quibuſve viribus flagitioſiſſimis hominibus reſiſtendum foret. Verùm quum illum, ea quam retuli ſalutis vitæque amittendæ formidine, præoccupatum cognoviſſent, & nonnulli ex iis, in quibus ſumma fides eſſe debebat, vacillarent, nonnulli verò aperte deſeciſſent; id quod facere poterant, ſcriptis ad Saxonicas Civitates & Claudiopolitanos literis, eos præſtiti nuper Cæſari ſacramenti admonitos, ut tam flagitioſo infamiæ ac violatæ fidei facinore abſtinerent, cohortati ſunt.

Legatorum Cæſar. literæ ad Maxim. interceptæ.

Ad Maximilianum quoque triplices unius ejuſdemque argumenti literas dedêre, quibus illum ad conſilia viro principe ac bellicoſo digna amplectenda, nec intermittendum iter incitabant, nullam fore, dummodo veniret provinciæ occupandæ difficultatem, quod nondum factionis Boſcaianæ vires coaluiſſent, aut uſque adeò magnum incrementum ſumpſiſſent, & multò maxima pars adhuc ad Cæſaris ſtudia propenderet; tantas eſſe ei vires, ut hunc profligatæ impudentiæ atque inconſtantiæ hominem haud magno labore provincia exturbari poſſe providerent. Sed Georgius Palaticius, qui unas literas clam Caſſoviam perferendas ſub fide acceperat, Boſcaio ad conciliandum ſibi favorem tradiderat; alteræ à Nicolao Haunoldo, excuſſis Tordæ, dum equos permutaret, omnibus ſarcinis & corporis ſinibus, non ſine capitis diſcrimine erant ademptæ; tertias Joannes Marcus Raguſinus, à ſociis Italis proditus, dum apparitores nocte intempeſta, effringendis hoſpitii januis incumbunt, id quod erat ſuſpicatus, confeſtim devoraverat. His rerum perturbationibus, ac mutato provinciæ ſtatu audito, Tartarorum nuntii, qui ad Maximilianum contendentes erant in itinere, omiſſa legatione ad ſuum principem redierunt.

Boſcaius ad legatos ſe confert.

Interea illuceſcente die Boſcaius è caſtris, ubi jam voti compos erat factus, adducto per vim ſecum Corniſio in urbem armatus ad legatos venit, ingreſſuſque ad eos, literas Claudiopoli à Sigiſmundo principe allatas retulit, vocatoque Macedio qui unà venerat, eas reddi juſſit. Scribebat ſe revertiſſe in provinciam ſuam, & cum conjuge rediiſſe in gratiam, hortariq; eos, ut ad ſe venirent: Sed legati re dilatâ ſe conſiliũ ex tempore capturos reſponderunt.

Palatiũ occupat.

Boſcaius inde cum multis ſuorum armatis in palatium ingreſſus illud occupavit, & Albertum Serdahelium, quem legati præfecerant, ſuo loco reliquit; ita ut Franciſcum Lecenianum ei collegam adjungeret, moxque in caſtra eſt reverſus.

Vocataque concione Tranſſilvanos ad defectionem ſollicitat

Ibi convocata concione Sigiſmundum à Germanis ludibrio habitum rediiſſe Claudiopolim, ac cum conjuge ſimul converſari retulit: illum meritò recipiendum eſſe, qui erga univerſos ſe liberalẽ & munificum præſtitiſſet; nec eſſe dubium, quin idem deinceps facturus eſſet: à Germanis natura cunctatoribus ac parcis nihil eſſe boni expectandum, qui nec copias, nec pecuniam, nec auxilia hactenus miſiſſent, Maximilianum non eſſe

auſum

1598. auſum in provinciam venire, ſe à legatis in huoc uſque diem vana ſpe lactatos eſſe: nullum in eis perfugium, hoſtes in armis, periculum præſens eſſe: igitur ſibi neceſſarium videri, ut de hoc principe divinitus reducto animos reſumant, ſceptraque ei rurſus tradant. Quæ quum diſſeruiſſet, omnes aſſentiri, Sigiſmundum principem proclamare, multos illi annos, multam felicitatem precari: cumque Cornilius conſilia non eſſe præcipitanda, nec Cæſaris obliviſcendum, cui paulò ante fides publica obſtricta eſſet, dicere cepiſſet, parum abfuit, quin ab inconditis & in furorem verſis trucidatus in fruſta ſecaretur.

Sigiſmundo principatum reſtituunt.

Legatos Cæſ. cuſtodiæ tradit.

Miſſi ergo Claodiopolim, qui hæc nuntiarent, & de principatu reddito gratularentur, legatis arcta cuſtodia adhibita; ita ut ſclopetariis prætorianis per vices interdiu noctuque excubantibus, nemini ad eos aditus pateret: nec multò poſt Stephanus Bodonius a Boſcaio miſſus, ut ſe domi continerent, ſi ſalvi eſſe velint, apertè denuntiavit. Paulus etiam Melithius, qui biduo ante ad eos venerat, unà detentus fuit. Interea Sigiſmundus Napradium Epiſcopum, & Chriſtophorum Quereſturium, quod ad eum deficere nollent, hunc quidem ſecum ſeriò agi putanteio, quod & ipſe ſeriò ageret; illum verò ſimulato in ſpeciem dolo, adhibitis cuſtodibus detineri juſſit; ſed paulò poſt utrumque dimiſit: ac deinde Tordam cum conjuge venit, eoque conventum indixit, ut denuò ad regendam provinciam juraret. Eodem & legatos accerſendos curavit, literaſque ſua & conjugis manu ſignatas per Stephanum Thracem miſit, id abſque ambagibus denuntiando, ut ſi ſponte venire nollent, etiam invitis veniendum eſſe ſcirent. Itaque ſub eadem cuſtodia, nocte concubia & pluvioſa, itineteque cœnoſiſſimo Tordam deducti ſunt, comitantibus cum turma equeſtri Stephano Petquio, & Nicolao Vitelio, ac armata peditum prætorianorum cohorte; cui celeritatis cauſa currus aliquot data erant, quibus veherentur. Tordam quum perventum eſſet, quinto poſt die legatos inter duos prætorianorum ordines ad ſe accivit, cæteriſque arbitris, præter conjugem, ſemotis, humanioribus quanquam ſimulatis verbis uſus, factum ſuum excuſavit, ſibique ipſi moleſtum eſſe dixit, quod ſuo è Sileſia reditu Cæſarem offendiſſet; invitum tamen ſe facere coactum, quod ei & locus ad habitandum commodus, & ad victum neceſſaria defuiſſent; ſe tamen etiamnum veterem erga Cæſarem obſervantiam & fidem retinere, dummodo apertum ei bellum non inferat, nec Maximilianus eum provinciâ exagitandum putet: quæ tametſi ab optimis & prudentiſſimis principibus minimè expectanda cenſeat; ſi quid tamen fortè adverſi ingruere videret, ſe aliorum quoque principum viribus convocatis ſubſidia ad defenſionem comparaturum. De ipſis dimittendis, quos neque capiendos voluiſſet, cum primum in publico conventu cum ſubditis colloqui licuerit, daturum operam, ut ſalvi integrique dimittantur.

Legatis Cæſar. Tordam adductis Sigiſm. ſe excuſat.

Mehemetus Satergis Chanadium, Aradum & Naglacum occupat.

Poſtquam inter hæc colloquia ſacramentum ad ſervandas provinciæ leges publicè præſtitiſſet, cognitum eſt Satergim Mehemetem purpuratorum ſecundum, verſis in fines Tranſilvaniæ armis Chanadium obſediſſe, ac diffugiente Franciſco Lugaſſio præfecto & præſidiariis occupaſſe; eodemque itinere Aradum & Naglacum à noſtris metu perculſis deſerta, quæ omnia a legatis non ſine ſumma laude ſervata erant, in poteſtatem hoſtium deveniſſe, & hoſtes Varadinum tendere, conſilio cum Boſcaio Napradioque habito, Matthæum Barbelium ad Satergim miſit, ab eoque ut legatum in caſtra ad eum mittere liceret, impetravit: Moxque Stephano Ovario iſthuc miſſo, ſumma ope niti cœpit, ut fœdus intermiſſum cum eo revocaret; de cujus conditionibus tranſigendis legatos quatuor Lippam mittendos petebat, ſeque totidem miſſuros pollicebatur, Pancratium nempe Sennicium, Georgium Palaticium, Lupum Cornisium Siculum, & prætorem Saſſebeſſianum. Mens animuſque ejus erat, ut ſi aliter cum hoſte tranſigi non poſſet, quam ut legati Cæſaris dederentur, idque Satergis urgere imprimis videretur, accipiendam ad extremum conditionem cenſeret. Verùm felici eorum ſorte evenit, ut Ovarius adeò alienum ab omni fœderis mentione barbari animum reperiret, ut etiam jurgiis exceptus, convitiiſque proſciſſus, abire in malam crucem juberetur, diceretque Sigiſmundo, ſe nihil cum eo, ut deſertore, commercii habere velle, ſed primum omnium ad Varadinum expugnandum tendere; quo occupato, ubicunque eum reperiret, armis perſequi ſtatuiſſe: ſi quid de fœdere agere vellet, id Byzantii experiretur. Qua belli denuntiatione territus, legatos mitiùs, humaniuſque habere cœpit, ac ad Cæſaris clementiam confugere, quam incertam barbarorum fidem, cum certo ſalutis diſcrimine tentare neceſſe habuit; ac poſtmodum cum conjuge Albam contendit, & altero poſt die eos ſub eadem cuſtodia ſe ſequi juſſit; illinc Paulum Melithium Calendis Septembris, ita ut legati pro illo intra vigeſimum diem redituro ſponderent, certis propoſitis conditionibus Caſſoviam dimiſit, quarum ſumma erat, ut imperata mittendorum legatorum ad Maximilianum poteſtate, res ſuæ ac currus & impedimenta à Nicolao Zelemerio ex itinere retracta, ac juvenes quidam eodem tempore intercepti, intra eum diem redderentur, quibus ipſe receptis legatos eſſet dimiſſurus.

1598.

Legatus Sigiſm. de fœdere ad Mehemetem miſſus re infecta redit.

Joſica Cancellarius capite mulctatur.

Sed quum poſt illius diſceſſum cognoviſſet de Stephano Joſica eodem die Sacmarii juſſu Cæſaris capitale ſupplicium ſumptum eſſe, ad novas iterum res & nova conſilia animum convertit, ut legatos compedibus vinctos, & in diverſas arces ſeparatim cuſtodiendos amandare conſtituiſſet: mox tamē à conjuge & Cornilio precibus fatigatus deliniituſque expectandum Melithium decrevit: poſtquam Joſicam ſuo judicio juſſuque captum, ac affectati regni ſuſpicione damnatum, jamque cæſum in vitam revocari non poſſe ſatis ſciret. Interea Gabriel Hellerius, ac Lucas Trauſnerius Claudiopolitanus Civis, quos per ſpeciem incuſandorū falſo legatorum, re autem vera explorandis rebus Caſſoviam miſerat, redierunt, pacatiora de Maximiliano, quam ipſe animo conceperat, adferentes. Melithius quoque ad diem præſtitutum adfuit, tali Maximiliani decreto allato, ut ſi ipſe ad nonum poſt diem, Legatos Sacmarium venire permitteret, currus & res, famulique ejus eodem die ibidem ſtatuerentur. Per hunc modum legati recuperata libertate Sacmarium primo, ac deinde Caſſoviam ad Maximilianum, gravi tunc morbo implicitum, redierunt.

Legati Cæſ. dimiſſi à Sigiſmundo Caſſoviā veniunt.

Interea quum tam à ſpeculatoribus, quam captivis certius cognitum eſſet, Satergim, uti Stephano Ovario prædixerat, Varadino arma illaturum, Maximilianus miſſo ad præſidiarios, &

1598. Georgium Quiralium præfectum, Paulo Niario, ut fidei Cæſari præſtitæ memores, majora in urbem arcemque præſidia ac commeatum, & res tolerandæ obſidioni neceſſarias reciperent, cohortatus eſt. Eodem tempore Sigiſmundus quoque ſuadente Boſcajo, per Stephanum Chaquium diligentia ſingulari egit, ut ſibi ab exilio reduci, ac in priſtina principatus jura de integro recepto arcem, civitatemque reddere ne cunctarentur; ut de iis, quæ ſuſtinendis hoſtibus neceſſaria eſſent, providere, aut fœdere cum illis percuſſo, bellum alio avertere poſſet. Quum ſummis utrinque ſtudiis contenderetur, Quiralius cum Georgio Corlatovitio, cui cuſtodia arcis commiſſa erat, & præſidiarii milites, oppidanique diu in ancipiti hæſerunt quamnam in partem inclinarent; poſtremo quum etiam Ambroſium Dereſquianum Calviniſticæ ſectæ concionatorem, magna inter eos auctoritate pollentem conſuluiſſent; atque is decete omninò reſpondiſſet, ipſos, qui Pannonici ſanguinis eſſent, poſthabita damnátaque Tranſilvani levitate atque inconſtantiâ, datæ ſemel fidei religionem tueri, niſi à Cæſaris legatis juramenta ſyngraphis roborata ipſis remitterentur; illa verò à Boſcajo, excuſſis legatorum ſarcinis & literis nuſquam inveniri potuiſſent, quòd ſyngraphæ ad Cæſarem miſſæ eſſent; ad extremum pro Cæſare & Maximil. ſtare conſtituerunt, freti ſe fidei ſervatæ & religionis nomine, ac Cæſaris curâ auxilioque adverſus infenſiſſimos hoſtes arcem urbemque incolumem conſervaturos. Quibus à Paulo Niario cognitis, Maximilianus ſine mora, tormenta bellica, pulveris ſulphurei magnam copiam, item XXIV. plauſtra ligonibus, palis ferreis, batillis, ſecuribus, & id genus inſtrumentis plena Varadinum invegi, eundemque Niarium, ac Melchiorem Rederum Sileſium clarum militiæ virum, & egregium ducem, id munus ſponte ſubire volentem, cum tribus millibus peditum Germanorum, ac cum Joanne Marco Iſolano Bononienſi Italorum peditum præfecto, ac mille Ungaris arcem ingredi, ſeq; ſuſtinendæ obſidioni præparare juſſit. At Satergis, poſtquam Caſſun Hamum & Tartaros variis nuntiis & literis, ut venire maturarent, fatigaſſet, nec illi diverſis uſi excuſationibus veniſſent, niſi novum illis pontem prope Panchovam ad trajiciendum Danubium faciundum curaret, quod Nandoralbam circumducere longis anfractibus exercitum tam difficile quàm tardum foret, non prius quàm ad Calendas Octobris eos in caſtra recipere potuit; quæ ſeparato à Turcarum caſtris loco, uti aliàs fieri conſueverat, collocata fuerunt.

Varadinenſes, rejectis Sigiſmundi promiſſis fidem Cæſari datam ſervant.

Niarius ac Rederus cum ſelecto præſidio Varadino imponuntur.

Promotis Chanadio copiis, Turcæ & Tartari, inter Chryſium & Maryſum amnes, qui è Tranſſilvania profluentes, ille quidem apud Chongradum, hic verò ad Segedinum oppida Tibiſco miſcentur, facto itinere, ad quartum Nonas Octobris Varadinum pervenère; fuitque memoratu dignum, non tantum eodem tempore, ſed ipſa fermè ejuſdem diei hora Varadinum ab Turcis, Budam verò à noſtris obſidione cinctam eſſe, & poſt irritos XXX. dierum conatus, utraque caſtra tanto diſſita intervallo, eodem die rebus infectis ſoluta fuiſſe. Triduo poſt perfectis Turcarum munitionibus, noſtri ſuburbiis oppidoque incenſo, ne hoſtibus uſui eſſent, ſeſe in arcem receperunt; ac diviſis ſtationibus, tormentiſque & rebus neceſſariis ſingulari diligentia diſpoſitis, ſeſe ad defenſionem compararunt. Hoſtes è duobus aggeribus arcem verberare inſtituerunt, quorum unus, quod paulo longius diſtaret, quam quod propugnaculo diruendo admodum ex eo noceri poſſet, Satergis inſequenti nocte tormenta propius protrahi, ac ad domum lapideam, quam Joannes Gicius ad lapidis jactum prope arcis foſſam ſuperioribus annis ædificaverat, aggeres erigi juſſit, unde mœnia ſumma vi dirui cœpta ſunt. Nec noſtri, quin hoſtes in aggeribus verſantes, aut neceſſariarum rerum causâ hinc inde commeantes & diſcurrentes ſauciarent, aut interficerent, ab emittendis continuè ex arce tormentis abſtinebant. Satergis cum mœnia per ſe natura & arte munitiſſima eſſe, tum verò ab iis, qui intus erant, ſumma virtute defendi conſpicatus, ideoque obſidionem diuturnam fore arbitratus, habito cum Tartarorum principe conſiliò, excurſiones in proximas regiones, modò has, modò illas fieri inſtituit; ut caſtra, quæ ob continuas pluvias & itinerum difficultates, commeatuum convectione impedita, rerum ad victum neceſſariarum penuria laborare videbantur, majoris pecoris & aliorum obſoniorum recenti præda nonnihil recrearentur. Quod quemadmodum à Tartaris frequenter & magna celeritate fiebat; ſic ex adverſo ſæpè à noſtris, qui è Callone, Tocajo, Echedio, ac caſtris, quæ ad Racamaſſum oppidum locata erant, impigrè obviam excurrentibus, deprehenſi, excuſſa præda, liberatiſque captivis interficiebantur. Ejuſmodi hoſtium & maximè Tartarorum rapinis & populationibus accidebat, ut miſera plebs metu perculſa, relictis ſedibus, pars Sacmarium & pacatiora loca, pars in remotiores Tranſſilvaniæ receſſus, tranſcenſis montibus & ſilvis, ſeſe cum uxoribus & parvis liberis reciperet: & omnia ferè loca hinc uſque ad Claudiopolim, illinc verò Vardam cis & ultra Tibiſcum, exulibus & profugis referta eſſe conſpicerentur.

Tartarorum rapinæ & populationes.

Interea quamvis tormenta dies & noctes nequaquam ceſſarent, tamen Satergis quo majorem obſeſſis terrorem incuteret, ſubruendum cuniculis murum exiſtimavit, tormentorumque magiſtris, ut egerendæ ſub fundamentis humo operam darent, mandavit. Quod cùm ab obſeſſis animadverſum eſſet, alium cuniculum in contrarium agere neceſſarium duxerunt, ac Iſolano earum rerum perito, ac navandæ operæ cupido, ejus effodiendi negotium impoſuere. Cùm verò hoſtes ignari noſtros intus ipſorum conatibus occurriſſe, pulverem ſulphureum ſcrobibus ſuppoſitum ſuccendiſſent, flamma meatum ſibi repetiente, labor omnis & opera fruſtra fuit; ſic tamen ut Iſolanus, qui aſſiduus in opere erat, ſuccenſi pulveris vi non paucos ex ſuis amitteret, & ipſe in facie fœdè uſtulatus ſummum vitæ diſcrimen adiret. Cùm verò jam tormentorum aſſiduis ictibus mœnia proſtrata oppugnari poſſe viderentur, Satergi jubente magna Janicerorum, ac promiſcua Aſaporum & aliorum pedeſtris ordinis militum turba, ingenti ſublato clamore ad muros, qua hiatum fecerant, irrupit, & atrox certamen contractum eſt, Turcis ſuperare mœnia contendentibus, noſtris verò pari conatu ea defendentibus. Diu acriter pugnando, res & victoria in ancipiti verſabatur: Sed ducibus & Redero imprimis ſuos, ac Niario Ungaros cohortante, ad extremum hoſtes, qui conferiiſſimi ſubierant, partim haſtis & ſclopetis, partim tormentorum vi deturbati, ingenti accepta

Hoſtes, oppugnationem aggreſſi deturbantur.

1598. cepta clade, retro in caſtra profugerunt. Qua in re præter Iſolanum, qui tametſi vultum & ora fœdatus, ac ſolis oculis extantibus caput faſciis involutus, ad navandam operam prodierat, Jo. Selſteni mira virtus & fortitudo enituit, qui illis diebus Aradio à Turcis pulſus, Varadinum ſe contulerat. Is enim tubis fictilibus & ſacculis lineis pulvere ſulphureo repletis, & in hoſtes jactis impigrè rem gerebat; qui dum funiculo ardente indito ignem concepiſſent, magna in hoſtibus ſtrage editâ crudeliter ſæviebant, ut plurimi diſcerptis membris in veſtigio occumberent, multi ſemiambuſti in foſſas præcipitarentur. Germani quoque partim glandibus peritè exploſis, partim prælongis haſtarum cuſpidibus hoſtes etiam loci iniquitate impeditos, deturbabant.

Turcæ cum cæde rejecti, nequaquam tamen animis fracti, continuare obſidionem, & tormenta in arcem aſſiduè emittere non deſinebant, & magna quotidie obſeſſis detrimenta inferebant. Nam & præaltam templi turrim ingenti ruinâ decuſſerant, æreis campanis ruptis, & cum magno tinnitu ac ſtrepitu decidentibus, uſque aliquot militibus, qui in ſtatione erant, oppreſſis & interfectis: & pleroſque Janiceri ab aggerum latebribus inſidiantes ex occulto feriebant; ita ut propugnacula defenſoribus nudarentur, nec ullus e minoribus in locis abſque vitæ periculo verſari aut conſiſtere poſſet: ac milites & duces ſcrobes ſubterraneas ſibi parare cogerentur, queis ab ictibus majorum, minorumque pilarum tuti eſſent, nec niſi rarò & dubio procurſu, ad mœnia ſpeculandi cauſa prodirent. Illud ſanè miraculo proximum fuit, inter tot & tantos innumerabilium pilarum ictus, qui dies & noctes ſine intermiſſione hinc inde volitabant, ſtatuam equeſtri D. Ladislai Regis Ungariæ, ejus nominis primi, quæ in veſtibulo majoris templi miro & eleganti artificio ex ære fuſili conflata, marmoreæque baſi ſuperimpoſita eſt, illæſam atque intactam permanſiſſe, quamquam parietes circum ſupraque & infra plurimis paſſim ictibus pertuſi eſſe conſpicerentur.

Eâ re animadversâ, Turcæ noſtros metu perterritos eſſe rati, ex aggeribus deditionem poſtulare, variis linguis arcem petere & abire volentibus incolumitatem offerre; ſed quum nihil ex arce reſponderetur, iterum ad repetendam oppugnationem accingi. Sed ad eundem muri hiatum ſummis viribus & magno numero procurrentes, ſcandere muros cœpêre; ſed noſtris impigrè contra ruentibus, incidenteſque crebro glandes, & majores pilas nec quicquam curantibus, pugna collato pede, & diu ancipiti eventu commiſſa eſt, hoſtes enim, ut partum magno labore in mœnibus locum tuerentur, acerrimè pugnare, noſtri viciſſim non pro muris duntaxat, ſed pro aris & focis, proque vita & ſalute ſtrenuè reſiſtere; eoque tandem certamen proceſſit, ut adcurrentibus Redero & Niario, recollectis viribus, redintegrato prælio ad extremum hoſtium impetus egregiè reprimeretur, victique & è ſuperiore loco deturbati, fœdam fugam capeſſere, & in caſtra profugere compellerentur. Ea die fortiter pugnando Georg. Quiralius, veteranus loci præfectus, ſeptuagenario proximus, glande per ilia trajectus, non ſine ſummo ſociorum dolore occubuit. Certatum eſt poſtea quoque pro mœnibus, multis utrinque cadentibus ferè quotidie; conatique ſunt Turcæ ſæpiſſimè conſcendere hiantes muros; ſed ea res ſemper multis illatis acceptiſque vulneribus improſperè tentata eſt. His rebus in hunc modum procedentibus, Tartari tum pro inquieto & prædæ avido eorum ingenio, tum à Saregi & Turcis iterum inſtigati haud parvum regionibus illis detrimentum intulerunt; quum eorum pars ad Bellenesſi Valles, in quibus fontes amnis Chryſii, qui niger vocatur, erumpunt; pars verſus Beſcerminiũ in planitie ſitum (quanquam regio Turcis æquè ac noſtris tributaria erat) validis duobus agminibus excurriſſent, ac obvia quæque urendo & depopulando ingentem vaſtitatem edidiſſent. 1598.

Hoſtes irruptionem repetentes magno impetu à noſtris fortiter reprimuntur.

Kiralius glande trajectus occidit.

Dum Rederus & Niarius ad Varadinum per hunc modum à Turcis & Tartaris circumvallantur, & Maximilianus Caſſoviæ adverſa laborans valetudine, juvandis tamen obſeſſis cum Georgio Baſta, & aliis ducibus conſilia confert, Matthias princeps magno cum exercitu, & tormentorum apparatu Budam gravi obſidione premebat. Primis quidem ceptis & conatibus favens fortuna ſic arriſerat, ut Suarcemburgus & Palffius, donec Matthias, qui majora adhuc ſupplementa è Germania & Galliis expectabat, cum totis viribus in caſtra perveniſſet, Tatam adhibitis tormentis vi expugnatam recuperarent, cæſis ad unum omnibus, qui eam tuebantur, Turcis: deinde tanta celeritate arma & terrorem circumferrent, ut Geſteſia, Vitania, Veſprimio, Balota, Ticonio, & Vaſonio, ac Monedulæ arce, ad Bacaniam ſilvam, intra octavum diem potirentur, victoreſque Jaurinum exercitu incolumi redirent. Nec multò pôſt, decreſcentibus Danubio, & minoribus fluviis, qui aſſiduis imbribus aucti adeò intumuerant; ut exercitus nuſpiam progredi poſſet, ſed menſem totum in inſula otiosè, nec ſine commeatus penuria tranſigere cogeretur, decrevêre, ut promotis caſtris exercitus Strigonium duceretur, ac cùm primum Matthias in caſtra appuliſſet Budæ oppugnandæ conſilia inirentur, quæ etiam Cæſar ducum ſuorum, Palffiique imprimis id ſtudioſiſſimè urgentis votis & ſententiis permotus, exequi prima occaſione juſſiſſet. Diſputatum eſt in conſilio à ducibus, quodnam iter ſuſcipiendum eſſet, ne hoſtis Budæ invadendæ conſilia ſcire poſſet, cùm hactenus Hathuanum petendum vulgo ſparſiſſent: Si enim Danubio penes Strigonium trajecto, progredi exercitus inciperet, ſagaciſſimi hoſtes ad quod erat facilè ſubodorarentur, contra ſi ad Valum vel Sambucum ſalebroſiore viâ iretur, præterquam quod difficiles Verteſiæ ſilvæ montuoſæ anfractus ægrè eſſent ſuperandi, tum verò aquationis & annonariæ convectionis incommoda ſubſequerentur, & tormenta, quæ ſecundo Danubio navibus impoſita vehebantur, nimis procul caſtris relinqui neceſſe eſſet. Ea ſententia tenuit, quæ haud procul à Danubio recedendum, ac Vacienſi via progrediendum cenſebat; eodemque tenore poſſe ambiguam petendi Hathuani, ſi quid juvet, famam in vulgus ſpargi.

Matth. Princeps Budam obſidet.

Suarcẽburgus & Palffius varia caſtella hoſti eripiunt.

Dum ſententiæ de itinere conferuntur, literæ à Matthia principe venère, quibus ſcribebat, non eſſe cur adventum ſuum diutiùs præſtolarentur, quod is aliquot adhuc diebus moram requireret; poſſe exercitum rectà Budam duci ſe cum prætoriano ſuo comitatu brevi adfuturum. Igitur Suarcemburgus, miſſis qui Granum & Hippolum flumina pontibus conſternerent, Vacienſem viam tenuit, eo modo ſtructis ordinibus, ut Palffius cum ſuis Ungaricis

1598. copiis, quæ ad quinque millium bellatorum numerum conſtituebant, præcederet. Hunc Nadaſdius cum ſuo agmine equeſtri millenario, ac Joannes Stadniccius Polonus cum mille Coſacis pone, ſed ſeorſim ſequerentur. Tertium ordinem Germani, Gallique & Vallones equites conſtituerent, quorum numerus præcedentium ſummam æquare dicebatur. Poſtremam aciem ex legionibus Germanicis conſtantem, in queis XXV. millia peditum continebantur. Suarcemburgus claudebat; ita ut tamen in omnes partes obequitando & vigilando, cuncta ſæpiùs oculis colluſtraret; & claſſis naviumque præfectos, quibus tormenta erant impoſita, ac navales ſocios, exercitus gradum obſervare, & æquato eum eo pede curſum tenere juberet. His autem legionibus ſingulis, tribuni rebus geſtis inſignes, Hermaous Rosburmius, Leo Gallus, Henticus Oberenpruccus, è Leodio oriundus, Albanus Althanus, Joaones Prainetius, Baptiſta Peczius, Fridericus Meriſpurgius, ac alii multi præerant; tormentarium verò negotium Rupertus Equempergus curabat. Hoc ordine quum ad Vaciam ventum eſſet, ea inſula, quam Danubius bipartito alveo diviſus à Maruſo uſque ad Vaciam & ruinoſum D. Andreæ Sacellum efficit, à quo tota inſula denominatur, duobus utrinque effectis pontibus occupata eſt; & mille circiter ſclopetarii Ungari præſidio in templum impoſiti ſunt, qui veluti è ſpecula hoſtes videre & arcere poſſent, donec pontes perficerentur; per quos ſive quis Peſtum, ſive Budam adire vellet, commeandi facultas eſſet.

Ordo copiarum noſtrarũ.

Ponte confecto exercitus ad Budenſes campos traducitur.

Poſtquam poos nemine reſiſtente utrinque eſſet confectus, exercitus ad Budenſes campos transduci ceptus eſt; Palſſio cum Ungaris præcedente. Haſaous purpuratus viſis hoſtibus obviam progreſſus, poſtquam cum antecurſoribus leve & minutum prælium commiſiſſet, nullo accepto neque illato detrimento ſeſe in urbem recepit: Saicas quoque duas, quas ſpeculandi cauſa adverſo flumine emiſerat, tam navales claſſis noſtræ ſocii citatis remis inſequuti, quam pedites ad utramque ripam procurrentes, falconetis & infeſtis ſcloperorum glandibus, non ſine periculo, unde venerant, fugaverunt. Sequenti die, qui fuit ad tertium Nonas Octobris, ſummo mane Suarcemburgus tubis ac tympanis ſignum profectionis dari juſſit, & exercitum ad veterem Budam duxit, ſic ut uſque ad ſolis fere occaſum ſtructis ordinibus in acie ſtaret, donec impedimenta, & currus, ac tormenta eodem pervenirent. Nec multò poſt caſtra inter veterem Budam, & Sicambriæ, quam vocant, ruinas & extantia rudera, longo penes Danubium tractu collocata ſunt, ac collibus & locis oportunioribus occupatis munita: Ungaricus verò peditatus ut locorum & viarum peritior, Thermas, quæ olim inferiores, nunc autem Muſtaphanæ vocantur, eadem nocte occupavit; ſimul cum aliis thermis, quæ olim ſuperiores, ſeu Sanctæ Trinitatis vocari conſueverant. Illas noſtra memoria Muſtaphas Budenſis præfectus lapidibus quadratis ſumptuoſiſſimè reſtaurandas, ac plumbo & vitreis ſupra laquearia tabulis contegendas curaverat; in his molas circiter XXX. quæ partim pulverem tormentarium, ſulphure & ſalignis carbonibus commixtum piſtillis pertunderent; partim verò quibus etiam frumentum moleretur, eleganti Aſiatici artificis opere conſtruxerat, muroque claudi juſſerat. Sic etiam ſuburbium exteriùs, in quo purpuratæ domus, & ſtabula, ac carceres habebantur, ejuſdem noctis labore minimo negotio in noſtrorum poteſtatem redacta eſt: quamquam clatratis valvis, & validis repagulis, valloque munitum eſſet, quod hoſtes metu perculſi illud vacuum indefenſumque reliquiſſent. Nec erat dubium, inferiorem quoque civitatem, ſi vis adhibita fuiſſet, parvo labore occupari potuiſſe, niſi Suarcemburgus inſidias veritus, milites ab incepto revocâſſet. Hanc civitatem antiquitus abſque mœnibus fuiſſe ſatis conſtat; Sed poſtquam Solymanus urbem cepiſſet ab Arslane purpurato, ejus juſſu, muro circumdatam, non magnopere munito. 1598.

Caſtra noſtra quo ordine collocata.

Suburbium à noſtris occupatur.

Pulſis è ſuburbio hoſtibus Matthias Quinto Idus Octob. cum prætorianis ſuis cohortibus & turmis in caſtra ad veterem Budam pervenit, cumque à Suarcemburgo cognoviſſet Equempergum in aggeribus conſtituendis, protrahendiſque tormentis ſegniùs, quam par eſt procedere, mox ipſe perluſtratis locis oportunioribus, propugnaculum inferioris urbis, quod Danobio alluitur, ac attiguos ei muros, eodem die tribus ex aggeribus, quibus vicena quina tormenta inerant, verberari juſſit: ita diſtributis per legiones cuſtodiis, ac oppugnationis muneribus, ut Gallus, Oberenpruccus, & Peczius ad primos aggeres, & eorum tormenta cum ſuis legionibus excubarent, medios autem Carolus Comes Sulcius & Rosburmius, extremos verò Frid. Meriſburgus cum Gallis & eorum tribuno Bopparto Lotharingo tuerentur. Quum ab his ab diluculo uſque ad diei ferè ſerum abſque intermiſſione tormentis res geſta eſſet, ſigno tympanis & tubis dato, ac divini numinis ope implorata, oppugnatio ab iis legionibus earumque tribunis acerrimè incboata eſt; & hoſtes contra è ſuperiori urbe decem inuſitatæ magnitudinis tormentis, ac ex inferiore colubrinis, ſclopetis, aliiſque telis miſſilibus, nec non prægrandibus ſaxis supernè devolutis, uſque adeò ſeſe defendere ceperunt, ut Galli qui promptiſſimi adcurrerant, deturbati pedem referrent, eorumque tribunus Boppartus tormento majori diſcerptus, ac Ruſſelius centurio cum multis aliis militibus, ſclopetis ac ſagittis vulnerati interirent. Nec diſpari conditione Leo Gallus & Peczius pugnabant, quos hoſtes è propugnaculo, quod magna virtute & audacia ſubierant, cadente Chriſtoph. Ginetto centurione, detruſerant; ita ut re infecta & multis amiſſis commilitonibus retrofugere compellerentur; niſi tribuni ſuos ad reſtaurandam pugnam cohortati eſſent, iique recollectis animis eam redintegrâſſent. Qua fervente, & Peczianis impigrè rem gerentibus, noſtrorum vexilla ſupra murum vibrari cœperunt. Sed quum hoſtes ea ſimul cum ſigniferis è muro dejecta provolviſſent, & certamen anceps & cruentum recrudiuſſet, dubiaque imprimis & incerta victoriæ ſpes eſſet, pedites demum Ungari circiter ſexcenti ex Palffianis, qui Strigonii & in Nova arce merebant, laborantibus Germanis ſubſidio accurrerunt, & hoſtes primum ſenſim retrocedere, ſimulque cum Gallianis & Peczianis tandem deſerere mœnia coëgerunt; ita ut urbem noſtris, non ſine utriuſque partis cæde relinquerent; ipſique partim in urbem ſuperiorem, partim verò ad pontem Peſtum verſus fugam capeſſerent.

Matthias in caſtra venit.

Noſtri oppugnationem adorti ſtrenuè repelluntur.

Moxque certamine redintegrato urbem inferiorẽ capiunt.

In qua fuga quum Turcæ circiter quadringenti, qui ex pugna cum Gallis contracta ſupererant,

1598. tant, ſeſe nec in urbem evadere, neque ad pontem ſaluti conſulere poſſe animadvertiſſent, quod utriuſq; aditus à noſtris præſeptus & præoccupatus eſſet, in templum ſuæ ſuperſtitionis, quod proximum erat, profugientes, diu & fortiter, ut in extremo diſcrimine, ſeſe defenderunt: poſtremò tamen à Gallis & Meriſpurgianis ac Ungaris peditibus circumventi, & ad unum interfecti fuerunt. Inter quos Huſainus Maraſſienſis purpuratus, (qui locus ad Marſyam fluvium carminibus veterum poëtarum inclytum, in Phrygia ſitus eſſe dicitur) vir ſenex à Germanis cæſus eſt: Cautum enim erat ducum imperio, ne quiſquam vivus caperetur. Eos, qui effugii cauſa ad pontem procurrerant, Pecziani milites cum Ungaris inſequuti, magnum cum eis certamen contraxêre, multiſque ex eorum numero cæſis & in flumen præcipitatis, ad unum deleviſſent, niſi Janiceri ex Aquario propugnaculo ſubſidio provolaſſent: quorum adventu noſtri jam labore feſſi ſeſe in Danubium præcipitantes, aquiſque umbilico tenus immerſi, ſeſe ad ſocios incolumes receperunt. In hac acerrima inferioris urbis oppugnatione præter Boppartum, Ruſſelum, ac Gallicanæ legionis legatum Laudam cæſos, complures etiam centuriones ac manipularii, & ex militibus ampliùs trecenti occubuere. Peczius verò in facie fœdè ambuſtus, & Flugius Rosburmii legatus in brachio glande ſauciatus, ac ſigniferi aliquot vulnerati fuerunt. In partibus hoſtium ſupra Maraſſienſem purpuratum interſectum, ampliùs M. & D. Turcæ promptiſſimi periêre, ac Caramanus Mehemetes glande maxillam percuſſus, Aſiaticuſq; Beglerbegus, intenta fugâ in urbem ſuperiorem evaſerunt. In hac inferiori civitate tormenta bellica circiter XL. majora minoraque reperta ſunt: & Cameli C. ac aliquot Burdones Sarcinarii; cum pauca, nec alicujus nominis aut pretii ſuppellectili; nam quæ cariora erant, in ſuperiorem urbem jam antea comportata erant. Biduo poſt ad tertium Idus Octob. hoſtes munitionem illam ſupra montem S. Gerardi è materia conſtructam de nocte ſuccenderunt, & tenebris tecti ſeſe in urbem contulerunt; quum tormenta priùs humo contecta defodiſſent, quæ tamen à Palffio inventa & in caſtra allata uno aut altero ibi relicto, ac peditum Ungarorum præſidio locus munitus fuit.

Cæſi in hac pugna utrinque complures.

Munitio S. Gerardi ab hoſte derelicta.

At Matthias aliique duces occupato minori oppido, aggeres propiùs ſuperiorem urbem fieri, ac tormenta admoveri juſſerunt, tribuſque ex locis mænia verberari cepta ſunt. Tum verò Turcæ non ſolum ſe & urbem egregiè tueri, ac noſtros procul arcere contendebant, ſed etiam paulo poſt magno tam Janicerorum, quam equitum numero in noſtros erumpere non dubitarunt. Cumque ad legionem quam Oberenpruecus tribunus ductabat, quæve aggeribus & tormentis adjuncta erat, irrupiſſent, milites magno animo hoſtibus reſiſtere ceperunt; ſed quanquam acerrimè pugnarent, tamen vincentibus numero Turcis res erat in ſummum conjecta diſcrimen, & noſtri jam pedem referre ceperant, niſi poſtea totis ferè caſtris accurrentibus hoſtes repreſſi in urbem profugerent. Decretum deinde fuit, ut cuniculis agendis incumberetur, & mænibus pulvere ſulphureo convulſis & apertis aditus in urbem pararetur. Ex altera etiam urbis parte, via Albana, quæ ad Meridiem ſpectat, tormenta XX. in aggeres pertracta ſunt, ut illinc quoque mænia diruerentur. Et quum allatum eſſet, hoſtes ea via ſuis ſubſidio venturos, Palffio munus excubandi cum ſuis Ungaris datum eſt, 1598 adjunctæque legiones Germanicæ Sulciana & Pecziana, quæ auxiliis hoſtium opponerentur. Nec tamen ea uſpiam apparuêre, quod hoſtes oppugnando Varadino intenti, caſtra militibus & præſidiis minimè nudanda exiſtimarent. Albani verò ſibi ipſis potiùs metuerent, quam Budenſibus opem ferre poſſe viderentur. Ad portam quoque Sabatinam, intra quam vicus Judæorum in urbe eſt, decem tormentis majoribus mænia conquaſſabantur; ſed labor omnis quamquam impigrè ſuſceptus, in irritum recidebat. Nâm interea turbatum variis ventorum turbinibus cælum ingentes interdiu noctuque pluvias, frigidioribus tempeſtatibus mixtas, ciere non deſinebat, uti autumnalibus diebus uſu venire ſolet; ita ut egeſtæ cuniculorum ſcrobes aquis importunè repletentur, & ſulphureus pulvis humida in tellure hebetatus, deſtinato operi ſucceſſum denegaret; & quod magis obſtabat, militum animi & vires adeo languebant, ut administrandis & obeundis rerum caſtrenſium munus fatiſcere prorſus, neque vel ipſo vitæ diſcrimine permoveri poſſe viderentur. Præterea non in operis ſolum tormentorum vecturæ dicatis, omnis ad ſubeundum laborem alacritas aut promptitudo refrixerat; ſed & jumenta & equi dies & noctes in cœno & aquis perſiſtere coacti, ac ob inopiam pabuli fame macieque enecti, vix pedes movere poterant: & Equembergus tormentario negotio præfectus, pedibus captus tepidius admodum & remiſſius, quam neceſſitas poſtularet, officio fungebatur. Accedebat ad tantas rerum difficultates, quod hoſtes animadverſis caſtrorum moleſtiis, quas à continuis cæli & aëris injuriis milites pati neceſſe erat, frequentiùs excurrere, ac variis ex partibus eis inſultare, obvios cædere, ac variis modis inquietare non deſinebant. Erant qui tormenta Peſto admovenda, negotiumque ejus in poteſtatem redigendi Palffio, ac uni ex legionibus Germanicis committendum exiſtimarent, ac ut eadem nocte tranſmiſſo Danubio id auſpicaretur, decernerent. Verum iiſdem rerum anguſtiis impedientibus, ea quoque conſilia intermiſſa fuerunt.

Eruptio hoſtilis proſperè coërcita.

Noſtri continuis pluviis & cæli tempeſtatibus vexati captis deſiſtere coguntur.

Nec minoribus omnium rerum incommodis, ac graviſſimis cæli injuriis, Satergis ac Turcæ & Tartari, qui Varadinum oppugnabant, exagitari atque afflictari videbantur, quum in eorum quoque caſtris cameli & equi calidiori cælo aſſueti, frigidiores pluvias & aquilones ferre non poſſent, ideoque paſſim ubique interirent: & cibariorum quoq; inopia laborari ceptum eſſet. Igitur quemadmodum eodem noſtri Budam, hoſtes verò Varadinum obſidione cinxerant; ita eodem etiam tempore, iiſdem difficultatibus rerum, ac paribus cæli & tempeſtatum injuriis coacti ambo duces, rebus infectis tormenta rettrahere, & copias reducere conſtituerunt. Tametſi verò Sigiſmundus è Tranſilvania, miſſo Caſſoviam ad Maximilian. adhuc ægrotantem Stephano Toldio, ad ferendas Varadino conjunctis viribus ſuppetias, invitaſſet, ipſeque Georgium Baſtam cum Germanis ac Nobilitatis, quæ ad Raeamaſſum caſtra habebat, copiis iſthuc proficiſci juſſiſſet; prius tamen quam ea auxilia Debrecetium perveniſſent, Turcæ ſoluta obſidione Varadini & conclamatis vaſis verſus Belgradum erant profecti, eodemque die, quod notabile videri poteſt, qui fuit ad tertium Nonas

Eadem incommoda in caſtris ad Varadinum obſidionē omittere Turcas cogunt. Unde utrinque eodem tempore exercitus re infecta reducuntur.

1599. Novemb. Matthias quoque princeps, reductis in naves tormentis, caſtriſque ſolutis, Strigonium redire contendit. 1599.

Dum hæc in Panoonia à Matthia & Maximiliano principibus in hunc modum adminiſtrantur, Sigiſmundus in Tranſilvania habito cum ſuis conſilio, partes reipub. Chriſtianæ nondum deſerere, ſed cum Cæſare quibus poſſet conditionibus in gratiam redire conſtituit, quamquam non deeſſent, qui eum ut brevi poſt eventus oſtendit, ſolitâ naturæ inconſtantiâ laborare, nec ejus dolis credendum eſſe exiſtimarent. Itaque reconciliationis ſpe aſſumptâ legatos deligit, Demetrium Napradium Epiſcopum Albanum, ac Stephanum Boſcaium ſuum avunculum, quibus potiores totâ provinciâ nullos habebat, eoſque Pragam ad Cæſarem mittit; quorum operâ repetitis, Varadino, Huſto, Rivulo Dominarum, cæteriſque locis, quæ ad Tranſilvaniam extra ejus terminos ſunt, quæve tunc Cæſaris præſidiis obtinebaotur, eadem fædera, quæ ante quadriennium, ſancita erant, reoovari poſtulabat. Quum legati, confecto per Moraviæ fines itinere, ad Cæſarem perveniſſent, & fraudis ignari, de conditionibus agerent, nec ſpes ab indulgentia Cæſaris rerum ex animi ſententia exequendarum deeſſe videretur. Sigiſmundus ſive ſponte, ſive artibus Joann. Samoiſcii Cancellarii Polonici, ac Andreæ Bathorii Cardinalis qui tunc Epiſcopatum Varmienſem in Pruſcia polonicæ ditionis provincia obtinebat, ad novandas res, & ſemina odiorum animum adjecit. Igitur legatos ſuos egregia fraude ludificatus, per occultiores nuntios Cardinalem (cum quo tanquam patruele antea capitalibus odiis, atque inimicitiis diſſidebat) ad ſe ſub fide evocat, & provinciam certis conditionibus ei offert. Is priùs rege Poloniæ Cracoviæ convento, ac conſiliis cum Samoiſcio collatis, via Sandocenſi, & Homonniana, ſimulato mercatoris habitu, menſe Februario in Tranſilvaniam pervenit; ac coercitis ſpe dominandi in præſens odiis, aliquot ante feſta paſchalia diebus in Civitate Megieſia, ubi conventum provinciæ indixerat, cum eo de tradenda provincia tranſegit, his conditionibus, ut Cardinalis quotannis ei, ubicunque locorum & gentiom foret, XXIV. millia aureorum nummom exolvenda curaret: Urbs Biſtricia cum territorio, ac decimis fructuum, præterea arces Vechio & Saio, ac decimæ oppidorum Rusdii, Aſſonfalvæ, Bogachii, atque Equemezonis, Sigiſmundo cederent, deque iis pro libito ei diſpooendi facultas eſſet.

Sigiſmundus legatis ad Cæſarem de renovando fœdere miſſis.

Paulo poſt mutata ſententia.

Cardin. Bathor. provinciam cedit.

Tranſactionis conditiones.

Re celeriter tranſacta conjugem, quam iterum ad Cuvariani ſeceſſus anguſtias relegaverat, minimè dignam quæ ei, ſed loogè majori, melioriq; principi collocaretur, Albam vocavit, & nec opinantem brevi in hunc modum ſermone allocutus eſt: „Provinciam hanc Tranſilvaniam, pro qua toties ſeditione, aut armis certatum eſt, quam noper permutatiooe minimè pari Cæſari traditam repetivi, Cardin. patrueli meo denuo tradere in animo habeo: quòd legatos meos à Cæſare tam diu detineri, & miror, & gravis mihi cuncta adverſa animo volventi, eorum expectatio eſt. Igitur te bono deinceps eventui commendatam ad matrem redire permitto; & ſi quæ tot oactis annis diſſidia inter nos extitère, ut utriuſque noſtrûm animo tollantur cupio, teque ut idem facere velis, etiam atq; etiam obteſtor. Quæ poſtquam dixiſſet, triduo poſt, rebus quæ ad iter erant neceſſariæ paratis, eam dimiſit, & Franciſco Derſſio, qui paulò antè juſſu Cæſaris ad eam inviſendam & reducendam erat profectus, dedit, ut ad matrem deduceret. Ipſe, convocatis populis, Cardinalem deinceps provinciæ præfuturum præfatus, ſe in alienas regiones ſtudio privatæ vitæ amplectendæ profecturum retulit; atque adeò apud ſervitio atque patientiæ aſſuetos, præteritorumq; exemplorum metu coactos, quicquid viſum obtinuit. Io hunc modum fortuita celeritate ipſe exceſſit regno, & itinere per Moldaviam facto, ad Samoiſcium, apud quem antea ſoror ejus Griſeldis in matrimonio fuerat, in Poloniam ſeſe ſubduxit. Cardinalis autem, cum ſolenne ſacramentum provincialibus Megieſi præſtitiſſet, officioſi leviri fructus munere, Mariam Chriſtiernam provincia excedentem, curru eleganti & equis donatam, ad oppidum uſque Tuiſſum comitatus eſt; ſeq; pro iis arcibus ac fructuum decimis, quas ipſa à marito donativi nomine in Tranſilvania obtinebat, XV. millia aureorum nummom quotannis ſoluturum promiſit. Interea Cæſar temporibus etiam aliquid tribuendum reputans, legatos ejus moderata cum deliberatione dimiſerat, qua ille facilè contentus reddi potuiſſet; ſed quum ad Hodolinum Moraviæ oppidum appuliſſent, obviam ſuos tabellarios habuêre, à quibus Sigiſmundum ſolitâ inſtabilis animi mobilitate agitatum provinciâ exceſſiſſe, & Cardinalem rebus præeſſe cognoverunt. Quibus cognitis Tirnaviam eundû, ibique ſubſiſtendum rati, Cæſarem de his rerum mutationibus certiorem reddidere; ſeque earum penitus ignaros aſſeverando, quid fieri velit, ibidem expectaturos perſcripsêre. Qui eorum excuſatione acceptâ, miſſo Tirnaviam Bartholomæo Pezzio, qui Cæſari eos fide obſtrictos redderet, ſuis rationibus, quo poſſent modo in præſens conſulere, permiſit: ſicque alter Napradius poſt Cardinalis cædem in provinciam reverſus eſt; Baſcajo verò extra fines diutius fuit deliteſcendum.

Conjugē à ſe ad matrem dimittit.

Ad Samoiſciū in Poloniam ſe recepit.

Ad Cardinalis primam novo principatu legationem ad Michaëlem Tranſalpinum miſit Georgium Ravasdium, & Nicolaum Viteſium, amicitiam & boni vicini officium pollicitando, eandemq; viciſſim ab illo expetendo. Nec multo poſt etiam alteram ad Georgium Baſtam Caſſoviam ire juſſit, expoſtulatum graviter Tranſalpinum novas res, nova pellendi ſui & occupandæ Tranſilvaniæ conſilia animo agitare. Verùm Baſta ſimplici uſus ſermooe, ſibi Michaëlis animum minimè cognitum eſſe legatis reſpondit, licereque ei ab illo, quid moliatur percunctari. Interea venit in Tranſilvaniam Germanicus Malaſpina Epiſcop. Caſertanus à Clemente Pontifice feriendum cohortaretur, quem illis ipſis diebus Huſaimum Chauſium Turcæ legatum ab ſe dimiſiſſe cognoverat. Nec irrita Caſertani legatio fuit, cui Cardinalis ſuam fidem & obſequium Cæſari ſemper promptum & paratum obtulit: ejuſque confirmandi cauſa Stephanum Cacaſium ad Cæſarem miſit.

Cardin. legati ad Valachū & Baſtā.

Malaſpina in Tranſilvaniam à Clemēte PP. mittitur.

Hanc cum Cæſare & Pontifice pacificationem Michaël Tranſalpinus quum neſciret, aut ſe neſcire ſimularet, arte utendum ratus, copias cogere belli Turcis inferendi prætextu cæpit, arma in urbibus Saxonicis Tranſilvaniæ, & bellicos apparatus comparare, tympana, vexilla, ſclopetos, pulverem, non ſine bona Cardinalis venia emere, legatos ejus Ravaſdium, & Viteſium, quo à ſe omnem ſuſpicionem amoveret,

cum

1599. cum bona ſpe pacis dimittere, ac coram eis juramentum ſolenne cum ſuis Bojeriis, ſeu nobilitate præſtare, quo ſe ea fide obſtringebant, qua non ita pridem Sigiſmundo abeunti obſtrictæ fuiſſent. Hoc juramento ſimulationeque benevolentiæ Cardinalis confirmatus, eorum voces & ſtudia, qui ſuſpectum apud ſe Michaëlem reddere conabantur, & ejus apparatus non in Turcas, ſed occupandam Tranſilvaniam fieri contendebant, nequaquam admittere erat ſolitus. Dicebatur autem Michaël, mox poſt ingreſſum Cardinalis, ad Cæſarem nuntios miſiſſe, per quos illum Turcicæ ſocietatis, & clientelæ ambitus inſimularet: & ſi Cæſari videretur, eum velut occultum Cæſaris inimicum & hoſtem, armis provincià exturbandum pollicebatur. Quo autem fraudulentiùs deſtinata perficeret, ſub id tempus menſe Septembri Ditionum Veſtiarium legatum ad Cardinalem ire juſſit, tutum in Ungariam tranſitum per mediam Tranſilvaniam petens, quod Michaëlem juſſu Cæſaris in Ungariam ad ferenda contra Turcas, & Ibraimum purpuratum auxilia vocari diceret. Sed Cardinalis negavit tantum diſcriminis exercitui Chriſtiano imminere, ut ejus auxiliis opus eſſet, hortatuſque eum eſt, ut potiùs in Bulgariam, trajecto Iſtro, duceret; ibique vaſtata igne & ferro regione ageret, ut hoſtes ad ſua tutanda revocarentur. Vix dum Ditionus redierat, cum iterum legatos Michaëlem Banum Carlovanum, & Georgium Thracem prætoriæ turmæ præfectum, ad Cardinalem remittit; ſe uti conſuluiſſet, Iſtro trajecto ad vaſtandam Bulgariam profecturum nuntians, dummodo ne quid ſibi à tergo è Tranſilvania hoſtile inferatur. Cardinalis cum ei ac copiis ejus nihil mali imminere reſpondiſſet, ſecurumque eum reddidiſſet, legatos dimiſit: & quum res Tranſilvanicas per hunc modum in tuto collocatas exiſtimaſſet, comitia ad Divi Lucæ feſtum Albam indixit, ut in iis fœdus cum Cæſare & Pontifice initum publicaret, quod adhuc cum paucis, quorum conſilio utebantur communicaverat.

Michaël, Vayvoda Tranſilvaniam invadit.

Ejuſdem doli ac fraudes.

Intento in eam curam ſubitò adfertur, Michaëlem magnis copiis ſumma celeritate Alpes ſuperaſſe, jamque ad urbem Braſſonem in Tranſilvania eſſe, ac domum & villam Johannis Beoldii inter Siculos incendio abſumpſiſſe. Nam is ſive permiſſu Cæſaris, ſive non ullis ejus expectatis mandatis, ambitioſi facti certus, ac dominationis quam animo conceperat, præproperus exercitum coëgerat, ut provinciam armis invadere, Cæſariſque imperio in ſpeciem, re autem vera, uti exitus docuit, ſibi ſubjicere poſſet. Igitur Cardinalis ſolutis repentè comitiis, omnes armatos Sebeſſum in caſtra convenire jubet, Gaſparem Corniſium legatum in exercitu conſtituit, & obviam Valachis quam celerrimè ire decrevit. Sed quum hoſtes Albam verſus progreſſos eſſe cognoviſſet, non expectatis omnibus copiis, quæ lentiùs, quam neceſſitudo temporis poſtularet, confluebant, cum ſex duntaxat millibus armatorum occurrere potuit, eumque Fogoraſſium prætervectus eſſet, qui locus ejus præſidio tenebatur, ad campos Cibinienſes pervenit; ibique adeſſe hoſtes, ut rem ad prælium & certamen haud dubiè deductam animadvertit. Itaque ipſe ejuſmodi rerum atq; armorum rudis, animo tamen præſenti & minimo pavido, Corniſium, ut exercitum in aciem & ordinem componat, hortatur; ipſe obequitando & ordinum ductores alloquendo & cohortando, ad rem bene fortiterque gerendam incitat. 1599.

Valachus quia erat juxta formam veteris Calendarii dies Divo Lucæ Evangeliſtæ dicatus, apud Græcos quoque, quorum ritum Valachi ſequuntur, feſtus & ſacer, & needum ſuas copias ex montium anguſtiis eduxerat, à pugna abſtinuit. Quo die Caſertanus Alba profectus in caſtra venit, & à Cardinale paulo poſt ad Michaëlem miſſus eſt, ut de fœdere cum Cæſare percuſſo eum edoceret, & ab inferendis Tranſilvaniæ armis eum averteret: Sed is reverſus, nihil certi de pace attulit.

Sequenti die Divis Apoſtolis Simoni & Judæ dicato Michaël ſuos ad pugnam inſtruere cepit, & in aciem produxit, Tranſilvani ſimulatione pacis ſibi imponi ſero animadvertentes, primum Valachorum impetum exploſis tormentis retundere ceperunt, nec diu poſt prælium utrinque atrox & cruentum committitur, quum utraque pars parem fere militum numerum habere videretur: Nam à Cardinalis partibus novem circiter millia militum erant, cum iis, qui poſt comitia advenerant; quum Tranſalpinus ex promiſcuis gentibus tria millia & ducentos ſecum adduxiſſet, & circa alpes caſtra ejus Siculorum adventu (us ſe veteres libertates redditurum erat pollicitus) duplici fere numero aucta eſſent. Tametſi Tranſilvani egregiè fortiterq; pugnando, novum principem tueri non prætermitterent; incumbentibus tamen ab una parte Valachis, & ab altera Siculorum prævalida manu, quum plurimi partim ſclopetis, partim haſtis & gladiis cæſi occumberent, ac multo plures ſauciarentur, pedem referre, ac poſtremo terga vertere ceperunt. Corniſius & alii Præfecti fugam retentare conati, nihil profecère, & diffugientibus in diverſa omnibus, Cardinalis quoque ſaluti ſuæ fuga conſulere eſt coactus. Cæſi in acie ſunt milites MCXVIII. inter quos Stephanus Lazarius veteranus prætorianorum peditum ductor, Moſchicis bellis apud Stephanum Regem Poloniæ clarus, Franciſcus Toldalaghius, Joannes Betendius, & Michaël Culpenius, qui ſignum prætorianum geſtabat. Pancratius Semnicius, Moyſes Siculus, Stephanus Toldius, ac Petrus Huſarius, qui in prima acie fortiſſimè dimicaverant, ad extremum relicti à ſociis fugientes ſeſe in tutum receperunt. Capti etiam haud pauciores, inter quos Georgius Ravaſdius jam ſenex, & Lupus Corniſius Siculus, infelici ſua ſorte in manus Valachorum inciderunt: quorum alter Ravaſdius, efflagitantibus eum ad ſupplicium magno clamore & tumultu Siculis traditus eſt: ipſique extemplo eum innumeris plagis & vulneribus affectum in fruſtra diſſecuerunt; propterea quod ante triennium in ipſos ob promiſſa ſed non reddita libertatis jura rebellantes, juſſu Boſcaii, crudeles & ſanguinarias manus acerbiſſime exercuiſſe dictitarent. Lupus autem paulo poſt, ſive ob privatas, quas cum Valachis habebat ſimultates, ſive Arianæ ſectæ, quam profitebatur, odioſo nomine in carcere necatus fuit. Gaſpari Cornuſio, copiarum imperatori, qui vivus in ejus conſpectum adductus erat, pepercit, eumque incolumem dimiſit.

Tranſilvanorum cum Valachis certamē atrox.

In quo Tranſilvani fuſi ac fugati

Georg. Ravaſdius à Siculis fruſtatim dilaceratus.

Cardinalis, ubi fuſum & fugatum exercitum ſuum, nec ſpem ullam reparandi ejus vidit, ante occaſum ſolis, verſus Moldaviam fugæ ſe commiſit. Sequuti ſunt eum fugientem circiter centum ſocii, Thomas Chomortanus, Georgius Palaticius, Joannes Beoldius, cum Paulo & Clemente filiis, ac complures alii. In fuga Palati-

cium

1599. cium in arcem Vaſacheliam divertere, ac ſi fieri poſſet, Siculos, qui nondum omnes defecerant, in officio continere poſſit, promiſſa eis oblivione proditionis, & veteris libertatis reſtitutione; Sed ea omnia fruſtra fuere: Nam Siculorum agreſtium valida manus, Bulgaris & Valachis ſeſe aggregans, eos ſaltus & juga obſederat, & Cardinalem, quem ex acie evaſiſſe conſtabat (quamquam abjectis purpuræ inſigniis, vilem & villoſum babitum induiſſet) iodicio Siculorum & ductu perſequi inceperat. Is jam ad radices montis Atroſii, Tranſilvaniam à Moldavia & Podolia dirimentis, quæ olim Sarmaticæ alpes vocabantur, errando ac famem & ſitim, rerumque omnium inopiam tolerando pervenerat, crebroque ſuſpitio fortunæ ſuæ indignatus, triduo poſt adverſam pugnam, ad opiliones quoſdã nocturnis ignibus excitatis caleſcentes diverterat; quorum unum, dato ei aureo numo, pro vicini fontis aqua miſerat, quum hoſtes, ducentibus Siculis, eumque digitis oſtendentibus adeſſe ſenſit. Illis obviam miſit Miconem adoleſcentem, qui eos blandiori prece & promiſſis placaret; Sed illi ferino more miſerum illum extemplò trucidarunt. Cardinalis quum ſibi non cum hominibus, ſed atrocibus belluis rem eſſe vidiſſet, hoſtiles ictus ſtricto latiore gladio excepit, diuque pugnavit; Sed inter pugnandum vulnus ei lethale ſecuri jacta ſupra lævum oculum in fronte illatum eſt, & mox aliud in necipitio ſupra jugulum; ac cum in humum exanimis corruiſſet, caput ei præciſum fuit. Cæteri quoque fere omnes partim trucidati, partim capti ſunt; quorum etiam complures in itinere ab iratis agreſtibus cæſi, uti accidit Stephano Caboſio & Nicolao Bartanovitio, cum nonnullis aliis. Caput Cardinalis abſciſſum ad Michaëlem allatum, eorundem, qui interfecerant operâ, reperto trunco additum, magnificentiſſimo ſepulturæ honore Albæ curatum eſt, comitante ipſo Tranſalpino, & exercitu; non ſine multorum mortalium comiſeratione, qui illũ vix XXXIII. añorum juvenem ac vix octimeſtri potitum imperio, tam ſævo diræ calamitatis infortunio prorſus indignum judicaſſent, niſi intempeſtivæ ambitionis, ac prævaricati ſacri ordinis reus, haud immerito argui poſſe cenſeretur.

Cardinalis diu oberrans à Siculis fœde trucidatur.

Harum rerum, uti acciderant, Baſta certior factus, quem Maximilianus recuperatâ valetudine Viennam diſceſſurus, ſuum Caſſoviæ & in ſuperiori Pannonia legatum reliquerat, in ſpem recuperandæ Tranſilvaniæ, quum etiam à Michaële victore identidem accerſeretur, Varadinum, ac inde Claudiopolim contendit, adductis unâ ſecum Davide Ungnadio, ac Michaële Siculo Sacmarii præfecto, quos eo tempore Cæſar in Tranſilvaniam legatos miſerat, qui rebus Tranſilvanicis componendis Baſtæ auxilio eſſent, provinciamque à Michaële receptam, ſuo nomine gubernarent. Verum Michaël ſuopte ingenio mobili repentinus, ſuſpicax, & facile quibuſvis & incertis rumoribus temereque fidem adhibere ſolitus, Baſta & legatos in provinciam ingredi paſſus, nequaquam tamen ea decedere, ac Cæſari, ſicuti ſe illi acquiſiviſſe jactitabat, reſtituere voluit: ſed dictis ac factis in Baſtam Cæſarianoſque omnes acerbius invectus, provinciaq; avarè, crudeliter, atq; inſolenter expilatâ, in ſuſpicionem venit perfidioſi initi conſilii, quod dominandi incenſus libidine, regnum affectare videretur. Quæ quidem fuere initia diſſenſionum, & odiorum, quæ inter ipſum &

Baſta à Michaële accerſitus in Tranſilvaniam contendit.

Michael provincia decedere abnuit.

1599. Baſtam in occulto gliſcere ceperunt; ac non diu poſt diram ei & improviſam mortem maturarunt, ſicuti ſuo loco memorabimus. Atque hæc quidem initio ejus hiemis acta ſunt, quæ ſecularem annum præceſſit, & Sigiſmundus res Tranſilvanicas variis invectis belli calamitatibus acerbiſſimè conturbavit.

Eodem etiam tempore, per certæ fidei exploratores allatum eſt, poſt Haidar Scahi obſidis mortem, ſeu naturali curſu, vique alicujus morbi obvenientem, ſive veneno procuratam, bellum inter Perſas & Turcas recrudiuſſe, ac Cicalam purpuratum ad illud adminiſtrandum in Aſiam miſſum eſſe; adverſus Cæſarem verò in Pannoniam Mehemetem belli avidum per ſe exercitum ductare voluiſſe, ſed à matre & primaria conjuge tenerrimè blandientibus & obſecrantibus, ne prioris ad Agriam acceptæ cladis exemplo deſertus à purpuratis & prætorianis, caput manifeſto crimini objectaret, ſeque & imperiũ omne inconſtantis fortunæ arbitrio committendum putaret, ægrè retentum, Ibraimo purpuratorum principi, ſuæque ſororis marito rerum gerendarum curam demandaſſe; ſic tamen ut omnia, quæ ad pacis & induciarum conditiooes tractandas pertinerent, prius & ante alia cuncta experiri juberet; & ſi Cæſariani ad eas amplectendas ſpontè adduci non poſſent, quod vix fore ſperabant, tum demum armis & bello cogendos eſſe decreverat; jamque ille ſuperatis Thraciæ & Macedoniæ montibus, Samandriæ appropinquare nuntiabatur. Quapropter Suarcemburgus conſiliis cum Palffio & Nadasdio communicatis, promovendas ex hibernis copias, & antequam hoſtes tota belli mole ingruerent, tentandam aliquam fortunæ aleam decrevit. Primum igitur Palffius peditatus Ungarici partem cum iis, qui nullis addicti ſtipendiis, prædâ ex hoſtico raptâ vivere ſolent, ducibus Petro & Abrahamo Thracibus ſelegit, ac Danubium verſus in inferioris Ungariæ partes ire juſſit; ut ſi occaſio ſe offerat, commeatum, qui Budam in uſum Turcarum, adverſo flumine navibus vehebatur, interciperent, atque igni aut aqua corrumperent. Ipſi vero conjunctim evocatis ex hibernis tam equitibus quam peditibus Ungaris & Germanis, ac Gallis ioercede conductis, petarroque duum generum plauſtris impoſito, Albanis ſuburbiis patefaciendis, illud admovendum cenſuerunt: Ex itinere vero præſidiarios è Veſprimio, Palota, aliiſque arcibus ſibi adjunxerunt.

Ibraimus cum copiis in Ungariã proficiſcitur.

Et quum de nocte Albam perveniſſent, ac deſtinata exequi vellent, jamque machinam portæ Ingovanæ furtim aptarent, animadverſi ab hoſtibus, qui ad tuendam urbem providi præcipiteſque ruebant, tormentiſque petiri cæptis abſtinuere, tanta Gallorum operi incumbentium trepidatione, ut quum machinarum alteram ſuccenſo pulvere fruſtra exploſiſſent, alteram adcurrentibus necopinato hoſtibus capiendam relinquerent, non ſine ducum perturbatione doloreque, qui in hunc modum nequaquam arridente conatibus fortunâ, Jaurinum reverterunt, eo eventu, ut in poſterum ſequentibus bellis nullus ejus machinæ uſus eſſe potuerit. Ferunt hoſtes eam, quam ceperunt, magnâ admirantium & proſequentium turbâ & pompâ in urbem vexiſſe, atque illinc ſimul cum quatuor aut quinque militibus Gallis unâ interceptis triumphantium in morem Budam perduxiſſe, iſthicque purpurati juſſu, experiundæ ejus vio-

Noſtri petardã Albæ portis, irrito labore admovent.

Petardi machina à Turcis intercipitur.

lentiæ

1599. lentiæ cauſa Gallis explodendi negotium datum eſſe, quum illi ejus rei ſe ignaros, ac præſidii duntaxat non artificii cauſa adhibitos fuiſſe fruſtra excuſaſſent, poſtremò minaciter cogentibus Turcis, pulvere incenſo illam exploſam in fruſtra diſſiluiſſe, ac Gallos una cum aſtantibus Turcis fæda membrorum dilaceratione ſubito diſcerptos atque exanimatos periiſſe.

Sed Petrus & Abrahamus, cæterique liberorum peditum ductores, quum facto penes ripam Danubii itinere, Tolnam perveniſſent, ſociosque, cui Caniſæ, Babociæ, ac aliis confiniis & in Illyrico erant, de ſuo adventu certiores reddidere, & in partem laboris lucrique invitatos ad certum in inſula Danubii locum adeſſe juſſere. Nec diu poſt Prodanus Thrax cum Caniſianis & Baicianis adfuit, & aliunde quoque multos prædæ aviditas certatim confluentes attraxit; breviq; omnium numerus ad MCCLVIII. milites excrevit. Interea Ibrahimo purpurato jubente, qui jam Belgradum pervenerat, rei annonariæ præfecti Turcæ, commeatum omnis generis navibus onerariis, & actuariis, quas ipſi Gemias vocant, impoſitum, adverſo Danubio, è Samandria & Belgrado vehere cœperunt. Claſſis Belgradi ſtationem habere ſolita cum una triremi, ac Turcarum, qui terreſtri itinere comitabantur, quinque millia cuſtodiæ ejus & ſecuritati adhibita. Quod quum peditibus noſtris per exploratores, quos inter hoſtes habebant, & qui de numero, & conſiliis eorum certiſſima quæque adferebant, ſignificatum eſſet, mox in inſulam Danubii, haud procul Calocia diſſitam, in qua arx Erdodia deſerta jam nunc, & diruta conſpicitur, conceſſerunt, eo conſilio, ut quamcunque fluminis ripam hoſtes tenerent, ex ea inſula, navigiis, quæ in hunc uſum undique conquiſita ſibi comparaverant, impetum facerent. Cùm Turcæ dextrâ ripâ venirent, tot & tantæ claſſes, ac terreſtres copiæ juſti exercitus ſpeciem procul intuentibus præbebant: eam ob cauſam bipartiri copias ſortirique peditibus viſum eſt; ita ut pars terra, pars flumine hoſtes aggrederetur. Quum propius ventum eſſet, Prodanus, cui ſorte cura terreſtris pugnæ obvenerat, in Turcas terreſtri itinere venientes primus infeſta ſigna intulit; Abrahamus verò & Petrus magno ſublato clamore ſortiter in claſſem irruerunt. Pugnatum eſt cùm à Turcis, tùm verò a peditibus acerrimè; ſed quum pedites crebram in hoſteis glandium procellam effunderent, & duobus tormentis minoribus, quæ nuper Turcis adempta in campeſtres uſus ſecum attulerant, è ripa ſæpius exploſis, navales ſocios magno detrimento affeciſſent, ſimul & naves vehementer afflictas perforaſſent, & Prodanus ſclopetis rem perite gerendo hoſtes, cæſis amplius mille, in fugam conjeciſſet, relicta peditibus tam victoriâ, quam omnis generis commeatu, ſæde profugerunt: cum ex eorum, qui vicerant numero, vix centum milites deſiderarentur.

Heydones, claſſe Turcica, præſidiariisque ejus profligatis, opima potiuntur præda.

Captæ ſunt naves onerariæ ingentis magnitudinis LVIII. queis incredibilis frumenti, oryzæ, hordei, farinæ, ac biſcocti panis, & ſalitæ carnis ovillæ copia reperta eſt. Triremis etiam una, & XXXIV. naſadæ, quas etiam Saicas vocant, diffugientibus in continentem iis, qui eas conſcenderant, militibus, facilè occupatæ ſunt: ac præter illa, quæ in navibus erant, alia etiam IX. tormenta currulia, terreſtri vecta itinere in poteſtatem noſtrorum pervenêre. Verum omnia ea, quod inter tot hoſtiles urbes atque arces avehi non poſſent, ut naves & commeatus omnis generis partim injectis ignibus concremata fuerunt, partim ut tormenta & eorum apparatus in Danubium immerſa perierunt. Pulvis verò ſulphureus, cujus duo tecta navigia plena erant, ardenti funiculo indito magnum edidit fragorem, & temporis momento in fumum & aërem evanuit. Pedites agricolis, qui catervatim ad pugnæ locum frequentes convenerant, liberam accipiendi dividundique inter ſe commeatus poteſtatem ſpontè obtulêre. Verum illi Turcarum vim crudelitatemque veriti, ejuſmodi muneribus, quæ ſibi perniciem allatura eſſent cauto prudentique conſilio abſtinuerunt. Parta à peditibus pro eorum numero notabili victoria, cui etiam haud contemnendus variarum rerum & manubiarum cumulus acceſſit, quum hoſtes tanta rerum bellicarum, ac annonæ & militum jactura perculſi perturbatique, nuſquam ad claudendum eis reditum prodiiſſent, opimâ onuſti prædâ ad ſuas ſtationes redierunt; Ibraimo ob acceptum commeatus intercepti detrimentum, non mediocri dolore, curaque affecto. 1599.

Sub id tempus Pragam ad Cæſarem venêre Michaël Ivannvicius, & Johannes Sonius Ulaſinus legati, nomine Boricii Moſcoviæ Ducis, qui deficiente Baſiliorum progenie, conſentientibus populorum ſuffragiis, è Cancellario in Principem electus erat, amicitiam & obſequia pollicentis. Is munera etiam ſplendidiſſima, & tam mittentis quam accipientis nomine digna mittebat, quæ ad decem myriadum ſummam æſtimabantur; ita ut pro dimidia eorum parte monetam argenteam eximiæ puritatis, quam Moſchi Rublos vocant, repræſentaret: altera vero pars ex pretioſiſſimis pellium Zebellinarum, ac Luporum cervariorum, nigrarumque vulpium cumulis conſtaret; quas principum veſtibus ſuffulciendis dicatas, natura Moſchis frigidiore cœlo habitantibus indulgentior, cæterarum gentium regionibus denegavit. Fuère etiam inter dona aliquot hieroſalconum paria, quorum captura in locis Septemtrioni ſubjectis frequentior eſt, ſparſa candidis guttulis cauda & aliis, ex genere rapacium avium capiendis gruibus & ardeis idoneum. Addebant Legati, ea nunc Cæſari ad ſuſtinendos belli ſumptus miſſa eſſe, ad ſuum adverſus Cæſarem benevoli animi teſtimonium in præſens declarandum, brevi haud minora obſequii ſigna ſubſequutura. Gratiæ Boricio actæ, & legatis, donec Pragæ & in ditione Cæſaris fuerunt, hoſpitium ubique & lauta præbita: ipſique aureis torquibus, ſericeis veſtibus, ac elaboratis ad ornandum abacum argenteis poculis, aliiſque muneribus cohoneſtati, domum reverſi fuerunt.

Legati Boricii Moſcoviæ Ducis ad Cæſarem

Eximia illi munera offerunt.

Interim Palffius certum Ungarorum militum numerum Strigonio ad ſpeculandum Budam verſus emiſit, qui haud procul urbe & ſuperioribus thermis in occulto ſaltuoſoque loco ſeſe abdiderunt; Accidit autem, ut Solymanus purpuratus, cui nomen Supercilioſo ex re fuit, non ita pridem Temeſvario Budam translatus quem à Lugaſſianis & Andrea Barciano fuſum fugatumque diximus, cum LX. equitibus, relaxandi animi cauſa urbe exiret, ac in noſtrorum veſtigia fortè incideret: quæ indagando ac longiùs incautiuſque perſequendo in inſidias incidit; & dum equus ad ſclopetorum ſtrepitus ferociret, rupto equeſtris ſellæ cingulo, excuſſus, & aliis omnibus (quod mirum videri queat) ſal-

vis

1599.

Solimanus Budenſis ab Haydonibus capitur.

vis ſolus ipſe captus fuit, & ad Palffium perductus; à quo Viennam Matthiæ principi dono miſſus eſt. At Ibraimus, qui hactenus leotiùs utque ſuſpenſiùs propter Aſiaticarum copiarum expectationem ſibi progrediendum exiſtimaverat, improviſo viri clariſſimi caſu, ſimul & infauſta eorum, qui commeatum vehebant, clade permotus, ruptis moræ cauſis, caſtra promovere, ac cum eo, quem ſecum habebat exercitu, Budam venire maturavit. Ibi in locum Solymanni tam fæda & miſerabili ſorte capti, Muratem purpuratum conſtituit. Eodem tempore variis in locis Pannoniæ & Illyrici ac Viennæ, & tota Auſtria terræ motus ingentes fuère, ut pleriſque io oppidis collapſæ turres, ac multæ privatorum hominum ædes vitio in parietes facto, incredibile detrimentum acceperint, quod poſtea maximis ſumptibus fuit reſarciendum.

Murates ei ſuccedit.

Terræ motus.

Ibrimi purpurati ac Tartarorum principis litera de pace ad Palffium.

Nec multò poſt Ibraimus ex præſcripto principis ſui ad Palffium literas dedit, quibus ſe ac ſuum principem calamitatum & ærumnarum inooxiæ plebis miſertos, quas jam ferè à decennio aſſiduis bellorum procellis jactata toleraſſet, ad pacem & quietem animum applicuiſſe: non quod eos belli tæderet, quo feliciter geſto fines ſuos latius extendiſſent, ſed ut quieti & tranquillitati populorum conſuleretur; ſe igitur cum etiam atque etiam hortari, ut omnibus viribus laborare ne deſinat, quo inter duos potentiſſimos principes pax & amicitia redintegretur: certum eum eſſe debere, ut ſi eos operâ & interventu ea coaleſcere queat, animam ejus delictis omnibus expiatam poſt hujus vitæ decurſum, ad perpetuas beatorum ſedes, ac ſempiternam felicitatem evolaturam. In eandem ſententiam Tartarorum quoqoe princeps Caſis ſcribebat: ac ambo literas ſuas duobus Budenſis urbis civibus Chriſtianis in caſtra noſtrorum perferendas dederant. Quum verò eadem ab exploratoribus ad Palffium de Turcarum principis animo minimè à pace alieno aliundè allata eſſent, Matthiam ac Cæſarem, miſſis ad eos Ibraimi & Tartari literis, certiores reddidit. Cæſare ex adverſo, ſi æquis conditionibus pax fieri poſſet minimè diſſentiente, reſcripſit Ibraimo Palffius, ſuis apud Cæſarem precibus, ac indefeſſo ſtudio, quo ad pacem eſſet inclinatus, ægrè obtinuiſſe, ut de conditionibus renovandi fœderis, ſi æquæ ac toleratu minimè difficiles proponantur, certo loco ac tempore utrinque colloquium inſtitueretur. Quum Ibraimo quoque & Tartaro idem placuiſſet, inſula Danubiana, æquali ferè inter Budam & Strigonium intervallo deligitur, ad quam utrioque conveniatur. Palffio curante ibi tentoria extenduntur, cùm ſingula unicuique, tum verò prægrande in medio unum, in quod omnes tractandæ rei divertere poſſint. Tum Legati à Cæſare delecti agilioribus navigiis, quas Saicas vocant, valida militum manu aſſumpta in inſulam devehuntur; Johannes Cutaſſius Archiepiſcopus Strigonienſis, Palffius, Nadaſdius, & Peczius, iis diebus Pragâ huc profectus. Eodem ex parte Turcarum convenêre Ahmataga Tartarorum princips legatus, ac omnium conſiliorum arbiter, Mehemetes, qui Haja Ibraimi legatus, ac Fethates Janicerorum tribunus, & Habelus Affendius Budenſis prætor & legiſperitus, vir ſenex, & magnæ apud barbaros auctoritatis: & cum iis Alexander Palæologus, genere Græcus, quem ad legatos Cæſaris in Tranſilvaniam veniſſe retulimus.

Conventus Chriſtianorũ & Turcarum in inſula Danubiana.

1599.

Obſides utrinque dati.

Is Tartarorum principi charus & conſiliorum particeps, ejus vectigalibus & portoriis tam terra quam mari præerat. Antequam convenirent, obſides utrinque dati & accepti; hinc Lupus Starcitius, Comaronii legatus, ac Horatius Proviſionalis Mantuanus, Strigonii Germanorum militum præfectus: illinc verò Murates Budenſis cum Ali Maraſienſi purpurato, in locum ejus, qui ſuperiori anno Budæ cæſus fuit, nuper ſuffecto.

Turcarũ iniquiſſima petitiones.

Cùm in prætorio tabernaculo diu multumq; verbis diſceptaſſent, petere ceperunt, ut non ſolum Strigonium, Filecum, Nogradum, & alia omnia hoc bello à noſtris capta, ſed etiam Jaurinum redderetur, quod illud Sinanus multo Turcarum labore & ſanguine expugnaſſet: noſtri contra & Agriam & Hathuanum, ac quæ circa poſſiderent, cum Siroco, & Cerepo reddi poſtulabant; nec Jaorinum ex æquo & bono reperi poſſe dicebant, quod jure belli, atque adeò vi ab ipſis extortum recuperatumque eſſet; illi ex adverſo Agriam cum locis vicinis ab ipſo principe Mehemete occupatam ſine expiabili delicto, nec dari nec accipi poſſe reſpondebant. Et quum tempus in hunc modum protractum eſſet, nec conveniri poſſet, quod à neutra parte tolerabiles ſatis conditiones proponerentur: Turcæ prius tacitis inter ſe ſermonibus colloquuti, ſe ea, quæ eſſent ultro citroq; tractata, Ibraimo, purpurato & Tartarorum principi relaturos dixêre, ac in craſtinum diluculum cum illorum votis & ſententiis redituros, Dirempto colloquio ad cibum ſumendum invitati, quod jam meridiei tempus abiiſſet, unà cum noſtris legatis diſcubuêre; ac deinde ſecundo flumine citatis remis deſcenderunt. Sed quum ad ſequentem diẽ diuriùs expectati non veniſſent, duos tandem Chauſios miſêre, qui obſides repeterent, iiſque receptis Palffio & Cæſarianis dicerent, ſe detrimentoſæ paci, qualem ipſi cuperent, aſſentiri non poſſe; ſed ſicuti Deo Opt. Max. auſpice arma ſumpſiſſent, ita etiam partâ propediem victoriâ poſituros eſſe: Noſtri quoque Deum immortalem, qui ruptores fœderum ulciſci ſoleat, & pro meritis cujuſque eo bello præmia redditurus ſit, non defuturum juſta & honeſta exequentibus reſponderunt: nec obſides reddituros, niſi priores ipſi ſuos recipiant. Remiſſis Chauſiis Cæſariani in caſtra Strigonium rediêre, & Peczius Pragam regreſſus, irritæ legationis exitum ad Cæſarem pertulit; & Suarcemburgus eodem die Jaurino eadem in caſtra deſcendit; eaque vallo & foſſâ ſeptenum pedum lata profundaque circumdati, caſtella etiam & muniones iiſdem in locis, quibus Mansfeldius inſtituerat, erigi juſſit.

Noſtri pace infecta redeunt.

Suarcẽburgus caſtra ſua valdè munit

Ibraim. ſua caſtra noſtris admovet.

Quæ dum fiunt, & obſides ultro citroq; redduntur, Ibraimus, qui noſtros oblatæ duntaxat pacis mentione ab armis diſceſſuros exiſtimaverat, poſtquam protracto pertinacibus animis bello, omnem iniquioris otii conditionem aſpernari & reſpuere animadvertit, irâ doloreque percitus, ac fremens, caſtra promovere, ac noſtrorum caſtris propius conferre conſtituit: & exercitum omnium ſimul & Tartarorum auxiliares copias Vaciam primò, ac deinde trajecto Grano, ad ſubjectos Strigonio campos duxit. Sed quum noſtri caſtris ſe continerent, nec facilè invitos ad prælium perduci poſſe conſtaret, præfectis & ducibus frequens conſilium militare, quod illi Divanum vocant, indixit, cui Tartarorum quoque Hamus, & Ahmataga ejus le-

gatus

1599. gatus interfuêre; talemque ad eos concionem
„ habuit: Video ego, viri fortes, & longo militiæ
„ uſu factiſque celebres, hoſtibus noſtris, tametſi
„ virtute veſtrâ ſæpenumero victis, incerta belli
„ & fortunæ etiamnum ſecuritate & otio potio-
„ ra eſſe, ut qui toties oblatam à nobis, nomine
„ potentiſſimi Imperatoris noſtri pacem, tam ſu-
„ perbè quam inſolenter repudiare, ac cædem
„ & vulnera, ac calamitates, quæ bella ſecum
„ trahunt præoptare videntur. Qua eorum obſti-
„ natione non equidem adeo permoverer, ſi vel
„ ad decernendam ferro rem progredi, & ma-
„ nus nobiſcum conſerere vellent; tali enim e-
„ ventu, ſive felici, ſive aſpero & adverſo, rerum
„ humanarum omnium, ſed maximè bellicarũ
„ dominatrix fortuna hactenus finem qualem-
„ cunque impoſuiſſet. Verum enimverò nec in
„ aciem prodire, nec pugnæ poteſtatem facere
„ homines importuniſſimi & flagitioſiſſimi au-
„ dent; ſed ſe in caſtris, vallo, foſſa, propugnacu-
„ lis, caſtellis, aggeribus, & vario machinarum
„ genere munitis abditos continent, ut nos è
„ longiſſimis Aſiæ & Europæ regionibus quot-
„ annis huc pertrahant, ac fame, ſiti, & rerum in-
„ opiâ excrucient, ac demum ingruentibus hi-
„ bernis tempeſtatibus, labore & difficultate bel-
„ li, ac cœli injuriis fatigatos, compoſito dolo,
„ quod jam ſæpè evenit, nec ſine ludibrio remit-
„ tant. Quibus de cauſis commutandam nobis
„ omnem belli rationem, & hoſtes, qui munitio-
„ nibus ſuis incluſi nec facilè oppugnari, nec ad
„ pugnam elici poſſunt, rerum omnium incom-
„ modis & crudeli regionum depopulatione,
„ univerſiſque belli calamitatibus, quæ dici poſ-
„ ſunt, ſi vobis idem videbitur, exagitandos ſta-
„ tui. Et quo facilius deſtinata perficiamus, pri-
„ mum Tartaros commilitones, qui equitatu &
„ celeritate maximè valent, excurſionumque &
„ populandorum agrorum peritiſſimi habentur
„ bifariam procurrere; deinde Turcas alia via
„ alias regiones populoſas adhuc, belli & cladis
„ integras pervaſtare jubebo; ipſe cum exercitus
„ robore idoneo loco conſiſtam: onde ſi opus ſit
„ & neceſſitas poſtulet, atq; adeo ſi hoſtes (quod
„ eos auſuros valdè dubito) luctuoſo patriæ ſuæ
„ excidio permoti, obviam eundom cenſeant,
„ occurrere eis, ac nobilis alicujus committen-
„ dæ pugnæ occaſionem capere poſſimus. Hæc
„ ad commodum invicti Imperatoris noſtri, ac
„ noſtram & exercitus exiſtimationem pertinen-
„ tia, quæ in animo habui, vobis duxi proponen-
„ da; & hanc viam in præſens cõmodiorem pu-
„ tavi, qua vel hoſtes è ſcrobibus ſuis, & cunicu-
„ lorum latebris, in aciem & dimicationem per-
„ trahi, non ſine ſperato victoriæ proventu, poſ-
„ ſint, aut nobis cum ingentibus opimæ prædæ
„ ac manubiarum ſpoliis, ac magna omnis gene-
„ ris & ſexus captivorum multitudine, liberum
„ iter & reditum permittant.

Hæc ubi dixiſſet, fremitus concionis & dicta approbantium ſequutus eſt; nec ipſe diu moratus, pugnaciſſimum quemque è Tartaris, adhibito eorum principe & Ahmataga ſeligit, & verſus Nogradum ac Palancam terrorem circumferre, ac populari jubet; aliam eorundem manum ad utramque Vagi ripam vaſtandam emittit. Turcis quoque in duo prævalida diviſis agmina, ferro & igni obvia quaque abſumenda committit; ipſe facto inter Novam Arcem & Levam itinere, populando ubique & urendo, ad oppidum Irmeliam haud Nitria procul, in quadam valle ſaltuoſa, quæ prægrandis piſcinæ & ſilvæ adjacentis commoditate aquationem pariter & lignationem præbebat, caſtra metatus eſt. 1599.

Turca & Tartari longe lateque noſtros fines populantur

In hunc modum egreſſi hoſtes, quicquid terrarum à Nogrado Tiroaviam verſus, illinc verò uſque ad Bezonem & Trincinium, inter Granum, Hippolum & Vagum flumina adjacet, urere, vaſtare, & incolis partim in ſervitutem abductis, partim cæſis, crudeliſſimè graſſari cœperunt. Sunt Thermæ ultra flumen Vagum, quæ Peſteniæ vocantur, ſalubres pellendis languoribus, & aquarum natura admirabili: nam egeſtâ humo tanto è ſcrobibus fervore proſiliunt, ut ſuſtineri nequeant, niſi ſatis longo temporis intervallo intepeſcant, aut frigida infuſa temperentur: Vago autem creſcente recedunt, & quum decreſcit, ſequuntur, nec in frigidiore fluminis fundo, ſi ſuffodiatur, ebullire deſinunt. Creduntur autem adverſus quoslibet etiam diuturniores morbos, ſed potiſſimum cutaneos ſaluberrimæ, & teſtante ſæpius experientia, efficaciſſimæ eſſe. In has magnus ægrorum æquè ac valentiũ numerus, adultiore autumno confluxerat, quos ibi majori ex parte improviſus & necopinatus hoſtium adventus, qui ponte ſublicio flumen tranſierant, ſubitò oppreſſerat, partimq; qui abduci ob imbecillitatem corporis non poterant, cæſi, partim rapti in diram ſervitutem ſunt. Hinc penes Vagi ripam procurſando uſque ad Bexconis oppidi portas, cæde & ſanguine obviorum debacchati, Borium pagum exuſsêre, abductis nobilibus fœminis Johannis Baloghii, & Pauli Viſqueletii uxoribus ac liberis. Deinde ad ditionem Nadaſdianam verſi, Coſtoliano, Verbone, aliiſque oppidis & vicis igne concrematis, incolas & colonos magno numero abduxerunt. Nec facilè quis inire numerum miſerorum & infelicium hominum queat, qui capti aut interfecti ſunt; non tamen pauciores decem millibus fuiſſe conſtans fama fuit. Multi longè majorem numerum prodidère. Sed ab iis, qui aut redempti pecuniâ, aut ab opportuniore fuga quæſito præſidio poſtliminio redierunt, XIII. millia omnis ætatis & ſexus captivorum fuiſſe compertum fuit: præter majoris minoriſque pecoris vim ingentem. Pervaſtata ea regione omni, præda & ſarcinis onuſti redeuntes, obvia Turzonum oppida, Galgocium, Privigiam, Pronam, Baimocium, ac penes Nitriam Quercium, Ivancam, & antiqua Novæ arci municipia Tardoſqueddium, Niarhidam, Giſariam, quamvis Turcis tributaria, infenſiſſimè direpta, mox injectis facibus concremavêre: abacti armentorum greges, congeſti fertiliſſimæ regionis frugum acervi, in cineres redacti, & magnis ſumptibus extructæ nobilium ædes direptæ & incenſæ: & qui Vagum flumen cum conjugibus, & parvulis liberis tranſierant, disjectiſque paulo poſt pontibus, tutos ſe fore crediderant, tranſnatato ab immani hoſte fluvio parem cladis fortunam ſubierunt. Noſtri è caſtris fumantia procul tectorum culmina, & ignes longe lateque collucentes fruſtra proſpiciebant.

Thermæ Peſtenia.

XIII. millia hominũ abducta.

In tanta rerum perturbatione & calamitate, omnium animi, & præſertim Ungarorum, quorum domus, & paterni domeſticique lares, hoſtili igne cremabantur, ad ulciſcendum & invadendos hoſtes ſummo ardore ferebantur: Palffiuſque & Nadaſdius propemodum frementes & furibundi Suarcemburgum, ad quem ſumma imperii reſpiciebat, adeunt, eumque multis rationibus hortantur, ut abrupto ſilentio moraque, exercitum caſtris educat, paratum omnes labo-

Palffius & Nadaſdius fruſtra Suarcẽburgium hortãtur.

1599. res pro Cæſaris commodo ac regni ſalute ſubire, & fortunam cum perfido hoſte periclitetur: ne is regionem amænißimam impune exagitare & *Ut hoſtilem vaſtationẽ coerceat.* exutete pergat: non fore facto difficile alterutrum ex duobus, cum ſpe victoriæ experiri, ut ſive eam partem hoſtilis exercitus invadat, quæ populatum egreſſa eſt, rapiniſque & incendiis quaqua verſum graſſatur, ſive in ipſius Ibraimi caſtra oon procul ſita improviſo impetu irruat: diviſos in partes & palantes infeſtis ejus armis protinus ceſſuros: Duces quoque minores qui aderant, idem flagitare, neve virtuti militum diffidendum arbitraretur, magnoperè obteſtari, & magna victoriæ ſpe teneri: præſtare veris militibus in acie non inultos honeſtè mori, quam in eorum oculis & conſpectu fratres & propinquos ſuos, ac tantum innoxiæ plebis numerum in perpetuam diramque ſervitutem abripi. Erant omnium judicio veriſſima, quæ illi proponebant, ut ſive caſtra hoſtilia, ſive populabundi Turcæ & Tartari expeditis armis invaderentur, in ſpem totius conficiendi belli opprimi eos & deleri poſſe appareret; Verùm ille muneris impoſiti officiique memor, obfirmato animo, potiorem omnibus rebus exercitus ſalutem ducere; compeſcere ejuſmodi voces, ac quantum flagitii exercitu in periculum ſua temeritate adducto admitteretur, docere; patientia & tolerantia ſæpè neceſſitates ſuperari: poſtremò negare ſe quicquam inconſulto Matthiâ principe facturum; cujus quidem animus dum explorari, ac in caſtra reſponſum perferri poſſet, hoſtes deſtinata perfecturos eſſe conſtabat.

Nec ſciri ſatis atq; inveſtigari poterat, quibuſnam de cauſis Suarcemburgus, impiger aliàs ſemper & pugnax, ejuſmodi cautioribus conſiliis, non ſine famæ & nominis ſugillatione inniteretur: Nihilo tamen minus Palffio, ſi quid ipſe cum ſuis copiis adverſus populantes & vagabundos hoſtes inſidioſo incurſu tentandum putaret, poteſtatem impertit; teſtatus ſe invitum ad ea conſilia trahi, in quibus nulla ferè aut exigua ſecundi eventus aut tuti receptus ſpes eminere cenſeretur. Igitur Palffius cum quinque ſuorum millibus egreſſus caſtris verſus Palancam, ubi pons Hippolo flumini impoſitus habebatur, duxit, ibique ab Ægidio Magno loci præfecto Turcas circiter mille Tartaris immiſtos Secenium verſus excurriſſe cognovit; & quum pontem tranſiiſſet, duce itineris eodem Ægidio uſus, eos cum multa miſerorum hominum & pecorum præda obvios habuit; & acri invectus impetu in eos irruit, liberatiſque captivis, & extortâ prædâ, diſſipatos & palantes partim in fugâ cæcidit, partim in Hippolum flumen ſeſe præcipitantes mori coëgit, ac LX. vivis captis, & CL. capitibus hoſtium relatis victor in caſtra rediit. Interea hoſtes magna rerum omnium, ac hominum & pecoris congeſtâ prædâ, atque adeo gravi ex incendiis & cædibus luctu in his regionibus relicto ad Ibraimum pervenerunt; ipſeque iis in caſtra receptis Peſthum verſus movit, diviſaque præda & captivis decumanis, copias in hiberoa dimiſit; ipſe verò Belgradum eſt reverſus.

Nec ab hoſtibus eo autumno, & hieme tentatum quicquam facinoris eſt; Sed Suarcemburgus & Palffius à Nadaſdio & Chriſtophoro Peteone exorati, qui Queſtelum & loca ciſdanubiana à Tartaris, Albam, Coppanum, & Quinqueeccleſias per hiberna diſtributis vaſtari ægre tolerabant, Palffio ſuam operam ultro offerente, partem copiarum in ſtationibus & præſidiis relinquere, parte alia ſecum ducta, tormentiſque currulibus attractis, verſus Laccum & Bolonduariam hoſtiles munitiones duxerunt. Verùm hoſtes metu exterriti, ac ad tutiora præſida profugientes, utrumque locum vacuum deſeruerunt. Et Suarcemburgus utrumque præſidio muniturn Peteoni, quod id illum poſtulaſſe antea meminiſſet, curandum commiſit; & quum ille miſcendo ambages & perplexè loquendo detrectare provinciam ſecùs, quàm antea promiſerat, videretur, ſtricto gladio ira percitus, eum violaturus erat, niſi à Nadaſdio & aliis fuiſſet placatus ac prohibitus. Cùm illinc ulterius caſtra & arma promoviſſent, Capoſuariam arcem adhibitis tormentis oppugnandam ſuſceperunt. Tantus autem terror & metus Turcas omnes ejus regionis invaſerat, ut Coppanum, Dombonem, Uſoram, munitas arces, eodem flumine Capoſſo circumfluas deſererent, & Sigetum ac Albam aliaque tutiora loca cum uxoribus & liberis, rebuſque carioribus confugerent, & tam Albæ quàm Quinqueeccleſiis non parùm trepidaretur. Sed Capoſuarianæ obſidionis is fuit exitus, ut mænibus duplici roborum ſerie vallatis, & interjecto craſſiori ceſpite admodum munitis, tormenta oon multum detrimenti inferrent, & quod hiems gelidiſſima & aſperrima conatibus maximè obſtaret (nam ad octavum Calendas Decembris erat perventum) duces ab incepto deſiſtere, & tormenta retrahere cogerentur; ultimuſque ea in expeditione Oberenpruecus, nobilis tribunus ex Ebutonibus & Leodio oriundus, dum incautius in aggeribus circa tormenta verſaretur, frontem glande trajectus occumberet magno Suarcemburgi & Palffii dolore, qui acerbiſſimum præſtantiſſimi viri caſum ægre ferentes, eum in templo Queſteliano ſummo honore tumulandum curavere; ac relictis Caniſæ tormentis, quod ea cænoſiſſimo, nec adhuc ſolidiore glacie durato itinere auferri non poſſent, Jautinum & ad ſuas ſtationes redierunt.

Ibraimus dimiſſis copiis Belgradum revertit.

Noſtri nonnulla caſtella occupant.

Capoſuarum fruſtra obſeſſum.

Oberenpruecus obit.

DE REBUS HUNGARICIS
LIBER XXXII.

Anno 1600. PErventum jam eſt ad annum ſæcularem ſexcenteſimum à partu virginis ſupra milleſimum; quem ſicuti priore ſæculo Alexander VI. Pontifex maxim. ritè condiderat; ita hunc Clemens VIII. veterem in morem, ſingulari erga Deum pietate, & incredibili omnium gentium concurſu Romæ celebravit. Nos quoq; novũ annorum centenarium, quod benè vertat, velut novũ ſæculum ordiemur. Fuit ſanè is annus apud Pannonios, qua tumultibus Moldavicis & Tranſilvanicis, ac inexpectatâ Gallorum proditione 1600.

1600. *Nicolai Palffii obitus.*

tione inſignis, quà clariſſimorum & fortiſſimorum ducum Nicolai Palffii, Melchioris Rederi morte, ac ioſperatà Adolphi Suarcemburgii cæde, quorum virtute hoc decennali bello res Ungarica ſteterat, valde memorabilis. Palffius primo veris initio à principe Matthia ad conſultandum de progreſſu belli, & de ejus ad Tranſilvaniam gubernandam profectione vocatus (ea enim provincia decreto Cæſaris, niſi mors, ultimus rerum terminus prævertiſſet, ei decreta erat) quum Viennâ domum rediiſſet, in repentinum gravemque morbum incidit, ac quinto poſt die vi ejus extinctus fuit, quum nondum L. ætatis annos exegiſſet, ac incredibile ſui deſiderium tam Cæſari quàm patriæ & omnibus reliquiſſet. Erat enim magna omnium de eo ſpes concepta, fore eum in præclarum & omnibus oumeris conſumatum ducem evaſurum, quod à teneris annis Hiſpaniâ, Belgio, Galliis, ac Thraciâ peragratâ, in laboribus patientia, boniſque militiæ præceptis benè conſulendo & fortiter agendo ſe atque ætatem omnem exereuiſſet. Eo fatis concedente, Cæſar Strigonium Adolpho Althamo, & Novæ arcis præfecturam, cum nobilitatis juriſdictione Georgio, Turžoni administrandam dedit, quibus ille anteà viveus præfuerat.

Adolpho ab Althã Strigonius & Turzoni novæ arcis præfectura commendata.

Per id tempus Michaël Valachiæ princeps, Tranſilvaniâ ut diximus, potitus, quum nec provinciam Cæſari mature reddere vellet, neque bene regere nôſſet, ſed avare & crudeliter imperitaret, ad Moldaviam quoque invadendam armis & occupandam animum adjecit. Fuerat paulò antè ad eum miſſus à Cæſare Bartholomæus Peczius, cum pecunia, quæ militibus in ſtipendia diſtribueretur, à quo ille ſe arcana Cæſaris mandata accepiſſe gloriabatur: quod ut nobis incompertum eſt, ſic in medio relinquendum videtur, & perficiendis deſtinatis talem habuit occaſionem. Sigiſmundus Bathorius vindicandæ Cardinalis patrui cædis, repetendæque Tranſilvaniæ avidus, conſiliis cum Samoiſcio Cancellario habitis, copias ab eo auxiliares, ioaodataque ad Hieremiam Moldavum acceperat, quibus illi cum exercitu præſto eſſe jubebatur. Eum exules quoque Tranſſilvani, Franciſcus Ferreus, Gabriel Betlenius, & alii aſſidue incitabant, quorum princeps erat Moyſes Siculus audax, & ad omne facinus patrandum promptus, ac etiam ipſe dominationis appetens. Quorum clandeſtina conſilia quum Michaëli gnara eſſent, copias quas in promptu per urbes & oppida diſtributa habebat, cogere abſq; mora, & relicta in Tranſilvania conjuge, ac filio quem unicum habebat, Petraſcone, ultra alpes ducere conſtituit, ut extra utriuſque provinciæ fines, fortunam cum iis in hoſtico experiretur. Itaque ſuperatis alpibus in Valachiam trajecit, & illinc eo locorum progreſſus eſt, ubi Sigiſmundum & Hieremiam cum Coſacis & Polonis caſtra metatos eſſe didicerat. In quos quum nequicquam tale ſuſpicantes de improviſo irruiſſet, & tormentis verſatilibus, quæ ſecum habebat, ac peditatu firmo rem gerendo non ſine ſumma certaque illorum ſtrage in fœdam fugam conjecit, fuſoſque & fugatos tamdiu perſequi non deſiit, donec Moldaviâ & ejus finibus expelleret, ac tota provinciâ, ipſaque principum ſede Suchavâ, non magno labore potiretur.

Michael Vaivoda Moldaviam invadit.

Sigiſmũdo & Hieremia Vaivoda copias fundit fugatque,

Quo perfecto negotio utendum victoriâ ratus, continuo in Pocuciam & Beſſarabiam Polonicæ ditionis regiones, ad quas hoſtes profugiendo ſeſe receperant, cum exercitu convolavit, pulſiſque illis, non ſolùm in eas, ſed etiam in Ruſſiam & Podoliam finitimas, de quibus nulla unquam cum Polonis contentio fuiſſet, igne & ferro hoſtilem in modum graſſatus eſt. Quibus rebus Polonorum animos, ipſiuſque Samoiſcii, qui tum & Cancellarius & ſummus copiarum dux erat, & cui tant apud regem quàm omnes regni ordines præcipua erat auctoritas, arma & vim in ſe concitavit. Hi namque Moldaviam, ut ſupra retuli, eo tempore, vi occupatam, ſub clientela obtinebant, & contumelias à Michaële illatas, ultum ire properabant. Itaque Samoiſcius nihil cunctandum ratus exercitum ſummâ celeritate coëgit, ac nobilitatis quoque copias convenire juſſit; adfuereque brevi in ejus caſtris, quæ ad Boſorium oppidum fixerat, Stanislaus Golſcius Podoliæ, ac Marcus Solinſcius Lublinenſis, Stanislaus Ulodeeus Belſienſis præfecti, quos ipſi Palatinos vocant, necnon Stanislaus Zomienſcus Leopolitanus Caſtellanus, ac ipſius Samoiſcii legatus, cum plurimis aliis, & maxime cum Coſacorum, quos Niſovios appellant, equeſtribus turmis, aſſidua cum Tartaris dimicatione exercitatiſſimis. Igitur Poloni, juſtis factis itineribus in Moldaviam Idibus Octobris pervenerunt, & Michaëlem ad cujuſdam montis radices caſtra metatum, occupatis collibus & infeſtis itineribus eos expectare cognoverunt. Nec quin primo facto impetu, in eum omnibus copiis irrumperent, quicquam dubitavere. Et quum Michaël imparem ſe viribus animadvertiſſet, in proximum montem ſeſe & copias ſubduxit; ita ut caſtra trans illum cum impedimentis & carris metaretur. Sed quod Poloni & Coſaci impigre inſiſterent, & numero longè præſtarent, inde quoque cum cæde dejectus caſtra repetivit.

Et in Ruſſiam Podoliãque irruit.

Altero, qui ſequutus eſt, die, prægrandes foſſarum margines, quas hiberni torrentes imbreſque fortè effecerant, occupavit; ac ex iis opera ſclopetariorum peditum Polonos arcere conatus, ſuperante illorum multitudine, pulſus montem tranſcendere fuit compulſus. Quum veſtigiis inſiſtere Poloni non deſinerent, ad flumen Sereſinum, quod ſuperandum erat, in loco, cui Bucobilo nomen eſt, natura difficili & impedito caſtra poſuit, aciemque inſtruxit: ita ut dextrum, ſiniſtrumque latus exercitus altiſſimi & præruptiſſimi montes munirent; à fronte verò tortuoſus amnis, & rapidus in plures ramos facto divortio objiceretur; ac peditatum & tormenta, in quibus potiorem ſpem collocaverat, in ſilva occultavit; penes quam Samoiſcio & Polonis neceſſario erat tranſeundum, quæ multa & denſa ilice ac quercu apta inſidiis erat. Samoiſcius aſtu & inſidiis cognitis, ſuum peditatum ac Coſacos Niſovios, quorum magna erat virtutis opinio, in ſilvam progredi jubet, ipſe cum equitibus & reliquo exercitu ſubſequitur. Mox conſerto prælio, ſiniſtra MICHAELIS acies, quam eo die triplicem inſtruxerat, parvo accepto detrimento, metu incumbentium Polonorum exterrita terga vertit, cujus fugâ viſa altera quoque acies, quæ ad dextram partem pugnaverat, ſive metu ſive occultâ proditione agitatâ in diverſum profugit; ſicque Michaël à ſuis, & fortuna deſertus, amiſſis tormentis & impedimentis, incitato quam potuit celerrimè calcaribus equo, ſe-

Michael conſerto cum Samoiſcio & Polonis prælio victus è Moldavia profugit.

1600. ſe è conſpectu hoſtium proripuit, & variis errorum ambagibus ſuperatis, quum ſequuturos in Valachiam hoſtes exiſtimaſſet, ſeſe cum equitibus & parte copiarum in Tranſilvaniam recepit, ita ut miſſis idoneis hominibus, ac ordinum ductoribus, qui viarum, tramitumque peritiſſimi erant, reliquias profligati exercitus ſe quamprimum ſequi juberet.

Moyſes Siculus, juſſu Samoiſcii Michaëlem inſequitur.

Sed Samoiſcius utendum victoriâ, & fugienti metum ac terrorem ſuperaddendum ratus, Jacobum Petoccium cum valida Polonorum manu, ac Moyſem Siculum cum exulibus ac Ungarorum & Siculorum copiis in Tranſilvaniam ire, & Michaëlem quacunque poſſent viâ inſequi, & provinciam occupare juſſit. Quibus de cauſis Baſta, Ungnadius, & Michael Siculus, quos non multò antè in Tranſilvaniam cum exercitu progreſſos eſſe retulimus, cùm per idoneos nuncios, tùm verò per literas Samoiſcium admonere hortarique ceperunt, ne Valachiam & Tranſilvaniam Cæſaris provincias, ab antiquiſſimis temporibus regno Ungariæ attributas infeſtis armis occupare, bonæque vicinitatis jura & veteres pactiones turbare vellet; ſe illum ab inferenda alienis regnis, alienoque tempore injuria ita temperaturum exiſtimare, ut faciles ipſorum poſtulatis aures præbere; neque Cæſarem & Poloniæ regem cognatos & affines principes ad digladiandum mutuis armis & Chriſtianum ſanguinem profundendum incitare velit. Quod ſi in eo animi propoſito pertinacius, quàm conveniat, inſiſtere pergat, tum verò etiam Cæſari arma, quibus ſe & regna ſua tueatur, minime defutura.

Et Tranſilvaniā occupare contendit.

Baſta Samoiſcium hortatur, ne aliena invadere conetur.

Samoiſcii litera.

„ Ad quæ Samoiſcius miſſo ad eos cum literis Johanne Voſachinciæ turmæ equitum præfecto, longioribus verbis reſpondit; neque ſe, neque regem ſuum, optimum principem, ac reipublicæ Chriſtianæ ejuſque quietis ſtudioſiſſimum, quippiam turbarum ac bellici tumultus ſponte concitaſſe; ſed ut Michaëlem Tranſalpinum, hominem audacem, ambitioſum, avarum, crudelem ulciſcerentur: qui non ſolùm Moldaviam tutelæ ſuæ provinciam per vim occupaſſet, ſed Ruſſiæ etiam & Podoliæ confinia, ac regiones trans Neſtrum flumen ſitas ferro & igne vaſtaſſet. Se quidem nihil magis optare, quàm Chriſtianæ reipublicæ tranquillitatem, & principum ſinceram ſolidamque amicitiam; ſed Michaëlem dediſſe malis omnibus occaſionem: nec illum quamquam omnibus provinciis pulſum, animum mutaſſe, quin adhuc eo magis, accitis è Bulgaria & Moldavia, ac Valachia Marco Delio, Vita, Voicza, ac Novaco cognomento Baba, ſceleris & perfidiæ ſuæ ducibus, & adſcitâ in conſpirationem Siculorum parte, retinendæ Tranſilvaniæ ſpem concepiſſe; Æquum eſſe & mutuæ amicitiæ convenire, fœderibuſque eſſe conſentaneum, ut ille pacis turbator ſibi tradatur puniendus; nunquam Michaële incolumi, tranquillas has provincias fore; interitu ejus pacem firmandam; totum hominem ex fraudibus eſſe compoſitum; id ne cuipiam dubium ſit, eum tot perjuriis & ſceleribus, palam omnibus feciſſe. Non deeſſe etiam alias rationes, quæ ipſum ad mittendum adverſus ſceleratum illum hominem exercitum impuliſſent: nimirum proſpexiſſe ea re, ne Turcarum & Tartarorum infenſiſſimæ gentes in hae provincias migrarent: quibus quàm damnoſum & periculoſum foret, barbaros præfectos & purpuratos præeſſe, neminem eſſe, qui non intelligat; id ſine dubio eventurum fuiſſe, niſi ipſe juſſu regis ſui, adducto exercitu, quam opportune occurriſſet, & tranſmittendi illis Danubii facultatem ademiſſet. Optandum quidem eſſe Chriſtianis omnibus votis, ad invadendum Byzantium Turcici imperii caput, nulla obſtacula, nullas arces, nulla montium juga, apertos campos, planam viam ad ejus uſque muros haberi, & hanc oportunitatem ei ſocietati ſi quæ unquam ſacro bello conciliabitur, experendam eſſe; quam & Rex ſuus & ipſe ſummo deſiderio exoptare ſoleant, ut ante conſpicere poſſint, quàm ex hac vita decedant. Nequeenim ſe cuipiam ſtudio & deſiderio hujus pacis conciliandæ, quam ex intimis animi corporiſque ſenſibus ſummopere optet, concedere: Ubi enim præſtantius vitam hanc profundere poſſit, quàm in Chriſti Dei imperio augendo? ſed ea omnia in ejuſdem divini numinis arbitrio ſita eſſe."

Quod verò Tranſilvaniam in Cæſaris poteſtatem conceſſiſſe ſcribant, ſe plurimum gratulari, & ut bene vertat, etiam atque etiam cupere; ſed quam ſit ea exhauſta, quàm fracta, quàm rebus omnibus non ſolùm accîſis, ſed perditis ſit, adeo ut quem inde fructum Cæſar capere poſſit, ſe neutiquam videre illud planè videre, ad eam cùm defendendam, tum retinendam ingenti ſumptu & ſolicitudine opus eſſe. Turcas eam amiſſam minime laturos, ac potius jam id conaturos, ut eam repetant, ſe compertum habere, injunctumque eſſe negotium purpurato, qui omni ope ad eam recuperandam nitatur, & Tartarorum Tauricanorumque principi, ut idem faciat; eum verò longe plures, & bellicoſiores ſuis Tauricanis Nogaiorum copias adjuncturum, qui concreto glacie Boryſthene, cum accolis Ponti Euxini Turcis, & cum iis, qui nunc cum Mehemete purpurato Gimeſgi cognomine ultra Danubium in Bulgaria ſunt. Tranſilvaniam invadere prorſus conſtituiſſe, ſicque brevi tempore ingenti incendio eam provinciam arſuram. Maximam vim, niſi major præſto ſit, non poſſe arceri. Cùm autem Tranſilvania proximus Poloniæ paries ſit, ſe & ejus regni ſenatum propterea conſultum ei velle, ne illa ardente Polonia quoque flammam concipiat. Et quum nihil tyranni viciniâ pejus tetriuſque ſit; ſi tuta conſilia ſpecioſis anteſerenda ſunt, diſſimulandum eſſe & permittendum, ut quem provinciales velint, ſibi præſidem eligant, qui ſummo Pontifici, Cæſari, & Regi Poloniæ obſtrictus fide per ſpeciem, ad tempus pacem cum Turcis habeat, ad rem Chriſtianam attentus, ut quæ tot cladibus, quas noſtra vidit ætas, in ea provincia concuſſa & labefactata ſunt, ea recreentur & coaleſcant. Nam ſi hoc importuno tempore armis hoſtium invadatur, ſe vereri, ne ſolo æquata, ac ſuis incolis orbata, ingens & latum oſtium ad ea invadenda, quæ uſque nunc integra, Turcis abdita, & intercluſa fuerunt, aperiat. Quæ ne accidant, ut omni ratione provideant, ſe & Senatores Regni Poloniæ, pie & ex animo hortari, ac ad ea ſingula ſine mora reſpondeant, & nuntios ne morentur, etiam atque etiam petere "

Ad ea Baſta & Cæſaris legati, cum Tranſilvanis habito conſilio, nequaquam per literas reſ-

1600.

Step. Chaquius à Baſta ad Samoiſcium & Sigiſmundum legatur.

reſpondendum duxerunt, quum negotium arduum ſit & difficile, quodque celeritatem imprimis requireret, ſcribendo & reſcribendo minime differendum videretur; ſed Stephanum Chaquium multis precibus & promiſſis impulerunt, ut ad Samoiſcium in Polonorum caſtra proficiſceretur, ac cum eo & Sigiſmundo Bathorio, qui ibidem erat, ſermonem & conſilia conferret, hortareturque, ne afflictas Tranſilvaniæ & Valachiæ provincias majoribus cladibus involvendas & deſtruendas exiſtimarent; ſed retro, unde venerant, reverterentur. Se curaturos, ut provincia Michaeli Valacho adempta Sigiſmundus, ſi ad gratiam Cæſaris confugiendum duceret, eam haud alienam à bonis & æquis conditionibus eſſet inventurus. Promiſſæ autem ei fuere, nomine Cæſaris, ſi Polonos, ut retrocederent, ac Moyſem Siculum & exules Tranſilvanos, & Jacobum Podoccium cum Polonorum copiis revocarent, inducere poſſet, duæ arces Saroſia, & Saduara. Qui pro ſumma, qua apud Sigiſmundum & Tranſilvanos pollebat auctoritate, ac cui cum Moyſe Siculo arcta neceſſitas intercedebat, ſuſcepta provincia, in caſtra proficiſcitur. Fit magna, uti debebat, de ſumma re in utramque partem diſceptatio; Samoiſcio ea, quæ literis comprehenderat, ſermone etiam identidem proſequente; erantque ſuſpenſi omnium animi expectatione tantæ rei, ipſeque Chaquius promiſſis oneratus, Sigiſmundum itidem promiſſis onerabat, & de reditu in Tranſilvaniam propediem futuro ſpem haud dubiam pollicebatur: & niſi rectiſſimis conſiliis, & Chriſtiano homine maxime dignis parerent, perpetuo cuncta hoſtilia, & quam maxime ſæva denuntiabat, ac magnitudine & robore copiarum quas Baſta in præſens haberet, quaſve inſuper venturas expectaret, quæ jam Varadinum appuliſſent, eos terrendos putaret, ad extremum obtinuit, ut Moyſe & Podoccio ac exercitibus revocatis, in Moldaviam reverterentur: reductoque ejus provinciæ principe Hieremia, ibi expectabundi ſubſiſterent. Ferunt eum quam occultiſſimo conſilio auctorem Sigiſmundo fuiſſe, ut in præſens pacato animo recedendum putaret, certamque ei ſimul ſpem dediſſe fore propediem, ut conſentientibus provincialium ſuffragiis, ipſo procurante, in patriam & principatum reduceretur. Quod quamquàm ille poſtea inficias ivit, ſeque ſincere omnia fideliterque executum fuiſſe affirmavit, ex iis tamen, quæ poſtea ſubſequuta fuère, eam ſuſpicionem haud omnino inanem fuiſſe deprehenſum fuit. Cæſar tamen arces, quæ ei ſuo nomine à Baſta & legatis promiſſæ erant, abſque hæſitatione tradi juſſit: atque in hunc modum Tranſilvani ab externis bellis aliquamdiu quievere; niſi brevi poſt inteſtinis ſeditionum procellis, & contrariarum partium ſtudiis agitati, pacem & tranquillitatem patriæ, novis rebus perturbaſſent, uti ſuo loco à nobis commemorandum erit.

Palmicæ copiæ in Moldaviam reducuntur.

Sigiſmundo Saroſia & Saduara arces a Cæſare data.

Quæ dum inter Polonos & Cæſarianos in iis provinciis, quas veteres uno Daciæ nomine vocabant, adminiſtrantur, in Pannonia res mira & nefarii ſceleris plena accidit, inaudita hactenus & prodigioſa militum Gallorum, qui Papam in hiberna collocati erant, ad hoſtes Turcas defectione. Hi ſiquidem Calendis Juniis hujus anni ſæcularis, quum mille ferme in præſidio eſſent, ducibus quibuſdam Fino & Motta, occulis & nefariis inter ſe habitis conſiliis, Michaëlem Marothium loci præfectum, quem receptâ à Turcis arce, à Maximiliano principe ante biennium impoſitum fuiſſe diximus, quaſi de rebus magni momenti cum eis colloquuturum ad ſe vocaverunt. Is nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicatus, cum Lupo Slacovitio, ac quibuſdam centurionibus, & Alexandro Bacacio, ad eorum contubernium ſe confert: & quum de variis rebus colloqui priùs cepiſſent, magna Gallorum multitudo armata eodem confluxit, moxque ubi ſe numero ſuperiores eſſe vidiſſent, deponere eos arma juſſerunt, & recuſantes facto impetu, gladiis exutos cuſtodiæ tradiderunt, cæſis nonnullis, qui ſeſe ad defenſionem parabant. Nec multò pòſt occupatâ arcis portâ, & Germanorum quoque cohorte ibidem armis & rebus omnibus ſpoliata, arce quoque per ſcelus potiti ſunt. Tum vero ſcrinia compilare, & omne quicquid militibus ac civibus erat reliquum, non ſolùm equos, arma, veſtes, pecuniam, aurum, commeatum, per vim auferre; ſed conjuges, parvos liberos, ac filias nubiles in ſervitutem redigere, omnia tam publici quàm privati juris maxima, minima ſibi uſurpare. Quæ quidem inauditi hactenus & abominabilis facinoris ſcelera cur facere non horreſcerent, & cur tantam incredibilis perfidiæ notam non ſibi duntaxat, ſed patriæ & univerſæ Gallorum genti inuſtam vellent, percunctantibus, derivatâ in alios culpâ ad denegata aut non ſoluta ſtipendia rejiciebant. Supra hæc captivos Turcas ſolutis ergaſtulis, & adapertis carceribus liberos abire juſſerunt; ſcriptiſque ad Albanos Turcas literis, ſe eis urbem arcemque tradituros ſignificarunt, ſi quæ emeruerant ſtipendia, ſibi ſolverentur. Turcæ iis rebus è ſociorum, qui ſoluti vinculis poſtliminio redierant, ſermone cognitis, primo non credere & fraudem ſubeſſe rati, quòd tantùm ſcelus in animos eorum cadere potuiſſe minimè putabant, tandem quum commeantibus ad eos catervatim Gallis rem ſeriò agi vidiſſent, Achmatem quendam turmæ præfectum, cum LX. equitibus, ac hujus menſis pecuniâ miſerunt, qui auctoramento nefandæ militiæ obſtrictos in fidem reciperet. Tametſi autem ſæpe Turcas literis & nuntiis fatigaſſent, ut majora militum præſidia imponerent, ſolutiſque ſtipendiis locum ſibi occuparent, illi tamen vel pecuniæ tenaces, vel Gallorum inconſtantiæ diffiſi, modò has modò illas procraſtinandi cauſas objectantes, utrumque de die in diem diſtulerunt.

Galli Papenſes præſidiarii conſcelerata ſeditione, ad Turcas deficiunt.

Cùm hæc ad principem Matthiam perlata eſſent, re necopinatâ perculſus, Suarcemburgo, ut ſedatis ſtipendiorum exolutione Gallis, curaret, ne quid reſpubl. detrimenti caperet, in mandatis dedit: iſque cum ala equitum ac cohortibus, quæ Jaurini in ſtatione erant, ſecum acceptis, proficiſci Papam ad eos maturavit, ſi quo remedio exulcerati, & ad tantum nefas proni eorum animi ſanari poſſent, experturus; cùm potiſſimum adhuc ſupereſſe nonnullos ex Gallis didiciſſet, qui impiam & retroactis ſæculis minimè auditam defectionem reprobare, ac multis rationibus diſſuadere conarentur. Sed quum major pars, quod dici ſolet, meliorem viciſſet, omnis à Suarcemburgo labor fruſtra ſuſceptus fuit: Quum enim in itinere non procul Papa abeſſet, XXV. equites præmiſit, qui ſuo nomine Gallis dicerent, ſtipendia eorum in numerato eſſe, ſeque ſpondere, ut depoſitis armis,

1600. ac omiſſis, quæ nefarie cepiſſent, conſiliis, ea intra decem dies accepturi integre eſſent. Verùm illi nec admiſſis, nec auditis equitibus & multis convitiis proſciſſo Suarcemburgi nomine, eos abire extemplò juſſerunt, niſi tormentorum certos ictus expectare vellent. Redeunte rebus infectis Suarcemburgo, non multò pòſt venit ad eos à Cæſare miſſus Peczius certam illis ſtipendiorum ſolutionem, certumque diem, ad quem ea repræſentarentur adferens; ſed nec ille admiſſus eſt, potiúſque exploſis in eum aliquot tormentis abire juſſus. Tentavit poſtea Suarcemburgus, oppidum ſubitario petarræ impetu capere, eoque propoſito cum tribus militum millibus noctu, quo occultius potuit, illuc proficiſci ſtatuit; ſed conſiliis ejus patefactis, Galli ad molas frumentarias, quæ ſub prægrandis piſcinæ aggeribus conſtructæ ſunt, CCC. ex ſociis ſelopetarios in inſidiis collocaverant, qui ſubeuntes Suarcemburgianos ſimul cum Petarra longe ſubmoverunt; ſicque ex arce ſimul & oppido tormentis petiri, deſtinata perficere non potuerunt, reque infecta Jaurinum ſunt reverſi. Cùm in hunc modum Galli ad Turcas manifeſtâ proditione deſciviſſent, nec ullis rationibus aut promiſſis ad officium reduci potuiſſent,

Suarcēburgus Papam obſidione cingit.

Suarcemburgus armis obviam eorum libidini perfidiæque eundum conſtituit, copiáſque & caſtra cum tormentis & rebus neceſſariis Jaurino promovit, ac Nonis Juliis, Papam obſidione cinxit. Colonicius & Nadaſdius cum ſuis alis, & nobilitatis ciſdanubianæ copiis ad caſtra venientes, ei ſe conjunxerunt: primumque omnium molæ frumentariæ, quas Galli aggeribus erectis, ac duobus campeſtribus tormentis ac milite muniverant, noſtrorum virtute ac impetu, pulſis in arcem perduellibus, expugnatæ ſunt. Quamvis autem Suarcemburgus oppugnationem difficilem & arduam fore providebat, quod Galli ut in extremo vitæ diſcrimine, omnibus belli artibus, quibus poterant, & quarum peritiſſimi habebantur, ſeſe defenderent; ingentis tamen ſpei plenus, nihil ipſe quoque prætermittere, cuncta oculis diligenter perluſtrare, eorum conatibus obviam ire. Galli contra à vicinis Albanis auxilia & commeatum, quem ab Ungaris perfidioſe deceptis, vi ademptum jam abſumpſerant, aſſiduè petere non deſinebant; nec tamen quicquam, incertum quas ob cauſas, ad eos perferebatur.

Gallorū eruptio.

Cùm hæc agerentur, Galli quorum adhuc DCCC. in præſidio reliqui erant, illuceſcente die, qui fuit XXVI. Julii, ad aggeres noſtrorum, in quibus tormenta erant collocata, impetum facere decreverunt, egreſſique portâ, quæ ignea vocabatur benè magno numero, acerrimum cum noſtris certamen contraxerunt. Quo fervente & cadentibus utrinque haud paucis, Suarcemburgus nullis protectus armis, & abſque galea ſuis auxilio advolavit, dumque eos ut adverſus perduelles & paricidas, ac omnis divini humanique juris impios contemptores, fortiter dimicarent, cohortari cepiſſet, glande caput derepente ictus, equo decidit, & exanimis à ſuis eſt ſublatus.

Suarcēburgus glande trajectus occumbit

Cujus necopinato caſu noſtri irritati potiùs quàm animis fracti, cohortante Nadaſdio, Gallos loco pellunt, ac uſque ad oppidi portas cedendo & trucidando inſequuntur; aliquos ex eis non ſine vulneribus vivos capiunt. A quibus licet in arce oppidoque cibaria omnis generis defeciſſe, & nonnullos adhuc equos, quibus mactatis veſcerentur, ſupereſſe didiciſſent, ſocios tamen metu extremi ſupplicii, quod ſibi ob tanti ac tam nefarii facinoris ſcelus haud dubiè imminere ſciant, adductos, extrema quæque incommoda tolerare priùs, quàm ſe dedant, decreviſſe; ita ut reliquo jam abſumpto commeatu, ſi equi etiam deficiant, tum ſe hominibus captivis devorandis famem ſedaturos. Quibus cognitis, jubente Nadaſdio, iis, qui vivi in manus inciderant, partim cutes detractæ à militibus ſunt, partim aliis ſuppliciis affecti, ut manibus Suarcemburgi eorum cæde & ſanguine parentarent. 1600.

Nadaſdius interim communi ducum, & militum voto in ejus locum delectus eſt, qui caſtris & exercitui præeſſet, donec à Matthia principe, cui id eadem hora per celeres nuntios ſignificatum erat, alter cum ſummo imperio dux futurus deligeretur. A quo paulò pòſt Melchior Rederus, de cujus virtutibus ſæpè antea memoravi, tam Jaurino quàm caſtris regendis dux delectus, abſque cunctatione in caſtra venit.

Melch. Rederus in illius locum ſubrogatur.

Cujus adventu Galli ex aggeribus eminus oppugnari cœpti, eórumque audacia repreſſa eſt; ita ut ad edenda per excurſiones levia certamina nequaquam ampliùs exire, nec ad conſerendas ex propinquo manus decurrere auderent; ex oppido tamen & arce, tormentis ſeſe egregie tuerentur. Sed accidit magno noſtrorum omnium dolore & jactura, ut Rederus quoque graviſſimo in caſtris morbo corriperetur, qui ei ſupremus fuit; & quum officio fungi non poſſet, exercitu curæ Nadaſdii commendato, ſeſe Jaurinum & inde Viennam deferendum curavit.

Qui paucis inde diebus morbo correptus obit.

Sed cùm morbus nullis remediis tolli aut minui poſſe videretur, & domum redire vellet, in itinere ad oppidum Bohemiæ, cui Brodæ Germanicæ nomen eſt, vir fortiſſimus exceſſit è vivis; ſic ut tribus inſignis virtutis & fortitudinis ducibus, Palffio, Suarcemburgo, & Redero brevi tempore è medio ſublatis, Papæ recuperatæ, partæque de ſceleratis Gallis victoriæ decus Nadaſdio relinqueretur.

Nadaſdius arcta obſidione Gallos premit.

Qui quum longè acriorem obſidionem inſtituiſſet, ut neminem in oppidum ingredi, aut quicquam inferri pateretur, incluſos ad rerum omnium extremam inopiam adegit, ut nihil quod famem levaret, præter captivos ſupereſſet, à quibus tamen manducandis, ſecùs quàm ipſimet putaſſent, abhorrente impias & execrabiles dapes naturâ, abſtinere cogebantur. Itaque illuceſcente die Divo Laurentio ſacra, ad deſerendæ urbis conſilia compulſi, vitata ejus porta, ſemitam, quæ intervallum & piſcinam, pluribus in locis aqua & cœno impedita, progreſſuris moram factura erat, intempeſtæ noctis tenebris, ſtramine & tabulatis impleverunt; ac cum conjugibus & liberis Albam verſus ad hoſtes iter ſuſceperunt.

Galli, urbe clam deſerta effugiunt

Sed nequaquam longiùs abire potuerant, quum eorum fuga Nadaſdio & noſtris cognita, ac comperta fuit: itaque Ungari imprimis, quorum propinquos & fratres, ac ſanguine junctos indignis modis excruciaverant, deinde & Germani equis conſcenſis eos inſequuti, ad extremas Bacaniæ ſilvæ oras, circa celeberrimum quondam Carthuſianorum templum, à Ludovico rege primo ædificatum, ſed modò dirutum, attigerunt. Quũ effugere non poſſent, obverſa in noſtros fronte, ſtrictiſque gladiis & ſclopetis, ſeſe acerrime defendere cœperunt.

Verùm ab Hungaris deprehenſi caduntur

Verùm quum noſtri & æquitate cauſæ, & multitudine eſſent ſuperiores, & ſubinde recentiores aliis atque aliis ſupervenirent,

1600. rent, major eorum pars protrita, ac crudeliter cæſa eſt; adeo ut militibus juſto dolore exacerbatis, neque pueris, neque fœminis parceretur, & ex DCCC. Gallis, vix CC. ſilvarum & montium, ac diverſarum latebrarum beneficio Albam, evadere poſſent; ac capti circiter XC. in caſtra retraherentur. Tantâ autem obſtinatione & ferociâ pugnatum eſt, ut etiam ex noſtris quamplurimi interirent, & multò plures glandibus, quibus Galli peririſſimè jaculabantur, graviter vulnerati redirent: inter quos Lupus Caidocius, manum ſiniſtram per ipſas cubiti vertebras glande trajectus, fractis minutas in partes oſſibus in caſtris interiit. Marothius & alii ordinum ductores ac milites, jam ferè per anni ſpatium compedibus, carcere, ac omnibus miſeriis excruciati in libertatem reſtituuntur, qui Nadasdio & reliquis ducibus ad genua provoluti, manantibus præ gaudio lachrymis, ingentes, ut par erat, gratias habebant, qui perdomitis ac devictis immanis & inhumanæ ſævitiæ barbaris hoſtibus patriæ totius & ipſorum conſervatores extitiſſent.

Capti exquiſitiſſimis ſuppliciis enecantur.

Sed Galli, quos ceperant, communibus totius exercitus ſententiis, per exquiſitiſſima pœnarum genera necandi decernuntur; ſcilicet ut nonnulli volubilibus molarum rotis alligati, tamdiu aquis merſarentur, donec impiam & crudelem animam exhalaſſent; pars verubus per ilia impactis lento igni torrerentur: multos milites ipſi revinctis poſt terga manibus, perticis, quibus frugum vel leguminum grana excutiuntur, ad diram uſque necem verberatos, ac contuſos è medio tollerent: quidam à ferociſſimis canibus, famè priùs maceratis vivi laniarentur: compluribus umbilico tenus humi defoſſis, multaque glandium & ſagittarum grandine, veluti ad quendam ſcopum directa & effuſa, obrutis confixiſque vita ſic relinquebatur, ut ſupra immanium vulnerum dolorem, & intolerandos cruciatus ſiti & inediâ pereundum foret. Recuperata in hunc modum Papa, ac meritis pœnis caſtigata Gallorum perfidia, exercitus Jaurinum & Ovarium in æſtivas ſtationes eſt reverſus.

Michaelis Marothii infelix caſus.

Sed in Michaele Marothio quà attollendo, quà premendo mirabiles ludos inſolens fortuna exercuit: Nam quum poſt recuperatam urbem à Nadasdio & ducibus priorem præfecturæ dignitatem, locumque obtinuiſſet, ac relicto Papæ Slacovitio legato, domum ad ſuos ire voluiſſet, currum tectum Nadasdii conſcendit, quod ob diuturnas carceris moleſtias affecta eſſet valetudine, nec equo vehi poſſet, ideoque præcedentem exercitum ſequeretur, à Turcis & Tartaris quibuſdam, non pluribus quàm decem numero, qui ſecus viam loco ſaltuoſo ſeſe occultaverant, de repentè erumpentibus, & ignaris, quemnam ferirent, multis cæſim punctimque illatis vulneribus crudeliter ſauciatus fuit, ut Satuarium deductus in ipſa cura, & medicorum manibus expiraret: nec quiſquam ex tanto exercitu, (quod mirum eſt) tantum & tam audax paucorum hoſtium facinus, & ejus infelicis viri adverſum caſum, niſi re perpetrata, cognoſcere potuerit. His hoc modo peractis Cæſar haud parvâ æſtuans curâ quemnam poſt immaturum tantorum belli ducum, ac ipſius potiſſimùm Mansfeldii obitum, copiarum ſuarum ac exercituum præfectum conſtitueret, quod Georgium Baſtam è ſuperioris Ungariæ ac Transſilvaniæ finibus in ipſo Moldavici belli ardore, ac nova & ſubinde rediviva Sigiſmundi Bathorii cum Transſilvanis conſpiratione avocare nec neceſſarium, neque tutum putaret, ad evocandum è Lotharingia Philippum Emanuelem Ducem Mercurianum, è regia Galliæ Regum familia Valdemontia oriundum, Gallicis & Belgicis ſuperiorum annorum bellis, auſpiciis Regis Hiſpaniæ varia fortuna geſtis, ſecundiſſimam nominis famam adeptum animum adjecit. Nec ille, uti erat navandæ operæ cupidiſſimus, Cæſaris votis deeſſe voluit, ſeque brevi in Pannoniam venturum ſingulari promptitudine reſcripſit. 1600.

Dux Mercurianus à Cæſare accitus exercitui præficitur.

Transſilvani, auctore Chaquio Michaeli bellum inferunt.

Dum ille à Cæſare & Matthia principe, ac univerſo exercitu, ſummo cum deſiderio expectatur, Transſilvani ſolidâ morum & naturæ mobilitate, nova ſubinde rerum monſtra & ſeditiones crebras agitare & alere ſoliti, Stephano Chaquio auctore, comitia Claudiopolim indixère; ac poſt multas diſceptationes, Michaëlem Valachum, ut occupata abſque Cæſaris voluntate provincia, avarè & crudeliter imperitantem, Cæſarique & Baſtæ minus dicto audientem, armis provincia expellendum decreverunt, Bâſtamque, qui cum Cæſareano exercitu ipſis auxilio eſſet, in belli ſocietatē adſciverunt: eoque id proclivius obtinuère, quod ſcirent illum contractis cum Valacho occultis ſimultatibus inter ſe graviſſimè diſſidere. Is igitur relicto Caſſoviæ Laſſotta, Sacmarium, atque inde Taſnadum per viam, quæ à calce ſeu arena alba Meſeſia vocatur, in Transſilvaniam iter ſuſcepit. Quæ quum Michaëli cognita fuiſſent, petitâ ab eis publicâ fide, ut ei liceret legatos in comitium mittere poſtulavit, ac multo majori parte diſſentiente impetravit. Itaq; Radulonem Cuſſarum, ac Mihalcæum Banum præfectum Craliovæ abſque mora miſit, & per eos, ne in declarando ſe perduelle nimium præproperi eſſe vellent, ſed ſuis quoque, quas haud vanas habeat, excuſationibus aures præbeant, petebat. Sed legatis cum tumultu & ſeditione curiâ & comitio ejectis, Novacum etiam Babam Bulgarum, qui in illorum comitatu publicâ fide fretus aderat, virum militiæ clarum, ſed qui privatim Chaquio inviſus erat, factionibus inter ſe fluctuantes comprehenderunt, quod ab eo Cardinalem interfectum dicerent, ac multâ & crudeli carnificinâ excruciatum, ſed ſanè indignum uſque adeò atroci ſupplicio in foro combuſſerunt. Legatis re infectâ diſcedentibus, ac Novaco è medio ſublato, Michael ſe ad arma & bellum ſuſtinendum parare cepit; adſcitoque in ſocietatem Siculorum exercitu, quos ad libertatem convocaverat, & quorum major pars cum eo ſentiebat, ad pagum Miriſſonem, tertio ab Alba lapide diſtantem, penes rivum, qui in Maryſum influit, caſtra collocavit.

Transſilvani copias ſuas Baſtæ jungunt.

At Baſta cum ſex millibus armatorum, quos ſecum Caſſovia adduxerat, tam Germanici quàm Ungarici nominis, Tordam pervenit; atque ibi Chaquius & Transſilvani ſe & copias ſuas, quæ circiter duodecim millia militum utriuſque ordinis conſtituebant, ac quatuor tormenos currulibus cum eo conjunxerunt; indeque progreſſi haud procul Valachorum caſtris ad Miriſſonem, inter Maryſum flumen & montem conſederunt, in eum modum, ut inter utraque caſtra, monte illo & ſtrictâ ſub ejus radicibus via militari poſitâ, Valachi ſi manum conſerere nollent, inviti ad pugnam elici nequaquam poſſe viderentur. Igitur cùm eo in loco caſtra caſtris collata in propinquo eſſent, ut minutis prælis committendis occaſio daretur, Baſta ad

1600. XVIII. diem Septembris in conſpectum hoſtiû duxit. Michael quoque ex adverſo ſuas copias, in queis XXII. millia militum è diverſis nationibus collecta eſſe dicebantur, inſtructis in ordines aciebus conſtituit. Verùm paulò pòſt Tranſſilvani, monente & jubente Baſtâ, qui Valachos ad patentiores campos, ex anguſtiis & faucibus elicere in animo habebat, pedem referre pedetentim verſus ſua caſtra cœperunt, ipſo & equitibus Germanis ſclopetariis, ac peditum ſelectiſſimis terga tuentibus. Ea re viſa, Valachi noſtros non expectato certamine, retrocedere exiſtimantes, ſublato clamore, citatiſque paſſibus equitatum inſiſtere fugientibus jubent. Sed illi medio in campo, loco tamen multò magis ad pugnam opportuniore, frontem obvertere, ac irruentes Valachos denſis ſclopetorum ictibus & tormentis, quæ ſupra collem quendam idoneo in loco conſtituerant, petere cœperunt. Non tulêre vim noſtrorum Valachi, cùmque ſclopetis quàm maximè ſauciarentur, magnaque eorum pars eminus icta concideret, ac Germani equites ſimul & Tranſſilvani in eos acerrimo impetu irruiſſent, fuga primum à peditibus facta, deſertis ordinibus, terga dedêre. Fugientes & palantes Michael ipſe, ac duces & præfecti ejus Radulo, ac Leccaga altero captus oculo, ſed vir fortis, atque alii retentare contendentes nihil proficere, & quoſdam voce, alios manu, clavaque ad redeundum compellere, ſed fruſtra, operam perdere: illi effuſa fugâ, quo ſors tulit, procurrere: pars ſe in Maryſum præcipitare, ibique aquis hauriri. Michael quoque à ſuis & ab irata infauſtaque fortuna deſertus, cum paucis equitibus Albam Juliam verſus effugit: ibique paululum moratus, donec alium equum conſcenderet, reſque ſuas quaſdam cariores ad ſe reciperet, fugâ continuatâ ad Fogaraſſum, indeque vitato Cibinio, Braſſoviem ſeſe recepit. Sed quum Baſtam cum victore exercitu ſequi, & Samoſcium quoque ac Sigiſmundum acerrimos ſuos hoſtes, miſſo ad obſidendos alpium tranſitus cum mille equitibus Moyſe Siculo, inſidias ei ſtruxiſſe cognoviſſet, è militari via, qua alpes tranſcenduntur, ad pedeſtres, paucîſque notos tramites declinavit: & vitato in præſens periculo, Tergaviſtiam pervenit, relictiſque ibi idoneis præſidiis, multis & variis curis exæſtuans, tandem ad Cæſaris potiùs clementiam, quàm ad dubiæ fidei barbaros Turcas ſibi confugiendum duxit: curatiſque quantis difficillimo ſuo tempore potuit, ſumptibus, capto inter Danubium & alpes, quæ Severinum urbem reſpiciunt, itinere Pragam ire conſtituit, adducto ſecum Mihalcæo Bano ſene, quem ad Cæſarem antea miſſitaverat, ut invidis & inimicis, ac Baſtæ potiſſimùm æmulo obtrectatorique ſuo coram Cæſare reſponderet, ac calumnias, quibus recenta præter mentem animumque Cæſaris Tranſſilvania, oneratus erat, refelleret, ejuſque recuperandæ conſilia, ad Cæſaris reique publicæ commoda explicaret.

Certamine fortiter inito, Valachi fugientes paſſim occiduntur.

Michael Tergaviſtiam fugâ recipit.

Indeque Pragam ad Cæſarem contendit.

Poſt hanc victoriam, virtute & operâ Baſtæ & Cæſareani exercitus partam, Stephanus Chaquius, qui eam juvenilis potiùs, ac ſtolidæ temeritatis, quàm exactæ prudentiæ nomine ſibi tribuebat, dominatum & regnum tam bonis quàm malis artibus affectans (qua in re conſequenda uni duntaxat Sigiſmundo, non Moyſi Siculo, neque Boſcaio ceſſurum ſe in occulto prædicabat) comitia alia denuò ad eandem urbem Claudiopolim publicavit. Eo enim tempore ipſe à ſuæ factionis hominibus, quos ejecto è provincia Boſcaio ac Moyſe Siculo, tam palam & in aperto, quàm clancularius ſtudiis addictos habebat, ſupremum ſe provinciæ Tranſſilvanicæ, & exercituum præfectum, ac conſiliorum omnium arbitrum fieri curaverat, & rebus omnibus tam publicis quàm privatis juxta dominabatur. In iis Comitiis legati ad Cæſarem ituri deliguntur, Balthaſar Bornemiſſa Cæſareanas ab initio partes ſequutus, ac Lucas Trauſnerius, Claudiopolitanus Civis & Cauſidicus, ac Saxonum nomine Joannes Reghenius, cum mandatis, quorum ſumma hæc erat, ut ſi Cæſaris frater Maximilianus, ad provinciam ſuis legibus regendam mitti non poſſet, provincialibus poteſtas eligendi quem vellent permitteretur: eumque Cæſar ſacramento ſibi obſtrictum confirmaret; (iis verborum involucris Chaquius haud obſcurè ſeipſum intelligi volebat.) Religio, quam unuſquiſque profiteri vellet, libera cuique eſſet, Leges & judicia uti antea, ita etiam deinceps in Tranſſilvania exercerentur, nullâ ad Ungaricum forum aut regium tribunal provocatione. Donationes principum hactenus editæ ratæ habeantur, exceptis iis, quas Michael Valachus edidiſſet; quas illi invalidas & irritas publicis ſuffragiis reddidiſſent, iis tantummodo quas Chaquio dediſſet, ſuo in vigore relictis. Siculi ob magnas & frequenter repetitas rebelliones libertate priventur. Cæteros omnes Cæſar remiſſis & obliteratis omnibus noxis, in gratiam recipiat; ita ne illæ unquam ipſis fraudi ſint. Stephanus Boſcaius, uti perduellis, & læſæ majeſtatis crimine damnatus, Tranſſilvaniâ univerſa arceatur, pulſuſque in exilium, tam bonis, quàm manſione interdicatur, quod ille omnium malorum & ſeditionum, quibus provincia laboravit, & reducti è Sileſia Sigiſmundi reus ſit manifeſtè compertus. Poſtremò ut ea bona, quæ ipſi publico communique nomine Balthaſari Bornemiſſæ, Franciſco Allardo, Sebaſtiano Tocolio, & Ladislao Petelo (ii duo Cæſaris militares præfecti erant) pro rebus bene proſpereque geſtis contuliſſent, ea Cæſar benignè ſtabiliat, rataque eſſe velit.

Stephan. Chaquius Tranſilvaniæ principatum affectat.

Legati ab eo ex comitiis ad Cæſarem miſſi.

Legatis ad initium anni & Calendas Januarii Pragam profectis, ac in Cæſaris præſentiam brevi admiſſis, ea quæ poſtulabant, ſcripto comprehenſa exhibuerunt, ac verbis oblato pleno provinciæ jure Cæſari, debitum clientelæ obſequium, veluti Regi Ungariæ obtulêre. Ad quæ Cæſar gratam ſibi Tranſſilvanorum legationem, ac obſequii ſtudium eſſe reſpondit, brevique tempore rebus, quæ maturo indigeant reſponſo, ad deliberandum deductis ſe effecturum, ne eos initi ejuſmodi conſilii pœnitere poſſit. Sed dum Cæſar aliis quoque reipublicæ Chriſtianæ negotiis ſatis ſuperque occupatus in deliberando & reſpondendo neceſſariam moram facit, ac aliquot dies procraſtinando differuntur; qui domi erant relicti, Chaquio impellente, (quem in legatione ad Samoſcium & Sigiſmundum ſuperiori anno editâ, occulta conſilia miſcuiſſe, eaque hac occaſione in effectum deduxiſſe conjici poteſt) tertia comitia Claudiopolim promulgavêre; ibique auditis Turcæ & Polonorum nuntiis, recipiendum rurſus Sigiſmundum ſuadentibus, nulla legatorum, quos Pragam ablegaverant, nulla fidei Cæſari præſtitæ, nec denique ulla juſti & honeſti ratione habitâ, ſingulari perfidiâ & avaritiâ agitati, Sigiſmundum principem proclamaverunt:

Quibus necdum reverſis, Sigiſmundum denuo principem renunciant.

ac

1600. ac nihil cunctati Gaſparem Corniſium, Pancratium Sennicium, Stephanum Toldium & Stephanum Bodonium, atque alios, qui honoris fideique memores Cæſareanas partes tuebantur, in cuſtodias poſuerunt: manus etiam in Baſtam ſine dubio injecturi, niſi ipſe ab amicis admonitus maturè ſibi proſpexiſſet, ac validâ militum ſtipatus manu primo Cuvarum, mox Huſtum, quod ei Cæſar dono dederat, ſe recepiſſet. Qui ex tutiore loco omnem geſtæ rei ſeriem, ac Tranſilvanorum perfidiam Punicæ proximam Cæſari perſcripſit: eodemque ferè tempore Michael quoque Tranſalpinus nuperrimè Tranſilvania pulſus Viennam ad principem Matthiam venit, a quo ſummâ benevolentiâ exceptus, ac poſt paucorum dierum moram ad Cæſarem ire juſſus fuit. Cæterùm Chaquius & Tranſilvani, retentis in arctiſſima cuſtodia Corniſio, Pancratio, qui nec Cæſarem deſerere, nec ullis adhærere volebant, Stephanum Toldium, Nicolaum Bogathium, & Joannem Scopalium ſacramento priùs in fidem Sigiſmundi adactos, ac demum carcere emiſſos, cum bis mille equitibus ad alpes, per quas è Valachia ingreſſus in provinciam patet, ire jubent, Sigiſmundo cum Polonis & Moldavis ad occupandam provinciæ poſſeſſionem venturo occurſuros; ipſi verò prope Braſſonem urbem obviam ei prodeuntes, Albam Juliam eum deductum denuo principem declarant, tormentorumque fragore ac tubis & tympanis lætitiæ publicæ ſigna edunt.

Quibus rebus peractis, novoque principe in conſilium adhibito, Stephanum Cacallium Claudiopolitanum, Pragam ad ſuos, quos ibi habebant legatos, & Cæſarem cum literis miſêre: quibus ſingulari impudentiâ & flagitio petere minimè erubuerunt, ne Cæſareorum defectionem, ac Sigiſmundi in provinciam ingreſſum ægrè ac moleſte ferret; quod ea ob metuendas Turcarum vires, qui id unà cum Polonis armati, & ni facerent, excidium minitantes vehementer urgebant, neceſſario fieri debuiſſet. Verùm Cæſar, eorum perfidiam deteſtatus, legatos cum ignominia urbe extemplò excedere juſſit, Michaelemque Tranſalpinum acceptis in præſentiarum excuſationibus, ſuis quamquam non magno nixis fundamento, ac multis muneribus, & ingenti ſumma pecuniæ, quæ centum millium aureûm ſummam excedebat, donatum remiſit, cum mandatis, ut communicato cum Baſta conſilio, conjunctiſque viribus, invadendæ & recuperandæ Tranſilvaniæ operam darent, nec interea deſinerent, donec ejectis Polonis, quos pedem in Provincia figere nollet, voto potirentur. Admonuit etiam per literas Ferdinandum Gonzagam, Caſſoviæ & partium ſuperiorum præfectum, ut quo commodiùs deſtinata perficerentur, Baſtam & Michaelem abjectis offenſarum ſimultatibus in gratiam reduceret. Quod ille ambobus Caſſoviæ convivio exceptis, ac Cæſaris nomine ſeriò interpellatis, qui eorum inimicitias mortales eſſe juberet, abunde exequutus eſt; ita ut diſſidentes redintegratâ amicitiâ, junctiſque dextris (quamquam ut brevi poſt apparuit, minimè ſincero animo deterſis odiis) mutuo reconciliaret. Nec multò pòſt bipartito ad majorem celeritatem exercitu, Tibiſcum partim ad Tocaium, partim ad Tarcanum trajecerunt; ac eâdem viâ, qua Baſta antea tranſierat, quod vehendis tormentis

Legati Tranſilvanicum ignominia urbe excedere juſſi ſunt.

Michael Vayvoda à Cæſare in Tranſilvaniã remittitur.

Gonzaga ſtudio redit cum Baſta in gratiam.

& impedimentis commodior eſſet, exercitus promotus eſt. 1600.

Sigiſmundus Cæſareanorum adventu cognito obviam procedendum ratus, caſtra ad pagum ſuum paternum Doroslonem poſuit; in quibus amplius XXXV. millibus collectitii generis militum habebat, Legatumque in exercitu Georgium Barbelium conſtituit; concedente ætatis illius honori & rebus geſtis priorem locum Moyſe Siculo, qui vicariam ei operam præſtare non recuſavit. Sed ille immiti articulorum dolore oppreſſus in itinere ſubſtitit, & ducendi exercitus munus curamque Moyſi reliquit, admonito, ne manum cum hoſte confereret, niſi ipſe priùs in caſtra rediiſſet. Siculi etiam toties promiſſæ libertatis ſpe, quæ eis vel periculoſa, tamen otioſo ſervitio potior erat, magno numero in caſtra confluxerunt. Ex altera parte Baſta & Tranſalpinus Cæſaris duces, cum X. Millibus peditum, ac VIII. equitum, caſtra propiùs hoſtem promovenda decreverunt: eo conſilio ut priùs quam Sigiſmundo auxiliares Turcarum atque Tartarorum copiæ advenirent, quas ab Ibraimo purpuratorum principe, qui jam Belgradum cum ingenti exercitu pervenerat, frequentiſſimis nuntiis poſtulare non deſinebat, belli fortunam, collatis ſignis, periclitarentur. Primo agmine equitatus Sileſiorum ac Vallonum trium millium præcedebat: hos Ungari haſtati equites totidem ferè ſequebantur; quibus pone ſubibat Germanica equitum ſclopetariorum Michaelis Siculi Sacmario præfecti turma: Subinde verò legio Joannis Baptiſtæ Peczis trium millium peditum; poſt hos peditatus Vallonicus, ac ſex tormenta currulia procedebant. His parvo intervallo præcedentibus, Michael Tranſalpinus cum ſuis Valachis, & Coſacorum ac Bulgarorum copiis ſuccedebat, & Ludovicus Racocius cum peditatu Ungarico eum ſequebatur: ita ut Baſta diſponente, Michael ex ſuis mille equites, Joanni Jacobo Rottallio, Sendronis arcis præfecto, qui ordines claudebat, dare juberetur, eorumque loco alios mille ſclopetarios equites Flacci tribuni acciperet. Quo in ordine extremo unà ſub Rottallio erant M. & D. pedites Ungari, circa Sendronem & Filecum, ac vicina Hippolo fluminis loca, mercede conducti, ac tormenta currulia ſex numero, nec non DC. equites ſclopetarii, rubei & cærulei, nigrique, à colore Sagulorum vocati, qui Gonoii, Scepſii, & Caſſoviæ ordinaria præſidia agitabant.

Hoc ordine quartis à Sacmario caſtris, inter Somlionem & Taſnadum, itinere facto, tertio Nonas Sextiles ad Doroslonem pervenêre; ac cum Tranſilvani in vallis initio caſtra haberent, & collem quendam caſtris propinquum occupâſſent, duceoreque Moyſe Siculo tormentis muniviſſent; Baſta alterum è regione ejuſdem collis eodem tempore à ſuis celeriter occupari juſſit, eò commodiorem, quòd innatas vertici & lateribus prægrandes quercus haberet, quæ noſtris ab tormentorum hoſtilium ictibus præſidium eſſe viderentur. Ex iis collibus utrinque tormentis res geri cepta eſt; ſed prior Sigiſmundus multo eorum fragore & ſtrepitu infeſtare cepit; neque noſtri, quin eos haud minore impetu jacularentur, ceſſavêre: idque ad ſolis occaſum ferè factum eſt: Volebat enim Baſta, haud diſſentiente Tranſalpino, eum diem, & ſequentem noctem abſque prælio tranſigere, eaque mora quieti exercitus conſulere,

Sigiſmundi exercitus, Moyſe Siculo Duce.

Cæſareana copia.

1600. ſulere, qui in æſtu & vix tolerando ſolis fervore iter conſceiſſet, & vix dum pulverem & ſudorem deterſiſſet. Sed quum Sigiſmundus & Moyſes totum diem in armis & acie ſteriſſent, jamque ſub veſperum nullam fore dimicationem ſpetaſſent, horâ pomeridianâ quintâ militibus, ut in caſtra redirent, edixêre; ac tormenta è colle retrahi cepta ſunt,

Baſtæ, qui humi ſuper viridi gramine quieturus equo deſcenderat, Tranſalpinus hoſtes in caſtra reverti, & partem tormentorum jam attractam, partem junctis ad juga jumentis provehi nuntiat; nunc ſi videretur tempus eſſe poſcendi ſimul & aggrediendi prælii. Itaque Baſta conſcenſo celeriter equo Tranſalpinum in dextro cornu, Rottallium in medio curare jubet, ſibi ſiniſtrum ſumit, taliquе ſervato ordine unà in hoſtem feruntur. Tranſſilvani cùm noſtros magno ſublato clamore in pugnam ruere vidiſſent, mox ora & frontem obvertere, ac ſpeciem nequaquam certamen detrectantium præbere: Sed vix ſine confuſione ac perturbatione componi acies poterat, quod magna equitum pars jam frænos equis & phaleras detraxiſſet, pars aliis rebus occupata ſigna ſequi, & imperio parere ea qua debebat celeritate non poſſet. Nihilo tamen minùs Moyſe, quod exequi in re tam ſubita & ancipiti poterat, nihil prætermittente, pedites primò ſclopetarii, qui cum tormentis collem rurſus occupaverant, irruentes noſtros magno animo excepêre, & diu fortiterque pugnavêre, occumbentibus ex utraque parte plurimis. Baſta quum tumulum illum ad totius victoriæ ſummam in poteſtatem redigere vellet, ſuos ad irrumpendum concitat; Et quum propter hoſtium equitatum, qui à valle ſubjecta imminebat, non facilè quicquam proficeret,, capto ex tempore conſilio, DC. è legione milites ſclopetis inſtructos, quos Moſchettarios vocant, acciti, ac in hoſtes glandium procellam effundi jubet; quibus ad primum fragorem diffugientibus, quòd multi tam equi quàm feſſores cecidiſſent, loco potitus eſt. Sed ſuperventu peditatûs univerſi hoſtilis, noſtri dejici tumulo ceperunt, cohortante tamen Baſta, recollectis animis, & redintegratâ pugnâ iterum hoſtes repelluntur; ac pari utrinque contentione dimicatur, tantâ virium animorumque pertinaciâ, ut tam ex Tranſſilvanis, quàm Cæſareanarum partium militibus plurimi interirent; & Baſtæ thorax ferreus, eo tamen intacto, circa humerum glande pertunderetur. Ad extremum Tranſſilvani terga vertere, ac deſertis tormentis profugere compulſi ſunt. Ea rurſus immiſſo equitatu, ac peditibus in pugnam reverſis recuperare contendentes, cohortante Moyſe, acerrimum certamen reſtaurant, ac pertinaciſſimè pugnant; & multi utrinque cadunt, plures tamen ex Tranſſilvanis, Verùm virtute & conſtantia legionis Peczianæ, ac Racocianorum peditum Ungarorum, ac equitum ſclopetariorum, qui Baſtæ juſſu adcurrerant, Moyſes & ſui loco pulſi, inordinati incompoſitique diffugiunt, victoriamque noſtris & tormenta relinquunt. Peczius & noſtri, admonente Baſta tormenta ab hoſte deſerta, partim in fugientes, partim adhuc in acie perſiſtentes obverterunt, magnamque in eis ſtragem ediderunt, in qua Stephanus Petquius, veteranus equitum ductor, qui olim juvenis Agriæ Cæſaris ſtipendiis cum laude militaverat, ac demum in Tranſſilvaniam patriam

Prælio acerrimo confligitur.

Quo Sigiſm. copiæ partim proſtrata, partim in fugã conjecta ſunt.

redierat, pila tormenti ferrea ictus periit, & Albertus Serdabelius, aliique multi periêre. Nec caruit magno diſcrimine Sigiſmundus, cùm in eo tumultu tormentorum pilis paſſim volitantibus multo ſuorum, qui diſcerpebantur, cruore, & membrorum particulis reſperſus, per invios montium & ſilvarum tramites, peritis viarum ducibus uſus, velocioris equi curſu ſalutem quæſiviſſet, ac ægrè in tutum evaſiſſet. Parte alia Tranſalpinus & Rottallius, quod erat reliquum Tranſſilvanici exercitus, jam ante in effuſam fugam conjectum, per multum terræ ſpatium tergis inſiſtendo occidione deleverant; adeo ut in univerſum ex hoſtibus amplius decem millibus interiiſſe relatum ſit: capti verò perpauci ſunt, inter quos Stephanus Thrax & Nicolaus cognomento Vaida, è Caranſebeſſo ambo ex famulitio Mariæ Chriſtiernæ, dum in conjugio Sigiſmundi fuerat, quos Baſta, incertum quibuſnam de cauſis ambos interfici juſſit. Ex Cæſareanis CLX. deſiderati ſunt, ac vulnerati pauciores; adeo noſtris minus cruentum fuit prælium. Signa ac vexilla majora minoraque hoſtes CXXX. amisêre. Quæ omnia duces invicem inter ſe gratantes ad Cæſarem perferenda Thomæ Capriolo, Vigilum præfecto, ac ipſius Baſtæ propinquo dedêre, cum mandatis, ut prælii totius ſucceſſum, cui interfuiſſet, Cæſari per occaſionem referret. Tormenta currulia hoſti adempta XLV. numero fuêre, quæ quod jumentis deficientibus avehi non poſſent, ad Somlionem pertracta, ac in arce relicta ſunt. Poſt hanc victoriam bidui quies militi reficiendo conceſſa eſt; ac deinde ad VIII. Idus Auguſti, ſuſceptum in Tranſſilvaniam iter, illudque lentis paſſibus ſatis proſperè confectum. 1600.

Decem millia hoſtium ibi cecidêre.

Et hactenus loquuti de Georgio Baſta ſumus, nondum rebus ſecundis luxuriante, nec avaritiæ, rapinis, & habendi libidini, ac cædibus immerſo, quibus paulò pòſt, ſupra quam dici crediique poſſit, à bono honeſtoque in pravum abſtractus, per omne fas, nefaſque vehementer laboravit. Ventum deinde eſt Claudiopolim, atque ibi veteres inter Baſtam & Tranſalpinum ſimultates & diſſenſiones, quas Gonzaga juſſu Cæſaris nuper reconciliatione concordiæ extinxiſſe videbatur, longè quàm antea acerbius recruduerunt: Nam quum Baſta ab illo ſuam auctoritatem lædi atque convelli, imperium minus obtemperando detrectari, nec duntaxat eum cum Tranſſilvanis proſcriptis factiones alere, ſed etiam ad Turcas ſuo injuſſu tam literas, quàm nuntios miſſitare conquereretur; contra ille ſe non empta aut per vim uſurpata, ſed à Cæſare data poteſtate fungi, æquatum cum illo imperium ſibi dicere; in ſumma, uterque ſe plus nimiò amare, & neuter alteri cedere, atque adeo æmulatione honorum abſque rivali velle potiri. In hunc modum gliſcentibus in occultum odiis, cùm Tordam eſſet perventum, ac Tranſalpinus equitum ſuorum Valachorum agmen, Thracibus & Bulgaris permixtum, ignaro Baſta præmiſiſſet, atque illi in Corniſium & Pancratium, qui à Chaquio & Tranſſilvanis ob fidem Cæſari ſervatam capti, ad famam victoriæ Doroſſonianæ dimiſſi erant, incidiſſent, ac Corniſium, quanquam ſeſe & nomen profitentem crudeliter interfeciſſent; Pancratius verò multis acceptis vulneribus ægrè eſſet ſervatus, iique per agros & oppida omni rapinarum genere graſſarentur; (quanquam

Simultates veteres inter Baſtam & Michaelem recrudeſcunt.

Corniſius à Valachis trucidatur, Sennuerus vulneribus affectus ægrè ſervatur.

1600. quam haud minus damni & dettimenti à Germanis & Italis, ac Vallonibus, qui in peculiares ipſius alas & cohortes erant deſcripti, inferti agricolis certum erat) Baſta angi & curis æſtuare, varia de eo capiendo aut tollendo pectore verſare conſilia: poſtremò remota dubitatione, vim illi & manus inferre conſtituit.

Itaque convocatis duobus Vallonum præfectis, quid fieri velit, ſecreto edocet, atque illi aſſumptis ſuorum promptiſſimis, VII. Idus Septembris, in ejus tabernaculum profecti, eum cum Ludovico Racocio, peditum Ungarorum tribuno colloquentem oſtendunt; ac eſſe, de quibus Baſtæ nomine eum compellent præfantur; ac dum ille alterius auſcultando ſermoni aures accomodat, ab altero ingentis alabardæ cuſpide, per ventrem & ilia, nec opinato transfoditur, & repentè concidit. Racocius quoque quamquam inſons, extremum vitæ diſcrimen adiit, quum ab efferatis Vallonibus, quatuor vulnera, inter quæ unum, in cervice juxta guttur, prægrande & periculoſum ſuſcepiſſet. Indigna jam exanimato addita ſunt ludibria; ut caput ejus detruncatum, ſupra equi albi cadaver, eo forrè die, ante prætorium tabernaculum mortui poneretur; quod tamen poſtea permiſſu Baſtæ ſimul cum corpore tumulatum eſt. Ex miniſtrorum præcipuis, Mihalæus Banus cognomine, ætate ſeptuagenario provectior captus, diuque tortus, tandem in cuſtodia mori eſt coactus. Cæteri formidine attoniti, pars nec animo, nec viribus, nec ratione competere, pauci arma capere, nec quicquam audere; poſtquam adveniente cum armatis Baſta, pavor omnes occupâſſet, quies & ſilentium fuit. Res ejus & equi, arma, pecuniæ, tabernacula, veſtes, militariſque & caſtrenſis ſupellex, diffugientibus Valachis, Baſtæ ceſſerunt: Ipſe perpetrata cæde, literas ad Cæſarem dedit, quibus factum ſuum excuſabat, compoſitis in odium demortui multis calumniis, quibus jure cæſus dici judicarique poſſet, quarum ea erat præcipua, quòd epiſtolam ejus manu literis ſemigræcis, quas Cyrillicas vocant, ad Sinanum Agriæ purpuratum Sophim cognomine ſcriptam intercepiſſet, qua illum petebat, ut ad XVII. menſis Auguſti diem Lippam aut aliquem circa locum venire, & ſecum de rebus graviſſimis, Byzantium perferendis, colloqui vellet; miſſurum ſe, eo uſque ei obviam Leccagam, fideliſſimum & fortiſſimum equitum ſuorum præfectum. Se veritum eſſe, niſi clancularius ac perfidioſis ejus conſiliis ac machinationibus quàm maturrimè occurrendum exiſtimaret, aut ſi prius rem ad Cæſaris notitiam deduceret, donec ejus mens & voluntas cognoſceretur, diuturniorem moram interventuram, quæ adeò damnoſa ac periculi plena eſſet: ut omnia poſthac remedia ſera & intempeſtiva redderet: atque ita præveniendum, & maturandam illius cædem conſtituiſſe. Verùm ad ea Cæſar, ſpe Baſtæ longiſſimè extracta, perplexè admodum reſpondit, ut neque laudare facinus, & quia jam infectũ reddi non poſſet, neq; improbare videretur; ſed ſummo in præſens ſilentio tranſmittendũ cenſeret.

Michael Varvoda Baſta juſſu è medio tollitur.

Litera Baſtæ excuſatoria ad Cæſarem

Sub id tempus quo hæc gerebantur, Ibraimus purpuratorum princeps, magno cum exercitu Belgradum pervenerat, cum prioribus mandatis, ut prius pacem cum Cæſare faceret, cujus commodo utrinque res pacarentur; ſin minus, ut Strigonium omnibus, quibus poſſet artibus & viribus expugnaret. Ex eo ſiquidem loco Budenſes & Peſtanos Turcas quotidianis excurſionibus uſque adeo infeſtari ex eorum aſſiduis querelis intelligebat, ut neque lignatum in proximas ſilvas exire auderent, & nuper pedites magno collecto numero urbem Peſtum improviſo impetu, cæſis defenſoribus interceperant, biduumque, donec prædam & ſpolia colligerent, navibuſque impoſitam Vaciam perferrent, in ea manſerant; tantamque jam ſibi arrogantiam ſumpſiſſe videbantur, ut circumſcribere Budenſes, eaſque quas vellent leges eis imponere non dubitarent, quibus ſi lignationem & pabulationem, ac falcationis liberam facultatem habere vellent, haud obſcurè ſubjicerentur. Jam æſtas ferè in exitu erat, quum in æſtivis Belgradi agitando nequicquam adhuc operæ feceras, quod ſcriptitando & nuntios miſſitando pax & quies coaleſcere non potuiſſent. Itaque ne amplius ejus expectatione fruſtraretur, caſtra promovere, & Strigonium verſus ducere conſtituit. Sed quum tormenta adverſo provehenda Danubio navibus imponit, ac milites paratos ad iter eſſe jubet, tali occaſione propoſitum mutare coactus, ad aliam belli gerendi rationem omnes cogitationes convertit. 1600.

Liberi pedites, quos Haidones & Haramias vocare ſolemus, juſſu Herberſtanii, qui Illyrico ptæerat, ducibus Nicolao Nigro & Prodano Thracibus, ad Harſanum oppidum infra Sigethum & Quinqueecclesias poſitum nocturnâ & clancularia irruptione excurrebant, ibique haud contemnendum numerum boum, quibus agreſtis plebs colere agros atque arare ſolebat, de nocte furtim abreptum, aviis itineribus Baboeiam atque inde Caniſam & Caproncianı abegerant. Pro quibus reddendis Naſuffus Sigheti præfectus, ac ejus legatus Juſuffus cognomento Janicerus, literas ad illum dederant, & miſeri agricolæ ad genua ejus provoluti, cum lachrymis & lamentis eos repetebant. Sed ille impiis magis Haidonibus, qui boves Turcicos eſſe falſo aſſeverabant, quam detrimentum & damnum paſſis, vera & indubitata adferentibus, plus fidei tribuens, eos reſtituere nequaquam voluit; ſed partim nonnullos ex proceribus & pinguioribus ſibi retinuit, partim per auctionem dividendos curavit. Cùm agricolæ re infectâ rediiſſent. Naſuffus irâ atque indignatione percitus, adductis ſecum agricolis, & eorum dominis Turcis, quos Spahias vocant, ad Ibraimum Nandoralbæ in æſtivis morantem, jamque brevi copias Strigonio admovere conantem extemplò perrexit: ac tali apud eum ſermone uſus eſt: Niſi me inſignes injuriæ & contumeliæ, “
quas ab execrabili & inquieta Haidonum col- “
luvie non ego dun taxat, ſed omnes qui circa “
Sighetum loca inter Dravum & Danubium “
jacentia incolimus, aſſiduè & ſine ceſſatione “
parimur, adegiſſent; non fuiſſem auſus com- “
mittere, ut te aliis rebus intentum, & juſſu po- “
tentiſſimi Imperatoris noſtri Strigonio expug- “
nando copias vireſque accingentem, querelis “
meis, quæ fortaſſis importunæ, niſi ærumnæ “
cogerent, videri poſſent, interpellarem. Nunc “
miſeriis communibus actus, cum his commi- “
litonibus meis ad te venio, opem contra per- “
ditiſſimum genus hominum, & auxilium im- “
plorans, quos niſi tu armis & virtute compe- “
ſcueris, actum de nobis erit, breviqne ea re- “
gio pulcherrima, atque rerum omnium fera- “
ciſſima, quam Solymanus invictæ virtutis “
prin- “

Haidones juſſu Herberſtanii magnam pecorum vim miſeris agricolis eripiunt.

Naſuffi Sighetani ea de injuria apud Ibrahimū querela.

1600. ,, princeps regnis ſuis adjecerat, diffugientibus
,, populis, quorum operâ & labore hactenus &
,, publica & privata res ſterit, in extremam ſoli-
,, tudinem & vaſtitatem redigetur. Illi enim non
,, ſolùm Turcas rerum neceſſariarum cauſa hinc
,, inde commeantes, ſilvis, montibus, vallis, viiſ-
,, que omnibus obſeſſis, per inſidias intercipere,
,, ſpoliare, ac trucidare ſolent; ſed quod crude-
,, lius eſt & intolerabilius, miſeros terræ colo-
,, nos, nobis æquè ac ipſis tributarios, ſuæ reli-
,, gionis ac mutui ſanguinis homines, nulla juſti
,, honeſtique ratione ducti, indignis modis ex-
,, cruciare, torquere, necare, & rebus fortuniſ-
,, que omnibus exuere ſolent; uſque adeo, ut ni-
,, hil jam illis egentius, nihil ſpoliatius ſit, qui
,, paulò antè & ſeipſos cum uxoribus & liberis,
,, & nos, quibus ſubjecti erant, æquabili ratione
,, ſuſtentabant. Qui verò talia & alia ſimilia ma-
,, la feri & inhumani homines inferunt, Caniſæ
,, ut plurimum ſua domicilia aut latibula ha-
,, bent, illioc adverſus nos excurrunt, eo abacta
,, impia & ſcelerata præda ad ſuos recurrunt,
,, nec dies eſt, nec nox, nec annus, nec menſis
,, quieſcendi, nec ulla inſidiarum interpolatio.
,, Hi non ſuis tantùm rapinis infeſtas reddunt
,, noſtras regiones; ſed alios nequitiæ & ſceleris
,, ſocios ex Illyrici confinio, ac Thracibus &
,, barbaris rapto, furtoque vivere aſſuetis ad-
,, ſciſcunt; ac per villas, compita, pagos, colles,
,, montes, ſaltus, invia ac pervia, cædibus, fur-
,, tis, rapinis, incendiis, & aliis malorum gene-
,, ribus, quæ dici aut excogitari poſſunt, incredi-
,, bili impietate graſſantur.

,, Equidem omnem adhibui operam, ut aſſi-
,, duis meis curis & vigiliis peſſimos & flagitio-
,, ſiſſimos homines ſi exſcindere ſtirpitus non
,, poſſem, averterem tamen, & deprehenſos
,, meritis pœnis ac ſuppliciis afficerem: ſæpe cum
,, eis congreſſus vario marte pugnavi, nuperri-
,, mèque cùm iis, qui Legradi ad Muræ & Dra-
,, vi confluentem latebras ſuas habent, acriter
,, dimicando vulnera intuli, accepique; ſed
,, adeo eſt inquietum redivivumque latronum
,, genus, ut uno aut altero manipulo, cohorte,
,, aut centuriâ repreſſâ aut deletâ, mox alio loco,
,, alia regionis parte, alii æquè impii & malefici
,, emergant, & haud diſſimilia latrocinia in ob-
,, vios quoſvis exerceant. Decimus eſt dies ho-
,, die, ex quo Harſanianis armenta boum, per-
,, ditiſſimi graſſatores furto abſtulêre, quos cùm
,, miſeri agricolæ veſtigiis inſiſtentes perſequi
,, non intermiſiſſent, Caniſam eos pulſos repe-
,, rerunt, nec cum magno fletu & lachrymis re-
,, perendo quicquam obtinuerunt: Sed neque
,, ego ſcribendo ad præfectos, ac res repetendo
,, quicquam profeci. Itaque ad te magnanime
,, Ibraime confugiendum, tuamque opem im-
,, plorandam duximus; tu qui exercitū in prom-
,, ptu habes, nos ab hoc maleficentiſſimo, & fa-
,, cinoroſiſſimo latronum genere, liberos red-

Ut Caniſam oppugnandum ſuſcipiat, exhortatur.

,, dere potes: ſi Caniſam eorum receptaculum
,, Diis & hominibus inviſum in poteſtatem rede-
,, geris. Quod ut facias te per omne fas, pium-
,, que, per caput & fortunam invicti Imperato-
,, ris noſtri, per omnia religionis noſtræ ſacra,
,, ſupplices obteſtamur. Tui erit ante omnia mu-
,, neris & officii, noſtris juſtiſſimis precibus fle-
,, cti, & ſic permoveri, ut has vires quibus Stri-
,, gonium recuperare conſtituiſti, ad Caniſam
,, occupandam convertendas exiſtimes. Non
,, deerit tibi juſtam cauſam foventi arridens &
,, propitia fortuna, ut faciliùs hoc loco quàm
Strigonio potiare: utpote cui degenerem & " 1600.
ignavum è Carnis hominem præeſſe intelligi- "
mus. Quod ſi res pro voto & deſiderio ſucce- "
dat (quod Diis bene juvantibus futurum non "
ambigimus) opportuno maximè loco fines & "
terminos invicti Imperatoris noſtri augebis & "
amplificabis, ex quo brevi poſt tempore Stririā "
& Illyricum ac Auſtriæ fines non procul diſſi- "
tos armis & excurſionibus infeſtare, & in po- "
teſtatem redigi poſſe ſperandum eſt. Nos verò "
qui in proximo habitamus, non ſanguini, non "
vitæ parſuri ſumus, quin tibi inſignem operam "
præſtemus, idoneos commeatus ad bellum ex- "
pediamus, hoſtium conſilia, vias & compendia "
exploremus, ac ad ea quæ victoriæ parandæ o- "
portuna erunt omnia, quam diligentiſſimè cō- "
paranda, opes vireſque noſtras adjungamus. "

Hæc dicentem Spahiarum equitum fremi-
tus, ac multitudinis agricolarum, idem poſtulan-
tium fletus & lachrymæ exceperunt, adeo, ut I-
braimus eos graviſſimis ærumnis coactos, ad ta-
les tantaſque querelas ad ſe deferendas veniſſe
haud dubitaret: eaſque audiendo & commiſe-
rando ad vindictæ cupidinem quàm maximè
excitaretur. Naſuffo autem & Spahiis reſpondit,
ſibi moleſtiſſima ea quæ referrent accidere: Ve-
tùm quin puniendis & tollendis hoc tempore
Haidonum latrociniis incumbat, ſe mandatis
imperatoriis maximè prohiberi; à quo ante om-
nia alia Strigonio expugnando operam dare juſ-
ſus eſſet; ipſorum tamen precibus, quas non ju-
ſtas ſolùm & honeſtas, ſed propemodum neceſ-
ſarias eſſe cenſeret, adductum, Chauſios, Byzan-
tium ſummâ adhibitâ celeritate miſſurum, qui
Imperatorem conſulant, an invadendæ Caniſæ
rationes ei minimè diſpliceant: ejuſque mente
cognitâ facturum, quæ imperata fuerint; ipſos
rectè facturos, ſi quempiam ex ſe ipſis adjun-
gant. Nec mora, tanta celeritate iter eſt ab illis
confectum, ut vix credibile videatur; intra de-
cimum ſiquidem diem itum Byzantium, ac redi-
tum eſt, conceſſumque, ut niſi quid emergat ob-
ſtaculi, Caniſæ oppugnandæ rationes ineantur.

Itaque Ibraimus omiſſis Strigonii oppugnan-
di conſiliis Belgrado copias promovit, trajecto-

Mehemet Kihaia Bâbociam noſtrorū ignavia deditam occupat.

que ad Eſecum Davo Sighetum venit, & illinc
Mehemetem Quhaiam, legatum ſuum cum
parte copiarum ad oppugnandam Babociam,
quæ erat in itinere, præmiſit. Præerat ei Grego-
rius Peteo cum ducentis Ungaris militibus, ac
centuria Germanorum, duce Urmillerio, quem
poſt captam à noſtris arcem, ante quinquenniū
ſorte ducta ibi relictum fuiſſe memoravimus.
Cùm Peteo Turcas appropinquare, aggeres ſta-
tuere, inque iis collocare tormenta vidiſſet, &
ipſe ſe ad defenſionem inſtruxit; diſpoſitiſque
ſupra mœnia & propugnacula tormentis, hoſtes
eminus petere cepit; ſed adeò lentè timidèque,
ut jam inde primum haud inania concepti timo-
ris ſigna in ejus ore vultuque apparerent. Erat
quidem arx ſatis infirma, & quæ ſuperiorum bel-
lorum tempeſtatibus ſemel atque iterum diruta,
moxque tumultuario opere reſtaurata, magnam
oppugnantium hoſtium vim ſuſtinere nequaquā
poſſe videretur. Poſtquam ea triduum tormen-
tis quaſſata eſſet, ii, qui intus erant, intempeſti-
vo metu perculſi, quarto die obſidionis de con-
ditionibus deditionis cum hoſte paciſci decre-
verunt: quæ dum tranſiguntur, Ibraimus cum
tota mole exercitus ſupervenit, egreſſuriſque ar-
ce noſtris publica fide de ſecuritate itineris cavit:
ductoque ſecum Peteone, quartis caſtris Ca-

1600. niſiam pervenit, cumque illinc in tutum abire permiſit. Non defuêre, qui Peteonem nimis præproperæ deditionis reum agerent, qui ſi eam aliquot porro diebus longiùs extraxiſſet, futurum fuiſſe putabant, Paradiſio pecuniam in ſtipendium militum, & quingentos cados ſulphurei pulveris, ac alias res neceſſarias importari potuiſſe, quæ jam perferente Jacobo Pilletio Linduam perveniſſe dicebantur.

Tanta autem impendentis belli ſecuritate Paradiſius agitari videbatur, ut hoſtes captâ Baborciâ minimè ulteriùs progreſſuros crederet, quod id in caſtris hoſtium cautè ab Ibraimo & callidè ſparſum eſſe audiviſſet: & tunc demum cùm antecurſores eorum propiùs arcem obequitare conſpexiſſet, complures frugum & fœni acervos in uſum militum congeſtos, ne iis hoſtis potiretur, injectis facibus concremandos juberet: & Joannem Balogum ex Volvardo, ac cæteros ex caſtellis milites ad defendendam arcem accerſeret; quorum etiam nonnulli metu ſimul & perfidia agitati venire neglexerunt. Eodem etiam impetu oppidum, quod in colle eminentiore ſitum, arcem reſpiciebat, ſimplici vallo circumdatum, ſuccendi juſſit, quod à paucis cuſtodiri, aut defendi non poſſet. Erant in univerſum cum eo milites Germani DCCC. ac totidem Ungari; equites verò CCCC. & Germanorum equitum ſclopetariorum centuria una; quorum tamen in numero ob raram ſtipendiorum ſolutionem magni eſſent defectus: nec milites ad eum, uti ſupra modum parcum, & in convictu minus familiarem nequaquam facilè confluere vellent, ejuſque nomen, ut qui Cliſſiæ Turcis reddendæ auctor fuiſſet, & tanto detrimento rempub. afflixiſſet, apud eos ubique odioſum eſſet.

Cauſa ab Ibraimo obſidetur.

Primo die, qui fuit ſexto Idus Septembris, Mehemetes Quihaia ad Pamleonum prædium idoneo in loco conſedit, ac ſine mora iter cœno & ſtagnantibus aquis impeditum, frondibus proximarum arborum ac materiâ, multo agreſtium hominum labore conſterni juſſit, quo commodius ad citeriorem Caniſæ fluvii latè ſeſe diffundentis ripam trajicere exercitum poſſet. Quo opere perfectu, ac rivo cum XX. circiter millibus militum trajecto, caſtra ad meridiem ex oppoſito Baiciæ caſtelli, quod à noſtris educto præſidio & tormentis deſertum erat, metatus eſt; ita ut Ibraimus poſtero die adveniens in metandis circa Pamlenum caſtris ei ſuccederet, atque adeo Caniſiani utraque ex parte fluminis arctè clauſi circumvallarentur. Mehemetes ex citeriore meridionali parte duobus in locis aggeres ſtatuit, ac tormentis in iis collocatis arcem verberandam ſuſcepit, quorum unum in loco horrei frumentarii, alterum ad pontis ſublicii majoris finem conſtituit: Ibraimus verò ab Aquilone, ad concremati oppidi collem tormenta attraxit, & arcis vallum crebris pilarum ictibus diruere cepit. Sed quia arx craſſiori triplicis valli munimento, ac latiore profundâque foſsâ undique munita erat, exiguum detrimentũ aut ferè nullum inferebatur. Deinde Ibraimus, habitis cum Naſuffo Sighetano, & Haſane parvo conſiliis, ac aliis, qui locorum peritiores erant, ſuas & ipſe copias ad citeriorem ripam tranſtulit, ac ſua caſtra Mehemetis caſtris conjunxit, relictis ad ulteriorem ripam tribus aut quatuor millibus ſuorum, qui majoribus caſtris tuendis invigilarent, ac hoſtium itinera ſpecularentur, incluſiſque & obſeſſis exitum, ingreſſuriſque aditum præcluderent. Interea verò Tartarorum copias ad excurrendum quaquaverſum & populandum circumjacentem regionem emiſit, qui uſque ad Linduam inferiorem, & Nemptim igne & ferro in obvia quæque hoſtilẽ in modum, ut ipſis mos eſt, ſævierunt. Verùm à militibus Zriniani comitis ſemel ad Nemptim profligati, & ab Illyrici nominis militibus Herberſtainio ſubjectis iterũ ſingulari affecti detrimento, cæſis aut captis quàmplurimis, ac equorum ingenti numero eis ablato, pedem in caſtra retulerunt. Nec interea Paradiſius ſuo muneri deeſſe videbatur, & quum aliâ viâ non poſſet, crebrioribus tormentorum ictibus hoſtium aggeres & caſtra, quantum poterat, non ſine detrimento infeſtabat, ſuoſque ad navandam operam, & arcem egregiè fortiterq; defendendam voce exemploque accendebat.

1600. *Tartari vicina loca excurſionibus depopulantur*

Jam hoſtes X. diem oppugnando ac quatiendo mœnia conſumpſerant, quum ſe tormentis nihil proficere conſpican, ad lentam obſidionẽ ac foſſas faſcibus & materiâ, quas proximæ ſilvæ affatim præbebant, implendas, animum viresque adjecerunt; moxque agreſtium labore, quorum ingentem numerum in caſtra adduxerant, robora ſenum pedum longa ſuccidenda curaverunt, ac camelis & jumentis clitellariis comportata in margine foſſæ collocârunt, ut illis pedetentim promotis, doneà ad proximiorẽ vallo foſſam pervenirent, iter ad arcem pararetur. Conſultatum à Paradiſio cum ſuis eſt diligenter, utrum ea lignorum congeries vi pulveris ſuccendi aut diſſipari poſſet, & Andreas cognomento Turcus, qui tormentario negotio præerat, vir induſtrius ſe quibuſdam ſacculis pulvere repletis, ac ad certum temporis intervallum ſuccenſis occurrere poſſe retulit, operamque in eo ſuam obtulit. Verùm quum operi incautiùs incumberet, intereaque complures militum, quorum lagenulæ ob glandes crebriùs exploſas, exhauſtæ & inanes erant, ad accipiendum pulverem confluxiſſent, fortè fortunâ excuſsâ è funiculo ſcintilla pulvis ignem concepit, punctoque temporis non ſolùm ædificium omne immani fragore & violentia obruit, ſed etiam plurimos circumſtantium militum miſerabilem in modum diſcerpſit, & fruſtulatim dilaceravit. Inter quos ipſe Turcus, ac Sigiſmundus Lippartus, Germanorum militum, qui in oppido habitabant, tribunus, cum ſignifero, ac XX. commilitonibus, repentino caſu laniati atque exanimati interiêre. Paradiſius ſupra nec opinatum militum interitum, jacturâ etiam tantæ pulveris copiæ imprimis angebatur, quum reliquum quod reſtaret ad varios obſidionis uſus & neceſſitates, incertumque ejus finem vix ſuffecturum arbitraretur; augebatque angorem, quod ſupra hos alii quoque plures quotidie ab hoſtibus & Janiceris potiſſimum, qui in cœno ac internatis paludi arbuſculis & carectis cingulo tenus ad uſque muros clam irrepere ſolebant, ſternebantur: ſicuti Ladiſlao Petneſio turmæ equeſtris præfecto tum fortè acciderat, qui dum incautius in mœnibus verſaretur, hoſtili pilâ per oculos & frontem trajectus ſubitò occubuerat.

Foſſa faſcibus & materia complentur.

Pulvis ſulphureus incenſus magnum noſtris damnũ infert.

Interea Joannem Covacium, quo interprete utebatur, cum ſocio intempeſtâ nocte ad Georgium Zrinium emittit cum literis, quibus eum de periculoſa arcis conditione certiorem reddebat, ac auxilia & pulverem ſulphureum poſtulabat, ſeque arcem, donec eſſet in vivis, fortiter ſervaturum pollicebatur; ſed veteri tamẽ nuntiabat, ne ſi ſuppetiæ ſeriùs adveniant, milites rebus deſperatis aliter ſibi conſulturi ſint. Zrinius eum

Paradiſius à Serinio auxilia ſibi ſubmitti rogat.

1600. bono animo eſſe jubere, ipſum & milites bonæ ſpei implere, Mercurianum ducem cum exercitu eſſe in itinere, ſe & Illyrici exercitûs duces cum copiis jam in caſtra conveniſſe, nec commiſſuros, quin ipſis maturam opem ferant. Covacius hoc reſponſo partim vitatis hoſtium inſidiis, partim feliciter eluſis in arcem reverſus, incluſos ſpe auxiliorum non mediocriter recreavit. Interea Mercurianus ad Matthiam principem Viennam venit, cum duabus equitum alis, quas in Lotharingia, ac Ubiis, & Eboronibus mercede

Dux Mercurianus cum principe Matthia in castra venit.

conduxerat, ac legione una Vallonum, quæ ob celeritatem, qua erat uſus, ſemiplena erat, cui Henricus Sallignius comes, ejus frater Germanus præerat, ac CCC. cataphractis, duce Joanne Tillio, viro forti, quorum alia tricenaria pars erat in itinere: quos omnes terreſtri itinere Jaurinum præmiſit, ubi exercitus erat in caſtris; ipſe verò ſecundo Danubio deſcendere conſtituit, ſed adverſis tempeſtatibus, ac ventis ab oriente vehementius flantibus, qui per Danubium naviganttibus contrarii eſſe ſolent, retardatus, non niſi triduo, poſtquam naves conſcenderat, eos ſequi potuit. Eodem Matthias quoque levioribus curribus alio itinere vectus advenit, ac communicatis conſiliis, quod res omnis in celeritate poſita eſſet, miſſo ad caſtra Leone Gallo tribuno, eum legatum eſſe publicavit, utque omnes ei haud minus quam aut Cæſari aut ſibi obſequii præſtatent, juſſit; ac XVII. Septembris die, exercitu promoto, iter Caniſam verſus inſtituit; admonito priùs & petito Matthia principe, ut curando commeatui ante omnia proviſum vellet, poſtquam nihil magis labeſactando exercitui, rebuſque minùs proſperè gerendis, quam rerum ad victum neceſſariarum inopia & fames extimeſcenda eſſe cenſeretur.

Cum copiis Caniſam verſus movet.

Erant in caſtris circiter decem millia equitum tam Germanici quàm Ungarici nominis, quos varii præfecti Fridericus Comes Hollachius, Colnicius, Bernardus Turtianus omes, ac Dux è Sileſia Teſſinienſis, ac Hodiccius Moravus ducebant: Peditum quinque legiones, quarum unam Carolus Comes Sulcius regebat, cui etiam tormentorum præfectura erat demandata, cæteras Andreas Hoffquirhius, Schombergus, & Merisburgus, ac Joannes Prainerius ductabant; ſed quæ integrum numerum non habebant, quod ferè ex ſingulis certæ partes militum in finibus Jaurino proximis præſidii cauſa relictæ erant, ac Merisburgus & Prainerius privarū rerum cauſa abſentes per legatos curabant. Annonæ & commeatui curando Zacharias Gaiſcolerus Suevus præerat, qui non niſi quinque dierum cibaria exercitui ſupereſſe ſolicitè referebat; ſed à nobilitate earum regionum ſpe non defuturi caſtris commeatûs ſuſtentabatur. Ad ſextum Idus Octobris, Mercurianus ad Muræ fluminis ripam prope Dobrim pagum cum exercitu venit, ac Zriniano Comiti, & Joanni Draſcovicio Illyrici bano (ſic veteri nomine præfectus regioni cum ſumma poteſtate vocatur) ac Battianio, nec non Herberſtainio & Caroloſtadianis, qui ex finibus Illyricis venerant, ac caſtra ad Torniſtiam Muræ flumini proximam habebant, dedit in mandatis, ut ad oppidum Semetium proficiſci, & caſtra ſecum conjungere maturarent. Nam Nadaſdius cum ſuis copiis, quæ M. equites ſimul cum nobilitaris milite conſtituebāt, ac alæ equeſtres è Jaurino & Nova arce totidem ac Stanislaus Turzo cum ſuis equitibus CC. uno cum eo agmine ſimul incedebant; & univerſa omnium ſumma, ad XXV. millium armatorum numerum, & amplius cenſeri poſſe videbatur. 1600.

XXV. millia armatorum in noſtris caſtris.

Sunt qui longè minorem copiarum ſummam fuiſſe tradant; ſed ego qui comes & ſocius expeditionis laborumque fui, quantum potui, auſim id etiamnum pro vero aſſirmare. Cæterùm caſtris ad Semetium conjunctis, duces in concilium vocari, & utrum univerſis copiis adverſus hoſtes ire, vel expeditiſſimos milites ſub alicujus pugnæ cum hoſte conſerendæ occaſionem, in arcem immittere conſultius putarent, diſceptari placuit. Id unum omnibus viſum eſt, univerſo cum exercitu progrediendum, & de ſumma rerum ferro decernendum; quòd ob itineris ac tranſitûs difficultates, profundiſſimis ubique cæni voraginibus impeditas, nulla vel auxiliorum vel commeatus importandi facultas eſſet.

Ibraimi literæ de pace cōponenda

Eo in loco literæ ab Ibraimo allatæ ſunt, quibus Mercuriano ac Comiti Zrinio & Nadaſdio ſcribebat, ſe necdum alieno à pace animo eſſe; & ſi ipſi velint, poſſe eam æquis conditionibus tranſigi: ſatius longè & conſultius eſſe quietem & tranquillitatem publicam in eum modū procurare, quam rebus omnibus in extremum diſcrimen deductis bella ex bellis ſerere, quorum ut exitus incerti ſint, ita non niſi Diis immortalibus cognitum eſſe, in quam partem victoria ſit inclinatura; petere igitur, ut per illum eundem hominem, quem vice tabellarii fungi juſſerat (is ſenex ruſticus erat, proximæ caſtris villæ incola) pro æquitate reſponderetur. Noſtri re in conſilium perductâ reſcripſerunt, ſi relicta Caniſæ obſidione, & tormentis retractis locum, tempuſque induciis tranſigendis quæreret, ſe quoque ut publicæ quieti conſultum ſit, haud gravatis animis acceſſuros. Sed quum ille ſummo ſilentio uſus, nihil poſtea amplius reſpondiſſet, omnis ea res in medio relicta fuit. Igitur ſequenti die ante Solis occaſum exercitus progreſſus ad Lerenium pagum, tranſcenſo monte ſaltuoſo & arboribus impedito, quem Diaboli lucum à ſingulari aſcendendi difficultate appellant, caſtra poſuit, eamque noctem ibi tranſegit, factoque poſterioris diei diluculo, ad cænoſum paluſtreque iter ſatis latum, quod Cixatum vocant, perventum eſt; ibique omnium ferè opinio erat, hoſtes occurſuros, ac exercitum tranſitu prohibituros eſſe: Verùm nemine qui reſiſteret viſo, ægrè admodum ſuperatâ loci difficultate ibidem caſtra locata ſunt, quod jam & ſerum diei eſſet, & milites feſſi quiete indigerent.

Hoſtium equitatus in noſtros irruens pellitur.

Die quæ ſequuta eſt, exercitu in valle ad Sarmaſſum pagum progrediente, qui quarta milliarii parte à Caniſa diſtat; hoſtium equitatus magno numero ſupra collem in conſpectum ſe dedit, apparatus ſplendore ac denſa haſtarum & ſignorum ſerie ſpectabilis, à quarum colore rubeo & aureo prætorianos equites, ac limitaneos fuiſſe cognitum eſt. Ibi Mercurianus, qui inſtructâ ac ordinatâ ſemper acie procedebat, hoſtes pugnæ poteſtatem facturos ratus, eam neque ipſe detrectare oſtendit, primumque agmen, quod ex equitibus Tillianis, pedite ſclopetario intermiſtis conſtabat, irruere in hoſtem juſſit, qui duobus campeſtribus tormentis inſtructus, ſupra collem in acie ſtabat. Sed quum noſtri acri in eos impetu irrupiſſent, ac nonnullos, qui præcurrendo ac obequitando agmen præcedebant, trucidâſſent, relictus poteſtati noſtrorum tormentis, ſeſe recipere cepit, & mox quum noſtri acriùs inſequerentur de uno colle in alterum pedetentim retrocedendo tandem in ſua caſtra

pro-

profugit. Eorum veſtigiis, qui haud dubii timoris ſigna dederant, inſiſtendum complures dicebant, ipſeque dux Mercurianus ejus erat ſententiæ; ſed quum profundas paludes tranſituque difficiles adhuc ſupereſſe ab Ungaris didiciſſet, & nox quoque ingrueret, a perſequendo ceſſatum eſt, ſic ut caſtra eodem in loco proximè hoſtium caſtris collocarentur, & inter duo caſtra modica ſilva & paluſtris quædam via intereſſet, & ſclopetorum fragor ac fremitus caſtrorum clamorque mutuo exaudiri poſſent. Ibi hoſtes tranſitum noſtrorum à ſiniſtra parte caſtrorum prohibere omni ope conati ſunt, ne aquandi noſtris facultas eſſet; Verùm ab peditibus Ungaris, amplius duabus horis variè ac fortiter dimicantibus, ſub noctem repulſi, loco noſtris conceſſo, & multis ſuorum amiſſis, in caſtra redierunt; qui militibus ſclopetariis ibidem relictis locum muniverunt. Sub hujus prælii occaſione Mercurianus à dextra parte caſtrorum, ubi Banus cum Illyricis conſederat, locum contemplatus, hoſtibus, ſi fortè irruerent, nimis obvium, noſtris verò admodum periculoſum animadvertit; itaque eadem adhuc nocte aggere & foſſa eam caſtrorum partem ad magnum ſpatium circumvallandum curavit; Hoſtis tamen ea nocte uſque ad meridiem ſequentis diei caſtris ſe continuit. Verùm hora pomeridiana circiter ſecundâ, magna equitum ac peditum manu, & ſummo impetu in noſtros, dextramque caſtrorum partem irruit; ſed quum foſſam tumultuariam repentinamque ſibi objectam animadvertiſſet, falconum etiam ictibus procul ſubmoveretur, retroceſſit.

Hoſtium caſtra noſtra aggreſſorum impetus coercetur.

Interea recipientibus ſeſe hoſtibus, Mercurianus Colonicio & Herberſtainio, ut Janiceros, qui extructo aggere, ac impoſitis XIIII. falconibus, tranſitum quendam in propinquo caſtrorum occupatum cuſtodiebant, noſtroſque ex eo aſſiduè infeſtabant, ſuis cum copiis aggrederentur, juſſit; qui navandæ operæ cupidi, provinciâ impigrè ſuſceptâ cum tribus millibus armatorum in hoſtes rectà perrexerunt: Quorum tanta ad primum conſpectum fuit trepidatio ac conſternatio, ut Janiceri abjectis ſclopetis & bubalis, qui tormenta attraxerant, relictis, in fœdã fugam conjicerentur, ac verſus caſtra fugientes à noſtris ad unum cæderentur: qui eos inſequuti uſque ad hoſtium caſtra ſummo ardore atrox, ſi unquam alias certamen cum eis contraxerunt. Dimicatum eſt uſque adeo infeſtis animis & viribus, ut tria circiter millia hoſtium deſiderarentur, & pedites Praineriani in ipſos hoſtilium caſtrorum margines irrumpentes, inter ipſa tabernacula manum cum hoſte confererent, tanto illorum metu, ut complures ſolutis tentoriorum funibus, de diſceſſu & fuga cogitarent, quorum ingens clamor & fremitus, ac inconditæ cohortantium inter ſe voces in noſtrorum caſtris facilè exaudirentur. Conſtat ſub eo prælii tempore Colonicium & Herberſtainium miſſis nuntiis, majora militum ſubſidia poſtulaſſe, ſpe pellendi ultra flumen hoſtis; ſed quum Tartari eodem tempore duobus in locis, uno ubi comes Hollachus cum Germanicis equitibus, altero verò ubi Banus cum Illyricis militibus curabant, caſtra infeſtarent, ut in tanta rerum confuſione noſtros perturbatos circumvenirent; Mercurianus caſtra milite nudanda nequaquam ex uſu & commodo fore exiſtimavit, ne univerſum exercitum in extremum periculum adduceret; nihilo tamen minus Hodiccium cum turma equitum Vallonum, ac duas partes legionum Hoffquirchianæ & Sembergianæ extemplò miſit; quorum adventu redintegrata pugna noſtri in multam noctem acerrimè & fortiſſimè dimicârunt, cæſis iterum ex numero hoſtium quamplurimis, ac deinde obſcurâ nocte prælium dirimente, unà cum 14. tormentis hoſtilibus in caſtra redierunt. In ea pugna poſteriore, quæ amplius tribus horis in ipſis propemodum hoſtium caſtris pugnata eſt, cecidêre, ut poſtea cognitum eſt, ex hoſtibus duo circiter millia equitum, ac mille Janiceri ex prætorianis, quum nemo ex noſtrorum numero, præter paucos aliquot gregarios cecidiſſet. Uni Petro Caſtellanſſio, nobili fortique viro, occiput ictu colubrinæ majoris abreptum eſt, vultu & facie integra, iſque effuſo cerebro in veſtigio occubuit: Colonicio equus vulneratus fuit, cæteri incolumes in caſtra redierunt.

Colonicianus & Herberſtainius Janiceros magna edita cæde profligant.

Tartarorum cum noſtris pugna.

Antequam illi reverterentur, anxio erat animo Mercurianus, ne pugnantes dulcedine prædæ illecti, ut in prælio Creſteſienſi acciderat, relicto hoſte, ad tentoria diripienda verterentur, ſicque victoria interpellata corruptaque incommodum aliquod inſigne ſequeretur, eamque ob cauſam ipſe cum toto exercitu in auxilium ire conſtitueret, nec deerant, qui id faciendum ſuaderent; ſed ipſe in regione ſibi incognita, locorum ignarus non priùs egredi caſtris voluit, quam miſſo Gothardo Starembergo, loca ea omnia perluſtrare ac explorare juberet, utrum ipſe cum toto exercitu & tormentis eo penetrare, ac pugnantibus opem ferre poſſet. Ab eo verò non multò pòſt revertente cognitum eſt, vias omnes ibi anguſtiſſimas eſſe, paludibus invius & profundis, ac ſilvis ubique impeditas & difficiles, ut tutum exercitui iter nequaquam pateret; ſicque à propoſito diſceſſum eſt. Quinto deinde & quarto Idus Octobris hoſtes ex ſilva, quæ erat caſtris à meridie attigua, magno numero erumpentes, leve primo certamen cum noſtris contraxerunt; deinde creſcente pugnâ non pauci eorum cecidêre, inter quos quidam, ut ex veſtium ac armorum, & equi apparatu aureo atque argenteo conjici poterat, præcipuus prætorianorum militum præfectus occubuit, cui ſclopeto in terram dejecto, Ungarus caput præcidit ac ſpoliavit, equum Vallones rapuêre; & rotundam elegantis artificii parmam Georgius Rabus, qui erat conſilio bellico à ſecretis celeriter aſportavit. Altero poſt hoc prælium die, Ibrahimus univerſum exercitum, duce Mehemete ſuo legato tres maximè validas acies inſtructum emiſit; ipſe cum Janiceris, quorum non plures quatuor millibus habebat, in caſtris remanſit. Dedêre hoſtes operam, ſi quo modo circumcurſando caſtra & obequiſando, ac ſæpè ad foſſam uſque & vallum cum ingenti clamore provolando, noſtros ad pugnam provocarent; cùm tamen nec quicquam proficerent, multoſque potiùs tormentis & ſclopetis ictos amitterent, ſeſe ante veſperum in caſtra receperunt.

Eodem die Joannes Tillius, Mercuriani legatus, cum trecentis cataphractis in Belgio & Lotharingia mercede conductis, quos in itinere reliquerat, in caſtra veniebat, jamque haud procul erat, quum tria circiter millia Tartarorum & Turcarum equitum, ſublato ingenti clamore ex ſilvis in eum irruperunt, pugnatumque eſt pro Gallorum numero, ſupra quam credi queat, fortiſſimè & diutiſſimè, Tartaris magnam vim ſagittarum in eos aſſiduè jacientibus; ſed quod thoracibus & galeis armatos ſagittæ haud facilè per-

Tillii cum Turcis inſigne certamen.

permeabant, ipſi verò longioribus ſclopetis peritiſſimè rem gererent, ac Mercurianus, qui io fronte exercitus equitando ſuos circumventos io orbem pugnare animadverterat, Verlinium cum turma equitum ſclopetariorum auxilio accurrere juſſiſſet, omnis ea hoſtium manus in effuſam fugam conjecta eſt, centum ex eis ibidem interfectis, ac bis totidem vulneratis, cum Galli non niſi decem ſuorum deſideratis, incolumes in caſtra eſſent ingreſſi, ſauciato tamen in ſummo pede ſupra talos ſagittæ ictu Tillio legato.

Die, quæ poſt tertium Idus Octobris illuxit, inopia commeatus in caſtris ſentiri cæpit, quod non ſolùm currus onerarios ducum & præfectorum, rebus ad victum neceſſariis plenos, ſed etiam eos, qui ex villis & oppidis omnis generis commeatum convehebant, Turcæ & Tartari aſſiduis excurſiomibus diripiebant, noſtroſque, qui ad tuendum accurrebant, aſſiduè inquietare ſolebant: minores duces, ne com fame & inedia ſimul & cum hoſte eſſet conflictandum, de receptu cum Mercuriano conſilia inire ceperunt: Tantâ enim inopiâ jam laborabatur, ut gregarii milites occiſos tormentorum ictibus equos, aut inedia enectos certatim rapere, ac inter ſe dividere, ac vorare cogerentur; eoque magis & gravius, quòd Solmenſis Comes pro conducendis curribus commeatu onuſtis ad Muram flumen, cum CC. ſclopetariis equitibus miſſus nondum redierat, eratque oborta ſuſpicio, illum ab hoſtibus circumventum eſſe; ſed cum ille cum CC. curribus cibariorum, ſalvâ equeſtri turmâ, incolumis in caſtra perveniſſet, conſilium in præſens diſſolutum, ac in diem ſequentem delatum eſt. Verùm quum commeatus ille recens allatus ad depellendam militum eſuriem, vix in unum aut alterum diem ſuffecturus eſſe videretur; & equi militares, conſumptis jam antea per hoſtes graminibus, oomniſi arborum frondibus & paluſtri arundine paſcerentur, multique ex eis deficiente alimento quotidie fame interirent, omnes quotquot erant præfecti, retrocedendum ad Muſam, & ibi refectis cibo militibus & jumentis, iterum ad eadem caſtra cum uberiore rerum neceſſariarum apparatu redeundum eſſe conſulebant. Quanquam autem Mercurianus horum ſententiæ nequaquam aſſentiebatur, uniuſcujuſq; duntaxat eſſet, qui cum eo ejuſdem eſſet voluntaris Colnicius, quod eo receptu Caniſianos in extremam deſperationem deventuros, duriuſque ſibi conſulturos prævideren, id quod brevi eventus quoque belli comprobavit: poſtremo tamen cæterorum ſuffragiis, precibuſque victus, ac potiſſimum, qood Zrinio atque Nadasdio idem probri videret, qui nullam aliam convehendi commeatus ſpem dabant, vel invitus obtemperavit.

Noſtri commeatus inopia compulſi, caſtros motos diſcedunt.

Itaque ad XIII. diem Octobris Zrinius, quod infirma valetudine uteretur, com ſuis præire permittitur, deinde tuto potiùs quàm decoro conſilio vaſa in caſtris colliguntur, tormentaque cum curribus & impedimentis præmittuntur, quibus ſua eum legione Sulcius præire, eumque equitatus Hollachii ſequi, & Banus ejuſdem antecedentis veſtigiis iohærere jubetur: Mercurianus cum Nadasdio, Colnicio, ac Turriano ac toto exercitu poſtremi agminis curam ſuſcepit: ſimulque mandavit, ut ſummo quo poſſent, ſilentio, qui ſequentia agmina ducebant, ita antecedentium iter obſervarent, oe inſtitotus ordo perturbaretur; & ſi hoſtis animadverſo diſceſſu circumfundi & laceſſere inciperet, denſatis ordinibus repelli, & iter continuari poſſet. Per hunc modum prima noctis vigilia, quæ ſupra ſolitam obſcuritatem denſioribus etiam uebulis contecta erat, copiæ omnes, ſublatis uſque ad prima caſtra, omnibus ferè naturæ deſideriis ac quiete progrediuntur. Nec tamen caveri ullo ſilentio potuit, quin hoſtes & potiſſimùm Tartari, inquietum & maleficum hoſtium genus, diſceſſum noſtrorum perſentirent, veſtigiiſque abeuntium ſubito inſiſterent; atque modò à tergo, modò à lateribus ingenti ſublato clamore irruerent, modò verò palantes, & ordine digreſſos trucidarent, aut captos abducerent. Interea autem tanta inter procedendum confuſio ordinis contigit, ut viâ cœnoſiſſimâ currus & impedimenta luto inhærerent, & fatiſcentibus præ inedia jumentis, extrahi nequirent. Nihilominùs ſuperatis magno militum labore difficultatibus, qui pontes malè cohærentes reficere, ac lacunis frondes arborum ad commodiorem rotarum tranſitum conjicere contendebant, tormenta & eorum apparatus omnis, Deo juvante integra in tutum pervenerunt. Quo in labore exantlando mirificum Sulcii ſtudiũ ac diligentia enituit, qui unà cum Bano in tranſvehendis per lacunoſa loca illis, incitandiſq; ad opus militibus, omnem operam impenderunt. Nonnihil tamen damni in curribus, qui retro poſt agmina manſerant, ſed quod facilè toleratu eſſet, acceptum fuit.

Turbatio noſtrorũ in progrediendo

Hoſtes interea experrecti, re animadverſa cum majori exercitus parte, ad tertium uſque cœnoſi tranſitus locum noſtros inſecuti ſunt, atque hinc inde partim fervidius, partim remiſſius, carptimque dimicârunt. In tertio autem tranſitu Turrianus, qui in ultima acie erat conſtitutus, cum ſuis, qui ab equis denſas in eos glandes diſplodere non ceſſabant, maximo illato damno ſubmovit. Sed ii mox illuceſcente die, diſcuſſaque ſolis calore matutinâ nebulâ, pugnã majoribus longè viribus reſtaurârunt. Erant ſiquidem circiter XX. millia hoſtium, qui poſtremum ejuſdem Turriani agmen equeſtre acerrimo impeto invaſerunt: jamque res in ancipiti verſabatur, quum Mercuriaous Tillium legatom, & ſuos cataphractos cohortatus, cum Colonicio & ſexcentis ſclopetariis, quos Muſcaterios vocant, eorum audaciam repreſſit, tamdiuqoe cum illis certamen protraxit, dooec ad equitatum Hollachii & Nadasdii, ac legiones, quæ contento gradu præibant, proceſſum eſſet: ubi quum illi quoque juſſu ejus frontem atque ora in hoſtem obvertiſſent, ſclopetoſque & arma expediviſſent, Turcæ plurimi ſauciari, plures occumbere ceperunt: cùmque ſibi fortiter repugnari conſpexiſſent, retrahere equorum habenas, ac ſenſim retrocedere; poſtremo relicto prælio conglobati ſtare, noſtroſque quorſumnam tenderent, eminus circumſpectare. In eo certamine ex noſtris plures, nec tamen alicujus nominis milites ſauciati ac confixi ſagittis ſunt: ex hoſtium tamen oumero multò plures ſclopetorum ictibus aut læſi aut interfecti fuêre. Mercurianus verò collocato à ſiniſtra Vallonum peditatu, cui frater ejus Comes Sallignius præerat, ac à dextris legione Praineriana, compoſito ordine progreſſus eſt, nec amplius hoſtes animum ad irruendum adjicere auſi ſunt. Quod ſi in tam infeſto difficilique itinere, ordines ſevero diſciplinæ præcepto ſervare, ac ſuis, qua à fronte, qua à tergo laborantibus ſubſidio adcurrere, legiones & equitatum ubi opus eſſet, in hoſtem vertere, intermiſiſſet, actum de toto exercitu, maximeque pertimeſcendum fuiſſet,

Hoſtes extremum noſtrorum agmen adorti, ſingulari virtute loco pulſi recedunt

1600. ne Cociana improſperæ memoriæ clades renovaretur. Parte alia Tartari, qui uſque ad initia recipientis ſeſe exercitus, citatiſſimo equorum curſu provolaverant, non procul à ponte Leteniensi certamen cum equitibus Illyricis contraxerunt, captoque Lupo Staneovaccio, cui equus humi erat provolutus, ac tubicine quodam Germano, retro unde venerant, ad Turcas profugerunt, noſtrique poſtea ante occaſum Solis ad Muram, ubi pons è navibus & tabulatis erat confectus, pervenerunt. Hic eſt ille receptus, à quo forti & ſatis proſpero, Mercurianus omnium ducum judicio, raro aliis conceſſam peritiæ militaris gloriam conſequutus eſt; quum per tot difficillimarum rerum neceſſitates, ac impeditiſſimarum viarum anfractus, tot millibus infenſiſſimorum hoſtium circumvolitantibus, ac prælium undique cienbus, incolumi exercitu, ſalvis tormentis, & exiguo accepto detrimento, ſingulari felicitate ad deſtinatum locum perveniſſet.

Tametſi autem eo conſilio huc ventum erat, ut nihil operæ neque ſolertiæ intermitteretur, quo obſeſſis auxilia, ac pulveris ſulphurei, cujus inopia laborabant, aliquantum mitti poſſet; ac demum accepto commeatu iterum caſtra, ad ſpem ferendi auxilii reperterentur; nemo tamen inventus fuit, qui ſtadium aut operam offerret. Joannes quidem Curtoſſius, qui antea Caniſæ ordines duxerat, à Battianio productus fuit, qui præmio mille aureorum petito, ſe, auxiliis introducendis ducem futurum pollicebatur, dum tamen exequi promiſſa deberet, ſe furtim ſubducens, nuſquam fuit inventus. Ceteræ quoque copiæ, exemplo à Caroloſtadianis ducto, qui nullo modo retineri potuerunt, tam Germanicæ, quàm Illyricæ, ad ſuas ſtationes diſceſſerunt. Paradiſius, & qui Caniſæ obſidebantur, poſtquam exercitum, in quo omnem ſpem collocaverant, exiguo facto operæ pretio reverſiſſe animadverterunt, rebus deſperatis, XLV. obſidionis, octavo autem, poſt noſtri exercitus diſceſſum, die, cum Ibraimo & Quihaia Mehemete ejus legato de deditione tranſigere decreverunt; ac Joanne Balogo & Petro Heſſo ultro citroque commeantibus, Paradiſium aliquamdiu cunctantem, moraſque nectentem tandem perpulerunt, uti arce traditâ ipſe cum militibus & eorum ſarcinis omnibus incolumis dimitteretur; quibus etiam exeuntibus fides ab hoſte ſervata eſt. Verum non diu poſt ipſe ejus nimis intempeſtivæ deſperationis & deditionis reus convictus cum quibuſdam ſociis juſſu Cæſaris capite pœnas perſolvit. Gregorio Peteoni, ac Joanni Balogo, cùm diu in compedibus & carcere macerati cauſam dixiſſent, damnarique judicum ſuffragiis ea cecidiſſent, à Cæſare ſingulari ac vix ſperatâ clementiâ abſoluti ſunt. Mercurianus poſtquam ſecus quàm eſſet decretum, copias dilapſas, & ſe cum Nadaſdio, Battianio, Turzone, paucisque aliis relictum vidiſſet, incertus conſilii, Racoſpurgum primo, ac poſtea per Valles Linduæ ſuperioris, ac S. Gothardi oppidum, facto itinere Sabariam, deindeque relictis militibus, ut per oppida ac loca circumjacentia hibernarent, Viennam venit; ibiq; Henricum Comitem Sallignium fratrem, morbo in caſtris contracto, extinctum amiſit.

Caniſiani noſtrorũ diſceſſu exterriti, de deditione cum hoſte paciſcuntur.

Mercurianus copiis dilapſis, Viennã abit.

Quæ dum aguntur, Caſinates Perſarum Regis Abaſi legatus, comite duceque itineris uſus, Antonio Sitleio Anglo, Pragam ad Cæſarem venit, qui quum ex itinere Romam divertentes, Clementem Pontificem honoris ac venerationis cauſa ſalutâſſent, Cæſarem ſummis precibus orabant, ut bellum adverſus impios Turcas ſuſceptum, & hactenus ſatis proſperè geſtum continuare vellet, regemque ſuum ex adverſo in illis ad Orientem regionibus nihil prætermiſſurum, quo infeſta eis arma inferre poſſit; jamque provinciam Sirvanam, à Solymano olim Tahmaſi proavo ſuo ademptam recuperâſſe, & de redigendis in poteſtatem reliquis, ſpem haud exiguam concepiſſe; egiſſeque non ſolùm cum compluribus populis Turcarum tyrannide oppreſſis, veluti Georgianis, Mengreliis, & Cercaſſis, ut inviſum crudeleque jugum cervicibus excutere ſuis auſpiciis maturarent; ſed etiam quoſdam Aſiaticarum provinciarum præfectos, ac imprimis Cilicem Haſanem, quem à fulcedine oris & faciei, Nigrum ſcribam vocarent, in ſuas partes traduxiſſe. Eos Cæſar variis tam longi itineris laboribus fatigatos, hoſpitio idoneo, ac lautiis præbitis excipi, ac dum ipſe de belli ſocietate deliberat, quietem & otium agitare juſſit, ac demum Calendis Decembris ita dimiſit, ut ipſius Abaſi Regis voluntatem, ipſorumque legationem tantis terrarum & marium ſpatiis ad ſe miſſam, gratam ſibi fuiſſe teſtaretur. Quod verò ad conjunctionem & ſocietatem adverſus Turcas attineret, ad quam ipſe ſe tam amicè & promptè offerat, ex eo ſe ejus excelſum & infractum animum cognoſcere, idque apud omnes Chriſtiani nominis gentes & principesglorioſum & æterna memoriâ dignum videri, nec ſe intermiſſurum, quin vires omnes & facultates ſuas Turcarum tyrannidi libidinique opponat, eamque identidem fatigare omittat; interimque, donec cæteros Chriſtianos principes ad ſumenda adverſus eos arma conciret, ſe polliceri bellum totis conatibus continuaturum, pacemque toties ab Ibraimo purpurato & Tartarorum principe oblatam, quam hactenus recuſâſſet; viſa hac legatione, eo magis recuſaturum, ſe quidem nunc conventus variorum regnorum agere, & Chriſtiani imperii principes ad conjungendas vires & corroborandum belli nervum conquirere: hortari proinde, ut ipſe quoque ad opportuniſſimam hanc occaſionem vicinos & propinquos principes Chriſtianos, ut Georgianum, Mengrelium, & Magnum Moſcoviæ Ducem (quem & ipſe tanquam Chriſtianum principem ad hoc fœdus ineundum inducere contendet) alioſque in ſocietatem trahat: & proximo vere ab Occidente ipſe Cæſar, illinc verò ex partibus Orientis Perſæ, impios Turcas validis armis invadant. Quarum rerum cauſa ſe brevi ad ipſum legatos miſſurum pollicitus eſt; miſſuſque fuit paulò poſt Stephanus Cacaſius Claudiopolitanus, qui quod conjugem è gynæceo Mariæ Chriſtiernæ Germanam duxerat, relicta Tranſſilvania, eo tempore Pragæ agitabat. Sed quum is in Moſcoviam perveniſſet, morbo correptus è vivis exceſſerat. 1600.

Legatus Regis Perſarũ ad Cæſarẽ venit.

Inter tot & tantas curas & labores, annus ſæcularis, civilibus & inteſtinis pariter ac Turcicis bellis, & amiſſa Caniſa memorabilis, elabitur; ac dum inſequentis initium ſuſpenſos mortalium animos ſpe, & expectatione futuræ pacis detinet, ad extremum poſt irritos utrinque conatus in atrox & formidabile bellum ad primũ veris initium denuo erupit. Hieme vacatum eſt comitiis, in quibus ſi pax, quam Turcæ magnopere exoptare videbantur, coaleſcere non

1600. poſſet, de rationibus inferendi aut ſuſtinendi in futurum belli conſultatum eſt. In iis Comitiis magnæ ſeveritatis exemplum, in Michaelem Telequeſſium, clariſſimi bello ducis Emerici Telequeſſii ex filio Stephano nepotem, juſſu Cæſaris editum eſt. Is arcem Ledeniciam, ſupra Trincinium ad Vagum flumen ſitam, virtute avita, ut ſupra memoravimus, partam habebat: ex qua adſcitis in conſortium vagis prædonibus, infeſta circum itinera reddebat; acciderarque anno ſuperiori, ut conventus publici tempore in Adamum Pelerdium incideret, qui Michaelis Tranſalpini nomine munera ad Cæſarem deferebat; inter quæ ſupra prægrandes tapetes, & tentoria Phrygii ac Perſici operis elegantiſſima, erat horologium auro & gemmis exornatum, quod antea Cæſar Sigiſmundo Bathorio donaverat, illudque cæſo Cardinale Bathorio, belli jure Michael obtinuerat, ac tabella aurea imaginem Divæ Virginis Matris continens, quæ fama per manus abavis, araviſque tradita Flavii Conſtantini Magni Imperatoris fuiſſe ferebatur. Ea vecta quadrigis, Telequeſſius diſſimulato habitu, ſtructiſque in ſilva inſidiis deprædatus, in Poloniam conceſſit, ibique aliquamdiu delituit: nec Cæſaris nomine à procuratoribus fiſci citatus comparuit, abſenſque damnatus & proſcriptus eſt. Deinde cùm in manus incidiſſet, Poſonii in comitio de eo capitis pœna ſumpta eſt; quam ille tam præſenti fortique animo ſuſtinuit, ut tota urbs atque nobilitas, quæ ad miſerabile ſpectaculum frequens confluxerat, ejus in obeundo ſupplicio, contemnendaque morte conſtantiam admiraretur. Bona ejus fiſco addicta, Franciſco Doboni centum millia numûm argenteorum, quos Talleros vocant, pro eis numerandi obvenerunt. Nec ſanè defuêre, qui immaturam nobiliſſimi adoleſcentis cædem non parum commiſerarentur, eique avitæ virtutis recordatione, & quod juvenili potiùs temeritate, quàm certo judicio deliquiſſet, remiſſo ſummo jure, eatenus indulgendum fuiſſe judicarent, ut mitiori pœna, parcendo vitæ, plectendus fuiſſe exiſtimaretur.

Michaeli Telequeſſio ob rapinas Poſonii capitis pœna infligitur.

Poſt comitia nihil intermiſſis belli cogitationibus, quibus Caniſa anno ſuperiori fœdè amiſſa recuperanda eſſe cenſebatur, ad inducias cum hoſtibus tranſigendas deſcenſum eſt, ſi de conditionibus conveniri poſſet. Ibraimus ſiquidem purpuratus, ſcriptis frequenter literis ſuum principem ſibi Byzantio diſcedenti in mandatis dediſſe affirmabat, ut tandem diuturno bello finem vel pace ac induciis, vel ferro & armis imponeret. Igitur annuente Cæſare, rurſus viri graves, & uſu rerum ac experientia clari deliguntur, qui Strigonium profecti rem periclitarentur, Joannes Cutaſſius Archiepiſcopus Strigonienſis, Nadaſdius, Peczius, Lupus Aicingerus, & Sigiſmundus Herberſtainius, Illyrico limiti præpoſitus, quibus additus fuit Paulus Niarius, quod is Agrienſi infortunio captus, in familiaritatem Ibraimi venerat, & ſe illum ad æquiores conditiones deducere poſſe confidebat. Sed quoniam Mehemeres Quihaia unus ex legatis Turcarum venire ad diem non potuiſſet, tota res ad XV. diem menſis Julii dilata fuerat. Accidit autem, ut intra eum diem Ibraimus peſtilentiâ correptus Belgradi è vivis excederet, Turcæque ejus obitu tractatus omnes ad XV diem Auguſti dilatos cuperent. Sed neque ad eum diem, ab eis incerta uſis comperendinatione quiſquam venit, tametſi tanta ſe 1601.
pacis & quietis cupidine teneri præ ſe ferrent, ut eam aliis etiam minus honeſtioribus arbitris, quaſi ipſis inſciis & ignaris agendam, tractandamque permitterent; & non multò pôſt, Judæi quidam ex Matanorum genere, qui olim à Ferdinando Rege Hiſpaniâ pulſi, Theſſalonicæ ſedes ſibi fixerant, deprehenderentur, qui nomine Mehemetis principis ad Cæſarem venire, ac homines improbiſſimi, linguâ Hiſpanicâ, cujus gnari erant, pacem tractare auſi eſſent. Quos propriâ culpâ & temeritate tantam rem tam audacter aggreſſos Cæſar quum ultimo furcæ ſupplicio afficere debebat; mitiori tamen & diuturnâ carceris pœna caſtigavit; Ut Viennæ ſordes & purgamenta platearum ſcopis ad ignominiam mundarent, ac à pueris & fori incolis, ac vulgo ſibilis & probris, atque adeo etiam nonnunquam cœno & lapidibus exciperentur.

De pace, irrito conatu agendum eſſe iterum decernitur.

Ibraimus Budæ peſte extinguitur.

Judæi ad Cæſarem legati cuſtodiæ traditi.

Sed & Nehemias, ejuſdem recutio generis ſocius & aſſecla, Hoſiæ ditiſſimi olim publicani Budenſis gener, plurium linguarum ac Germanicæ imprimis peritus, ad Ferdinandum Auſtriæ, Stiriæque principem, ac Herberſtainium cum literis Ibraimi purpurati, incertum an non confictis, ſive ementitâ legatione; ſive, quod verius credi par erat, explorandæ regionis, ac inſtantis belli apparatibus & conſiliis ſpeculandis Varadinum uſque profectus fuit. Ubi manere, traditis, quas attulerat literis, ac reſponſum præſtolari juſſus, cum diuturnæ ac tædioſæ expectationis faſtidio torqueretur, nocte intempeſtâ clam omnibus naviculam conſcendit, ut ſuperatâ arcis foſſa, quæ profundiore aquâ plena erat, equis in ſuburbio ad id præparatis, in tutum evadere contendiſſet: quo in conatu ab excubitoribus nocturnis, lucente lunâ conſpectus, glandibuſque petitus, ac ſauciatus in humero eſt; quo ex vulnere triduo poſt ibidem periit.

Sublatâ in hunc modum ſpe induciarum, Cæſar auxilia ſummi Pontificis miſſis, qui iter eorum urgerent, idoneis hominibus, ad maturandum incitavit, ſuaſque copias in caſtra convenire juſſit. Nec multò pôſt decem ferè millia Italorum peditum, Anconâ navibus in Dalmatiam vecta, illinc agminatim Zagrabiam pervenêre, quibus Joanes Franciſcus Aldobrandinus Clementis ſummi Pontificis cognatus præerat. Sed ipſe alia via Gracium ad Ferdinandum principem erat profectus, eumque altero die Vincentius Mantuæ Dux, ac Joannes Medicæus Ferdinandi ducis Hetruriæ frater Coſmi Medicæi filius, cum ſuis copiis ſequutus eſt; quibus cum honore excipiendis Maximilianus princeps juventutis, nomine fratris Ferdinandi occurrit, quod is valetudine impeditus officio fungi non poſſet. Inde Aldobrandinus Petoviano itinere Crapinam venit, ibique à Joanne Draſcovitio provinciæ præfecto, quem Banum vocant, honorificè exceptus, Zagrabiam ad exercitum contendit; quem etiam iſthic recenſuit, & ſtipendium militibus perſolvit. Erant cum eo tribuni, qui per partes exercitum ductabant Aſcanius Sforcia, Horatius Baleonus, Paulus Sabellus, Fridericus Ghiſilerius, compluresque alii; primaſque poſt illum imperii partes Flaminius Delphinus civis Romanus obibat. Erat mens ac voluntas Cæſaris, ut conjunctis exercitibus bellum in Pannonia gereretur, & oppugnandæ Budæ aut Albæ conſilia ſuſciperentur: ac alterutrâ ex duabus urbibus recu-

Copiæ Italicæ in Dalmatiam appellunt.

Tribuni ducesque Italorũ.

Cæſar Budam aut Albam conjunctis copiis aggrediendam ſuadet.

1601. recuperatâ, quod fieri haud difficulter poſſe videbatur, ac rationes quoque firmæ ac permultæ pro militaris diſciplinæ inſtituto conjungi vires præſtabilius fore ſuadebant, poſtea Caniſa tentaretur. Verùm Aldobrandino, qui ſecus ſentiendo Caniſam invadendam, ejuſque rei cauſa ſe miſſum eſſe referebat, perſuaderi nequaquam potuit, ut rectioribus conſiliis obtemperaret.

Renititur Aldobrandinus.

Igitur eo anno, qui ſæcularem ſequutus eſt exercitibus trifariam diviſis bellum geri adminiſtratique oportuit; quorum unus duce Mercuriano operam impenſius navante, Albam ſingulari virtute ac fortitudine juvante divini nominis ope, recuperavit: Alter Baſtæ ductu in Tranſilvania rem geſſit; tertius verò auſpiciis Ferdinandi principis ac Italicorum auxiliorum ope, Caniſam magna virium contentione, ſed irrito conatu oppugnavit. Cùm copiæ Illyricæ tam quas Banus voluntarias collegerat, quàm ſtipendiarii, quibus Herberſtainius præerat, ad pagum Turniſtiam in ea peninſula, quam Mura & Dravus flumina è Stiriæ & Valeriæ montibus ſupra Saliſburgum non adeo procul invicem decurrentes efficiunt, brevi convenissent, Medicæus cum duobus millibus peditum, quibus Franciſcus Montanus præerat, ac Mantuanus cum ſua equitum ala, ac cohortibus, die XXVII. Auguſti, eo pervenerunt: Ferdinandus verò princeps cum ſuorum prætorianorum manu, Racoſpurganâ viâ biduo poſt ſequutus eſt; & poſtero die Gaudentius Madrucius tria millia peditum Germanorum, quos nomine & ſtipendio Philippi regis Hiſpaniæ conduxerat, in caſtra adduxit. Per eos etiam dies è Croatiæ confiniis, ac Segnia maritima urbe, ac Iſtris, Tergeſtinis, Goricianis, ac Foro Julio, haud contemnendæ copiæ ſub diverſis præfectis adventarunt; ac Calendis Septembris, Mura fluvius quem veteribus Sabariam dictam fuiſſe quibuſdam videtur, è navibus & tabulatis ponte facto conſtructus eſt; quo ponte exercitus brevi tranſjecit, & caſtra ad Letenium oppidum promota, præeunte cum ſuis copiis Comite Zriniano, qui eorum locorum peritiam habebat, quod cumplures annos cum laude Caniſæ præfectum egiſſet. Aldobrandinus verò malignis correptus febribus Varaſdini in arce ſubſiſtere fuit coactus, quibus etiam diu conflictatus vim earum ſuſtinere non potuit; & quamquam à Sebaſtiano Joccio Interamnenſi medico, vitæ ejus & ſalutis cupidiſſimo, diligentiſſime curaretur, tamen nihil juvantibus remediis, exceſſit è vivis, annum agens LV. quo obeunte Pontificii exercitûs curam Flaminius Delphinus ſuſcepit. Fuere in caſtris XXII. millia peditum, & VIII. equitum, ac tormentorum vis ſatis magna; commeatus autem omnis generis ingens copia, ventumque eſt Caniſam ad quartum Idus Septembris, eaque mox aggeribus & vineis circumductis vallata, & oppugnari cepta.

Ac Caniſa, irrita opera, oppugnationem inſtituunt.

Aldobrandinus è vita excedit.

Arx Caniſa (oppidum ſiquidem à Paradiſio & noſtris concrematum, poſtea non eſt reſtauratum) cænoſo paluſtrique loco ſita eſt, fluviolo ſtagnante, & nullis coercito ripis, ſed magis latè diffuſo ac carectis, multaque alno & arundine impedito, undique cincta; eoque oppugnatu difficilior, quòd ejus curſus alio derivari nullis viribus queat. Forma eſt quadrangulari oblonga, foſſamque habet ex parte propugnaculorum latam XVI. pedum, ab interpoſita vero valli diſtantia pedum circiter XX. cinctaque eſt collibus, inter quos fluvius lento curſu labitur, quorum ii, qui ab Aquilone protenduntur, cæteris eminentiores ſunt. Supra hos à Septemtrionali plaga tormenta majora tribus in locis, juſſu Medicæi, qui eis præerat, collocata fuere; caſtra verò Ferdinandus ab Oriente prope templum deſertum rotundæ formæ, in quo Georgius Thurius clariſſimus miles & Dux ſepultus fuit, ſatis lato circuitu fixit; Mantuanus autem, qui primas poſt illum partes in exercitu obtinebat, ad meridiem conſedit; quum Madrucius ei latus dextrum. Medicæus verò ſiniſtrum occupaſſet: Franciſcus autem Montanus cum legione Hetruſca, penes flumen ad Sighetanam viam, ac Flaminius Delphinus ad Septemtrionem cum Pontificiis copiis, in valle quadam ſua tabernacula extenderunt. Operibus autem & oppugnationi, jubente Ferdinando adhibitus fuit, cum ſumma poteſtate, Orpheus Gallonius, cui ille multum tribuebat, tametſi quàm viribus & ingenio, eſſet linguâ ac verbis validior; ſic ut Medicæo pareret. Præerat arci Haſanes cognomento Parvus cum DCCCC. Turcis, qui paucitate præſidii vehementer ſollicitus, ab Sighetanis & Quinqueeccleſienſibus dies & noctes auxilia flagitare non deſinebat. Itaque miſſi totidem Turcæ, ut duplicato numero defenſorum arx contra vim obſidentium commodius ſervari poſſet. Gnarum id erat Ferdinando, quum adhuc hoſtes inter Belavarum & Vixuarum in itinere eſſent, & Mantuanus obviam eundum cenſebat, operamque offerebat, faciliorem adverſus paucos oppugnationem futuram referens, ſi auxilia aditu & ingreſſu arcis excluderentur: Sed ea conſilia, quæ proficua admodùm erant, incertum quibuſnam de cauſis, omiſſa ſunt, quod nondum fama captæ à noſtris Albæ audita eſſet, & Turcæ incolumes in arcem recepti fuere. 1601.

Caniſa ſitus.

Haſanes Parvus Caniſæ præſ.

Non ceſſarunt tamen noſtri quicquam in verberanda arce, uſque adeo ut mœnia à Septemtrione, ſimul cum duobus angularibus propugnaculis uſque ad ima fundamenta ſolo tenus prociderent, & turris quoque præalta ſupra interiorem arcis portam magna ſtrage dirueretur: & niſi foſſæ ac paluſtres undique lacunæ obſtarent, noſtri ad oppugnandum facilè procurrere poſſe viderentur. Hoſtes tamen nihil ea murorum vallique ruinâ permoti, noſtros obſidentes tormentis petere, & pilas in caſtra & in obvios quoſque intorquere non ceſſabant. Qua de cauſa Orpheus ituris ad pugnam militibus, ut iter pararet multos ſaccos lineos conquirendos, qui terrâ pleni in lacunas ſternerentur, ac faſces virgultorum magnâ copia in proximis ſilvis cædendos animum adjecit: pro quibus conficiendis, ſupra magnam Græcii, Petoviæ, Racoſpurgæ cæteriſque urbibus telæ craſſioris copiam ſumma celeritate conquiſitam, multa etiam tentoria ipſorum ducum, facilè id ipſis concedentibus, conciſa & in ſaccos converſa fuerunt. Et in iis omnibus mirificum ſtudium & ingens Mantuani induſtria emicuit, qui ſingulis diebus conſcenſo ſummo mane equo, aggeres & tormenta aliaque loca magis periculo expoſita inviſere & munire, operas, ut neceſſariam celeritatem adhiberent, urgere non prætermittebat. Sed Orpheus minus obſequendo, ſingula quæque ſuo more lente exequebatur, ſupraque omnia, quæ deerant, & quæ ab initio à multis animadverſa, nec proviſa difficiliorem reddebant oppugnationem, longa mora & ingens in pa-

In lacunas jaces lines terra pleni, & virgultorū faſces conjecti.

Gallonii in munere ſuo ſegnities.

1601. parandis rebus idoneis tarditas vel maximè officiebat. Præterea equi & jumenta, quorum ad trahenda tormenta uſus erat, majori ex parte, qua pabuli inopiâ, qua frigidioris aeris intemperie, aut enecti aut viribus deſtituti erant; ut principes & duces, ac plurimi privatorum militum ſuos equos & currus, ad comportandos è ſilva ſatis procul diſſita faſces, vehendamque materiam accommodaro dare cogerentur.

Habebat in animo Orpheus, repleta quinque in locis palude, iter ad arcis foſſam parare ut ea totidem oppugnationibus tentari poſſet; cúmque in conficiendo opere aſſiduus verſaretur, (quamquam à multis & à Georgio Albenga, ne loco periculoſo incautius hæreret, admonitus eſſet) fatali colubrinæ pila ex arce in eum directa per ſcapulas ictus atque interfectus fuit. Excepit ejus munia Cæſar Porta è Pontificiis cohortibus architectus, ſed pari tarditate, ac rerum difficultare implicitus, quibus etiam effectum eſt, ſuperingruentibus temporis & hiemis injuriis, ne obſidentes voto & deſiderio potirentur. Quod quum hoſtes animadvertiſſent, tantam animis audaciam concepere, ut quamquam mœnia & propugnacula undique diruta eſſent, nihil tamen metuerent, ſed etiam clara diei luce, in noſtros ad aggerum & tormentorum cuſtodiam excubantes erumpere non dubitarent. Sicuti ad diem Non. Octobris evenit, quum Turcæ circiter centum, è terrenis extra arcem munitionibus, (quæ quod ab Andrea Quilmano, olim præfecto verſus orientem conſtructæ eſſent, Quilmanianæ vocabantur) naviculis egreſſi, aggeres ſeptemtrionibus objectos invaſerunt; ut ſulphureo pulvere, quem ſacculis è corio factis, magna copia ſecum acceperant, faſces & materiam ab Italis comportatam, disjicerent aut concremarent. Sed ab Italis cæſo ſignifero, & compluribus interfectis ademptoque vexillo, ac ſupra aggeres collocato, in arcem ſunt repulſi. Eo hoſtium excurſu cohors una è legione Madruciana quæ in proximo aggere tormentis præſidio erat impoſita, repentino perculſa metu, ſeſe in fædam fugam dederat. Quamobrem Madrucius, juxta militaris diſciplinæ ſeveritatem milites acerbiſſime erat decumaturus, jam paratis ad lege agendum carnificibus, niſi Monachi, quos Capucinos vocant, eorum miſerti, ſummis precibus ac indefeſſo ſtudio, vitæ eorum & capitibus veniam impetraſſent, quæ ita eis conceſſa eſt, ut in aggredienda oppugnatione & ſcandendis muris primi omnium periculo exponerentur. Nec multò pòſt hoſtes ad Hetruſcæ legionis ſtationem excurrere auſi magnum cum ea certamen inierunt, ac occiſis utrinque multis, ſeſe in arcem receperunt; quum ex Italis Pavolinus Senenſis, vir non obſcuri nominis deſideratus eſſet.

Gallenius architectus occumbit.

Quem excipit Cæſar Porta.

Hoſtiũ crebræ eruptiones.

Magnum autem etiam in caſtris inter tentoria ab hoſtibus detrimentum, nuſquam ceſſantibus tormentis inferebatur: nam & Mantuani tabernaculum pila penetrante laceratum eſt; quo ictu Horatius Rabanus cuſtodiæ ejus militari præfectus, per ſiniſtram coxendicem ictus, ſimul cum altero milite diſcerptus, & alii haud leviter ſauciati fuere. Nec caruit periculo Ferdinandus ipſe cum aliis principibus; Cœnante ſiquidem illo cum Maximiliano fratre ac Mantuano, quod tentorium accenſis in uſum luminibus ſplenderet, hoſtes ictum collineantes ita in illud direxerunt, ut pila tabernaculo penetrato inter eos, qui ad menſæ miniſterium ſtabant, nullo læſo provolaret, ac fractis quibuſdam ſcriniis, poſtremo ad culinæ angulum humi infigeretur. 1601. Interea quum equites è turma Zriniana & Herbeſtaniana circiter centum, verſus Sighetum excurriſſent, Cazanfferem Quihaiam, Haſanis parvi, qui Caniſam tuebatur, legatum vivum comprehenderunt, & in caſtra perduxerunt. Eodem etiam tempore allata fuerunt duo capita, unum Mauratis purpurati Budenſis, ac alterum Mehemetis, qui fuerat Ibraimi purpuratorum ſupremi legatus, quæ ambo in Albana pugna admodum cruenta cum Matthia principe & Mercuriano pugnata, truncis erant præciſa. Itaque placuit, ut Herberſtanius & Bartolus Gerecius Cazanfferem extra aggeres ad foſſæ marginem perductum, ea capita obſeſſis oſtentare, ac ne deditionem differrent, proclamare juberent, quandoquidem exercitus, quem ipſi auxilio venturum ſperabant, à Chriſtianis fuſus eſſet & fugatus, ejuſque duces cæſi, ut ex eorum capitibus appareret. Verùm tametſi Turcæ in mœnibus frequentes eſſent, qui tam capita aſpicere, quàm vocem facile audire poſſent, tamen ne verbum quidem ab illis de deditione exprimi potuit; quin potiùs ad extremum, niſi ocyus inde ſeſe reciperent, tormentis eos petituros vociferabantur.

Tentoriũ Ferdinãdi ictus pila majoris penetrat.

Mauratis Budenſis & Mehemetis Kihaiæ capita ex Albana prælio allata, Caniſianis Turcis oſtentantur.

Quæ dum aguntur, nec hoſtes ad deditionis neceſſitatem adigi queunt, principes, convocatis in concilium ducibus oppugnationem inſtitui, eamque in diem ſequentem, qui erat dies ſolis, XXVIII. Octobris, Divis Simoni & Judæ Apoſtolis dicatus, milites aggredi debere deliberarunt. Ejus autem ordo in hunc modum deſcriptus fuit, ut Flaminius Delphinus, cum Pontificiis cohortibus, ac Madrucius cum Hiſpanienſibus, duo propugnacula ad aquilonarem portam aggrederentur: Franciſcus verò Montanus, cùm Tuſcorum legione ſiniſtram portæ munitionem oppugnaret; Herberſtanio verò cum Illyrico peditatu tertium, quod à dextra parte ejuſdem portæ habebatur, propugnaculum attributum fuit: ita ut aliud vicinum ſiniſtræ partis munimentum ab Aſcanio Sfortia oppugnaretur, cui etiam Mantuanus validam ex ſuis cataphractis manum adderet, ex Inſubribus, ac Gallia Ciſalpina ſtipendio conductam. Tribunus autem Biſaccionus cum reliquo peditatu Pontificio, medius inter Sforciam & Herberſtanium adverſus illud, quod erat in medio propugnaculum, rem adminiſtraret. Conſtitutis in hunc modum rebus, ſequenti die magno animo noſtri ad pugnam prodiere, tribus in locis, quibus pontes & viæ in paludibus erant utcunque paratæ: (duæ enim manſerant imperfectæ) ſed ex arce ab hoſtibus undique crebris tormentorum pilis petebantur, ita ut antequam ad foſſam arcis pervenirent, magna pars militum eminus icta periret. Alii, ut Herberſtanius & Sfortia (cui præibat juvenis agricola, qui paucis ante diebus, relictis Turcis ex arce ad nos transfugerat) poſtquam iter peſſime ſtratum eſſet, in paluſtrem aquam, qua genuum tenus, qua pectore duntaxat extante profundam incidiſſent, milites gelida aqua ac glacie pleriſque in locis concreta impediti, officio fungi, nec tantùm frigoris ſuſtinere, nec rigentibus triſti gelu manibus, ſclopetos armaque tractare poterant. Igitur amiſſis amplius trecentis ex ſuorum numero, maximè Italis, quorum magnus in adeundis periculis omnibus animi vigor fuit

Oppugnatio à noſtris nullo cum effectu inſtituta.

1601. fuit, pedem referre coacti fuère, quum duplici cum hoſte. Turcis nimirum, & elementorum ferè omnium injuriis dimicare nequaquam poſſe viderentur. Cadentibus in irritum ejuſmodi incæptis, Ferdinandus à Cæſare & Matthia patruelibus per literas auxilia poſtulavit: poſtremo Jacobum Prainerium Albam in caſtra miſit, qui auxiliorum quàm maturrime mittendorum negotium præſens urgeret. Nec Matthias, quin ea opportune expediret, quicquam moræ faciendum eſſe ratus, Roſburmium Mercuriani legatum, virum è diſciplina Mansfeldiana fortem & impigrum, cum VI. peditum, ac duobus millibus equitum miſit, iſque ad XIV. Novembris diem, in Ferdinandi caſtra pervenit, tanta viarum ac tempeſtatum difficultate, ut ſarcinas & impedimenta partim Veſprimii, partim alibi relinquere cogerentur, multique in itinere frigoris vi, ac rerum neceſſariarum inopia interirent. Erat ejus legatus Philippus Comes Solmenſis, qui equites longioribus utentes ſclopeteis circiter D. ſub ſignis habebat; veneratque una Anhaltinus princeps Johannes Erneſtus, ac Turrianus Comes, & plerique alii tribuni.

Roſburmius cū VIII. millibus princips Ferdinādo ſuppetias fert.

Diſpari fortunâ feciliore que eventu Mercurianus cæterique Cæſariani duces in recuperanda Alba, ac conſerendis cum hoſte manibus arma expediebant. Nam quum Mercurianus caſtris Jaurino promotis, ac rumoribus de invadenda Buda per caſtra ſparſis, IX. die Septembris eam repentina obſidione cinxiſſet, (eſt autem æqoe ac Caniſa ſtagnantibus aquis & paludibus cincta, uti antea relatum eſt) Turcæ, qui Budæ metuentes, conjuges & liberos cariorem que ſupellectilem iſthuc miſerant, de earum ſalute ſoliciti, Albanis ut ad defenſionem fortiter comparerent, perſcripſerunt, idque illi haud leniter exequi contenderunt. Et primo Mercurianus Babacurti operâ, qui Jaurinum tam forti, quàm felici aſtu irruenti Suarcemburgo patefecerat, petarto inſtrumento in ſuburbanis portis aperiendis uti voluit. Sed quum ſclopeti fortè fortuna diſploſi ſtrepitu fraus innotuiſſet, tuendo loco, adcurrentibus ſubito Turcis, doloſo conatui ſucceſſum fortuna eripuit.

Alba Regia obſidionem felici eventu Mercurianus ſuſcepit.

Cæterùm Mercurianus ab Ungaris, qui locorum, regionis & urbis maximè periti erant, paludes propemodum invias ubique eſſe, præterquam uno in loco ad ſuburbium Inſulæ nomine appellatum, per quos ægre admodum ac magno labore per lacunoſos tranſitus, paucis etiam hoſtium cognitos poſſe ad urbem penetrari: dato Roſburmio, qui ejus in exercitu legatos erat, negotio duo ex Vallonibus milites delecti ſunt, qui ducibus aliis duobus Ungaris tranſitum explorarent. Quo diligenter facto, & illis non ſine magna in palude & cæno colluctatione poſſe tranſiri referentibus, Roſburmius mox mille ex omnibus ſelectiſſimos milites Germanos & Vallones elegit, cum quibus ipſe circa occaſum ſolis, viam illam ſuperatu perdifficilem tentandam ſuſcepit, invenitque eam paulò quam putarat profundiorem; adeo ut milites modo umbilico tenus, modo uſque ad humeros aquis mergerentur. Sed ipſe & ſocii integram noctem, nunquam fractis duro labore animis, lutulento illo progreſſu tranſigentes, tandem paulò ante auroram ad ſuburbii extremam partem pervenerunt, quæ tanta erat anguſtia, ut ne dimidiam quidem militum partem capere poſſet, cæteris in molliori luto cænoque ſtare coactis. Itaque conſilii propemodum inopes, an expectandi cæteri eſſent, dum eluctarentur, 1601.
vel cum iis qui emerſerant, fortuna periclitanda foret; reſque ſummam celeritatem requireret, ne luce exoriente ab hoſtibus deprehenſi, audaciæ temeritatiſque pœnas darent, ad extremum cum iis duntaxat, qui in continentem evaſiſſent, rem aggrediendam decreverunt. Igitur Roſburmius relictis in ripa nonnullis, qui ſequuturos mox milites poſt ſe maturare juberent, aſſumptis Babacurto & Quinderrotto Althamii legato, cum aliis procurrens, invocato nomine Chriſti Dei, magnum ſuſtulit clamorem, & in hoſtes ſuburbanam inſulam tuentes irrupit, qui ſubito perculſi metu, deſertis ſtationibus, verſus urbis portas diffugere: inſtantibus à tergo noſtris, & ampliùs centum ex eorum numero interfectis, quum ipſi ſupra octo milites, qui in palude tranſeunda perierant, in pugna non plures quinque aut ſex commilitonibus amiſiſſent. Aliud ſuburbium Beſſianum (de quo ſic inter Roſburmium & Mercurianum convenerat, ut uno ab illo capto, hic in alterum capiendum irrumperet) Turcæ metu alterius amiſſi perterrefacti, vacuum deſeruerunt, & ab ſociis in urbem admiſſi ſunt.

Duo ſuburbia, hoſte expulſo, occupat.

Die ſeqoenti, qui XVII. fuit menſis Septembris, Mercurianus attrahi tormenta, & iis acerrime urbem verberari juſſit. Cujus cùm mænia & vetuſtate debilitata, & vi pilatum triduo jam concuſſa ruinam dediſſent, tribunos ad pugnam inſtruxit, eamque trifariam iniri inſtituit, ut Althamus ab una cum Quinderrotto, ac Staremberglus & Gaiſpergus ab altera acerrimè invecti, murum conſcendere conarentur; ipſe cum toto exercitu eorum veſtigiis inhæreret. Itaque tametſi hoſtes acerrime & fortiſſime ſeſe defenderent, & non tormentis tantummodo & telis, ſed etiam fictilibus tabulis ac ollis ſulphureo pulvere repletis, ac demum ſaxis & fervente aquâ rem gererent, tamen ſummâ virtute noſtrorum repulſi, & è mænibus detruſi, terga verterunt; noſtrique vera vi in muri coronam evadentes, partim cæſis omnibus Turcis, partim in domos & latibula conjectis, urbe potiti ſunt: in qua præter pueros & fæminas, imbellemque turbam in poteſtatem redactam, magna etiam aliarum rerum & pretioſæ ſupellectilis præda fuit, cujus majori parte Vallones expleti fuère; qui cæteris ædium aditu prohibitis, abdita quævis ſcrutari, ſpoliare, atque crudeliter exinanire contendebant. Inter hæc pulvis ſulphureus à Turcis circa templi veſtibulum ac privatas circa domos clam diſpoſitus, ignem derepente concepit, & magno edito fragore, disjectis domibus earum materiam & tecta ſuccendit, emergenteſque ſubito flammæ, tam inſigne illud & toto orbe celebratum Divæ Virginis Matris templum, priſcorum Pannoniæ regum ſepulchris nobile & auguſtum, quam totam urbem puncto temporis concremavere. Captivorum cujuſvis generis & ſexûs ampliùs tria millia; inter quos DC. circiter Turcæ milites fuère. Cætera omnia furor militum ferro & igne abſumpſit. Nonnulli, qui ſe in paludibus inter carecta & arundines occultaverant, à noſtris omnia ubique expiſcantibus, partim capti, partim cæſi ſunt. Mercurianus, urbi poſt LVIII. annum, quàm à Solimano occupata fuerat, Diis juvantibus receptæ, Jo. Marcum Inſulanum Bononienſem, tolerata Varadinenſi obſidione clarum, cum M. peditibus Germanis, ac DC. Ungaris præfecit, quod & muniendarum urbium

Noſtri hoſtibus loco pulſis vi urbe potiūtur.

D. Mariæ virginis augugum tēplum exuſtum.

Marcus Inſulanus urbi tuenda & muniendæ præficitur.

bium & obſidionis peritus, & conſilio æque ac manu promptus haberetur.

At Haſanes purpuratus cognomento Gimeſgis in locum Ibraimi purpurati nuper vita functi ſuffectus, Albæ amiſſæ dolore ſimul & ira ſtimulatus, raptato citatis paſſibus per invia & aſpera quæque itinera exercitu, ad diem Idus Octobris adverſus noſtros in Albanis campis caſtra poſuit. Cujus itinere cognito Matthias cum ſuo prætoriano comitatu, & equitibus Germanis, quos Nigros vocant, Mercuriano ſuppetias laturus Albam contendit, ac majori qua potuit celeritate urbem muniri, & res bello neceſſarias importari juſſit. Hoſtes ſequenti die magno numero, propiùs noſtrorum caſtra procurrere, & ea magnis, ut ſolent, clamoribus obequitare, & ſi quos pabulatores aut vagos repeniſſent, trucidare. Mercurianus eo modo provocatus Rosburmium legatum, cum bis mille equitibus caſtris egredi jubet; oriturque ex minori prælio ingens certamen, & undique plurimi cadunt: Nam Turcæ multis è propinquioribus caſtris in auxilium adcurrentibus ſubinde augebantur. Qua re animadverſa, Mercurianus mille alios equites Turtiatii Rosburmio auſilium ferre jubet: quorum adventu hoſtes pugnam nequaquam intermittunt, ſed ferè uſque ad occaſum ſolis protrahunt, nec niſi nocte ſuperveniente, ac æquato ferè Marte utrinque dirimitur. Deinde per ſequens biduum hoſtes quievere; & noſtri vigilando, ac ſupra colles eminentiores, quales in Albano campo frequentes videre eſt, munitiones erexere, & peditibus ſclopetariis inſtruxere. Tertio poſt die, rurſus equites hoſtium peditibus intermixti, unam ex his munitionibus oppugnandam aggreſſi ſunt, quam ſi caperent, eodem tempore ſe Albam recuperaturos arroganter dictitabant. Verùm ab Ungaris peditibus numero ſexcentis, quos ibi Mercurianus excubare juſſerat, ſclopetis periti, occumbentibus plurimis, rejecti ſunt. Mox quum pedites paucos eſſe animadvertiſſent, magno ſublato clamore, pugnam redintegrarunt: jamque pedites magno erant in diſcrimine, niſi Mercurianus propriam equitum alam eis ſubſidio miſiſſet; quorum adventu pulſis hoſtibus ſeſe in ſociorum agmina incolumes receperunt.

Haſanes Baſſa capta Alba, caſtra noſtra ſuos aggredi jubet.

Sed pugna aliquoties inſtaurata, a noſtris fortiter repulſi ſunt

Die inſequenti, qui fuit XV. menſis Octobris, duobus validiſſimis agminibus, reliquus hoſtium exercitus in aciem prodiit, in quibus L. armatorum millia fuiſſe nemo erat qui ambigeret; quorum uni Murates Budenſis, alteri Mehemetes Quihaia, Ibraimi nuper vita functi legatus præerant, & ante ſigna ac tubicines, magna eorum equitum manus præcedebat, quos ipſi Delias ſeu furibundos vocant, pellibus Leonum, ac pantherarum & tigridum ex humero pendentibus inſignes, quorum etiam pileis, ſcutis, habenis, ac equorum clunibus alæ aquilinæ ad incutiendum terrorem, veluti volaturis expanſæ erant. Viſo hoſtium adventu, Rosburmius legatus occurrendum eis, ac pugnæ poteſtatem dandam proclamat; idem Gallo tribuno, ac Sulcio cæteriſque ducibus videri conſultum eſſe referentibus, poſtremo Mercurianus, qui jam acies in ordinem compoſuerat, ad Matthiam principem citato equo procurrens, ſi ei videatur, tempus eſſe ſuadet venientem hoſtem excipiendi prælio, atque fortiter invadendi. Ille acceptâ ab Octaviano Cabriano ſtabuli magiſtro galeâ, thorace antea indutus erat) mox unanimi impetu in hoſtes fertur; ita ut peditatum Rosburmius duceret cum tribunis Prainerio, Althano, & Hoffquithio, eorumque veſtigiis Gaiſpergius cum ſua legione inſiſteret; equitatui verò tam Ungarico, quàm Germanico, ipſe cum Mercuriano præeſſet. Itaque irrumpentibus utrinque exercitibus, quamquam Turcæ numero ſuperarent, tantum tamque atrox certamen eſt exortum, ut multis retroactis annis majore vi atque pertinaciâ, & etiam periculo pugnatum fuiſſe nemo ferè meminiſſet. Et primo quidem hoſtes tormentis currulibus, quæ in editiores tumulos attracta erant, noſtris magnum terrorem & detrimentum inferre cœperant, & ab Janiceris in proximo ſaltu collocatis, crebris ſclopetorum ictibus petebantur: ita ut ſuperante hoſtium multitudine, res in ancipiti verſaretur: & quædam alæ Ungarorum jamjam fugam circumſpectarent, urgente eos Quihaia Mehemete, quum Mercurianus ingenti animo Johannem Erneſtum principem Anhaltinum equitatui Saxonico præpoſitum, necnon Althanum, Prainerium, ac legiones, Coloniciumque & Hodiccium, deinde Nadaſdium, Turzonem, Forgacium, & alios Ungaros cohortatus, ut eam diem, eam aciem fore ducerent, qua perpetuam nominis laudem & gloriam adepturi eſſent, ſi vires & arma intrepide fortiterque expedirent, recta in hoſtem convertit. Laurentius quoque Brunduſinus Capucinorum ordinis Monachus, Chriſti Dei cruci affixi imaginem tenens, magna voce noſtros ad pugnam accendebat, pilas circumvolitantes nihil moratus. Nec mora, ſclopetis, quos Germani equites à fronte, ac pedites à latere periti ſſime diſplodebant, ac haſtati Ungari in proruentes Turcas fortiſſime invecti, pugnam iniverunt, magnaque vi hoſtes loco pellere cœperunt, ſicque poſt ingentem cædem promiſcuorum hoſtium, Murates Budenſis & Mehemet Quihaia, ab Ungaris dejecti equis, obtruncantur, eorumque capita celeriter præciduntur. Eorum interitu cæteri fractis animis terga dant. Sulcius, qui tormenta curabat, è collibus & tumulis hoſtes pilis directis magna clade affecit, nec ultimus eorum fugæ auctor fuit. Decidit ibidem etiam Celebis Muratis filius, & ſupra eos periere in eodem conflictu Derviſius Boſnæ purpuratus, ac quatuor ex his præfectis, quos ipſi Sangiacos ac Begos vocant, & quinque ferè millia Turcarum & Tartarorum cæſa ſunt. Ex noſtris mille circiter deſiderati, inter quos præter gregarii nominis milites, Chriſtophorus Batthianius minor, ac Stephanus junior Queſerius, Matthias Oſtroſitius, & Stephanus Mereius interiere. Adamo Poppelio Ladislai filio, qui in turma Tartiana, alæ equitum præerat, pila falconis grave in pede ſupra talos vulnus inflictum eſt, ex quo tamen cura & ope medicorum deinde convaluit. Capita Muratis & Quihaiæ Matthias princeps Petro Bolhaſio militi & ſociis Caniſam in Caſtra perferenda dedit, quæ à noſtris deditionem poſtulantibus, obſeſſis, ut diximus, Turcis fruſtra oſtentata fuerunt. Exinde noſtri propiùs urbem caſtra promovere; ita ut illa æquali ferè inter urbem & hoſtium caſtra intervallo collocarentur. Verùm illi ſive ingruentium hiemis tempeſtatum providi, ſive orbati ducibus, quorum virtuti præ aliis magnopere confidebant, ſeu metu Germanorum, quos eo prælio tanta virtute & fortitudine dimicaſſe dicebant, ut ſe majo-

Acie inſtructa magna animorū contentione ab utroque exercitu depugnatur.

Murates Budenſis & Mehemet Kihaia in prælio cadunt. Aliique primarii Turcæ.

Quinque Turcarum & Tartarorum millia occumbunt.

1601. majorem ejus gentis vim atque virtutem nuſquam expertos eſſe dicerent, nihil poſtea tentaverunt; Sed dies ferè decem, eodem in loco permanſere, non ceſſantibus interea minutioribus præliis, nec tamen memoratu dignis.

Turca caſtris motis, Budam verſus diſcedit.

Poſtea Haſanes, præmiſſis Budam verſus tormentis atque omnibus impedimentis, ipſe quoque cum reliquo exercitu eodem itinere reverſus eſt; miſſis priùs equitum promptiſſimis qui noſtris proclamarent, Germanos, cum quibus hiſce diebus dimicaſſent, viros fortes eſſe omnes & invictos, nec ſe illis uſpiam melioribus congreſſos hactenus; nunc diſcedere, ſed rediturus ad prima veris initia experiundi causâ, utrum pari virtute pugnando, vel ipſi Albam iterum amittant, vel Germani Budâ potiantur: quibus dictis ante egreſſum cum caſtris Haſanem citatis equis ſequuti ſunt. Nec diu poſt Matthias princeps ſua caſtra Jaurinum reduxit, atque inde Viennam eſt reverſus.

Archidux Matthias Viennam redit.

Sed Ferdinandus & reliqui duces nondum Caniſæ obſidionem reliquerant, atque eam tanta vi quotidie verberabant, ut jam incluſi, mœnibus uſque ad humum ſtratis, ſcrobes ſubterraneas ſubire, inque iis agitare cogerentur; tantaque rerum neceſſariarum penuriâ laborarent, ut obſidionem ulteriùs nequaquam toleraturi crederentur; quum & farina omnis ac alia cibaria defeciſſent; Italique adhuc in replendis foſſis inceſſanter occuparentur, quibus operi intentis ſæpe ex arce detrimenta inferebantur, ac paucos ante dies Johannes Carolus Sacornianus glande ictus grave vulnus ſuſceperat; nihilominùs tamen incredibilis erat obſeſſorum pertinacia, ſive quod foſſam gelidiſſimæ aquæ plenam à noſtris ſuperari nequaquam poſſe crederent, ſive noſtros hiemis jamjam ſævituræ incommodis obſidioni finem impoſituros confiderent, ita ut ne verbo quidem deditionis ſignum dare vellent. Tartarorum quoque turma è Sighero duce Abollate, videndi quidnam ageretur causâ, & ad caſtra inquietanda procurrerat, quæ tamen à noſtris Illyrici nominis militibus cæſis ferè omnibus diſſipata conciſaque fuit: eorum capita contis præfixa, una cum ipſius Abollatis capite in caſtra relata.

Rosburmii ſententia de obſidione Caniſæ.

Interea Rosburmius in concilium vocatus, ac quanam ratione obſidionem continuandam arbitraretur, interrogatus, in hunc modum „diſſeruit. Non dubito, principes optimi, vos ab initio hujus obſidionis nullis impenſis, nullis laboribus aut operæ peperciſſe, ut ea ad optatum exitum perduceretur, talique providentia veſtra calamitatibus ac cladibus, quæ ex hoc loco vicinis noſtris provinciis impendere videntur, ſatis proſpectum eſſe poſſet; ſed conſiliis induſtriæque veſtræ, & ducum veſtrorum ante omnia fortunam, cujus in rebus humanis, & potiſſimum bellicis maxima eſt & incredibilis poteſtas, defuiſſe video. Quibus ſummis viris, & rei bellicæ peritiſſimis, ut nihil hac mea oratione derogatum cupio, ſic rationes inſtitutæ obſidionis probare minimè poſſum, quæ & tardius, quàm par erat, inchoata, & minore cum ſolertiâ promota mihi videtur, quod exercitus, qui ex Italia tempeſtive advenerat, tempus fruſtra expectando Zagrabiæ & procraſtinando in otio triverit, & tandem adverſis tempeſtatibus, ac anni parte in hiemem verſa, ita huc adductus ſit, ut ne viæ hoſti præcluſæ, & exeundi ac ingrediendi hoſtibus facultas conceſſa eſſe videantur. Nunc ſi quid navare operæ pretii velimus equidem obſidionem arctius inſtruendam, & longè alio modo omnia reparanda cenſeo; & ſi rerum difficultates, maximè verò cœli & aëris injuriæ minimè obſtent, durandum nobis in incepto, nec ullum laborem aut periculum ſubterfugiendum duco; & quod ad me exercitumque meum attinet, ſpondere atque polliceri non dubito; quamquam ſi hæ tempeſtates non remittant, perdurari poſſe vix mihi perſuadeo. Imprimis autem mihi videretur, tormenta ex his aggeribus in alium locum attrahi oportere, & arcem ab Orientali regione verberandam, qua ex parte muros debiliores eſſe, ab iis, qui ejus ſitum cognitum habent, cognovi: deinde pedites undique diſponendos, cum acerrimis præfectis, qui hoſtes ad comportandos faſces & cæteram materiam exire minimè permittant, quod hactenus factum eſſe audio, & nulli mortalium ad eos eundi, aut literas, aut quicquam nutrii perferendi poteſtatem dent: ac omni ope enitantur, ut hoſtes creſcente rerum neceſſariarum inopia, aut ad deditionem compellantur, aut ea ab iis vera vi ac inſigni virtute noſtra extorqueatur. Me verò in omnibus his rebus, quæ ad officium meum pertinebunt, nihil diligentiæ & ſolertiæ prætermiſſurum, nec laboribus ac vitæ periculis parſurum offeto, atque adeo omnibus viribus conaturum, ne veſtræ de me expectationi ulla in parte deeſſe videar.“ 1601.

Cæteri duces ordine rogati, pars Rosburmio aſſentiri, non recedendum, niſi re perfecta illinc eſſe, pars major eo inclinare, ut quum æquiore cæli ac temporis conditione, nihil proſpere tentatum eſſe, ac operam fruſtra conſumptam appareret, occaſionem aliam deinceps quærendam: nunc non aliud futurum, etiam ſi quid amplius tentari placeat, quàm ut milites ad aperti periculi diſcrimen, veluti oves ad cædem & macellum ducantur, poſtquam arduum & difficile, nec exitu pervium ſit, cum hoſte ſimul ac frigore, & nivibus ac intolerandis cœli tempeſtatibus uno eodemque tempore pugnare. Inter haſce ducum ſententias, quæ mire variabant, Ferdinandus ad eos, qui tormentario negotio, ac aliis muniis præerant, converſus, quid ab ſe prætermiſſum eſſet, quod ab ipſis uſui fore propoſitum eſſet, percunctari cœpit, à quibus reſponſum eſt, nihil in ipſo deſideratum eſſe, qui non ſolùm proprios equos, ad comportandam materiam conceſſiſſet, ac ad telam ſacculis conficiendis magnam pecuniæ ſummam impendiſſet, neque ſuis tentoriis in eum uſum diſcindendis peperciſſet, ſed unam iniquæ ſortis & fortunæ aleam votis ritè ſuſceptis obſtitiſſe, proinde majori parti ſolvi irritam obſidionem oportere videbatur. Mantuanus autem & Delphinus, Montanuſque & Italici duces, expectandos aliquot dies, donec ſeteniora illuceſcerent tempora putabant, ac deinde deliberandum, an miteſcente cœlo cæptis inſiſtendum foret. Et eo quidem die, qui fuit XV. Novembris, ſoluto concilio, in tabernacula diſceſſum eſt. Sed nocte ingruente eadem nocte, ſæviſſimi & horridiſſimi è Septentrione Boreæ flare cœperunt, inſolitæque & præaltæ nives turbato aëre cecidêre, quales vix avorum ætas meminiſſet, adeo ut milites horrenda tempeſtatum ſtatim omnia congelantium vi perculſi, ne dum ſua officia & munia excubando, atque vi-

Noſtri graviſſimis cœli tempeſtatibus exagitati obſidionē ſolvunt.

1601. vigilias obeundo exequerentur; ſe ne membra quidem movere poſſent: & plurimi in ipſis tuguriis & ſerobibus, miſerrimo mortis genere cocti ac rigentes reperirentur: Jumenta quoque & equi antea pabuli inopia, nunc autem intolerando frigore vitalia viſcera opprimente paſſim interirent. Quæ horrendæ tempeſtatum procellæ nedum remittere aliquantulum, ſed furentibus quotidie ventis magis ac magis valeſcere videbantur; cœlumque ipſum ac terra pro hoſtibus ſtare, noſtris verò contra, adverſiſſima omnia ingruere, & graviùs gliſcere palam eſſet. Igitur duces non jam amplius tot tantiſque rerum difficultatibus obluctandum eſſe decernunt, quæ in ipſos multiplici veluti diri ominis congerie conjuraſſe cernebantur, & communibus ſententiis exercitum reducere incipiunt. Tormenta, quæ deficientibus, & fame frigoreque enectis jumentis quum attrahi non poſſent: ibidem relinquuntur: quæ etiamſi ſuperfuiſſent, quia tamen telluri cœnoſæ uſque ad axes impacta, ac demum rigidiſſimo gelu concreta eſſent, loco moveri non poterant, quantum tamen concedebatur, corrumpendis opera navata. Tentoriorum maximus numerus ſubditis ignibus concrematus eſt; eademque pulveris ſulphurei & impedimentorum ſors fuit.

Miſerabilis noſtrorum diſceſſus.

Ægris & vulneratis crudeliter relictis.

Sed magno crudelitatis & inhumanitatis exemplo ægrorum ac vulneratorum nulla habita eſt cura: qui in eiſdem, quibus ejulando ac lamentando, Divumque atque hominum opem fidemque implorando, tentoriis & lectulis decumbebant, miſericordiæ aut feritati hoſtium relinquebantur: poſtquam incredibilis & ſupra fidem intoleranda vis frigoris omne genus officii ac pietatis excludere videretur. Ferdinandus cum Mantuano ac Maximiliano fratre ad XVIII, diem Novembris primo illuceſcentis diei crepuſculo cum ſuo prætoriano comitatu verſus Chactorniam iter ſuſcepit, ad quam ſe eodem die perventurum putabat, idque meliori cœlo atque via fructu facilè erat; ſed triduum in eundo conſumptum fuit. Nondum à Caniſæ arce procul erat diſceſſum, quum in quodam paludis tranſitu, quem Ferdinandus Herberſtanio reficiendum ac ponte ſternendum mandaverat, ſed ille contumacia ſingulari obaudiverat, plurimi mortales æque ac equi immerſi glacie & aquis interiere; quum quatuor integras horas ibidem expectando, ventorum rabiem, & procellas ſuſtinere non potuiſſent. Currus onerarii ac impedimenta morientibus aut dilapſis aurigis, ac cuſtodibus aut etiam interfectis, ac multa pretioſa ſupellex injuriæ inſidiantium ac prædæ fuere. Videre etiam in itinere erat, multos pueros & fœminas, & imbellem ejuſcemodi turbam, atque adeo etiam milites rigentibus nimio frigore artubus, corruere, & ſine ulla prætereuntium miſericordia aut ope extingui & expirare.

Qua in re tantam militum Germanorum feritatem vidimus, ut nulla morientium commilitonum commiſeratione tangerentur, ſed potiùs concidentibus; nec toto nativo calore deſtitutis, & adhuc palpitantibus calceamenta & veſtes detraherent, ac crudeliſſimum mortis genus ſociis accelerare conſpicerentur. In hunc modum multa nocte ad villam Decanociam ventum eſt, ibique principes in mapalibus & ruſticanis caſis ſimul cum paucis, & Madrucio ac aliis è comitatu hoſpitio excepti fuère; alii ad villas proximas, qua quiſque potuit ſemineces & gelu rigidi diverterunt: multos vel ibidem vel ſecus vias & compita corruentes vita reliquit. Nec adhuc mitigatis cæli injuriis, ſed præcipiti cadente nive, exercitus Italici, ſine ordine, ſine ſignis catervatim, uti cuique licuit, Petovium atque Gracium contenderunt; eo propoſito ut Pontificiatum & Hetruſcatum legionum reliquiæ per Carinthiæ fines in Carnos & Flumen oppidum pedibus profecti, ibi navibus conſcenſis, mari in Italiam reveherentur; Madrucianæ verò ſolutis Gracii ſtipendiis exauctorarentur. Rosburmius, Nadaſdius, & Medicæus cum ſuis copiis per Capornacum ac Sabariam, indeque Viennam reverſi ſunt, multis ſuorum in itinere pari temporis injuria amiſſis; ſuoſque ibi milites in hiberna diſtribuere. Mercuriaous verò magnam peritiæ militaris, ac ducendi exercitus laudem adeptus, ideoque exercitui apprimè charus, accepto à Cæſare & principe Matthia commeatu, primis anni & menſis Januarii diebus iter in Lotharingiam patriam ſuſcepit, ut ad ineuntis veris initium conductis è Gallia & Belgio militibus, ad ſummi imperii curam ſibi delatam reverteretur. Sed quum Norimbergam celeberrimam Germaniæ ſuperioris urbem divertiſſet, acutâ ſebri vir longè omnium virtute ac fortitudine militari florens ac memorabilis, rebus humanis eſt exemptus: magno hercle omnium & imprimis Cæſaris dolore, qui brevi tempore clariſſimos ſuarum copiarum duces, ab ſe gravi curâ & ſtudio conquiſitos, tam properantibus fatis, ſibi & reipubl. eripi moleſtiſſimè ferebat. Fuère, qui ejus ſubitam immaturamque mortem ad venenum referrent, quod iiſdem omnino diebus, puer ejus cubiculo aſſuetus, ac Medicus, & alii quidam ex ejus comitatu, ætate florenti juvenes, pari oppreſſi morbo periiſſent; ſed quod nullo certo indicio inniterentur, res ſilentio involuta fuit. Natus erat patre Nicolao Comite Validemontio familiâ regiâ è Galliæ regum ſanguine oriunda, cujus filiam Aloyſiam Henricus Tertius Galliarum & Poloniæ Rex, matrimonii fœdere ſibi conjunxerat; qui ut ſocerum amplioribus titulis ornaret, eum ab oppido Mercurio ducem appellaverat, quo cognomine hic quoque & ejus poſteri denominati fuerunt. 1601.

Dux Mercurianus obit.

NICO-

DE REBUS HUNGARICIS LIBER XXXIII.

1602.

Res Tranſilvanica.

TErtius Cæſarianarum partium exercitus, cui Baſta præerat, feliciori eventu in Tranſilvania rem adminiſtrabat, ſed tantis licentiæ militaris & avaritiæ corruptelis agitatus, ut miſera agricolarum plebs, ac nobilitas tot exhauſta belli incommodis, majora & graviora ab ipſo duce & militibus, quam à barbaro quovis hoſte detrimenta pati videretur. Poſtquam enim Claudiopolim occupaſſet, & præſidio muniviſſet, ibique aurum omne & argentum, ſive id celatum, ſive rude, ſive in monetam cuſum eſſet, undique ſub fide conquiſitum extorſiſſet, quorum vis ingens fuit, Sigiſmundus metu perculſus Braſſonem ſe receperat, & illinc in Moldaviam, ſi Baſta vim admoveret, profugere in animum induxerat (Tranſalpinus enim Radulo, qui Michaëli ſucceſſerat, Cæſaris partes ſequebatur) niſi à Georgio Barbelio & Moyſe Siculo retentus fuiſſet, qui ſe Turcas & Tartaros in ſocietatem belli vocaſſe, brevique affore, ſpe retinendæ provinciæ injecta, referebant. Qui etiam non multò pòſt cum non contemnendo numero advenère, eoſque Bectas purpuratus Temeſuario præfectus ductabat: is Mehemete patre genitus, quem à Maximiliani Cæſaris militibus Georgioq; Thurio in excurſione ad caſtra prope Jaurinum captum fuiſſe retulimus, Solnochi in Pannonia natus, linguæ pariter & rerum Ungaricarum apprimè gnarus erat.

Moyſes Siculus Turcos in ſocietatem belli adverſus Baſtam vocat.

Reſtabat Biſtricia quæ Baſtæ portas claudere auſa, adhuc in partibus Sigiſmundi ſtabat; ejuſque copias cum præfectis Nicolao Viteſio & Alberto cognomine Magno intra mænia receperat. Eam urbem olim à Ladislao Rege, qui poſthumus vocatus eſt, Joanni Huniadiano inclitæ virtutis duci, titulo perpetui ac majoris comitis, ob res pace belloque adverſus Turcas præclarè, proſperéque geſtas dono datam, Matthias ejus filius regnum Ungariæ adeptus, in publicum Saxonum Tranſilvanorum jus ac territorium transtulerat, eaque ab iis muro & turribus cincta egregiam habet munitionem. Vergit autem ad alpes, quæ Moldaviam à Tranſilvania dirimunt. Huic expugnandæ Baſta prædæ avidus tormenta admovenda duxit, quod in eam tutioris permanſionis cauſa complures nobiles, eorumque conjuges & liberos cum cariori ſupellectile, rebuſque magni pretii inter bellorum ſeſe recepiſſe cognoviſſet. Cùm verò Viteſius & Albertus aliquot diebus vim tormentorum & obſidionis incommoda ſuſtinuiſſent, & ſe urbem amplius retinere deſperarent, miſſis ad Baſtam, qui de deditione tranſigerent, ea exire decreverunt, ſeque ad Sigiſmundum, qui eodem fere tempore Claudiopolim obſidebat, conferre; Sed & ille virtute præſidii Germanici inde repulſus, iterum Braſſonem remeaverat. Cæterum ſubſcribitur utrinque conditionibus, nimirum ut exituris liberum iter eum ſarcinis & rebus univerſis, quocunque ire velint, pateat, nemoque ex iis aut verbo aut re violetur. Sed quum traditis Baſtæ urbis clavibus, tam præfecti quam alii convaſatis rebus excederent, mox omnes contra datam fidem à Vallonibus & legione Pecziana, omni

Baſta Biſtriciam à partibus Sigiſmundi manentem ſtantem oppugnat

Occupat, & fide labefactata ſpoliat

ſubſtantiâ crudeliter ſpoliati ſunt, vulneratis 1602.
cæſiſque permultis, qui reſiſtere auſi eſſent, inter quos Viteſius alter præfectorum deſideratus fuit. Matronæ etiam non auro & pecunia, carioribuſque rebus, ſed annulis, quibus digitos ornaverat, & veſtibus indignum in modum exutæ, lamentis, & ejulatibus omnia compleverunt. Alberto Magno id tantummodo ſaluti fuit, quòd cùm novis cothurnis pedes induiſſet, mileſque è Vallonibus, qui eum ceperat, ne calcei cruore ejus fœdarentur, aſſidere, donec detraherentur, eum juſſiſſet, Baſta ſupervenit, eumque dimitti juſſit. Cæterorum quoque corpora & matronarum imprimis à vi & ſervitute incolumia ſervavit; ita ut nullis rebus reſtitutis, ipſe earum præda, quæ ampliſſima ingenſque fuit, potiretur. In urbe demum idem quod Claudiopoli antea fecerat, miſſis præconibus, omnia quæ apud cives depoſita erant, ſive aurum aut argentum, ſeu veſtes aut arma, ac quicquid dici tale queat, produci juſſit atque ademit, poſteaque ea item à militibus diripi permiſit.

Erat per id tempus Tranſilvaniæ facies adeo duræ & miſerabilis conditionis, ut multis juſtas lachrymas excuteret, quum hinc Baſta & ejus exercitus omnia ſacra pariter ac prophana impunè diriperent; illinc verò à Turcis & Tartaris obvia quæque crudeliſſimè vaſtarentur: neque alia re levior toleratu illius crudelitas erat, quam quod à populis in ſervitutem abducendis manus abſtinebat, cæteris in rebus facilè hoſtes æquabat. Qua rapinarum feritate adeo omnium animos à Germanorum imperio abalienatos avertit, ut eorum vel nomine exhorreſcere etiamnum videantur. Quibus etiam incommodis brevi poſtea extrema in provinciam fames & rerum ingens inopia invecta eſt, quum ſupra quotidianas omnium alimentorum direptiones, ingens quoq; majoris minoriſq; pecoris numerus in Sileſiam & alias regiones, flentibus agricolis, & ſua pecora fruſtra repetentibus gregatim abigeretur; ſic ut brevi poſt frumenti modius XXV. & amplius aureis nummis veniret; & miſeri homines equinis carnibus ac felibus, & id genus præter naturam cibariis veſci cogerentur.

Tranſilvaniæ miſeranda conditio

Fames invaleſcit ibidem.

Sigiſmundus interea ſive hujuſmodi malorum difficultatibus fatigatus, ſive à barbaris, quibus toties in auxilium vocatis ſolvendo non erat, ſibi metuens, tametſi Barbelio & Moyſe dehortantibus, & ne deſperaret identidem jubentibus, nuntios ad Baſtam mittere, ac de pace cum eo & Cæſare tractare conſtituit. Receperat ſe eo tempore Baſta ad Deſium, claram ſalis fodinis provinciæ civitatem, quod quum à Cæſare nova auxilia in ſupplementum exercitûs ſui periiſſet, iſq; Prainerianam, & Petenhuſianam legiones extemplò proficiſci ad eum juſſiſſet, ſed illæ lento procedentes gradu nondum eo perveniſſent, ipſe vero ſuas copias ad præſidia Varadini, Huſti, Claudiopolis, Cuvarii, & aliorum locorum diſtribuiſſet, ſe poſitis eo in loco caſtris, ac iis vallo foſſaq; munitis, tutum adverſus quorumlibet magnas copias fore exiſtimaret. Ad eum igitur Deſii in caſtris morantem Calendis Martiis nuntios miſit, per quos inducias duorũ menſiũ ſibi dari petiit, ut interea legatum ad Cæſarem pro renovanda

Induciæ inter Baſtam & Sigiſmundum pactæ,

1602. pace & ſanciendis conditionibus mitteret, iique ſub id tempus reverti poſſent. Nec Baſta ſuis & Cæſaris rationibus, quo minus ancipiti & diurno bello, ac ſubinde novis & redivivis rebellionibus recrudeſcenti finis imponerêtur, obſtare ratus, ountios remiſit, qui ſuo nomine Sigiſmundo dicerent, ſtultitiæ videri poſſe eum hactenus hoſtem Cæſari abſque cauſa fuiſſe, quem æquum & benignum adeo principem ſæpe antea expertus eſſet; & nunc quoque, ſi potiora bello conſilia ſequutus ad ejus clementiam amplectendam recurrat; certum apud eum rebus ſuis refugium, pro incerta barbarorum ſocietate inveoturus ſit; Martem ancipitem ſæpe miſerrimum exitum ſecum ferre; nec in ejuſdem poteſtate initium finemque belli eſſe; proinde ſuis conſuleret potius & provinciæ commodis cum Cæſare conveniendo, apud quem omnia prona ad pacem & proclivia fore non dubitaret; quibus dictis petiti temporis ſpatium eâ conditione conceſſit, ut tres obſides ſuo ac provincialium nomine primo quoque tempore ad eum mitterentur, qui interea, donec de Cæſaris voluntate certiora adferrentur, Sacmarii honeſta ſub cuſtodia ſervarentur.

Nec mora miſſi pro obſidibus Joannes Senpalius, Lupus Hatinianus, & Joannes Georeffius, quos Baſta Sacmarium ad Michaëlem Siculum ejus oppidi præfectum tranſmiſit. Sigiſmundus verò ſalubre conſilium ſequutus, contra Barbelii & Moyſis ac nonnullorum aſſeclarum ſuorum voluntatem, qui Germanicum & Baſtæ imperium, ut avarum & crudele recuſabant, Nicolaum Bogathium citatis itineribus ad Cæſarem ire juſſit, ſuoque nomine pacem redintegrare, quam ſi obtineret, mox redditâ ſpontè Tranſilvaniâ, ſe ad eum profectũrum, juſſiſque ejus obtemperaturum pollicebatur: Qui quum ſummam legationis expoſuiſſet, ac pro Sileſiaca Oppolitanaque ditione aliam in Bohemia commodiorem, ac Cæſari propinquiorem petiiſſet, ab æquitate & indulgentia Cæſaris tale tulit reſponſum, ut quamquam multis in rebus graviter ab illo eſſet offenſus, omnis tamen injuriæ oblitum ſe omnia illi condonare ut pacem in provincia ſtabiliat, conceſſurumque illi, donec vixerit, arcem Lobcovitiam, quæ pridem Georgii Poppelii fuerat, ſed ab eo lege Juliâ majeſtatis reo adempta eſſet, cum annua L. millium aureorum numûm penſione: nec ei cæteris in rebus, quæ ad perſonæ ſuæ dignitatem & amplitudinem pertinebunt, defuturum. Bogathius igitur non diu poſt reverſus, Sigiſmundo ea, quæ à Cæſare acceperat, retulit, ac bona ſpe ejus aoimum implevit: addidere etiam ei tabellarium, nuntiuoque Demetrius Napradius, & Stephanus Boſcajus, quos ante triennium nomine ejus legatos ad Cæſarem miſſos fuiſſe diximus, & qui adhuc privato oomine Pragæ erant, Joannem Banhegium cum literis, quibus illum ut clementiæ Cæſaris minime diffidendum putaret, multis verbis adhortabantur: documento illi eſſe debere; quantis fraudibus quantiſve periculis involutæ ſint barbarorum ſocietates, quàm infida & momentanea amicitiæ eorum jura, cujus in Iſabella regina ejuſque filio illuſtre exemplum eſſe queat, quorum Turcica tutela amiſſiooe Budæ & Ungariæ conſtiterit: & ſi ſinceræ ſint, mioimè tamen principi Chriſtiano cum animæ detrimento expetendæ. Quibus cognitis Sigiſmundus & Baſta brevi pòſt Claudiopolim convenere, & in conventu publico, ille provinciâ ceſſit, hic vero eam accepit nomine Cæſaris gubernandam.

Bogathius ab eodem ad Cæſarem mittitur.

Conditiones ab Imp. illi propoſitæ.

Sigiſmũdus Claudiopoli provinciam Baſtæ tradit.

Fuere qui conditionibus cum Cæſare pactis minimè ſtandum putarent, ideoque ad conventum venire recuſaſſent; ut Barbelius & Moyſes Siculus, Germanicum adverſati imperium, quòd recenti Baſtæ & exercitûs impune omnia diripientium exeoplo, crudele, avarum atque impium eſſe dicebant: quorum ille diuturnis articulorum omnium doloribus, quibus oſſa quoque jam nodoſa excoctaque erant, victus iiſdem fere diebus exceſſit è vivis; hic vero Siculis ad defectionem concitatis, ac Turcis in conſortium belli adſcitis, copias colligere cepit, imperium provinciæ haud obſcure affectando. Ejus ambitioni atque libidini Baſtam ferunt occurrere potuiſſe, conceſſâ illi arce Devâ, quam antea corruptis cuſtodibus occupatam tenebat, aut Gergeniâ, quæ nuper Boſcajo adeiopta, eo tempore in ejus poteſtate erat. Cum igitur nondum profecto ad Cæſarem Sigiſmundo, Moyſem rebellaſſe, ac cum V. millibus Siculorum & aliorum, qui conjuraverant, verſus Albam tendere cognitum eſſet, ut ibi Maryſum trajiceret, Baſta conſiliis Sigiſmundi aſtiſque fraudem ſubeſſe ratus, nuntios ad illum miſit, qui iracundius atque vehementius cum illo expoſtularent. Interim autem eductis Deſio copiis, Albam Juliam adverſus perduelles iter ſuſcepit. At Sigiſmundus in itinere eum conveniens, multis verbis ſe excuſavit, nihil conſilio ſuo, oihil conſenſu referens, & ſimul nunquam ſe poſtremo initi cum Cæſare fœderis & amicitiæ jura violaturum prolixè teſtificatus eſt. Sic ille cum Pecziana ac Praineriana legione ac Vallonibus & Sileſiacis equitibus Albam contendens, Moyſem Siculum inter urbem ac pontem Maryſo flumini impoſitum, ac ferarum vivarium conſediſſe cognovit. Nec mora milites ad prælium cohortatus, aciem componit; ex adverſo Moyſes nequaquam detrectato certamine caſtris ſuos educit, moxque infeſtis ſignis armiſque concurritur: fit pugna atrox & cruenta, ſed diu protracto prælio, cadentibuſque ex utraque parte plurimis, fuga à Siculis fieri cœpta, qui ſclopetariorum equitum vim ſuſtinere non poterant; incumbentibuſque magnâ ferociâ Germanis victoria ad Cæſarianos inclinavit; qui poſtquam multos in acie proſtraviſſent, tum vero tergis fugientium inſtantes, omnia cruore cædibuſque complevere: multos hauſit Maryſus, qui eum tranſnatando ſuperare contendebant; ita ut in acie & fuga ac flumine circiter tria hoſtium millia deſiderarentur

Moyſes autem Siculus rebellionem renovat.

Baſta illi occurrẽs, copias ejus cum magna ſtrage proſternit.

Moyſes amiſſis copiis & caſtris ſeſe ex fuga ad vicinos Turcas recepit, adductâ ſecum Temeſuarium conjuge & liberis, ac ſocru, eumque Gabriel Bethlcuus & alii nonnulli exules ſequuti ſunt; ubi à Becteſſe purpurato aliquamdiu ſuſtentati, rebus iterum novandis ſtuduere. Baſta verò eâ potitus victoriâ Tranſilvaniam poſtea omnem in poteſtate habuit, nihil tamen intermiſſis rapinis, ac oullo exagitandorum miſerorum cujuſvis ſexus hominum fioe facto aut moderatione; uſque adeo creſcente indies licentiâ, ut incolæ, dummodo ejus jugum excuti poſſet, qualibet conditione ſerviendum barbaris hoſtibus præoptarent; quum non multò pòſt inſolentiores ſumendo ſpiritus etiam in nobilitatem tam palam, quam occultis criminationibus, cædibuſque graſſaretur. Michaël ſi-

Tranſilvaniamque in poteſtatem ſuam redigit varieque expilat.

qui-

1602. quidem Calmandius, Joannes Boroncanus ac Gregorius Ciſarius, ab eo Claudiopolim ſub fide vocati, nec quicquam adverſi metuentes, diverſis in hoſpitiis, necopinatâ morte necati fuêre, nemine cædis auctores inquirente, ac prætore quoque ſilere juſſo; ſed rebus ac fortunis omnibus in uſum arbitriumque victoris converſis. Quibus rebus eveniebat, ut Baſta apud provinciales, tot malis exacerbatos, ſingulari invidiâ atque odio deflagraret, & ad illud declarandum non aliud, quam commodam occaſionem rerum novandarum, avidis ad ultionem animis, expectare viderentur.

Sigiſmũdus Pragam ad Cæſ. contendit, & in arce Lobcovitiana ſedem conſtanter figit.

His confectis rebus, Sigiſmundus Caſſoviam initio menſis ſextilis venit, ibique ſex non amplius dies moratus, per Moraviam facto itinere Pragam ad Cæſarem contendit, qui eum, donec audiendi & alloquendi ejus commoditas eſſet, Litomericii expectare juſſit; pauloque poſt traditâ arce Lobcoviciâ, & aliis, de quibus inter pacta & conditiones tranſactum erat, ei ſatisfecit, iſque ab eo tempore privato more in Bohemia aſſidue, conſtanterque permanſit.

Comes Belgiojoſa Gonzagæ in præfectura Caſſoviana ſuccedit.

Hiſdem quoque diebus Cæſar Joannem Jacobum Barbianum Comitem Belgiojoſæ (locus eſt in Italia ad Ahduam flumen finis) qui nuper in aulam è Belgio ac caſtris Hiſpanicis venerat, Caſſoviam miſit, ut in locum Ferdinandi Gonzagæ ea præfecturâ abeuntis ſuccederet, ab Electore Septemviro Erneſto Colonienſi Archiepiſcopo ſibi commendatum. Is brevi ejus urbis & ſuperioris Ungariæ adminiſtrandæ curam ſuſcepit; ſed fatali ac occulto quodam præjudicio, quamquam vir alias clarus militariſque eſſet, minime ad genium reſpondit, atque adeo non multo interjecto tempore, ab infeſta ejus cæptis conſiliiſque fortuna deſtitutus, paratis in præſens honoribus & ipſe excidit, & diſſenſione ac ſeditione populorum ſuborta, tam urbs illa, antea ſemper fida Cæſari, quam ſuperior regni pars, non ſine veteris gloriæ & exiſtumationis jactura, ab imperio Cæſaris defecerunt; ſicuti id prout geſtum fuit, paulo poſt referemus.

Haſanes purpuratus Albam obſidione circumvallat.

Dum hæc in Tranſilvania geruntur, Haſanes Gimeſgis purpuratus, qui Mehemetem principem, dum puer eſſet, circumciderat, ita doloreque amiſſæ ob oculos ſuos Albæ Regiæ, tam ſponte ſua incenſus, quam à principe & collegis purpuratis ſtimulatus, qui urbis jacturam iniquiſſimo animo ferebant, collectis undique ſummâ celeritate ingentibus copiis, tempeſtivius quàm annis præteritis acciderat, Belgradum appulerit, ibique paucos dies moratus, ad oppidum prægrande Sancti Demetrii, quod in Sirmio ad ripam Savi fluminis jacet, Calendis Auguſti pervenit, indeque tormentis in naves collocatis, adverſoque Danubio pertractis Budam contendit, ut demum ductis illinc terreſtri itinere copiis, Alba infeſtis armis omnibuſque viribus peteretur. Id quum Cæſar ab exploratoribus didiciſſet, Roſwurmio, qui exercitui præerat, nondum quopiam in locum Mercuriani ſurrogato, in mandatis dedit, ut priuſquam urbs ab hoſtibus circumvallaretur, ea quæ eſſent neceſſaria, quæve ab Joh. Marco Inſulano, urbis & præſidii præfecto ſubſidia peterentur, celeriter inferenda curaret. Itaque è caſtris, quæ Ovarii metanis erat V. millia utriuſque ordinis militum ſelectiſſimorum ſumpſit, ac ſine mora præter pecuniam in militum ſtipendium, etiam commeatum omnis generis, plurimis impoſitum plauſtris, in quibus ſupra ingentem pilarum ferrearum, ac ſulphurei pulveris copiam, duo millia modiorum farinæ, totidem ſalis, ac DCCCVI. modii panis biſcocti continebantur, Albam intulit; ac oneratis certa ſpe auxiliorum militibus, in caſtra reverſus eſt. 1602. Interea Turcæ promoto Budâ exercitu, quartis caſtris in conſpectum urbis pervênerunt, ac ad ejus partem Orientalem tormenta collocaverunt, quibus mœnia dies ac noctes verberare non ceſſarunt.

Præerat præſidio, ut diximus, Inſulanus, ac legatum habebat Franciſcum Vatajum, qui initio obſidionis, nihil quod ad fortiſſimorum ducum & militum officium pertineret, agendo ac vigilando, conatuſque hoſtium propulſando, prætermiſerunt. Sed quia mœnia urbis, ac muniones ſuburbanæ, quæ ex materia partim ceſpite repleta, partim ſimplici conſtabant, ita ut Inſulanus volebat, jamque munienda ſuſceperat, perfici nequaquam potuiſſent, res erat in ſummum adducta diſcrimen; poſtquam barbari ſitus & locorum omnium peritiſſimi, nihil intentatum relinquere viderentur, quo deſiderio capiendæ urbis potirentur. A ſeptentrione quidem jam murus magnum hiatum feciſſe videbatur, ut irrumpi poſſet: verum Haſanes noſtros duabus ex partibus arctandos atque oppugnandos ratus, majorem exercitus partem cum Janiceris à meridionali parte, qua anno ſuperiore Roſwurmium ſuperatâ magnis difficultatibus palude ad Sighetanum ſuburbanum evaſiſſe retulimus, dato negotio Janicerorum tribunis rem gerere juſſit, ne inferiores virtute & conſtantia in ſuperando labore Chriſtianis viderentur; ipſe vero eodem tempore ab Aquilonari plaga murum jam non mediocriter adapertum invadere conſtituit. Igitur hoſtes illo tractu ad Auſtrum vergente, impeditiſſimam paludibus & cœno viam aggreſſi, modò faſcibus ſecum acceptis, lacunas explere conati, modò ad pectus uſque, modò verò pubetenus in aquas merſi, in continentis anguſtam partem, quæ ad Sighetum ducebat, pervênerunt; ibique pedites Ungaros locum magna virtute defendentes, ſubmoverunt, ac una cum Germanis, qui ſubſidio adcurrerant, magna ſtrage loco pulſos in urbem retrofugere compulerunt.

Inſulanus vulneratur.

Quibus quum Inſulanus opem tuliſſet, in urbem eos recepit; ſed ipſe ſupra genu vulnus ſuſcepit, eoque, quo minus verſari in ſtationibus poſſet, importune fuit impeditus. Cum eam quoque in partem tormenta attracta eſſent, rebus ad deſperationem deductis, Germani milites ex gregariis, inſcio Inſulano ac tribunis, occulta conſilia inter ſe miſcere de deditione cepêrunt, factaque conſpiratione miſſus eſt clàm ad Haſanem purpuratum in caſtra Joannes Bagneius, excubitorum ſeu vigilum legatus, qui eam tranſegit, ita ut duo ſigniferi, ſceleris & perfidiæ conſcii, pro obſidibus hoſti traderentur.

Germani cũ Turcis de deditione, inſcio Inſulano tractant.

Et mox Janiceri, in urbem irrumpunt.

Quæ conſilia dum coquuntur, Galli, quos Papæ à Sitarcemburgo obſeſſos poſtea ad Turcas transfugiſſe diximus, Janiceros cohortati, per muros tormentis dirutos, in urbem nemine reſiſtente irrumpunt, & obvios quoſque ſumma crudelitate trucidant, aut capiunt, cæteros tam tubis & tympanis, quam nuntiis ad prædam invitant; poſtremo captis Inſulano & Vatajo, & Georgio Herbeſtainio Feliciani filio, multiſque aliis Germanis pariter & Ungaris,

1602.

Et obvios quoſque cùm interimũt, tum capiunt.

urbe atque arce potiuntur. Extemplo ſtationes in mænibus, ac propugnacula turreſque occupantur, & urbs diripitur, captivique omnes in caſtra ad Haſanem perducuntur. Qui quum ſinguli ſe quoque conditionibus deditionis fruituros ac liberum diſceſſum impertaturos ſperarent, interrogati ex iis Inſulanus, ac Vatajus, cæterique minores præfecti, negavere ſuis conſiliis aut conſenſu tam ſubitam factam eſſe deditionem: ſed quum tranſacta ea ſit, non aliud ſibi reſtare, quam ut privatæ paucorum ambiguæque fidei ſociorum, ſuam quoque voluntatem adjiciant. Quibus verbis capta celeriter occaſione Haſanes ad iram provocatus, & excandeſcens, quandoquidem, inquit, deditionem facere noluiſtis, vos potenniſſimi Imperatoris noſtri captivos eſſe jubeo; cæteros vero milites qui nobis noſtram urbem reddiderunt, liberos abire permittit. Nec mora dimiſſis gregariis, Inſulam, & alios maledictis proſciſſos abduci è conſpectu, ac barbara feritate in vincula & carceres condi juſſit; eoſque demum ſecum Belgradum, ac deinde Byzantium ad Mehemetem principem duxit, ubi Inſulanus, dum ejus redimendi rationes nimium cunctando expediuntur, morbo ac tædio carceris interiit, ſimul cum Herbeſtainio; Vatajum vero poſtea permutatione cum Tarenſi præfecto, Cæſar redimendum curavit. In hunc modum Alba regia, nondum expleto à Chriſtianis in ejus poſſeſſione integri anni ſpatio, iterum barbaris immanibus ceſſit, die XXIX. menſis Sextilis, qui Divo Joanni Baptiſtæ decollato ſacer eſt, ac ipſis cùm aliis tùm victoriâ Mohacianâ fauſtus, felixque.

Inſulanus, Vatajus aliique præfecti, vinculis conſtricti in carceres compinguntur.

Haſanes Belgradum hac victoria parta redit.

Capta urbe Haſanes, quamquam adhuc tempus rebus gerendis idoneum ſupereſſet, caſtraque noſtrorum multis millibus militum referta, non procul Jaurino poſita eſſe ſciret, nihil tamen ultra tentandum ratus, ſed una captæ Albæ famâ, & victoriâ contentus, nec noſtros, qui Albæ laboranti ſuppetias ferre auſi non fuiſſent, quicquam eo anno auſuros exiſtimans, reductis tormentis, & copiis Belgradum lentis itineribus contendit, relicto Budæ in omnem belli eventum valido Janicerorum & equitum prætorianorum præſidio.

Ejus diſcedentis fama cognita, Roſwurmius, cui Cæſar ejus anni expeditionem bellicam Marſchalli nomine, tituloque ei conceſſo, ſecundum Matthiæ principis auſpicia contulerat caſtra Jaurino promovit verſus Budam, ac Vaciam quæ erat in itinere, à noſtris metu hoſtium derelictam reparavit; iiſdemque in locis Inſulæ Sancti Andreæ, inter Peſtum & Vaciam ſitæ geminum pontem, qualem priori obſidione à Suarcemburgo factum fuiſſe diximus, conſtruxit; urbemque propius aggreſſus, caſtris & tormentis idoneum locum quæſivit. Sed hoſtes ex urbe magno numero egreſſi, acre prælium cum eo contraxerunt; paucis tamen utrinque cadentibus, die XXIX. Septembris, Divo Michaëli ſacra urbs obſideri cæpta eſt. Cùm verò hoſtes ex eo loco, ubi olim ſtabula regia erant, nunc verò hortea & frugum conditoria habentur, multum noſtris detrimenti inferrent, ac pons quoque Danubio impoſitus, quo Buda Peſtum tranſiri poterat, illinc eminus defenderetur, Roſwurmius communicato cum aliis ducibus conſilio, pontem tam flumine, quàm terrâ oppugnandum, eamque hoſti commoditatem eripiendam duxit. Igitur ipſe naves, quas Saicas vocant, remige & milite Ungarico actas conſcendit, Lembumque Gilberti Lotharingi arte factum remulco trahi juſſit; comiti vero Sulcio, ut cum ſua legione itinere terreſtri locum aggrederetur, in mandatis dedit. Hoſtes viſo noſtrorum conatu, ſine mora magno ex urbe numero prorumpentes, occupare & defendere pontem cæperant, ſclopetis & ſagittis alioque telorum genere noſtros rejecturi. Dum Roſwurmius cum hoſte juxta pontem acerrimè pugnat, & hoſtes ei arcendo intenti eundem pontem tuentur, Sulcius ejus loci è terra adortus, magna cum ſuis vi & impetu intrepide ſuperat, Turciſque qui ejus cuſtodiæ, cæteris ad pontem certantibus, pauci erant relicti, extemplo cæſis atque interfectis, in eos, qui adhuc contracto cum Roſwurmio certamine pugnabant, repentinus irruit, iique duplici pavore conſternati partim in Danubium proturbantur, partim ſclopetorum glandibus vulnerati in fugam conjiciuntur. Inter ea navigium quoque illud Lotharingi arte fabrefactum, à claſſiariis, & ſecundi fluminis, ac ventorum beneficio adjutum appellitur ad pontem, & illum felici impetu medium perrumpit, ita ut eo disjecto hoſtibus ex una in aliam urbem commeandi facultas adempta eſſe videretur.

Buda à Roſwurmio obſidetur.

His diſcuſſis obicibus noſtri poſtridie Peſtum tam flumine, quam terreſtri itinere, nequaquam diſſimili, quam pridie fecerant, conſilio aggredi ſtatuerunt. Itaque Roſwurmius claſſem, cujus nautæ, remiges, militeſque ex Ungaris ferè conſtabant, ſibi delegit, Sulcio atque Althanio in continenti rem gerere jubet, Turrianum, Colonicium, & Nadaſdium, ut conſcenſis equis ad incerta belli parati ſint, admonet. Itaque cum provocantem cum ſuis è flumine Roſwurmium hoſtes aggreſſi eſſent, Sulciani ex altera parte ſcalis appoſitis mænia ſubeunt, ſed ab hoſte tumultuariè repelluntur, quibus extemplo ſubſidio adcurrunt Ungari Strigonienſes præſidiarii, ac Althaniani Germani pedites, qui rejectis in urbem hoſtibus, ac cæſis, qui pauci ad clamorem procurrerant, urbem capiunt, magnoque victoriam clamore ingeminando ad eam diripiendam diſcurrunt. Cæteros cum Roſwurmio ad ripam Danubii pugnantes, clamor & tumultus fugientium, & captam urbem nuntiantium perterritos in fugam vertit: multi, qui conjugum liberorumque recordatione in urbem refugere contendebant, à noſtris aut capti aut obtruncati ſunt: alios Danubium natando ſuperare, & Budam ad ſocios profugere conantes, haud diſpar excepit periculum, ut vel profundo latoque flumine abſorpti, vel inter natandum glandibus trajecti fuerint: alii ſecundo ſe amne demittentes, ſilvarum, & quas ſors obtulerat, latebrarum beneficio ſalutem quæſivere. Roſwurmius & navales ſocii deſcenſione facta, hoſtes fuſos & fugatos in urbem repellunt, quorum maxima pars tam ab inſequentibus, quam qui jam in urbe erant, à noſtris cæſa eſt; pars in turrim quandam, & templum, cum pueris & fœminis, quorum numerus, quadringentorum fere hominum erat, ſeſe receperunt: atque illinc ſupplices, vitam ac incolumitatem petentes deditionem obtulêre. Quorum commiſeratione ducti Roſwurmius & alii duces, ut Budenſes eorum exemplo ad ſimiles conditiones amplectendas allicerent, Budam ire permiſerunt; dato negotio Franciſco Nadaſdio, ut eos uſque ad urbis portas incolumes ſiſtendos curaret. Reperta eſt in urbe ingens rerum

Noſtri Peſthum acerrimo impetu aggreſſi capiunt.

Ingens præda ibi inventa.

1602.

1602. rum omnium præda, & præter captivos cujuſvis ſexus & ætatis, ac equos circiter mille militares, tormentaque & eorum appatatum in propugnaculis ac turribus conditum, auri etiam atque argenti, veſtimentorum, commeatus, mercimoniorum, & armorum ſatis: quorum magna pars Roſwurmio, eum à militibus, & potiſſimum ab Ungaris extorquente ceſſit. Occupato Peſto, & præſidio tam Ungarorum, quam Germanorum militum bene munito, Buda arctius obſideri cæpta eſt: cujus propugnatores neque noſtrorum minis crebrioribus, neque Peſtanorum exemplo permoti, deditionem pertinacibus animis admittendam cenſebant. Acti etiam ſub fundamentis mæniorum cuniculi, ac colubrinæ majores in altiores tumulos collocaeatæ, quibus in urbem directis, ingentia paſſim publicis, privatiſque ædificiis detrimenta inferebantur; ita ut Roſwurmius propediem ſe urbe potiturum ſperaret, ideoque Matthiam principem, qui adhuc Viennæ ſubſiſtebat, in caſtra acciret.

Interea Gimeſgis Haſanes Peſti ac Budæ obſeſſæ fama permotus, rejectis in præſens Moyſis Siculi precibus, qui eum ad invadendos Tranſilvaniæ fines, expugnandamque Lippam vocabat, facilemque victoriam diffidentibus provincialum ſtudiis pollicebatur, ad ferendas Peſto ſuppetias, aut ſi Chriſtiani urbe jam potiti eſſent, ad extorquendam ab eorum poteſtate animum adjecit, & magnis itineribus in campos Peſtanos, qui Racoſiani vocantur, reverſus eſt. Habere in caſtris dicebatur XXX. millia militum, erantque in ejus caſtris Galli, qui Papenſi præſidio perfidioſe intercepto ad hoſtes transfugerant, circiter CCC. Quibus adventantibus Roſwurmius valida exercitus parte ſecum accepta, ac præter Germanos cataphractos, Nadaſdio, Turzone, & Pogranio, cum Ungaricis equitibus una adductis obviam proceſſit, & Turcæ adverſus eos magno numero occurrerunt, ſubindeque atrox & cruentum prælium exortum eſt. In quo ſuperiores fuere Turcæ, cadentibus utrinque plurimis, & noſtros in fugam conjectos, uſque ad Peſti mænia ſunt proſequuti; quo in certamine præter Gallos quoſdam, ſummo loco natos, qui interfecti fuere, Joannes Tarnovius Coſacorum præfectus vulnus io dextra manu grave accepit, ac Nadaſdius & Pogranius è fuga Peſtum ſeſe recipientes, altero poſtea die in caſtra navibus trajecerunt. Eodem temporis ſpatio, hoſtium ad millia duo ex urbe Budenſi eruperunt, & eam caſtrorum partem, in qua legio Suarcemburgiana ſtationes ſuas habebat, magno impetu invaſerunt, & niſi accurſu equitum, ac legionum reliquarum, qui ad clamorem & tumultum ſine mora provolaverant, adjuti fuiſſent, magnum procul dubio noſtri ab hoſte detrimentum accepiſſent.

Haſanes in Campus Peſtanos, ut Budenſibus ſuccurrat, redit, Et noſtros prælio conſerto fugat.

Interea princeps Matthias, cum prætorianis ſuis copiis in caſtra venit; qui obſeſſos ſpe & expectatione Roſwurmii duriores reperit, quod deditionis, de qua hactenus nihil niſi verba dediſſent, adventu Haſani & ſuorum reſumptis animis, ne meminiſſe quidem velle viderentur. Itaque urbem majore tormentorum vi pulſari, atque arctius obſideri juſſit: Haſanes quoque Peſtum eodem tempore quinque majoribus tormentis acriter verberandum ſuſcepit. Sed tanta obſeſſorum utrinque vis ac virtus pertinaciaque fuit, ut tam noſtri Petro Orſio ac Strozza Italicæ legionis tribuno ducibus Peſtum adverſus Turcas; contra Alis & Haſanes parvus purpurati adverſus noſtros Budam acerrime & fortiſſime defenderent. Et Gimeſgis quidem, per XIIII. dies Peſtanos ingenti virium robore oppugnare non deſtitit; virtute tamen præſidii ſecundum Dei Opt. Max. opem conſervata urbs eſt, quod tametſi ſæpe in hoſtiles aggeres & munitiones excurriſſet; nihil tamen profecit, nec hoſtes illis ejici aut exturbari potuerunt. Cæterum biduo, antequam Turcæ obſidionem ſolviſſent, die XXIII. Octob. illuceſcente, juſſu principis Roſwurmius cum Germanis & Sulcio ejuſque legione, ac Petrus Orſius cum Ungaris, ante auroram, ad aggeres & tormenta hoſtium è Peſto excurrerunt; ita ut legio Semburgiana, duce Craczio legato præcederet, ac Ungari per averſam portulam emiſſi ejus veſtigiis inſiſtere juberentur. Et dum Craczius hoſtes ex aggeribus magna virtute fuſos multis cæſis ejeciſſet, Ungaros mox ſibi auxilio adfuturos exiſtimans; ii inuſitato quopiam fœdoque metu correpti & conſternati, retrocedentesque ſeſe in fugam turpiter conjecerunt, nec eos Orſius ullo modo retinere potuit, quum effuſiſſimè dilaberentur; cumque ſtricto latiore enſe, eis convitio proſciſſis occurrere ante portam, & ut fugam ſiſterent, quando nemo tergis inſtaret, hortati cepiſſet, ac nonnullis etiam vulnus inflixiſſet, ſive forte fortunâ ac caſu, ſive de induſtria, (utrumque enim dictum eſt) ab territis & denſato procurſu irruentibus ita in humum proſtratus, ac proculcatus eſt, ut contuſo vultu ac capite, & ruptis inteſtinis protinus exanimaretur. Pugnabant interea egregie fortiterque Germani, cum hoſtes ad tutanda tormenta, ingenti numero ex caſtris adcurrerunt, atroxque & cruenta admodum pugna identidem fervere & creſcere cepit, Sulcio ſuis animos addente; verum cùm Craczio legato caput glande trajectum eſſet, & Biſancionus tribunus eum XX. circiter ſuorum promptiſſimis cecidiſſet; Ungarique, ut diximus, inopinata conſternatione fractis animis nulli uſui eo die fuiſſent, noſtri amiſſis ſociorum plurimis, ſeſe Peſtum receperunt. 1602.

Mox etiam Peſthum acriter oppugnat.

Pet. Orſii miſerabilis caſus.

Noſtri fugientibus Ungaris, profligati Peſthum ſe recipiunt.

Poſt hanc pugnam minùs proſperè à noſtris tentatam, Haſanes intempeſtâ nocte, aggeribus tormenta educi juſſit, eaque cum ſuo apparatu & inſtrumentis præmiſit; ipſe ſummo diluculo copias in aciem ordinemque conſtructas noſtris oſtentando, ac colubrinas majores diſplodendo aliquamdiu ſubſtitit, ſpeciem provocantis noſtros ad pugnam præbens; poſtea via militari progreſſus, Belgradum verſus iter inſtituit; duobus millibus militum prius Budam à parte turris aquariæ immiſſis, qui cæteris, quos locii deſiderarent, ſupplemento eſſent. Majorem numerum propterea nequaquam reliquiſſe ferebatur, ne commeatus penuriam, quæ jam pridem in urbe ſentiri cæperat, magis auxiſſe cenſeretur. Quum eo diſcedente, nonnulli è noſtris in locum hoſtilium caſtrorum ſpeculatum veniſſent, multa tentoria vacua, ac in iis non contemnendum hominum jugulatorum numerum projectum, & inhumatum repererunt, & eodem modo jumenta & equos præciſo gutture relictos: nec aliud in re inuſitata judicari potuit, quam eos fame, macie, morbiſque confectos, quum ſecum abducere non poſſent, ne noſtris uſui eſſent, crudeliter interfeciſſe cenſerentur. Ejus diſceſſu comperto, noſtri Nadaſdio, Tur-

Haſanes, duobus millibus Budæ præſidio immiſſis, Belgradum repetit.

1602.

Noſtri caſtella quædam Danubio adſita occupant.

Turzone, ac Pogranio ducibus, penes Danubii ripam facto itinere, claſſe quoque & navalibus ſociis ſecundo flumine deſcendentibus, Adonum, Paxum, & Felduarium hoſtium caſtella & munitiones, quæ inſtar propugnaculorum arcendis noſtrorum excurſionibus ac curando commeatui, Budenſibus erant, adorti facili negotio ceperunt, dedentibus ſeſe iis, qui in præſidiis erant, aut metu dilabentibus. Milites Ungari eis occupatis impoſiti fuere; deindeque cum duces re bene geſta in caſtra reverſi eſſent, liberi pedites, quos Haidones quoque vocamus, ab eis digreſſi, Tolnam, olim claram civitatem, XVI. milliarium ſpatio infra Budam occuparunt, ac Turcicas, quæ in ea erant ædes, diripuerunt; inde Coloциam Archiepiſcopatûs ſede, & inſigni templo ac duplici præaltarum turrium faſtigio decoram, jamque majori ex parte à Thracibus & Turcis habitatam, injectis facibus ſuccenſam concremarunt; ac maximâ congeſtâ prædâ, in caſtra redierunt.

Haidones Tolnam ac Colociam deprædantur.

Hoſtium eruptio cum magna noſtrorum clade.

Sed dum iis abſentibus negligentius excubiæ exercentur, hoſtium ad duo millia urbe eruperunt; ac eos aggeres, quos Sembergiani tuebantur, cæſis Germanis occuparunt; ac partim rotis & axibus tormentorum diſſectis & confractis, partim vero foraminibus eorum & ſpiraculis magno ferreorum clavorum numero impacto obſtructis, ea inutilia reddiderunt; adeo amplius duabus horis eodem in loco detrimenta aſſidue inferendo, moram protraxerunt. Et cum cæteri ſerius quam par eſt, ac poſt peracta hoſtium deſtinata auxilio accurriſſent, anceps & diuturnum cum iis certamen contraxerunt; ita ut mille è Germanis & amplius occumberent, caderetque inter alios cæſus Carolus Mansfeldius adoleſcens, ejus Caroli clariſſimi ducis filius nothus, quem reportatâ de hoſtibus Turcis ſub Strigonio victoria, morbo correptum Comaronii è vivis exceſſiſſe diximus. Ferunt Roswurmium in ferendo laborantibus auxilio tardius ſeſe expediviſſe, quòd eo fere tempore aleâ & chartis pictis in tabernaculo ludendo, nec lucri faciendæ pecuniæ ſpem relinquendo, nuntios & legatos aliquandiu ad tribunos miſſitaſſet, ſicque tempus terendo, hoſti ſpatium exequendi quæ volebat conceſſiſſet.

Turcæ Budenſibus opitulaturi à noſtris ſummoti & cæſi ſunt.

His qui caſtella ceperant & liberis peditibus in caſtra receptis allatum eſt certis nuntiis, Albanos, Caniſianos, ac Sighetanos Turcas auxilium Budenſibus allaturos in itinere eſſe, ducibus Omerbego & Ibraimo, qui in animo haberent, ſub tempus contrahendi cum noſtris certaminis, benè magnam ſuorum manum in urbem intromittere, ſubſidio cæteris qui intus erant futuram. Quibus mox Matthias princeps Nadaſdium, ac Georgium Turzonem, & Sigiſmundum Herberſtainium Illyricarum copiarum præfectum obviam miſit, qui cum in hoſtes non procul caſtris incidiſſent, qui plures duobus millibus equitum erant, nihil cunctati in eos acerrimum impetum fecerunt: Nec Turcæ minore virtute eos exceperunt; pugnatumque eſt fortiter ab utraque parte. Sed quum noſtri ſclopetarios quoque equites non paucos haberent, qui Turcas vulnerare atque interficere non ceſſabant, hoſtem fugam dedere, & à noſtris ad multum ſpatium inſequentibus partim cæſi, partim capti fuere; ita ut amiſſa plus dimidia ſuorum parte, ſeſe pars Albam repetere, pars extento curſu, quo potuit, profugere cogerentur: noſtrique CC. fere adductis captivis, ac ſignis militaribus aliquot, victores in caſtra reverterentur. 1602.

Jam hoſtili diſcedente exercitu, captis in vicinia caſtellis, & fuſis fugatiſque iis, qui auxilio obſeſſis veniebant, ac munitione ea, quæ ad ſtabula regia erat, in poteſtatem redacta, Matthiæ principi ad integram obtinendam capiendæ urbis victoriam nihil deeſſe videbatur; & iiſdem diebus turris aquaria non procul à ſtabulis ſita XVI. majoribus tormentis acerrimè quaſſata funditus corruerat, ut in ſequentem diem oppugnatio haud difficili labore inſtitui poſſe videretur; Verum tanta ſubito intolerandi frigoris vis, ac adverſarum tempeſtatum procellæ ſequutæ ſunt, ut cadentibus dies & noctes pluviis nive multâ intermixtis, nedum oppugnatio inſtituta perfici, ſed ne tormentorum quidem uſus, impedientibus cuncta cæli injuriis, exerceri, neque excubiæ ab nudis & enectis frigore militibus obiri poſſe cenſerentur; ita ut princeps vel invitus, ac maxime fortunam, quæ bis ſuis conatibus maligne invidiſſet, incuſans, de receptu, & deſerenda urbis obſidione cogitare compelleretur. Quarum difficultatum haud ignari hoſtes, quotidianis fere excurſionibus noſtros infeſtare non deſinebant: ut decima die Novembris contigit, quando hoſtes in aggeres tormentorum ex urbe eruperunt; ſed à noſtris celeriter occurrentibus, cæſis ex eorum numero quamplurimis, retrocedere, & in urbem egredi coacti fuere. Quo in certamine magna virtus Othonis Rhenani Comitis equitum præfecti, excelſæ ſtaturæ juvenis enituit, qui hoſtes cædendo ac tergis inſtando, ad urbis ferè muros uſque inſectatus fuit. Altero die hoſtes nequaquam caſtigatæ temeritatis pœnâ coerciti, iterum excurrere in noſtros, ac caſtra invadere minime dubitarunt. Et cum ad ſtationem Turriani Comitis irruiſſent, qui ad ſingula momenta paratus excubabat, pugnam atrocem & diuturnam contraxere; ſed accurrente cum equitibus ſuis Colonicio, ac Nadaſdio, & Turzone cum Ungaris, hoſtes amiſſis iterum ſociorum quamplurimis in urbem compulſi ſunt: ceciditque in eorum partibus præfectus prætorianorum equitum Spahoglanorum, thorace & galea cæteriſque armis auratis protectus, quem ſub ilia glande trajectum, ac equo prolabentem ſocii magno numero conglobati in urbem retulerunt. Inter noſtros ipſe Turrianus in ſiniſtro brachio, ac Chriſtophorus Puchaimius equeſtris turmæ præfectus, in capite levi vulnere perſtricti fuere.

Hoſtiles ex urbe eruptiones à noſtris retunduntur.

Noſtri tot & tantis hoſtium injuriis irritati, acriorem obſidionem redintegrare, ac Idibus Novembris ex claſſe Danubiana XL. circiter ingentes pilas ferreas igne candeſcentes in urbem jaculari, ex aggeribus quoque majore vi, crebriores ictus ingerere, iiſque magna obſeſſis detrimenta & ſtrages inferre. Sed quum adverſæ tempeſtates magis quotidie ac magis invaleſcerent, ut venti Aquilonares frigore ac gelu intolerabili perflantes omnibus conatibus conſiliiſque eorum, veluti ex profeſſo obſtare viderentur; quinto poſt eam pugnam die ſolvere obſidionem decreverunt. Igitur Sulciani milites, & alii è propugnaculo, quod antea manu ceperant, educuntur, ac ad Peſti præſidia transferuntur, quod munire & tueri ſtatuerant: iiſdem alii milites Germani è Suevorum & Moravorum ac Sileſiorum legionibus adduntur;

Noſtri cæli injuriis oppreſſi obſidione decedere compelluntur.

ex

1602. ex numero verò equitum centuriæ aliquot equeſtres Rhenani Comitis ac Colonicii, & aliorum præfectorum deſcribuntur, qui Peſti maneant, eique tuendo invigilent: conſtituiturque, qui loco & præſidio præſit Albertus Princeſtainius, multæ virtutis juvenis, id ſponte cupiens; Caſtellis verò quæ infra Budam capta eſſe diximus, præſidiarii è cohortibus Ungaricis imponuntur.

Peſtum, delectu habito, præſidio munitur.

Quibus rebus eum in modum conſtitutis, idoneoque commeatu Peſtana in urbe relicto, tormenta retrahi, & navibus imponi, caſtraque ſervato decenti ordine reduci cepta ſunt, ac quartis caſtris Strigonium perventum: ubi princeps exercitum partim dimiſit, partim verò milites per hiberna diſtribuit: in queis ſolita prædarum ac rapinarum agitatione paſſim ubique graſſati ſunt, nihilo ſecius, ut antea diximus, quam ſi eas non ex faucibus miſerorum agricolarum, quos tueri ex officio veterum Chriſtiani nominis militum debebant, ſed ex hoſtico ac barbarico ſolo rapuiſſe viderentur.

Peſtis & terræ motus.

Eo anno magna peſtilentiæ vis, ac ingentes & inſoliti terræ motus in Auſtria ac Pannonia ſentiri cepêre; ita ut hiſce domus & ædificia pleriſque in locis aut corruerint, aut vitium contraxerint; illa verò infinitos mortales omnis ſexus & ætatis abſumpſerit; invectâ etiam mali contage in ipſa pecora, & jumenta, quæ nullis inventis remediis paſſim ubique interibant. Poſtquam Matthias è caſtris rediit, venêre è Germania copiæ auxiliares M CC. equites gravioris armaturæ, ac duo M. peditum, miſſa à Julio principe Brunſuicenſi, quæ in hiberna ad S. Gothardum, ac Dobram, & Sabariam diſtributa ſunt, donec ad finitimas hoſtibus arces, & idoneas ſtationes dividerentur; qui tametſi ſua ſtipendia ſtatis temporibus accipiebant, nequaquam tamen à rapto & vitiis abſtinebant.

Anno 1603.

Anni inſequentis initium rigidâ hieme concretis glacie fluminibus multiplici hoſtium excurſione, ac infeſtis populationibus, mox Tranſilvanicis motibus inſigne fuit, quæ provincia rerum crebra novitate ac mutatione, ac novis ſubinde ſeditionibus pro incolarum ingenio, ne regibus quidem niſi ex libidine parere ſolita eſt.

Tartarorum infeſtæ excurſiones

Primum Tartari in hibernas ſtationes diviſi, circa Quinqueeccleſias & Sighetum ac Caniſam, magna manu collecta, pagos circa oppidum Papam, & oblongum montem Cameneſum ſitos, quamquam Turcis æquè ac nobis ſubditos, contra fas & æquum concremârunt, & abductis in ſervitutem colonis, pervaſtârunt; Inde Ceſtregum & Dobronacum oppida penes Linduam diripuêre. Tertio Muram prope Leſcocium pagum per glaciem tranſeuntes, peninſulam eam, quam Dravus & Mura fluvii efficiunt, duplici factâ excurſione uſque ad Perlacum oppidum, ferro & flammâ impune vaſtavêre, ac ſummâ celeritate eodem remenſo itinere, ad ſuas ſtationes præda onuſti redierunt.

Illis etiã Turcæ ſe jungunt & Illyricum graviſſimo damno afficiunt.

Poſtremo longè majori numero coacto, Turcis quoque in ſocietatem adſcitis, ita ut ad XVI.^m^ equitum conſtituerent, in Illyricum progreſſi, quum Jacobum Grasbanium inter Veruciam & Breſoviciam cum CCCC. militibus Caproncíæ præſidiariis forte obvium habuiſſent, qui adventus eorum ignari, excurrere in hoſticum volebant, fuſis & fugatis noſtris, captoque in Grasbanio, omnem eum tractum, qui ſecundum Dravi dextram ſeu citeriorem ripam à Caproncia uſque ad Varaſdinum & Viniciam lata & plana protenditur, hinc inde diſcurrendo & carptim urendo crudeliter depopulati ſunt, tantâ celeritate, ut à Comarnicia amne, ubi pernoctârant, ad uſque Vinicenſes campos (quod iter expedito equiti vix uno die ſuperabile eſt) trium horarum ſpatio longe lateque percurrerent. 1603.

Aberat Herbeſtainius, limitis illius præfectus; Sed Joannis Draſcovitii provinciæ præfecti, quem Banum vocant, ſtudio atque vigilantiâ, qui ſe cum copiis Varaſdinum receperat, effectum eſt, ut & ſuburbia ejus loci ab eorum immanitate ſalva retenta ſint, nec multum captivorum aut pecoris abductum. Illi quoque, qui ex hoſtibus Criſium verſus populatum procurrerant, à ſubjectis Herbeſtainio præſidiariis, ac nobilitate, quæ in ſuam defenſionem arma ſumpſerat, aliquot locis non ſine clade cohibiti fuêre. Georgium Queglevitium cum Balthaſare Viragovitio fuſum, in caſtellum Cuſtarocium ſeſe è fuga recipere coegerant, illudque aggreſſi diu oppugnârunt; Verùm quòd latiore foſſa aquarum plenâ munitum eſſet, & incluſi ſe ſclopetis craſſioribus tuerentur, incepto deſtitêre. Demum altero die Ludbregum redeuntes, ubi ſocios & Turcas in caſtris reliquerant, & expugnata ex itinere Raſinia, onuſti ſpoliis & MD. circiter captivis abductis, paucis ſuorum amiſſis, eo quo venerant itinere, Sighetum & Quinqueeccleſias reverſi ſunt.

Rudolphi Imper. mater in Hiſpania obit.

Hujus etiam anni principio extremum diem in Hiſpania clauſit Maria Caroli Quinti Cæſaris Imperatoris filia, Maximiliani Cæſaris conjux, ac Rudolphi filii ejus & ſucceſſoris, qui nunc rerum potitur, genitrix, ſummæ in DEUM pietatis & virtutis matrona, cùm annum ætatis octavum & ſexageſimum exegiſſet. Cui ſplendidum funus ac magnificum Cæſar Pragæ faciundum curavit, inſtructoque regio cænotaphio prolixè ac piè parentavit.

Et Georgius Comes Zrinianus.

Nec diu poſt Georgius Comes Zrinianus, Nicolai Sighetanâ obſidione clari filius, vir & ipſe ſummæ virtutis & fortitudinis, nondum planè ſenex, cum quartum & quinquageſimum annum ageret, vitam cum morte commutavit, qui ſupra peritiæ militaris opinionem, multo etiam ſplendore liberalis vitæ, militarimque alumnorum copia, cultuque familiæ Pannonicorum procerum longè clariſſimus habebatur.

Radulonis Valachi legati cum muneribus ad Imp. miſſi.

Quæ dum aguntur, Radulo Tranſalpinis, quem provinciales in locum cæſi à Baſta Michaëlis principem ſibi elegerant, miſſis ad Cæſarem Radulone Cuſſario ac Leuccaga legatis, omne obſequium clientelæ, promptumque & fidele ad omnia ſtudium obtulit, ac munera addidit: inter quæ præter acinaces, ac ephippia auro & argento elaborata, aſturcones optimi generis, ac equi Doburgiani quietioris & ſedati greſſus, ac rhedarii unicolores, ad manum ducebantur. Legatos Cæſar in clientelam acceptos ac donatos muneribus dimiſit; Radulonemque antiquis conditionibus provinciam habere permiſit: ac ut in colenda fide conſtanter perſeveraret, admonuit.

Legatis Tranſilvanis Cæſari fidem deferentibus.

Advenêre etiam eodem tempore è Tranſilvania legati totius provinciæ nomine, fidem atque obſequium promittentes, Benedictus Mincenthius, Joannes Petquius, Joannes Quiralffalvius, ac Joannes Reghenius, & nonnulli è Saxonum genere. Qui dum ſuis negotiis cum Cæſare tractandis incumbunt, ii, qui domi remanſerant, non ſine ſingulari fraude, & nominis ſui infamiâ, novâ factâ conſpiratione & rebellione, à Cæſare defecerunt: eam nacti occaſionem, quod Baſta & ejus copiæ, longam & difficilem ſtipendiorum

tarditatem cauſatæ, ſeſe Sacmarium & Tocajum verſus ſubduxiſſent, Moyſemque Siculum ſibi in principem elegerunt. Itaque Cæſar legatos vel demiſsè & ſuppliciter ſeſe excuſantes, urbe extemplo decedere juſſit: quamquam neque jus gentium obſtitiſſe videretur, quin in eos uti fraudulentæ legationis reos ſeverius animadvertere poſſet; uno ex eis Quiralffalvajo, antequam diſcederent, morte ſublato, & quod Arianæ ſectæ eſſet addictus, vix in urbe ſepulturam nacto.

Faſtioſi domi rebelles Moyſem Siculum ſibi Principem deſignant.

Moyſes interea, quem poſt pugnam, in qua victor Baſta extiterat, Temeſvarium ad Turcas transfugiſſe diximus, à Mehemete Turcarum principe, provinciæ Tranſilvaniæ imperium ſibi & poſteris impetravit; miſſumque ab illo acinacem & clavam, ac vexillum imperii inſignia accepit, ac paulò pòſt cum Bectesſe purpurato ei opem ferre juſſo, & Turcis ac Tartaris, ac Siculis, qui rerum novarum ſtudio, ad eum tanquam popularem ſuum magno numero concurrerant, ad obſidendum Caranſebeſſum, quinto milliari à Temeſvario diſſitum, copias promovit. Sed Joannem Seleſtium Vilagoſvari præfectum ad eum & Turcas, tradita eis arce, tranſire volentem, Joannes Barſonius & reliqui milites, qui Cæſari fidem ſervare cupiebant, inter diſceptandum interfecerant. Præerat Caranſebeſſo Petrus Huſarius, qui olim Papæ haud ignobilis oppidi præfectus, relicto Cæſare, in Tranſilvaniam ad Sigiſmundum opimioris ſtipendii fiduciâ ſeſe contulerat. Eum portas claudere, locumque Cæſari ſervare volentem, uti paulò ante in Comitio fuerat deliberatum, oppidani & milites pari perfidiâ comprehenſum ac vinctum Moyſi & Bectesſi ac hoſtibus tradiderunt, ejuſque miſeriis & captivitate ſibi libertatem, ac impunitatem ſunt conſequuti. Ferunt Moyſem clementiæ laudem aucupari volentem, illius vitæ parcere cupiviſſe; ſed Turcæ & Tartari, quod eum ob varias & graves contumelias & detrimenta, dum Cæſareanas partes ſequeretur, eis illata admodum exoſum haberent, extemplo cæſum in multas partes diſſecuère. Inde Alba Julia petita eſt; quam quod vacua, nec ullo cuſtodita præſidio eſſet, facile in poteſtatem redegerunt.

Is, inſignibus imperii à Turca nefariò acceptis, Caranſebeſſum occupat, Petri Huſarii indigna cædes.

Mox Alba Julia ejus in poteſtatem redigitur.

Cæterum cum tormentis, quæ erant Albæ reperta, Claudiopolim promotus eſt exercitus, qui confluentibus undique quamplurimis & præſertim Siculorum ſeditioſiſſimis quotidie augebatur. Defendebant urbem Germanorum peditum nonnullæ cohortes, in ea à Baſta relictæ; Sed illæ ab urbana multitudine, quæ apertè ad Moyſem inclinabat, longè numero ſuperabantur, ut milites Germani conſilii inopes ac paucitatis ſuæ conſcii, quid facerent, non ſatis explicabant. Moyſes duabus ex partibus urbem obſedit, una è colle ad meridiem protenſo, qua parte prope collegium Societatis JESU, quod olim Dominicanorum fuit, mœnia foſſis carent; altera prope pontem, quo ſuburbia adeuntur. Nec qui intus erant diu moram fecère, quin cum Moyſe convenirent; qui niſi deditio maturaretur, ſe ſuburbia, quæ erant ampla & ipſa urbe majora concrematurum, & vineas, quæ uberrimam largioris vindemiæ ſpem oſtendebant, immiſſis equitibus & jumentis protriturum comminabatur. Igitur octavo die obſidionis ea conditione urbs deditur, ut Germani quotquot erant in præſidio ſimul cum ſarcinis illæſi, indemneſque Sacmarium ire permittantur: atque iis excedentibus fides ſervata eſt. Redacta in poteſtatem Claudiopoli, & Civibus pecuniâ mulctatis, Torda, Eniedium, Saſſebeſſum, & reliquæ Civitates ac municipia facile imperatis paruêre.

Inde Claudiopolim deditione ſubigit cum aliis nonnullis oppidis.

Itum deinde eſt Cibinium, urbem provinciæ primariam, quæ abſque cunctatione portas aperuit: illinc Braſſonem, quæ Germanis Corona dicitur, & in campis urbi ſubjectis ad molas verſatiles, quibus è contuſis linteolis chartæ ſcriptoriæ conficiuntur, caſtra trifariam collocata ſunt; ita ut Moyſes cum ſuis ſeparatim tenderet, ac Turcæ & Tartari diſtinctis inter ſe locis metarentur. Ibi aliquot dies ſtativa habita, ac Saxonibus commeatus & pecunia imperata; quæ ab ipſis promptè & ſedulò curata eſt; quamquã tot & tantis, tamque variis bellorum incommodis, ac Baſtæ ac aliorum ducum avaritia ac crudelitate ſatis ſuperque exhauſti atque expilati eſſent. Dum ibi morantur, Radulo Tranſalpinæ Valachiæ princeps, cujus legatos obſequia, fidemque pollicitos paulò antè apud Cæſarem fuiſſe diximus, collectis ſummâ celeritate ac ſilentio copiis, ac quatuor tantùm levioribus tormentis ſecum acceptis, Moyſem uti Cæſaris perduellem, ac Turcarum aſſeclam noctu aggredi conſtituit, ut ea re ſummum ſuum erga Cæſarem ſtudium teſtaretur. Nec conſilio eventus defuit; nam cùm ab exploratoribus de ſitu caſtrorum abundè eſſet edoctus, cum quatuor equitum, ac ſex peditum millibus in Moyſem & Turcas ac Tartaros nihil tale metuentes, & ſemiſopitos nocte intempeſtâ, quæ fuit ad diem XXII. menſis Quintilis necopinato irrupit, magnoque ſublato clamore Moyſem imprimis eſt aggreſſus. Nec is ſe animo demiſit, quin fortiter periculoſo in loco repugnaret, & ſuos ad pugnam cohortaretur; Sed ut in re nocturna & ancipiti, inconditiſque paſſim ad arma conclamantium vocibus, partim verò aliis è tentorio ad frenandos ſternendoſque equos proſilientibus, partim nonnullis, atque iis, qui peditum ignaviſſimi erant, latebras & fugam quæritantibus fieri neceſſe erat, parum proficiebatur; & res in extremum erat adducta diſcrimen. Interim verò ſuperventu tormentorum currulium, eorumque pilis magna cum ſtrage circumvolitantibus, omnia tumultu, cædibus, fugâ, periculo miſcebantur. Quo animadverſo Turcæ & Tartari, quorum auxiliis Moyſis ſpes, & belli cœptorumque omnium fiducia ſtabat, ſubito & inexpectato pavore perculſi, relictis caſtris & impedimentis, in præcipitem fugam vertuntur, & qui arma ſumpſerant Janiceri ac peditum promptiſſimi, à Valachis & eorum ſociis Ungaris mercede conductis, quos Aloyſius Radibradius Raguſinus ductabat, cæduntur: Bectes abjecta purpura ac tigridis exuviis, ſumptâque vili penulâ, cum ſuis eo quo potuit profugit, ac poſt multos errores cum Alberto magno & Tartaris verſus Vaſcapum curſum intendit.

Statimque Cibinio capto, Braſſonem oppugnare aggreditur.

Radulo Varvoda illius caſtra noctu adoritur.

Turcas ac Tartaros præcipiti fuga ſe dantes disjicit.

Adhuc tamen Moyſes, quantum poterat pugnando ſeſe tuebatur, multique ex Ungaris & Siculis conglobati ad eum defendendum concurrebant: alii ab hoſte circumventi pro ſuis tentoriis dimicabant, nec alii proprio periculo propulſando intenti opem ferre poterant; videbaturque facies tumultuarii prælii prorſus anceps & confuſa, & Tranſilvani ad extremas neceſſitates compulſi, quum Moyſes pugnando à Valachis interficitur; penes eum non procul Stephanus quoque Toldius multis confoſſus vulneribus occumbit: quibus cadentibus cæteri diſſipantur & profugiunt: & inter fugiendum

Tranſilvanos fortiter pugnantes cadit & diſſipat.

Moyſes Siculus & Toldius cadunt.

haud

haod minore vi, inſtantibus hoſtibus, cæduotur. Nicolaus Bogathius multis lerbalibus affectus vulneribus, quod Valachorum linguæ peritus, ac hoſtium nonnullis cognitus eſſer, in præſens ſervatur, ſed poſt pugnam apud hoſtes extinguitur. Periêre ex iis, qui Moyſem ſequuti erant complures præcipui nominis viri non procul ab eo cæſi, Matthæus Peruſitius Gaſparis filius, qui è Dalmatiæ urbe Scardona in Tranſſilvaniam, evocante Georgio Monacho olim provinciæ gubernatore, profectus fuerat, Joannes Senpalius, Georgius Maco, Joannes Canacus, ac Joannes Capturius & alii complures. Interiit etiam in eo prælii tumultu Joannes Jacobinus Claudiopolitanus, quem Moyſes epiſtularum magiſtrum & Cancellarium ſuum fecerat, tam immatura crudelique cæde indignus, niſi peſtiferos Ariani dogmatis errores ſequutus fuiſſet: cujus ingenii monumentum extat de rebus à Sigiſmundo Tranſſilvaniæ principe geſtis libellus. Melchior Bogathius meliori uſus fortuna ad Devam cum paucis profugit. Cæſa Tranſſilvanorum ad quatuor millia: Vexilla CLV. capta, quæ Tranſalpinus in ſignum navatæ operæ & victoriæ fidem Pragaio ad Cæſarem miſit per Radulooem Cuſſarium, Mircem Mirislonis Logothetæ fratrem, ac Aloyſium Radibradum Raguſitum, quorum virtus & induſtria in pugna enituerat: quæ Cæſar in arcis templique area circumlata è feneſtra ſpectavit, ac legatos donis & auro cohoneſtavit.

Proceres item complures.

Joan. Jacobinus.

Tranſſilvanorum quatuor millia cæſa. 155. Vexilla capta Cæſari oblata.

Poſt cæſum ac vitâ ſimul & momentaneo imperio functum Moyſem, Baſta, qui ſob id tempus Sacmarii rerum eventum præſtolabatur, quum è pecunia Doboois, qui eo ferè tempore moriens, ingentem reliquerat, ſtipendium exercitui dandum accepiſſet, juſſo Sacmarii Michaële Siculo, ut ſe paulò pùſt ſequeretur, promotis copiis in Tranſſilvaniam redire conſtituit: & in itinere de ſucceſſu victoriaque Valachorum, ac Moyſis & perduellium interitu certius cognovit: cumque Thomam Capriolum propinquum ſuum, & excubiarum io exercitu præfectum, ad Radulonem citatis itineribus præmiſiſſet, qui eum de ſuo & copiarum adventu edoceret; is forrè in equites Joannis Turci adoleſcentis, qui ex arce Huniadiana excurrerant, incidit, & ab iis captus eſt. Verùm ille partium quas ſequutus erat principem acie cæſum, & converſam in melius Cæſareanorum fortunam animo reputans, Capriolum Baſtæ incolumem ac in honore habitum gratis remiſit. Cum in Tranſſilvaniam eſſet perventum, Siculum Sacmarii ſubita paralyſi extinctum accepit, & ſimul Albertum Magnum ac Becteſſem ſubſtitiſſe, & reliquias fuſi & fugati exercitus colligere, majoreſque in ſupplementum copias expectare; jamque Turcas & Tartaros ac Coſaccos haud contemnendo numero, partim ex fuga, partim è limitibus earum regionum ad Vaſcapum ſeu portam ferream conveniſſe didicit. Locus eſt inter Tranſſilvaniæ fines, Alpeſque & planitiem Temeſianam poſitus, qua viæ anguſtæ ſuot, per quas Tranſſilvania adiri ſolet, ubi Joannes olim Huniadianus incliti nominis ac raræ virtutis dux, ingentes Turcarum copias memorabili prælio deleverat. Porro Baſta de eorum conſiliis certior factus, Henricum Duvallum Damperii Comitem Lotharingum, ac Ludovicum Racocium cum quatuor millibus Uogarorum adverſus eos miſit. Qui infeſto exercitu celeriter eo profecti, in unamque inrenti occaſionem delendi hoſtis, in eum nec opinantem acerrime irruerunt: cumque hoſtes & præſertim Tartari, qui ob ioſitam animis corporibuſque feritatem inſupetabiles reputantur, impetum noſtrorum irrumpentium ægerrimè ſuſtinerent, ac ſcloperis crebrò vulnerarentur, quod teli genus illi valde formidant, primi in fugam verſi ſunt: nec diu Coſaci & Turcæ cum Becteſſe & Alberto pugnam protraxêre, quin terga darent. Cæſi ex hoſtium numero circiter ter mille, cæteri palantes & diſcincti ac vulneribus debilitati, fuga ſibi ſalutem quæſivêre. Bectes & Albertus ægrè ſeſe è manibus noſtrorum eripientes, Temeſuarium pervenêre. Signa capta XX. cum quibus, ac multis captivis & ingenti præda victores ad Baſtam redierunt.

Albertus Magnus & Becteſes copias inſtaurāt.

Quas Damperu Comes & Racocius cædunt fugantque.

Hac reportatâ victoriâ ipſe recuperatæ Tranſſilvaniæ laudem ſibi arripuit, eamque ſolitis avaritiæ & crudelitatis generibus aliquamdiu in fide Cæſaris continuit, ſed adeo averſis & alienatis omnium voluntatibus, ut niſi auctor & dux deeſſet, inſignium contumeliarum & detrimentorum indignitatem nequaquam laturi eſſe viderentur. Receptâ provinciâ Cæſar Joannem Molardum Comaronii præfectum, ac Nicolaum Burchauſerum in Tranſſilvaniam miſit, qui conſilio cum Baſtâ & provincialibus, quorum fides minimè ſuſpecta eſſet, communicato rationes inirent, quibus ejus ſatis impacatæ ac identidem jugum excutientis provinciæ homines refrenari, commodiuſque regi poſſent. Qui quum inde rediiſſent, viſum fuit Lupo Unſertzagio ærarii præfecto, ac collegis, idque Cæſari perſuaſum reddidère, ut provinciam Baſta conſilio & adminiculo decemvirûm ex Germanis & Ungaris delectorum gubernaret; nominatique ad id muneris ſuor Germani, Burchauſenis ipſe, & Carolus Inbnſtetius, & Paulus Crauſeneccus: ex Ungaris Pancratius Sennicjus, Georgius Hoffmanus, Albertus Sivegus, Cibinii prætor, Joannes Rhegenius, & quidam alii. Rebus verò & negotiis expediundis Franciſcus Darocius è Bereghiana provincia vir ſummæ virtutis delectus eſt, qui vices atque officium Cancellarii præſtaret. Verùm mox concitatâ à Boſcajo rebellione, & rebus ferocis & rebellatricis provinciæ graviſſimè perturbatis, ut paulò poſt dicemus, ejuſmodi conſilia effectu caruerunt.

Decemviri Tranſſilvaniæ gubernandæ delecti.

Hiſdem ferè diebus Nadaſdius & Colonicus Bolonduarium aggreſſi, quod ad Balathonem lacum ſitum eſt, deditione ceperunt: & Laccum, ſubjecto fundamentis ſulphureo pulvere, à præſidiariis Turcis disjectum facili negotio, occupârunt. Verùm nec ipſi Laccum reſtaurandum putantes vacuum reliquerunt: illud verò uti commodiore loco ſitum, impoſito adverſus piratas, qui prædatoriis per Balathonem navibus frequenter excurrere ſolebant præſidio, ac Joanne Balngo præeſſe juſſo munierunt: teque proſperè geſtâ ad ſuas ſtationes ſunt reverſi.

Laccum & Bolonduarium noſtri occupant.

Atque hæc quidem eo ferè tempore foris militiæque geſta ſunt; domi duo ſenatorii viri majeſtatis accerſiti, magno in periculo fuêre. Stephanus Illieshazius, & Joannes Jovius, quorum ille magiſterio Aulæ clarus; hic verò litibus dijodicandis prætor conſtitutus, tribunali regio, quam tabulam vocant, præerat. Illum ærario præfecti advocatique probroſis libellis bifariam ſcriptis Cæſareio inceſſiſſe, ideoque lege Julia majeſtatis crimine teneri deferebant. Cum Cæſar jacta indignè io ſe probra in cognitionem vocari juſſiſſet, dies illi dicta fuit ad comitia,

Illieshazius, & Jovius majeſtatis crimen admiſiſſe inſimulantur.

qui-

1603, quibus controverſiæ majeſtatis inter regem & ſubditos obortæ, à Palatino centumvirali judicio diſcuti ſolent. Sed compendioſiora à comitiis cauſa, ſenatores poſtea nonnulli & judices, qui auditis actionibus ſententiam ferrent, nec tamen eam publicarent, adhibiti fuêre. Quorum ſententiæ quum variarent, & ille ſcripta ſua mitius interpretando, nihil malitioſè, aut de induſtria libidineque, ſed communi loquendi ſcribendique genere accidiſſe excuſaret, neve id tantillum verborum, ſibi factis inſonti crimini duceretur, poſtularet; à majori tamen parte judicum convictus damnatuſque eſt, idque Cæſari ſic expetenti reſcriptum. Qui quum Nicolaum Iſthuanffium eo tempore Propalatinali dignitate fungentem Pragam vocatum, ferre in publico ſententiam adverſus reum juſſiſſet; is ſe patriis legibus, quibus extra fines Ungariæ ferri ſententia cavetur, prohiberi reſpondit: nec eam dici ſententiam poſſe, quæ inſtar opinionis de propoſita quæſtione privatim concepta fuiſſet: dumque in eum modum diſceptatum eſt, quum collegium Cameræ urgendo ſententiam, cupidis animis, lege in reum agi juberet; ille verò contra leges eam ferre nollet. Dilatâ in hunc modum re, Illieshazius, qui tam arduæ & difficilis cauſæ ſuæ Jovium minus æquum diſceptatorem, & nimis præpropero judicio pronum, ad damnandum extitiſſe cognoverat; tali exacerbatus injuriâ literas illius pertulit, quibus illum longè majora & atrociora in Cæſarem & principes ejus fratres probra conjeciſſe appareret, ideoque atrociori etiam ſententiæ magis attineri. Quod poſtquam patefactum fuit, Lupus Unferzagtius Cameræ ſeu ærarii præfectus utriuſque bonis & fortunis avidè inhians, ut iis per auctionem divenditis, æs alienum publicum, quod creditoribus & Lazaro imprimis Henquelio prædivitii mercatori debebatur, vel cum injuria & acerbitate aliorum diſſolveret, convento Cæſare, quum ob rem pecuniariam, quam fiſco ex eorum damnatione obventuram ſpectabat, ſcripta utriuſque pravè detorqueret, ejus ſententiæ auctor fuit, ut Viennam ambo acciti à Matthia principe, lata ſeveriore ſententia capti, cuſtodiæque traditi, bonis & fortunis mulctarentur. Igitur ad diem pridie Nonarum Novembris cùm in Curiam vocarentur, Illieshazius per occultum à quopiam ſui periculi admonitus profugit, ac ad arcem ſuam Trinciniensem delatus, convaſatis celeriter rebus & pecuniis, quas ingentes habere dicebatur, in Poloniam ſeſe recepit: Jovius verò nullius, ut putabat, noxæ conſcius, quum literas manu ſua ſcriptas negare non poſſet, inſperato caſu primum loco & dignitate motus, ſigilloque Cæſaris exutus, quod judiciale vocatur, mox in turrim Vienneſis arcis conditus fuit; bonaque eorum fiſco addicta, ut nec portionibus uxorum parceretur.

Illieshazius fugam in Poloniam ſe recepit.

Jovius in carcerē detruditur.

Per eundem modum Georgio quoque Homonniano arx Terebeſia extraordinario jure adempta, Valentinus ejus frater patruelis, judicio capitis & bonorum arceſſitus, Franciſcus Magocius ad neceſſitates amittendi Regechii adductus, permultique alii intentatis actionibus in forum citati. Quæ omnia ciendis invidiæ & impatientiæ tempeſtatibus opportuna ac valida alienandarum voluntatum inſtrumenta ab ærario præfectis injecta atque propoſita, Cæſar abſque diſcrimine admittebat. Per id quoque tempus Maximilianus princeps Cæſaris frater, itinere per Venetias facto, Romam voti ſolvendi cauſa profectus, à Clemente quamquam pedibus laborante, miſſis obviam aulæ primoribus ſplendidè atque magnificè in Vaticano exceptus fuit; & quum res viſu dignas Chriſtianâ pietate perluſtraſſet, pontificemque ſingulari honore veneratus fuiſſet, Oenipontem, ac deinde ad Cæſarem eſt reverſus, certa cum ſpe promiſſorum à Pontifice auxiliorum, ad futurum bellum adminiſtrandum. 1603.

Intentantur etiam aliis proceribus actiones.

Maximilianus Archi-dux Romam voti ſolvendi cauſa proficiſcitur.

Non equidem libens incepto longius abierim, ſed quum hoc ferme tempore Turca quidam Albenſis, audax inprimis & atrox facinus deſignare auſus ſit, ut gentis ad dolos & fraudes, ac Chriſtiani nominis odium natæ artes plus quam Punicæ caveantur, illud commemorare libet. Quiſibraimus erat Albæ equitum decurio, qui in rixa quadam centurionem Janicerorum interfecerat, ideoque Jaurinum ad noſtros transfugiens Chriſtianis ſacris imbutus erat. Nec Turcis diverſas injurias ac detrimenta inferre deſinebat, itinera eorum Budam atque Albam verſus infeſtis armis obſidendo, nonnunquam ad urbem uſque excurrendo, ac in ſuburbanis ipſaque urbis porta obvios trucidando aut intercipiendo, adeo ut non imbellis duntaxat fœminarum puerorumque turba, ſed etiam milites in hortis, villis, moliſque frumentariis ſecuri ab ejus inſidiis eſſe non poſſent. Interdum noctu excubitores mœnia circumeuntes ſclopetorum glandibus petebat, aut cum portæ aperirentur, cuſtodibus vulneratis, aut interfectis citato equo, quem velociſſimum habebat, domum intactus revertebatur. Itaque aſſiduis ejus incurſibus irritatus urbis præfectus Murates, trepidam ſibi vitam eo vivo arbitratus, ducentorum aureorum nummûm præmium conſtituit, qui eum quocunque aſtu è medio tollendum ſuſciperet: repertuſque eſt Huſaimus ex peditum ordine manipularius, qui caput incerto diſcrimini ultro objiceret, & vitam eo pretio licitaretur: vir tantulæ ſtaturæ, quadratæ tamen & robuſtæ, alteroque effoſſo oculo vultum deformatus, ſed ſtupendâ armatus audaciâ, & qui antea dum Jaurinum à Turcis teneretur, ibi ſtipendium meruerat, captaque à noſtris urbe, ſe è muro in Danubium præcipitem ejiciendo evaſerat. Itaque relicta conjuge & liberis, ſpecie transfugæ Palotam pedibus profectus, ſe occiſo ſocio Albæ manere nequaquam auſum mentitus eſt. Illinc à Gaſpare Horvato loci præfecto Jaurinum miſſus fuit; qui quod nonnihil ab agreſtibus, qui Albæ frequentes verſabantur, cognoviſſet, transfugam inſigne aliquod facinus aut admiſiſſe, aut moliri animo ſtatuiſſe; de eo Lupum Somogium Jaurini legatum ſecreto certiorem reddiderat.

Albenſis Turca atrox facinus.

Cum Jaurinum veniſſet, diemque in legati domo fuiſſet, ſub veſperum ad hoſpitium Quiſibraimi deduci poſtulavit, ſecordiaque legati nihil de eo inquirentis aut providentis deductus, comiter ab eo excipitur, & poſt varios ſermones colloquendo ac compotando in multam noctem colloquium protrahitur, ac tandem eodem in cubiculo ſterni transfugæ lectulum jubet; atque is, quo incautiorem hoſpitem deciperet, prior ſomno ſe teneri ſimulat; pauloque poſt illum ad primæ quietis tempus altè ſtertentem, cultro prægrandi in pectus adacto, uno ictu transfodit, cruoreque ad culcitram abſterſo, nihil cunctatus ſe domo proripit, ac ut erat urbis viarum, ac mœniorum apprimè gnarus, prope propugnaculum, quod Albana porta excun-

1603. executibus ſiniſtrum eſt, ad ejus generis munitionem, quæ Caſamatra vocatur, è muro ſe demiſit, atque illinc in foſſam præcipiti ſaltu conjecit, nemineque vigilum aut circitorum ſentiente, in rutum evaſit. Mane illuceſcente, dirum ac crudele ſcelus patuit, trepidaque urbe ad atrocitatem recentis cædis, mox equites, qui ſicarium retraherent, ad diverſas vias emittuntur: ſed paſſim in ſacro Monte, ac ſilva Bacaoia fruſtra quæſitus eſt. Divini tamen numinis ope factum eſt, ne immanis & truculenta bellua impune evaderet; Cùm enim in agro Tatenſi Albam repetiturus iter faceret, milites quinque numero, Comaronium rerum ſuarum cauſa proficiſcentes, in eum inciderunt, quumque profugere non poſſet, acre cum eis certamen inire non dubitavit, unoque ex illis interfecto, à reliquis, quum ſe vivum dedere nollet, cæſus eſt, caputque ejus Jaurinum miſſum. Quiſibraimum commilitones ſummo cum honore funeris, nec ſine gravi illatæ ab hoſte tam notabilis contumeliæ dolore humatum compoſuère; atque hic exitus utriſque bis viris fuit, æquè perniciosus & lugubris; tanto Quiſibraimi potior, & minoris triſtitiæ, quod Chriſtianæ veræque religionis ſtudium eſſet amplexus.

Interim Rosburmius exercitu ex hibernis educto ad Strigonium convenire juſſo, caſtra ibidem poſuit, Danubiumque ponte conſterni juſſit; ibique copias Brunſuicenſes & equites Franconicos in caſtra recepit; cumque allatum ad eum ab exploratoribus fuiſſet, Muratem purpuratum Budenſem pontem ad flumen Sarviſium infra Albam ad pagum Serdahelium, non procul Saxardia conſtruxiſſe, ibique copias, quæ ab Haſane ſupremo earum præfecto adducendæ eſſent, præſtolari; Colonicium cum duobus millibus equitum, ac Sulcium cum aliquot biremibus Viennâ deductis, ac claſſe Comaronienſi, in quibus tria millia peditum Ungarorum & Germanorum erant, ſecundo Danubio explorata-tum hoſtium conſilia, miſit. Qui cùm eò pervenissent, & pedites cum ſociis navalibus deſcenſionem in continentem feciſſent, hoſtes abſque cunctatione aggreſſi ſunt, nec illi prælium detrectavère, & mox atrox & cruenta dimicatio exorta eſt, ſic ut utrinque plurimi occumberent, ac diu anceps & dubia victoria neutro inclinaret. Ubi Colonicius de ponte in cœnoſam impeditamque carectis paludem ſimul cum equo delapſus, magno erat in periculo, niſi properè à ſuis adcurrentibus ereptus, ſervatuſque eſſet. Ad extremum ſclopetorum glandibus fracti & in fugam verſi hoſtes, terga dedère: & noſtri trucidatis amplius quingentis eorum, capoſque ingentibus duobus purpurei coloris vexillis aureo limbo redimitis, ac præfecto Saxardienſi in poteſtatem redacto, ſuperiores fuère, Murate purpurato ægrè & difficulter ſeſe explicante, ac verſus Saxardiam procurrente. Qua re patrata noſtri pontem, ne ſequuturi hoſtes eo tranſire poſſent, diſſipatis ſublicis & concrematis, disjectoque aggere inutilem ac imperviun reddiderunt; ita ut non niſi magno labore refici reſtaurarique poſſet. Neque noſtris incruenta pugna victoriaque fuit; ex quorum numero circiter CC. perierunt. Ferunt uberiorem futuram fuiſſe victoriam, niſi Sulcius peditatum Colonicio laboranti ſubſidio adcurrere volentem, cum verbis non poſſet, atque verberibus, ſtricto poſtmodum enſe, ac cæſis punctim vulneratiſque nonnullis, ad naves rèvocâſſet, quas nudari remigibus & milite, ac epibatis nolebat. Noſtri re ſic proſperè geſta, præda ac captivis onuſti Strigonium redierunt. 1603.

Colonicius & Sulcius Muratem Budenſem ex improviſo opprimunt cæduntque.

Nec multò pòſt ad diem XXIX. Septembris Rosburmius promoto exercitu, caſtra inter Vaciam & Budam metari, Danubiumque iiſdem in locis, quibus anno ſuperiori fecerat, duplici ponte ad utramque inſulæ ripam conſterni juſſit; modiſque omnibus & crebro minutiorum pugnarum interventu occaſionem cum hoſtibus confligendi quæſivit. Verùm illi caſtra inter urbem Budam & Montem S. Gerardi anguſto in loco poſuerant; eaque præter Turcarum conſuetudinem, exemplo à noſtris capto, foſſa ſenum pedum latâ, ac vallo muniverant; ita ut inviti ad pugnam & conſerendas manus elici nullo modo poſſe viderentur, cum tam ex urbe, quàm monte tormentis facile eminus defenderentur. Dum in hunc modum caſtra caſtris propinqua fronte collata ſedent, nec hoſtes ad univerſi certaminis aleam perduci poſſunt, & milites utrinque perpetuis vigiliis & laboribus victi, moleſtiſſimas aeris injurias ac hiemis incommoda nequaquam amplius laturi viderentur; Turcæ qui hactenus ſummo ſilentio ſeſe continuerant, mutuo habito conſilio, caſtra noſtrorum noctu aggredi conſtituerunt, idque muneris & periculi ante alios ſibi deſumpſit Haſanes Cilix genere, à Turcis Carajaziges, hoc eſt, Niger Scriba vocatus, qui primus cum ſuo equitatu, cujus virtutis magna apud omnes opinio erat, caſtra noſtrorum adoriretur.

Caſtra noſtra caſtris hoſtium conferuntur.

Hic eſt ſcriba ille, qui præteritis annis magiſtratum Equitum Aſiæ minoris, quam Anatoliam vocant, ac Curheiæ urbis in Phrygia præfecturam, in qua ſedes ejus magiſtratus eſt, conſequutus, cum aurum quod pro ea quotannis fiſco inferre pollicitus erat, ſolvendo non eſſet, ideoque captivitatem & carceres metueret, concitata in Aſiæ provinciis ſeditione, multis & magnis rerum difficultatibus & incommodis rem Turcicam afflixit, occupatoque Iconio & Ancyra aliiſque urbibus crudeliſſimis uſque ad Pruſiam Bithyniæ urbem excurſionibus populos ad defectionem ſolicitavit, & longe lateque tyrannidem exercuit, ac à Turcis Gelalis vocatus fuit, quæ vox rebellem denotat. Cùm verò Mehemetes, miſſo adverſus eum ſemel & iterum prætoriano exercitu, ad officium reducere domareque armis non potuiſſet; impunitate demum & oblivione omnium maleficiorum, ac præfecturâ Boſnenſi ei promiſſa, in Europam traduxit, ubi quum à provincialibus, qui eum recipere recuſabant, ſumptis armis rejectus eſſet, Temeſuarii præfectum eum conſtituit. Sed paulò pòſt proditionis & tradendi Chriſtianis ejus loci crimine ſive verè ſive falsò accuſatum, cum multis ſuorum Aſiatici generis Turcis interfici juſſit: ſic tamen ut frater ejus patruelis Haſanes Caracaſſes à denſo nigroque ſupercilio vocatus, fraternam cædem ulturus, rebellionem renovaret: qua Turcæ in Tranſmarinis Aſiæ provinciis, mutua rebellium cum Perſis habita ſocietate etiamnum crudeliter exagitari dicuntur.

Itaque X. millia equitum ſelectiſſimorum totis caſtris deliguntur, & commeatus circiter Camelis mille vectus Budenſibus infertur; cætera peditum Janicerorum pars navigiis ad caſtra noſtrorum, equites verò terra delati, pontem à noſtris factum magno impetu invadunt, tanto uſi ſilentio, ut qui in excubiis erant, eorum adventum non prius advertere potuerint, quàm

cùm

1603. cùm pugnandum foret, nec ſpatium in caſtra nuntiandi, aut ad arma conclamandi ſupereſſet. Erat dies XXIX. Septembris Divo Michaeli Archangelo ſacer, & primus adeſſe hoſtes Nadasdius Rosburmio nuntiavit, eiſque cum equitatu Ungarico occurrit, ac pugnam tantiſper magna virtute ſuſtinuit, donec Colonicius & Turrianus cum Germanorum equitatu, & Rosburmius cum toto ferè exercitu ſubſidio adcurrerent. Pugnatum eſt ad diluculum uſque diei, magno utrioque conatu, magniſque viribus, ſed majori hoſtium detrimento: Nam quum Sulcius, jubente Rosburmio, octo tormenta currulia attrahi, & in hoſtes obverti curâſſet, volitantibus inter confertiſſimos hoſtes eorum pilis, incredibilis edebatur ſtrages, adeo ut occumbentium cadaveribus locus, ubi pugnabatur, latè compleretur, Aſiancis rebellibus (ita adhuc à ſuis appellari ſolebant) in prima acie ſumma virtute rem gerentibus; & Carajazige, eos nequid remiſſius agerent, ſed ſicuti primam aciem popoſciſſent, ita etiam primi locum fortiter tuerentur, voce exemploque cohortante. Ex altera parte Murates purpuratus non ſolùm cæteros ſuorum ad certamen accendebat, ſed etiam tormenta quatuor, quæ ſecum attulerat, & è navigiis in continentem attrahenda curaverat, in noſtros diſplodi jubebat; ſed irritis plerumque & in incertum evaneſcentibus pilis. Cùm diu in hunc modum dimicatum eſſet, poſtremo terga dantibus Janiceris, fortuna & victoria à noſtris ſtetit: dumque hoſtes navigia fugiendo repetunt, aut ponte profugere contendunt, noſtris à tergo inſtantibus, & ſine diſcrimine cædentibus, plurimi eorum cadant; poſtremo in Danubium inſilire coacti fœdè aquis abſorbentur, ut eorum ſanguine flumen rubeſcere videretur. Nadasdius etiam & Germani Aſiaticos equites & ipſum ſcribam, quamquam fortiter ſeſe tuentes, pedem referre coegerunt: magnaque pars eorum in flumine periit, magna in continenti cæſa eſt, Scribâ & Murate purpurato ægrè ſe è Nadasdianorum manibus & difficulter eripientibus.

Noſtri cum Turcis acerrimo confligunt certamine.

Victique hoſtes fugam capeſſunt, compluribus cæſis & ſubmerſis.

Interiêre complures ex hoſtium præcipuis, inter quos Belgradenſis & Samandrianus præfecti, ac ex Janiceris circiter MD. præter eos, qui aquis hauſti ſunt; ex Aſiaticis autem & aliis equitibus multis partibus plures, iis enim inceptam pugnam majori animorum ac virium pertinacia ſuſtentare conati, primo in ordine dimicabant, adeo ut in univerſum ea die circiter VII. millia hoſtium cecidiſſe memorentur. Signa militaria XXXV. & in iis aliquot è ſetis equinæ caudæ eleganter ſacta; quæ Scribæ Nigri fuiſſent: tormenta item quatuor in caſtra relata, equorum haud exiguus numerus fuit; pauci captivi facti. Per hunc modum caſtigatâ hoſtium, & imprimis Aſiaticorum temeritate caſtra adhuc in propinquo invicem collata conſidebant, variiſque eruptionibus & inſidiis certabatur, quibus modo noſtrorum lixæ & calones, ac pabulatorum plerique ab hoſtibus cæſi aut capti deſiderabantur, modò hoſtibus noſtri milites haud levia detrimenta inferebant; fuêreque poſtea aliquot è Gallorum transfugarum numero, qui Papam arcem Turcis prodiderant, intercepti, ac ſupplicio affecti. Quum poſtea hiems gerendo adverſa bello, majores indies difficultates adferret, & neutra pars triſte rigidumque frigus pati poſſet, nec hoſtes elici ad edendum notabilis alicujus pugnæ eventum cogi poſſe viderentur; Rosburmio viſum fuit conſultum, Hathuanum aggredi, ut occaſio Agrienſibus & Budenſibus Turcis invicem commeandi, ac commeatum & res neceſſarias importandi, ea munitione capta tolleretur; quam à Maximiliano principe ſuperioribus annis vi captam, & everſam fuiſſe retulimus. Eam hoſtes loco commodiſſimo inter Agriam & Budam, ac æquali ferè intervallo ſitam, repurgatis foſſis, valloque è materia facto reparaverant. Quæ conſilia prius quam exequi poſſent, hoſtes conſervata in præſens Budâ atque Albâ contenti, neque amplius cum tempeſtatibus & aëris procellis, ſimul & cum hoſtibus colluctari volentes, ſolutis caſtris Belgradum redire cœperunt. 1603.

VII. millia hoſtiũ ea die periere.

Hoſtes ſolutis caſtris, Belgradum redeunt.

Eorum diſceſſu Rosburmius commodiorem rei deſtinatæ occaſionem nactus, relicta Peſti majore tormentorum & impedimentorum parte Hathuanum cum exercitu contendit, ac cùm haud procul eſſent, Sulcium & Nadasdium, qui arcis ſitum, & novas munitiones, & ubinam aggeres & tormenta collocarentur, oculis perluſtrarent, cum DC. equitibus Ungaris, & Germanis præmiſit, quibus ſeſe excubiarum & legionis Italicæ præfectus Germanicus Straſoldus conjunxit: & dum locum propius ſpeculantur, Straſoldus glande craſſioris ſclopeti è muro ab hoſte diſploſi ictus vulneratur ac equo prolabitur, inque veſtigio expirat. Hoſtes interim ex oppido agminatim erumpunt, ac ſtructa acie, cum iis, qui procurrerant, Sulcio & Nadasdio certamen contrahunt; ſed mox creſcente noſtrorum numero, ipſoque duce ſuis ſubſidio adcurrente, cadentibus utrinq; haud multis, Franciſco Sebeſſio Pauli filio impigro juvene per brachium graviter vulnerato, in oppidum repelluntur, & incluſi ad arcem tuendam ſeſe parant. Verùm poſtquam noſtri aliquot tormentorum pilas idoneis è locis in vallum eſſent jaculati, deditionem obtulêre; eamque Rosburmius accepit. Exiêre ex oppido circiter CCCC. promiſcui ſexus homines, quos cum Rosburmius Agriam aut Budam ire prohibuiſſet, Solnocum conceſſêrunt. Reperta ſunt in oppido XXIV. tormenta, cum idoneo apparatu ſulphurei pulveris & pilarum: nec non commeatuum, ac majoris minoriſque pecoris pro loci commoditate quod ſatis eſſet. In eo ducentos equites Ungaros, ac totidem pedites Germanos reliquit, ducemque eis præfecit è ſua turma quendam propinquitate ſibi junctum, indeque reverſus, detractis è Friderici Colonicii & Romeri cohortibus aliquot centuriis peditum, Peſtum firmavit, locoque curæ Gaiſpergerii tribuni commendato, ad Calendas Decembris Strigonium rediit, & dimiſſo in hiberna exercitu, Viennam atque inde Pragam ad Cæſarem contendit.

Rosburmius Hathuanum obſidet & occupat.

Rosburmius Peſtho præſidiis firmato, Viennã redit.

Peſtani quum flumine tantum Danubio à Budenſibus diſtarent, ſæpe facto virium periculo mutuis certaminibus pugnabant; ita ut aliquando Budam excurrentes ab hoſtibus cæderentur, nonnunquam etiam barbaros viciſſim haud levi detrimento afficerent; ut tum accidit, quum centurio Lehnerius cum aliquot Ungaris in eos, qui in thermis Muſtaphanis lavabantur promiſcui ſexus homines, per flumen glacie concretum improviſus irrupit, ac nudos hoſtes, nec ſatis expedire armis captis pugnantes ad unum interfecit, uno aut altero è pueris ſervato, fœminæ verò ſicuti in balneas deſcenderant, veſtibus exutæ, ac linteolis ſubito arreptis tectæ, dum viri dimicant, in urbem per glaciem pavidæ & ejulantes ægrè profugerunt.

Nec

Digitized by Google

1603.

Rerum Illyrico geſta.

Trautmanſtorffius regionẽ Poſeganã vaſtat

Nec interea aliis etiam in locis ab infeſtandis hoſtibus ceſſabatur: Nam & in Illyrico Sigiſmundus Trautmanſtorffius, militum ejus regionis præfectus, ditionem Poſeganam Turcis parentem vaſtavit: & paſſim ubique circumlato terrore; in oppida & pagos ac arces hoſtiles igne ferroque ſævit, frumentumque hoſtium in horrea & acervos congeſtum concremavit, pecoraque magno numero abacta, militibus diviſit: præterea caſtella duo ad Dravum flumen, infra Babociam, ad Tamaſſium pagum ſita, quæ ponti ibi conſtructo, ac commeanti, ex Illyrico in Pannoniam Turcis præſidio ad tranſitum erant, cum Nicolao Zrinio, Georgii nuper fato functi filio (is adoleſcens tunc primum arma adverſus hoſtes induit, equumque conſcendit, ut tyrocinium militiæ faceret) per vim capta evertit, & ſuccendit, incolumemque reduxit exercitum.

Baſta in Tranſſilvania Lippam & Lugaſſum recuperat.

Patres è Soc. Jeſu ejectos Claudiopoli reſtituit.

In Tranſſilvania Lippam & Lugaſſum Baſta recuperavit, dedentibus ſeſe iis, qui ea loca cuſtodiebant Ungaris, Claudiopolitanos verò, qui Patres Societatis JESU collegio ejecerant, illudque cum templo funditus diruerant, pecuniâ mulctavit, atque in templum majus, quod ab Arianæ ſuperſtitionis aſſeclis hactenus obtinebatur, ademptum ab iis, patres eoſdem introduxit; poſteaque ſuos milites in hibernia dimiſit; qui uti antea, ſic haud minore etiamnum militaris diſciplinæ neglectu, in omnes omnium fortunas ac facultates, non rapiendo duntaxat, ſed etiam igne ferroque ſævierunt.

Anno 1604.

Nadaſdius laude bellica clariſſimus extremam diẽ obiit.

Quem ſequitur Mehemetes III Turcarũ Principis obitus.

Achmed filius illi ſuccedit.

Interea annus quartus ſupra mille & ſexcentos à partu virginis inierat, quum Nadasdius capto Hathuano domum reverſus in morbum incidit, lentáque tabe conſumptus, annos natus unde quinquaginta, pridie Nonas Januarias, extremum diem clauſit, unico relicto filio impubere, ſicuti & ipſe unicus à patre erat relictus. Mortem ejus cuncti ferè milites magnoperè doluêre, quod ab incunte ætate arma cum ſumma laude tractando, apud omnes magnam gratiam & exiſtimationem rebus præclarè geſtis eſſet conſequutus. Decimo poſt eum die, Mehemetes quoque Turcarum princeps ejus nominis tertius in ipſo ætatis flore è vivis exceſſit, cùm imperâſſet annos novem, vixiſſet VIII. & XXX. ſtatimque in ejus locum & ſolium Achomates major natu, ex duobus, quos habebat liberis, vix pubertatem ingreſſus, Byzantii princeps eſt declaratus: ac quod nondum regno adminiſtrando aptus eſſet, illud à purpuratis, quorum princeps Mehemetes evaſerat, is, qui, Strigonium nobis dedideraт, gubernatum eſt. Et quum mos eſſet à Solymani jam inde temporibus uſurpatus, primogenito fratre imperium auſpicante, minoribus natu fauces laqueo elidi, & is Achomates nondum per ætatem liberis procreandis operam dare poſſet, decrevêre purpurati ejus fratrem Pajazetem nomine, ſeptimum agentem annum interea educandum eſſe, donec ille hæredis maſculi pater efficeretur.

Alys Budenſis Baſſa litera ad Althamiũ de pace ineunda.

Obitum principis purpuratus Budenſis Alys nomine, patre ortus Nicopolis ad Iſtrum flumen prætore, quem Cadim Turcæ vocant, Gaiſpergio Peſti præfecto, per unum ex Chauſis nuntiavit, ejuſque rei per literas Althamium, qui paucos ante dies apud Turcas pacem optantes de ejus conditionibus acturus Budæ fuerat, ac eximiis cultus muneribus redierat, certiorem reddidit, rogavitque ut in promovendo pacis & induciarum negotio omnem operam

Iſthuanf. Hiſtor.

impenderet, quas ſicuti princeps pater dum vixit, ſingulari ſtudio cupiviſſet confectas, ſic haud minore curâ filium quoque qui recens ſucceſſiſſet ejus complectendæ teneri, nec eſſe diutius Reipublicæ cauſa differendum, poſtquam adoleſcens princeps inſtar pubeſcentis floſculi creſcere indies, nec otium aut temporis jacturam pati poſſe videatur, ipſius maximè intereſſe inchoatum negotium, torieſque promiſſum optato fine concludere, avertendiſque ſubditorum miſeriis, quas diræ diuturni belli calamitates invexiſſent, ſalubri hac via in medium conſuluiſſe. Veniret igitur, ac ſecum tales arbitros adductos vellet, qui pacem bello præferrent, quam armorum & belli cupidine tenerentur; quæ ulterioribus & nunquam finiendis miſerorum hominum ærumnis occaſionem eſſent allatura. Itaque Althamius conſulto prius Marthia principe, eoque concedente, Cæſarem Gallum cognomine, gente Italum, Peſtum primo, ac deinde Budam remiſit, literaſque publicæ fidei iis, qui arbitri pacis deſcenſuri forent, ſimul ne quid Turcæ hoſtile Peſtanis molirentur, dum induciis & amicitiæ ineundæ incumberetur, petit, neque difficulter impetravit. Brevique poſt Cæſare aſſentiente, deliguntur arbitri tractandis conditionibus ex Germanis & Pannoniis graves & experientiæ ſingularis viri, Stephanus Zuhajus Agriæ Epiſcopus, Thomas Erdeodius in locum decedentis Nadasdii ſuffectus, Adolphus Althamius Strigonii, ac Joannes Molardus Comaronii præfecti. Venit etiam ab ipſo Cæſare Praga ad hoc munus obeundum miſſus Bartholomæus Peczius, horum conſiliorum ab initio particeps, ac rerum Turcicarum linguæque ob diuturni Byzantii obitam legationem apprimè peritus. 1604.

Arbitri tractandæ pacis delecti.

Hi ad incuntis veris initium Calendis Martii Strigonium atque inde Peſtum navigiis vecti pervenerunt, multo tormentorum fragore tam à Peſtanis noſtris, quàm Budenſibus Turcis excepti; nec mora adfuêre Turcarum præcipui à purpuratis miſſi, qui adventu eorum officioſè gratularentur. Altero die Turcæ à noſtris in convivium vocati, ſeſe non prius, quàm ad cænam adfuturos obtulêre; poſt quam eo jejuniorum tempore ante occaſum ſolis ullo cibi genere veſci religione prohibentur. Ad poſterum diem magno numero adfuêre: cumque ad multam ferè noctem compotâſſent, Budam rediêre. Deinde in Peſtano campo tentoria erant extenſa, numero X. ſeorſim convenientibus arbitris dicata, quorum in medio, ubi ſimul ad conſultandum diſceptandumque convenirent, prætorium tabernaculum ſatis capax habebatur erectum: & juxta duo aut tria millia equitum Ungarici ac Germanici nominis, duce Colonicio caſtra collocaverant, qui ſupra Peſtanas legiones ſecuritati arbitrorum advigilarent. Poſtquam ii, quos nominavi Cæſaris nomine conveniſſent, Murates Veſinorum ſecundus, ac Alis Budæ præfectus, & Abiles Afendis Prætor Budenſis à Muphti & Cadileſchero, qui ſuperſtitioni & legibus barbarorum præſunt, Budam Juri dicundo miſſus, à novo principe delegati, Budâ navigiis, quas Saicas vocant, appulêre: ac cum utraque pars diplomata principum proferri poſtulâſſet, quibus eis ſumma tractandi & decernendi de pace & induciis poteſtas concedebatur, eaque prolata & ab interpretibus, hinc Andrea Nigrono, & Joanne Illeſio in Latinam, illinc à Blaſio Sucio Cive Budenſi, in Turcicam

Turcici Legati.

1604. linguam tranſlata eſſent, initiū deinde tractandi utrinque ceptum eſt; quo tempore Peczius à cauſis & belli principio exorſus, tali Turcas ſermone alloquutus eſt.

Peczii oratio.

„ Crebrioribus literis nuntiiſque veſtris adductus Cæſar Imperator Auguſtus, nos huc „ miſit, ut ſe ab æquis & honeſtis pacis conditio- „ nibus minimè alienum eſſe teſtaretur: nobiſ- „ que in mandatis dedit, ut ſi illæ à vobis juſtæ, „ & tolerabiles poſtulentur, eis ſuo nomine aſ- „ ſentiamur; ſin minus, quemadmodum hacte- „ nus, quo minus amicitia mutua inter nos fo- „ ret, non per ipſum ſtetiſſet, ſed vos illam rupto „ fœdere ſuſtuliſſetis, ita tunc quoque quum vos „ belli culpa veſtra contracti, tædium cæpiſſe „ videatur, pacis aut belli arbitrium in veſtra „ poteſtate eſſe ſinamus. Itaque certiores vos „ eſſe volumus, Cæſarem ita eſſe animatum, ut ſi „ pax inter ipſum & vos mutua noſtra opera „ redintegrari poſſit, eam haud invito animo ſit „ accepturus: ex adverſo ſi vobis cura belli & „ inferendæ injuriæ potior & præſentior ſit, „ quod ex hac, quæ modo inſtituta ſit præſentis „ actionis fine conſtabit, tum vero ejus propul- „ ſandi, ſuaque tuendi eas rationes ineat, qui- „ bus nec æqua fœdera aſpernatum eſſe, nec ad „ arma capienda invitum, aut imparatum de- „ ſcendiſſe palam ſit; Pax & induciarum poſtu- „ latio, ut ſcitis, antea quoque vivente Ibraimo „ purpuratorum veſtrorum principe, & ejus le- „ gato Mehemete nuper vita functis tentata eſt, „ & à Mehemete Satergi, poſtea à vobis quo- „ que pari ſolicitudine: ſed quum ad rem ven- „ tum eſt, frigida ſemper, ne dicam minus „ æqua, ac planè non ferenda dilationis reſpon- „ ſa reddidiſtis. Neque nos primi fœdera ab avis „ & proavis horum potentiſſimorum princi- „ pum icta reſcidimus, ut nos culpam ejus rei „ ſuſtinere, & iniquioribus propterea conditio- „ nibus ſubeundis obnoxii eſſe dici queamus; „ veſtra ea culpa omnis fuit, ut à parte veſtra „ initium belli factum eſt: Nam munera, quæ „ imperatori veſtro mittenda, quæve honoraria „ purpuratis promiſſa erant, in promptu omnia „ habebantur: Legati in procinctu naves, cur- „ rus, vehicula, reſque omnes ad iter neceſſariæ „ paratæ: eaque à veſtris Chauſiis viſa perluſtra- „ taque ſunt; quum bello opinione majori & „ atrociori à vobis illato petiti ſumus; quod pro „ æquitate cauſæ ita propulſavimus, ut annuen- „ tibus Diis immortalibus, & Marte judice au- „ ctores & incitatores ejus meritas ruptorum „ fœderum pœnas primi perſolviſſe videamini. „ Vos contra fas & jura legatum Cæſaris, nihil „ tale meritum, aut ſi quid meritus eſſet, tutum „ tamen communi omnium gentium jure futu- „ rum, captum in vinculis mori coëgiſtis: vos „ familiam ejus inſontem ad triremes & erga- „ ſtula condemnâſtis; à vobis Veſprimium & „ Palota, miſſo prætoriano duce & exercitu By- „ zantio, ut alia multa taceam, contra inducias „ expugnata ſunt. Ea quæ poſtea ſequuta ſunt, „ ſicuti in recenti memoria hominum verſan- „ tur, ita nos fateri ea haud piget. Utrinque ſa- „ ne Mars belli & fortuna ſat ſuperque ſæviit, „ nec ſævire in poſterum deſinet, niſi nunc ope „ noſtra, qui huc convenimus, ac ſumma mo- „ deratione veſtra, diuturno & ancipiti bello, „ quiete & pace ſuperinducta, exoptatus finis „ imponatur. Quapropter hortamur vos & mo- „ nemus, ut tam pio ſalubrique officio, quo & „ Deus Optimus Maximus placari queat, & miſera agricolarum plebs, quæ belli calami- “ tates & incommoda ſuſtinuit, & intolerabili “ ærumnarum multitudine ferè ad internecio- “ nem deleta eſt, aliquando ſublevetur, diligen- “ ter & ſincero animo, incumbendum putetis, “ depoſitaque animorum ferocia ita in medium “ conſulatis; ut nos æquioribus veſtris poſtulatis “ acquieſcere poſſimus. Poſtulate æqua, & acci- “ pite: nam alias & hauriendus & dandus utrin- “ que ſanguis erit, non ſine ingenti omnium “ rerum divinarum, atque humanarum, uti ha- “ ctenus evenit, confuſione.“ 1604.

Ad ea Murates placido mitique ingenio ita reſpondit, ut cauſas & initia belli ab ſe ipſis profecta eſſe minimè negaret; ſed ſe & collegas ad hoc ſaltem colloquium eo animo eaque mente acceſſiſſe diceret, ut ſi quis ſui uſus ad publica commoda ſit, meliores pacis auctores, quam belli duces eſſe velint, dummodo ipſi æquis poſtulatis aures præbeant. Nec dubitavêre plurimi eum cupidine pacis plurimum teneri, quem nempe ſatietas armorum & belli jam pridem cepiſſet, daturumque operam fuiſſe, ut ea ſtabiliretur; niſi fatalis & occulta fortunæ vis infeſtior paci & concordiæ obſtitiſſet. Quum poſtea in conſultando ad verba proreſſiſſent, Strigonium & Jaurinum repetere, munera retroactis annis prætermiſſa legatorum Byzantium mittendorum curam urgere cepêrunt. Noſtri nihil tam iniquas conditiones ad coaleſcendam amicitiam pertinere, quin animos ad alienandum ſtimulare; ſi Caniſa ſub tractatu pacis ab Ibraimo capta reddatur, & Agria, tum fore ſpem concordiæ aliquam, de muneribus & legatis aut hactenus prætermiſſis, aut in poſterum mittendis, ne mentionem quidem faciendam, idque ea ratione, quod ipſi primum iniquiori bello occaſionem ſubminiſtraſſent. Jaurinum concitato ferventeque bello recuperatum, quod etiam ante bellum noſtrum fuiſſet, nullo jure ab ipſis repeti poſſe. Quum in hunc modum diu multumque diſceptaſſent, ſerumque diei eſſet, Turcæ Budam repetivêre. Poſtea quum à noſtris Nigronus interpres ad Muratem & alios in urbem miſſus eſſet, qui eos ad æquiores poſtulationes adduceret, renunciavêre claro animo (ſic referente nuntio) eam, quam ex mutuo colloquio intellexiſſent, eſſe non tam ſuam, quam principis ſui potentiſſimi mentem, animumque. Cui ſi accedere haud cunctentur, poſſe conveniri; ſin in propoſitis conditionibus repetendæ Agriæ & Caniſæ perſiſtant, ſublatam ſpem eſſe concordiæ omnem, quandoquidem eorum oppidorum alterum ab ipſo Mehemete principe captum eſſet, ideoque nec repeti, neque reddi poſſet; de altero reddendo nihil in ſyngrapha ipſis data contineri; proinde vim publicæ fidei jam expirâſſe, & ipſos, niſi cedendo ad æquiora deſcendant, ea qua poſſint via reverti poſſe. Itaque noſtri, mutuo habito conſilio, ne à barbaris, quorum fidem ſuſpectam habebant, circumvenirentur, neve nimis ſolicitè pacem urgendo ſeſe aut metuere, aut pertæſos belli eſſe iudicarent, eadem nocte, qua flumine adverſo, qua per continentem Vaciam & poſtea Strigonium rebus infectis redierunt. Cum dies illuxiſſet, Turcæ noſtrorum diſceſſum mirati, nihil fuiſſe ipſorum animis niſi fidele & ſincerum jurâſſe; à Nigrone non ſat bene intellecta ipſorum verba, aut malè interpretata eſſe; arbitros ut redirent, nec incepto deſiſtendum putarent, petere;

Muratis reſponſio ad eandem.

Turcarum iniquæ poſtulationes rejectæ.

Unde rebus infectis utrinque diſceſſum eſt.

Al-

1604\. Althamium imprimis, ut cæteris redeundi auctor eſſet, peculiaribus literis hortari. Verùm ii, quod Haſanem etiam Belgrado caſtra moviſſe, & cum ingenti exercitu progredi cognoviſſent, in propoſito perſtitêre: ſicque pacis & concordiæ negotium hac quoque vice optato fructu ac fine caruit.

Poſonienſia comitia. Caſſovia templum majus Agrienſibus Canonicis traditur.

Poſt horum reditum brevi à Matthia Principe Poſonii comitia celebrata ſunt; non ſine multa verborum contentione ac tumultu, pro Civitate Caſſovienſi exorto; à qua templum majus ademptum, ac Collegio Agrienſium ſacerdotum, qui captâ urbe Agriâ eo ſe receperant, juſſu Cæſaris traditum erat, tumultuatumque eſt haud leviter à ſectariis pro religione, ſed ea omnia princeps ad aliud comitiorum tempus diſtulit. Acciderat autem, ut eo die, quo Poſonium veniret, ortum fortuito in urbe incendium aliquot ædes & tecta ac contignationes turris portæ Laurentianæ ſupereminentis abſumeret, & quando abſolutis comitiis reverti Viennam vellet, alio ad portam Martinianam loco ſubitus iterum ignis è domo cujuſdam fabri lignarii erumperet; ſed paulò pòſt adcurrentibus vicinis extingueretur: multique inde rerum futurarum auguria captarent, ac incendia Reipublicæ ominarentur: quæ paulò pòſt cum inſigni rerum omnium perturbatione ſequuta ſunt, de quibus infrà agemus. Iiſdem in comitiis Georgius Turzo præfecturâ regni ultrâ danubianâ, quâ in locum Palſhi ſuffectus non ſine laude functus fuerat, ſeſe abdicavit, inque ejus locum Siſridus Colonicius jam pridem in Ungariæ civem receptus, ipſo commendante Turzone, ſucceſſit, quamquam non deeſſent; qui ex indigenis creandum aliquem cenſerent.

Perſarũ Regis Legatus ad Cæſar. venit.

Nec multò pòſt Pragam ad Cæſarem venit Seivelhanes Perſa, ab Rege Hodabende miſſus legatus, facto per Moſcos & Polonos, ac maritimas Germaniæ partes longo & laborioſo itinere: cujus legationis ea ſumma erat, ut Cæſarem etiam atque etiam hortaretur, ne quid in continuando adverſus Turcas communes hoſtes bello remitteret, ſicuti ipſe in majore Aſia, Armeniaque eoſdem aſſiduis armis petere & fatigare nequaquam ceſſaret: jamque ab iis Vanum, Tauriſium, & Revanum, ac alia quædam loca magni momenti, amplaſque regiones partim vi & bello, partim vi & deditione extorſiſſet. Eum Cæſar, dum de reſponſo deliberat, quieſcere juſſum, ac lautiis & hoſpitio exceptũ, eâdem, quâ Caſinalibegum dimiſerat, amicitiæ & continuandi belli ſpe oneratum, ac muneribus excultum dimiſit.

Interea quum ad Cæſarem certo eſſet perlatum, hoſtes magna vi ad obſidendum Strigonium venturos jam in itinere eſſe, Baſtam ſuo exercitui in locum Rosburmii, quod is apud illum ſemel atque iterum negligenter fruſtraque oppugnata Buda minimè priorem gratiæ locum teneret, præfecit, eumque citato itinere è Transſilvania excivit, ac ad exercitum proficiſci juſſit; interim verò provinciam ab iis, quos ſupra nominavi, arbitris, quorum nonnulli jam eo pervenerant, atque adeo à Joanne Jacobo Barbiano Comite Belgiojoſi Caſſoviæ præfecto gubernari voluit.

Baſta è Transſilvania accitus, exercitui noſtro præficitur. Colonicius loco Turzonis in Novam arcẽ introducit.

Baſta cum ad exercitum proficiſceretur, Colonicium in Novam arcem Archiepiſcopatus præfecturæ nempe ſuæ locum, una cum Stephano Zuhajo Epiſcopo Agrienſi, in locum Turzonis introduxit, ac militibus & Nobilitati, ut ei parerent, nomine Cæſaris injunxit; ipſe verò curam & imperium exercitus ſuſcepit, caſtraque inter Jaurinum & Comaronium collocavit. Sed poſtea communicato cum cæteris ducibus conſilio, penes ſiniſtram Danubii ripam deſcendit, & ad Parcanum conſedit, duoſque pontes, unum in ulteriore inſulæ ripa, ad civitatem uſque Thracicam, quæ vacua deſertaque erat, alteram verò à Parcano ad oppidum Aquarium conſtrui juſſit: eorumque extremas partes vallo foſsâque & prealtis craſſiſque aggeribus munivit, & tormenta ad tuendum, cum militari præſidio impoſuit. Quæ etiam ex arce eminus defendi poterant; in quam præter Althamum, & Fridericum ejus Caroli Mansfeldii, qui ſummus exercitus imperator fuerat, agnatum, & multi alii clari bello duces militeſque erant impoſiti. Munitionem quoque ſub arce non procul à Thermis extruit, cui Caſimirum Comitem Hollachium Friderici fratrem præeſſe juſſit.

Duos pontes ad Strigon. conſtruit ac munit.

Cæterùm Haſanes cum exercitu ad diem decimum Septembris, in Peſtanos campos pervenit: Cujus adventu nequaquam expectato Jagenraiterius, qui præſidio præerat, metu perculſus, relictis in oppido tormentis ac magno eorum apparatu, carne item ſalitâ, ſuccidiis, farinâ, ſale, leguminibus ac id genus multo commeatu, unâ cum ſociis Strigonium verſus profugit, oppidumque quod diutius conſervari poterat, ſuccenſum hoſtibus reliquit. Sed is quum Strigonium perveniſſet, ab Althamo comprehenſus, ſimul cum aliquot centurionibus ac militibus, ad luendam degeneris intempeſtivique facti pœnam in vincula & carceres conjectus eſt. Ejus exemplum ſequuti ii, qui Hatuani erant, incensâ ſimilem in modum arce, ſeſe illinc in tutum proripuerunt, & Turcæ utrumque locum, reſtinctis ignibus facili negotio occupârunt: iiſque rebus confectis, exercitus hoſtium, in quo LXX. millia hominum eſſe dicebatur, XIX. Septembris Strigonium ductus eſt, caſtrâque ad montem, quem olim Latomum, nunc à militibus Carolinum nuncupari diximus, collocata ſunt: & Haſanes aggeres, ex quibus oppidum ſimul cum arce verberaretur, duobus in locis fieri juſſit, ripâ nempe dexteriore Danubii, ac campo, quem viridem ſeu Sancti Georgii vocant; tertium verò, ex quo Caſtellum in monte Sancti Thomæ à noſtris extructum dirui poſſet. Quibus perfectis ſummâ vi arx ſimul cum oppido oppugnari à Turcis cœpta eſt, cum quibus Stephanus Curronus, qui Ungaris præerat, acre pro aggerum foſſa prælium contraxit; in quo quum utrinque nonnulli eſſent vulnerati, ſeſe in urbem recepit. Octavo die obſidionis noſtri ex arce & oppido caſtriſque valido agmine egreſſi, in quo duo millia peditum, ac D. equites fuêre, ad caſtra hoſtium, ubi Murates purpuratus conſederat, irrupe-runt, ac Turcas, trucidatis iis, qui præſidio tormentis erant, cæteros in fugam conjecerunt. Sed Murates celerrimè ſuis ſubſidio ſupervenit, contractumque eſt acerrimum & cruentum certamen; ita ut confluentibus in mutuum auxilium hoſtibus, plurimi utrinque occumberent, ac vulnerarentur. Deſideratus eſt eo in prælio ex noſtris Caſimirus Comes Hollachius cum CLI. ſociis, ex Amone Hoffquirhianæ legionis legato, ex Turcarum vero numero DC. cecidêre, vulnerato graviter in ſiniſtro humero Murate. Caput Caſimiri præciſum, ac vulneribus fœdatum noſtri, quodam Turca, qui ab Un-

Jagenreuter. cum ſumma ignominiæ nota Peſthum deſerit. Ejus exemplum etiam Hatuani præſidarii ſequuntur.

Haſanes Strigonium obſidet.

1604. garis priore in pugna captus erat, ſimul cum trunco redemerunt ac in arcis templo condiderunt.

Poſt hanc pugnam Haſanes, miſſis ad Baſtam literis, ut rurſus de ineundis induciis arbitri utrique convenirent, poſtulavit; ne tot viri fortes & bello clari, ac commodius ad alias neceſſitates ſervandi utrinque interirent, factâque pace ab armis diſcederetur. Et quamquam ſpes earum nulla hoc tempore appareret, tamen ceſſatum utrinque à tormentis eſt, dieſque unus negotio conſultando attributus. Ad quem medio inter caſtra Turcarum, & noſtrorum loco, penes Civitatem à Thracibus denominatam, à Turcarum parte convenêre Haſanis legatus, & Janicerorum Tribunus, ac Alis purpuratus Aſiæ ſenex; à noſtris Althamus, ac Ottho Rheni Comes, Fridericus Hollachius, ac Ferdinandus Colonicius. Quum Turcæ ſolicitis animis deditionem Strigonii peterent, ac pro eo Caniſam offerrent; noſtrique viciſſim Agriam ſuperaddi poſtularent, re infectâ reditum in caſtra eſt, & oppugnatio ab hoſte eo acrius inſtituta. Tentavêre tam arcem, quam Montis Divi Thomæ munitionem effoſſis cuniculis, & injecto pulvere ſulphureo, eoque incenſo, captas in poteſtatem redigêre; ſed re à noſtris animadverſa, contrariiſque actis cuniculis nihil profecêre. Nec multò pòſt irruptio quoque tentata eſt, tam in arcem, quàm montem: Sed utrobique hoſtes repulſi, terga que dare coacti; cum magna ſuorum ſtrage, in caſtra reverſi ſunt. Poſtero die Coſaci, qui inter Tartaros in hoſtilibus caſtris militabant, de nocte, cæſis Turcarum excubiis, Comaronium ac Tatam, deinde in caſtra venerunt; ſed turmæ unius equites circiter LX. breviori uſu compendio in Danubium ſeſe dejecerunt; eoque tranſnatato, ad Colonicium venerunt, & ab eo comiter excepti ſunt; Ab iis cognitum eſt, hoſtes deſperatâ loci expugnatione brevi caſtra ſoluturos, prius tamen, quam diſcedant, periculum facturos, utrum arx expugnari queat: quod poſtea brevi eventus comprobavit. Sed priuſquam quicquam aggrederentur, iterum Althamium ad inſulam minorem infra Strigonium ſitam ſub fide acceſſiverunt, ac ad concordiæ amplectendæ ſtudium cohortati, pro Strigonio Agriam ſe reddituros polliciti ſunt: aut ſi nec ea permutatio placuiſſet, Filecum, Secenium, & Nogradum pro Agria reddi poſtulabant: quum tamen neque ſic conveniri potuiſſet, re infecta diſceſſum fuit. Sequenti die, qui dies Octobris menſis decimus fuit, quum validam in arcis mœnia, qua parte tormentis diruta erant, oppugnationem inſtituiſſent, ac duabus ferè horis acriter dimicatum eſſet, poſtquam re infectâ in caſtra repulſi ſunt, eadem nocte tormenta in naves collocare ceperunt, ac die, quæ ſequuta eſt, caſtra verſus Budam reduxerunt. Noſtri hoſtium veſtigiis inſtitêre, & præſertim Ungari, locorum & viarum peritiâ freti, multiſque retractis aut cæſis, ac non contemnenda præda capta rediêre. Et ii, qui in arce ac caſtris erant, in lætitiæ ſignum, & barbarorum contumeliam tormenta omnia cum ingenti reboatu & fragore diſploſerunt, Deoque Optimo Maximo gratias egerunt, qui ſuis ab extremo diſcrimine liberatis, omnem hoſtibus deſtinata perficiendi facultatem eripuiſſet. Alis Aſiæ purpuratus, qui ſecundas poſt Haſanem partes in exercitu obibat, cum Budam unà cum caſtris rediiſſet, ægrotare cepit,

Tractatio de induciis fruſtra iterum ſuſcepta.

Turca acriorē oppugnationem inſtituunt; Sed repulſi cedunt; Coſaci ad noſtra caſtra transfugiunt.

Hoſtes obſidione ſoluta diſcedunt.

Aly purpuratus extinguitur.

pauciſque poſt diebus morbo ſenioque confectus è vivis exceſſit: ejuſque cadaver ſecundo amne Belgradum, indeque in patriam delatum eſt. 1604.

Eodem tempore & iiſdem ferè diebus, quibus Strigonii obſidio ſoluta eſt, Stephanus Boſcaius in partibus ultra Tibiſcum flumen turbulentos & pernicioſos motus concitavit, qui confluentibus ad eum puncto temporis ſeditioſiſſimis quibuſque, & rerum novarum cupidiſſimis, nonnullis verò metu coactis, totum ferè regnum vehementer conturbavêre, & parum abfuit, quin funditus everterent: quem paucis etiam ante annis in Transſilvania affectati regni cupidine exarſiſſe, & quum id minimè ſuccederet, revocandi è Sileſia Sigiſmundi auctorem extitiſſe docuimus. Cujus quidem atrociſſimæ ſeditionis initia & progreſſus paulo altius repetendo, pro inſtituto operis mei, qua potero brevitate, explicare contendam. Cum ille à Sigiſmundo ad Cæſarem legatione fungeretur, iſque interim Andreæ Cardin. Bathorio, quamquam patrueli, ſed inimico ac hoſti paulò antè ſuo provinciam Transſilvaniam, decepto Cæſare de manu tradidiſſet, ſeque in Poloniam recepiſſet, poſt diuturnam in Aula Cæſaris manſionem, ſub qua de objectis criminibus ſeſe purgare debebat, domum, quam extra Transſilvaniæ fines habebat, diſceſſit, neque auſus in Transſilvaniam redire, ex qua factionibus Chaquianis excluſus, proſcriptuſque erat, diu in ſuis arcibus circa Varadinum exilium toleravit, Cæſareanarumque partium ſe ſectatorem oſtendit; quum tamen ingens eſſet ſuſpicio apud omnes, interea eum ambitione atque avaritia procul ab æquo & honeſto deductum affectandi regni conſilia & cogitationes in occulto coquere, & agitare. Poſtquam Moyſes Siculus, quem ipſe ante ſe regnaturum nunquam putaverat, armis Valachorum ad Braſſonem cæſus eſſet, & ejus factionis exules Transſilvani, ad Turcas ſe contuliſſent, Turcæ Gabrielem Bethlenium, qui aliis ſimul cum Moyſe interfectis inter cæteros eminebat, ad repetendum ſua ope & auxiliis regnum incitare non deſinebant. Cum ejus rei Boſcajus certior eſſet redditus, ad Bethlenium clam omnibus literas dedit, operaque Ibraimi cujuſdam captivi, cui libertatem promiſerat, perferendas curavit, hortatuſque eum eſt, ut potius provincia, cui adminiſtrandæ impar eſſet, ſibi cedendum exiſtimaret, ac cum Turcis Temeſvarianoque ac Giulano præfectis, agendo & pollicitando, multaque obſequia & officii ſtudia deferendo aditum ſibi ad regnum pararet, fore pollicitus, ut ſimul ac provinciam adipiſceretur, ea ſub imperio & clientela principis Turcarum adminiſtrata, ipſis pro navata opera cunctis grati animi teſtimoniis tota vita foret devinctiſſimus. Huic petitioni Bethlenius ſuæ imbecillitatis minimè ignarus, haud gravatim aſſenſit, ſeque nihil prætermiſſurum reſpondit, quo ille voti & deſiderii compos redderetur: contra Boſcajus gratias ei habuit, reſcripſitque, ne quid in hiſce rebus omittendum putaret.

Stephanus Boſcaius rebellio.

Ejus origo altius repetita.

Boſcaius Bethlenium literis rogat, ut Turcarū auxiliaribus copiis Transſilvaniam obtinere poſſit.

Ultro citroque in hunc modum commeantibus literis, accidit, ut Turcæ, ac Beſtes Temeſienſis purpuratus, communicato cum Bethlenio ac exulibus Transſilvanis conſilio, occupandæ Lippæ rationes conſiliaque inirent, coactiſque copiis haud procul caſtra ad fluvium Temeſum metarentur; ut ea ſive deditione,

quam

1604.

quam Betlenius ſucceſſuram rebatur, ſive armis in poteſtatem redacta facilior in Tranſilvaniam aditus pararetur. Quæ quum ad Ludovicum Racocium, ac Henricum Duvallum Comitem Dampierium idoneis nuntiis perlata eſſent, qui tunc Lippæ tuendæ munere fungebantur, communi habito conſilio occurrendum hoſtibus, & eos nocturnâ ideoque nec opinatâ irruptione & pugnâ adoriri decreverunt. Nec mora, Blaſio Lippaio peditum, quos etiam Haidones vocant, tribuno dedêre in mandatis, ut primâ noctis vigiliâ paratus cum ſuis impetum expectaret; is autem ad quinque millia peditum ſub ſuis ſignis habebat; & equites quoque acceſsêre ſatis valido numero. Igitur idoneis viæ ducibus uſi, obſcura nocte ad locum, ubi Bectes & Betlenius in caſtris erant, perveniunt, & excubias, antequam adventum noſtrorum ad caſtra perferre poſſent, fundunt & fugant; ſimulque tergis fugientium inſtantes, una in caſtra irrumpunt, omnia cæde, fugâ, tumultu complent, Bectes & Betlenius vix arreptis equis, ſeminudi & ſemiſomnes, tranſnatato flumine Temeſo, profugiunt; cæterorum ſtrages puncto temporis ingens editur, noſtrique caſtris, tentoriis, ac omnibus impedimentis hoſtium potiuntur; ita ut etiam veſtes Betlenii, quibus eo die uſus erat, in ejus tabernaculo repertæ noſtris peditibus prædæ cederent. Signa militaria duo eximii operis & magnitudinis, & equi amplius mille, & multa alia ſupellex capta eſt. Nec eâ contenti prædâ, ad Giulanos quoque inſidiis excipiendos animum adjiciunt, & cùm in eorum conſpectum veniſſent, cum iis egreſſis acre prælium contraxerunt, multiſque cæſis & captis, eos in oppidum repulerunt; qua in pugna X. vexillis ac equis & captivis potiti, incolumes Lippam redierunt.

Dampiera & Racocius Bectaſſi & Betlenii copias fundunt fugantq;

Giulanos quoque profligāt.

Quæ duplex præda, quum per auctionem uti fieri ſolet, divideretur, literæ Boſcaii & Betlenii mutuo ſcriptæ, in marſupio veſtimenti ejus repertæ, ad Barbianum eo tempore copias cogentem, & in oppido Racamaſſo prope Tibiſcum caſtra habentem, perlatæ ſunt. Quæ res ejus de Boſcaii inconſtantia ſuſpicionem auxit, & ille à Betlenio admonitus literas cum veſte periiſſe, & in manus Cæſareanorum incidiſſe, eo magis cæptæ proditionis maturandæ viam quæſivit: nec in caſtra à Barbiano vocatus, mordicante eum ſceleris conſcientia, venire auſus eſt.

Boſcaii & Betlenii literæ mutuæ in Betlenii veſte repertæ nefaria illa conſilia produnt.

Interea dum Cyprianus Concinius Varadini legatus privati negotii cauſa Sacmarium proficiſceretur, ac caſtellum Sancti Jobi ditionis Boſcaianæ præteriret, à Franciſco Siculo loci præfecto rogatus fuit, ut ſe de rebus graviſſimis ſecretos cum eo ſermones collaturum pauliſper expectaret. Cum is ſe expectaturum dixiſſet, Siculus cum duobus aliis, quos Boſcaius omnium conſiliorum ſuorum arbitros participeſque habebat, Lazaro Diaco, ac Stephano cognomine Fratre prodiit, & eum in proximam ſilvam longius ſeductum, Frater de tentata, fereque jam ad finem perducta Boſcaii proditione, ac ad Turcas defectione his verbis edocuit: „Boſcaius nos magnis & multis beneficiis, in nos multifariam collatis ſibi obſtrictiſſimos habet; meque imprimis, quem ab ineunte ætate optimis literis erudiendum curavit, latifundiis & facultatibus amplificavit, puellam ſibi ſanguine junctam mihi in conjugem dedit, & in dies in nos pariter omnes ſua benefacta cumulat: pro quibus officiis gratam illi memoriam; atque adeò ſi non parem, tamen pro virili ſingularem gratiam nos debere ingenuè fatemur: niſi Dei primum Optim. Maxim. ac patriæ amor, & Cæſaris obſequiū, debitaque ei fides aliud ſuaderet: quæ illi omnia ſingulari ſcelere & impietate poſthabere, & immania cum principe Turcarum conſilia adverſus communem patriam inire, & re ipſa jam ferè ad ſummam compleviſſe videtur. Itaque quamquam ei bene cupimus, eumque veremur & timemus, plus tamen Deum immortalem verendum, timendumque exiſtimamus, atque adeo animas noſtras ab æterno interitu, conjugeſque & liberos, ac patriam à barbarorum tyrannide vindicatos malumus, quàm ut huic enormi flagitio & ſceleri conſentiamus. Eo jam res deducta eſt, ut quum ab amico neſcio quo ſcriptum ei ex caſtris ſit, Cæſaris præfectum Barbianum, ſi in caſtra proficiſci nolit, vim ei adhibiturum, territus tantis conſcientiæ ſtimulis agitetur, ut auxilia à Giulanis & Temeſianis Turcis expectet, quibus etiam arces ſuas tradere conſtituit, & cum facultatibus ac auro & pecunia, ad purpuratum Belgradum transfugere; à quo promiſſus ei Tranſilvaniæ principatus eſt. Ante paucos hoſce dies unum ex nobis legatum ad Veſirium mittere in animo habebat, ut copias & auxilia occupandæ Tranſilvaniæ ab eo peteremus; ſed nos ne tanto ſcelere contaminaremur, excuſatâ quantum honeſtè poteramus legatione, ut ſceleris, flagitiique plena, ad Sanctum Jobum divertimus, & ſacerdotem doctum divinique juris optimè peritum conſuluimus, qui multis rationibus è ſacrarum literarum præceptis & penetralibus depromptis diſſuaſit, id quod etiam noſtrapte natura ac inſtinctu horrebamus exequi. Quod jam unum reſtat, te cujus præſentiam non ſine numine divûm nobis obveniſſe putandum eſt, per omne fas fidemque, & omnia ſacra oramus, & obteſtamur, hæc, quorum à nobis certior redditus es, ſine mora Barbiano patefacias, ac etiam atque etiam vehementer hortere, ut huic extinguendo igni, priuſquam in gravem emergat flammam, agendo & providendo operam diligentem adhibeat, ne ſi oportuna remedia in tempore negligantur, totum regnum acerbiſſimo iſto incendio conflagret prorſus & concidat: mature autem facto opus eſt, quicquid ſtatuere placuerit. Noſtrum fuit efficere, ne hæc immania facinora neſciretis, veſtrum erit ea decernere & exequi, quæ optima vobis reique pub. erunt."

Eadem etiam Concinio à miniſtris Boſcaii deteguntur

Concinius collaudatis iis reſpondit ſe facturum ſedulò & diligenter, ut ea omnia ad Barbianum ſine mora perferantur; cumque Varadinum ei reipub. cauſa redeundum eſſet, Mauritium Viennerium Architectum ad Barbianum miſit, eaque, quæ à Fratre & ſociis acceperat, ei fideliter renunciavit. Eum is ab arce Echedia Stephanoque Bathorio, quem mutuæ petendæ pecuniæ cauſa fruſtra convenerat, redeuntem in oppido Bathorio offendit; & is remiſſo Mauritio Racamaſſum ad caſtra reverſus, de detecta Boſcaii proditione legatos, qui erant in Tranſilvania, ſecreto certiores reddidit, hortatus ut Thomam Capriolum, quem Baſta ſuum ibi legatum reliquerat, cum quanta poſſent militum manu ad ſe mitterent, ut cum eo ac reliquo, quem habebat, exercitu

Concinius ea Belgioſo renunciari curat.

1604. impendentibus malis maturè obviam iret. In caſtris dum eſſet, ac cum Paulo Crauſeoecco uno ex legatis qui io Tranſſilvaniam mittebantur, ac Baptiſta Peczio legionis tribuno, Dampierio Comite, Nicolao Snecquenhauſio, Rotinicio, ac aliis præfectis, de importuna Boſcaii ſeditione conſultaret, ſupervenêre Matthiæ principis nuntii Vieonâ per diſpoſitos equos miſſi cum mandatis, ot ſtatim in ſupplementum exercitus, quinque millia militum ad Baſtæ caſtra mitteret. Igitur abſque mora Dampietio, ut cum MMD. peditibus Ungaris, qui jam ferè omoes ad equos, abdicatis tamen haſtis, & ſumpto ſclopetorum uſu, tranſlati erant, ac Georgio Rubeto Tocaii præfecto, qui milites à nobilitate ſuperioris Ungariæ mercede conductos, quorum erant D. equites, totidemque pedites ductabat, in mandatis dedit, ut ſeſe ad Baſtam conferrent. Verum ii milites, minus quam putârant, dicto audientes habuêre, excuſatis ſtipendiorum necdum ſolutorum difficultatibus, ſine quibus ſe quopiam perventuros pernegabant. Cùm verò cogi nequaquam poſſe viderentur, rem omnem, uti erat, priocipi perſcripſit, & ipſe ſecundum communia conſilia, aſſumpto ſecuoi ordinato milite, ac Rotivicio cum CCC. equiöbus qui expeditiores erant, ac Dampierio cum mille partim; Thracibus partim Haidonibus equitibus, Varadinum verſus ire conſtituit. Cum ad Callonem perveniſſet, Bernardum cognomeoto Pulicem equitum Germanorum, qui à ſagulis ejus coloris, rubei vocantur, præfectum, ac Julium Marcianum peculiaris alæ ſuæ equeſtris legatum ad Boſcajum miſit, deducente eos Joanne Imreffio, cum literis, quibus ſe adverſos de illo tumores, nullo certo ſubnixos authore ſpargi in vulgus aodiviſſe ſcribebat: hortabaturque ne rebus temere & abſque cauſa innovandis animum adhiberet, aut ſi tale quidpiam contigiſſet, correctum id & emendatum vellet; eaque in re opera & ſtudio ſuo uteretur. Et quum nunc Varadinum iturus ſit, monitum eum velle, ut ſe conveniat; interimque ſi quid de ſua propenſa voluntate dubitet, poſſe eum majoris fiduciæ cauſa duos ejus præfectos militares apud ſe obſidum loco tenere, donec tuto revertatur.

Sed dum hæc in hunc modum tractantur, Concinius caſtrum Sancti Jobi repentina militum Varadinenſium irruptione occupaverat, atque aliam quoque Boſcaii arcem Querequiam, eadem via adortus erat, ſed iſthinc non ſine aliquot militum Germanorum cæde fuerat repulſus: acciderat que ſub tumultus ejuſmodi tempore, ut Boſcajanorum militum animi à Gregorio Loniano, & Blaſio Nemethio clancularis artibus ad transfugiendum, deſerendaſque ejus partes concitarentur. Quibus rebus effectum eſt, ut ille aucta ſuſpicione, fidei Barbiani minime ſe committendum exiſtimaret, ſed remiſſis duobus præfectis reſcribendo, & DEOS innocentiæ ſuæ teſtes appellando, familiares ſuos ſummæ perfidiæ, ac inuſitatæ prodirionis homines, falſa de ſe & conficta crimina calumnioſe commentos fuiſſe affirmaret, cui neque in mentem unquam veniſſet, quicquam adverſus Cæſarem rerum novarum moliri: petere propterea magnopere à Barbiano, ut pro ea, qua erga ſe affici videretur, benevolentia aliquem ad ſe mitteret, cui mentem ſuam ſinceram ac fidelem expromere poſſet: poſtquam in ſuis, quorum hactenus operâ uſus fuiſſet, nullam fidem, nullum fidele obſequium experiretur. Cum Barbianus ſe, acceptis prius ab eo literis fidei Ladiſlaum Petejum, equitum Ungarorum Caſſoviæ præfectum miſſurum reſpondiſſet, ille non amplius quicquam reſcripſit. Verum majori perculſus metu, cæptam proditiooem nequaquam intermiſit, ac ut facilius Haidones, fœdam hominum variorum colluviem, ad ſe pertraheret, non ſolum per leviſſimos homines ſpargi incertos rumores, ſed etiam fictas dolo callido literas circumferri curavit, Barbianum ad exagitandam & extirpandam religionem, quæcunque Pontificia ac Romana non ſit, adveniſſe: nec alias ob cauſas infenſum adverſus ſe animũ gerere, quam quod in tuenda fortiter contraria veraque religione perſiſteret: illum ſicuti Caſſoviæ expulſis concionatoribus; ademptoque Civibus templo, tam religionem, quam ipſas Civium conſcientias oppreſſiſſet, ita etiam Varadini & omnibus circa locis effecturum, ne quæ vel ſciotilla puræ ac reformatæ doctrinæ ſuperſit. Quibus calumniis Haidones ejuſmodi rerum ignari, ut qui inter armenta & paſtoriciæ vitæ ſordes à puero educati inſtitutique eſſeot, non parum commoveri videbantur. 1604.

Boſcajus à Barbiano Comite vocatus dicto minime audiês fuit.

Idem nefariis ſuis conatibus religionem obtendit.

Itaque Barbianus nihil conſultius fore exiſtimans, quam ſi numerato Haidonibus, de quorum præcipuè fide dubitabat, ſtipendio, eos in officio contineret, conquiſita mutuo ab aliis pecunia, & hinc inde à Mercatoribus, Debrecenii & Varadini, ſatis difficulter corraſa, unius menſis ſtipendium eis perſolvit: & coovocatis eorum præfectis Blaſio Lippajo, Joanne Silaſio, Joanne Vivario, Blaſio Nemethio, aliiſque, non de religione aut ejus placitis quicquam ſibi controverſiæ cum Boſcajo aut aliis quibuſvis intercedere oſtendit, ſed an ille proditionis manifeſtæ, ac transfugii ad Turcas reus ſanari & ad officium reduci poſſet, velle prius placido conſilio ac verbis, deinde verò, ni pareret etiam vi & armis experiri. Et inter hæc colloquia tam literas pugna Temeſienſi ab ipſis interceptas, quam ea, quæ à Coocinio & Mauritio acceperat, aliaque plura indicia eis oſtendit: percunctatuſque eſt, utrum adverſus omoes Cæſaris æmulos & hoſtes, ipſumque etiam Boſcajum, ſi aliter abduci ab incepta perfidia non poſſet, operam, quam jure meritoque deberit, præſtituri necne forent, ii ſe ad omnia pro Cæſare certamina promptos, ne Boſcajo quidem excepto, ac paratos reſponderunt. Sed quando ea, quæ ipſis propoſita eſſent, militum vulgo minus eſſent cognita, petere, ut miſſo quopiam ex præfectis idoneo, de iis edocerentur; & eo alacriores ad capeſſenda juſſa redderentur. Miſſus confeſtim Petejus, per omnia ferè contubernia, oſtenſis omnibus meditati à Boſcajo ſceleris indiciis, ac diſcuſſa ea, quæ de religionis oppugnandæ aut exterminandæ negotio falſo diſperſa erat, opinione, juramentum ab eis exegit: quod haud cunctanter præſtitêre, ſeque in fide & obſequio Cæſaris vivere & mori velle ſucclamârunt.

Haidones juramentum fides Cæſari debita renovant.

Inter hæc Boſcajus nedum ad meliorem mentem redire volebat, ſed occuparis Saca, Hencida, aliiſque infirmioribus caſtellis, per quæ tranſeundum noſtris foret, in perfidioſo ſuo propoſito pergebat; ſuoſque Haidones, quos ad quingentos mercede conductos habebat, ad eos, qui Cæſareanis io caſtris militabant, amicitiæ & propinquitatis nomine ſibi conjunctos commeare frequenter jubebat, eoſque occultis ſermonibus, præbitoque auro, ad defectionem

1604. ſolicitabat. Quo animadverſo Barbianus, ſedatis jam, ut putabat, præbito ſtipendio Haidonibus, poſtquam verbis ac conſiliis apud hominem obſtinatum, & fidei ac hooores oblitum necquiequam fruſtra laboraſſet, ad alia compeſceodi ejus conſilia animum adjecit; ac cum copiis ad obſidendam Querequiam proficiſci conſtituit. Igitur ad legatos Tranſilvanienſes perſcripſit, ut Capriolum cum Vallonibus ad ſe majoribus copiis magnopere indigentem quam primum mittere ne cunctarentur. Quod ab illis ſine mora factum eſt, eoque celerius, quo provincia ab eorum effrenata licentia ac inſolentiis liberata aliquantiſper reſpiraret. Ex caſtris vero ad Racamaſſum collocatis, reliquias Sileſiaci equitatus, ac Peczium cum ſuæ legionis ſex vexillis militum, ac aliquot tormentis & neceſſario eorum apparatu arceſſivit. Erat tunc io caſtello, quod Adoriaoum vocatur: interim & Capriolus adfuit, & intervallo quatuor millium paſſuum ab Adoriano conſedit: Peczins vero in oppidum Almaſium, duobus milliaribus diſſitum, divertit. Itaque inſtituta ad XIV. diem Octobris profectinne, cùm iterum Haidones in fidem Cæſaris juraſſent, Barbianus Peczio, ut circa mediam ooctem cum ſuis peditibus & tormentis atque impedimentis præcederet, edixit; ac Sileſiaci equites eorum latera ac terga clauderent, ac lente ſenſimque interea incederent, donec ipſe eos ſubſequeretur. Sed equitatus dicto parere, inſtitutumque ordinem ſervare recuſavit; Verum partim cum carris & impedimentis unà incedere, partim medio bene milliari ſubſequi voluit; oolle ſe ſemper militum legionariorum ac peditatus cuſtodem fieri dictitans, ne ſerius in locum caſtrorum pervenientes, tam ipſi, quam eorum equi rebus neceſſariis deſtituerentur. Peczius, relicto aliquantiſper peditatu & tormentis, ad pootem Dioſegianum Berequio amni impoſitum, cum aliquot equitibus præceſſit, viſurus an tormentis ſuſtinendis & tranſveheodis validus eſſet.

Sub idem tempus dimidiæ noctis Dampierius quoque, ut injunctum erat, Haidones ad tertium tympanorum & buccinæ ſonum è contuberniis educit, ratus eos juramenti memores minime operam detrectaturos, & uti Peczianis præcedentibus, unà ſecuto inſiſterent, jubet; Sed illi ad ſubitam conſternati ſeditionem, occulta, uti creditum eſt, Boſcaii largitione corrupti, negarunt ſe progreſſuros, eo quod certioribus indiciis comperiſſent, Barbianum &
Haidones tumultuantes Dampierium deſerunt. Germanos ad extirpandam religionem, & Boſcajum, qui ejus tuendæ curam ſuſcepiſſet è medio tollendum contendere, eaque exterminata, ad deleodam ſtirpitus Haidonum gentem vires & arma converſuros; quapropter ſe ſtatuiſſe, ne amplius auſpiciis Germanorum & ſocietate infauſtam militiam exerceant; ſed in eos, qui præceſſiſſent, trucidandos arma convertant. His dictis facta coojuratione, & ſublato ingenti clamore, relicto Dampierio præfecto, ac diris conviciis proſciſſo Germanorum nomine, præcipiti equorum curſu provolarunt, ac exercitum, diſſolutis ordinibus procedentem aggreſſi, primo
Peczii copias magno impetu aggreſſi cædunt. Peczium & equites nihil adhuc hoſtile metuentes invadunt; atque ii perturbato quidem ſed minime fracto animo, obverſa fronte, eos fortiter excipiunt, acreque cum eis certamen inire minimè dubitant: pugnatur diu & acriter; ſed tandem Peczius, interfecto & prolabente humi equo, non ſine gravi vulnere capitur, reliqui funduntur & diſſipantur: poſtea peditatum 1604.
cum tormentis & carris pone ſubſequentem adoriuntur; ſed illi vallo ex curribus facto diu ſe defendunt, ac Haidones, plurimis interfectis & vulneratis, multa è ſclopetis effuſa glandium procella longe ſubmovent. Ad extremum quum pulvis tormentarius fortuitum ignem concepiſſet, ordines militum diſſolvit eorumque complures partim interfecit, partim variis & gravibus illatis plagis afflixit: reliquum, quod ſupererat, jamque ad exiguum oumerum fuerat redactum, Haidonibus prædæ eeſſit. Ad primum pugnæ tumorem Peczius, remiſſo ad Barbianum Chriſtophoro Scarſellâ equitum præfecto, opem implorabat, atque is ſubito conſcenſis equis, cum iis, quos apud ſe habebat, eo, ubi laborabatur accurrere, ac Capriolo, ut cum Vallonibus ſubſidio venire maturaret, nuntiare non prætermiſit, eumque ad pontem Dioſegianum aliquaotiſper expectavit. Sed antequam opem tuliſſent, jam & pulvis ſulphureus tanta cum militum ſtrage ſuccenſus & pugna peracta erat: ac Haidones ſeſe cum præda & captivis in tutum receperant: ac Boſcajo ad famam victoriæ ſeſe ad eos conferente, Debrecenium conceſſeraot; ubi præda diviſa, & vulnus Peczio, qood in tergo grave acceperat, obligatum fuit; Barbianus cum ſeram ſe opem ſuis tuliſſe vidiſſet, Adorianum ad ſerum diei ſe recepit, & poſtero die Varadinum, cum reliquiis profligati exercitus ire conſtituit; poſtquam Boſcajus tam pontem Dioſegianum, quam Sacam, & Hencidam, ac Chatarum, & pootem, quem vocant, Siculorum, aliaque loca, per quæ tranſitus ad Saemarium eſſe poterat, miſſis copiis præoccupaſſe dicebatur.

Cùm Varadinum eſſet perventum, conſilio cum ducibus habito, cui etiam ex Ungaris Pancratius Senniejus, Ladislaus Perejus, ac Balthaſar Corniſius interfuere, dictis ſententiis viſum eſt, currus & impedimenta exercitus ibi relinqui debere; & cum expeditiore militum manu Tocajum petendum: poſtquam Civitas Varadinenſis propter ejus amplitudinem, multo verò minus ſuburbia nec vallo oec foſſa munita, defendi nequaquam poſſent; in arcem verò propter ejus anguſtiam, diverſarum nationum milites recipi non eſſe tutum cenſebant: præſertim autem Siculos, cum quibus Boſcajus jam conſilia de defectione miſcuerat, ut id literæ ejus interceptæ facile teſtabantur. Itaque relictis Varadini impediioentis, ſed facultate Saemarium eundi ſublata omni, circa meridiem abiit, ac ſequenti veſpere circa Solis occaſum ad pontem Tibiſci prope Tocajum pervenit; eumque cum exercitu tranſiit, & caſtra ibidem fixit: equitum Thraciorum turmis, ut in oppido Racamaſſo, ubi uxores & liberos habebant, relinquerentur, expeteotibus. Quos tamen Haidones inſequuti, eadem oocte ante aurotam oppreſſerant; cæſis aut captis iis qui ad eos deficere recuſaſſent. Nec mora ad pontem magoo oumero provolantes, parum adfuit quin eo potirentur; quum propter matutinam & denſiſſimam ejus diei nebulam, quæ viſui obſtaret, tormentis majoribus ex arce eminos defendi ooo poſſet. Verum Barbianus & Dampierius ſtrepitu ſclopetorum audito, quem pontis cuſtodes ad primum hoſtium conſpectum ediderant, adcurrerunt, & rejectis hoſtibus, & diſcuſſo aliquot in locis ponte rem reſtituerunt.

Barbianus, accepta hac clade, Varadinum ſe recipit.

Indeque Tocajum contendit

Paulò pòſt ad ripam Tibiſci equo vectus ac-

1604.

ceſſit Blaſius Lippajus ſingularis perfidiæ ac proditionis ſummus auctor, ac colloquium Barbiani petiit, ad quem ille ſui loco Dampierium miſit. Sed quum nihil operæ pretii præter vaniloquentiam & malignitatem inanium verborum attuliſſet, abire in malam peſtem juſſus eſt. Ibi cognitum fuit Racocium valetudine impeditum domum rediiſſe; Valentinum autem Homontianum, quem cum nobilitate earum regni partium, ad incerta belli, circa Sixonem vigilare juſſerat, cum omni nobilitate Boſcaio ſe conjunxiſſe, eo quod religionem, quam hactenus profeſſi eſſent, ſibi publico decreto interdictam conquererentur: quod quidem ejus decreti punctum, ſub extremum finem adſcriptum, abſque publico conſenſu irrepſiſſe in acta affirmarent: ejus fraudis tantam apud eos vim eſſe, ut reliquis omnibus actis legitimam firmitatem adimat; ideoque ipſi ad nulla onera publica adſtricti eſſe cenſeantur: & propter eam cauſam nec milites in caſta mittere, nec jumenta vehendis tormentis curulibus conferre, in ſumma nec dicto audientes eſſe velint. Cujus rei cauſa præterquam quod nobilitas ac Civitatum legati in comitiis coram judicibus ordinariis queſti eſſent, tum vero poſtea, primo ad Galſecium oppidum, ac deinde Nagidam convenerant: ac nihil fere adconcitandam ſeditionem deeſſe aliud quicquam, quam dux & auctor videbatur. Sed Stephanus Bathorius, licet ejuſdem cum ipſis religionis ſectator, ſuſcipere eam provinciam eo quidem tempore recuſavit; ſicque ad Boſcajum, opportuno eis tempore rebellantem, ac proditionem prætextu religionis velantem confugiendum duxerunt. Itaque Barbianus nihil conſultius fore ratus, relicto Tocajo, ac Rubero, ut locum ſumma fide Cæſari ſervaret, admonito, Caſſoviam verſus, ubi uxorem & familiam reliquerat, iter ſuſcepit, præmiſſo Rorivicio, qui adventum ſuum Civibus ſignificaret; & ſi ſecus fieri non poſſet; templum quoque aliquod eis exercendæ eorum religioni polliceretur. Sed illi prætore urbis Joanne Bocacio Sileſio rigido Lutherani dogmatis aſſecla, operam imprimis navante, ſtatim poſt pugnam à noſtris apud Adorianum male pugnatam, Stephanum Herceguin, ad Boſcajum Debrecenii ſpoliis aliena perfidia partis dividundis, ac muneribus ad Turcas ſocios mittendis intentum, miſerant, urbemque in ejus fide & poteſtate futuram nuntiaverant. Quæ res partibus Cæſarianis incredibile detrimentum attulit: neque enim ille unquam longius Tranſſilvaniæ finibus abſcedere, aut Tibiſcum tranſire auſus foret, niſi Caſſovia portas ei aperuiſſet.

Valentinus Homonnianus ad Boſcaii partes tranſit.

Caſſovia etiam à Cæſare ad Boſcajum deficit.

Ad quod peſſimum facinus patrandum, illi non tam ob ademptum ſibi majus templum, turbatamque ibidem religionis profeſſionem adductos referebant: quamquam id etiam moleſtiſſime ferrent; quam quod pagis circiter XXVIII. quos liberali veterum regum indulgentia Civitati attributos poſſediſſent, à Barbiano juſſu Cæſaris privatos eſſe conquererentur; ita ut colonorum opera, nec ad quotidianas vitæ neceſſitates, nec ad colendas vineas, quas in Tallia ac Mado haberent, uti poſſent; ex quarum fructibus & vino, quod nobile admodum & generoſum ibi naſcitur, omnia fere emolumenta & redditus, coementibus ea ingenti pretio Polonis, conſtare videntur.

Progredienti cum reliquiis copiarum Barbiano, occurrit Rotinicius, ac prætorem urbis Boccacium, cæteroſque cives, diſſimulata in præſens perfidia, Cæſari fidem quam debent ſervaturos; ſed nec eum, nec milites in urbem intromiſſuros reſpondiſſe nuntiavit; ne ipſorum cauſa ab Haidonibus, qui ſubinde eum ſequerentur, Civitas aliquid detrimenti pateretur. Igitur conſilii inops, & ſuæ, ſuorumque qui in urbe erant, ſalutis ſollicitus, variaque animo volvens, ad extremum regno & provincia ſibi concredita excedere nequaquam voluit; ſed ſe ad Chriſtophorum Turzonem, qui in arce Scepuſiana per id tempus agebat, conferre ſtatuit; & ex itinere equites Sileſios in Eperieſſa urbe reliquit: ſed qui deinde paucos poſt dies, metu perculſi, non ſine reip. & Cæſaris detrimento, urbe vacua relicta, inde in patriam diſceſſerunt. Habebat ſecum fugæ comites & ſocios Dampierium, Pancratium Sennicjum, ac ex Valachis Leucagam Radulonis Tranſalpini turmæ equitum præfectum, ac Marcum Vajvodam Moldaviā profugum & exulem, ſed equitibus ſub ipſo Barbiano præpoſitum, ac Italos ſuos circiter XL. cum quibus una ſtatuit alterutram fortunam Sceputii experiri Locus is viſus eſt ei commodior, etiam ſi obſidio toleranda foret, tum propter Turzonis propenſum adverſus Cæſarem animum, tum propter liberas Civitates, quæ circumjacebant: in quibus tamen omnibus neceſſario & difficili tempore, fides & officium maxime deſiderata ſunt. Nam & Eperieſſa, & Cibinium minus, & Levocia, impellente Joanne Deſeſſio exemplum Caſſovienſium ſequutæ, partibus perduellium adhæſerunt.

Barbianus Caſſovia excluſus, ad Chriſtophorū Turzonē ſe confert

1604.

Cibiniū minus, Levocia & Eperieſſa perduellibus ſe dedunt.

Interea Boſcajus, collaudato multis verbis Caſſovienſium erga ſe ſtudio, ac beneficio, quo in offerenda ei urbe uſi eſſent, Blaſium Lippajum, ut ſuo nomine urbem occuparet, præmiſit; qui bipartito itinere facto, Tibiſcum partim penes Tocajum, partim Vardam cum exercitu trajecit: eique Caſſoviam venienti Bocacius prætor, reliquique Cives nihil cunctati portas aperuerunt, ac in fidem & clientelam Boſcai recepti ſunt: uxore Barbiani ac ſervis & familia prius urbe emiſſis; quas Joannes Catajus, Michaelis frater Germanus, ſigularis ſceleris & perfidiæ nota, omnibus rebus in itinere ſpoliavit, ſicque Sceputium ire permiſit. Cæſaris ærarium, quod in urbe erat, continuò expilatum eſt, armamentaria cum tormentis, & aliis rebus bellicis patefacta & occupata; magiſtri tormentorum Germani vi, & minis, ac captivitate in partes traducti; Præfectus ærario Nicolaus Micacius Epiſcopus Varadienſis captus, & direptis omnibus rebus, ſub arctiſſima cuſtodia detentus: collegæ ejus Georgius Caproncius, & Nicolaus Orleus (nam Georgius Hoffmanus in Tranſilvania aberat) Sacramento ad illius fidem adacti. Eandem carceris fortunam ſubiit Georgius Salamocius Epiſcopus Quinqueccleſienſis. Quidquid autem publici privatique juris in urbe erat aut Cæſaris, aut eorum, qui ejus partes ſequebantur; id omne in prædam & rapinas converſum eſt: domus prætoria Cæſaris ab hoſpitio excipiendum Boſcajum deſtinata ac expurgata. Quibus omnibus diripiendis tanta Lippaii erat immanitas; ut nemini parceret, quin aurum argentum, pecuniam, arma, equos, veſtes, vina, frumentum, pecora, & quicquid ejuſmodi dici poteſt ab iis; apud quos relictum habebatur, jurejurando adactis crudeliſſime extorqueret; & multis occultare & negare conatus vulnera & necem intentaret. Quod genus in-

Blaſius Lippaius Caſſoviā occupat.

1604. inhumanæ crudelitatis, tam ille, quam alii ejus farinæ homines aliis etiam in locis & Civitatibus, nihilo minori avaritiæ & libidinis exemplo indignum in modum exercuerunt: gementibus miſerabiliter bonis; atque immania ſcelera ſine ſummo dolore & multis lachrimis aſpicere nequeuntibus. Similem in modum domus Luchini divitis mercatoris Italici, & aliorum, qui catholicam religionem profitebantur, prodentibus clam Civibus, impie & crudeliter direptæ ſunt. Michaël Catajus, qui Callone Cæſaris erat præfectus, ſumma agitatus perfidia, ſtatim poſt adverſæ Adorianæ pugnæ ſucceſſum ſponte, ſeque & locum Boſcajo dedit, ac quod eſſet Latinis literis paulo aliis eruditior, epiſtolarum magiſter & Cancellarius ab eo conſtitutus fuit.

Michael Catajus Callonem Boſcajo dedit, Ejuſque Cancellarius conſtituitur,

Occupatâ Caſſoviâ, Lippajus attractis illinc è Cæſaris armamentario ac Levocia tormentis curulibus, Scepuſianam arcem, in quam Barbianum ſe recepiſſe cognoverat, obſidione cinxit, & triduo pòſt ſcalis admotis, inferioris arcis partem occupare contendit: Verùm à Barbiano & paucis quos habebat militibus, ſtrenue rejectus eſt, amiſſis & vulneratis quamplurimis ſuorum, ubi etiam ex iis, qui intus erant Barbiani ſignifer Italus dimicans interſectus eſt. Cum hoſtes vera vi nihil proficerent, quod Barbianus multa contentione ſeſe tueretur, ad artes & minas converſi, Turzonem cohortari ceperunt, ut eo ipſis tradito, Boſcajanas partes amplecteretur, futurum ei honeſtum apud regem & principem (tali enim honore homines flagitioſiſſimi illum dignabatur) gratiæ & dignitatis locum; ſin ſalubriora monita admittere nollet, bonis ejus & oppidis villiſque incendia; ei verò, ſi in manus incideret, præſentem cædem minabantur. Quamobrem magno labore Barbiano fuit curendum, ut delinitum Turzonem in partibus Cæſaris conſervaret, ne juvenis flexibili ingenio à ſuis militibus laboris & incommodorum belli pertæſis ſeductus, durius aliquid ſtatuendum putaret. Perſtitit tamen ille firmiter promiſſi tenax, ac omnem fortunæ aleam cum Barbiano una ſuſtinuit; donec hoſtes poſt XXII. oppugnationis dies Calendis Decembris irritæ obſidioni finem fecerunt, ac rebus infectis, & relictis etiam quatuor tormentis majoribus, quæ ſecum auferre non poterant, ultra Braniſcam montem, ad Sirocam atque inde verſus Caſſoviam diſceſſerunt; pagis Turzonianis paſſim ubique crudelem in modum concrematis; ipſo ignes & recta ardentia ex arce proſpectante. Quo incendio oppidum quoque Somolnocum, & machinæ, quibus admirabilis naturæ aquæ, ferrum omne paucorum horarum ſpatio in cuprum convertentes, ſiphonibus hauriri, & per diverſa incilia derivari ſolebant, magno operarum detrimento Turzoniſque damno conflagrarunt. Solutâ obſidione, Barbianus ad Baſtam primo, ac deinde ad Matthiam Principem & Cæſarem diſceſſit.

Lippajus in Scepuſiana arce Barbianum irrito conatu oppugnat.

Barbianus Pragam abit

Interea poſt ſolutam Strigonio obſidionem abeuntibus Turcis, Baſta juſſu Cæſatis cum ſelectiſſima exercitus parte Caſſoviam iter ſuſcepit: in qua equitum & peditum XV. millia eſſe ferebantur, ac Zolium, quod vetus vocant, pervenit: ibique aliquot diebus ſubſtitit, ut intra eos militibus labore itineris fatigatis quietem concederet, & copias quæ ſequebantur, expectaret. Poſtea cum ad diem XIII. Novembr. Loſſoncium, ac inde Filecum duxiſſet, caſtraque in ſubjectis agris collocaſſet: Boſcajanos Haidones, duce Blaſio Nemethio, Caſtellum Oſgianum, quod amœno colli impoſitum, duorum millium paſſuum intervallo diſtabat, expugnaſſe, & caſtra ibi metatos eſſe cognovit. Erant ii numero amplius quatuor millia, ſed quibus haud minor pars agreſtis & inconditæ plebis, partim inermis, partim qualibuſcunque telis, urſunt præacutæ ſudes, ac longuriis tranſverſim adaptatæ ſænatiæ falces, utcunque armata, vel ſponte odio Germanorum, vel vi & metu ab Haidonibus adacta ſeſe aggregaverat. Itaque Baſta nihil cunctatus, adverſus illos exercitu ducto proceſſit, Friderico Comite Hollachio, quem legatum in exercitu conſtituerat, præire juſſo. Perventum eſt circa meridiem Oſgianum, facto penes Tornalliam itinere, ac ſine ulla mora in perduelles & agreſtio turbam infeſtis ſignis itum. Tanta autem fuit Blaſii eorum ducis temeritas, ut quamquam militi & duci veterano, ac multis ſtipendiis præliiſque & bellis exercitato, tam numero quam viribus, & militum genere, & diſciplina longe inferior eſſet, tamen expectare ejus congreſſum, nec pugnam detrectare auderet; quantumvis non deeſſent quidam ex ſociis, militiæ petitiores, qui Germanorum ſclopetis peritè admodùm jaculantium impetum devitandum, ac copias ultra Rimam & Balogum amnes, in tutiora loca reducendas eſſe ſuaderent; aut ad Sanctum Pertum, ubi Blaſius Lippajus, cum cæteris Haidonibus ad Sajonem flumen caſtra habebat, retrocedendum.

1604.

Haidones Blaſio Nemethio duce, à noſtris disjecti cæduntur

Progredientibus Germanis, Blaſius nihil iis, quæ à ſociis, haud inutilia proponebantur, motus, uſque ad Darocium pagum, cum CCC. ſociis obviam equitavit, eoſque leviori prælio excepit; cæteros verò equites, qui ex ordine Haidonum erant, ac agreſtium multitudinem, ex qua peditatus conſtabat, ac pontem rivo prope Oſgianum profluenti impoſitum collocavit, tormentumque currule minus, quod falconem vocant, attribuit. Pugnando & ſemper retrocedendo, cum ad Haidonum ſociorum caſtra perveniſſet, Germani ſclopetis ſuis eos acertime infeſtare ceperunt, quorum ictus nec Blaſius nec Haidones, nec eorum equi ferre potuerunt. Itaque ejus juſſu locum & aciem, in qua pugnando hactenus perſtiterant, deſerere ceperunt, eo animo, ut, ſe poſt peditatus terga reciperent, ac peditibus immixti, ab eiſque defenſi, tutiori loco Germanorum vim facilius ſuſtinerent. Verum agreſtes belli rudes & inſueti poſtquam Haidones loco ſe movere vidiſſent, fugam eſſe rati, ſtatim fœde profugiunt, & Germanis egregie vincentibus, terga dant. Illi ſublatis vocibus inſtandum victis, utendum victoriâ exclamantes, cædendo palantes ac vulnerando, agreſtes pariter & Haidones, nullo diſcrimine partim glandibus, partim prælongis haſtarum cuſpidibus facile confodiunt, atque ad unum contrucidant: ſic ut ab ira & odio exacerbatis, nemini armato vel inermi parceretur, & ad incutiendum aliis terrorem, nullum omnino vivum ſupereſſe paterentur. Cecidere ex Germanis pauci, vulnerati nonnulli, inter quos Ferdinandus Colonicius; ſed ex hoſtibus duo M. & amplius. Blaſius retentare fugientes conatus, equo deſilüt, & in dextris & gladiis ac virtute non in pedum velocitate ſpem victoriæ eſſe clamitans, quum nihil proficeret, poſtremo in caſtellum cum reliquiis fuſi peditatûs ſeſe recepit, & Germanos eminus arcere craſſioribus

Baſta cum copiis in Tranſylvaniam redit.

1604. bus ſclopetis conſtituit. Sed Baſta ſummâ uſus celeritate, miſſis io caſtra nuntiis, qui tormenta duo abſque mora attrahenda curarent, iiſque adductis caſtellum concuti juſſit. At ille rebus deſperatis, cum ſe & ſuos aliter ſervare non poſſet, erumpendum & ferro viam parandam deliberavit: Apertâ igitur portâ omnes ſimul erumpunt, ſed à Germanis ſubito adcurrentibus circumventi, cæſique ſunt, paucis evadentibus, & Blaſio mox inter primos capto.

Nemethius captus occiditur.

Baſtâ victoriâ potitus, Blaſium interfici juſſit, & ſuas copias Eperieſſum verſus promovit; quo cum perveniſſet, Civitatem ad partes perduellium traductam reperit; multiſque verborum minis, & extremi diſcriminis denuntiatione, & ad extremum, ni paruiſſent, tormentorum prolatorum terrore perpulit, ut in urbem admitteretur; & in ea ac ſuburbanis caſtra locaret: ſed ea Civibus data ſpe, ne in ſua religione, quæ Auguſtana erat, turbarentur. Ubi per aliquot dies quieſcendo occaſiones quæſivit, quibus hoſtem furentem, & majores quotidie vires & incrementa ſumentem propulſare poſſet; ne ſi cunctaretur, impunitate & mora pernicioſi malorum progreſſus adeo invaleſcerent, ut poſtea omnis obviam eundi labor & ſtudium fruſtra ſuſcepta eſſe viderentur. Civitas autem ea in hunc modum tempeſtive reſipiſcens, & rurſus ad Cæſaris obſequium redocta, quamquam ab aliis rebellibus ſæpe graviſſimis incommodis affecta, ac igne & ferro vaſtata; recepto tamen Germaoorum militum præſidio, & contemptis omnibus periculis, rerumque & fortunarum ſuarum diſpendiis, uſque ad belli exitum in fide & officio conſtantiſſime perſeveravit. 1604.

Eperieſſum Baſtæ ſtudio ad Cæſaris partes reducitur.

DE REBUS HUNGARICIS

LIBER XXXIV.

1605. QUINTUS ſupta M. & DC. à partu Virginis annus jam ſequitur, cujus memoria nova tyranide, diſcordiis Civilibus, celeri populorum defectione, & quod fædum auditu eſt, fædius viſu fuit, patriæ vaſtitate à Civibus impie illata recens quidem eſt, ſed injucundæ atque adeo acerbæ recordationis. Hæ namque mutuæ cruentæque diſſenſiones, prætextu quidem religionis, re tamen vera dominandi libidine ſubortæ, tantam in pejus & deterius rerum omnium mutanonem attulerunt; ut pollutis antiquæ & ſinceræ religionis placitis, corrupta militari diſciplina, variatis moribus, oemo jam hominum, nemo Dei immortalis verecundiam habeat, ooo edicta principum, non eorum, qui religioni præſunt, præcepta atque inſtituta obſerventur: vagi milites ex peſſimo ſervilique genere ac fece hominum collecti, ideoque licentia effrenes, juſſu, injuſſu, ubi velint, ubi libeat, impune vim libidinemque exerceant ſuam, non ſigna, non ordines ſervent: promiſcui etiam cætus hominum, civilis neglecta ordinis ac concordiæ cura, non religione, non moribus, non pietate à barbaris & incultis hoſtibus differre videantur, adeoque omnes ſpretis bonorum monitis proni in malum ruant. Quæ omnia utinam non calamitatis ac cladis, certiſſimique interitus haud dubia ſigna, atque prænuntia Deus Optimus Maximus eſſe velit.

Racocius.

Initio hujus anni trajecto Tibiſco Boſcajus, Caſſoviam venit, & in itinere ad Sigiſmundum Racocium Sireotium divertit; qui tametſi à Cæſare ad præfecturas, honores, & divitias evectus, & in Senatum receptus erat, ad eum tamen deſcivit, cum compluribus aliis, quos ad deflectendum à fide, aut metus, aut novarum rerum cupiditas avertit. Inter eos præter Homonnianos fuere Nicolaus Derſſius, Franciſcus Magocius, Georgius Secius, Deſeſſii, & Perenii duo juniores, ac omnis fere partium ſuperioris Ungariæ nobilitas. Sed præ aliis præcipua Pauli Niarii, ac notabilis defectio fuit: Is ſiquidem pro Agria amiſſa nulli noxæ ac pœnæ addictus, ſed magis Varadinenſi haud minoris dignitatis ac commodi præfectura à Cæſare accepta; deinde com Pragam veniſſet, ſtipendiis perſolutis, ac donativo quoque cohoneſtatus, & in Senatorium ordinem adnumeratus; cum primum tamen Caſſoviam attigiſſet, ſecus quam fide data promiſerat, noo ſine magna ingrati animi malevolentiâ illius partibus adhæſit. 1605.

Homonnianus, Magocius, Derſſius, Secius, & Niarius à Cæſare deſciſcũt ad Boſcajum.

Igitur factus animo inſolentior Boſcajus, literas ad Mehemetem Veſirium, ac ad Budenſem purpuratum dedit, & Janiceros ac alterius ordinis Turcas auxiliares poſtulavit, accepitque; & coactis undique quantis potuit copiis, Baſtæ & Cæſariano exercitui occurrere noo dubitavit; Nicolao Sennicio cum mille ſelectionibus peditibus, & CC. equitibus, ac legato Alberto magno Caſſoviæ in præſidio relictis. Erat Baſta cum exercitu haod procul Sendrone; qui audito perduellium adventu copias promovit; & concurrere duo exercitus ad Edelinum pagum, penes flumen Bolduam, quod ex alpibus Murano proximis ortum, deinde Sendronem præterlapſum Saioni miſcetur. Et primum impetum magna vi hoſtes ſuſtinuere, ac diu prælium protraxere, donec adveſperaſceret, quo tempore obſcuritas noctis prælium diremit. Mane facto cùm craſſiores nebulæ cœlum diemque obtexiſſent, Baſta hoſtes necopinato adortus, in fædam fugam conjecit; primique omnium milites Magociani ſublatis vexillis terga verterunt: deinde Boſcajus & Homonnianus, cum prætorianis verſus Serencenium profugerunt. Janiceri & alii Turcæ, qui numero fere DC. erant, cum diu apud tormenta fortiter dimicaſſent, neque ea à Cæſarianis auferri paterentur, ad unum omoes cæſi fuere, tormentis octo cortulibus eorum poteſtati relictis. Cecidere in hac pugna præter Turcas, perduellium circiter M. & D. Ex Baſtæ militibus pauci deſiderati; duo tamen ex præcipuis Germaoorum occubuere, à Turcis pro tormentis interfecti, Ludovicus Comes Erpachius, Hollachianæ equitum turmæ ſignifer, ac Fridericus Solmenſis Comes juvenis, qui biduo ante Peſtanæ legionis ab Jagenraitero deſertæ præfecturam à Baſta erat conſequutus. Ferunt Boſcajum adeo ad-

Boſcajus, accitis Turcarũ copiis, Baſtæ occurrere ſtatuit.

Cum eodem prælio dimicans vincitur.

1605. adverſæ hojus pugnæ ſucceſſu externatum ac perterritum fuiſſe, ut neque Caſſoviam ſe recipere auderet; ſed rectà Agriam, indeque ad Turcas Budam profugere cogitaret: niſi Valentious Homonnianus, quamquam juvenis, animum ei, multis in medium adductis rationibus, erexiſſet.

Baſta Sendronem recepit.

Eâ victoriâ Sendronem Baſta recepit, ac rurſus Eperieſſum cum victore exercitu contendit: Ubi non diu moratus Tocajum, quod ab Haidonibus in modum lentæ obſidionis erat circumvallatum, nec tamen tormentis petebatur, periculo eximere decrevit. Igitur infra Eperieſſum tranſvadato Tarcio amne Roſgonum, ac Miſſcjum prætervectus, eo iter intendit. Cujus adventu cognito, Haidones relicta obſidione in varias dilapſi partes profugere, ipſe vero commeatu ad multum tempus ſuffecturo, ac præſidio ibi relicto, & Georgio Rubero ſpe auxiliorum confirmato, rurſus Eperieſſum reverſus eſt, hoſte nuſquam prodire obviam auſo. Cùm ibi in caſtris eſſet, & exercitus multarum rerum penuriâ premeretur, Matthiam principem, ut ſtipendia militibus primo quoque tempore mittere maturaret, admonuit. A quo curata ea abſque mora ſunt, ac XXIX. currus, pecunia ac laneo panno argentoque elaborato, & multis aliis rebus onuſti, quæ ad ducenta millia aureorum numum pretium æquare ferebantur, Eperieſſum ire juſſi ſunt, comitantibus eos Philippo Comite Solmenſi, ac Gothardo Starembergio, aliiſque Germanis. Sed quum Filecum perveniſſent, ac Tanhauſerus ducentos equites ac totidem pedites præſidii cauſa eis petentibus adjunxiſſet, quo ſecurius in caſtra veherentur, accidit ſingulari eorum, qui comitabantur, perfidiâ, ac Cæſaris & militum detrimento damnoque, ut qui tueri ea ab aliis debuerant, ipſi iidem diripiendis curribus & pecuniis nefarium animum adjicerent. Itaque interfectis ex aurigarum numero nonnullis, & aliis, qui ſtrictis gladiis reſiſtere auſi eſſent, equos & currus in proximam ſilvam abripuere; effractiſque ſcriniis, & diviſa inter ſe pecuniâ ac cæterâ prædâ, pars ad Boſcaium, pars in Poloniam ac alias regiones & latebras profugerunt. Solmenſis & Starembergius, conſcenſis, quos ſors obtulerat, equis effuſa fuga Filecum repetivere; & Tanhauſerus miſſis aliis equitibus, quorum fidem probatam habebat, prædones illos per ſilvas & montes fruſtra indagavit. Baſta cognito hoc tam enormi perfidorum militum ſcelere, exercitum ægre, quin dilaberetur, retinuit; ſpemque fecit brevi aliam pecuniam aliaque ſtipendia affutura; dummodò per aliquod tempus officio fungi, ac dicto audientes eſſe vellent.

Tocajumque obſidione liberat.

Currus pecunia ac panno, in militũ ſtipendia, onuſti a Filecienſibus diripiuntur.

Baſta Caſſoviã admotis caſtris fruſtra tentat.

Nec multo poſt Eperieſſio digreſſus, Caſſoviam terrore admoto tentandam ratus, ſpretis nivibus pluviâ frigidiore immiſtis, quæ turbato cœlo decidebant, eo exercitum duxit, propiuſque urbem caſtra locavit, miſſis per idoneos homines in urbem literis; gratiam Cæſaris & clementiam, ac eorum quæcunque ablata ab eis erant reſtitutionem pollicitus eſt; ſi redire ad officium priſtinum vellent. Verùm Cives communicato cum præfectis conſilio, illum in Tranſilvania quoque plurima populis illis miſerrimè divexatis promiſiſſe, quibus neutiquam ſteriſſet, reſponderunt, ac in propoſito pertinaciter perſtiterunt. Interim ſub ejus diei veſperum Blaſius Lippaius cum Haidonibus erupit, ut ſuburbia concremaret, ne Cæſarianis receptaculo forent. Verùm à Germannis rejectus, in urbem rediit, cum aliquot ſocios glandibus trajectos amiſiſſet. Captus tamen ex Cæſarianis fuit Leonardus Jellus Huſti præfectus, vir ſtrenuus, qui cum Mansfeldio Principe in Pannoniam venerat, & in urbem introductus; ubi à Nicolao Sennieio crudeliter interfici juſſus eſt. Cùm verò exercitus partim vim frigoris & cœli injurias ferre non poſſet, partim vero multi ex minoribus præfectis ſe adverſus religionem, quam ipſi eandem cum Ungaris, qui pro ea ſeditionem moviſſent, profiterentur, pugnare detrectarent, ac ſtipendiorum quoque tarditatem cauſarentur: nec Baſta eis perſuaderet, non negocium religionis ſed dominatus agi; & ſupra has difficultates commeatus quoque penuriâ laborari ceptum eſt, ad VI. Idus Decembris caſtra Eperieſſum reduxit, copiaſque per pagos vicinos in hiberna diſtribuit; quarum ea fuit in cogenda præda avaritia & crudelitas, ut omnium voluntates, etiam qui adhuc in partibus Cæſaris perſiſtebant, magnopere abalienarentur; adeo ut quum nomine Cæſaris omnibus, qui redire ad obſequia vellent, obliteratâ præteritæ defectionis memoriâ gratiam offerret, eamque oſtenſo palam diplomate publicari juberet, nemo tamen reperiretur, qui obtemperandum exiſtimaret. Poſtea quoque ſæpius à milite ob ſtipendiorum tarditatem impenſius tumultuatum eſt: & ipſe modò precibus & pollicitis, modò certa temporis ac diei, ad quem pecunia adforet denunciatione, iratos ac ſua flagitantes ægerrimè placavit, in officioque quantum potuit continuit. 1605.

Indeque exercitũ in hyberna deducit.

Militum licentia & rapina

Ac tumultus ob ſtipendiorum tarditatem.

Dum in hunc modum procraſtinando res differtur, ac Cæſariani per pagos diſtributi in hibernis otiando ac prædando tempus tranſigunt, Haidones Caſſovia de nocte egreſſi, in eos, qui Sovarii, & S. Petri pago erant, intempeſtæ noctis tenebris irruperunt; ubi Carolus Colonicius cum ſuis equitibus hoſpitium erat ſortitus; is quamquam è ſomno expertectus, interioreque tantum tunicâ indutus, improviſos hoſtes adeſſe ſenſiſſet, ignominiæ tamen loco ducens, ſi vel iniquiore loco pugnam abnueret, diu pugnando ac reluctando hoſtibus repellendis obſtaculo fuit. Sed poſtea illi, injecto tectis igne, pagum ſuccenderunt, captoque Pettingerio & abducto, & Copello ſignifero interfecto, Caſſoviam redierunt, cum ex ipſis quoque circiter XXV. cecidiſſent, multique ſclopetis vulnerati diſceſſiſſent. Interim vero quum vulgus militum nullo modo amplius in caſtris perſiſtere abſque ſtipendiis vellet; ea vero nuſquam apparerent, Baſta eos, ut durare vellent, acri ſermone adhortabatur, ac propemodum adferendæ pecuniæ certam propemodum ſpem præbebat: debere ipſos duobus jam præliis victores, & nec pedite, nec equite, nec numero, nec militum genere ac delectu hoſtibus inferiores, aliquantiſper rerum difficultates æquo animo ferre, donec patiendo & vigilando, Deo Opt. Max. concedente, ipſoque annitente, brevi integra victoria paretur: fortibus viris, quales ipſi ſe multis præliis & bellis oſtendiſſent indignum fore, desertâ corruptâque victoriæ ſpe, de reditu cogitare, ac tantum flagitii committere, quo tam ſibi duci ipſorum, quam univerſo exercitui ac Germanico nomini, æternæ ignominiæ infamiæque dedecus inuretur. Sed quum nullis hortamentis, nullis artibus permoveretotur;

1605. tur; jamque Vallones ſublatis ſignis injuſſu ſuo abitum pararent, fremens ac gemens, fortunamque incuſans, quæ incomparabilis gloriæ victoriam, fœda militum conſternatione & contumaciâ ſibi è manibus eripuiſſet; quamquam ipſe jus imperii haberet, manus tamen neceſſitati dedit, & ſigna canere ad profectionem juſſit, adeoque ante exortum ſolis unà cum tormentis & impedimentis, Levociam verſus iter direxit: atque ibi per aliquot dies ſubſtitit, expectabundus, an milites ſpe aliqua exolvendi emeriti ſtipendii delinitos in officio continere poſſet.

Baſta militum ſeditione compulſus Levociam verſus iter ſuſcipit.

Baſtâ in hunc modum diſcedere coacto, Boſcajus, confluentibus quotidie ad eum prædæ aviditate militibus, quibus maxima & inaudita peccandi impunitas & licentia erat, reſumpto animo, non Tocajum duntaxat, ſed & Sacmarium obſidione cingendum deliberavit, ac emiſſis diverſiſſimas in partes Haidonibus, veluti crabronum examinibus, uno eodemque tempore varias arces, quæ adhuc Cæſari parebant, ad defectionem ſolicitare, ac loca negligentius cuſtodita in poteſtatem redigere cepit. Miſſo igitur cum duobus millibus Haidonum Franciſco Redeio, Corponam primum occupavit, quæ et metu coacta portas aperuit; Situiani & Chabragiani, ubi tormenta ii, qui Hatuano profugerant, reliquiſſe dicebantur, ſponte ſe dedidere, & Joannes Verebelius abſque cunctatione Vaciam tradidit, ſed loco manere permiſſus fuit. Filecum autem Thomas Boſniacus, qui ad ejus factionem tranſierat, ab Honorio Tanhuſero, & Hieronymo Arconato Silefio cuſtoditum, cum duobus millibus Haidonum, ac Janicerorum cohorte, & agreſti, quæ circum habitabat plebe, tam arcta obſidione circumdedit, ut exire aut egredi nemo poſſet. Trincinium vero, quod à XL. Germanis militibus, è cohorte Hoffquirchiana delectis pigre admodum cuſtodiebatur, civitate ſe dedente, ab Joanne Silaſio, & Stephano Caroho, ac quodam Rutheno Baliſtecio (is poſtea furti convictus in furca pependit) obſeſſum fuit. Levam oppidum à Colonicio uxoris Sophiæ Pereniæ, quam duxerat, jure poſſeſſum, Redeiani Haidones, injectis de nocte facibus, totum combuſſere, arce intacta relicta, quod ea ab ipſo Colonicio defenderetur. Saduaram LX. milites Germani, qui præſidio impoſiti erant, ad primum Haidonum conſpectum fœdo pavore perculſi ſimiliter dediderunt, quam contempto hoſte facile retinere potuiſſent, quum tantæ firmitatis ac munitionis eſſet, ut à Suendio olim totis viribus obſeſſa ac diu oppugnata non niſi deditione capi potuerit. Zolienſis quoque arx, & oppidum muro cinctum, cui Lucas Fefferius præerat, à paucis Haidonibus lenta obſidione premebatur, ut quemadmodum alia loca quælibet, ita hanc quoque omnibus præcluſis aditibus, ne quid alimenti importari poſſet, fame & rerum inopia adactam ad deditionis neceſſitates compellere poſſent. Eodem tempore arx quoque Viglesia, quæ olim procerum Raſcanorum fuerat, obſidionem tolerabat: cui Chriſtophorus Rappachius Semnicienſis Cameræ Metallicæ præfectus, cum uxore & liberis erat incluſus; Hanc ab Haidonibus bis terve oppugnatam, ille cum paucis ſuorum, cæſis haidonum amplius CC. fortiter & impigre conſervavit. Impari tamen virtute fideque Balthaſar Covacius, qui Palanco & Dregelio præerat, ac ii, qui Nogradi, Bujaci, & aliis arcibus erant, ad hoſtes defecerunt. 1605.

Diſcedente Baſta Haidones varias arces ac inſulas deditione invadit.

Quum inter hæc Boſcajus Caſſoviæ moraretur, ac Baſtam diſceſſiſſe cognoviſſet Nicolaum Sennicjum, & Blaſium Lippajum cum valida Haidonum manu Eperieſſum miſit, qui primum verbis tentarent, an cives adduci ad aliquas deditionis conditiones poſſent; deinde ſi id non procederet, etiam vim adhibere conarentur; igitur cum ad eorum clamorem, quo urbem ſibi tradi poſtulabant, ac nomine Boſcaii incolumitatem pollicebantur, nihil reſponderent, admovere mœnibus ſcalas, ac ſuos ad ſcandendum incitare ceperunt. Verum à Germanis militibus, eorumque duce Georgio Emerico Puchainio, quos Baſta in præſidio urbis reliquerat, rejecti, ac glandibus & tormentis vulnerati re infecta Caſſoviam, unde venerant, redierunt. Poſtea Boſcajus, diſceſſu Baſtæ magno metu liberatus, ad Serencium ire decrevit, ut ibi Comitia factionis ſuæ hominibus, quos jam ad ingentem numerum, partim vi & metu, partim odio Germanorum excreviſſe videbat, publicaret. Sed prius quam eo proficiſceretur, Blaſium Lippajum, ſive ut in ejus opibus, quas ingentes urbis Caſſoviæ ac nobilitatis direptione congeſſiſſe fama erat, potiretur, ſive ſtolida quadam ejus temeritate offenſus, qua rerum & conſiliorum ejus rationibus licentius quam par erat ſeſe immiſceret, eumque ab ſe potiſſimum ad tantum regii honoris & amplitudinis faſtigium evectum eſſe, nec ſe inſcio inconſultoque, honores & magiſtratus cuiquam conferri debere dictitaret, è medio tollendum conſtituit. Dedit igitur ejus rei conficiendæ negotium Michaeli Catajo, Nicolao Senniejo, & Alberto Magno. Qui illum ad cœnam invitatum, in hoſpitio Cataji, dum per Anguſtum quendam & tenebricoſum locum in proximum cubiculum tranſiret, adactis in pectus & ventrem pugionibus, contrucidarunt, & cadaver ſervis ejus ad ſepulturam tradiderunt. Fuit Lippæ ex ignobili ac ſordido hominum genere, quos Cinganos vocant, ortus; multis latrocinius, perjuriis, furtis, proditionibus infamis, ideoque eo vitæ exitu non prorſus indignus, ſi ab alio, quam Boſcajo cæſus eſſet, cui ultima proditione & pugna Adoriana non inutilem, quamquam infamem operam impendiſſet. Uxor ejus, exuta ſpoliis per ſævitiam mariti congeſtis, ac catenis aureis, quibus collum impudenter ac indignè onerare ſolebat, ad priſtinam inopis & ſervilis vitæ conditionem redire coacta eſt: illeque peracta cæde poſtea ſubjiciebatur crimini, ac perfidiæ, quod occulta cum Baſta & Germanis conſilia habuiſſet, quibus Caſſoviam eis tradere voluiſſet.

Eperieſſum vano conatu a Boſcajanis tentatur.

Blaſius Lippajus à Boſcaii adminiſtris, ſumma perfidia trucidatur.

Interea quum Comitia, quæ Cæſar ad initium hujus anni promulgaverat, his perniciosis motibus interturbata ſolutaque eſſent, ii, qui è Senatorum numero convenerant, communicato inter ſe conſilio, Viennam profecti, Matthiam principem orarunt, ut quamquam ipſi ſicuti nihil magnopere timendi, ita nihil contemnendi auctores eſſe vellent, tamen miſſis ad Boſcajum legatis experiretur, quibus modis extinguendo ei igni obviam iri poſſet: & an ille oblata aliqua ſpe pacis ſanari poſſe videretur. Sed quum princeps nihil ſe ea in re à Cæſare documenti accepiſſe reſpondiſſet, neque tamen prohiberet, quin Senatores, ſi ita ipſis videretur, aliquos ex ſuo ordine ad eum ablegarent, abſ-

que

1605. *Legati ad Boſcajum miſſi, rebus infectis redeunt.*

que mora miſſi fuere Demetrius Naptadius Epiſcopus Veſprimienſis, & Sigiſmundus Forgacius, qui eam provinciam promptis animis obiêre; rati ſe pro vetere amicitia, quæ ipſis cum Boſcajo interceſſiſſet, illum ad amplectendam concordiam haud ægre adducturos. Sed longe aliam in eo mentem rebus ex animi ſententia ſuccedentibus, alios ſpiritus elatiores, quam putarant, repererunt. Nam quum primo ad Baſtam, qui nondum ſe Eperieſſo, ut ex hibernis moverat, veniſſent, illumque de ſuo adventu certiorem reddidiſſent, ægre admodum eos in ſui præſentiam admiſit: & cum tandem ſerius admiſiſſet, poſtquam non Cæſaris, nec principis, ſed privato Senatus nomine acturos veniſſe cognoviſſet, rebus infectis, remiſit, atque ii non ea qua profecti erant, via ob metum Haidonum vias obſidentium, ſed per fines Poloniæ redierunt.

Boſcajus Serenciũ comitia factioſis ſuis indicit.

Poſt ſublatum è medio Lippajum, ac dimiſſos legatos, Boſcajus ad ultimos menſis Martii dies Serencium cum veniſſet, comitia ad XVII. diem Aprilis, iis, qui ejus factioni adhæſerant, per literas publicavit; quarum hæc erat ſententia: „Equidem ſcire vos minimè dubito, quantam ſuperioribus annis jacturam communis libertatis, quantas calamitates miſerum & afflictum hoc Ungariæ regnum, patria noſtra dulciſſima, ab exteris nationibus Germaniſque imprimis paſſum fuerit; & quantum non nobiſmetipſis duntaxat, ſed bonis fortuniſque noſtris indies periculi ab iiſdem impenderit, adeo ut præter graviſſimas injurias, rerumque noſtrarum direptiones, injuſtiſſime illatas, neque conſcientiis noſtris, quæ ſoli Deo omnipotenti ſubjectæ & cognitæ eſſe debent, quietam & tranquillam conſiſtendi facultatem habuerimus. Cujus oneris graviſſimo pondere gravata nobilitas, proximis Comitiis Poſonii habitis, coram judicibus ordinariis, veluti prævifis futuris, quæ hinc oriri poſſent malis mentem ſuam declarare non prætermiſit, ſe in religione, quam hactenus publicè privatimque profeſſa eſſet, ea animi & conſcientiæ firmitate permanſuram, ut ſi turbari à quopiam cepiſſet, ſe omnibus, quibus poſſet, modis ad defenſionem paratum fore clare teſtaretur. Quæ tametſi haud obſcura voluntatis declaratio, juſto & æquo conſentanea, merito apud omnes valere vimque obtinere debuiſſet; tantum tamen abfuit, ut quicquam ea profeciſſe videretur, ut præterea Cæſar, capta illinc occaſione, contra leges & jura patriæ noſtræ, propria auctoritate, inſciis ordinibus regni, ſub finem actorum comitialium, legem, ſi Diis placet, apponi & adſcribi juſſerit intolerabilem, nec nunquam à liberis hominibus admittendam, qua ſtante ac ſtabilita nobis certa ſalutis & vitæ pernicies & clades, ac non dubia mors in horas expectanda eſſet. Quod id ipſum ex iis quoque Barbiani Cæſareani Caſſoviæ præfecti reſponſis, quæ ille nuntiis veſtris, quos è conventu veſtro Galſeciano ſemel atque iterum ad eum tuendæ religionis cauſa miſeratis, intelligere potuiſtis: ei nimirum à Cæſare injunctum eſſe, ut noſtræ libertatis ac religionis exterminandæ ſtudium etiam cum noſtro excidio, ac ſanguinis noſtri profuſione curæ eſſe deberet. Quam quidem crudelis ſententiæ acerbitatem in me primo omnium exequi idem ipſe Barbianus ſummis viribus contendit cum promoto exercitu Cæſareo, prolatiſque tormentis unam alteramque arcium mearum partim intercepit, partim valida obſidione cingere non dubitavit. Qua inſigni injuria, ac extremæ neceſſitatis vi compulſus, ut ſaluti vitæque conſulerem meæ, iis, quibus ſecundum Dei immortalis opem fieri potuit, rationibus modiſque me defendi. Quo quidem in conatu cœptiſque meis, quales divino numine opitulante progreſſus fecerim, & quantum juſtam cauſam propitia fortuna juverit, neminem veſtrum latere arbitror. Tametſi autem credibile ſane eſt, vos in his turbis & diſſenſionibus tam à Germanis militibus, quam Haidonibus natura rapto vivere aſſuetis, ſatis injuriarum & detrimenti cœpiſſe, indieſque capere, ea tamen omnia libertatis & ſalutis cauſa, donec meliora illuceſcant tempora, patienter ferenda eſſe, & ut ea ſenſim à cervicibus noſtris amoveantur, vos omni ope niti deceat, meminiſſe vos oportet. Itaque quo magis meliuſque adverſus hujuſmodi tempeſtates protecti eſſe queamus, & cum aliis Ungarici nominis fratribus amiciſque noſtris conjungere animos vireſque poſſimus, laborandum eſt, ut iis de rebus conſilia capturi in unum locum conveniamus, quibus libertatis ac religionis noſtræ hoſtibus reſiſtendum ſit, & quibus patria noſtra & reſpub. priſtino ſtatui reſtituta, ejectis exteris, exoptata quiete & tranquillitate frui poſſit. Nam alia omnia, quæ huc non pertinent, hoc quidem tempore prætereunda, inque aliam occaſionem differenda exiſtimo. Hortor igitur vos & moneo, ut ad XVII. diem Aprilis Serencium conveniatis, ibique unanimi conſenſu ea quæ ad conſervandam dulciſſimæ patriæ noſtræ ſalutem, quam accommodiſſima erunt, ſecundum Dei omnipotentis opem decernatis. Qui vero ſalubribus hiſce monitis, præceptiſque noſtris aures præbere noluerint, ſeque alienos à communi bono per abſentiam ſuam oſtenderint, in eos & eorum fortunas facultateſque quid ſtatuendum ſit, de eo poſtquam convenerimus, mihi una vobiſcum curæ erit. Valete."

Religio obtentui eſt. Ejuſque palliis ſcelera ſua obvelare conantur.

Decreta in hiſce comitiis edita.

Ad hæc comitia cum frequentes conveniſſent, principatus Boſcajo ab omnibus confirmatus eſt, & religionis profeſſio libera cuilibet conceſſa; ſic tamen ne quæ præter Catholicam, Lutheranam, & Calvinianam (hæc ibi Helvetica novo nomine vocata eſt) admitteretur. Copiarum, & regni, ac exercitûs præfectura Valentino Homonniano; prætoriani vero militis cura Georg. Secio commiſſa; ac deliberatum, quo apparatu, quanto militum numero, quam celebri comitatu iter ejus ad capeſſendam Tranſilvaniæ poſſeſſionem inſtitueretur. Quibus peractis, illinc in Tranſilvaniam perrexit, & præſtito Claudiopoli munio cum provincialibus juramento, princeps eſt ſalutatus, ac id ipſum à Chauſio, nomine Turcarum principis, tradita ei clava, enſe, & vexillo, protinus confirmatum: ſolo Georgio Thrace, uno è Michaëlis Tranſalpini præfectis in arce Gialuina, imperium ejus detrectante; ac in partibus Cæſaris conſtanter perſeverante; qui poſtea in eadem arce, poſt diuturnam obſidionem, fame, ſiti, & cibariorum inopia ad deditionem compulſus, ac præter datam fidem captus fuit. Eum tamen à Boſcajo è medio clam tolli juſſum, Racocius provinciæ præfectus ſumma pietate conſervavit. Pancratio Senniejo & Balthaſari Corniſio,

R gni inſignia à Chauſio ei oblata ſunt.

1605. qui ſub initium belli, & poſt adverſam Adotianam pugnam provincia excluſi, ad Cæſarem confugerant, exilium ratum eſſe juſſit. Inde ad oppidum Megieſſum profectus eſt, ibique Siculis & Saxonibus pecunia imperata aliquamdiu ſubſtitit, quo in loco Stephanus Chaquius, qui multas cum eo ſimultates & inimicitias exercuerat, ſeque regno affectando antea corrivalem & æmulum præſtiterat, in gravem morbum incidit, ac paucis poſt diebus extinctus eſt; rumore haud ſane irrito cum veneno clam ab illo ſubminiſtrato interiiſſe, quòd vir firma valetudine & florenti ætate validus, niſi vis adhibita eſſet, longe ulterius vitam producere potuiſſe crederetur. Nec diu poſtea in provincia commoratus, quod res Ungaricæ ejus reditum flagitare viderentur, commendata Sigiſmundo Racocio provincia, qui ſuo interim nomine eam gubernaret, donec pacatis in Ungaria rebus reverteretur; brevi illinc Caſſoviam reverſus eſt.

Steph. Chaquius obit.

Reſtabat in partibus Cæſaris Stephanus Bathorius, qui Judicatum Curiæ, uti appellant, primam poſt Palatinatum dignitatem obtinebat, in arce ſua Echedia, in inſula lacus cujuſdam, munitiſſimo loco ſita. Sed etiam is, præter omnium opinionem, ſive aſſiduis bellorum incommodis fractus, ſive Germanorum odio, & ulciſcendis eorum injuriis, quas intolerabiles ab iis ſibi illatas querebatur, ſeu religionis Calvinianæ aſſerendæ ſtudio, cui erat addictiſſimus ad Boſcajum deſcivit. Quamquam autem à Michaële Bajo, familiare ſuo, ne à Cæſare deficeret, multis rationibus confirmaretur, cujus avum Ferdinandum, Stephanus Bathorius, ipſius avunculus, qui tunc Palatinus erat, ad capeſſendum Ungariæ regnum omni ope atque armis juviſſet; neque fas eſſe eum à veſtigiis & virtute majorum levibus de cauſis exorbitare, identidem inculcaret; ipſe tamen in ſententia perſtitit, & ſigillum, quo duplici in jure dicundo utebatur, per Michaëlem Ancreiterium, Germanicæ originis famulum ſuum, Bajo, ut ad Cæſarem perferendum curaret, miſit. Is verò ne ab Haidonibus Auſtriam & Moraviam hoſtiliter infeſtantibus circumveniretur, arcem Deveniam deſerere non auſus, ad Martinum Petejum Jaurienſem Epiſcopum, ac tunc proregiâ dignitate fungentem pertulit, à quo ad Matthiam principem miſſum fuit. Sic vir ille, alias nobiliſſimæ & antiquiſſimæ ſtirpis, paulo ante obitum rebus novandis animum applicuit; ac quod ſæpe in ore habebat, honeſtum vitæ uſque ad funera curſum ſervare non potuit; tantum in animis hominum inſatiabilis injuriarum ultio, ac vindictæ cupiditas poteſt. Nec multo poſt, ultimus illuſtris & antiquæ familiæ hæres, nulla relicta ſobole, animum agens ætatis LV. extinctus eſt.

Steph. Batho. Boſcaio ſe jungit.

Pauloque poſt obit, nulla relicta ſobole.

Diſcedens è Tranſilvania Boſcajus Veſitio, qui Belgradi hibernaverat, & adhuc ibi hærebat, per legatos & literas ſignificavit, ſe confectis ex animi ſententia in ea provincia rebus Caſſovia rediturum, ac Budæ, ſive ubi ipſi videretur, de ſervandis ſub clientela & patrocinio Turcico, partis ab ſe eorum ope provinciis conſilia communicaturum. Miſit etiam legatos iiſdem de rebus Byzantium Stephanum Coelatum, & Georgium Quequedium, ac ſupra varia ingentis pretii munera, vexilla, quæ a Germanis prælio Adoriano fuſis obtinuerat, pueros item captivos Chriſtiani nominis Germanos elegantius formæ, recenti amictos purpura: quorum capitibus quatuor infulæ Phrygii pretioſique operis, qualibus Epiſcopi, dum ſacris operantur, uti ſolent, inuſitato more impoſitæ erant, munus ſane dari Turcis à Chriſtiano homine non ſolum indignum, ſed etiam impium & execrabile. Quequedio & Corlato Alys Budæ purpuratus Mehemetem cognomento Jaaygem, legatum, ſeu uti ipſi vocant Quihajam ſuum, comitem adjunxit, qui eos Byzantium deduceret, ibique in expediendis negotiis eis auxilio foret, cui etiam Boſcaius CC. argenteos nummos, qui Taleri appellantur, annuos conſtituit, è ſuo ærario perſolvendos. 1605.

Legati Boſcaji cum inſolitis muneribus Conſtantinopolim miſſi.

Cùm Caſſoviam veniſſet, arces eas, quas ab Haidonibus oppugnari ceptas eſſe ſupra diximus, Trincioium ac Zolium, deditione eorum, qui in præſidiis erant, in poteſtatem conceſſiſſe cognovit. Fileco quoque Tanhauſerius & Arconatus, aquæ inopia, (quod putei duo, qui in arce erant, longis æſtatis fervoribus exhauſti atque exſiccati eſſent) ac intolerandæ ſitis neceſſitate compulſi, poſt duos obſidionis menſes exceſſere. Trincinio potitus Boſcajus, Stephano Illheshazio, qui ut diximus, Vienna profugiens in Poloniam ſe receperat, ibique hactenus exilium fere biennio toleraverat, auctor fuit, ut rediret, eique ea, quæ amiſerat, oppida atque arces redditurum promiſit. Sed & Sacmarium, poſt quadrimeſtrem fere obſidionem, Joachimus Becquius, Hieronymi filius, fame & alimentorum inopia compulſus, perduellibus dedit, quum aliquot oppugnationes fortiter ſuſtinuiſſet; cui excedenti vis intentata etiam fuit, & ſclopeti exploſi, quorum glande virgo conjugis ejus germana ſoror trajecta interiit, niſi à Nicolao Boſcajo, qui obſidioni præfuerat, ipſius Boſcaii propinquo, ſervatus eſſet; atque is, itinere per Poloniam facto, domum reverſus, pauciſſimis poſt diebus morbo extinctus eſt. Eodem tempore Huſtum quoque iiſdem commeatûs difficultatibus coactum deditionem fecit.

Trincinium, Zolium ac Filecum ab eiuſdem Haydonibus occupantur.

Steph. Illieſhazium è Polonia revocat.

Mox Sacmarium diu obſeſſum deditione capit.

Redeius interea cum quotidie caſtra ejus novis Haidonum ſupplementis augerentur, qui ſpe lucri & prædæ undique confluebant, Nitriam tumultuariis copiis obſidione circumvallavit, ac lentis rariſque ictibus duorum tormentorum mediocris magnitudinis verberare cepit; ſimolque primo impetu oppidum inferius (inter hoc & aliud in colle ſitum Nitria fluvius labitur) injectis ignibus concremavit. Erat in arce Franciſcus Forgacius Epiſcopus, & cum eo præter ſuos milites, aliquot etiam nobiles viri è vicinia, qui ſui tuendi cauſa illuc confugerant; qui omnes arcem fortiter defendebant, ſæpeque Colonicium per literas & nuntios urgebant, veniret auxilio obſeſſis, eoſque in anguſto poſitos liberaret, ſicuti & promiſiſſet ſæpius ſe facturum, & pro eo, quod gerebat officio etiam facere deberet: Redejanos non militiæ, non armis ſed latrocinio aſſuetos, ac ex rure & fæce agreſtium bubulcorum collectos poſſe haud magno labore ſuperari. Verum ille ſive ſuis, quos habebat Ungaris peditibus diffiſus (nam paulo ante CCC. ex iis ſacramento adacti, & pecunia in ſtipendium accepta, fidem fallentes ad hoſtes transfugerant) ſive paucos, qui cum Germanis in fide perſtiterant, ſolvendæ obſidioni impares fore ratus, auxilio tamdiu venire diſtulit, donec nonnulli ex iis, qui in arce erant, obſidionis & incommodorum belli per-

Cui & Huſtum accedit.

Franc. Forgacius Nitriam ſuorum defectione, hoſti relinquere cogitur.

1605. pertæſi, neque ambigua perfidiâ agitati, eo ſceletum inclinarunt, ut fidem mutarent, ad Redeiumque tranſirent, Epiſcopo quoque, qui reluctari pergeret, una eis tradito. Fuere ex iis nonnulli conſiliorum conſcii, qui cuncta Epiſcopo referrent, differendoque verbis & annitendo ſatius fore dicerent, eum neceſſitati parere, & honeſtas deditionis conditiones minime aſpernari, quam renuendo importunæ inutiliſque conſtantiæ famam propriæ ſalutis ac vitæ diſcrimine aucupari: Igitur in hoc difficili rerum ſtatu conſuleret ſibi ipſi & ejus fidem ſecutis. Epiſcopus quamquam nihil virtute ſua, ac familia nobili, à qua originem ducebat, alienum aut indignum committere, & potius pro egregia ſua erga Cæſarem fide arcem ad extremum uſque ſpiritum tueri ſtatuiſſet; ne tamen in atrocius periculum, quam quod grave & inſperatum ingruiſſet, incideret, ſibique uno eodemque tempore, cum duplici hoſte dimicandum foret, incolumitatem cum Redejo pactus, arce exceſſit, & collegii ſacerdotes ſecum excedentes per currus, quos ex pacto hoſtes dederant, Jaurinum perduxit, indeque Viennam ſe contulit.

Tentavit interim Colonicius Baſtæ ferre ſuppetias, à quo, ut id faceret identidem admonebatur. Et quum copias ex Germanis, & paucis, quos habere poterat ex Ungaris collegiſſet, Levociam uſque pertexit; nec tamen quid operæ præſtitit, quam quod ex itinere arcem Muraniam, quam Haidones & ruſtici, incluſo in eam cum conjuge & liberis Jo. Jacobo Rottallerio, lente oppugnabant, obſidione liberavit, & quod Baſtæ ob militum conſternationem redeundum eſſet; ipſe quoque itinere per Civitates Montanas facto, Levam reverſus eſt.

Baſta ex, ercitus tumultuantis ſeditione coactus.

Interea Baſta non ſe amplius tumultuantes & ſtipendia poſcentes milites verbis ſedare poſſe animadvertens, ne ab illis dilabentibus ſolus relictus hoſti objiceretur; pecunia vero ab ærario præfectis nulla uſpiam mitteretur, promoto ex hibernis Levociaque exercitu, via militari per Liptovianos & Turocianos facta, Baimociam, atque inde Galgocium pervenit; quod adhuc à Turzonibus in fide Cæſaris retinebatur. Nec diu ibi moratus, quod ejus antecedentis veſtigiis ubique perduelles inſiſtendo, ac minutiores etiam pugnas nunquam miſcendo inſiſterent, nec ab iis circumveniri, aut Vago & Danubio intercludi vellet, retrocedendo ſemper & terga obvertendo Poſonium venit, cum amplius X. millibus militum.

Poſonium venit.

Cæteri enim partim variis in præliis cæſi aut capti, partim morbis extincti, partim etiam relictis ſignis hinc inde dilapſi erant. Quos tanta inutilium hominum per pagos ſuperioris Ungariæ vi & metu ad ſervitia militum ac caſtrenſia miniſteria coactorum turba, ac impedimentorum, jumentorumque multitudo ſequebatur, ut exercitus numerum ſuperaret: & equorum duntaxat ac majoris pecoris greges ibidem direpti & vi abacti ſupra XX. militum capitum eſſe cenſerentur. Baſtæ & exercitus adventu, quantum ſpes & animi conſternatorum metu civium levati videbantur, tanto majori eis detrimento ceſſere: Nam præterquam quod ab hoſtibus tam ex Inſula Sallocoſia, quam Tirnavia frequenter uſque ad ſuburbia excurrentibus aſſidue infeſtabantur; tum vero Vallones, Thraces ac Germani milites, partim hortos ſuburbanos, partim vineas, quarum redditibus ipſi ſe ſuſtentare ſolebant, fructibus vel nondum ſatis maturis, inſatiabili ingluvie conſumptis pervaſtare non ceſſabant; & quod ſupererat, confractis ſæpibus, & naecus diſtractis, equis & jumentis depaſcendum relinquebant; gementibus ſua damna nec ſine fletu aſpicientibus Civibus; & Baſta, ſi pro compeſcenda militum licentia adiretur, Parcendum eſſe inſolutis militibus reſpondente. 1605.

Cæterum Redeius Nitriâ occupatâ inſolentiores ſumens ſpiritus, cum Civitates Montanas, quas vocant, partim vi, partim deditione, & cæteris pactis ad ſuas partes traduxiſſet, à Boſcajo de rebus ab ſe proſperè geſtis certiore reddito ſupplementum copiarum poſtulavit: atque is Michaëlem Denghebegium cum MD. Haidonibus, ac Gregorium Nemethium cum DCCC. ejuſdem generis equitibus in ſubſidium miſit: ipſeque cum his, & quos ipſe adduxerat, circumjectum agrum populari, & qui ei adhærere nollent, omni injuriarum & damnorum genere afficere, tectis ædificiiſque nobilium ignes injicere, ac hoſtilia quæque inferre cepit.

Tirnavia hoſti Redeio ſe dedit.

Quarum rerum terrore permoti Tirnavienſes, ejuſque minis adacti, cum nullas, quibus fidere poſſent, copias haberent, nec ullum à præfectis Cæſaris auxilium ſperarent, quos incertum quiſnam torpor, ignaviæ & ſocordiæ haud abſimilis, aut metus & deſperatio ceperat, Redeio niſi imperata facerent, obſidionem certam & cædem denuntianti abſque cunctatione portas aperuerunt, eo quidem majore contumelia, quod Baſtæ è ſuperiori Ungaria nuper revertenti eaſdem claudere non dubitaſſent, exulceratis nempe Civium animis, quod inter conſilia & tractatus intromittendorum agminum, horrea & ſuburbanæ eorum villæ à Vallonibus & aliis militibus inſigni cum Civitatis damno concrematæ fuiſſent.

Staniſl. Turzo Boſcaji partibus ſe jungit, & frater ejuſdem Chriſtophorus.

Quibus de cauſis Staniſlaus Turzo eo tempore Sintaviæ commorans, Tirvaniaque & Nitria duobus locis, veluti indagine intercluſus, ut ſubditis ſuis, ne ferro & igne vaſtarentur, conſuleret, deditione facta, ad eam factionem tranſiit. Ejus exemplo Chriſtophorus quoque frater ejus, quem Barbianum excepiſſe hoſpitio, ac cum eo in arce Scepuſiana obſidionem pertuliſſe narravimus, poſt multa accepta detrimenta, ad illum ſe Caſſoviam contulit; à quo ibi ſalſo dicterio perſtrictus eſt, ut eum, poſtquam longis & diuturnis imbribus madefactus eſſet, tandem penulam induiſſe diceret.

Denghelegii excurſio in Moraviam.

Redeius Tirnaviæ ſubſtitit, imperata Civibus pecunia, ac coccineo panno pretioſiore, quo ſibi & ſuis veſtes fierent; Denghelegium vero cum VIII. millibus Haidonum, ac M. circiter Turcis, ad populandam Moraviam, facto per montem, quem Album vocant, itinere miſit. Qui provinciam longe lateque populati, quum in Moravorum equeſtres copias, quas Wilhelmus Poppelius, & Hodiccius ductabant, non procul Sacolcia incidiſſent, acre cum eis certamen contraxerunt, in quo utrinque plurimi cecidere; & in partibus Haidonum Gregorius Balogus juvenis, ejuſdem nominis protonotarii filius (ſic judices regii tribunalis appellantur) qui ſe eis aggregaverat, interiit. Paulo etiam Quicindio Haidonum equeſtrium præfecto, qui deſerto nefarie Colonicio ad perduelles transfugerat, & crebris latrociniis multa detrimenta Cæſareanis intulerat, latus ſiniſtrum glande trajectum eſt, quo ex vulnere Tirna-

1605. viam delatus, magno dolore & cruciatu in manibus medicorum expiravit. Denghelegius nihilominus in reditu Sacolciam urbem in limine & finibus Moraviæ ſitam, dedentibus ſeſe civibus occupavit, & Stephano Horvato defendendam commiſit. Quam Moravi, velut ipſis antiguam, ab illo vi ejecto incenſam, & ſolis templis duobus illæſis, cætera combuſtam recepere, ſimul cum arce Betencia, & præſidio firmavere; quod illuc non niſi longo poſt finitum bellum tempore eductum eſt. Holicium vero defendente ſumma conſtantia Petro Revaio in fide Cæſaris permanſit.

Turcæ & Haidones Moraviam ferro flammaque infeſtant.

Nec deſtitere deinceps quoque Denghelegius & alii perduellionis duces, & anteſignani, Turcis in ſocietatem adſcitis, populando crudeliter & urendo Moravis infeſti eſſe; ita ſævo atque impio exemplo, atque abuſu ut miſeros & innoxios Chriſtiani nominis agricolas, ac promiſcui ſexus imbellem turbam, nulla religionis, nulla Deorum immortalium cura tacti, Turcis æternis noſtris hoſtibus in diram ſervitutem abducendos præſenti pecunia pretioque divendere non dubitarent. Turcas vero, tametſi per ſe ad prædam proclives, Bectes purpuratus nuper è Temeſiana præfectura ad Budenſem translatus, eo ut frequentes ad infeſtandos & populandos Moravos excurrerent, incitare ſolebat: quod eſſet prædæ avidiſſimus, ac ſervorum & mancipiorum tam muliebris quam virilis ſexus inexplebilis, quos miris artibus comptos, maxime quos venuſtæ formæ ſpecies aut ingenii virtus commendaret, Byzantium principi aut amicis dono mittere erat ſolitus. Sed non diu neſario Mangonii quæſtu uti potuit: Nam quum adornata ad Boſcajum profectione, cum multo ac ſpecioſo XXVII. quadrigarum comitatu, ac nonnullis equitibus, regium in morem inſtructis, Caſſoviam ire conſtituiſſet, in inſidias à Cæſareanis Comaronienſis præſidii militibus Ungaris, non pluribus XL. circa Hathuanum collocatis incidit, atque ab iis interfectus fuit, dilapſis ad primum clamorem & impetum comitibus, ac pulcherrima locupletiſſimaque ejus & Comitum ſuppellectili direpta; ſed quæ à paucis tota auferri nequiviſſet; & paulo poſt Alys, qui modo præeſt, Nicopolitano prætore, ut diximus patre genitus, ſuffectus fuit.

Inſtigante Becta ſo Budenſi, paulo poſt à noſtris interfecto.

Martinus Petejus Epiſcop. Jaurienſis ab Haidonibus ſpoliatus paulo poſt vita excedit.

Paulo antequam Baſta, quanquam duobus præliis victor non ſecus tamen ac ſi victus eſſet, Poſonium venisſet, Martinus Petejus Epiſcopus Jaurienſis, qui proregiæ dignitatis locum obtinebat, Sabariam venit, ut tutiore loco ab hoſtibus foret, quos eo nequaquam perventuros putabat. Verum quum nec in ea arce, quæ debilibus & infirmis muris conſtabat, ſatis fidere poſſet, petita à Franciſco Battianio in arce ſua Salonocia manſione, dum eo proficiſceretur, à militibus Cæſareanis Quermendii ſtipendia merentibus, quibus Marcus Pecquius Hieronymi filius, & ejus legatus Melchior Ratquius præerant, (ſed Pecquius auditis hiſce motibus ſe in Auſtriam receperat) pari cum Haidonibus perfidia agitatis, in itinere rebus omnibus ſpoliatus fuit: mirumque videri potuit eum impias ſceleratorum prædonum manus, quin cæderetur, evadere potuiſſe. Nec multo poſt hieme ſequuta, tutioribus viis Viennam delatus, morbo articulari & annis gravis, vitam cum morte commutavit, ac à Ladislao Petejo fratre Poſonii tumulatus eſt.

Sub id tempus Tocajum, poſt exantlatos varios labores, ac ſitis, famis, & aliorum belli incommodorum neceſſitates, poſt unius anni aut amplius obſidionem, deditum eſt; quum Georgius Rubertus præfectus & milites, quotquot habebant equos abſumpſiſſent, nec poſtremo à felibus & canibus devorandis eogente inedia, abſtinuiſſent. Rubertum Caſſoviam profectum, Boſcajus conſtantiæ militaris nomine collaudatum, quo vellet, abire permiſit. Solum adhuc Varadinum à Cypriano Concinio, Cæſaris nomine ſervabatur; quo etiam Bapriſta Peczius pugna Adoriana captus ſeſe receperat; poſtquam Boſcajo pro libertate XX. talerorum perſolviſſet. Supra hæc omnia incommoda ardente ubique bello novus terror acceſſit, inſperata ad perduelles Inſulæ Sallocoſiæ defectione, qua tam Jaurini, quam Comaronii præſidiis haud ambiguum diſcrimen impendere videbatur, occupatis terreſtribus viis, ac ſublata Danubii navigatione. Redejus enim cum aliquos ex ſuis in Inſulam miſiſſet, Matthiam & Albertum Somogios fratres, partim minis, partim promiſſis in ſuas partes traduxit: atque ii primum ad ejus factionem, ſpe prædæ & latrociniorum invitati tranſierunt: cæteroſque poſtea, ut tranſirent coëgerunt. At perduelles Tirnaviâ cum Turcis & Tartaris egreſſi, ſex millia numero, Benedicto Buchio duce, concrematis, ex itinere oppidis Sempeio, Bozinio, S. Georgii, Ceclesio, aliiſque obviis pagis, Poſonium irrupetunt. Ubi Germani equites & Thraces acerrimum cum eis certamen contraxerunt; quod cadentibus utrinque plurimis, ab hora diei quarta pomeridiana, ad undecimam noctis duravit. In eo Sava Temeſuarianus Thracum doctor, vir militaris, Baſtæque fidus, ideoque charus, ſagitta à Tartaris ictus, magno totius exercitus dolore occubuit. Poſtremo tamen rejecti hoſtes, Tirnaviam repetiverunt, Matthias quoque Somogius ex Inſula cum CCCC. militibus Georgio Maquio, ſuburbia Poſonienſia, qua ab extima urbis parte, verſus Reciam itur, irrumpi juſſit; incenſiſque eis, cum Germanis Baſtæ militibus acriter pugnatum eſt. Nec Baſta ignes extingui permiſit, quod eam ſuburbii partem, ipſe quoque, niſi id hoſtis prior feciſſet, concrematurus erat, ne inſidiis tendendis oportuna hoſti foret. Sed paulo poſt Vallones in eos immiſit, qui poſt acerrimum certamen Inſulanos fuſos & fugatos ad Danubii ripam conſtrinxere, ac ad unum omnes trucidavere; iis exceptis qui tranſnatare potuiſſent; quorum tamen plurimi in flumine perierunt, ita ut pauciſſimi evaderent, & ipſe quoque Maquius pugnans interficeretur. Nec ea ſuorum clade permotus Somogius in fines Auſtriæ, tranſito Danubio, irrupit, ac ferro & igne graſſatus, concremato Prinquellio, viciniſque Pagis, & mola illa frumentaria Laitæ flumini impoſita, quæ duodecim lapides molares totidem verſatilibus rotis volvebat, funditus exuſta, magnum etiam majoris minoriſque pecoris numerum abegit. Mox Ovarium aggreſſus, ſuccenſo oppido, & Molendino è regione arcis ſtructo à Germanis ex arce erumpentibus magna virtute repulſus fuit, amiſſis haud paucis ſuorum multiſque vulneratis. Atque in hunc modum, occupata cis & ultra Danubium à perfidis hominibus majore regni parte, cum tot tantique terrores undique circumſtarent, nulla tamen à Cæſareanis præfectis uſpiam auxilia cuiquam adferebantur; eoque

1605. Tocajum à Ruberto extrema omnia perpeſſo Boſcajo deditur.

Inſula Sallocoſia ad Perduelles tranſit.

Hoſtes caſtra noſtra adorti pluribus occiſis, pedem referunt.

Somogius in Auſtriam ferro flammaque graſſatur.

que

1605. que erat deventum, ut eorum nomen non odio ſolum apud hoſtes, ſed contemptu etiam apud ſocios laborare videretur.

Nemethius regiones Transdanubianas incendiis & rapinis fert agitque.

Sub id tempus per eam inſulam, Grègorius Nemethius unus ex Haidonum ductoribus, cum DCCC. ſociis & ala Tartarorum, Danubium ad Samariam & Raicam tranſivit, ac regiones Tranſdanubianas paribus incendiis & latrociniis ad defectionem ſolicitavit, primumque oram illam amænissimam Lacus Fertonis, oppidis inſtar urbium ampliſſimis conſpicuam, urendo & populando pervaſtavit, ac Chepregium uſque contendens ibi ſubſtitit. Thomam vero Horvatum Albam ad conciendos in auxilium Turcas ire juſſit. Qui poſtquam cum paucis perduellibus ad arcem Vaſoniam, quæ in partibus Cæſaris erat, obſcura nocte acceſſiſſet, ſeque è Papenſi præſidio militem ſimulando, portas aperiri poſtulaſſet, quod captivos quoſdam Turcas duceret, & deceptis hoc aſtu cuſtodibus, intromiſſis arcem occupavit. Sed eadem, qua ipſe ceperat, fraude decimo poſt die à Mulboſſo Thrace Papenſi centurione recuperata fuit. At Gregorius Nemethius cum in domo laxa & maxime ampla, quæ Chepregii nuptiis & tripudiis Nicolai Zriniani Comitis, filiam Franciſci Nadaſdii ducentis, nuper dicata erat, conſediſſet, nobilitatem vicinam eodem convenire juſſit; mirumque memoratu eſt, quanta celeritate, & obedientia, cum perfidia haud vulgari conjuncta, quiſque ſe ad eum aggregare, ac dicto parere cepit; imprimiſque Thomas Nadaſdius, Melchior Ratqnius, & Quermendiani milites, ac cum compluribus aliis Chriſtophorus Hagmaſſius, qui jam pridem capiendæ arcis Simegiæ inhians, hac publicæ ſeditionis occaſione ſe voti compotem fore arbitrabatur. Arx ea eſt Epiſcopi Veſprim. non procul Balatone Lacu, edito atque ab aliis ſeparato monte poſita, ideoque expugnatu haud facilis. Hanc eo tempore Lud. Vilaquius Epiſc. nuper Roma reverſus obtinebat, nec Nemethii adventus gnatus, nec de Hagmaſio quicquam fraudis aut criminis ſuſpectans. Cum itaque Valentinum Horvatum ab Hagmaſio miſſum, & quid facere vellet, edoctum, cum XVIII. equitibus in arcem incautius, quam ratio temporis poſtulabat intromiſiſſet, ſecuri per frontem impacta ab illo interfectus fuit, & incertum, an attonitis ad rem necopinatam famulis ejus, nec quicquam reſiſtentibus, aut certe occulta perfidia laborantibus momento temporis arx occupata eſt. Non longe ad templum Tyrlenſe aberat Nemethius, ac cognita Epiſcopi cæde confeſtim cum ſuis eo advolavit, arcemque ab Hagmaſio invito, qui eam ſibi retinere volebat, ademit, ſuoſque, qui cuſtodirent impoſuit, prædamque quam potuit omnem eo congeſſit; itumque demum eſt Sabariam, quæ à Franciſco Thurio metu perculſo ei abſque cunctatione dedita eſt. Poſtea Quermendiam Battianiæ ditionis arcem obſedit, ac cum diu oppugnando nihil profeciſſet, tandem Emericus Quisfaludius fame & alimentorum inopia coactus eam dedidit.

Nadaſdius, Ratquius, Hagmaſſius, & alii ad Nemethium deficiūt.

Vilaquius episcopus, occiditur

Sabaria & Kermendia à Nemethio capiuntur.

Quibus incrementis auctus Georgium Perneſium Queſtelli præfectum ad Mehemetem purpuratum Niſſæ Thraciæ orbe repertum, pro petendis auxiliis miſit; qui abſque mora Sighetianis, Quinqueeccleſienſibus, Caniſianis, & Coppanianis Turcis dedit in mandatis, ut quocunque à Nemethio vocarentur, abſque cunctatione ire maturarent. Ille igitur ad trium millium equitum, & peditum numerum in caſtra receptis, ad Auſtriæ fines ac Stiriam crudeliſſimas excurſiones fecit, ac Quinſmartonium, Fracnonem, & camotam omnem, quæ inter Arrabonem, & Laitam flumina verſus Viennam & Novam urbem eſt, urendo & populando vaſtavit, abducto paſſim in ſervitutem ingenti populorum utriuſque ſexus numero, nullo Germanici aut Ungarici nominis diſcrimine, ac incredibili majoris minoriſque pecoris multitudine. Et quod fœdi res exempli eſt, quemadmodum ultra Danubium in Redeii caſtris factitatum diximus, ita hic quoque Chriſtiani nominis captivi Tartaris, & Turcis in perpetua mancipia venditi fuere; tantaque Haidonum feritas, & inhumana rabies fuit, ut multi propinquitate & ſanguine ſibi junctos divenderent: quodque execrabilius eſt, à multis fratres & ſorores, barbaris aurum ſolventibus, per auctionem non ſecus ac bruta animalia venum exponerentur. Sunt qui horrendam rem per ſe miraculo divinitus notatam addant, ex auro nempe à Tartaris cuipiam Haidoni Chriſtianos vendenti pueros numerato, cruorem manaſſe, quo impiæ manus & marſupia abominandi hominis macularentur. Inde cum nemo ex Cæſarianis obſtaret, Battianius, quantum viribus potuit, eorum excurſiones obſervando, ac nonnunquam carpendo & cædendo latrocinia compeſcuit; ac milites ejus quadam in pugna haud procul Sabarienſi agro pugnata, Joaone Selejo Nemethii legato & propinquo, ac Gregorio Bacoti, qui è militibus Nadaſdianis ad perduelles tranſierant, interfectis capita amputaverant. Neque id tamen ſine detrimento Battianii evenit: Hoſtes enim cum eum acrioribus minis ad ſe allicere non potuiſſent, igne & ferro, omnibuſque maleficiis, in ejus oppida ac pagos acerbiſſime ſævierunt. Nec deerant equites Germani mille & quingenti, ac ſex peditum ſigna, qui Sopronium venerant, ducibus Adamo Trautmanſdorffio, ac Chriſtophoro Puchiamio, quin vicinam regionem tuerentur. Adverſus quos Nemethius ira atque odio exacerbatus exercitum mittere conſtituit: Sed quum tormentis currulibus careret, miſſo ad Eliſabetham Bathoriam Franciſci Nadaſdii viduam, internuntio Franciſco Derſſio, ab ea, ut duo aut tria tormenta cum rebus neceſſariis mutuo daret, poſtulavit; Sed illa ſeſe hoſtibus Cæſaris arma ſubminiſtraturam, quibus fideles ejus ſubditi exagitentur, aperte denegavit.

QuiTurcis auxilio accitis

Auſtriæ fines Stiriam graviſſime, excurſione facta, afflixit.

Abducta & Turcis in miſerandam ſervitutem divendita hominum copia ingenti.

Miraculum inſigne.

Battianius pro virili eorum excurſiones repreſſit.

Nihilo tamen minus Hagmaſium id muneris ſibi depoſcentem, & cives poſſe ad defectionem flecti exiſtimantem, cum Turcis & Tartaris, ac majori copiarum parte Sopronium miſit, ac urbs acerrimo in ſuburbanum oppidum facto impetu tentata eſt. Sed ab Germanis obviam urbe egreſſis, magna virtute in fugam acti ſunt; Cæſaque ex rebellium numero amplius duo M. quos fugientes Germani uſque ad Quereſturium ſemper urgendo & cædendo perſequuti ſunt. Ubi quum equus Hagmaſii curſu & labore fatigatus in humum procidiſſet, parum abfuit, quin caperetur; Sed Turcæ quidam globo opportune celeriterque facto, donec equum conſcenderet, eum protexere. Nec Nemethius irritto hujus conatus exitu, ac clade ſuorum territus, Sopronioque mirum in modum iratus, ablatis è Quermendiana arce tribus tormentis mediocribus, totis viribus urbem oppugnare con-

Rebelles à Sopronii obſidione magno cum damno repulſi ſunt.

1605. conſtituit. Verum quum ſuburbia funditus exuſſiſſet, nec interiorem urbis partem aggredi auſus eſſet, quod Germani milites & Cives armati excurrendo, & magnam in Haidonibus cædem edendo, ſe & urbem egregie defenderent, deſiſtere incepto coactus eſt; eoque celerius tormentis reductis retro unde venerat, exercitum reduxit, quod Baſtam cum expeditioribus ſexies mille equitibus mature obſeſſis auxilio venire cognoviſſet.

Nemethius iterum vires ad populandam Stiriã convertit. Nec auſtriam intactam relinquit.

Nemethius ſemel & iterum Sopronio rejectus, ad exercenda latrocinia & populationes animum advertit; miſſiſque bifariam prædatoribus, qui Tartaris Turciſque immiſti, ſumma in excurrendo celeritate utebantur partim in Auſtriæ fines, partim vero in Stiriam immiſit; atque hinc ultra Racoſpurgam, & regionem trans Arrabonem, ac Pinguam, & Lapincium flumina, Forſtenfeldum, Feldpachum, ac Lotombergum, illinc vero uſque ad Walterſtorffum & Hinpergum haud procul Vienna, quicquid hominum, quicquid pecoris fuit, abegere; loca vero quævis obvia inſatiabili rabie urendo & pervaſtando delevere, paucis Tartarorum à Coſacis, qui forte tunc Viennæ erant, & urbe in populantes barbaros excurrerant, interfectis. Ferunt Tartaros ex Hinpergo ad Loſtorffum uſque ad ſylvam rotundam amæno colli adjacentem, ductoribus & monſtrantibus ex fece Haidonum Ungaris, excurriſſe, ac pulcherrimam urbem Viennam, fama eis tantum hactenus auditam, & turrim excelſiſſimam ac elegantiſſimæ ſtructuræ, quæ in media urbe eſt, avidis oculis non ſine admiratione & ſtupore conſpexiſſe. In redeundo quoque nihil à populando & urendis oppidis, cumque in caſtra ventum eſſet, ab immani & efferato divendendorum Turcis mancipiorum exemplo temperatum eſt. Quo tempore quum Tartari & Haidones à populando revertentes, Sancto Gothardo appropinquare nuntiarentur, Tiſſenpachus, qui juſſu Ferdinandi Principis loco præerat, perterritus ſuffoſſo jam ante templi pulcherrimi, & ſumptuoſiſſimi fundamento, ſulphureum pulverem ſuppoſuit, eoque incenſo, totam Aquilonarem partem puncto temporis disjecit, corruente toto ædificio, omnibus partibus elegantiſſimo, quod olim ab priſcis Ungariæ regibus conſtructum, hoc tandem ſervili impioque bello deletum ab degenere meticuloſoque homine eſt, nunquam fortaſſis reſtaurandum. Ipſe vero, qui locum facile tueri potuiſſet, quandoquidem Tartari & Haidones populabundi nihil apparatus ad expugnandum attulerant, in tutum profugit; dignus omnino, qui tam ſupinæ ignaviæ, quam deleti celebris templi nomine in præaltam crucem ſublatus, ventis agitandus, & volucribus carpendus relinqueretur.

S. Gothardi templum igne ſubjecto conſumitur.

Interea cum Banffii Linduenſes ad eum defeciſſent, ac Ormoſdium quoque quod in provincia Stiria ſitum, ſolo Dravo interfluente ab Illyrici parte Sclavonia nunc dicta dirimitur, nocturna hoſtium excurſione direptum incenſumque eſſet; Nemethius eorum, veluti qui vicini eſſent, exemplo Joannem Draſcovitium Illyrici præfectum, quem Banum vocant, ac alios proceres, miſſis ad eorum nonnullos ipſius Boſcaii literis ejuſdem ſententiæ, multis verbis & ſermone hortari cepit, ne reſurgentem ipſorum ſtudio & opera Ungaricæ gentis libertatem negligerent; ſed ſuâ qua poſſent ope juvarent, conjunctiſque viribus & animis Germanorum jugum excutiendum ſuſciperent: ſe brevi propius venturum, imperata facientibus amicum, detrectantibus verò acerrimum hoſtem futurum. Ad ea nihil reſponſum eſt; Sed convocato Concilio Draſcovitius, quidnam faciendum ſalvâ Cæſaris gratiâ foret, decernendum propoſuit. Variabant procerum ſuffragia, partim magna ſumma pecuniæ contribuenda avertendum Nemethium exiſtimantium; partim Illieſhazium, qui magnâ jam apud Boſcajum gratiâ pollebat, petendum, ut auctor eſſe vellet revocandi à propoſito invadendæ Sclavoniæ Nemethii. Sed quum potiori parti neutrum placuiſſet, ne ille acceptâ pecuniâ nequaquam tamen delinitus, inſtructior ad nocendum redderetur; ab hoc vero homine ſuſpicaci & verſatili, ſuſque deque haberentur; & utraque re Cæſar offendi poſſet: poſtremo concordibus animis decretum, ut citerior Dravi ripa, qui eo tempore ob diuturnos æſtatis fervores vado pleriſque in locis tranſiri poterat, à Vinicenſi agro uſque ad Ludbregum, ſex plus minus milliarium longitudine cuſtodiretur, & caſtra per pagos & villas haud procul inter ſe diſſita eo ordine collocarentur, ut ſi neceſſitas poſtularet, in mutuum auxilium celeriter concurrere poſſent: atque in hunc modum Draſcovio præſente & annitente, ab æſtate uſque ad Calendas Decembres, ac ingruentem hiemem vigilando & hoſtium adventum expectando in caſtris permanſere, qui tamen nequaquam auſi venire, alio vires converterunt. 1605.

Slavon. Draſcovitii opera ab hoſtili incurſione immunis ſervatur.

Interea ne hoſtibus ubi vellent, & quicquid cuique liberet, etiam licere poſſet, Sigiſmundus Trautmanſtorſhius ſtipendiariis militibus in Illyrico præfectus, communicato cum Draſcovitio conſilio, eos aggredi ſtatuit. Itaque ad XXIII. diem Julii Draſcovitius, equitatu & dimidiâ peditum parte ſecum ducta (alteram enim voluit ad vada cuſtodienda relinquere) trajecit, ac quinos caſtris ad Sanctum Gothardum in caſtra Trautmanſtorſhii pervenit, eodemque die M. quoque pedites à principe Ferdinando mercede conducti eodem appulere. Itum eſt ſequenti die ad Chacaniam Battianii villam, ad Arrabonem flumen non niſi uno milliari à Quermendio ſitam, ubi Nemethius cum Turcis & Tartaris caſtra habere, & noſtrorum adventum, ad patrandæ nobilis alicujus pugnæ occaſionem, expectare dicebatur. Eo in loco Battianius & Zrinius juvenis cum ſuis equitum & peditum copiis exercitui ſeſe conjunxere, jamque Cæſariani ad XM. bellatorum numerum excreviſſe cenſebantur. Poſtremo die inſtructis ordinibus in agrum Quermendianum proceſſum eſt, & Matthias Belavitius, qui nuper ad hoſtes transfugiens arci erat præpoſitus, noſtrorum adventum ſtrepitu tormentorum eis ſignificavit. Erat animus Trautmanſtorſhio & Draſcovitio, nihil prorſus cunctari, ſed protinus hoſtes, qui inter Holloſium & Quermendium caſtra habebant, ſumma vi adoriri, quod & milites pugnæ deſiderio teneri haud ambiguè cernerent, & ipſi eum in finem, ut hoſtem diuturnâ impunitate inſolentem retunderent, & ad ſpem univerſæ victoriæ occaſionem quærerent, domo veniſſe meminiſſent. Sed ardenter & obnixe interceſſit Battianius, ſeque cum iis, qui paulo ante ex vicinia ad perduelles tranſiiſſent, occulta communicaſſe conſilia aſſeruit, qui ſpem ſibi certam dediſſent fore, ut æquis conditio-

tio-

Digitized by Google

1605. tionibus pacem faciant, atque ab armis diſcedant: aut ſi id minus velle viderentur, ſe eodem tempore, quo Cæſareani impetum in eos facturi eſſent, acerrimam & pugnaciſſimam Turcarum & Tartarorum gentem converſis armis invaſuros: conſultius fore bellum hunc in modum finire, quam Chriſtianos in mutuam perniciem pertinacius decertare; cautoque & prudenti duci quàm maximè convenire, ut citra ſuorum ſanguinem & cædem incruenta victoria potiatur.

Hoſtes manus cum noſtris conſerere haud nequaquā auſi diffugiunt,

Diſſerente Battianio, duo ad eum ab hoſtibus internuntii venêre, Ludovicus Polatius, & Alexander Holloſius, qui nomine Thomæ Nadasdii referebant, Nemethium & Turcas, ac Tartaros poſtulare obſides, ut ſecurius de induciis ſanciendis diſceptari queat. Itaque datus fuit, concedente Battianio, Stephanus Comotnicus, iſque cum nuntiis ad hoſtes profectus eſt. Sed ii metu noſtrorum perculſi, nec manus conſerere audebant, & doloſè nuntios miſſitando, colloquiumque expetendo, tempus extrahebant, ut decepto Battianio, impedimenta & currus, prædamque trans Arrabonem in tutiora loca præmitterent, eaque deinde ipſi, vitatâ pugnæ aleâ, uti evenit, fugiendo ſequerentur. Quod quum à ducibus noſtris, quamquam ſerius, animadverſum eſſet, progredi ſtatim juſtis paſſibus exercitum, ac poſtremo laxis habenis, & ſubditis calcaribus equitatum procurrere juſſerunt: atque adeo extento per patentes campos curſu, cum ad Hidvegum caſtellum, quod Polanianum vocatur, pontemque ibidem Arraboni impoſitum perventum eſſet, jam hoſtes, abducto ab Tartaris obſide Comornico; effuſa fuga in diverſas partes dilapſos eſſe cognovêre. Nadasdius qui cum globo Tartarorum ſpecie tractandæ pacis poſtremo loco erat relictus, poſtquam inſequentis ſumma celeritate equitatus pulverem inſtar fumi craſſioris in aëra ſublatum conſpexiſſet, præcipiti fugæ ſe commiſit, & nec quæſito ponte ab eminentis & præaltæ ripæ margine in Arrabonem inſiliit, & ægrè in tutum evaſit. Nemethius, cum Simega intercepta, non haberet quo confugeret, cum Turcis Sighetum ſe proripuit; Nadasdius Egetvariam, Hagmaſius Sengrorum, Tartari Coppanium repetivêre. Multi ex Ungaris ad Camengiam edito in monte ſitam arcem profugerunt. Fugatis ultra Arrabonem diſſipatiſque hoſtibus, Quermendia, Sabaria, Cuſegum, & quæcunque loca à perduellibus capta erant, in Cæſaris poteſtatem facili negotio redierunt. Simega quoque arx munita, à Miloſſo Thrace centurione Papenſi, qui nuper Vaſoniam receperat, ſub id committendi prælii tempus iſthic ſortè cum ſuis militibus oberrante, quod cæſos ad internecionem hoſtes, Nemethium & Turcas, Tartaroſque fuſos & fugatos, ac debellatum eſſe multò aſſeverantius affirmâſſet, iis, qui intus erant, extremo perfuſis metu, ac non obſcura perfidia agitatis, recuperata & poſtmodum Battianio tradita fuit.

Hac hoſtium fuga caſtella quadā à noſtris recuperantur.

His rebus peractis, Draſcovitius ne quid detrimenti ab hoſte inferri poſſet, relicto in caſtris inter Quermendiam, & Hidvegum Trautmanſtorffio, pridie Nonas ſextiles cum ſuis copiis reverſus eſt, ac cuſtodiendis Dravi ripis vadiſque, ut cæperat, incumbendum exiſtimavit.

Matthias Somogius, relictis rebellibus ad obſequiū Cæſ. revertitur.

Sub id tempus Matthias Somogius, qui inſulæ Sallocoſiæ, ut deficeret, auctor fuerat, opera & interventu Demetrii Napradii Epiſcopi Veſprimienſis, ac Friderici Meſpurgii legionis tribuni, nec non Leopoldi Pecquii, quæſtoris ærarii, ſed potiſſimum ſuaſu & conſilio Pauli Aranaſſii, relictis rebellibus ad officium rediit; pecunia & fundo in Auſtria à principe Matthia donatus, ac ſtipendio ad DC. equites, cuſtodiendæ inſulæ auctus; oportuno id quidem tempore, quum ingruentibus Strigonio paulò pòſt Turcis, ea in regione neque caſtra collocari, neque ſecundo Danubio quicquam rerum neceſſariarum devehi potuiſſe conſtaret. Derſſius quoque quum à principe ſupplex petiiſſet, ut Bernardum Lebelium, cubiculo ſuo præpoſitum, arciſque & oppidi Quiſinartoniani præfectum, ac Chriſtophorum Taiffalum ad ſe mitteret, apud quos ſe ea, quæ feciſſet, neceſſitate coactum fuiſſe excuſaret, in gratiam receptus fuit.

Derſſius quoque in gratiam recipitur.

Dum hæc in citerioribus Danubii regionibus, vario marte eventuque adminiſtrantur, ac Boſcajus in ſuperiori Pannonia dominatum affectando rebus novis ſtudere, eumque Turcarum ope ſtabilire contendit, Mehemetes, qui jam collegii purpuratorum, quos Veſirios vocant, princeps evaſerat, & à quo Strigonium ante annos decem Matthiæ principi deditum erat, hac procul dubio diſſidentium Ungarorum occaſione arreptâ, (quamquam in fœdere cum Boſcaio inito cautum foret, ne ulla arx, ullumve oppidum, quod ab Ungaris eo quidem tempore poſſideretur, obſideri aut expugnari poſſet) promotis Belgrado copiis, & multo expugnandarum urbium apparatu ſecum adducto, eum locum ad ultimos dies menſis ſextilis obſidione circumcinxit; Redejus verò jam antea Novam arcem ſemel irrito conatu tentatam, iterum ad diſtinendos uno eodemque tempore duplici curâ Cæſareanorum vires obſederat. Sed quum ſe ei obtinendæ imparem videret, à Boſcajo ſupplementum copiarum poſtulavit: Qui nihil cunctatus, Valentinum Homonnianum cum ſex millibus hominum eo ire juſſit. Præerat militibus Novæ arcis, Germanis quidem Gabriel Strainius, ex Auſtria nobili ortus genere, Ungaris verò Franciſcus Thurius Martini filius, Georgii clariſſimi ducis ex patruele nepos, Vallonibus verò Motta Gallus, viri militares & ſtrenui; Sed Strigonio poſt diſceſſum Althani, qui ſe præfecturâ abdicaverat, nemo certus, qui præeſſet magiſtratus erat; cura tamen ejus Wilhelmo Oetingenſi comiti è Suevio ſummo loco nato concredita fuerat, qui non ita pridem cum ſua legione munus tuendi loci ſuſceptum adminiſtrabat. Is ſive Ungaris pro veteri Germanorum more diffiſus (quæ res Ungaros perdidit) qui tamen hactenus fortem fidelemque operam navaverant, ſive conſultius futurum arbitratus, ſi ſolis cum legionariis Germanis quamcunque ſortis aleam toleraret, Ungaros veteres præſidiarios, ſimul cum ſociis navalibus, qui per Saicas ſtipendia merebant; antequam Turcæ advenisſent, non ſatis utili conſilio exauctoravit; inter quos præcipui erant Stephanus Cutronus Althanii legatus, Martinus Contrarius Saicis ſeu Claſſi præfectus, ac Adamus Abſtemius compluresſque alii. Quâ intempeſtivæ ſuſpicionis contumeliâ adducti, quod ſe abſque cauſa tantâ notatos ignominiâ putarent, non ad Cæſareana præſidia aut arces; ſed ad caſtra Redeii tranſierunt.

Mehemetes Veſirius Strigonium obſidione cingit, Redejus verò Novam arcem iterata oppugnatione vexat.

Comes Oetingenſis ſaurino præfectus Hungaros præſidiarios dimittit,

Qui hinc offenſi non mediocriter ad caſtra Redejana tranſeunt.

Turcæ eodem tempore tribus aggeribus conſtitutis, oppugnationem trifariam inſtituerunt, oppidum nempe Aquarium, ac arcem ſuperiorem, in qua templum eſt, ac munitionem, quæ

1605. in monte S. Thomæ extructa à Germanis defendebatur. Et quum hanc diu tormentis verberâſſent, ſexto tandem Idus Septembris, ad ruinas conſcendere conati, oppugnationem magno animorum viriumque ardore aggreſſi ſunt, Sed a Germanis pari contentione acerrimè propugnantibus rejecti, cum magna ſuorum ſtrage pedem retulerunt, ita ut ſupra M. & D. ſocios tormentis & glandibus cæſos amiſiſſe dicerentur. Octavo pòſt die illuceſcente, hoſtes redintegratis viribus, oppugnationem acrius quàm antea repetivêre, polliciti ſuis purpuratis, ſe nequaquam niſi victores redituros. Et Germani fortè eo die nimium compotationi indulſerant, ut adhuc ſomni vinique pleni eſſent. Tametſi igitur hoſte conſcendente experrecti, quantùm poſſent, ſeſe & arcem tuerentur, ad extremum tamen victi cæſique ad unum omnes ſunt, ac hoſtes non ſine magna ſuorum ſtrage locum obtinuerunt. Ex Germanis plus minus noningentos milites, hoſtium verò duplo majorem numerum periiſſe ſatis conſtat. Eâ capta munitione, hoſtes ad Aquarium oppidum omnes vires converterunt, ac XXX. circiter tormentis ſine ceſſatione verberârunt. Sed quum multi Turcarum interirent, Mehemetes Veſirius quendam Chauſium ad Homonnaium ac Redeium miſit, ac quatuor millia peditum ab eis poſtulavit, nuntians ſe neceſſitate coactum petere, quod Janiceri, quos ſecum Byzantio adducebat, ex itinere ad bellum, quod adverſus Perſas gereretur, revocati eſſent. Verum illi quoque ſuas neceſſitates & paucitatem copiarum cauſati, quantum modeſtius potuerunt, ſeſe excusârunt.

Munitionem S. Thomæ hoſtes expugnant.

Hungari in novâ arcem impreſſione facta repelluntur

Interea ipſi quoque novam arcem, jam ſatis quaſſatam oppugnare conſtituerunt, ac Haidones dato ſigno irruere per ruinas juſſerunt. Quod tametſi illi impigrè procurrendo exequi & conſcendere contendiſſent; à propugnantibus tamen Strainio, Thurioque & Germanis cum magna ſtrage rejecti ſunt: Motta ſuis laborantibus, ubi neceſſitas poſceret, ſedulò opem ferente, ac magiſtros tormentorum ad dirigendos in hoſtem ictus docente, ſtrenuamque operam ubique impendente. Cecidêre ex Haidonibus amplius mille, vulnerati haud pauciores: & eadem in oppugnatione Cutronius & Abſtemius, ac Contrarius, quos Strigonio dimiſſos, & ejus commeatus impatientes ad caſtra perduellium profugiſſe diximus glandibus trajecti occubuêre.

Turcæ Aquariũ oppidum vi capiunt.

At Turcæ vallo, quod è materia ad muniendum Aquarium oppidum erectum erat, incenſo & concremato, Calendis Octobris, oppidum ipſum adorti, cum ingenti Germanorum clade ac internecione expugnârunt; eoſque in ſuperiorem arcem ſeſe recipere coëgerunt; nec Turcæ, quin eos cedendo perſequerentur, contineri potuêre, ſed tormentis eminus rejecti in oppidum redierunt. Eo acerrimo in certamine, ſupra mille milites Germanos crudeliter cæſos, iniquiore ſorte etiam Comes Oetingenſis præfectus cecidit, & ejus legatus Richanius, è vulnere, quod grave admodum acceperat, paulò pòſt interiit; quæ res Germanorum animos mirum in modum conſternavit. Sequenti die cùm Turcæ cuniculos agere cepiſſent, & vallum etiam ſuperioris arcis ſubjecto igne conflagrâſſet, quo multi ex Germanis partim concremati, partim craſſiori fumo, præcluſo ſpiritu ſuffocati eſſent, deſperatâ arcis retinendæ ope, ad Dampierium, quem in locum Oetingenſis ab hoſte

Comes Oetingenſis occumbit.

cæſi, conſenſu & ſuffragio militari ſuffecerant, converſi, ut deditionem facere vellet, magno fremitu poſtulare ceperunt. Quod ille eis conſtanter denegavit, eoſque officii & ſacramenti, quod Cæſari & loco tuendo præſtitiſſent, admonuit; orvè tantam incredibilis infamiæ & perfidiæ notam nomini Germanico inuſtam vellent, identidem ſerio ſevereque repetivit, exemplum ab ſe capere juſſit, qui nullo accepto ſtipendio, ad tuendum tam celebre totius regni propugnaculum, voluntariam militiam eſſet ſecuturus, nec vitam pro eo profundere dubitaret. 1605.

Germani extremo pavore attoniti.

Cùm nihilominus pertinaci animo in ſententia perſiſterent, & major pars deſertis ſtationibus libellum conſcribendo, quo deditio urgeretur, nulla defendendæ arcis cura tangeretur; Turcæ verò interim in egerendis cuniculis & quatiendis mœnibus nequaquam ceſſarent, Dampierius conſilii inops, ſpeique incertus, libellum quidem iracundè mox diſcerpere, eoſque ut ſeditioſos, fideique immemores, neque veluti deſertores, militum nomine dignos appellare, ac ut reſipiſcerent, magnopere cohortari. Sed apud obſtinatos omnia fruſtra erant; ii ſiquidem magis aucta ſeditione illum captum cuſtodiæ tradiderunt; ac intromiſſo Ali Budenſi præfecto, agere de deditione & diſceſſu cum eo inceperunt. Qui ſumma recuperandi Strigonii cupidine flagrans, non ſolum liberum iis, qui vellent, abitum ſe & Veſirium conceſſuros reſpondit; ſed etiam ſi qui permanere in loco & ſtipendia ibidem merere in animo haberent, ea uti ſtatis temporibus eis ſolverentur, curaturos pollicitus eſt. Cui conditioni milites ex Germanis ferè ducenti, fruſtra reluctante Dampierio, aſſensêre, ac quod nunquam antea acciderat, cum ſignis, tympanis, duce, manipularis, ac eodem planè, quo Cæſari militâſſent, ordine ibi remansêre. Cæteri mille circiter unà cum Dampierio cuſtodia emiſſo Comaronium verſus, ablatis ſecum ſarcinis, explicatiſque ſignis diſceſſêre: comitantibus ad aliquot milliaria Turcis, ſauciosque & ægrotos per ſua navigia Comaronium deducentibus. Per hunc modum incertum ignaviane majori, an perfidia Germani militis, ac diſſenſione ſeditioſorum Ungariæ Civium, hoſtis Strigonio iterum potitus eſt, quum illud à Cæſareanis decennio integro poſſeſſum fuiſſet: ceſſitque magno honori & gloriæ Mehemeti Veſirio, quod quum ipſe eam urbem ante decem annos, fuſo à Mansfeldio Turcarum exercitu, ingreſſus, tandemque noſtrorum vi coactus dediſſet; ita poſt tantum diuturni temporis progreſſum ei contigiſſet, ut iterum per conditiones dedentium ſeſe Germanorum ipſe feliciter recuperaret. Cum Germani Comaronium perveniſſent, armis exuti, ac in vincula & carceres conditi, ac deinde ſimul cum Dampierio Poſonium miſſi ſunt. Ubi de aliis varia ſupplicia ſumpta fuêre. Sed Dampierius, quod nullis ſtipendiis addictus eo iiſſet, & ſemper deditionis conſilia improbâſſet militari judicio abſolutus eſt.

Dampetra conſtte cuſtodia tradito,

Cum Turcis de deditione paciſcuntur

Baſta interea caſtra inter Jaurinum & Comaronium idoneo loco erat metatus; ſed quum iis copiis imparem ſe duplici hoſti, nec quicquam, quod è repub. eſſet, niſi illæ augerentur, ſe tentare aut efficere poſſe prædicaret, ac rebelles Ungari barbarorum animos vireſque ad infeſtandam & perdendam patriam aſſiduè exacuerent, juvarentque; tam Strigonium quàm Novam

vara

1605. vam arcem hoſtibus capienda reliquit. Nam Mehemetes Veſirius, capto Strigonio, mox ſua caſtra Homônianis & Redeianis caſtris conjunxit, ac tormenta quibus Strigonium oppugnaverat, ſecum eo attrahenda curavit: ac Boſcajanos Haidones, tormentorumque magiſtros aggeribus ejecit, ipſeque ſuis tormentis arcem conquaſſari juſſit. Et brevi ii, qui intus erant, ad ſummam rerum omnium, imprimiſque eduliorum inopiam devenêre; ut equos etiam omnes, quos habebant, conſumere cogerentur, & illis deficientibus multi mediâ interirent: poſtremo pulveris etiam tormentarii ſumma penuria laborarent. Quibus difficultatibus cum aliud nihil reſtaret, ad deditionis conditiones erat deſcendendum. Sed cùm à duplici hoſte eſſent circumventi atque obſeſſi, certum erat atque perſpicuum, ſi ea offerretur, Turcas, qui numero & viribus ſuperiores erant, ac ſuis tormentis rem gerebant, arcem, rejecto Homonniano & Ungaris ſibi ipſis occupaturos. Itaque Illieshazius, qui jam è Polonia ad Boſcajum reverſus, arcibus & bonis ſuis recuperatis, primum apud eum dignitatis & gratiæ locum obtinebat, ita ut omnibus in rebus ejus conſilio uteretur, & qui iis diebus Tirnaviam, atque inde in caſtra venerat, communicatis cum Homonniano & Redejo conſiliis, Matthiæ principi perſcripſit, conſultius fore, ſi arx tanti momenti, quæ jam nullo modo retineri poſſet, Ungaris potius traderetur, eam poſtea reddituris, quam barbaris, qui quum loca quæpiam cepiſſent, deductis in ea quibuſdam veluti coloniis, ac nido compoſito, æternam eorum poſſeſſionem ſibi vendicare conſuevissent. Qua de re, ſi Octavianus Captianus, Stabuli principis magiſter, in communi aliquo loco colloquuturus ad ſe mitteretur, plura per illum eſſet nuntiaturus. Cùm res neceſſariam celeritatem requireret, Captianus juſſu principis Bozynium profectus eſt; venitque eo Illieshazius: ibique poſt mutuam colloquutionem, literas ſuo nomine dedit, in quibus ſtrictiſſimo jurejurando promittebat, ſi arx ſibi dedita, nunc ea via, quæ ſola ſupererat, conſervari poſſet, confecto bello, quandocunque Matthias princeps juberet, eam abſque tergiverſatione redditurus eſſet.

Nova arx Illieshazii conſilio Hungaris deditur.

Principi inter duo extrema, quæ inſtabant pericula, id minus malum viſum; quamquam Baſtæ & nonnullis parum differre videbatur, barbaris ne an Haidonibus traderetur. Igitur Strainio & propugnatoribus aliis juſſum eſt, ut excluſis à tractatione deditionis Turcis, arcem Homonniano dederent, & Redejo, ipſi verò impetrata diſcedendi ſecuritate eâ excedere maturarent. Quod brevi poſtea in eum modum effectum eſt: & Turcæ id ſubodorati, eamque ſibi præreptam prædam haud ſatis æquo animo ferentes, non ſine convitiis in Ungaros jactis, Strigonium redierunt.

Boſcajus Catajum legatum ad Regẽ Poloniæ mittit.

Sub id tempus Boſcajus Michaëlem Catajum ad Poloniæ Regem Sigiſmundum, ejuſque Cancellarium Joannem Samoiſcium miſit: Qui quum Cracoviam veniſſet, orationem habuit, qua Boſcaium vindicandæ libertatis patriæ ac religionis ergo arma adverſus Cæſarem ſumpſiſſe diſſerebat, deponenda, ſimul ac Cæſar eas reſtituiſſet: petebatque, ne Rex quicquam vicinitate belli permoveretur, quod ille nihil hoſtile adverſus eum, regnumque Poloniæ inferri eſſet paſſurus; viciſſim ne ipſe Cæſari in hoc tumultu opis aut auxilii quid ferendum exiſtimaret, ac Tartaris, qui venturi in Ungariam per Podoliæ fines eſſent, tranſitum permitteret, hortabatur. 1605. Ingrata Regi legatio fuiſſe dicitur, quod is Cæſarem multis nominibus ac affinitatis vinculis, ſibi junctum, tueri potius ab injuria, quam aliis ſuis perduellibus, honeſtiores libertatis & religionis cauſas prætexentibus opitulari mallet; & paulo ante Boſcajum, Polonis contra ſe inſignem ſeditionem concitantibus, DCC. Haidones auxiliares miſiſſe meminiſſet. Itaque rejectis in præſens iis, pro quibus venerat, in aliud tempus conſiliis, & Rege propediem ſe per legatum reſponſurum pollicente, remiſſus fuit. Samoiſcium verò convenire nequaquam potuit, quod is paulo ante ipſius adventum domi ſuæ è vivis exceſſiſſet.

Interea Mehemetes Veſirius, miſſis ad Boſcaium nuntiis, eum hortatus eſt, ut quod ſuo commodo fieri poſſet, ad ſe Budam venire maturaret; eſſe ardua & magni momenti negotia, de quibus juſſu principis cum eo colloquendum eſſet, ſimulque ut coronam, quam amicitiæ & perpetui fœderis ergo princeps ei miſiſſet, de manu acciperet. Itaque ſuæ factionis hominibus, qui jam negligentia præfectorum Cæſaris, qui tuendis iis, quorum fides erga Cæſarem immora erat, in aciem prodire nuſquam audebant, ad ingentem numerum excreverant, dedit in mandatis, ut ſibi Peſtum Budamque profecturo, majori quo poſſent apparatu, Corponæ aut Vaciæ præſto eſſent, atque rebus ex ſententia confectis, Corponæ demum comitia celebrarent, quibus ipſe eſſet interfuturus. Itaque magnis copiis in formam juſti exercitus ad campos Peſtanos, & ad rivum Racoſium perventum eſt. Ibi Alys purpuratus Budenſis per Saicas Danubio trajecto, eum nomine Mehemetis Veſirii ſalutavit eoque perfunctus officio, conſcenſis navigiis diſceſſit, & non diu poſt nox adfuit. Sequenti die poſt mutuas congratulationes, ac tormentorum fragores, aliaque lætitiæ ſigna, convivio cum ſuis ſplendido, uti Turcis mos eſt, exceptus fuit: & poſtquam Boſcaius, quod tardius veniſſet, Transſilvaniæ componendæ, ac ſub priſtinum patrocinium invicti Turcarum principis reducendæ curam obſtitiſſe diſſeruiſſet, poſtremo per interpretem Gabrielem Halmium, tumultibus Transſilvanicis paulo altius repetitis, retulit, ſe Sigiſmondo Bathorio, ne poſthabita Turcarum ſocietate ad Cæſarem & Germanos deficeret, obſtare nequaquam potuiſſe, quod & juvenis fuiſſet tum, & minoris, quam quod diſſentire potuiſſet, conditionis. Nunc rebus omnibus non in Transſilvania duntaxat; ſed tota ferè Ungaria, Dei immortalis ac potentiſſimi Turcarum principis ope longè aliter ſe habentibus, ſua & omnium, qui ſuam fidem ſequuti, quique deinceps ſequuturi eſſent, obſequia, certamque & inconcuſſam fidei conſtantiam ſanctè polliceri.

Boſcaius Budam profectus Mehemetem Veſirem adit.

Mehemetis reſponſio.

Ad quæ Mehemetes: Non ſum neſcius, in- “
quit, earum rerum, quæ vel tum, vel poſtea in “
Transſilvania actæ ſunt; Sed velim conſideres “
animo, ac conferas eorum populorum ſta- “
tum, qui Sigiſmundo regnante, & fœdus no- “
biſcum obſervante, tranquillus & planè au- “
reus fuit, eum eo, in quem poſtea rupto melio- “
ris fortunæ fœdere inciderunt, ferreo prorſus “
& miſerrimo. Cujus recordatione vos Unga- “
ros æquè & Transſilvanos cautiores poſthac “
& ſapientiores fieri decet: ac ſedulò & dili- “
genter animo metiri, quam genuino erga vos “
odio Germani ferantur, & quod hactenus a- “
bun- “

1605. „ bundè experti eſtis, quam vos ab illis defendi
„ non poſſitis, & potius ſub inani defenſionis
„ ſpe acerrimum quotannis bellum in viſceribus
„ veſtris inſtaurari, & non niſi cum excidio &
„ ruina patriæ veſtræ infeliciter & improſperè
„ ab iis geri & adminiſtrari videatis. Gratulari
„ igitur meritò poteſtis, factâ jam nobiſcum pa-
„ ce ac ſocietate, quibus unquam deinceps ve-
„ ſtræ genti hoſtile quippiam nedum inferendi,
„ verùm neque cogitandi animus ſit; quin po-
„ tius certa ſit ſententia, contra quoſvis hoſtes,
„ quandocunque poſcat neceſſitas oportunam
„ opem adferendi. Neque verò dubitari de
„ conſervanda per nos libertate veſtra debetis,
„ quandoquidem principes noſtri è clariſſima &
„ potentiſſima Oſmanica progenie orti, iis om-
„ nibus, qui ad fidem patrociniumque ſuum
„ confugiendum duxiſſent, quoad in officio per-
„ manſêre, tuendis & ab omni injuria vindican-
„ dis nullo unquam tempore defuerunt. Contra

In Germanos invehitur.

„ uſitatum maximè Germanis eſt, omnia polli-
„ ceri, jurare, dicta ſcriptis roborare, & tandem
„ fallere, nihil perjuria curare. Et ſanè eſt & fuit
„ ſemper Turcarum genti fides, juſtitia, pietas,
„ ut ſi jam ſemel inceptam ſocietatem integram
„ inviolatamque conſervaveritis, propediem re
„ ipſa experiamini, quanta vos patriamque ve-
„ ſtram felicitas, opulentia, tranquillitas, quies,
„ rerumque omnium ubertas & copia exceptura
„ ſit. Porro te imprimis, Stephane princeps, qui
„ ad imperium obſequiumque Achomatis orbis
„ terrarum principis invicti confugere, quam
„ acerbiſſimo Germanorum jugo collum ſub-

Regem Boſcajum nuncupat, & Auguſtalia inſignia illi confert.

„ mittere maluiſti, ejus nomine Regem appello.
„ Coronam, ſceptrumque & enſem, vexillum-
„ que trado; ſummam poteſtatem, honorem,
„ auctoritatem, ad hæc ornamenta adjicio, hor-
„ torque ut eâ quâ incepiſti, in eo colendo, &
„ imperia ejus capeſſendo via pergas. Vos verò
„ Ungari, eam huic quam Regi debetis obedi-
„ entiam præſtabitis, neque amplius à Germanis
„ aureos quantumvis montes pollicentibus, vos
„ hactenus ſatis ſuperque deceptos, magis deci-
„ piendos permittatis.

Quæ quum dixiſſet, (erat autem dies Veneris, Turcis ſacer, apud nos Divi Martini memoriæ dicatus) proferri poſtea coronam, ac alia ornamenta jubet, & enſe, auro & gemmis admodum ſplendido ornato, latus ei ipſemet cingit, coronamque capiti imponit. Ea eſſe dicitur

Corona Boſcajana.

rudioris operis, intus quidem lignea, & supernè laminis aureis tecta, & lapillis obſoletum in morem inditis elaborata, quæ quamquam à Turcis Imperatorum Conſtantinopolitanorum, aut Deſpotarum Thraciæ diadema fuiſſe fertur; incertum tamen eſt, quænam & unde ſumpta ſit. Eam Boſcaius accepit quidem, ſed præfatus

Moderatio Boſcaji.

(quod unicum in omni vita modeſtiæ ejus exemplum ſit) ſe loco muneris, non ad uſum, aut regiæ dignitatis ſignum accipere, Georgio Secio ſtatim tradidit, moris apud Ungaros eſſe, inquiens, diadema à viro quopiam forti ac fide virtuteque præſtanti ſervari; neque interim alterius caput redimiri eo poſſe, donec qui prior inſignitus fuiſſet, in vivis ſuperſit. Conſtare autem omnibus, Cæſarem, qui idem Rex quoque Ungariæ ſit, ante XXX. & amplius annos ritè eſſe coronatum. Deinde ad circumſtantes ſuos aſſeclas converſus Ungarico ſermone, eadem diſſeruit: debere eos teſtes ſibi eſſe, non ita ſe eam coronam accipere, ut jura publicæ libertatis, aut ſingulorum violare, aut oppreſſa eſſe vellet, quorum cauſæ tuendæ arma ſumpſiſſet. Subjunxit deinde Mehemeres, Principem Turcarum velle jubere Tranſſilvanos ac Ungaros, à tributo ſoluto ſolvendo per iotegrum decennium immunes & liberos eſſe, poſtea denis millibus aureorum numûm annuis contentum fore. 1605.
His peractis, ſplendidiſſima ac magnificentiſſima munera Veſirio, ac cæteris purpuratis & Janicerorum tribuno miſſa; ac cum de adminiſtrando bello, deque cavenda Germanorum ſocietate, ac aliis rebus conſultatum eſſet, venia accepta inter medios utrinque ſtantes Janiceros, ac alterius ordinis Turcas conſertiſſimos, Regi Ungariæ felicitatem & vitam diuturnam, ingenti ſublato clamore ingeminantes, ad tentoria, quæ ultra Racoſium extenta erant, reditum eſt. Poſtero die Boſcaius Vaciam venit, ubi Illieshazius præſto adfuit, quodque arduis rebus impeditus intereſſe pompæ heſternæ diei nequiverit, ſe excuſavit; & poſtea ambo eodem vecti curru, biduo poſt Corponam pervenerunt, ubi eos magna frequentia illorum, qui ad comitia convocati erant, expectabat.

Sigiſmundus Forgacius à Matthia Principe ad Boſcajum legatur.

Triduo pòſt advenit Sigiſmundus Forgacius, à Matthia Principe miſſus legatus, cum Cæſaris reſponſo, quod ad poſtulata Boſcaii & aſſeclarum ejus datum erat, quod cùm in comitiis proponere cepiſſet, & Cæſarem permiſſurum diceret poteſtatem cuilibet in ſua religione permanendi; ſic etiam Palatinum creandi, Cameras tollendi, & alia quæ petebantur, eâ moderatione temperandi, ut contenti redderentur; ſpes apparebat quædam poſſe conveniri. Verùm quum XXV. die Novembris Forgacius plura quædam in medium attuliſſet, non poſſe nimirum Cæſarem, niſi factâ cum Turcis pace exercitum dimittere, Boſcaium promittere, præſtareque debere ſe inducias ſincerè obſervaturum, ut præterea miniſtri Camerarum ad ſua loca & officia adminiſtranda reverti poſſint. Arces & bona cuilibet reſtituenda, captivos utrinque dimittendos: ejuſmodi poſtulatis Boſcaius & Ungari partim abouerunt, partim ea ad ulteriorem deliberationem rejecerunt. Die verò, quæ ſequuta eſt, plura ad hujus concordiæ ſtabilimentum pertinentia addidit; quæ partim ab illis omninò rejecta, partim tumultuariè admiſſa, partim verò ad futura Comitia dilata ſunt. Et quum per hunc modum diſceptaretur, Illieshazius, ne quid deliberaretur, interceſſit, ſeque cum aliquo collega, qui ſibi publico ſuffragio daretur, Viennam ad Principem profecturum, ac de iis certiora allaturum retulit; datuſque ei ſubitò eſt collega Paulus Aponius; ſed quum is ſe excusâſſet, Petro Maldoſſevitio injunctum, ut ipſe Illieshazio comitem & collegam acturus, ſe ad iter pararet. Multi illum non publici commodi cauſâ, quàm ut privatarum rerum rationibus conſultum vellet, hanc legationem ſuſcepiſſe credidère; ſicuti brevi pòſt eventus comprobavit. Hoc reſponſo dimiſſus Forgacius, brevi pòſt Viennam eſt reverſus. Illi verò non multò pòſt Gaſparem Segedinum pro literis, quarum vi ſalvi & incolumes venire revertique poſſent; ad Principem miſerunt, iiſque acceptis ille ad eos eſt reverſus.

Joannes Bocacius à Boſcajo in Germaniam miſſus, à Brunſuicenſi Duce capitur.

Solutis Corponenſibus Comitiis Boſcaius Joannem Bocacium, qui ſummæ gratiæ locum apud illum obtinebat, ad Principes Germaniæ legatiooem ſuſcipere voluit, eumque literis & pecuniâ inſtructum ab ſe dimiſit. Qui quum

per

1605. per Poloniæ fines itinere facto, ad Henricum Julium Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducem appuliſſet, quòd nullas à Cæſare, cujus imperio Germania ſubjacet, literas haberet, abſque quibus homini peregrino, & adverſæ factionis, urbes & regiones perluſtrare cautum eſſet, pro exploratore captus fuit, & in carceres conditus. Ejus caſum Boſcaius ægrè tulit, & Pragam ad Cæſarem miſſum eſſe ſuſpicatus, petere, ut dimitteretur, non deſtitit. Ipſe verò eodem ferè tempore Georgium Solomocum Epiſcopum Quinqueeccleſienſem Caſſoviæ captum ad petitionem Regis Poloniæ vinculis exemit, & liberum abire juſſit, retento in cuſtodia Micacio Varadinenſi Epiſcopo, cui erat multis partibus infenſior. Qui quum in Poloniam eſſet profectus, ut Regi liberatori ſuo gratias, quas poſſet, ageret, in morbum Cracoviæ incidit, mœrore animi & tædio carceris conceptum, ibique è vivis exceſſit; atque adeò juſſu & ſummâ Regis pietate, ſumptu publico elatus, in templo Divi Stephani honorificentiſſimaio habuit ſepulturam.

Epiſcopus Quinqueeccleſienſis obit.

Intereà priùs quàm Corponæ induciæ tractarentur, Nemethius, ad quem ut egentiſſimus quiſque & inops erat, ita ad ſeditionem & civiles diſcordias pronior ruebat, reparatis viribus, & adſcito in ſocietatem Ibraimo, qui per id tempus tam Sighetanam, quàm Caniſianam præfecturam ſolus adminiſtrabat, miſſis Haidonibus & Tartaris Sabartam & Quetneodiam recepit, & Simegam duobus falconibus ſecum allatis obſedit: ſed defendente eam Thomâ Tulocco, quem Battianius arci præfecerat, expugnare noo potuit, quòd eſſet loco munitiſſimo ſita. Interim tamen donec irrito conatu tempus ibi terit, equites è Stiria Germani, duce Andreâ Rindſadio, circiter mille, cum equitibus Ungaris Stirica ſtipendia merentibus, quibus Georgius Queglevitius præerat, ac Battianii militibus, quos Stephanus Blaſcovitius ductabat, in caſtra Nemethii excurrerunt. Hoſtes tam Turcæ quàm Tartari, & Haidones cùm ad eos arcendos caſtris procurrere non dubitaſſent, acerrimum contractum eſt prælium. Sed victi hoſtes multis ſuorum amiſſis & vulneratis, captiſque ampliùs XL. in caſtra retrò fugerunt. At Germani eâ raptâ prædâ rectà in caſtra undè venerant, reverti noo curârunt; ſed morâ penes ſilvam, quæ prope viam erat, ſatis diu factâ, ſub frondibus umbraque arborum corpora & equos curare ceperunt. A ſupervenientibus autem repentè hoſtibus fuſi & fugari temeritatis ſuæ pœnas dederunt: nam interfecti multi, captique plures ex eis fuêre, Rindſadio ægrè ſe è manibus hoſtium explicante. Vulneratus etiam fuit Blaſcovitius manum dextram graviter; & capti Matthias Gerecius, ac Franciſcus Petricii Vaivodæ filius, atque alii nonnulli. Quo detrimento accepto Germani poſteà ſe Racoſpurgam receperunt; & Nemethius relictâ Simegâ Sabariam cum Turcis & Tartaris redüt, ibique cùm in equites Italos Pontificiâ pecuniâ conductos, quibus Alexander Rudolphus Florentinus præerat, incidiſſent, anceps & cruentum certamen ſubortum eſt. Sed demùm Itali numero & multitudini hoſtium cedere coacti terga dedêre, non inulti quidem, quum longè plures ex hoſtibus interfeciſſent. Nec multò pòſt Joannes Tillius Belga, Baſtæ legatus, Cuſegum cum quatuor equitum millibus venit, qui etiam hoſtes Tartaros inter Hiduegum & caſtrum, quod vocant Ferreum, prædæ & rapinis intentos, improviſo adorti, magnam eorum partem impedimentis & prædâ omni exuerunt, cæsâ ex eorum numero glandibus ſclopetorum magnâ multitudine, ac captis M. & D. equis, ſed magoo totius exercitûs dolore cecidit ex ipſis Dux Holſtainius Fridericus juvenis mille equitibus præpoſitus, quum eum armis ſplendentibus, & thorace ac galeâ, tibialibuſque auratis indutum, hoſtes equo ſagittis confixo atque interfecto in terram proſtraviſſent, & aliis in locis ferro protectum per inguina adacto pugione occidiſſent.

Nemethius noſtros primò victores denuò aggreſſus fundit fugatque.

Equites Itali duce Rudolpho à Nemethio & Turcis oppreſſi terga dant.

Tillius Tartaros incurſantes profligat.

Holſtainius dux cadit. 1605.

Tentavêre quoque Haidones barbaris immiſti Racoſpurgam, in quam Trautmanſdorffius cum Illyrici nominis copiis paulò antè ſeſe receperat; ſed improviſo exitu: nam quum iofſtigante Tartaros, ac ſe eis ducem offerente Hagmaſſio, opimamque prædam eâ captâ urbecula ſibi promittente, Muram flumen apud molendina quædam frumentaria vado tranſiiſſent, confiſi craſſiori nebulâ, quæ eum diem longè lateque occupaverat, in Trautmanſdorffium eos expectantem, haud procul ſuburbii parte extrema, ubi horrea & fornaces coquendis lateribus habentur, incidêre; ac multa cum ſtrage in fugam acti, amiſſis præcipui nominis ſociis, flumine per eadem vada ſuperato profugerunt. Quibus de cauſis multa in Hagmaſſium probra & convitia conjecerunt, qui eos in anguſta ea loca, ſclopetorum glandibus vulnerandos & proſternendos peditibus objeciſſet. Sed quum jam dura hiems ingrueret, frigoraque & tempeſtates gliſcere in dies viderentur, legatique à Boſcaio paci faciendæ Viennam expectarentur, ad quartum Idus Decembris utrinque in hibernа diſceſſum eſt; ita ut noſtri ad ſuas ſtationes, Nemethius verò cum Ibraimo præfecto Sighetum; & Tartari Coppanium; Hagmaſſius Sengrotum concederent. Sed Thomas Nadaſdius adductâ ſecum etiam matre & conjuge Caniſiam, atque inde Sighetum, nec multò poſt Caſſoviam ad Boſcaium profectus eſt. Quibus diſcedentibus omnia loca, quæ præteritæ æſtatis tempore, aut poſteà ab hoſtibus occupata erant, quamquam miſerabilem in modum crudeliſſimè vaſtata & concremata, in priſtinum ſtatum redierunt.

Haidones cum Tartaris Racoſpurgam ex inſidiis fruſtrà adoriuntur.

Exercitus utrinque in hiberna diſceſſit.

Per eos quoque dies, quibus in Ungariæ & Stiriæ finibus hæc vario eventu gerebantur, Cæſar Pragæ præter ſolitum manſuetudinis & clementiæ ſuæ tenorem in Hermanno Roſvvurmio, clariſſimo viro, & qui ſummo copiarum ſuarum imperio duabus in expeditionibus functus eſſet, puniendo, acerbæ ſeveritatis exemplum edidit. Is enim ob interfectum ex inſidiis Franciſcum Barbianum, Belgiogoſi Comitem, Joannis Jacobi, qui Caſtiviæ præfuit, germanum fratrem; juſſu Cæſaris, quem Joannes Jacobus aſſiduè ſupplex pro ea innocentiſſimi fratris cæde vindicanda interpellabat, captus, ac in cuſtodiam Curiæ veteris urbis Pragenſis ductus erat. Nec multò pòſt à præfecto Prætorii & judicibus lege latâ criminis condemnatus eſt: nec gratiam pro navata bellis ſuperioribus præclarè operâ conſequi ullam potuit aliam, quàm quòd non in publico foro, ut alii ſontes, verùm in ipſius curiæ ſuperioris veſtibulo, non magnâ inſpectante hominum turbâ, caput ei à miniſtris rerum capitalium præcideretur; tametſi ipſe, ſi moriendum eſſet, parum aut nihil intereſſe diceret, publicène an privatim interi-

Roſvvurmius Pragæ extremo ſupplicio afficitur.

ret.

ret. Itaque magno præſentique animo cervicem lictori feriendam præbuiſſe fertur, expiatis priùs Chriſtiano more criminibus, & multâ pecuniâ ad pios uſus teſtamento legatâ: & in templo demum Divæ Virginis Matris, quæ de Nivibus nuncopatur, ſummo honore conditus eſt. Non defuêre qui cædem ejus commiſerarentur; non quidem quòd eam indignè ſubiiſſet, quum eum complures etiam alios pro duro & atroci ejus ingenio ſuâ manu occidiſſe palam eſſet; ſed quòd virum fortem & clarum, atque adeo Cæſaris ſummum aliquando exercitûs ducem, infami manu carnificis concidere, miſerum ac calamitoſum eſſe exiſtimarent.

Illieshazius Viennam veniens, paci tractandæ initium facit.

Illieshazius, interea, priuſquam Viennam ſuſceptæ legationis munus obiret, communicatis cum Boſcaio conſiliis, novas in contumeliam ſacerdotum conquirendæ pecuniæ rationes excogitavit, quibus ille antea minimè erat uſus; nempe ut licèt nullis militibus, præter paucos pedites prætorianos ſtipendium ſolveretur, ſed ii per pagos & oppida vagari, & rapto ac prædâ vivere juberentur, tamen ſupra libertas civitates variè & graviter expilatas, bona etiam ſacerdotum, Epiſcoporum & collegiorum aut vendenda, aut grandi ſummâ pecuniæ obliganda conſtituerentur: adeò ut pecunia, quæ ex ejuſmodi bonis partim oppignoratis, partim verò iis, quæ ipſe ſibi uſurpâſſet, ad CXLV. millium Talerorum ſummam accederet. Venit autem poſtea ad Nonas Januarias ineuntis anni Viennam cum collega Mladoſevitio, ac biduo pòſt convento Principe, ac prolatis quibus inſtructus venerat, ſummæ poteſtatis literis, tractandæ pacificationi initium fecit. Nomine Cæſaris Princeps adeſſe juſſit ſummos viros Franciſcum Forgacium Epiſcopum Nitrienſem, Cancellarium Ungaricum, Paulum Sixtum Trautſonium, Sifridum Prainerium, Georgium Turzonem, Leonem Gallum Loſtorſium, Sigiſmundum Forgacium Cancellarii fratrem: Joannem Euſebium Cuneum, Ulricum Crempergum, Petrum Revaium, & Joannem Lippaium regni prætorem. Hi permultos dies diſceptando, & nonnunquam non ſine mutua diſſenſione altercando, tandem de controverſiis, quæ in Comitio Corponenſi propoſitæ, nec finitæ erant, ac de ſatisfactione Boſcaii impendenda, deque Tranſilvania ei concedenda (de quibus anteà non erat deliberatum) de exteris amovendis, de Religione & Epiſcopis, Palatino, Camera, pace cum Turcis facienda, & aliis capitibus, & poſtremò de oblivione & impunitate omnium ſcelerum, quæcunque in hiſce ſeditionibus commiſſa eſſent, ita tranſegêre, ut literæ ac diplomata ederentur: jamque pax cum Boſcaianis inita eſſe omnium judicio crederetur. Eodem tempore, donec de pace tractaretur, induciæ quoque factæ ſunt uſque ad diem Divi Joannis Baptiſtæ Natalem: idque Princeps Cæſareanis; Illieshazius verò ſuæ factionis hominibus per literas publicavêre. Proinde Illieshazius confectæ pacis & concordiæ laude ſibi vendicatâ, privati quoque ſui lucri haud immemor, cùm plurima ſua & facultatum ſuarum detrimenta, quæ tam exilio diuturniori tolerato, quàm redactis per injuriam in fiſcum ſuis arcibus perpeſſus eſſet; tum verò ſolertiam & induſtriam, ſtudiumque ſuum indefeſſum, quo Boſcaium & Ungaros ad amplectendam pacis & concordiæ curam non ſine aperto vitæ diſcrimine induxiſſet, Matthiæ Principi, ſemotis arbitris, expoſuit: & ut arcibus Bozunio ac ſancti Georgii reſtitutis tot & tanti labores ſui pro Rep. ſuſcepti & exantlati compenſarentur, poſtulavit.

Illieshazius Bozinium ac S. Georgii arcem ſibi reſtitui petit.

Itaque præbita eſt ei magna ſpes à Principe, fore, ut ſi inceptæ ejus operâ pacis fructuoſus & exoptatus finis imponeretur, paribus officiis & beneficio votis ejus reſponderetur; nec ipſe irritas ea in parte preces ſuas fuiſſe experiretur. Igitur Caſſoviam menſe Februario reverſus, quòd valetudinis causâ ad Thermas Thrincinianas divertiſſet, adhibito ſibi Paulo Niario Boſcaium adiit, ac cum ea quæ Viennæ acta erant, commemorâſſet, ambo deinde multo ſermone eum ad concordiæ ſtudium cohortari ſunt: & eo quidem tempore non aliud decrevêre, quàm ut Comitia ad diem XIX. menſis Martii indicerentur, in quibus ea, quæ Viennâ retuliſſet, Nobilitati coram exponerentur.

Boſcaiū ad pacem amplectendam hortatur.

Joannes verò Lippaius, qui à Principe eò miſſus erat, ut reſponſum urgeret, ac celeriter referret, redire juſſus fuit. Boſcaio promittente ſe per legatos illud primo quoque tempore remiſſurum.

De fœdere etiam cum Turcis tractatur irrito conatu.

Quæ dum Viennæ ac Caſſoviæ adminiſtrantur, & pax cum Boſcaianis tranſacta eſſe videtur, Princeps legatos, quorum operâ fœdus cum Turcis feriri volebat, Joannem Molardum, Adolphum Aldanium, & Nicolaum Iſthuanffium Comaronium ire juſſit; quum Boſcaianos Michaëlem Czobotium, Joannem Barcianum, ac Georgium Hoffmannum jam pridem eam ob cauſam Budam profectos eſſe cognoviſſet. Itaque ſimul ac Comaronium ventum eſt, miſſi à legatis fuêre Chriſtophorus Taiffalus, & Cæſar Gallus ad Alim Budæ præfectum, & Abilem Aſendim, qui tractandæ paci à Turcarum Principe deſignati erant, ut diem & locum, ad quem conveniri placeret, ſignificarent. Quos quum fortè Strigonii reperiſſent, reſponſum retulêre, ſe nihil tantiſper cum Cæſareanis de induciis ſanciendis colloqui velle, donec cum Boſcaio & Ungaris pax firma certaque inita non eſſet: quòd hoc ipſis à Principe ſuo datum eſſet in mandatis. Cùm miſſo iterum Andreâ Nigrono interprete eam ipſis præſentibus Viennæ initam eſſe reſpondiſſent, Turcæ & Boſcaiani ſe nondum de illa penitùs tranſacta quicquam à Boſcaio certi accepiſſe, ideoque in propoſito nihil interea agendi perſiſtere ſignificârunt. Quamobrem legati rebus nec inceptis Viennam redierunt. Paucis interjectis diebus cognitum eſt Boſcaium ejuſque aſſeclas comitiis Caſſoviæ habitis ea, quæ ab Illieshazio & Mladoſſevicio nuper acta erant, quamquam ab ipſis ratam de omnibus tranſigendi auctoritatem accepiſſent, partim reſcidiſſe, partim immutâſſe, partim multis vel iniquis conditionibus adjectis amplificâſſe: idque in cauſa fuiſſe, cur ad colloquium Turcæ venire recuſaſſent. Quarum conditionum ea erat præcipua, quòd ſuprà Tranſilvaniam provinciam omnis etiam ultra Tibiſcum ditio, ac cis illum arx Tocaia cum duabus ampliſſimis regionibus, quas Ungari comitatus vocant, poſtulari dicebatur.

Illieshazius cum collegis ſuis iterum Viennam venit.

Brevi pòſt Illieshazius Trincinium venit, & miſſo illinc Gaſpare Segedino literas ſecuri itineris à Principe iterum poſtulavit, & obtinuit: adductiſque ſecum collegis Paulo Aponio, Thoma Viſquelethio, ac Andrea Oſtroſitio Viennam redit: imprimiſque admoneri Principem curavit, ne Forgacius Nitrienſis Epiſcopus in tractatum admitteretur, quod nuperrimo

mo

1606. mo qooque in colloquio multum ſibi negotii faceſſiſſet, injectâ etiam rebus inutili morâ; deinde ut rem tranſigere maturaret, ne quid expleto breviori induciarum tempore ab Haidonibus vel barbaris detrimenti acciperetur; ſe quidem multum operæ & laboris io re conficienda conſumpſiſſe, oec tameo à refractariis & pertinacibus aliod obtinuiſſe, quàm quod nunc attuliſſet. His verò animis exceptus eſt ejus adventus, ut non modò partium Cæſareanarum Uogari, ſed plerique exterorum æquiſſimi bomines, neutram inclinantes io partem, eum tanquam Cæſari illudentem, ejuſque abutentem patientiâ, & quod majus eſſet, patriæ detrimenta molientem meritò puniendum exiſtimareot; qui rem ſemel tranſactam non ſine levitatis & inconſtantiæ probro, novis quæſitis diſcordiæ concitandæ coloribus, inſtaurare auſus eſſet; & ut religionis opprimendæ ſtudium tueatur, ſub prætextu libertatis ooo Transſilvaniam duntaxat, ſed omnem ultra Tibiſcum regionem ab Ungariæ regno avellere, & homini Turcarum ſocietate ſubnixo impioque addicere contendat; quas nec Ferdinandus Imperator, nec Maximilianus ſucceſſor & filius Regi Joanni, aut poſtea ejus filio unquam concedere voluiſſent; quaſi ad libertatem & noo magis ad perniciem & excidium afflicti & collabentis regni pertineret, abraſâ majori parte, truncatiſque oobiliſſimis ejus membris, adeò in anguſtum coarctari & circumſcribi, ut jam hoſtibus quidem ludibrio & contemptui habendum, civibus autem & ſociis vicinis commiſeratione & juſtis lachrymis proſequendum exponeretur. Sed tanta erat animis quorundam ad pacem inclinantium propenſio, ut ad omnes vel iniquiſſimas damooſiſſimaſque conditiones deſcendere minimè parcerent, dummodò bellum avertere poſſe viderentur. Quos ille eò magis iis rationibus ad concedenda, quæ petebat, omnia adducebat, quòd diceret Boſcaium procul dubio propediem è vita diſceſſurum, & quæ ei dareotur, rurſus ad conferentem Cæſarem & regnum Ungariæ reditura, quum ille nullos ex ſe hæredes eſſet relicturus. Quod quidem minimè à vero erat alienum; poſtquam in eo jam haud obſcura aquæ intercutis ſigna apparere cepiſſent, quibus illi vel teſtimonio medicorum, quos è Polonia acciverat, brevi moriendum eſſet. Ad ejus etiam morbi periculum haud per ſe leve accedebat, quod veneficiis tentatus eſſe crederetur; cujus criminis ſuſpicione paulò poſt quam legati Viennam venisſent, Michaël Cataius ejus juſſu captus, compedibuſque vinctus in arctiſſima cuſtodia detinebatur.

Pacta conventa inter Cæſarem & Boſcaium concluſa.

Itaque poſtridie Iduum menſis Junii ipſe & collegæ ejus cum Cæſareanis Paulo Sixto Traurſonio Tyrolis, Carolo Lichtenſtanio Moraviæ, Erneſto Molardo Auſtriæ præfectis, Sifrido Prainerio Auſtriaci ærarii magiſtro, Ulrico Crempergo Cancellario: ex Ungaris vero Thomâ Erdodio Thavernicorum, Georgio Turzone Dapiferorum, ac Sigiſmundo Forgacio Pioceroarum Magiſtris tractare inceperunt: ac diu multumque diſputando, tandem conceſſis quæ petebantur omnibus his condicionibus tranſactum eſt; quarum capita ſummatim exponam, ne quum illæ paſſim extent, in cunctis particularium recenſendis faſtidio legentibus ſim. „Primum omnium religio libera obique ſit, eâ lege, quæ abſque comitiorum conſenſo in acta publica ante biennium irrepſerat, ſublatâ; abſque tamen Religionis Catholicæ Romanæ detrimento, cui ſua jura intacta & libera maneant. Palatinus more antiquo publicis ſuffragiis eligatur, & Cæſar confirmet; ejuſque & procerum Ungaricorum conſilio omnia negotia Uogarica, exteris procul ſubmotis, curentur. Cæſar, quia Pragæ continuè manet, nec ſemper adiri poteſt, Gubernatotem conſtituet Mathiam fratrem: coocesſâ ei omni poteſtate regendi, non ſecus ac ſi præſens in Ungaria maneret: iſque per Palatinum & Senatores Ungaros omnia agat, dijudicet & finiat. Corona Regia in Ungaria ſervetur. Cameræ tollantur, & Theſaurarius, ſive is Præfectus, ſive Rationarius, ſeu quocunque nomine vocandus ſit, ſubrogetur: qui magiſtratus non ſacerdoti, ſed alterius conditionis homini detur. Cæſar Ungariam per Ungaros gubernet, exteris eliminatis, officiaque & præfecturas Ungaris conferat. Jaurinum tamen & Comaronium pro arbitrio viris benemeritis etiam Germanis dari poterunt. Arces Germanis pignori datæ, ab Ungaris redimantur, iique receptis ſuis pecuniis excedant. Oblivio & impunitas omnium ſcelerum, cædis, ſpolii, prædæ, hoſtilitatis, & quæcunque ſimilia mala ad eum uſque diem patrata fuerunt, omnibus utrinque concedantur. Porrò in retinendis Societatis JESU Patribus, quos Boſcaiani è regno ejiciendos poſtulabant, Cæſar auctoritatem ſuam firmam & ſtabilem eſſe voluit. Donatiooes Boſcaianæ, & Corona, quam à Turcis accepit, antiquentur. Cætera, de quibus traoſigi non potuit, ut de venditis aut oppignoratis ſacerdotiorum bonis, de foro ſpirituali, deque aliis, tam poblica, quàm privata quædam ad futura comitia, quæ Cæſar primo quoque tempore promulgaturus eſt, rejiciantur. Atque hæc quidem, quæ ad Nobilitatis petitiones pertinent, in hunc modum tranſacta.

Quod verò ad Boſcaium attinet, Transſilvania omnis cum ea parte Ungariæ, quam Sigiſmundus Bathorius obtinuit, & inſuper omnis ultra Tibiſcum ditio, ſimul cum arcibus Sacmaro & Tocaio, Boſcaio coocedetur, duoque præterea tractus, ſeu, uti vocant, Comitatus Bereghianus & Ugocianus adjicientur. Quæ omnia Boſcaius jure hæreditario tenebit. Si tamen nullos hæredes relinqueret, ea omnia ad Coronam regni, ac legitimos Uogariæ Reges revolvaotur: neque ejus agnati aut propinqui quicquam in iis juris habere poſſint. Caſſoviæ adminiſtrandæ jus & poteſtas Ungaris non exteris hominibus ſit. Ad hanc tranſactionem obſervandam Cæſar ſe diplomate edito obſtringet, & vicinarum quoque provinciarum ac regnorum incolæ nihil ſe hoſtile tentaturos promittent: ſicuti viciſſim Ungari omoes Cæſari in futuris comitiis ad perpetuam fidem & fidelitatem ac obſequium ſe obligabunt, quod ſalvis ſemper libertatibus ſuis nunquam ab eo deficere, aut ei rebellare, aut quod publicam quietem & pacem turbare poſſet, tentare, aut vicinas provincias armis invadere velint: nec clancularium aut apertam cum barbaris conſpirationem, aut privata cum quibuſvis conventicula habebunt. Sic viciſſim vicina regna & provinciæ Ungaris de conſervanda quiete & bona vicinitate ſuas peculiares literas dabunt. Poſtre- 1606.

1606. 1606.

„ imò ſi pax æquis conditionibus & honeſtis cum „ Turcis iniri non poſſet, & illi talia proponerent, quæ regno Ungariæ & vicinis provinciis „ damnoſa & periculoſa, pernitioſaque eſſent, „ tum verò conjunctis viribus cum exercitu Cæ„ ſaris contra eos, uti communes Chriſtiani no„ minis hoſtes, ſecundùm veteres patriæ leges „ pari alacritate ac promptitudine, abſque ulla „ tergiverſatione ad conteſtandam ſuam fidem „ armis ſumptis procederent. Qui verò ſecus „ facerent, ii crimine læſæ majeſtatis ſtatim condemnentur. Poſtquam in hunc modum tranſactum eſſet, Illieshazius cum ſuis ad Nonas Julias diſceſſit; ita ut conditionibus à Boſcaio confirmatis, ad Calendas Auguſti reverteretur, ac literas Cæſaris & provinciarum referret. Ad quod tempus negotium quoque arcium ſancti Georgii & Bozinii ei reddendarum, cujus ope obliviſci nullo modo poterat, dilatum fuit. Hoc tandem tempore confectæ pacis Varadinum Boſcaio ex fœdere traditum fuit; juſſique illinc excedere Baptiſta Peczius, & Cyprianus Concinius, qui illud hactenus per ſummas & extremas omnium rerum difficultates conſtantiſſimè & fortiſſimè defenderant. Sub id tempus perduelles, & Boſcaianæ factionis aſſeclæ, novo nomine Durbancii paſſim appellari cepti ſunt, vocabulo illi incertæ originis, ita ipſis maximè exoſo, adeò ut id magni probri loco ducerent, armiſque etiam pro eo digladiarentur: nec tamen gliſcente indies per omnium ora hominum famâ inditum à vulgo nomen abolere potuerunt.

Varadinum Boſcaio traditur.

Princeps interea Matthias Bohemis, Moravis ac Sileſitis perſcripſerat fœdus cum Boſcaianis tranſactum eſſe; admonitis, ut ad diem Calendarum Auguſti Viennam ad dandas mutuò accipiendaſque literas adeſſent. Illi igitur frequenter, annuente Cæſare, legatos ad diem miſêre; ſed Boſcaius quamquam rata haberet ea, quæ acta erant, utpote qui nullam in omnibus quæcunque vel indigna poſtulaverat, repulſam tuliſſet: Illieshazium tamen ſive ob itineris difficultates, quas aſſiduæ pluviæ fecerant, ſive ob morbum ſuum, qui indies invaleſcebat, Viennam remittere differebat, non ſine Bohemorum incommodo, quibus diuturna ejus expectatio moleſta imprimis tædioſaque erat. At ille adductis poſtea ſecum ſupra Aponium, & Oſroſitium, Viſquelerumque aliqnot aliis collegis, Georgio nempe Homonniano; Franciſco Magocio, Stanislao Turzone, Sebaſtiano Tocôlio, Georgio Hoffmanno, & Petro Mladoſſevitio, ad ſeptimum Idus Septembris Viennæ adſunt. Nec multò pòſt, renovatis fœderibus cum vicinis, ac ſtabilitâ pace, tabulæ confectæ ſunt in eum, quem retulimus modum. Et ex Bohemis ſcribendo affuerunt Adamus Sterembergius Regni Bohemiæ Camerarius, Adamus Walſtanius Marſchallus, Leopoldus Poppelius Equitum Rhodiorum in Bohemia Prior, aliique complures. Ex Moravis verò Carolus Liebtenſtanius, Waichardus Comes Salmenſis, & Guntherus Golcius, ac Georgius Hoſiccius. Ex Sileſitis Joachimus Malcianus, Fridericus Rasbarius, & Chriſtophorus Hencerius. E Luſatia verò utraque Fabianus Punicus, Sigiſmundus Quindlerius, & Maximilianus Ampticius. Poſtremò è Stiria & Carinthia Wilhelmus Dietrichſtanius, & Joannes Bogomius. Eaſdem tabulas Ungari Boſcaiani, quos modò nominavi, ſubſcripſerunt. Ex Cæſareanis verò Franciſcus Forgacius Epiſcopus Nitrienſis Cancellarius, fœderi tantùm provinciarum ſubſcripſit: reliquis capitibus reclamavit; ac Stephanus Zuhaius Agrienſis, & Petrus Radovitius Vacienſis Epiſcopi: Thomas Erdodius, Georgius Turzo, Sigiſmundus Forgacius, Nicolaus Iſthuanffius, Thomas Secius, & qui eo tempore aderant alii complures. Quibus rebus confectis, eleganti ab Hoffmanno ad Principem habitâ oratione, qua labores ejus pro Republica ſuſceptos meritis laudibus extollebat, Boſcaiani actis Principi gratiis diſceſsêre. Illieshazius verò ad paucos dies ſubſtitit, donec de arcibus Sancto Georgio & Bozinio tranſigeret, quæ unà cum Hodolioia arce, quæ in Moravia eſt, jubente Matthiâ Principe brevi redditæ ſunt. Ejus autem pecuniæ exolvendæ ratio, quam cives Boziniani & Georgiani permiſſu Cæſaris à variis fœneratoribus ſumptam adhuc debebant, cujus fœnus ferè ſortem æquabat, non ſine creditorum detrimento ad futura comitia dilata fuit. Atque in hunc modum neceſſaria potiùs, quàm honeſta cum Boſcaianis pax inita eſt, Cæſare quaſvis conditiones æquo animo diſſimulante, dummodo ſuſceptum bellum adverſus Turcas tranſmarinis ſeditionibus & Perſicis bellis feſſos continuare, & meliori ſucceſſu adminiſtrare poſſet.

Tabulæ conventionis à quibus obſignatæ fuêre.

Boſcaiani domũ redeunt.

S. Georgius & Boziniũ Illieshazio redduntur.

Reſtabat fœdus cum Turcis feriendum, quod & ipſi æquè ac Boſcaiani urgebant, & jam Cæſar quoque, ut tractari poſſet obiter aſſenſerat. Cui promovendo Illieshazius operam ſuam obtulit, ſeque interfuturum pollicitus eſt. Itaque ipſe cum ſuis ad Arcem-Novam ſe contulit; Cæſareani verò partim ſecundo flumine Danubio, partim terreſtri itinere Comarotium deſcenderunt. Triumviris autem, qui antea illud cum Turcis tractandum ſuſceperant, Joanni Molardo, Adolpho Althano, & Nicolao Iſthuanffio Princeps alios adjunxit, quò ſolennior eſſet tractatio, Georgium Turzonem, Franciſcum Battianium, Siſtidum Colonicium, Chriſtophorum Erdodium Thomæ filium. Cæterùm ad Muratem Purpuratum exercitui præpoſitum, & Alim Budenſem Cæſarcam paulò pòſt Matthæum Felnemethium miſêre cum literis, quibus ſuum adventum ſimul & deſiderium exoptatæ pacis, quo tenerentur, ſignificârunt; ſe ad omnes æquas & honeſtas conditiones paratos, dummodò ipſi quoque haud ſecus quàm verbis ſæpiùs declarâſſent, ne ipsi abhorrere ab ea nollent; ac communi voluntate locum eligant, ad quem utrinque conveniatur. Turcæ in eam ſententiam reſcripsêre, ſe haud diſſimili pacis ſtudio teneri, brevique ad locum, ubi ipſis videatur, venturos. Nec multò pòſt Alya Budenſis cum Abile Aphendi adverſo flumine Strigonium venit, relicto in caſtris infra urbem Budam Murate Purpurato, ipſius Alys ſocero deſignato: ac miſſis ultrò citròque non ad Turcas ſolùm, ſed etiam Boſcaianos, qui in Nova-arce præſtolabantur, literis & nuntiis, tandem ita conventum eſt, ut Turcæ ad oppidum Almaſium, quod ad dextram Danubii ripam ſitum eſt (ubi thermæ è latere Collegii Monachorum, quod ibi olim pulcherrimum erat, in Danubium profluentes habentur) ſed modò deſertum incolis caret, convenirent; Cæſareani verò ad citeriorem ſiniſtrorſus eo in loco, ubi Sithua amnis è montibus inter Gimeſiam arcem & Ruſſonem ſitis de-

defluit, & Danubio miſcetur, ſua tentoria figerent, ac è regione ejus confluentis Boſcaianis locus eſſet; ita ut inter eos & Cæſareanos Sithua flumen, inter utroſque autem & Turcas Danubius interfluens intercederet.

Tractatio de pace inter Cæſareanos & Turcas.

Igitur ad diem XX. Octobris Alys & Aphendis promotâ Strigonio claſſe, quæ è navigus, quas Saicas vocant, tota conſtabat, Almaſium venit, ac Muſtapham Aſendim Comaronium ad Cæſareanos miſit, qui eorum adventui gratularentur, ſeque ad locum conſtitutum veniſſe referret. Poſtero die Cæſareani accitis ad ſe è caſtris inter Jaurinum & Comaronium ad Nemam poſitis mille equitibus Germanis, quos Hollachius Comes ductabat, & legione Mansfeldianâ, ac claſſe Comaronienſi eo ordine & apparatu deſcenderunt, ut ab inſidiis, ſi quæ à fraudulenta & perfida gente tenderentur, tuti eſſe poſſent. Erant tentoria aliquot extenſa in pratis ad ripam Danubii amœno loco ſitis, ad quæ Turcæ frequentes conveniebant; quotidieque de conditionibus induciarum fœderiſque diſputabatur; ſic ut Cæſareani ad ſerum diei, & ſæpè nocte Comaronium redirent; Turcæ verò & Boſcaiani eodem in loco ſub tentoriis pernoctarent. Erant autem Boſcaii nomine cum Illheshazio delegati Paulus Niarius, Michael Czoborius, & Georgius Hoffmannus. Poſt aliquot dierum diſceptationem quum ambæ partes omnia, quæ hoc diuturni belli tempore amiſerant, repeterent: Cæſareani pro reddenda Agria & Caniſa, quam ſub induciarum & pacis tractatione callidè obſeſſam ab Ibraimo Purpurato, ac deditione captam dicebant, magnopere contenderant; ita ut eâ contentione quinque ferè dies conſumerentur, & Cæſareani abſque ea pacem non coalituram dicerent; Alyſque de ejus proſpero exitu deſperaret, ideoque Achomati legato ſuo vehementer iraſceretur, gladio etiam ſtricto eum, niſi è conſpectu aufugiſſet, violaturus, qui ei auctor fuiſſet durius iſthic manendi, & non ſtatim primo die abſcedendi. Sed quum poſtea legati Cæſaris à certis & fidei indubiæ exploratoribus cognoviſſent, nec Agriam, quòd ab eorum Principe præſente capta eſſet, reddi poſſe: nec Caniſam, quòd de ea reddenda nihil in mandatis datum eſſet (quamquam Boſcaius & Illheshazius, cæterique pro ea, quâ apud Turcas pollerent, gratiæ opinione, ſæpè antea alterutram ex duabus ſe recuperaturos fruſtrà gloriati eſſent) neceſſitati parere coacti, ab eo negotio urgendo ita deſtitêre, ut legato Byzantium brevi ituro integrum reſervarent, ſi Caniſa non reſtitueretur, rebus infectis revertendi. Interim verò priùs, quàm tractationi finis eſſet, Althanus, quem Boſcaiani tam palam, quàm in occulto, privatiſque colloquutionibus graviter carpere ac criminari ſolebant, ut qui ſuperiori tempore cum Aly purpurato collatis conſiliis ingentia munera & immenſum auri pondus promiſiſſet, ſi Ungari è pace & fœdere excluſi, Cæſari & Germanis bello exagitandi ac delendi relinquerentur, inter mutuos tractatus graviſſimis verbis ſeſe excuſavit: ipſoque Aly & Abile, præcipuiſque nominis aliis Turcis, qui ſuis ſermonibus ſemper interfuiſſent, in teſtimonium adductis, nunquam ſe vel Cæſarem ejuſmodi fœdi exempli conſilia cum quopiam contuliſſe comprobavit: ita ut quicunque ejus falſi & impii rumoris auctores extitiſſent, eo in publico diverſarum gentium conſeſſu manifeſti mendacii convincerentur, ipſæque famæ & honoris integer omnium judicio redderetur.

Cæterùm pridie Calendarum menſis Novembris Cæſareani Alym & Abilem, aliosque Turcas & Boſcaianos ſplendido convivio exceperunt: ac deinde ſequentibus diebus, modò cum ſpe coaleſcendæ concordiæ, modò dubiis incertiſque animis diſceptatum, denique poſt multas & graves conditiones utrinque propoſitas, & magnâ contentione diſputatas, in hanc ſententiam devenère, fœduſque his conditionibus ad annos XX. percuſſum eſt, quorum initium à Calendis Januariis ſumi deberet.

Pacis cum Turcis initæ conditiones.

"Primò, ut Achomates Turcarum Princeps Cæſarem appellet, ipſeque ab Cæſare filius appelletur, ac in literis, quas Cæſari ſcribet, ac in legationibus cunctiſque actibus eum nomine Cæſaris patriſque ſalutet. Tartari hoc fœdere comprehendantur, nec illis liceat quicquam detrimenti Principum Chriſtianorum ditionibus ac provinciis inferre, omniaque hujus fœderis jura terrâ marique utrinque obſerventur. Excurſiones mutuæ interdicantur, & milites, qui furtim latrocinari auſi fuerint, capi puniríque à præfectis debeant, rebus reſtitutis & captivis dimiſſis, arces & oppida occupare, aut clam vel palam invadere nemini liceat. Quæ verò Boſcaio conceſſa ſunt, ea maneant, juxta vires Vienenſis tranſactionis. Captivi, qui intra certæ tractationis tempus capti ſunt, utrinque gratis reſtituantur; qui verò antea in ſervitutem incidiſſent, jamque de redemptione cum dominis tranſegiſſent, ii promiſſum ſolvant. Si quæ controverſiæ inter milites ambarum partium ſuborirentur, eas Jaurienſis civitatis præfectus cum Budenſi Purpurato, ac ſupremis cis & ultra Danubium militares præfecti, ac in Illyrico Banus dirimendi poteſtatem habeant. De gravioribus, quas hi decidere non poſſent, rebus, uterque Imperator requiratur. Arces in ſuis veteribus locis, quælibet pars reſtaurandi & ædificandi poteſtatem habeat: de novo autem ædificare nequaquam poſſit. Vacia tamen ædificari & amplificari, & in manibus Cæſareanorum relinqui debeat. Legatus Cæſareus nunc ſtatim deferat Conſtantinopolim Achomati Principi Turcarum munus honorarium CC. millium Talerorum, juxta promiſſum antea factum, idque hac ſolùm vice, nec amplius ullo tempore. Quando is legatus Conſtantinopolim ad confirmandam ab Achomate pacem venerit, inde quoque Achomates mittet Pragam legatum ſuum ad Cæſarem cum muneribus majoris quàm antea pretii. Nunc verò Murates Purpuratus & ſummus exercitûs præfectus, quem Serdarium vocant, Principi Matthiæ per nuntios ſuos munera dabit, & accipiet. Cùm munus honorarium Byzantium adſeretur, poſtea per integrum triennium à mittendis mutuo legatis & muneribus ceſſabitur; elapſo autem triennio mittet uterque Imperator invicem abſque obligatione, & nomine vel numero munera pro ſuo quilibet arbitrio per homines utrinque dignos & condecentes. Et ſub hoc XX. annorum ſpatio ſub fœdere comprehenſi intelligantur cum Cæſare hæredes quoque ejus ac ſucceſſores legitimi Ungariæ Reges, itemque fratres, nepotes & affines ejus; illudque idem ex altera parte intelligendum. Le-

1606. ,, garis Cæſaris Byzantii liberum ſit proponere ,, petereq; quæcunque voluerit. Oppida & pagi deditii, qui cum arcibus recuperatis jugum Torcicum excuſsêre, illi nec impoſterum ad pendendum tributum cogantur. Ea ,, tamen loca, quæ poſt captam Agriam ſemper ,, fuerant triburaria, maneant in eo ſtatu: nec ,, tamen Agrienſes Turcæ alios pagos ac colonos ad deditionem compellant. Strigonio ,, quæ ſe antea villæ ſubdiderunt, nec modò ,, Turcarum imperium detrectent: Caniſiæ vicina loca Battianius cum Budenſi Purpuram ,, recenſear & conſcribat, quæ Turcis villæ ſerviant, quæ non. Cautum autem ſit Turcis villas plures ad deditionem cogere, aut ad eas ,, egredi, noviſque ſubinde oneribus & exactionibus gravare.

His ferè conditionibus confecta pax eſt, cujus mentione veterani milites duceſque adeò offendebantur, quibus in armis duntaxat & bello ſpes erar, ut vel audientibus legatis, eos, qui pacificationi ſtuduiſſent, diris omnibus devoverent. Igitur obſidibus datis & acceptis, ac ex formula tranſactionis tabulis utrinque firmatis & obſignatis, Alys legatos Cæſareanos convivio excepit, equiſque & veſtibus, aliiſque muneribus donatos ſingulari cum honore dimiſit, ac multa lætitiæ ſigna tam Strigonii, quàm Budæ à Turcis; Comaronii vero à Cæſareanis multâ prægrandium tormentorum diſploſione & fragore edita ſunt. Poſtea Cæſareani Arcem-Novam ab Illieshazio repetere cœperunt, quam ex formula datæ ſyngraphæ, cujus antea mentionem ſecimus, reſtituere debebar. Verùm is in præſens negavit ſe facturum, quòd reſtitutionem locorum priùs in ſuperiori Ungaria Caſſoviæ eſſe inchoandam arbitraretur, poſtcaquam Boſcaius eâ redditâ in Transſilvaniæ poſſeſſionem foret introductus. Verùm is jam deſperatâ valetudine lecto defixus ita languebat, ut propediem imminentibus fatis procul dubio conceſſurus eſſet, neque unquam vivus & valens Caſſoviâ pedem elaturus crederetur. Quod quidem à vulgo minimè falsò jactatum fuiſſe, brevi eventus comprobavit. Ille enim XLV. pòſt die, quàm pace cum Turcis confectâ legati diſceſſiſſent, die nimirum, quæ memoriæ interfectorum ab Herode Aſcalonita infantium dicara eſt, lento & tabifico hydrope, turgentibus omnibus membris extinctus eſt, cùm quinquageſimum ætatis annum exceſſiſſet, nullo hærede relicto; quamquam uxor ejus Catharina Hagmaſia Euſtathii filia paulò priùs quàm ipſe Caſſoviam occupâſſet, faro functa, ex priore marito Nicolao Varcocio liberos ſuſtuliſſet. Funus ejus magnificentiſſimâ pompâ, planeque regiâ ab infanis ejus aſſeclis Caſſoviâ elatum eſt, duabus coronis, quarum unam à Turcis acceperat, altera à Coronenſibus ſeu Braſſonianis civibus è latebris eruta Deſpotæ illius fuiſſe dicebatur, qui Moldaviâ per tyrannidem occupatâ, noſtro ævo inclaruerat, feretro impoſitis: deinde congeſtæ bello civili per injuriam opes multis carris ſequebantur, Valentioo Homonniann, Paulo Niario, Georgio Secio, ac aliquot Haidonum millibus comitantibus.

Boſcaius Caſſoviæ extinguitur.

Sed priuſquam funus efferretur, prætoriani milites mutuò ſeſe cohortati, auctoribus, ut fama fuit, Niario & quibuſdam proceribus, Michaelem Cataium, qui ſublato illo jam ſe evaſurum ſperare poterar, ſummo diluculo è lecto abreptum in forum repentè attraxêre, ibique Deûm atque hominum fidem implorantem, mille & amplius enſibus petitum barbarum in morem fruſtillatim diſſecuêre, nullâ parte corporis, præter pedes, quos ferreæ compedes & vincula texerant, illæſâ; ita ut miſera conjunx diſciſſa minutatim membra linteolis caniſtriſque ægrè colligere poſſet: quaſi eâ hoſtiâ manes & ſcelera præmortui flagitioſiſſimi hominis expiarentur. Subjiciebarut crimini, quòd illum opera adamatæ cujuſdam puellæ, quæ illius lenocinio Claudiopoli adducta erat, pharmacis philtriſque ei in potu ciboque præbitis corrupiſſet, quod ut ille ſemper negare viſus eſt, ita ejus maleficii certis indiciis convinci non potuit. Teſtamentum antea vivens condiderat, in quo cum prærogativa ſui ſuffragii Transſilvanis Valentinum Homoonianum in Principem commendabat, ſe omnibus aliis, qui ſibi cogitanti occurriſſent, eo digniorem neminem cenſuiſſe præfatus.

Michael Cataius Camelloneus ejus fruſtillatim ab Haidonibus diſcerpitur.

Sed jam Transſilvani Sigiſmundum Racocium exire è provincia volentem, invitumque & reluctantem ſibi præeſſe ſponte voluerant, eumque, quòd ſingulis artubus ob ſævos articulorum dolores captus ſellâ geſtaretur, vel cum lachrymis recuſantem Claudiopoli ſacramentum præſtare coëgerunt; ſimulque nuntios, ſummâ adhibitâ celeritate, Valentino, qui in ſpeciem proſequendi funeris magnas copias ſecum ducebar, ac Haidonum quoque animos in occulto ſibi conciliaverat, ut eorum ope adjutus provinciam occuparet, obviam ire juſſerant, qui referrent provinciam nemini à Boſcaio legari potuiſſe, ideoque admonitum eum velle, ne ad turbandas res ſpe adipiſcendi regni provinciam ingredi conetur: ſe enim armis adverſus eum ſumptis injuriam propulſaturos.

Sigiſmundus Racocius neglecto Valentino Homonnano Princeps renuntiatur invitus.

Itaque Homonnianus poſtquam ſe ſpe deceptum, & à ſocero præoccupatum vidit, ad diripiendas opes, & maximi pretii res Boſcaianas animum adjecit, & confeſtim currus numero ex pluribus circiter XVI. quibus illæ vehebantur, ex itinere retraxit, flexiſque habenis rediens, domum perduxit: in quibus præter equos rhedarios eximiæ pulchritudinis, & alios, qui ad manum ducebantur, præſtantiſſimos, coronæ illæ duæ, & multa aurea argenteaque ſupellex, gladiique auro & gemmis elaborati, & quod majus, ſignatæ aureæ monetæ vis ingens collocara erat. Eundem in modum Paulus Niarius, & Georgius Secius, atque alii eam nacti occaſionem, quantum ex illis diripere potuerunt, ad ſuos uſus tranſtulerunt; adeo ut Joannes Rimaius, Simon Pecius, & Paulus cognomento Literatus curando funeri delecti, & qui eis præerat Petrus Mladoſſevicius, cum paucis, nec ſine defectu neceſſarii apparatûs Albam pervenirent: ubi ille in æde Divo Michaeli Archangelo ſacra, prope ſororis monumentum, quæ Chriſtophori Bathorii conjunx fuerat, tumulatus eſt. Ferunt eum dominationis & potentiæ dulcedine illectum, pravis cogitationibus cauſas quæſiturum fuiſſe, quibus incœpta abrumperentur, & quæ parta per injuriam habebat, retineret; ſimulque plura ad flagitia accingeretur, nulla patriæ & Reip. cura, niſi eum vita, quam longiorem ſperabar, deſtituiſſet.

Homonnianus & alii opes Boſcaianas malè partas diripiunt.

Sublam Boſcaio quum allatum eſſet Cæſari Ungaros, ſuperioris Pannoniæ incolas, qui illum ſequuti erant, communibus ſuffragiis ſe ad

eam

1606. eam pacificationem quæ Viennæ facta erat, accommodaturos, Georgium Turzonem & Sigiſmundum Forgacium eò ſummâ cum poteſtate ire juſſit, qui ſecundùm pacta Caſſoviam cæteraſque urbes & arces, ac Nobilitatem in priſtinæ obedientiæ jura recipere maturarent.

Superioris Hungariæ civitates ad Cæſaris fidem obſequiumque redeunt.

Qui quum Caſſoviam perveniſſent, Franciſcus Magocius, qui poſt Boſcaii obitum urbi præerat, eis portas ſtatim aperuit, ipſeque Regecium ſe recepit. Cæteræ civitates ſimilem in modum imperata fecère: & Joannes Deleſfius Tocaium abſque cunctatione teſtituit. Cæterùm Huſtum, quod Valentino Hamonniano datum erat eo pacto, ut Georgii Palociani filiam, ſorore Boſcaii genitam duceret, eodem in ſtatu ad arbitrium Cæſaris relictum eſt. Sed Nicolaus Boſcaius Sacmario excedere recuſavit; & Homonnianus quoque nondum rebus novandis, & adeundæ Tranſilvaniæ conſiliis, Haidonumque conſortio abſtinere dicebatur. Quibus de cauſis Turzoni & Forgacio, adhibitis in conſilium procerum & amicorum præcipuis, conſultum viſum fuit comitia indicere, & Nobilitatem earum partium Caſſoviam convocare, ut de iis, quæ ad conſervandam Reipub. tranquillitatem pertinerent, publico conſenſu ſtatueretur.

Comitia Caſſoviæ indicta, quibus Haidonũ effuſa licentia coercetur

Quum frequens Nobilitas conveniſſet, cum multa alia ad Reip. ſalutem decreta ſunt, tum verò conventicula tam publica quàm privata prohibita, ac Haidonum inſolentia ſic coercita, ut aut ad ſtipendia militaria tranſire, aut ſtivæ & aratru manus admovere juberentur; ſi verò, quod hactenus effrenatè licenterque fecerant, ad rapinas exercendas animum adjicerent, laqueo & furcâ extremiſque ejuſcemodi ſuppliciis afficerentur.

Legati ad Nicolaum Boſcaium, & Valentinum Homonnianum ex Comitiis mittuntur.

Ad Nicolaum Boſcaium mitti nuntios è Comitio placuit, eumque ſeriò admoneri, ut Sacmarium reddat; quod ni fecerit, ſciret ſe crimine læſæ majeſtatis teneri: ejus tranſactionis vi & lege, quæ nuper Viennæ eſt inita. Haud diſſimilem in modum alios ex potiori ordine equeſtri mittendos ad Homonnianum, eique nomine publico ſignificandum, meminiſſe eum debere promiſſorum, quibus præſtito ſacramento ſe obſtrinxiſſet, nihil contra Remp. & patriæ leges facturum, quibus nunc longè contraria eum moliri audiant. Nam præterquam quòd Tranſilvaniam armis invaſurus feratur, etiam legatos Principis Turcarum eum Ungariæ Regem ſalutantes admiſiſſe in colloquium, & ab eis vexillum, acinacem, clavam, paludamentum, diplomata accepiſſe, verè ne an falsò inſimulatur. Quâ rei novitate Turcæ ab eo revertentes paſſim jactantiâ ſingulari gloriati eſſe dicuntur. Quæ quum omnia in perniciem patriæ & excidium tendant, petere eos magnoperè, ut ab ejuſmodi temerariis conſiliis abſtinendum exiſtimet: ſcire enim eom, ejuſmodi perfidos, gentis nomini Chriſtiano infenſiſſimæ homines, nedum legatos, & quietis publicæ turbandæ conſilia adferentes, vel in colloquium congreſſumque admitti legibus cautum eſſe. Cognitum etiam certis indiciis eſſe, ipſum cum Haidonum præfectis & anteſignanis in occultam amicitiam colere, conſilia conferre, eos ad ſe allicere, & ad novas res inceptandas ſtimulare: præterea Nicolao Boſcaio, ne Sacmarium juxta pacta Viennenſia reſtituat, auctorem eſſe. Quæ quum ſingula læſæ majeſtatis crimini obnoxia ſint, poſtquam ea tam antiquis legibus, quàm novâ pacificatione inte dicta ſunt, Haidonumque commercia & ſocietates, ut pernitioſæ itidem ſublatæ: ſe veluti fratres & gentiles ſuos, eum hortari magnoperè, ut ſuperſedere ab ejuſmodi inceptis velit: & potiùs patriæ dulciſſimæ tuendæ curam ſuſcipiat, quàm ejus graviſſima mala augeat & amplificet: poſtremò ſua commoda & fortunas, ac qualeſcunque dignitatis acceſſiones poſteriora Republicâ ducat. Quòd ſi perſiſtere pravo in propoſito pergat, nec ſaluribus monitis obtemperet, tum verò pace & veniâ ejus apertè denunciandum, ſe adverſus eum, ut reum majeſtatis, arma ſumpturos, ejuſque militibus, qui equeſtri ordine ejus ſtipendia mererent, nunc ſub exilii & proſcriptionis pœna jubeant, ut eo relicto ad Remp. communibus viribus defendendam revertantur. Data etiam ſimul eſt poteſtas legatis Cæſaris & præfectis arcium, ubicunque in ejuſmodi Turcas, clandeſtinis legationibus fungentes, aut Haidonum anteſignanos conventicula cientes inciderint, ſeverè è medio tollendi.

Boſcaius & Homonnianus ſe imperata facturos eſſe promittũt

Sed quum nuntii ad eos perveniſſent, & quæ acceperant in mandatis retuliſſent, tam Boſcaius Sacmarium ſe redditurum promiſit, quàm Homonnianus ſe in legatorum Cæſaris poteſtate futurum, & iis, quæ imperata fuerint, obtemperaturum reſpondit.

Pacatis igitur in hunc modum in ſuperiori Pannonia rebus, Turzo ad Cæſarem Pragam venit, Forgacio Caſſoviæ relicto, auctorque fuit, ut iis, quæ Caſſoviæ acta erant, confirmandis Poſonium Comitia indicerentur, quod neceſſarium videretur, ut totâ undique Nobilitate conveniente diſſidiis & pravis quorundam opinionibus ſopitis finis imponeretur. Nec Cæſar alieno fuit animo, Turzonemque pro re benè geſta, & diſcordiis ſublatis arce Tocaio remuneratus eſt, eâ conditione, ut cùm ei LXX. millia Talerorum ſolverentur, arcem reſtitueret.

Comitia Poſonii indicta.

Nec multò pòſt Comitia ad diem Divi Joannis Baptiſtæ Natalem Poſonium indicta ſunt: mox verò intervenientibus nonnullis magni momenti impedimentis ea ad VI. Cal. Quintiles dilata ſunt. Ad quem diem frequentes Ungari ex omnibus partibus convenère, ac diu multumque Mathiæ Principis adventum expectavère. Verùm is propterea, quòd ea quæ publicè proponenda eſſet, nondum à Cæſare accepiſſet, venire ad diem non potuit. Nobilitas verò & legati cùm diutiùs expectare non poſſent, quòd jam multi duos aut ampliùs menſes domo abfuiſſent, diſceſſerunt. Racocius, quem à Tranſilvanis retentum, ac provinciæ principem factum eſſe diximus, ut ratum id Cæſar haberet, & Huſtum reddendum juberet, quòd Homonnianus pactis dotalibus non ſteriſſet, Pancratium Sennieyum ad Cæſarem miſerat; quem hoc tempore Cæſar ita dimiſit, ut per legatos ſuos, quos propediem unà cum ipſo in Tranſilvaniam miſſurus eſſet, mentem ſuam declaraturum polliceretur, interimque eos ipſe Viennæ præſtolaretur. Nec poſtea quicquam memoratu dignum eo quidem anno geſtum eſt; niſi quòd fine anni, ad diem X. Calend. Decembris Baſta, cùm lautè paulò antè cœnâſſet, repentinâ membrorum reſolutione, relictis, quas ingentes congeſſerat, opibus, extinctus eſt.

Baſta apoplexiâ correptus è vita excedit.

Nec dubitatum, quin vir magnæ virtutis militiæque præſtans fuiſſet, niſi avaritiæ & crudelitatis ſordibus contaminatus, nec ultimus hujus adverſus Cæſarem civi-

1606. lis ac inteſtini belli concitator fuiſſe crederetur; ideoque nominis Ungarici odio, vaſtatâ Pannoniâ omni, & amiſsâ Tranſilvaniâ ingratam ſui memoriam poſteris reliquiſſet. Genus ei ex Epiro fuit, ejuſque gentis linguæ adhuc gnarus eſſe dicebatur: ſed cujus majores mutatis ſedibus olim in Italiam conceſſiſſent.

Cæſar in confirmandis pacis cũ Turcis initæ conditionibus lentior eſt.

At Cæſar quum de induciis cum Turca pactis certior eſſet redditus; ſecus quàm putabatur, in eis confirmandis durior & perplexior eſt inventus: nam tametſi æquis & honeſtis conditionibus initæ eſſe omnium judicio viderentur, & vincula illa mittendorum quotannis munerum, & legati continuè Byzantii tenendi onera ſoluta ſublataque eſſent, & XX. anni non modicum mortalis ævi ſpatium paci ſervandæ deſtinati; ipſe tamen (cauſæ in incerto fuêre) tam Chriſtophorum Taffalum, quem legati; qui paci ſanciendæ affuerant, ad ſuſcipiendam Byzantium legationem induxerant, Pragam vocatum apud ſe detinuit; quàm omnem eam pacis ac fœderis Turcici tractationem ac confirmationem in longiſſimum protraxit; ſic ut jam ab eorum fine per legatos Comaronii impoſito plus anni temporis ſpatio effluxerit, nec quicquam tamen vel in mittendis legatis, vel in expediendis muneribus, quæ parata erant, effectum ſit. Quâ quidem temporis morâ & tarditate eveniebat, ut incertæ etiam induciæ redderentur, conquerentibus Turcis, ac fidem legatorum requirentibus, & re omni in ambiguo relictâ. Ergo in hunc modum omnia per longam expectationem inter ſpem metumque variè & ambiguè agitari videbantur. 1606.

CUM Auctor huic operi ſupremam manum apponere vellet, ideoque ad ſpectandum Coronationem Matthiæ Regis Poſonium profectus eſſet, ibique cum Benedicto Turocio, neceſſario ſuo ad ripam Danubii equitaret, ſubitâ apoplexiâ tactus eſt, quam paralyſis dextræ partis ſequuta eſt, ub quam uſum ſcribendi amiſit. Quapropter ſequentium librorum Epitomen confecit, ut & ipſe eâ corporis debilitate oppreſſus officium utcunque perageret, & legentibus rerum geſtarum ſeries continuato ordine proponeretur.

EPITOME LIBRI XXXV.

STEPHANUS Illieshazius tempore primæ legationis, à pluribus amicis ſuis, quos largitione ad ſuas partes traduxerat, certas nec leves ſimultates inter Cæſarem & Principem Matthiam in occulto intercedere intellexit: Nam Cæſar ad bina Comitia Romani Imperii non ipſum Matthiam, quamquam fratrem germanum, ſed Ferdinandum patruelem Græcii in Stiria imperantem loco ſuî delegaverat: eratque rumor in vulgus editus, eum habere in arcano ſtatutum, ut eundem patruelem propediem Romanorum Regem conſtituat, neglecto fratre: quandoquidem illum jam liberos mares è conjuge Maria Bavara ſuſcepiſſe conſtaret: quum Matthias necdum ductâ uxore, jam ferè quinquagenarius vergente ætate, dubium foret an hæredes relicturus eſſet. Eandem quoque eſſe Cæſaris mentem de regno Ungariæ, ut patruelis in eo adminiſtrando & regendo ſibi poſt obitum ſuccedat. Quæ quum ei pro certo perſuaſa eſſent, non ignarus iræ & indignationis Cæſaris in ſe conceptæ, & de gratia deſperans, ſtatuit ea conſilia Cæſaris primo quoque tempore prævertere. Itaque adito Principe, ſe regnum Ungariæ ad ipſum ante alios translaturum pollicitus eſt. In quem uſum à Principe Paulum Sixtum Trautſonium, Carolum Lichtenſtainium, & Seifridum Prainerium viros graves, & multo rerum uſu excellentes poſtulavit, ut cum iis de modo & ordine totius rei ad effectum deducendæ conſilia iniret. Cum iis per aliquot dies, remotis aliis arbitris, ſecretos ſermones habuit, qui etiam omnem operam in attollendo Principe & promovendis ejus partibus obtulêre. Namque eâ tempeſtate Cæſar ſuis innixus conſiliis, abdicatâ Reip. curâ, intra privatos parietes deliteſcebat, neque toto belli Turcici, quamquam ancipitis, tempore in publicum prodire volebat. Nec mora, præſcribente Illieshazio, Princeps milites conſcribit, ac Calendis Januariis aſperrimâ hieme Poſonium proficiſcitur, & ab Ungaris, quos eò convocaverat, oſtenſis Auſtriacorum diplomatis, quibus contra quemvis hoſtem ſe ei fideles & dicto audientes futuros jurejurando aſſerebant, ut ipſi quoque haud diſſimiliter agere vellent, magnoperè flagitavit. Multi ex Ungaris, quin id facerent, tergiverſabantur, quòd in eo ſcripto ab Auſtriacis concepto ne Cæſar quidem exciperetur: poſtremò tamen annitente modis omnibus Georgio Turzone, cui res & conſilia omnia erant patefacta, omnes conſensêre, præter Franciſcum Forgacium, paulò antè Epiſcopum Nitrienſem; qui ut Cæſarem repudiaret, aut diverſas ab eo partes ſequeretur, nullo nec minarum, nec acerbæ mortis periculo terreri potuit: dicens ſe ei nolle ingratum eſſe, qui ex Epiſcopo Nitrienſi ſe Archiepiſcopum primæ ſedis Strigonienſis creâſſet: & inſuper commendatione ejus ſeriò interveniente, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eſſet declaraturus. Deinde pileum à Cubiculario ſummi Pontificis ſolitis ceremoniis in templo Divi Martini accepit; abſente Principe, nec eum ſolemnem actum aſpicere volente.

EPITOME LIBRI XXXVI.

HASCE machinatiooes ad Cæſarem Pragam detulit Adolphus Althanius ex comitatu Principis, mutatis ad celeritatem jumentis clam ſe ſubducens, atque hæc contra eum à fratre peragi, ut in ordinem redigatur, oiſi ſe maturè defendat, nuntiavit. Ex illo Cæſar commodum tempus habuit, ſi quid voluiſſet, contra peragendi, & tribuni militares, ut Althanius & Tillius, atque alii pleriqne operam ſuam atque promptitudinem pollicebantur. Sed ipſe leotis conſiliis hæſit in ambiguo. Itum deindè in Moraviam eſt ad Znaimam, haud procul Diâ flumine ſitam civitatem, io qua diebus aliquot mora facta. Et quum provinciales ſeſe obſequio Principis permiſiſſent, & mandata ejus exequi polliciti eſſent, indè profectio in Bohemiam inſtituta eſt. Ubi in Broda Bohemica, deindè Chaslove, poſteà Colinii moratus, legatis ultrò citròque cnmmeantibus, quorum princeps erat Franciſcus Dieterichſtanius Epiſcopus Olomucenſis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, atqoe iis operam ſuam egregiè navantibus, tandem juxta Principis voluntatem & poſtulata, tes omnis compoſita eſt. Neque multò pòſt Cæſar vigeſimâ ſeptimâ die Junii, qui 1608.
eſt celebris memoriæ Divi Ladislai Regis Uogariæ, Coronam Ungaricam Sceptrumque, ac Pomum aureâ Cruee inſignitum, Palliumque cum Enſe Divi Stephani Regis Ungariæ, per Cardinalem Dieterichſtanium & reliquos legatos reſtituit; ſimul & ſucceſſionem in regoo Bohemiæ, & provinciarum eò pertinentium de manu tradidit: ipſo Illieshazio tuoc in ſuperiore Ungariâ Caſſoviæ partes Principis agente. Prætereà Magnates & Proceres Uogaros, cujuſcunque dignitatis ſint, à priſtina obedientia & obligatione, quâ Cæſari devincti erant, datis ſuper ea re literis abſolvit, & liberatos ab juramento ſuo, in fidem Principis Mathiæ, veluti futuri Regis Ungariæ, obſtrinxit, ſic ut præter ſpem & expectationem ſuam quaſi invitus & reluctans id præſtitit, quod ſuâ ſponte facere debuerat.

EPITOME LIBRI XXXVII.

POTITUS per huoc modum Princeps pronâ & ſceptro Ungariæ, & Stephano Illieshazio in ſuperiore Ungaria, cunctâ ex animi ſententia proficiente, jamque reverſo, comitia in autumnum ejuſdem anoi Poſonium iodixit, ut inauguratio Coronationis in iis perficeretur. Quo adveniente Princeps in oppido Auſtriaco Hamburgo per nonnullos dies ſubſtitit, donec copiæ militares, quæ ſolenni Coronationis pompæ intereſſe debebant, adventarent. His advenientibus, quæ erant ad oumerum ferè duorum millium egregiè & militariter inſtructæ: mittitur Nicolaus Iſthuanffius, & Stephanus Palffius, qui Principem Poſonium accerſant. Quo quum veniſſet poſt diverſas diſputationes, in feſto Divæ Eliſabethæ viduæ Reginæ Ungariæ Corona ejus capiti per novum Cardinalem Franciſcum Forgathium ſolitis ceremoniis imponitur: ipſeque 1608.
extra portam S. Michaelis, loco ad id præparato, prælegente ipſo Cardinale, juramentum ſolenne ad ſervanda jura & libertates regni præſtitit. Nec defuêre tormentorum ſtrepitus & clangor tubarum, & alia hiſce ſolemnibus ritibus admiſceri ſolita. Altero pòſt die Palatinum, quod eſt officium ſeu Magiſtratus poſt regium culmen & dignitatem ſecundum, Stephano Illieshazio, quòd is præ cæteris omoibus toto lo hoc negotio plurimum operæ poſuerat, Rex contulit, & ipſe quoque ſacramentum ſimile ad ſervanda jura & libertates Regni depoſuit. Quæ quidem dignitas ab obitu Thomæ Nadaſdii uſque ad hoc tempus, quadraginta ſex annos vacaverat.

EPITOME LIBRI XXXVIII.

DUM Novus Palatinus, quæ ad officium ſuum pertinebant, ſedulò & accuratè exequitur, & Turcis induciarum paribus votis prorogatarum leges int.rpretatur, qui ooo ſatis earum conditiones intelligebant, aut intelligere diſſimulabant, & totus in eo incumbit, ut eos in rectum earum ſenſum adducat, ſtomachi vitio laborare cepit, quod illi imbecillum adeò & debile redditum erat, ut nihil alimenti poſſet concoquere. Quo morbo afflictus cùm Viennam ad medicos fuiſſet profectus, nihil iis eum juvare valentibus anno ætatis climacterico mortuus eſt: nullâque funeris pompâ, quòd Lutheranæ religionis fuiſſet, elatus, io oppido Bozinio, in Sacello, quod ipſe ædificaverat, tumulatus eſt. Comitiis Poſonii iterum convocatis, poſt multiplices & varias ea de re ortas diſputatiooes, tandem Georgius Turzo vir præſtantiſſimus, niſi Lutheranæ religioni faveret, in ejus locum à Nobilitate electus eſt, atque à Rege confirmatus. Cæterùm Rex in Bohemia anno inſequenti coronatus eſt XIII. die Maii, & de ſumma pecuniæ, quam Rudolpho Cæſari quotannis dare ex pacto debebat, concordiam ioivit, atque intereà Rudolpho Cæſare vitâ functo, qui Pragæ hydrope mortuus eſſe fertur (qoem ſequutus eſt paulò pòſt Sigiſmundus Bathorius ſubita apoplexiâ tactus) in Imperio Romano ſucceſſit, & Francofurti ad Mænum ritè fuit corooatus: ita ut rarâ felicitate in una eademque familia inclytæ domûs Auſtriacæ ouſquam intermiſſâ ſerie ipſe Octavus Imperator deſignaretur. Et quum adhuc liberalitatis & clementiæ uomine laudatiſſimus Princeps in vivis ſit, Deus Optimus Maximus eum vitâ longiore ſoſpitet, felicemque & fortunatum contra veros hoſtes efficiat.

LIBER XXXIX.

RERUM HUNGARICARUM.

Uſque ad Annum 1718. Pacis Paſſarowitienſis

CONTINUATIO.

Hiſtoria hæc Ungarica Nicolai Iſtuanfii, continuatore digniſſima, ſimilem illi haud inveniet, qui plenam adeò rerum actarum veritatem & copiam ſuppeditabit; quia & ipſe miles in campis Pannonicis, & in conſiliis aſſeſſor, & inter regni Ordines reipub. rerumque bellicarum fuit director. Hoc cùm utrobique mihi ſit impoſſibile, res hactenus ſub Ferdinandis II. III. & IV. geſtas quaſi per epitome referam (vicennali utpote pace inter Occidentis Orientiſque Imperatores aliquoties repetita, pauca occurrerunt memorabilia) ut ad Leopoldi Magni Imperatoris ac Regis Hungariæ, patriæ, univerſique Regni Aſſertoris res geſtas perveniam.

Mathias fit Rex Ungariæ, & Illieshaſius Palatinus.

STephanus itaque Illieshaſius à Mathia Ungariæ Rege, 14. Novembris 1608. Poſonii coronato, electus & confirmatus fuit Ungariæ Palatinus, qui vitio ſtomachi laborans, Viennæ pridie nonas Maji 1610. anno ætatis climacterico mortuus, ſucceſſorem in comitiis à nobilitate electum habuit Georgium Turzonem, à Mathia confirmatum, virum præſtantiſſimum, niſi Lutheranæ faviſſet religioni; quam, ſicut & Reformatam initio ſui regiminis Rex extincturus, in ſequentis anni Januario contra Reformatæ religionis Auſtriacos aliquot equitum millia emiſit, qui, quòd velitatione factâ inferiores tulerant, Bohemis, Sileſiis, Moraviſque in fœdifragas religiones conſpirantibus, conatus in feliciora tempora eſt dilatus, & datæ ſunt induciæ, quò exurgentes undique belli ſeditionumque motus faciliùs ſupprimerentur: nam cùm veris initio Walachiæ princeps Hieronymus eſſet mortuus, & Rodulphus Cæſar, Mathiaſque Rex filium ejus minorennem tredecim annorum ſucceſſorem admiſiſſent, renitentes Walachi, illum repudiarunt: at vidua Minorennis mater, haud ſegnis mulier, collecto raptim decem millium exercitu, & cæſis quinque Walachorum ac Turcarum millibus (horum illi opem implorarant) feliciter vincit, & filio principatum conſervat, confirmatque.

Illieshaſio mortuo ſuccedit Turzo.

Walachiæ duci mortuo ſuccedit filius minorennis.

His vicini, eorúmque motibus infecti Tranſylvani in varias claudicabant diſcordias, quas viribus, ſenióque confectus declinans eorum princeps Sigiſmundus Ragotzius, ducatu cedit & provinciâ, Satentumque ſe confert, quietæ tranquillitati impoſterum victurus. Gabriel igitur Bathorius eam ſibi vendicat, qui neglecto Hungariæ Rege, ejuſdemque ſuper Tranſylvaniam dominio, Turcico Imperatori, tanquam feudi domino, ùt volebat, ſe ſubmittit; id quod Mathiæ legati Conſtantinopoli Viennam Regi denuntiarunt, ubi etiam ob pacis cum Turca confirmationem in longum tempus à Rodulpho protractam, atque hinc omnia per diuturnam expectationem inter ſpem & metum variè & ambiguè agitarentur, Andreas Draco Filleceum, ſuperioris Ungariæ propugnaculum Baſſæ Agrienſi, acceptis 20. millibus Joachimicis prodere, nocte incensâ propriâ ſuâ domo, tanquam ſigno proditionis edito, conſtituerat; at re maturè cognitâ Draco captus, convictus, & in quatuor partes diſſectus, proditionis pœnam meritiſſimè eſt conſecutus.

Ragotzio Tranſilvaniam deſerente

Succedit Bathorius eam Turcæ ſubmittens.

1610. And. Draco Filleceum proditurus capitur.

Mitiori paulò ſequenti anno 1610. illi ſunt pœnâ affecti, qui in Gabrielis Bathorii Tranſylvaniæ principis necem conſpiraverant; conſpiratio hæc detecta principem quidem vitæ extraxit periculo; plurimis tamen fuit vitæ exterminatio, quorum nonnulli primarii trucidati, alii proſcripti, & exilio fuêre mulctati. Turbidis hiſce aquis latè exundantibus, Radulenſis præfectus Walachiam cæſis plurimis Haiduccis, quas Bathorius præſidio impoſuerat, occupat, & in Tranſylvaniam movens, Bathorii copias prope Cronſtadium fundit, illúdque intercipit. Quâ opportunâ occaſione Forgatſchius exercitu ex Haiduccis plurimum contracto, eandem ſubit Tranſylvaniam, & Claudiopolim, aliáque nonnulla oppida & arces ad Mathiæ Regis obedientiam reducit; ſed Bathorius refectis ſubitò viribus Forgatſchium viciſſim cædit, rejicitque, qui ſalutem in ſilvis quærens, gravibus ibidem affectus calamitatibus, ſuorúmque internecione in Poloniam ægerrimè evaſit: inde paulò pôſt Viennam cum ceteris regni dynaſtis tum ad ſplendidas Mathiæ Regis cum Anna Archiduciſſa Auſtriæ ex Tyrolenſi familia nuptias, tum Poſonium ad ejuſdem Reginæ coronationem convolavit.

1610. Conſpiratio in Bathorium detecta & punita.

Forgatſchius captâ Tranſylvaniâ cadit Bathorium, & caditur.

Mathiæ deſponſatio & coronatio.

Anno inſequenti, qui eſt duodecimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, die decimâ Januarii, moritur Rodulphus Imperator, cùm vixiſſet annos 59. & regnaſſet 35. in cujus locum Francofurti Electorum Imperii Rom. votis ſucceſſit Mathias Rex Hungariæ, & Bohemiæ, frater Rodulphi, decimâ quartâ Junii ejuſdem anni, feriâ primâ coronatus, qui Cæſareæ Sedis aulam Pragâ Viennam traducit. Interea Bathorius demptum ſibi Cronſtadium recuperaturus, deficientibus ſibi viribus ſuppetias à Sultano

1612. Fit Imperator mortuo Rodulpho.

Tur-

1612. Geitzius ope Sultani ſtudet Tranſylvaniâ ejicere Bathoriū

Turcico Achomete occultè ſibi adjungendas petit per legatum Andream Geitzium, qui fidelitatis erga Principem ſuum immemor, ſuæ autem nimiùm cupidus exaltationis, ſi Tranſylvaniæ principatum dolo ab Achomete poſſet obtinere, eidem hunc io finem propugnacula quædam & fortalitia ad Varadinum, Lippam, & Geneam offert extradeoda. Placuit Sultano conſilium, & Machometi Baſſæ Budenſi illud dat negotii, ut Bathorium Principatu ejiciat, & introducat Geitzium. Res tamen hæc tum ob literarum hinc inde Bizantium miſſarum moram, tum quòd Bathorius inſinuato ſibi dolo tempeſtivè Palatinum, Ungaróſque in ſubſidium vocaverit, in nihilum recidit, majorique impoſterum intentus ſecuritati Bathorius, Mathiæ Regis tutelam ambiit & obtinuit. Id quod moleſtiſſimè tulit Sultanus Achomet, ideoque Naſuffenſis Baſſa acriter cum Negronio Mathiæ ad Portam tunc Legato verbis concertavit, & minaciter increpavit: Negronius autem generoſe refutans, cùm nihil novi, nec Turcis inſolim eo actum repoſuiſſet, Sultanus ad Regem hac de injuria expoſtulando Legatum mittens, jubet Mathiam Tranſylvaniâ impoſterum abſtinere, & pagorum quorundam ad Strigonienſem Comitatum pertinentium imperat extraditionem, ac ceſſionem, hiſque ſub prætextibus ad arma provocat: Sed Bathorius hujus rei certior factus, ejuſdemque Cæſarem admonens, præterquam quòd ipſe in Tranſylvania in defenſionem repulſamque hoſtium omnia pararet, Mathias etiam Rex non ſuſtinere, ſed inferre vim molitetur, pacem tandem & concordiam Turcis cum Chriſtianis ineundam ſuaſit haud contemnenda Arabum in Sultanum tumultuoſa ſeditio; quâ tamen utcunque compoſitâ dum initam cum Chriſtianis pacem non multò pòſt nequiter Turcæ violantes, crudeliter Ungariam incendiis, rapinis, & incolarum captivitate devaſtarent, reſuſcitata eſt Arabum quoque ſeditio, qui Adenum Turcis ademerunt, unde Luſitanis ob navigationis ſecuritatem plurimum commodi acceſſit.

Quod Bathorius ope Mathiæ avertit.

Quo Sultanus offenſus bellum, poſt ob Arabum ſeditionē mediatur pacē.

Bathorius à ſuis interfectus, à Mathia ſubſtitutus Bethlenius.

Bathorius autem horum maximè malorum auctor, & in patriam ſuam crudelis, & in Cæſarem Sultanumque perfidus, & omnibus univerſim odioſus, Gabrielem Bethlenium, quem ipſe ob conſpiratam in ſe antehac necem exilio mulctaverat, apud Sultanum accuſatorem habuit & ſui interfectorem: nam præterquam quòd Bethlenius traditis ſibi Turcarum copiis militaribus Bathorii exercitum profligarit, ipſe tandem abſuismet Tranſylvanis Waradini crudeliter interficitur; ſicque Bethlenius auguſto menſe (1613.) auguſtus Tranſylvaniæ princeps renuntiatur, & à Mathia Rege, pacem eidem fidelitatémque appromittens confirmatur. Hic rumor vix ad Achometis Sultani aures pervenerat, & ecce bellorum fulmina, cædes & devaſtationes minatur Bethlenio, quòd ſe præterito, cujus ope & militari ſubſidio ducatum obtinuerat, ejuſdem inveſtituram à Mathia Rege petierit admiſeritque. Haſce minas avertendo Bethlenius Sultano Lippam, Aratum, Geneam, aliaque Tranſylvaniæ fortalitia extradenda promittit; ſed illud eorum locorum præfecti & præſidiarii ſubodorantes, & à Bethlenio deficientes, rem ad Forgatſchium, Turzonem Palatinum, Ordiοeſque Ungaricos deferunt, & pertinaciter renituntur. Productis igitur ex Waradino tormentis, & militari Sardaris Baſſæ ſubſidio adjutus Bethlenius, Lippam, Geneam & Aratum intercipit, & novis communiri cepit præſidiis; cumque & Waradinum Turcis vellet extradere, magnum propterea illum inter & Humanajum interceſſit diſſidium & impedimentum, Turcæque iteratas io ſexaginta pagos Strigonienſi Comitatui annexos tum temporis excurſiones exercentes ab Haiduccis inſigniter fuerunt profligati.

Sultano deſuper offenſo tradit ei Lippam, &c.

1616. Turcæ, Ungariā vaſtantes profligantur.

Dum hæc geruntur, ſpleodida & numeroſa Turcarum legatio cum pretioſis donariis Conſtantinopoli Viennam ad Mathiam Regem & Cæſarem venit, inducias ſub Rodulpho initas viginti annorū pace inſtauratura, quæ etiam hoc anno (1616.) confirmata, & typis fuit evulgata. Hanc anno inſequenti excepit regnorum Hungariæ & Bohemiæ translatio in Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, Cæſaris patruelem: nam Mathias prole, viribuſque deficientibus, ut regnorum ſaluti, diſcordiarum remedio, Domûſque Auſtriacæ ſucceſſioni maturè proſpiceret, comitia primùm Bohemica in menſem majum Pragæ indixit, ubi ipſe Cæſar cum Maximiliano & Carolo Archiducibus præſens, procerum Senatui Ferdinandum comptâ oratione ita commendavit, ut in Regem admiſſus, non ante Mathiæ exceſſum regni adminiſtrationem capeſſeret, interim regio ſolùm titulo contentus; ſicque 26. Junii ſolemni pompâ fuit coronatus. Inde Cæſar eiſdem comitibus per Saxoniam Dreſdæ Electorem ſalutans, & ſplendidiſſime per dies aliquot detentus, Viennam denique ſe contulit, ut comitiis Hungaricis 19. Maji 1618. Poſonium indictis eſſet vicinior. Ferdinandus autem Bohemiæ Rex eodem die cum Maximiliano Archiduce, & Cardinale Cleſelio Poſonii comparens, ſplendidè exceptus, eleganti ſuâ oratione, ac gravi etiam Cæſaris ſcripto regni procetibus cùm eſſet propoſitus & commendatus, quòd regio S. Stephani ſanguine prognatus, Cæſareo ſtemmate illuſtriſſimus, vicinis potens provinciis, ſapientiâ, morum gravitate, virtute, & regnandi arte experiſſimus. Ad quæ Sigiſmundus Forgatſchius tunc Palatinus unanimis dynaſtarum votis Ferdinandum Hungariæ Regem electum de more proclamavit, & S. Stephani Regis coronâ ſolemniter coronavit. Eo verò Septembris die coronationis licuit Edenburgi teroos ſpectare ſoles: Poſonii cœlum manè ſerenum, poſt prandium obductum nubibus fulgur emicuit, arciſque, in qua corona aſſervatur, turrim ſuccendit; quod incendium tamen ſubſecutus mox imber reſtinxit, illudque infauſti tunc ominis loco habebatur. Quibus peractis Rex Poſonio ſe contulit Viennam, ubi cœleſtis, ſed feralis omninò omnem conterrens Europam apparebat nuntius Cometes, ortus ante ſolis ortum menſe Novembri apud Scorpionem, in Zodiaco Martem inter & Mercurium, bellicoſum, ut notum eſt, planetas, paulatim tropicum canceri egreſſus, atque in Septentrionem vergens, minaci caudâ tanquam flagello armatus poſt 30. dies evanuit, totidem ferè annorum fœdiſſimis præcipuè bellis ardentium prænuntius.

Tranſlatio Ungariæ & Bohemiæ in Ferdinandum II.

Qui coronatur Pragæ.

Et Poſonii

Cælo fulgurante.

Et Cometâ Viennæ terribiliter comminante.

Prædixit forte etiam mortem Annæ Imperatricis, Mathiæ conjugis, Reginæ Ungariæ & Bohemiæ 14. Novembris ſatis luctuoſam. Conjugem ſuam haud multò poſt vigeſimâ Martii 1619. ſecutus eſt Imperator ipſe Mathias, anno ætatis 60. Imperii Rom. 6. Ungarici undecimo, & regna omnia Ferdinando II. patrueli,

Mors Annæ Imp.

Et Mathiæ Cæſ.

magnis

1619.

Ungari, Bohemi & Sileſii &c. à Ferdinando Cæſ. deficiunt. Bohemorum rebellio.

magnis diſcordiarum religionúmque motibus turbata reliquit: nam præterquam quòd Proteſtantes Ungarici in convocato privatim conventu jura Religionis ſuæ & libertatis ære & ſanguine defendenda 6. Maji concluſiſſent, in eúmque finem arma pararent; Bohemi etiam intellectâ Cæſaris morte, etſi à Ferdinando Rege ſuo privilegiorum ſtatim confirmatio eiſdem mitteretur, multò audacius bellum hucuſque à Regiorum miniſtrorum è Pragenſi Curia præcipitatione continuatum promovebant, propoſitis Regi talibus ad pacem conditionibus, quas vel ipſimet admiſſum iri deſperabant; ſimul quòd largius pollicebantur auxilium Sileſii, Moravi, Hungaríque, qui ejectis Patribus Societatis Jeſu eodem planè Bohemorum exemplo ſuam auſpicabantur defectionem. Adhæc Domus Auſtriaca continuis exhauſta funeribus contra tot rebellantium Regnorum motus parùm valitura videbatur, longinquo præſertim Philippi Regis Hiſpaniæ ſubſidio, illóque nec admodùm firmo, cùm novis ipſe quotidie bellis implicaretur.

Fridericus Palatinus & Turrianus rebellium duces Moraviam, Auſtriã & Viennam invadunt.

At vero ſpem maximam novis rebus vacans Romanum offerebat Imperium, cujus vicariam adminiſtrationem Saxo & Palatinus Fridericus Electores de more inierant: hic quidem novis Bohemorum conſiliis clam immixtus, & Unionis, ùt vocabant evangelicæ Dux, armis & exexercitu prævalebant. His rebus & Sileſiorum auxilio confirmatus Henricus Matthæus comes Turrianus rebellium Bohemorum princeps invadit Moraviam, occupatíſque urbibus non paucis Auſtriam inferiorem irrumpit, & captâ Libaviâ ad Viennæ ſuburbia ducit exercitum. Inerat Rex ipſe Ferdinandus, & Auſtriaci proceres utriuſque religionis inter ſe factionibus diſſidebant, nec pauci civium cum Turriano conſpirabant. Nunquam Auſtriacis res fuit anguſtior, non ideo tamen deſpondit animum Ferdinandus: memorant enim Regem eo tempore à Camerario deprehenſum, cum in conclavi ſuo ante Chriſti in cruce pendentis effigie humi pronus dejectúſque jaceret, mox advenienti Bartholomæo Villerio, ſuo è Societate Jeſu confeſſario adfirmaſſe, opem brevi affore divinam. Nec ſua religioſum Principem ſpes fefellit:

Ferdinandus precibus hoſtes avertit.

nam Turrianus auditâ non multò poſt Erneſti Mansfeldii ad Pilſam clade, quâ illum Buquojus ad internecionem deleverat, omiſſo obſidendæ Viennæ conſilio ad tuendam Bohemiam à Directoribus revocatur, & Fiſcheri dies aliquot ſuſtinens, ducem Tieffenbachium ad rebelles Ungariæ Ordines fœderis percutiendi causâ mittit Poſonium; quo feliciter icto, magnis in Bohemiam paſſibus contendit.

Buquojus Mansfeldium ad Pilsã cædit.

Bethlenius etiam Tranſylvaniæ Princeps cum Proteſtantibus Ungaris arma & militem colligit, evulgato rumore, tanquam hæc omnia adverſus Bohemos pararentur; interim literis 18. Auguſti Cronſtadii datis certas & validas ſuppetias, ſpretâ Domûs Auſtriacæ, Romanique Pontificis auctoritate, & obtentis Turcarum induciis, Bohemiæ Directoribus proximo menſe Septembri adſuturas appromittit.

Bethlenius rebelles Bohemos accedit.

Dum hæc fierent, Ferdinandus Ungariæ & Bohemiæ Rex à Joanne Schwicardo Archiepiſcopo Moguntino, & Electoralis collegii Decano cum ceteris Septemviris ad novi Imperatoris electionem Francofurtum de more convocatur, & jam ille (en rerum humanarum viciſſitudines plurimùm admirabiles!) caput Imperii Romani parabatur, quem perfidè rejiciebant Bohemi; quo ipſe omnium ultimus perveniens, Joannem Schwichardum Moguntinum, Lotharium Trevirenſem, & Ferdinandum Colonienſem Archiepiſcopos Electores invenit, reliqui tres ſeculares Electores miſêre legatos; Saxo Wolſgangum Comitem Mansfeldium, Palatinus Joannem Albertum Comitem Solmenſem, Brandenburgicus Adamum Ganſium Baronem de Purlitz; qui paucos ibidem dies morati, dum plenioribus Legati mandatis inſtruerentur, octavâ tandem & vigeſimâ Auguſti, inter diſpoſitos armatorum civium centurias in Curiam procedentes, Ferdinandum Ungariæ Regem (Bohemis fruſtra obnitentibus, ne ejus, tanquam Regis Bohemiæ, atque adeo Electoris eo in conventu ratio haberetur) conſenſu omnium, in Cæſarem eſt electus, ac die inſequentis menſis nono ab Electore Moguntino ſub auguſtiſſimo miſſæ ſacrificio imperialibus Inſignibus de more eſt ornatus, anno decimo nono ſupra milleſimum ſexcenteſimum, dum Pragæ à Bohemorum Ordinibus regali ſolio perfidè 29. Auguſti eſſet dejectus, & ſuffragiorum multitudine in Bohemorum Regem electus Fridericus Elector Palatinus, multis licet, ſolidiſque aliorum principum literis dehortatus; ſua tamen & Confœderatorum nixus potentia paulo poſt 4. Novembris die eſt coronatus.

Ferdinandus fit Imperator. Francofurti.

Fridericus Palatinus fit Rex Bohemiæ.

1619.

Proteſtantes interim Ungarorum Ordines iteratis Bohemorum literis ad defectionem & ſubſidium ſollicitati, magno adverſus Catholicos tumultu Patres Societatis Regno expelli, templa ſibi ablata reſtitui, fas ſibi & jus permitti religionis ſuæ miniſtros conſtituendi, alternatimque interim Catholicorum templis, campanis & ſepulturis liberè utendi poſtularunt, conjunctis cum Bethlenio armis & conſiliis; hic miſſa Pragam legatione, Ordinum Ungaricorum diſſenſiones, tumultus, intricatumque Regni ſtatum pluribus exponens, Setſchkium & Redejum validis brevi copiis ad confirmandam Friderici novi Regis ſui electionem præmiſſurum, moxque ſeipſum juſto cum exercitu ſubſecuturum pollicetur.

Ungari Bohemorum exemplo catholicos ejiciunt.

Bethlenius Bohemis ſubſidia promittit.

Qui etiam non diu cunctatus, ſed luſtrato apud Claudiopolim ingenti exercitu cum octodecim tormentis majoribus in Ungariam ſuperiorem magnis itineribus infeſtus irrumpit, receptáque ibidem ad ſe Ungarorum rebellium firma manu, Redejum Ferentium, & Sethſium Georgium tribunos cum octodecim millibus Tibiſcum tranſmittere, & Caſſoviam jubet occupare. Præerat urbi Andreas Doczius per Ungariam ſuperiorem rerum militarium præfectus, nihil hoſtile metuens, & paulò antè literis Principis de pace abundè confirmatus, cùm repentè adſunt Tranſylvani, circumveniunt eluſos, oppidúmque & præfectum tradi poſtulant. Ea re perterriti Caſſovienſes (nam extrema omnia, niſi paruiſſent, minabantur) ſe, atque oppidum hoſti quinta Septembris, facto ei, Hungariæque ſtatibus juramento dedunt. Doczius captus, miſſúſque in Tranſylvaniam moritur.

Caſſoviã occupat.

Hæc ſubitanea irruptio ingenti catholicos terrore, quique Regis partes fovebant, perculit. Fit magna hominum fuga, maximè Eccleſiaſticorum & Religioſorum, quorum bona & monaſteria ſpoliari & occupari, ſacerdotes evirari, & in foro publico capitis ſupplicio affici, quòd ejus ſacrificulis nollent aſſentiri, plurimáque atrocia & pudenda dictu exempla barbaro planè modo edi paſſim audiebantur. Nec deerant, qui Tranſylvanorum

Sacerdotes & Catholici perſequuti, evirati &c.

1619. norum progreſſibus ſtudio religionis, cujus libertatem ſub Bethlenio, Calviniano principe Bohemorum exemplo quærebant.

Betlenius Ungariam occupans ſiſtitur Comorra & Jaurino.

Bethlenius itaque Caſſoviæ rebus omnibus ad nutum compoſitis, & pleriſque civitatibus metallicis ſibi devinctis, loca circumjacentia plurima, Villecam etiam propugnaculum fortiſſimum, Vaccium, Tirnaviam, Novigradum, Nitriam, Poſingam, tandemque Vivarinum occupavit: ita ut Hungaria turbinis inſtar decurſa patentibus ubique portis, ſeu metu, ſeu amore Bethlenio ſubderetur: ad Comorram & Jaurinum hæſit impetus victoris, quæ oppida loco & ſitu valida firmo Auſtriaci præſidio communiverant. Diviſo igitur exercitu partem in Moraviam, ut Bohemis promiſerat, tranſmittit, & cum Turriano conjungit: partem ipſe ad Poſonium obtinendum ducit, ubi Ungarica S. Stephani Regis corona & reliqua regni inſignia aſſervabantur. Inerant Palatinus Ungariæ Palmatius & duo coronæ conſervatores, Stephanus Palfius & Petrus Ravæus, ac præſidii aliquantum; cúmque jam Palatinus proximos Comitatus ſeu Communitates, Poſonienſem, Nitrienſem & Wiſelburgenſem ad communes ſuppetias, armáque capienda eſſet adhortatus, nullus tamen, niſi Archiepiſcopo, ceteríſque primariis Eccleſiaſticis præeuntibus voluit comparere: neque præſidiarii Joannem Caſpar. Stadionem, & Sigfridum Chriſtoph. Preunerum defenſionis conſiliive causâ à Leopoldo Archiduce ſubmiſſos ullatenus, quamvis inſtanter rogati, voluerunt admittere; ſed tres tantummodò veteranorum cohortes Boquojus ſubſidio cum tormentis aliquot ſubmiſerat, quas ubi conſediſſe in ſuburbio, imbribuſque & itinere feſſas Bethlenius intelligeret, nocte intempeſtâ immiſſis Ungaris aggreſſus, penè ad internecionem delet, Rodulpho Tieffenbachio tribuno vix elapſo: ea res deditionem urbis menſe Octobri maturavit.

Poſonium cincturus Cæſareos fundit.

Ferdinandus Francofurto Viennam redit, elapſis inſidiis.

Interea Ferdinandus Rex Cæſareâ coronatione peractâ Francofurti ſolemniter diſcedens, Herbipolim, inde per fines Palatinatûs Auguſtam Vindelicorum, tum Monachium & Græcium, poſtremo Viennam ipſam 25. Novembris incolumis appulit, contra quàm multi ſperaverant, rati ſtructas ipſi inſidias ſine parricidio vix evaſurum. Sed uti ſua illum innocentia & majeſtas protexit, ita reverſum jam atque extra periculum poſitum, præter coronæ Bohemicæ rapinam de turbata Ungaria novus repentè nuntius perculit: nam Bethlenius convocatis Poſonium Ungariæ Ordinibus (quo & Comes Turenſis cum aliis Legatis, & copiarum parte à Bohemis miſſus fuerat) multa de fœderatione cum Bohemis, plurimaque de Regno, & novi Regis electione propoſuit; ſed plures ex Dynaſtis, Illyrici præſertim, & Cis-Danubiani, veteri ſocietatis vinculo conjuncti Auſtriacis, præviſâ patriæ ruinâ, & iniquiſſimâ Regis ſui injuriâ commoti, ſimul & miſſâ Ferdinandi ad Palatinum ceteróſque Ordines gravi cum minis dehortatione deterriti, Regis ſui legitimè à ſe electi partes juráque deſerere neutiquam perſuaderi poterant. Quâ animorum diſſenſione ſuboffenſus Bethlenius, tum quòd ſuo his in comitiis voto, tum quòd Pragæ per Legatum poſtulatis fruſtratus eſſet, itâ demum æſtuans intercepto ſubitò Viſchero, atque arce Eberſtorfiâ ad Viennæ uſque mœnia, quo Cæſar non ita pridem advenerat, exercitum copiis Turenſis Comitis auctum, ſimul & terrorem circumtulit, obvia quævis oppida & pagos, omniáque ferro & igne conſumens, ingentem Urbi, propter colonos illuc magno numero ex vicinis pagis & oppidis confluentes, annonæ caritatem invexit, cùm ſubitò cruenta Ragotſchii clades in ulteriorem illum Ungariam retraxit. Georgius enim Comes Humanajus ex Ungariæ dynaſtis fidus imprimis Auſtriacis, primo Bethlenii in Ungariam adventu cum exigua manu in Poloniam profugerat, ibique collecto exercitu revertitur. Occurrit illi prope Hummenam 25. Novembris die Ragotſchius, quem cum parte copiarum Bethlenius Caſſoviæ præſidio reliquerat; pugnatur utrimque ſtrenuè, pelliturque Humanajus, nec propterea animum deſpondet; ſed redit haud multò pòſt recentibus Rodelii & Comitis Altemſii auxiliis confirmatus; fit iterum acris pugna, quâ in biduum extractâ, cùm neutri loco cederent, tandem Poloni ſimulatâ fugâ, poſtquam Ungaros Tranſylvanóſque omiſſis ordinibus quaſi partâ victoriâ tranſcurrere ad prædas conſpiciunt, illicò regreſſi, incompoſitos atque impeditos adorti facilè fundunt. Cæſi pedites fermè omnes, & 1500. viri nobiles, reliquum equitatum & Ducem ipſum Ragotſchium fuga abſtulit. Ingens inde Caſſoviæ & Erbriſii facta eſt trepidatio, cladéque Bethlenio nuntiatâ trepidavit & ipſe, ac fortunæ ſuóque principatui metuens, omiſſâ Viennâ Redegum Ferentium cum parte militum coercendo Humanajo dimittit, ipſe cum reliquis Poſonium repetens Edenburgum deditione cepit, prædâ haud exigua potitus; captis tamen hinc per Bucquojum, illinc per Tampierum ex ultimo ejus agmine mille ferè & quingentis. Tampierus paulò pòſt Oedenburgum pyrobolari machinâ interceptum obtruncatis præſidiariis Ungaris (quorum 2000. paulò antè metu eò diffugerant) & civibus juramento Cæſari addictis, annonam inde ſubmovens, oppidum eiſdem commendavit & abiit. Poſonii interim in convocato ab Bethlenio procerum conventu actum eſt de arctiori cum Bohemis, annexiſque provinciis confœderatione, quam Bohemi Pragæ, Hungari Poſonii ex antiquiſſima ſua præ Bohemis prærogativa contendentes, confici conſummarique volebant. Quâ motus contentione Cæſar, ut facilius à fœdere ad debitum ſibi revocaret obſequium Ungaros, per legationem acriter à concepto fœdere dehortatus, ſed Bohemi in mora ex prærogativæ contentione periculum rati, ampliſſima legatione fœdus Poſonii urgentes, initio tandem anni ſequentis percutiunt, quod Pragæ poſtmodùm ab Ordinibus ſeptimo Kalendas Maji juramento fuit confirmatum, & Bethlenio centum florenorum millia in armorum ſumptus numerata. Ne tamen omnem Regiæ majeſtatis auctoritatem Ungari ſpernere viderentur, Palatinum Forgatſchium, & triginta alios Ordinis viros Viennam expedientes, uti fictas quaſdam excuſationes, ſeu potius criminationes proponebant; itâ falſæ ſubitò corruebant: infectis igitur rebus redeunt ad Bethlenium, qui icto interim cum Turcis fœdere, cogit regni proceres, ſe, repudiato Ferdinando, Ungariæ principem renuntiari, & altiora Bohemorum exemplo ſtruere conſilia. Ferdinandus autem Rex tot undique circumventus difficultatibus, cùm haud dubiè animadverteret grave ſibi bellum immi-

Cingit Viennã, & circũ omnia depopulatur.

Quem clades Ragotzii ab Humanajo fuſi in Ungariã retraxit.

Bethlenius Edenburgum capit.

Quod Tampierus recipit.

Quem Bethlenius fruſtra throno Ungarico dejecturus.

Bethlenius urget fœdus Ungaro-Bohemicum.

Et ſe in regem Ungariæ eligi.

Ferdinandus pactis cum Bethlenio induciis contra Bohemos ſe præparat.

1620. immineré, rapi Ungariam à Tranſylvano, Boëmiam, Sileſiam, Moraviam à Friderico Palatino, nutare Auſtrios, minari conſœderatos, ne multitudine hoſtium obrueretur, pactis per Meggavium & Preunerum ex parte ſua, ex altera per Valentinum Lepes Epiſcopum Colocenſ. Ungarici regni Cancellarium, & Nadasdom cum Bethlenio ſemeſtribus ad ultimum Septembris diem induciis, vires omnes in bellum Bohemicum confert, edictóque monet Fridericum Palatinum, ut ante calendas junias ſub pœna perduellionis regno Bohemiæ cederet. Idem mandatum dat ad omnes Imperii Ordines, tribunos, militéſque Bohemicæ ſeditionis participes, ne qua in re operâ vel conſilio poſthac Palatinum juvent; ſi qui contra fecerint, perſecuturum ſe eos lege majeſtatis,& pro hoſtibus patriæ habiturum edicit.

Nihilo tamen minus Bethlenius Caſſoviâ miſſo Viennam Stephano Hallero, pactis Bohemos induciis petiit includi, ſimul ex Coſaceos latrociniis aſſuetos Ungariæ Tranſylvaniæque finibus abduci; ſin minus, non poſſe ſociis ſe confœderatiſque ſuis ope & auxilio deeſſe. Cautior Ferdinandus, induciiſque diffidens, quòd novis Ungarorum copiis Bohemorum quotidie caſtra intelligeret augeri, Viennam novis communiri vallis & fortalitiis, pérque Lemoinium Legatum ſuum induciarum admoneri juſſit Bethlenium, ne his ſtantibus hoſtile quicquam ſuas in provincias moliretur; ſed ſi quid ſit gravaminis,in proxima regni differret comitia: quo quidem paratæ in abitum Ungarorum copiæ aliquamdiu remoratæ; ſed quamprimum fœdus cum Bohemis antehac Poſonii pactum in Comitiis Pragenſibus per Turſonem Comitem alióſque Ungariæ Legatos ſolemniſſimo utrimque juramento fuit 23. Aprilis confirmatum,

Bethlenius rejectis inducus ſubſidiũ Bohemus ſubmittit.

quatuor illico Ungarorum millia Bethlenius Boëmorum caſtris miſit ſubſidio, plures ſubſecuturos promittens; haud ſanè pactis, ut antè memoravimus, cum Cæſare induciis ex fide uſus: nam indicto ad 17. Maji Ordinum conventu Neoſolium, & in menſem Julium ob Cæſari addictorum abſentiam protracto, poſtquam eò frequentes Cæſaris indulgentiâ conveniſſent, quidam metu minarum, plerique omnes multo antè novi Principis ſtudio blanditiiſque præparati multa decernunt (centum & 65. capita fuêre) quibus regni Ungarici ſalutem pacémque contineri arbitrabantur. Inter quæ 1620. cùm multa eſſent antiquis regni legibus, & Catholicorum maximè privilegiis contraria, ac facilè appareret, quorſum illæ vergerent mutationes, parva admodùm ratio habita eſt Legatorum Leinigeri primum, poſtmodum Colaltii Comitis, & Baronis Georgii Teufelii, quos Cæſar ſubinde miſerat; major verò honor præſtitus Legatis Tranſylvaniæ, Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Poloniæ, Turciæ; & his quidem poſtremis, ut & Emerico Turſoni, & Georgio Ragotzio maximus. Et polonus quidem maximo contendit conamine, ut Ferdinandum Ungariæ Regem legitimè electum agnoſcerent, additis ſeriò promiſſis fore ut omnibus tam eccleſiaſticis quàm politicis gravaminibus modus his in comitiis poneretur.

Sed Bethlenio ceteriſque Ordinibus vix ſibi hac in re ſatisfieri poſſe obnitentibus, decretóque Boëmis haud contemnendo militari ſubſidio, demum, qui horum comitiorum finis fuit, Gabrielem Bethlenium omnium fere ſuffragio, & Turcici maximè Legati inſtantiâ Regem Ungariæ renuntiarunt, perque Palatinum Forgatſchium 25. Auguſti proclamarunt,non ſine paucorum adverſantium periculo, ne exemplo Bohemico ex alto præcipites darentur. Dimiſſis autem Cæſareis,Gallicis, Polonicis, Turciciſque Legatis, cùm contrà ſociarum provinciarum remanſiſſent, in frequenti Ordinum Legatorumque corona regium titulum accepit; inauguratio autem Poſonium dilata eſt, ubi corona regni de more aſſervatur.

Et Rex Ungariæ inauguratur.

Natus eſt Gabriel Bethlenius in Tranſylvania loco nobili, & in aula Gabrielis Bathorii Tranſylvaniæ principis, pòſt Conſtantinopoli aliquot annis educatus, animum ad rem militarem graviter applicavit adeo, ut bis & quadragies præliis interfuiſſe memoretur. Ceterùm privatus adhuc eâ aliquando fuit inopiâ, rebus omnibus in militiam abſumptis, ut à mercatore quodam Caſſovienſi ne centum quidem aureos mutuò accipere potuerit. Sed brevi Turcarum ope dejecto Bathorio, ut aliàs diximus, Tranſylvaniæ principatum aſſecutus, indulgentiâ fortunæ majora deinceps ſtruere aggreſſus eſt, vi, dolo, jure, an injuriâ haud ſanè contendens. Ita primo turbarum Bohemicarum motu facilè in ſocietatem armorum pellectus, Hungariam invaſit, cujus ſe tum principem, mox & Regem conſtituit.

Ejus ortus.

RERUM HUNGARICARUM, LIBER XL.

Poſonium igitur juſſu Ferdinandi invadens Tampierus proſternitur.

FErdinandus igitur Rex cùm finitis jam violatiſque induciis novum ſibi cum Bethlenio bellum cerneret inſtare, revocatum è Bohemia Tampierum Ungaricæ militiæ ſummum ducem denuntiat, additque è Buquojanis, Polonis Auſtriaciſque, & recenti Stiriorum delectu tantum militum, ut decem millium expleret, ſimul & Preunerum tribunum, qui antea Ungariæ geſſerat præfecturam, Jaurino firma cum manu imponit. Ita rebus adverſus Hungariam proviſis, Tampierum in novum bellum incumbentem, poſt leves aliquot velitationes occupandi Poſonii cupido ſimul & ſpes inceſſit, neglectiore ut rebatur cuſtodiâ per Bethlenii abſentiam. Navigia ergo aliquot menſe Octobri Viennam ſummâ celeritate conducit, in hæc milites, arma, tormenta, quæque aggreſſioni huic neceſſaria videbantur, imponit: adjungunt ſe multi procerum, omnibúſque ad iter comparatis, ſolvit noctu, nihil turbatus infelici omine, cùm tria navigia apparatu bellico onuſta in conſpectu reliquorum mergerentur. Poſtridie circa meridiem Poſonium appellit, capit munimentum, quod ante ſuburbium eſt, mox ipſum ſuburbium, dejectóque ponte cum ſclo-

pe-

1620. petariorum manu ad arcem properans, dum loci ſitum recognoſcit, animadverſus à præſidiariis, agnitúſque, omnium ſimul jaculationibus petitus proſternitur. Fatali Ducis caſu territi Cæſareani, cum etiam tempus, quod ſtrueodis inſidiis cum conſciis oppidanis compoſuerant, præteriiſſet, re infectâ diſcedunt, exanimi Ducis corpore hoſtibus relicto. Hunc finem habuit Henricus Comes Tampietius, vir ſanè ſtrenuus, militariq; fortitudine & prudentiâ inſignis. Natus eſt loco nobili apud Lotharingos, & in Auſtriacam militiam aſſumptus, Domui huic fidam adverſus hoſtes operam navavit. Virtuti ejus hoc quoque Bethlenius dedit, ut Poſonii præſente Legato Gallico magno cum decore patentaret; cadaver deinde à Cæſare redemptum, ac Viennæ militari pompâ eſt conditum.

Tampierus Auſtriacis fuit fidelis.

Fridericus interim Elector Palatinus variis tùm Cæſaris minis, tum aliorum Principum Electorúmque literis adhortatus, ut raptâ per vim & injuriam coronâ Bohemicâ abſtineret, reſtitueretque; Ungarorum tamen, ſociarúmque provinciarum fœdere ac ſubſidio nixus, cùm audiret Joannem Georgium Saxoniæ Electorem hoſtem ſibi jam palam infeſto cum exercitu Budiſſinam, Luſatiæ caput multis cum arcibus deditione intercepiſſe; captam à Bavaro Maximiliano in Boëmia Badnam, à Buquojo Bragaditium, dein conjunctis viribus Piſſecam, nullo jam loco auſis conſiſtere Boëmis, quibus tum pro Palatino Chriſtianus Dux Anhaltinus præerat, in campum ipſe prodiens, & diſperſas in unum copias eolligens, cùm videret Cæſareanos Pragam belli caput petere, cum eiſdem ad latera progrediens 31. Octobris Raconitium prævenit, ubi montem leniter acclivem foſsâ ſubito, operibúſque munitum inſider; ſed Italis Bavaríſque vim inferentibus, facilè pulſi Boëmi, magnum caſtris ſuiſmet intulêre terrorem, quæ eodem die expugnari potuiſſe quidam crediderunt, ſi cum univerſis copiis Buquojus adfuiſſet. Inde poſt triduum Cæſareanis rectà Pragam contendentibus, Bohemi breviori viâ cum omnibus copiis quantâ maximâ celeritate poſſunt præveniunt, occupatóque monte Albo & regio palatio, munire ſe, & caſtra vallare incipiunt; quo eodem veſperi Cæſareani advenientes, ne eâ nocte quies daretur fatigatis, juſſu Buquoii Gaucherius tribunus eum expedita manu ad laceſſendos hoſtes mittitur, is pagum monti vicinum, atque ab Ungaris equitibus inſeſſum magno tumultu aggreditur, latior quàm pro numero victorum ſtrages edita, & quia juvantibus tenebris plus pavent qui invaduntur; abducti igitur equi ſupra mille, quingenti cæſi aut capti, reliquos ioceoſo vico in caſtra vicina fuga abripuit. Ceterum is terror fugæ Ungarorum caſtris Bohemicis illatus ſequentis diei victoriam creditur feſtinaviſſe; nam cùm die altero dominico, quæ erat 8. Novembris 1620. dubio aliquantulum marte pugnatum eſſet, juniorque Anhaltinus acri prælio Cæſareanos cedere coëgiſſet, Cratzius tribunus juſſu Tillii binis Leichtenſteinianâ & Baurianâ legionibus ſubſtitutus, aciem reſtituit, mox victor pellit, & Chriſtianum Anhaltinum vulneribus confectum, dum ex equo procideret, caſu impeditum Guillelmus Verdugo capit. Eâ re turbatam haud parum Bohemorum aciem repentè Ungarorum equitum fuga deſtituit. Octo millia erant à Bethlenio & fœderatis Ungariæ Ordinibus ſubſidio Boëmis miſſa; ſed illi prædæ magis, quàm cauſæ ſociorum ſtudue-

Saxo, Bavarus & Cæſareani Fridericum Pragam uſque perſequuntur.

Fridericus Pragæ caditur ad Montem Album.

Et alterâ die ibidē internecione delctur.

Ungari fugiunt primi.

1621. rant, ideoque utriſque cauſa fuit exitii: nam in fugientes Ungaros immiſſi Poloni magnâ parte ferro trucidatâ, ceteros in amnem Moldaviam effuſo curſu præcipites agunt; ubi ſpoliis graves, tum metu & curſu exanimes, violentiâ fluminis multi abrepti hauſtique ſunt. Bohemi autem tantâ parte exercitûs nudati, neque ſpem victoriæ reliquam animadverterent, projectis armis, qua cuique pronum fugere incipiunt. Cecidêre ex Bohemis Ungaríſque novem ut maximè millia, è Cæſareanis deſiderati ſunt paulò ſupra ducenti, capta impedimenta, ſigna pedeſtria & equeſtria ſupra centum, tormenta majora decem. Mox ſubſecuta eſt Pragæ deditio, univerſæque Boëmiæ, Moraviæ, Luſatiæ, Sileſiæ, & Friderici Palatini, ceterorumque adhærentium proſcriptio.

Deditio Bohemiæ & Ludovici proſcriptio.

Hæc clades maximè perturbavit Bethlenium, ſocioſque Ungaros, quos ille nihilominus ad fœderis conſtantiam animabat, quòd copias ſuas ad Moraviæ fines, ne Cæſareani inde in Ungariam perrumperent, illico deſtinaſſet: ipſe interim per legatos Gallicum & Turcicum de pace cum Cæſare ineunda more ſuo ſubdolè ſollicitabat, quæ cùm Haimburgi fruſtra tentari videretur, res iterum ad arma devenit: equidem neque Bethlenius regio abſtinebat titulo, quem ei Cæſar ſub finem anni ſuperioris (1620.) edicto abſtulerat, neque poteſtatem Ordinibus faciebat liberè cum Cæſare & Rege ſuo tranſigendi, & ſcriptis ſubinde literis Tartaros Turcaſque, ut bellum Cæſari moveretur, in partes ſuas ſollicitabat: qua re permoti Ungariæ proceres, maximè ubi & Sileſios cum Saxone tranſegiſſe nuntiatum eſſet, inſcio Bethlenio redire ad Regem & Cæſarem inſtituunt. Ita Setſcius Georgius valida cum manu in Ferdinandi gratiam receptus, alios attraxit, qui & mox Altenſolium, ubi Regni corona tum aſſervabatur, tum Fillekum & Veſprimium regiæ poteſtati ſubmiſit: ipſum etiam Redejum Ferentium Bethlenii Legatum vi adortus intercepit; qui tamen non multò pòſt ex mœrore contabuit, primus Ungaricorum dynaſtarum, qui ad Bethlenium transfugerant, ipſiuſque partes adverſus Regem ac Cæſarem propugnaverant. Nec minus Setſchius Bethlenium, ab Haiduccis Ungaríſque ferè jam deſtitutum; acri certamine repreſſit repulitque Caſſoviam, haud dubiè in Setſchii poteſtatem delatus, aut ei in Tranſylvaniam reditus interclusus, ſi majoribus paulò copiis fuiſſet inſtructus.

Ungari cum Setſio ad Ferdinandum redeunt.

Sethſius Bethlenium profligat.

Interea Buquojus juſſu Cæſaris cum duorum & viginti millium exercitu, magnóque rei tormentariæ apparatu in Ungariam properat, ex qua averſis jam à ſe procerum animis, & re inclinata Bethlenius in Tranſylvaniam ſuam exceſſerat, Poſonio, Tyrna, Neoſolio, aliiſque, quæ obtinebat, valido priùs præſidio adverſus vim communitis; ſed Boquojus Poſonium, diſſidentibus inter ſe Germanis Ungariſque præſidiariis, ut fit ſæpè ſtudio nationum, opinione celerius 2. Maji urbem, & ſeptima arcem intercepit; inde Poſſinga, Modera, Roozersdorſſio, aliiſque locis igne deletis, mox San-Georgio, Tirnavia, Altenburgo, Schittenavia, & toto Tractu illo pari facilitate potitus, Neoſolii obſidionem, fatalem ſibi tumulum eſt aggreſſus. Spes erat Bucquojo, cùm magnam pecuniæ vim in militum ſtipendium Vienna accepiſſet, præſi-

Buquojus capto Poſonio, cinctoq; Neoſolio.

1621. diarios anno ad deditionem compellere; ſed illud conſilium Bethlenius avertit, miſſo in tempore Stanislao Turſone cum firma quatuor millium Ungarorum manu, cui urbem arcemque omni ope tuecodam tradiderat, plura ſubinde ſubſidia pollicitus. Buquojus igitur ad vim converſus obſidionem ſtrenuè urget; neque minus laborabant Tranſylvani, ut Cæſareanos commeatu & pabulatione prohibitos, penuriâ tandem ab obſidione urbis duos jam ultra menſes productâ depellerent. Cùm itaque quotidie pabulatores infeſtarentur, Buquojus urgente periculo cum parte equitum ſuis auxilio profectus, ſtatim confoſſo equo, priuſquam alius adduceretur, ab hoſtibus circumventus, multis vulneribus interficitur. *Interficitur.* Corpus ab ignorantibus hoſtibus in campo relictum Cæſareani in caſtra avexère, quod deinde Viennæ militari prompâ magno Cæſaris dolore (utpote cui fidelem ſemper operam manu & conſilio navaverat) conditum eſt. Hujus glorioſâ, ſed Cæſari pernirioſâ morte res Cæſareanæ in Ungaria procubuère, eo præſertim tempore, quo & Sigiſmundus Forgatſchius regni Palannus Tirnæ ſeptimo Kalendas Julii fato deceſſerat, *Forgatſcio Palat. mortuo.* emerſitque iterum è Tranſylvania Bethlenius novo cum exercitu. Ejus metu (jam enim averſos Ungaros dynaſtas Thomam Poſſinacum Filleki præfectum, Nicolaum & Stephanum Palſios ad internecionem, & hujus quidem occubitu, fudiſſe prælio, montanaſque urbes in Cæſaris fidem à Sigiſmundo Forgatſchio paulò antè receptas, ſuæ rurſus poteſtatis feciſſe nuntiabatur) ſoluta obſidio Neoſolienſis, & miles in urbium præſidia eſt diſpoſitus. *Bethlenius Tirnaviam Ungariā & Moraviam depopulatur.* Adverſo itaque exercitu vacuam Ungariam nactus Bethlenius, Turciano, & Jegerndorſſio Comitib. Tirnaviam ſummâ vi adhibitâ expugnat, ſævíſque populationibus more ſuo latè graſſatus, tentato nequicquam Poſonio, quod Regii præſidiarii acerrimè defendebant, in Moraviam invitante Jegerndorſſio, perrexit, & hîc occupatis expilatiſque variis locis hæſit tandem impetus victoris, objiciente ſubinde Cæſare novis hoſtibus tribunos Eſterhaſium, Wallenſteinium, Hanoibalem Donavium, alióſque, qui cùm minutis ſubinde damnis Bethlemi exercitum carperent, tum diffugientibus Tranſylvanis, recedentéque in Sileſiam Jegerndorſſio, ad hæc in evaſtatis longè lateque provinciis (nam ruticolæ magno undique numero Viennam confluxi, horribili per plateas lamentatione, viginti unâ nocte villarum ſuarum incendia in vicinis locis orta deplorabant) deficiente celeriter commeatu, qui à raptoribus parum ſtudebatur, adjecit animum ad pacis conſilia, miſsiſque Edenburgum Legatis, transactionem à Cæſare poſtulat.

Budianum furentem Cæſarei fundunt. Paulò antè hæc geſta Colaldus & Eſterhaſius Comites ad compeſcendum Budianum exemplo Bethlenii latè omnia ferro flammâq; vaſtantem emiſſi, ejuſdem territorium fuſis primùm ejus copiis ingreſſi, æquali furore diripiunt, varióque poſtmodùm marte ad Guntzium Regii primùm cæſi, mox redintegrato certamine duo Budianorum millia fundunt, & Ropiperingani arcem occupant, tum Guntzium, Oedenburgum, Rechnitzium, ceteráque loca Pattam uſq; ac fines Caniſſi intercipiunt. Nec tamen quievit Budianus, ſed duodecim Turcarum millibus confirmatus trans danubium verſus Neoſtadium ingenti hominum pecudúmque abductione, rapinis ac incendiis Viſcham, Lachſium, Erbacū, Uſendorſſium, alióſq; viginti numero pagos conſumens, 1622. *Qui poſtea plura capit oppida.* Kermentham oppidū munitiſſimum magno impetu aggreſſus, vi tandem, & præſidiariorū ſtrage capiens, ad Bunzam furor ejus repreſſus eſt, réq; infectâ retroceſſit: dumq; vires ejus minutis præliis ſubinde acciſæ, & Haiduci Tranſylvani à Bethlenio eidem ſubmiſſi ad ſua redirent, petiit à Rege armiſtitium, quod tunc in aliud tempus eſt translatum. Initio tamen anni 1622. cum Ferdinando paciſcitur Bethlenius, inſtitutáq; eſt tractatio Nicoleopoli, & conventum in hac conditiones: *Pax Cæſareo-Bethlenia.* ut Bethlenius retentâ ad dies vitæ Caſſoviâ, & ſeptem in Ungaria ditionibus, ſeu præfecturis, & duobus in Sileſia Ducatibus, Oppelenſi & Radiborenſi, regio dein titulo abſtineat, principis Imperii contentus, cedátque corona & regni Ungarici urbibus: ſtatus verò religionis, & Patres Societatis reſtituantur in locum illum, quo ante bellum fuiſſent: cetera ad proximè intimanda comitia ſunt rejecta.

Deſponſatio Ferdinandi cum Eleonora mantuana. Non multo pòſt Ferdinandus Eleonoram, Vincentii Gonzagæ Mantuæ ducis filiā in matrimonium accepit, profectúſq; obviam ſponſæ Oenipontem, ibidem nuptias apparatu pro temporū ratione modeſto celebravit; quibus peractis Salisburgenſem archiepiſcopatum pertranſiens regaliter ab Archiepiſcopo exceptus, 26. Febr. Viennam ſalvus plurimas inter congratulationes & applauſus cum ſponſa pervenit: ubi rebus ritè diſpoſitis, ad comitia Ungarica, in nupero pacis tractatu conventa, & in diem 18. Maji Oedenburgi indicta ſe præparans, *Ferdinandus vocat ad comitia Ung. Bethlenium.* ſuos ad Bethlenium præmiſit commiſſarios, qui ad eadem illum invitando genium ejus animumq; nunquam non varium, & quo ejuſdem inclinaret ſtudium, expiſcarentur; quem cùm benevolum ſuos modò legatos eo præmiſiſſe Rex Ferdinandus intelligeret, Bachmannum Archiepiſcopum, Cancellarium Epiſcopum Jaminiſcenſem, Valentinum Lopezium, Eſterhaſium, alióſq; proceres eo etiam præmiſit, viros auctoritate familiáq; grandes, qui Dynaſtas ſocios ſuos debitæ Regiæ majeſtati fidei, obedientiæ, ac reverentiæ ſeriò præmonerent, quos aucto priùs Viennenſi octodecim ſignorum præſidio Rex ipſe paulò pòſt cum conjuge ſua ſubſecutus, primùm Laxenburgi, dein Neoſtadii (ubi imperatrix ad tempus remanſit) pernoctavit: inde ſplendido quinque millium equitum peditúmque comitatu Oedenburgum ingreſſus, ab Ungariæ Ordinibus magnificentiſſimè eſt exceptus. Poſtridie 26. Maji Rex ſacris peractis in Ordinum Ungariæ conſeſſu rerum tractandarum capita graviſſimâ, eáque omnium admiratione elegantiſſimâ oratione latinâ propoſuit. *Ejus ibidem propoſitiones.* Erant illa 22. articulis diſtincta, & hæc præcipua: ut depoſitis odiis unanimi omnes concordiâ parem, patriamq; conſervarent: ut Corona regni Trentſchino (ubi eam Bethlenius tranſtulerat) Poſonium ſub comitiorum initiis reduceretur: ut pax cum Turca, viciniſque Principibus arctè ſervaretur; violatores autem, &; cum hoſtibus colludentes pro meritis punirentur: ſi qua verò fieret irruptio, omnes ſimul Ordines maturè propulſandam conſulerent: bona rebellionis tempore rapta, alienatave legitimis dominis reſtituerentur: ut miles Germanus, prout præſens exigit periculum, in limitaneas arces, ſufficienti priùs commeatu inſtruendas reciperetur; & patriæ leges exactius obſervarentur: Ditiones & Dominia Bethlenio ſub cautione tradita Regno readunarentur: deinde

nupe-

1623. nuperæ rebellionis ſeu confœderationis Ungaricæ literæ Regi extradantur, & factâ commiſſorum omnium, legationis præſertim per Schellenbergerum Conſtantinopolim miſſæ amneſtiâ debita Cæſari, legitimo regni ſucceſſori ac Regi fides renovetur; in refractarios autem & patriæ turbatores pœna ſtatuatur &c. Quæ deſcripta Cæſar Strigonienſi Archiepiſcopo, regni primati tradidit, qui Ordinum nomine ſeriò de eis ſe conſultaturos appromittit. Et ut res feliciorem ſortiretur effectum, ad electionem novi palatini primùm proceſsère, qui è variis compeditoribus, Erdôdo, Eſterbaſio, Budeano, viris aliàs præſtantiſſimis, tandem votis 29. præelectus fuit Stanislaus Turzus de Bethlehem Fulva, qui conſuetis ritibus publicè Palatinus proclamatus, Cæſari, Coronæqe Ungariæ ſolemne præſtitit fidelitatis juramentum: tum de propoſitis, ceteriſque regni negotiis conſultum, ad quæ Bethlenii Legati Leonardus Schindartus, & Sigiſmundus Lepeſchwalindius neutiquam admiſſi; Principis tamen ſui nomine Ferdinando Regi inſignem equum Turcicum, epiroticum pileum, & cæſtum aureum (Streittolb/ cujus orbiculus erat carbunculus multis gemmis circumdatus) ſubmiſsè obtulerunt: Bethlenius autem ipſe tunc Caſſoviæ ſubſtitit, ubi Carola conjunx graviſſimis exhauſta doloribus animam exhalarat.

Electus Palatinus Turzus.

Bethlenio emanente legati non admiſſi ad comitia.

Rex interim ſacram Regni coronam ſub mille equitum peditumque, ac plurimorum procerum reveventi cuſtodia Trentſchino jubet adferri, & transactis comitiis Eleonoram conjugem ſuam 1622. 26. Jul. ſolemnibus Poſonii cæremoniis coronari, ibidémque loco tuto & conſueto ſub ſuis conſervatoribus coronam reponi & cuſtodiri. Quibus omnibus pacificè peractis, conſenſúque de admittendo etiam in limitaneis Ungariæ arcibus Germano milite, 150. dynaſtarum votis ſubſcripto, Cæſar Viennam Auguſto menſe rediit ſalvus & incolumis, ubi 16. Septembris à Turcico Muſtafæ legato (Oſmannus enim paulò ante à prætorianis fuerat ſuffocatus) pro more ſalutatus, & præter alia quatuor etiam generoſis equis pretioſe ephippiatis, & Perſicis aliquot magni pretii periſtromatis donatus, in mutuæ pacis continuatæ argumentum, omnes durante rebellionis Ungaricæ tempore ad Imperatorem ſuum Turcicum perſcriptas Rebellium literas Ferdinando Cæſari obtulit, cujus arcana omnia Schellenbergerus obtentâ poſtmodum Cæſaris veniâ exactè pluribus enodavit, & amneſtiâ licet præſtitâ Cæſarem ſubinde reddidit inter Ungaros cautiorem; adeo ut Ratiſponæ in publicis Electorum Germaniæ comitiis initio anni ſequentis (1623.) indictis, de tuenda impoſterum Ungaria, Germaniæ antemurali, & de reſtaurando ærario, ſi forrè rurſus à Bethlenio, aut ipſo Turcarum Imperatore impeteretur, conſuli poſtulaverit: eorum autem Comitiorum (ad quæ Cæſar cum Imperatrice, & tota aula abierat) cauſa erat præcipua, quòd Fridericum Comitem Palatinum, quem jam antè ob rebellionem Bohemicam, cui ſe ducem præbuerat, imperiali fulmine notaviſſet, Electoratu privare, & dignitatem illam ad ſe devolutam in Maximilianum Bavariæ Ducem, cujus magna in Rempublicam Germanicam in his Imperii motibus eſſent merita, vellet conferre, & reipſa pluribus licet obſtantibus 25. Februarii 1623. eodem die, quo ſuperiori ſeculo Carolus V. Imperator

Regina coronatur.

Muſtapha Ferdinando omnes rebellium literas offert.

In comitiis Imp. Ferdinandus depoſito Friderico Maximilianū Bav. electorem ſubſtituit

Iſthuanſ. Hiſtor.

Mauritium Saxoniæ Ducem Electorem creaverat, contulerit. 1625.

Hanc propudioſam ab Electoratu dejectionem Fridericus acerbiſſimè ferens, omni conatu Cæſaris vires dividere ſtuduit, & diſtrahere, evocavitq; ex Tranſylvania Bethlenium animi ſemper fidcíque inconſtantis principem, qui validâ Turcarum ac Tartarorum manu Ungariam invaſit, quos ab Imperatore Turcarum ope Comitis Turriani eum in finem Byzantium ablegati eo argumento impetraverat, quòd eidem perſuaſiſſet, Ferdinandum devictis Germaniæ Principibus omnem armorum vim in Muſtapham, regnúmque Turcicum converſurum: hujus autem irruptionis ſuæ cauſam prætendebat, quòd pecunia, quæque nuper in conventione Oedenburgenſi Legatis ſuis eſſent promiſſa, non ſolverentur. Igitur pridie idus Septembris improviſo in Ungariam impetu tranſito Tibiſco cum ſexaginta armatorum millibus, & 12. tormentis irruens, oppida S. Andreæ & Levenii cum Eperiſio intercepit, Filleckæ ſuburbium incendit, legionem Tieffenbachianam prope Tirnaviam facilè opprimit, urbémque ſuæ facit poteſtatis: tum occupatâ ferè totâ inſula Schuttâ, ingentem pecudum hominúmque numerum ex vicinis undique oppidis, & Poſonienſi ſuburbio rapiens, primo duodecim millium agmine Marckam, commodum in Moraviam, Sileſiam & Auſtriam aditum; pervenit, môxque irruptione in Moraviam factâ, cædibus & incendiis crudeliter omnia devaſtans, ad Goettingam Comitem Schwartzenburgicum cum Cæſariano exercitu obvium habuit: hic Schwartzenburgicus quidem primum Bethlenii agmen aliquo uſque rejecit, ſed tanto advenienti exercitui impar intra Goettingam oppidum compulſus obſideri cœptus fuit; quatuor enim munimenta ſexdecim tormentis inſtructa eam oppidi partem, qua unicus & ſolus patebat aditus, Bethlenius præſtruxit; cetera quæ ſtagnum, paludeſque & ſilva cingebant, valido præſidio obſervabat. In illis anguſtiis Schwartzenburgicus ſeſqui menſis ſpatio diviſâ prudenter annonâ hoſtium vim ad initium uſque hyemis fortiter ſuſtinuit, donec Turcæ Tartaríque moræ frigoriſque impatientiâ, & rumore ſuccurrentis ex Imperio Rom. exercitûs, non expectato jam Bethlenii imperio caſtra deſererent: quibus rebus impulſus & ipſe demum ad inducias, Turzi Palatini interventu, pertractus eſt: Ita obſidio ſoluta haud gravatè conſentientibus Cæſarianis, qui extremâ annonæ, & rerum omnium inopiâ afflictiſſimè premebantur. Bethlenius tamen ne ſe pro victo gereret, has Cæſari conditiones auſus eſt præſcribere: ut duos in Sileſia Principatus Oppeliam & Ratiboriam, quos illi Cæſar horum initio motuum abſtulerat, reſtitueret: ut Ungariâ omni, ab urbibus montanis Tranſylvaniam uſque cederet: ſumptus in hoc bellum expoſitos refunderet: & tum Palatinum ſe, aut Pro-regem Ungariæ crearet. Quibus cùm totidem Cæſar longè alias opponeret conditiones: ut Bethlenius omnes dimitteret captivos: omnes Rebelles, imprimis Jagerndorffium, Comitem Turrianum, & Lumpenbergenſem extraderet: reſarciret damnum iniquo hoc bello illatum: omni deniq; excederet Ungariâ injuſtiſſimè invaſâ & oppreſſâ; Bethlenius frivolis devictus poſtulatis, pactiſq; induciis è Moravia diſcedens, exercitum Tirnaviam reduxit; cúmq; jam Turcæ Tartariq; diviſis

Fridericus Bethlenium in Ungariam vocat.

Qui Ungariam, Moraviam, Auſtriā depopulatus, Schvvartzenburgum Goettinga circūcingit.

Solutâ obſidione fruſtratiſq; pactis Bethlenius è Moravia diſcedens Tirnaviam, ceditur.

1624. agminibus ſua repetentes præiviſſent, Nicolaus Eſterhaſius Vivarini, Reiffenbergerus Comorræ, & Preinerus Jaurini præfecti iteratis eos vicibus & opportunis locis ex inſidiis aggreſſi, ingentem illis ſtragem intulerunt, nec non aliquot Chriſtianorum millia libertati, rapta ſine numero ſpolia, currus, pecora, & camelos auro argentoque oneratos recuperarunt; itáque plurimùm acciſos Conſtantinopolim remiſerunt, ubi Muſtapham Imperatorem ſuum ſenio, & mentis vitio tantæ majeſtatis haud parem in priſtinos carceres, inſtigantibus maxime Purpuratis Eſtruoo & Azizonio, ſtrangulati ante annum Oſmanni necem vindicantibus, viderunt rejectum, delato imperio ad Amurathem, annorum quatuordecim juvenem, Oſmanni fratrem. Amurathes igitur equo impoſitus, atque ad templum Merzenium extra mœnia productus, à Muphtio ſacrorum turcicorum ſupremo præſide frameâ accingitur; qui apud ipſos inaugurandi modus habetur omnium ſacratiſſimus.

Muſtapha incarceratur.

Eſterhaſii felix in Turcas expeditio

Ceterum Eſterhaſius ut felicis ſuæ in Turcas expeditionis teſtes Cæſari, ac Regi ſuo deponeret, initio inſequentis anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi quarti, undecimâ Kalendas Februarii magnifico comitatu Viennam ingreſſus, duos purpuratorum filios, & Imperatricis conſanguineum, ac præter camelos, mulos, & præſtantiſſimos equos, equeſtria aliquot ſigna, hoc notabili unum inſignitum lemmate: *MAHOMETO, ET CHRISTO DEO.* Regi Ferdinando obtulit, diſſuaſitque inducias & pacem, quam Bethlenius miſſo Viennam Camotio oratore ſuo ſub eiſdem paulò antè propoſitis à ſe conditionibus urgebat; nec eam Palatinus Turzus, ceteríque Hungariæ, ſuperioris potiſſimùm, proceres rejiciebant, quòd Tranſylvanum ingentibus Tartarorum copiis non confirmandum, eúmque non temerè laceſſendum, nec patriam ſatis afflictam ulterioribus hoſtium deprædationibus exponendam dicerent, de quo maxime Montanarum urbium Legati querebantur, quòd expoliatis eorum civitatibus ingentem auri vim diſcedens inde nuper Bethlenius extorſerit. Ferdinandus autem Rex nequicquam inconſultis Imperii Principibus volens ſtatuere, rem ſuſpendit, iteratis præſertim Eſterhaſii literis de continuando bello monitus, quòd iniquæ Bethlenii fidei nequicquam credendum, qui Budenſis Baſſæ militaria inſtanter ſubſidia ſollicitet, omnemque jam Tranſylvaniam, Walachiam, Moldaviámque Turcarum & Tartarorum copiis diceretur refertas, proximo vere in Ungariam veroſimiliter irrupturis.

Singulare Turcarum vexillum

Eſterhaſius non ſuadet pacem, ſed bellū in Bethlenium.

Gabor igitur induciis, Cæſarique diffidens, & ſpe pacis fruſtratus, exercitum ſuum octo quà peditum, quà equitum Germanorum in Sileſia exauctoratorum millibus auxit. Ferdinandus quo hæc tenderent conſilia proſpiciens, mandat Schwartzenburgo ut quantocirius ducto in Ungariam exercitu, ſubdoli Principis machinamenta cautius obſervaret. Sed Ungari Germani militis inſolentiam metuentes, Regem enixè rogant, ut ſiſteret exercitum, ſe cùm auctoritate, tum precibus apud Bethlenium effecturos, ut inducias, pacemve ſanctè obſervet, aut recuſantem vi coacturos, quòd Turcarum auxiliis non adeo confirmatus, nec tantis credatur eſſe viribus inſtructus. Res tandem eo eſt deducta, ut Bethlenius Wolfgangum Camotium Cancellarium, 1624.
toparcham Camotienſem, & Stephanum Coſſajum pacis tractandæ causâ Viennam remitteret, quæ à nonis Maji utrimque tractata, ſequentibus tandem articulis eſt concluſa. Princeps Tranſilvanus neque ſignis, neque armis, neque titulo Regis utitor; ſed regni Ungarici adminiſtratione penitùs abſtinem: contra Ferdinandum Cæſarem, Domúmque Auſtriacam, ac ejus regna & provincias ne bellum ſuſcipito, nec hoſtibus eorum auxilia conſiliave ſobminiſtrato; ſed mutuo ſibi contra eos ſubſidio ſunto: captivi utrimque, & ut à Turcis Chriſtiani dimittantur, Bethlenius impetrato: durantibus induciis per vim ablata, tormenta & militaria inſtrumenta &c. reſtituunto: omnibus fiſci, & metallorum proventibus Bethlenius ſtatim cedito, qui penes Cæſarem manento: omnia Humanai oppida, arces & bona ejus hæredibus, quæque Andreæ Dozii, & Forgatſchii viduis ablata, Bethlenius reſtituim; qui permiſſu Cæſaris utator hoc titulo: S. Romani Imperii & Tranſylvaniæ Princeps, Partium Ungariæ Dominus, & (dum vixerit duntaxat) Dux Opolienſis & Ratiborienſis: ſimiliter ad dies vitæ duntaxat Gabor ſeptem Ungariæ præfecturis ab utraque Tibiſci parte, ſcil. Sacmarienſi, cum Zabaloſa arce, Ugochianâ, Berochianâ, Zemployenſi, Bozzorienſi, Abbavivarienſi, & Caſſovienſi urbe & agro, cum omni juriſdictione, & proventibus fiſci gaudeto: earum præſides autem & judices fidelitatis juramentum tam Cæſari quàm Bethlenio præſtanto: in quarum defenſionem Cæſar quotannis Principis Commiſſariis triginta florenorum millia numerato; At Principe defuncto omnes prædictæ præfecturæ, ut pleno jure & uſu ad Regnum Ungariæ redeunto, Tranſylvaniæ Ordines Cæſari cavento, eædemque Regni Ungarici legibus & jurisdictioni ſubjectæ, ſub libero Catholicæ religionis exercitio manento: Juriſdictio Eccleſiaſtica, & Jus patronatûs ſuper bona Eccleſiaſtica Cæſari reſervanto: Decimæ trans Tibiſcum in præfecturis Sacmarienſi, Zabolohenſi & Ugochienſi Principi; cis autem Tibiſcum eccleſiaſticis ſunto: caſtrum Minchaſium cum omni territorio Cæſar Principi nomine 30000. florenorum obligato, nonniſi defuncto principe numeratâ prædictâ pecuniâ ab ipſius hæredibus redimitor: Tockajam arcem cum omni vicino agro Princeps hypothecæ nomine poſſideto iis conditionibus, quibus eam ſuperiores poſſeſſores obtinuerunt; ita tamen, ut Georgii Turſonis viduæ hæredibuſque, quod debetur, in aſſem perſolvatur: arcem Echietanam Cæſar Principi, ejuſque hæredibus cum jure regio in æternum poſſidendam tradit, ſalvo jure tertii. Idem eſto dictum de oppidis Nagibanienſi & Poſſobanienſi; quæ tamen poſt Principis obitum ad Ungariæ Regnum caducitatis jure revertuntor. Si Tranſylvano bellum à Turcis inferatur, eidem Cæſar maturè requiſitus mittet ſubſidia &c. &c. Hiſce præcipuis pacis articulis utrimque ſubſcriptis, Legati ſplendido à Cæſare convivio, & aureis, argenteiſque muneribus donati abierunt.

Pacis pacta Cæſareo-Bethlenia.

Quemadmodum pace cum Tranſylvano concluſâ gaudebant Ungariæ proceres, ſic cum Tur-

1625. Annus Jubilæus

Turcis quoque brevi concludendam deſiderabant; hoc præſertim anno Jubilæo 1625. ab Urbano VIII. orbi Chriſtiano conceſſo: ſed neſcio quid motarum verſatilis Gabor ampliſſimâ ad Budenſem Baſſam legatione injecerit; adeo ut hit Legatos ſuos aliquoties itineri Viennam verſus accinctos revocaverit, diverſiſq; iti locis Turcæ ita inſuper inſoleſcerent, ut vicos incendere, præſidiarios cædere, abducere in captivitatem Chriſtianos, pagos & territoria in ſuã fidem cogere, aliáque hoſtilitatis apertiſſimæ ſigna paſſim exercerent, Ungaris ſpe pacis nequicquam ſub graviſſimæ pœnæ comminatione reſiſtere auſis. Certè hæc omnia non pacem, ſed bellum ſpectare videbantur, quod ex eo Ungari ſibi inferendum metuebant, quia Tartaris Rebellibuſq; Baſſis Byzantii pacatis, Perſæ etiam tum ſegniter in Turcas bellum gerere, horúmque copiæ ex Aſia remeare in Europam dicerentur; ſimul & Bethlenii creſceret potentia, quem Sultanus nuper mortuo Moldaviæ & Walachiæ Weiwodâ principe, illarum provinciarum gubernatorem conſtituerat, ideoq; commiſſo cum Polonis (qui eaſdem ſibi de jure vendicabant provincias) prælio, victoriam obtinuerat. Miſſus itaque Caſſoviam Menoldus Regni Ungarici cancellarius, ut principis animum exploraret, quem cum à pace nuper inita non alienum eſſe referret, à Perſis etiam collectis modò viribus Turcas in Armenia prælio victos, & Damaſcenum Baſſam in Sultanum rebellare, ſenſim ad pacem tractandam Turcæ ſunt dilapſi. Convenerunt itaque in apertum campum apud Gyarmatham ex parte Cæſaris & Regni Ungariæ Michael Adolphus Comes ab Altheim, Nicolaus Comes Eſterhaſius à Galantha, Joannes Jacobus Curtius Baro de Senfftenaw, Nicolaus Frangipanis, Comes Terſatzius, Baro Sigiſmundus Gallerus: ex parte Ottomannici Imperatoris Serdarius Mehemet purpuratus Budenſis, Iſa Effendi Mufftius Budenſis, Jahia purpuratus Caniſchanus, Achmet purpuratus Erlavienſ. &c. Hi præſentibus Legatis Principis Tranſylvaniæ Wolffgango Kamuthio, Michaële Thodolagio, & Thomâ Borſoſio, menſe Majo in hæc ſeptem pacis capita conſcosêre: I. Ut articuli antehac Sitwatoroci & Viennæ inter utrumque Imperatorem concluſi, firmiter obſerventur. II. Quia Weitzenſis controverſia arcis Bolonduarienſis tunc omnino dirimi nequeat, ea in utriuſve Imperat. aula per Legatos componatur, pace interim inviolatâ. III. Ad deſertas Croatiæ arces Dreſnicum, Therſatzium, Hoyrizaogradatzium, & reliquas contra pacta occupatas, nec non ad deſignandos Croatiæ fines datur commiſſio Nicolao Therſatzio, & Baſſæ Boſnanienſi dirimenda, & amicè componenda. IV. Ad querelas & gravamina pagorum tam cis Danubium, quàm circa Caniſam in fidem acceptorum tollenda, deputantur Nicolaus Eſterhaſius, & Achmet purpuratus Erlavienſ. Quæ commiſſiones ſi V. proximis Martinalibus nequeant omnes perfici & abſolvi, pax tamen interim continuabitur. VI. Captivi utrimque dimittantur. VII. Omnia denique illata utrimque damna, commiſſaque hactenus Zitwatorocenſi & Viennenſi tranſactioni adverſantia delicta perpetuæ oblivioni mandentur &c. Qui articuli mox à Legatis ſubſcripti, & non multò pòſt ab utroque Imperatore confirmati in 20. annorum pacem coierunt.

Bethlenius fit Moldaviæ & Walachiæ gubernator.

Pax Cæſareo-Turcica 20. annorum.

Ubhuanf. Hiſtor.

Pacta hæc ſunt cum Amurathe & Tranſylvano vel eò maximè pacis fœdera, ut inclytum hoc Regnum Ungariæ aliquantulum reſpirare, & pacis fructibus poſſet gaudere, quod varia bellorum incommoda per annos aliquot pertulerat; imprimis autem à Bethlenio Gabore Tranſylvaniæ principe, qui non modò illud in poteſtatem ſuam redigere ſperaverat; ſed ubique religionem catholicam, & ipſius cultores, monachos maximè & ſacerdotes fœdum in modum tractaverat: neque jam procul erat ab interitu ubique vulnerata Religio, niſi Cæſar Ferdinandus pro ſua in Eccleſiam obſervantia & Zelo in ejus conſervationem non minùs, quàm regni provinciarumque ſuarum recuperationem intendiſſet. Regi verò hac in re auxilio imprimis fuit Petrus Paſmannus Archiepiſcopus Strigonienſis & Cardinalis, qui erectis Viennæ, Strigonii, Ternaviæ, alibique variis collegiis, in quibus adoleſcentes Ungari in ſacris profaniſque literis erudirentur, brevi ſuo, aliorùmque exemplo effecit, ut Curionum ac parochorum, ut vocant (quod unum ad conſervandam Religionem apprime neceſſarium erat) nulla jam amplius inopia eſſet. Cum religione Ungarorum amor & obſervantia erga Regem ſuum ac Cæſarem, & Auſtriacam Domum, ex qua tot in Regnum hoc beneficia profecta eſſent, rediit, paulatímque cupido inceſſit animos procerum, id quod Cæſari placiturum haud dubiè ſciebant, Regem nominandi filium ejus, qui parenti poſt mortem ſuccederet, ut ſucceſſore jam certo nulli alteri ſpes foret rerum novandarum. Comitia igitur in menſem Octobrem Cæſar Regni Ordinibus Oedenburgum indici juſſit, ad quæ ipſe cum conjuge & liberis, Carolo Caraffa, Nuntio Apoſtolico, qui hæc ipſa literis mandavit, Legatiſque Hiſpanico & Florentino profectus magnâ pompâ eſt exceptus. Legati quoq; Bethlenii adfuêre, qui cùm Cæſari à Principe ſuo amica omnia ſpopondiſſent, petierunt ad extremum, quoniam Princeps ſuus ad novas tranſire nuptias vellet, ut ſibi Cæſar ex Principibus Imperii aliquam deligeret; unde multis orta eſt ſuſpicio, Bethlenium petitâ à Cæſare filiâ ex domo ejus matrimonium quæſiviſſe: duxit tamen deinde Catharinam, Joannis Sigiſmundi Electoris Brandeburgici ſororem, staturâ parvam, ſed pulchritudine excellentem, & ætate octodennem, cujus nuptiæ initio anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi ſexti, ſexto nonas Martii regiâ penè pompâ per octiduum celebratæ ſunt Caſſoviæ, quibus peractis Bethlenius tranſmiſſo Tibiſco cum ſponſa abiit in Tranſylvaniam.

1625.

Bethlenius fidē catholicā multum oppreſſit.

Ferdinandus erexit.

Ope Paſmanni Card. collegia & ſcholas erigentis.

Comitia Oedenburgi Ungarica.

Bethlenii deſponſatio.

Porrò in Comitiis cùm frequentes Ungariæ proceres conveniſſent, per ſupremum aulæ ſuæ Cancellarium Rex Ordinibus expoſuit, cùm Regnum Ungariæ variis hactenus turbis & calamitatibus ſit vexatum, ut ipſi in commune conſulerent, quo remedio iis deinceps malis occurri & pacis turbatoribus obviam iri poſſit: tum ut mandatis Regiis pareatur, & in refractarios ſeverè animadvertant illi, quorum id munus ſit; ex cujus rei negligentia hactenus non perfunctoriè ſit peccatum. Deinde cùm non pauci matrimonii ſanctitatem pluribus inductis uxoribus ritu Turcico contaminare haud vereantur, ut id Chriſtianæ religionis probrum ſeveriſſimis pœnis coërceatur. Ut ad muniriones contra Caniſam conſervandas, ut cohibendos prædones, & ad ſtipendia præſidiariis numeranda, quoniam in eo ſalus regni vertatur, paulo

Comitiorum acta.

1625. liberalius, quàm hactenus factum fuerit, tributum perſolvant. Addita nonnulla de ſecuritate itinerum, de vitanda familiaritate Turcarum, de Raba fluvio purgando, de pulvere tonnentario ex regno non avehendo, aliiſque ad regni ſalutem ſpectantibus; ſuper quibus uti proceres ſeriò conſulerent, Rex poſtulabat. Interim dum hæc deliberatio ſuſcipitur, & Cæſar paucorum querimoniis, qui militum licentiam, tempora iniqua, infidam Bethlenii vicinitatem, & Turcarum inſolentiam arguebant, ſatisfaceret; Ordines deinde duos Comitatus Eiſenſtadienſem, & Forchtenſteioianum à Cæſare oppignoratos redimerent, & regno rurſus aſſererent, de Cæſaris filio in patris locum ſufficiendo à paucis mentio eſt illata. Erant illi Archiepiſcopus Strigonienſis, Regni Primas, Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, & Eſterhaſius, qui propoſito periculo, ſi Rex ſine ſuceeſſore decederet, electionem illam modis omnibus ſuadebant. Catholici plerique, etſi adverſi non erant, negotii tamen difficultate terrebantur: quidam etiam eorum ſufficientibus ad id mandatis non inſtructi. Acatholici palam repugnabant, & præcipuè Legati Bethlenii, qui ſingulos prenſantes, contra jura Regni, contra libertatem ſuffragii id fieri aſtruebant, proponebantque exemplum Polonorum, qui quartum rogati à Rege, in electionem Uladislai vivo Rege conſentire noluerint. Falli in eo, quòd jacturam libertatis novi Regis gratiâ, quem tanto beneficio demerituri ſint, compenſaturos ſe credant, qui id non ſibi, ſed Cæſari parenti datum fuiſſe exiſtimaturus ſit, cùm adoleverit. Neque ſanè ſciri adhuc per ætatem poſſe, qualem eligant: Optimum quidem fore ſperari poſſe; ſed hanc ſpem ſæpè fefelliſſe. Adjiciebatur alia non minor difficultas, quod Legati Comitatuum & ditionum, penes quos erat ſuffragium, ejus rei poteſtatem nullam acceperant, propterea, quòd Cæſareæ convocationi nulla hujus electionis mentio fuerit inſerta.

Regis Ferdinandi ſucceſſor diſceptatur.

Hæc aliáque cùm electionem illam redderent difficilem, Epiſcopus tamen Strigonienſis & Eſterhaſius haud deſperabant, quin majorem ſaltem procerum partem ad ſe pertraherent: quare oſtendebant neceſſitatem atque evidens periculum, ſi Rege defuncto diuturnum ſit interregnum futurum, nemini utile, niſi iis, qui ex tumultibus commodum quærerent, & privata ulcera publicis calamitatibus obtegerent. Poſſe evenire, ut aſpiraret Bethlenius, aut Turca minus potentem invaderet, hinc non ipſi tantùm Uugariæ regno, ſed & ceteris Chriſtianis ditionibus, quibus illud velut munimentum objectum ſit, exitium imminere inevitabile; Rege autem jam electo, qui idoneus judicetur, vitari factiones, & ſtudia, & animorum contentiones, quibus ad perniciem atque interitum nihil unquam fuit efficacius. Neque diu quærendum, quis Ferdinando Cæſari ſuccederet, eſſe in domo ejus, inque omnium conſpectu filium juvenem, tantæ ſpei parem, atque ad majora progenitum. Quod de Polonia adductum ſit, hunc conferri non poſſe, eſſe alium Polonis, alium Ungaris electionis modum; hos ad proximum ſanguinis, ſi idoneus fuerit, vel ad Domum Auſtriacam obligari: illos ea omni natiooe, ex omni familia domóque poſſe quærere, cui regnum deferant. Ejuſmodi etiam exemplum in Polonia nunquam viſum, in Ungaria frequentiſſimè: alios aliis nationibus mores eſſe; Ungaros certè, ut ejus conſuetudinis pœniteret, nunquam accidiſſe, plena eſſe monumenta hiſtoriarum exemplis turbarum, quæ per interregna acciderint: imo vivis valentibuſque Regibus non deeſſe regnorum invaſores, quid futurum ubi Rex nullus fuerit. De poteſtate Legatorum non videri argumentum ſufficiens; illis, qui ad hæc comitia miſſi ſunt, id mandatum, ut ſaluti & commodis Reipub. quam optimè fideliſſiméque conſulerent; nihil autem magis è re omnium & ſingulorum eſſe, quam id, de quo jam ageretur negotium: igitur Legatos tam de eo, quam de ceteris ſententiam dicere, ac ſuffragium ferre poſſe. His aliiſque confirmati ſunt multorum animi, ut jam ſibi aliquid de electione promittere auderent. **1625.**

Promovet Eſterhaſius.

Interim etiam Legati regnorum Sclavoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ advenerunt, Catholici ferè omnes, ut jam non pares modò, ſed numero etiam ſuperarent, qui electionem malebant. Præmiſſa eſt tamen veluti in experimentum electio Palatini, qui eſt Prorex Ungariæ, quem magiſtratum Stanislaus Turſus haud multò ante defunctus geſſerat, Cæſar quatuor de more, duos Acatholicos, ſed inter illos Comitem Eſterhaſiū præcipuè Ordinibus commendaverat. Illi igitur eū magno numero ſuperantibus ſuffragiis ea dignitas ad mentem Cæſaris obveniſſet, nemo jam dubitabat, quin regia quoque electio ſuccederet: nam ſoli tantum Tranſylvani cum paucis aliis obluctabantur. Inter hæc vidua Budeani, inſtigantibus haud dubie Bethlenianis, Imperatricē aggredi auſa oſtendit, quantum ipſi hâc novi Regis deſignatione decederet, quæ defuncto Cæſare poſſet vidua jus atq; adminiſtrationem regni ejus ſuſcipere, eriq; & ad novi uſq; Regis inaugurationem retinere. Ceterum Auguſta actis Budeanæ gratiis pro eo in ſe affectu, nolle ſe, inquit, poſt Cæſarem vivere, multo minus regnare, itaq; jus illud Cæſaris filio libentiſſimè concedere.

Eſterhaſius fit Palatinus.

Porro confirmatâ jam in animis omnium electione, Cæſar advocatis extra ordinem in conſilium Carolo Caraffâ Nuntio Apoſtolico, Archiepiſcopo Strigonienſi, Cancellario Ungariæ, Legato Hiſpanico, & Eſterhaſio Palatino, præter arcani conſilii præcipuos, de coronatione novi Regis, quæ electioni ſuccedit deliberare inſtituit: & multi quidem ſtatim adhibendam cenſebant ob externam illam pompam, quæ in Ungarorum animis ad novi Regis amorem plurimum valeret. Tum pro matrimonio Infantis Hiſpanicæ, & Comitiis Imperialibus inſigniorem coronari quàm electi Regis titulum cenſebant; propterea etiam quod Auſtriaci titulum Electi haud facile admittant, qui jus ſibi in regnum Ungariæ attribuant hæreditarium. Alii tamen coronationem differendam cenſebant ſtudio Religionis, cui metuebant, ſi Rex in eaſdem conditiones jurare adigeretur, in quas pater ejus iniquiſſimo tempore fuerat compulſus; poſſe enim ex his mitigari aliqua credebant, ſi melior occaſio expectaretur. At qui ærario præerant, difficultates illius, & ingentes coronationis ſumptus cauſabantur; neque videbant, unde ad hanc rem pecuniam, & alendum dein Regem neceſſariam acciperent. Cæſar hac de re nihil, ſed ſolo Religionis periculo permotus, tandem conſtituit, ſolam electionem Ordinibus permittere, coronatione in alium tempus dilatâ. Quare per Palatinum propoſita, Ordines admiſêre electionem eâ conditione, ut Rex electus, quod aliàs à coronato fieri ſolebat, omnia regni privilegia tam ſacra quàm profana juramento confirmaret. Ita compulſus Cæſar,

Determinatur novi regis electio & coronatio

ne

ne negato joramento omnium à ſe àrocerum animos averteret, qui privilegiis ſuis tenaciſſimè inbærent, ooo electionem modò, ſed etiam coronationem permiſit.

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLI.

1626.

Ferdinandus filius fit Rex Ungariæ.

VIgeſimâ igitur ſextâ Novembris concordibus omnium Procerum ſuffragiis Ferdinandus Erneſtus Archidux, Cæſaris filius, Rex Ungariæ, ac ſucceſſor patri eligitur: tum poſtulatis ab Archiduce literis, quibus privilegia & pacta regia confirmaret, poſtquam illæ exhibitæ ſunt, electio publicata eſt magno tormentorum campanarumque ſtrepitu, & feſtivis acclamationibus multos annos, & felix regimen novo Regi optantium. Poſt hæc ordines, præeunte ſemper Archiepiſcopo Strigonienſi, Cæſarem adeunt, in ſublimi ſolio ſedentem, aſtante juxta Archiduce Ferdinando, ibi, poteſtate à Cœſare factâ, primum Strigonienſis, tum cætera nobilitas expoſitâ felici electionis ſerie Ferdioandum Regem ſalutârunt. Quibus cùm ille præparatâ oratione gratias egiſſet, fauſta omnia, ac diuturnam vitam Cæſari parenti precatus, ſolium ſibi adornatum conſcendit. Ibi rurſum à Palatino Eſterhaſio Ungarico idiomate Rex ſalutatur: Dein ab aſtante Procerum ac Nobilium multitudine oſculatâ manu adoratur. His interveniens Auguſta cum Archiduce Leopoldo Wilhelmo, gratulatione peractâ, novum Regem unà cum Cæſare ad proximam Eccleſiam deduxit, ibi Deo actæ ſolennes gratiæ, reliquum diei, & nox inſequens feſtivis ignibus, & læto tormentorum fragore traducta; coronatio dein in octavum Decembris diem, qui conceptæ Dei matris, regni patronæ ſacer eſt, conſtituitur, interim omnia, quæ huc pertinent, ſummo ſtudio apparata. Miſſi continuò, qui ſacrum diadema regio cum paludamento Poſonio aſportarent. Hæc Ungari ſummâ religione jam inde ab annis uſque ſeptingentis & ultra à S. Stephani primi Chriſtiani Regis temporibus aſſervant adhuc, quod mireris, non corona modò, ſed ſceptrum, gladius & globus, veſtéſque, integra omnia atque illæſa apparent. Cæterùm quantâ veneratione hunc theſaurum Ungari proſequantur, ex ritu atque ordine aſportantium intelligas.

Corona Ungarica quantum veneretur.

Procedebant Germani tubicines, tum Barones, aliique equitum magiſtri cum ſuis turmis cataphractorum: hos ſequebantur Ungaricorum Procerum primarii, cum magno Nobilium comitatu; tum tres Gubernatores Regnorum Dalmatiæ, Sclavoniæ & Croatiæ (vulgò Banni dicuntur) dein equitabant 50. ferè ex miniſtris Palatini Ungarici, leopardorum, tigridum aliarumque ferarum pellibus contecti. Poſt hos Palatinus ipſe medius inter Germanos atque Ungaros Barones, Conſiliarios Principéſque: tum corona ipſa cum cæteris regiis inſignibus currui Cæſareo impoſita vehebatur, quam 40. jam Reges geſtaverant: circa currum cuſtodes ſtipatoresque incedebant, non aliter, ac ſi Rex ipſe adeſſet. Agmen claudebant rhedæ quinquaginta, cum prætorianis, aliiſque tribus turmis cataphractorum, & certâ militum manu perpetuò ad coronæ præſidium deputatâ.

1626.

Modus & ordo coronationis.

Cùm igitur dies inaugurationis illuxiſſet, ſummo mane datum eſt tormento ſignum; ut Nobilitas conveniret, Cæſarem, Auguſtamque ad Eccleſiam deductura, qui ubi ad ſiniſtram chori partem in præparato ad id ſolio conſediſſent, Rex quoque inaugurandus cum magna Nobilium manu veſte attalicâ in morem Ungaricum ornatus, ad Eccleſiam proceſſit: quem mox Archiepiſcopus Colocenſis, & Epiſcopus Agrienſis in veſtibulo occurrentes, datâ luſtrali aquâ, exceptum, ad ſolium ei ſeorſim præparatum deduxêre; inde paulò pòſt ad ſummam aram, ubi Archiepiſcopus Strigonienſis ſacris operaturus, ac multis Prælatis circumdatus præſtolabatur, à primariis regni miniſtris deducitur. Rogatus deio Archiepiſcopus, ut eum in Regem Ungarorum coram univerſis Regni Ordinibus conſecraret, reſpondit, an præſentatum Principem idoneum agnoſcerent, atque ita fieri vellent? acclamantibus omnibus, ſe velle, ſurrexit Strigonienſis, atque Sacrum exorſus eſt. Ibi præter conſuetas in Regum inauguratione ceremonias Rex primum aræ gradum aſcendens gladium S. Stephani evaginavit; tum Palatinus ad latus Evangelii conſiſtens, & coronam de manu ſacrificantis accipiens, converſus ad populum magnâ voce clamavit: O regnum inclytum! O Ungari quotquot eſtis, vultisne hunc Ferdinandum Erneſtum Archiducem Auſtriæ ſacrâ S. Stephani coronâ ſolemniter inaugurari? reſpondentibus omnibus: Volumus, volumus; VIVAT REX, VIVAT REX. Archiepiſcopus coronam de manu Palatini recipiens regio capiti impoſuit. Sacro finito Rex versâ ad populum ſede, quatuor Equites ter gladio S. Stephani leviter percuſſos creavit: omnibus deinde ceremoniis finitis novus Rex regio adhuc ornatu inſignis extra oppidum in clivum quendam equũ adegit, ubi educto gladio, ut illi genti mos eſt, quatuor ictibus verſus quatuor mundi regiones aërem diverberans ſuæ majeſtatis ſpeciem dedit: tum moneta aurea, argenteaque in populum ſparſa ad palatium regreſſus magnifico exceptus eſt convivio, quod Cæſar ipſe cum Auguſta, tum Nuntio Apoſtol. Carolo Caraffa, Archiepiſcopis item Strigonienſi & Colocenſi, Legatiſque Hiſpanico, Florentino, & Palatioo Eſterhaſio celebravit; reliqua Nobilitas in alia aula per quinquaginta menſes dapſiliter diſcubuit.

Budæ ingens incendiũ Mansfeldius in Ungaria à Wallenſtainio cæſus Moraviam & Sileſiam depopulatur.

Circa idem ferè tempus ingens incendium Budam Ungariæ metropolim ultra mille domorum deflagratione fœdavit, hominibus etiam non paucis igne ſimul conſumptis: nec multò pòſt belli incendium ab Erneſto Mansfeldio eidem regno fuit illatum; hic enim poſtquam ad pontem Deſſavienſem à Wallenſtainio inſigni eſſet clade mulctatus, omnibus amiſſis ſignis, tormentis & impedimentis, ultraque ter mille tum cæſis, tum captis, per Marchionatum Brandeburgicum ducis Vinarienſis ſuppetiis confirmatus in Sileſiam & Moraviam movit, quas cùm

1626. rapinis, incendiis, exactionibus defœdâſſet, nec ullibi tutum, Wallenſteinio illum inſuper perſequente, conſiſtendi locum reperiſſet, iter flexit in Ungariam (relicto in Sileſia cum 12000. ex Danicis copiis Joaone Erneſto Vinarienſi, qui interim Carnoviam, Ratiboriam, Oppaviam, Treſchinium, aliáque verſus Moraviam loca intercepit) Bethlenii copiis ſe conjuncturus: quem è veſtiglo inſecutus toto cum exercitu Wallenſteinius, Marckam inter & Wagam ad inevitabiles certaminis anguſtias redegit; ſed patefacto eidem per Eliam Haskinm rebellem Ungarum tranſitu elapſus, Trenſchinum pervenit, inde deducto ad montanas urbes exercitu, ter mille levis armaturæ equitibus à Bethlenio fuit confirmatus, qui & ipſe quinto Kalend. Octobris Caſſoviâ ſuo cum exercitu movens, de majoribus Mansfeldio ferendis ſuppetiis cum ſuis Tranſſilvaniæ ordinibus deliberavit: interim tamen verſipellis, homo tam per literas, quàm legatum ſuum omnia ſua Cæſari ſtudia & obſequia defert, eo tum magis ſuſpecta, quòd eodem tempore magno Turcarum numero eſſet auctus, & Budenſis Vezirius factâ in viciniam irruptione, S. Andreæ munitionem & Thomæſchvveram interciperet, Novarioum & Werebellam fruſtra tentans circumſitos igne pagos deleret, multáque pecora & Chriſtianos in captivitatem abduceret, ac demum Novigradiam adortus tormentis quateret. Wallenſteinius quò citiùs Turcarum furori vim objiceret, primùm copiis aliquot Mansfeldium, quinque rurſus Ungarorum millibus à Bethlenio roboratum haud procul Poſonio aggreſſus; ſed amiſſis novem Gallorum turmis retrocedere coactus, ſecundo prælio gloriam recuperaturus, cùm pugnatum eſſet utrimq; fortiter, & æquali, eâque cruentâ cæde diſceſſum, Wallenſteinius toto cũ exercitu movit in Turcas Novigradiam tormentis pertinaciter verberantes: cujus adventu territi Turcæ & Bethlenius (qui ſuum ibidem exercitum illis conjunxerat) ſolutâ raptim obſidione, diviſiſque haud leviter minutis exercitibus diffugerunt, quos Wallenſteinius inſecututus, Weitzam intercipit, impoſitoque Poſonio valido præſidio Albam Regalem aggredi videbatur. Hic Bethlenius ulteriorem Wallenſteinii metuens progreſſum, inducias à Ferdinando Rege petit, & Eſterhaſii Palatini interventu ad menſem uſque Aprilem ſequentis anni 1627. obtinet. Tum Poſonii conventum, quòd Bethlenius nihil impoſterum hoſtile in Cæſarem & Domú Auſtriacam, ejuſque ditiones re aut conſilio attentaturum ſanctiſſimâ fide promittat, ſed exercitum ſuum eis ex dominiis quamprimum educturum; deſerturum ſe itaque Mansfeldium, cui tamen ſalvus Ungariam exeundi dabitur conductus: Damaſchum, illiuſque territorium à Turcis occupatum Bethlenii interventu reſtituetur, Turciſque ſic liber abeundi tranſitus permittetur, atque ita ad hyberna utrimque conceſſum; ſub quibus altera cum Turcis pacis tractatio Comorræ fuit inſtituta, & menſe Septembri anni 1627. concluſa, priorque confirmata fuit. Hoc anno fatis conceſſère Erneſtus Comes Mansfeldius duodecimâ Kalend. Decembris in oppido Rakova Boſniæ regno, dum Venetias tenderet: & pridie nonas Decembris Joannes Erneſtus Dux Saxoniæ Vinarienſis in oppido ſancti Martini regni Hungariæ.

Quem à Bethlenio confirmatũ Wallenſtein perſecutus

Prope Poſonium aggreditur.

Et Weitzam capit.

Induciæ cum Bethlenio & Turcis.

Mors Mansfeldii & Vinarienſis.

Annus milleſimus, ſexcenteſimus vigeſimus ſeptimus univerſali iterum jubilæo ab Urbano

1627. VIII. conceſſo celebris, & Ungariæ regno duplici Turcico Tranſſilvanicâ pace utcuoque pacificus anſam Cæſari dedit filium ſuum Ungariæ Regem Ferdinaodum III. in Bohemiæ quoque Regem coronandi: Viennâ igitur Pragam cum Eleonora conjuge, liberiſque, & inſigni comitatu profectus, Imperatricem undecimo Kalend. Decembris, die Præſentationis B. Virginis ſacro Reginam Bohemiæ; Ferdinandum autem filium quinque poſt dies Regem Bohemiæ curat inaugurari, eo ſolùm excepto, ne filius vivo patre regnum capeſceret. Coronatio nemine contradicente ſolemni ritu eſt peracta, adminiſtris Cardinale Harrachio Pragenſi Archiepiſc. & ſupremo Regni Burgravio Adamo Wallenſteinio; in qua illud quidem fuit diverſum, quòd Ferdinando Regi ſolus Archiepiſcopus; Imperatrici verò cum Archiepiſcopo Burgravius & Abbatiſſa S. Georgii, quæ regni princeps eſt, diadema regium imponerent.

Ferdinandus III. & Eleonora Reg. Bohemiæ coronantur.

Eodem anni inſequentis 1628. menſe Gabriel Bethlenius, Princeps Tranſſilvaniæ morbo hydropico obiit annorum unde quinquaginta; is uti per omnem vitam varius & inconſtans extitit; ita & in morte ipſa ſupremo voluntatis judicio mirus fuit: utrumque & Romanorum, & Turcarum Imperatorem, uti & prioris filium Ferdinandum III. inſigni legato proſecutus, ſingulos ſingulis phaleratos equos inſignes, nec non quadraginta ducatorum millia in auro ſingulis; conjugi verò ſuæ Catharinæ Brandeburgicæ præter aliquot dominia centum ducatorum millia, totidem imperalium, ac florenorum decem millia legavit. Teſtamenti Executorem Turcarum, viduæ & ducatûs tutorem Romanorum Imperatorem nominavit. De Ferdinando Cæſare id dixit teſtimonium: difficile, ac dubiæ aleæ plenum opus eſſe pugnare contra Ferdinandum, quem nec adverſa dejicerent, nec proſpera extollerent. Bethlenio Georgius Ragotzius, Ducatûs præfectus, invitâ viduâ, & prò Iſtuaneaffioe ſuo fruſtra allaborante (eò quòd viduæ mandatarius non Iſtuani, ſed occultè Ragotzio operam navâſſet Byaantii, atque ideo aquis ſuffocatus) favore primùm Turcarum, dein & Chriſtianorum Imperatorum, Ipſiuſque viduæ conſenſu, & unanimi demum Ordinum voto ſuffectus: cum prædicto Stephano, Bethlenii defuncti fratre, altero competitore tranſactum, ut in Georgii antea provincialis Præfecti locum ſurrogaretur, & Ferdinandus Cæſar & Rex miſſis Caſſoviam legatis repetivêre ditiones Caſſovienſem & Tocajenſem &c. quæ Bethlenio ad dies ſolùm vitæ fuerant permiſſæ: inde Hungaria ſuperior Cæſari Regique dat fidem, & in ſingulas familias quaternus promittit florenos.

Bethlenii mors & larga legata.

Ragotzius ſucceſſit.

Poſt hæc Ungariæ Rex Ferdinandus Mariæ Regis Hiſpaniæ ſorori matrimonio jam pridem deſtinatus, ejus adventum præſtolatur, quæ iter ex Hiſpania Viennam intendens, & adulto vere Barcinone ſolvens Neapolim conceſſit, ubi menſes aliquot commorata, dum ad terreſtre iter inſtituitur, Lauretum inde, omiſsâ Româ petiit, acceptâ ibi à Thadæo Barberino nomine Pontificis Urbani VIII. regio ſplendore, & pretioſiſſimis muneribus cumulata, Anconam perrexit, inde duodecim triremes Venetæ Tergeſtum avexêre, atque ibi ab Archiduce Leopoldo honorificentiſſimè excepta, & Viennam deducta, ſequentis anni 1631. Calend. Martii ſolemni pompâ matrimonium contraxit, copulante

Ferdinandus III. Maria Hiſpana deſponſatur.

Car-

1633. Cardinale Dieterichſteinio, Cæſare & Auguſtâ præſentibus.

Turca Ungariam invadunt,

Eodem interim tempore Turcæ numeroſis excurſionibus ungariam rurſus depopulantes, multos undique pagos incendiis, rapinis, & ultra 4000. Chriſtianorum captivitate deſœdabant, & Novarinum uſque, fame gravique tum inopiâ preſſum excurrentes, brevi illud, niſi portis opportunè clauſis intercepiſſent.

Et Ragotzius.

Ragotzius quoque haud contemnendis tum copiis movit in Eſterbaſium Palatinum ad Tranſſylvaniæ limites periculoſos, metuendoſque ejuſdem motus obſervantem, quam Ragotzius præliis aliquot rejiciens plurima loca occupavit: utriſque tamen paulò pòſt pacatis,

Ragotzium Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ ad propagandum Lutheraniſmum ſollicitat.

Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ, Romani Imperii, Domûſque Auſtriacæ hoſtis, per Legatum in ſuas partes Ragotzium propagandæ Lutheranæ ſuæ religionis ergo impenſè ſollicitabat, qui ad hoc promptiſſimus omnes vires in colligendis copiis, cogendoque exercitu primo vere in campum educendo adhibuit, evulgatâ juſti in Cæſarem belli fictione, quòd hic Ptepeſwarium proditionis in ſe (Ragotzium) ſub venatu interficiendum, reum, ſed à Palatino undique defenſum nollet extradere. Omnes tameo has Ragotzii machinationes una interrupit Bethlenii vidua, quæ, quòd cum Stephano Iſtuano eſſet Principatu dejecta, hujus inſtinctu & conſiliis Ragotzium Tranſſilvaniæ limites aut egredi prohibitura, aut illo egreſſo, ejuſdem Ducatûs viſcera juſto cum exercitu, hunc in finem parato, penetratura metuebatur: aliam tamen tentans Ragotzius Turcarum ſubſidio, & belli approbatione confirmatus erumpit;

Ragotzius ab Iſtuano tuditur.

at bino ternove conflictu ab Iſtuano rejectus, pacem rogavit, & obtinuit; ſicque Guſtavus Rex ſuo fraudatus petito, & Ungaria imminente liberata fuit belli diſcrimine, ac quieti reddita, quam uterque Orientis & Occidentis Imperator mutuâ, eâque ſplendidâ legatione per pacis renovationem confirmârunt.

Cùm jam Cæſar Ungariæ Regem Ferdinandum duplici auguſtali purpurâ ſeu togâ glorioſum, ſago quoque jam maturum & neceſſarium eo maximè tempore judicabat, quo Domus Auſtriaca ejuſque Imperia maximo everſionis nutabant diſcrimine, & neſcio an graviſſimum fuerit omnium, quod ad eum uſque diem Cæſar un-

1634. quam pertulerat; quod tamen initio anni milleſimi, ſexcenteſimi, trigeſimi quarti mirabili felicitate evaſit.

Wallenſteinus alta contra Cæſarem.

Ortum eſt illud, unde minimè debebat, ex potentia Alberti Wallenſteinii, Ducis Fridlandiæ, qui copiarum Cæſaris ſummus præfectus, cùm eâ poteſtate & ſuopte ingenio, ac facilitate Cæſaris impotentiùs uteretur, quàm addeceret miniſtrum, aut ratio privati hominis permitteret; incidit in illud præcipitium, omniû gentium anoalibus notiſſimum, quod plerοſque omnes altioris fortunæ filios repentè ex alto in imum proturbet. Nam poſtremis ſuæ præfecturæ menſibus Cæſaris mandatis non parere, pertentare ac ſollicitare in ſuas partes Ducum ac legionum animos, cum hoſtibus conferre conſilia, commiſſum ſibi à Cæſare exercitum ad hoſtes conſtituto jam loco ac tempore traducere ac conjungere, & apertè in partes eorum transgredi, imò præcipuos tribunos ad ſacramentum, fidem, & obſequium abſolutum ſibi ſoli, neglecto Cæſare, præſtandum adigere voluiſſe viſus eſt. Re ad Cæſarem maturè delatâ, jubet ille Wallenſteinium cum Terſcha, Illoo, cæteriſque conjuratis vivum aut mortuum in ſuam tradere po-

teſtatem: illud autem arduum & periculoſum, hoc tutius videbatur, incertis adhuc militum animis, quorum Wallenſteinius plurimos largitione, benevolentiâque jam occupaverat. Cædes igitur conjuratorum prima Ægræ ſexto decimo Kalend. Martii ſub cœna (ad quam Geraldinus vigiliarum præfectus Terſcham, Illoum, Nyɛmannum, & Kinſchium conjuratos invitaverat) feliciter peracta, poſt quam provectâ nocte Deverox Centurio cum fida ſuorum manu ad hoſpitium Wallenſteinii contendens, effracto cubiculi oſtio, eum ante lectum conſiſtentem (nam ad ſubitum tumultum conſurrexerat) haſtâ ſecundum pectus transverberat, quo vulnere ſtatim exanimis procubuit. 1634.

Wallenſteino percuſſo Ferdinandus III. exercitui præficitur.

Cæſar manifeſto ſic diſcrimini exemptus, poſt vota Deo liberatori perſoluta, ſtipendiorum partem exercitui tranſmiſit, & novum eidem ducem impoſuit filium ſuum Ferdinandum III. Ungariæ Bohemiæque Regem, qui ineunte menſe Majo cum magno procerum numero, & Ungaricis ſubſidiis in Bohemiam ad exercitum progreſſus, recenſitis copiis, renovatóque ſacramento, brevi res turbatas ſuâ compoſuit præſentiâ.

Capit Ratiſponam, Donawerdam &c.

Tum cum maxima copiarum parte ad Ratiſponam à Bernardo Vinarienſi ſuperiori anno interceptam, duxit obſidendam, quam etiam poſt bimeſtrem obſidionem, omni aditu ſuccurrendi Vinarienſi intercluſo, decimo ſeptimo Kalend. Auguſti 1634. deditione cepit: mox diſperſo exercitu Donawerdam, Anſpachium, & pleraq; ad Danubium loca recuperat, contractiſque ad ſe Hiſpanicis atque Italicis copiis 8000. quas Ferdinandus Cardinalis & Princeps Hiſpaniarum regendo Belgio, in locum Claræ Eugeniæ Gubernatricis priori anno defunctæ, deſtinatus ſecum ex Italia conduxerat, Nordlingam urbem obſidione circumvallat. Hornius Suedicæ militiæ ductor ut urbem ſibi hactenus fidam eriperet periculo, conducto unum in locum exercitu, quem ipſe & Vinarienſis diviſim regebant, contra Nordlingam caſtra cum Cæſareanis contulit.

Cædis internecivè propè Nordlingam Hornii,

Magno utrimq; animo concurſum ſeptimo Kalend. Septemb. ſed Sueci devicti nunquam toto hoc bello fœdiorem cladem accepêre; nam acie nutante, & ingenti ſtrage ab munimento per Cæſareos ſubcuniculato, & in aërem evibrato, equitatus præcipiti fugâ ſublatus, peditatum deſtituit, qui à Cæſareis circumventus aut cæſus aut captus eſt. Fama eſt eorum cecidiſſe duodecim millia, capta 6000. machinæ majores octoginta, 300. utriuſque generis ſigna, dein impedimenta, & apparatus militaris univerſus: ipſe Guſtavus Hornius, aliique magno numero tribuni & centuriones in poteſtatem victorum pervenête. Mox Ferdinandus Rex exercitum diſperſit, pars in Sueviam Bavariamque, pars in Franconiam Alſatiamque ducta; neque jam ulla urbs auſa reſiſtere, Nordlinga, Heilbronna,

Urbium victor plurium.

Heidelberga, Herbipolis, aliæque penè omnes in eo Tractu urbes in fidem & poteſtatem Cæſaris vi, aut voluntariâ deditione rediêre.

Ita rebus ex animi ſententia confectis, Ferdinandus Ungariæ Rex rerum militarium curâ Mathiæ Comiti Galaſſio commendatâ, Viennam glorioſiſſimus pervenit. Porrò Cæſar per Pragenſem cum Saxone pacificationem publicatam pacatâ utcunque Germaniâ (nam variæ mox urbes, Norimberga, Ulma, Francofurtum ad Mœnum ejectis Suedicis præſidiis ad Cæſaris obſequium & fidem rediêre) ſi-

ſimul

1636. multis curis & ætate fractus, ingraveſcente indies valetudine, de ſucceſſore imperio cœpit proſpicere. Itaque comitia creando Regi Romanorum Ratiſponam in menſem Decembrem 1636. jubet indici: eo præter Cæſarem, filiumque Ferdinandum Ungariæ Regem Electores Moguntinus, Colonienſis & Bavarus, dein Legati Saxonis & Brandeburgici advenêre, Trevirenſis Philippus Chriſtophorus, quòd Gallicas partes invito Capitulo ſecutus in cuſtodia Viennæ detinebatur. Aderant præterea Anglicani, Poloni, Tartarici, aliorúmque Principum Oratores alii, aliis ex cauſis. Porro Cæſar coram Electoribus præſentibus, legatiſque abſentium cauſam conventûs illius prolixè expoſuit; ſumma orationis erat: Quoniam ipſe ſub gravi hactenus Imperii & curarum onere ad eam paulatim virium ac valetudinis imbecillitatem perveniſſet, ut haud diu amplius tanto ponderi ferendo par eſſe poſſit, cupere atque optare, ut Electores ſibi de ſocio laborum, Imperio de Rege Romanorum provideant, id ad ſui non minus ſolatium ac levamen, quàm Imperii ſtabilimentum, ac tranquillitatem pertinere, cui nihil luctuoſius accidere poſſit, quàm ut hoc turbatiſſimo ſtatu ſine Rectore & capite relinquatur. Porro diu dubitari non poſſe, qui id in faſtigium ſit evehendus, cùm ſibi Deus immortalis filium dediſſet, jam Ungariæ & Bohemiæ Regem, ita inſtitutum à teneris, & quaſi inter regna & gubernacula natum, ut ad tanti muneris dignitatem idoneis virtutibus ſuſtentandam nihil deſiderari poſſit. Dediſſe illum jam ante biennium ſpecimen virtutis ac felicitatis ſuæ, cæſo apud Nordlingam Suedico exercitu, quâ victoriâ tota penè Germania ad obſequium fidemque Imperii rediſſet. Ab eo tempore Imperialis militiæ regimen feliciter inchoatum, adhucdum pari prudentiâ gerere: addidit deindè aliqua de pace Pragenſi per Imperium recipienda, utque de univerſali tandem pace ac tranquillitate Electores in commune conſulerent enixè rogavit. Poſt hæc Electores habitis inter ſe aliquot conſultationibus, & demum accepto à ſenatu populoque Ratiſponenſi fidelitatis ac ſecuritatis juramento, ad eligendum novum Cæſarem procedunt. Summo mane omnes habitu Electorali induti hoc ordine ad Eccleſiam Cathedralem profecti ſunt. Primò Moguntinus & Colonienſis, poſt hos Rex Bohemiæ & Bavarus, poſtremò Saxonis & Brandeburgici legati. Mox ſacro Miſſæ officio de S. Spiritu ſolemniter celebrato, in vicinum atque ad id exornatum ſacellum Electores prodeunt: ibi concordibus omnium ſuffragiis Ferdinandus III. Rex Ungariæ Bohemiæque in Regem Romanorum eligitur. Paucos deinde poſt dies electum Regem Archiepiſcopus Moguntinus inter ſolitas ſolemnis ſacrificii ceremonias conſueto more inaugurat. Quibus omnibus magnifico apparatu abſolutis, ne quid ad tantæ dignitatis complementum deeſſet, ſub initium anni ſequentis novi Regis conjunx Maria Hiſpanica iiſdem propè ceremoniis in Romanorum Imperatricem initiata eſt. Utraque inauguratio regio excepta convivio, & dein omni ludorum genere, ac triumphalium ignium feſtivo apparatu finita eſt.

Ferdinandus Ratiſponæ in comitiis filium ſucceſſorem petit.

Modus electionis Reg. Rom.

Ferdinandus & Maria uxor coronantur.

Paulò ante hæc Georgius Ragotzius cum Iſtuano, ſeu Stephano Bethlenio (defuncti Gabrielis Bethlenii, ut dixi, principis Tranſſyl. fratre) ejuſdemque filio Petro Bethlenio inimicitias primùm, dein bellum habuit, tum ob interfectum ſuum ab illis amicum, tum quòd illos Principatûs ſui haberet inſidiatores: propterea Stephanus ad Baſſam Budenſem profugus tantas ab eo obtinet ſuppetias, ut viginti millium exercitum duxerit in Ragotzium, Auſtriaco tunc ſubſidio ſuffultum; commiſſo ad Scalantham acri prælio, fuſi fugatique cum Bethlenio Turcæ amiſſis tribus tormentis, undecim ſignis, omnique militari apparatu, cecidêre præter plures paludibus ſubmerſos, mille quingenti. Nec tamen quievit Bethlenius; ſed cum per Salymyum David duo militum millia Guſtavo Regi Sueciæ deſtinanda, ut ajebat, collegiſſet, eoſdemque re ſuſpectâ Ragotzius diſſipâſſet, conſpiratio in caput Principis per venatum eſt conſtituta; cujus per ipſum Salymyum Ragotzius opportunè præmonitus, abſtinuit, immiſſoque in locum inſidiarum equitatu, incautos inſidiatores omnes, præter Bethlenium fugâ in Thraciam elapſum, interfecit, & Salymyum inſidiarum fortè complicem horribili carceri mancipavit, unde nec Cæſaris, nec ullis aliorum precibus eximi potuit: Bethlenii res autem amicorum poſtea interventu cum Ragotzio eò facilius eſt compoſita, quòd ille nullum à Turcis auxilium ſperare poterat, qui tunc in bellum Perſicum intenti omnes eo vires contulerant; trecenta bellatorum millia tunc Amurathes Imperator adverſum Perſas in Armeniam eduxerat, cæſoque ac profligato Perſico exercitu, Rovanum nobilem apud mare Caſpium urbem cum provinciis adjunctis in poteſtatem redegerat. Cæterum Turcis major in vincendo, & capiendo gloriæ cupiditas, quàm fuit cura in conſervando; mox enim ut Amurathes Conſtantinopolim rediit, quidquid ſuperiore expeditione Perſæ amiſerant, levi compendio recuperavêre. 1636.

Ragotzius Iſtuanum fundit.

Turcæ victis Perſis Rovanũ capiunt, mox amittunt.

Ne quid autem interea Reſpubl. Ungarica ex pluribus Turcarum Tranſſilvanorumque ſuſpectis, eiſque infeſtis motibus pateretur detrimenti, Cæſar per Palatinum limites vicinaſque arces, Novarinum, Nitriam &c. ſufficienti præſidio jubet inſtrui: Amurathes autem miſſo Viennam internuntio ſubmiſſum Bethlenio ſubſidiũ non pacis infringendæ, ſed Ragotzium continendi, coërcendique causâ voluit excuſatum, idcoque Baſſam Budenſem capite minui juſſit, quòd infelicibus illis cum Ragotzio velitationibus plurimæ Turcis ſubjectæ urbes & pagi funditus fuerint devaſtati.

Initio anni milleſimi, ſexenteſimi trigeſimi ſeptimi, menſe Februario Cæſar Ferdinandus II. Ratiſponâ Viennam reverſus, & jam pridem debilitate, ac malâ corporis valetudine afflictus, integris ſenſibus, & magnâ in Deum pietate ex hac vita decimo quinto Kalend. Martii exceſſit, anno ætatis quinquageſimo nono: Princeps omnibus regiis virtutibus ornatiſſimus, ſed pietate ac religione nulli ante ſe Cæſarum ſecundus, nihil magis in omni vita ſua optaviſſe dicitur, quàm ut ſuis in provinciis, ac tum toto Imperio antiquæ religionis verum decus, & cum eo ſtabilem ac firmam pacem reduceret; viſus eſt propterea non ſemel ſeſe, ac totam Auguſtiſſimam Domum in extremum projicere diſcrimen, quod tamen mirâ Dei providentiâ ſemper evaſit. Amicos, & religioſos præſertim dilexit tenerrimè: inimicis atque adverſariis ſuis etiam infeſtiſſimis ſæpe gratiam & veniam obtulit, redeunteſque amantiſſimè excepit, & majore quam ſi nunquam peccâſſent, benevolentiâ eſt complexus, adeo ut vulgo jactaretur, ad magnitudinem 1637.

Obitus Ferdinandi II.

Religionis Catholicæ aſſertor.

Ejus virtutes.

1637. tudinem amicitiæ Cæſaris præſtare, prius offendiſſe. Hoſtes, quorum in omni vita quamplurimos habuit, eodem planè affectu proſecutus eſt, neque ulli unquam maledixit; ſæpè auditus in familiari colloquio, ſi quis in hoſtem acerbius dixiſſet, reprehendere & caſtigare imprudentiam cavillantis, & ſermonem alio divertere. Munificentia & clementia in eo tantæ fuerunt, ut quibuſdam modum excedere videretur; quorum tamen judiciis nihil movebatur, ratus proprium Principis munus eſſe quamplurimis benefacere. Laborum atque occupationum omnino patientiſſimus fuit; ſæpè dicere ſolitus; id ſe maximum à Deo beneficium accepiſſe, quòd in tanta negotiorum multitudine labores amaret: venatione ad neceſſariam corporis exercitationem, muſicâ ad oblectationē animi frequentiſſimè utebatur. Caſtitatis & continentiæ cultor fuit præcipuus, cum nulla unquam, etiam Principe fœmina locutus, niſi teſte totâ aulâ, aut ſi res ſecretum exigeret, ipsâ ſaltem Auguſtâ conjuge in colloquium advocatâ. Natus eſt anno ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo octavo in Stiria patre Carolo Archiduce, Ferdinandi I. Cæſaris fratre, matre Maria Duce Bavariæ. Anno ſæculari, mortuo jam dudum patre, Mariam Annam, Wilhelmi Ducis Bavariæ filiam, in matrimoniū, & ex ea ſex liberos accepit, quam cum duabus prioribus prolibus ante Imperium amiſit, deinde ſexto viduitatis anno, ac jam Cæſar, Eleonoram Mantuæ Ducem ſecundis nuptiis duxit. Defuncto Cæſari per omne Imperium & vicina regna, Conſtantinopoli quoque permiſſu Amurathis, ab Oratoribus Principum Chriſtianorum regio apparatu fuit parentatum. Porro mors optatiſſimi Principis, etſi in eo Imperii ſtatu, flagrantibus adhuc bellis, bonis omnibus funeſtiſſima accidit; publicum tamen dolorem magnâ parte abſterſit parentis ſucceſſor filius Ferdinandus III. paternarum non modò ditionum, ſed virtutum etiam & gloriæ hæres.

Paſmanni Card. mors, & virtutes.

Poſonii quoque deceſſit è vita Petrus Paſmanous Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, vir literarum & virtutum claritudine inſignis; egregius ſemper Catholicæ fidei ac religionis non minus, ac regni Ungarici defenſor, ac columna; ſtudiorum verò, & eccleſiaſtici decoris eximius cultor, in quam rem multa per omnem vitam aureorum millia liberaliter effudit, prudentiſſimus ſacri patrimonii diſpenſator.

Ferdinandus III. Poſonii comitia Ung. indicit.

Ferdinandus III. arrepto regiminis gubernaculo Poſonium in menſem Novembrem indixit comitia, quo ipſe cum conjuge ſua quinto Idus Novembris hujus anni comparuit, ſplendidiſſimo Ordinum comitatu, quatuor equitum, & totidem ferè peditum millibus milliari ante urbem exceptus, latino ibidem ſermone comitiorum argumentum propoſuit, & ſcripto tradidit Patribus ſerio conſulendum: quâ præcipuè viâ modove omnes præter Catholicam heterodoxæ religiones, diſcordiarum plerumque ſemina, regno eliminarentur.

Lutheraniſmū exterminare molitur.

Sed graves inde ſtatim & diuturnæ inter Catholicos & Lutheranos Ordines exortæ contentiones, multæque heterodoxorum exulantium expoſtulationes, quòd Rex Poſonii gravibus impenſis jacta Lutheranæ Eccleſiæ fundamenta ulterius extrui prohibuerit; quas cùm nec terrore viſus tum Poſonii cometes, nec ipſe Cæſar auguſtali ſuâ præſentiâ & auctoritate, nec
1638. ullâ poſſet ſopire viâ, menſe tandem Martio anni inſequentis poſt infinitas rixas liberum religionis exercitium, quale tempore Mathiæ Regis 1608. fuit permiſſum, decretiſque pòſt Regi a Patribus ſexcentis florenorum millibus, Cæſar 1638.

Sed cogitur permittere.

ſexto Kalend. Aprilis Viennam incolumis appulit: Evangelici verò Ordines novo Caſſoviæ indicto conventu de reſtituendis ſibi fanis ac delubris plenius conſultabant: Nihilo tamen minus Ferdinandus æmulator paterni zeli, tenax propoſiti, pacatâ aliàs utcunque adhucdum Ungariâ (niſi quòd mutuis quandoque excurſionibus Chriſtiani Turcas, & hi illos non ſine gravi utriuſque damno laceſſerent; quod tamen Turcæ miſſo Viennam Internuntio excuſantes, pacem ſemper petebant inviolatam) Palatino regni Nicolao Eſterhaſio mandat Bohemorum, cæterarúmque provinciarum exemplo heterodoxas religiones eliminari, templa ſcholáſque reformari, mores, ceremonias & fidem Catholicam, non obſtantibus hæreticorum queſtubus introduci.

Quædam tamen, uti in Bohemia illis adimit.

Quod hi ægerrimè ferentes, magno numero Viennam confluunt, urgentque nova proximè indicenda comitia; Cæſar autem in commodius ea tempus, ob imminentes Turcarum excurſiones differenda, eaſque limitum differentias, ob quas illæ fierent excurſiones, amicè priùs componendas volebat, id quod etiam iteratò remiſſus Turcarum internuntius ad pacis continuationem petebat. Ablegatus igitur in hanc rem Comes Althemius cum Ungarico Cancellario &c. qui cùm repeterent vi ablatas interim urbes pagoſque, dein pactorum cum Purpurato Mahomet anno 1605. fœderum confirmationem, Turcarum Internuntius ea recuſare, & occupata non ſolùm retinere, ſed & plura minaciter extorquere, nec ullâ ratione, oblatisve muneribus ab ea mente potuit amoveri. Cæſar ne præter Suecicum Gallicumque pluribus implicaretur bellis, in has menſe Martio 1642. conſenſit conditiones: 1mò Elapſis 1642.

Tranſactio Cæſareo-Turcica.

pacis Zigethenſis novem annis, undecim addantur, ſicque in annos viginti pax reſtauretur, ſervatis inviolatè iis, quæ Sitwatorocki, Viennæ, Comorræ, Giarmath, & Sigethi tranſacta fuerunt. 2dò De ablatis poſt Zigethenſem pacificationem dominiis vicisque, extructis quoque in finibus Croatiæ munimentis per Commiſſarios tranſigatur, remittatúrque ad Portam differentia Epiſcopatûs Vacenſis, & in eo ſiti caſtelli Palantwar. 3tiò Quinqueeccleſienſes, aliique ſacerdotes tam ſæculares quàm regulares & Jeſuitæ, ſimiliter Nobiles, ruricolæque ſua bona, ut hactenus, ſecundùm priores tranſactiones quietè poſſideant: excurſores autem tanquam pacis violatores utrimque vitâ privabuntur. 4tò denique omnes à 4. Auguſti 1641. uſque huc captivi utrimque dimittantur; atque hæc ab utroque Imperatore ratificabuntur. Voluit inſuper Ottomannus miſſâ apud utramque aulam ſplendidâ legatione ſumptuoſiſque donariis ratā ſubſcriptamq; pacificationē hanc extradi; quod ex temporum injuria Cæſar ſubterfugiens, miſit eam allaturum Internuntium Ulricum, cui Budenſis Vezirius ea de cauſa, & quòd conſueta donaria, ut ajebat debita, & hucuſque quadriennio dilata tranſitum in ſerum annum negavit.

Hæreticorum Ungarorum querela.

Ungarici interim Ordines, & maximè Calvino-Lutherani perurgebant Comitia in Majum quidem menſem indicta, & ultra Decembrem, ſine ullo hactenus gravaminum levamine prorogata, quo gravibus, inſolitiſque exactionibus, religionis oppreſſione, regni in nupera cum Turcis pacificatione, diminutione, ſicque monarchico Cæſaris imperio ſuam violari privilegiorum

1643. giorum libertatem querebantur: quibus per delegatos ad eos Comites Curtium & Kevenhullerum justis rationibus aliquantulum pacatis, in alterum annum eorum conſenſu, & urgentibus utique cauſis ſunt comitia delata.

Ragotzius à Gallis & Suecis ad invadendum Cæſarem ſollicitatur.

Nam Ragotzius inito cum Gallis & Torſtenſonio fœdere hæreditarias Cæſaris provincias, aut Hungariam valido viginti millium exercitu invadere ſollicitabatur; illud tamen quia ſine Ottomannici Imperatoris juſſu, licentiave non licuit, retardata quidem eſt expeditio; Cæſar autem præventurus periculum, convocatos univerſim ad arma Ungaros Germanis conjungi, communibuſque armis hoſtem patriâ jubebat avertere. Illud omnino Ungari recuſabant, quòd Epiſcopi Jaurinenſis inſtinctu dicerét, eſſe contra privilegia ſua Ungaricum militem & nobilitatem patria educere, quæ hoſtem adhuc neſciret; Ragotzium literis, & fide datâ non metuendum; quæ ſi foret ambigua, vel ideo militem non educendum patriâ, iteratis Turcarum excurſionibus ita expoſitâ, ut præter alias mentito nuper Ungarico veſtitu Vivarinum fermè ab ipſis interceptum, dolo tamen detecto plures capti, cæteri fugâ ſublati. Illarum autem excurſionum cauſa hæc erat potiſſima, quòd pacis tractatus elapſo anno concluſi necdum mutuâ, eâque muneribus ſplendidâ & pretioſâ extraditionis legatione eſſet confirmata: quam quidem Cæſareus ad Portam Ottomannicam Reſidens propediem aſſerebat affuturam, idemque confirmabat Zelephinus Prælatus Ungaricus, vir pius & admodum doctus ea de re Conſtantinopolim ablegatus; ſed graviſſimis à ſupremo Vezirio minis & contumeliis affectus, arreſto etiam fuit mancipatus; ubi interim Gallorum, Suecorum & Batavorum Internuntii clandeſtinè pro Ragotzio militare Ottomanni ſubſidium & conſenſum oppugnandi Cæſarem impenſe ſollicitabant: nec Ottomannus ſe pacis fœdera violaturum credebat, ſi otioſum militem ſuum Romano Cæſari contra Gallum & Suecum ſpontè oblatum, ſed prudenter recuſatum, eundem Ragotzio Cæſarem oppugnaturo permitteret. Cum verò Zelephinus illud non modò paci directè contrarium, ſed & imperio Turcico non prodeſſe, & plurimum obeſſe verbis & nervoſo ſcripto demonſtraret, arreſto, &

1644. Ragotzius Ungaricam libertatem & religionẽ reſtaurare molitur.

vitæ periculo liber, rebúſque quantum licuit expeditis Viennam redut: ubi jam tum bellica Ragotzii conſilia quo tenderent, quæve eorum cauſæ publico ad Ungaricos Ordines ſcripto, ſub dato 17. Februarii 1644. præferebantur: Quòd ſua hæc nempe arma libertatis Ungaricæ vindices liberum religionis exercitium hactenus oppreſſum, pactaque & conventa ſuperiorum tranſactionum hucuſque neglecta, immutata vellet, cuperetque ea reducere & reſtaurare.

Ungariã invadit.

Septuaginta igitur millium exercitu Ragotzius in Ungariã progreſſus, Eperieſum, Leutſch, Sendick, & Caſſoviam invadit: hanc Forgatſchius Comes generosè quidem defendit, ab invitis tamen civibus ad deditionem coactus, præſidiarios inde 400. Ungaros, & ducentos Germanos alio traduxit. Cæſar interim Ragotzium patriæ hoſtem publico Manifeſto declarans, evocatum è Moravia Comitem Bucheimium eidem cum parte Cæſarei exercitûs, quindecim equeſtribus, & quinque pedeſtribus legionibus, firmâque Ungarorum manu oppoſuit; qui licet impar numero, impetum tamen ejus diu fortiter ſuſtinuit, nam adveniente Bucheimio Ragotzius fruſtra oppugnatum Villeckum deſerens Caſſoviam verſus regreditur; quem inſecutus Bucheimius duûm duorum millium comitatu hoſtis caſtra viresque exploraret, inopinatè à ſex millibus Ragotzianis, & 2000. limitaneis Turcis

1644.

à Bucheimio cæſus.

circumcinctus cogitur pugnare, & quamvis numero inferior, animo tamen & fortitudine ſuperior hoſtem non levi clade afficit, ſigniſque ſex obtentis in fugam compulit; amiſſis ſuorum ſexcentis. Sic tribunus etiam Stahlius primum agmen Ragotzii aggreſſus, cæſis plurimis captivum Andream Fargonem, ſexque alios tribunos præter gregarios plures, quatuor ſigna equeſtria cepit.

à Turcis derelictus.

His improſperis velitationibus territi Turcæ relictis Ragotzii caſtris ad ſua redierunt; ipſe verò Caſſoviâ firmiori præſidio munitâ Saroſpataci ad Tibiſcum conſidens duorum dierum inducias, liberumque à Palatino abitum poſtulavit; hoc permiſſo, illis autem denegatis, Caſſoviam Palatinus circumcingit; at tormentorum annonæque defectu eam deſerens Saros contendit, ubi Sigiſmundum Lonianum, & Stephanum Schovvodum Transſylvanos pacis caduceatores invenit: quæ mox tamen eſt interrupta, dum ſupremus Ragotzii Dux Gabriel Bakos validâ manu & tormentis per Kemini-Janum & Bornemiſſam confirmatus plenâ acie, magnâque Cæſareanos violentiâ ad Samos invadit, ſed

Iterum cæditur.

pertinaci utrimque conflictu Bakas tandem cæſus eſt & fugatus, indéque Tirnam regius exercitus conceſſit, qui quia plurimum crebris velitationibus, annonæ penuriâ, morbiſque decreverat, defectum ejuſdem Bucheimius Cæſari remonſtraturus Viennam abiit, & ſexdecim Ragotziana ſigna contulit; unde tertio Kalend. Julii magnus ad Portam Ottomannicam Legatus Hermannus Comes Tſcherinus conſcenſis navibus ducentorum hominum comitatu, & octoginta millium florenorum pretioſis donariis (uti Turcæ ſæpius importunè exegerant) Conſtantinopolim pacis mutuò extradendæ causâ profectus eſt.

Ferdinandus Tirnaviam Ragotzius Caſſoviam indicunt comitia.

Eodem ferè tempore Ragotzius Caſſoviam, Ferdinandus Cæſar Tirnaviam indicit comitia, quin ſexto Idus Auguſti Rodulphus Comes Tiefenbachius Commiſſarius ablegatus tantum apud Ordines effecit, ut tria Polonorum, totidemque Ungarorum millia ſuo ære conſcribenda, ſufficientemque commeatum alendo exercitui providendum decernerent. Caſſovienſium verò alius Comitiorum, quàm Ragotzius ſperaverat, erat exitus; Turcarum nempe Imperator militare eidem negabat ſubſidium, niſi Ragotzius præter Transſylvaniam ſeptem citra Tibiſcum comitatus, uti prædeceſſor Gabriel Bethlemus fecerat, Ottomannico ſubjiceret dominio: quod quia Ragotzio diſplicebat, & bellum Ordinibus, qui pacem maluiſſent, retractis in patriam copiis ad pacem eſt compulſus, quam eò proclivius Cæſar amplexus, quo majore curâ viribúſque bello Suecico inſiſteret: cui tranſigendæ deſtinati à Cæſare fuerunt Palatinus Nicolaus Eſterhaſius, Tiefenbachius, Schlickius & Queſtenbergius.

Arcem Muranã Weſſelinus capit

Inter hos pacis tractatus Comes Weſſelinus Vileci præfectus inſigni ſtratagemate munitiſſimam Muranam arcem, haud longè Caſſoviâ diſſitam Ragotzii manibus ereptam Cæſari ſic reſtituit: humaniſſimis literis ad juniorem ibidem Comitiſſam deſtinatis, eam ſibi unicè dilectam deſponſari ſignificavit; neceſſe igitur, & optare ſe quædam præloqui, modò vellet, juberetque in ſilva arci vicina benignas aures præbere. Condictâ die ac loco Comitiſſam

Weſſe-

1645. Weſſelinus paulò ſuprà conſuetô militum comitatu ſtipatus convenit, & erogato primitùs liberaliori vini hauſtu arcis præſidiariis, hujus ſine dubio procationis haud ignaris, ideoque iterato ſanitatis felicitatisque hauſtu oppletis, Weſſelinus cum ſuis arcem interfectis præſidiariis occupat, ingentemque auri vim, à patriæ Ordinibus ſecuritatis causâ eo depoſitam invenit.

Bucheimius Ragotzium fundit.

Dum interim Ragotzius Senderum circumvallatum teneret, indeque Caſſoviam uſque à Comite Gôtzio repulſus neceſſarium urbi ſub quater mille equitum cuſtodia juberet inferre, circumventus hic ad Tockajum in poteſtate Bucheimiu devenit: 1500. boves, omnis apparatus, 2000. equi, cæſi præter omnes chiliarchas 2000. capti centum quinquaginta, equeſtria ſigna decem, & quatuor tympana. Hac clade compulſus Ragotzius miſſo Tirnam ſplendido comitatu Loniajo, pacis negotium jubet urgeri, & in hoc præcipuè liberum religionis exercitium, & templa ab anno 1608. Evangelicis huc uſque adempta reſtitui, quorum raptores puniri, & Patres Societatis regno eliminari omninò poſtulavit. Sed cùm his Palatinus & Archiepiſcopus Strigonienſis mordicùs contradicerent, retardata eſt compoſitio, & Ragotzius Watadini novum auctorabat militem: Gôtzius autem è finibus Tockai & Senderi ad montanas urbes commeatûs inopiâ divertens Germanis hyberna aſſignavit, dimiſſis ad ſua Ungaris, Croatis & Polonis.

Pace vix pact.: Ragotzius Suecis Moraviam invadentibus ſuccurrit.

1645. Altero anno, qui erat milleſimus, ſexcenteſimus quadrageſimus quintus, poſtquam Ragotzius Primogenitum à patriæ ſtatibus in regni ſui ſucceſſorem electum, Domicellæ Bathoriæ deſponsâſſet, prævideretque pacem haud coalituram, quòd ſordida magis quàm juſta ejus eſſent poſtulata a 2000. exercitu in menſe Februario Moraviam verſus contendit, quaſi Olmutium à Suecis priori anno interceptum, & jam à Cæſareis circumvallatum liberaturus: audiens verò pacificationem in primario religionis puncto Tirnæ expeditam, ſubſtitit; quâ liberum religionis exercitium ſecundum majeſtatis literas, ut vocabant, & prævia coronationis Mathiæ pacta 1708. inita, permiſſum, nec non fuſius explicatum fuit. Pace vix confectâ, & abeuntibus Gôtzio in Sileſiam, & Bucheimio Viennam, dum Torſtenſohnius Suecorum Dux Auſtriam invadens ad Viennæ uſque mœnia excurreret, placuit hæc occaſio illa, quæ Tirnæ non poterat, extorquendi poſtulata: Gab. Bakonem igitur cum ſex mille Tranſylvanis ad Duglaſſium Suecorum tribunum in Moravia finibus Ungariæ inhærentem dimittit, qui conjunctis copiis Poſonium uſque non ſine populatione excurrentes tantum regnicolis incuſsère terrorem, ut Palatinus coronam, cæteraque Regalia Jaurinum transferret, & Wilhelmus Archidux Cæſarei Ducis mareſchallus juratam à Poſonienſi ſenatu ac civibus fidem exigeret; quâ promptè fortitérque acceptâ, & arce 400. præſidiariis firmatâ, Viennam reverſus reperit Comitem Tſcherninum cum Internuntio Turcico Conſtantinopoli pridie Kalend. Junii cum pacis ratificatione ſplendidè reverſum. Interea Duglaſius cum Bakone Tirnam deditione capit, ſed paulò pòſt ejus diſceſſum, Catholici cives ejecto Ragotziano præſidio Adamum Forgatſchium tribunum Cæſ. non ſine Duglaſii Ragotziique ſtomachatione recipiunt; quare Ragotzius cum filio & conjuge ſua, ſimul & triginta millium exercitu Caſſoviâ movet Senderum jam tum a primis ejus agminibus circumcinctum; ſed generoſâ inde propugnatione turpiter repulſus, Villecum verſus & montanas urbes digreſſus, filium cum firma manu in Moraviam Suecis miſit ſubſidio, qui Duglaſio conjunctus & Tirnam recuperat, & plurimis hinc & inde Ungarôrum Germanorumquè carptim cæſis in Suecorum caſtris ad Brunam Torſtenſohnium convenit, atq; ſic iteratâ demum conventione extorſit Cæſari Ragotzius, ut Sileſiæ principatus Oppelenſis & Ratiborienſis, ſimul & ſeptem ſuperioris Ungariæ Comitatus eo, quo Berhlenius jure ſibi traderentur, & Imper. Princeps diceretur; Deinde Eccleſiæ in ſtatum anni 1618. reducerentur, & cætera proximis in Comitiis componerentur, ſicque pax die Bartholomæi publicata, & præter omnium expectationē Tranſylvanicæ copiæ à Suecis in patriam ſunt reductæ. Sub hoc pacis tractatu obiit regni Palatinus Nicolaus Comet Eſterhaſius de Galanta, ætatis anno ſexageſimo tertio climacterico, palatinatûs vigeſimo, ex heterodoxo factus Catholicus, multa idcirco perpeſſus odia, egregia regno fideliſſimus præſtitit officia. 1645.

Ambo Viennā & Poſonium excurrunt.

Tirnam capiunt.

Ragotzio Oppelenſis & Ratiborienſis Princip. permittuntur.

Eſterhaſii Palat. mors.

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLII.

Pacatâ nunc utcunque Tranſylvaniâ, & pace cum Turcis confirmatâ (niſi quòd ſubinde horum excurſiones paſſi indigenæ, & Carlſtadienſes quidem periculoſam invaſionem, niſi eorum antevertiſſet vigilantia) Cæſar menſe Auguſto ad indicta Presburgi comitia magno comitatu profectus, Ordinibus patriæ pacem & unitatem præ cæteris commendat, & quâ viâ modove limitaneæ arces & urbes communiti milite, annonâ & bellico apparatu: exhauſti nervus ærarii ſuppleri, & exolvi ſtipendia militi poſſint ac debeant ſollicitè ac maturè conſultent. Tum Cæſaris juſſu coronâ Regni Ungarici ſex & quadraginta ſejugibus carpentis per primam nobilitatem Jaurino Poſonium honorificè deductâ, Patres novi Palatini electioni accinguntur, & centum quinquaginta votis Joannes Draskowitius Croatiæ Banus electus & proclamatus fuit, ſummâ omnium gratificatione: quâ finitâ Lutherani ac Reformati Status id quod aliàs ſæpius, & in nupera Ragotziana pacificatione à Cæſare permiſſum conceſſumque permaximè urgebant, libertatem ſciſicet religionis, & templorum omnium (ſexaginta modò receperant) reſtitutionem, Patrum deinde Societatis eliminationem, & ex ingentibus Catholicorum, Eccleſiaſticorum maximè reditibus limitanearum arcium reſtau-

Draſcowitius in comitiis Banus Croatiæ eligitur.

1647. rationem. His Catholici Ordines majori conſtantiâ non modò ſe opponere, ſed Ragotziana pacta reſcindi potius maluerunt, & ut Cæſar reſcinderet, petierunt.

Catholicorum & acatholicorum diſceptatio, & compoſitio.

Hic autem, cùm Catholicorum zelum ſemper indefeſſum, & heterodoxorum pertinaciam nunquam cerneret infringendam, ut vatinianis diſcordiis, & acerbiſſimis verborum velitationibus finem imponeret, rem utriuſque conſenſu ſic definivit: Lutheranis & Reformatis ablata nonaginta templa (plura in ſuo fundo extruere licitum) reſtituantur, eorumque ſingulis trecenti floreni Ungarici annui reditûs adjiciantur, mandati autem Cæſarei prævaricator, aut qui alterum templi poſſeſſione dejiceret, pœnâ ſexcentorum florenorum primò, ſecundò capitis Ladislai Regis decreto à Vice-Comite condemnabitur, à quo tamen ad regiam menſam, ut vocant, dabitur appellatio. Pactis hiſce utrimque ſub finem menſis Martii 1647. ſubſcriptis, Cæſar Viennam diſcedens mandat Lobkowizio, Tieffenbachio, & Lindenſpuhrio, ut cætera quantocius gravamina querelasque componerent, quarum erat præcipua Patrum Societatis eliminatio, & bonorum omnium ſpoliatio: Patres verò illi Cæſaris & Catholicorum ope & favore nixi, acatholicorum minas, & intentatam Ragotzii executionem flocci fecerunt.

Octavo Kalend. Junii vergentibus ad finem concluſionemque comitiis Cæſar Presburgum redux, ab Ordinibus filium ſuum Ferdinandum ſuperioris anni auguſto Pragæ in Bohemorum Regem inauguratum, regni etiam Ungarici ſucceſſorem poſtulavit. Patres prompti ac lubentes conſenſêre, modò acta conventaque comitialia ante coronationem confirmarentur.

Ferdinandus IV. fit Rex Ungariæ.

Tertio igitur nonas Junii Poſonii Ferdinandus IV. Rex Ungariæ omnium votis abſens electus & proclamatus eſt; cui poſt triduum Patres congratulari, ſimul & ad coronationem invitantes, delecto comitatu Budianum Comitem Viennam miſêre, & Ferdinandum properè adventantem regiâ ſolemnitate exceperunt. Sed ecce ſubitum in domo Comitis Martinizii Bohemici cancellarii exortum incendium conſumptis duabus ſupra 70. domibus, & futuræ coronationis præparamentis eam diſtulit in ſextum decimum Kalend. Julii diem, conſuetis cæremoniis ſolemniter peractâ; cui nihil detraxit aut temporum iniquitas, aut Ragotzii heterodoxorum antesignani feritas, quem fera ſimiliter mors pridie Idus Octobris

Mors Ragotzii, ſucceſſit filius,

1649. ſuſtulit, habuitque Ducatûs ſucceſſorem filium cognomine Georgium Ragotzium. Eandem mortis ſemitam ingreſſus Ungariæ Palatinus Joannes Draskovicius colicâ Altenburgi interemptus, cujus ſumptuoſiſſima funebria decem millium florenorum impenſis Poſonii pauciſſimis Dynaſtarum præſentibus ſunt ſervata,

Et Draſcovvitii, ſucceſſit Palfius.

& ordines proximis in diem decimum Kalend. Aprilis anni ſequentis 1649. Poſonium indictis Comitiis, præſente Cæſare ac Rege ex 4. competitoribus Paulo Palfio, Adamo Forgatſchio, Nadasdio & Tajatſchio, primum, Paulum Palſium unanimis votis in Palatinum, & Ladislaũ Chaekum in regni judicem elegerunt. Tum poſt graves Catholicos inter & Acatholicos religionis contentiones, compoſitis demum ſublatiſque priorum comitiorum reliquis gravaminibus Cæſar nonis Junii Viennam appulit incolumis: quo etiam circa Septembr. Conſtantinopoli cum Internuntio Turcico rediit Joannes Rodulphus Schmid Baro de Schvvartzenhorn, qui in fine 1649. prioris anni illuc cum 4000. florenorum donariis recens electo Ottomannico Imperatori Mahometi IV. gratulaturus, pacemque confirmaturus fuerat ablegatus: plebs enim Conſtantinopolitana & Janizari moto in ſupremum Veziriũ, tum in tyrannum Ibrahimum Imp. tumultu ambos, & conſiliarios ejus ſtrangulârunt,

Et Ibrahimi Sultani ſucceſſit Mahomet IV.

& prædictum Mahometem hoc nomine IV. ordine decimum nonum, puerum ſexennem patris throno impoſuerunt, ſub tutrice avia ſua Validia, muliere forti & prudente. Prorogatæ igitur ad 20. annos pacis ratificationem à Cæſare ſcriptis confirmatam Turcicus Internuntius Conſtantinopolim petiit tranſmittendam; differendam verò Cæſar eam exiſtimabat, ob enormes nimium & frequentes Turcarum excurſiones, quas licèt Turcarum Internuntius mutuis Ungarorum excurſionibus excuſare vellet; Palatinus tamen plurimique Patres Viennæ tum congregati ob interceptam Dregelam arcem, & graviſſima regno illata damna, plurimoſque in captivitatem abductos Chriſtianos, bellum decernunt Ottomannis juſtè inferendum, niſi prædictus poſtmodum Internontius Budenſem Vezirum, excurſionum illarum potiſſimum auctorem ad dandas temeritatis pœnas, & reſarcienda damna compellendum appromiſiſſet: quo pacati Dynaſtarum animi, liberaliori hunc Internontium Buchcimius excepit convivio, & initio ſequentis anni Conſtantinopolim dimiſit: in cujus fine alius Ottomannicus copioſi ſamulitũ Internuntius 30. Novembr. Viennam venit cum muneribus ab hominum memoria nunquam pretioſioribus: inter cætera obtulit Cæſari papilionem, quo uſus olim fuerat Solimannus Viennam obſidens, auro gemmiſq; ditiſſimè phrygiatum:

Pacis Cæſareo-Turcica ratificatio.

Romanus èontra Imperator paulò ante Byzantium inſigni comitatu præmiſerat Baronem de Nigro-cornu, inſtructum donis, pretio ſeu pondere 2988. marcarum argenti Ottomannico Imperatori offerendis, ad vicennalem pacem muniò ratificandam.

His tam pretioſis legationibus, tot pacis fœderibus confirmatis, non obſtantibus, Turcæ barbaris ſuis excurſionibus & populationibus non abſtinentes, ſed inſoleſcentes, Comorram minorem in finibus Croatiæ invadunt, machinis oppugnant & incurſu; ſpe autem lapſi, & octingentorum cæde repulſi, per ſuburbia ſpargunt incendia, & in Chriſtianorum animis iram & diffidentiam, quâ Joannes Chriſtophorus Bucheimius viciſſim conjunctis Budiani & Serini

Excurſiones utrimque.

copiis in territorio Caniſienſi turcicam palancã (eſt oppidum decuſſatis quercubus, intermixtâ humo & cæſpite, ant acuminatis etiam ſudibus circumſeptum) ferro flammâque vaſtavit. Adeſt quamprimum eam ob cauſam ſub anni (1651.) finem Chiauſius, qui fœdera pactaque ſervanda contendens, Caniſienſem idcirco Baſſam temeritatis Comorronæ delicto, niſi ex vulnere jam mortuum, laqueo tollendũ aſſerebat, & Strigonienſem begam, alioſq; complices exauctoratos, Vezirio autem Budano excurſiones minaciter inhibitas, ne ulla detur pacis impoſterũ diffidentia.

Annus itaque inſequens, milleſimus, ſexcenteſimus, quinquageſimus ſecundus, populationibus utcunque liber, ſed quatuor Dynaſtarum Eſterhaſiorum ſanguine fuit rubricatus; 1652.

Eſterhaſii quatuor a Turcis cæſi.

nam ad finem Auguſti Turcis iterum agminatim Vivatinum uſque excurrentibus, quatuor Eſterhaſii: Leſle, Franciſcus, Thomas & Ca-

1652. & Caſpar cum ſuis Ungaris eos fugam ſimulantes præproperè inſecuti, ſed à tergo ex inſidiis circumcincti, cæſi omnes ſunt cum ſuis, aut capti; accurrit ſubſidio Vivarinus præfectus Adamus Forgatſchius 500. Ungaris; ſed in idem lapſus periculum occubuiſſet, niſi miſerandum in mœnibus videns ſpectaculum tribunus Walterus, expeditis ſubitò Germanis adfuiſſet, & factâ carragine, ſeu recepto intra carros & vehicula milite in hoſtem progreſſus, fortiter rejeciſſet, cæſis eorum octingentis, inter quos ſex Begi, & tres Aghi Budenſes; Novarienſium verò quadringenti quinquaginta occubuère. Cujusmodi ferales Turcarum excurſiones (quibus ſæpe victores, & pluries victi) cum inhiberi neutiquam poſſent, Buchcimius Comorrenſes vigilantiam, modumque eis opportunè occurrendi edocuit. Circa hoc tempus Ragotzius collecto quindecim millium exercitu Ottomannici Imperatoris mandato Moldaviæ Principem, tum ob exercitam in ſuos tyrannidem, tum in ſe iniqua molientem invaſit, Ducatu exuit, & in Poloniam cum conjuge & liberis fugavit: exutus quoque hoc anno Paulus Palffius fuit & vitâ & Palatinatu; eandemque mortis viam anno ſequenti (1654.) octavo Idus Julii Viennæ ingreſſus Ferdinandus Quartus, Ungariæ Rex, & priori anno Ratisponæ pridie Kalend. Junii Germaniæ Rex electus, & quarto decimo Kalendis Julii coronatus, ſummo utique parentis dolore, & utriuſque regni condolentiâ.

Palffii mors.

Et Ferdinandi IV.

Ne autem Reſpublica ſuo viduata Rege hac temporum iniquitate quicquam pateretur detrimenti, Cæſar ad Poſonienſia in Martium indicta Comitia cum Archiduce Leopoldo filio, & Eleonora conjuge ſua profectus, & à flore nobilitatis ſplendidè exceptus, cauſam adventûs ſui, deſideratam ſcilicet conjugis ſuæ coronationem, & Leopoldi in Regem Ungariæ electionem expoſuit. Patres ne quid legitimæ deeſſet electioni, novum primò Palatinum, Franciſcum Comitem Weſſelinum electum magno applauſu publicârunt: tum publicis accincti, magnâ rurſus contentione & tumultu religionis præ cæteris exercitium, & quadringentorum templorum reſtitutionem cùm Evangelici Ordines peturiiſſent, & Archiepiſcopus Strigonienſis, Palatinusque petitioni ſuæ aut illuſiſſe, aut diſſimulâſſe hactenus ipſis viderentur, ipſum adière Cæſarem, qui dum pacta conventaque anni 1647. ore, ſcriptoque ratificâſſet, ad Imperatricis coronationem octavo Idus Junii 1655. fuit proceſſum, diesque jubilationibus & lætitiis plenus fuit conſumptus: imminentem verò Leopoldi Archiducis coronationem Status permittere noluerunt, niſi prius confirmarentur antiqua illis privilegia, & reliqua tollerentur gravamina, ut ſcilicet permitterentur ipſis vina ſua in alias deportare & diſtrahere provincias: regni limites Auſtriam verſus, ut antehac fuère; extenderentur: Jaurinum ſecuritatis ergo eis extraderetur: ſecurior erga Turcas daretur defenſio & tutela: Evangelici demum exules revocarentur, & eliminarentur Jeſuitæ. Cæſar multum hic gravibus de cauſis & præcipuè circa poſtrema ambiguus, illi autem, dum magnâ pertinacique contentione urgerent, ægrè admodùm duabus ante coronationem horis ſubſcripſit, & eandem Ordines quinto Kalend. Julii ſolemniſſimè abſolverunt. Inter hæc Turcæ Veſprimium vi adorti, cæde nongentorum ſuorum repulſi, & paulò pòſt reverſi, rurſus treceniti eorum transglobati, captique tres Ungari, patriæ proditores, qui verubus vivi ad ignem in alteram diem horribiliter aſſati, plumbo demum ſunt exanimati. Sic pluries Turcæ victi, ſæpe etiam victores, incendiis rapiniſque patriam devaſtârunt, & Chriſtianorum plurimos in captivitatem abduxerunt. Eodem anno Moldaviæ Princeps copioſum colligit exercitum, invaſurus ſubdolè Ragotzium: hic à Turcis præmonitus, eorumque copiis adjutus, magnâ celeritate Moldaviam irruens, cæſo ejus exercitu caſtris exuit, tormentis, omnique militari apparatu potitus, Principem ipſum omni cum auro & argento ſuo cepit captivum. 1655.

Weſſelinus eligitur Palatinus.

Imperatrix coronatur Reg. Ungariæ, & Leopoldus Rex.

Annum ſequentem quinquageſimum ſextum ſupra milleſimum ſexcenteſimum conſuetis Turcæ excurſionibus inchoârunt, & captâ Erdœdi Comitis conjuge omnem comitatum interfecerunt: Auguſto autem menſe, dum Croatiam invaderent, Georgius Frangepanus collecto raptim milite in fugam eos præcipitavit, & præter cæſos non paucos, cepit Wihitſchii Baſſam, ſex Agas, tria equeſtria ſigna, & nonaginta equos: de quo Chiauſius (eſt cubicularius Imperatoris Turcarum) Viennam venit graviter minaciterque expoſtulans, ſimulque petens mutuam ex pactis legationem annuè in pacis confirmationem expediendam. Alius etiam Chiauſius rapinæ & latrocinii Comorram inter & Strigonium patrati ſatisfactionem exegit: nam mercatores aliquot & Judæi emptis Viennæ 2004000. Imperial. mercibus, Cæſareis aliiſque ſalvi conductûs literis probè inſtructi, navigio diſcedentes à quinis Ungarorum navibus intercepti interimuntur, præter unum feliciter emerſum, omnes, & aquis quinquaginta octo ſubmerguntur: ſublatis igitur pretioſioribus, & aliquot paratæ pecuniæ millibus, tres naves cum reliquis mercibus ſecundo Danubio ſine nauclero dimittunt: quorum reſtitutionem Chiauſio repetenti reſponſum, meritis utique pœnis latrones illos puniendos, quamprimum fuerint deprehenſi. 1656.

Infauſtus quoque hic, & ſequens fuit annus Ragotzio, qui pacto cum Suecis fœdere Gabrielem Backos cum viginti millium exercitu in Poloniam à Suecis fermè occupatam præmiſit, ipſe paulò pòſt aliis copiis ſecutus: dum autem Dani ſubitâ irruptione Holſatiam Bremamque invaderent, Suecique ad ſua defendenda copias Poloniâ evocarent, reſpirantes paulatim Poloni, Auſtriacis copiis (15000.) confirmati magno impetu adorti Ragotzium fundunt, cæſis eorum quinque mille, captis novendecim tormentis, apparatu bellico, & 37. ſignis militaribus, & in tantas redigunt anguſtias, ut Polonorum voluntati ſe ſuumque exercitum permittere, & ingentem pecuniæ ſummam Polonis Tartariſq; ſolvere cogeretur: his vix expeditus compedibus incidit in Tartaros, à quibus ad internecionem cæſus, duo Tranſylvanorum millia occubuère, reliquos in miſerâ abduxerunt captivitatem, paucis cum Ragotzio in Tranſylvaniam elapſis: ubi iterum tumultum & vitæ periculum invenit; nam mulieres

Sueci Poloniâ occupantes cum Ragotzio ejiciuntur.

Ragotzius internecivè fuſus.

1656. & liberi, quorum parentes & mariti aut cæſi captivè fuerant hac infelici expeditione, mille mortes Principi, & omnia mala intentant, niſi captivos redimat, & reſarciat damna defunctorum. Nec hic Ragotzianæ terminus calamitatis, ſed quia Poloniam Turcis tunc confœderatam ſine Ottomanni licentia invaſerat, à Principatu dejectus, & Franciſcus Comes Redejus loco ejus fuit ſubſtitutus; veruntamen Redejus & cæteri Ducatûs Ordines, ſimul & Walachiæ Princeps, ac primi Coſaccorum Duces miſſis Conſtantinopolim Internuntiis, Ragotzii reſtitutionem petierunt, & intentatis minis extorſiſſe videntur, ſicque à Statibus & exercitu priſtinæ Ducatûs dignitati fuit reſtitutus.

à Turcis depoſitus & Redejus ſubſtitutus in Tranſylvania.

Mors Ferdinandi III.

Interea Ferdinandus Cæſar ex morbo affixus lecto, dum decreſcentibus paulatim viribus ad vitæ terminum properaret, minorennem ſeptemdecim annorum filium Leopoldum, Ungariæ Bohemiæque Regem, cæteroſque Archiduces liberos tutelæ Archiducis Leopoldi Wilhelmi fratris ſui, & Eleonoræ Imperatricis commendavit, eoſque regnorum provinciarumque hæreditariorum moderatores conſtituit, quibus ad lectum præſentes conſiliarios, cubicularios &c. fidelitatis voluit, præſtarique juſſit juramentum, atque ita quietiſſimè plenus in Deum fiduciâ, vitæ ſcenam abſolvit Viennæ quarto Nonas Aprilis anno milleſimo ſexcente-
1657. ſimo quinquageſimo ſeptimo ætatis anno quadrageſimo nono, regiminis Ungariæ trigeſimo ſecundo, Imper. Rom. vigeſimo, laudatiſſimæ vitæ, & glorioſiſſimæ memoriæ Princeps, incredibili ſtudio & impenſis univerſalem illam Oſnabrugo-Monaſterienſem pacem & amneſtiam ſequentium pactorum fœderumque fundamentum feliciter confecit.

Hic pacē Monaſterienſem confecit.

Nadaſdus & Budianus in turcicum excurrunt.

Quid verò nunc in Ungaria? Franciſcus Nadaſdus & Adamus Budianus vindicandis Turcarum populationibus & inſolentius longius in territorium Turcicum progreſſi, conſumptis ferro flammàque ſeptem pagis, ingentem pecorum numerum conſileruot. Iidem Comites trecentos optimæ virtutis & generis Strigonienſes equites, quos ſpeculator quidam apoſtata fidem & caſtra turcica ſecutus, poſtmodùm pœnitentiâ ductus ex colluſione cum Nadaſdo in condictum prope Comorram locum, & tempus opulentæ excurſionis, & ſpe prædæ ſubdolè ſeduxerat, ex inſidiis aggreſſi, omnes, præter 32. captos, interemerunt, nullo ex ſuis deſiderato. Generosè ſatis etiam duodecim Germani pedites contra 400. equites turcicos ſe defenderunt: ab his enim circumcincti è compendioſo loco fortiter pugnantes, Turcarum fermè centum proſtravêre, donec pulvere plumboque deficiente ad unum omnes furiosè ſunt interfecti, & glorioſam nec inultam mortem oppetiêre.

Ingredimur annum milleſimum, ſexcenteſimum, quinquageſimum octavum Ragotzio omnino fatalem, nam Turcarum gratiæ nondum plenè reſtitutus, collectis illi undique copiis denuntiârunt Ragotzio, aut ſponte Tranſylvaniæ Principatui cedendum, aut vi illum dejiciendum, & Redejum Ferentium ſubſtituendum. Ragotzius Budenſem Vezirium muneribus placandum ſperans pretioſiora per Internuntium Andream Meidinum eo ſubmittit, quæ rejiciens Vezirius & ad Imperatorem ſuum remittens, navali jam jam refecto ponte ingentem Turcarum exercitum in Tranſylvaniam præmiſſurus. Tranſylvani terrore correpti, indictis in Majum comitiis, cùm de modo periculum vitandi deliberant, Turciſque præcipua provinciæ munimenta poſtulantibus offerunt juſtam vim auri ipſis pendendam; illis autem ad hæc obſurdeſcentibus Ragotzius quidquid copiarum uſpiam poteſt, colligit, vim vi repulſurus. Interea Vivatienſis equitum cohors excurrens obviam Turcarum turmam in fugam agit, captis eorum ſeptem, & præter equum & arma etiam caput Michaelis Fegeti, nequiſſimi patriæ proditoris, Forgatſchio præfecto ſuo praodenti obtulit, qui illud propter inſignem ejus nequitiam, & graviſſima quadriennio illata patriæ damna depingi poſteritati mandavit, & quinque captivos pretio 1325. Impp. venundari. Simili fortuna Nicolaus Serinus Croatiæ Banus prædabundum Turcarum agmen offendens multos delevit, plures captivos, pecoraque magno numero abduxit. 1658.

Turca e ſello Ragotzio volunt Redejum intrudere.

Felices Ungarorum in Turcas excurſiones.

Maturante autem æſtate, luſtratoque Temiſwarii exercitu dum Vezirius Budenſis Lippâ ad arcem Arad recta contendit, Ragotzius eidem occurrens primo Muſtaphæ agmine in fugam acto, ipſa Vezirii caſtra imperterritè aggreditur, curuli acie, ſeu cartugine (ubi inter carros & vehicula peditatus erat diſpoſitus) probè munita, quâ tormentorum vi expugnata Vezirius in fugam compulſus, caſtris, omnique apparatu bellicô exutus, ultra tria millia ſuorum amiſiſſe dicitur, & plurimos fluvio Maros ſubmerſos, capti ſunt plures præfecti & ſubpræfecti, Budenſi Vezirio vix fuga elapſo, multique Chriſtiani captivitate liberati. Ragotzius licèt victor, victis tamen ſe multò potentiâ imparem, eámque cladem ſine dubio vindicandam prævidens, opem à Cæſare & Ungariæ Ordinibus poſtulat: jam enim aſſerebat Budam metropolim, magnamque partem Ungariæ haud difficilè recuperandi tempus adeſſe &c. Cæſar autem & Ungariæ Status Ragotzii inconſtantiæ diffidentes, pacis fœdera non temerè violanda, ſed cautè ſervanda ajebant, ne quod emolumentum creditur, cedat in detrimentum: quare Ragotzius valido quidem inſtructus equitatu, defectu verò peditatûs exercitum reducere, & loco ſe compendioſo debuit continere: nam ſupremus Vezirius aucto permultùm exercitu, tertio Kalend. Septembris Genneam invadit, & poſt duorum dierum inducias, ſpe ſubſidii ſublatâ, deditione capit, præſidio Waradinum traducto; inde cum parte potiore exercitûs, & millenis aliquot captivis Chriſtianis trajecto inſperato Danubio in Siriam contra rebellem Aleppi præfectum progreditur, poſtquam Achatium Barczajum primæ nobilitatis Tranſylvanum loco Ragotzii certis conditionibus Ducatui præfeciſſet; quem & provinciæ ſtatus in Comitiis à Vezirio tertio Nonas Octobris Segeſwarium indictis tamdiu admisêre, uſque dum Ragotzius in priſtinam Ottomannici Imperatoris gratiam rediiſſet, tunc utique Barczajum Ducatu deceſſurum.

Ragotzius Turcas fundit.

Turca Barczajum Tranſylvaniæ præficiūt.

Leopoldus interea Ungariæ Bohemiæq; Rex poſt anni & trium menſium interregnum ſub auſpiciis Archiducis Leopoldi Wilhelmi patrui concordibus Electorum votis Francofurti ad Mœnum decimo quinto Kalend. Auguſti Ro- 1658.
manorum

Leopoldus Imperator electus.

manorum Imperator electus, & ſingulari Germanorum jubilo, ringentibus Gallis ſolemniſſimè Nonis Auguſti vere Auguſtus eſt coronatus: quâ coronatione feliciter peractâ, Ungariæ ſtatus ex Tranſylvanicis & Turcicis motibus grave ſibi periculum imminere non immeritò metuentes, comitia indici à Cæſare poſtulant, ad quæ maturanda regni Primas Archiepiſcopus Strigonienſis, & Palatinus Viennam abière: inde Cæſar & Archidux Leopoldus Wilhelmus decimo nono Kalend. Septemb.
1659. 1659. Poſonium advenère, à præſentibus Regni Ordinibus regiè excepti: quatriduo pòſt

Comitia Poſonii indicit.

Cæſar Comitiorum argumento propoſito, deliberari voluit, quâ viâ periculum ex graviſſima Turcarum expeditione proximo autumno Tranſylvaniæ Ungariæve imminens ſit avertendum, aut caſu violandæ pacis, quo militari nervo & apparatu, unitisque indigenarum viribus hoſti reſiſtendum, quæ quia plurimum excurſionibus hoſtium enervatæ, externoque patria milite defendenda ſit, de commeatu, cæteriſque ſumptibus maturè providendum, ne miles fame, ut ſæpius factum, depereat: actum præterea de muniendis in tempore limitaneis arcibus & munimentis, de ſtipendio militi juſtè perſolvendo, coercendis latronibus, hoſtem in patriæ perniciem irritantibus, adminiſtranda ſingulis juſtitia, deque vitiis ubique invaleſcentibus exterminandis, præ cæteris verò firmam civium concordiam, regni conſervatricem commendabat, & de aliis quid ſtatuendum ſedulò exactéque deliberarent. Et ecce adeſt turcicus Chiauſius, qui pretioſè ephippiatum Cæſari equum offerens pacis petit prorogationem, quam tamen mox ſciebat temerandam:

Turca Ragotzium profligat.

Nam Vezirius Budenſis paulò pòſt Ragotzium aggreſſus, cæſis eorum octo millibus, Ducem cum ſuis ſaucium in fugam compulit, qui licèt numero multùm Turcis inferior, horum tamen quatuor millia proſtravit, proximè, ubi Moldavorum, Walachorumque ſubſidio confirmatus, cladem uberius ulturus; ſed animo vires defuère; anno enim ſexageſimo ſupra milleſimum, ſexcenteſimum necdum admodùm provecto Turcæ omnia cædendo, rapiendo, inflammando, capiendo depopulabantur, jamque trajecto Tibiſco Tocajum uſque pervenerant; tum Ragotzius Walachorum, Moldavorumque copiis aliquot auctus obviam progreſſus, eos ultra Tibiſcum rejicit, navali ponte, eique junctâ munitiunculâ deſtructis; ſed

Et internecivè iterum ad Claudiopolim.

undecimo Kalend. Junii apud Claudiopolim infeliciter à Turcis ad internecionem deletus, amiſſis centum & decem ſignis equeſtribus ipſe, quanquam fortiter in quinto equo dimicans, ſeptemdecim Turcas peremerit, lethaliter in latere & capite ſaucians, & in fuga bis virium deliquio lapſus, ſpiritum emiſit Waradini,

Ragotzii mors.

quod non multò pòſt Turcæ arctâ cinxerunt obſidione.

Dum interea Cæſar à Mantuano Duce comitatus Græcium, Styriæ metropolim pridie Idus

Leopoldo Græcium Styriæ jurat.

Junii fidelitatis juramentum recipiendi causâ ingreſſus, ſingulari pompâ & affectu eſſet exceptus, Caniſcha cœleſti fulmine tacta tota
1660. flammis eſt everſa, omni commeatu, bellico

Caniſcha fulmine conſumpta.

apparatu, tormentis bellicis ſævitie ignis in cineres redactis, & præter Turcas trecentis Chriſtianis captivis miſerè conſumptis: quam nunc eſſe occaſionem opportunam Serinius oppidum aut fortalitium munitiſſimum hoſtibus facilè extorquendi exiſtimabat Cæſar autem 1660.
abſtinendum pro tempore ratus, Strigonienſem Archiepiſcopum Regni Primatem, & Cancellarium Epiſcopum Jaurinenſem, Præpoſitum Poſonienſem, regni Judicem Franciſcum Naſdaſdium & Forgatſchium è Poſonienſi conventu (ubi multi Patres de præſenti patriæ periculo conſulebant) evocavit Græcium, quid de obſeſſo à Turcis Waradino ſtatuendum conſulturus: omnes autem pro defenſione, & liberatione ejus & votis, & precibus Cæſarem rogavère, quòd non modò Ungariæ, ſed totius etiam Chriſtianitatis ſit propugnaculum longè fortiſſimum, quo amiſſo, Moldavia, Walachia, Tranſylvania & ſuperior Ungaria brevi forent ſubjuganda: periclitabitur non minus Sileſia, Moravia, Polonia &c. quodque jam ſexdecim millibus defendi, & forte conſervari, tum ſexaginta millibus vix, aut nunquam poterit recuperari; quia copioſum ſemper exercitum Ottomannus ex ſubactis illis provinciis, auro, argento, frumento, vino, omniſque generis victualibus ditiſſimis alere poterit, omni hoſti avertendo inſtructiſſimum; & jam Cæſar germano ſuo ad id ſufficiente milite Tranſylvaniam ſi non Ungariæ ſubjectam, ſaltem confœderatam Majorum ſuorum exemplo poſſet, debereque conſervare.

Varadinum Turcæ obſident.

Obſtabat ècontra pacis turcicæ nequaquam temerandæ violatio; Suecorum non immeritò timenda irruptio, Gallorum ære & milite confirmata; quibus cum fœdera quidem pacta, ſed necdum ſubſcripta, juſtumque idcirco metum injicit frequens illa apud eos militum auctoratio. Cæſar deinde citra Romani Imperii conſenſum armis hoſtem ferociſſimum nequeat laceſſere: bellicum etiam deeſſe nervum, exhauſtam viribus Ungariam, & Tranſylvaniam ſemper hactenus inconſtantem, Turcis tributariam, Cæſari refractariam &c. Dùm his interim verborum digladiatur opinionibus, Waradinum ſine intermiſſione anguſtiatur tormentorum fulminibus, jamque per vio muro ingentem pecorum numerum adduxerant Turcæ, foveas eiſdem ad tentandum impetum, expleturi; ſed ignium flammis, & ſingulari præſidiariorum ſolertia retroactum in Turcas pecus non leve illis intulit detrimentum. Mulieresque incredibili audaciâ hoſtem ferventi aquâ, reſinâ & lapidibus haud raro vallis dejiciebant. Et quamvis urbis armamentarium cum omni bellico apparatu militis incuriâ igne conſumptum, foveæque mulieris transfugæ inſtinctu aquis evacuatæ ac præſidiarii bimeſtri obſidione admodùm eſſent diminuti, ſpe tamen ſuccurſûs urbem fortiter ſex mille hoſtium cæde adhuc defendunt: graviori itaque tormentorum vi valla & propugnacula ab hoſtibus dejiciuntur, præſidiarii iteratis continuo ſtanguinis inſultibus, de 2000. ad 200. redacti, urbis præfectus Joannes Ratzius, ſeu Ratz Janus plumbeo alite trajicitur, & quod malorum erat ultimum, ſpes omnis præſtolati hucuſque ſubſidii erat fruſtranea, fortem nihilominus oſtentabant defenſionem; jamque Turcæ nimiam ſuorum ruinam quaeritantes abitum meditabantur, ſed dum Thracius miles profugus certam proximo impetu ex præſidiariorum defectu deditionis ſpem faceret; hoſtis ſimulato impetu ultima tentans ſexto tandem Kalend. Septembris 1661. urbem deditione capit, præſidiariis cum trecentis curribus liberè Debrecinum dimiſſis. Heu quanto cū dolore Ungarorum, Tranſylvanorū, & provin-

1660. ciarum adjacentium terrore, imo & Viennæ memore! civitas illa quinqoe vallis firmata, & tribus ſuburbiis ampla adjacet fluvio Scbeskeres, vilibus quidem & agreſtibus inſtructa domibos, arx autem, ſeu baſilica auguſta & valida, ólim Epiſcopalis multis fulgebat templis & monaſteriis, de quorum ruderibus extructa urbis propugnacula, ono ſordet Reformatorum delubro, quod horreo quàm templo eſt ſimilius. Aly Baſſa Budenſis expeditionis hujus Dux impoſito urbi Præfecto Ziphra, Haſano Agha cum decem millium Janiſcharorum præſidio, jam toti imperitare Tranſſylvaniæ, & adſitos Comitatus Zatbmarienſem, & Szabolecenſem, eorundemque oppida & munitiones, Ragotzio ad dies ſolùm vitæ à Cæſare permiſſa, ſibi extradi jubebat, ideoque Haſanus non minus arroganter quàm minaciter fratribus Adamo & Ladislao Karoliis, Zachmarii & Kallonis præfectis ſignificavit literis, oppida illa quamprimum ſibi extradenda, aut vi eſſe eripiendá: quibus nihil territi fratres omnia defenſioni parabant. Sed quid fit?

Kemen-Janus Barſchcajo depoſito Tranſylvaniæ præficitur.

Joannes Kemenius, aliàs Kemen-Janus, primus Ragotzianæ militiæ præfectus collectum raptim militem in Barſchzajum, ejuſque fautores Turcas (quorum ope Principatum hic invaſerat) educit, eoque rem ſuam perducit, ut conciliatis ſibi aliquot Tranſylvaniæ ſtatibus comitia in Decembrem Regenum iodiceret, ubi rejecto Ordinum votis Barſchzajo Kemenius in Principatum eſt ſuffectus Achat. Barſchzajus autem videns ſibi Deos homineſque adverſos, indictis quoque comitiis conſultari petiit, ut ſi Patres judicarent reipubl. fore conſultius & utilius Ducatu cedere, ſe ceſſurum, modò congrua ſtatui ſuo vivendi media aſſignarent & territorium.

Montecuculus defuncto Gonzagæ ſuccedit.

Cæſar interea ex ingenti Turcarum apparatu undique circumvolante, imminentis belli certus, Germanum militem per Ungariam ſuperiorem in hyberna diſtribui, perque ſupremum militiæ ſuæ præfectum Comit. Montecuculum, in locum Principis Ludovici Gonzagæ Jaurini menſe Decembri defuncti ſubſtitutum, limitaneas arces viſitari, commeatu & bellico apparatu inſtrui jubet: ſed deficientibus alimentis, cum nec indigenæ, nec nobiles Ungari fruſtum panis Germano militi ſuppeditare vellent, multi fame, morbis & miſeriis quotidie deficiebant, & armati ruſtici agminatim congregati plures interficiebant: quare per hæreditarias provincias ſuas & regna colligi frumenta, neve uſpiam illa exportarentur mandate, militare ſubſidium à Chriſtianis Regibus, Romanique Imperii Principibus per Internuntios rogare, Ungariæ Palatinum, & primos regni Patres Viennam convocare & deliberare, quâ demum viâ modove occurreodum imminenti hoſtium furori, Tranſylvaniæ ſuccurrendum, & ſuſtentandus eſſet miles Germanus &c. Ordines Hungarorum quindecim millia à ſe alimentanda onanimiter conſenſêre, cætera ſe domi cum ſociis deliberaturos aſſerebant. In comitiis etiam Tranſylvanicis cùm Barſchzajus Ducatu ſe exuiſſet, omnes trium Nationum, Ungarorum, Saxonum & Siculorum Ordines Joannem Kemenum in Ducem concorditer elegerunt, & uterque Turcarum & Tartarorum Imperator confirmavit, poſtquam illi Kemenus 500000. Impp. donaverat, & ex hujus ſe nuper captivitate 60000. Impp. redemerat. Sed his parum fidens, auro turcicum Internuntium corrumpens clam eorum ſimulans amicitiam, Leopoldi Cæſaris ambit ſubſidium, pro quo tributum, Ottomannis aliàs pendendum Cæſari perſoluturus: ſoli ruſtici ejus excutiebant imperium, gravibus nimium oppreſſi exactiooibus, qoi Turcarum ope & tormentis bellicis adjuti, cæſis Germanorum plurimis Zeckelheidam fruſtra, ſed arcem S. Jobi impugnantes deditione ceperunt, ducentis Janizaris poſtmodum à Waradinenſi præfecto firmatam, qui & Comitatum Bihorenſem, & S. Jobi accolas ad homagium ſibi præſtandum coëgit: imo tantus inter Ottomannos bellicus fervebat apparatus, ac ſi non tantùm Tranſylvaniam, ſed Ungariam totam vellent inundare, eumq; in finem varios inſterni pontibus fluvios mandant; Ungari verò & Germani iteratis excurſionibus plurimos hinc inde Turcas carpebant & jumenta. Serinius & Herberſteinius in Croatia ingentem prædam, & ille præter 23. villas & oppida incinerata, intercepit ſponſum & ſponſam 60000. Impp. in redemptionem offerentes. Ungari io Waradinenſe territorium excurrentes navalem verſus Zachmariam Tibiſco inſtratum pontem flammis depopulabantur, & eum, qui Zeckelheidam nuper Turcis volebat prodere, vivum flammis adjudicabant, more ibidem conſueto, catenis nimirum denſæ alligatum quereoi ſoper pruoas per rotam primi verſabant Nobiles, tum plebs communis, quem alii aquâ tamdiu refrigerabant, donec exanimatum rogo injicerent. 1661.

Zeckelheidam Turcæ fruſtra tentantes arcẽ S. Jobi capiunt.

Kemen-Janus ut periculoſis Turcarum machinarionibus peſſulum objiceret, munimentum Fogaraſch capit, cæſoque præſidio præfectum Andream Barſchzajum captivitati mancipat, & omni ſtudio nititur Cæſarẽ in ſuas partes & ſubſidium pertrahere; quod ſubodorantes Turcæ intentabant Kemenum principatu dejicere, niſi debitum quadriennii tributum perſolveret, & filium ſuum vadem Byzantium tranſmitteret. Utrumque Kemen-Janus denegans, Comitia in decimum Calend. Maji 1661. indicit, ubi fratres Barſchzai, majeſtatis rei, & patriæ proditionis convicti, Patrum comitialium ſententiâ capite ſunt minuti; deinde Ordines Cæſarem Tranſylvaniæ defenſorem eligunt, oblato eidem annuo cenſu, quem aliàs Ottomanno perſolvebant: quoad Cæſarem delato, hic cohortes ac legiones ſuas ex Bohemia Sileſia & Moravia Tirnam ad diribitorium maturare jubet, & ex Tranſylvanorum conventione Zeckelheidam, Samos-Vivarium, Kovarum & Devam occupari

Barſchzai proditores puniuntur.

Leopold. Tranſylvaniæ defenſor ſubſidiũ ſubmittit.

Jamque Montecuculus juſtum io hoſticum ducens exercitum, caſtra Strigonium inter & Budam locaturus, dum audit ab hoſte viciourn jam montem 18. millibus præoccuparum, Strigonium inter & Comorram conſedit: ubi variis agminatim excurſionibus utrimque veliſicante fortuna velitatum & prædatum eſt, & abs Forgatſchio, & à Budiaoo, & à Nicolao Serinio ſingulatim proſperè admodùm & copioſè: oec inferior Soucheſius, qui Comorræ ſubſidiarias adhuc ex Imperio Romano copias præſtolabatur, quatuor ultra Budam milliaribus excurrens, occupatis quatuor arcibus & combuſtis, ingentem pecorum jumentorumque multitudinem ad caſtra nequidquam impeditus traduxit. Vezirius autem negativo Tranſylvanorum Michaëlem Abaffium reſpuentium reſponſo, & Cæſareorum in Keminjani tutelam adventu offenſus, firmum ſimul & anguſtum Tranſylvaniæ aditum,

Felices Cæſareanorum excurſiones.

FER-

1661.

Turca Ferream portam occupant.

FERREAM PORTAM, per Alibaſſam adortus, primo à Keminjanis repellitur, ſed iterato mox impetu occupat. Qua Turcarum ubique dominantium ferociâ excitus Nicolaus Serinius, ne jam rupta temere ab illis pace, occupatoque Varadino ſuæ ulterius imminerent Crnatiæ, ejus in finibus, ſeu in ipſo hoſtium territorio, haud longe Caniſcha diſtantem in inſula

Serinius extruit Serinvvarium

WAHR, arci ſuæ contigua, Muhrâ fluvio una ex parte circumdatam munitionem, Serinwar indigitatam incredibili extruxit celeritate, tùm ut Croatiam Styriamque ab hoſtium ſecurius impetu communiret, tum ut expeditior ipſi in hoſticum ſemper excurrendi pateret aditus. Vexirius Kiuperlus hujus rei certus Caoiſchenſem Baſſam jubet ſtrangulari, quod vicious Serinwari extructionem aut vi deſtruere, aut impedire ſaltem neglexerit, quam nec Cæſar approbare dicebatur, ne primus pacis fœdera infringere, bellique anſam præbere videretur.

Alibaſſa interea 24000. auctus copiis Zathmarium eminùs includens, Zeckelheidam per Haſan & Kutzug Baſſas ad deditionem ſollicitat, quam cum Tieffentalius præfectus generoſe recuſar, & Cæſareus cum Montecuculo exercitus magnis in Keminjani auxilium approperat paſſibus, inde diſcedens depopulatis latè ferro & igne oppidis & pagis, ingentem Chriſtianorum numerum cæde & ſervitute mactavit, conſeditque Waſſarheli ultra Claudiopolim 7. milliaribus: ſubdolus enim Alibaſſa tunc cautior manus cum Montecuculo conſerere declinabat, ut fatali ſemper Chriſtianis diſcordia, qua miſerè laborabant Tranſylvani, horum vi-

Abaffius fit dux Tranſylvaniæ.

res minueret, Abaffium prætoris filium, ſtaturâ puſillum, ſed egregiis naturæ donis, arroganti tamen etiam ambitione affectum, è turcica nuper ſervitute in Tranſylvaniæ Ducatum pertinaci vi intruſit; cui quòd magna paſſim Tranſilvanorum pars, relicto Keminjano, ſe adjungeret, Chriſtianus adeo defluxit exercitus, itinerum difficultatibus, nuditate, morbis & fame omnimodò enervatus, ut jam non hoſtem perſequi, ſed fugere cogeretur: quâ ſubdolâ arte, & Abaffii copiis confirmatus Alibaſſa, haud procul Claudiopoli Chriſtianos aggreſſus, clade mulctavit inſigni, cæſis, præter vulneratos plurimos, quinque millibus, Keminjano fuga in Ungariam elapſo. Sunt, qui victrices Montecuculo

Pugna Cæſareo-Turcica.

lauros deferant; magno tamen exercitûs ſui diſpendio, qui impoſito Claudiopoli, Zeckelheidæ, & Samos-Vivaro præſidio, Tockajum regreſſus, lautam ibidem panis inopiam invenit, bovina licet carne crudeliter ruſticis ereptâ miles abundaret: qui ſecundum tranſacta Viennæ comitia ad hiberna in ſuperiori Ungaria demittitur, ære Cæſaris (quod regni Status gratuiti titulo donativi contribuerent) alendus. Sed cùm Montecuculus Caſſoviam hiberna diſpoſiturus adveniſſet, Comitatus ſeu regni Ordines obnitentes, in convocato ibidem 12. Januarii

Ungari Cæſareũ militem alere nolunt.

1662. Comitio Viennæ decreta reclamant, & omnimodè detrectant: Regni enim Palatinus Franciſcus Weſſelinus non abſque bile reponebat: Ungariam noſtram tot jam annis infelicem, & Ottomannico, & germanico militi huc uſque ſpolium, in quam tandem exlamitatum præcipitabitis ruinam? robuſtior equitem fatemur in efferatiſſimum Chriſtianitatis hoſtem exercitus defenſionis causâ alendus eſt & conſervandus, noſtro, an Imperii Rom. potius & univerſæ Chriſtianitatis emolumento? nos viribus tot urbium & fortalitiorum minuti, annonæ commeatu per quotidianas hoſtium depopulationes ſpoliati, & continuis Germanorum, hoſtium potius quàm amicorum præſidiis & rapinis enervati, nihil ſupereſt nobis, niſi ad inſcitas redacta ſervitus, qui ſumus libertatis populi & nati, & regio juramento confirmati. Si Imperii Rom. & Chriſtianitatis totius emolumento & firmamento debet conſervari Ungaria, ejuſdem & cura debet eſſe omnium prima & neceſſaria, annonæ commeatu, nervoque exercitum ſuſtentare; cujus hactenus defectu & nos perimus, & Rom. peribit Imperium &c. Ne tamen miles fame jam penè enectus interiret omnino, in tres diſtributus Comitatus ſuo debuit ære vivere. Eâdem penuriæ causâ Alibaſſa relictis in Abaffii ſubſidium 12. Turcarum millibus, domitiſque ad præſtandum eidem homagium Zäckleienſibus, exercitum ad hiberna Albam Græcam reducit. 1662.

Hujus initio anni 16. Febr. feralis Viennæ nuntius cometa viſus, communi bellum opinione prænuntiare formidabatur; nec errantem fuiſſe ſequens manifeſtavit eventus: nam Keminjanus diſperſas undequaque copias recolligens, noviſque à Montecuculo ſubſidiis auctus, alteram fortunæ aleam experturus, Abaffium Medwiſcho depellit, & Schesburgum uſque perſequitur, ubi hic accitis Turcarum copiis Keminjanum ad vicum Kelles incautum aggreditur: certatum utrimque fortiter, hic pro recuperando, ille pro retinendo Principatu contentione magnâ variâque partium viciſſitudine pertinaciter, donec hoſtium numero oppreſſus Keminjanus, optimi licet tam ducis quam militis officio functus, à ſuiſmet equo detractus & inſeliciter proculcatus, victoriam ſimul & Principatum cedere debuit Abaffio, cæſis bis mille Tranſylvanis & Germanis ſeptingentis; qui turcico deinde confirmatus exercitu Claudiopolim, Tranſylvaniæ metropolim & ſedem Principum obſidione mox cingit; urbem vero non adeo munitam, neceſſariis tormentis, & bellico deſtituram apparatu, per trimeſtre tamen incredibili fortitudine David Retanus cum germanico præſidio tam glorioſe defendit, ut felicibus præſidiariorum excurſionibus hoſtis iterato concuſſus, magna militum jactura abitum pararet, quem Georg. Rudolph. Schneidavius, collectis ſex Ungarorum millibus opportunè adveniens maturavit, & Abaffium magno tremore ob majorem famâ mentitũ exercitũ fugientem ulterius rejecit. Turpem hanc hoſtis fugam opportuniori aliàs tempore vindicandam tam vafrè ſimulare poterat bello prægnans Vezirius, ut allatis ab Joanne Goëſio, Cæſaris ad Portam Ottomannicam internuntio, Tranſylvaniæ tranquillandæ causâ, pacis propoſitionibus conſentire, diſſentire ſaltem vel reprobare non videretur: quòd nimirum Cæſar Serinwarum ſuum extra conſenſum extructum demoliendum, Zeckelheidam, Claudiopolim, Zatmarium, aliaque loca germanico evacuanda, & Tranſylvanico ſupplenda præſidio, juſtiſque Turcarum prætenſionibus ſatisfaciendum, eâ potiſſimum causâ offerebat, quòd Alſatiam à Galliarum Rege, & fœderato Lotharingiæ Duce metueret invadendam. Placebant Turcis hæc pacis propoſita, urgebantque illa deſtructo intra trimeſtre Serinwaro per extraordinarium ad Portam legatum confirmari, & ſubſcriptione, ut videbatur, communiri; ſed quantum Cæſar à Pontifice

Cometa Viennæ bellum prænuntiat.

Abaffius Keminjanum cædit & ducatu exuit.

Turcæ ſub pacis ſpecie arma parant.

1663. Venetiſque interea certioratus nihil inſtante hoc turcico bello è Gallia metuendum, ſubſidiumque etiam Gallus offerret, credulo nimis Principi Porciæ conſilio hæſitabat, & defenſioοem prolongabat; taotò magis Sultanus maturare expeditionem & ſinum Adrianopolim diſceſſum adornari jubet; quæ in vernum tamen juſtis de cauſis eſt dilata. Dum magno interim ſtudio in veroalem hanc expeditionem omnia curabantur, patarique in Dalmatiam fingebaot, Cæſar ſub doli cinere belli flammam in Tranſylvaniam à Turcis effundendam juſtè metuens, Claudiopolim, Somoswarium, Zeckelheidam, Chwarum, Berhlenum, finitimaſque urbes muoire, bellico apparatu, milite, commeatuque neceſſario inſtruere, Serinius Serinwarum ſuum contra quemvis fortificare impetum, omniaque in defenſionem, maturamve expeditionem curari jubebat, eò quod paſſim cernebantur Turcæ viſcera Tranſylvaniæ penetrando occupare, Waradinenſem Baſſam ſuum latius territorium citra pacta extendere, incolas, ipſumque adeo Abaſſum Principem viribus, auctoritateque penitus emungere, ut eliſo tandem principatu

Ut totam Tranſylvaniam ſubjugarent.

enervis ſub jugo turcico provincia à Baſſa more ſuo moderaretur. Cumque id repetitis literis, & ſupplicibus precibus à Sultaoo & Vezirio deprecari non poſſet Abaſſius, vigilanti ubique curâ io ſuâ, ſuorumque tutelam, quaotum licuit, intendebat.

Subinde brumali adhuc tempore turcicus undequaque miles cooſluit, & mittitur ſub amicitiæ larva ad negotia quædam Viennæ expedieoda Chiauſius, quem paulò poſt Budam, mox Temeswarium ſecutus Joannes Baro Goeſius, ſpe præpoſitos pacis articulos concludendi: jamque in omnibus, & comprimis Zeckelheidam, cujus major omnium erat difficultas, tranſilvanico præſidio Alibaſſæ conſenſu muniendam

Turcarũ fallacia.

convenerant, paceque mox ſecuturâ in unam arma vertenda Dalmatiam ſubdolè adhuc ſpargebant, & omnis etiam credebat Chriſtianitas: quâ ſpe freti Romani Principes Imperii, in ſocietatem belli à Cæſare ſollicitati, in ſubmittendo ſubſidio ſegnes; Romanus etiam Pontifex Alexander VII. belli promotor & confœderator (unde magna æris ſummã, nervuſque bellicus expectabatur) gallico implicabatur diſſidio, in periculoſum fortè bellum erupturo; ita ut bellicus in Europa fotvor quò magis elaogueſceret, eò ſtudioſius illum à Mahomete Sultano in Un-

Eas Reſidens Remmingen detegit.

gariam certò promoveri admooeret Cæſareus ad Portam Reſidens Simon de Remmigen, vir conſtantiæ, fidelitatis ac zeli erga rem Chriſtianam incompatabilis, & vel ipſos adeo barbaros ſuâ capiens humanitate: iſque aſſeveraret octoginta modò inſignis magnitudinis tormenta, & ingentem bellicum apparatum Danubio Albam regalem deſtinata: Prætorium futuræ intra menſem expeditionis ſignum, caudam equinam, Vezirii aulæ decimo quinto Kalendas

1663. Martii (1663.) expoſitum: Mahometem ipſum moræ impatientem, 7. idus Martii cum Vezirio Adrianopolim diſceſſiſſe, & ingeotes undequaque copias militum ad deſtinatum juxta Sophiam urbem diribitorium exeunte Aprili cooventuras.

Idem hic Orator Reſidens turcica ſequi caſtra juſſus, decimo quarto Kalendas Julii cum Vezirio Belgradum pervenit, ubi habito delectu

Turcarũ exercitus.

luſtrata ſunt octogiota Armatorum millia, præter foſſorum, aliorumque imbellium decem millia; accedebant quoque 80. millia Tartarorum, 1663.
præter Moldavos, Walachos & Tranſylvanos propediem adfuturos. Huc Vezirius Goëſium Temeſwario advocans, ſubdolè pacem offert, ſi Rom. Imperator Zatmariam, Zeckelheidam, Claudiopolim, vel Coloſwarium, & Serinwarum cum omni bellico apparatu ſuæ extraderet poteſtati; ſecus, valido hoc exercitu extorquenda. Goëſius pactorum conſenſum aut Cæſaris cunctatione, aut Vezirii fallaciis dilatum, dum expedito rurſus curſore expectat, comitati jubetur exercitum per pontem Ezzekinom Budam tendentem: quo curſor poſt quindenam rediens retulit Cæſareo in poſtulata, pacis ſtu-

Iniquæ pacis petitiones Turcæ.

dio conſentire: tantis enim impar viribus, ex Proteſtaoοium Ungarorum offenſa & diſſenſionibus, Principumque Chriſtianorum ſocordia haud multum ſibi promittens ſubſidii, maluit iniquiſſimis etiam pacem emere conditionibus. Hoc autem elarior Vezirius & impudentior abſurdiora præter ſupradicta exigit; in belli nimirum ſumptus duos Imperialium milliones, & annuum quinquaginta millium floreoorum tributum, ac, ut quidam addunt, Nicolai Serinii caput, quem unicum Neoſerinwari extructione offenſionis lapidem & pacis prævaricatorem aſſerebat.

Goeſius certum turcicum bellum Cæſari ſignificat

Goëſius iniquiora hæc juſtè rejicit, & veteratorium Vezirii animum, bellum, nunquam pacem intendiſſe haud obſcurè colligens, Cæſareo inevitabilis propediem tempeſtatis admonet: cujus fulmine è lethargo Chriſtiani excitati, Cæſar majori quàm hactenus ſtudio, nihil ad urgentem defenſionem intermittit, terroreque paſſim increbteſcente pretioſiota cum Ar-

Cæſar & Imperium Ratiſponæ parant defenſionem.

chivio Lincium præioittens, ipſe Ratiſponam ad indicta Imperii comitia properat, ibidemque Status certis legibus & pactis quadruplicem exercitum, uno Soucheſius Moraviam & Sileſiam, altero Jaurinum, Comorram, Novarinum, ceteroſque Ungariæ limites Montecuculus defeodere; Serinius tertium in Croatiam, & quartum denique Ungarorum Palatinus in oeceſſitatis caſum educere, votis communibus (11. Julii) decreverunt: qoorum ſtipeodia & annonam Principes & Ordines Imperii, Cæſar tormenta, impedimentaque bellica ſuppeditaret. Tum

Viennæ ſuburbia diruuntur.

terrore undique perſonante, jucundiſſima Vienoæ ſuburbia, ne hoſtium fierent receptacula, ſunt diruta, incolis de annona in annum comparanda edicto publicatum & univerſa contremebat Auſtria.

Novarrinus obſidio decernitur non Jaurinum.

Vezirius interea coacto bellico conſilio Jaurinum aut Comorram præripiendo expeditiorem Viennam occupandi viam patere proponit, illudque quò validius robore Solimanni olim illuſerit poreotiam, eo martia Muſelmannorum fortitudo nunc fieret glorioſior, ingenti hoc, validiſſimoque exercitu poſterorum æternitati celebranda. Omnibus illud, ægre licet, efficiter tamen diſſuadentibus, qoòd Jaurinum arte & naturâ commeatu affatim & apparatu, præſidioque munitum validiſſimo, majoris etiam exercitûs vires, non ſine turcici Solii dedecore, & irreparabili militum jacturâ eluſuram crederetur. Novarrinum igitur expeditionis ſcopum decrevêre: jamque iſtuc quatuor peditum millia inſtratum Danubio pontem tranſiverant, quem horrenda mox aëris tempeſtas magnam in partem effractum dejecerat; idque Vezirius Cæſa-

Turcarum dolus.

reanos inſidioſe alliciendo divulgaverat: hic Forgatſchius Novarrini præfectus hoſtem ſibi im-

1663. imminere prævidens, convocato conſilio opportunam modò ſeparatas ab exercitu copias opprimendi occaſionem eſſe perſuadere tentavit: ſed refragantibus omnibus, & præcipuè Voltero tribuno (qui a Montecuculo recens quatuor peditum millibus urbem defendendi, & nequaquam excurrendi ſe immiſſum aſſerebat) dum imbelles & excordes fucos, Regis, patriæque fortunam impiè negligentes improperat, tribuni ne tales audirentur, noctu tacentibus tubis & tympanis, funiculiſque extinctis ducente Forgatſchio excurrunt numero 6000. in hoſtem, prope Barckanum ſexdecim millibus modò transvectum, ſed ſecure indormientem, quem luce dubiâ ſomno adhuc ſopitum fortiter, ſed temerè aggreſſi, incredibilem paſſim ſine obice ſtragem trium millium edidêre, donec evulgato clamoribus periculo, collectiſque raptim viribus, acie lunati hoſtis Chriſtianos in medium concluſit, qui glorioſam duræ ſervituti mortem præferentes, deſperatiùs vitam cutemque ſatis carè vendendo pugnarunt, donec viribus laceriſque deficientibus ſe hoſti ſubmiſerunt, Forgatſchio & Palffio equi beneficio, pauciſque tribunis vix fugâ elapſis: necati ſunt 3000. quos inter ex Ungaricæ nobilitatis flore quadringenti, non ſine temerariâ quæſitæ necis ſuſpicione narrabantur; capti ſunt 1800. quorum 1400. velut canes pane indignos crudeliter contra jus gentium mactari Vezirius juſſit, execrabili ſuimet exercitus horrore & metu, eandem ſibi à Chriſtianis talionem parari præſagientis: reliquos 400. imbellis ſuæ victoriæ teſtes Byzantium dimiſit. Nec multò poſt Serinius cæſis ex Arnautii Baſſæ copiis ſexcentis, plures cepit captivos eâdem talionis pœnâ mulctatos; paucos evulſis oculis, manibuſque præciſis, iſtæ talionis teſtes Vezirio relegavit: cujus Imperio præfectus Caniſienſis hanc ulturus injuriam, juſto agmine, magnoque impetu Neoſerinwar Turcæ irruunt; ſed tertiò repulſi, & nongentis interemptis Caniſam uſque a Serinio repulſi, feliciorem ejus fortunam vindictamque Caniſienſes metuentes, pretioſiora ſua in ulteriorem transferentes Turciam, à Serinio opportunè intercepti, omnia eidem in prædam ceſſerunt.

Forgatſchius Turcis occurrens, caditur.

Turcæ Neoſerinwar fruſtra tentant.

Sub hæc Vezirius numeroſiſſimis Moldavorum, Walachorum & Tartarorum ſubſidiis confirmatus, relictis in defenſionem pontium, Strigonienſis mille, totidem Budenſis, & Eſſeckenſis ter mille quingentis equitibus, Novigradum verſus movet. Tum Forgatſchius indubitatam Novarini oppugnationem prævidens, Montecuculo Jaurini excubanti, urbis ſtatum, fatali nuperâ clade, martii robore militis deſtitutam dolenter aperit, maturumque petit ſubſidium: mille igitur mox armati cum apparatu, commeatuque illuc deſtinati, in hoſtium facile, urbem cingentium fauces incidiſſent, niſi Forgatſchius albis ſimulatæ deditionis ſignis hoſtem cum admiratione ovantem horis aliquot, donec ſuccurſus in urbem admiſſus, decepiſſet: quo feliciter ingreſſo, dum Vezirius deditionis articulos fruſtra expectaret, & Forgatſchius cruentum defenſionis vexillum exponeret, ille frendens furore maturare jubet expugnationem.

Novarinum cingitur.

Ceterum Vivarinum, germanicè Neuhäuſel, hungarice Vywar; præcipuum ſuperioris Ungariæ præſidium, intra Wagum, Danubium & Neutram fluvios cis Comorronium; paludibus inſitum, in ſtellæ figura ſex propugnaculis probe munitum eſt: inerant tunc præſidiariorum, præter incolas 5000. ſub præfecto & tribunis Adamo Forgatſchio, March. Pio, Waltetio & Lucatello, manu & conſilio expeditiſſimo, omnes in ſtrenuam defenſionem jurati: cujus Mechmet Vezirius haud ignarus, primum literis (17. Auguſti) urbis provocat deditionem: tum ſexaginta tormentis horribiliter concutiens pleraque deſtruit ædificia, nulluſque deinceps abiit dies, quo non ultra trecentos quinquaginta, ſexagintave librarum globos ſine ulla quietè aut ſecuritate ſuſtinerent obſeſſi. Nec minus hi Segnes tormentis Vezirii papilionem evertere; excurſionibus ſigna hoſtibus eripere, & grandem in inſultu Turcarum edere ſtragem non intermittunt: ſimulque Heiducci Strigonium inter & Budam commeatuum currus intercipiunt, elapſis Zerretum illis, qui æs militare, & veſtimenta vehebant. 1663.

Ejus deſcriptio.

Obſidionis mox initio in Auſtriam Moraviamque legiones aliquot Turcarum & Tartarorum tùm pabulandi, cùm depopulandi causâ emiſſæ, quæ Wagum fl. tranſituræ à Tſckiakio comite ibidem cum 4500. conſidente ſexcentorum clade rejiciuntur: altero autem die numero auctiores majori perrumpunt furore, pelluntque noſtros, internecione ſine dubio deletos; niſi trajecto, & tempeſtive ſoluto ponte Presburgum convolaſſent. Inde pluribus conſtitutati Tartarorum agminibus (viginti univerſim millia dicebantur) feraliter Olmutium uſque penetrantes, longè lateque ferro & flammis omnia devaſtant, ſacra profanaque contemerantes, nec inſani metam furoris in trimula ponunt infantia; ſed pede in altum ſublatos mucronibus diſſecant, alios terræ aut parietibus alliſdendo trucidant, alios ſaccis vivos in equis circumferunt, ut ſociis adeo Turcis horrori fuerint, & deteſtationi: viros ſenectute, aut viribus debiles mactant, alios cum puellis ac matronis captivos crudeliter abducunt: plures terror in montibus, ſilvis, ſpeluncis & concavis abdiderat arboribus, quos patriotæ transfugi, perfidi viæ duces ſuâ linguâ germanicâ, aut ungaricâ, aut Bohemicâ latitantes inſidioſo aſtu eliciendo prodebant; atque ita duodecim captivorum millia in fœdam abducta ſunt ſervitutem; patriæ tamen illi proditores, ut meritam nunquam effugiunt pœnam, à Comortienſibus aliquot intercepti, vivi rogo ſunt cremati, quidam ferro paloque perfoſſi, alii recenti equinæ cuti involuti miſerrimè perierunt. Plurimis autem Chriſtianis, quos fuga Turcarum furori ſubduxerat, perfugium fuit Vienna, quæ omnes continere tuerique non potuit, ſed mille quadringenti currus in proxima Danubii inſula ſub dio cum maxima hominum multitudine gemitu & clamore pronoctabant, ſpectabantque noctu diuque patriam ſuam buſtis circumquaque & flammis ſine ulla obſiſtentia conflagrantem; unde merito ſibi metuens Cæſar, convaſatis pretioſioribus & Archivio Lintzium abiit, cum ingenti omnium terrore, & inconſolabili dolore; fatalem patriæ, fortunarum ac hominum interitum certo ſibi præſagientium: Sed cum hoſtis abs Ravensburgenſibus, & Nicolaburgi obſidione fortiter rejiceretur, & Cæſareus ſparſim miles plurimos carptim deleret, annona etiam viribuſque plurimùm acciſus, prædis tamen & captivis eſſet refertiſſimus, pridie idus Septembris viam relegens Vivarinum ad ſuum reverritur exercitum: quo maxima etiam annonæ & monetæ copia contendebat, quam Serinius cæſis

Turcæ Auſtriã Moraviamq; depopulantes;

Olmutiũ uſque penetrant;

Eorũm crudelitas.

Cæſar Lincium fugit.

Serini Nic. ſpolium:

cæſis ter Janizarorum millibus feliciter intercepit.

Secundus Turcarum inſultus reprimitur.

Perforato nunc latius Vivarini muro alterum jubet Vezirius tentari inſultum, quem præſidiarii ex propugnaculo Forgatſchino facilè fortiterque, ex Fridrichino difficilè, valido licet per tres horas virium robore propulſarunt; nec abſceſſit hoſtis propugnaculi radicibus, niſi ejectis noctu piceis vaſis, binis potius ſignis repulſus, non levi propugnantium, grandiori oppugnantium internecione. Ordines quidem Ungariæ, quorum res agebatur, agonizanti Novarino metuentes, armatorum millibus quinquaginta urbem obſidione liberari poſſe, & omni ſtudio per Croatiæ Banum, ut vocant, Nicolaum Serinium conſultabant; ſed conſilium optimum peſſimâ religionis diſcordiâ (quæ utuca Ungariæ eſt ruina) & diuturna auxiliarium abſentia copiarum (quas per legatos Ratibonæ Principes ſubmittere decreverant) omnino eſt extinctum. Hæc probè perpendens Vezirius, & moræ periculum prævidens, diu noctuque urbem expugnando tentare, tormentis & cuniculis muros ſolo æquare, tertium ceteris truculentiorem parare inſultum, adigere fuſtibus in pugnam Janizaros, inſano quodam furore tranſcendere valla & mœnia, iiſque lunas quatuor ſupra denas implantare: quàm generosâ vero fortitudine, & quàm heroicâ præſidiariorum conſtantiâ & alacritate vallo Muſelmanni dejecti, reſciſſæ lunæ, aquilæ repoſitæ, dici vix poteſt; nimiâ tamen omnium defatigatione, cunctorum fermè centurionum, tribunorumque vulneratione, & 400. gregariorum occubitu; Turcarum verò 5000. cum Agalarſo generali equitum magiſtro, 2. Tſchori Baſſis, 2. Capizi Baſſis, & Aga quodam generoſiſſimo ſunt intetempta. Sed, quo fato vel incuriâ neſcitur, armamentarium cum omni bellico apparatu & pulvere, cædeque 50. militum, & aliquot centurionum in aëra cvibratum infauſtam maturavit deditionem, quam cives & milites, ac imprimis Ungari minaciter adurgebant, refragantibus maxime Forgatſchio, aliiſque tribunis; cum autem miles intolerabili exhauſtus labore ob imminens certò periculum arma dejiceret, tribunique omne ſpe tuendi, ac ſuccurrendi eſſent deſtituti, miſſo ad Vezirium caduceatore, ſeptimo Kalend. Octobris juſtis urbem conditionibus tradere coacti fuerunt. Vexirius potiundâ urbe gaviſus pactis omnibus à præſidiariis Forgatſchio præpoſitis non modò ſe acquieturum, ſed ſanctè etiam ſervaturum pollicetur. Pactum fuit, ut ſonantibus tubis & tympanis, ſignis explicatis, omnibus impedimentis, ſine machinis tamen urbem egrederentur: cujus fidei obſides binos Baſſas præfecto Comorrienſi Adolpho Buchemio ſubmiſit: qui eoſdem, quòd Cæſareis repugnaret conſtitutionibus, remiſit; ſicque quinto Kalend. Octobris impoſito urbi ſeptem millium præſidio ſub præfecto Kurt, patria Saxone, Chriſtianorum tria millia ſexcentiſani, & vulnerati infirmique quingenti Comorram à Turcis innoxiè deducti, & imminentes illis Tartari rapinis ac latrociniis aſſueti, egregiè ſunt repulſi, relictis ibidem 60 tormentis aut vix uſui, aut planè quaſſatis, & abundanti vini copiâ.

Vivarini deditio.

Turcarũ ubique terror.

Novarinum multo Turcarum ſanguine (15000. vel ut alii 25000.) emptum, quantum illis univerſim gaudium; & expeditiorem Hungariam ſuperiorem, Tranſilvaniamque ſubjugandi contulit potentiam, tantum orbi Chriſtiano intulit ruinæ terrorem: quocirca Vienna, & totus Danubii Tractus Lintzium uſque validis ubique muniebatur aggeribus & propugnaculis: Presburgum oppugnationi, ut credebatur, proximum, mœnibus quidem antiqui roboris cinctum, ſed tanti exercitûs viribus reſiſtere minimè potens, & ſuam metuens funditùs everſionem, ſollicitantis Vezirii ſe poteſtati ſubmittere, & nullum Cæſaris admittere præſidium decreverat, quòd cives publicato ubique Vezirii Manifeſto decepti credebant omnes per triennium vectigali ac tributo fore exemptos, qui ſe Magni Mahumetis tutelæ committerent, donec Strozzi Comitis rationibus perſuaſi, legionem ejus admiſerunt, qui & cives novâ fidei in Regem ſuum conſtantiâ erectos confirmare, & urbem validis utcunque vallis & loricis roborare nihil non intermiſit. Levenza vero haud exigui roboris præſidium eodem exanimata terrore, ſolis promiſſionum fraudibus circumventa, quinto nonas Octobris perfidam ſuî deditionem fecit: ſecuta mox Nitra propugnaculum, aliàs invincibile, primâ Vezirii provocatione turpiter à præfecto tradita, cujus poſtmodum perfidia capitis ſectione mulctata eſt.

Poſoniũ Strozzius confirmat.

Turca capiunt. Levenzã

Nitram.

Favente ſic Martis fortunâ jam etiam hoſtis Schintam, vel Schintaviam cùm pollicitationibus, tum machinis pulſabat; ſed quia locus copioſo tormentorum apparatu & commeatu, Commendator etiam animi ac fidei juratæ conſtantiâ probè munitus erat, Turcarum furorem eluſit; cui haud longe pòſt turpiter ceſſit Novigradum, arte & naturâ in montis cacumine ſitum, ſaxoſa circum foveâ, triginta pedum altitudine roboratum, & valido 600. præſidio, omnique apparatu inſtructum. Quâ fortunæ benevolentiâ ſi Vezirius uti noviſſet, omnem facilè regionem ſubjugaſſet; terrorem ſiquidem circumferebat ubique & ſine ullo Cæſarei exercitûs obſtaculo ad ipſa Comorræ, Jaurini & Presburgi mœnia libertimè ſæpius excurrens, fruges & ſata, ſacra profanaque omnia evertebat, donec inclinato in hyemem anno, potiorem ad hyberna militem demitteret, & volatili triginta millium qua Turcarum, qua Tartarorum exercitu Croatiam ſubinde & Styriam jubet depopulari: quâ excitus famâ Serinius recens ex Ungaria redux exiguo equitum agmine 480. raptim collecto Muhræ fl. tranſitum impediturus, in altera cernit ripa hoſtem conſidentem, auditque alibi duo millia jam flumen tranſiiſſe; ille viribus multum licet impar, ſed magno aggreſſus animo, cum Chirfalca tribuno paris generoſitatis ſocio quinto Kalendas Decembris ex inſidiis irruit, fugat, internecione cædit, & quos non framearum acies, aquarum abſorbuerunt voragines, unde equi ſupra mille emerſi in poteſtatem vincentium venêre: ſicque Croatia & Styria invictâ Serinii fortitudine, ſimul & immortali nominis ejus gloriâ tum conſervatæ ſunt: hoſtis verò hac mulctatus ſtrage Caniſiam irâ frendens progreditur. Vezirius interea victoriis elatus univerſæ veluti Ungariæ domitor Budam triomphaliter ingreſſus, Goeſio Cæſaris Internuntio, ejus juſſu ibidem durante Vivarini oppugnatione ob incertam expeditionis aleam ſubſiſtenti, ſcriptas belli cauſas purpureo ſacculo, auratoq; munitas ſigillo tradit Cæſari exponendas, eumque Viennam remittit.

Novigradum.

Nic. Serinius Croatiæ & Styriæ conſervator Turcas cædit.

RERUM HUNGARICARUM, LIBER XLIII.

Abaffius Zeckelheidam occupat.

ANno ſexageſimo quarto ſupra milleſimum ſexcenteſimum hybernantibus utriuſque exercitûs copiis, Abaffius Tranſylvaniæ Princeps Turcarum fraudibus caute diffidens, ut ſervilem eorum effugeret potentiam, & ſedem firmaret ſui principatûs, ſuorumque præ omnibus ſubditorum animos ſibi devinciret, ſingulari prorſus arte eorum in ſe amorem & fidelitatem, nec minorem ſuî majeſtatem ac reverentiam conciliavit: tum ad provinciæ ſuæ firmamentum limitaneas arces & munimenta præſidio, apparatu, commeatuque tum communire, tum perdita vigilanti recuperare ſtudio non intermiſit: dumque eo tempore præſidiarii Zeckelheidenſes ejuratâ turpiter Cæſaris fide Præfectum ſuum Dippendalium ſive prætensâ ſtipendii in quintum decimum menſem dilatione, ſive ſtudioſâ Abaffii ſollicitatione rebellantes, præſidio ejicerent, domúmque ejus ſpoliantes quindecim coronatorum millia inter ſe dividerent, Koppius Præfectus Zatmarienſis (ad quem Dieppendalius conſilii auxiliive causâ confugerat) re auditâ rebellantibus per binos centuriones & Commiſſarium tam perfidiæ remiſſionem, quàm plenariam ſtipendiorum ſolutionem fruſtra offerret, opportunâ hac uſus occaſione Abaffius, debiti ſtipendii, & majoris menſtruè ratam appromittit ſolutionem, additque cuilibet præter veſtimenta decem imperiales; atque ita in ſuæ fidei devotionem & milites, & munimentum decimo tertio Kalendas Februarii accipit, ingenti Tranſilvanorum commodo, gaudio & congratulatione: Zeckelheida enim ſitu & naturâ loci, circumjacentibus ad tria milliaria paludoſis aquis munitiſſima, una nonniſi parte ſublicio ponte acceſſibilis, omnem circa regionem & Waradinenſes imprimis arcet, continetque excurſiones: cujus unica, & Serinwarii recens exſtructio præſentis belli cauſa & origo dicebatur.

Capit etiam Claudiopolim.

Ceſſit quoque paulò poſt Abaffio eâdem arte & aureis expugnata globis Claudiopolis, Tranſilvanorum Principum Sedes & metropolis, non ſine ingenti Cæſaris deploranda jactura; cujus ſimul & Imperii cauſa in Ratisponenſi conventu ambitioſis Legatorum diſceptationibus & diſcordiis ad nauſeam protrahebatur; cùm certis tamen Byzantio rumoribus confirmaretur fatalem proximè ſummis impendiis & apparatu in Croatiam primum & Styriam, tum Tyrolenſem Comitatum adornari expeditionem.

Nic. Serinus in Eſſeckenſem pontem cum Hohenlojo expeditio.

Effrenam hanc infringendi hoſtis audaciam datum eſt negotium Nicolao Serinio, inveterato Turcarum hoſti, qui rigido licet frigore nil cunctatus, aſſumpto ſibi ſocio Imperialium copiarum Duce, Com. Wolffgango Hohenlojo, exercitum viginti quinque millium decimo ſeptimo Kalend. Februarii Serinwaro in Turciam cis Dravum ducit, pontem Eſſeckenſem, unicum in Ungariam inferiorem aditum deſtructurus. Berzerka primum Serinianæ ictum framcæ duodecimo Kalendas Februarii excepit, nec diu ſuſtinuit, ſed factâ propediem deditione, relictiſque octo tormentis turcicus egreſſus eſt miles indemnis, Tartari interfecti omnes. Eandem deditionis viam ſecuta eſt Babotska, & vicinum munimentum Bartſeb, territi metu præſidiarii noctu deſeruerunt: quibus in locis haud exigua annonæ copia, opulenta ſuppellex, & tormenta in hoc bellica octo, in altero ſexdecim ſunt obtenta: inde Eſſeckum perit, ubi pons Dravo, aliiſque confluentibus aquis & paludibus inſtratus, longitudinis 8565. paſſuum, latitudinis 17. ultra duo extenditur milliaria, firmis ubique reclinatoriis, ſex annorum ſpatio 300000. imperialium impendio, opus ſanè regium porticûs inſtar inſtructum: hunc pontem evertere contendebat eo fine Serinius, quòd deſtructum vix anni ſpatio reficiendum, ſicque hoſtis furorem eo ſaltem anno vel omninò extinguendum, vel eo uſque ſiſtendum crederet, quo Cæſari, Romanoque Imperio vires, & exercitum colligendi tempus concederetur. Perdurante igitur adhuc gelu, & vento opportunè utente, bis mille dimachas, & ter mille Croatas eo præmittit, quos in adſita munitione ſex mille pontis defenſores Turcæ non repulêre tantùm; ſed & inſigni mulctaſſent cæde, niſi Germani opportunè advolantes & Turcas rejeciſſent, & tranſcensâ generoſo impetu munitione præſidiarios mactaſſent internecione. Tum facilè totus fermè vulcano pons traditus eſt quarto nonas Februarii, non ſine geſtienti Chriſtianorum lætitiâ: quem tamen haud multò poſt indefeſſus Turcarum labor, & cura intra breviſſimum ſex hebdomadatum curriculum incredibili omnium admiratione funditùs repararunt.

Pons Eſſeckenſis inflammatur.

Quinque Eccleſias Serinius capit.

Inde Serinius cum exercitu tendit Quinque-Eccleſias, magnitudine & mercaturâ Viennæ haud impares. Hic Turcæ metu doloſè ſimulato, albi coloris vexillum exponentes, dum noſtri ſpe deditionis urbem propiùs accedunt, bombardis horrende & tormentis non exiguam noſtrorum edunt ſtragem, Chiliarchis & centurionibus pluribus fatalem: doli autem ſui pœnam & talionem mox experti, nonis Februarii juſto miles Chriſtianus furore urbem aggreſſus primo impetu capit, & omnes in ore gladii trucidat, domos & Moſcheas expilat, & ingens auri, æris, plumbi pondus, vini & pannorum copia in poteſtatem militis egregiâ Serinii ducis ſui liberalitate pervenit; quia verò nobiliorem præſidiarii theſaurum in arcem tempeſtivè conduxerant, eandem mordicus omnio ſtudio, pertinacique robore defendunt: nam telis & tormentis continuò ejaculantes, Chriſtianorum ſtravêre plurimos. Sickinus copiarum Moguntinenſium ductor, trajecto humero decimo pòſt die, non vulneris, ſed frigoris acerbitate, & neceſſariæ quietis carentiâ ſummo Principis ſui dolore occubuit: ſicut Generales etiam vigiliarum Præfecti, Comes Herberſteinius, & Baro de Hemmerling, dum hic loci ſitum exploraret, vir ſtruendarum, & capiendarum fortificationum pergnarus, ob quod Zerinio mors ejus gra-

1664. graviſſima accidit; gregariorum autem militum plurimos vino imprimis temulentos Turcarum noctu proſtravit vigilantia. Cumque ſævus præterea frigoris rigor pluribus eſſet lethalis, convocato militari conſilio, utrumne arcis expugnatio, an ejuſdem ſolutio conduceret? vicit, invito quamvis Hohenlojo, poſterior ſententia, & eadem die tota qua patet civitas in cineres redacta vulcano eſt immolata. Ex quibus cineribus immortalis ille gloriæ phœnix Nicolaus Serinius natus totum pervolabat orientem & occidentem, admirabantur omnes, & ſuſpiciebant ſagacem illius prudentiam, & indefeſſam vigilantiam: amabat miles & ſectabatur fortunæ ejus felicitatem & liberalitatem, quâ partas militi prædas & ſpolia promptè concedebat: invictam ejus fortitudinem & celeritatem metuebant Turcæ, & ad nomen ejus SERIN-OGLI non ſine cauſa tremebant: nam ultra mille oppida, urbes & caſtra in hoſtico diruta & combuſta; plauſtris & curribus bis mille quingentis prædam ingentem, captivos, & apparatum bellicum, 150. tormenta, & maximum equorum pecorumque numerum edocens, omnem latè regionem Dravum inter & Danubium ferro flammâque vaſtaverat, & ingentem Chriſtianorum numerum aſſeruerat libertati.

Rebellâ arce, & urbe inflammatâ diſceditur.

Nic. Serinius laus

Hohenlojum prætere jam inde præmiſerat Zigethum obſidendum, naturâ loci munitiſſimum, quod olim 1565. à Solimanno diuturna 600000. armatorum obſidione oppugnatum, & ab atavo ſuo ejuſdem fortitudinis & nominis Nicolao Serinio immortalis gloriæ merito ad mortem uſque propugnatum, in Turcarum demum deveoit poteſtatem, & hucuſque permanſit. Hic Serinius Atavi ſui mortem ulturus, decreto die impetum in urbem imperaverat, cùm ecce defertur fama duodecim Turcarum millia in urbis liberationem approperare: conſilio in arena capto, eò quòd Chriſtianus miles frigore, viarum & laborum difficultatibus exhauſtus, annona etiam & bellicus paſſim apparatus deficeret, adeoque integris hoſtium impar viribus eſſet reſiſtere, ad hyberna dimiſſus eſt, novis reſtaurandus tyronibus.

Zigethū meditatur oppugnare ſed irrito

Felici hac, & omnibus admirandâ Serinii expeditione, quòd Styria à fatali Turcarum vaſtatione liberata, Græcium ejuſdem metropolis perpetuo patriæ voto, Cæſare approbante, Deiparam Virginem Mariam ſub Immaculatæ conceptionis titolo (quam non ita pridem Alexander Papa VII. teoendam, credendamque publico mandaverat decreto) poſt publicæ proceſſionis ſolemnitatem, in titularem Styriæ Patronam & Protectricem elegit; ejuſdemque immaculatæ conceptionis Feſtum quotannis prævio univerſali omnium jejunio in meritiſſimam gratiarum actionem perpetuò celebrandam ſeſe devinxit. Styriæ pietatem ſecuti Ratiſponenſes, ſolemniſſimam quoque eadem de cauſa ſexto nonas Martii in frequentiſſimis Imperii Romani comitiis adorhantes proceſſionem, in qua Auſtriacâ plane devotiooe ter maximo armipotenti Deo præſenti facibus accenſis famulati ſunt Leopoldus Imperator, Electores, Carolus Caſparus Trevirenſis, & Ferdinandus Maria Bavarus (Joannem Philippum Moguntinum dolor pedum detinebat) Principes & Epiſcopi Salisburgenſis, Spirenſis, Argentioenſis, paterbornenſis, Monaſterienſis, Ratiſponenſis, Fuldenſis &c. Marchiooes Badenſes &c. omnes pro Ungariæ, Imperiiq; Rom. conſervatione ſupplicantes.

Aſſertor Styria, quæ B. Virginē immac. concept. protectricem elegit.

Eidem Virgini Comitia Ratiſponenſia & & Leopoldus devotus.

Quid ad hæc Mahometes IV. Turcarum tyrannus? Serinianæ indignatus fortunæ, & ſuarum condolens provinciarum vaſtationi, acerbis ad Vezirium literis gravem ejus accuſat hoſtis repellendi inertiam, & Chriſtianorum vigilantiam: hic ſui indignatione tyranni punctus, collecto licet nondum exercitu, agmina quædam per Boſniam ſtricto cum imperio expedit, Serinwatium vi, vel aſtu ſubitò obruendum, vel etiam circumvallandum, juſto cum exercitu propediem adfuturum addicens. Hæc opportunè intelligeos Petrus Serinius (cui frater Nicolaus oegotiorum causâ in Ungariam profectus, patriæ domûſque ſuæ commendaverat conſervationem) ſtructis ad Morlaci montis anguſtias inſidiis, hoſtem feliciter bis millium cæde, & plurimorum capturâ victoriosè rejecit. Nicolaus interea frater in Croatiam redux, ut hoſtem certò ſibi imminentem maturè præveniret, Caoiſcham qua vi, qoa arte intercipere meditatur: utque fieret illud expeditius, loci robur & ſitum penitius exploraturus, eo contendit, quinque ſupra denos tribunis & Chiliarchis comitatus: hoſtis hujus præſcius, & capiendi Serinii certus, quingentis ſubitò equitibus ex inſidiarum latibulis erumpens, horrendo illum clamore circumdat. Serinius nihil territus, ſed conſtentis animi, & invictæ virtutis ſuæ munitus robore, ſimulque croatici ſui equi beneficio inſidias elapſus, in proximum evolavit ſaltum, inde trecenti Seriniani equites Turcarum vociferatione exciti, opportuoè Ducem ſuum & reduxerunt incolumem, & hoſtem plurimis eorum tum captis, tum cæſis repulerunt viriliter: inter hos repertus miles catephractus, ſerico ſuccinctus fune, quo, ut referebant captivi, hic vinctum Vezirio Serinium tradere meditabatur. Hac proditionis injuriâ hic vehementior irritatus, omnem latè Caniſchæ diſtrictum ita eſt depopulatus, ut ne in rutis quidem (ut dicitur) & cæſis quicquam, reſidui permanſerit, & accolæ paſſim omnes Caniſcham profugerint; qoos tamen metu deficientis annonæ præfectus Baſſa non admiſit: Eſterhaſius enim & Battianus Comites, ne quid annonæ urbi inſerretur, vigilantiſſimè obſervabant, ideoque frumenti modium duodecim valere coronaris perhibebant. Antequam verò urbem cingeret Serioius, Cæſaris priùs, ejuſqoe bellici conſilii ſenſum, & cooſenſum maluit audire. Cæſar literis ad eam ſexto idus Martii datis & invictam ejus in rebus tam præclarè geſtis fortitudinem laudavit, & ad propoſitam Caniſchæ obſidionem ante aprilem & hoſtis adventum maturandam ſeptem millium eqoitum, & tredecim millium peditum exercitum deſignavit, noo quòd certam, aut facilem ſibi urbis captionem perſuaderet; ſed ut furibundom hoſtis impetum in paludoſis iis, inviiſque locis tantiſper ſiſteret, ne in Auſtriam vicinaſque provincias liberè ſeſe effunderet; ſed quia abſente Hohenlojo Styriæ & rhenaoæ copiæ præfixo obſidionis termino, ſexto idibus Aprilis coovenire oon poterant, dilata eſt in pridie Kalendas Maji juſto cingenda exercitu.

1664. *Mahomet jubet Vezirio Serinwatium deſtruere*

Pet. Serinius Turcas cadit.

Nicolaus Serin Turcarū inſidias elabitur.

Caniſiam meditatur cingere.

In Ratiſponenſibus interea comitiis multos principes interceptum priori anno Vivarinum ad ſaniora promptioraque adegit conſilia: conſultum imprimis ſtudio magis ſerio de accerſendis, ſuis cujoſque ſumptibus ſuſtentandis, & maturandis contra hoſtem copiis; tum de exercitûs ſcripti auctorandive imperatoribus actum. Communibus quidem votis tertio nonas

In comitiis Ratiſp. eliguntur duces expeditionis in Turcas.

Martii

Martii Rhenanarum copiarum Dux generalis renuntiatus eſt Wolffgangus Julius Hohenlojus , probatæ virtutis miles ; ſed dum aliorum in tanto generoſorum heroum concurſu ducum proponeretur electio , magna eſt facta contentio , Cæſaris tandem , & Triumvirorum interventu compoſita : Generalis Imperialium copiarum Mareſchallus electus eſt Leopoldus Wilhelmus Marchio Badenſis , hujus ſupremus Vicarius Comes Waldeccius : ſupremus rei tormentariæ præfectus Comes Franciſcus Fuggerus : duo ſupremi equitum magiſtri Auguſtus Dux Holſatiæ , & Udalricus Dux Wittenbergicus : duo peditatûs generales Guſtavus Adolphus Marchio Badenſis Durlacenſis recens Catholicus , Friderici frater , & Comes de Pueck : tum demum armorum tam fœderatorum quam non fœderatorum electi ſunt bini Directores , Bernardus à Galen , Epiſcopus Monaſterûs , & Fridericus Marchio Badenſis Durlacenſis qui omnes rebus Ratiſponæ & domi ſuæ compoſitis ad aſſignatas ſibi properarunt copias. Quos paulò poſt domum ſecuti ſunt Moguntinus , Trevirenſis , Carolus Ludovicus Palatinus , Joannes Georgius Saxo , Bavarus , Com. Sparrius , Waldeccius , & alii ; Cæſar autem octavo idus Maii abiit Viennam. Militem vero auctorandum , & in campum educendum quod attinet , Cæſar ſiſtet peditum 41600. tredecim vero millia nongentos equitum : Confœderati tredecim millia , ſexcentos quinquaginta pedites , & ter mille octingentos quinquaginta equites : Imperium Rom. equitum quatuor millia triginta ſeptem , & peditum millia ſexdecim , nongentos nonaginta unum , præter Saxo - Brandeburgico - Gallicas copias auxiliares ſpe veluti certâ acceſſuras : ita ut comitiorum proceres has Turcarum viribus ſi non ſuperiores , pares ſaltem eſſe exiſtumaverint. Ad hæc igitur ſubſidia impetranda , & impetrata maturanda miſſi ſunt varii ad variorum Principum aulas legati : Piccolominus ad Italiæ principes (qui in itinere tamen & vitâ & officio defunctus eſt Mediolani : in Angliam Colaltus , in Galliam Stroxzius , qui in perorando aut regiæ majeſtatis auctoritate , aut ſtudio aliquamdiu elinguis , reſpirans autem eloquentiæ ſuavitate Regem in ſuas adeo traxit partes , ut ſex millium tum equitum , tum peditum obtinuerit ſubſidium , quos Joannes Comes Colignus , comitantibus Bovillonio , Villerojo, Richelio & pluribus magni ſtemmatis volonibus in Hungariam conduxit.

Hæ ſubſidiariæ copiæ antequam convenirent , Ludovicus Ravicus Suſa Dux haud ignobilis , magnæ experientiæ , virtutiſque miles probatiſſimus , ſuperiorem Ungariam, ſimulque Moraviam & Sileſiam juſto defendit exercitu ; altero Nicolaus exercitu cum Hohenlojo Caniſienſem promovet obſidionem ; quam audiens Vizirius admiratur Serinii temeritatem , metuenſque urbis ob annonæ defectum jacturam , octuaginta ſubito annonarios ſub valido præſidio currus eo deſtinatos Seriniani opportunè intercipiunt. His obſeſſi minus territi continuis

Nic. Serinius & Hohenlojus Caniſiam obſident.

urbem excurſionibus & ejaculationibus fortiter propugnare , & detectis pyrobolorum periculo domibus terræ cavernis ſe abſcondere , & in diuturnam omnia defenſionem parare ; in Serinianis ècontra caſtris bellicus deficire apparatus , graviores muris dejiciendis neceſſariæ machinæ diutius emanere , langueſcere vires pyrobolorum , miles murmurare ob frigoris acerbitatem , & ſtipendiorum dilationem (quæ ſuo demum perſolvit ære Serinius) ob pauciorem promiſſo oppugnantium numerum , & occumbentium multitudinem ; quorum jam tunc ultra duo millia perierânt ; primus enim ſuburbii impetus quadringentos Ungaros, & ducentos devoraverat Germanos. Rebus ſic licet ſtantibus , haud dubia tamen Serinio videbatur urbis occupatio , modo Turcarum impediretur adventus & ſuccurſus ; quare literis rogat Cæſarem, ut ex hybernis quam celerrimè in campum educeret exercitum , in tria dividendum agmina ; primum Caniſcham oppugnantes defenderet , ſuppleretque Cæſorum defectum : alterum tenderet Eſſeckum , hoſtilem Dravi tranſitum impediturum : tertium denique in campo urgenti utrobique neceſſitatis periculo paratum. Iteratis igitur curſoribus imperatum Montecuculo , ſine mora cum exercitu in occurſum Vezirii procedere. Sed ecce Serinius jam menſæ accubiturus ab Corycæis Vezirium quinque ſolummodo horis ingenti cum exercitu caſtris abeſſe ſumma cum admiratione intelligit, nam turcicus miles ne octoginta foret milliaribus circumducendus, incredibili Vezirius celeritate pontem Eſſeckenſem dies intra quadraginta) opus antehac ſex annorum) juſſerat nedum reparare, ſed ex fundamentis perficere. Hoc inopino perculſus nuntio Serinius , eùm audiret Vezirium relicto poſt ſe exercitu viginti tantummodò equitum millibus laboranti approperare Caniſchæ, generoſo hoſtem prælio aggrediendum conſentiente Stroxxio propoſuit ; diſſentiente autem gravibus de cauſis Hohenlojo , ſoluta eſt obſidio , & miles relicto in caſtris aliquali bellico apparatu , & 20. farinæ curribus Serinwarium eſt reductus.

Solvitur obſidio.

Quem mox Vezirius eo inſecutus gaudebat ſe ab ipſis adeo hoſtibus ad illum deduci locum , qui & belli principium & finis , ſimulque ſuperbientis gloriæ ſuæ coronis eſſet futurus. Erat ex adverſo Serinwarii eminus collis fovea ſeu lacunâ circumdatus , cui exercitum ſecurè inſidere, & Serinwarium defendi , imo mutua utrumque defenſione conſervari poſſe Serinio videbatur ; Hohenlojus verò , & tribunus Sparrius in altera Muhræ fluvii parte tutius conſiſtere exercitum ingentibus hoſtibus longè imparem & defatigatum ſatiùs exiſtimabant , multóque fore periculoſius in certamen cum illo deſcendere ; ſed Montecuculi conjunctionem omni ſtudio & celeritate maturandam eſſe omninò neceſſarium. Quo Chriſtianorum metu , ut aſſerebant , Turcæ alacriores , Muhram octavo idus Junii tranſituri , noctis , beneficio inſulam occupant interjacentem ; quod in-

Turca Serinvvarium oppugnandum tendunt.

dignè ferens Petrus Strozzius, collectis raptim aliquot centuriis, rei gerendæ modum verbis propoſuit: Videtisne, inquit, „milites inſulam illam, ſupra hoſtem? arx quaſi „illa eſt ſpei, ſalutiſque noſtræ, ſi eam, „quam rabidæ occupaverunt gentes, impigrè glorioséque capimus: potius ſerò „quàm nunquam eundum eſt obviam audaciæ, hoſtiumque temeritati. Agedum „ite mecum, qua pateant hinc exitus, exploremus: nos deinde aut fortuna domûs „Auſtricæ, aut noſtra virtus expediet; veſtrum iter ac reditum omnia laudibus ferent ſecula. Hæc dicta dederat, quum ſignum poſcunt ingenti alacres fortitudine, & ſpe haud dubiâ feroces in prœlium vadunt, ac bino horis quinque continuato impetu hoſtem ſtrage quingentorum alii 3000. cæſorum loco depellunt. Peracto feliciter prælio ad concionem rurſus caſtrenſem perorαvit Strozzius, & pro geſtis fortiter agens gratias, collaudatam Cæſari virtutem pro meritia ſe commendaturum promiſit. Dum avidis bona verba excipiebantur auribus, O fortuna viris invida fortibus! plumbeo à Turcis alite (ex ſtriata fiſtula) ſecundum tempora dignus immortalitate heros lethaliter icitur; & ita quidem, ut aſtantem Anonymum equitem diverberati fuſtra generoſi cerebri aſpergerent; luctuoſo ſane caſu; quem miles omnis deploravit ut parentem, & ducem fortiſſimum ſibi ereptum eſſe. Sic nullus dux adeo felix eſt, ut in bello diuturniore fortunam habeat perpetuò propitiam. Supervixit quadrihorii ſpatio, donec ingentem animam, quam pridie ad iter æternitatis Viatico Chriſtiano-Catholico communierat, exhalavit. Mox autem Vezirius grandi ſuorum multitudine accitâ Chriſtianos inſulâ repellit, & ſine obice Muhram tranſiens, Serinwarium cingit, ac incredibili celeritate vias obſidionales promovet.

Strozzius occumbit.

Interea temporis ſuo Montecuculus exercitu Serinium acceſſit, magnis utrimque lætitiæ, concordiæ mutuæque defenſionis ſignis & argumentis exhibitis: prælii verò tentamen, quod urgebat Serinius, diſſuadebat Montecuculus, hoſte nunc in immenſum aucto tentandum illud antea, dum viribus erat debilior. Ad hæc Serinius: militem non ad delitias, aut Principum gazas conſumendas auctoratum; ſed laboribus ac periculis ſtipendia mereri: ſe quidem ad Caniſiam hoſtem invadendum promptum alii retardavêre tribuni ac chiliarchæ, quod unitis nunc exercitibus foret opportunum, cùm non tot, ac vulgatur, ſed triginta vix numeret millia, ex tyronibus potiſſimùm armorum & pugnæ expertibus collecta; miles verò Chriſtianus & armis exercitatus, & victoriis aſſuetus cum hoſte conſerere quam maxime deſideret; utque verbis ejus fides adhiberetur, literis ab Cæſareo in caſtris turcicis reſidente Internuntio clandeſtinè ſibi redditis hoſtilis numerum exercitûs 30. millia non excedere certâ fide Montecuculo demonſtrat. Adventantibus igitur cum auxiliis Sporckio & Marchione Badenſi hoſtem certò invadendum Montecuculus appromittit; ſed dum cerneret Serinius moras necti diuturniores, & Montecuculum Serinwario penitius recognito Serinianos cum Præfecto præſidiarios, non ſine arcano forte Cæſaris conſilio, inde amoviſſime, & alios cum non exigua nominis ſui injuriâ ſubſtituiſſe, indignatione frendens Chiacaturnum relictis caſtris abiit, juſtas apud Cæſarem injuriæ querelas depoſiturus.

Hac Ducum diſcordiâ uſus opportunè hoſtis ad munimenti vallum pervenit, & quinto idus Junii evibrato per cuniculos ſemilunari aggere tanto conſternavit præſidiarios metu & terrore, ut illis ad tutiora recedentibus apertam incautè hoſtis portulam ingreſſus munimentum obtinuerit: præſidiarii mille & quingenti fuga per Muhram ſibi conſulentes pontis multitudine depreſſi ruinâ aquis ſubmerſi ſunt plurimi, reſidui 350. Turcarum ſicis ſuâ ipsâ ignaviâ interfecti, hoſtem nullâ defenſionis vi arcere auſi; quem tamen anno præcedente furioſe hoc idem munimentum impetentem Ungari centum, & viginti ſolùm Germani, ejuſdem robore nixi glorioſe rejecerunt. Vix quidquam in eo, niſi ſeptem machinas campeſtres & pyreumata duo lucratus Vezirius, munimentum mox funditus demoliri jubet, hujus belli, ſeu offenſionis lapidem, quem Cæſar eâ vel maximè cauſâ removere Serinio mandaverat: immorigerus vero ille mandati contemptor & validum ſuum arte & naturâ munimentum amiſit & Cæſaris gratiam quam ſane magnam & immortalem nominis ſui gloriam glorioſiſſimis pridem pro Chriſtianitate geſtis non apud Cæſarem modò, ſed omnes Chriſtianos orbis Principes ſibi demeruerat: Alexander namque VII. Pontifex Aureâ ſuî effigie, ſeu numiſmate, Rex Galliæ Ludovicus XIV. decem millibus Impp. Philippus IV. Hiſpaniæ Rex aureo vellere, Cardinalis Barbarinus penſione menſtrua, Principes alii feſtivis undique illum cumulaverant congratulationibus: major autem omnino Heros ille ſeræ vixiſſet poſteritati, ſi illius in Regem ſuum inobedientia, & aliorum erga ipſum invida abfuiſſet æmulatio: maximus, ſi illi defuiſſet uſciſcendi libido, quæ ut fera peſſima ſumma nominis infamiâ Serinianam devoravit familiam.

Serinvvarium Turcæ capiunt.

Et eventunt.

Serini laus.

Vezirius liberatâ ex voto Caniſiâ, & capto everſoque Serinwario, concatenatis elatus victoriis nihil ſibi inacceſſum fore aut invincibile, ſed omnia ſe armorum ſuorum potentiæ incurvatura, non ſine inſigni Chriſtianorum contemptu jactitabat; quorum, Ducum imprimis diſcordiâ magnam ſibi victoriarum ſeriem certò promittebat; Verùm armipotens Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, elatam velle tandem Turcarum potentiam enervare, videbatur; nam Cæſareus alter exercitus Duce Ludovico Souchesio in ſuperiores Pannoniæ & Vyvarienſes partes perrexerat, tum ut à Caniſienſis obſidionis ſolutione hoſtem famâ imminentem averteret; tum etiam ut vaſtatis interceptisve circum Vyvarinum pagis & oppidis ipſum demum amiſſum præſidium

fame

Nytriam Souche-ſius capit

fame vel armis recuperaret. Suſpenſis igitur omnium animis Nytriam clam contendit; quam pridie adventus ſui cancellarius Vezirii trecentis equitibus, & 150. coronatorum millibus ingreſſus, pluresque Turcarum tribuni, ſeu Baſſæ, bellici cauſa conſilii eò convenerant. Circumvallatur opportunè munimentum vallis, tormentis quatitur, inflammatur pyrobolis, & fons eò venarum beneficio deductus exſiccatur: patefacto demum muro præſidiarii metu concuſſi deditionem offerunt, quam ideo promptius acceptavit Souchesius, quòd audiret validum obſeſſis ſubſidium à Waradinenſibus, Vyvarienſibus, ceteriſque adjacentibus locis parari. Pactum igitur ut oon volantibus, ſed convolutis ſignis, bombardis ſub axillis geſtantes, relictis tormentis, belliciſque impedimentis Chomarium deducerentur.

Et Levenzam.

Inde Vyvarinum Souchesius recuperandum propoſuerat, niſi impares loco vires diſſuaſiſſent; Levenzam igitur flagellandam dum Auguſtum Holſatiæ Ducem cum peditatu machiniſque bellicis præmiſiſſet, ipſe cum equitatu ſecutus, hoſtem ad fanum S. Crucis poſtrema carpentem agmina ſua advertit (erant quatuordecim millia Tartarorum potiſſimùm Nytrienſibus ſeriùs ſubmiſsâ (qui ſpe fruſtrati, vindictæ furiâ agitati magno Suſianos clamore & impetu invadunt; generoſiori autem fortitudine per Garnierii, Capraræ, & Zeiſienſis Principis legiones, ac Brandeburgicos dimachas repelluntur: pugnatum utrimque acriter, diuque fluctuantem pugnam nox diremit, Chriſtianis diem victoriæ teſtem expectantibus; jamque in tuto videbantur eſſe, „quum Souchesius: Macte virtute, inquit, „milites, Chriſtiani eſtote, veſtrum iter ac re„ditum omnia laudibus ſecula ferent; ſed ad „conſpiciendam virtutem veſtram luce opus „eſt ac die; nec vos digni eſtis, quos tanta „cum gloria in caſtra reduces noctis tegant „tenebræ; hic lucem quieti operiamur. Dictis obtemperatum, orto vix ſole hoſtis ſuâ fretus multitudine Souchesii caſtra, loricâ licet circumvallata, & in aſſurgente leviter clivo machinis munita inſanâ aggreditur furoris audaciâ: verſo hi in hoſtem vultu tenaciſſime reſiſtunt, arma armis, vim vi repellere coacti, vincere, non vinci aſſueti: pugna rurſus utrimque dubia in ſeram protracta eſt diem, uſque dum Turcæ invincibilem Suchesianorum virtutem diutius non ſuſtinentes, inclinantibus tandem lunis fugam turpiter capeſſunt, cæſis ferro, aut fluminis Giaræ aquis ultra bis mille ſubmerſis; Chriſtianis victoria ducentorum ſtrage cruenta, inſignis tamen præda fuit, & Souchesio nominis gloria æviterna.

Pugna ad Levenzam.

Proſpera De soVChes CrVX eſt en NItrIa parta,
FVsI hoſtes; ſeD erat LVXqVe LoCVsqVe CrVCIs.
CrVX fVIt heroI pro ſo te ſeCVnDa ſeCVnDa:
paX bona pro LVnIs pLantet VbIqVe CrVCes.

Souchesius febri licet afflictus, Levenzæ tamen adurgens recuperationem, ne eam Strigonienſes vicinique impedirent Turcæ, Comorroneo ſexcentos Germanos, & Ungaros quingentos eò præmiſit, Strigonii obſidionem

ſimulantes; ille interim clam ſeptimo idus Junii Levenzam appulſus, montem urbi imminentem occupat, eoque indeſeſſus obſidentium labor brevi devenit, ut patefactâ ingenti mœniorum ruinâ, nequicquam Turcis obnitentibus victores urbem irruerent: mox flagellata continuò arce, quò præſidiarii trementes confugeraot, pacem protinus abitumque ceu Nytrienſes ſupplicant; denegatum illud; ſed victoris arbitrio dediti, relictis armis & impedimentis pridie idus Junii ſeptingenti præſidiarii Strigonium ſunt demiſſi, inventaque in urbe magna farinæ, commeatûs apparatûsque bellici copia, & viginti grandes machinæ curules. Qua felici quoque expeditione incredibile quantum militum animus cùm militaribus, tùm annonariis ditatus ſpoliis creverit in quodvis promptus periculum.

Urbi deditur.

Jàm etiam gallicus à Rege ſtipulatus miles movebat in Ungariam; nam qui in Italiam ad vindicandam legato gallico Romæ à Corſicanis pontificiis illatam Injuriam ſub Colignio erat deſtinatus, factâ pontificem inter Alexandrum VII. & Ludovicum XIV. Regem compoſitione, per Ditionem Venetam in Panoniam ter mille equites ducebantur: quibus magnus volonum ex præcipua gallica nobilitate numerus opportunè accedens quatuor omninò millia conficiebant. Hoc exemplo affectus Pontifex per ſuum in aula Cæſarea reſidentem Nuntium mille pedites, & equites ter mille Cæſari ſubſidio mittendos addixerat; ſed cujus neſcio meticuloſo inſtinctu, vel invidiâ miles exanctoratus, non ſine exigua Pontificis inter vulgus notâ, gregis ſui & Chriſtianitatis ſalutem tam parum procurantis: aliis autem urgentibus motus Pontifex cauſis, ne malè tamen audiret, ſeptingenta Impp. millia ex cenſu bonis per totam Italiam Eccleſiaſticis impoſito collecta in hoc turcicum bellum impendenda Cæſari ſubmiſit.

Gallicum Cæſari mittitur ſubſidium.

Montecuculus interea gallicis confirmatus copiis, vigilanti ſemper ſtudio Turcarum motus obſervabat, qui obfirmitatè decreverant Levenzâ recuperatâ, Budiani Comitatu tranſeuntes devaſtato, Presburgum & Viennam demum ipſam impetere, & Chriſtianum ex hac Muhiæ parte exercitum continuò inſecutus, graviſſima illa meditabatur molimina Vezirius; ſed quod ipſe vix poterat, Huſaino Baſſæ Budenſi imperat, ut accitis Moldavis, Walachis, Tartaricis, turcicíſq; copiis viciniorbus quantocitius Levenzam cingeret, diverberaretq; Huſainus haud ſegniter mandato obſecundans tam inſano urbem impetit furore, ut in duobus inſultibus duo ſuorum millia amiſerit: nam ſtrenua Joachimi Neumurſchæ præfecti vigilantia & foritudo militem ſuâ animabat præſentiâ, & prudenti urbem defendebat conſilio, in hoc intentus omni ſtudio, ne ex urbe in arcem tranſitus pyrobolis everteretur, aut tolleretur: cúmq; hoſtis ab una mœniorum parte turpiter rejectus tentaret aliam, variis eam obſtruxit Joachimus obſtaculis, & militaribus munivit ſectionibus, ne ulla perrumpendi urbem ſpes ei relinqueretur. Souchesius Tyrnaviæ febris languore detentus hæc audiens, ſimulque à Cæſare de Levenzæ liberatione monitus, imperat Puchcimio Comorrienſi præfecto, ut aditus viaſque hoſti per Berchenenſes Huſaros præcluderet, & Heiſtero, ut cum palatina equitum legione, & quinque Montfortenſibus peditum vexillationibus continuis ad ſe

Levenzam Turcæ obſident.

itineribus contenderet, qui idibus Julii Freiſtadelii ad caſtra veniens, ſimulque die altera toto exercitu pane in ſex dies inſtructo Neutram fl. cum Souchesio tranſiens ad radices montis S. Benedicti, in cujus culmine hoſtium caſtra commodè poterant inſpici, conſederant, & ne hoſtis Grani ripam præoccuparet, Souchesius Heiſterum quantâ poteſt celeritate cum ſex equitum Vexillationibus & Brandeburgicis dimachis ad Granam fl. præmittit, juberque tumultuarios aliquot erigi aggeres campeſtribus inſtructos machinis: mox ipſe offenſo opportuno Grani vado toto cum exercitu bihorarii ſpatio ſecutus.

Eam deserunt.

Huſainus proximum Chriſtiannrum intelligens adventum, relictâ Levenzâ militem diſpooit in aciem, videnſque ſe numero Chriſtianis multò ſuperiorem, eoſdem temerè contemnit, & vel eo maximè aſpernatur, quòd illi regreſſu aut fugâ metum ſimularent (à Chriſtianis illud actum ſtudio, ut hoſtem opportunius in campum elicereot) ideoque nec ipſe, nec per alios Chriſtianorum caſtra explorare dignabatur: hujus autem temeritatis ab amico ſeriò monitus, & edoctus, quanti eſſet periculi nullos emittere ſpeculatores, & hoſtem quantumvis infirmiorem flocci facere, corycæos tandem emittit, & ab interceptis captivis Chriſtiani exercitûs robur, reſolutam Souchesii confligendi mentem, & incredibilem ad hoc Chriſtianorum alacritatem, ac ſingulare præparationis ſtudium intelligit. Huſainus igitur cautior exactas noctis vigilias agere, obire ſtationes, munire tumultuarie caſtra, arma, omniaque neceſſaria in craſtinum expedire prælium. Die altera, quæ erat decima quarta Kalend. Auguſti, dubiâ adhuc luce Chriſtianus plenâ acie in hoſtium conſpectum procedit exercitus, cujus otraque ala equitatu, ſingula ter mille armatis probè exercitatis, conſiſtebat, qui io medio peditatum complectebantur, armis non minùs expeditum: omnes moræ impatieotes, ad pugnandum alacres & magnanimes contineri vix poterunt. Huſainus quoque dum hoſtem in propinquo videret ad præliandum diſpoſitum, ſuos mox in aciem dirigebat martis aleam tentaturus: alæ dexteræ Principem Walachiæ, Ducem Moldaviæ Georgium Sickam ſiniſtræ præficiens, medium Tuscæ cum ter mille Janizaris ſub præfectis ſeu Baſſis Zolnockenſi, Agrienſi, & Vyvarienſi, conſtituebat; hunc ſuum ita diſpoſitum exercitum dum per intermedias paludes movere in Chriſtianos imperaret, illud Præfectorum ſuorum plurimi diſſuadentes, præſentiſſimum vix emergendi periculum luce clarius demonſtrabant, ſi adverſante prælii fotrunâ cedere cogerentur, cum certa univerſi exercitûs ruina & internecione. Quid tum, ajebar Huſaious? miles victor evaſurus nunquam retro-ſed continuò pro-greditur; mortis autem ſubmerſionisve pœnâ an non dignus fugitivus? meus non eſt, qui nec armis ſibi ſalutem, nec invictâ mihi fortitudine quærat victoriam. Permeatis iginr paludibus totus ad meridiem oſqoe in Chriſtianorum coospectu turcicus conſiſtebat exercitus: Chriſtianus autem è loco nequicquam movens ſolis expectabat declinationem, qui poſt meridiem inter præliandum Turcarum oculos fulgore micante erat perſtricturus. Quo jamjam prælium init uri ſuum quiſque Dux exercitum ad generoſam, conſtantemque hortabatur fortitudinem:

Et ad pugnam ſe utrimque præparant.

Generoſe miles, ajebat Souchesius, hoſtē hunc dum intueor furori hodie noſtro imolandum, cautè id provideque faciendum arbitror, non ut à concepto vos certaminis calore abducam; ſed ad generoſam animi magnitudinem accendam, à qua hodierni dependet certaminis fortuna: ecce miles, illi ſunt crudelitatis miniſtri, qui non ita pridem patriotas noſtros & ſocios ferali lictoris manu contra jus gentiom mactarunt, quos infames veluti latrones & fures, non ut bello captas eâ ſolum̃odò causâ tractarunt, quòd patriam fortiter conſtanterq; fidem defenderint Chriſtianam: recordamini eòs eſſe tales, qui in pace urbes, patriamque veſtram perfidè devaſtant, & jurati Crucis Chriſti hoſtes ſunt, contra quos ſtrenuè pugnantes ſi occumbatis, glorioſi Chriſti efficiemini martyres: totus hic, quem intuemini, exercitus ex Moldavis, Walachiſq; Chriſtianis coactè conflatus eſt, ceteri molles effœminatiq; Turcæ, Arabes aut Tartari non pugnare, minus vincere, ſed fugere docti ſunt. Conſurgite igitur & ſtate viri, memores Ducis pro veſtra victoria morte occubituri: ſtate, caſtra nunc hoſtium vobis, omnemq; trado prædam, ſi mihi pollicemini vos fortiter & conſtanter in acie operam navaturos, nec prædæ magis quam pugnæ & victoriæ paratos eſſe. Eodem & ſuos fervore in prælium acuebat Huſainus: Adeſto miles, quid agimus? nos inerti torpebimus otio, dum videmus Vezirium noſtrum devicto Vyvarino, Neo-Serinwaro everſo glorioſâ ubiq; triumphare victoriâ? & nullam nos hujus partem victoriæ fortitudine noſtra habebimus? habebimus, ſi Majores noſtros ſequentes generoſo animo pugnabimus: illi hoſtem in munimentis, in validiſſimis arcibus, in robuſtiſſimis urbibus toties devicerunt & ſubjugarunt, & nos in patenti campo illum non repellemus, non ſuperabimus? numero fermè ſumus utrimque pares, veſtra modò nos virtus aut faciet ſuperiores, aut animi abjectio inferiores: recordamini autem illos eſſe, quos Vyvarino ejecimus, quorum ſocios ad Barckanum orco immolavimus, quos Ottomannici ſæpius acinacis ſævities devotavit: fierine poterit, ut imbelles illi populi de nobis reportent victoriam? minimè, generoſa pubes, invicta mihi veſtra pollicetur fortitudo victoriam; ito, gradum promove.

Sole jam in meridiem inclinato, & radiis Tuscarum oculos perſtringente, Chriſtianus miles moderato, ſed alacri gradu Turcas invadit, & ſicut eques ſic pedes, ut Souchesius præceperat, magnanimiter pugnant, nec Dux legiones, nec fortuna fefellit Ducem; primum Souchesius ductorem Coharrii præire cum ſuis jubet, ſequi Capraram cum 5. centuriis, ac vigiliarium denique præfectum Brandeburgicum Marwicium centum velitibus cinctum: Tum primum ſenſêre impetum Janizari & Tuscæ in medio conſiſtentes, qui clamoribus miſſilibuſque ſpheris primo certaminis impetu feroces; ſclopos tamen gladioſque, & collatum pedem ac vultum Chriſtianorum, ardore animi micantem ferre non potuêre; impulſa igitur illataque trepidatio, rupti deinde ordines, motaque omnia: dein poſtquam eadentibus primis jam ad ſe quiſque perventuram cernebat cædem, terga vertunt. Reſiſtebant quidem aliquamdiu ambæ Walachorum Moldavorumq; alæ, & aliqua Chriſtianos ſtrage circumcincto incautè Coharro ſternebant, dum ſocii fugæ cædibuſq; Turcarum eſſent in-

Altera Souchesii ad Leventzam pugna.

intenti; aſt ubi protribunus Glockius ſuccurrit & Chriſtiani paſſim reuniuntur, pari omnes fortitudine hoſtem ovantes cædunt, profligant, & ingentem multitudinem conterunt; quorum tamen plurimos noctis tenebræ furibundo victorum ferro ſubduxerunt. Fugitivi Strigonium ſe conferentes non admittebantur, & annonam petentes rejiciebantur, futuræ metu obſidionis, quam ſibi proximè ex ſociorum ſuorum cæde imminere meritò pertimeſcebant: quam Vyvarienſes etiam metuentes, rejectum à Strigonienſibus Huſainum cum gaudio recipiunt defenſorem. Hanc opportunè nacti occaſionem Moldavorum Walachorumque principes abſque ſupremi Vezirii licentia ſub periculo Ottomannicæ quidem offenſionis; famis tamen neceſſitate, & unnaci militum ſuorum murmure (quòd non ut milites, ſed vilia à Turcis haberentur mancipia) coacti ad ſua abeuntes, ad Tibiſcum à Turcarum agmine retardabantur; quibus facilè fugatis ad ſuos quique lares redierunt. Capta ſunt eodem die, direptaque hoſtium caſtra, & dives generoſo præda militi conceſſa eſt, quatuor commeatus apparatuſq; bellici millia curruum, duodecim tormenta bellica, mille equi, & centum quadraginta cameli, centum vexilla & quadraginta ſigna equeſtria ſunt intercepta. Cæſa autem in loco prælii 6000. Turcarum; Chriſtianorum centum quinquaginta, inter quos Rovazius probatæ fortitudinis tribunus periit. Capti ſunt pauci, quòd dolore iràque militis vires & ferrum acuente injuſtam Vezirii crudelitatem in Commorienſes Minores (Klein Commorren) nuper præſidiarios violatâ fide cæſos exercitam, voluerit vindicatam, ſeptingenti ſolummodo Walachi Moldavique in talionis pœnam reſervati, omnes in Strigonienſium conſpectu variis ſunt patibulis affixi, pendente ſingulis ex collo bombardâ, unde Vexirius ſuam ad Barckanum in captivos Chriſtianos illatam crudeliter tyrannidem ex æquo retaliatam eminentius perſpiceret.

Spolia.

Talionis pœna in Turcas.

Benigniore ſic favente fortunâ Soucheſius Barckanum oppidum in ripa Danubii ex adverſo Strigonii ſitum tentaturus, decem millia quingentos armatos navibus eò demittit, qui recenti victoriâ animati nihil ſibi inacceſſum exiſtimantes, oppidum ſtrenuè aggrediuntur: & quidem Marſcius Comes temerè ſatis abſque Soucheſii imperio propius mœnia accedens, præſentiſſimo ſe, ſuoſque exponit periculo: exemptus tamen mox ab Holſatiæ Duce, qui adductis celerrimè ad acuminatas ſudes machinis oppidum flagellat; cumque ex alia quoque parte quatuor machinis pyroboliſque anguſtiarentur oppidani, incenſis ipſi domibus per navalem pontem Strigonium aufugiunt, ſicque oppidum à noſtris invaſum, direptum, & in cineres omnino redactum eſt. Inde reductas Commorram copias quieſcere, reficereque jubet Soucheſius, victoriarum hic ſeriem interrumpens, uſque dum Cæſaris gratiæ, qua neſcio quibus de cauſis exciderat, paulò poſt reſtitutus, & ob ſingulares fortitudinis, militariſque prudentiæ excellentias, Commorienſis præſidii primaria omnium præfecturâ cum honore eſt exornatus.

Soucheſius Barcanum occupat & inflammat

Vezirius fatalem Huſaini ad Levenzam audiens ſtragem, ſimulqoe ab arabonis tranſitu nonnunquam haud ſine cæde rejectus, nec illatum facile damnum alibi reſarciendum prævidens, indignatus tertio Kalend. Auguſti toto cum exercitu movet verſus Kementam vicum, arabonem ibidem vadoſum tranſiturus: tentavit tertiò, totidemque ferrea illum Chriſtianorum repulit conſtantia, & plurimos (2000. referunt) fluctibus ſubmerſit. Funeſtâ hac clade acceptâ cum hoſtis propiùs D. Gothardi fanum accedere diceretur, eum Chriſtianus præveniens peditatus, juſſus ibidem ſubſiſtere, hoſtiſque transvadationem aut victuris, aut vincendis expectare, quòd verò eundem biduo præſtolatum non viderit, ſummam ſibi accidiſſe felicitatem meritò exiſtimavit: quadraginta quippe Spahorum ſeu equitum millia ſolus Chriſtianorum peditatus ſuſtinere non potuit; neque eo movere loco expediebat, quod apparatus & impedimenta luto lacuniſque inhærentia tridui ſpatio abeſſent, certò hoſtium poteſtati ſine defenſoribus ceſſura: his in tutum, & tormentis in alteram D. Gothardi partem duabus à Furſtenſeldio leucis diſſitam delatis, peditatus ibidem ſecus Arabonis alveum caſtra metatus eſt, viditque immani & conſuetâ hoſtem feritate per omnem late regionem vicos & oppida flammis cædibuſque devaſtare. Utriuſque demum partis acies tertio Kalend. Auguſti ſibi proxima, & ſolo disjuncta flumine hoſtem mutuo habet in conſpectu; ita ut aliquot Tartarorum agmina è caſtris in Styriam volantia ſint viſa, quam funeſta hominum ſtrage & depopulationibus immunem nullatenus eſſe voluit gens latrocinius magis & excurſionibus, quàm bello aptior; quippe cujus vita & victus crudam quandoque humanam carnem non abhorret; equinâ verò ſub ephipio elixata maxime quàm dici poteſt deliciatur. Quid, quòd ipſum Tartarorum Regem equinum caput menſæ non ſolum præmittere, ſed eodem etiam finire, ait Busbequius *ep. 4. pag. 564.* Pridie autem Kalendas Auguſti in certam Saraceni martis aleam neſcio an declinaturi, an autem Chriſtianos à tergo invaſuri, uno milliaris quadrante ſupra D. Gothardi fanum caſtra promoverunt, ſequentibus illos ex adverſo Chriſtianis, qui fortunæ aleam die alterâ tentaturi, dubiâ adhuc luce aliquot velitum cohortes in caſtra turcica immittunt, indeque gravibus ditati ſpoliis nonniſi quatuor ſuorum amiſſis, pluribus verò hoſtium cæſis feliciter revertuntur.

Veziriut verſus Kementum & Gothardum tendit.

Tartarorum feritas.

Hanc injuriam deſpectumque ſine adverſa illatum ſibi cæde ulturus Vezirius, ipſis Kalendis Auguſti, Cæſari auſpicatis, horâ diei nonâ ſex Janizarorum & Albanenſium millia ex hoc loco pontis coreacei ac tormentorum beneficio, & alibi ad vicum Chiesſalum magnam equitum copiam per arrabonem ibidem vadoſum immittit in medium Chriſtianorum exercitum, magnumq; terrorem & tumultum incredibili comitante furore incompoſitis adhuc copiis Imperialibus infert. Datur ineundi prælium per caſtra Chriſtiana ſignum; ſed legiones procul diffuſæ pari hoſtium celeritate contra eundem in arenam confluere non poterant: nam quod pejus erat, pluribus erat pabulandi poteſtas conceſſa, quod hoſtem ſe invitis arabonem tranſire non poſſe arbitrabantur: ſoli Imperiales in ripa fluminis (quam loricis, ut alii opportunè fecerant, non munierant) agentes excubias, ferocem hoſtis impetum ſuſtinere non valebant; utpote plurimi fame enervati, continuis defatigati

Pugna ad S. Gothardum.

itrnetibus, armorum etiam & phalangum imperii novitii nunquam tam truculenti hoſtis conſpectum, taceo tanti furoris ardorem ſubierunt. Coguntur tamen utcunque in aciem & phalangem copiæ, dexteram conficiebant alam Auſtriaci ſub Montecuculi imperio, ſiniſtram cum Hohenlojo tuebantur Confœderati, & 40. gallicæ ſub Colignio vexillationes: quæ binæ alæ medium, ſeu corpus, ex imperialibus coadunatum (cui præerat Badenſis) muniebant. Hos, inquam, imprimis Turcæ ſumma urgent contentione, inſtant, perrumpunt: dumque alii trepidè cedunt, alii ſegniter ſubeunt, turbati ordines, dein fuſi, & vincente pudorem metu terga dederunt, in eandemque ſucceoturiatos fugam pertrahentes, ingentem omnibus late incuſſere terrorem, Viennam uſque à fugientibus delatum centurionibus. Hac uſi occaſione Turcæ nullis Chriſtianorum objectis armis liberè per cædes ruunt, non abſque ſolita gentis vociferatione, quâ ſolâ inſuetos militiæ tyrones exanimatos inſtar caulium ad mille deſecabant: Janizarorum pars oportunum protinus ſolum occupare, idque excitato vallo munire, pars ad pagum Mogersdorff caſtrorum terminis comprehenſum præcurrere, ibidemque obſtructis domibus per feneſtras ejaculari: his audaciores equites reotoria invadere, ſtragemque ſine adverſa vi cruentam edere. Fuſis ita fugatiſque agminibus ſolus Nicolaus Honig Bavarus haud magno equitum agmine unicus turcici furoris infringendi ſcopulus, poſt turpiſſimam Imperialium fugam in hoſtem inſtantiſſimè invectus, pari ſane, & majori fortitudine, etſi ſecundum ſemur haſtâ trajectus caſtris illum feliciter ejicit: Nicolaum ardentiſſime obnitentem ſuſteotant confœderati pedites, accurruntque proximæ equitum legiones Schnidaviana, Naſſavica & Kilmanſeciana, quæ graviſſimum quidem prælium reſtaurant; ſed hoc pari Turcæ ſucceſſu turbatis primum ordinibus non tantum repulêre, ſed deinde propemodùm omnes ſolis cæſim harpis oppreſsère. Occubuerunt tunc præter gregarios plures tributi ſanguine & virtute illuſtres: Comes Naſſavius, generalis vigilarum præfectus Bueck Comes ab Ursbeck, Carolus Comes Trautmanstorffius eques Melitenſis, Baro Kilmanſeckius de Grüter propræfectus, Comes Fuggerus ſupremus rei tormentariæ præfectus, Comes à Widt; reliqui fœderati equites quòd frequentes nondum confluxerant, vario marte modò pellebant, modò pellebantur.

Turcæ prævalent.

Cernens è montis ſpecula Vezirius proſperam victoriæ ratem fauſtis fortunæ flatibus provectam, ſibique deſperaram Chriſtianorum ſalutem (ſervitutem pene dixero) & univerſi ruinam exercitûs certò pollicitus, pugnaciſſimos Spahos, Janizaros & Albanenſes ad proſequendum victoriæ per caſtra modo proclamatæ curſum continuo ſubmiſit: & verò quo quis avarior erat gloriæ cupidior, eo promptius alacriuſque Arrabonem inſiliebat, & irreparabilem inferre cladem minabatur: nam uberrimum virtutis alimentum eſt honor. Deinde citiſſimum Vezirius ad magnum Soldanum ſuum expedit nuntium, qui præclaram rei hujus geſtæ ſeriem, & ſecututam indubitatò victoriam uberius referret oretenus; prævidebat namque fore Soldano gratiſſimum, qui iteratis ſæpe literis arraboni tranſitum urſerat, & dedecus fore ſibi dicebat toti imperitare oceano, & ab exiguo viliſſimoque flumine ſuam retardari potentiam. Superato igitur Arrabone haud dubius de victoria Soldanus, ſeptiduanam ovationis ſolemnitatem, ſeu Dunalmam, ut vocant, jubet inſtitui; jamque populus Ottomannicus geſtienti ubique per triduum exultâbat lætitiâ, urbes & domus nocto lampadibus & facibus feſtivè ardebaot, perſooabant buccinæ, tubæ ac tympana, grandia mugiebant tormenta, gratulabundum ubique gaudium, ubique hilaritas, luxurioſa ubique jubilatio audiebatur; ſed inſignis Vezirii mox nuntiata clades, triduanam hanc & intempeſtivam Dunalmam fatali ſubito mœſtitiæ ſipario funeſtavit.

Certatum interea utrimque conatu primùm acri validoq;, ſed non pari utrimque conſtantiâ; nam quiſque fuga ſibi conſulebat, quòd modo hic, modò alter ſubſidio auctus graviorem pugnæ vim inferret: revertebatur jam miles ex babularione elinguis, ex fatigatione inſtabilis, ex vulnere deficiens; utque Vezirius Chriſtianorum vires diſtrahendo magis enervaret, ſex Tartarorum millia protinus ad molam horâ ab arena diſtantem ſubmittit, qui ſuperato flumine incautos à tergo iovaderent Chriſtianos. Vidit iſthoc vigilans Montecuculus, oppoſuitque Sporckium adjunctis ei deſultoriis, aliiſque veteranis aliquot legionibus, & machinis campeſtribus. Joannes Sporckius impiger militiæ heros incredibili quà celeritate, quà conſilio hoſtem præveniens, ut ſuos non modò ad prælium apros, ſed verbis alacres & conſilio redderet promptos, hæc pauca pugnæ præmiſit: Agite pugiles, præſtate virtute Schytas, ut honore & nomine præſtatis, non veſtrum ſubſtinebunt impetum aquis jam undique implicati, & nunc cunctantur magis quam reſiſtant. Nec mora pugnæ, concitant equos, permittuntque in hoſtem arrabonis jam flumine turbatum. Sporckius providere omnia, laudare fortes, inertes increpare, ſicubi ſegnior pugna eſſet: caſtigati fortium ſtatim virorum opera edebant, tantumque hos pudor, quantum alios excitabant laudes. Conjunctis itaque viribus omnes connixi hoſtem avertunt; nec deinde Chriſtiana vis ſuſtineri potuit, Schytæ fuſi per agros paſſim caſtra repetunt, cæſiſque duobus eorum millibus opulentâ potiuntur præda. Illatæ hujus ſtragis fama ad utrumque perlata exercitum, illorum animos ad æmulandum accendit, horum dejecit. Nihilo tamen minus legiones legionibus, cohortes cohortibus, ſubſidia ſubſidiis cumulabat Vezirius, inque emortuas pene Chriſtianorum vires inſurgentes jam ultra decies funeſtâ ſemper clade profligaverant, atque ita medios etiam ordines & poſtremos cùm laſſatos tum luxatos facilè perrumpunt Janizari, loricis raptim & vallis ſeſe munientes.

Jam vires viris, bombardis pulvis, conſilium Chriſtianis prope deerat Ducibus: coacto tamen feſtinanter coosilio, Mootecuculus reliquum conſervando exercitum vallis & loricis tumultuarie muniendum, & nocte clam periculo ſubducendum ſuadebat: Badenſis quòd ſuis pleriſque copiis eſſet deſtitutus, inops conſilii expediens ab aliis audire, libenſque ſequi paratus erat: Hohenlojus morbo afflictus præſenti ſe internecionis periculo tempeſtivè, quòd hoſte nimium invaleſcente ioevitabile prævidebat, cogitabat eximere

vix

vix aliàs evaſurus; ſuo tamen & Spatrii tribuni ſuggerentis conſilio clauſis probè adunatisque hoſtem ordinibus vigorosè invadendum eſſe, qui neglectis adhucdum ordinibus manipulatim agminatimq; diffuſus & disjunctus veſano magis furore, quàm ſano hucuſque conſilio vagabatur, divino tandem opitulante ſubſidio repellendum prudenter ſanè dictitabat. Placuit omnibus conſilium; ſed quibus adoriendus copiis, inquiebat Montecuculus? iis reponebat Hohenlojus, quæ cum hoſte necdum conflixêre, equitatu imprimis gallico, cæſareo peditatu, & reliquo adhuc integro equitatu. Recuſabat illud Colignius gallicarum Dux copiarum, quòd Regis ſui mandato copias non prodigere, ſed conſervare, quantum liceret, juberetur. Cui Hohenlojus extremam hic periculi neceſſitatem vix etiam à ſe ſuiſque evadendam, mtius ècontra Chriſtiani exercitûs conſervationem cum immortali gallicæ nationis gloria conjunctam omnino demonſtrabat, nectamen perſuadebat: cúmque ſuas Colignius copias præſentiſſimo ſe poſſe opportunè adhuc ſubducere periculo affirmaret, Hohenlojus literas Colignio exhibet, quibus ſuas Rex copias Hohenloji curæ & poteſtati commendabat ducendas ac gubernandas. His perlectis, humerisque contractis Colignius Hohenloji paruit imperio.

Gallicæ copiæ recuſant pugnare.

Horâ igitur poſt meridiem ſecundâ Montecuculus ex bellici præſcripto conſilii ſigno per tota caſtra dato, diſſipatas in unum legiones, cohortes & turmas colligere, cogere primò in cuneum, tum componere ordines, peditatum cum equitatu conglomerare & immiſcere, atque ſic duabus, ut vocant, lineis confertim coadunatis magnâ in hoſtem contentione procedere, hic fortiter obniti, reſtaurare pugnam, & in hoſtem generoſo conſtantique animo irruere: Et quia Turcæ nec aciem firmiter utrobique unitam & clauſam poterant amplius luxare, minus laxare, turbantur, & ex fruſtranea impreſſione confunduntur: pugnant ubiq; timidè, paulò pòſt fugitivi univerſi: inſtant, & concordi impetu Chriſtiani urgent, cum inſignes armis animisque quà premi parte maximè Turcarum copias vident; nihil neque apud Duces, neque apud milites animi à ſummo certamine remittitur. Sequit ergo eventus virtutis enixæ opem, quam Saraceni diutius non ſuſtinentes, terga vertunt: irruunt in fugientem, & jam lunari acie captivum hoſtem Chriſtiani. Effuſo igitur curſu Janizari pontem repetunt, qui multitudine ſubſidens interrumpit, eosque nobiliſſimi Spahorum equitum furore inſani, tum ſubmerſioni proximi conculcant, & mutuâ clade proſternunt: nec plures in altero ripæ margine erectus muro ſimilis agger exſcendere permittebat, quo ſimul intumeſcens fluvius plures quam ferrum glandesque necabant, hauriebat. Sic in æſtu fugæ ferri frigore obriguerunt permulti, & maxima pars ſuo ſanguine arrabonem auxit, ut vadari non poſſet. Tollitur triplex & immenſus utrimque clamor, ululant deſperatione Ottomanni, Chriſtiani exultatione. Cernens fatalem ſuorum ſtragem vicinus vado Vezirius, furorem vincente metu deſperat, ejuſque equus glande trajicitur: tum pavido preſſus mœrore exclamat: O ſi quis truncato mihi capite vitam eriperet! Ita ſæpe à paucis ſtrenuis adverſus multitudinem benè pugnatum; quia pluribus ſubjacet caſibus amplior multitudo. *Veget. l. 3. c. 1.*

Turca vicli.

Pugnatum eſt feliciter à Saracenis quinque horis, à nona uſque ſecundam, à Chriſtianis totidem horis quinque feliciter ſimul & gloriosè, ab ſecunda pomeridiana in ſeram uſque noctem, cæſaque eſt tanta Ottomannorum multitudo, quantam annales eorum ab Ottomannici ortu imperii referunt nullam, in uno prælio fuſam. Cecidêre imprimis Iſmaël olim Baſſa Budenſis, tunc urbis Byzantinæ præfectus, ſeu Caimacan, trajectus, dum Arrabonem tranſvadaret: Spahilar Agaſi, ſupremus Spahorum, ſeu equitum præfectus, Janizarorum Aga, junior tartarici Chami filius, & plures alii Baſſæ: Generalis etiam Alibegus Boſnenſis, 30. Capigibachi, 35. Vezirii atrienſes, & 300. laterales, quinque mille Janizari, 3000. Spahi, 1500. Baſnaci, 800. Albanenſes, 600. Croatæ & Ungari turcici, 250. Walachi & Moldavi, 600. Tartari, 1500. Anatolienſes, & 4000. Aſiatici &c. numerus omnium ultra 17000. Captæ ſunt 16. curules machinæ, prætorium Vezirii vexillum, & alia centum viginti ſigna, quinque millia harpium, quarum pleræque argenteis lunulis, una verò gemmis & auro illuſtris fuerat Ragotzii ante biennium cæſi, in victoriæ teſtem Leopoldo Cæſari cum pretioſiſſimis ſex Vezirii equis, auro gemmisque inſtratis oblata, quam in Ferdinandi III. Regis & Imperatoris vitam ſæpe Ragotzius perfidè ſtrinxerat. Intercepti prætcrea ter mille equi, ingens ſpoliorum, veſtium, & in eis magna auri copia: quid quòd ipſum continuò flumen cælorum corpora ejiciens copioſis quotidie ſpoliis militem ditabat. Vulneratorum numerus non facilè iniri potuit; bina tamen eorum millia recenſentur. Nec incruenta ceſſit Chriſtianis victoria; vicerunt, ſed non ſine magna quoque ſtrage, ignaviâque fugientis Imperialis & Cæſareani peditatûs noſtram (ita diſponente numine) ſed ſine laude auxit victoriam: occubuêre nimirum tria circiter millia, quos inter plures gallici ſtemmatis nobiles ſanguinis ſui rubrica immortalis gloriæ codici nomen inſcripſeront; cæteri verò invictâ fortitudine ſuâ nunquam ſatis laudabili magnum addiderunt victoriæ augmentum: unus eorum Dux Joannes Colignius ſua ad Arrabonem manu triginta dicitur interfeciſſe Saracenos: nec minorem Hohenlojus, imo maximam fortitudinis laudem & famam apud omnes meruit obtinuitque Montecuculus, quem ideo Cæſar ſupremum exercitûs ſui renunnavit legatum, ſeu imperatorem.

Ceſi 17000.

Spolia.

Montecuculus fit exercitus Imperator.

Funeſta hæc Saracenorum ſtrages univerſam turbavit Turciam, omnesque ingenti mœrore ſimul & tremore concuſſit. Byzantii offerebantur Deo Mahomet deprecatoria vota, preces & pœnitentiæ: in campis refractarius miles Vezirio ruinæ auctori militarem detrectabat obedientiam: plebs & miles publicam imperii ſui ominabatur ruinam, ex violato perfidè vicennalis pacis juramento Solimanni necdum evoluto: Janizari tantâ ſuorum ſtrage bellum pertæſi expectantes, pacem minaciter exigebant: turbulenta, tumultuoſa omnia Vezirii ſpectabant necem, quam etiam non declinâſſet, niſi pacem auro tunc optabiliorem omni à ſe ſtudio promovendam caviſſet. Poſt ſtragem autem collecto turſus exercitu Albam Regalem contendit, eundem ibidem reſtauraturus, & Aleppi Baſſam cum octo millium, ut dicebatur, ſubſidio expectaturus: inde Strigonium rediens Moldaviæ & Walachiæ principes extra imperium ſuum maturiùs (ut ſupra dixi) abiturientes ad ſe evocavit, qui ſolidis ſe rationibus excuſantes emanſe-

Vezirius omnibus odioſus.

runt, & Walachus quidem ducatui cedens quieti impoſterum victurus, inſidianti undique per Tranſylvaoiam periculo, in Cæſaream clanculum tranſiit tutelam. Vezirius interea bellico convocato conſilio, quid hoc rerum ſtatu ſatis periculoſo ſtatuendum ſedulâ conſultabat curâ: novam diſſuadebant expeditionem & prælium annus in autumnum declinans, & robur exercitûs amiſſum; cooclufum itaque profligatas ad Levenzam Huſaini copias ad Vezirii exercitum reducere, & Vyvarinum copioſiore præſidio, neceſſario bellico apparatu & commeatu inſtruere, ut acquiſita ex communi ſtatûs ſui regula, ſecurius conſervarentur.

Pacem urget.

Tum Vezirius ad pacis negotium manus applicans, eam ut à victore victus obtineret, demulcendo pellem Schyticam, incitando generoſum equum auro ephipiatum cæſareo ad Portam Reſidenti rarâ imprimis offert humanitate. Deſideratæ pacis propoſitio Cæſari non diſplicuit, factâque Reſidenti eam pangendi poteſtate, his utrimque concluſa eſt articulis: Tranſylvania in antiqua ſua libertate & limitibus ſub Abaſſii regimine maneto; Cæſar Guttam & Neutram muniendi poteſtatem habeto: Ottomanni nullos tam in Uogaria, quàm aliis Cæſaris Rom. provinciis limites mutanto: Abaſſius Soldano in belli ſumptus 600000. dalerorum Impp. ſolvento: Omnis Romanum inter & Turcicum Cæſares, eorumque ſubditos tollento hoſtilitas: duæ Zathmarienſis & Zabolenſis provinciæ, ſeu Comitatus Ragotzio ad vitæ tempus olim conceſſi, Rom. Cæſari abſque ulla Soldani vel Abaffii imdoſterum prætenſione reſtituunto: Zeckelheida arx penitus demoliento: Waradinum & Vyvarinum jure belli Saracenis manunto: & hæc mutua pacis pactio æqualibus per legatos muneribus confirmaoto &c. Quibus ſubſcriptis omoium, & imprimis Turcarum lætitia & exultatione pax eſt promulgata, & 20. annis ſtipulata: in cujus teſtem Vezirius plurimos libertati captivos reſtituit, atq; ita rebus compoſitis abiit Belgradum, inde opportuno tempore Adrianopoli Soldanum acceſſurus, quem ante pacis compoſitionem adire tergiverſabatur; multos enim verò in aula habebat malevolos & invidos ſupremæ dignitatis ſuæ æmulatores, atque inſidiatores non paucos, negligentis illum ignaviæ, & incautæ apud Soldanum imprudentiæ inſimulantes, quorum merito potentiam timere, & vulpinos declinare dolos vix poterat, uſque dum virtutis & fortitudinis ſuæ gloriâ, optatiſſimæ hujus pacis compoſitione, demolitione Serinwarii, & Vyvarini deditione eoundem apud Soldanũ inſidias illuderet, & omninò confunderet.

Pacis conditiones.

Uberiores tam inſignis victoriæ fructus ſperabant plurimi, ideoque tam ſubitaneam, inopinatamque pacis compoſitionem, citra Vyvarini repetitionem admirabantur, indignabantur Ungari, inſciis & poſthabitis ſe patriæ ordinibus (contra regni leges & privilegia) tam vilem, tamque ingloriam, deteriore quàm unquam hactenus damno initam, vi cujus Vyvarienſis præfectus ſeu Baſſa à Moraviæ finibus per majorem Ungariæ partem ultra 60. milliaria territorium extendens & arrogans juriſdictionem, continuis eam exactionibus, militaribus collectis & excurſionibus exhauriet, atque ita pace non emolumenti, ſed detrimenti bellum præſtantius, ot quod honeſta oequiit pace, favorabiliori nunc ſaltem marte extorqueretur. Quare Cæſarei ad Portam Reſidentis Secretarium pacis tabulas à Cæſare ſubſignandas deferentem detinentes, eo, ære ac tabulis deſpoliaverunt. Illud Cæſar indignè ferens convocatis Viennam Proceribus per Lobkowicium demonſtrat pacem non ſine contemnendo Ungariæ emolumento pactam eſſe: Tranſylvaniam priſtinæ reſtitutam libertati: Comitatus Zathmarienſem, & Zambolenſem hucuſque Tranſylvaniæ, nunc accreviſſe Ungariæ: ad ſecoriorem ſuperioris Uogariæ defenſionem, & continendas Varadinenſium & Vyvarienſium excurſiones nova cis & ultra Wagum fluv. munimenta juxta pacta extruerent, quod quia ultra ſuas eſſe vires contendebant, pacem violatis regni legibus pactam ſubſignare recusâunt. Aſt ubi Lobkowicius ſtipulabatur templa Proteſtantibus reſtituenda, nova ad Wagum munimenta non Regni, ſed Cæſaris extruenda impendiis, eaque, uti & Levenzam & Neutram, Tockajum, Zathmarium, Kalum, & Onotbum ungarico munienda præſidio, haud difficulter paci ſubſcripsêre, & S. Stephani coronam, metu Cæſaris, ſibi illam jure, uti ſuſpicabantur, hæreditario arrogantis, Presburgi clam depoſitam priſtino reſtituêre loco. Sed quòd Cæſar ambiguis Tranſylvanorum diffideret conſiliis, confinia Tranſilvaniæ oppida oon evacuavit, ſed validiori germaoico augmentavit præſidio, com grandi tam Proteſtantium, quàm Catholicorum indignatione, vanis ſe deluſos promiſſis.

Ungari pacem deteſtantur.

Veruntamen Cæſar ad pacis vel ideo maximè ductus eſt conſilia, quòd periculoſa Martis fulmina in Germaniam proximè evibranda ominaretur: neque enim fruſtra gallicæ reduces ex Ungaria copiæ diutius poſtmodùm Imperii Rom. viſceribus immorari, & Regis ſui Ratisponæ in Conventu Imperiali ſucceſſionem in Regem Romanorum urgere videbantur. Philippum IV. deinde Hiſpaniarum Regem Cæſaris ſocerum ſenio jam confectum, unicum habere filium Carolum tot regnorum ſucceſſorem viribus omnino debilem, cui manu & conſilio paternè firmiterque aſſiſtendum, qui ſi fortaſſis naturæ cederet & regnis, debitum Auſtriacis ſucceſſionis jus hæreditarium, regnorũ legibus mutuò fuodatũ, cunctis belli impedimentis remotis proſequendum, & contra invaſores omni curâ & ſollicitudine conſtanter fore manutenendum. Poloni etiam Regis electio variis hactenus agitata competitoribus cautè Auſtriacis obſervanda, quæ ſi gallici Principis Anguienſis filium, ut arduè contendebant Galli, contingeret, plurima inde turbulenta fore metuenda. Rhenenſem denique variorum Imperii Principum confœderationem haud ſanctam facilius hac ungaro-turcica pace diſſolvendam, quam confirmandam Cæſar exiſtimaret, atque ideo victoriâ hac cœlitus conceſſa pax bello præferenda, felicior, ſi tempore pacis de bello cogitaret futuro.

Gallus ſucceſſionem Imper. Rom. quærit.

Cauſæ initæ pacis.

Evolvente jam ſe in finem anno, miles utrimque ad hyberna remiſſus, Gallis aſſignata Bohemia; ſed inde à Rege ſuo revocati, parvis in Alſatiam itineribus Cæſaris impendiis contenderunt, magni autè pretii donariis à Cæſare remunerati: Colignus verò & Fevilladus, aliique tributi abire niſi Serinio ſalutato noleotes, generoſum ipſi equum, magnæ in eum æſtimationis ſuæ teſtem obtulerunt: qui paulò pòſt in nemore à ſuis avius, aptum venabulo nactum, atque ſpumantem frendentemq; inſecutus, ferino dente primùm genu in terrã dejectus, tum iteratò in caput fatali ictus vulnere periit. Hic fuit finis Nic. Serinii Herois generoſiſſimi, quem in tot, tantisque mors periculis ferire non auſa, fetiit vilis ſed crudelis fera. Turcarum ille terror, va-

Nicolai Serinii laus & mors.

tiniano

tiniano illos odio plus quàm Romanos Annibal ſemper perſecutus; ideoque publicâ illius morti parentarunt lætitiâ. Cæterùm nomen ejus non prius audiebatur, quàm animis terror ingerebatur: vultus & manus non prius videbantur, quàm hoſtibus pavor & fuga incutiebantur: cujus fortitudinem ipſi adhuc loquuntur hoſtes. Erat namque in periculis imperterritus, generoſus in præliis, impiger in laboribus & invictus, in potu & cibo temperatus, acris ingenio, diſcurſu hilaris, ſermone humanus, venerandus tamen moribus & aſpectu, venationis amans & bellicoſus, magnanimus inter milites & liberalis, acerrimus denique Chriſtianæ religionis defenſor, dignus inter maximos honorandus Heroes æternitati juſtè tranſcribendus.

Hactenus Vezirius Belgradi commoratus matrem ritu Saracenis ſolemni veneraturus, eò accerſit, petitque, ut infauſtam ſuam excuſaturà cladem, Soldani animum ſibi propitium faventemque arte ſuâ necromanticâ, quâ paſſim famosa animorum potentiis dominari credebatur, conciliaret: quo etiam affectu videbatur, ut iteratis Soldanus literis ſuum ad ſe Vezirium Adrianopolim invitaret, & ardenti impatientique præſentiam ejus efflagitaret; hic verò illam in adventum Cæſarei ad Portam legati ſtudio differebat: qui quòd diutius omnium expectatione emaneret, varias Ottomannicæ gentis excuſſit indagines, & incuſſit terrores. Alii ſe fictæ pacis ſimulatione illuſos exiſtimabant: alii turpe & indignum aſſerebant, quod à Februario Cæſareum fruſtra expectaret legatus turcicus, pacem veluti deprecaturus: metuebant alii pace à Gallis interruptâ, & Legato Comorræ detento magnum imperio Saracenico imminere periculum, quod pleræque copiæ exauctoratæ, aliæ verò longius abſitæ, Ægyptiacæ, Babylonicæ & Damaſcenæ vix revocari poſſent: Quidam Legato in itinere mortuo bellum ab Ungaris, non pacem, ab illis neutiquam approbatam juſtè continuandum ſpargebant. In hac multiplici opinionum varietate adeſt ad finem Maji 1665. Cæſareus ad Portam Legatus Comes Leslæus, & in utriuſque Imperii finibus cum turcico Legato Mahomet Beigh, Baſſa Anatoliæ conveniens, hic in territorium Cæſaris Rom. pedem figens, ille ſimul in turcicum viciſſim extendens, ambo ad deſtinatas ſibi aulas cum ineffabili Turcarum lætitia proceſsêre. Quo audito Vezirius quarto Kalend. Junii Belgrado cum exercitu movens, pridie Kalend. Julii venit Adrianopolim; ſex tamen horis ab urbe cum exercitu conſidens, die alterâ ſolemni omnino pompâ & triumpho urbem ingreſſus, ſingulari à Soldano benevolentiâ & favore eſt exceptus: quem paulò poſt ſubſecutus Lesleus, per exercitum, cui præſens aderat Soldanus, magnâ ubique ſolemnitate Adrianopolim in aulam ſibi ſplendidè exornatam perhumaniter eſt introductus. Ibidem mox ad Vezirii, & quatriduo pòſt magni Soldani alloquium admiſſus, & conſuetis utrobique donatus muneribus, ipſe Cæſarea inſignis pretii munera legationis ſuæ deprompſit obtulitque, quæ uſu antiquo ex aureis argenteisve vaſis, ſpeculis, horologiis, aliiſque congiariis affabrè elaboratis, pretio centum milliam Imperialium utrique mutuò Imperatori conferri donarique conſueverant. Tum Soldanus ſuaſo Vezirii & aliorum, averſo licet animo, Conſtantinopolim per longas itinerum ambages profectus, & quinto Nonas Octobris abſque ſingulari majeſtatis apparatu, & civium affectu urbem, comitante Lesleo ingreſſus, per hyemem ibidem commoraturus: quanquam toto illo tempore paucis tantùm interdiu horis, horreſcente ſemper animo moratus, nunquam in Seraclio, ſeu imperiali aula ſua, ſed in palatio extra urbem tumultûs ac ſeditionis metu pernoctavit. Hic reliqui pacis articuli concorditer concluſi, & pacis poſterioris confirmati: ut uterque nimirum exercitus Tranſylvaniâ educeretur: Deinde arces ejuſdem & munitiones germanico evacuatæ præſidio extraderentur Tranſylvano Principi, ac tertio finitimi utriuſque Imperii, Vyvarini, & adſitorum locorum limites definirentur: articulus de captivorum mancipiorumque liberatione ad ultimum rejectus alloquium; cæteri omnes concluſi, confirmati, ſubſcripti, & vicenalis utrimque pax inviolabiliter jurata fuit, & publicata.

Lesleus Legatus pacem Byzantii confirmat vicenalem.

Interea temporis, dum Lesleus ſplendidis quandoque conviviis à Vezirio, urbis præfecto dapſiliter exciperetur, Soldanus urbis Byzantinæ pertæſus & averſus, cùm diutius immorari nollet, Legatum pridie Kalend. Novembris ad ultimum accerſiri alloquium, & valedictionem jubet, & Romano Cæſari ſtrictam articulorum paciſque commendat obſervantiam; cujus temerè jacturam Waradinenſes egerant Turcæ, qui in Tranſylvaniam excurrentes obvia quævis funeſtâ vaſtaverant crudelitate, & magnum hominum numerum in mancipatum traxerant: bis etiam mille armati Walcko arcem vi interceptam everterant: qua de re cùm Tranſylvani juſtè quererentur, & per Lesleum (frigidè tamen, quod rem Cæſaris vix attingeret) poſtularent reſtitutionem, Turcæ repoſuerunt, pacem neutiquam talibus violari excurſionibus, niſi agmine quinque millium armatorum, adhibitiſque bellicis tormentis. Sexto denique Idus Novembris Lesleus ad ultimum Vezirii admiſſus alloquium captivorum inſtanter urget emancipationem, quâ tandem etiam, ſed ægrè admodùm, obtentâ, modò Romanus etiam Imperator emanciparet Saracenos, cum omnimoda utriuſque ſatisfactione, nec non cum eximia Legati laude, exiſtimatione, & veneratione à Vezirio ipſi præſtita Conſtantinopoli tertio Idus Decembris Viennam diſceſſit, pervenitque ſexto Idus Martii 1666. Elmam oppidum, à conſuetæ permutationis loco unâ & ſemihorâ diſtantem; ubi prope Danubii marginem in aperto campo tres erectæ columnæ, media Ungariæ inſigni triplici cruce, dextera ſemilunâ, ſiniſtra aquilâ inſignitæ: ad ſuam quilibet Legatus conſiſtens, ambo valedicturi paribus ſimul paſſibus mediam accedunt, quo peracto in ſuum quilibet recedit territorium. Die igitur adventûs ſui alterâ, cùm Lesleus ſub Baſſæ Quinqueeccleſienſis tutela & comitatu diutius ibidem Legatum Turcicum Comorræ ſtudio hærentem, & plures ſolitô, ac indebitos ſumptus ex ſordida tenacique avaritia repoſcentem, à ſeptima matutina ad quartam uſque pomeridianam fruſtra impatienterque expectâſſet, Leslei tandem rationibus & minis, ac Baſſæ Quinqueeccleſienſis precibus convictus, ad mediam ambo columnam convenientes & valedicentes ab invicem diſceſſerunt. Vezirius autem pace cum Chriſtianis confirmatâ, ne miles otio viniſque torpeſceret, omne ſtudium & vires ad ſubjugandã Candiam adhibuit: quam etiam validiſſima & ſumptuoſiſſima 2. annorum & 4. fermè menſium obſidione 5to Kalend. Octobris 1669. deditione cepit.

Waradinenſium excurſiones

Permutationis locus Legatorum in Ungaria.

Candiam Turca occupant

RE-

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLIV.

Leopoldus Margaretam Hiſp. ſibi deſponſat

HOc eodem anno 1666. Ungarorum Rex Leopoldus Hiſpanam Infantem, Margaretam Thereſiam Madriti 25. Aprilis ſibi, pronubo Duce Medina Celi deſponſatam, & à Montecuculo Schot-Viennam, Auſtriæ oppidum deductam, duodecim tantùm comitatus aulicis, excepturus, dum inter hos tertius ad manûs baſium incognitè admiſſus ſponſæ manum arctius comprimeret, ipſa conjugalis igniculum amoris ſentiens, in genua procumbere prohibita, amoroſiſſimè illam complectitur, ſui tunc voti factus compos, quo olim ſorori ſuæ Mariæ Annæ, Philippo IV. deſponſatæ, in Hiſpaniam abiturienti valedicens optârat: Ito bonis avibus, & Infantem mihi Hiſpanam progenera ſponſam: iſthæc Margareta eſt: Hæc ſponſo protenus cognito præter alia pretioſiſſima, ingentis pretii pileum donavit, quem in via Neoſtadium verſus deperditum, ſed mox inventum fideliter reſtituit agricola, non ſine omine reſtitutæ, ſeu conſervatæ feliciter Coronæ Ungaricæ (ut quidam vaticinabantur) à perfidis ſacrilegè proditoribus, in hoc etiam itinere Regi ſuo inſidiantibus abripiendæ, ut extinctis regni ungarici legibus liberam introducerent rempublicam ariſtocraticam. Sed *Deus eduxit illum de laqueo hoc, quem abſconderunt illi, quoniam protector ejus fuit.* Pſal. 30 5.

Inſidiæ ejus.

Hæ autem factiones & clandeſtinæ inſidiæ invaleſcentes dum paſſim, incertis adhuc auctoribus, ſpargerentur, earum metu inſtantia elapſo ſecundum regni conſtitutiones triennio Comitia Presburgi indicta (quibus Rex ipſe præſidens indigenarum querelis medebatur & oneribus) prorogavit, cum maxima procerum murmuratione & indignatione. Aliquot igitur Viennam ablegari proceres inſimulabant Sporckium Zathmariæ præfectum non prætidiariis, ſed ſibi militares applicare collectas: germano milite Hungariam non evacuari, ſed copioſiore contra iteratam ſanctè ſtipulationem intolerabili ſervitutis jugo opprimi, & contemni regnicolas: addebant jura & privilegia violari, regio juramento in coronatione confirmata: fundamentales regni leges everti; electionis imminui libertatem: Palatinatum morte Comitis Weſſelini vacantem diutius ultra morem differri. Quibus ſi non opportuna adhiberentur remedia, nolle Regni proceres comitia, neque poſtulatam Reginæ coronationem permittere: ob quam demum Cæſar Eccleſiarum ſuarum reditus Proteſtantibus indulſit; & ſi quo modo poſſet, cæteris etiam querelis, binos Eperieſum & Neoſolium mittit Commiſſarios, Comites Rothalium & Serinium, lupum ſub vulpina foventem. Verum nihil ad animorum ibidem factum eſt concordiam; ſed clandeſtino Serinii inſtinctu in maximas cuncta erupêre diſcordias & factiones, urgentibus maximè Proteſtantibus, & his etiam (quo nihil temerarius & abſurdius) conſentientibus Romano-Catholicis, templorum & favorum hæreticorum reſtitutionem, quam ut ſimultaneè vi à Cæſare extorquerent, multa Turcarum & Tartarorum agmina ſubdolo & ſpecie excurrendi in Poloniam, latebant in Tranſylvania: & cùm ipſa ſenſim Ungariæ viſcera penetrare videbantur, præfectus Comorrienſis dolum dolo elidens, per omnia circumquaque oppida & pagos commeatum, omniaque in proximum Cæſareanorum adventum parari, militemque nuper in limitaneas urbes & munitiones, metu pacis, ob frequentes Heiduccorum in Turciam excurſiones infringendæ, numeroſius diſpoſitum conglomerari jubet: quo audito Turcæ fugâ properè ſunt dilapſi.

Sporckius accuſatus.

Ungarorum querela, & factiones

Germani odioſi Ungaris.

Ungari autem tumultuoſi coacto rurſus Semlini conventiculo prioribus per deputatos Viennæ importunius inſtantes querelis, odioſam germani militis ſervitutem Turcicâ intolerabiliorem, & eliminationem eorum urgebant, ſæpenumero ſibi ſtipulatam. Cæſaris clementiam indulgendi illis quidpiam divertit aliò evidens ratio & argumentum Patris Emmerici Soc. Jeſu Cæſaris Confeſſarii, perſuadentis, omnes hactenus Auſtriacos Principes talibus urbes & munitiones indulſiſſe præſidiariis, qui & loci, & regni conducerent ſecuritati: in his verò invaleſcentibus ubique Ungarorum factionibus & tumultibus, quis prudens regni præſidia & munimenta fluctuanti periculoſæque eorum committeret fidei aut defenſioni? conſtans verò Germanorum fidelitas in cunctis belli caſibus & probata, & laudata hactenus fuit. An non vidimus, & heu! dolemus pudenda nuper Ungarorum ignaviâ captum à Barbaris Varadinum? quam rari ac pauci Ungari in poſtremo ad D. Gothardi fanum prælio non ad patriæ defenſionem, ſed proditionem veluti comparuerunt, univerſumque Ungariæ Regnum Saracenorum ceſſiſſet poteſtati ſubjuganum, niſi generoſa conſtanſque Germanorum fortitudo Barbarorum furorem rejeciſſet, & glorioſè triumphâſſet. Ungari his dictis confuſi, & ſuâ omnino ſpe fruſtrati, irâ & furore perciti in Germanorum exterminium mortemque conjurantes, illorum quadraginta legionis Sporckianæ haud multò pòſt interemerunt, non tamen inulti, nec pauciores ex Ungaris interfecti. Hoc idem poſtmodum Proteſtantes Ungari ſimul, & Tranſylvani (1668.) in caſtro S. Ivani ad fines Tranſylvaniæ, pacto inter ſe fœdere Germanos toto eliminare regno, Zathmariam demolire, & Proteſtantium Religionem vi & armis propugnare pertinaciter decreverunt, & multis deinde cædibus crudeliter confirmarunt, totamque demum ſuperiorem & inferiorem Ungariam fatalibus implicatam factionibus crudeliter ſimul ac miſerabiliter ſuffocàrunt.

Germanorum fidelitas commendatur.

Ungari Germanos occidunt.

Primi autem ac præcipui harum factionum auctores, neſcio, an elati animi faſtu efflati, an invidiæ infecti livore, an inſatiabilis avaritiæ & cupiditatis æſtu accenſi, an ultionis aut vindictæ rabie inſani, an ab Auſtriacæ domûs inimicis inſtigati, aut alio quovis rebellionis impetu malove genio in clementiſſimum Principem & Regem

Factionis in Cæſarem auctores.

1668. gem ſuum impiè agitati, è ſuo majeſtatis throno eum præcipitare, in manus hoſtium Turcarum tradere, privare regno & vitâ ſacrilegè meditari ſunt. Franciſcus Nadasdus, Cæſareæ ac Regiæ majeſtatis Conſiliarius intimus, ſupremus curiæ Ungaricæ Judex: Petrus Comes Serinius, Croatiæ Banus, ſeu Prorex, Heros invictiſſimus, & Turcarum terror: & Franciſcus Chriſtophorus Marchio Frangipanus, hæreditarius Cæſareæ Majeſtatis Vaſallus, & Comes Therſchatzenſis, omnes magnis à Cæſare beneficiis, dignitatibus & divitiis cumulati. Nadasdus quidem defuncti Weſſelini Palatinatûs dignitatem, poſt Regem ſupremum Regni à Cæſare, non ſine quadam temeritate conferri ſibi fruſtra poſtulaverat; quod in turbato tot factionibus regno ſupremam tam potenti ſuſpectoque Regulo conferre poteſtatem, oleum camino addere meritò prudenterque Cæſar exiſtimaverit: Illa repulſa eo ipſum vindictæ furore adegit, ut per diætarium ſuum cæſaream recens extructam aulam ad ultimam uſque contignationem mox in cineres redegerit 500000. florenorum damno, & præſenti periculo viduæ Imperatricis, in ſola effugientis interula: ulteriorem incendii furorem & progreſſum ad archivium, & aulam antiquam intermedia avertit turris ſat vaſta & robore præſtans. Cæſar interim cum Imperatrice Eberſtorffium fugiens, obſtruſos denuo inter crepitantes flammarum tumultus elapſus eſt laqueos: quia oculi ejus ſemper ad Dominum; *Quoniam ipſe evulſit de laqueo pedes ejus.* Pſal. 23. 15.

Nadaſdus Cæſarem intoxicare voluit.

Irrita hæc quoque machinatio impiorem multò provocavit necis crudelitatem: eodem nempe anno 1668. Nadasdus ſub ſceleſtiſſima honoris & amicitiæ larva ad regale convivium Cæſarem, Imperatricem, binas Archiduciſſas, Carolum Lotharingiæ Ducem cum potiſſima aula feſtivè invitaverat. Inter cæteros miſſus fatale parabatur artocreas columbinum, Cæſari imprimis delicioſum, ſed ſatifero infectum toxico. Uxor ejus maledictum deteſtata facinus, cùm illud à Comite marito advoluta genibus deprecari non poſſet, coqui, ſeu cupedinarii operâ aliud alteri conſimile ſanius & æquè delicioſum ſupponens, Cæſaris, aliorumque hoſpitum vitam, ſuæ penè periculo conſervavit, cupedinarii autem ſanguine dilutam, quem nefariæ proditionis mero Nadasdus eodem adhuc die ſicâ transfodit. Sunt, qui ſcribunt, illum adepto Palatinatu voluiſſe conjurationis flammam ſupprimere; ſed execrabilior omnibus & nequior ſacram Cæſaris perſonam & hoſtibus prodere, & plures rebellionis toxico inficere nunquam deſtitit.

Pet. Serinius in Cæſarem conſpirat

Petrus autem Serinius invidiæ & vindictæ œſtro furens, ob fortaſſe Nicolao fratri, totique Serinianæ familiæ illatam in deſtructo ab hoſtibus Neoſerinio injuriam: vel ob utriuſque merita citra condignum remunerata tam ſacrilegæ conſpirationis ligamine vinculatus fuiſſe creditur: eodem enim tempore Generalatum, ſeu Præfecturam Carlſtadienſem, Comitis Averſpergi morte vacantem, & ſibi Croatiæ Proregi commodiſſimam uxor ejus, Frangipani ſoror, mulier civilitate morum elegans, acris ingenio & facundiâ præſtans à Cæſare ſupplicabat, qui præfecturam juſtè denegavit, ne majorem quàm tumultuoſis illis expediret ſeditionibus adderet poteſtatem. Repulſam quoque paſſa mulier, furore inſaniens multas in Cæſarem comminationes effudit, & quia paſſim indigenas factionibus ſciebat inclinatos, juniorem Ragotzium generum ſuum, ac plures Ungariæ proceres in nefandam traxit conſpirationem: & illum quidem, Ragotzium, Tranſylvaniæ & ſuperioris Ungariæ Principem (Abaffius namque Zolemi delationibus & calumniis Soldani gratia excidiſſe ferebatur) Turcarum ope & ſubſidio conſtitui, & proclamari ipſa, & maritus ſuus Serinius ſtudioſiſſimè intendebant. 1669.

Murana conſpirationis Cancellaria.

Hæc autem clandeſtina conjuratorum conſilia in arce potiſſimùm Comitis Weſſelini nuper defuncti Palatini Murana procudebantur, in eaque velut ſecreta rebellium cancellaria reſervabantur omnia hujus conſpirationis originalia, tranſactiones, inſtructiones, capitulationes & documenta, loco omnium tutiſſimo, & ſuſpicionibus libero. Ubi omnium erat conſenſus ad eandem ſollicitare Portam Ottomannicam, unicum potentiæ factioniſque fundamentum; ne autem ulla factionis notitia ad Cæſareum Conſtantinopoli Reſidentem perveniret, per Tranſylvanos cautè ac clandeſtinè res eſt negotiata. Dimiſſus quoque alius ad Mechmetum ſupremum Vezirium ad flagellatæ adhuc Candiæ rudera hærentem internuntius, qui factioſa hæc proponeret machinamenta, & peteret ſubſidia, quanquam Serinius & Frangipanus ſuis quisque tabellariis à Boſnenſi & Caniſienſi Baſſis, Nadaſdus verò Adrianopoli per ſuum à Soldano & Vezirio Secretarium tutelam & protectionem clam petierint, ſe, ſuamque patriam ac regnum ſub annuo 15000. Impp. tributo, cum illæſa tamen religionis ac conſcientiæ libertate ſpontè offerentes. Obſtupeſcit ad hæc aula Ottomannica, & miratur Serinium amicum, quem paulò antè terribilem metuit inimicum. Rem in deliberationem ductam diſſuaſit Mufftius, pacis fœderi contravenientem: reliqui Ottomannico commodiſſimam imperio amplexi, occultis conſpiratores ſubſidiis fovendos perſuadentes, clam ea opportunè ſubmittere polliciti, ut decreto publicandæ conſpirationis menſe Junio 1670. adeſſent.

Ad hæc Turca ſollicitantur.

Conjuratio proditur.

Clandeſtinæ hactenus diſſeminatæ conjurationis ſemina progerminare videbantur, ejuſdemque indices fuerunt interceptæ ad Grammonvillum, gallicum Viennæ legatum, literæ, cujus ſi non complex, conſcius ſaltem, ſecreta Cæſaris conſilia ſtuduit expiſcari per Averſpergum, Auſtriacis ideo adverſum, quòd Bernardus Guſtavus Marchio Bado-Durlacenſis, Abbaſque Fuldenſis, commendatione Cæſaris in Cardinalatûs dignitate ſibi fuerit prælatus, cujus ſpem infallibilem Rex Galliæ Grammonvilli operâ eidem apud Pontificem fecerat: qua de re certiorem dum Pontifex Cæſarem redderet, Averſpergus ex ſuis Hiſpano contrariis conſiliis de fidelitate & factionis ſcientia ſuſpectus aulâ propediem fuit proſcriptus, & exul Lubianæ vixit. Accedebant Cæſarei ad Portam Reſidentis literæ, quæ conſpirationis ſummam à Legato ibidem Anglico accuratè edoctam continebant. Suſpicionem quoque movebat Cæſaris ægritudo; eodem enim anni 1669. tempore malignâ febri & colicâ ex corrupta aqua fontana, quâ ſolus utebatur, affectus, grandem aulæ incuſſit terrorem; puteo mox viſitato inventa ſunt pavo gallicus, gallina, & duæ feles panno involutæ, ſed ultra medium putredine conſumptæ, quibus dubio procul aquam inficere, & ſacratiſſimum Chriſtianitatis caput è vivis tollere intenderunt: vix autem medicorum curâ & duplici phlebo-

Grammonvillus factionis conſcius.

Averſpergus aula Cæſ. eliminatur.

1669.

Cæſaris infirmitas ex aqua corrupta.

tomiâ

romia ſanitatis viribus utcunque reſtitutus, putearius ex officio ſcaturiginem viſitaturus, violatas invenit ſeras, ac haud procul ſecurim cum cane mortuo, calce, aliaque mixta materia ad intoxicandam fontis venam allata, auctore nuſquam deprehenſo: neceſſe proinde fuit in aſceterio cibos Cæſari à Monialibus fideliter præparatos in aulam ſubmittere, vel ut alii putant, ab ipſa Imperatrice paratos.

1670. *Violenta conſpirationis indicia.*

Violentam quoque ſuſpicionem confirmabant Comitis Tettenbachii literæ 11. Septembris 1666. propriâ manu ſcriptæ, quas ejuſdem Secretarius, quem levis furti causâ carcere caſtigaverat, ſpe libertatis, & vindicandi animo Cæſari clandeſtinè ſubmiſerat, quæ omnia Serinium inter & Tettenbachium conſpirationis acta referebant. Nec ægrè Tettenbachius abjuratâ recens hæreſi, inſignibus à Cæſare mactatus honoribus & opibus, Græcii præfectus, ſed homo inquietus, ſuperbiâ & avaritiâ ſordidus, conſpirationis amplexus conſilia gnaviter promovit. Erdndi denique Comitis famulus captivitate Caniſienſi nuper enodatus iteratam Backovaskii, Serinii Internuntii, cum Caoiſicoſi Baſſa conventionem admodum ſecretam, idenque magis ſuſpectam ad Viennenſem detulerat aulam, quæ indubitatis jam conjurationis indiciis informata, omnes Serinii & Tettenbachii vigilantiſſimè obſervabat motus & molimina.

Serinius & Tettenbachius urbes doloſè occupant.

Dum interea Backovaskius cum quatuor huſatorum millibus evocatus decem Saracenorum millia circa Caniſam colligit, magnus ubiq; terror & oppidanorum fuga in Croatia, & adjacentibus locis circumfertur: quo terrore Serinius opportunè uſus Capronizam Croatiæ, & Zalgrabiam Sclavoniæ propugnacula contra hoſtiles impetus muniendi dolo, propugnandive ſpecie è Cæſaris in ſuam proditoriè redegit poteſtatem; omnique præterea ſtudio ad candem ſollicitavit factionem prætenſum Walachiæ Antiſtitem; ſed in illam ſubditi ejus neutiquam conſentire voluerunt. Tettenbachius quoque Rackersburgum, Pettaviam & Græcium Styriæ metropolim in poteſtatem Serinii & Turcarum tradere meditabatur; ſed plauſtrum, ſeu currus, quo ſub opulentæ ſpecie ſuppellectilis, rapinæ militum ſecurè in urbem ſubducendæ, abſconſi Janizari vehi debebant, luxanda in ponte currûs rotâ, urbem cum Serinianis ex inſidiis prodeuntibus involaturi, maturè prodinis, ſceleris in manu Serinii juramento firmati nequitiam fruſtravit. Quæ omnia Serinii literæ Frangipano ſignificantes, uti & Frangipani literæ, quæ pro ſubſidio Turcis obtulerit, deſignantes, ſunt interceptæ.

Ungari & Ragotzius militem contra Cæſarem colligunt.

Cæſar autem funeſtis hiſce obviaturus machinationibus, germanum auctorare militem, & eo maturius in campum educere jubet, quo moleſtius audiebat ſuperioris Ungariæ proceres ſub Ragotzio ad irruendum Mongatſchium cogere militem, & inferioris Ungariæ factioſos ſocios ad Caſſovienſem advocâſſe conventum; quem tamen Cæſaris & privatis & publicis dehortationibus, apparatuque bellico territi Leutſchium transferente octo peditum, & 4. equitum millia ſub prædicto Ragotzio, patriæ (ut nequiter fingebant) à Turcarum impetu defendendæ causâ, conſcribenda, & 2000. Ragotzianis conjungenda, tredecim aſſociari ibidem Comitatus ſtatuerunt, propoſitiſque Viennæ gravaminibus proteſtantium templorum reſtitutionem, & omnimodam Germanorum eliminationem mordicus exegerunt, quod Viennenſes conſtanter Conſiliarii tam militares quàm aulici renuerunt, quo dum Cæſar legiones aliquot mitteret & commiſſarios (quos inter vulpinum adhuc Nadasdum) conſcriptus eorum miles paſſim defluxit, & Badenſis Styriæ munitiones & præſidia neceſſario milite apparatuque augmentavit. Quod ægerrimè ferens Frangipanus, Cæſareos diſſipatis tutoribus, involat currus; mox tamen à Carlſtadienſi præfecto fugatus, relictis curribus ipſe vix manus ejus evaſit.

Ragotzius Starrenbergũ captivat.

Ragotzius quoque jam ſuæ ſpecimen daturus perfidiæ, Starrenbergum Tockaji præfectum cum aliquot centurionibus ad convivium invitatum detinens captivum, fruſtra Tockaium aggreſſus, à Vice-Præfecto generosè repulſus, vicina oppida & urbes conjurationis complices invadit: Mongatſchium etiam occupaturus ab ipſamet matre ſua, non ſine turpi ſuo dedecore rejicitur. Hæc Serinio ſignificans petit ſubſidia, nec obtinuit.

Mongatſchium invaſurus à matre rejicitur.

Interea Græcii gubernatores temeraria Tettenbachii molimina deteſtantes undecimo Kalend. Aprilis captivitate illum innodant; eorum quidem antè inſimulatus, ſed violentorum defectu indiciorum diſſimulatus, ſuiſmet proditus eſt literis & convictus: cúmque periculum fortè ſentiens Laureum peregrinaturus, ut ajebat, viæ ſe accingeret, Cæſaris mandato per occultum aditum ductus eſt in cuſtodiam, quo hoſtem in Græcienſem arcem introducere moliebatur: & jam fermè cuſtodiâ elapſus, arctiori includitur, viſitatiſque ædibus ejus bellicum apparatum ſex millibus armandis ſufficientem reperiunt: interrogatus, ad quid hæc? totam cum Serinio initam contra Cæſarem conſpiratiooem faſſus, proceſſuſque criminalis Viennam delatus conjurationis certitudinem plenè probavit. Coofirmârunt frequentes adhuc Serinii ad Budenſem, Boſnienſem & Caniſieoſem Baſſas curſores, & captæ Frangipaoi literæ, quæ totam factionis machinationem, & vatinianum in Cæſarem & Germanam oationem odium ſatis ſuperque continebant.

Tettenbachius captivatur.

Pet. Serinius à filio dehortatus deſiſtere.

Ne igitur nefandæ huic conſpirationi aures præberet, & manus Soldanus Turcicus, rogatus per internuntium abſtinuit, tum quòd copioſum armaturæ Cæſareæ apparatum, tum quòd factionem detectam intelligeret. Monitus deinde à Viennenſi aula Serinius, & rogatus à filio pater à periculoſiſſimis ut plurimùm conjuraoonum tumultibus deſiſtere, ne immortalem nominis ſui gloriam toto terrarum orbe diſperſam, millenis cariſſimè emptam periculis, omnium ubique, etiam hoſtium, linguis diffuſam, tantis coronatam triumphis, tot luſtris à Majoribus propagatam, & Serinianæ familiæ congenitam, in ſeram poſteritatem tranſmittendam, tam ſacrilegâ in clementiſſimum omnium Regem ac Cæſarem impietate, & crudeliſſimo ſcelere commacularet, inureretque labem nullo ſtemmatis ſui ſanguine unquam emaculandam. Inſtabant etiam amici, ut calumniam morigerâ ſuâ apud Cæſarem præſentiâ purgaret, refutaretque: aut ſi quæ perperam, non iniquo illa animo vel intentione acta excuſaret. Sed turcico nimium adbuc inoitens ſubſidio certò ſibi perſuadebat, tantas noo eſſe Cæſaris vires, ſuas ſociorumque conjuratorum comprimendi factiones jam adultas, ſolidéque confirmatas. Cum verò fama Spanckavium ſex milliũ exercitu Croatiæ

appro-

Lobkovvicius pro Serinio apud Cæſarem interceſſor.

approximantem confirmaret, terrinis ipſe, & filius ejus (qui patris apud Turcas obſes eſſe recuſabat) Cæſaris gratiam per P. Forſtallum, Monachum Auguſtinianum Viennæ apud Lobkowitzium, proximum Serinii cognatum deprecatur. Accepta admodùm fuit Lobkowitzin Serinii ſubmiſſio, ut ſi obſidem Cæſari daret filium, ejuſdemque voluntatem in virginea deſcribendam (charta blanca) ſuo ſubſignatam nomine adimpleret, præter ſceleris remiſſionem & oblivionem, dignitatis, libertatis & privilegiorum confirmationem pollicetur. Quòd ſi fortè Protegis, ſeu Bani dignitate privaretur, Carlſtadienſi, vel æquali præfecturâ munerandum: immo ſuo ære 400000 Impp. debitum ejus perſoluturum adſtipulatur Lobkowicius. Promptus ad omnia Serinius, dum P. Forſtallum cum filio ad Cæſarem demittit, eoque needum Viennam appulſi adeſt cum exercitu Spanckavius, & Zſiackaturnum, Serinii reſidentiam 2000. Morlacis munitam ſubitò circumcingit: & licet Serinius illi ſtipulatam ſubmiſſionis ſuæ gratiam ſignificaret, Spanckavius nihil hujus rei conſcius juſſu Cæſaris urbem adeo validè premit, ut Serinius & Frangipanus cum aliis triginta fautoribus occultâ via urbe excedentes, Viennam quoque ſive ad conteſtandam innocentiam, ſive facilioris ſpe veniæ (ad Ragotzium alii in ſuperiorem Ungariam, niſi aditus fuiſſent intercluſi, veroſimilius abituros aſſerebant) profecti, noctu apud Nary- Ferentium Comitem, non ſine doli ſuſpicione invitati diverterunt: qui ſub liberali cœna ſumma Cæſari celeritate, quos detineret hoſpites ſignificavit: cujus mox juſſu Viennam ambo deducuntur, aliis alio dilapſis, honeſtæ traditi cuſtodiæ. Spanckavius interim occupato facilè Zſiackaturno ejuſdem uxorem cum opulenta ſuppellectili & domeſtico apparatu Neoſtadium deducit, & Herberſteinius Com. præfectus Carlſtadienſis cuncta Seriniana loca & oppida in Cæſaris redigit poteſtatem.

Serinius & Frangipanus capiuntur.

Nadasdus hiſce magis efferatur

Hæc infauſta conjurationis principia juſtum Nadaſdo terrorem debuiſſent incuſſiſſe; ſed inſaniore inflammatus furore, ſuum in Cæſarem commentum ſcelus conjuratis ſociis communicans, illud animoſiores ut perficerent, impiiſſimâ adurget temeritate; quodnam illud fuerit ſceleris molimen, latuit hactenus: plures ſuſpicantur Cæſaris aut in venatione, vel Eberſtorffii clandeſtinis capti inſidiis in Turcarum manus traditionem; ſed cœleſtis Dei providentia, ſub cujus ſemper alarum umbra protectus fuit, Leopoldum hactenus ad hoſtium ſuorum conſervavit confuſionem: nam præterquam quòd numeroſiori tunc eſſet firmatus exercitu, Elector Brandeburgicus ſuas perſonaliter copias in rebelles ducere offerebat: Saxonicus Elector 600. equites, 400. dimachas, & mille pedites eò deſtinavit: Lotharingicum Vaudemontii oblatum ſubſidium in periculoſius & urgentius reſervavit tempus.

Electores Saxo & Brandenburg. opem Cæſari offerunt.

Sporckius conjuratos cædit.

Jamque Cæſareus exercitus ſtrato Presburgi Danubio in ſuperiorem tendebat Ungariam, ubi Sporckius bis mille rebelles invadens, cæſis trecentis, decem potitus eſt vexillis, Ragotzius quoque irritò adortus Tockajum & Zathmarium, Cæſareis cùm longè impar eſſet copiis, à Sporckio in Tranſylvaniam rejectus, rebus ſuis deſperans, ſaniora eſt amplexus conſilia: langueſcentibus enim conjuratorum armis, & conſiliis denudatis, fruſtratus turcico æris & militis ſubſidio, literis etiam capti ſoceri ſui Serinii à

Iſthuanſ. Hiſtor.

ſcelere dehortatus arma abjiceret, Cæſaris tandem gratiam aucupaturus, in ſceleris deteſtationem Starrenbergum, Collonitſchum, aliosque nuper dolo captos reddit libertati, & reconciliationis ſuæ adhibet interceſſores: & quia ambiguis aulæ Viennenſis diffidebat reſponſionibus (qualibus Serinium & Frangipanum captos aſſerebat) matre ſuâ, notæ in Cæſarem fidelitatis viragine uſus eſt mediatrice, quam continuis precibus & rationibus execrandæ conjurationis ſemper habuit dehortatricem. Nec clementiſſimi Regis defraudata eſt mulier gratiâ, dummodo præter ſinceram filii ſui ſubmiſſionem germanicum ubique præſidium admittere, omni juri oppidi Trenſchii renuntiare, & in mulctam pro belli expenſis 400000. florenorum numerare ſtipularetur: quibus actis militem exauctoravit, mandavitque ſubditis ſub aurium nariumque amiſſione arma deponere.

Ragotzius deteſtatâ conjuratione per matrem Cæſari reconciliatur.

Sporckius conjuratos perſequitur.

Sporckius interea novo Heiſteri exercitu in Bohemia collecto auctus, per Ungariam latius extendens, graves fidelium etiam indigenarum querelas cauſavit, & indignationem, quod intolerabilem Germanorum ſervitutem, & patriæ bonorumque direptionem tolerare cogerentur, atque ita inſontes cum ſontibus citra Regis optimi clementiam tam dirè, ſimul & immeritò caſtigarentur: *Noxa caput ſequitur* l. crimen. ff. ad tit de pœn. *Et pœnæ debent ſolos tenere auctores & delinquentes.* l. ſancimus. c. de pœn. *Nec delictum aliorum debet nocere aliis.* l. eleganter ff. de dolo. Veruntamen ut cautius alii à criminibus abſtinerent, frænum erat injiciendum. Turcarum etiam Sultano tantus armorum apparatus ſuſpectus quid prætenderet, miſſo ad Sporckium Chiauſio inveſtigavit: qui inviolatis exactè pacis tabulis execrandas ſolum rebellium factiones opprimendas ſe advenisſe cum exercitu repoſuit, & pacatum remiſit. Ille verò quindecim legionibus in conjuratos movens, Ezæros, Serenzinum, Podackum & Mongatſchium, aliaque circumquaque loca & oppida in Cæſaris ultrò poteſtatem recipit: Erſchedum, vel ut alii Erſchbendum, nonniſi pactis ex Heiſteri licentia compoſitis ſubſcriptisque ſe ſubmiſêre. Mox Caſſovia & Eperieſum retentâ Religionis libertate Cæſareum admiſête præſidium. Carolus demum Dux Lotharingiæ validam ſuperioris Ungariæ arcem Muranam, defuncti nuper Palatini Comitis Weſſelini reſidentiam cum aliquot rebellium conjuratis, ac imprimis Nagai - vel ut alii Botri-Ferenzio, deditione capit; hic quidem, Ferenzius, intimus Weſſelini Conſiliarius, conjurationis ſecretarius, ejuſdemq; ſimul cum Weſſelino directur, omnia factioois acta, documenta, informationes, literas & nominum ſubſcriptiones ibidem cautè conſervaverat; ſed felicius inventa Carolus propediem ſubmittens Cæſari, reliquos conjurationis ſocios armato ulterius exercitu eſt perſecutus. Major tamen eorum pars Huſtum, aut in Tranſylvaniam, Moldaviam & Walachiam ſecuritatis ſtudio conſugerant. Budenſis etiam Baſſa licet barbarus, & abjuratus hoſtis, ſceleris tamen gravitate motus originales Viennam miſit literas, novn quibus fœdere & ſingulorum ſubſcriptione Ungarici rurſum Comitatus tutelarem ſuî ab ipſo exigebant defenſionem, quæ actis collatæ Muranis, & ſolidè examinatæ exactiſſimam cunctorum molliminum ſeriem, ſingularumque perſonarum ſyllabum aperuerunt: hic Weſſelini, Serinii & Frangipani

Carolus Lothar. Muranā occupat arcem.

Ferentius conjurationis ſecretarius captus.

Turca conjuratorum literas Cæſari offert.

1670. gipani machinationes in lucem citra omnē ambiguitatem proditæ, perduellionis & læſæ majeſtatis crimine ſunt infamati; cumque indies eorum cauſa evaderet deterior ac turpior, arctiori quoque cuſtodiæ, & armatis traduntur decurionibus, ex qua Serinius ubertimas ad Cæſarem dedit literas criminis excuſatrices, & veniæ deprecatrices: Quòd nimirum ex naturæ debito fundamentales regni leges eo ſemper conſtantius tueri debuerit, quo eas hactenus Auſtriaca Domus evertere, indigenarum libertatem à Majoribus hucuſque laudabiliter propagatam opprimere, ſublatisque ſtatutis & privilegiis ex regoo liberè electivo hæreditarium & tyrannicū omni ſemper conatu ſuperinducere tentaverit: neutiquam verò pactum cum Turcis inire, aut arma in Cæſarem legitimum Regem ſuum ſe paràſſe probari poſſe; ſed in omnibus morigerum fuiſſe luculenter ſatis ex deprecatoriis P. Forſtalli pro ſe literis deduci, in quibus toti ſe Cæſaris voluntati, virgineæ inſcribendæ chartæ, humillimè ſubmiſit, cujus obſidem ſuum præſtitit filiū: Ragotzium generum ſuum, ut arma exueret, conjuratorumq; partes deſereret paternè dehortatus, omnia ſua etiam oppida & munimenta Cæſareo induerit præſidio, & captum cum cæteris Starrenbergum dimiſerit; eaque de cauſa à Regni Cancellario regiæ non ſolùm offenſæ indulgentiam, & gratiæ dignitatisque promiſſum eſſe ſibi augmentum; ſed Lobkowicium etiam inſignia addidiſſe præmia. De perfidia ingentibus à Turcis præmiis ſollicitatum, oſtenſis Rothalio Comiti eorum literis, aut conſtanter pernegâſſe, aut fallendi eos animo diſſimulâſſe. quæ & alia ſperare ſe apud clementiſſimum Regem ſi non omnimodam remiſſionem, juſtum ſaltem benignumque cauſæ ſuæ judicē obtentura. Non defuêre, qui Cæſaris elementiam has Serinii literas reportâſſe dicerent, niſi illas affinis ejus Nadasdus fictitias, falſasque commentatus fuiſſet, ejuſdemque literarum originalia ad Ragotzium miſſa, àulæque Viennenſi extradita, cauſam ejus plurimum degravâſſent.

Serinius literæ excuſatoriæ conjurationem.

In Actis porro Muranis ut cognationis ſic conjurationis affinis, & primipilus quidem, ſcribebatur Franc. Nadasdus; ideoque paucis pòſt diebus Muranæ occupationis in arce ſua Pottendorffia è lecto ſublatum 3tio nonas Septemb. Viennam trecenti legionis Heiſtetianæ armati hora noctis nona conduxerunt: virum nobilitate ſanguinis, literarum eruditione, fortunarum divitiis inter Ungaros potentiſſimum, & ut quidā ſcribunt, Ungaricum Crœſum: qui ante quindenam plura equitum millia in ſuam omni outu tutelam gloriabatur paratiſſima, mœrore nuoc & angore deficiens lecto decumbit: medicis mox adhibitis, cæſareis deinde nutritus cibariis cautum, ne valetudinem, aut cicutâ vitam perimeret: paulatim revaleſcens ſupplicibus ad Cæſarem literis commiſſa ſolius ambitione Palatinatûs excuſabat: nec factioſas ad Vezitium ſuo ſignatas ſigillo literas agnoſcebat, hoſtium eſſe figmenta dicens. Sigillum itaque ejus an literis impreſſo conveniret, inſpectum ſtudioſius, & cauſa ejus aliis multò execrabilior eſt reperta, ut ſublatâ ſpe gratiæ & veniæ criminalis horum trium Comitum formaretur proceſſus.

Nadasdus captivatur.

Quâ perculſi famâ regni proceres, Leutſchii ſupplices ad Cæſarem tabulas decrevêre, quibus docebāt ex antiquiſſimis Ungarici regni legibus ſibi collatum conceſſumqoe eſſe perduellionis, aliorumque criminum reos citandi & judicandi jus & poteſtatem: decretorium igitur poſtulabant diem, quo horum Comitum cauſa coram Palatino, aliisve cootestaretur Commiſſariis: & quia Palatinatus tanto jam tempore vacaverit, & adhuc vacaret (qui ex fundamentali legum præſcripto quamprimū fuerat reſtaurandus) proinde omnia interim acta nulla, & reſcindenda volebant: acta enim contra jus, vel formâ juris & ſtatuti non ſervatâ, ſunt nulla. *l. jubemus. §. prædia. c. de ſacroſ. eccleſ.* Cæſaris haud gravatè hæc, privilegiorū favore permiſiſſet clementia, niſi cancellarii & conſiliariorum diſſuaſiſſent rationes, graviumque prævaluiſſent argumentorum pondera, & totius denique regni prohibuiſſet incolumitas: his enim factio roborata adminiculis, qois non videt univerſum mox regnum in cineres redigendum? malitiis obſtruenda eſt via oon aperienda, nec in propria quis cauſa Judex eſſe poteſt; qui igitur judices criminis eſſe poſſunt, cujus ipſi complices ſunt, fautores & miniſtri, eâdem digniſſimi pœnâ? Parium quippe eadem eſt juris diſpoſitio & judiciū. *Cap. ſicut ergo. de transl. epiſc. l. ſi ſocer. ff. ſolut. matr.* Fruſtra quoque legis auxilium advocabant, qui turpiter in legē commiſerant. *l. auxilium. §. in delictis. ff. de min.* Neque gaudere debēt beoeficio privilegii, qui deliquerunt in privilegium. *l. iſti quidem. ff. quod metus cauſa.* Quid quod toto ſe Ungari libertatis, legū & privilegiorum jure denudârunt, qui Turcarū, Cæſaris, & univerſæ Chriſtianitatis hoſtium abjuratorum ſubſidium ſollicitârunt, perduellioois & læſæ majeſtatis rei. Ut quid igitur Cæſaris declinarent forum & juriſdictionem, qui fidelitatis juramento obſtricti, & Vice-Regis in Croatia, & ſupremi Judicis, Præſidisque in Ungaria officiis hactenus perfuncti, omnes Cæſareæ Majeſtatis vaſalli, eidemque pluribus juriſdictionis titulis ſubjecti, judicium fruſtrare, & eludere ſententiā nequeaot; ideoque inſaniori furore ſuot accenſi, ac imprimis Töckelius arcem ſuam Kus, ſubditosq; & Morlacos in Cæſarem pertinacius armabat, qui ab Heislero cioctus obſidione vitam cū morte commutans, filio ſuo regni leges, privilegia & libertatem defendendi debitum mordicus inculcavit, non ſine irreparabili Ungariæ totiuſque Chriſtianitatis poſtmodum detrimento. Arce devictâ magous cimeliorum & apparatus domeſtici theſaurus cæſareo ceſſit fiſco, Viennam deportatus.

Hungarorum

protestatio in cauſa conjurationis.

Ungari ſe omni privarunt privilegio.

Töckelius libertatis aſſertor Kus arcem, & vitam amittit.

Interea Nadasdus Viennæ, unde Serinius cū Frangipano Neoſtadium tranſlati, ſeparato quiſque carceri includitur. Ille, Serinius, ſuffoſſa aliquot orgyis ſeu ulnis humo, elapſus fuiſſet, niſi ancillæ indicio proditus arctius vinculatur; cujus pertæſus & impatiens pro cauſæ ſuæ expeditione inſtat. Cæſaris igitur mandato 3. illi rei Comites ſubjecti aliquoties Joannis Pauli Hocheri Cancellarii aulici, & Chriſtop. Abelis Conſiliarii & Secretarii intimi examini, delicta ſua, oſtenſis ſingillatim originalibus conjurationis literis cōformia, liberè, & ſine ulla tortura candidè interrogata confeſſi ſunt; quæ ultronea eorum cooſeſſio, & perduellio mortis licet condemoationi ſufficerent, illa tamen Acta Cæſar judicio commiſit delegato, quod formato exactè criminali proceſſu, latâque ſenteotiâ, eandem Cæſari clauſam obtulit, conſilio examinandā. Tū effluxo 6. hebdomadarum & 3. dierum termino, ad defenſionem dari conſueto, Nadasdus 3tio nonas Martii 1671. omni defenſionis juri ſcripto renuntiavit: tantum tamen ejus valuerunt literæ, & humillima liberorum obtinuit deprecatio, ut ex ſequeſtra-

Ultronea trium reorum confeſſio.

ſtratis modò paternæ hæreditatis bonis, pretium 4. millionum aſcendentibus liberi alerentur. Serinius verò & Frangipanus ſuæ defenſionis articulos exhibuêre, qui ſummo examinati ſtudio, & invicem collati, extrema demum trium Univerſitatum Ingolſtadienſis, Tubingenſis & Lipſienſis, conformis emanavit ſententia: Tres nimirum Comites, Nadasdum, Serinium & Frangipanum læſæ majeſtatis & perduellionis reos omni cum liberis ſuis honore & dignitate privandos, vitâ eliminandos, bona eorum confiſcanda, capite & dexterâ manu minuendos; Nadasdum Viennæ, reliquos Neoſtadii. His actis Comes Ferdinand. Sprintzenſteinius Auſtriaci Ducatûs mareſchallus publicâ judicii criminalis ſententiâ omnibus Nadasdum & filios ejus dignitatibus & nobilitate exuit, & publicis eliminavit tabulis. Ad quæ illacrimans Nadasdus: vitam, honores tolle, famã ſerva liberis. Et eùm ante degradationem Domini Comitis adhuc titulo veneraretur, poſt eam dicebatur: Talis fuiſti, modò non es amplius, ſed proditor: tu es, & manebis privatus nomine, honore, dignitate, & omnibus bonis cum tota familia tua. Tum ematriculatum mareſchallus ex camera equeſtri, miniſtrator è gradibus, apparitor demum è veſtibulo extruſère, ac inter 11. & 12. noctis horam ad vitandam populi multitudinem à ſupremo vigiliarum præfecto Comite Daunio inter 250. muſquetarios in curiã ductus, millenis populo vocibus vociferante: Vivat Cæſar, & pereat rebellis. Diem alteram, 4tam Kal. maji generalis confeſſionis præparationi impendit, & filiorum neminem accerſiri petit; ſed ſuo mandavit Confeſſario P. Diſcalceato, ut ſuo nomine paternam illis impertiret benedictionem, cum hac ſeria admonitione, ut Cæſari Regique ſemper debitam præſtarent obedientiam, & inobedientiæ tragicum & infame ſpectarent in ſe exemplum. Cùm ſubſequenti die 3tiam inter & 4tam pomeridianam à duobus Conſiliariis fatalis illi dies mortis indicaretur, repoſuit: *Omnis poteſtas a Deo, & qui poteſtati reſiſtit, ordinationi divinæ reſiſtit*, ſimulque Cæſari gratias pro clementis ſupplicii genere referens, ſpe tamen adhuc vitæ in monaſterio, aut perpetuo carcere conſummandæ, & teſtandi de 10. florenorum millibus animæ ſaluti impendendis (uti ultimis apud Cæſarem literis ſupplicaverat) grandi ejus nixus clementiâ, alebatur; veruntamen dicebat: ſit nomen Domini benedictũ, fiat, quod illi placuerit. Hoc ad animæ ſuæ ſalutẽ ex parte obtinuit, neququã illud. Mortis igitur præparationi reliquum ſedulò tẽpus impendit; pridie enim in generali confeſſione animæ noxas multis lacrimarum ſuſpiriis expiavit, & devotiſſimè ſacro animam viatico ad inſtantem æternitatis viam inter miſſæ ſacrificia communivit, in cujus fine dum etiam vitæ ejus finem adeſſe proximè ei indicaretur, ſiniſtrâ Crucifixum, dextrâ accenſum gerens cereum benedictum, ad ſacerdotis pedes provolutus, inter ardentiſſimos doloris, & in Deum amoris actus, generalem plenariæ indulgentiæ à Pontifice illi conceſſæ abſolutionem eſt conſecutus. Tum omnibus, & imprimis Cæſari ſubmiſſiſſimè valedicens, ignoſci ſibi ab omnibus, ſeque omnibus paratiſſimè ignoſcere proteſtatus, è cuſtodia pullatus in civilem ductus cameram, ubi olim Generalis Kratzius capite minutus fuerat, detecto capite, Crucifixo & roſario piiſſimè inſtructus, in pavimento & ſede æquè pullata ob virium debilitatem, in conſpectu pleni judicii reſedit, atque ita fatalem judicii ſecretarius

Eorum condemnatio.

Nadasdi ematriculatio, & mortis præparatio.

Commendat filiis obedientiam.

Ithuanſ. Hiſtor.

ſententiam, & commiſſa ab eo delicta prælegit: quòd nimirum Franciſc. Nadasdus ex temeraria damnabilique ambitione tot tantarumq; à Cæſare, ejuſdemque prædeceſſoribus dignitatum, gratiarum & honorum adeptorum, & præſtiti in hanc rem juramenti fidelitatis immemor, ingratus & perjurus crimen læſæ majeſtatis commiſerit: illicita contra Cæſaream Regiamque Majeſtatem pacta fœderaque in reipublicæ & regni perniciem inierit: cæſaream item perſonam hoſtibus tradere, regnum ungaricum hoſtili ſubjicere poteſtati fuerit cooperatus: & hæc fœdera juramento confirmaverit, ad eaque alios temerè ſeduxerit: clandeſtinis factionibus & conſpirationibus per ſe, vel per alios præfuerit: & ad ſollicitandos alliciendosve comitatus & equeſtres ordines, prædandi, captivandi, expilandiq; modos & conſilia ſuggeſſerit: occultas in Cæſarem inſidias non opportunè detexerit: cæſareas, ſpoliato veredario, magnorum ſecretorum literas violando fuerit perſcrutatus: æs cæſareum, reditusque invaſerit, graviſſimum magni momenti ſecretum conjuratis ſociis in grande Cæſaris, ac Reip. detrimentum manifeſtârit, & aliis paſſim manifeſtari mandaverit, iñocentis perſonæ condemnatione in factioſa & crudeli ad 4. regni ordines oratione perſuaſerit, aliaque graviſſima in actis contenta commiſerit delicta; de quibus vel ultronea confeſſione, vel ſcriptis ab eo recognitis convictus, vel quòd ea negare, vel excuſare non poſſet, aliquoties confeſſus fuerit: juſtè itaque Nadasdus pœnâ mortis condemnatus, honoribus, dignitatibus, & bonis confiſcatis exutus, lictori capite & manu dexterâ minuendus traditur. Sententiâ lectâ Judex, Joann. Moſerus ex Cæſaris clementia manûs præciſionem remiſit. Nadasdus verò abſolutis coram Altari precibus, & Crucifixo pectori aliquoties piè admoto, inter ſeptenas Jeſus, Maria, Joſeph invocationes ſellæ inſidens capite plexus eſt, corpus in loculo publicè populo in area Curiæ expoſitum, veſperi ad Auguſtinianos, inde amicorum interventu Sarwarium delatum fuit & tumulatũ. Uxor ejus paulò ante conjurationis manifeſtationem obierat in puerperio undecimi infantis: fama autem publica à marito interempta veneno, dicitur, quod in Cæſaris hoſpitatione ejus vitæ parcens cupediam ſanam loco infectæ ſuppoſuerit, cujus lento Cæſar toxico deficeret, quam uxor in pœnam guſtare crudeliter coacta miſerè periiſſe dicitur; verène an falsò mihi incertum eſt, indubitatum verò illud, Cæſarem ex iñata ſua clementia potiſſimam bonorum immobilium partem horum Comitum liberis eâ reſtituiſſe conditione, ut cum Inſignibus commutarent & nomina ſua, Nadasdi liberi de Monte Crucis, v. Creutzberg / Serinii filius Gade deinceps appellarentur; mobilia verò, gemmæ, cimelia & domeſticus apparatus in commiſſum ceciderunt, & Nadasdi imprimis pretio 4. millionum 8. plauſtris Viennã deducta: arx Pottendorffia cum añexis viridariis & topiariis ſuis Cæſar Montecuculo dono dedit.

Neoſtadii quoq; cæſarei duo Commiſſarii Abelus & Molitor dum ſupremam mortis ſententiam 4to Kalend. maji Serinio & Frangipano ſignificarent, pridie Kalend. maji exequendam, ille inter Turcarum acies aliàs imperterritus, impalleſcens exhorruit, innocentiâ quaſi migratâ emigrâſſet etiam ab eo magnanimitas, nolletque generoſa perfido ulterius rebelli & perjuro immorari fortitudo, quem fidelem antea Cæſaris vaſallum in cunctis nunquam deſtituit periculis.

Mortis ſententia & delicta Nadasdo prælecta.

Ejus ſupplicium.

Nadaſdorum & Seriniorum nominis mutatio.

Pottendorffia arx Montecuculo donata.

Serinii & Frangipani condemnatio.

Ducti ambo ad armamentarium, ubi reſumpto Scrinius animo, mori, & altero quidem die ob mœrotis anguſtias promptior optabat adjiciens: ex inómo cordis ignoſco Frangipano, qui in hanc me infamiæ calamitatem adduxit; ſed quid agam com ejuſdem mortis ſocio & comite? Altero dein die confeſſione & viatico refectus, poſtquam urgente adhuc conſcientiâ quædam Commiſſariis conjurationis ſecreta revelâſſet, fortiori mortem animo, miſeriarum metam, & melioris vitæ principium expectavit: eam verò enixiùs deprecabatur Frangipanus, ætate floridus, & ſtirpis ſuæ ultimus; cùm autem omnem gratiæ aditum audiret interclusum, Cæſaremque ſibi ignoſcentem, paratiot mortis ſe dcereto ſubmiſit, unicè juventutis ſuæ deplorans fervorem, Cæſarique commendans uxorem ad Venetorum territotium elapſam, & nepotem ſuum Orphcum Frangipanum, conjurationis quidem ex factioſis ſuis complicem literis, ſpe tamen veniæ non excluſum, ac demum petens Serioio oretenus loqui ac valedicere, in Commiſſariorũ & Confeſſarii præſentia in germanica illud lingua permiſſum fuit, quo Frangipanus ad Serinium ductus, demiſſiſſimam ambo offenſionis veniam petentes, & in terram provoluti ora manuſque oſculando ſibi mutuò ignoſcentes, ad generoſam Serinium mortem fortiter obeundã Frangipanus adhortatus diſceſſit: deſiderantibus tamen ſcire, quo mortis genere eſſent caſtigandi (metuentes quadrigis in diverſum actis diſcerpendos) reſponſum, mitiori meritis pœnâ, capite & dexterâ ſolùm manu truncandos; hanc tamen deprecati ſunt. Pridie igitur Kalend. Maji Serinius maoe ex triduano jejunio & mortis anguſtiis iteratò deliquium animi paſſus, balſamo & alkermes refectus, prælectis primum ſuâ ex equeſtri ordine emarriculatione (quam pro filio ſed irritò deprecatus) & paulò pòſt fatalis ſententiæ & delictorum ſerie in pullatum ſupplicii locũ ducitur, ubi genuflexus inter ardentia contritionis & precum ſuſpitia, interque verba: Io manus tuas commendo ſpiritum meum, à lictore plectitur. oeinde mox, ne cognatus reum ſubſequentem ſanguis exanimaret, pullo obtectus, remotoque per honeſtos apparitores capite & trunco, eductus Frangipanus, auditâ delictorum ſuorum ſententiâ ad eundem ſupplicii locum proceſſit, ibidemqoe abſolutis prolixè precibus, obvelatisque, ſed mox revelatis oculis Crucifixũ reſumit, & detractum ex digito annulum eidem imponens ajebat: Hic annulus, mi Jeſu, erit tuus; accipe donum hoc meum, & beatam redona æternitatem. Tum ad populum converſus: Vos, qui adeſtis miſeræ calamitatis meæ ſpectatores, diſcite amare Deum & timere, obedire fideliter Cæſari, & deteſtandam fugere ambitionẽ, quæ in hanc me præcipitavit ruinam. Valete, & orate pro requie animæ meæ: mortem ſubeo, apud Deum pro vobis oraturus; valete. Provolutus demum in genua, continuo Jeſus, Maria inclamans ictum lictoris præſtolatus primum turpiter fallentem in dextero excepit humero, quo in terram proſtratus, dum ſe erigens repeteret Jeſus, ſecundus caput ictus reſecuit. Amborum capita populo exhibita, ſingula poſtmodùm cum truncis impoſita loculis, in cœmiterio ſummi templi à Canonicis fuêre tumulata.

Amborum colloquium.

Serinis decollatio

Frangipani decollatio.

Nadaſdus conjurationis auctor.

Haud multò pòſt Presburgi alius conjurationis ejuſdem ſocius, nobilis Ungarus De Bonis, ex Reformato Catholicus, mitiori ob hoc ſupplicio capitis percuſſus publicè profitebatur, primariũ illius conjurationis auctorem fuiſſe Nadasdum, & plus quàm ſeptuaginta gravioribus digniores pœnis divagari adhuc Rebelles.

Tettenbachii decollatio

Joannis Eraſmi Tettenbachii cauſam opinionum diſtulit in Novemb. varietas. alii dimittendum, perpetuo alii carcere, alii demum eodem quo cæteri mortis ſupplicio afficiendum decreverunt; ſed cùm perfidam in Cæſarem conjurationem juramento ad ſacrum Evangelium depoſito confirmâſſe aliquot docuerint documenta, eodem mortis geoere condemnatus, confiſcatiſque bonis equeſtris ordinis albo cum filio eſt ematriculatus, quod ille incredibili lamentatione, animi deliquio, & gravi impatientiâ, per Ss. Chriſti vulnera deprecatus, dum immutabilem Abelus diceret ſententiam, filio ſuo valedicens, petensque veniam amiſſæ per ſe famæ & fortunarum, Græcii in curia capite, bis ictu fallente, plexus eſt. Talis cōmuniter omnium Rebellium, in hunc imprimis clementiſſimum omnium Principem, merces & præmium eſt meritiſſimũ. *Si igitur ſapis*, audi Sapientem Proverb 24.1. *Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum illis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Sed time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinã utriuſque quis novit? Superbia & avaritia*, ajebat etiam Simon, *elementa ſunt malorum omnium*, ut luculenter hic videre licuit.

Rebellionis extirpatio.

Hæreſis rebellionis genitrix.

Rebelles meditantur Germanos opprimere.

Abaſſium & Turcas invocantes rejiciuntur.

Reſectis hiſce primariis nequiſſimæ rebellionis hydræ capitibus, quò plura poſtmodùm renaſcebantur, eo majori cæſarei extirpandæ conſpirationis Commiſſarii ſeveritate illa perſequebantur: quorum enim aut ſubſcripta in coojurantium catalogo oomina, aut factioſæ ſuſpectos conventionis, aut quovis modo complices deprehendebant, eos vel capitis condemoatione aut fortunarum confiſcatione caſtigabant: ſuis urbes & communitates denudabant privilegiis, heterodoxæ religionis interdicebant exercitia, uſumque templorum: magiſtratu publico, aliiſque officiis removebant acatholicos, & ſubſtituebant Catholicos, quòd religioois diſcordiâ, uberrimæ ſemper diſſenſionis genitrice, omnigenæ hactenus in regni comitiis turbæ, & reipublicæ eoata ruina compertum nimis jam ſæpius fuiſſet. Heterodoxi autem religinnis ſuæ zelo fervidi convolare, tumultuoſas ubique ciere factiones, omnem contra movere lapidem, & inſanabili innatoque Germanos odio opprimere non deſinebant. Caſſoviæ namque cives clandeſtinâ conjuratione omnes unâ nocte Germanos cæſareos mactâſſent præſidiarios, niſi unus eorum ab ancilla cautè præmonitus ad arma ſigno commilitones tumultuariè convocâſſet, magnoque eadem nocte tumultu & contentione non abſq; mutua cæde diu pugnatum, donec repreſſi tandem cives meritâ conjurationis pœnâ ſunt caſtigati. Nec multum fidebat Cæſar Abaſſio Tranſylvaniæ Principi, à Rebellibus Religionis causâ ſollicitato; ideoque cunctos ejus obſervabat motus; veruntamen hic ſive reformatæ pertæſus Religionis, ſive quòd periculoſis bis bellorum tempeſtatibus ſe, ſuosque ſubditos nollet hoc ambiguo tẽporis ſtatu implicari, ad legitimi Regis ſui obedientiam eos remiſit. Apud Ottomannicam igitur Portã inſtant pro ſubſidii ſubmiſſione, quæ opportunã tunc quidem reliquum oogariæ ſubjugandi occaſionẽ perſpiciens, obfirmato tamẽ decretum in Polooos bellum fervidè proſecutura conatu, ſubſidium rebellibus denegat. Perpensâ tamẽ & Tranſylvanorum, & Turcarum inconſtantiâ, quæſtûs ſui ſtudioſa, ferven-

tio-

tioresque Turcarum in Polonos apparatus adhucdum ambiguos magis haberet Cæſar ſuſpectos, ob violentam limitũ exceſſionem & clandeſtinam rebellium tutelam, omnem militiæ ſuæ in hoſticum interdicere excurſionem, regni armamentaria viſitare, locupletare granaria, & indigenas mitius tractare jubet. Reverſus interim Byzantio Internuntius referebat, cunctis rebellium propoſitionibus rejectis inviolatè à Soldano armiſtitium obſervatum iri. Pacis igitur confirmandæ, & armiſtitii in 20. annos prolongandi causâ Perezium Secretarium ſuum variis cum muneribus dimittit Conſtantinopolim amborum Cæſarum voto & ſatisfactione ſubſcripti. Multum etiam inopinata rebelles terruit Abaſſii Principis converſio, qui quòd zeloſus ac potens reformatæ religionis fuiſſet ſectator & defenſor, haud exigua conſequendi ſpe ſubſidii alebantur; quam omnino abjiciebant modò, dũ eundem Romano-Catholicam hoc anno amplexum fidem audiebant. Tunc Cæſar indictis Presburgi comitiis procerum comparuit nullus, tollendorum, minuendorumve metu privilegiorum, & quòd ſalvum conductum, generalemque exigerent amneſtiam, hucuſque denegatã. Publico igitur declaravit mandato, quibus de cauſis perfidos rebellionis auctores caſtigaverit, & juſtè, temerariisque mandatorum ſuorum refractariis non parciturum, qui neglectâ clementiâ juſtam ſuâ inobedientiâ iram eſſent provocaturi: triginta præterea millium exercitum per regnum ritè diſtributum indigenarum ære ac cibatu alere coacti, veniam demum commiſſorum plures humiliter deprecabantur.

Abaſſis converſio

1673. Margareta Imper. mors.

Interea 12. Martii 1673. Imperatrix Margareta Thereſia febri ex hac vita decedit, in quartum menſem principe prægnans, qui ſimultaneè cum matre ſplendidis tumulatus fuit exequiis: nec ſecundas Cæſar (ob maſculi defectum hæredis) diſtulit nuptias; ſed 15. Octobris ejuſdem anni Archiduciſſæ Annæ Claudiæ Felicitati Oenopontinæ, filiæ Ferdinandi Caroli Archiducis Auſtriæ & Tyrolis, matrimonii fœdere fuit Græcii copulatus, quam Anglicus etiam legatus ob eximiam animi, morum, prudentiæ & elegantiæ præſtantiam, variarumque peritiam linguarum Principi Eboracenſi, pactis modò nuptialibus jam confirmandis impensè ambiebat.

Cæſar nubit Claudiæ Felic.

Subactâ ſic demum Ungariâ, quam ob nefandam Ordinum Procerumque præcipuorum defectionem & perduellionem, amiſſis taliter juribus ſuis & libertatis privilegiis, hæreditario quodam jure ſibi totam Cæſar acquiſierat, ut turbulentis impoſterum eorum motibus & factionibus opportuniori occurreret remedio, remoto Palatinatu, primâ poſt Regem dignitate, ad quam in publicis regni comitiis privilegiorum jure communibus procerum votis dignior liberè eligebatur; ſed à Comitis Weſſelini morte ob periculoſam Ungaricæ nationis inconſtantiam factionemque hucuſq; vacaverat. Sublatis quoque regni comitiis, diſcordiarum ut plurimùm ſcatebris, magiſtratum ſeu ſenatum regium conſtituit ex Præſide (qui re ipſa Prorex & Palatinus eſſet) Cancellario, duobus Secretariis, germano uno, altero ungaro, ac ſex denique ſenatoribus, ſeu aſſeſſoribus, à Cæſare augendis, minuendisve; qui omnes regni cauſas, controverſias & politica negotia adminiſtrarent & expedirent. Hujus ſenatûs Præſidem ac regni gubernatorem Joannem Caſparum ab Ambringen, magiſtrum Teutonicum, natione Ungarum, virum prudentiâ, experientiâ & diſcretione præſtantem, variiſque excultum virtutibus præpoſuit, & congruis ſolemnitatibus in fidelium ordinum & Magnatum præſentia Presburgi confirmavit. Hic magno popularium applauſu & expectatione Caſſoviæ exceptus, maturo ſenatûs conſilio oppreſſam quamprimum reducere juſtitiam, liberare indigenas & municipes à dominorum ſuorum, an tyrannorum dicam, intolerabili mancipatu, invaleſcentes belli factionumque tempore tollere confuſiones, & ſalutaribus cuncta legibus in ordinem diſponere, effrenesque continere militũ licentias & petulantias. Jamque ſubmiſsè obediebat ſubditus Superioribus, jura innocentibus, nocentibus pœnæ decernebantur: jam miles ſub diſciplina pacificè conveniebat cũ civibus & ruricolis, hocque politico contenti regimine vivebant unanimes. Imprimis autem multo laborabat Præſes diſcretionis ſtudio rebellium animos devincire: generalem igitur Cæſar amneſtiam, univerſalemq; commiſſorum publicari jubet oblivionem, quam illi tamen frivolam reſpuentes temerè oggerebant: nos univerſaliter in Regem non deliquimus, perduellionis & læſæ majeſtatis rei ſe purgent & excuſent: nos regni jura & privilegia, nos gens libera animi Religionisque libertatem volumus & urgemus. Ferro igitur mederi vulnus dum eſſet neceſſe, ſeveriorem rebellium inquiſitionem, & religionis reformationẽ Cæſar imperat: multâ namque experientiâ didicerat, veram Dei religionem præcipuum eſſe regnorum, rectæque adminiſtrationis, & publicæ quietis fundamentum, quo concuſſo, hæc nutare univerſa neceſſe eſt. Atque ita evangelici præcones, aut factioſæ concionis rei, aut conjurationis convicti (qualis vir 83. annorum Nicolaus Drobinus) mortis pœnâ condemnabantur; plures ad tribunalia Presburgum citati, abjuratis erroribus ad Romano-Catholicam ſe convertebant Eccleſiam; alii ſua ſponte officia & Eccleſias dimittentes exulare malebant; refractarii verò & pertinaces aut carceri mancipabantur, aut triremibus adjudicabantur. Generalis quoque Spanckavius ablata Evangelicis Jaurini, Caſſoviæ, Presburgi & alibi paſſim templa reſtituebat Catholicis, quos ubique etiam, ejectis Evangelicis, ſubſtituebat magiſtratibus: cives verò ſe his opponentes grandi æris mulctâ caſtigabat.

Palatinatus Ung. extinguetur.

Ambringen mag. Teut. fit præſes Ungariæ loco Palatini.

Amneſtiam generalem publicat.

Rebelles contumaces perſequuntur, præcones præſertim Evangel.

Hæc res nimium conjuratorum afflixit animos, inque tumultuoſum acti furorem Proteſtantes, novo Tranſylvanos fœdere in ſocietatẽ adductum, eo magis promptiores, quo contumacius illi Comitatus Zathmarienſem & Zambolenſem, Tranſylvaniæ ſemper annexos & Ragotzio nuper vi, & injuſtè extortos reſtitui ſibi poſtulabant. Et dum Cæſar Batavis confœderatus (quos in inferiori Gallus Germania, aſſociatis Anglis, Colonienſi & Monaſterienſi Epiſcopis, ingenti armorum vi opprimere moliebatur) ſuũ è Pannonia militem reduceret in Germaniam, Galloque contra Batavos ubique prævalente, & ſubmotis cum Ottomannica Porta controverſiis dum pacta antiqua novis Rex Galliæ per Nointellum legatum ſuum confirmâſſet conditionibus: imo amplis rebelles ſollicitâſſet pollicitationibus, & incitâſſet æris ſuppetiis, atque ideo verſis etiam Soldanus velis contra confirmata recens pacis fœdera, omnem rebellibus in ſolo turcico permitteret non ſolùm tutelam & ſecuritatẽ; ſed ſuis quoq; mandaret baſſis, ut quantũ ſine formali pacis ruptura fieri poſſet, armorũ illis ſubſidia nunquã deeſſent, limitesq; Vyvarienſes latius eo

Confœderantur Tranſylvanis.

Foventur à Gallo & Turcis.

uſq; in Moraviâ extenderent, quo ab anno 1663. aut pabulationis, aut prædæ cauſâ fuerat excurſum, eo ſcilicet prætextu, quòd Cæſareani rebelles in ſolum turcicum fugientes perſequendo haud exiguas cierent turbationes & detrimenta.

Rebelles copiis auctis Ungariam vaſtant.

His innixi rebelles ſubſidiis efferentes & inſolentiores Petrozius, Sepeſius, Tendeus, Gabor, Sutreyus, pluresque primarii ſuas è latebris educunt copias 12000. occupatoque aditu Teylas, Caſſoviam circumcingunt, opprimuntque ſex dimacharum vexillationes, paucis cum protribuno ſuo Soyero Caſſoviam elapſis: inde triginta millibus aucti Eperieſum invadunt, & meticuloſâ præfecti ignaviâ occupant, latéque Comitatus & provincias pervagantes tantum ubique terrorem circumferunt & vaſtitatem, ut minitora Viennenſis aula conſilia circumſpicere videretur. Quia verò inquietos tumultuantium animos nullo clementiæ pacificandos remedio prævidebat, vim vi repellere & ſubjicere fuit tentatum, non ſine magna ſæpius partis utriuſq; cæde, Germanis plerumque prævalentibus. Conjuratorum autem numero variorum acceſſione Magnatum, Ballaſſi Imbre, Bozkai, Hedwygi, & Tôekelii augeſcente, fœdiſſimas in patriam ſuam fecêre excurſiones & populationes.

Quos Cæſarei iteratò cædunt.

In quos tumultuariè Cæſar Generalem Koppiũ juſto cum exercitu amandat, Comitis Eſterhaſii & Valentini Balaſſi inſuper copiis 5000. confirmatum, cujus primum agmen, quod tribunus Schmidt & Palſius ducebant, ad Bramitzæ aditum rebellium invadens exercitum, cæſis ultra mille, præter captos & vulneratos, in fugam agit. Hac licet cæde mulctati, Zathmarium tamen tentantes, à Starrenbergio generoſâ eruptione rejecti, atque à Spanckavio, Spartio, & Straſoldo ubique perſecuti, ultra Tibiſcum ſalutem in pedibus ſunt aucupari. Tum ſine obice præter alia recuperatum fuit Eperieſum, Medwiſchum, Meges, & everſis mœnibus Nagebania, quæ urbes dignas perduellionis ſuæ pœnas in ære & cute graviter luere ſunt compulſæ; atque ita rebellium adeo coercita eſt inſolentia, ut expeditionis nihil ſingularis, excurſiones autem Turcarum ſubſidiis plures, inſigni tamen ſuorum jacturâ ſuſceperint: ad ſolum namque turcicum & Tranſylvaniam ſecuritatis ſuæ loca confugientes, ibidem novis uſque dum augerentur copiis, latebant.

In Tranſylvaniâ & Turciam fugientes.

Catholici templa &c. recuperant

Hac opportunâ uſi occaſione Catholici, Eccleſiaſticos à Proteſtantibus ſubtractos reditus, templa & ſcholas in Comitatibus præcipuè Nitrienſi, Trenſchinenſi, Turoczenſi, Stranicoſi, Lippenſi, aliiſque montanis civitatibus & oppidis haud difficile recuperârunt. Et quamvis hæc res graviſſimarum ſæpiſſimè fuerit diſcordiarum ſeditionumque inter ortho- & heterodoxos origo, & regni totius fœdiſſima ruina; ea tamen omnium tam ortho- quam heterodoxorum erat contentio obſtinatiſſima, leges, jura, privilegia & libertatem patriæ ad mortem uſque propugnare, debitaque proteſtabantur ſubjectione ſe Regis, liberè à ſe electi, ſubditos eſſe & vaſallos, quatenus leges, jura, & privilegia ſua à Majoribus, Ducibus & Regibus hucuſque propagata, & ſancta fide juramentoque confirmata regio illibata, illæſaque conſervaverit; at quia hoc Cæſar regiminis fundamentum evertit, uti ajebant, germano per regnum diſpoſito milite deſpoticum in ſe exercet imperium, palatinatui proregem, regium pro libitu ſuo ſenatum comitiis ſubſtituit, imminuitque præſcripta regni ſtatuta, leges & privilegia, omne ſimul obedientiæ & ſubmiſſionis debitum tollat, eoſque abſolvat neceſſe eſt: *Fundamento enim destructo corruit ædificatum. L. Nam origo ff. quod vi aut clam. Nec fides ſervatur ei, qui eandem frangit. L. Eum qui §. 1. ff. de inoff. teſtam.* Regis igitur ſacramento, ut temerè obtendebant, abſoluti, priſtinam vindicaturi libertatem, pro aris & focis, pro lege & privilegio patriæ plures in campum prodiêre Comitatus. Nec deerat illis primipilaris, ut in factionibus tumultibusque fieri aſſolet, anteſignanus, Joannes Striſioiskius, inſignis homo temeritatis & audaciæ, qui ſe à montanis urbibus Commiſſorem venditabat, & Ducis nomen arrogans quaslibet ubique commiſſiones abſolutâ dominandi poteſtate ſubſcribebat, ſubſignabat, & erogabat; ita ut incredibilis hominum multitudo ab ſolius penderet nutu & voluntate. Hic nolli parcebat Germano, aut Catholico Sacerdoti, vel Jeſuitæ; ſed inſolentiſſimâ ſemper petulantiâ & tyrannide opprimebat, mactabat, uncis & palis crudeliſſimè transfigebat: quos ſimili talionis pœnâ, ſine ullo etiam perſonarum, ſive ſontium, ſive inſontium reſpectu mulctabat Straſoldus, quem tamen inauditâ causâ procedendi modum interdicens ei Cæſar, ad militarem reos voluit citari juſtitiam; ſed & hic expeditâ præcipitanter causâ vel mox ſuſpendio, vel palorum transfixione, vel quadriſectione mactabat. Quæ crudelis tyrannicaque perſecutio quò perſeverabat diutius, & rebelles opprimebat, eò diriore hi furore inſanientes Catholicum veru transfixum vivum lento igne toſtum, & aquâ nonnunquam refrigeratum miſerabiliter extinxerunt.

Striſiniskius rebellium primipilaris.

Quem Straſoldus ſeverior perſecutus.

1674.

Miniſtri & præcones proſcripti, templis privati &c.

Quocirca Regni Prorex ac Senatus regius Cæſaris imperio omnes acatholicos miniſtros & præcones regno proſcripſit univerſo, publicavit eorum bona, ad triremes quoſdam damnavit: Epiſcopus Jaurinenſis & Collonitſchius omnibus eos templis, officiis, ſcholis & reditibus per regnum univerſim privârunt: & Archiepiſcopus Strigonienſis, regni primas, poſtremæ hujus rebellionis inceptores & anteſignanos equuleo extorquebat: quinimo quos colluſionis cum rebellibus ſuſpectos aula obſervabat Viennenſis propediem proſcribebat. Lobkovvitzius intimi Præſes conſilii ſive ex Serinianæ familiæ conſanguinitate, ſive malevolorum denigratus invidia, quamvis etiam à ſecretario ejus, equulei tormentis ſubjecto, nihil contra Dominum ſuum extorqueri potuerit, clandeſtinæ tamen factionis complex, bonis omnibus tam in Auſtria quàm Bohemia mobilibus & immobilibus fiſco addictis, urbe & aulâ proſcribitur. Eâdem notabatur ſuſpicione Soucheſius; at probationis defectu inſons, prohibitus aula, ad prædium, aut præfecturam ſuam Varadinenſem eſt dimiſſus; filius ejus indignâ patris injuriâ admodùm afflictus, & aulam, & omnia ſpontè abdicavit officia, deteſtatus aulæ fallacias & inſidias.

Lobkovvitzius proſcriptus.

Soucheſius & filius aulam deſerunt.

1675.

Plures in comitiis rebelles ad Cæſarem redeunt.

Nec tamen hoc anno 1675. res cæſareæ cadebant ex voto; ſed juſto ſollicitus metu Cæſar, ne rupto Soldanus fœdere rebellium amplexus partes numeroſo opitularetur eis exercitu, vocatis Presburgum proceribus, compoſitionis per Comitem Siakium offert propoſitiones, cujus ſe mediatorem interponebat Abaſtius. Quidam hic procerum diuturnarum hactenus calamitatum pertæſi ultimam patriæ per inteſtinum hoc bellum ruinam ſuis deplorabiliter popularibus proponebant: Quòd licet religionis exercitium

tium

tium illis vitâ charius eſſe deberet; hæc tamen ex Chriſti præcepto debitam juratamque Regi ſuo neutiquam excludere obedientiam & ſubjectionem, ſed confirmare, dando Cæſari quod eſt Cæſaris; Deo quod eſt Dei: neque ita vinculari Regem legibus & ſtatutis, quin neceſſitatis & temporis exigentiâ poſſit, debeatque mutare: *Varietas namque temporum inducit varietatem conſtitutionum. Can. Non debet 8. princ. ẍ de conſang. & affin.* Non tamen illud poſſe ſubditos: multò minùs eos excuſari, ſi Turcarum gentes, juratos Chriſtianitatis inimicos in belli admitterent ſocietatem, niſi Proteſtantes nomine tantùm, re autem & opere velint eſſe efferatæ gentes & Turcæ, chariſſimam omnino vendituri libertatem, & ditiſſimum perpetuò empturi mancipatum; quo jam tum eſſent obſtricti, niſi paterna Cæſaris avertiſſet vigilantia & potentia. Surdis hæc obteſtabantur auribus, & animis zelo religionis, & martyrii errore deceptis, ſi occumberent.

Plures obſirmati patriam depopulantur.

Interea Prorex & Archiepiſcopus Strigonienſis cum tribus Regni Ordinibus de colligenda æris ſumma pro regni milite alendo ſedulò, ſed fruſtra conſultabant: eâ tamen ſub ſpe generalem Cæſar commiſſorum amneſtiam, bonorum, & liberi religionis exercitii reſtitutionem ſanctè aſtipulabatur, in cunctis dummodò urbibus & munitionibus germanicum admitterent præſidium. His oblatis quoque rejectis ſeptem armatorũ millibus tumultuoſe circa Zathmarium pervagantes, per excurrentem ejuſdem præfectum haud exiguâ cæde repelluntur. Quid quod varius & inconſtans Abaſſius clandeſtinus modò Rebellium fautor urbes à Cæſare Zathmarium, Calum & Tockajum, à prædeceſſore ſuo Ragotzio jure ſemper prætenſas, ſibi exigebat reſtitui. Cæſar ne Ducem offendendo irritaret, ſolidæ rem inquiſitioni committens, dum iniquam interim per internuntium Soldano turcico, cujus favore innitebatur Abaſſius, exponeret poſtulationem, nihil hic moratus Zathmarium, ſed irritò cùm ob ſeram anni declinationem, tùm ob generoſam urbis propugnationem, cingit. Rebelles autem habito 15. Septembr. Sombri in Tranſylvania pro felici Turcarum ut ſperabant ſubſidio, ſequentis anni expeditione conventiculo, Zipſienſem Comitatum igne & ferro depopulantur: ideinque circa Presburgum non minùs feraliter Vvvatienſes præſtant præſidiarii Turcæ. Straſoldus econtra ſequentis anni 1676. initio Debrecinum, Rebellium receptaculum occupat; ſed quia Turcis erat tributarium, graviſſima violatâ jam evidenter pace minarum fulmina evomebant ubique Baſſæ, ut reddito Straſoldus oppido exercitum ultra Tibiſcum reducere, factumque Cæſar miſſo ad Budenſem internuntio per ignorantiam & errorem excuſare cogeretur. Turcis autem majorem exigentibus ſatisfactionem, temerariores conjurati, caſtra Colalti haud procul Zathmario opprimentes, tres ejuſdem necant vexillationes: in Junio de legione Schmidiana trecentos: in Julio Croatarum legionem Comitis Palffii opprimunt, & varia circa Zathmarium incendunt oppida; duo alia in ſuperiori ungaria cæſis incolis expilant: quorum reditum & ſpolia interclusurus Straſoldus adeo ab eis preſsè circumvenitur, ut fuſis Germanorum pluribus tribus ipſe faucius vulneribus fugâ vix fuerit elapſus: aliæ Conjuratorum turmæ profligatis Schonigo,

Cum Abaſſio Zathmarium &c. repetente

1676. Straſoldus Debrecinũ erronee occupat.

Rebelles plures necant Germanos.

Multa loca explant.

Schmidio & Bargotzio oppida & arces Balac.., Neutram, Edenburgum, Zaltack & Dowarum invadunt, rapinis exhauriunt, inflammant, fœdéque pro libitu dominantur ubique. 1677.

Inter hæc Cæſar ſuâ quoque viduatus conjuge Claudiâ Felicitate, nec prole, nec diuturno ejus felix conſortio; ſed lentâ tabe confecta obiit VIII. Aprilis 1676. unde arguté quidam:

Quamprimùm Cæſar duxiſti CLAUDIAM, id ipſum
Jam voluit nomen dicere, DUC ALIAM.

Deſiderati ſpe ſucceſſoris duxit etiam 6. Januarii 1677. Eleonoram Magdalenam Thereſiam, Philippi Wilhelmi Principis Neoburgici, poſtmodùm Rom. Imperii Electoris Palatini filiam primogenitam, cum hoc Poëtæ & totius Europæ voto.

Cæſar deſponſat ſibi Eleonoram Neoburgicam.

Velle Palatinam viduata palatia ſponſam,
Vox populi, vox hæc eſt, Leopolde, Dei.
Ter bona, ter fœcunda domo, ſeptemque ter annis,
Noraque nominibus tertia ſponſa tribus.
Tres regnis tribus hæredes dabit illa, quòd ipſa
Nata trium Regum ſit Leonora die.

Grandi ſub hæc Turcarum Vezirio Kiuperlo fatis conceſſo, belli ungarici oſore, promotore autem ejus Kara Muſtapha in locum ſuccedente, non ſine cauſa Cæſar & Rebellium fautorem & coadjutorem futurum nil dubitans, tolerabiliores his proponit pacis & concordiæ conditiones per generalem vice perfectum Bargotzium, in Comitum nuper album pro merito relatum: generalem imprimis amneſtiam, in ſingulis quoque Comitatibus Calviniſtæ unam, & unam Lutherani pro libero religionis ſuæ exercitio recuperent eccleſiam, omneſque proinde ac Romano-Catholici tam ad civilia, quàm militaria promoveantur officia: Proteſtantium præterea ad triremes damnatos Electoris Saxonis, aliorumque Principum interventu abſolvit, ac libertati reſtituit. Quæ Cæſaris clementia quo fuit in reos benignior, eò fuit illorum in Regem ſuum tumultuandi libido inſanior. Mille quingenti quidem deſertis Rebellium caſtris Cæſarea ſecuti; ultra decem millia verò promiſſis diffidentes, furore magis efferabantur: & quamvis indictâ Eperieſi conventione per utriuſque partis commiſſarios plurimis per menſem Martium tricis & altercationibus negotium concordiæ agitaretur, in vanum tamen recidit; niſi quòd Comes Balaſſius Imbre Cæſaris amplexus gratiam, militari fuerit, ad promovendam aliorum ſequelam, remuneratus præfecturâ; ſed rejectis omnibus concordiæ tractatibus, Turcarum freti favoribus, ſana omnia repudiabant illudebantque conſilia: hi enim in turbidis piſcari aquis aſſueti, funeſtis ſæpè excurſionibus hæreditarias Cæſaris provincias expilabant: & initio quidem anni ſex Turcarum millia congelatum prope Fürſtenbergum arabonem tranſeuntes, ingentem Moraviæ intulerunt terrorem & damnum. Quibus meritò Cæſar, ſtantibus adhuc induciis, offenſus, juſtas per Meninskium interpretem ſuum apud Ottomannicam Portam depoſuit querelas; ſed hic dignatus vix reſponſo, illud ſolùm à Vezirio retulit, à Chiauſio proximè Soldani mentem Viennæ Rom. Cæſari aperiendam, quâ ſibi ſuſpectâ Cæſar Schafgotſchio ſuo ad aulam Polonicam legato propediem ſignificat, ut pacem Polonico-Turcicam ſub incude ferventem indefeſſe laboret interrumpere; ſed paulò poſt concluſam confirma-

Bargotzius fit Comes.

Cæſar quo clementior, eo rebelles furioſiores.

Balaſſus Imbre Cæſaris gratiam impetrat

Turca Moraviam invadunt.

1677. tamque Rebelles Ungari intelligentes, miſſo properè Byzantium legato ſuppetias petentibus reſponſum eſt, quòd Soldanus Moſcowitico adhuc bello implicitus, alterum nollet ad arma provocare hoſtem viribus potentiorem; remiſit tamen illum ad Baſſas Budenſem, Belgradenſem, alioſque pannonicos præfectos cum mandato, ut quantas poſſent Rebellibus ſubmitterent ſuppetias, & adeſſent conſilio, & protectione defenderent: qui incunctanter illis chiliarcham præfecerunt, addideruntque duodecim Tartarorum millia: ipſi præterea Turcæ quadringentis Vyvarienſibus ad oppidum Neutram, & mille alii in Croatiam excurrentes barbarè cuncta circa Zackholmiam devaſtarunt, Cæſaream circa Carlſtadium cohortem oppreſſerunt, ingentemque tum pecorum, tum hominum deprædati ſunt numerum; neutiquam tamen ejuſmodi populationibus læſas eſſe volebant inducias.

Rebellibus ſubſidia miniſtrant.

Quid quod Chriſtianiſſimus Galliæ Rex Ludovicus XIV. Romanum impugnans Imperium, ut Cæſaris vires diſtraheret, non ſine temeritatis nota Conjuratos ære ſollicitabat, fovebat conſilio, & gallicum illis præficiebat Generalem Chiliarcham, Boham, gallica illis ſtipendia numeramem; quibus ducti munitique viribus ductore & archiſtratego Weſſelino Comite inſolentiores, immani ſæpe crudelitate patriotas ſuos, & fideles Cæſari Comitatus adeo fœdè diripiebant, ut dum Chiliarchi Straſoldus, Coppius & Schmidius horrendis Captivorum tormentis alios abſterrere nitentur, illi inſaniori in vindictam furore accenſi ſæviores Cæſareanis talionis pœnas tum maximè inferebant, quando victoris (raro victores, victi plurimum) inſoleſcebant; tum vel maximè, quando ſubmiſſum Coppio largum æs militare, commeatum, apparatumque bellicum Weſſelinus intercepit, maximo Cæſareanorum detrimento, quorum mille quingenti hoc ære ſollicitati & attracti caſtra Weſſelini ſunt ſecuti, & in non exiguam redactus eſt indigentiam Coppius, cujus barbaram Rebellium palis transfixionem, nimiamque tyrannidem Cæſar inhibens, Chriſtianis maximè indignam, militari captivos jure mulctandos indicit: nihil interim ſævitiæ remittunt Rebelles; ſed ſubmiſſionis impatientiores, quo viribus indies fiebant auctiores: nam Gallicus ad aulam Polonicam legatus Marchio Bethunus ſex Polonorum millia gallico ære conſcripta dum illis tranſmitteret, novas in Ungariam & funeſtas in Ragozii ditiones expediunt excurſiones, quæ ne in maximam ſerperent ulterius Regni ruinam, generalem rurſus Cæſar illis delicti non ſolùm veniam & gratiam (quam plures etiam ſunt amplexi) ſed tria Evangelicis templa in ſuperiori Ungaria offert reſtituenda. Verùm impetuoſus ille diſcordiæ factioniſque ignis pœnarum hactenus metu occluſus in latiſſimam demum vi erumpens flammam, nullumque admittens extinctionis remedium, novam Regis, ex Marchionis Frangipani familia primùm moliebantur electionem; quam tamen alius diſſenſionis turbo eò diſſipavit facilius, quo difficilius convenire poterant, cujusnam ſe Principis defenſioni protectionive ſubmitterent.

Gallus Rebellibus æs & militem ſuppeditat.

Cæſar Coppii Schmidii & Straſoldi nimiam in Rebelles Severitatem prohibet.

Rebelles ſub Weſſelino ferociores alium Regem ex Frangipanis eligere meditantur.

Dum hiſce ſeditionum bellorumque motibus funeſtè agitatur Ungaria, huic contermina Tranſilvania quoque factioſis inteſtinè commovetur tumultibus; Pedipolus enim ut Abaſſium qua vi, qua arte principatu dejicerent, liberalibus Soldano & Vezirio promiſſis ſibi conciliatis, plures etiam è populo & nobilitate ſectatores habuit & adhærentes: nec ſuis caruit Abaſſius, auctus imprimis Rebellium Ungarorum copiis polonicis, quas opportunè ipſi ſub Buhano ductore tranſmiſerant, quorum etiam viribus ad internecionem cæſus fugatuſque Pedipolus, cum Thoma Bethlemio cancellario, aliiſque tribus præcipuis exercitûs ſui tribunis fugit in Walachiam; inde novis Walachorum Moldavorumque copiis confirmatus, alterum decretorium principatûs tentans prælium, iterum victus, & armis exutus, jus omne Abaſſio magni Soldani mandato per Waradinenſem illi Baſſam intimato, cedere debuit. Abaſſius tanti non immemor beneficii, principatûſque ſui jam ſecurus, præter auxiliares ſibi ſubmiſſas, totidem ex Walachis, Moldavis & Tranſilvanis collectas copias in Ungariam ad Weſſelinum tunc Rebellium anteſignanum, ad Nagibaniam conſiſtentem remittit, qui juſtum armatorum aliquot 16000. millium exercitum mox in campum educit, Tockajum occupaturus; quem Coppius Caſſoviâ propediem eò cum exercitu inſecutus eſt, prælio decertaturus, quod ille ex defectu refugii, ſi cæderetur, declinans, plurima circa Mongatſchium & Caſſoviam oppida incineravit. 1677.

Pedipolus Abaſſium Tranſilvaniâ ejecturus cæditur.

Et denuo exuitur. Abaſſius firmatur

Hoc eodem tempore (1678.) Hoffmannus Cæſareus belli, & Statûs Secretarius ad Portam Ottomannicam ablegatus, de protectione ac ſubſidio Rebellibus à Baſſis ſubmiſſis, deque frequentioribus Turcarum excurſionibus & vaſtationibus graviter queſtus, juſtam damnorum expoſtulat reſtitutionem; verùm aula iſta eas aut frivole excuſabat, aut tam abſonas reponebat reſponſiones & propoſitiones, quæ pacis violationem haud procul abfuturam indicare videbantur. Ut autem Soldanus ad pretioſorum oblationem munerum aliquam Cæſaris poſtulatis præſtaret ſatisfactionem, Waradinenſem Baſſam, querelarum auctorem (aut aliam veriùs ob cauſam) ſtrangulari jubet. Tunc verò proximè videbatur ſecutura armiſtitii ruptura, quando Cæſareani ob repreſſionem damni à Vyvarienſibus multifariam illati, (uti excuſabant) novum cum ducentorum equitum comitatu advenientem Baſſam viritim omnes interfecerunt. Qua de re plurimum Budenſis præfectus apud Wurmium ſtrategum queſtus, graveſque Soldani iras interminatus funeſtâ circa Curracum & Sando excurſione omnia crudeliter expilando, ducentos in captivitatem abduxit Chriſtianos: Cæſar autem revocato, ob rem imprudenter geſtam, comite Wurmio, Leslejum exercitui præpoſuit. Ordines etiam & regni ſtatus fideles ad devitandam proximam ruinam, binis Edenburgi & Altenburgi conventionibus unanimiter concluſere, omnes Proteſtantibus eccleſias reſtituendo, benignioribus alliciendos conditionibus, omnemque ſimultatis & factionum in Regno originem ab inſolenti regiminis dimanare mutatione; rogandum proindè Cæſarem, ut indictis comitiis palatinatum, antiquiſſimis conformiter Regni legibus & conſtitutionibus reſtauret; quod cunctando tamen, multiſque rem conditionibus arctando Cæſaris Conſiliarii diſſuadere videbantur.

Cæſaris de Turcarum excurſionibus querela.

Vyvarienſes caſi

Wurmio ſuccedit Leslejus.

Rebelles urgent Palatinũ

Rebelles igitur nihil de furore remittentes, loco defuncti Pauli Weſſelini, defuncti Palatini fratris, Emericum Comitem Tôckelium factionis ſuæ ducem & anteſignanum eligunt, qui

Tôckelius Rebellium dux eligitur, ab Abaſſio fovetur.

Na-

1678. Nadasdi aliorumq; complicium territus ſupplicio in Tranſylvaniam interim transſugerat, ibidemque vafertimi dexteritate ingenii in taotam ſe Abaſſii principis inſinuaverat gratiam, ut illo primo aulæ ſuæ miniſtro uteretur, cumque ſuppetiis ad Rebelles ſubmiſſis ducem præficeret. Hic Tôckelius luſtraro duodecim millium exercitu, duodecim tormentis, & quatuor mortariis ſe urbem poſſe validam invadere confidens, indicto Totſali tertio Kalendas Maji, Nagibaniam inter & Colzaabucam bellico conſilio, imperat, ut receptis Tôckelii nepotis ſui copiis mox adfuturis, tranſitoque Tibiſco urbem, aut hoſtem aggredi tentarent; ſed dum paulò poſt Abaſſius oe apertam Cæſaris incurreret offenſam, mandat Tôckelio curules machinas & mortaria in ſuum unde ſumpſerat locum remittere, conceptum evanuit conſilium. Cæſar etiam quòd potiores ex Tranſylvania vires Tôckelio ſubmitti ſciebat, ſuadet Podipolo, ut reſumptis armis Tranſylvanum adoriretur, idque haud fore difficile, ſi quatuor ad Portam Ottomannicam deputatis amicam ſibi illam conciliaret & favorabilem; at Soldanus ſeptem turrito delegatos carceri mancipat, offenſo licet, & contra nitente Cæſaris Reſidente, qui Podipoli cauſam & negotiam omni quo poſſet ſtudio promovere debebat: Baro igitur Sattlerus ſecretis hujus negotii literis inſtructus, Byzantium ablegatus, malignâ in itinere febri moritur, omneſque ſecretæ Sattleri inſtructiones ad Tôckelii manus perveniunt, unde plurima edoctus eſt, multum ſibi poſtmodum profutura.

Cæſar in comitiis Rebellibus promittit amneſtiã &c.

Cæſar graviſſimo adhuc in Germania bello implicatus gallico, tot potentiſſimorum hoſtium impar viribus, pacis iterum meditatus conſilia, publico per regnum affixo divulgavit manifeſto generalem commiſſorum amneſtiam, bonorum reſtitutionem, liberum religionis exercitium, & Ungarorum æquè ac Germanorum ad qualiacunque tam politica & civilia, quàm militaria officia adminiſtranda obtulit omnibus & ſingulis, qui abjectis intra trimeſtre armis ſe ſubmitterent; in pertinaciter vero contumaces juſta ut ſecum arma verterent, ingenuos, fideleſque Regni proceres & indigenas omnes obligavit.

Tôckelius rejicit.

Ad quæ nova Tôckelius difficultatum prætenſionumque gravamina proponebat amovenda, quæ Cæſar ad proxima remiſit comitia propediem convocanda, invitavitque expeditis per Baragotzium ad primarios factionis ſocios publicæ fidei teſſeris ad novi electionem palatini, gratioſamque petitionum ſatisfactionem. Sed omnem concordiæ ſpem immatura utrimque commiſſariorum fruſtravit æmulatio:

Ockerus Ungariæ proceres offendit.

inter pervicaces namque diſceptationes Ockero Cancellario Ungarorum univerſim in Cæſarem perfidiam improperanti, magnus Regni reponebat Cancellarius, iniquiſſimè totam infamari criminoe nationem, quo particulares ſe quidam tantùm contaminaverunt. Ockero regerenti, felicē ædepol fore Cæſarem, ſi vel unicum ex duodenis candidè fidelem reperiret, indignatus Regni Theſaurarius Palſſius, nebulonem illum & proditorem calumniabatur, Comiteſque Harkanus & Forgatſchius urgebant comitiorum abrogationem & diſceſſum maturare, iteratò repetentes, nunquam ſe in Cæſarem perfidos fuiſſe.

Tôckelius plura ſibi ſubjicit.

Tôckelius interea aucto plurimum ex Polonis, Turcis, Tartaris, Coſaccis & Walachis 20000. exercitu, ingentem ubique circumfert terrorem & ſævitiam, Caſſoviæ ſuburbana incinerat, Zeilaverdum cum XVI. bellicis tormentis occupat, ſubmittunt ſe ſponte Thorna, Czerenetzum, & Malckaſſum; Podracum cæſis præſidiariis vi capit, Levenzamque urbem intercipit; ab juſtæ verò fortitudinis urbibus ac munimentis graviſſimas exactiones, & a Cremnitzio 24000. ducatorum extorquet. Subinde publicatis ſuo ſub nomine per provincias circularibus literis, indigenas, Germanorum hactenus ſervitute oppreſſos ad patriæ libertatem & privilegia ſanguine fortuniſque ſuis legitimè vindicanda, armorumque ſocietatem ſollicitat; peſſimam verò metu, favore, temeritate vel inertiâ ſequentes neutralitatem ferro & igne mactandos comminatur. 1678.

Et urbes montanas cum ingenti auro.

Nec multò poſt Schemnitzium, Cremnitzium, antiq- & Neo-ſolium, aliaſque montanas civitates cum ingenti theſauro, & 140000. ducatorum in auro ſignato intercipit. Tum captis Epetieſo & Arvâ Leſleium haud procul Zathmarium copias contrahentem aggreſſus, cæſis plurimis egit in fugam: aliis deinde felix velitationibus magnam equitatûs ſui partem conjunctis Tartaris in Moraviam dimittens Brunam, præcipuum ejus fortalitium non ſine ingenti hæreditariarum provinciarum terrore occupat.

Vaſtat Moraviam & Auſtriã.

Ejuſdem quoque partes ſecutus Joſua tribunus cum ſex millibus, ſuo potiſſimùm ære collectis invadens Auſtriam, tantâ circumquaque trepidatione omnia confundit & diſpergit, ut relictis urbibus & oppidis Viennam omnes quærerent refugium.

Wurmius eum cædit.

Sub hæc Comes Wurmius ſuis confirmatus militaribus augmentis Tôckelium & Bohamum ſummo mane aggreſſus eſt: certatum utrimque ad tertiam pomeridianam fortiter, ambiguâ ſemper victoriæ aleâ, quam Tôckelius uſque adeo Cæſareanorum conſtanti permiſit fortitudini, ut Altſolium, medium inter Vyvarinum, & Cremnitzium, ſubter tormentorum tutelam confugerit; inde vicena ejus agmina montana clam tranſitura tribunus Reuter oppeſſulatis cautè aditibus multâ cæde rejecit: Tôckelius è contra occupato vi Biſtrico omnes internecione proſtravit.

Eſterhaſius Turcas profligat.

Nec feriati interim Cæſareani totum Filleci præſidium necarunt; & Generalis Comes Eſterhaſius duo Janizarorum millia, & quingentos Turcarum Spahos ſeu equites, violentum in hæreditarias Cæſaris provincias jam impetum vaſtationemque parantes haud procul Veſprimio inſigniter fudit; ejuſdemque cædis eventum excuſandum Cæſar miſſo Byxantium ad conſervationem armiſtitii legato veriſimiliter exponit.

Tentata irritò Edenburgi concordia.

atque ita inteſtinum hoc bellum, omnium perniciosiſſimum, fœdiſſimâ cædium, expilationum, & vaſtationum viciſſitudine miſeram per hunc annum patriam in irreparabile præcipitavit exitium, donec appropcrante hyeme pactæ ſint ad tentandam Edenburgi pacis concordiam induciæ; quibus Cæſaris nomine præſidebat Comes Schwartzenburgicus, & omnimodo promovebat ſtudio Comes Noſtitius.

Turca ad proximam in Ungariã expeditionem ſollicitat Tranſylvanos, Mold. Walachos.

Sed difficilem admodum illam reddebat pertinax Tôckelii, Rebelliumque pervicacia, & eorum pacta cum Turcis fœdera, qui abſolvendo brevi, ut ſperabant, bello Moſcovitico cunctas ſuas in Ungariam vires effuſuri videbantur; hinc Soldanus Janinam Moldaviæ, & Abaffium Tranſylvaniæ Principes Ungariæ proximiores, ut ad hanc ſibi expeditionem redderet promptiores, ſingulari illum Conſtantinopoli honoris coluit magnificentiâ; & hinc præſtantem do-

donavit acinacem, Ottomannicæ ſignum benevolentiæ, qui deinde ad tranſilvanica Claudiopoli indicta comitia viciniores invitans Baſſas plurima de ſuccurrendis opportunè Rebellibus iotendit conſilia: Rebelleſque ipſi haud multò poſt miſſis Conſtantinnpolim legatis pro obtinendo ſubſidio annuum tredecim ſupetioris Ungatiæ comitatuum tributum obtulerunt pendendum. Cæſar funeſtam hanc belli tempeſtatem avertendo, Perſarum Regi bellum in Turcas perſuaſurus, eo ablegat Baronem Meyerbergum Conſtantinopolim Doctorem Ficinum, ut Soldani exploraret mentem, impediretque ſubſidia Rebellibus ſubmittenda.

Joſeph Archidux naſcitur.

Hoc eodem anno 26. Julii natus eſt Leopoldo filius Joſeph, vnto ante triennium 1675. Martii 19. Divo Joſepho ſacto ſuſceptus, quo hunc Sanctum Chriſti Jeſu Patrem, nutritiumque, ac Mariæ ſponſum, omnium regnorum & provinciarum ſuarum Patronum & Protectorem ſubmiſſiſſimè inſtituens precatus fuerat: Da mihi liberos, *Geneſ. 30. 1.* Hac die Divæ Annæ genitrici Mariæ ſacrâ, voti compos eſt factus, Europâ fermè totâ gaudio exultante, & animitiùs apprecante Joſephum accreſcentem, filium accreſcentem. *Geneſ. 49. 22.*

RERUM HUNGARICARUM,

LIBER XLV.

1679.

ANNO ſubſequente 1679. initio Februarii pax Cæſareo-Gallica Noviomagi mediatore Rege Angliæ, & indefeſſo ejuſdem legati Lioncelli Jenckins ſtudio concluſa & ſubſcripta magnum Cæſaris viribus addere videbatur incrementum ad infringendam Turcarum Rebelliumque potentiam; ideoque Cæſar commodiorem ſolidioremque regni gubernationem eliminato ad perpetuum Palatinatu, Proregem à ſe ſolo electum & inſtitutum confirmari, nullas Proteſtantibus Eccleſias in civitatibus, ſed pagis & vicis ſolummodò permitti, demittique ab illis militem alienigenum conſtanter voluit. His auditis Rebelles reſciſſis quamprimùm hucuſque prolongatis induciis, privata Coloswarii indicentes comitia, de continuando fortiter bello, ſollicitandiſque aliorum Principum maturè ſuppetiis ſeriò conſultum eſt. Interea Tóckelius viduam Ragotzii, Petri Serinii filiam procando Cæſaris ambiebat gratiam, qua in re dum hic gravioris fortè metu conjurationis difficilis frigidusve videbatur, ille in factionis propoſito pertinacior perſeverabat. Sunt, qui dicant Tôckelio in pacem inclinante, ejuſdem æmulatorem Weſſelinum Gallico auro & machinationibus faſcinatum, cum pluribus ſibi adhærentibus belli, factionisve urſiſſe continuationem, eamque in rem Marchionem Bethunum trecenta florenorum millia Rebellibus numeraſſe, non ſine gravioris in Germaniam inferendi belli ſuſpicione; altero namque anno Gallus neglectâ omninò, & conculcatâ Noviomagenſi pace, perfide Alſatiam invadens plures occupavit urbes & oppida; immo & Delphinum filium ſuum publico ſcripto in Romanorum Regem eligendum propoſuit, conditionibus Romano Imperio plurimum profuturis: quaſi verò doloſa ejus ignota eſſet tot Principum circumventio, & inſatiabilis regnandi, ſeu monarchiæ cupiditas, per orbem famoſiſſima.

Pactâ Neomagenſi pace cum Gallo in Rebelles Cæſar ferventior.

Ragotzii viduam Tôckelius procatur.

Gallus per Weſſelinum & Bethunum rebelles inſtigat.

Gallus fractâ pace filium ſuum Regem Rom. poſtulat.

Ceterùm Nicolai Serinii filius paternæ fortitudinis æmulator, reſtitutis à Cæſare paternæ hæreditatis bonis (quæ alii perinde Petri Serinii confiſcata iniquè uſurpabant) Tôckelinæ haud multum pôſt factionis inſimulatus & comprehenſus, luſtratis ſubinde ejuſdem literis ſuſpectis, quibus Tôckelium ad oblatam Cæſaris gratiam perhumaniter ſolidéque invitabat, urgebatque, cum honore demittitur, & reſtituitur.

Nic. Serinii filius ſuſpectus fuit innocens.

1679.

Adeſt ſub hæc Kalendis Julii Viennæ legatus Moſcowiticus, qui ante inducias cum Turcis pangendas off- & defenſivum deferebat fœdus, modò Cæſar Soldano bellum denuntiaret, ſibi certò à Turcis inferendum. Suadet illud nunc Montecuculus (decimo ſeptimo Kalend. Novembr. 1680. Lincii defunctus, militari experientiâ glorioſiſſimus) ſuadet illud ſummus per Nuntium ſuum Apoſtolicum Pontifex Innocentius XI. urget illud per Radzivillum Rex Poloniæ, idem ipſe ſocius amplexurus; unus illud refugit Cæſar, vicennales temerè inducias, anno 1684. primùm finiendas non violaturus; ſed earum potius per Kaunizium ad Portam Ottoman. Reſidentem petit prolongationem, quam à Soldano omnino, niſi Rebellibus ſuccurrendi, protegendique libertas ſibi permitteretur, repudiari ſignificabat Kaunitzius, eòque nunc minus impetrandam, quòd pax Poloni-Moſcoviti-Turcica concluſa eſſet & confirmata, copioſaque jam rum Soldanus ſubminiſtraret contra Cæſarem ſuppetias, ſecuturæ mox hoſtilitatis feciales. Sepoſitis igitur violentis, benigniora Cæſar ſecutus conſilia, clementiâ eos ad obedientiam revocare non intermiſit, quòd Tóckelius magno Turcarum & Tartarorum roboratus augmento in hæreditarias comminaretur provincias tripartito exercitu irruptionem; cui collectis ſubitò ex Moravia, Auſtria & Styria copiis oppoſitus Starrenbergius, Balaſſi-Imbrem arcens Moraviâ, impedire haud potuit, quin in reditu caſtellum ad Wagum fl. cæſis 300. præſidiariis invaſerit; Starrhenbergus tamen eorum ter mille ſub Petrozxio fortiter adortus ita proſtravit, ut hic ipſe ægerrimè fugâ fuerit elapſus. Dunwaldus etiam quingentis eorum aggreſſus, captis 4. ſignis CCC. morti immolaverit. Caprara vero Erlam verſus Tôckelii motus obſervabat.

Oblatum Moſc. cum Cæſare fœdus contra Turcas imminentes ſuadent viri magni.

Non vult Cæſar, ob inducias necdum evolutas, ſed prolongandas urget.

Rebelles Auſt. Morav. & Styriâ invadentes repelluntur

Interea vocatis Edenburgum ad comitia regni Ordinibus Cæſar omnibus, etiam Tôckelio, ſi perſonaliter præſens ſe ſubmitteret, commiſſorum obtulit veniam, bonorum confiſcatorum reſtitutionem, libertatem religionis, Nobilium Ungarorum ad quæcunque tam civilia quam militaria officia promotionem, & liberam deniqùe Palatini electionem; ſed poſt varias pertinaceſ-

Cæſaris pacta cum Tôckelio rata frangit hujus diffidentia.

1681. naceſque diſceptationes evanuerunt demumq; in ventum omnia; niſi quòd paulò poſt Tôckelius, Petrozzius, & Weſſelious turcicum abominari fœdus, factionibuſque abſtinere appromitterent, ſi omnes eccleſiæ, omnia bona & territoria fiſco ſublata ſibi reſtituerentur. Conſentit Cæſar omnibus, & in publicis ea confirmare comitiis dum peſtilens prohibebat lues, contractis utrimque induciis epiſcopum Sebeſtinum cum Saponara ſtratego ad Tôckelium pro concordia tentanda cum poteſtate delegat, qui magnificè à Tôckelio, regalique exceptus convivio, eidem affectatum cum Ragotziana connubium ac cum Mongatſchio & aliquot Comitatibus ducalem titulum, aliaque permiſiſſe dicitur, Tôckelio non diſplicentia; ſed diffidentibus ſibi mutuò partibus, nec de præſtanda cautione convenientibus, tamque arctè fœderato Turcis Tôckelio, ut reſilire nequiret, irritum quoque recidit compoſitionis remedium: Soldanus namque omni eam ſtudio fruſtrare contendens, Tranſilvaniæ poſt mortem Abaffii Ducatum, aliaque Tôckelio & confœderatis ejus tam ampla ſpecioſaque offerebat promiſſa, ut mox octoginta ex nobilitate conjurati, univerſi nomine Regni Soldano ſe ſub annuo LXXX. millium Imperialium tributo obſtrinxerint, dummodò viciſſim turcicæ ſecuri protectionis ſemper ſubſidiis fideliter opitularentur.

Et cum Turcis pacta Tranſylvania Tockelio conferenda.

Quid hic ageret Cæſar accreſcentibus indies periculis, & Rebellium viribus invaleſcentibus? Oedenburgi initio anni MDCLXXXI. indicit comitia, juſtis clementer poſtulatis aſſenſurus, gravaminaque ſi forent iniqua haud gravatè ſublaturus. Erant illa præſidente in abſentiâ adhuc Cæſaris Comite Schwartzenburgico, in prima ſtatim ſeſſione maximè turbulenta, urgebantque pervicaci Ordines contentione novi electionem Palatini, & religionis evangelicæ in priſtinum ſtatum reductionem, proponebantque Eſterhaſium, Palffium & Erdodum in Palatinum à Cæſare unum ex his eligendum; qui conſultis P. Emmerico Epiſcopo Viennenſi, & Ahelo ſecretario (à quorum ore totus pendebat) Eſterhaſium prætulit, eoque publicè confirmato rediit Neopolim, Neuſtadt. Tum poſt multas Ordinum altercationes delibatis gravaminibus comitiorum concluſa Tôckelio tranſmiſſa hæc erant: Omnes eccleſiæ Proteſtantium ſumptibus erectæ reſtituantur, & novas quotquot cupiant, ubique ædificent, cum pleno religionis ſuæ exercitio: Turcis honeſta ſemel pro ſemper, nequaquam tamen tributi nomine ſolvatur æris ſumma, ſi armiſtitium anno MDCLXIV. pactum in vicenos prorogate annos cum eiſdem conſentiant conditionibus: placitus denique colligendi pecuniam modus ad militum ſtipendia, bellique ſumptus perſolvendos. Ad hos articulos Tôckelius cum confœderatis ſuis approbandos, & in ipſis ſubſcribendos comitiis invitatus comparere recuſar, quamvis Eſterhaſius in ſecuritatem ſuam ipſi filium obtulerit obſidem; ſed plura majoraque belli jam decreti cauſâ poſtulabat turcico fœdere compeditus.

Electo Eſterhaſio palatino Cæſar omnia Rebellibus permittit

Quæ Tockelius rejicit Turcis fœderatur.

Cæſare ad comitia reverſo voluère Proteſtantes, ut æs Turcis ſolvendum ex eorû meritò, colligeretur agris & bonis, qui præcipui ungarici hujus tumultûs eſſent incentores; quod quia pluribus implexum difficultatibus definiri haud facilè poterat, comitia in XVI. Auguſti prorogata ſunt, melioris interea ſpe compoſitionis. Proteſtantes verò ideo adire comitia fugiebant, 1682. quòd intricatum huculque religionis negotium, omnium præcipuum, omniſque diſcordiæ & factionis principium, ideoque Archiepiſcopi Strigonienſis ſtudio dilatum, omnimodè, ſpecialiterque ad ſuum urgebant genium expediri. Ut quadantenus autem quieſcerent, aſſignata illis præter jam dicta pro novis erigendis eccleſiis certa pecuniæ ſumma. Gravibus deinde querelis Epiſcopum Neopolenſem haud gnarum Regalis cameræ directorem onerabant; cui depoſito Cæſar Erdodum omnibus populariter charum ſubſtituens, tantam Ordinum aucupatus eſt benevolentiam & affectum, ut bonorum confiſcatorum reſtitutionem, haud ſanè facilem, Cæſaris permiſerint arbitrio: qui illa mox Nadasdi, Serinii, Frangipani, aliorumque hæredibus, quantum fieri poſſet, reſtitui jubet. Tum eidem Ordines duo ducatorum millia auri ſignari in gratitudinis & ſubmiſſionis debitum donaverunt, quæ admiſſa in Romano-Catholicarum Eccleſiarum reſtaurationem impendi voluit, atque ita univerſali amneſtiâ, commiſſorumq; omnium conceſſâ condonatione XXI. Decembris comitia ſunt finita.

Rebelles Cæſarem templa & bona confiſcata reſtituentem auro venerantur

Durantibus tamen hiſce adhuc comitiis, ſive quòd non omnia, uti Proteſtantes exigebant, templa, nec confiſcata tam properè bona, clericis & religioſis donata collegiis & conventibus reſtitui poterant; ſive quòd turcici Soldani mandato Abaffius Tôckelii copiis conjunctus, ſub protectionis heterodoxorum larva, tumultuariè oppida Beſermenum & Calo intercipiunt, illudque expilatum flammis conſumunt; inde Venlum & ultra Tibiſcum Comitis Zechi arcem, Parvum Varadinum deditione capiunt: Abaffius verò Zathmarium occupans, ab arce, quam Serinius gnaviter defendebat, rejectus, utrumque mox turpiter coactus deſerere; uti & paulò poſt Calo oppido ejecti, cujus antea arce potiri non poterant, funeſtas ubique excurſiones hoſtilitateſque exercent. Tandem ſub anni & comitiorum finem pactis cum Tôckelio VI. menſium induciis, conſuetâ Edenburgi ſolemnitate Imperatrix Eleonora Thereſia in Ungariæ Reginam D. Stephani diademate fuit coronata.

Abaffius & Tockelius plura occupant

Eleonora Imp. coronatur Regina

Hyemali vix armiſtitio ad anni M.D.C.L.XXXII. initium evoluto, Tôckelius eductus in campum copiis dominatur ubique, & Onathum, Patok, Caſchoviam, Eperieſum, fanum Andreæ, Tokajum, Vilecum, Levenzam, Neuttam, & urbes montanas omnes intercipit, indeque Romano-Catholicis ejectis eorum Eccleſias & bona occupat; ſiquidem Soldani juſſu aſſociato ſibi Budenſi Baſsâ omnibus Tranſylvanicis auctus copiis juſto exercitu vim ubique terroremque ingentem circumferens, omnia ſe ejus inclinabant imperio, Leutachum & caſtellum Rips cum omni circum regione ſe ejus, Turcarumque ultro protectioni ſubmittebant. Qua de re contra pacta Cæſar apud Budenſem queſtus, repoſuit, fures & latrones turcicum inſolenter infeſtantes, & illis in oppidis latitantes juſtè ſe inſequi citra omnem armiſtitii violationem. Cum itaque Turcæ copioſis latè per Ungariam ſe effunderent agminibus, jam certius inde ſibi turcicum imminere bellum Cæſar prævidens, ultimaque tentans Albertum Comitem Capraram ſplendido LX. perſonatum comitatu, pretioſiſque muneribus legatum mittit Conſtantinopolim, vicènalium induciarum necdum evolutatum

Tôkelius & Turca late devaſtantes plura ſubjiciunt.

1682. *Caprara Byzantium delegato abſurdæ ſiunt propoſitiones pacis.*

tarum prolongationem ſuâ quâ valeret prudentiâ promoturum. At Turcæ bellum ut certò decretum doloſius occultarent, magnum imperii Cancellarium, & Janizarorum Agam ad componendas ſpecioſe cum Caprara inducias his deputant conditionibus: Ut Ungariæ regnum in eum, quo anno M. D. C. LV. fuit, ſtatum reponatur, ſibique annuum 500000. florenorum pendat tributum: Dein Leopoldopolis & Guttæ fortificationes deſtruantur: Tôckelii poteſtati tradantur Neutra, Schelt, Ekot, Scutta inſula & Muranum: factâque generali amneſtiâ omnia Rebellibus Proteſtantibus bona, privilegia, dignitates & jura reſtituantur. Quibus temerariis nimium conditionibus dum tolerabiliores Cæſar reponeret, repudiaret autem illas Soldanus, Vezirius omnia undequaque agmina Belgradum migrare jubet, ut primo ſtatim vere centum millium armatorum exercitus in quamlibet foret expeditionem paratus.

Tôckelium Turca Regem inſtituunt Ung.

Inter hæc Tôckelius ter mille equitum comitatu Budam ingreſſurus, ad urbis portas a præfecti, ſeu Baſſæ filio ſingulari exceptus benevolentiâ per armatos utrimque ductus Janizaros, ab ipſo præfecto Magni Soldani nomine in Ducem Ungariæ in omnium ad hunc actum convocatorum Baſſarum, tribunorum, & militum præſentia eſt renuntiatus, proclamatus, & ducali pileo, ſeu Turcis conſueto Turbano, acinaceque donatus; imo regio inſignitus fuiſſet titulo, niſi ſprevíſſet. Ipſe adeo Soldanus literas ad Ungarici Regni proceres dedit, quibus ſuam illis offerens protectionem Tôckelium, ejuſque hæredes Ungariæ Reges conſtituit; his verò deficientibus alium liberâ ex ſe electione coronare poſſe concedit, proque omni protectionis ſuæ aſſiſtentia gratuitum annuè donum 40000. Imperialium, nunquam augendum ſibi pendant.

Cæſar omni modo, ſed fruſtra quærit armiſtitium.

His omnibus nihil obſtantibus non intermittebat Cæſar armiſtitii prorogationem omni quo poſſet ſtudio & ſollicitudine tum per Capraram apud Soldanum, tum per Saponaram apud Tôckelium promovere; huic novas permittit inducias, & omnium jure belli occupatorum poſſeſſionem, præter civitates montanas, quas hac Cæſari cederet conditione, ut hebdomadatim inde Tôckelio ſexcenti ſolverentur imperiales: ipſum denique Tôckelium armiſtitii cum Turcis continuandi admittit mediatorem. Sed quo majori optabant pacem Chriſtiani, eò abſurdioribus eam Turcæ poſtulatis rejiciebant; nam præter annuum tributum exigebant pro belli ſumptibus V. milliones, extradique ſibi volebant Jaurinum, Comorram & Zathmarium, limiteſque ſuos Trenſchinum uſque extendi; tamque fraudulenter eo uſque pacis ſimulabant deſiderium, donec miles, commeatus, apparatuſque omnis bellicus collectus, euncta in expeditionem paratiſſima ſubitò & inopinatò Cæſarem impetu poſſet opprimere. Idipſum literis etiam Cæſari ſignificabat Caprara, nullam eſſe nec pacis, nec induciarum, nec ullius ſpem compoſitionis tam cum Tôckelio, quàm Porta Ottomannica; ſed celeberrimâ militari pompâ caudas equinas, ſeu prætoria Soldani ſigna octavo Kalendas Octobris ſingulari veneratione & modeſto 2800. militum comitatu expoſita, omniaque maturæ,

Turca bellum præparât.

at certæ in Ungariam præparari expeditioni: quamprimum enim Sultana Valida, Mahometis IV. mater, mulier fortis, & ſupra ſexum prudens, Adrianopoli defuncta, & in Moſchea in ſepulturam propriis ſibi ſumptibus ædificata modeſto apparatu, comitantibus imprimis funeris exuvias C. mancipiis, libertate gratioſe ab ipſa donatis, terræ mandata fuerat, Sultanus præſentes ad armiluſtrium copias extra urbem Conſtantinopolim quarto nonas Octobris vocavit, eaſque ſumptuoſiſſimâ militari pompâ egreſſus in patentiſſimo perluſtravit, millenis magni pretii papilionibus, commodo urbis inſtar ordine arroganter inſtructo. Solus Sultani papilio in varia diſtinctus conclavia regiè micantia tantæ erat capacitatis, & ex auro, argento, gemmiſque pretioſitatis, ut CCC. vix cameli oneri ejus circumferendo non ſuffecerint. Vezirii autem tentorium etſi non æquè faſtuoſum, pretium tamen 1000000. realium excedebat: ſumptuoſum hoc autem armiluſtrium primâ ſtatim nocte tam horribilis fœdavit tempeſtas & aquarum diluvium, ut aquæ in decurſu rapidi inſtar fluminis plurima evulſa tentoria, currus, jumenta & homines non ſine terrore ac omine ipſis adeo Turcis fatali in mare devolverint, effuderintque.

1683. *Mors Validæ Mahometis V. matris.*

Faſtuoſum Turcarum armiluſtrium.

Tentoria Soldani eo Vezirii pretioſa.

Aquarũ apud Turcas diluvium.

Peracto armiluſtrio, & appropinquante hyeme miles in propinqua diſtributus hybernia, quamprimum vernalis advenit Aprilis (M.D.C. LXXXIII.) in eiſdem dum à Sultano recenſetur campis, horriſonus Soldano ventus turbanum, ut vocant, ſeu vittam imperialem capite dejicit, non ſine vano rurſus fœdifragi ſolio deturbandi prognoſtico: quod minimè obſervantes Soldanus & Vezirius quarto nonas Aprilis Conſtantinopoli exercitum per continuatas Philopopolim uſque imbrium tempeſtates cum incredibili viarum impedimento, & innumerabili equorum, camelorum, curruum, hominumque interitu Belgradum ducunt, & conducunt civili quadam captivitate Cæſareum Internuntium Comitem Capraram, & Cæſareum Reſidentem Baronem Kututzium, ubi inter tormentorum tonitrua quarto nonas Maji feſtivè fuerè excepti. Hic Turcarum motus nullum amplius de invadendo Cæſare dubitandi locum relinquebat: ſignificatum igitur Capraræ, ut abruptis pacificationis tractatibus, &, ut quidam ſcribunt indicto Turcis bello, Viennam propediem reverteretur.

Soldanus & Vezirius cum exercitu Belgradum tendunt.

Et quia Cæſar ſuæ metuebat Viennæ, Occidentis Imperii Sedi, totiuſque Germaniæ antemurali, eam vallis & loricis circummuniri, tolli partem ſuburbii, hoſtibus fortè profuturi; pontem Danubialem ejuſque inſulam firmare munitionibus; in ſubſidium fœduſque ſollicitare pontificem Innocentium & Italicos Principes per Martinitzium; Polonorum Regem Joannem Sobieskium per Wallenſteinium, & Electores Principes Saxonem Bavarumque loco viciniores, & viribus potentiores; exercitum mature cogere, ut non ſuſtinere bellum, ſed inferre videatur. Adulto jam vere pridie nonas Maji ſolemne etiam copiarum omnium armiluſtrium haud procul Poſonio in amœniſſimis Kitſeenſibus pratis, cis Danubii ripam Cæſar inſtituit, cui ipſe cum Auguſta & electore Bavaro Maximiliano Emanuele, multiſque aliis Imperii Principibus ſummus luſtrator interfuit, numeravitque triginta quinque qua peditum, qua equitum millia, & quinque millia Ungarorum; quorum tamen magna poſt armiluſtrium pars, uti & ſub Viennenſi obſidione Budianus cum

Cæſar metu Turcarum Viennam munit.

Regum & Principum implorat ſubſidia.

Armiluſtrium inſtituit.

ſuis

Digitized by Google

1683. ſuis ad Tôckelium defecit. Erat tunc inter Germanos Bohemus, Chriſtophorus Ill, ceotum & novem annorum emeritus eques omnino caous; ſed animo ſupra juvenilem ætatem vegetus, quis ultra octoginta annos Cæſarea ſecutus caſtra maluit reliquas corporis vires, vitam & ſanguinem pro fide & Cæſare glorioſe impendere, quàm rude donatus in Xenodochio privatim, menſtruo muneratus ſtipeodio, quod Cæſar ipſi offerebat, vivere.

Miles ibi ſenex 109. annorum Cæſari militat.

Viſo exercitu Carolus Dux Lotharingiæ, nomine V. affinitate Cæſari, cujus ſororem duxerat, junctus, & meritò Cæſaris dextera appellandus, regali ſub papilionibus prandio Auguſtum cum Auguſta, Maximiliano Bavaro, Ludovico Wilhelmo March. Badenſi. Julio Franciſco Saxo-Lawenburgico lautiſſimè excepit; militi autem jam in hoſtem procincto onius ſtipendium menſis anricipatò eſt erogatum.

Carolus Loth. Cæſarem & Imper. convivio in caſtris excipit.

Tum Cæſar Viennam, Carolus Dux Jaurinum versùs movet exercitum, cujus ipſe legatus, curam omnem à Cæſare ſibi uoicè commendatam habebat; inde Strigonium, & circumjacentia loca juſſit explorari; ſed quòd nullus occurreret hoſtis nec è re eſſe, imo fruſtraneum urbem hanc in boſtico longè diſſitam, cum noo exiguo exercitùs, hoſtium circumquaque periculis & injoriis expoſiti damno expugnare, per curſorem Cæſari ſignificaret; hic approbatâ Caroli ſeotentia, expeditis literis alio, aut ſi ipſius & ceterorum conſilio tribunorum videretur, Vyvarino mandavit arma applicari, quod ſufficientibus audiebatur viduatum eſſe præſidiariis; ut quum tempeſtivè adeo exercitus campo ſucceſſiſſet, aliquid fieret eorum, quo & hoſtium ſuſtineretur progreſſus, & ſuorum fama caperet incrementum armorum; neve miles certaminis avidus otio torpeſceret & ignaviâ.

Vyvarinum cingitur.

Re ad conſilium de invadendo Vyvarino delatâ, collaudant omnes approbantque propoſitum, & imprimis Rurgerus Erneſtus Starrenbergius, generalis rei tormentariæ præfectus ſedulam curam, & ſtudioſam ſpondebat operam; quis dum urbis ſitum explorat corioſius, parum aberat, ut fatali Turcarum glande, cujus rum ingens evolabat multitudo, peteretur: eo tamen opus urget imperterritus progreſſu, ut viis ſubitò obſidionalibus ad ipſas urbis ſoveas deductis ſuburbium ejus interciperet: in cujus quoddam ædificium, quod antehac Eccleſiæ ſervierat, milites L. jubet immitti; re autem perperam intellectâ Joannes Georgius Comes Herberſteinius, Scberſſeobergianæ legionis inſtructor cum CL. legionariis accurrit, numero ſtationem adeo adimplente, ut nec vertendi, oedum arma tractandi ſpatium compactis ſupereſſet; ſpatium itaque laxandi cauſa ſcamna & ſedilia per eccleſiam diſpoſita ingenti cum fragore & vociferantium tumultu confringentes, plures in ſubſidium Herberſteinii eo deſtinati hoc perculſi tumultu, boſtem in loco eſſe ſubdobitantes, in ſuosmet explodunt commilitones; quo errore, continuiſque hoſtium exploſionibus ſimul & eruptione occubuêre noſtrorum ceotum cum capitaneo Kraus, & Lamerano comite Taxio: læſus qooque Leopoldus Kobbius dum non magni brachio exceptum vulnus æſtimaret, & minus diligentem curando operam adhiberet, ingraveſcente ſub cura malo, Poſonii vitam finivit, dignus longiore.

Nec feriatum inter hæc in aula fuit Vienneoſi; ſed expeditis tum ad Imperium, Principesque Rom. nuntiis, ut iogentem barbararum geotium chriſtianis jamjam imminentem cervicibus exercitum, ſimulque præſentiſſimum Viennæ, Imperii Sedis periclitantis diſcrimen graphicè proponeodo imperialia maturaret ſubſidia; tum ad Carolum Comitem Walleoſteioium, Cæſareum in aula Polonica legatum, ut Regis ac reipublicæ off- & defenſivum contra Turcas ſœdus cum Cæſare ſollicitando, omni illud contentionis ſtudio promoveret: quod haud paulò etiam pòſt indefeſſâ ejus, & Apoſtolicii Nuntii prudentiâ his pactum eſt articulis 1. Fœdus defeoſivum utrimque eſto perpetuum; offenſivum verò ad pacis uſq; cum Ottomannis compoſitionem. 2. Illudque Cæſaris & Regis Polon. nomine Cardinales Pio & Barbarinus juramento coram Pontifice Innocentio confirmaoto. 3. Veteres omnes utrimque tollento prætenſiones. 4. Pax utriuſque noo niſi conſenſu paciſcatur. 5. Hoc etiam fœdere ligabuntur partium ſucceſſores. 6. Nec ultra boc bellum turcicum extendetur. 7. Quo durante Cæſar LX. armatorum millia, incluſis ſubſidiariis & præſidiariis Uogariæ copiis, Rex vero XL. armatorum millia præſtabit. 8. Atque ita hoſtem duobus in locis invadendo, Cæſar Ungariam conſervabit, Rex Podoliam & Ucraniam recuperabit. 9. Regi in hanc expeditionem eâ Cæſar oumerabit conditione CCC. millia Imperial. ut de ſumma illa detrahantur decimæ à Pontifice coocedendæ. 10. Ad hanc fœderis ſocietatem alii invitentur Reges & Principes, imprimis autem Moſcoviæ Dux ſollicitetur. Hæc publica; privata alia addebantur pacta, quòd Cæſar duorum millionum, bello Suecico Polonis impenſorum debitum velit dimiſſum, & abolitum jus Cæſareum rati habitionis, ſeu conſeuſûs neo-electi Regis Poloniæ &c.

Wallenſteinio fœdus Cæſareo Polonicû conficit, his articulis

Belgradi verò Sultanus Legatos Tôckelii & Raguſæ ſub papilione ſuo in pratis Danubium verſus, aliis ſex mille tentoriis circumdato audiens, Janizarorum Agam ſuis cum agminibus ſexto idus Maji Eſſecum dimittit, & tertio idus Maji magnum & imperiale Mahumetis Vexillum arroganti inter tormentorum mugitus pompâ exhibet, committitque Vezirio, qui die alterâ Savum tranſiens, & reliquam exercitûs partem, ex Aſiaticis præcipuè 60000. collectam, ſub papilione ſuo, ipſo præſente Sultano & filio ejus Muſtapha perluſtrans, undecimo Kalend. Junii Eſſecum, ſame nimium milites urgente, movet, & occupatis Dravo, Savo & Danubio fl. totam latè Pannoniam, perfidis ubique viæ ducibus Ungaris fœdiſſimè inundat.

Belgrado Turcæ tendunt Eſſecum

Jam Carolus ex binis Vyvarinum ſuggeſtibus flagellabat tormentis, cùm certis undique affertur nuntiis Muſtapham Vezirium ingenti cum exercitu magnis Budâ paſſibus accelerare: convocato igitur protinùs concilio pariter eſt cooclusum, cooſeſtim exercitum inde in cum transferendum locum, ubi hoſtium tutè obniti conatibus, & hæreditarias Cæſaris provincias valeat cunſervare. Nec mora, Comorronium verſus ducit Carolus exercitum, cujus præſidium, quòd minus ſub loci præfecto Carolo Lud. Comite Hoſſkirchio videretur, quàm ut tanto hoſtium par eſſet periculo, pedeſtri Diepenthalii legione, ſub ejuſdem protribuoo Joanne And. Com. Jôrgero adauxit. Tum per Schuttam inſulam ſex mille paſſuum itinere movet Jaurinum, ubi ſublicio ponte traduceos exercitum, altero ab urbe lapide duo inter cognata nominibus flumina Arabonem ma-

Vyvarini obſidio ſoluta. Carolus Jaurinũ ducit exercitum.

inrem & minorem (Raab und Raabnitz) conſedit, donec pauculis pòſt diebus ingentem Turcarum exercitum, ducentorum millium hominum in altera Arabonis parte conſpicit; quem dum armatâ tranſiturum violentiâ ſuſpicans forti æquè magnoque repulſurus animo, ſed fruſtra expectaſſet, videt oppidorum buſta circumquaque lucentia, auditque Tartarorum

Tartari Auſtriã uſque omnia depopulantur.

Hanum, ſeu Principem triginta circiter ſuorum millibus tentato ſæpius Arabonis vado, monſtrantibus tandem Ungaris prope Kementum ad D. Gothardi ſanum pontes necdum Comitis Bathiani negligentiâ, ut ajunt, dejectos tranſiiſſe, tranatoque deinde, quod pronius erat, Rabnitzio, in Peiſonem lacum, circumſitoſque in vicos, pagos, arces & oppida muris viduata, ferro flammâque latè omnia vaſtantes, multis etiam Chriſtianorum millibus in captivitatem abductis, ad Leitham uſque amnem, Ungariam ab Auſtria diſcriminantem effudiſſe: neque immanis eorum furor & prædandi libido, niſi ad urbem foſſis mœnibuſque cinctam, & cognominem arcem Brugg, Harrachiorum genti obnoxiam, ſiſti potuit. Dici, vix capi poteſt, quantùm feralis hæc & inopinata Tartarorum excurſio incuſſerit incolis pavorem & tremorem, qui apud plurimos Caro-

Non ſine Caroli periculo.

lum cum exercitu immensâ hoſtium multitudine jam interceptum, aut indubitam cingendum internecionis periculum haud poſſe effugere fingebat. Et verò ut præſentiſſimum etiam Carolus declinaret, peditatum cum re tormentaria in inſulam Schuttam tranſportat, ubi tutioribus dein trans-Danubianis itineribus Poſonium & Tæbás, ſuperatoque iſtic Morava amne per

Carolus vicinas Viennæ urbes communit.

cognomines amni campos (Marchfeld) securè Viennam poſſent traduci. Tum Leopoldopolim non longis abhinc annis ad Vagum extructam, & Henrici Godefr. Kielmanſeggii præfecturæ commiſſam, quatuor majoribus tormentis, & annonæ militaris copiâ inſtruxit; cui dein Generalis Schultzius ex agris Nitrienſibus, ubi hactenus rem contra Tôckelianos geſſerat, iſthac tranſiens, cohortes aliquot peditum unamque dimachorum, quam è montanis contraxerat civitatibus, adjecit: Jaurinenſe præterea ordinarium quinque vexillariorum præſidium, cujus, uti & confiniorum gubernator erat Hermannus Badenſis, auxit legionibus Granenſi, Ludov. Badenſi, Straſoldiana & Wallifia. His ita diſpoſitis, traductoque per pontem Rabnitzio inſtratum, Jaurinenſibuſque munitum excubiis equitatu, continuatis itineribus Altenburgi conſedit; cúmque propter arcta viarum ibidem moraretur, Carolus oppidum militi expilandum connivendo permittit, ne quid hoſti jumentorum victualiumq; relinqueretur, civibus primùm ægrè, poſtmodùm æquè juſta de cauſa ſufferentibus.

Quem Vezirius perſequitur.

Vezirius prudentem Caroli cum exercitu diſceſſum meticuloſam interpretatus fugam, convocato concilio num perſequendus Chriſtianorum exercitus, an Jaurinum obſidendum deliberat: una omnium ſententia perſequendum voluit exercitum, urgentibus id maximè perfidis Ungaris, & imprimis Petri Serinii filio, ingentem Cæſareanorum, & Viennenſium præcipue in urbe terrorem & conſternationem ſignificantibus. Emiſſarios igitur præmittens Tartaros, primas illi Chriſtianas legiones, impedimenta juxta ſubſequentes, Petronellam inter & Elend pagos horribili è Silvula ululatu proſilien-

Tartari Cæſareorum impedimenta involant.

tes invadunt: terrore perculſæ turmæ totum adeſſe hoſtium metuentes exercitum dum fugiunt, turbantque ſubſequentes, impedimenta hoſtis, & argenteam Ducis Saxo-Lawenburgici, Croji, Badenſis, amborum fratrum Capraræ & Montecuculi ſuppellectilem diripit, totumque Chriſtianorum confuſione diſſipaſſet exercitum, niſi Lud. Badenſis, Caroli legatus, reductis ſubitò in ordinem legionibus hoſtem opportune, non ſine utriuſque partis ſanguine rejeciſſet. Julius Lud. Sabaudiæ princeps laxatos reponens ordines dum fortiter pugnat, ex equi vulnerati caſu, in pectore ephipii nodo contritus, Viennæ, malo medicorum artem ſuperante, tertio idus Julii

Et aliquot Principes necant.

eſt extinctus. Alter Areſchottanus princeps frameâ in capite diſcuneatus mox interiit. Hæc inopinata hoſtium invaſio, & infauſta impedimentorum direptio (quam decuplo ubique timor & fama augebant) tantò rurſus Viennam exanimabat tremore, ut crederet omnino Caroli exercitum internecione contritum, ſtare ante portam Hannibalem, & omnem fugæ aditum interclusum.

Cæſar relictâ Viennâ fugit Lintzium & Paſſavium.

Perculſo hiſce etiam Cæſari convocati mox Conſiliarii ſuadebant diſceſſum, ſed quâ ſecuriori viâ, fuit hæſitatum: ex hac urbis parte hoſtilis ubique furor pervagabatur; Danubium quia nondum tranſierat, nonis Julii Cæſar veſpere horam inter octavam, convaſatis tumultuariè rebus pretioſioribus, trans Danubium comitatu ducentorum equitum ſub Capitaneo Thadæo de Haſſie Cron-Neoburgum, tribus circiter milliaribus ab urbe diſtans deductus, ibidem ſubſtratis famulantium veſtimentis pernoctat; die alterâ Lintzium, inde Paſſavium iter proſecutus. Cæſare abituriente, nemo vi-

Ingens Viennenſium fuga.

debatur velle remanere Viennæ: paſtore fugiente diſpergebantur oves: quidquid equorum aut jumentorum, quidquid carpentorum, rhedarum, eſſedorum, curruum, ciſiorum & lixarum ullo erat modo reperire, in fugam conducitur: compinguntur in carros & viles etiam vecturas boneſtiſſimæ, nobileſque cum filiis & filiabus ſuis matronæ, ſequunturque Cæſarem per Danubii pontem ultra ſex continuo ordine horas ingens rhedarum carpentorumque numerus, ut illâ nocte ultra LX. hominum millia urbe diſceſſiſſe dicantur, eaq; fugientium prurigo in dies aliquot eſt continuata, ut plurimos Tartarorum prædæ ceſſiſſe nullum ſit dubium; qui in ipſo urbis conſpectu Eremum Camalduenſem, & D. Leopoldi fanum in vertice montis Cæſii barbarè flammis ſubjecerunt; & ipſum adeo Cæſarem ex hac Danubii parte incredibili perſequentes celeritate intercepiſſent, ſi ductorem Serinium rapidum equo fluvium tranſnatatum auſi fuiſſent ſubſequi: quem Cæ-

Pet. Serinii filius Cæſari inſidiatus in perpetuo carcere moritur.

ſar paterni immemor delicti paulo ante in ſuum delegerat Camerarium, ad perpetuos ideo Tyrolenſes damnavit carceres, in quibus multis ab hinc annis, an ſimulatione, an naturæ defectu, aut alio quovis vitio mutus & elinguis ad annum uſque M. D. CC. III. detentus, Bavaro deinde Maximiliano Gallorum auxiliis Tyrolim hoſtiliter invadente, Græcium, Styriæ metropolim translatus, vitâ ibidem eodem exceſſit anno.

Cæſar diſpoſito urbis regimine Starrenbergum præfectũ conſtituit

Ante tamen quàm Cæſar urbe diſcederet, Gôrzium in Sueviam & Franconiam, Kunitzium ad Bavarum, alios ad alios Imperii Principes pro ſubmittendis maturandiſque periclitanti Viennæ ſubſidiis deſtinavit: in caſu

deinde

deinde oppugnationis de politico ſimul & militari eidem providens regimini illius conſtituerat directorem Caſparum Comitem Capplirs, commiſſarium generalem plenopotentiarium: Franciſcum Com. Molati Colonellum provincialem: Rutgerum Com. Starenbergum urbis præfectum & gubernatorem: Joannem Oſwald. Hartman ab Hüttendorff regiminis Cancellarium, & Carolum ab Aichpuhl Camerarimn: Militaria præter urbis gubernatorem curabant Wilhelmus Joannes Com. Daunius, Ferdinandus Marchio Obizius, Joannes Com. Serenus. Carolus Lud. Com. de Souches, Fridericus Sigiſm. & Guido Comit. de Starrenberg, Fridericus Carol. Dux Würtenbergenſis, Fridericus Sigiſm. Com. à Scherffenberg, Melchior Leopold. Baro de Beck, Sigbertus Baro de Heiſter, Baro Daſige, Schenckius, & plures alii, omnes manu fortes, conſilio prompti, animo generoſi urbis defenſores. Eccleſiaſtica verò & ſpiritualia indefeſſo labore, ſed & æviterna nnminis ſui

Colonitſchii cura vulneratorum, pauperũ morientium.

glnriâ adminiſtrabat Epiſcopus Neopolenſis Cardinalis Leopoldus Colonitſchius, qui paternâ omnino ſollicitudine pauperes & indigentes, vulneratos & defunctos curabat, & incredibili Zelo, prævioque ad pietatem, vota, & pœnitentias exemplo hortabatur cives & nilites, piè & conſtanter ei obſequentes.

Carolus Viennã attingit.

Cùm ecce octavo idus Julii adeſt tandem ad urbis mœnia innumeris expetitus votis Carolus cum equitatu Cæſareo adhuc integro tantâ urbem afficiens lætitiâ, quanta Cæſaris antè diſceſſus triſtitiâ: qui trajecto per ſublicium pontem Danubii ramo, in inſula Leopoldina eo conſedit fine, ut danubianum opportunius pontem, quem interclufis aliis undique itineribus pedites urbis propugnatores erant tranſituri, poſſet conſervare. Vix illic Carolus conſederat, & mox die alterâ innumera circumque viſa ſunt incendiorum buſta, quibus immanes illi prodromi

Tartari late circa Viennã omnia depopulantur.

Tartari, & infernales titiones omnia paſſim montium & vallium oppida, arces, monaſteria, templa, villas & pagos per ſeptem continuos dies incinerarunt; & quidquid Wolffſtalio & Hainburgo cis Leitham amnem Clauſtro-Neoburgum uſque duobus Viennâ milliaribus: quidquid ad ſuperiores Danubii ripam ſitum, & quidquid in Auſtria ad Ibiſſam amnem & Leopolim uſque (unde tormentorum fulmine ſunt rejecti) octo Viennâ milliaribus interjacet, omnia ad internecionem ferro flammaque ſunt exciſa, ut ne in ruins quidem & cæſis quidquam reſidui permanſerit, præterquam Caſtrum ferreum (Eyſenſtatt) Sopronium (Edenburg) & Güntzium, quæ quòd Tôckeli ſe ſubjeciſſent protectioni, à depopulatione quidem immunia, impiſſimæ tamen rea fuerunt perfidiæ.

Quia jam hoſtis urbi propinquus videbatur,

Vienna à Turcis cingitur.

omnis conditionis & ſexûs incolæ, ſacri profanis mixti, ſenes cum junioribus, mulieres & famulæ ſudes acuminatos & palos humo per exteriores foſſarum margines (Contraſcharpen) inſerendo ſtrennè graviterque occupabantur, magno certè urbis emolumento, & hoſtium impedimento; longo enim poſtmodùm labore, & multo ſuorum ſanguine quartâ prius obſidionis hebdomadâ pedetrare illos potuerunt. Cùm jam in, & extra urbem in ſtrenuam omnia pararentur defenſionem, tertio idus Julii ſub horam octavam matutinam ingentes equitum hoſtilium turmæ D. Marci collem deſcendentes urbis ſitum & aditum explorabant, quos ubi rotarios totum mox ſubſecuturum Turcarum exercitum animadvertens Starrenbergius, decem omnino ſuburbia, tot

Ejus ſuburbia incenduntur.

ædificiis & palatiis ſumptuoſa, tot aſceteriis & templis magnifica: tot frumentis, vinis, mercibus, boniſque diverſis abundantia, flammis ſubjici jubet, ingenti omnium dolore, ſeris nepotum annis vix unquam à poſteris reſtauranda. Eidem tum etiam deſtinata erat fato inſula Leopoldopolitana; ſed quia ingens inibi adhuc annonæ apparatûſque militaris copia ad urbis conſervationem ſecundo recens defluxa Danubio recondebatur, dumque ea vix in urbem eſſent tranſlata, paucis pòſt diebus ab hoſte ſuccenſa in cineres etiam abiit: ligna quoque tam focaria quàm fabrilia ad Danubii ripam abundanter ſepoſita, ne qua hoſtium uſui ſervarentur, omnibus quidquid tollendi liberè conceſſa eſt facultas.

Præſidio & commeatu providetur & nervo.

Sub hæc ad Caroli caſtra per adverſum Danubii continentem adveniebat Schultzius cum VII. bellatorum millibus, Polonis potiſſimum ſub Lubomirio principe, Cæſareo pridem ære collectis, mox unà cum Turcarum cis Danubium agminibus intermedio flumine ſubſecutus eſt cũ re tormentaria trans Danubium peditatus Cæſareus, quem ſex dierum itinere ex inſula Schutta enervatum, & inſidiis hoſtium feliciter eluctatum Comes Serenus nocte concubiâ per pontes & inſulam Leopoldopolitanam (quam Schultzius & Lubomirius eo uſque defendebant) in urbis penetralia, ingenti omnium ſolatio & applauſu introductum per exteriores foſſarũ margines & loricas in urbis circuitu diſpoſuit, fueruntque legiones Starrenbergica, Mansfeldiana Soucheſiana, Scherffenbergica, Beckiana completæ, dimidiatæ verò Keyſerſteiniana, Neoburgica, Heiſteriana, Wittenbergica; Dimianæ cohortes tres, & CCCCCC. legionis equeſtris Dupygni, tum ordinarium urbis præſidium MCC. Horum omnium numerabantur quatuordecim millia: quibus accedebant civium, opificum, mercatnrum, officialium cameræ, ſtudioſorum & univerſitatis vexillationes, venatorum etiam centuria ſub ductore Henrico Frid. Barone Kielmanſeggio, jaculandi arte excellentiſſimo, ut viginti univerſim bellatorum urbem defendentium millia (ſecundum alios 16717.) dicerentur, quibus paulo poſt Cæſaris abitum redux in urbem Ferdinandus Princeps Schwartzenburgicus innervum bellicum ultro manibus Collonitſchii conſignavit L. florenorum millia, & ter mille urnas vini, illis verò non ſufficientibus addita ſucceſſivè ſunt cùm ſtudio, tùm munificentiâ Collonitſchii, Mollartii Hartmanni, & Bellecampi ducenta florenorum millia in occurrentes quaquaverſum caſus & ſtipendia milinm eroganda, quæ profectò generoſos illis animos ſimul & robur, quævis pro libertate urbis ſubeundi pericula addiderũt.

Temeraria Viennæ à Turcis obſeſſio.

Multorum quidem tum fuit opinio Viennam ab hoſtibus non circumcingendam, quòd relictis poſt tergum Jaurino & Comorronio, validiſſimis præſidiis, eorum continuò caſtra infeſtari, commeatus apparatuſque bellicus longis itinerum ambagibus advectus facile poſſet intercipi, tantæ exercitus multitudinis longe in hoſtico poſitus ab ipſiſmet Turcis funditus circumqnaq; everſo, alimentari neqneat, & urbem irrito ſæpius oppugnatã, jam verò probiùs communitam, & primum Imp. Rom. propugnaculũ

à Principibus nunquam eſſe deſerendam affirmarent: temerario nihilo minus auſu, malevolorumque inſtinctu urbem terrore exanimatam, viduatam præſidio, annonâ denudatam & apparatu, nervoque bellico deſtitutam triduo facilè occupandam, arctius toto circumcingi exercitu jubet Vezirius, & Carolus bis gemino ponte equitatum ex Leopoldina inſula Moraviam verſus præter expectationem Langenzendorffium traducit, Rebellium conſiliis & expeditionibus opportunius invigilaturus; poſtrema cujus agmina carpentes irruenteſque Turcas rejecit Schultzius, cedenſque multitudini pontes ſubmovit, nec mora, Vezirius gemino Danubium ponte infra ſupraque urbem inſternit, & Moldavis Walachiſque imperat ad ſecuriorem in inſulam tranſitum VI. millium præſidio communiri. Tum elegantiſſimum Cæſaris æſtivarium (novam Favoritam vocant) aliaſque Magnatum ſplendidiſſimas hortorum delitias, & quidquid templorum, monaſteriorum & ædificiorum erat reliquum, flammis devaſtare non intermiſit.

Vezirii Kara Muſtaphæ diſpoſitio oppugnationis Viennenſis.

Idibus Julii circumvallationis lineas in horto Malaſpino, ſeu Rmenhoff, & altera ex parte in pomario Reichowitzii prope Flugelhoff ducere; ducentis ab urbe paſſibus ſuggeſtus, vimineaſque corbes erigere, ſinuoſas vias egerere, flagellare urbem tormentis, quinis è ſtationibus violento oppugnare impetu ceperunt. Et licet undecim Vienna propugnaculis & uno intermedio aggere, quod Revelinum vocant, ſit probè communita; pertinatiores tamen in propugnaculum Palatinum & Lôbelianum, atque his intermediū aggerem vires Turcæ maximas exeruerunt: ſupremus enim Vezirius Kara Muſtapha cum Janizarorum Aga, id eſt Generali, ejuſq; legato Kihaja bego aggerem intermedium: ad dexteram Huiſſeim Baſſa Damaſcenus cum ſocio Sagarzi Baſſa, Janizarorum Coloonello propugnaculum Palatinum: ad ſiniſtram Achmet Baſſa Temeswarienſis Lôbelianum, & alia Baſſæ alii labore improbo & furore impetebant, & plurimos urbi pyrobolos immittebant piloclaſtros; quibus, an verò occultâ aliorum incendiariorum nequitiâ incertum, magnificum illud Scotenſe aſceterium & templum Ordinis S. Benedicti in cineres funditùs redactum, flammaque ulterius ſerpens, jamque armamentarii valvas corripiens, omnem ſine dubio militarem apparatum & pulverem cum vicino granario, ſumptuoſisque Awerſpergii, Trautti, & Palffii ædificiis conſumpſiſſet, damno irreparabili, niſi ſingulari curâ Sereni, Guidonis Starrenbergii nunc capitanei, Cuniberti Wentzelii, & conſulis Lietenbergeri opportunè fuiſſet extincta, & impetuoſum tunc ventum Dominus ambulans ſuper pennas ventorum aliò clementer divertiſſet.

Scotenſe monaſterium & templum incinerantur.

Jam obſidionales hoſtis vias ſuas verſus palatinum & Lôbelianum propugnacula, atque his intermedium Revelinum, plurimis ad id Chriſtianorum adhibitis captivis, ſub crebris tormentorum exploſionibus adeo promoverat, ut XXX. vix paſſibus abeſſet à ſponda, ſeu exteriori fovearum muro (Contraſcarpe) Starenbergius autem denſiſſimos inter globos, dum ea, quæ ab hoſte maximè impetebantur loca (Palatinum ſcilicet propugnaculum) pro more ſollicitè curaret, fragmento lapidis, è domuncula ſtationaria, tormento diſcuſſi, præter alios quatuor aſtantes ipſe ſecundum caput adeo ſauciatus eſt, ut domum deportatus, lecto per triduum affixus, moræ admodùm impatiens ſede elatus geſtatoriâ nullo voluit abeſſe periculo, omnibus adeſſe conſilio, & ſuâ animare fortiter præſentiâ eo potiſſimum tempore, quo Daunius ſecundus ab illo præfectus adhuc malignâ detinebatur febri; tertius tamen ab eo Serenus & Brigardieri, ut vocant, Soucheſius, ac Guido Starrenbergius, ceterique tribuni ac ſubtribuni omnes ad generoſam interim urbis defenſionem nihil in frangendis hoſtium inſultibus intermittebant fortitudinis, bellicæ nihil artis & peritiæ, curæ ac ſollicitudinis omnino nihil; ſed tormentis, lapidibus & eruptionibus ſtrenuè hoſtem repellebant, propiùs continuò copiarum multitudine fretum irruentem: decimo enim ſeptimo Kalend. Auguſti multo ſanguine, majore labore propiùs foſſarum murum pervenerat; quem tunc generoſâ præſidiarii eruptione fortiter rejicientes ad ſuas uſque vineas perſecuti; ſecundo tamen validiori inſultu eundem grandi ſuorum nece, non ſine etiam Chriſtianorum ſanguine obtinet, accitiſque majoribus ſemper copiis in foveam, præſidiariis omnibus viribus, ſed fruſtra obnitentibus, excurrit & occupat. Ubi novo mox ardore pars aggeribus & loricis egeſtis novos terræ palos infigere, eoſque congeſtitiâ humo firmare, pars hoſtem arcere, ne pedem figeret ulteriùs.

Starrenbergius vulneratur lapide.

Egregia urbis op- & propugnatio.

Leſleus interea rem tormentariam Cremſium promovendo, auxiliares ibidem Bavaro-Saxon- & Franonicas expectans copias, frequentes Tartarorum in ſanguine & cinere omnia devaſtantium excurſiones continebat, & Schultzius CCC. curruum conductum turcica petentem caſtra, intercepit; pridie verò nonas Auguſti Polonus à Turcis Chriſtianorum conſilia indagaturis, ſed ab his mediam ultra partem cæſis, incautè comprehenſus, nunc in urbem demum transfugus, aſſerebat Chriſtianum Caroli exercitum circa Laxenburgū & monaſterium Neoburgum conſiſtere, &, ut Carolus etiam literis Starrenbergio ſignificaverat, militem imperialem, Regemque Poloniæ propediem expectare, urbi approperantem; qui eodem hoc tempore mille annonarios hoſtium currus defenſoribus fugâ ſublatis, intercepiſſet; ideoque Turcæ, & Janizari imprimis ulteriorem urbis L. dierum obſidionem multum averſarentur; ſed quòd ſupremum Vezirium ſuum in argentea omni triduo lecticâ per ſinuoſas arroganter deferri vineas viderent, ejus exemplo, ſpe, metuque plurimos ad fortia animari tentanda.

Leſleus & Schultzius Turcas cædunt.

Subſidia paulatim accurrunt.

Subterraneis interim cuniculis utrimq; actum & excurſionibus, viſique ſunt Turcæ humum ſenſim extollere, & in ipſa revelini foſſa, quò per ſubterraneas deſcendebat cavernas, agere cuniculos, neque ullis tormentorum diſploſionibus, neque manualium poterant pyrobolorum impediri evibratione, quòd supernè trabibus ſe, terreniſque contegiſſent materiis, credebanturque effoſſa ſufficienter humo caſtellum defixum, ſeu revelinum deſtructuri, unde retractis inde in urbem tormentis, majoribus ſolùm defendebant locum ſclopetis (Duppelhacken) nocte verò concubiâ Daunius & Soucheſius præſentiſſimo conſilio, & Starrenbergii præfecti conſenſu (quem ſordida jam à biduo diſſenteria, quamvis impatientiſſimum detinebat in lecto) trecentis in hoſtem armatis irruunt, ipſaſque eorum concameratas teſtudines (Gallerias vocant:)

Cuniculis Turcæ plurimū agunt.

igne

igne cremantes abigunt, cadentibus è noſtris haud paucis, vulneratis verò plurimis. Nec minus ſegnes Turcæ, ut priorem capacioremque locum recuperarent, ad caſtelli roſtrum evibrantes cuniculum, furibundo locum impetu invadunt; ſed nece ſuorũ bis mille feliciter rejiciuntur; tandem tamen XII. Auguſti incenſo tanto cum fragore cuniculo, ut media urbis pars concuſſa contremeret, caſtelli roſtrum dejiciunt, ſcaliſq; conſcendunt; poſt acerrimam verò duarum horarum pugnam tormentis & conſtanti præſidiariorũ virtute repulſi pedem referre coguntur.

Contrarius cuniculis Turcæ rejiciuntur.

Cùm igitur prima ſemper Vezirii fuerit ſpes & intentio ancillantibus urbem cuniculis expugnare, & divite hac ſolus prædâ potiri, ideoq; continuatos hoſce labores ſibi maximè periculoſos nunquam intermittendos animadverterent præſidiarii, iteratis ipſi eoſdem excurſionibus ſæpe fauſtis, quandoque infauſtis evertere moliti ſunt. Cum enim quinto decimo Kalend. Septembris præſidiarii in deliteſcentes ad caſtelli prædicti quaſſati roſtrum Turcas teoraſſent eruptiooem; ſed ſperato minimè reſpondiſſet eventu, quatuor ex adverſo Turcarum millia luxatâ primùm per ſuccenſum rurſus cuniculum caſtelli mole, magno illud conſcendentes furore, XII. iſtic lunas infigunt; quæ tamen bihorarum ſpatio ſtrenuâ pertinaciq; pyrobolariorum fortitudine decreſcentes, CCC. ſuorum internecione tandem ſunt omnino remotæ: cecidêre hic è noſtris tredecim com ſuo tribuno Dupignio generoſiſſimè decertante. Sic & alterâ die cuniculus eodem in loco à noſtris incenſus Turcas è cryptis & teſtudinibus expulit & plurimos humo oppreſſos ſuffocavit, reliquos adhuc ſemivivos ſubitâ noſtri eruptione ferro interemerunt; nocturno verò tempore ſuas Turcæ repetentes cryptas ounquam perficiendis deſiſtebant cuniculis, ipſis adeo aulæ Cæſareæ cellis metuendis, quibus ibidem diebus aliquot cautè, ſed tamen fruſtra invigilabatur: at vero ſub caſtello, ſeu revelino ſeptem jam orgüs ultra receptacula præſidiariorum cuniculum promoverant, quo per Haſnerum detecto, Turcæ ablato raptim nitrato pulvere aufugiunt.

Carolus Turcas & Tôckelium cædit.

Turcæ interea è caſtris in alterum Danubii latus XII. millibus tranſeunt, ſumptis Tôckelii VIII. millium in ſocietatem copiis, firmum ibidem occupaturi locum, unde ſubmittendum Viennæ ſubſidium comodè poſſent impedire. Vix litus fluminis attigerant, & Stammerſtorffium, Eipeltaviam, Kagaram, omnemq; ferè Marckfeldiam redigunt in ſanguinem & cinerem. Quæ barbara buſtorum funalia Carolum Ducem ius in partibus ſubſidiarias propediem copias impatienter expectantem, & hoſtem ab hæreditariis Cæſaris provinciis arcentem in juſtam provocabant ultionem. Præmiſſis itaq; Polonicis ſub Lobomirskio legionibus, aggreſſionis ſibi primas depoſcentibus, Carolus mox ſubſecutus, poſt tumultuarium campeſtribus inſtructum tormentis aggerem diſponens equitatum, dum audit Polonos à Turcis Rebellibuſq; Ungaris devictos viam relegere, hoſtem jam tum ovantem, & fugitivos ad curules uſque machinas perſequentem expectat: tum exploſis ſimul tormentis eorum ordines confundit, diſſipat, & in turpem conjicit fugam. Hic quòd Danubii pons interim eſſet ſubmotus, & cataphractus continuò eques tergori inſtaret, aut ferro, aut aquâ erat pereundum. Præter capta impedimenta omnia & XXV. ſigna cæſus eſt Ægypti præfectus ſeu Baſſa, & Tôckelius noctis beneficio vix elapſus, prædam haud ignobilem, raptu corraſam victoribus relinquens, deſerenſque Presburgium (quod cum Sopronio, Tirnavia, Preikalla, Leita, & Caſtro ferreo gentium multitudine territum eidem ſe ſubmiſerat) Cæſareæ devotioni reſtituitur. Circa idem tempus Dunnewaldus tria Tartarorum millia aggreſſus MCCC. proſtravit: Saravius Com. duo Conjuratorum millia ſub Budiano prope Friedenfeldũ profligavit, cæſis CCCCLXXX. captis CCC. & ſignis V. Heiſterus annonarios & bellici apparatûs currus ad turcica tendentes caſtra adortus cæſo fugatoque præſidio (quod nitratum pulverẽ & pyrobolaria in autas evibrarat) CLXXX. currus intercepit.

Dunwaldus, Seravius & Heiſterus Turcas cædunt.

Sed quid in ceteris propugnaculis, Lobeliano imprimis & Palatino agitur? impugnantur acerrimè abſq; diurna nocturnaq; intermiſſione; nec ſegnius, ſed generoſiori martialique animo propugnantur ubiq; ſæpe dictum vero defixum caſtellum, ſeu revelinum tot laxatum hactenus cuniculus, toties èeontra propilatis palis & loricis reſtitutum tertio Kalend. Septemb. horrendo inſultu impetitum, & incredibili præſidiariorum fortitudine, manualibus imprimis pyrobolis (quotum ultra tria millia hac in pugna evibraſſe dicuntur) & multo utrimque ſanguine defenſum eſt; ſed quia vix ſtationis & defenſionis locus ſuperetat, noſtri recedendo Turcis locum ceſſerunt, LII. diebus graviter impugnatum, & multo emptum ſanguine

Revelinum occupatur.

Viribus interea præſidiariorum & numero ob continuatos hactenus labores, incurſus, & militares vigilias decreſcentibus, nervo etiam bellico, pulvere nitrato, apparatu & annonâ deficientibus, ut feles etiam eſſent in delitiis, & plures fame interierint: nec non quod malignâ plurimi dyſenteriâ, fœtoreque intolerabili infirmi & enervati aut morerentur, aut detinerentur, fatalique demum hoſtis excidio indies urbi propiùs immineret, Starrenbergus cum cetero regimine periculoſum Carolo urbis fermè agonizantis ſtatum tum radiis nitratis, tum literis ſignificandum duxerunt, cunctis hujus rei nuntium referre detrectantibus (quòd prior à Turcis eſſet interceptus (D. Georgius Franciſ. Korſchitskius Polonus, orientalis olim ſocietatis interpres, uti morum, ita turcicæ linguæ peritiſſimus, hanc ſuſcipiens provinciam, veſte turcicâ, & aſſumpto ejuſdem linguæ famulo, ad medium noctis emiſſus copioſâ madefactus pluviâ inter caſtra conſidens, mane turcicum lætè carmen caſtra pertranſeundo intonans, liberali à Baſſa Caffe, oſitato Turcis pro vino potu tractatus, feliciter ſuperato danubio ad Carolum, cum exercitu Stillfridum inter & Anger conſidentem pervenit; qui certâ præmii ſpe mactatus, eodem regreſſus itinere, fauſtú retulit reſponſum: quemadmodum paulò pòſt famulus ejus Ratzius ſolus eadem innoxiè relegeos veſtigia has Caroli reddidit literas: *Conſtantes patriæ, Cæſaris, & Imperii Romani perſeverate defenſores: totus ego ſaluti veſtræ intentus, mox infallibiliter cum Polonorũ Rege, Ducibus Saxoniæ & Bavariæ, confluẽtibus undequaque eorum copiis adero, veſter juſto cum exercitu propediem coadunando liberator: jam Cremſium pontibus ſtruendis moveo, nihil Viennæ certè liberandæ omiſſurus. Sciatis deinde Tockelium nuper juxta Poſoniũ à me profligatum, Schintam uſq; ad Vagum amnem fugatum, omnibus exutũ impedimentis, deſtitutũ navibus ad pontem Vago inſternendũ collectis, Poſoniumque recens ab ipſo interceptum, recuperatum: alteri*

Urbis fames morbi &c. exigunt ſubſidium.

Kotſchitskius Caroli literas ad urbem defert.

Literæ Caroli Loth.

præterea prælio ad Moravum eundem à me caſum, deletis plurimis, decemque labaris amiſſis. State igitur generoſi Martes, paulo poſt victores, glorioſa nominis fama æternùm victuri.

Turcæ dejecto cuniculis propugnaculo, murum occupant.

Et verò tam vacui non erat Vezirius cerebri, ut perſuadere ſibi non poſſet, omnes à Cæſare, & Carolo Duce vires, omne ſtudium & ſumptus in urbis ſibi dilectiſſimæ, & tanto tempore fruſtra obſeſſæ liberationem impendendos. Revelino igitur obtento, validioribus viribus in Lôbeliani & Palatini foveas irruentes ad muros uſque non ſine copioſo ſuorum ſanguine penetrant, & pridie nonas Septembris ſuccenſo ad ſiniſtrum Palatini propugnaculi latus cuniculo quinas ad minus murorum orgyas tantâ vi & fragore dejiciunt, ut magna urbis pars concuſſa tremeret, mox quatuor millium inſultu horrendo cum halalatu luxatum invadunt locum victrices eidem imponentes lunas: adſunt illico Starrenbergius, Caplierus, Daunius, Serenus, pluresque alii, objectiſque ad lacunæ fauces ſubitò vaſis ac trabibus, militaribus ericiis, ſeu ferratis ſtellatisque ſudibus, ſaccis etiam arenâ & humo fartis poſt cruentam ſeſqui horariam pugnam generosè feliciterque multorum utrimque nece ſunt repulſi, noſtrorum CXIV. cæſi & læſi, Turcarum verò interfecti ſunt CCCCC.

Bis rejiciuntur.

Hiſce nihil territi eandem mox luxatam propugnaculi lacunam furiosè repetentes, harpagonibus, falcibus, ſtellatiſque cuſpidibus ad ſua remiſſi ſunt caſtra; in quibus hac nocte milleni aliquot videbantur ignes, in omnem hoſtium adventum vigiles. Die alterâ ſuccenſus itidem ſub Lôbeliano cuniculus ſex orgiis latam muri molem, & ultra XXIV. pedes craſſam, ab imo ad verticem uſque adeo proſtravit, ut tuto propugnatores munimine deſtituti nudis ferocem hoſtium inſultum exciperent pectoribus; ſed quia immenſa adhuc cohærentia rudera & fragmina hinc inde inæqualiter ſparſa opportunum impediebant inſultum, ut vix paucos, eoſque diſperſos admitterent impugnatores, copioſuſque è tormentis ſcloperiſque noſtris emiſſus globorum imber MCCCCC. internecione dejeciſſet, inviti tunc quidem recedentes, nocte inſequente inſtaurato impedimenta labore removent, majora alias tentaturi. Præſidiarii verò muri lacunas ſudibus, palis, loricis, repagulis & internis receptibus reſtaurant & obmuniunt. Et quia Vezirius multi adhuc ſanguinis, ac longi fore laboris opus hæc fragminum impedimenta removere, & ipſa capere propugnacula prævidebat, horum intermediam propugnaculorum cortinam, ad faciliorem urbis acceſſum, contra communem Martis regulam (quæ locum impeti vetat, qui utroque ex latere defendi adhuc & propugnari poteſt) ſeptem jubet cuniculis ſimul evertere.

Aliam dejiciunt cortinam.

Appropinquante ſuccurſu recenſet Vezirius numerū exercitûs.

Id quod proximus tamen probibebat Caroli Ducis ſuccurſus à præſidiariis jam ſæpius nitratis tadiis imploratus, & à Turcis jam probè exploratus; eodem etenim die, decimo octavo menſis turcici Rameſan, id eſt VII. Septembris Vezirius toto caſtrenſi exercitu luſtrato, numeravit 93000. Turcarum, Janizarorum 16000. Spahorum 12000. Tartarorum 20000. Rebellium Ungarorum 15000. ut turcicus habet catalogus: Tranſilvanorum 6000. Wallachorum 4000. & Moldavorū 2000. omniumq; fuit ſumma 168000. his verò detrahenda exiſtimo 14000. Rebellium, non in caſtris, ſed cum Tôckelio ad Vagum amnem haud procul Poſonio, & alibi pervagantium, eorumq; ſolùm mille cum Battiano, Draskowitſchio, Nadasdis binis fratribus & aliis Turcarum caſtris intererant.

Numerus Turcarum Viennā obſidentium.

Adnectit idem authographus armiluſtrii turcici catalogus, ad ſupremi Vezirii, ejusque Cancellarii papiliones inventus, & Epiſcopi Collonitſchii manibus traditus numerum in hac Viennenſi obſidione ad prædictum uſq; ſeptimū Septembris diem defunctorum; nimirum 3. Baſſæ, 16. Janizarorum tribuni, 25. capitanei militū grandioris Kaiti, 500. officiales feudatoriorum, 10000. Janizari, 16000. viarū obſidionaliū operarii, ſeu foſſores, 12000. Spahi equites, 6000. rei tormentariæ officiales, pyrobolarii, & cunicularii, 2000. Tartari, 2000. feudatarii communes, omnium ſumma 48544.

Numerus defunctorū.

Dum hæc in caſtris fierent Turcicis deſudant ad Lobelianum urbis propugnaculum indefeſſe cunicularii, & novum muri fragmen in foveam dejiciunt, præparati jam inſultûs obſtaculum; repetitis nihilominus ferociter viribus, novoq; numero, irrito tamen conatu, invadunt, aſſiduis tormentorum noſtrorum globis, ferro, lapidibus, alioque id generis tormento (Kartatſchen) fartorum exonerationibus amoti.

Cuniculis indefinenter adhuc agunt.

Qua eadem die, ſexto idus Septembris horis pomeridianis magnus & inſolitus in caſtris hoſtium, huc illucque commeantium & convaſantium viſus eſt motus, de viciniori fortè urbis ſuccurſu turbatus, de cunicularibus interim laboribus nihil remittentes. Et quia ex certis pulſûs indiciis Starenbergius timebat univerſalem Palatinum in aerem vibrando inſultum, omnibus ad arma ferenda idoneis ad certas jubet comparere ſtationes, & hoſtium invigilare machinationibus, qui ſub noctem ex collucentibus paſſim ignibus ad Viennenſem glomeratim montem tendere videbantur, ubi ſequentis etiam diei meridie ingens turcici agmen exercitûs ad ſaltûs Ceſiique montis radices viſum eſt conſiſtere, nova metari caſtra, ſaltum undique loricis & foſſis communire; campeſtribuſque machinis probè inſtruere, deſcenſuro fortaſſis ibidem Carolo occurſuri, ſimulque ſub prædicta urbis cortinâ ſeu muro intermedio ſuos adhuc promovebat cuniculos; quos tamen noſtri ingentium ponderum pyrobolis (Mordſchlägeren) impediebant ſuffocabantque; horum enim pondere (500. lib.) fatiſcens infernè terra immani deinde hiatu reverberata, magnâ demum excuſsâ terræ mole vicinos ſparſim cunicularios & antra opprimebat.

Ad montem Caſium caſtra figunt.

Et quia Palatini propugnaculi per iteratos luxati cuniculos timebatur ruina, curules inde machinæ in vallum retractæ; ad Lôbelianam verò portam parabantur plurima hinc inde repagula, ſeu receſſus interni, eique in extremam defenſionem tormentis & præpilatis ſudibus, ex domorum ignis & trabibus probe muniebantur.

Palatinum & Lôbelianum propugnacula deſtructa.

Tandem aliquando ſubſidiariæ Imperii Romani copiæ adveniunt, millenis Starrenbergii in urbe, & Ducis Caroli in exercitu votis expetitæ: Bavarus Elector ipſe 8000. Elector etiam Saxonicus 10000. Franconicus totidem circulus 10000. ad glorioſam urbis liberationem adducebant: Cæſareus vero ſub Caroli Ducis imperio exercitus 23000. valebat, exercitati omnes & veterani milites & expediti, univerſim 60000. unus deſiderabatur rex Poloniæ, qui auguſti menſis initio Cracoviâ acceptâ prius ab Opitio Pallavicino Nuntio Apoſtolico benedictione cum 20000. ad initium Sept. hæreditarias

Imperialis ſuccurſus Bavarus & Saxo adveniunt.

Ca-

Cæſaris provincias, & paucis pòſt diebus ejuſdem appulit exercitum, ubi à Carolo Duce humaniſſimâ exceptus eſt veneratione, cui Rex filium viciſſim natu majorem militari ejus erudiendum ſcientiâ obtulit, primum bellicæ virtutis jam ſuæ ſpecimen taoto ſub belliduce daturum.

Et Rex Poloniæ.

Conjunctis mox prope Tulmam exercitibus tranſeunt Danubium ad conſidentes ibidem Imperii Electorumque copias: ubi habito concluſum conſilio per Cæſium montem itinere licet invio, breviori tamen procedendum; quo probè intellecto Vexirius ſubito caſtra ex Thaborea & Leopoldina Inſulis, & quæ ad pagum S. Margaretæ metata erant, ad prædictum montem Cæſium transfert, campeſtribus ea tormentis communit, militemque diſponit in aciem, proximum Chriſtianum exercitum conſtanter expectaturus, quem ipſe etiam oculatim perluſtraturus vicinum conſcendens mootem, innato animi faſtu puſillum deſpicit gregem, ſuis facilè copiis numero & virtute validiotibus repellendum, quod eadem adhuc die (XI. Septembris) VI. armatorum millibus ſub Budenſi præfecto eſſet opportunè confirmatus. Chriſtianis igitur poſt meridiem tribus in moote Cæſio ignibus ſuum ſignificantibus adventum, tribus Starrenbergius nitratis radiis ad horam circiter octavam illum à ſe intellectum reſpondet, omnibusque urbis præſidiariis & incolis imperat, ut in omnem Carolo ſuccurreote excurſionem eſſent intenti & expediti.

Vexirius parvum Chriſtianorum gregem deſpicit.

Die altera, quæ erat 12. Septembris, dominicâ, niveo notanda lapillo, orto vix ſole, horâ circiter ſecundâ binæ eminus audiebantur exploſiones tormentorum, in ſubſidiarii certi adventûs teſſeram, mox in Cæſium prodibat montem pedeſtris legio, à Turcis protinus aggreſſa, & duabus circiter horis acriter velitata, donec hoſtis trecentorum ſubſidio auctus magnâ in eos vi irruit; tum Donatus Heislerus ſuis illicò dimachis accurrit, quibus hoſtem pedetentim repellentibus ſuccedebant alii, mox alii, iterumque alii ſubſequebantur; nam profundè ſtudin effoſſæ abs Turcis foveæ, excavatæque aurigantium viæ multum noſtris moræ, condenſandique ordines injiciebant impedimentum; prodibant tamen denſatis agminibus, tardigradiſque paſſibus è buſtis aſceterii Camalduenſium, & D. Leopoldi ſacello in Cæſii montis verticem coonſtructis, explicatiſque ad latus ſiniſtrum longioribus, ultra monaſterii buſta alis, è ſaltuum dometis prorepunt, indeque ſeratis ſemper ordinibus è montis vertice paulatim declives ceduot, ſequentibus ſtandi, dilatandique ſpatia, hoſte ex adverſo aciem ad montis radices explicante, & tormentis hinc inde è vallis & aggeribus deſcenſum arcente: quod ipſum haud ſegniter fecêre Chriſtiani, tormenta continuò præ ſe agentes, eiſque per intervalla ad ſubſequentium ſtationem couſque promotis & exploſis, donec totus ſimul exercitus à ſummo montis cacumine ad radices uſque progreſſus, magnis ad pugnandum animis promptus & alacer, belloque junctus ordine ipſis adeo hoſtibus admirationi ſimul eſſet & terrori.

Chriſtiani per montem Cæſium deſcendunt.

Viennenſes hæc omnia eminùs cum admiratione & animis ſpe metuque pendentibus ſpectantes non interim otiari; ſed ternis gnaviter vicibus tormentorum omnium & bombardarum exploſionibus Turcas viis obſidionalibus expellere, & brevi felicem urbis ſuæ liberationem, fauſto candidæ columbæ, urbem non ita pridem petentis omine ſperare ab exercitu Regis, tot Electorum, Priocipum, Comitum & Baronum militari ſcientiâ, magnanimitate & fortitudine per orbem excellentium inſtructiſſimo.

Viennenſes gaudent.

Superato, ut dixi, in hunc modum ſaltu, totus Chriſtianorum exercitus in prudentiſſimam ordinatiſſimamque mox aciem eſt diſpoſitus: dexteram ſuſtinebat alam Rex ipſe Poloniæ Joannes III. Jacobo filio, multo Senatorum numero, & polonicis ſuiſmet copiis inſtructus, cui aliquot Cæſarei equitatûs turmæ ſub Principe Saxo-Lawenburgico, Rabatta, Dunvvaldio, Goodola & Palffio erant adjunctæ: ſiniſtræ præeminebat alæ Carolus Dux Lotharingiæ, Cæſaris legatus generalis cum Marchionibus Badenſibus Hermano & Ludovico, Principibus Saxo-Hallenſi, Croyo, Salmenſi, Lubomirio, Caprata, Leslejo, Mercio, Taffio, Goltzio, Flemmingo, Plavvenio, Reirſchio & cæteris copiis cæſareis: corpus intermedium conſtituebaot Electores Saxo & Bavarus, Prioceps Waldeccius, March. Bareit, Hallevveil, Degenfeldus, à Leyeo, Bavan & Münſter, Diepenthalius, Steinavius, Tüngen & Rumpelius cum Saxonicis, Bavaricis, Franconibus, aliiſque copiis ex Imperio Rom. delapſis; ita ut Saxoniæ Elector ſiniſtro lateri, & Bavarus (cujus hæc prima militaris erat expeditio) dextero adhæreret. Nullus inter hos Principes aut Geoeralis erat, quin ſuo copiis exemplo prior in hoſtem ducens præiret.

Chriſtiani exercitûs diſpoſitio.

Generosâ primus fortitudine hoſtem aggreſſus Carolus horâ circiter qoartâ pomeridianâ Antagooiſtam habet Ibrahimum Baſſam Budenſem duas ultra horas pertinaciter obnitentem; ſuas autem copias Saxone & Bavaro promoveotibus, loco cedens fugam capiebat; Saxo quidem Beckir Baſſam Aleppenſem inſecutus, dum io valle Janizatorum mrmam colliculo quaſi vallo inſidentem ipſe cum volonibus ſuis & 60. pyrobolariis loco pellit, eundem quoque in fugam propulſat, quemadmodum à dexteris Bavarus in eadem valle alterum Janizarorum agmen ipſe non ſine periculo prævolans ejicit, cadentibus à latere ſuo non paucis. Mox etiam Poloniæ Rex magnâ hoſtem virtute invadit, & fixis in loco, unde eum depulerat, tormentis, exturbat foſſis & diſſipat. Hic ipſe Vexirius viribus illicò recollectis furioſè reſiſtere, ſuſtinere cedentes, luxatos reſtituere ordines, per caſtra paſſim ad levatum Mahumetis vexillum omnes quacunque convocare, & rogare demum:

Pugna ad montem Cæſium.

Accedat, & pugnet fortiter, quiſquis Germanus volet eſſe Muſelmannus.

Reductis ſic oovis ad ſigna copiis, pugnam deſperato reſtaurat in Polonos impetu; eorum autem, & Huſarorum imprimis vim inexpugnabilem non ſuſtinens, cæſo Kiajâ legam ſuo, ipſe fermè captus, relicto equo fugam capeſſit. Inſtat continuò miles Chriſtianus, & utriſque ad Cæſios montes, & urbem caſtris exuit; capta ſunt impedimenta omnia, & in Polonorum præſtantiora devenêre poteſtatem: Rex enim demonſtratam à captivo Vezirii ſtationem mox occupans pretioſiſſimum ejuſdem cepit papilionem, & in eo ditiſſimum nervum bellicum, militarem, & ipſiuſmet Vezirii cancellariam, ejus equum, pharetram, rubinis & ſmaragdis fulgentem, Solimanni ex aurea tela vexillum (quod eadem Rex die Romam per Talentium Secretarium ſuum Innocentio XI. ſummo ſub-

Turcarū fuga.

Spolia caſtrenſia.

miſit Pontifici victoriæ glorioſiſſimæ teſtem) duplicem caudam equinam, ſupremæ poteſtatis indicem, aliaque in auro ſignato & argento, gemmis & lapidibus pretioſiſſima, milliones aliquot excedentia, quo in Vezirii papilione Rex etiam pernoctavit.

Kunitzius Turcarum manibus elabitur.

Badenſis Viennâ ingreditur.

Sub ipſo autem prælio Comes Konitzius Cæſaris ad Portam Reſidens, caſtra eorum pro more comitatus, mille obnoxius vitæ periculis, manus eorum feliciter elapſus ad urbem pervenit, relictis mille aliquot ducatis, & famulis crudeliter cæſis. Deinde Ludovicus Badenſis juſſu Caroli duabus Heisleri & Hallevveilii dimachorum, mediâ Ducis Wirtenbergici, & aliâ integra pedeſtri, & integrâ denique equeſtri legionibus urbem accedit, juberque Starrenbergium conjunctis ſecum urbanis copiis in obſidionales hoſtium foveas, è quibus horrendum adhuc ferociterque barbari deſæviebant tormentis, (ac ſi nullum forinſecus adeſſet periculum) irruptionem adornaret; quâ illi ſubodoratâ, ſed non expectatâ plenis inde velis aufugerant: omnes enim obſidionales eorum viæ ita commodè & artificioſè erant diſpoſitæ, ut ex omni latere, & tranſverſim in unum veluti coirent punctum, & unam, eamque univerſalem ſingulæ viam concurrerent, quâ etiam tunc auditâ ſociorum fugâ verſus hortum Rothenhoff viſi ſunt omnes, inſciis noſtris, in fugam ſe conjicere. Tota igitur & illa capta & direpta ſunt caſtra, ingens millionum aliquot pretii apparatus commeatuſque bellicus, tormenta omnia 180. bubali, jumenta, cameli, equi, & ultra centum millia papilionum: ex his pretioſiores erant Beglerbegorum, Baſſarum, tribunorum, & eorum, qui ſupremi Vezirii circumdabant ſtationem, in editiori poſt vicum ſuburbii New ſtifft versus pagum Pentzingam, loco jucundiſſimo, circumferentiæ amplitudine Varſaviam ſuperante; ubi Vezirius omnigenis avium, leporum, cercopithecorum, hortorum, fontis, balneique deliriis abundabat; quæ omnia, ſimulque urbem ſpe jam devoratam magno nominis dedecore, majori damno, & maximo capitis ſui periculo cogebatur dimittere, inſanis arrogantiæ ſuæ conſiliis turpiter illuſus, & à Chriſtianorum Deo, cujus haud pridem illuſerat potentiæ, non immeritò excæcatus & confuſus; poterat enim occupatâ maturè Danubii inſulâ & Leopoldopoli omne ab urbe militare prohibere præſidium, & intromiſit: poterat debiliora urbis loca invadere, invaſit validiora: poterat citius exteriorem foſſarum murum, & defixum caſtellum ſeu Revelinum occupare, occupavit tardius, illum poſt 21. hoc poſt 51. dies: poterat urbem freqoentioribus & numero & milite ad deditionem coanguſtare incurſionibus; copioſiori autem parcens ſanguini plus noxiæ obſeſſionis moræ, plus rapidæ fami, plus ſævientibus fœdiſſimè morbis indulſit, ingentem hominum multitudinem conſumentibus. Duobus autem Vezirius Apoſtatis orbem quomodolibet oppugnandi tribuit poteſtatem: Gallus unus vim maximam in infirmioribus, & diverſis locis, ac imprimis ad rubram portam ſuadebat inferendam: Italus alter & Monachus ſive Chriſtianâ ductus conſcientiâ, ſive turpi Vezirii avaritiæ (divitem urbis prædam ex deditione ſibi prædeſtinantis) ſtudens, lentam cuniculatione, ſed certam conſulebat impugnationem, & infallibilem deditionem. Sed aliter Deus, cui ſoli omnes tribuunt orbis liberationem, diſpoſuit, ſeptuaginta & ultra hoſtium millia morborum & famis neceſſitate magis, quàm ferro & igne perierunt, pauciores ex his in prælio, quòd panico abacti timore maturâ ſibi fugâ conſuluerint, totus aliàs Ottomannicus eo die exercitus deleri potuiſſet, niſi ingruens pugnam nox intercepiſſet, in qua præter gregarios 600. Polonos occubuerunt Poſtokius, Palatini Cracovienſis filius, & Regis theſaurarius; Germanorum verò trecenti, quos inter Mauritius Dux Crojus: in urbe præſidiariorum præter 46. centuriones alioſque officiales, gregariorum decem millia, civium verò & aliorum viginti duo facilè millia, dyſenteriâ maximè, & in aſſuetæ carnis ſalſæ eſu, ut credebatur, ſunt extincta, qua Starrenbergius etiam infectus vix mortis evaſit periculum.

Captâ Turcarum caſtra & omnis apparatus.

Vezirii in caſtris deliciæ.

Vezirii vitia obſidionis.

Duo apoſtatæ eam direxerunt

Quot Turcæ morbis & fame perierunt.

Quot Chriſtiani?

Victoriã Cæſari Averſpergius detulit.

Eodem adhoc veſpere Carolus Comitem Averſpergium citatis ad Cæſarem equis miſit nuntiatum, hoſtem feliciter cæſum, fugatum, & liberatam urbem. Nocte deinde obſidionales viæ facibus inveſtigatæ, nullus hoſtium vivus, ſed plurima defunctorum inventa ſunt corpora, & innumera per campos viſi ſunt ignes & faculæ. Vix autem dies eluceſcebat, milliari ab urbe ingens nitrati pulveris multitudo noſtrorum incuriâ in aërem evibrata, grandem apparatum bellicum redegit in cineres, & cives gaudio & curioſitate pleni è civitate per rimas murorum & rudera in foveas caſtraque deſcendentes omnis generis utenſilia, veſtes, cuprum, ſtannum, annonam & ſimilia militi faſtidita colligunt, & ingentem Chriſtianorum ſparſim corporum multitudinem inter equorum cadavera offendunt (Ottomanni quippe ſuos, non Chriſtianorum defunctos ſepeliunt) quos jam antè vel Vezirii immanitas, ut annonæ parceret, trucidaverat, vel in oppugnationis acie ceciderant, vel in fuga Turcæ, ne detinerentur, crudeliter proſtraverant. Sed quod viſu admodùm erat deplorandum, cernebantur plurimi infantium in ſinibus matrum extincti, plurimi etiam vulnerati adhuc viventes matrum enectarum papillas fruſtra torquentes, quos Cardinalis Collonitſchius numero 450. urbi illatos paternâ educari curavit ſollicitudine.

Turcæ Chriſtianos non ſepeliunt.

Infantes in Turcarum caſtris inventos Collonitſchius curavit.

Rex Polon. cum Electoribus viſitat urbem & caſtra.

Inter hæc Rex Poloniæ duobus Electoribus, Carolo Duce, pluribusque magnatibus & ſtrategis comitatus, viſis ac per Starrenbergium demonſtratis murorum ac propugnaculorum ruinis; obſidentium obſeſſorumque operis ac laboribus, omnes ceu attoniti obſtupeſcentes, laudate omnes Starrenbergii conſervatoris fortitudinem & prudentiam, admirari civium conſtantiam, præſidiariorum deprædicare generoſitatem. Tum Rex diſcedens à Saxone & Carolo, ad exercitum in omnem ſe abitum parantem abeuntibus, urbem fœdiſſimè laceratam, & vix quintiduum propugnandam ingreſſus, prælato Vezirii vexillo ad Sacellum Lauretanum PP. Auguſtinianorum contendens iteratâ civium gratulatione excipitur, manus ejus victrices, genua & veſtes certatim oſculantium & clamantium: VIVAT REX. In ſacello autem poſt auditam reverenter Miſſam Rex ipſe humi ſtratus hymnum intonat Ambroſianum, quem cum Monachis omnes præſentes Magnates & Generales ſummâ continuant lætitiâ, & omnium circa urbem tormentorum exploſionibus, atque ita liberali à Starrenbergo exceptus cum filio, Bavaro, aliiſque Principibus convivio circa veſperam eques ad ſua redit caſtra, eaque ob intolerabilem jumentorum, corporumque fœtorem

inde

inde à S. Marco per Danubii marginem Viſcham uſque promovet, Starrenbergio interim curante, ut hoſtilis è caſtris apparatus, annona, bellicaque tormenta, quorum plura ulteriori uſui erant inepta, in urbem conducerentur.

Cæſar Lintzio Viennã redit.

Die altero, decimo octavo Kalend. Octobris Lintzio Cæſar naviglo Viennam rediens, in exſcenſu à binis Electoribus, Carolo, aliisque belliducibus; Nusdorffi verò à Starrenbergio ſummâ cum gratulatione & tormentorum applauſu excipitur, luſtratisque obſidionalibus viis, murorum, propugnaculorumque lacunis & ruinis, urbem per portam Ungaricam Stubenthor (ſub qua illum magiſtratûs nomine conſul Daniel Fockius gratulatorio excepit ſermone) inter ambos medius Electores ingreſſus, ædem D. Stephani ſubiens, armipotenti Deo agit gratias, intonato per Collonitſchium Card. hymno Ambroſiano, inde ad horam quintam in antiquo palatio (novo nimium igne & globis fœdato) cum Electoribus pranſus, reliquum diei gratulatoriis Principum, Magnatumque datum eſt ſalutationibus & obſequiis: petiitque imprimis Emericus Epiſcopus Vienneuſis, Ord. S. Franciſci Capucinus, ut quia Turcæ hac obſidione turrim S. Stephani toreumatis artificioſè elaboratam crebris læſerant tormentorum ictibus, cui anno 1529. Solimannus civium rogatu pepercerat, atque iden Turcarum agalmate ſemilunâ cum ſtella ſtipulatò & gratioſè inſignita fuerit, hac modò dejectâ Chriſtianorum more Crux ſupplantaretur: annuit Cæſar; ſed poſt triennium prius 1686. in feſto exaltationis S. Crucis, magnâ urbis ſolemnitate, nec ſine ſpectantium horrore Crux Hiſpanica à Nicolao Reſytho, & binis ejus filiis Luca & Jacobo turri implantata, alta pedibus Viennenſibus quadringentis triginta quatuor & medio.

Semiluna turcica in turri S. Stephani mutatur in Crucẽ.

R. Poloniæ defert Cæſari partem ſpoliorum.

Cauda equina turcica qualis.

Deinde decimo ſeptimo Kalend. Octobris admiſſus cum numeroſa Magnatum loricatorum turba Coronæ Polonicæ ſubcancellarius Legatus ſpoliorum partem offert Cæſari, caudam equinam, ſignum ſupremæ in campo poteſtatis, primo ſemper Vezirio præferri ſolitum, et atque pertica ſedecim pedes longa, craſſitie virilis pugni tornata, supernè deaurata, toreumatibusque acu picta, & equi marini jubis, ulnaris longitudinis exornata: quâ gratiſſimè acceptâ Cæſar Legato comitatus poſt abſolutam in Sacello Lauretano Miſſam Regem Poloniæ nunquam à ſe viſum coram ſalutaturus eques ad caſtra progreditur, quæ binis ab urbe milliaribus prima occurrebant Bavarica: hic Elector præſidens, vibrato decuſſatim reverenter enſe, gemmis fulgente ſic illum affatus: En, clementiſſime Cæſar, gladium à tribus jam annis Ottingæ à majeſtate veſtra mihi donatum: quod tunc appromiſi, nunc executus ſum: enſem hunc ſtrinxi, & porro ſtringam in majeſtatis veſtræ & Chriſtianitatis hoſtes. Placuit admodùm nunc Cæſari generoſus Principis generi ſui affectus, agensque gratias, luſtrato ſuo & imperiali Eberſtorffii exercitu, Schwechetum ad Polonicum contendit, Electore comitatus, Regi obviam cum filio procedenti Cæſar detectis & inclinatis utrimque capitibus humaniſſimas defert gratias, quod longinquum & difficile Rex iter emenſus, imminentem Chriſtianitatis & Viennæ cervicibus hoſtem victorioſè repulerit, cujus nulla immemor poſteritas æternam ſemper deprædicabit gloriæ memoriam. Ad quæ Rex, Deo, non mihi tribuenda eſt victoria, præſtiti Chriſtiani principis officium oppreſſæ tyrannide Chriſtianitati, ejusque capiti jure debitum, à ſe, ſuiſque nunquam, opum etiam, vitæque periculo intermittendum: unum doleo, quòd fugientem non liceat hoſtem inſequi, exercitu meo tridui itineris, diurni nocturnique difficultatibus, defectuque annonæ & pabuli (ob moræ periculum reliquimus commeatum & impedimenta ponè ſequentia) planè exhauſto: quo refecto, illum mox ulterius proſecuturus. Agedum fili Jacobe, Cæſaris oſculare manus: Cæſar autem amantiſſimè non manibus ſolùm, ſed totis eundem brachiis eſt amplexus, atque ita humaniſſimè utrimque ſibi valedicentibus Rex ad papilionem ſuum, Cæſar urbem regreſſus, dolenter obvia ſpectavit buſta, unico horto, Newgebäw/ dicto, reverentiæ erga Solimannum causâ adhuc inviolato, cujus ibidem anno 1529. militaria fixa fuerant tentoria; in quorum deinde memoriam Rodulphus Imperator totidem ædificaverat turres cupro tectas; in quo poſtmodùm ingens panis biſcocti, & annonæ copia eſt inventa. In urbe luſtratis Cæſar munitionibus Starrenbergio navatam fideliter operam ingentis pretii annulo compenſat, eumque conſiliarium intimum, & generalem campi mareſchallum declarat; addidit Hiſpaniarum Rex vellus aureum, quod collo ejus Cæſar ipſe in oragoa equitum dynaſtarumque encomia injecit, & Viennenſis ei magiſtratus duo ducatorum millia donavit in aurum, eximitque domum ejus omni in perpetuum civili onere.

Cæſar viſitat caſtra Bavarica & imperialia.

Et Poloniæ. Regi gratias agens.

Viennã reverſus aureo vellere ornat & annulo Starrenbergum.

Dum Cæſar per Viennenſem ſaltum Linciũ, & Saxoniæ Elector cum agmine ſuo in patriam ſuam annonæ defectu regrediuntur, magnis interim paſſibus & pernici pavore Turcæ fugam continuant, in qua Vezirius adverſam deteſtatus fortunam, & ſuæ metuens vitæ coram ſilus illacrimans ajebat: O Vienna! quam ne lapis ſupra lapidem maneret, delere, & Imperii Rom. viſcera penetrare ſtat etiam, quàm animæ meæ lacinas viſcera, & me, meosque inevitabili eventis fato! cæteri variè diſperſi noctis beneficio elabi ſperantes, Chriſtianorum enſibus plures in fuga quàm prælio ſunt interfecti, & captivi plurimi liberati: Walachi autem Moldavique noctu agminatim vagantes die illuceſcente turcica reperivêre caſtra: illorum Princeps Servanus paulò ante ſolutam obſidionem pietatis ergo loco ſtationi ſuæ proximo, im Gatter-Hölzlein / crucem ingentis è quercu molis XVII. pedes longam terræ defixerat, latina hac inſcriptione inſculptam: *Crucis exaltatio eſt conſervatio mundi: Crux decor Eccleſiæ, Crux cuſtodia Regum, Crux confirmatio fidelium, Crux gloria Angelorum, & vulnus dæmonum. Nos Dei gratia Servanus Schantha Curzenus, Walachiæ Tranſalpinæ Princeps, ejuſdemque perpetuus hæres & dominus &c. ereximus Crucem hanc in loco, quavis die devotione populi & ſacro honorato, in perpetuam ſui, ſuorumque memoriam tempore obſidionis Machametana à Vezirio Kara Muſtaffa Baſſa Viennenſis inferioris Auſtriæ, menſe Septembri, die prima, anno MDC. LXXXIII. Viator memento mori.* Quam Crucem Joannes Baptiſta Mayerus Vicarius Generalis in urbem Epiſcopali juſſit inferri palatio.

Vezirii molitio & lamentum.

Servanus Walachiæ Dux crucem in caſtris erexit.

Confluentibus jam ex fuga undequaque copiis juſtum Vezirius recolligens exercitum, haud longè Jaurino conſederat, & mox Ibrahimum Baſſam Budenſem, inſignis experientiæ & fortitudinis militem, Soldanoque perchatum affinem,

Vezirius plures Baſſas immeritò ſtrangulat.

tiem, maturatæ inſimulatum fugæ, non re, ſed dolo & odio jubet ſtrangulari; nimiâ enim impugnandæ urbis tarditate moram Chriſtianis vires colligendi, urbemque liberandi concedi audacter Vezirio oggeſſerat; cujus irreſtagabile apud Soldanum teſtimonium certam illi necem intuliſſet, quam poſtmodùm tamen injuſtam Ibrahimi mariti ſui necem implacabiliter vindicatura Baſclaria, Soldani ſoror (quam Vezirius ardenter, ſed irritò deperiiſſe, ideoque mortem mariti ejus acceleràſſe dicebatur) aliis etiam accedentibus cauſis procuravit: nam infauſtum prælii, Viennenſisque ſolutionis eventum à ſe nequiter in alios derivans Baſſas, morte mulctaverat; quam ſibi etiam Tartarorum Chaious intentatam audiens, opportunéque præmonitus, fugâ ſibi conſuluit, ideoque Ducatu illum privavit, aliumque ſubſtituit, atque ita transmiſſis Arabone & Rabnitzio, dejectiſque poſt ſe pontibus allato Strigonium curſu contendit; inde juſtum dimittit agmen, Tattam, Papam & Veſprimium, ut eductis curulibus inde machinis (è Viennenſi eas retuliſſe obſidione ſicturus) illa ſolo æquarent; ſed Papenſes & Veſprimienſes turcicæ cladis certi, cæſo opportune turcico præſidio, cæteros non admittunt; ſed eo Comes de Reckum deſtinatus, Papam, Dotim & Veſprimium Cæſareo occupat milite: pluresque aliæ civitates, harum exemplu, abjecto turcico jugo Cæſari ſponte ſe ſubmiſerunt: Budianus etiam Turcarum hucuſque ſocius, nunc verſis armis Aſpermontio conjunctus eoſdem in fuga perſecutus, plures proſtravit: quin & Tôckelius ipſe ſibi metuens, literis ad Regem Poloniæ datis, conciliandi modum armiſtitii propoſuit; ſed meritò fuit rejectus.

Plures urbes occupaturus rejicitur, Chriſtianos admittunt.

Rebelles plures Cæſar recipit, rejicit Tôckelium.

Refectis autem exercitibus Rex Polnniæ & Duces Bavariæ ac Lotharingiæ tranſmiſſo intra Presburgum Danubio, rectà Barcanum inter & Strigonium inſtratum Danubio pontem everſuri pergunt: Vezirius periculum præventurus, decem eo Turcarum millia demittit, eorumque quatuor millia ſylvarum latibulis tecta, aliquot boum illecebris Polonos prædæ & laudis cupidiores, ſineque peditatu præcurrentes, ad inſidias trahentia (cùm tamen Carolus Regem præſentis præmonuiſſet periculi, hoſtem ex utroque latere, hinc Turcarum, hinc rebellium exercitu adhuc maximè validum, loco iniquo imminentem ſolo adoriri equitatu) Turcæ magno Polonos tumultu & ardore invadunt, turbatiſque ordinibus in fugam conjiciunt, quam nec Regis caſtigantis authoritas, nec exemplum fortiter pugnantis potuit retardare; ſed à ſuis omnino Rex corpore obeſus, & labore deſatigatus, cum tribus gregariis, & cameræ præfecto derelictus, ægrè Turcarum circum ſe frameas & mortis periculum robuſtiſſimi equi beneficio vix reſpirans & ſuccollatus feliciter evaſit, quam filius ejus equi etiam beneficio, relictâ à Turcis apprehensâ togâ vix elapſus lacrimis jam modò parenti illatam deplorabat: gregarius enim miles intentatam Regi lanceam ſuâ morte avertendo, alter ſtrictam bombardulâ ſuâ frameam rejiciendo Rex tandem effugit incolumis, multis ſuorum (870.) & Comite Denhofen amiſſis: ſuccurrens autem protinus cum Germanis Carolus hoſtem inſanè furentem rejicit, fugat, & altero die VI. Idus Octobris caſtra Suecorum acceſſu 4000. peditum, & 1000. equitum confirmata Strigonium verſus promovet. Turcæ heſterno ſucceſſu alacriores octodecim facilè millibus in ſiniſtram Caroli alam ingenti rurſus furore & clamore irruunt, quam irrito impetu impenetrabilem ſentientes, in dexteram Polonorum declinantes, luxatis rurſum ordinibus loco illos pellunt; ſuccenturiatis ſuſtinentibusque interim impetum Germanis, & loricatis hoſtium latus opportunè fodicantibus, donec Polonus ordines reſtauràſſet, unitis mox viribus eos involant: tunc turcica vacillare acies, ordines laxari, cruenta edi cædes, & turpiter Strigonium pontis beneficio fugere, qui nimiâ hominum equorumque ſubſidens multitudine magnum hoſtium numerum undis immerſit: pars in paludes, (3000.) compulſa, Polonorum heſternam cladem ulciſcentium frameis fuit Mahumeto immolata: fuitque hæc multò copioſior Viennenſi cæder, ultra 5000. capti ſunt, Baſſæ Siliſtrienſis & Aleppenſis, totaque ſimul caſtra & equi quater mille: Dunwaldus hoſtem perſecutus uſque ad Barckani portas, cujus poſtè ſecuta eſt deditio Ludovico Badenſi eliſâ urbis portâ ultroneè facta, captique præter 400. Janizaros haud pauci Turcæ, quorum plures à frementibus Polonis, ſociorum ibidem capita haſtis infixa ſpectantibus necati, oppidum 20. tormentis, prædique dives direptum & Vulcano traditum.

Carolus ibidem ad Barckanum Turcas internecivè cædit.

Barckanum occupatum

Tum adducto Comorrâ navali ponte itum eſt Strigonium, ubi expugnato in monte S. Thomæ per Scherffenbergum munimento, urbs acriter tormentis & pyrobolis impugnata eſt, quam non minus fortiter Turcæ incenſis ſuburbiis per quitriduum defendentes, relictâ tandem urbe in arcem confugiunt: inſtant Cæſareani & Bavari, dejectiſque cuniculo muris, quamvis primo arx impetu capi poſſe videretur; parcendo tamen ſanguini Carolus ultroneam poſtulat deditionem. Præfectus, quamvis primùm invitus, poſt ſex horarum tamen inducias pactis conditionibus urbem VI. Kalend. Novembris tradit, ut præſidiarii biduanâ inſtructi annonâ, mutis tympanis, vexilliſque convolutis, cum impedimentis navigio Budam conducerentur, captivi dimitterentur, omnis apparatus bellicus, commeatus & annona in urbe relinquerentur, urbs denique & arx Chriſtianis traderentur. His juſtè adimpletis, abeuntibuſque Ottomannis Carolus urbis præfecturam Carlowitzio, legionis Stattenbergicæ vigiliarum præfecto cum mille armatorum præſidio committit; inventæque ſunt in urbe & arce ultra 60. curules machinæ, copioſus bellicus apparatus, 6000. orcæ nitrati pulveris, & commeatus in medium ſufficiens annum; 3. mortaria & copioſa globorum, pyrobolorum & ſphærarum punicarum abundantia, quibus Jaurinum, Comorra & Vienna oppugnari, & ubertim rurſus inſtrui potuiſſent; atque ita felix fauſtaque hujus anni expeditio divino ſiogulariter favente omine terminata fuit, Rexque Poloniæ nonis Novembris à Carolo Duce ſuis cum copiis diſcedens per ſuperiorem Ungariam in Poloniam rediturus, urbem Setzſchinam, & proximas arces Barackum & Holackum, mutuam utrimque communicationem facilitandi causâ deditione cepit, eaque germanico communiri præſidio à Carolo poſtulans, ſuas in hyberna copias ad Tibiſci tractum diſtribuit, & ingenti totius regni gaudio & jubilo decimo Kal. Januarii Cracoviam plenus gloriâ triumphaliter ingreditur. Elector quoque Bavarus Linciûm rediens humaniſſimè à Cæſare exceptus, poſt bellicum futuræ expe-

Et Strigonium captum.

Copioſus ibidem bellicus apparatus.

Rex Polonia & Bavarus ad ſua redeunt.

Rex Poloniæ Turcas perſecutus, ſuo & filii mortis periculo cæditur.

expeditionis concluſum conſilium inde à Cæſare ultra bis mille paſſus extra urbem honoris & affectûs gratiâ comitante dimiſſus, nono Kalend. Decembris Monachium omnium gratulatione & lætitiâ appulit. Carolus Lotharingus verò copiis ad hyberna dimiſſis ipſe quoque conſilio & fortitudine glorioſus Kalendis Decembris Lincii expeditionis ſibi commiſſæ ſeriem Cæſari latius cum omnium laude & ſatisfactione expoſuit; dum interea Dunvvaldus & Scherffenbergus Leutſchum ſuperioris Ungariæ oppidum cæſareæ fecerint poteſtatis, dimiſſis quidem liberè 500. præſidiariis, ut vocant Tolpatſchiis, quos obvii poſtmodum Poloni omnes mactârunt. Plura ſubinde oppida & arces, nec pauci proceres haud ignobilis conditionis conjurati victricibus Cæſaris armis ſe ſubmiſerunt, Comeſque Zabborius ab Eſterhaſio Palatino ad Cæſarem ductus clementiſſimè in manûs oſculo donatus eſt veniâ.

Plures urbes & rebelles ſe ſubmittunt.

Mahomet audità clade furore inſaniens

Interea temporis Soldanus Belgradi omni temporis momento fauſtum captæ Viennæ nuntium præſtolabatur, & Conſtantinopolis jam omnia in ſolemniſſimum apparata tripudium & triumphum propediem inſtituendum: varias in hanc rem Chriſtianorum Principum, Epiſcoporum & Pontificis Maximi imagines ac pyreas machinas igne accendendas, & illudendas conſtruxerant; tum ecce medio Septembris adeſt infauſtiſſimæ ad Viennam liberatam cladis nuntius; adeſt mox alter cladis Barckanæ Soldanus incredulus tantum, tamque exercitatum ſuum vinci poſſe exercitum, caſtris eſſe exutum, omnibus ſpoliatum, agonizanti jam jam Viennæ imminentem eſſe modò fugatum, & turpiter devictum, perſuadere ſibi non poterat; at dum Solimannus Imbrhor & Cadileſcherus juramento confirmâſſent, tum Mahomet turbari, inſanire, furere, & ut inſanus ejus furor horribilius noctu monſtrum poſſet concipere, omnes cubiculi ſui lampades, quæ ardere ſemper per noctem conſueverant, extinguere, cubicularios, & excubitores abſcedere jubet; fatalis tandem fœtus prodit hoc ſanguinis decretum: omnes Imperii Turcici, imprimis verò Urbis Conſtantinopolitanæ incolas Chriſtianos, cujuslibet ſexûs & conditionis, Principum etiam Legatos internecione mactandos: & jam plurimi occidebantur captivi, cùm Mufftius ſupremus ſacrificulus Chriſtianos tolerandos, non mactandos pecudum more Alcorani lege cautum demonſtrat: non auditus inſtat: An igitur conſultum omnes Chriſtianos Principes in certam Turcici Imperii ruinam irritare, & ultrò provocare hoſtes, quorum pauci tantùm exercitûs noſtri enervârunt potentiam? inde pacatior Mahomet Belgrado ſe Adrianopolim & hinc Conſtantinopolim proripuit ingenti pavore trementem, & in tumultum inclinantem: Supremus etiam Vezirius Budâ contendens Belgradum decem cum Strigonienſi Baſſas ob maturam, ſed inevitabilem fugam ſecuri jubet percuti, non ſine levi Chriſtianorum emolumento, quòd hoſtilis ita exercitus viris militari ſcientiâ, animique generoſitate, & virium fortitudine (qualis Bibbrus Baſſa ubique prædicabatur) crudeliter non minùs quam inſanè deſtitueretur, quo diſpendio & crudelitate, totque ſimul cladibus Ottomanica aula, populusque graviter offenſus, Vezirii Karæ Muſtaphæ caput poſtulat, quod invitus quidem Mahomet; ſed urgente idem Baſclariâ ſorore ſuâ, Bibbri uxore, mandat Capigliato Chiecajæ Chiauſo Baſſæ, capitalibus ejus inimicis, reſcindendum. Vezirius fatali ſe huic ſubmittens ſententiæ, octavo Kalend. Januarii laqueum ſuo ipſe collo conſtanter inſerit, & ſtrangulatum à carnifice caput Adrianopolim ad Soldanum componendæ plebi tranſmiſſum, Belgradum relegatur, in Moſchea, ſeu fano ab ipſo Muſtapha extructo ſepeliendum. onde poſtmodum intercepto à Chriſtianis Belgrado, caput ejus Cardinali Collonitſchio traditum eſt, qui illud arculæ incluſum cum ejuſdem ephippio, dorſuali, & phaleris auro gemmiſque pretioſè exornatis, in perpetuam ſolutæ obſidionis memoriam Viennæ civitati donavit, in armamentario reſervandum: bona ejus & gazæ immenſi pretii (viginti millionum ajunt) fiſco addicta ſunt. Talis fuit exitus Karæ Muſtaphæ, ſupremi in ſeptimum annum Vezirii, filius agaſonis frumentarii, ad ſupremam ſenſim Imperii Turcici poſt Soldanum dignitatem emergens, potiſſima regni negotia, Mahumere ſilvis, feris, & venationibus ſemper ad joſtum aulæ, plebiſque odium intentò adminiſtravit; ſed infami tandem, & dignitati huic fatali morte vitam miſerrimè terminavit.

Jubet omnes in tota Turcia mactari Chriſtianos.

Quod impedit Mufftius

Vezirius 10. Baſſis ſtrangulatis, ipſe ſtrangulatur.

Fuit vilis conditionis.

Dignitati ſucceſſit Ibrahimus Amaſienſis Kaimakan, ſeu præfectus urbis Conſtantinopolitanæ, qui ex Aſia, remotiſſimiſque provinciis Spahos & Janizaros, & quidquid uſpiam veteranarum erat copiarum, ad reſtaurandum exercitum properare, tyrones per univerſam Turciam ad Mahumetis provocare vexillum, hoc addito edicto, ut qui arma induturi bona poſſiderent, à publicis ea oneribus & tributis exempta forent, ſtipendiarii autem iis carentes, duplici gauderent ſtipendio: novas etiam curules machinas, & quidquid rei tormentariæ deerat (deficiebat autem ex cladibus plurimum) ſine mora refundere, aut è Seraglio jubet in maturam educere expeditionem, aut regni defenſionem. Nam Cæſaris non tantùm fortunam, ſed & Venetorum metuebant arma, Cæſari, ut audierant, ſocianda.

Succeſſor Ibrahimus novam adornat expeditionem.

Cauſam præbuêre in Dalmatia Morlacenſes, qui poſt occupatam à Turcis Candiam, initamque pacem haud exiguis in limitum diviſione agris, ditionibus, diſtrictibuſque ſpoliari, de finitimis continuò oris, & confiniis cum Turcis ambigentes, nuperis Turcarum cladibus animati, in hoſticum excurrentes, arces: Uranam, Obrovazzam, Scardonam, & Duaram, antehac à ſe poſſeſſas, Republicâ ſeriò, & inflictis etiam pœnis, ſed fruſtra inhibente, recuperant, pacemque contemerant. Horum vindicias Veneti metuentes Cæſareo - Polonicum fœdus amplectendum deliberant, diſſuadentibus Michaële Foſcarino, & Aloyſio Juſtiniano, urgente autem Innocentio Undecimo Pontifice, ſuadentibuſque Petro Valiero, & Friderico Marcello "variam, illi dicebant, belli aleam facilè jactam haud facili poſſe "manu reſumi; unam alteramve cladem una "ſæpè felicis pugnæ reſarcit abundantiùs for- "tuna; concuti poteſt, non everti facilè im- "menſa Ottomannici Imperii potentia, quæ "orbem ſæpiùs terruit univerſum: an non "recentia adhuc noſtra liveant amiſſæ Can- "diæ vulnera, & non meritò formidabimus "diriora? reſpirat ſenſim à pace reſpublica no- "ſtra "

Morlacenſes in Dalmatia Turciam invadunt.

Veneti de fœdere Cæſareo-Polonico contra Turcas admittendo deliberant.

Pars negativa ſenatorum

,, ſtra: bello ſi non expiret, infirmabitur ſaltem, commerciis & negotiationibus aliò dilabentibus, & ærario jam non publico tantùm, ſed & omnium ſtatuum privato ubique deficiente: nec tantas eſſe Morlacenſium diſcordias & excurſiones, quin componi poſſint, & ab ipſis facilè Turcis componendæ, ſi primos turbatum auctores ſibi ſubditos comprimant. Sit felix etiam luctuoſuſque nobis belli eventus, quo felicior, eo acerbior Turcarum in nos erit invidia & inquietior, donec potiantur amiſſis, interim Reſpublica nunquam non obnoxia periculis, & copioſo ſemper milite erit inſtruenda; cui plurimum quidem defenſivum cum præfatis Principibus ſerviret fœdus, ſi foret perpetuum, & Principum animus immutabilis, qui cuncta propriæ metiuntur utilitatis decempeda; neque enim idem ſemper eſt mundi curſus; ſed ſicut flumina imbribus aucta quaqua ruunt, conferunt pericula, minantur ruinam; Turcæ autem opportunis intenti occaſionibus, Chriſtianorum diſcordiis ſua maximè auxerunt imperia; imbellis denique reipublicæ eſt ſecuritas, quæ externis nititur auxiliis, & quod caput eſt, infauſtos hactenus Veneta bellorum in Turcas ſortita eſt ſucceſſus, deteriores metuendi. Altera econtra Senatorum pars cum Valiero & Marcello aſſerebant, Deum præſentibus victoriarum præludiis Ottomannicæ potentiæ velle prænuotiare ruinam, & imperii devolutionem, occaſionem utique hanc, quâ nulla unquam opportunior, neutiquam differendam; quæ caſus offert, in ſapientiam vertenda ſunt; quid arctius autem ejus poſſet, quàm triplex hoc fœdus, conſtringere potentiam? funiculus triplex difficilè rumpitur: ex arctis nimium Dalmatiæ limitibus aut mox funeſtum bellorum erumpet incendium, aut intolerabile jugum emerget exactionum, quo inſatiabilis Turcarum avaritia ſub componendarum ſpe diſcordiarum nunquam finiendarum, ingentem continuò extorquebit pecuniam & tributum, Reipublicæ intolerabile, quin igitur triplicis impugnetur fœderis exercitu, tribus in locis irreſiſtibili? an non navalis noſtra claſſis mutuum provinciarum turcicarum ſubſidium intercipere, omnemque prohibere aditum facilè poterit? generoſiſſimus Polonorum Rex magnas cum bellicoſa gente ſua molitur expeditiones, à victorioſo nunquam Cæſare interrumpendas, certam victoriarum ſpem haud obſcurè appromittentes; quarum & nos, ſi libet, licet eſſe participes. "

Pars affirmativa.

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLVI.

1684.

AVerſante imprimis bellum Duce Contarino anceps aliquamdiu ſenatus, bellum tandem decernit, & in triplex admitti fœdus per ſuum Viennæ legatum Dominicum Contarenum impensè ſollicitat, ſubque Ducis ſui Ludovici Contareni, decimo ſeptimo Kalend. Februarii MDCLXXXIV. decedentis mortem facilè impetrat. Decimo igitur poſt die 26. Januarii in novi Ducis, quem Doge vocant, electione, majoribus Senatorum votis 41. prævalens Franciſcus Moroſinus, mirabili neſcio quâ metamorphoſi diſtentus, unanimiter eligitur Marcus Antonius Juſtinianus, reſervato ad glorioſiora Moroſino, qui generalis Venetæ claſſis præfectus, ſeu architalaſſus plurimis victoriarum lauris patriam, Rempublicam & familiam ſuam coronavit, ab ipſa poſtmodum Republica tanquam emeritus miles æternâ nominis, ſtemmatiſque ſui gloriâ ducali viciſſim pileo eſt coronatus.

Mors Contareni, ſucceſſit Juſtinianus Dux Venetorum.

Percuſſum interim triplex ſacrum Cæſareo-Polonico-Venetum fœdus eiſdem, ut ſupra conditionibus Romæ coram Innocentio XI. Pontifice, à Cardinale Pio, Imperii Rom. Cardinale Barberino Poloniæ, & Card. Ottobono Reipublicæ Venetæ protectoribus juramenm confirmatum fuit, & arma impigrè in hoſtem utrobique parata. Pontifice fœderatis ſingulis L. Imperial. millia in ſingulis durantis fœderis menſibus numerante: qui & Venetis Eccleſiaſticas & Religioſas in hanc rem decimas conceſſit, addiditque ſex triremes eorum claſſi in hoſtem conjungendas: Pontificis exemplo plures Cardinales & Principes Romani juſtam æris ſummam his ſubmiſerunt confœderatis, fortiter & conſtanter contra communem Chriſtianitatis hoſtem pugnaturis.

Fœdus triplex Cæſareo-Polono-Venetum Romæ juratum.

Innocentii XI. liberalitas in hoc fœdere.

Viennæ Cæſar novas extemplò annonarias, onerarias, imo triremes Danubio accommodatas, & maximè neceſſarias cum remigibus ſuis præfecto Vechio expediri mandat; urbis ruinas & rudera refici, muros & propugnacula reparari; utque peſſimâ diſſipatos rebellione Ungarorum Ordines ſub uno couniret capite, Rege ſuo, generali per Ungariam publicatâ amneſtiâ, rediêre in Cæſaris fidem XII. civitates, XIV. Comites, & Comitatus (Geſpanſchafften) XVII. omnes Presburgi fidelitatis juramentum coram Lotharingiæ Duce Carolo, cæteriſque Commiſſariis renovantes; reliquis, & ſuperioris præſertim Ungariæ urbibus ac dynaſtis metu Tôckelii furentis ſe excuſantibus, obedientiam tamen non recuſantibus.

Amneſtiâ publicatâ plures comitatus, urbes & Comites ſe ſubmittunt.

Nec deſiit Tôckelius indictis Eperieſum comitiis, ſeu ut alii ajunt, commiſſione, atque edicto publico Ungaros ad perduellionis adhortari conſtantiam, magnis adhibitis pollicitationibus, in proximo Karam Ibrahimum Vezirium ingenti cum exercitu adfuturum ſubſidio, totamque inundaturum Ungariam; nolentes autem minis terrere, & Humanajos, Baragozioſque Cæſaris amplexos gratiam armis ferociter perſequi, Franciſcum & Ladislaum Baragozios, Andream Schemſium, Franciſcum Rhebujum, Stephanum Machajom ſecuri omnes percuti, & Joannem Meltzerum infami ligno ſuſpendi, ſeniorem autem Baronem Baragozium in arce ſua Czaczava, & Sigiſmundum Humanajum in Ungwar, Budenſium & Erlavienſium ſubſidiis obſidere, quos inde Generalis Rabata Polonorum ad Tibiſcum conſidentium auxilio feliciter reje-

Quos Tôckelius morte punit.

1684. Rabata plures urbes recipit.

tejecit, inſtructoque neceſſariis Leutſchio, & aliis locis finitimis arcem Miſcoltam, Rebellium refugium flammis evertit, Creutzenaviam deletis 400. Tolpatſchiis intercipit, armatâ capit manu Portenfeldam & necatis trecentis præſidiariis prædam obtinet non contemnendam. Turcæ & Tartari etiam Debrezioum, Zathmariam & Potnachum (alii Polaekum) invadentes magnâ utrobiq; cæde repelluntur. Tôckelius autem cernens plures à ſe ad Cæſareas tranſire partes, furore inſaniens novis Turcarum confirmatus copiis, per Petrozium & Petnehaſium itirio marti arcem & vicum Ungwar cum adjacentibus novem pagis, & comitatum Schorſteinium juriſdictionis polonicæ, Semiratzium, Witznum, aliaque diripit loca & incinerat: equites Lubomirskios in Nitzig conſidentes ad unum omnes cædit, pluresque Polonorum copias Ungariâ expellit: Humanaji bona & territoria crudeliter devaſtat incenditq;, & à XIII. civitatibus Zipſetianis L. Imperialium millia extorquet; inſignibus tamen dum nonnunquam cladibus ab Hâuslero & Veterano mulctatur, plures ab illo centuriatim ad Cæſarem deficiunt; quare offenſus remoram oppoſiturus, miſſo Neoſolium nuntio hebdomadarum aliquot armiſtitium à Caraffa ibidem curante poſtulat, exigitq; Cæſareo Leutſchium evacuari præſidio, ne ferro flammaq; velint evaſtatum: re ad Carolum Ducem delatâ, deſtinatus eo Dunwaldius, Tôckelium mox Käsmarckio fugat Caſſoviam, inde Mongatzium, direptoque Kiſmarckio oppidanis veniam enixè petentibus parcit.

Tôckelius varia depopulantem Heuslerus, Veteranus, & Dunwaldus cædunt.

Cæſaris cum Gallo induciæ.

Dum interim ingens è Turcia perſonat armorum apparatus in Ungariam potiſſimùm convertendus, Cæſar ut illum ſi non planè avertere, diſſipare ſaltem poſſet, cum Gallo, quem variis ex ſuſpicionibus, Ratisbonæ aliorumq; in aulis Principum conceptis, Flandriæ, aut Rheni in Imperio Rom. Tractui imminere haud vanè metuebat, in annos XX. armiſtitium paciſcitur; miſſiſq; in Moſcoviam Legatis Blumbergero & Zirowskio facundæ eloquentiæ viris, ambos fratres Joannem & Petrum Moſcorum Imperatores ad off- & defenſivum in Turcas fœdus ſollicitat; magnis quidem ſumptibus, & inauditis ſolemnitatibus excepta eſt in Metropoli legatio; ſed diſſuadente imprimis Golozino, primario aulæ, ſtatûſq; miniſtro, tum ob mutuas fratrum ſimultates ægrè adhuc ſopitas, variaſque regni factiones; tum quòd Moſci perpetuam Smolenſci & Kioviæ à Polonis exigerent ceſſionem, fœdus tum quidem dilatum, duobus verò pòſt annis demum fuit concluſum.

Sollicitat Cæſar cũ Moſcis fœdus.

Nihil autem Viennæ conſultationum eſt intermiſſum, quo præſentis anni dirigenda felicius foret expeditio: quidam Vywarinum primò tentandum ſuadebant, non ſatis commeatu & apparatu, bellicoque ad reſiſtendum validè præſidio munitum, ſed lautâ preſſum fame; quo devicto ſuperioris Ungariæ Erlaviam verſus Rebellium nidos & latrocinia evertenda, quo firmius Turcarum tum poſſit obſiſti machinationibus. Budam alii regni metropolim aggrediendam, ſeptem armatorum millibus tantùm validam, ſed diſſenteriâ infectam, & revocato aſiatico milite, ob Soldani cum fratre ſimultates, ſubſidio fruſtratam; ideoque facilius capiendam perſuadebant. Decretâ igitur illius obſidione, Dux Carolus ad medium menſis Maji cum equitatu & impedimentis Vywarinum verſus contendit, ſubſequente, & navalem Schintæ pontem tranſeunte peditatu, Vywarienſium pecora intercipiunt, qui temerè aliquoties excurrentes nunquam ſine cæde ſunt repulſi; inde poſt trium dierum quietem, Carolus movet Barcaniam, relictiſque ſub tutela tribuni Halweili impedimentis, dum ſuperato Strigonii Danubio hoſtem collectis audit copiis Peſtum inter & Budam in juſtum coire, formareque exercitum, Vicegradenſem protinus arcem, opportunum obſidendæ urbis aditum jubet præripere. Superatis igitur viarum montiumq; anguſtiis, impugnatum mox oppidum ſuſtinere diu vim impotens decimo ſeptimo Kalendas Julii convaſatis præſidiarii rebus ad horam noctis nonam relicto oppido ad arcem confugiunt, defenduntq; pertinaciis, multis Chriſtianorum cæſis, pluribus ſauciis (Carlowicio Strigonii præfecto in brachio, & in veſta Principe Neoburgico Ludovico) quòd Ottomannorum turma arci approximata, magnâ obſeſſis vociferatione ſuccurſum proximè certò affuturum promiſerint, quos exemplò Heiducci cæſis eorum aliquot repulerunt, & arx eò crebriùs pyrobolis tormentiſque fuit flagellata, Carolusque miſſo nuntio deditionem poſtulat ultroneam, recuſantibus autem internecionem futuri militum permiſſurus. Obſirmatum hæ minæ præfectum, & quòd Vicepræfectus cum æquis quatuor pyreumate necatus interea eſſet, ad deditionem, liberi tamen diſceſſûs, cogunt, quem omnino Carolus, niſi alio urgente caſu, non permiſiſſet: Turcæ enim de ſolvenda obſidione deſperantes cæſareana invaſum impedimenta haud procul Strigonio ad montem ſub ſilvæ latibulo conſidebant: re opportunè intellectâ, vigilantiſſimus alias, ſed numero deceptus Hallweilus obviam cum parte equitatûs procedit, dato Noirkenni imperio cum 600. equitibus ponè ſequendi, juſſeratque ſimul Rabattanam approperare legionem: vix hoſtium multitudinem conſpexerat, cùm ecce lunari circumcingitur acie, pugnatûr utrimque acriter, hic germanâ fortitudine, hoſtis multitudine, donec Rabattana, ex circuitu aliquamdiu morata, cum aliis accederet legionibus, tum vacillare Turcarum acies, luxari, & fugam capere, à germano continuò milite multis in ſecuta paſſibus. Cecidit hac in pugna præter 30. gregarios Hallewilius ipſe, lanceâ in pectore, & in facie jaculo fœdè transfixus, ſummo omnium, ſed Caroli imprimis dolore, plurimi virum magnæ generoſitatis & vigilantiæ æſtimantis: captus autem junior Comes Rabatta, jam tum deveſtitus, à duobus equitibus ſuis libertati reſtituitur, & obtenta aliquot equeſtria hoſtium ſigna Carolo præliantibus in via ſubvenienti oblata ſunt. Pacta interim à Maximiliano Starenbergio Vicegradenſis deditio ad Caroli reditum & ſubſcriptionem fuit ſuſpenſa, quòd præfectus ob violatæ ultimæ à Chriſtianis factæ deditionis pacta jurata, talionis pœnam, ſeu internecionis juſtè metueret. Subſcriptis autem pactis decimâ quarta Kalendas Julii ſeptingenti & tredecim præſidiarii cum 15. mulieribus ex urbe ad inſulam S. Andreæ liberè demiſſi ſunt, quibus totidem ferè legionis Neoburgicæ armati ſub ejuſdem ſubtribuno in urbem ſuccedentes, VII. bellicas machinas, Rodulphi Imperatoris nomine aliquot inſcriptas, exigui verò commeatum apparatûq; bellicũ (quæ maturatæ forſan deditionis cauſa) repererunt.

Budæ obſeſſio decreta.

Vicegradum Carolus occupat.

Prælio ibidem Turcæ cæſi, & Halewilius occiſus.

Vicegradenſis arcis deditio.

Carolus inde exercitum quietis causâ reduxit Strigonium, atque hinc per anguſta viarum, & vicum Marotſchium tecta Vaciam contendens, hoſti-

1684.

A Carolo Lothar. Vacenſi prælio Turcæ victi.

hoſtilem in planicie ſpectat exercitum acie formatum,& viginti tribus facilè millibus validum, dextera cujus ala Janizaris mixta verſus montes, ſiniſtra Vaciam verſus extendebantur. Grata omnibus hæc cum hoſte confligendi occaſio: extemplò Carolus aciem diſponens alam dexteram Principi Salmenſi (Badenſi dicunt alii) Ludovico principi Neoburgico ſiniſtram; medium, ſeu corpus Maximiliano Starrenbergio committit, ipſe cum Mareſchallo Erneſto Starrenbergio univerſum ubique curaturus. Hoſtis Chriſtianos itinere feſſos haud difficile perrumpendos exiſtimans, dato mox quinq; tormentorũ ſigno, dexteram Salmenſis aggreditur alam; ſed facilè repulſus, horrendo protinùs ſiniſtram boatu impetit, ibidemque tormentis bombardiſque inſigniter exceptus, cùm denſatos Chriſtianorum ordines iterato quater impetu laxare non poſſet, in turpem à Chriſtianis actus confuſionem, fugam arripit, quam Salmenſis advertens, expeditis ſubitò aliquot in viam Vacenſem dimachorum turmis aditum intercludit, fugienteſque plurimi ab inſequente legione Hâusleriana ſunt necati, 600. Janitzari danubio ſubmerſi, pauci in oppidum recepti; equitatus verò Peſtum avolavit: cæſi ſunt mille Ottomanni. CCC. Janizari capti, Chriſtianorum defuerunt pauci, niſi quòd illæſo Carolo equus ejus in collo ſit trajectus ſclopi manualis globo.

Vacia capta.

Deinde tormentis pyroboliſq; flagellata Vacia poſt acrem novem horarum defenſionem vincentium ſe tradidit poteſtati, & captivitati 800. præſidiarios, ſexcentoſque Janizaros ex recenti prælio profugos, danubianis triremibus applicatos, urbs in prædam conceſſa, quam miles ſpoliorum avidus in cellis & cryptis penitius perſcrutatus plura Chriſtianorum diſſecta hinc inde corpora inveniens, in furorem & captivorũ penè internecionem fuit adactus. præter divitem ſatis prædam XV. etiam bellica ibidem tormenta ſunt reperta, & pro binis Carolus victoriis ambroſianum hymnum Te Deum laudamus in papilione ſuo intonavit, perſonantibus per caſtra tubis & tormentorum exploſionibus. Captâ & munita præſidio Vacciâ, civitate olim epiſcopali, & academiâ celebri, Chriſtianus movet exercitus ad finem Junii Peſtum, cujus territi adventu oppidani & præſidiarii, incenſâ urbe & navali poſt ſe ponte Budam fugiunt; quam mox Chriſtiani occupantes incendium extinguunt, Budenſium licet tormentis, & ex transdanubianis eorum caſtris multum petiti. Quintilis initio dum exercitus inde Vaciam reducitur, Turcarum aliquot vexillationes Mercium Peſti præfectum cum præſidiariis oppreſſuræ, Danubium clam tranſeunt; cujus opportunè præmonitus Mercius tam ſtrenuè eos excepit, ut pauci ad ſuos redierint. Confirmatâ verò Vaciæ in bellico conſilio Budæ obſidione, Styrumius cum parte rei tormentariæ, & die alterâ Caprara cum equitatûs parte, per navalem Danubii pontem ſunt præmiſſi, quos totus mox ſecutus, conveniensq; in D. Andreæ inſula exercitus in commodiſſimo ad D. Andreæ vicum colliculo conſedit inaceſſibilis: dexteram tuebantur alam prærupti montes, ſiniſtram Danubius, frontem longæ, latæq; paludes. His non obſtantibus hoſtis ſextò idus Julii incondito clamore, & incompoſitis, ut aſſolet quandoque, ordinibus dexterâ ſuâ Chriſtianorum ſiniſtram alam, & ſiniſtra Chriſtianorum dexteram temerè invadit paludibus intermediis: dexteram hanc hoſtilem alam Taffica legio ductu Salmenſis, adeo viriliter excipit, ut vacillare primùm, tum ſuccenturiatis aliis cum tormentis per Carolum turmis fugere inciperet, fugienteſq; Polonorum equitatus inſequeretur: Siniſtram ſimiliter Turcarum alam Chriſtianorum dextera tormentis ultra viginti opportunè diſpoſitis in fugam è monte præcipitat, unde in Starrenbergicæ & Schultzicæ legionum inſidias ad montis radices dilapſi, in vallem iterum tormentis rejecti, conjunctis demum binis ſimul alis, magno rurſus impetu Chriſtianorum ſiniſtram invadunt ſiniſtro quoque ſucceſſu; nam & inde turpiter ſtrage utrobique haud exiguâ repulſi fugiunt in montem, ibidem pernoctantes: inde Budam contendentes Chriſtianus extemplò exercitus eſt inſecutus, qui pridie idus Julii urbem circumcingit, vineas, obſidionaleſque vias egerit, tormentorum erigit ſuggeſtus, frequentibus licet oppidanorum exploſionibus impetitus, Fontanuſque comes, & Marchio Parella leviter ſauciati; proſtrati verò in occupanda ad Danubium commodæ oppugnationis, ſed irritò, ſtatione Comes Althemius, & Lotharingus quidam magnæ expectationis & nobilitatis volo, ſeu voluntarius.

1684. *Profligatis ad Budam Turcis, hæc obſidetur.*

Budenſes excurſione multos proſternunt

Dum Carolus urbem arctius occluſurus cum majore parte exercitûs montes tranſcendit, hoſtiles eminus Albam regalem verſus conſpiciens copias, obviam eiſdem procedit; ſed adventum ejus non præſtolantes ſubterfugiunt: abſente autem cum Carolo exercitu, Budenſes quaternis in oppugnatores locis excurrentes, vi magnâ vineis ad molam uſq; pulverariam ejiciunt; confeſtim aliis quidem accedentibus repulſi, ſed ducentorum noſtrorum ſtrage, Carlowitzii imprimis, præfecti Strigonienſis, militis ſane generoſi, Comitum etiam Fürſtenbergii & Hohenzôllerani, baronis Polheimii, & Klari centurionis. Die alterâ patefactis muris Starrenbergius inferiorem violenter urbem paucorum, quinq; ſolum, ſanguine capit, oppidanis in ſuperiorẽ fugientibus, & urbem ſimul cum noſtris incendentibus, quæ tota ventorum ſævitiâ in cineres eſt redacta: mox interceptus cum ſuo, munimento mons S. Gerardi, & die ſequenti oppidanorum excurſio validè, ſed Starrenbergii centurionis morte repreſſa.

Urbs inferior capta.

Carolus ſuccurſum Budenſem profligat.

Defertur inter hæc ad Carolum in proximo ad urbis liberationem adeſſe cum XX. millium exercitu Seraskierum: ille haud cunctandum, ſed tempore occurrendum ratus, undecimo Kalend. Auguſti XV. millium exercitu continuis per noctem itineribus eo contendens, hoſtilia ſub crepuſculum caſtra habet in conſpectu; nec mora, hoſtis plenâ Chriſtianos acie involat, & quaternis omninò horis dum feroci conatur impetu perrumpere, ipſe laxatis ubique diſſipatus ordinibus ſuis fugam arripit, & caſtra tota cum omnibus impedimentis, tentoriis, tormentis, commeatu, magno Mahumetis vexillo, & Seraskieri papilione in vincentium Chriſtianorum poteſtate relinquit, fugitque ingens Cæſorum & læſorum numerus, in fuga per Lubomirskios Polonos & Ungaros haud parum adauctus: quare in ſignum grati animi Carolus Ambroſianum Deo hymnum vocum & tormentorum ſono perſolvi in caſtris jubet. Quod idem Veneti ob interceptam octavo idus auguſti deditione urbem cum Leucade inſula Mauram fecêre ſolemniſſimè.

Venetâ Mauram capiunt inſulam.

His non infelicior in Croatia Generalis Comes Leslcjus fuit, qui cum exercitu & tormentis

1685. 1685.

Leslejus caſis bis mille Turcis capit Verovitzā, Preſovicam &c.

mentis paludoſam incredibili tranſiens labore ſylvam, proximè adjacentem, Veroviozam obſidione cingit; nec eam Turcæ, ſuccenſo flammis ſuburbio, & rectis domuum deoudatis defendunt. Baſſa Boſnienſis maturam urbis ex commeatus defectu timens deditionem, collectis ſubitò copiis liberationem tentaturus magnis eò paſſibus contendit: cujus certior factus Leslejus comitem Trautmansdorffium cum IV. armatorum millibus in occurſum expedit, qui numero & viribus hoſte, primùm ſe quidem gnaviter defendente, ſuperint, ſed caſtris eundem mox exuit. Iode Trautmansdorffius ad ſuos rediturus, offendit Baſſam Gradiſcenſem cum M.D. Boſnienſem confirmaturum; ſed viſis vix Chriſtianis in proximum ſubterfugit ſaltum, relictis cæſisque eorum paucis, captis 30. gregariis & Agis, ut vocant, duobus equeſtribusque ſignis duodecim. Duplicem hanc Turcarum ciadem ſubſecuta eſt deditio Verovitizæ, Preſovicæ, Sopiæ, Statinæ, Wewazini. Tum Dravo Leslejus pootem prope Turannowizium inſternens, audit profligatum nuper Seraskierum collecto confirmatoque apud Walpum exercitu Budæ rurſus liberationem tentaturum; cujus explorandi causâ Seravium Comitem cum aliquot Germanorum Croatorumque leginnibus præmittit, quem copiis multò ſe ſuperiorem aggredi non auſus, pontem cautè cuſtodiri juber, & per Seravium Mecslowinam occupat.

Budenſes acriter ſe defendentes multos proſternunt Chriſtianos.

Quantò interea temporis Cæſareani Budam flagellabant tormentis & pyrobolis ferocius, tantò eam pertinacius Turcæ defendebant, cæde utrimque non exiguâ, & graſſantes inter Chriſtianos morbi plures etiam dejiciebant tribunos & Generales. Campimareſchallus Starrenbergius febri licet afflictus, ſedili in tormentorum voluit deportari ſuggeſtus, ut alacrem Chriſtianis fortitudinem, timorem hoſtibus incuteret. His interriti Turcæ continuis erupooibus, & tormentorum bombardarumque exploſionibus acriter noſtros infeſtantes 28. Julii Sabaudiæ principem Eugenium in viis obſidionalibus, Salmenſi aſtantem Principi in brachio, illæſo tamen oſſe, vulnerant, die alterâ Cavaglierum & comitem Thierheimium globis ſternunt, ſauciant Scberffenbergum, qui viſo ſanguine ſuo leonis inſtar ferocior, erumpentem hoſtem altero tanto eorum ſanguine in urbem repellit. Jam etiam evibratis quandoque cuniculis Chriſtiani magno urbem conatu, exiguo ſed effectu, impetebant; immo deficientibus præ laborum, æſtûs, & morborum ſævitie foſſoribus obſidionalibus & baliſtariis vix ſingulare quidquam ſubinde efficiebant; oppidani autem iteratis ferociter eruptionibus multum ooſtris faceſſebant negotii, & præter gregarios plurimos Comitem Naſſovium, Baron. Lutzavium, Blumenthalium, Welſerheimum, Wagenheimium, Comit. Harrachium, & Ducem Saxo-Eiſenachum peremerunt, atq; Carolum Ducem febris dejecit in lectum. Häuslerus interim 1. Sept. frumentatum iturus, Alba-Regale offendens agmen 700. feliciter cædit, & 800. frumenti ſaccos, quaterq; mille quingenta prædatur pecora, ardenter in caſtris deſiderata.

Bavarus Budenſia accedit caſtra.

Quinto Idus Septembris Elector Bavarus cum ſuo acceſſit caſtris exercitu, & ſtationem caſtrenſem, viaſque obſidionales in urbis atcem dirigens, decurionem Idibus Septembris turcici gnarum idiomatis cum literis turcico-latinis ad urbis præfectum mittit, orbis deditionem Cæſaris nomine puſtulantem: cui præfectus quindecim liberaliter in auro donans ducatos reſpondit: ſat ſibi virium & animorum, ſat commeatûs apparatûsq; bellici in defenſionem eſſe; ideoq; nullam ſubeſſe, vel urgere poſtulatæ deditinnis cauſam, & dummodo captivi remitterentur Turcis, magnam ſibi fore beneficii gratiam, omni ſtudio refundendam. Quo audito magna Bavari contentione obſidionales vias promovere, ſuggeſtus perficere, flagellare arcem tormentis, & caſtrenſes ſine intermiſſione urgere labores. Seraskierus autem in omnem liberationis occaſionem intentus, pontem modò Eſſeckenſem XL. millibus transjiſſe, & triduo abeſſe caſtris ruſticorum vulgabatur relatione; famâ aliâ XX. ſolùm millibus variante, ſubtacitis ad arma tubis conclamatur, concurrentibuſq; Electore & Captarâ ad decumbentis Caroli Ducis conſilium, decretum eſt, circumvallanda tumultuarie caſtra, dextrumque exercitûs cornu montibus affigendum, in aciem diſponendum militem, & vias regias carragine, ſeu quadrigarum vallo ſepiendas; quibos dum arctius equites ultra quindenam continebantur, pabulationis defectu equi decedebant multi, & dum numero paoci frumentatum irent, ab hoſte carpebantur.

Seraskieri ſuccurſus appropinquat.

Sub hæc equitibus aliquot Spahis in adverſis Budæ montibus ſuum ſignificantibus ſymbolo adventum, oppidani agminatim equites pediteſque magna ad lunare munimentum furiâ erumpunt, & plures è noſtris gregarios, centurioneſque proſternunt, comitem imprimis Tilliū, badenſis legionis protribunum; poſt quinā tamen non ſine exigua eorundē cæde repulſam in urbem fortiter ſunt rejecti. Tum hoſtilis tandem exercitus montes agminatim deſcendens Chriſtianos levi certamine ſtationarios & vigilias laceſſit, conſtanter obnitentes, donec pleno in dexterum Cæſareum cornu irruente exercitu noſtri retrocedētes, & intermedii impedimento fuêre, quo minus globorum grandine copoſior in Turcis ſtrages ederetur; tantâ autem conſtantiâ repulſi ſont & celeritate, ut per ſaltum frameis inter ſuos fugæ ſibi viam ad montes ſternerent; in qua ſaucius ſenicio captus Chiauſius octo ſuorum millia fuiſſe referens, miſerè ſuam ex ea actione deplorabat fortunam. Dic alterâ Salmenſis Princeps V. equitum legionibus hoſtium caſtra exploraturus, oullum offendit; Budenſes autem ſummo mane in Starrenbergicam ad Danubium ſtationem excurreotes, & noſtros intercluſo exitu cingentes, ducentos cum centurionibus duobus, & vigiliarum præfecto Damin enecarunt, navibuſq; militem, commeatum ac bellicū apparatum in urbem receperunt, atq; unâ Seraskierus horâ à Chriſtianis rurſum caſtris plenâ conſedebat acie, quem Cæſareani tribus bavaricis confirmati legionibus oppreſſuri pluviarum tempeſtate detinebantur; has ipſas Budenſibus oauci curantibus, Chriſtianoſq; furioſe irruentibus Seraskierus agminatim è montibus devolutus, Aſpermontenſem ſubitò legionem, & duas incautè Vexillationes Salıoenſes circumvenit, eaſq; continuis cœli pluviis genutenus immerſas ad ſe defendendum ineptas, dum omnes internecione cædit, numeroſum ſimul ſubſidium civitari ſubmittit, quos ſexcenti mox alii ſubſecuti ex altera urbem parte petituri Chriſtianorum vi repulſi, toto ſimul cum exercitu fugæ ſibi conſulere ſunt coacti. Tot moleſtus fatalibuſque ex- & incurſionibus ne ulterius chriſtianus fangaretur & minueretur exercitus, 26. Septembris inſtructâ in hoſtem acie invaſurus, nullum invenit,

Repelluntur.

Budenſium excurſiones.

Succurſus urbē ingreſſus.

Ilbuanf. Hyſtor.

expeditus licet in fugientem ſit Polonicus & Huſaricus equitatus, qui reverſus vineas ſuas deſtructas, accenſa virgulta, lignaque operis caſtrenſibus neceſſaria, ab oppidanis urbi illata comperit: quare dilatatis murorum per Bavaros ruinis, ferox in urbem quarto nonas Octobris fit impetus, qui non ſolùm irritus, & 400. noſtrorum ſanguine fœdatus, ſed & tredecim mille panum caſtrenſium portiones Danubio in caſtra devehendæ in manus hoſtium devenêre, quo fames paſſim invaleſcere, commeatus indies apparatusque bellicus deficere, inclinante jam anno ſævire tempeſtatibus, imbribus & frigore cœlum, graſſari inter milites plurimis exhauſtos laboribus & moleſtiis morbos; hoſtis econtra iteratis in urbe confirmatus auxiliis arroganter efferri, & Seraskierus octavo Kalend. Novemb. impetum in dexteram Chriſtiani exercitûs partem 20. vexillationibus ſimulans, ſexcentos ad ſiniſtram Hungaros internecione ſternit, ducentosque è paſcuis equos, & Comitis Styrumii impedimenta liberè deprædatur.

Caſtrorū ingenua.

Et Urbis ſuccurſus.

Cæſar, cui hæc non erant incognita, Hermannum Badenſem, bellici conſilii præſidem ad Budana mittit caſtra, tot Ducum & chiliarcharum defunctorum defectum ſuppleturum, ſimulque jubet, ut ſi ſpes brevi urbem obtinendi non appareret, Carolus abſcederet potiùs, quàm tanto hominum ſanguine fruſtra oppugnaret. Convocatum igitur conſilium (ſubſidiariæ licet Franconicæ recens acceſſerint copiæ) obſidionis decernit ſolutionem, quam transfugus belli machinator oppidanis mox referens, afflictum Chriſtiani exercitûs ſtatum, cuniculos, plurimaque derexit ſecreta, & eorum auxit pertinaciam: Seraskierus etiam urbem propius acceſſit audacior & trans Danubium haud exiguis copiis Baſſa Erlavenſis; quos 7. paulò pòſt naves milite, commeatuque refertæ in Chriſtiani conſpectu exercitûs ſubſecutæ, in bavarica ſine obſtaculo appulêre ſtatione, quam tumultuariè dum quidam deſtruunt, alii remoratos in vineis Chriſtianos trucidant, reliqui ſonantibus tympanis urbem liberè ingrediuntur: ſicque Kalendis Novembr. Chriſtianus exercitus convaſatis impedimentis & tormentis itineri Albam Regalem verſus, ac ſi in Seraskierum moturus, accinctus, in Strigonienſe ſenſim declinat iter: quem ad montes uſque Strigonienſes inſecutus Seraskierus paucos poſtremi agminis milites carpens, paulò pòſt Budam centum camelis & quadraginta carris annonariis ovans ingreſſus ingenti urbis lætitiâ excipitur, ejulanteècontra Peſto, muris, cunctoque robore per Chriſtianos ſpoliato; valetudinarii autem navium defectu derelicti Turcarum enſibus & captivitate ſunt perſtricti: apparatus etiam & impedimenta aliquot, Piccolominenſia imprimis, in inſula S. Andreæ ex ſubito exercitûs diſceſſu remorata hoſtium ceſsêre poteſtati.

Decernitur obſidionis ſolutio.

Quod Chriſtianorum millia hac obſidio abſumpſerit.

Talis fuit Budenſis cataſtrophe obſidionis, quæ ingentem Chriſtianorum multitudinem XXIII. millia, quos inter 600. & triginta novem chiliarchas, & 147. volones crudeliter igne, ferro, fame & morbis univerſim conſumpſit, eluſitque celebrem Ducum Bavariæ & Lotharingiæ, totque tribunorum militarem ſcientiam, indefeſſam fortitudinem, & generoſam conſtantiam, quibus divina hac vice providentia Budam poſuit metam, altero pòſt anno ut plus ultra procedant glorioſiùs. Infauſtam hanc urbis oppugnationem quidam bellicorum machinatorum tribuunt defectui, quorum ſtudioſa peritia & copia quantum rei militari confert incrementi, tantum detrimenti eorundem ignorantia & inopia: ſiniſtræ alii Starrenbergii eam admodum diſſuadentis directioni & diſcordiæ; hic verò ſufficientis annonæ indigentiæ; alii denique conſiliariorum aliquorum eam ſuadentium invidiæ, quâ fruſtratâ Caroli quoque apud Cæſarem decreſceret gratiæ affectus; quod veriſimile tamen non exiſtimem; illud verius affirmavero, multa apparere iterum, & ſæpius cogitanti, quæ aciem quantumlibet acutam prius fugiebant; unde rectè Euripides: Sapientiores eſſe cogitationes poſteriores.

Cauſa ſolutionis.

Tôckelius pluribus locis occupatis, multos necat Ungaros.

Nec omnino tamen Cæſarem hoc anno fortuna deſtituit; ſed quamvis etiam adverſa primùm, faventior poſtmodùm in ſuperiori arriſit Hungaria, ubi Tôckelius homo nequiſſimus, à ſuis licet conjuratis multum derelictus, & oblatam Cæſaris gratiam omnino reſpuens, validam Comitis Humanaji arcem Unguar, polonico præſidio, regiâque munitam tutelâ, Rege fruſtra dehortante, intercipit, & alteram mox æquè robuſtam Critzuam armatâ manu, ubi XV. Ungaricos dynaſtas ſibi adverſatores palis crudeliter transfigi juſſit, quâ crudelitate terrorem ubique circumferens Humeniam deditione capit, & catholicos contra pacta confixit: in occupata ſimiliter arce Oſieſna, neglectis deditionis articulis ſubſcriptis & juratis, decem à ſe profugos pedites ſuſpendio, 96. Ungaros ſecuri, & palis ferire quinque nobiles Ungaros mandavit: pòſt novis Comitatuum aliquot ſibi adhærentium copiis, nervoque bellico confirmatus, tentatis fruſtra Zathmario & Potnocko, Sileſiam & Moraviam invadere contendit; Schultzio aditum ei intercludente, Tôckelius Erlavienſi adjutus ſubſidio pabulatores ejus cædit, equis haud paucis abductis, eundemque levi ad Eperieſum clade mulctat; die autem alterâ Schulzius Veterani copiis auctus, graviori Tôckelium clade rejecit & fugavit; inde Zebenium igne devicit, captoſque præſidiarios numero CXL. Huſari talionis pœnâ mactarunt. Tôckelius liberandi ſpe Zebenii deluſus, ſumptis Caſſoviæ tormentis X. Schultzium Zipſenſi ejecturus ditione, & arcem Zipſenſem, Leutſchumque recuperaturus ad Eperieſum contractis undequaque copiis 7000. conſedit. Hujus certior Schultzius ſummo per totam noctem ſilentio, viam ſimulans Bartfeldenſem, Eperieſum verſus paulatim deflectens, occulto per magiſtrum equitum Gombos [alii Bompos] itinere ductus, XVII. Septembris ſummo mane in conſpectum hoſtium, in monte patibulari machinis vallato excubantium improvisò venit, irruit, cæſiſque 400. caſtris exuit, tormentis omnibus, impedimentis & 60. vexillis, Tôckeliique papilione, lecto, veſtibus, ſuppellectili argenteâ, & ejus cancellariâ potitus; Tôckelius ipſe vix lecto ſe proripiens cum interula ſua Regetzum profugit: pauci è noſtris, & præcipui Baro de Burgſtall, legioniſque Veteranæ protribunus Bernſtein, & centurio Dalincos ſunt deſiderati. Ipſum Eperieſum mox oppidum tormentis, igneiſque globis ad veſperam uſque quaſſatum fuit; ſed neceſſariorum defectu, & quia omnibus defenſioni neceſſariis, & milite ex prælio eò confluxo abundabat, Schultzius inde diſceſſit prædâ haud ignobili beatus; ſolus enim Tôckelii papilio, à Soldano eidem donatus pretio 6000. Imperialiū

Schultzius capto Zebenio Tôckelium internecive cædit.

æſti-

1684. æſtimabatur, ſignaque ejus inſcribebantur :

Emericus Tôckeli Rex Ungariæ.

agalma ejus erat biceps aquila, cujus quadrilatera ſtipabant bini enſiferi leones, & bini coronam gerentes.

Aquilæ victoriæ indices.

Mirum illud hic accidit, quòd paulò ante invaſionem tres in altum aquilæ ſupra exercitum Cæſareum, hoſtem quaſi involantes, victoriæ veluti teſſeram Schultzio prænuntiare voluerint; nam omiſſo Eperieſo Bartſeldiam quatuor inde milliaribus diſſitam aggreſſus, ſatis munitam, bellicoque apparatu, annonâ & præſidio affatim inſtructam, poſt acrem oppugnationem, metu potiùs quàm neceſſitate 28. Septembris capit: præſidium omne exceptis L. mordicè Tôckelio adhærentibus, cæſareæ dedit nomen militiæ. Bartſeldiam ſeptimo oppugnationis die ſecutum eſt Marcowitzium, arx rupi inſidens validis muris, munimentis & receſſibus roborata, tum Comitis Erdôdi, tum Ragotziæ, uxoris Tôckelii poteſtati ſimul ſubjecta, atque ideo Tôckeliano munita præſidio vim Schultzii tormentis deſtituti, eluſiſſet, ſubſtructus niſi cuniculus murorum minitans ruinam, meticuloſam præſidiariorum deditionem, & liberum in Poloniam acceſſum, atque ultra centum pagorum territorium, cum magno belli & annonæ apparatu, tormentisque aa. extorſiſſet. Nec minus ſeliciter Comes Veteranus arcem Stratko, Comitibus Pôtri propriam deditione cepit, apparatu etiam bellico benè proviſam. Variæ deinde Tôckelianæ turmæ prædatum excurrentes, continuò ferè ſunt oppreſſæ: nam Suchiada cum CCC. à Tôckelio peditibus miſſus auxilio Dunawitzium, ab equitum magiſtro Mollnero incautè invaſus, cæſis ſuorum plurimis, ipſe cum uxore & liberis, prædaque quatuor millium imperialium eſt captus: ipſumque mox Dunavvitzium in Schultzii poteſtatem fuit dilapſum. Tôckelius deinde novis Caſſoviâ confirmatus ſuppetiis, Kâsmarchiam oppreſſurus dum impeditur, Zipſenſem crudeliter ditionem ferro & igne deprædatur: idem intentaturus malû Kirchdorffio, tormentis repellitur, excurrentesque audacter præſidiarii magnam prædæ partem plurium Tôckelianorum ſanguine extorquent. Schultzius autem novo auctus milite rurſus Eperieſum tentat, & tribus è ſtationibus acriter tormentis, irrito tamen conatu flagellat, quòd præſidiarii ſolutam obſidione Budam audientes, deſperatam obfirmâſſent defenſionem. Brumâ igitur, tempeſtatibus, & morbis invaleſcentibus, conſultiùs ab oppido diſcedit, cogitatque hyberna, quæ & alter Cæſareus quatriduo ad Strigonienſes inter continuas nivium, pluviarumq; injurias hærens montes, unicè deſiderabat exercitus, lubricis viarum difficultatibus ac frigore exhauſtus, & ſame undique ex frequenti copiatum tranſito ac populatione accreſcente enectus propè, & cunctis viribus deſtitutus.

Bartſeldiam Schultzius capit.

Et Marcowitzium.

Veteranus, arcem Stratko.

Tôckelii populatio Zipſenſis

Vaciam Turcæ recuperant.

Hoſtis Vacienſe interim oppidum deditione recuperat, quam quidam Ungarorum cum Germanis, præfectorum maximè diſcordiâ, alii Ungarorum maturatam proditione aſſerunt: certum illud, quòd præſidiarii fermè omnes pactis violatis interfecti ſint ab Ottomannis, iteratis continuò excurſionibus hybernantes Cæſaris copias infeſtantibus, eas ut repagulo quodam Comes Czoborus contineret, Suranam haud procul Vyvarino diſſitam arcem, dum præſidiarii equos pabulandi causâ exiiſſent, tempeſtivè intercepit, quo tantam Vy-

Czoborus Suranã capit.

Vvarinum ſame preſſum providetur.

varino ſic arctius intercluſo famem invexit, ut 1684. Præfectus ſeu Baſſa præſentiſſimum oppidi Budenſibus periculum, & annonæ penuriam ſignificans, niſi militis & annonæ maturarent ſuppetias, in firmam defenſionis ſpem ſuperfuturam. Indeſeſſo igitur Budenſes mox ſtudio centena aliquot annonaria plauſtra Novigradum deſtinant, Vyvarino variis ſub excurſionibus inferenda; ſed lynceâ ſemper vigilantiâ Czoborus mille ducentis equitibus remorabatur, donec aſtu tandem 25. annonarios currus exiguo comitatos præſidio, dum Hâusletus & Czoborus uno in loco facilè intercipiunt, in alio centum & ultra plauſtris & trahis copioſam oppidi annonam, validiſſimumque militare præſidium feliciter inferunt: unde præfectus arrogantior biennale reſtans tributum à circumjacentibus pagis ac vicis ſub gravi poſtulavit comminatione ſine mora perſolvendum.

Veneti Preveſã capiunt, fruſtrati arce Sing.

Altera confœderatorum pars, Veneti, poſt Mauram urbem cum tota 60. Italicorum milliarium inſula felicioribus captam auſpiciis, mox ingentibus ditati animatique ſpoliis Preveſam, ſex leucis S. Maurâ diſſitam, olim Nicopolim dictam, & Augusti Cæſaris prælio contra M. Antonium & Cleopatram devictos celebrem, deditione capiunt; validi autem in Dalmatia munimenti Sing tentata ab eiſdem impugnatio fuit fruſtranea. Haud ſelix tertii Confœderati, Regis Poloniæ, in Turcas fuit expeditio, defectu primò pontium Tibiſci tempeſtatibus exundantis ſæpius confractorum retardata; tum invaleſcente hoſtium multitudine mutilata, morborum denique & ſamis violentiâ concidit infirmata.

In proximam utrobique deſudatur expeditionem

Jam bellico defatigatus labore utrarumque partium miles in permaximi frigoris, Iſtrum catenantis, hybernis vires reficiebat, & in novos confirmabat labores: Mars acuebat arma, cudebat conſilia, triumphos promittebat & victorias: Thracius equidem ingentes ſibi ex glorioſa Budæ conſervatione, ex Polonici exercitûs diſſipatione & mutilatione, ex irrita denique Venetorum in Dalmatiam expeditione aſſumebat animos, & inſignia ſibi ſpondebat trophæa; quare Soldanus Mahomet IV. magnam ex gazophylacio ſuo auri vim in bellicum effundit nervum; ad reparandum grandem militum defectum novus per univerſum Turcicum cogitur imperium; navalis etiam claſſis recentibus augetur triremibus, mandaturque Oſmanno Architalaſſo S. Mauræ recuperatio, omnibus viribus, dolisve tentanda.

Venetiis licitantur dignitates.

Nec Adriaticus Venetorum otiabatur Neptunus, ſed ut plures victoriarum palmas, pluresque navales mercaretur coronas, decem ducatorum millibus patritia licitabatur à pluribus nobilitas, ad nervum bellicum acquirendum, & procuratoria ſancti Marci dignitas viginti quinque ducatorum millibus; haud paucis, diſſuadente licet Laurentio Lombardo, Michaële autem Foſcarino rationibus, votisque prævalente, conceſſæ. Exinde novus illis à Saxone, & Hanoverano Ducibus tranſcriptus miles, cunctaque in maturam, & ex generoſiſſimi Architalaſſi Moreſini vigilantia & fortitudine proſperiorem, ut ſperabant, fervebant expeditionem. Omnium autem ſtudioſiſſimè Cæſar deſudabat Romanus, tum, ut minacem hoſtium furorem, vindictamque averteret, tum, ut priorem victoriarum curſum, anno præterito interruptum continuaret;

quare ſaniora frequentare conſilia, tyronibus exercitum reſtaurare ab Imperio, Principibusque Romanis ſollicitare ſubſidia, cogere ſtipem, & ocrvum bellicum, in quem copioſâ Romanus Pontifex Innocentius XI. liberalitate ingentem auri ſummam iteratò profudit.

Innocentii XI. liberalitas pro bello turcico.

In eandem quoque rem Georgius Szelepechenus Archiepiſcopus Strigonienſis octuageſimo primo ætatis anno defunctus ingentem frumenti copiam (qualem priori etiam anoo vivus exercitui ſubminiſtraverat) ingentem Cæſari, ingentem Regi Ungariæ Joſepho, ingeotem Strigonio fortificando particulatim ſingulis auri vim teſtamento legavit.

Et Georgius Archiep. Strigonienſis.

Præter hæc poſtmodùm Pontifex Cæſari tertiam omnium Eccleſiaſticorum in regnis hæreditariis ſuis & provinciis bonorum ſeu redituum partem huic impendendam bello permittebat, à Bonviſio Nuntio Apoſtolico, & Epiſcopo Neapolitano colligendam. In Comitiis etiam imperialibus Ratiſponæ, & Norimbergæ in circulari Suevico conventu conſultabatur ſedulò de Rom. Reipublicæ ſalute, circularesque mittebantur literæ ad civitates, Salisburgenſem, Paſſavienſem, Auguſtam Vindelicorum, Colonienſem, Ratiſponenſem, Norimbergenſem, Ulmenſem & Francofurtenſem; ſimulque Cæſar Legatos Comit. Thaun, & Baronem Meyerheimum ad Germanos Principes de colligendis maturandisque ſuppetiis ablegabat.

Cæſar nervum bellicum & militem à Principibus germanis petit.

Neque ſuo Principes conſilio & auxilio deeraut Chriſtianitatis ſecuritati: Principes enim Brunſchwicenſ. & Luneburgenſes decem ſelectorum & veteranorum militum millia ſuppeditabant: Joannes Georgius Saxo ſuas quoque expediebat copias æquè exercitatas: Archiepiſcopus Salisborgenſis in ſupplementum militum centum mille Imperiales ſubminiſtrabat: Fridericus Wilhelmus Brandeburgicus paratum jam cum re tormentaria duodecim millium exercitum ipſe contra Ottomannos in Ungariâ ducturus, appropinquante verò ad Rheni Tractum, Juliam & Cliviam contra armiſtitii pacta Gallo, invigilare cum vicinis Principibus coactus, conſuetum duntaxat in ære & milite vectigal Romanum ſubmittebat, admonebatque Cæſarem per Comit. Schwirinum ſolertioris in procuranda militi annona induſtriæ.

Galli rhenum tractum invadunt.

Omnibus tamen promptior erat Bavariæ Elector Maximilianus Emanuel, tum quòd periculo proximior, tum quòd Cæſaris procaretur filiam, Mariam Antoniam, ex Margareta Hiſpaniarum Infante natam, quam ſolemniſſimè poſtmodum menſe Julio per Cardinalem Collonitſchium Viennæ ſibi deſponſavit; unde quidam præſagire volebat Chronologus: AnnVs Verè aVgVſtVs AVſtrIaCo-baVarICIs nVptIIs, tVrCICIs
1685. VICtorIIs partV terſaVſto ChrIſtIano orbI fortVnatIſſIMVs.

Maximilianus Bavarus Cæſaris filiam Mariam Ant. deſponſatur.

Præfectus interim Budenſis miſſo Viennam Chiauſio pacem ambiebat, adhibito Michaële Abaffio Tranſilvano mediatore componendam; ſed uterque rejectus, eandem deinde Abaffius à Polonis ſollicitabat, quam uti Cæſar, ita & Polonus ſine confœderatorum conſenſu & ſatisfactione irritam fore dictitans remittebat.

Turca pacem fruſtra petunt.

Frequentibus igitur actum eſt utrimque excurſionibus: Huſari caſu aliquot Turcarum legiones, crudeliter omnia circa Neuttam & Leventzam depopulantes dum offendunt, diſſipant, fugant, equosque CCC. iotercipiunt; mox etiam arcem probè munitam Joſy, haud procul Caſſoviâ capiunt; quam Rebelles tamen paulò pòſt numeroſiores, cæſo contra pacta præſidio recipiunt. 1685.

Excurſiones utrimque variæ.

Vyvarienſes præterea Turcæ tranſvadato Wago Guttam occupantes cæſis incolis & præſidio flammis incinerant: quibus viciſſim invigilans Hâuslerus, ſex plauſtra Ungaricis teferta ocreis Vyvarinum tendentia deprædatur: & dum plures annonarios currus (80. fuiſſe referunt) eodem deſtinatos, Vaciæ ſub Janizarorum cuſtodia ſubſiſtere audiit; accito propediem Czaborio oppidum tranſcendit, & quindecim Imperialium millibus, centumqoe tauris in prædam receptis, annonam omnem & currus igne conſumit, ex Budenſium inſidiis vix inde traducendos; unde lauta Vyvarini fames augebatur, quæ & Caniſcham & alias ditiones & provincias magis turcicas, quàm Chriſtianas occupabat, ut modius Budæ ſiliginis XII. venderetur Imperialibus: magna quoque Viennæ erat annonæ caritas, quam Cæſar ingenti undequaque collectâ frumentorum copiâ ſupplevit.

Magna utrobiq; annona caritas.

Excurrens tunc Marchio Doria in ſuperiorem Hungariam 500. fortuito Tolpatſchios prope Roſenaviam offendit, quos omnes, exceptis 28. captivis, internecione cædit, quinque eorum vexillis potitus, unum hanc gerebat inſcriptionem:

Emericus Tôckeli Rex Ungariæ.

Schultzius quoque poſtquam plures ſuis paſſim latebris & latrociniis ejeciſſet Tôckelianos, & ſuo miles eſſet ſtipendio animatus, Kainam primò arcem, tum Vinovam & munitiſſimum caſtrum Banahorzam deditione capit, & rebelles ubique Tôckelianos metu diſſipatos repellit.

Interea temporis aſſiduo Viennæ ſtudio & ſolertiâ de feliciore hujus anni ſuſcipienda conſultabatur expeditione: diviſo quidam exercitu, uno Bavari auſpiciis, Lotharingi Ducis Caroli altero in hoſtem procedendum rati; ſed rationibus reſutati, omnes demom ſupremum totius exercitûs Imperatorem decernunt Carolum, & Vyvarini anguſtiis undique preſſi impugnationem, Vulcani potiſſimum machinis perficiendam: ad quod opportunè Viennam venerat inſigniter gnatus & expertus Vulcani pyragmon, ſeu pyrotechnites Antonius Gonzalez Catalonus, qui in ſervitiis hactenus Regis Galliæ pyreis Luxenburgum machinis præſente Rege domuerat, eaſdemque domando Genevam & Tunetum elaboraverat; ſed quòd juſta labori merces non repoſita, mallerque gallicæ ſervitutis eximi compedibus, Hiſpanici tandem Legati interceſſione deſideratam dio è Gallia dimiſſionem ægrè admodùm obtinuit, & Belgii Gubernatoris Marchionis de Grana auſpiciis militiam Cæſaris amplexus, grandes ejuſmodi domando Vyvarino machinas aſſiduo fabricavit labore.

Expeditionis conſilia.

Gonzalez pyrotechnites Vyvarinum ignibus tentat.

Tum ſimul & circumſidentibus imperatum copiis arctius oppidum intercludere, omnemque commeatûs apparatûsve immiſſionem vigilanter impedire. Turcæ autem periclitantibus & fameſcentibus opitulaturi, dum præfectus Watadinenſis pluribus Novigradi copiis collectis annonam urbi inferre diſponeret, Hâuslerus obviam progreſſus in primipilares octingentos equites ſingulos farinæ ſaccum gerentes incidit, qui inſidias ſubodorati, ne in hoſtium farina manus deveniret, eam diſpergunt, & ad ſuos aufugiunt, Hâuslero inſequente, quem ulterius ad inſidias 5. millium armatorum ſubdolè pelliciebant; cautior autem ille viribus eotú tunc impar eedens, copiis mox auctus inquiſitum hoſtem offendit neminem: qui ta-

Vyvarinum fameſcens arctius includitur.

1685. tameo legionibus etiam aliquot paulò poſt confirmatus ſtricto Veziru Budenſis imperio paratos Novigradi mille annonarios currus quavis vi vel aſtu Vyvarinum traducere debebat: ſed illis nimium morantibus, Vyvarienſibus autem nimium fameſcentibus, trecentis hi Janizaris, totidemque equitibus emptam à vicinis Ruticolis annonam quadraginta curribus ſuo illaturi oppido ab Hâuslero rurſus circumveniuntur, fugati equites, Janizari cartagine licet circumvallati omnes aut cæſi, aut capti cum annona abducuntur. Nec illud Hâuslero ſatis erat; ſed ruſticum aſtutiarum plenum ad Vyvarienſem ſubornavit præfectum, qoi ſecretiſſimè illi annonam à Budenſibus foveæ qoodam loco illatam abſconſamque dexterrimè indicaret, præſidiariorum facile auxilio oppido importandam, à ruricolis vicinis, uti imperatum illis erat, ſine præſentiſſimo mortis periculo, ob Huſarorum vigilantium excurſiones, non inferendam. Credulus lætusq; præfectus docentos cum ruſtico præſidiarios co ſubmittens, Hâuslerus ex inſidiis omnes internecione perimit: rurſuſque alium cum ſex panibus oppido immittens caro ſatis pretio 17. florenis germanicis eos vendidit, retulitque anguſtam oppidanorum famem, quæ eo conſili adegit præfectum, ut farinæ modium captivo licitaretur Chriſtiano, tot libertate donaturus captivos, quot ſibi farinæ modii donarentur; ſeeus verò ad unum omnes necaturus Chriſtianos, & reliquum defenſioni ineptum vulgus liberè ob commeatûs defectum oppido emittit: cumque equites Hâusleriani trecenti, & totidem Ungari ruricolarum pecora ſub Vyvarienſium tutela tormentorum abigerent, nullus præſidiariorum impedit; dum autem noſtri audaciores propiùs oppidom prædaturi accederent, furioſe ac deſperatè excurrentes, non exiguam Chriſtianorum edidere ſtragem, vulneratique Princeps Commercius, Roſenkrantzius, & Ferdinandus Wilh. Dux Wurtenbergicus Neoſtadienſ. qui ex capitis poſtmodum vulnere glorioſè obiit.

Hâuslerus commeatum Vyvarinis intercipit.

Vyvarinis fames.

Vyvarinenſium excurſio.

In ſuperiori autem Hungaria Schultzius flagellabat tormentis Uoguarium; ſed accedente Tôckelio haud imprudenter abſcedit, relictis aliquot impedimentis, & tormentis in Moraviam, intentatis minaciter Tôckelii ibidem populationibus obiecm interponens. Præfectus etiam Zendrenſis accitis vicinis aliquot copiis 1200. Erlavienſis territorii caſtellum Onoth ſubitâ intercipit irruptione, Rebelleſque omnes (paucos fuga ſuſtulerat) ferro & igne proſtravit, & divite pecorum, æris, & equorum prædâ potitus Vulcano locum tradit. Hoſtis itaq; aperto Marte ubique ſibi adverſante, clandeſtinis auri cuniculis Jaurinum tentat ſubripere; jamque urbis præfectus Daniel Mullerus, vir ſenio gravis, militaribus à primævis juventæ annis innutritus & exercitatus, quater mille Turcas io vicinia paratos admittere diſponebat, quos rei opportunè certior factus Hâuslerus dum feliciter, ſed octingentorum ſuorum cæde repellit, Mullerus ſeipſum proditionis pænâ ſclopeto perimit.

Mullerus Jaurinum proditurus ſe ipſum necat.

Expeditiooem tandem Carolus auſpicaturus validiſſimum Novigradum quaſi impugnaturus recognoſcens uti illud aſpero inſidens monti, interioremque ejus arcem altâ latâque foveâ vivæ rupi inciſâ cinctam intelligit, ſubdolis deceptus literis, ejus impugnationem diſſuadentibus, quòd non eſſet nunc de tempore, ſed intentam plurimum remoraretur expeditionem, caſtra electurus à præſidiariis invaditur, qui repreſſi fugam ſimulantes, generoſiores gallici ſanguinis Principes Conrium, la Roche, Crequium, aliosque volones in præſentiſſimæ cædis attraxiſſent inſidias, niſi maturè Carolus ſubveniſſet. Ad caſtra reverſus exercitum decimo ſexto Kalend. Auguſti Vyvarino applicoit arctius obſidendo (quod anno MDLXXXI. Sierotinus & Moraviæ Ordines in forma ſtellæ ſex terreis ex arte propugnaculis ad Neuttam fluv. inter paludes aquæductibus probè munitum in ſuæ defenſionem patriæ conſtruxerant) ipſoque forinſecus luſtrato in eiſdem, qoibus ante hac à Turcis impetitum eſt locis. Nec deſides propugnando præſidiarii, pertinaci ounqoam defuère defenſioni. Et primâ quidem grandis cujusdam machinæ exploſione illa diſrupta eſt, infauſto ſuperſtitioſæ ſemper genti omine, uti paucis ante obſidionem diebus moriturus etiam Baſſa evulſâ barba prædixerat: Video, ſentioque omnem Ottomannicam in Chriſtianos expiraſſe fortunam. Nihilo tamen minus crebris impugnatores eruptionibus & exploſionibus, igne ſimul & ferro, ſagittiſque arcere continuo tentarunt; ſed accedentibus caſtra copiis Hanoveranis & Cellenſibus ſub ipſo Hanoverano Principe & Chanveto, ſub Serenio Bavaricis, & Franconicis ſub Priderico Waldeccio in Principum Rom. numerum, ob præſtitam hactenus militarem experientiam à Cæſare nuper relato, indefeſſo Chriſtiani labore vias obſidionales promovere, tormeotorum erigere ſuggeſtus, & valla, ceteraſque ad mœnia militares propius operas admovere; & quia foveæ denudari aquis ægrè admodùm poterant, tormentorum, pyrobolorom machinarumqoe pyrearum frequentiâ ſævitum ſuit ferociùs; qualibus & Vyvarienſes plurimas oppugnantium operas ſæpius deſtruxerunt, deſperatiſque eruptionibus haud paucos ſtravère centuriones & tribunos. 1685.

Gallici principes in periculo.

Vyvarinum obſidetur.

Waldeccius princeps Rom. Imperii.

Jam etiam Maximilianus Eman. Elector Bavarus amoris deſerens caſtra, Cæſarea ad Vyvarinum ſecutus, ſedulam cum Carolo urget impugnationem, & Hâuslerus hoſtium machinationes exploraturus eum 1500. equitibus emittitur, qui paulò poſt reverſus referebat hoſtium quadragima millia Budam inter & ſtrigonium conſidere, ac Vicegradum Strigoniumque ſimul impetendo diviſas Chriſtianorum vires à Vyvarino divertere tentarunt. Conſilio protiniùs convocato, reque ad Cæſarem curſim per Lambergum Comitem delatâ retulit, obſidionem XIX. millibus inſtanter promovendam, XL. verò millibus inquirendum Seraſkierum. Totidem igitur copiis ambo Principes Carolus & Maximilianus rebcto Capraræ omoi in Vyvarinum imperio, ſeptimo idus Auguſti per inſtratum Danubio Commoroni pontem hoſti obviam procedunt, qui miſſo Schedano Ibrahimo, Budenſi prioris anni præfecto cum IV. armatorum millibus inferiorem Vicegradi urbem ſub noctis ſilentio tranſcendens, cæſis omnibus deprædatur; arcem vero Marſiglio utcunque munitam aliquot cingens cohortibus, robur exercitus applicat Strigonio, quo paucis antè diebus Carolus Franciſcum Joach. Straſſerum, Salmenſis legionis Protribunum cum tribus vexillationibus defendendum deſtinaverat, qui locum tantæ imparem potentiæ raptim pro temporis ratione communire, extantia adhuc prioris oppugnationis valla & ſuggeſtus extra urbem ſolo

Maximilianus Bavar. Vyvarinum accedit.

Turca Strigonium & Vicegradum tentant.

Straſſerus Strigonium munit.

1684.

Turcæ illud impugnant.

æquare, ceteraque indefeſſo ſtudio & labore juſtæ urbis defenſioni diſponere in adventum uſque hoſtium non intermiſit, poſtulatoſque 500. ſubſidiarios navigio allapſos pedites in urbem opportunè interduxit. Tertio igitur Kalend. Auguſti toto hoſtis exercitu urbi appropinquans, occupatis mox D. Thomæ, & D. Georgii montibus urbem & arcem tormentis flagellat, domos tectis denudatas pyrobolis infeſtat, vineiſque muros tam propè accedit, ut præſidiarii erumpentes ſexcentos feliciter Turcas vineis ejecerint; hi autem numero multum ſuperiores mox in urbem præſidiarios repellunt, ſed ducentorum ſtragem à tormentis, manualibus pyrobolis, aliiſque machinis ferro, lapide, varioque tormento farti paſſi, cujuſmodi poſthac oppidanorum eruptiones, & transdanubialem in Barcanum tranſitum impedituri, ſtructis in Danubii inſula vallis, & quinque tormentorum ſuggeſtu, omnem urbis ac- & exceſſum prohibent; ideoque Straſſerus Barcani (exigui utpote roboris) præſidium in urbem noctu rettaxit; ad cujus extimos fovearum muros incredibilis hoſtis labore vineas modò promoverat, & grandi invadebat boatu, fuſtibus ſuos & frameis adurgens; ſed generoſâ præſidiariorum fortitudine, & inſigni ſuorom ſtrage repulſus, crebrâ & feroci tormentorum vehementiâ muros, innocuis ad huc ſudibus, & fovearum ſpondis dejicit, has cuniculis dein ſubverſurus. Repetito igitur in illas incurſu, iteratò rejicitur; tum inſano percitus furore poſt everſum in Leopoldino propugnaculo tormentorum ſuggeſtum, facto ad urbis portas, & orbicularem aggerem impetu, palancam, ut vocant, perrumpens, quatuor vallo lunas infigit: hortatu autem Funckii vigiliarum magiſtri multâ cæde repulſus, cuniculis rem agere, & pyrobolis piloclaſtris cepit; ſub quorum binis in urbe incendiis totidem eorum feroces, ſtimulante Pottiogeto, fruſtratæ ſunt impreſſiones: in foveam tandem illapſos centurio Fingerman & de Karpe cum pyrobolariis, aliiſque tubiferis adeo fortiter repreſſerunt, ut ſive laborum frequentiâ fatigatus, ſive conſtanti præſidiariorum victus fortitudine, ſive proximo pavidus Caroli adventu Seraskierus clam quarto idus auguſti noctu, deſideratis ſuorum bis millibus fugiens, haud procul inde loco conſedit inacceſſibili; in ſiniſtro enim latere nemoroſis ſtipatus alpibus erat, quorum aditus cæſu erat arboribus obſtructus, in dextero danubium, & ante ſe paludes habebat Danubium uſque protenſas, quarum marginem effoſſæ lineæ loricæque, & curules defendebant machinæ.

Gravis eorum inſultus.

Seraskierus inde abſcedit, ad caſtra inexpugnabilia.

Carolus ſuum exercitum exiguum ſimulans Seraskierum ad pugnam elicit.

Hoſtem ſic inexpugnabilem, & ſexaginta armatorum millibus validum ut Carolus eliceret, properum communi conſilio metum fugamque vulgatâ Chriſtiani exercitûs extenuatione jubet ſimulari, quam & ipſi Turcæ ex transfugi Poloni relatione confirmabant; hi enim devictâ interim cuniculatione Vicegradi arce ducentos inde præſidiarios ad Chriſtianum deduxerant exercitum, in cuneum adeo ſtrictè denſéque coactum, ut illum Turcæ oculis, permittente Carolo, arbitrantes, viginti tantummodò millia crederent, & Seraskiero aſſeverarent. Hic igitur credulus magno boatu emenſis ægrè paludibus dum Chriſtianos arroganter inſequitur, reflexo Carolus itinere in aciem per noctem diſpoſitum exercitum, Maximilianus ſiniſtram ipſe dexteram in hoſtem alam ſub caliginoſa educit nebula, quasi orto ſole (erat dies XVI. Auguſti) Seraskierus grandi, ut ſolent, vociferatione & tormentorum exploſione aggreſſus; ſed virili repulſus fortitudine verſus montes cedens, à Tungeni, Styrumbii & Mercii legionibus vertitur in fugam: in qua ſe recolligens ſiniſtram Maximiliani alam Danubium verſus invadens, ſimili rejicitur ad præfatas paludes conſtantiâ: ubi vires iteratò reſumpturus à Rabattæ, Sereni, Palffii, Bielkii, Schwartzii & Steinavii ſiniſtræ alæ legionibus, imprimis autem à tormentis triginta ferrea grandine conſtipatis admodum diſmembratus, & ad anguſtias redactus per easdem paludes (quia alius non patebat exitus) urgente, viamque pavore ſternente, non ſine ingenti periculo & damno effugit, quem juſſu Caroli (tertiò cum gravi equitatu germanico fruſtra permeare tentantis) Hungari, & levioris armaturæ equites perſecuti, tantâ cæſorum multitudine inſtraverunt paludes, ut Chriſtianus per eas ſubſecutus exercitus hoſtem omninò caſtris exuerit. Cæſa ſunt Janizarorum V. millia Spahorum, ſeu equitum duo millia, vulneratus Seraskierus ex frendente ira imberbis: capta tormenta XXX. mortaria XVI. ſigna XL. & ingens bellicus apparatus Strigonium traductus (cujus præfecturam Carolus Straſſero, laudato ejus in defendendo ſtudio & fortitudine confirmaverat) impedimenta verò pretioſiora centenis aliquot curribus præmiſſa Srtigonium inter & Budam metu in fuga correpti vulcano tradiderunt. Chriſtianorum numerati ſunt vix centum tam cæſorum quàm vulneratorum; hos inter Tungenus in dextero læſus eſt humero.

Seraskierus ad Strigonium prælio victus à Carolo.

1684.

Et caſtris exutus.

Exercitus deinde prope Strigonium pernoctans die alterâ cum tormentis partis Vyvarinum contendit, ex cujus occupato aggere Caprara interim tormentis & mortariorum pyrobolis munimentum adeo deſtruxerat, ut patefacto latè in illud aditu generalis tandem impetus noctu clam præſidiariis adornaretur; in diem tamen alteram 19. Auguſti dilatus, ſub ductu Scherffenbergii, Rummelii, & Dumuntii ad meridiem tentandus, miles moræ impatiens horam circa octavam repulsâ præſidiariorum vi vallum obtinet, adhortantibus imprimis Commercio & Aſtio, inclamantibus: *Baſſa eſt mortuus*, animoſior miles invadit, ſuccenturiatiſque aliis interiora munimenti penetrantibus Turcæ vexillis albis, & armorum abjectione deditionem offerunt, vitamque, ſed ſerò, deprecantur; quâ denegatâ aggerem propugnaculo impoſitum (Cattum vocant) conſcendentes, eiſdemque veniam vitamque ſignis petentes, inexorabilis furioſuſque miles omnes internecione cædit; quadringenti verò in poſterius elapſi propugnaculum deſperatè in foveam ſe præcipitantes ab equitibus ſunt proſtrati, eâque die illorum mille ducenti ſunt interempti; ducenti verò, qui ex 3000. à circumvallationis initio adhuc ſupererant, cum Vice-Baſſa & Mufftio, pluribuſque inſignis pulchritudinis mulieribus & pueris captivitate ſunt innodati, & præfecti, ſeu Baſſæ caput Viconenſi portæ ob longo impoſitum haſtili: locus in prædam datus ingenti militem ditavit theſauro, inventaque ibidem ſunt 98. tormenta bellica, copioſus apparatus, & à Franconibus imperatorium Mahumetis vexillum viride, maximo inter illos ſemper honore veneratum: emancipati denique 40. Chriſtiani, effusâ ſibi lætitiâ congratulantes. Tam præclaræ mox victoriæ LXX. ſolummodo Chriſtianorum ſanguine

Vyvarinum Caprara armatâ manu occupat.

1685. ſanguine partæ teſtis ac nuntiis ad Cæſarem miſſus eſt Comes Scherffenbergus, ſtrenuus ejuſdem curator & promotor, ſummoque illum & Viennam totam duplex hæc concatenata victoria gaudio implevit, quod per univerſam deinde diffoſum Europam dici vix poteſt, quantis ubique lætitiæ & triumphi ſignis fuerit exultatum. Purgato demum cadaverum fœtoribus Vyvarino illius ad tempus defenſionem renovationemque Carolus tribuno Rockamo (alii Oppermanno) cum ter mille quingentorum Germanorum, & 600. Ungarorum præſidio committit, ipſe cum exercitu vires refecturus ibidem quieſcit, urgetque deſtructa valla, aggeres, propugnacula & ædificia propediem accolarum & Moravorum ruſticorum operâ reſtaurari, io quo co promptior erat & ſtudioſior miles, quo felicior rudera humumque effodiendo abſconſas hinc inde auri, argenti, ſuppellectilis, rerumque pretioſarum gazas oſtendebat.

Herberſteinius Wunitzam Dalmatiæ capit.

Interea temporis Joannes Joſeph Comes Herberſteinius præfectus Carlſtadienſis mille peditibus & trecentis equitibus Germanis in provinciam Dalmatiæ Liccam faciens excurſiocem, arcem Wunitzam rupi implantatam deditione occupat, & traductis Carlſtadium tormentis deſtruit; inde Udwinam quinque leucarum vallem emenſus quosvis circumquaque vicos, oppida & caſtella flammis depopulatur, & magnum ubique circumferens terrorem, opimis tandem ditatus ſpoliis Carlſtadium revertitur; placuit Cæſari generoſum Herberſteinii ſtudium & conatus.

Leslejus Michalowiczium, Walpum & Eſſeckum occupat.

Ut autem hoſtiles diſſiparet, impediretve vires, imperat Leslejo Comiti Eſſeckenſem pontem ignibus ſubjicere. Hic luſtratis Turanowitzii copiis, ſex qua peditum, qua equitum millibus & ſeptingentis ſub tribunis March. Vergneo, Montecuculo, Seravio & Heiſtero Michalowitzum contendit, quod Caſparus Balockus cum 500. Croatis explorando præmiſſus ſpontaneâ capit deditiooe, præſidiariis 81. tutti ad reditum uſque incluſis; inde Leslejus Walpum præteriens haod procul Eſſecko ioſtructam mille circiter Turcarum aciem offendit, invadit & fugat, occupatamque mox urbem diripit; arcem verò & ſitu, & milite haud facilè expugnabilem tunc omittens, tredecim molas aquarias,

Pontem igneus deſtruit & urbē.

& magnam cis Dravum pontis partem 1100. paſſuum, hoſte nullo obſiſtente flammis 13. Auguſti conſumit. Miles autem ægrè ferebat ingentem ſibi præreptam ex urbe prædam arci illatam, dum eandem adhibitis ad fores ignibus adoriontur, exortum improvisò in urbe incendium totam redegit in cineres; vaſtum ſane emporium, ædificiis & diverſoriis optime excultum, impediviteque arcis expugnationem. Leslejus igitur inopiâ pabuli & commeatûs, neve accurrens undequaque hoſtis reditum, viarumque obpeſſularet anguſtias, Turanowitzium prædis auctus opulentis reverſus ſuæ ſeriem expeditionis com quinque ex quatuordecim captis Vexillis Cæſari per Comit. Dietrichſteinium expoſuit, inde Coprooizam ægritudinis ergo) quâ & Montecuculus implicabatur (traditâ exercitus curâ & imperio Marchioni Vergneo diſceſſit.

Erdôdus Dubizam inflammat.

Croatiæ præterea Banus Com. Erdôdus quatuor peditum millibus & ſexcentis equitibus permeatâ feliciter Unnâ fluv. quæ profunda aliàs latèque diffuſa, caniculari tunc æſtu transmeabilis, ideoque equitem pedites generoſe ſublatis in altum bombardis ſecuti, Dubizam urbem noo latam, ſed longam & opulentam co in latere muris nudatam haud gravatè invadit, expilat, & flammis dedicat, quæ licet tres quoque arcis turres corriperet: ejuſdem tamen denegata fuit deditio; immo dum Erdôdus Unnam remearet, arcis præſidiarii ſubſidiis Caſtanowizæ, Jeſanowizæ & gradiſcæ tormentorum ſymbolo accitis aucti, poſteriora ejus agmina carpentes, ferociter ſemper, amiſſis etiam 7. Vexillis, repulſi ſont in arcem, quæ in eorum interim abſentia tota conflagravit; ſic ubique miſeri & infelices cives & præſidiarii ultra mille interfecti, in parata pecunia, præter ſupellectilem, pluſquam ducentis florenorum millibus ſpoliari, à vulcani deniqne ſævitiâ omnibus ſunt denudati. Nec multò poſt idem Banus Carlſtadienſium 2300. confirmatus, inſimul 7300. armatorum in turcicas excurrens ditiones, validam invaſurus arcem Krupam, ab Unna nimium prætumida fruſtratus, Belaſſenam urbem vi tranſcendit, & expilatam accendit; ſuccurrentibus verò undique magno numero Turcis, impognatam jam in moris arcem Croatæ deſerentes in campuo confluunt, ubi exiguis ad veſperam conflictibus com hoſte velitati, noctu majorem Ozazinæ urbis partem deprædatam igne conſumunt: die alterâ eundem oppidis Mutiniſchæ & Troczazo vim inferentes, depopulatâque circum regione poſt duodecimum excurſioois diem opulentis ditati ſpoliis & manubiis ad ſua redeunt ovantes.

Et plura alia loca expugnat, incinerat.

Ibrahim Seraſkierus inventus Vicegrado & Novigrado fugiens petit armiſtitiū.

Sed ad Ibrahimum Seraſkierum revertamor, qui meticuloſos interea Baſſus properæ convictos fugæ laqueo ad aliorum terrorem ſuffocaverat, totumque deiode exercitum novo fidelitatis, mortis aut victoriæ juramento aſtrinxerat, ſicque magni Soltani imperio, & ſui capitis periculo Chriſtianum impugnaturus exercitum, 30. armatorum millibus Peſthum inter & Vaciam conſidet: nihil hâc famâ & nuntio gratius aut jocundius Carolo & Maximiliano accidebat. Superato igitur mox Comorræ Danubio, dum exercitûs ad tranſeundum Granum pontis expectat reparationem, Seraſkierus Vicegradum & Novigradum, traducto Budam commeatu & bellico apparatu, in aërem vibrat, & Vaciam Carolo propiùs appropinquante flammis devaſtans Budam aufugit. Inde literis per Agam ſeu cameratium Achmetem Schelebum in manus Caroli traditis armiſtitium, pacemve petit; qui paucis, non niſi confœderatorum ſcitu & conſenſu rem illam fore tractandam, expeditus, dum Carolus Vaciam cum exercitu contendit, ſuum Seraſkierus in hyberna demiſit, ſummo adhuc pavore trementem. Hoc audito Carolus etiam commeatu jam tum deficiente, morbiſque ſeoſim invaleſcentibus (quibus plures ob productam ſerius anni præcedentis expeditionem, quàm ferro conſumpti ſunt) hyberna majori militum parti aſſignavit ungariam inferiorem, partem in Croatiam ad Leslegum, reliquos io ſuperiorem Ungariam ad Schultzium, Cæſare approbante, deſtinavit.

Ad hyberna utrimque contenditur.

Schultzius pertinax Eperieſſū intercipit.

Hic Schultzius autem, ut ſupra retuli, præſciſſo in Moraviam Töckelio aditu, dum hic turcico fruſtratus ſubſidio Mungarſchimo repeteret, Eperieſum magno Cæſaris incremento tentare decrevit, urbem muris & foveis haud invalidam, Taraczæ fluv. adjacentem, incolis, mercaturâ, nundinis, ſalis fodinis, & nitro omninò nobi-

1685. nobilem. Cives ubi ſe impugnandos audivêre, rejecta Cæſaris veniâ & amneſtiâ, quam eis Schultzius paulò ante obtulerat, juratâ omnes fide deſperatam urbis defenſionem ſub ſuſpenſionis, & crudelioris ſupplicii pœna decreverunt. Schultzius autem cum Ungaris, & octo Germanorum millibus dexteram urbis partem Georgio Frid. Duci Wurtenbergico, ſiniſtram tribuno Thymo flagellandam commendavit, ductâ circum Taborem circumvallatione, poſtulatâque ſed denegatâ protervè deditione, Würtenburgicus majus urbis propugnaculum, & aggerem eidem impoſitum trecentoſum ſuorum cæde occupat: deinde quaſſata tormentis mœnia, mortariorum pyrobolis everſæ domus, & ferocior alter tentatus eſt impetus, deſperatâ civium defenſione, & 500. Cæſareanorum ſtrage repulſus: tum Schultzius adductis grandioribus Zendrâ tormentis, latius murum perforatus, cuniculiſque urbi ſub porta proximus, deditionem duodecimo Kalend. Octobris à præfecto Feldmejero & civibus, in gratiam (ſed non in privilegia & facultates) & præſidiariis in ſuam militiam receptis, extorquet; tùm quòd cæſo Seraskiero, & capto Vyvatino nulla ſubſidii ſpes ſupereſſet; tùm etiam quòd Caprara decem armatorum millibus Schultzium proximè eſſet acceſſurus. Magnum inquam Cæſari hac Eperieſi traditione acceſſit incrementum, nam

Tôckeli theſaurus intercipitur.

Rebus in civitate ritè diſpoſitis, eaque præſidio 1500. munitâ haud diu moratus Schultzius Caſſoviam obſidione cingit, ubi paulo ante Tôckelius civium cum præſidiariis diſcordias compoſuerat, & juratam eorum fidem præſens receperat, indeque Tibiſco ſuperato Kalenſe etiam confirmans præſidium, Mungatſchium tendit gazas, theſaurumque ſuum 160000. florenorum ſecurius alium in locum traducturus; ſed à Zathmarienſibus Huſaris opportunè interceptus, cunctis paulatim nudatur nervis & præſidiis.

Caprara Tockajum pluraque loca occupat.

Juſtis interea paſſibus Strigonio Æneas Caprara huc adveniens Caſſoviam ſimul oppugnaturus, Tockajum, vino nobiliſſimum, Macowitzam, Regetzum, Petackum, Onothum, Secetſium, Woldakinum, Somam, Humanajum, Pœliotum, aliaque paſſim loca circumjacentia Tôckelianis viduata præſidiis ſuæ, fecit poteſtatis, non ſine ſpe Caſſoviæ etiam propediem obtinendæ, quam Petrus Feigelus præfectus cum binis rebellium millibus, oblatam, ſubſignatamque Cæſaris gratiam & amneſtiam bis oblatam pervicaciter repudians cum obfirmata civium pertinacia defendebat.

Georgius Dux Wurtenbergenſis globo trajicitur.

Dumque inter crebras tormentorum ejaculationes quinto Kalend. Novembris Georgius Frid. Dux Wurtenbergicus ſua in urbem diſponeret tormenta, globo pettus cecidit, vir admodùm militaris, promptus conſilio, manu fortis, principali ſpiritu virtuteque in Viennenſi imprimis defenſione probatus, humanitate ubique gratiſſimus, atque ideo omnium dolore, ac Cæſaris ad fratrem literis unice parentatus. Infauſtus autem hic caſus ferociores obſidentium erigens animos urbis minabatur ruinam & excidium; quod haud vanè metuens Tôckelius nullibi jam ſecurus, maturum à turcico Erlaviæ præfecto liberandæ Caſſoviæ urget ſubſidium; hac enim captâ proximam fore periculo Erlaviam nullus dubitabat. Erlavienſis prævio ſecum conſilio expeditum promittens ſuccurſum, invitatum ad ſe Tôckelium honorificè in urbe excipit, & ſplendidis tractat epulis; cum ecce Aga quidam Soldani imperio illum vinculis innodatum Adrianopolim traducit; ſimulque præfectus ſeu Baſſa Petrozzium ejuſdem copiis præficiens, Caſſovienſem jubet maturare ſolutionem. Hic autem Ducis ſui periculo cautior, Cæſareas obtentâ per Capraram gratiâ partes cum ſuis amplexus, indubitatam Tôckelii captivitatem Caſſovienſibus annuntiat; quo exanimati nuntio iteratis fruſtra vicibus (quod privilegiis, religioniſque nollent privari libertate) deditionem offerentes, tandem tertio nonas Novembris victoris ſe voluntati tradiderunt; præſidiariis liberè dimiſſis Caprara quinque vexillationum præſidium ſub præfecto Thim imponit, ablataque mox Catholicis templa, & expulſum triennio Epiſcopum reſtituit, rebellioniſque auctores arreſto mancipat. Ceterum Caſſovia ſuperioris Ungariæ, Regiarumque metropolis civitatum, triplici muro, propugnaculis, & octo caſtellis præfixis, ſeu Revelinis, ut vocant, munita, ampla ſuperba ædificiis, & admirabilis artificii templo; regalis habet Cameræ præſidem, judicem, quæſtorem alioſque Regni Senatores, ſimul & militarium copiarum finitimorumque præſidiorum præfectum continuò, inſalubri licet aëre & vino, ibidem degentes Caprara tameo cum legionibus aliquot ibidem cùm loci ſitu, futuræ expeditioni oportuno, tùm autumno in hyemem vergente hybernavit, & Sultzbachicam, Veteranam & Saxolauenburgicam legiones Debrezinum ad hyberna dimiſit. 1685.

Tôckelius captus ducitur Adrianopolim

Petrozzius ſe Cæſari ſubmittit.

Caſſoviā Caprara deditione capit.

Caſſovia deſcriptio.

Carolus interea Dux rejecto altero turcico pacis caduceatore inſpectis per machinatores bellicos Vaciâ, Novigrado & Vicegrado per hoſtem adeo deſtructis, ut ſecurè miles hybernari non poſſet, Novarinum reducens exercitum in finitima, Cæſaris approbatione per Scherffenbergum allata, diſtribuit oppida & præſidia, rediensque Viennam, Mercium & Hâuslerum dignioribus auctos officiis Zolnockum verſus deſtinat, quo contendentes, Mercius Sarawaſum, hac primum rebellione à Turcis latè extructum & probè munitum, elapſis fugâ præſidiariis, intercipit; inde occupato Eſchied, Caſtellum Comitem præmittit Zoloncki deditionem poſtulantem, quam denegans præfectus, ubi auctioribus Chriſtianos adventare copiis intelligit, fugit per inſtratum Tibiſco pontem, & ignibus oppidum ſubjicit; quo maturè extincto, Huſari hoſtem inſecuti necant plurimos: alii ajunt armatâ captum manu, dum Cæſareani excurrentibus, repulſiſque Zolnockenſibus intermixti ſimul oppidum ingreſſi capiunt, cunctoſque delent internecione, quod longinquâ certe oppugnatione, multoque ſanguine vix fuiſſet debellatum: Erlaviæ in munitione haud cedens, triangulare inter Tibiſcom & Zagivam confluentes ſitum, alto cæſpitoo vallo, quercubus ſalycibusque affabrè interjectis validè communitum eſt, meridiem verſus alta, lataque fovea interfluentibus aquis ac paludibus vix acceſſibile circumdat.

Mercius Sarawaſum, Eſchied, & Zolnockum capit.

Quo feliciter, ſimul & Hewetſchio, S. Nicolai fano, & Saraſbatzio intercеptis, Hattwanum etiam oppidum haud invalidum in ſuam redigit poteſtatem; jamque præſidium impoſiturus audit Baſſas Varadinenſem, & Temeswarienſem collectis tumultuariè quotquot poſſent copiis Zolnockum, Sarabataiumve raptim, abſente Mercio, recuperaturos adproperare, reductis ſubito copiis, ne diviſo hoſtibus impar eſſet exercitu, Hattwanum direptum.

Hewetſchium, fanum Nicolai, Saraſbatzium & Hetwanū incineratum.

1685. tum, ignibusque ſubjectum evertit, & Zolnockum reverſus, nullo hoſtium apparente, occupata recens oppida & præſidia ſuis aſſignat militibus hyberna, indigenis ruricoliſque victualia promptè ſubminiſtrantibus, tum ne Erlavienſium infeſtarentur excurſionibus, diſpoſitis certis in locis legionatim excubiis, ita per hyemem continet, ut arctam illi proximè metuentes obſidionem finitimos omnes territorii pagos & oppida, ſubſiſtentiam Cæſareanis ſublaturi, crudeliter incinerant, tormentaque inde bellica Budam transferentes, in Chriſtianorum tamen incidunt poteſtatem, Zolnockum feliciter traducta. Demum Caraffa in Tranſylvaniam ad octo millium adſtipulata juſſus abire hyberna, à dubiæ adhuc fidei Principe vi etiam exorquenda, eundemque tum ad conſtantem Cæſaris fidem, tum ad annuum 40000. florenorum tributum neceſſitandum.

Caraffa Tranſylvanos ſubjicit.

Turcarũ turbatio.

Quibus ad votum expeditis turbata eſt haud leviter aula Ottomannica, in altam calamitatum abyſſum præcipata; lauta enim Conſtantinopoli urgebat fames, & inſolens plebis murmur Soldanum alium depoſcentis; fœda claſſis maritimæ dilaceratio, & primæ navis in reditu naufragium ſollicitum ejuſdem præfectum detinebat in Morea; uti inauſpicata campeſtris expeditio Belgradi Seraskierum, cujus fugam haud dubiè turpem, & Vyvarini jacturam hucuſque ſubdolè celatam ubi Soldanus intellexit, furens omnium calamitatum originem in unam ſupremi Vezirii ab exercitu devolvebat abſentiam, in bellico licet approbatam conſilio, quòd annuente etiam Mufftio non defenſiva, ſed offenſiva Vezirio decerneretur expeditio magis glorioſa; verius autem ejus in aula præſentiam inimicorum exigebat timor, & invidorum inſidiæ, quibus etiam dejectus ab officio & dignitate, ædes expilatæ ingens ejus theſaurus fiſco adjudicatus, Rhodum in exilium ejectus, & dolo novi tandem Vezirii Solimanni, inſidias illius metuentis, miſerè ſtrangulatus periit. Solimannus novus hic Vezirius prudentiâ inclytus malis undique imminentibus ut mederetur tempeſtivius, præ ceteris Regem Poloniæ à triplici ſacra liga divellendo Caminecum ſolo ſuadet æquandum; ſed pernegabat Soldanus, cujus armis & auſpiciis erat devictum, & Ottomannicis legibus contrarium: tum famem non ſuâ & Gallorum modò, ſed Anglorum Batavorumque etiam mercatorum operâ depellit & induſtriâ Tôckelium etiam libertati reſtituit, ſtrangulari verò jubet Ibrahimum Seraskierum, Tôckelianæ reum captivitatis, unde tot urbium Rebellumque Ungarorum deplorabat defectionem: quo autem & hos, & ſuos ad arma plures provocaret Muſelmannos, ſe ducem, & validiorem in hoſtem educturum exercitum promittebat: ne verò bellicus deficeret nervus, ingens ex Seralio auri argentique ſignabatur pondus; at gemmarum, & ingentis pretii unionum nullus erat emptor, ne ſui, ſuarumque eſſet fortunarum proditor, quem nervi defectum Innocentius XI. Pontifex per Cardinalem Bonviſium Viennæ numerato ſupplebat auro; permittens præterea, ut ſecularis regulariſq; regnorum & provinciarum hæreditariarum clerus ſuorum adderet cenſum bonorum; quem & ab Hiſpaniæ clero ejuſdem pontificis permiſſu Cæſar decimatim petebat; ſed non ſine ſingularis nota Ibericæ tenacitatis in tam pio, totiq; Chriſtianitati neceſſario opere negabatur.

Vezirius Ibrahim depoſitus & ſtrangulatus ſucceſſit Solimannus.

Tôckelius reſtituitur Seraskierus ſtrangulatur.

Cleri hiſpani tenacitas in bello turcico.

Sed quid Venetus hoc anno aquilæ aſſociatus leo? plures in Græcia ſuo domavit rugitu, & Moroſini auſpiciis civitates: Coronam urbem poſt difficilem XLIX. dierum obſidionem, fuſumque campeſtri prælio hoſtem vi debellavit: deditione Zaroatam & Cielafam, Calamatam, Paſſavam, & Gomeniaam cœlo rurſus hoſtili exercitu ſpontè deſertas, cum ingenti utrobique bellico apparatu, ſpoliiſque intercepit: hoſtilem denique claſſem tam arctè vigilanterque continuit, ut nihil uſpiam intentare, nec ex Aſia in Europam copias auſa fuerit transfretare, non ſine exiguo confœderatorum emolumento, & glorioſiſſimo venetæ reipublicæ incremento. Poloni denique ſacræ hujus confœderationis ſocii mutuis primùm æmulationum diſſidiis impediti, tum ſalebroſis viarum anfractibus, & fame exulcerati; ab hoſtili denique in Moldavia exercitu penè circumdati, fœdè repulſi, impedimentiſque orbati, turpiter ad ſua magno reipublicæ ſuæ detrimento redierunt, ſoli inter felicio res ſocios infœlices. 1686.

Veneti Coronam & alia capiunt.

Poloni Moldavià expulſi.

Inſequentis 1686. anni Janus non inſauſti ominis januas reſeraſſe Cæſari videtur: Mercius enim & Häuslerus dum hoſtem Giulæ Varadinoque majori commeatum ſub 200. Janizarorum præſidio illaturum cognoverunt, collectis raptim bis mille quingentis viris haud longe Aratho internecione cædunt, fugitiviſque mixti urbis portas, & alibi murum tranſcendentes Arathum occupant, fuſiſque præſidiariis expilant, opulentiſſimâ prædâ, & ingenti auri argentique ſummâ, literis ſecretis, commeatu, apparatuque plurimo ditati. Arathum namque nobile Emporium, non opulentiſſimos ſolùm alit cives & mercatores; ſed Hebræos multis auri vaſis & millionibus valentes. Hinc Giulenſes, Lippenſes, & Temeswarenſes pretioſiora metu obſidionis ad tutiora convaſabant præſidia; Chriſtianus autem ibidem miles tantis ſtimulatus ſpoliis Mongatſchium (quo Tôckelius non ſuam tantùm conjugem, theſauros, ingenteſque prædas; ſed plures alii fortunas & gazas ſuas tutè depoſuerant) omnium aliàs naturâ & arte validiſſimum aggredi impatienti ferveſcebat deſiderio. Cujus etiam deditionem Caprara Cæſaris imperio cùm minis, tum datis ad Tôckeliam literis poſtulavit; hac autem refractariè pernegante, includi illud eminùs jubet, arctius apriori frigoris acerbioris tempore circumvallandum. Ungwarium autem hortatu inprimis Stephani Coharij ibidem captivi, ejuſdemque præfecto Franciſco Galambo, Cæſaris gratiam amneſtiamque ambiente, deditione Caprara intercipit: quod ubi Tôkelia intelligit, Galambi filium carceri, ejuſdemque Gazas ibidem depoſitas, Mongatſchianis tradit præſidiariis deripiendas.

Mercius & Heuslerus caſo comeatu Arathũ intercipiunt.

Caraffa occupato Ungvvario urtò poſtulat Mongatſchium cinctum

Adrianopoli interim vinculis enodatus advolans in ungariam Tôckelius, ejuſdem proceres & Ordines in ſuas quâ prece qua pretio allicit partes, & publicis ſub dato Varadini 23. Januarii 1686. literis ad comitia minaciter, ſed fruſtra convocat, quòd procerum Cæſar jam rum plurimos auro, officiis & dignitatibus ſibi devinxerat, & potentiâ devicerat. Acceptis igitur à Varadinenſi Baſſa VII. armatorum millibus incautos in hybernis Chriſtianos tumultuariè oppreſſurus, obvium habet Caraffam hac de re opportunè monitum: cujus adventu ille Varadinum regredi compulſus, hic ſancti Jobi fanum tribus Varadino millia-

Tôckelius Ungaros ad rebellionem incitat.

Caraffa S. Jobi fanum capit.

1686. milliaribus, haud longe Zeekelheida diſſitum, latis immerſum paludibos, frigore tunc congelatis, & altis foveis, propugnaculisque validum opportunâ hac occaſione impugnare tentat, mutuum Mongatſchii & Varadini ſubſidium, ſeu correſpondentiam illo expugnato ſublaturus, aut in prælium ſuccurſumve oppidi hoſtem allecturus: illo non prodeunte Caraffa tormentis oppidum impetit & pyrobolis, quibus pulvis eorum tormentarius accenſus, oppidum flammis, præſidiarios numero quingentos ex adornato in muros impetu trepidos, 6. Martii ſubjecit: qui Varadinum conducti, maturioris rei deditionis aut ſtrangulati, aot vinculis ſunt mancipati. Caraffa verò impoſito ſufficienti oppido præſidio, accenſiſque per Baragotzium Varadinenſibus ſuburbiis, ac deinde non exiguâ Chriſtianorum turbâ libertati reſtituta, glorioſus ad ſua rediens, Debrecinum ad collectæ militaris, centum millium florenorum, ex Töckelii prohibitione moroſum compellit ſolutionem: at duos denique Comitatus Zatharienſem & Bibarienſem turcico exemit jugo & tributo.

Et incēſis ſuburbus Varadin. multos Chriſtianos liberat.

Ad Mongatzium non ita res agebatur ex voto, ubi Töckelia mariti ſui, perfidi Sirmai, aliorumque literis facta præfractior, excurſionibus aliquot hãnd levem Cæſareanis inferebat ſtragem; majorem Tôckelius ipſe illatus, niſi Caraffæ prævertiſſet vigilantia; illa enim à Varadinensi præfecto turcicis, tartaricisque ſub Soldano Galga copiis ad terrorem confirmatus, Mungatzium perrumpere, obſidionemque ſolvere contendebat: hujus rei certior factus Caraffa, ipſe ad Zathmarium, Mercius & Heuslerus ad Lippam & Giulam conſidentes, hoſtilem opportunè conjunctionem & conſilium omninò fruſtraverunt. Vere interea adoleſcente excurſores Veſprinienſes Tigmarum oppidum noctis involantes beneficio, cæſis omnibus ſpoliatiſque, ingentem etiam pecorum gregem ex Budenſibus abactum paſcuis feliciter Veſprimium abducunt: at emiſſitia Verovitisenſis turma Eſſecum verſus excurrens, multo ditata pecore dum ſecurior moratur in oppido, à Turcis oppreſſa, & pecore, & vitâ plurimi denudantur. Caniſtenſes ſimiliter Turcæ ultra Savum plurimos è vineis Chriſtianos in captivitatem trahentes à Croatis circumventi, redemptis Chriſtianis omnes fermè mortis nexui ſunt traditi.

1686. Mutua utrimq; excurſiones.

RERUM HUNGARICARUM,

LIBER XLVII.

IN Græcia qooque Turcæ Chielapham recuperaturi, ſpem illius non exiguam factâ jam modò murorum ruinâ conceperant; ſed oppotuno Moroſini adventu relictis campeſtribus tormentis turpiter fugerunt. Plures aliæ toto hybernorum tempore excurſiones velitationesve inter Morlackos, Mainottos & Turcas, uti & Cæſareanos alternante utrimque fortunâ intercesſêre: adulto autem jam vere indeſeſſa ubique in maturam deſudabat confœderatorum induſtria. Veneti ceteris expeditiores Veteri Navarino terribilem LX. navium claſſem vix applicando ad deditionem terrore compellunt: inde Neo-Navarinum altero tanto validius, & capaciſſimo nobile portu circumvallantes, mox Seraskierum cum juſto propinquum exercitu aggreſſi in fugam conjiciunt, caſtris exuunt, & urbem omni ſpe ſubſidii derelictam XIV. Junii ſpontaneâ delatione capiunt. Secuta eſt paulò poſt Modona, & in Dalmatia munimentum Sing à Cornaro debellatum. Poloni hoc quàm anno priori ferventiores, percuſsâ Cæſaris interventu perpetuâ cum Moſcis pace, Camineccum, ſuadente offereoteque æris ſummam haod contemnendam Inoocentio Pontifice, debellare præſumebantur: Rex autem defectu peditum, tormentorum inopiâ, apparatûsqoe bellici fruſtra Camineceum, ſed Moldaviam Walachiamque finitimas commodius ſibi & Reipublicæ ratus fore utilius ſubjiciendas, ipſemet futuræ expeditionis dux, & confœderatorum æmulator omni id promovebat ſtudio & conteotione; ſed diſtulit nervi bellici penſtria.

Moroſinus ſeu Maurocenus Turcas à Chielaphâ repellit.

Cæſo Seraskiero Neo Navarinum occupat, & Modenam.

Et Cornarus Sing

Polonus Walachiam invadere molitur.

Cæſar autem Saxonum aliquot & Brandeburgicorum auctoratus legionibus, imperiali etiam milite confirmatus, & commeatu apparatuque affatim instructus, ſerio deliberabat conſilio, quo demum arma felicius, commodiusque eſſent vertenda: Carolus Dux Regni Ungarici caput Budam rurſus proponebat tentaodam; hac enim, ajebat, devictâ haud gravatè ſuccumbent reliqua; prioris verò obſidionis errores & defectus cautior emendabit induſtria, ſincerior promovebit concordia, & miles ſupplebit copioſior & generoſior. Diviſo alii exercitu, uno Albam regalem à Bavaro cingendam, altero hoſtem indubiè ſuccurrentem à Carolo è campo ſuhmovendum ſuadebant, & fermè perſuadebant. Caroli tandem ſententiam majoribus poſtmodum ratiotibus roboratam Cæſar amplexus, Budam expugnandam decrevit, revocatumque à Mongatzii obſidione (in opportunius dilata tempus) Caraffam caſtra jubet accedere. Quod audiens Seraskierus Achemet cum Töckelio eo provolaturus, à Mercio, Hâusleτo, & Petenaſio Segidini ante ſolis ortum tumultuariè oppreſſus caſtris ſpoliatur, & magnus Tartarorum Turcarumque numerus aut ferro cæditur, aut Tibiſco ſubmergitur.

Buda obſidio decernitur.

Turcæ cæduntur

Ottomanni interea ſuæ etiam omni ſtudio intenti deſenſioni, neceſſario Albam Regalem commeatu apparatuque inſtruunt, communi famâ proximè impetendam, Abaſſiumque Tranſylvaniæ Principem in utramque adhuc partem claudicantem doloſis verborum illecebris, ablatorum reſtitutione, & annui remiſſione tributi in ſuas adducere partes perteotant: & me hercle propeodere illuc videbatur, dum hujus anni tributum perſolvendo, violenta Cæſareanorum in Tranſylvania hyberna apud Soldarium peteret excuſata, quæ nec potuiſſe, nec niſi valido nunc exercitu eliminari poſſe doleoter aſſerebat. Cæſar igitur Friderico Sigiſm. Comiti Scherffenbergo eam detulit provinciam ra-

Abaſſius à Cæſare & Turca ſollicitatur.

1686. rationibus, lenociniis miniſq; Principem à Turcarum omnino ſocietate avellendi; ſed verſutè ſemper præſentiſſimi metu periculi diſſimulabat Abaſſius, quòd validiſſimis Turcarum fortalitiis, oppidis & munitionibus proximè circumdatus, inevitabili Ducatum ſuum exponeret ruinæ, vix unquam reſtaurandæ; ſuſpirabat interea malleum inter & incudem, donec favente Cæſari Bellonâ turcicum rejiciens jugum illius veneratus clementiam, ſectatus eſt imperium.

Buda circumcingitur.

Jam Cæſareus auxiliariſque Strigonium confluxerat exercitus XC. millium exercitatorū militum, cujus partem unam Carolus, Emanuel Bavarus alteram producens Budam, Peſthum ab hoſtibus derelictum occupat, inſtratumq; Danubio ad veterem Budam tranſiens pontem, trabeatâ montis Gottardi munitionem capit, ſuamque ad arcem uſq; figit ſtationem, & Carolus urbem verſus aquariam. Hic apertis mox 21. Junii foſſis caſtrenſibus die alterâ ex aggere tormentario tantam murorum efficit ruinam, ut 24. Junii nocte urbem aquariam vi interceperit, quem inde hoſtis paulò poſt numeroſâ 2000. excurſione expulſurus, non levi utrimque cæde rejicitur.

Budenſes gazas alio trāſferentes ſpoliantur.

Dum inter hæc Budenſes plurimæ mulieres ingentem 14. navibus auri, argenti, veſtium rerumque pretioſarum theſaurum ſecundo deportantes Danubio ad D. Margaretæ inſulam in manus inciderent Ungarorum & Tolpatiorum: accedebat quoq; caſtra Marchio Badenſis Durlacenſis cum Franconicis & Soevicis copiis, Brandeburgicæ verò cum Generali ſuo Schöning ter feſtivis per caſtra bombardarū tormentorumq; exploſionibus excipiebantur, & Cæſareanis hi connectabantur ſtativis, ubi mox ab excurrentibus aggreſſi præſidiariis, eoſdem quidem fortiter, ſed non ſine ſtrage ſua repulerunt; qualem haud levem etiam circa Albam Regalem, & in Margaretæ inſula pabulatores noſtri paſſi ſunt à Turcis Tartariſque incautè invaſi.

Prima urbis impreſſio rejecta.

Urbi modò ubiq; vineis, acceſſibuſq; & vallaribus ſudibus erat approximatū, muri tormentis & cuniculis latiùs patefacti, cunctaq; ſuadebant impeſſionem: duo igitur millia ad hanc ſunt ſelecta, melius Starrenbergus comes cum 800. internam defenſionis lineam (Strich-linn) à dexteris cum totidem Aversbergus Comes circularem (Rondel) munitionem, à ſiniſtris Comes Herberſteinius intermedii propugnaculis murum, ſeu cortinam horâ 6. veſpertina tam generoſe invadebant, ut jam pedem cortinæ ad vallares ſudes, firmius denſiuſq;, quàm quod penetrari aut evelli poſſent, infixerant; poſt horæ tam vix intervallum muralibus undiq; tormentis, evibratis cuniculis, ſpæris punicis, & igneâ ſaxeâq; grandine loco pulſi, ſanguinolentam utrimq; cierunt cædem. Præter plurimos gregarios occubuerunt Principes Palatinus Veldenſis & Piccolominus, Comites Herberſteinius, Carolus de Dona, Dux Vejuri Grando Hiſpaniæ, centuriones X. & plures alii ſubcenturiones: Vulnerati ſunt Dux Solonæ Grando Hiſp. March. Villarius Crequii filius, Comites Guido Starrenbergus & Aversbergus, aliiq; plurimi. Bavari etiam & Saxones perterebrata circulari arcis munitione, fixoq; retro ſudium ſepem pede, foveâ Turcas, ducentis eorum necatis, ejecerunt, cum jactura tamen ſupremi militum promagiſtri Comitis Fontaini, &

Gonzales pyrobolis inextinguibiles.

læſione Comitis Aſpermontis. Nec feriabatur interea hiſpanus pyrotechnites Gonzales pyrobolis, piliſq; incendiariis urbem tectis denudatam multipliciter ita infeſtare, ut inextinguibiles non humanâ ſed diabolicâ fabrefactos arte crederent & execrarentur; nam globus incenſâ domo plurimos in ea milites cōtrivit; præſidiarii econtra in Bavaros Saxoneſq; excurrentes, cæſis CC. quatuor eorum curules machinas & morta[illegible]m ſtylis ferreis configunt, & confixiſſent omnes, niſi vigiliarum præfectus Röbel cum ſuis Saxonis, adhortante imprimis Ludovico Badenſi eos repuliſſet. Quorum duabus pòſt horis audaciam pyreus compeſcuit globus in pulveris tormentarii turrim incidens, mille, ut ajunt, centenarios

Urbis horribile incendiū.

momento incendit, horribili latè fragore terram concutit & tremore, urbis murum verſus Danubium ultra XX. orgyias dejicit, evibratiſque in aërem pyrobolis, ſphæris incendiariis, trabibus, hominibus, & lapidum fragminibus quoſdam etiam in foſſis caſtrenſibus Chriſtianos, & in urbe mille Ottomannos proſtravit. quo caſu præſidiarii licet admodum conſternati, urbis tamen traditionem literis à Carolo poſtulatā denegabant pervicaciter; imo in Brandeburgicos deſperatè excurrentes turbatis eorum ordinibus magnam inferunt Stragem, à ſuperveniente tandem cum tribus legionibus ſupremo militum magiſtro Starrenbergo retrocedere coguntur.

Alter urbis inſultus.

Decretus igitur in diem 27. Julii alter generalis urbis inſultus, ductu Principis Neoburgici Teutonici Magiſtri, Nigrelli, Kett, Rede in circulare à dextris propugnaculum, & ejuſdem partem cortinæ: Souchesius adjutoribus Diepen-

Fruſtraneus.

talio, Com. Oettingenſi & Jörgero propugnaculum intermedium: tertium à ſiniſtris rotundum (Rondel) propugnaculum, & ejuſdem cortinam Brandeburgicarum ductor copiarum Schöningus cum tribunis ſuis, fortiter omnes invaſuri. His Tüngenus & 1100. in 12. turmas diviſi ſunt ſuccenturiati, quos alia peditum agmina ſequebantur in ſubſidium: delecti dein 300. bombardarii, qui prodeuntem in murorum ruinis hoſtem continuis arcerent jaculationibus: mille demum Ungari & Tolparſchii ad ſubeundas Danubium verſus ruinas cum 8. Haiduccorum navibus ſunt expediti. In caſtris etiam Bavaricis in eandem omnia parabantur impreſſionem, ductoribus de la Verge, Aſpermontio & Beckio, adhortatoribus Electore, Lud. Badenſi, & Eugenio Sabaudo. Aderat dies decretus, ſed ad 5. uſq; meridianam pluvioſus, tum ſigno dato quiſq; in deſignatum inſurgit locum: Cæſareani jam ſudium occupantes ſepem, tribus evibratis ab hoſte cuniculis divelluntur ab illis, qui murorum modò ruinis ſeu brecciæ inſidebant; adhortante tamen Carolo muri fragminibus firmiter inhærent, Turcis deſperatè obnitentibus, & igneum ubiq; in Chriſtianos diluvium effulminantibus, in foveam tandem hi depulſi, paucis per anguſtam portam ad interiorem arcem fugientibus, reliqui omnes ſunt interempti. Brandeburgici etiam ſuum non minus generoſe, multo tamen ſanguine aſſignatum occuparunt locum: ceteris citius feliciuſq; Bavari, & omnium primi Carlowitzius & Rebelus cum pyrobolariis Saxonicis vallū circulare conſcenderunt, & obtinuerunt; cæſo tamen Carlowitzio, vulneratis Principe Crojo, Commercio, Diepenthalio, Tüngeno, Aſtio, Redero, Com. Schubeln & Gera: ex Brandeburgicis occubuit tertius Comes de Dona, ſauciati Princeps Churlandiæ, tribuni Petramus, Schlebendorffius, Rochanus, Rebelus, pluriminique alii centuriones, & ſubcenturiones: occiſorum autem ingens utriuſq; partis fuit numerus.

Poſt hæc Ottomannis in receſſibus urbis inte-

1686.

Carolus urbis deditionem exigit.

ſtinis vix quidquam tentantibus, Chriſtiani ultra progreſſuri, biduo poſt accenſo inſeliciter furnulo, plus quam centũ terrâ oppreſſerunt Brandeburgicos; duobus verò aliis felicius evibratis commodiorem in urbem aditum, Turcis admodùm paventibus patefecerunt; ſecundis igitur literis Carolus urbis poſtulat traditionem, cui Abdaruchman Baſſa præfectus urbis reſpondit: Budam exigi fruſtra; aliam haud gravatè pro redimenda pace urbem extradi promiſero; imo & Budam, ſi hanc perpetuæ inter nos & vos pacis nexum eſſe volueritis. Quod reſponſum fulmine dignum mox ferreæ grandinis bracteas, & in murorum ruinis jam tum diſpoſita tormenta in urbis exploſit viſcera, atq; duos coëgit prodire Agas, Erlaviæ, vel Albæ Regalis ceſſionem loco Budæ offerentes: quibus rejectis, petitur ab illis, & mittitur in urbem protribunus Baro de Cruce, reſolutam præfecti mentem hac de re auditurus, qui humaniſſimè à Baſſis aliquot exceptus, poſt dimidiam horam ad præfectum (divano, ſeu bellico interea conſilio occupatum) introductus, & ſedere juſſus, graves imprimis in fœdifragos Karam Muſtapham Vezirium, & Töckelium belli hujus incentores audiit ab Abdaruchman querelas, addebatque ſe Budam abſque ſuæ præſentiſſimo vitæ periculo non poſſe extradere; cujus territorium ultra ducenta extenderetur milliaria, & non Ungariæ tantùm; ſed & Regni turcici, ac Jeruſalem clavis eſſet unica; quâ niſi perpetuæ pacis porta reſeraretur; hoſtibus ſemper fore occludendam. Cui Baro: ſe non de pace tractanda, ſed Buda extradenda adveniſſe: & an non eam armatâ mox vi, & multò indubitanter ſanguine occupandam præviderer? ad quæ Abdaruchman humeros contrahens Baronẽ demiſit. Reſumptis itaq; Cæſareani animis & viribus, evibratoq; feliciter cuniculo præſidiarios aggerando foveâ & latibulis ejiciunt. Bavari quoque haud exiguam muri partem dejiciendo pomœrium cum machinis æneis & mortariis capiunt, eiſdemq; graviter urbẽ infeſtant, læſis inter hæc Ludovico Badenſi, & Prolegato Starenbergio, qui causâ curationis Viennam eſt traductus.

Cujus loco offert Erlaviã vel Albã Reg. Abdaruchman præfectus.

Buda quanti ſit momenti.

Vezirius cum ſucceſſu approperat Budam

Adeſt tandem nimiũ deſideratus urbi ſuccurſus, feſtivâ omnium tormentorũ exploſione exceptus, & Carolus communi confeſtim conſilio Caraffam ex ſuperiori Ungaria, ex Tranſylvania Scherffenbergum ſuis cum agminibus ad caſtra revocare Budenſia, eaq, loricis & militaribus ſepimentis munire; tum antequam hoſtis propius accedat, iteratam jubet urbis irruptionem, quam Cæſareani & Brandeburgici irrito tunc cuniculo intermittentes, ubi Bavaros modò arcem invaſiſſe audiunt, ſine mora ductoribus protribuno Herberſteinio, & vigiliarum præfecto Biſchoffshaoſen militarem irruunt ſepem, & ſudes vallares; ſed valida præſidiariorum reſiſtentia cum ducentorum militum, Caroli Com. Starrenbergi, triumque centurionum jactura, ac læſione Herberſteinii, Biſchoffshauſen, ac Caunitii propulſantur: quemadmodum Bavari arcem licet bis occupaverint, ingens tamen eos Turcarum ejecit fortitudo, amiſſis pariter ducentis, vulneratiſque Eugenio Sabaudo, & leviter Lud. Badenſi: tantam viciſſim cædem paſſi ſunt Turcæ, ut circularẽ die alterâ deſeruerint munitionem, à Brandeburgicis protinus occupatam; nec procul abfuit periculo Carolus, foveam humo ad proximum inſultum diſponens; hoſtilis namque pyrobolus in pulverem incidens propè aſtantes Carolo fœdè ambuſſit. Inde crebrius ſævi- uſque in urbem fulminatum, & Bavari invento 1686. 16. cadorum pulveris juxta arcem cuniculo, congeſtitium in arcis munimenta erigunt aggerem, & cuncta in decretoriam properè præparantur impreſſionem. neve hoſtis ad arcis vallum, ubi vadoſus admodùm Danubius, urbi ſubſidium immitteret, immerſis cum lapide navibus vadum obſtruunt.

Tertius inſultus irritus.

Vezirius molitur perrumpere caſtra.

Propior interea Vezirii approximatio animoſiores reddebat Budenſes, iteratam in Bavaros qua peditum, qua equitũ tentantes eruptionem; hi fugam cautè ſimulantes Turcas circumveniendo plurimos, paucis exceptis trucidant: ubi binæ interceptæ literæ, Budenſis una præfecti urgens petebat ſubſidium, quod altera Vezirii promittebat indubitatum; ſimulque gallus referebat transfuga, Vezirium in montibus juxta Danubium caſtra metatum in Bavarica die ſequenti ſtativa impetum parare, ſingulisque urbem penetraturis quinque promiſiſſe ducatos: contra quos opportune delecti ſunt Dunwaldus & Hâuslerus ambo pugiles exercitati, cum agminibus ſatis etiam expeditis. Sole vix orto, ſex qua Spahorum, qua Janizarorum millia plenâ acie & tormentis campeſtribus Cæſareanos furiosè aggrediuntur, ſæpiuſque à latere fruſtra incurrentes repulſi, turbatis denique ordinibus fuſi fugatique ſunt: cæſa eorum duo millia, capti Janizarorum plurimi, à Spahis auffugientibus derelicti, octo quoque tormenta & vexilla triginta: Chriſtianorum vix cecidere 80. & ut facilior ſuccurrentibus pateret in urbem aditus, Budenſes inter velitandum in Bavaros excurrentes, plurima eorum pars neci eſt tradita, quorum capita in fruſtrati ſignum ſubſidii, cæſique exercitûs oblongis circa urbem haſtilibus ſunt expoſita; quo præſidiarii magis exulcerati bavaricum incendiariâ navi pontem tentarunt, ſed fruſtra, incendere, collectoque raptim exercitu turmatim caſtra laceſſere, unde Chriſtianæ legiones dum plena in hoſtem acie cum campeſtribus movent tormentis, Albam Regalem turpiſſimè fugit.

Sed caſus aufugit.

Bavari Turrim tentant.

Celebris interea pyrotechnites Franciſcanus P. Gabriel inextinguibili licet igne gerras, ſudesque vallares deflagraverit; loco tamen pulſi Cæſareani, irritis præſertim ſæpius cuniculis; continuæ autem Bavarorum ejaculationes arcis tandem turrim, unde non exiguam à ſtriatis bombardis paſſi damna, unà cum defenſoribus proſtraverunt, ut feſtinum literis auxilium præfectus à Vezirio ſupplicarit; à quo propediem auro mercati 600. Janizari, ungarico amicti habitu eo dimiſſi, jam circumvallationis lineam veſtium & nebulæ beneficio tranſierant, & omnes ſub favente oppidanorum excurſione urbem penetraſſent, niſi à Caprara & Hâuslero animadverſi, partim opportunè quidem rejecti, partim autem 140. in urbem ingenti præſidiariorum gaudio & applauſu, ſed plurimum vulnerati, & trecentorum cæde perruperunt: alteram deinde ad arcem inſtructâ rurſus acie tentantes pervaſionem, viſâ Cæſareanorum in omnem paratâ impetum vigilantiâ, re infectâ receſſerunt.

Pars ſuccurſûs urbẽ ingreditur.

Tunc Bavaris ad arcis turrim occupandam ſe accingentibus cadit Generalis Kumelius, & dum alterâ die Generalis Beckius cum delectis Bavaris & Saxonicis eandem, ſimul & curules ibidem machinas, Turcis ingenti virtute inter ſudes & rudera contranitentibus captant, vulnerantur Dux Saxo-Môrſeburgenſis & tribunus Chatellus.

Turris occupatur.

1686. lus. Approximantibus ſic ubique Chriſtianis, Turciſq; auxilium ſine cunctatione poſcentibus, Vezirius expeditum tunc agmen vitâ duro licitatâ immiſſurus, 3000. Janizarorum, & Tartatorum 1500. ut viam apperirent & aditū, præmittit. Hos Mercius primo aggreſſus impetu centenos aliquot fudit, tum à tergo pertumpit, & à latere protribonus ejus incurrendo ordines diſſipant, mox in fugam, ſpectante ex monte Vezierio conjiciont, captis vexillis 18. quæ ad oppidanorum & præſidiariorum terrorem in vallis ruiniſque murorum ſunt expoſita; Mercius autem tribus afflictus vulneribus Viennæ poſtmodum ſummo omnium dolore deceſſit glorioſiſſimè, militari arte, prudentiâ & fortitudine nulli ſecundus. 30. Auguſti ex Tranſylvania ſuis cum copiis in caſtra venerant Strategi Scherffenbergus & Piccolominus, aulæq; cancellarius Comes Stratmannus periculoſas inter ſupremos belli legatos & magiſtros compoſiturus ſimultates; quibus ſopitis, Danubius etiam, ne quod in urbem permitteret ſubſidium, fuit incatenatus, & omni hoſtilis aggreſſionis præcaurum periculo. Tum generalis & ultima in urbem quarto nonas Septembris decreta eſt per octo exercitatorum millia, præter volones impreſſio ſic inſtituenda.

Succurſus rejicitur.

Mercius moritur.

Accedūt caſtra Scherffēbergus & Piccolominus.

Carolus inſtructâ acie hoſtilem obſervaret exercitum, inſultum exequerentur apud Cæſareanos Duces Crojus & Palatinus. Comites Souchesius, Scherffenbergus & Dieppenthalius: apud Bavaros Lud. Badenſis, Serenus, de la Vergne & Beckius: apud ſuos Schôningus Brandeburgos, omnes moræ impatientes erant, avidi pugnæ, aut mortem ſubituri aut Budam: & ecce die ad tertiam horā declinante auditur quatuor tormentorum ſignum, & ſubitò verſus dexteram provolant quatuor centuriones, totidem ſuccenturiones & armiductores cum expeditis 80. pyrobolariis; primipilus omnium Baro d'Aſti (qui & primus Vywarini muros conſcenderat) mœniorum brecciam, ſeu ruinam jam obtinebat, ſed mox ſauciato ſuccedit ſupremus vigiliarum præfectus Biſchoffshauſenus, & poſt eum 400. bombardiarii cum 4. centurionibus; his centum ſuccenturiati haſtati, quibus in ſubſidium reſervabantur octingenti, rem ſinguli agentes ſortiret: ſiniſtram verſus eodem fermè ordine irruunt Bavari, niſi quòd mille quingenti bombardarii, pyrobolarii 50. & 30. bipenniferi aſciis accincti viam paraturi præcederent. Cæſareanorum alacritatem haud minus ſtrenuè ſequuntur Brandeburgici, incredibili omnes animoſitate inſiliunt, & quanta Chriſtiani conſtantiâ & fortitudine urbem invadunt, tantò pervicatiori Turcæ reſiſtentiâ eoſdem repellunt; ingenti utrinq; certatur conamine, Turcæq; tartareis ignibus, pulveris conceptaculis (Pulverſäck) ericiis militaribus, cæſtibus, clavis & harpis cæſareanos iteratò proturbant; uſq; hi evulſis circa eorum receſſus craſſæ magnitudinis ſudibus rapidiſſimum velut perrupto aggere flumen totis ſe in urbem viribus effundunt: fit promiſcuè ſtrages cruenta, cedenteſque pedetentim Turcæ albis ſupplicant vexillis gratiam à furente nunc milite inexorabilem. Inde igitur ad arcem inter duo pomœria fugiens hoſtis, conjungenſq; ſe ſociis, quos Bavari ægrè admodùm arce ejecerant, numero freti non minùs furioſè quàm deſperatè è receptibus ſe defendunt, & abigunt Chriſtianos, donec Badenſis accito Aſpermontio cum 1500. bombardariis eoſdem diſturbat, fugat, inſecratur & trucidat. Eugenius Sabaudiæ Dux ad caſtrorum defenſionē relictus dolore iraq; frendens, quòd tam glorioſæ abeſſet expeditioni, diſruptâ continuò apud cœmeterium portâ urbem cum equeſtri ſua legione ingreſſus, hoſtē tremore perculſum & palantem inſequitur: editur ubiq; ſtrages ſine ſexûs diſcrimine horrenda, ejulatu, boatuq; tremendo commixta, donec tandem Caroli & Electoris commiſeratione diſpoſitis per compita excubiis à cæde deſitū, reſervatis bis mille quingentis promiſcui ſexus civibus, Judæis, pueris, & inſignis elegantiæ fœminis tribunorum ſervituti mancipatis, & præſidiariis, quorum initio fuêre 14000. Præfectus verò Abda-Rohaman vir militaris, magnæ inter ſuos auctoritatis, & eximiæ in Sultanum ſuum fidelitatis tantâ pugnabat pertinaciâ, ut ambi dexter duabus ſe harpis defendens, loco neutiquam ceſſerit, donec iterato percuſſus globo urbem ſimul & vitam amiſit. Vivi in poteſtatem vincentium quoq; pervenerunt vicepræfectus & Janizarorū Aga pertinaciter temerarii. Urbs direptioni tradita, ditioribuſq; ovans miles ſpoliis fuiſſet potitus, niſi plurima devoraſſet ignis, totam fermè civitatem ex pulvere domibus & compitis inſperſo conſumens; tanta tamen adhuc auri, argenti, & gemmarum &c. inventa eſt copia, ut quidam decem, alii quindecim imperialium millia fuerint aucupati. Cecidere ex Chriſtianis præter 200. gregarios Marchio Spinola, & Com. Tartenbachus & Jacco. capta ſunt promiſcuæ magnitudinis tormenta CCCC. plura mortaria, commeatus multus apparatuſq; bellicus, & ingens pulveris tormentarii copia in armamentario & granario recondita, magnâ Rabatæ ſollicitudine conſervata, ne tota omnino civitas in cineres redigeretur. Peractâ hac cataſtrophe ab ipſo ſpectata Vezirio & ejus exercitu, furore frendens Albam Regalem & Eſſecum diſcedit; Carolus autem in Electoris papilione decamato in gratiarum Deo actionem hymno Ambroſiano, tormentorumq; applauſu, ad Cæſarem captæ urbis nuntium & teſtem mittit Commercium principem, non ſine immenſo totius Europæ gaudio, & Caroli gloria, ut quam inſigni Solimannus dolo ante 145. annos, 26. Auguſti viduæ Joannis Regis tutelæ prætextu extorſerat, & turcico hucuſq; jugo mancipaverat, chriſtianæ nunc libertati glorioſe reſtitutam eſſe non immeritò ſibi congratulabatur. 1686.

Quarto inſultu Buda capitur.

Eugenius cum ſuis urbem ingreditur.

Præfectus Abda-rohaman trucidatur.

Urbs direptione multi ditantur.

Quàm fauſta Cæſareanorum, tam Polonorum infauſta fuit hujus anni in Moldaviam, Walachiamq; expeditio: Rex juſto quidem exercitu ſpontaneâ deditione Jaſſium Moldaviæ occupat metropolim, ultraq; Budziackum & Beſſaraviā progreſſurus, à Turcis Tartariſq; in ſubſidiū Moldavorum vocatis continuo inſequitur, neve ultra Rex pergeret, omnē latè regionem flam̄is evertunt, & ingentis latitudinis ericetū horrendo Polonis ſpectaculo ignibus ſubjicientes omn̄: adeo præſcindebant annonam & pabulationem, ut re infectâ, ſummo exercitûs periculo & detrimento, relictoq; Jaſſo Rex in Poloniam redire fuerit coactus; Tartari verò Jaſſium in Polonorum odiū in cineres funditùs, irreparabili incolarum damno redegerunt. Feliciores multò fuêre Veneti, qui occupatâ Modonâ ad finem menſis Julii Neapolim de Romania, ſitu, præſidio, naturâq; prævalidam tentarunt, & bis cæſo fugatoque per Ottonem Kônigsmarckium Seraskiero caſtra invadente, urbem tandem omni ſpe ſubſidii deſtitutam deditione intercipiunt, non ſine ſingulari Veneti ſenatûs tripudio, & im̄ortali Moroſini architalaſſi laude, cui hoc gratiarū tribuit Senatus, ut Petro, ex Laurentio ejus fratre nepoti, ejus-

Poloni Jaſſium capiunt.

Et deſerunt.

Veneti victo Seraskiero Modonā & Neapolim de Romania occupant.

1686.

Mauro cenæ familiæ primatus

deinque Moroſinæ deinceps familiæ primogenito perpetuus equeſtris in Senatu ordinis primatus fuerit decretus.

Buda reſtauratur.

Budam tedeo, ſed adeo deformatam, ut non urbs, aut Regni videatur eſſe metropolis; ſed buſtum miſerabile, quod ut in validum reformetur munimentum, Cæſar cameræ præſidem Com. de Roſenberg eo demittit, qui præſidiariis caſas imprimis militares conſtitueret & hybernacula: tum architectorum & machinatorum conſilio & operâ domos reſtauraret, urbemque vallis ac propugnaculis probè muniret; ad quod Innocentius Pontifex affectu in Chriſtianitatem, & Cæſaream Majeſtatem verè paterno juſtam auri ſummam appromittebat.

Ejus præfectus Beckius

Urbis deinde præfectus eſt deſignatus Generalis Beekius, ſubpræfecti protribunus Straſſerus & Biſchoffshauſenus, cum præſidio 3500. Germanorum & 1000. Ungarorum. Scherffenbergus autem Viennam revocatus, juſſu Cæſaris in Croatiæ præfecturam loco Comitis Schultzii, ibidem febre extincti ſucceſſit.

Mors Schultzii.

Tum luſtrato & refocillato per dies aliquot exercitu, habitoque concluſum conſilio, hoſtem ad Albam Regalem adhuc conſiſtentem perſequi, qui victricem 40000. metuens exercitum fugit Eſſecum', horrenda ubiq; crudelitatis ſuæ relinquens veſtigia, atque inde tranſito ponte Albam Græcam.

Illud obſervatione haud indignum, piiſſimum Cæſarem à potiendæ urbis ſpe nunquam dejectum, quam ex ipſa nomenclatura Buda jam ante his prophetaverat verbis: Beata Virgo Dabit Auxilium; & profectò dedit; nam in ultimo etiam occupationis inſultu militaris erat teſſera MARIA, quæ Ottomannis tunc fuit terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. *Cant. 6. 9.* & Ottomannica luna ſub pedibus ejus. *Apocal. 12. 1.*

Cæſar ope B. Virginis Budam obtinuit.

Ipſam Cæſar ſequens non deviavit, ipſam rogans non deſperavit, ipſam cogitans non erravit, ipſa tenente non corruit, ipſa protegente non metuit, ipſâ duce non fatigatus, ipſâ propitiâ pervenit ad totius Regni Ungarici ſceptrum & poſſeſſionem, iniquiſſime anteceſſoribus ſuis à Solimanno & ſucceſſoribus ejus extortam: quocirca in perenne tanti beneficii monumentum ad luteam Viennæ foſſam divæ huic Mariæ Virgini novum hoc anno Leopoldus erexit, dedicavitque templum: quam olim etiam S. Rex Stephanus, gentis illius ad fidem catholicam Apoſtolus Ungariæ patronam proclamans, totumq; eidem Regnum Magnæ Dominæ ſubmittens, demiſſiſſimè dedicavit; unde Virgineum hucuſque regnum eſt appellatum.

Eidem templum dedicavit.

Feſtum S. Stephani Innocentius P. inſtituit.

Et Innocentius XI. Pontifex ejuſdem Stephani feſtum in diem captæ Budæ, 2. Septembr. ab omni Clero ſolemniter celebrandum tranſtulit.

Magna fames & frigus.

Turcis fugâ ſublatis alius ingruit hoſtis multò atrocior & periculoſior, ex defectu nimirum annonæ & pabulationis, dira hominum pecorumque fames, & intenſum frigus, ex ligni carentia, & aëris injuria, eo quòd ne in rutis quidem & cæſis quicquam reſidui à Turcarum barbarie permanſerit, & accolæ ad Danubii inſulas profugi ferarum inſtar latitarent in cavernis arborum ſtragulis contenti. Dividi itaque Cæſar imperat exercitum, & Badenſis XII. legionibus Quinqueeccleſias contenderet, finitimas Croatiæ regiones in poteſtatem Cæſaris redacturus:

Badenſis Quinque Eccleſias contendit

Caprara cum reliquis legionibus Segedinum verſus ſuperiorem ſubjiceret Ungariam: auxiliares verò copias ad hyberna dimittit: reverſique Viennam ſunt Elector Emmanuel, & Carolus Lotharingus, heroes ambo immortalitatis gloria inclyti, totius expeditionis ſeriem latius depromentes. 1686.

Simontornam & Capoſwarâ capit.

Ludovicus Badenſis Colozam ab hoſtibus vaſtatam præteriens, Simontornam Sarawitzio fluv. adjacentem petit, & refractariam licet, fulminantibus tamen machinis ad ſubjectionem cogit, inde captâ Capoſwarâ, eaque expilatâ & combuſta, quia arx curſim expugnari non poterat, dum recta pergeret Quinque-Eccleſias, aſſociatis in via Scherffenbergii copiis, 19. Octobris eandem attingit, inter Danubium mediam & Dravum, quatuor Sickloſio milliaribus diſſitam, emporium olim academiâ, ſedeque epiſcopali, & adhuc vite & vino nobile.

Cum Scherffenbergo Quinque Eccleſias ſine arce occupat.

Præſidiarii Chriſtianorum adventum audientes, injectis in urbem, occupatu facilem, ignibus, ne ſpoliorum quicquam cederet hoſtibus, in arcem properè confugiunt haud invalidam: Chriſtiani autem ſuperatis ſubitò mœnibus flammas extinguunt, & ſub urbis mœnibus arci proximiores tormentis flagellant, nec præſidiariorum tameo poſſunt expugnare conſtantiam; ſed perviaciores illi omnes illudunt conatus & diutius elidunt. Dum hæc interim fiunt, in ſuperiorem tendamus Ungariam, ubi

Sub hoc idem tempus alter etiam exercitus Capraræ (qui infirmitate detentus caſtra ſequi non poterat) ſub campi ductoribus Caraffa & Häuſlero Segedinum appulerat ad Tibiſcum & Moroſchum confluentes ſitum, urbemq; haud difficulter à dimachis ſuis manu ferreâ tumultuariè occupandam ratus Generalis la Vergne repellitur, & occiditur; tormentis igitur quaſſata, ſuffoſſioneſq; eo uſq; erant promotæ, ut propediem occupandam ſperarent omnes: & ecce refert fama Tartarorum Turcarumq; aliquot millia in urbis approximare ſubſidium. Communi raptim conſilio caſtra communiuntur, immittitur in hoſtem cum X. legionibus Generalis Comes Veteranus, qui latis ſubitò paſſibus tenebroſæ noctis ſilentio hoſtem famâ multò ſuperiorem aſſecutus, oriente ſole ipſe Tartaros, Comites Götzius & Caſtellus Turcas fortiter aggreſſi in fugam conjiciunt, captiſq; caſtrorum ſpoliis ſecuri ad ſuos redeuntes, phalanges aliquot primo Tartarorum, mox ipſum ſupremum Vezirium cum XII. Turcarum millibus præter Tartaros in toto continuo noctis itinere, tum proximâ nimium velitatione defatigatos conſpiciunt provolantes, territus initio puſillus Chriſtianorum grex duplo barbarorum numero ſuperiore; juſtâ tamen nixus Cæſaris causâ, & favente hucuſque divini numinis auxilio victrix, jubet ante omnia Veteranus legionem cum cohortibus aliquot hoſtis latera incurrere, ipſe aciem audacter perrumpit, & irruit in Vezirium: tenuit conflictus duas ultra horas acerrimè, donec turcico fugiente equitatu inſecuti Chriſtiani in Janizaros, eorumq; peditatum, & octo campeſtria incidunt tormenta, quibus fugitivus ſe conjungens equitatus pugnam atrocius redintegrant, & ſimultaneâ tormentorum, bombardarumq; ejaculatione Chriſtianos excipiunt: hi rupe immobiliores primum hoſtium impetum ſuſtinentes, altero ipſi hoſtium ordines luxatos fundunt, fugant, & caſtris, impedimentis, ſignis, tormentiſque omnibus ſpoliant, & ſic duplici ovantes victoriâ ad Segedina reverſi caſtra, auxiliatricem divini ſic numinis manum

Turcæ & Tartari bis profligantur prope Segedinũ

ſum-

1686. ſuma cum gratiarum actione deprædicant. Omnibus interea in inſultum paratis, miſſoq; in urbem Baſsâ in proxima hac pugna capto, ut victũ fuſumq; ſine ſpe ſubſidii referret Vezirium, in poſtulatam oppidani & præſidiarii urbis traditionem condeſcendentes, cum uxoribus, liberiſq; & quantum quiſq; conferre poſſet ſuppellectilis, temeswarium abeunt: Secuta mox vicina arx Cbonod Cæſareum quoq; admiſit præſidiũ.

Quod cum arce Chonod capitur.

Sed revertamur ad Quinqueeccleſienſes, qui explicatis ſex rubris, & uno nigro vexillis pertinacem ſignificabant ultimum mortis & ſanguinis defenſionem: Badenſis igitur promotis ad arcem ſubterraneis fornaculis iteratam poſtulat traditionem, quam ſi recuſarent, nullius omnino conditionis, nec minimæ ullius ſpem gratiæ futuram certò ſibi perſuaderent. Hac minitatione, & aquæ inopiâ territi victoris ſe voluntati & arcem, 18. machinis curulibus copioſo bellico apparatu, & magno equorum numero inſtructam. Hos imitati Socloſienſes, incensâ pariter urbe arcem defendentes, eandem deditionis ſubiêre fortunam, præſidiariis utrobique captivitate mactatis. Inde Badenſis Eſſecum hyeme licèt appropinquante famoſum deſtructurus pontem progreſſus: Dardam primum hujus propugnaculum aliquot millium capax præſidiariorum, & propter paludes vix acceſſibile, jubet tentare; præſidiariis verò Chriſtianorum metu Eſſecum auffugientibus, magnam pontis partem 5000. paſſuum conſumit flammis & incinerat; atque ita Scherffenbergi legiones in Croatiam, reliquas verò captâ priùs per deditionem Capoſwariâ arce, ad hyberna aliorſum demittit.

Quinque Eccleſienſis arx deditur Badenſi.

Et Socloſia.

Eſſeckenſem pontem incineras.

Felix anni hujus Chriſtianorum expeditio in altam conſternationis Conſtantinopolim præcipitavit abyſſum, & parum abfuit, quin pro communi bono etiam Sultani vita inferis immolaretur: hic enim in fano ſeu moſchea oraturus, à flamine turcico publicè accuſatus ſocordiæ, omnigeni origo mali ob inveteratam ejus libidinem & avaritiam infamabatur: Muffetius etiam ſummus eorum presbyter, homo omnibus odioſus, & perfidi auctor belli degradiabatur, utque periculoſiori præveniretur malo & tumultui, ſupremus Vezirius ingentibus Seraglii, & imperaturiæ venationis impenſis modum imponit: grandem ipſe auri ſummam, uti & Imperatrix, & Kislar aga in nervum bellicum profundunt, maximique ſacri fanorum theſauri ipſi applicantur: omnium autem conſilio pax ſuadebatur, tam enormi violata perfidiâ, à Turcis modò, ſerò autem Maurocordati literis deteſtata, quibus tam enixè pacem ab Hermanno Badenſi, bellici conſilii præſide precabatur: eandemque Vezirius petebat à Veneris: nec diſſuadebant Hiſpani, Gallorum in Belgium, & Romanum Imperium imminens bellum metuentes; illam verò tam Cæſar, quàm Veneti explodebant falſam ac doloſam, nullis utpote conditionibus ab Ottomannis limitatam: ſed magnis utrobique animis, viribus & ſumptibus in futuram anni ſequentis expeditionem parabantur omnia ſolertiſſimè.

Sultani vitæ periculum.

Mufftius degradatur.

Turcæ pacem irritò petunt.

Illud maximè ſollicitabat Chriſtianos, quod Budenſes præſidiarii domibus ac tectis deſtituti, interim ſub jove frigido gelu ſuſtinentes viribus enervarentur: & Quinqueeccleſienſes fame, panis & molarum inopiâ deficerent; jamque aliquot Tartarorum & Turcarum cohortes apud Eſſecum confluentes, ductore Tartarorum principis filio ultra Danubium excurſionem meditantes, ubi Tüngenus Quinqueeccleſienſium 1687. præfectus intellexit, ſuam illis haud obſcurè ſignificaturus vigilantiam, Sigethenſia ſuburbia omnigeno commeatu & pecoribus repleta expilat, & flammis ſubjicit, quem oppidani ſine mora inſequentes cæde ſuorum 120. repelluntur. Laborabat interim imprimis Soldanus Tartarorum Principem ſeu Chamum ſingularis affectûs ſignificatione allicere, & muneribus etiam impellere tum ad maturanda copioſiora ſubſidia, tum ut fœdus Polono-Moſcowiticum quovis modo diſſolveret. Supremus etiam Vezirius Eſſecum, Belgradum, & Albam Regalem proximo expoſitas periculo, quàm maximo poteſt ſtudio jubet communiri: Erlaviæ autem fameſcenti propter exactam Chriſtianorum vigilantiam ſuccurrere vix poterat.

Tungenus Sigethenſia ſuburbia inflammat.

Initio tamen anni 1687. Præfectus Temeswarienſis & Tôckelius ut annonarios Waradini expeditos currus eidem inferrent, congeſtitiis tumultuariè copiis, ut fallerent Chriſtianos, huc & inde vagabantur, donec opportunam nacti occaſionem Erlaviam provolant; ſed in omnem intendens partem Häuslerus opportunè eoſdem irruit, & carpentario munitos caſtro ſphæris incendiariis diſſipat, fundit, fugatque, & copioſo commeatu intercepto ſuas, & proximas in hybernaculis copias eodem laborantes defectu reficit. Quinqueeccleſias, Sicoloſiam & Capoſwarium Tüngeni curâ, & Cæſaris imperio ſufficienti Croatæ & Styrii commeatu inſtruxerunt, earumque ruinæ, ſicut & Budæ hiatus murorum ac ſciſſuræ domorum reparatæ, ſublatis ubi ruderibus ingentem Comes Rabata, Budæ præſes, bellicum apparatum, & domeſticam miles ſuppellectilem, prædamque non exiguam deprehenderunt. Comes etiam Caraffa eo Abaffium Tranſylvaniæ Principem adegit, ut pro redimendis hybernaliis pactam pecuniæ ſummam in militare ſtipendium extraderet. Quod ægerrimè ferebat Tôckelius ſuum hactenus ibidem quærens refugium, & à Waradinenſi præfecto metuens poſthac abnuendum ſubſidium, periclitanti Mongatſchio ſuo admodum neceſſarium: plures enim illud arctius occludeodum Cæſareæ acceſſerant centuriæ, quæ excurrentes in ſe Mongatſchianos cæde L. illorum rejecerunt; illi captos è contra Cæſareanos manibus remiſerunt crudeliter truncatos, nullibi ad quidquam idoneos & miſeros.

Heuslerus annona Turcas ſpoliat.

Abaffius ad contributiones cogitur.

Pungebat præterea Tôckelium non tam, quòd plores ſuorum præſidiariorum Mongatſchio fugientes Cæſaream induerent militiam, quàm quòd ejuſdem ad uxorem ſuam, & clandeſtinæ conſpirationis literæ, Caſſoviæ exaratæ fuerint interceptæ, quibus præter alias ſuperioris Ungariæ civitates Caſſoviam imprimis Tôckelio ab ejuſdem cum illo religionis Lutheranæ conſortibus extradendam ſignificabatur; Cathedrali idcirco Eccleſia Lutherani propediem exturbati, eaque Romano-Catholicis reddita; decem proditionis rei binis publicè vicibus pœna capitis & dexteræ manûs à rerum capitalium præſide Barone de Wallis condemnati & quadripartiti, in totidem Urbis Eperieſſi compitis ad ſaniorem aliorum terrorem quintâ Martii proſtituebantur.

Caſſoviâ proditores puniuntur.

Similis Budæ per dimacham Georgium Bürtner emanavit proditio; hic lytri defectu per Turcæ captivi commutationem è captivitate Alba Regali eluctatus, ſuo vigiliarum magiſtro Paulo

Buda proditor Finckius quadripartitur.

1687. Paulo Piſſeskio detulit, ſibi ab adoleſcentia, quo Albæ Regalis Baſſa præfectus utebatur interprete, ibidem concreditum, quòd Budenſis quidam centurio prætextu lytri pro duabus fœminis turcicis ſibi ſolvendi clandeſtinam fortè literis foveret urbis proditionem; lectis enim ejuſdem centurionis 20. Februarii literis, gaudio exultans Albæ Regalis præfectus Baſſa plenâ manu aurum bajulo donabat ruſtico, factionemque vicinis protinus communicabat Baſſis. Piſſeskius rem ſuſpicione violentâ plenam ſupremo militarium Præſidi Hermanno Badenſi, hic raptiſſimè Beckio Budenſi præfecto committit, qui duplicatis ſine mora excubiis, clauſiſque portis Salmenſis legionis ſuccenturionem Finckium de Finckenſtein ex prædictarum cohabitatione fœminarum ſuſpectum in quæſtionem vocat; ſed pernegans, teſtimoniis bajuli filii, & unius ex fœminis de literarum cum Turcis commercio convictus, ſponte confeſſus, ſe pretio bis mille ducatorum Turcis Budam tempore excubiarum ſuarum, quo ſibi urbis ad magnam circularem munitionem tradebantur claves, ſopitis vino excubitoribus prodere, & hoſtem intromittere voluiſſe. Idem reſponſoriæ præfecti Albæ Regalis literæ poſt biduum à bajulo ruſtico allatæ confirmabant evidenter. Nec diu morati Turcæ, jam tum de occupatione certi Danubium tranſituri, aggerem congeſtitium ab Heiduccis defenſum tumultuariè involant, & cæſis eorum triginta intercepiſſent, niſi Tungenus hac de re monitus opportunè vigiliarum magiſtrum Baronem de Orlick eo ſubmiſiſſet, qui illos captis 5. ſignis fortiter retundens repreſſit, cæſis, captis, & Danubio ſubmerſis plurimis: & ſic paulò poſt Finckius læſæ majeſtatis & proditionis reus in publico Budæ pegmate minutus capite, & dexterâ manu, corpus in quadrum diviſum per urbem expoſitum fuit; ruſticus autem literarum bajulus cuſpide transfixus, iofames ambo perierunt ſexto idus Aprilis.

De expeditione hujus anni conſultatur.

Æſtate veri paulatim ſuccedente ad magnum Viennæ bellicum venit conſilium Carolus Lotharingus, & plures alii archiſtrategi, Generales & tribuni de proxima belli expeditione conſultaturi, quæ omnino varia proponebatur: quidam ad ſecurandam Budam tentandam exiſtimabant Albam Regalem, haud captu difficilem, tum occupato Temeswario, atque ita occluſo refrænatoque Varadino facilem in Tranſilvaniam patere aditum. Plures intercepto facilè Eſſecko Albam Regalem, Sigethum & Caniſam ſecludi aut avelli, ſumptiſque per Sclavoniam hybernis, tutiorem proximè, commodioremque Belgradum aggrediendi viam ſterni poſſe: alii Varadinum recuperando univerſam haud ægrè Tranſylvaniam fore ſubjugandam, & in majorem ſuperioris Ungariæ ſecuritatem Erlaviam invadendam: pauci beneficio Danubii poſt captum Eſſekum, ceteraſque adjacentes urbes & arces obſidendum ſuadebant Belgradum, Ungariæ, Sclavoniæ, Boſniæ & Serviæ domitricem, & circumlato Conſtantinupolim uſque terrore Turcicum concutere imperium. Multi huic contrarii periculoſum fore maximè ajebant Ottomannici viſcera regni penetrare, relictis tot poſt tergum munimentis robore & præſidio validiſſimis, qui militare omnino ſubſidium, commeatum apparatumque bellicum impediendo totum facile poſſent Chriſtianum deſtruere exercitum; nec ita facilè Savum Dravumque poſſe tranſiri, & iis ſuperatis Ungariam miliue diſtitotam funeſtiſſimis hoſtium exponi excurſionibus, & amittendi ea periculo, quæ tanto labore, & Chriſtianorum parta ſunt ſanguine. Carolus poſtremò omnem urbis aut munimenti alicujus diſſuadebat obſidionem, antequam hoſtis campeſtri & decretorio ſuperatus prælio & terrore fuerit dejectus; quo victo, graviſſimas etiam expeditiones fore facillimas, urbeſque ad nutum vincentium flexibiles. Placuit hæc ultima Cæſari ſententia Caroli, cujus prudentiæ, militarique ſcientiæ totam committit expeditionem. 1687.

Multi principes confluunt ſub Carolo militare.

Menſis igitur Maji initio evocantur legiones ad diribitorium ex provinciis hæreditariis & hybernis Barckanum, & ex ſuperiori Ungaria Zolnockum, pluteſque viri graves ad hanc Caroli expeditionem confluebant Viennam, ex Anglia Principes de Berwick, & S. Albani, ex Hiſpania multi Grandes & equeſtris ordinis filii, ex Belgio Carolus Lotharingus Vaudemontii filius, & plures alii volones Cæſaris militiam ſub tam generoſo duce amplexi. Copiis ita confluentibus Albæ Regalis præfectus ſibi metuens, 30. Spahos ſeu Equites Belgradum ſubſidium petendi cauſâ miſſitat, qui omnes exceptis IV. ab Ungaris ſunt interempti: Segetheoſes etiam CCCC. boves Albam Regalem deducentes, tribunus Straſſer opprimit: Agrienſes fame per hyemem vexati, dum frumentatum excurrunt, tribunus Semſejus eos ad oppidi portas perſecutus, abreptis aliquot bobus majori ſubjicit neceſſitati, & pluribus per Caraffam ſubmiſſis vexillationibus arctius intercludit.

Turcæ variè cæduntur.

Belgradum communitur.

Supremus interea Vizirius omni qua poteſt cura & ſtudio novis Belgradum foveis, vallis & aggeribus munire, Eſſeckum duplici vallere ſæpe militari, dimidiatis lunis & ſelectis Janizaris inſtruere, utque Töckelii confirmaret factionem, aliquot Tartarorum agmina citra Tibiſcum demittere: aut ſi ulla ſpes pacis foret redimendæ, fœduſve Cæſareo-Moſcoviticum adverſus Ottomannicam Portam percuſſum diſſolvendi, miſſo Debrexinum ad Caraffam internuntio Mehemet Agâ, in pacis victimam præter alia offert Töckelium extradendum. Caraffa ex Cæſaris ſenſu reſpondit: Töckelium Cæſaris Vaſallum non pacis, ſed juſtitiæ victimam jam pridem fuiſſe meritò immolandam: pacem autem à Soldano petitam dabit Cæſar, ſi 1. Damna Auſtriæ, hæreditariiſque illata provinciis VI. auri millionibus reſarciat. 2. Ungariam totam turcicis evacuatam præſidiis reſtituat, & 3. Juſtam in omnibus præſter Confœderatis ſatisfactionem. Hæc non pacem, ſed bellum præſagire facilè cognoſcebant Turcæ, quos maximè affligebat fœdus Cæſareo-Polonico-Moſcoviticum, ratum & confirmatum. Horum archiſtrategus Baſilius Galiczynus ingentem quidem 90. millium exercitum in Præcopenſes ad Boreſthenem Tartaros, ſed abſque ſingulari movit effectu.

Turcæ pacem à Caraffa petunt.

Sed conditiones refugiunt.

Fœdus Cæſareo-Polono-Moſcoviticum.

Interea temporis Carolus Lotharingus militariter Budæ exceptus, viſis ibidem mœnibus reſtauratis, vallis & propugnaculis reſtitutis, Tolnam luſtraturus exercitum pergit, quo etiam Bavarus Elector & Caraffa Zolnocko cum altero ſuperioris Ungariæ tendunt exercitu, quem Carolus conjunctum Danubium verſus progredi jubet, & haud procul, uno & dimidio milliari Mohacio ponte eundem ſublicio ſterni & cu-

ſtodiri,

1687. ſtodiri, quod referentibus exploratoribus Turcas Petrowardini ſimilem Danubio impoſuiſſe audiret, & faureſcenti ſuccurrerent Giulæ; jamque in procinctu videntes Bavarum adpropinquantem, fugam ocyſſimè capiunt. Dardenſes etiam non capectato Chriſtianorum adventu Eſſeckum transfugiunt, quos eo portas uſque dum inſecutus Carolus, magnus illico operariorum numerus pontis Eſſeckienſis loco aggerem concædibus, cæſpitibus, & quercubus intermixta humo (ne igne læderentur) congeſtitium à Danubii litore Dardam uſque, latitudine quatuor ſimul carrucarum capacem ab octo jam menſibus extruentes, ad tutiora ſe recipiunt: inclinante die audacius equitum agmen navalem Dravi pontem aggeremque explorans, ob continuas tormentorum ex urbe & arce ejaculationes vix humi cubantes eundem vallaribus ſudibus, & altâ præmunitum foveâ cognoſcunt: his licet obſtantibus bis mille pedites ductu Guidonis Starrenbergii & Soucheſii pontis monitionem invaſuri, furioſo prius Janitarorum 400. impetu & igne aggrediuntur: illum Cæſareani confertis ordinibus fortiter ſuſtinentes, ad furcatos illos repellunt ſtipites, ſuccenturiatique mox pyrobolarii perruptis ſudibus ad oppidi portas rejiciunt; unde novo Janitarorum agmine erumpente dum Cæſareanorum ibi ſiſteret impetus, Carolus ignem ponti admoveri jubet, præciſiſque anchoralis in flammas abit & cineres 500. paſſ.

Pontem Eſſeckenſem refectum Carolus incendit.

Vezirius Cæſareum intelligens Dravum inter & Eſſeckum conſidere exercitum, Siauſum Aleppi præfectum cum copiis Petrowardini commorantibus eò amandat, ut caſtrenſes vaſtæ longitudinis & latitudinis foſſas, ab apoſtatâ Marchione Perſano ſuggeſtas, & loricis ſudibuſque vallatas appropinquanti ſuo octoginta millium exercitui præpararet inacceſſibiles. Quod Carolus ægerrimè ferens prælio cum hoſte decertare magis cupidus, Ottowari Dravum, nivalibus Styriæ & Carinthiæ montium aquis nimium intumeſcentem magno cum labore & difficultate, cautâ ſimul etiam vigilantiâ trajicit (Vezirio id plures errori, dolo alii vertebant, quòd trajectâ exercitûs Chriſtiani parte, alteram haud difficulter in tam rapidi fluminis & paludum diſcrimine poſuiſſet opprimere) ubi in convocato bellico conſilio periculoſum admodùm videbatur, hoſtem numero ſuperiorem, & tam validis communitum loricis, & ſudibus aggredi: attamen provocare ad certamen, eundemque laceſſere ac prolicere glorioſum eſſe, & conandum. Quare unitis exercitûs viribus Walpo arcis, Savum inter & Dravum ſitæ, deditionem poſtulat; ſed pertinacem, ne detineretur exercitus, præterit, & circa veſperam hoſtilem offendit exercitum, duplici, ut prædictum, vallo, foveâ, ſudibus, campeſtribuſque ultra centum tormentis probè communitum, & die alterâ inſtructâ in hoſtem acie movet. Vezirius autem in ſuo ſecurè deliteſcens latibulo decretoriam declinabat pugnam, id ſubdolè intendens, ut tumultuariis ſæpe velitationibus vires minueret Chriſtianorum, cunctandoque commeatus apparatûſque eorum bellicus deficeret, & totus demum exercitus noxiis aëris paluſtriſque loci humoribus planè enervatus, elapſo ſine fructu bellandi tempore excedere campo cogeretur, & plurimi interea iteratis tormentorum ictibus cadere poſſent Chriſtiani.

Turcæ Petrowardini caſtra communiunt.

Carolus eos elicere molitur.

Vezirius pugnam declinat.

Cùm horis jam pluſquam XLVI. plenis Carolus ordinibus hoſtem proditurum fruſtra capectaſſet, quid bellicum ſuaderet conſilium percunctatus, omnes abitum expedire potius, quàm invitum ad prælium hoſtem omni annonæ, pabuli, apparatûſque copiâ abundè proviſum, & in ſuo ſecurè latibulo prolicere allectebant, quibus Chriſtianus è contra exercitus multo tædio, noxioque aere affectus deficeret. Commendatis igitur Piccolomino impedimentis, inſtructâ acie exercitus Sicloſiam verſus tendit, & primâ nocte dimidio Eſſecko milliari conſidens, die alterâ tardis licet ad Dravi pontem paſſibus procederet, plurimos tamen in via homines, equos & pecora fame admodùm enervatos ſtagnantes ubique paludes, & hoſtiles crudeliter harpes conſumpſère; Spahi enim, ſeu equites turcici, & Tartari poſtrema continuò carpentes agmina, plures neci, aut captivitati mancipaſſent, niſi ſingularis Bavari, Badenſis, & Eugenii Sabaudi ubique præſentium vigilantia & fortitudo eorundem compeſcuiſſet invaſionem. Pontem aſſecutus tandem Carolus Dravum cum exercitu vix pertranſierat, cùm Vezirius quatuor mille equites Mohacium verſus amandat, annonarias Chriſtianorum naves, & apparatûs carrucas diripiendas, quas Orlickius baro ſexcentis equitibus defenſurus circumcingitur; confertis tamen ordinibus rem ita fortiter gerit, ut ſervatis victualibus haud pauca, C. amiſerit equitum capita, haſtis in trophæum caſtris hoſtium illata.

Diſcedente inde Carolo Mohacium Turcæ poſtrema carpunt agmina.

Proſperas haſce velitationes, & ſtudioſam Chriſtianorum fugam arrogans Solimanous Vezirius tanquam ignominioſam & turpem magno ſuo propediem Soldano, & præfectis Erlavienſi, Albæ regali, & Sigethenſi ſignificans, glorioſam ubique ciebat victoriam, tormentorum boatu exceptam, atque ita è ſuis prodiens latibulis Dravum quoque cum exercitu Eſſecki tranſmittit, & Bornewari inter paludes, uno à Chriſtiano exercitu milliari conſidet, loricis & caſtrenſi ita circumdatus ſepimento, ut nec inde in publicum provenire campum, aut prælium velle videretur. Ne igitur inanis recideret hujus anni expeditio, & florentiſſimus Chriſtianus ab exitioſo aëre, indeque morbis indies invaleſcentibus dilaceraretur, Albæ Regalis, vel alterius obſidionem urbis Carolus meditatus, everſis igne Quinqueeccleſiis & Sicloſiâ arce, Budam verſus movet, alamque exercitûs dexteram ad radices montis Harſcham, ſiniſtram Elector ad Bornewari colliculos in campis Mohacianis, unico ab hoſtibus & Sicloſia milliari collocat. Vezirius ſecundam hanc fugam interpretatus meticuloſiorem, Perſani transfugæ conſilio, & Rebellium hortatu Chriſtianum aggredi exercitum, antequam loricaretur, omnino ſtatuiſſe, transfuga quidam adoleſcens græcus deferebat, eorundemque jam tum ſtativa ſex mille equites ſpeculaturi, & prima Caroli agmina invaſuri prævolabant: ſiniſtram quoque Electoris alam octo Spahorum millia à tergo, & à latere ſex Janizarorum millia invadebant, collemque à Bavaro pridie deſertum occupantes, omni quo poterant conatu illum à dextera Caroli ſubmovere ac ſeparare moliebantur; ſed generoſo Bavari hortatu & adminiculo omnem retundebant fortiter vim & impetum, & Badenſis illos à prædicto colle Chriſtianis maximè opportuno feliciter dejicit. Carolus ubi jam prælium cernit in-

Simulata Caroli fuga elicit Vezirium è latibulo.

Pugna Mohaciana.

1687. inardeſcere, ſubmiſſis extemplò io proximum ſaltum aliquot agminibus (ubi maximam Turcæ vim in alam exerebant ſiniſtram) toto ſimul in hoſtem fortiter vadit exercitu, tantoque aggreditur impetu, ut ſubitò Spahi equites terrore confuſi trepidare, Badenſis & Commercius cum volonibus actus inſtare, perrumpere Bavarus: illi loco cedere, & fugam ad Janizaros capeſcere; quam hi ſiſtere contendentes, majorem Spahis incutiebant terrorem, & celeriores fugiendi alas addebant, uti & ipſi equitatu deſtituti paulò poſt in turpem ſe quoque fugam conjiciunt Eſseckum petentes: perſequitur eos ad caſtra uſque Eugenius Sabaudus & Com. Caſtellus, quos ponè ſecutus Bavarus caſtra involant probè munita, & tranſcenſa diripiunt. Cæſa ſuot octo Janizarorum millia cum ſuo Aga, 2000. capta; 5000. aquis ſubmerſa, reliquis nox per ſaltus, nemora & paludes dedit effugium; ſed in vincentium manus deveoerunt LXVI. tormenta bellica, & in his quatuor ingentis magnitudinis, mortaria decem, ultra XL. vexilla, grammatophylaciom caſtrenſe, magnus papilionum numerus 3. horarum latitudioe exteoſus, & in pretioſiſſimo bis ſeptem turriro Vezirö papilione imperatorium ſupremæ poteſtatis vexillum, dives auri, veſtium, arcuum, harpiumque auro gemmiſque expolitorum copia; impedimenta omnia, amplus bellicus apparatus & annona abundantiſſima exhauſtis per triduum fame & labore militibus admodùm delitioſa, tantaque rerum omnium & pulveris nitrati erat abundantia, ut ſubjici ignibus debuerit: aurum verò quinque milliones æſtimatum fuit, unde milites gregarii, lixæ & calones ſuffertis pileis inſigniter ſunt felicitati. Glorioſa hæc certè victoria Carolo Duci per Europam univerſam gloriæ poodus addidit ævirernum, ejuſdemque participem fecit Electoris Bavari generoſitatem, cujus togâ plumbeo Janizari alire perforatâ, manuque leviter perſtrictâ fortiter pugnavit. Lud. Badenſem & fortiſſimum militem, & ducem probavit prudentiſſimum: prætereo alios generoſiſſimos Principes & Comites, Eugenium Sabaudum, Ducem Mantuanum, Commercium, Sinzendorffium, omnes emeritos Martis Heroes, mortis præſentiſſimo periculo vitam & ſaoguioem pro Chriſtiana imperterritè republica exponentes: immo totus Chriſtianus exercitus ſingulari virtutis conſtantiâ glorioſam fortitudinis ſuæ reportavit memoriam. Die altera, quæ erat 13. Auguſti, piiſſimus, & in Europa ſanctimoniæ famâ celebris Pater Marcus ab Aviano Capuccious (Viennæ poſtmodùm 1699. piè defunctus) ad Veziri papilionem concione publicâ ſub Davidis *Pſal.* 30. themate: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*, ad referendas armipotenti Deo gratias totum excitavit exercitum, cantatoque cum trino tormentorum jubilo epinicio *Te Deum laudamus*, Carolus glorioſæ hujus Mohacianæ victoriæ trophæa & nuntium Eugenium Sabaudum, de hac optimè meritum (qui primus cum legione ſua caſtrenſes hoſtium loricas & ſepimenta admodum roborata tranſcendens ſuperavit) dimiſit Viennam, Venetorum victoriis adhuc novis ovantem & exclamantem: Felix fauſtuſque ille duodecimus Auguſti dies! qui Chriſtianum & regium Ludovici II. Regis XXXVI. ſanguinem, in hiſce Mohacianis olim campis 1526. crudeliter effuſum, ultricibus vindicavit armis, & Ottomannicum iniquiſſimo perfidiæ gladiò propagatum hocuſque imperium fatali concuſſit terrore; quemadmodùm binis Solimannus Vezirius literis ad Carolum Ducem, & Electorem Bavarum datis, & meritam perfidiæ ſuæ pœnam agnovit, & pacem humillimè eſt deprecatus. 1687.

Turcarū fuga.

Spolia ingentia.

Marcus Aviano exercitū animavit.

Victoria glorioſa vindicavit mortem Reg. Ludovici

Vezirius pacem petit.

Poſt hæc Henricus Joannes Comes Dunwaldus & Soucheſius cum quatuordecim legionibus ad augendos tuendoſque Croatiæ fines ſunt deſtinati; reliquus autem exercitus in alteram Danubii partem translatus eſt, ad ceteras arces & oppida in poteſtatem Cæſaris redigenda. Juſſus etiam Erdœdus Croatiæ Banus turcica in Ungariam ſubmitteoda impedire ſubſidia, & arma promovere. Hic trajectâ igitur Unnâ fl. Caſtanowitzam & Dubizam capit & diripit, traditque vulcano: Dunwaldus verò bis mille Ungaris ſub Com. Budiano auctus arcé Butſchinam, Dravum inter & Savum altæ inſideotem rupi deditione occupat: & Carolus Petrowardino exercitum in Tranſilvaniam traducturus, Abaffium Principem ſui admonet adventûs, ut hoſpitia hybernaque militi itineribus morbiſque exhauſto deſignaret (plurimi enim cùm homines, tùm jumenta ſalebroſis paluſtribuſque viarum difficultatibus fracti decedebant) ubi Debrecinum venit, refecto affatim exercitu, aliquot Marchioni Doriæ agmina ad includendam arctius agonizantem Erlaviam ſubmittit, & duas Poſonium legiones, equeſtrem loricatam Palffii, & pedeſtrem Starrenbergii, pro inſtante Joſephi Regis Ungariæ coronatione: cum reliquis Semblium attingens oblatam quidem Abaffii per commiſſarios fidem excipit hocuſque inconſtantem, & Cæſaris voluntati inſufficientem; quæ ut firmior ſtabiliretur pacto, Scheffenbergum & Falckenheimum ad Principem amandat: inde Claudiopolim petit, ægrè admodum in urbem, terrore tandem incuſſo admiſſus, quatuor ſub Guidone Starrenbergo legiones immittit: & qoia Princeps & Status Tranſylvaniæ in Cæſaris adhuc fugiebant poſtulata deſcendere, metropolim adit Hermenſtadium, vim refractariis illaturus. Pactis taodem conventis, ſubminiſtrabit Tranſylvania Cæſareano exercitui hyberna, annonam, pabulum, & militarem æris collectionem, certis terminis ſolvendam: liberum quatuor religionum permitteretur exercitium, jura, libertates, bona civium, commeatus & apparatus maneant inviolata: hoſtem Tranſylvaniam invadentem Cæſareani avertent, & defendent; fœduſque iccirco Cæſareano-Tranſylvanum defenſivum juramento utrimque roborabitur: Princeps, & filius ejus ſucceſſor Michaël Abaffius in ſua manebunt dignitatis, jurisdictioois, & regiminis poſſeſſione: Proximo vere Tranſylvania Cæſareano evacuabitur præſidio, niſi aliud belli exegerit neceſſitas; univerſalis denique omoium fit amneſtia. Rebus ſic confectis Carolus copiis Croji & Scherffenbergi imperio commiſſis, per ſuperiorem Ungariam (cujus præfecturam Caraffæ tribuerat) Viennam contendit.

Erdödus capit Caſtanovitzam & Dubizam &c.

Carolus Tranſilvaniam ſubjugandam petit.

Doria Erlaviā includit agonizantem.

Tranſylvania ſe Cæſari ſubmittit His conditionibus.

Carolus Viennam tendit.

Interea Ariczaga Leopoldopolis præfectus cum limitaneis copiis Czokaviam, validam arcem ad voluntatis ſuæ coegerat deditionem, annonâ, & 20. tormentis divitem, & paulò pòſt Palottam, oppidum haud infirmum. Dunwaldus etiam arcem Walpo, fruſtra à Carolo nuper tentatam dum adhuc contumacem impugnat, Hoffkirchium Com. cum aliquot centuriis Eſſecum jubet excurrere; cujus approximatio tantum

Ariczaga Czokavia & Palottā capit.

Dunwaldus Walpo & Eſſeckū.

tum

1687. tantum præſidiariis incuſſit terroris, ut clauſis à præfecto portis per muros ſe, bonaque ſua demiſerint, & adultâ lunâ aufugerint: quam fugam referenti ruſtico nullam Dunwaldus fidem adhibens, dum intentatâ morte conſtans aſſeveraret, aliâſque fidelem Hânsleto probaſſe operam audiret, Ladronum tribunum juſto cum equitatu ad occupandum oppidum reverâ vacuum expedit, 52. tormentis bellicis, & ingenti commeatu, apparatuque bellico inſtructum. Vix illud Ladronus tenuerat, cùm ſerâ ducti pœnitentiâ Turcæ vexillationibus aliquot reverſi, jam captum indolentes ab appropinquantibus Germanis in fugam ſunt coacti. Hæc inſperata Eſſecki occupatio etiam Walponibus videbatur incredibilis; at ubi Eſſeckenſibus verberabantur tormentis, captivos ſe tradunt Dunwaldo, qui Eſſecum ingreſſus, lautè reficit exercitum, gratiisque Deo pro catenatis hucusque victorus omnium tormentorum boatu actis, illud Stratego Comiti Aſpermontio commendat, prædictoque ruſtico intentatæ loco cuſpidationis inſignem confert remunerationem.

Aſpermontius Eſſeckenſis præfectus.

Fauſtum illud tormentorum Eſſecki jubilum horrendum fuit in vicinis Turcarum præſidiis tonitru, quod ſuo illos terrore Walkowario, Satioo, Orniza, Zwoviczâ, Slanckano, Carlowicio, Petrowardino, Erdœdo, Mitcovizo, Marcowizo, Januwa, & reliquis Sclavoniæ arcibus & præſidiis expulit. Inde Poſſegenſem in comitatum ſe confert, inter Savum & Dravum 30. milliaria continentem, Sclavoniæ regni metropolim Poſſegam tentaturus: cujus Baſſa ſeu præfectus Chriſtianorum percipiens adventum, arctum & validum ad hanc aditum intercludit; ſed ubi alio per montes diverticulo urbem à Dunwaldo peti intelligit, magnis præveniens paſſibus, urbem, opulentaſque mercatorum ædes & officinas expilat, & tantâ cum ſpoliis aufugit celeritate, ut expeditus properè protribunus Leonida Biſarrus præter paucula carpenta oſtenderit nihil. Poſſegâ novis munita aggeribus & præſidio (unde ejus diminutus admodùm eſt exercitus) accerſitiſque duabus Bani & Trautmansdorffii legionibus validam petit Czernit civitatem, cujus præſidium famâ Dunwaldi appropinquantis territum, relictis omnibus fugam capeſſit, deſeruntur que pariter Bachras, Sirar, Camminigradum, & Cralowertha; atque ita exiguo plane intervallo abundantiſſimum frumentis & fructibus Sclavoniæ regnum feliciſſime recuperavit. Plus ultra. Zagrabiæ comitatum petiturus, & captâ Gradiſcâ Boſniæ ſibi aditum aperturus, Hoſkirchium cum aliquot Croatarum vexillationibus vias, aditusque explorandi causâ præmittit, qui obvios excurſores Turcas repellens, globo ſecundum brachium traosfixus, Dunwaldo ſignificat Gradiſcam valido in & extra præſidio munitam, vias ſalebroſas, paluſtres & ſilvoſas, pontes ruinoſos, expeditionemque ſole præſertim in hyemem inclinante, haud facilem diſſuadet. Conſilio acquieſcit Dunwaldus, militemque per Croatiam ad hyberna dimittit.

Dunwaldus Poſſegam & multa Sclavoniæ loca occupat,

Et Czernit, ac totam Sclavoniam.

Atque Gradiſcā

Dum Cæſareus, ut ſupra memini, exercitus tranſmiſſo Danubio pergeret in Tranſylvaniam, Vezirius Spahos & Janizaros pontem Petrowardini transeundo Chriſtianorum jubet impedire progreſſum, retrectarunt imperium omnes, inſtigatoribus Oſmanno, alias Jeyen, & Siauſio Baſſis, magno ſtipendia tumultu exigentibus: ille profligatæ temeritatis & audaciæ in Aſia minore antehac prælio nequiſſimus; hic abjectiſſimus Vezirii Kiuprogli primum ſtabularius, poſtea coquus, ambo Solimanni Vezirii adverſarii, quòd illius invidiosè vitam periculo, hujus proſtituerit fortunam. Solimannus à milite in tentorio circumventus, clam tamen navi ſubductus, audiens Mahometis Soldani ſe gratiâ excidiſſe, imperiale eidem ſigillum, & viride Mahometis prophetæ vexillum remittens, Conjusmum ad Boſphorum ſecedit. Rebellem interea exercitum Adrianopolim properantem ut componeret Soldanus, Siauſium turbarum auctorem creavit ſupremum Vezirium, & Muſtapham Kiuprogli filium Kaimakam, ſeu gubernatorem Conſtantinopolitanum, ſed cum præſentiſſimo vitæ periculo; hic enim factionem, & Soldani depoſitionem ſubdolè fovens, ſuadet, urgetque exercitum tendere Conſtantinopolim, ubi tumultuoſe Janizaris poſtulantibus Mahometes IV. octavâ Novembris die throno imperiali eſt dejectus, in quem frater ejus Solimannus III. è quadragiota annorum carcere, orbis & exercitûs gaudio & acclamatione eſt elevatus; Mahometes autem cum Muſtapha filio, viginti annorum Principe, in ejuſdem carceris lneum demiſſus, poſtquam paulò ante Vezirium Ibahimum Caram Rhodum, ut dixi, relegatum, & Abdulam Muſftum, ac poſtremum Solimannum Vezirium laqueo ſuſtuliſſet.

Oſmannus & Siauſius cum exercitu tumultuantur.

Soliman. Vezirius dignitate & vitâ privatur Siauſius ſuccedit.

Mahomet depoſitus incarceratus, ſucceſſit excarceratus Soliman. III.

Polonorū fruſtanea hujus anni fuit expeditio, velut corpus excedente animâ oblanget; ita ſarmaticus abſente Rege ſexdecim millium exercitus ſine viribus Caminecum quidem pyrobolis ſeptingentis Jacobus Regis filius infeſtabat; audito autem Turcarum & Tartarorum adventu, ponteque Boriſthenis intumeſcentia fracto, domum re infectâ rediêre: uti & numeroſiſſimus Moſcorum exercitus plus ſuo, quàm hoſtico nocuit ſolo. Veneti autem victo Seraskiero occupant Patraſſum, Molicream, Achaiam, Lepanthum, olim Naupactum, & Corinthum, præſidiariis tremore & fugâ ablatis: ſequuntur deditione caſtrum Torneſum, Miſitra, Caſtro-novum, Cornigradum, & totius Græciæ celeberrimæ Athenæ vigeſimo nono Septembris die, Angelorum Archiſtratego S. Michaëli dedicato.

Moſcorum & Polonorū expeditio nulla.

Veneti Patraſſum, Athenas Lepantum & plura occupant.

Recuperatâ jam Budâ regni metropoli, devicto in campis ad internecionem inimico, ſubactâ Tranſylvaniâ, ex toto, exceptis paucis, Ungariæ Regno in poteſtatem Cæſaris fauſto armorum ſucceſſu redacto, Cæſar regni Ungarici Patres Viennam convocans, mentem ſuam, primogenitum ſcilicet ſuum Joſephum coronæ Ungaricæ hæreditarium inaugurandi aperuit: qua de re ſæpius Cardinalis Collonitſchius cum Patribus conſulens, circularibus literis omnes Regni Ordines & Comitatus ad generalia Presburgi comitia accerſendos fore neceſſarium conſenſerunt: quo Cæſar etiam cum Imperatrice, magnoque Legatorum & aulicorum ſyrmate ad finem menſis Octobris profectus, Wolffsthalii ab Agrienſi Epiſcopo, Georgio Fincſio, Pannonico miræ eloquentiæ & prudentiæ Cicerone Patrum nomine eſt exceptus: *Vix ſacra Majeſtas veſtra*, ajebat, *Auſtriæ egreſſa fines, & luctuoſam hactenus ingreſſa Ungariam ſuâ appropinquante ſalute finem cunctis impoſuit miſeriis & calamitatibus; mihi proinde delatus eſt honos ab Ordinibus, & officium ſalutandi illum, qui tot provinciarum victor, & Regni reſtaurator ac conſervator novam nobis daturus eſt ſalutem, Joſe-*

Cæſar in comitiis Presburgi à Fincſio excipitur.

phum

1687.

phum Archiducem, nomine Salvatorem: ut enim Rex Pharao Ægyptiis olim Joſeph donando omnem conſervavit populum; ſic ſacra Majeſtas cum Joſepho Archiduce hæreditario omnem Apoſtolico ſuo ſubmiſſiſſimè ſibi ſubjecto regno confert felicitatem. Fauſtâ igitur veniant congratulatione, hilarique animo; & cùm Sacras Majeſtates. Veſtras nunc in regni hujus ingreſſu Archiducis veneremur parentes, in egreſſu Regis effectores cum plauſu & jubilo congratulemur. Tum ad Archiducem: *A te autem Sereniſſime Archidux, ob triumphales parentis victorias, plura & illuſtriora, quàm à prædeceſſoribus tuis auguramur & expectamus trophæa a ſole & luna, & ſtellis adorandus, deferenda. Geneſ. 37.*

Die alterâ 31. Octobris Cæſar abſoluto in capella aulica divino officio; ad Senaculum à Patribus comitatus, Maholanus Regni Cancellarius comitiorum indictionem ungaricâ linguâ proponit, quam latinâ breviter Cæſar repetit, & ſupremus aulæ Cancellarius Comes Stratmannus Patribus clauſis ſigillatiſque tradit literis: Quòd quia Cæſar tot Regnum Ungariæ periculis, ſumptibus, curis ac laboribus Turcarum feliciter faucibus & unguibus eripuerit, jure ſibi proinde belli impoſterum vendicaret hæreditarium, primogenitumque ſuum Joſephum hæreditarium ongaricâ inaugurarent coronâ. Tum illam Andreæ II. Regis legem, anno 1222. latam: *Statuimus etiam, quod ſi nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum aliquo unquam tempore huic diſpoſitioni noſtræ contraire voluerit, liberum habeant, harum auctoritate, ſine nota alicujus infidelitatis, tam epiſcopi, quàm alii Jobagiones ac nobiles Regni noſtri univerſi & ſinguli, præſentes, & futuri, poſterique, reſiſtendi, & contradicendi nobis, & noſtris ſucceſſoribus in perpetuum facultatem.* Hanc, inquam, legem non humanæ ſolùm rationi, & politico contravenientem regimini; ſed omnium hactenus factionum nutricem exitioſiſſimam tollerent, unde indubitata Regni tranquillitas, ſalus, & augmentum ſint proventura. Commendatâ denique judicibus imprimis juſtitiâ, paucos intra dies quindenos abſolvenda poſtulat comitia. Conſensêre Ordines omnibus unanimes, factoque publico ſublatæ legis Andreæ, regnique in perpetuum hæreditarii inſtrumento confirmarunt, & decreverunt coronationem: quam Tôckelius publico libertatis tuendæ Manifeſto, ſed fruſtra, impedire conabatur: immo addiderunt Patres, ut deficiente etiam Leopoldi ſtirpe, quod Deus avertat, virilis Auſtriacæ Hiſpaniæ hæres in hoc Ungariæ regnum ſuccederet.

Joſeph Archidux fit Rex Ungariæ regni hæreditarii.

Andreæ Legis abrogatio.

Atque ita Joſephus Archidux decennis IX. Decembris die, alterâ poſt immaculatam Virginis Mariæ, Patronæ Regni, & Dominæ conceptionem, in templo S. Martini, in præſentia & aſſiſtentia Cæſaris, Imperatricis, Cardinal. Bonviſii, Nuntii Apoſtolici, Cardinal. Collonitſchii, aliorum Legatorum, & Regni Ordinum ſolemni & conſueto patriæ ritu coronatus à Georgio Szecheno, Archiepiſcopo Strigonienſi, Regni Archicancellario ac Primate, & Palatino Eſterhaſio. Szechenus 86. annorum ſenecio facundam orationem ſuam gaudio illacrimans concludebat: *Nunc dimitte ſervum tuum Domine, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, & ſedente Romano Pontifice Innocentio hanc in throno Innocentiam, Joſephum, coronaverim.* Tum ad conciliandos Regnicolarum animos generalis omnium amneſtia, per Carolum Ducem anno 1684. Presburgi publicata, rurſus fuit confirmata (excepto Tôckelio, & conſortibus ejus contumacibus) & criminale judicium Eperieſſi in Regiæ Majeſtatis reos, & regni proditores hucuſque continuatum, Neo-regis clementiâ ſublatum eſt, & reſciſſum. Peractâ coronatione in Franciſcanorum templo creavit Neo-Rex equites aurei calcaris ſexaginta Germanos & Ungaros, & extra S. Michaelis portam præſentibus Archiepiſcopo Strigonienſi, Regni Palatino, & ſupremo ſuo aulæ præfecto Comite Salmenſi conſuetâ aliàs formâ, excepto Andreæ II. decreto, præſtat juramentum, vibratoque in monte regio in quatuor orbis partes enſe, ad regium viginti octo menſarum convivium ſe confert. Utque Badenſis Cæſaris animum morte Com. Rabattæ, indefeſſi generalis commiſſarii bellici turbatum deliniret, equeſtres hippomachiæ ludos cunctis admirandos inſtituit.

Joſeph Rex coronatur.

1687. *Datâ omnium amneſtiâ excluditur Tôckelius cum ſociis.*

Equites creantur

Ludi hippomachia

Sed lætius recreavit Cæſarem Agrienſis fame coacta deditio, quam Marchio Doria occupatis montenſibus arcibus Czerepo, Sirocko & Sarvaska, omni ſpe ſubſidii & annonæ ſublatâ in ſextum jam menſem tam arctè incluſerat, ut arborum folia, corium maceratum, humana cadavera, aliaque abominanda fuerint in deliciis: Ruſteinius enim præfectus, inſignis homo temeritatis & feritatis lentâ potius cum præſidiariis morte ſe invicem conſumendo, quàm Chriſtianis urbem tradendo perire maluerunt: quorum pertinaciam captus confirmabat Ungarus, palam aſſerens, Chriſtianos ad Eſſeckum profligatos penitùs fugatoſque eſſe. Hos convincendi causâ quatuor in Mohaciano captos prælio Janizaros in urbem Doria dimiſit, ut captum referrent Eſſeckum, & Turcici exercitûs internecionem; ſed præfecto eos non admittente, infelicem ſuorum ſtragem narrant urbis vigilibus: quâ paſſim per urbem vulgatâ, tumultuantes præſidiarii urbem dedi poſtulant; ad quos Ruſteinius: *Quales hi tumultuoſi ſermones? ergone falſus, & doloſus hoſtium rumor veſtram hactenus inconcuſſam dejiciet conſtantiam? an urbem armis invincibilem hoſtilis cederes dolo? cogitate urbem ab ipſo Mahumete III. cruentâ admodum duorum exercituum ſtrage occupatam non ita facile extradendam: paucos ſuſtinete fortiter dies, quibus vel advenient ſubſidio hoſtium ferro liberabimur, vel ut generoſi milites viriliter pugnando glorioſam potius ſubibimus mortem, quàm truculentis Germanorum manibus tradamur.* Qua erecti oratione præſidiarii reſumunt animos; ſed cùm nuntius ad Vezirium deſtinatus à Doria intereeptus, & in urbem remiſſus cunctos referret aditus ſubveniendi intercluſos, terrore perculſi Ruſteinium vi ad deditionem adigunt; qui impetrato à Caraffa libero diſceſſu, pactiſque ab ipſo Cæſare ſubſcriptis, præſidiarii fame ad terrorem enervati Varadinum ſunt deducti. 1688.

Agria deditio ob famē.

Ruſteinius Agrienſes confirmat.

Nova inchoante anno 1688. Conſtantinopoli, eaque cruenta Surbaſſorum & Janizarorum orta eſt ſeditio, ſtipendia poſtulantium: quam Vezirius compoſiturus, primarium ejus auctorem Cochiuk Mehemetem auro, pretioſâ veſte, & equo phalerato donatum ad exercitum, cum ſpe certa & promiſſo ſtipendii proximè ſecuturi remittit. Janizari tam inſolitâ veſte, & equo ſuperbientem ſuſpicientes, & auro corruptum ſuſpicantes, equo deturbatum fruſtatim detruncant, Muftium officio deponunt, aliaque conferunt ſoli competentia Soldano officia, & enormes ubique exercent inſolentias:

Janizarorum ſeditio Byzantii

ut

1688. ut quia publicum ærarium eſſet exhauſtum, ex collecto aulicorum ære ſtipendiorum pars numerari debuerit; neque illa contenti; ſed cùm Solimannus ipſe præſentia, & imperiali fide ex Cariri 600000. Zechinorum, & Aſiæ minoris tributo propediem adventuro omnia perſolvenda appromitteret, hic acquieſcentibus Solimanuss coronatur, hoc eſt, acinace cingitur; qui dum io equum inſiliret, tiara è capite ejus decidit, & in via ingens ex nebula pluvia veſtium conſpurcavit ornatum, & diei ſolemnitatem omnemque populi inhibuit applauſum, oon ſine infauſti ominis augurio.

Solimannus coronatur gladio cingitur.

Ceterùm miſera Moockaſtini hoc tempore videbatur eſſe conditio: nam diſſidentibus inter ſe præſidiariis multi ad Cæſareanos transfugiebant; hi autem cùm exterioribus per cuniculos approximarent fortificationibus, præſidiariique iocenſâ molâ ad interiora arcis confugerent, relictum cum duobus tormentis ligneum caſtellum occupant, & acrius inſtant, ut præſidiariorum plurimi ſuaderent traditionem: Tôckelia verò pertinax multa devorare ſcommata debuerit, donec ſeriis Ordinum patriæ literis præmonita, ne oblatam modò Cæſaris, & Neo-regis gratiam & clemeotiam diutius reſpueret, nunquam forte amplius præſtandam, literis deditiooem Caraffæ, Tôckai tunc ſubſiſtenti ſub tolerabilibus offert conditionibus: diſceptatum utrimque pervicaciter, tandem conventum: Omnes cujuscunque conditionis & ordinis Moncaſtini incolæ & præſidiarii, excluſis Tôckelio, & omnibus ejus fautoribus, generali gaudeant amneſtiâ: Tôckelia cum duobus ſimul liberis Viennam deducatur, indeque ſine ſpeciali Cæſaris licentia non diſcedet: bona ejus immobilia fiſco, mobilia Ragotzianis liberis, Tôckeliæ cymelia, dotalitia, aliaque mobilia bona propria maneant: Omnis bellicus apparatus, ſigna militaria & clientelaria, ſimul cum originalibus confœderationis literis, Arhname turcicè à Soldano ſubmiſſa extradantur: Ragotziani liberi ſub tutela erunt Cæſaris: & nemo has Monckaſtinæ deditionis conditiones & cauſas Tôckelio maoiſeſtabit. His conventis fermè peractis, Caraffa pileum ducalem coloris violacei, harpen, ſeu gladium, veſtem attalicam, vexillum, & ducalis ſuper Ungariam ſuperiorem cum annuo XL. millium Imperialium tributo inveſtituræ literas, in pergameno aureis ſcripta characteribus, ab Mahumete IV. anno 1682. traditas Viennam tranſmiſit, invenitque in armamentario tormenta 42. & 3. mortaria. Monckaſtinum, aliàs Mongatſch, arx eſt validiſſima in extremo Ungariæ ſuperioris ſeptentrionem verſus angulo, Tranſylvaniæ & Poloniæ contermina, haud procul Caſſovia, Tockajo & Ungwarin, in viva liberi latique proſpectûs rupe eſt ſita, à Ruſſiæ Principe Theodoto Queriatovirio, Regum Caroli & Ludovici permiſſu, alta in rupe incredibilis laboris exciſâ foſſâ, propugnaculis, & aliâ 40. gradibus altiori diſtinctâ arce communita: montis pedem ſpatioſa circumdat palancka; ſeu oppidum vallaribus ſeptum ſudibus, quod lata, & pedibus 12. profuoda cingit fovea, ex alluente fœta fluvio, unde etiam latè patens plaoicies ſtagnantibus abundat paludibus, ut difficiles ad oppidum pateant aditus. Ejus olim dominium penes Reges, ex factionibus fortè poſtmodùm Ragotzianæ ceſſit familiæ, Tôckelio autem ex nuptiis viduæ Ragotzianæ; nunc ex triennali fermè obſidione hoc anno rediit ad Regem.

Monckaſtinum Tôckelia Caraffa tradit.

His conditionibus.

Literæ inveſtituræ & ſigna ducalia Tôckelio à Turcis data.

Monckaſtini robur & deſcriptio.

Antequam hæc fierent, Tôckelius cum bis mille Rebellibus, & centenis aliquot Turcis io oppido Telegum ad fluvium Sebelsheres, duobus à Varadino milliaribus caſtra probè loricata fixerat, & proximis gravia inferebat damna Comitatibus, quem Hauslerus collecto Germano-Ungarico milite incautum 9. Februarii oppimit, cæſis eorum 600. captis 250. cum archirebelle Genajo, & 18. centurionibus, decurionibus, ac ondecim vexillis. Aliud Turcarum agmen militarem exigens collectam Hâuſleriam quoque obtruncant, ſpoliis non contemnendis potiti. Albæ Regales è contra præſidiarii quatuor annonarios currus, & 16. boves Palottam deducendos, cæſis Chriſtianis feliciter urbi fame laboranti intulêre: quâ indies cum præſidiariorum civiumque tumultu invaleſcente, præfectus Huſſaim Baſſam cum ſeptem aliis Belgradum, urbis neceſſitatem expoſiturum navigio demiſit, qui Erdôdi deprehenſus, Danubium inſiliens natatu Walkowariom effugit, ubi trajecturus Chriſtianorum exclamans inſidias, à Cæſareanis deceptus haiduccis, linguam turcicam callentibus, Viennam cum præfecti Albi Regalis literis eſt deductus. Hic ut tumultuantis urbis malo mederetur, civibus licentiam abeundi eſt impertitus; quorum etiam plurimi Jaurinum ſalvo Collonitſchii conductu pervenerunt, ſaucam urbis ſuæ famem deplorantes; atque ideo arctius eam jubet Cæſar includere, proxime impugnandam.

Tôckelius ab Hauslero opprimitur.

Albæ Regalis fames.

Validam interea, & Tranſylvaniæ limitaneam arcem Halmad tribunus Magni occupat, & cæſis præſidiariis evertit: ſupremus vigiliarum magiſter Tunckel Ratzkam, Poſſegam inter & Eſſeckum necans 300. Turcis, 50. captis, libertati reſtitutis 70. Chriſtianis, & haud procul Varadino duas adhuc arces vi intercipit. Gradiſcæ ſeptem Turcarum millia diviſim excurrendi cauſa confluxerant, partem eorum protribunus Truckſius haud procul Poſſega ſtrage 150. retundit: in alteram prope Chernickum ſupremus vigiliarum magiſter Polandus incidens proſtravit ſexcentos, cepit inter 150. præfecti Grandiſcæ filium, 4. Agas, & plures alios Turcas primarios. Nec deſides viciſſim Turcæ plures excurrendo Chriſtianos opprimebar, erantque excurſiones hybernorum tempore freqoentes; dum; dum vero miles in campum paolatim eſſet educendus, Caraffa renovans firmiùs cum Tranſylvaniæ principe & Ordinibus pactis, eos induxit, ut abjecto planè Turcarum jugo Cæſarem, ejoſque filium Joſephum hæreditarium Ungariæ & Tranſilvaniæ Regem & Principem perpetuum agnoſcerent, ſalvis ſtatutis, privilegiis, & libero religionis exercitio: utq; conſtantem probarent fidem ſuam, Cæſareanum omnes admittebant urbes præſidium, præter unicum Cronſtadium, Tôckelii, Rebelliumque factione contumax, quod Comes Veteranus Cæſareo-Tranſylvanico milite ad obedientiam, Abaffii juſſu redigens, ad meritas turbatores pœnas traxit, ab Abaffio infligendas.

Variæ utrimq; excurſiones.

Tranſylvani ſe Cæſari ſubmittunt.

His ad votum actis, Kalendis Maji Ariezaga ſeptem Germanorum millibus Albam Regalem circumcingit, ſtativaq; ad dexterâ portæ Budenſis, ad ſiniſtram Jaurinenſis vice-generalis Eſterhaſius de Galantha cum Ungaris figunt; hos quatuor pòſt diebus Comes Budianus cum

Alba Regalis deditio.

Unga-

1688. Ungaricis ſecutus copiis ad Sarwitz flumen caſtra metatur. Excurrunt defenduntque ſe Turcæ in principio generosè; ſed fame nimium adaugeſcente urgebant omnes deditionem. Pactis igitur 8. Maji conditionibus à Cæſare, ut petebant, ſubſcriptis, Achmet præfectus cum 800. præſidiariis, & 250. curribus libere decimâ Maji die dimiſſus, Illocum eſt deductus: octodecim annorum liberi ex patre Ottomanno, & matre chriſtiana permittebantur ſequi patrem, remanente matre: infra illam verò ætatem liberi omnes, & qui chriſtianam affectabant religionem, in urbe detinebantur: plurimæ autem chriſtianæ flammis maluêre comburi, quam maritos deſerere Ottomannos. Deinde 150. chriſtiana mancipia libertati ſunt reſtituta, repertaque 79. tormenta bellica, & quidem 24. Chriſtianorum Principum Ferdinandi I. Maximiliani II. Rudolphi II. & Leopoldi I. inſignibus, & nominibus inſignita: tantus etiam fuit apparatus bellicus, ut exercitui modico inſtruendo ſuffecerit.

Mulieres potius comburi quàm maritos deſerere maluerunt.

Decima octava Junii Caraffa Lippam aggreſſus, altero pòſt die armato occupat gladio, mox etiam deditione arcem, captis præſidiariis, ultraque ter mille feminis & pueris, cum decem lapidum ſalinariorum millibus, quorum quilibet aureo erat oummo æſtimabilis. Inde Lugos, Karanſebes, Sicklowarium, Mejarinum & Orſava deditione capta. Utque Giulenſium, Genenſium, Sigethenſium & Caniſſenſium excurſiones compeſcerentur, omnique ſubſidio & commeatu interdicerentur, omnes ad eos aditus arctius oppreſſulati, & fruges circumquaque matureſcentes falcibus aut flammis ſunt devaſtatæ. Primaria verò hujus anni expeditio ſpectabat Belgradum, Ungariæ clavem & acceſſum, quo occluſo, omnis Ottomannica expiratura eſſet in Ungaria potentia, & reliquæ paſſim orbes & munitiones elangueſcentes ſuo ſe facilè Regi ſubmittent, & domino.

Caraffa Lippam & plura loca occupat.

Luſtrato igitur Cæſareano 66000. armatorum, potiſſimùm Germanorum (niſi quòd in eis 9000. Ungarorum & Croatarum numerarentur) cùm circularium, tum auxiliarium exercitu præmiſſus cum 600. peditibus & 200. equitibus Captara Illocum, ter mille Turcis probè roboratum; ſed multis tormentorum fulminibus & ejaculationibus exceptus rejicitur: ubi autem 8. Julii Cæſareus vix leucâ abfuit exercitus, præſidiarii rebus ſuis convaſatis, incenſiſque urbe & arce aufugiunt; plurimæ tamen adhuc ædes ignibus ſubtractæ, & pulverariæ licet turris verticem jam flamma corripuerit, ea tamen tempeſtivè à Cæſareanis extincta, 200. pulveris nitrati centenaria, 16. tormenta ſtylis ferreis confixa, & 2. mortaria ſunt reſervata. Inde Butſchinum tendebat exercitus, Bavaro non multo poſt ſubſequente, quem Cæſar hujus ducem expeditionis per ſupremum aulæ ſuæ Cancellarium Straman poſtulaverat, Carolo duce adhuc infirmo, qui, ſi per vires liceret, obſidionis tempore ſubvenientem in campis hoſtem averteret, qui tantis tamen Chriſtianorum viribus impar eſſe videbatur; infirmo enim capite langueſcunt membra; Solimannus ex diuturna captivitate politici incapax regiminis, fœminarum magis quàm regnorum delectatus negotiis, vix publica & militaria terra marique curabat: hinc à ſuis & Spahis, & Janixaris deſpectus, periculoſam in ſe concitavit factionem, morte quidem aliquorum mulctatam, ſed occulta Haſſekæ, depoſiti Soldani uxoris, & Jeghen Baſſæ conſpiratione adeo exulceratam, ut juratâ fide in tertio Bayræ, id eſt Ottomannici paſchatis die, cæſo ſupremo Vezirio Solimannum ad priorem retrudere carcerem, & Muſtapham Mahumetis IV. filium illi voluerint ſubrogare. 1688. Res opportunè primo Bayræ die detecta, cùm Janizari oryzam ex more dici antiquo à Vezirio certis lancibus præparatam tumultuoſe averſarentur, ſtipendia poſtulantes; Vexirius iram diſſimulans accitis privatim Baſſis certam, & ex Ægypti tributo proximam ſtipendiorum ſolutionem ſpondet, & amicis quoſdam verbis ita conciliat, ut & conſpirationem aperirent, & indicarent auctores. Hic ſine mora Soldanum adire, eique perſuadere, ne pedem efferret Serrailo, impetratâque reos puniendi poteſtate, Janizarorum Agam & Kiabegum factionis auctores exilio mulctat, & mox cum octingentis diviſim fautoribus eques omnes Bizantii plateas decem continuò diebus circuiens factioſos trucidat conſpiratores, & ad aliorum terrorem corpora in publicum projici jubet: plures grandi pecuniarum mulctâ, & judæi quidem IV. quingentis imperialium millibus vitam redimentes regium ditabant gazophylacium, unde miles ſolutis quidem ſtipendiis contentus, murmurabant adhuc cives & ſubditi vectigaliis, tributis, aliiſque oppreſſi oneribus, vacante imprimis mercaturâ, vecturâ, & agriculturâ: quare magno Solimannus pacis tenebatur deſiderio.

Illocum occupatur.

Carolo infirmo Bavarus archiſtrategus declaratur per Stratmā Cancell.

Proditio in O. tomannum regiminis incapacē.

Opprimitur.

Veruntamen non pacem, quàm perfidè Ottomanni infregerant; ſed bellum, quod injuſtè intulerant, juſtè Cæſar perſequitur: Butſchino namque Cæſareus pergit exercitus Petrowardinum, à Turcis vulcano derelictum; ſed granatium à Chriſtianis reſtitutum, navalique ponte Iſtro inſtrato validis eſt aggeribus communitum, tum ut exercitus commodè ibidem tranſiret, tum ut facilior in ſuperiorem pateret Ungariam acceſſus & communicatio: alius etiam pons Savo ad Sabaciam inſulam trajiciendo parabatur. Ut autem hoſtiles defendendi Belgradi vires dividerentur, Ludovicus Badenſis cum 7000. & Croatis Carlſtadienſibus Gradiſcam, excurſionibus admodùm noxiam, adoriri juſſus, protribunum Hoffkirchium exploratorem emittit, qui hoſtilibus caſu navibus deprehenſis Savum haud procul Brodio trajiciens, 14. Julii hoſtem munitione ſuâ ejicit; quam paulò pòſt recuperaturu cæde 1200. fortiter repellitur; ſed quia locus defendi conſervarique vix poterat, cuniculis everſum Hoffkirchius deſerens repetit Badenſem, qui milite auctus & campeſtribus tormentis per montes & valla Siſeckum, inde ad finem Julii Stratzium pervenit. Aliquot interea Cæſareanorum agmina Petrowardini Danubium tranſlata petunt Tithulium ad Tibiſcum, navibus, pabulatoribuſque non raro infeſtum: quo poſt triduum 28. Julii deditione occupato, tota quoque Tibiſcum inter & Danubium regio Turcarum metu fuit liberata, & eodem dici veſpere germanus ille Hercules Maximilianus elector Bavarus magna omnium lætitiâ, & tormentorum exploſionibus Petrovardinom venit, unde totus altero die exercitus, relictis in defenſionem oppidi & pontis bis mille præſidiariis, tendit Michaloczolam, & poſtridie uno ab Savo confidens ſtadio corpora reficit, propediem tranſito flumine Belgradum petiturus. Hunc tranſitum Jeghenus

Badenſis Gradiſcā occupat per Hoffkirchium

Tithulium captum.

Bavarus venit Petrovvardinum.

Baſſa

1168. *Jeghenus fit Seraskierus remoto Haſſano.*

Baſſa (quem Sultanus ſeditioſæ metu factionis, cujus erat ſtudioſiſſimus, ad Seraskieri dignitatem, remoto Haſſano Belgradi præfecto promoverat) adjuncto ſibi Tôckelio conabatur quidem impedire; caſtra tamen Bavarus 6. Auguſti Semlinum, mille Belgrado paſſibus abſitum promovet in colliculum, unde perſpici evidenter poterat, Sabaciam inſulam (aliàs Zigeuner Juſul) turcicis & tôckelianis refertam copiis, & adductum navium numerū inſtruendo ponte haud eſſe ſufficientem. In ſuperiori igitur fluminis & inſulæ loco commodiori ſtudioſius expiſcato, navigia per noctem eò contracta, & in eorum, operariorumque defenſionem in hoc fluminis margine curules diſpoſitæ machinæ, & delecta quatuor armatorum millia, quæ fallendo hoſtem nunc ſupra, nunc infra tranſitum fingebant.

Bavarus Belgradum petit.

Sed in omnem intentus partem hoſtis ei invigilans in naves explodit, donec undecimâ noctis hora adveniens peditatus, 500. juſſi navigio transfretare. Hi periculo primum territi, pòſt Bavari exhortatione & liberalitate, centuriorum exemplo & animoſitate erecti, conſcenſis fortiter navibus, dum in medio fluminis copioſâ plumbi grandine ab hoſtibus excipiuntur, illi mugiente viciſſim tonitru ita in Turcas fulminant & fugant, ut alteram fluminis oram tenentes nullum offenderint hoſtem.

Quem Turca in inſula Sabacia prohibēt.

Mox igitur effodere terram, aggeres congerere, ac ericiis ſeſe munire militaribus, diſponere tormenta bellica, & plures transfretare milites, ut 8. Auguſti firmum inſulæ pedem infixerint ſex peditum millia: utque pons perficeretur velocius, ſingulis Bavarus operariis ducatum, præfecto autem 30. donavit. Erumpens interea ex fruticeto Seraskierus cum non exiguo qua peditum, qua equitum agmine irruit Chriſtianos, trabeſque aculeis aſperatas manibus removet, & harpis detruncat; ſed mox plumbea ferreaque grandine non ſine levi utrimque cæde repulſus fuit; Bavarici enim legionis prætorianæ pyrobolarii ferventius hoſtem inſecuti, ab eodem circumcincti, generoſâ tamen virtute ſunt eluctati. Durante hac velitatione pons horâ ſecundâ pomeridianâ eſt abſolutus, & reliquus veſperi peditatus, equitatus nocte intempeſta, alterâ verò die impedimenta & tormenta bellica tranſiverunt: decimâ denique Auguſti die totus recta exercitus petit Belgradum.

- Hic conſternari Seraskierus, magno caſtra tumultu deſerere, fugere cum Tôckelio, Tartaris & Rebellibus Semeodriam, imbelli omnes timore & tremore correpti.

Seraskierus Ruſteinum & 2. baſſas pugnā diſſuadētes necat

Qui quidem Serakierus antequam Chriſtiani Savum ſuperaſſent, in bellico Belgradi conſilio deceterotiam urgebat pugnam cum Chriſtianis tentandam, quam cùm Ruſteinus veteranus miles, Agrienſis quondam præfectus cum aliis Baſſis & Alibegis ſolidis diſſuaderent rationibus, furore ille accenſus imbelles tanquam lepuſculos, eorum duos ſuâ trucidavit manu, & Ruſteinum alibi ſtrangulari crudeliter curavit: nunc autem viſo ſolùm Chriſtianorum exercitu ſup- & inferius Belgradi ſuburbia igni ſubjiciens, octo ab urbe ſtadia, Semendriam inqoam, trepidus affugit: quem Chriſtianorum quidam Bavari imperio perſecuti, præter pauculos captivos, & millena aliquot tantùm pecora retulerunt, prætereaque nihil offenderunt.

1688. *Bavarus Belgradum cingit.*

Bavarus ubi diſpoſitis ordinibus in conſpectum urbis venit, advertit ambarvalia vallaribus late ſudibus, foſſis, ac loricis probè munita, militari non modò denudata præſidio, ſed majus etiam deſertum eſſe ſuburbium, & quibus in locis ardere adhuc domicilia, delecta quidem militum manus ad extinguenda incendia; ſed hi ſpoliorum avidiores dum flammarum impetum negligunt, totum fermè ignis ſuburbium, & cum illo ingentem annonæ, aliarumque rerum copiam devoravit (in hoc enim cives & mercatores, in urbe ſoli degebant milites & tribuni) urbano præſidio nihil obnitente, niſi quòd rarò in Chriſtianos fulminarent tormentis.

Suburbiū inflammatur.

Tantus autem incolarum erat timor & fugientium multitudo, ut toto latè Danubio navibus 400. pretioſiſque rebus onerato catervatim diſcederent, multi natando trajicerent, plures ex defectu navium ſuas ad arcem fortunas deſerrent. Raſciani & Judæi ſupplices obviam procedentes, obtentâ à Bavaro ſecuritate ad ſuburbia & domicilia ſua redierunt, quæ omnibus etiam provinciæ incolis, ſubditis & municipibus Chriſtianis & Ortomannicis publico ſecuritatis Manifeſto fuit ſtipulata, atque ita urbis ſitum ipſe Maximilianus recognoſcens, ejuſdem oppugnandæ modum & ſtativa diſpouit, cujus directorem conſtituit Comitem Serinum; antequam verò actualiter urbs impeteretur, captivum Bavarus Turcam cum literis deditionem poſtulantibus duodecima auguſti die immiſit: reſponſo cum Turca emanente, eadem adhuc nocte caſtrenſia aperta ſunt valla, & diſpoſitæ curules machinæ; quod tum quidem, & ſæpiùs aliàs tormentis, & excurſionibus conabantur urbani impedire; vix tamen quidquam niſi ſuo effecêre damno & ſtrage; ſed ſtudioſè & alacriter Cæſareani ſuas ita promovent vineas & obſidionales acceſſus, tormentorum ſuggeſtus & alios caſtrenſes labores, ut 15. Auguſti ferreas grandinis bracteas, pyroboles, alioſque ignes urbi miſſiles injecerint, cum incendio & ejulatu mox grandi ſubſecuto, & paulò pòſt 26. curules machinæ è ſingulis quatuor tormentariis aggeribus horrendæ in muros fulminaverint.

Valla caſtrenſia aperiuntur.

Quare Bavarus Cæſareum turcicæ linguæ interpretem Joannem Bapt. Lacbowitzium ſub tympani ſonitu ad urbem iteratò mittens, ſpontaneam æquis ſub conditionibus exigit urbis traditionem; ſin ſecus contumaces perſeveraverint, nullum fore deinde gratiæ locum & veniæ, nullique ſe ætati aut ſexui parciturum indicit.

Okius Ulderenus præfectus negat deditionem.

Cui præfectus Okius Ulderenos Achmet Baſſa: Salutem ex ſe Sereniſſimo Electori deferri juber & dici, divinam ſe hujus rei expectare diſpoſitionem: referebatq; transfuga ex urbe Raſcianus eundem præfectum ſolemnem in moſchea celebraſſe gratiarum diem feſtum, quòd cum numeroſo propediem Soldanus ipſe exercitu in urbis ſubſidium adfuturus ſit; pugnatent itaque citra ullius deditionis mentionem fortiter & generosè. Acuerunt hæc & Electoris, & militum Chriſtianorum animos & ſtudium in labores pertinaciores, quos ſuâ Bavarus diurna nocturnaque præſentiâ, liberalitate & adhortatione erigebar ſemper & promovebat: nam nocte 19. Auguſti tribunus Straſſerus moſcheam, ſeu fanum turcicum urbi proximum, ejectis fugatiſque 200. Ottomannis occupat, & ex capto intelligit Janizaro, urbis valere præſidium 10000. quorum quatuor tantum millia ferendis eſſent armis

Præſidiū urbis.

Iſthuanf. Hiſtor.

1688.

armis apta; ſperare tamen ſe prodnus ſubſidium à Jegheno Seraskiero ſubmittendum, qui prodire in medium hactenus nunquam fuit auſus; liber proiode ad caſtra erat acceſſus, & ex tot fluminum Danubii, Savi, Dravi, Tibiſci & Moravæ ibidem, aut propè confluentiâ copioſiſſimus commeatus, victualiumque erat abundantia.

Badenſis recipit Caſtanovizam, Dubizã &c.

Ludovicus interea Badenſis tranſito Siſeci Savo, acceerſitiſque Erdôdi Croatiæ Bani copiis, undecimâ tandem auguſti altiſſimos tranſcendens montes ad finem uſque ſilvæ duas ultra horas concædibus munitæ pervenit, quà hic, & per 300. pedites alio etiam in loco patefactâ, 12. hujus menſis fluvium attingit Unnam, palorum ſepibus, loticis, aggeribus & Janizarorum præſidio fortiter munitam, ac Croatarum relatione profundiorem. Summo igitur ſilentio & celeritate turmatim equites cum peditibus alibi transvadantes, hoſtis cum 2500. equitibus voluit, ſed oon potuit impedire; immo Töngius in fugam coactum ad arctas montis radices in magnas plures cædendo redegit anguſtias, confugienteſque in turrim quidam haud invalidam, & illam, & ſe victoris mox tradiderunt diſcretioni. Inde Badenſis hoſtibus ex monte ſpectantibus petit Caſtanovizam, cujus adventu terriò proximiorum præſidiarii locorum auffugiunt; Caſtanovicenſes verò incensâ urbe ad arcem ſe recipientes, mox pactâ incolumitate, ſine armis tameo & ære ſalvi conducti ſunt Bagnialucam, ubi hoſtis octo millium armatorum caſtra fixerat, morbis tamen & militum fugâ ſic diminuta, ut vix 1500. numeraret. Caſtanovixam ſecutæ ſunt arces Dubiza, Jaſſenawiza, & Gradiſca Civitas, à Tuscis paſſim ad Cæſareanorum adventum deſertæ Semendrienſibus Jeghenus Seraskierus vel fugiendi, vel ſe defendendi dedit optionem; hic autem dum Niſſam fugiendo obvia quævis deva-

Item Semendriã Niſſam &c.

ſtaret, illi accedentibus Chriſtianis incensâ urbe fugam corripiunt, relictis 38. tormentis bellicis; quod idem fecit Galombaraium, à Raſciaois poſtmodum 800. præſidiariis inſtructum.

Pons infra Belgradum conficitur.

Undecima Kalendis Septembris 150. naves tenebroſæ noctis beneficio Belgradum Turcis non advertentibus prætervectæ, ponti infra urbem conſtruendo adhibitæ, tum ut omnis ad urbem occluderetur acceſſus, tum ut facilior eſſet cum aliis provinciis communicatio. Die alterâ

Jeghenus irritò petit pacẽ

Jegbenus miſſis per Chiauſium literis ſalvum conductum pro pacis caduceatore petit; quem Bavarus quidem largitus, ſed fruſtraneum modò pacis fore tractatum reſpondit: nam muralia tormenta Budâ 26. Auguſti advecta tantâ muros perterebtabant efficaciâ, ut dejectâ in foveam turri trecentis murorum ruinæ paſſibus paterent, involareot noo pauci in arcem pyroboli, & ferreæ grandinis bracteæ; Belgradeoſes è contra vix quidquam tormentis, nec excurſionibus, nec ruoiculis effecerunt reciprocis, niſi quòd hoſtilis pyrobolus in nitrati pulveris receptaculum incidens, viginti orcas, ſine alio tamen Chriſtianorum damoo conſumpſerit. Huſari & Haiducci autem ſexdecim in-

Caeduntur Turcæ.

fra Belgradum ſtadiis ſpoliato Seremesniko oppido multos trucidant Turcas: Raſciani etiam & Boſnienſes ruſtici 1000. Ottomannos & Tartaros in ſilva Chriſtianis inſidiantes, horribili clamore ingentem mentientes exercitum in fugam conjiciunt, totiſque potiuntur caſtris.

Bavarus urbis urget deditionem negatam 1688.

Auguſti 29. iteratam Bavarus urbis exigit traditiooem; ſed eodem accepto reſponſo negativo, Chriſtiani mediâ nocte palorum ſudes, & locum occupant, ſed magnâ iode præſidiariorum virtute repulſi mox inextinguibili Patris Gabrielis igne ſudes alibi ſunt conſumptæ, acerrimèque res acta eſt tormentis & cuniculis, qualem hoſtis jam à noſtris paratum oſtendens, pulverem eximit, & die alterâ punica hoſtilis ſphæra quindecim in caſtris centenarios pulveris inceodit: Unde Cæſareani ferociores ad urbem magis approximare, ruderibus murorum, & fragminibus foveas complere, & generalem expedire impreſſionem; quam ne hoſtis impediat, duplici caſtra munire vallo & loricis, ac duodecim legiones equeſtres hoſti invigilando deſtinare Semeodriam. Seraskierus Jeghenus urbis advertens periculum, feſtinũ à Soldano petit ſubſidium, & præter nervum aliquem ſtipendiorum impetrat quatuor tantùm Janizarorum millia, plura enim ſubmittere cùm militum inopia, tum adulta conſpiratorium vetabat ſeditio, quæ

Soldanus obſidionem fugit Adrianopolim.

etiam coëgit Soldaoum Conſtantinopoli fugege Adrianopolim; ſed quia Jegheni exercitus plurimorum fuga erat adioodum diminutus, exiguumque ſubmiſſum reficiendi exercitum eſſet ſupplementum, ſucurrendi, confligendive aleam teotare non eſt auſus. Quare Cæſareani cuniculos, ſubterraneoſque furnulos magno promovent ſtudio & æmulatione, ut dejectis latius mœnibus, completiſque foveis decretorium propediem tentarent inſultum, habe-

Carolus luſtrans caſtra ob infirmitatem redit Viennam.

rentque ſpectatorem Carolum Lotharingum, & fortitudinis ſuæ laudatorem, qui perluſtratis caſtrenſibus vallis & operibus, viſitatoque Semendriæ equitatu ob recrudeſcentem infirmitatem reverſus eſt Vieonam. Dum in caſtris eadem adhuc nocte 4. ioter & 5. Septembris in proximam omnia pararentur impreſſionem generalem, hoſtilis illam aliquantulum diſtulit pyrobolus, pulverem nitratum in moſchea, ſeu fano turcico à noſtris antehac occupato conſervatum accendens, unde totum everſum ædificium, Guido Starrenbergus vulneratus, deſtructus cuniculi noſtri ingreſſus, qui reparatus, & ſequenti nocte evibratus, foveam humo, ruderibuſque complendo opportunam aſſultui viam præparavit & acceſſum; à præſidiariis quideoi vallaribus mox ſudibus obſeptum; ſed tormentis Electoris juſſu reſeratum.

Inſultus in urbem decretus

Sextâ autem Septembris die generalis in urbem quinis io locis decretus eſt cum ſex expeditis armatorum millibus inſultus, cujus primi antesignanus erat Comes Scherffenbergus: Secundi Steioavius, tertii Princeps Commercius, quarti Hâuslerus, quioti præfectus vigiliarum Pinus; univerſalis autem impreſſionis director Comes Serinus, & militaris teſſera *Emmanuel*, hoc eſt *Nobiſcum Deus.* Dato decimam ioter & duodecimam tormentario ſigno, Scherffenbergus totam cortinam, ſive murum inter angularem munitionem, & validam turrim interjectum feliciter occupat, & fortiter retinet; ſed globo petitus in momento glorioſè expirat, magnanimæ reſolutionis heros: à ſiniſtris Stenavius

Scherffenbergus.

etiam dejectum à prædicta turri uſque ad aliam circularem munitionem murum capit, at paulò pòſt magnâ præſidiariorum virtute repulſus, ſuccenturiato autem per Serinum agmine confirmatus rejecto hoſte locum recuperat, & generoſe conſervat. Hic ulteriorem in urbem gradum interior prohibebat alta, lataque fovea murata,

1688. murata, vallo retrorſum loriciſque cincta, haud facilè ſuperabilis, validoque præterea milite inſtructa, qui continuis per duas horas exploſionibus arcebant Chriſtianos, eoſdemque perrumpere tentantes truculentâ invadunt manu; hi loci iniquitati, & hoſtium furori cedentes, accurrentis Bavari adhortatione (*Ecce fratres, quod me videtis facere, ſequimini generoſi Martis filii*) animati, & ſuccenturiatis confirmati legionibus turmatim in foveam, non tamen ſine plurium lumbifragio, præcipites hoſtem audacter repellunt, accedenteque equitatus vallo ejiciunt, & urbis penetrant interiora. Hausleus magna reſiſtentia in altero urbis latere portam pyloclaſtro apertam ingreſſus poſt aliquot paſſus alio retardatur muro per præſidiarios probè defenſo, & non niſi per ferream portam acceſſibili; ubi verò cum ſuis Eugenius Sabaudus dimachis accedens illis animos adderet, conſcenſo mox muro, perfractâque portâ effusè in urbis & Turcarum ruunt viſcera. Vigiliarum quoque præfectus Pinus aquariam ſine obſtaculo portulam perruperat, & alii alibi irruentes miſerabili utrobique præſidiarios ſtrage proſternunt. Parcitum vulgo, fœminis ac liberis ad aquam confugientibus; armati verò milites arcem petentes albis fruſtra ſignis vitæ rogabant conſervationem; quâ denegatâ deſperatè eam defendunt; ſed inde brevi etiam perfractis violenter foribus ejecti ad interiorem ſe arcem, ubi captivi detinebantur Chriſtiani, proripiunt, hoſque Chriſtianos in tribus diſtinctos lineis velut ſcutum aut vallum victorum furori objicientes, tetro Turci plurimi, urbis præfectus, vice-præfectus, aliique Baſſæ ac primarii latebant incurvari ac genuflexi, irruenteſque in ſe Cæſareanos captivi clamore & geſtibus enixè deprecabantur, ut ſibi Chriſtianis parcerent.

Armatâ manu capitur.

Ceſſatum igitur à cæde, captivi libertate donantur, Turcæ Chriſtianis mancipantur, peritque imprimis à Bavaro præfectus, ne Raſcio manciparetur aut Hungaro, Germanis plerumque crudelioribus, cui Bavarus: nos Chriſtiani minimè in captivos & mancipia, uti vos, ſumus barbari & inhumani; te Cæſari tranſmittam, tu Janizarorum Aga Serini Comitis eſto mancipium, & ceteros aliis diſtribuit: Chriſtiani verò redempti, & immancipatu malè habiti, menſuram talinnis ſuis retulère dominis bonam & coagmentatam. Judæi vero & alii Turcæ cadaveribus urbem purgare, & Danubio debebant injicere: magnus enim præſidiariorum fuerat numerus 16000. inter quos 5000. Janizarorum, quorum potiſſima hic pars occubuerat: Chriſtianorum 2459. gregariorum; tribuni autem, centuriones, aliique officiales 28. glorioſam in hac valida oppugnatione mortem obière; vulnerati ſunt Principes Eugenius, Commercius, & ipſe in vultu ſagitâ Bavarus, aliique 1483. Repertæ in urbe 77. machinæ bellicæ, quarum una 440, altera 329. libras ejaculatur: ſpoliorum vix quidquam notabile inventum, quod maturè Danubii beneficio aliò fuerit tranſmiſſa. Sic itaque Belgradum, ungarice Nadoralba, celeberrimum Serviæ, imo totius facilè Europæ, ob tot fluminum confluentiam, emporium, turcico 167. annorum jugo ereptum, Chriſtianæ tandem libertati, & Ungaricæ reſtitutum coronæ, Guidoni Starrenbergo cum 25. peditum vexillationibus eſt commendatum. 1688.

Turcica mancipia Chriſtianis traduntur.

Mortuorum numerum.

Ejus præfectus Starrenbergus.

Nec minori Ludovicus Badenſis eodem tempore uſus fortunâ, inſolentem in Boſnia reportat victoriam; Strato nempe ad Brodum oppidum navali ponte, aggereque communito, ejuſdem cum univerſo peditatu cuſtodem relinquens Tungium, ipſe cum ter mille equitibus, 300. Croatis, & 4. tormentis caſtrenſibus per totam noctem per montes ductore ruſtico hoſtem, Boſniæ Baſſam Topol inquirit, ad montis pedem in valle quinque aut ſex millibus armatorum, ut referebat æſtimabatque ruſticus, conſidentem; dies autem illuceſcens quindecim facilè eorum millia manifeſtabat: generoſo nihilominus animo Trevenitzum verſus in hoſtem numero admodum ſuperiorem movet jam in armis paratum (duo namque procubitores, cadente tertio, Chriſtianorum in caſtris adventum ſignificaverant) qui victoriæ quaſi certus duodecim raptim millibus in Chriſtianos, puſillum veluti gregem facile devoraturus in ſiniſtram Comitis Caſtelli alam tumultuarie irruit, ut copioſo ſuo implicat numero. Stant intrepidi Chriſtiani, clauſiſque ordinibus non jam excipiunt & ſuſtinent; ſed accedente cum dextera ala Piccolomino ita fortiter vim inferunt, ut dexterum hoſtile cornu cederet, cedendoque ſiniſtri ſui ordines turbaret, mox totum in fugam verterent Turcarum exercitum: urgent Cæſaream ad caſtra eos uſque inſecuti. Hic pro caſtris confertim Ottomanni deſperatè incipiunt decertare; ſed animis paulò poſt & viribus deficientes fugam effusè capiunt; quam foſſa caſtris obducta plurimum interrupit; hinc vix ullum hac ex parte, niſi bene expeditis Spahis, ſeu equitibus effugium, magna verò novem millium cædes eſt ſecuta, capta duo millia, & Solimus Baſſa (alii Depot nominabant) à decem circumdatus equitibus, & dearmatus, nolens tamen ſe ultro dedere, cultro Chriſtianum adhuc equitem confodit; collo tandem trajectus maluit glorioſam mortem, quam turpem ſubire captivitatem: reliquus diſperſim exercitus per ſaltus & avia relictis caſtris, commeatu & apparatu bellico, impedimentiſque omnibus & 40. ſignis turpiter eſt elapſus, quæ Badenſis inſolentis victoriæ teſtes Cæſari Viennam ſubmiſit, ſuis tantum 150. deſideratis. Cæſar ſingulari gaudio & debita gratiarum actione ſolemnem Cleri, urbis & aulæ per epiſcopum proceſſionem pro binis hiſce inſignibus victoriis inſtituit, & hymnum Ambroſianum in S. Stephani metropolitana cum exultante tormentorum ſonitu decantavit: eundem quoque hymnum Bavarus die Nativitatis Deiparæ Belgradi feſtiviſſimè intonavit; ubi circa meridiem pacis caduceator, ſeu legatus turcicus Sulficar Effendi cum Mantocordato interprete appulit, & poſt horam per medium Cæſareum exercitum, intumulataque Ottomannorum cadavera ad Electoris colloquium in turcici antehac Divani loco deductus, Neo-imperatoris ſui inaugurationem exponit, ſimulque maturam itineris ſui Viennenſis ad cudendas armorum inducias & pacem petit expeditionem. Poſt colloquium lautæ lætæq; adhibitus menſæ tempeſtivè ſemigravis ad hoſpitium comiter eſt dimiſſus.

Badenſis in Boſnia inſolens victoria.

Sulficar & Mantocordatus pacē petunt.

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLVIII.

Venetis irrita Nigroponti obſidio.
Kônigsmarckii mors & Juſtiniani.
Succedit Maurocenus Dux.
Cornarus Montenegros recipit, & Dernisū, Medunū & Clinū.

GRavi interimOttomaonicum concutiebatur regoum tremore, quod capto Belgrado latiſſimus io hoſticum aditus Chriſtianis pateret, cæſoque in Boſnia, & in Miſia, Serviaque fugato exercitu turcicus ubique deficeret miles irreparabilis: unde inevitabilis ſubditorum, plebiſque exactionibus, & gravi penitùs tributo exhauſtæ cruenta timebatur ſeditio; unica tamen unicè deſideratæ pacis ſpes refocillabat animos: tum etiam quòd Polonorum & Moſcorum arma minus verenda, & à Venetis ſoluta eſſet Nigroponti obſidio, ob graſſantes in exercitu noxii aëris morbos, plurimos tum gregarios tum tribunos & centuriones aſſligentes, quo & ipſe Archiſtrategus Kônigsmarekius militari ſcientiâ & gloria inclytus, ingenti reipublicæ damoo & dolore conſumptus interiit; eodemque hôc anno Venetorum Dux, ſeu Dogus, ut vocant, Marcus Antonius Juſtiniaous decimo Kalend. Aprilis fato ceſſit, cui ſubrogatus omnium meritiſſimus Architalaſſus Joannes Franciſcus Moroſinus, ſeu Maurocenus, cui ad majeſtatem dignitatis 24. Senatores patritii in continuandis expeditionibus ſunt adlecti; quæ licet ad Nigropontum non adeo proſperæ, in Dalmatia tamen feliciores derelictum à Turcis Derniſum occupat Strategus Cornarus, Montenegros abjecto jugo cæſoque Turcatum exercitu in fidem & tutelam recipit: Epirotas quoque afflicto Solimaono, Albaniæ præſecto, occupatoque Meduno, addicit Sacramento: Clinnum denique & Verliccam intercipit.

Czsackzus Barnovvitzam capit.
Veteranus Karanſebē, Sicklovvariū.
Novigradum

Ceterùm occupato Belgrado omnes ultra 20. milliaria arces & oppida in Chriſtianorum ceſsêre poteſtatem. Comes Cziackzus cum ſuis Huſaris, Raſcianis & Græcis Barnowitzam tumultuariè opprimens, præſidiarios in ore gladii occidit, & liberatis 1500. mancipiis Chriſtianis ſat divitem retulit prædam: conjunctis poſtmodum cum Hâuslero copiis latius in hoſticom excurrerunt. Raſciani etiam & Græci crudeliter in Turcas motre ſæviebant in Bulgaria, quod crudeli nimiùm exactione & tributo fuiſſent ab illis penitùs enervati. Durante adhuc Belgradi obſidione Generalis Veteranus Karanſebem & Sickłowarium atces intercipit, præſidiariis Orſovam, turcico adhuc milite, ut putabatur, firmatam, ſalvoconductis: ſed quia Raſciani & walachi Cæſaris amplexi partes, vi illam interea occupaverant, hos præſidiarios deleverunt. Veteraous autem ad Veterem Trajanum pootem Danubio inſtratum cum 4000. progreſſus, excubias Novigradum uſq; (quod frænū & peſſulum erat, quo continuum ibidem turcicum præſidiū Walachiam continebat & Bulgariam) ad fluminis ripam, & in ejuſdeio inſula, ut arctius illud occluderet, militem impoſuit. Novigradenſes territi amicam iteratò offerunt vicinitatem; ſed Veteranus præter arcis poſſeſſionem exigebat centum millia ducatorum, & in horum ſecuritatem 24. obſides, quos Turcæ ad caſtra miſerunt, & Veteranus viciſſim è ſuis quoſdam Novigradum. Dum hæc pacta rata videbantur, Tôckelius Novigradum vi tumultuarie tranſcendens, quos primo furore ooo oecaverat, tam Turcas quam Chriſtianos omnes eum ingenti præda captivos abducit, arcemque acceodit; io qua prædicta inſula paulò antè dimachæ divitem etiā ceperant prædam ex navibus aliquot Belgrado transfugis: quarum centum fermè cum grandi theſauro, & ultra quindecim iocolarum millibus ſupra Novigradum tempeſtate deteotæ, plurimæ poſtmodùmTôckelii auxilio intumeſcentis danubii beoeficio dilapſæ, ſurentis, Belgradi militis manus evasêre. Veteranus hujus inſcius turcicos aliquot obſides Novigradom remittens pactam pecuniæ ſummam, & Chriſtianos repetit obſides, comminando, ſi recuſateur, reliquos obſides & 800. Ottomannos captivos à ſe oecandos. ſed propius accedentes vident arcem flammis ſubjectā, penitus ſpoliatam, nec homioem, ſed paucula offendunt tormenta, Veterani juſſu ad caſtra deducta, cetera Tôckelius Widinum abduxet.

Quod Tôckelius trāſcenſum ncendit.

Bulgaria & Servia ultra 20. milliaria ſe ſubmittunt.
Jeghenī Seraskiers crudelitas.
Tôckelius Ungaros cædit.

Inter hæc Belgariæ & Seviæ epiſcopus Turc. cum abjecturus jugum Cæſaris petit tutelam & ſubſidium, quo etiam Hâuslerus cum ſex legionibus fuit ablegatus; in cujus opportunius auxilium Caprata haud procul Kulitzio arce pontem daoubio impoſuit, & ultra 20. milliaria omnes circa Belgradum arces, ut dixi, ſuæ fecit poteſtatis: Veteranus autem io Tranſylvaniam rediit contra Walachos defeodendam. Hâuslerus Poſarewitzum aſſecutus, audiens Jeghenom Seraskierom Niſsâ contendiſſe Dobranizam, & mille in via Chriſtianos crudeliter peremiſſe, adoleſcentiores abdnxiſſe, & ultra 150. vicos & oppida redegiſſe in cineres, Poſſarewitzam vallis & aggeribus ad provinciæ, Semendriæq; urbis ſecuritatem & defenſiooem quamprimùm communit, auctuſq, à Caprara copiis Reſovam vadit Jegheni latrociniis obicem injecturus. Raſciani quoq; Græci & Ungari Tôckelium Widini tumultuariè oppreſſuri convenerant; ſed Ungaro rem mature prodente Tôckelius 1500. Turcis confirmatus, eoſdem inopinatò obruens, præter mille cæſos totidem in captivitatem abſtrahit, & reliquos diſſipat.

Badenſis Bagnialucam & Serragliam occupat. Et Breskam.
Tungenus præfectus tractûs Savi.

Quid interca Badenſis poſt tam admirabilē in Boſnia victoriam? Bagnialucam, Boſnienſis Baſſæ reſidentiam, & divitem ferri fodinâ, propediem petit, cujus adventu tanto metropolis Serragliū trepidabat timore, ut civium & præſidiariorum pars fugam, ſpontaneâ pars deditionem jam tum pararent; ſed urbem io hoſtico longius diſſitam, & oullo firmatam robore, ſine alio tutiore poſt tergum ſecuritatis munimenro occupare, oon videbantr expedire, relicto Serraglio Breskam urbem nobilem à Turcis derelictam, ſed commeatu, victualibuſque ditiſſimam capit. Hanc Badenſis propter opportunam loci commoditatem, & regioois fertilitatem, in eminentiori loco, vallis aggeribuſque communire, & bis mille præſidio jubet firmare, Thûngenumq; ejuſdem, & omnium ad Savi Tractum locorum præfectnm, & inſpectorem conſtituit:

Picco-

1688. Piccolominum deinde ad Cæſarem mittens, ſitum Boſniæ & conſtitutionem ſignificat, quòd montoſa, invia, nullis firmata munitionibus; Seraglium vaſtum quidem, ſed invalidum, appropinquante exercitu incolæ ejus convaſatis mox omnibus dilabentur, ut hybernari ibidem miles & ſuſtentari nequeat; alicujus tamen ad Savum ſint roboris Krapua, Kazova, & Breska, ut peditatus in eiſdem defendi poſſit, equitatus in Sclavoniam debeat remitti. Ad quæ Cæſar, hoſtem Boſniâ expellendum, ut ſalvis provinciis hæreditariis, Cæſareo ibidem militi deſignentur hyberna, atque eum in finem ſex eò adhuc deſtinatæ ſunt legiones, quibus Badenſis auctus

Zwornickum Baden capit.

validam in rupe arcem Zwornickum, foveâ, aggeribus, & bis mille præſidiariis munitam, tormentis etiam ex montium obſtaculo haud facilè petendam, atque omnem ſtrenuam defenſionem idoneam vix aggreſſus, ex mulierum lamentatione, & tormentorum defectu per deditionem 25. Octob. capit; pactâ incolumitate 30. ſolùm præſidiarii armati cum 40. equis, præfectum concernentibus, ceteri omnes inermes relictis omnibus aſcedebant; ubi verò innotuit omnes latè accolas pretioſa ſua mobilia navibus maturè & curribus abduxiſſe, Styrumia & Piccolomina legiones properè inſequentes duabus abhinc leucis transfugas aſſecuti naves, & fœmineum haud procul exercitum, inſignem ſuſtulerunt prædã: unus gregarius miles tria ducatorum millia, alter unam & ſeſqui amphorã ducatorũ.

Baden Viennam abiens Boſniam Piccolomino commendat.

His feliciter peractis Badenſis Viennam profectus, Boſniam Piccolomini commendavit vigilantiæ, legioneſque ad aſſignata in Ungaria, Tranſylvania, Servia, Sclavonia, & Boſnia, deducuntur hyberna; quibus tamen plures vix gaviſi in ſuperiorem abire debebant Germaniam, à Rege Galliæ Ludovico XIV. perfidè invaſam, vel ob ſuam cum Turcis clandeſtinam confœderationem; vel ob invidiam glorioſarum hactenus Cæſaris victoriarum æmulationem; vel

Ludovicus Gallus Germaniam invadit.

ob odium in Palatinam Domum & familiam Neoburgicam, in Electoratum nuper ſuccedentem, deficiente Caroli ſtirpe, & unicâ ejus ſorore Ducis Aurelianenſis conjuge ſuperſtite, cui totũ Rex palatinatum arrogare iniquiſſimè volebat; quem tamen arbitro poſtmodum pontifice Neoburgico cedere debuit: nihil enim Cæſare & Germanis Principibus opinantibus Spiram, Wormatiam, Moguntiã, Heidelbergam, Manheimium, Treverim, ac præter alia Philippopolim bello tandem contra recens 1684. pacta ſtipulata indicto, occupat, & crudeliſſimè ſupra omnium hactenus tyrannorum immanitatem ferro flammaq; eas exſcindit. Ceteræ in Ungaria legiones vigilantius Varadinum majus, Caniſcham & Sigethum eminùs obſeſſa, & ad extremas famis neceſſitates redacta obſervabant. Duo

Sigethi deditio.

prima ſubſidii ſpe & commeatûs adhuc lactabantur, poſterius, Sigethum penitus deſperando, ul-

1689. troneam ſub anni 1689. initio 15. Januarii offert deditionem, datis utrimq; obſidibus, pactiſque eiſdem quibus Agrienſes, & Alba-Regalenſes conditionibus à Cæſare ſubſcribendis. Haſanus Begus, vice-præfectus, & centurio Cæſareanus Viennam abierunt, Walachiæ Principis legatione occupatam; ubi Haſanus ſpontaneæ Albæ-Regalenſis deditionis ignorantiam admodùm lamentabatur; quam ſi maturiùs cognoviſſent, ſuam utique traditionem non ita diu diſtuliſſent, cùm ex novem millibus vix centeni aliquot ſuperſint præſidiarii. Subſcriptis, ſigna-

Lithuanſ. Hiſtor.

tiſque à Cæſare ſecuritatis, nullo prætextu violandæ, liberis, 17. Februarii Turcæ omnes utriuſque ſexûs 600. quos inter vix centum armis ferendis apti, Widinum ſunt deducti. Magnus ibidem inventus eſt bellicus apparatus, & 85. bellica tormenta. 1689.

Ceterum Walachiæ ad Cæſarem legatus oblatis donativis militare petebat ſubſidium contra intentatam Turcarum incurſionem, quâ Tôckelium in locum defuncti nuper Principis intrudere vi moliebantur; Walachi autem neglecto

Walachi electo Branckowajo Cæſari ſe ſubmittunt.

Principis filio Branckowajum, regni antehac Cancellarium, ad Cæſaris opportunè partes, rejecto jugo turcico inclinantem, ſubrogaverant: pactis, ſignatiſque tabulis legati Principis ſui nomine præter annuum 50000. Imperialium tributum Ungariæ Regi pendendum, fidelitatis & obedientiæ homagium præſtiterunt. Legati quoque turcici Sulficarus Effendi, & Alexander Maurocordatus publicæ fidei commeatu inſtru-

Sulficarus & Maurocordatus Viennã properãt.

cti, atque à Bavaro demiſſi Belgrado Pottendorfium 6. milliaribus Viennâ diſtans 13. Octobris anni præcedentis, non exiguo adveniunt comitatu: ubi Cæſaris alloquium expectantes, omnibus cujusvis ſtatûs aut conditionis ſeveriſſimo necis edicto denegabatur ad eos acceſſus, & alloquendi facultas, uſque dum 7. Februarii Viennam conducti, & die alterâ ad Cæſaris admiſſi alloquium, recentem Solimanni III. Soldani

A Cæſare admiſſi pacem petunt.

ſui in thronum exaltationem expoſuerunt, antiquamq; amborum imperatorum amicitiam laudando commendarunt. Ad quæ Cæſar: ſanctam hucuſq; ſervatam à ſe amicitiam eſſe, & armiſtitium, ait, optareq; tanto ſubditorum ſanguine ab Ottomannis non violatã: & juſtus licet Deus tot glorioſas ſibi victoriarum palmas fuerit impertitus; clementer tamen quid creditivæ Soldani continerent literæ viſurum. Aliis Vezirii literis ad Hermannum Badenſem præſidem bellicum datis, pacem petebant & armiſtitium. In cujus prima conferentia Legati turcici ejuſdem argumenti literas legatis Poloniæ Ratſchinsckio, & Venetorũ Cornaro tradebant, poſtulabantq; præ Polono in ſeſſione præferentiam, ab omni penitùs legatorum conventu denegatam; ex Cæſaris verò parte ad hos deputati ſunt tracta-

Laboratus utrimq; pro armiſtitio.

tus Bohemiæ Cancellarius Kinskius, aulæ Cancellarius Strattmannus, bellicus vice-præſes Erneſtus Rudig. Starrenbergus, & generalis bellicus Commiſſarius Caraffa, qui omnes temerariam devictorum Turcarum admirabantur jactantiam & poſtulationem, ut annuum ſcil. Tranſylvania tributum tam Romano Cæſari, quàm Ottomannico Soldano præſtaret, & Veneti mediam hoc bello conquiſitorum partem Portæ redderent Ottomannicæ; cum Polonis vero tractare nihil haberent in commiſſis. Ad quæ Confœderati: Si violatam perfidè à vobis pacem deſideratis, ſic, & non aliter erit redimenda: 1. Ut Ottomannica Porta totum Ungariæ

Conditiones pacis paciſcendæ cum Cæſare.

Regnum cum ſuis appertinentiis & Boſniæ Ducatu Romano Cæſari, Ungariæq; Regi cedat in perpetuum. 2. Moldaviæ, Walachiæ, Tranſilvaniæ, Raguſæq; Reipublicæ Cæſaris Rom. protectioni, fideiq; commiſſis nullã vim inferat hoſtilẽ. 3. Tartaros Soldanus omnes ſuo expellat regno & dominio. 4. In belli ſumptus & illata damna poſt pactam ratamq; ſtatim pacem ſex æris refundat milliones, & propter patentẽ Conſtantinopolim uſq; aditum annuum duorum millionũ tributũ. 5. Tot reddat Chriſtianos captivos, quorũ redemptio millionis attingit pretiũ. 6. Tôckelium deniq;

Fff 3 eju-

1689.

Cum Polonis & Venetis.

ejuſque adhærentes Rebelles iomanus Cæſaris tradat. Poloni in belli ſumptus quatuor milliones, & Camìneci ceſſionem exigebant: Veneti regna omnia & inſulas, quæ ſui unquam juris ſuiſſent, ac Nigriponti imprimis Regnum repetebaot. 2. Dein Ducatum Athenienſem cum omnibus ſuis dependentiis. 3. Limites regionis Lepanti & Preveſe extendendos. 4. In Dalmatia Dulcignum & Mahonam cedant, devictorum fines locorum fixè ſtatuantur, & injuſtè quondam extorta quadraginta ducatorum millia refundantur. Hic tergiverſari Turcæ, hæcque ſuam tractandi, concludendique facultatem, præſertim cum Polonis, traoſcendere, petereque has ut prætenſiones ac petita per curſorem Soldano ſuo poſſent denuntiare. Quod illis nunc, prout tunc Internuntiis quondam Romanis fuit denegatum, qoando ultimo Ungarico bello anno 1664. Cæſareo internuntio Goeſio, & anno 1682. & 83. Conſtantinopoli & Adrianopoli Alberto Capraræ internuntio curſoris ſimiliter ad Cæſarem interdicta fuit ablegatio: cùmque fruſtra excluſis Polonis tentari pacem conſtanter omnes decrevìſſent, die ſequenti devictas hoc bello civitates Turcæ Polonis conceſsêre; & quia Camìnecum lapis eſſet offenſionis, ſe allaboraturos, ut hic obex tolleretur, ad promiſerunt. Quod reſponſum Ratſchinskius curſim Regi ſuo detulit; & quia tam hic, quàm Venetus pleniorem pacis tractandæ facultatem à Rege & Republica expectabaot, conferentiæ aliquamdiu interruptæ, & pacis dilàta tractatio, quam Procopius Moſcorum Legatus omnibus conabatur viribus evertere, in confœderatorum favorem & ſubſidium ingenti hoc anno Turcas exercitu aggreſſurus; vel in octo ſaltem menſes differre, ut quæ ſuus interim prætendebat Ezarius adeptus, paci ſimul poſſet includi. Veruntamen Turcæ ſufficienti carentes, ut ajebant, tractandi facultate, neutiquam confœderatorum prætenſiones, niſi cum præſentiſſima Ottomannicæ portæ ruina, admittebant; videbanturque non ſolum pètere diſceſſum; ſed armiſtitium tam ſtudioſe hactenus ac impensè ſollicitatum ferociter rejicere, niſi priori Moldavia & Tranſylvania juri reſtituantur, & reliqua turcica ultra Tibiſcum loca Ottomannicæ relinquantur tutelæ & jurisdictioni.

Quas Turcæ rejiciunt.

Galli armiſtitiū viſi impedire.

Hanc autem Turcarum ferociam Gallus fovere videbatur, Germaniam crudeliter adhue devaſtans, ut diſtractis Cæſaris viribus Turcæ ſua commodios defendere, & perdita facilius poſſent recuperare. Nihil tamen inter hæc pacis negotia confœderati ad maturam hujus anni expeditionem intermittebant: nec Turcæ hybernorum tempore oriabantur excurſionibus: Caniſchenſes enim 70. bubulorum prædam urbi lautè fameſcenti feliciter inferunt, & in Boſnia quatuor equitum millibus panicum Bretſckæ excitantes, decem interea millibus Zwornikam urbem tumultuatiè opprimunt; ab arce verò quingentorum jactura repelluntur. Sic Varadinenſes haud procul inde Cæſareanam aggreſſi munitionem, quadringentorum cæde remittuntur. Ceterùm quod Turcæ bellum paci præferrent, demonſtrabat ingens Niſſæ granatium, quo copioſiſſimus commeatus apparatuſque bellicus ad futuram proximè deferebatur expeditionem. Quod in Aſia ſubdui, & Conſtantinopoli vulgus, certâ hucuſque pace lactatum advertens, querebatur tributa, vectigalia, exactioneſque non minui, ſed augeri; novum cogi ad arma militem, mercaturas peſſumdari, rerum omniom irrepere defectum & inopiam, orientale denique imperium totis decreſcere Regnis & provinciis, tum murmurare, tumultuari, & palam minari Solimannum throno dejicere, & fratrem reponere, niſi pacem cum Romano Cæſare propediem componat. Territus hiſce non immeritò Solimannus, pacem ſe omni ſtudio ſectaturum appromittens, bellicos apparatus terra marique non ſine ſubditorum lætitia contrahit.

Zwornickum Turcæ opprimūt

1689.

Turcæ Solimannum depoſituri ni pacem ineat.

Gallus unitè cū Turcis fœdere pacis conſilia planè evertit.

Hæc autem gallico admodùm diſplicebant legato, qui Conſtantinopoli pervolaos Adrianopolim, oblato offen- & defenſivo Regis ſui cum Solimanno fœdere rem eò conſiliis & argomentis deducit, ut convocatis ad bellicum generale conſilium, ſeu Divanum, Tôckelio, & Tartarorum Chamo, belli in Cæſarem decreta fuerit prorogatio: Chamus 30. millibus ſub Sultano Galga Poloniam, reliquis 30. millibus ſub Nuradino Hungariam & Tranſylvaniam infeſtet, debellatoque Abaſſio Tôckelium ſubſtituat: populus autem ut acquieſceret, perſuaſus, honeſtam pacem juſto nonniſi exercitu Romano extorquendam Cæſari, galicis in Germania nunc armis implicato, atque ideo facilius, certiuſque obtinendam. Exhauſtum verò ut reficeretur ærarium, indicta eſt Chriſtianis & Judæis ſingulis peruoiverſum imperium Ottomannicum capitalis 25. imperialium exactio, & totidem à ſingulis Turcarum exigebatur caminis: ſtrangulatus in gynæceo Kislar Aga, ejuſque opulenta bona confiſcata: & ne Jenghenus Seraskierus turbulentum & heteroclitom caput capta turbaret conſilia, novus electus Seraskierus, Scutari Baſſa, Jenghenum apud Sophiam ſubdolè captum cum aliis 37. ejuſdem factionis turbatoribus, capite minuit, & bona illorum fiſco addicit. Sed Deus hæc inter conſilia gallicum morte ſuſtulit legatum; nihilo tamen minus decretum omni ſtudio promovebatur bellum: Tôckelius Widini pontem Danubio inſternebat, Vezirius exercitu Philippopoli Sophiam deducto, maturam ibidem omnium baſſarum cum copiis ſuis urgebat conjunctionem: confœderator & Turcarum ſocius Rex Gallicæ varios tribunos, bellicos machinatores, baliſtarios, & alios ſuæ nationis belli peritos cum ingenti auri ſumma ad Soldanum & Tôckelium ad decreta belli conſilia maturius efficaciuſque promovenda ſubmittebat; atroci omnia inſudabaot expeditioni. Et ecce Moſcus Tartariam involans, promiſſum 30. millium Tartarorum impedit ſubſidium: Aſia rebellione implicata ex addictis 30. millibus, vix 3000. ſubmittebat; nihil verò Anatolia, Ghidiecki Baſſæ factionibus diſſciſſa: & hic cæſo Baſsâ Teſſtisko (qui ad opprimendum Ghidieckom rebellem advenerat) Iconium, & ultra progreſſus in magnas Byzantium clandeſtinæ metu conſpirationis adigit anguſtias, quæ indies magis ex Moſcorum approximatione, & magno ultramarinorum Conſtantinopolim fugientium numero augebatur, ut Solimannus expoſito haud procul Adrianopoli Mahumetis vexillo, & Muſelmannos ad arma convocaret, & ipſe in campum prodire ſtipularetur.

Jenghenus cum 37. aliis necatur.

Gallus Turcis arma, aurum militem ſubmittit.

Moſcus Tartariā involat.

Turcæ bellum ſedulò parant.

Horum omnium haud ignatus Cæſar nihil laboris & ſtudii recuperandi plura intermittebat; ad tantas enim interim famis anguſtias incluſerat Caniſam, Varadinum majus & Temeswarium

1689.

Et Tôckelius à Bethuno gallo inſtigatus.

zinm, ut jam jam in extremis deditionem facere crederentur; quod Tôckelius gallico quidem ære, & bellicis officialibus à Marchione Bethune, gallico ad aulam polonicam legaro, ſubminiſtratis, maximo conabatur ſtudio; ſed Tartarorum ſubſidio fruſtratus efficere nequaquam potuit. Quare Tartarorum Chamus ut Moſcorum validius occurreret incurſionibus, & promiſſis Soldano & Tôckelio ſuccurreret auxiliis, miſſo ad Regem Poloniæ & Rempublicam legato, particularem excluſis Confœderatis pacem Reipublicæ admodum ſavorabilem, & ut quidam ajebant, Camineci ceſſionem offerebat: nec ſuum ad hoc omittebat ſtudium Bethunus, inſigni è contra fervore zeloque Pontifex per Nuntium ſuum apoſtolicum belli fœderisque urgebat continuationem, quam Rex etiam & Reſpublica rejecto Tartarorum legato Achmete Agâ, conſtanter confirmarunt, tardo quamvis molimine variis diſciſſi factionibus tentaverint expeditionem, non adeo vigoroſam.

Pacem eum Polonis fruſtra urgent.

Raſcianorum cum Turcis velitationes.

Variis interea velitatum eſt utrimque excurſionibus, ſex Tartarorum millia forum invaſerant Marovitzium, quos Raſciani Epirotis conjuncti quadringentorum cæde, captis 70. gregariis, & aliquot ſignis feliciter repulerunt, petieruntque ab Hâuslero & Hoffkirchio, ut ſi ſalva religione & libertatibus ſuis duces illis ac ſtrategi darentur germanici, 30. armatorum millibus in campum ſe contra Turcas fortiter progreſſuros. Hos Turcæ poſtliminiò ad ſua Novibatzarium revertentes ferociter irruunt, 2000. cædunt & plures abducunt captivos. Quam cædem ulturi Raſciani nimiùm exacerbati, inopinatò Liſſinam, prædonum latibulum, opprimunt, ignibus totam cum 200. præſidiariis ſubjiciunt, centenos aliquot trucidant, & ſupra centum captivos libertati reſtituunt Chriſtianos. Tôckelius ut Temeswarium eximeret anguſtiis, & aditum faceret in Tranſilvaniam, unitis ſecum in Bulgaria turcicis copiis, inſtratoque Danubio ponte varias Widinum inter & Orſavam palancas, hoc eſt, pagos ſudium ſepibus cinctos, intercipit: Clodavam aggreſſus rejicitur duobus ſauciatus vulneribus: Jagodinam à quatuor etiam hoſtium millibus invaſam ubi Hoffkirchus percipit, collectis raptim Germanis & Raſcianis, Moravæ fluvio invigilantibus, eos depellit, captiviſque paſſim, & famâ edicentibus, magnis hoſtem quotidie augeri, & accelerare viribus, militem tantæ hoſtium multitudini imparem à Moravæ tractu Semendriam deducit: hanc, & Belgradum operibus Cæſareani vallaribus muniunt, aggeres reſtaurant, & vias undique obſtruunt concædibus, ut difficilior hoſtibus pateat acceſſus, quem in Tranſylvaniam cùm Tôckelius habere non poſſet, varios in illam, Ungariam, Bohemiam, Auſtriam &c. mittit incendiarios gallos fœdiſſimè Onotbum, Tirnaviam, Pragam, & Stephanopolim (Cronſtatt) totam exceptâ arce, devaſtantes. Viennæ in ejuſmodi gnaviter fuit invigilatum, omnique ſtudio de utraque in Gallos & Turcas conſultatum fuit expeditione: illa Maximiliano Bavaro, & Carolo Lotharingo, hæc Ludovico Badenſi commendata: qui ſuum in Ungariam abitum impigrè maturabat. Inde ſuum quoque legati turcici petebant diſceſſum, eo quòd pacis videbantur tractatus inter arma quieſcere, nec ad Portam illis Ottomannicam curſor permitteretur; conſenſu tandem confœderatorum & permiſſu turcicus eſt expeditus Adrianopolim curſor, pacis negotium & Confœderatorum prætenſiones expoſiturus.

Raſciani vicisſim Liſſinam opprimunt.

Tôckelius varia circa Orſavam loca depopulatur.

Incendiarios mittit in Ungariam Bohemiã Auſtriã.

Turcicis legatis permittitur curſor Adrianopolim.

1689.

Turcicus interea exercitus menſe Majo in Niſſenum educitur campum, ultra, Belgradum verſus, progreſſus, niſi fluviorum cohibuiſſet eluvies; cauſam verò maturatæ expeditionis plures ſuſpicabantur non Imperialium tantùm copiarum, ſed Cæſareanarum etiam aliquot legionum ex Ungaria in Germaniam contra Gallos diſceſſum, quo puſillum Chriſtianorum exercitum ita diſperſum debellari facilius poſſe non dubitabant; Tartari interim invaderent Tranſylvaniam, & Tôckelius agonizanti ſuccurreret Temeswario. Hic non diu moratus conflato ſuo ex Rebellibus, Turcis & Tartaris exercitu Novigradum, ſeu Fetislavium tumultuarie occupat. Badenſis, qui 6. Junii Belgradum advenerat hoſtium prævidens ſcopum, miſſis illico curſoribus accinctas itineri copias jubet maturare: Croatiæ Bano imperat Savi invigilare tractui, ne Boſnienſes hoſtium turmæ depopularentur Sclavoniam: Hâuslerus reliquis in Tranſylvania copiis (potiores Veteranus Semendriam ad exercitum conduxerat) Walachiæ finibus inſideret. Aſpermontius arceret hoſtem à Varadino fameſcente.

Expeditionum utrimq; conſilia.

Dum hæc impigrè peragerentur, turcicum Niſsâ exercitum ad Moravam provectũ audiens Badenſis, ab exploratoribus & captivis intelligit Seraskierum modò 12000. tranſiiſſe Moravam, & Vezirio propediem cum 40000. accedente Chriſtianum certò invadendum exercitum, vix decem armatorum millibus, ut exiſtimabant, valentem. Sub hac opinione ut Badenſis Seraskierum in prælium eliceret, 27000. exercitum reducit Collarium oppidum; ſed hic audito Veteranum ex Tranſylvania, ex Boſnia Piccolominum cum validis copiis, & grandia Belgrado tormenta ad Chriſtiana initio Julii perveniſſè caſtra, Moravam retranſiens tractum ejusdem turmis aliquot ſepiendo, commeatum Chriſtianis & victualia conabatur intercludere. Dumque hi aëris tempeſtatibus impediti tardius in campum prodirent, Turcæ Zwornickum, commodum ex Boſnia in Sclavoniam aditum capiunt, præſidiumque poſt generoſam defenſionem pactâ incolumitate Sabacium in Savi inſula deducunt, mox invadendum; ejuſdem autem præfectus Malvezzius dum incenſo ponte, objectiſque aliis obſtaculis prohiberet acceſſum, re infectâ abierunt. Ne verò ultrâ trajecto Savo Sclavoniam, ut comminati fuerant, depopularentur, Cavrianus contractis undique cohortibus Savi tractum juſſus eſt cuſtodire: uti & Varadini obſeſſores gnaviter invigilabant Tôckelio propiùs occupatâ Orſaviâ, quam Cæſareani ſtudio dereliquerat, approximanti: quare Corbellus ut arctius urbem occluderet, haud procul diſſitum Fecherabotum tumultuariè impetit, & abſente in nuptiis baſsâ, potioreque præſidii parte collectam alibi militarem exigente, facilè intercipit, & præſidio communit. Patem Raſciani numero 6000. electis inter ſe tribunis & centurionibus tentantes Vicegradum aggreſſi, à tumultuariis incauti Turcis & Rebellibus dimidiam ultra partem cæſi & capti repelluntur. Turcarum viciſſim octo millia Wihitzium verſus excurrentia ferrum & ignem in Boſnia minitabantur, quibus Vice-Banus Croatiæ Draſcowicius obviam cum 1200. progreſſus, dum in monte ab hoſte, in quo paulò ante hic conſederat,

Zwornickum Turcæ capiunt.

Varadinum obſeſſum.

Raſciani cæſi.

Draſcowicius Turcas profligat.

1689. tat, conſpicitur, pleno impetu fertur in illum, puſillum quaſi gregem mox deglutiendum, quem Draſcowicius non modò fortiter conſtanterque excipit; ſed vim inferendo hoſtilem confundit aciem, urget, ac in turpem conjicit fugam, in qua bis mille Unnæ fluctibus ſubmerſi, reliqui omnes, exceptis 3000. aut cæſi fuerunt aut capti: hos inter Kihaja Baſſa, 2. centuriones, Alybegus, & 70. belli officiales, 400. equi, & XI. ſigna equeſtria Cæſari à Franciſco Draſcowicio generoſæ fortitudinis ſuæ teſtes præſentata. Sed Gallizini Moſcorum Archiſtrategi exeunte Majo, prope Trurobam, aliàs Prezicopum, fuit victoria viginti millium Tartarorum cæde multò glorioſior: cecidit ipſe Chami filius, & 6000. Janizari, capti præter alios 200. Murcii, ut vocant, ſeu primi nobilitatis viri. Nec incruenta Moſcis fuit victoria, octo millium ſuorum ſanguine empta: & crudeliorem Gallizinus metuens Tartarorum vindictam, monuit, hortatuſque Ezarum ſuum & Regem Poloniæ, ut omnibus quibus poſſent viribus hoſtilem infringerent feritatem. Illud quidem Regis Joannis moliebatur animus; ſed Reipublicæ remorabatur diſſenſio, non ingrata Ottomannis, & Tartarorum ſubſidio deſtitutis, conducibilis: quibus quia nullus in Servia & Bulgaria ſuppetebat validus defenſionis locus vel oppidum, fluviorum maximâ tranſitum cuſtodiebant vigilantiâ, ne Ottomannici viſcera imperii penetrarent altius Chriſtiani, quorum tutelæ & poteſtati Serviæ & Bulgariæ modò Bulgrado Moravam uſque ſe ſponte ſubdiderat.

Gallizinus Moſcus Tartaros conterit.

Seraskierus igitur 40. armatorum millibus haud procul Morava Cruſſawitii ſupremum Vezirium potiore eum exercitu 60. millium expectabat, conjunctim Chriſtianos aggreſſuri. Sed præveniens Badenſis, in hoſtem Niſſam verſus movet, ac tertio nonas Auguſti Moravam aſſecutus, eâdem mox trajectâ ibidem caſtra metatur, ipſeque Paſſarowitzii locorum ſitum perluſtrat, ubi ab exploratoribus Crachalowitzii hoſtem fixiſſe caſtra cognoſcit; quare altero ponte Moravæ Culicii (ubi Morava Danubium influit) inſtrato, totus inde XI. Auguſti die exercitus, internam victualibus hebdomadam proviſus, per invia & ſalebroſa, per montes & ſilvas magno hominum pecorumque labore & defatigatione contendit Reſſavam, & agrum, ut vocant, Regium, atque hinc Jagodinam 20. die attingit, ubi primò hoſtilem in monte conſpiciens exercitum, altero tamen præmaturè die eundem in planum translatum campum, & in aciem diſpoſitum, ſua eidem caſtra opponit. Transactis hic quietis aliquot diebus, ardenti cum hoſte confligendi, aut caſtris eum exuendi flagrabat deſiderio: hæc ob loci ſitum quia expugnatu admodùm difficilia videbantur, ſimulatâ nunc fugâ illos poſſet elicere, impedimenta, pontemque nauticum carpentis convectum Grabobecum præmittit, ipſe cum exercitu 28. Auguſti ſecutus, ibidem moravæ pontem inſternit; quem mox Chami filius cum VII. Tartarorum millibus inſecutus, pabulatores aliquot & equos raptitant; illis autem facilè fugatis referebant captivi, hos Tartaros Jagodinæ moravam tanſiiſſe, & Seraskierum cum IV. millibus Jagodinâ Poſſarovicum & Semendriam verſus contendere, ut pabulandi frumentandique aditu, & omni commeatu intercluſo Chriſtianum fame conficerent exercitum. Idem ſuſpicatus Badenſis decreto prælio hoſtis everſurus conſilia, in altera moravæ parte caſtra loco tuto & impervio figens, equitatum alæ ſiniſtræ in colliculo, dexteræ verò equitatum in plano jubet conſiſtere, huncque ad fallendum hoſtem ex equis deſilire, quaſi impedimenta & rem tormentariam defenſuri; re autem verâ ut hoſti proximiorem citius commodiuſque ejus ordines irruendo everterent. 1689.

Badenſis hoſtem inquirit.

Circa Semendriam Badenſis hoſtem aggreditur.

His ita diſpoſitis tribunus equitum S. Croix cum turmis aliquot germanicis, Czackius & Buthianus cum Ungaris, & Paulus Diackus cum Raſchianis inſperatò hoſtem aggrediuntur, ſubſequente mox illox ſiniſtræ alæ equitatu. Turcæ ſenſim cedendo ad ſilvas & 10500. equitum inſidias noſtros laceſſebant; at ubi totum utriuſque alæ equitatum Chriſtianum in ſe provolare conſpiciunt, velociter pedem referunt; ad viarum autem anguſtias pugnare coacti cæduntur, fugantur, & relictis equis, ſariſſis, palliiſque & impedimentis per ſilvas & montes dilabuntur: quo in conflictu ultra V. Turcarum millia interfecta, capti plurimi, 12. ſigna equeſtria & aliquot tympana. Dum hoſtilis cæditur, fugaturque equitatus, Badenſis reliquum hoſtilem exercitum invaſurus, ut exploratam retro ſilvam planiciem peditatus occuparet, eò vigiliarum præfectum Com. Solarum cum 500. equitibus præmittit, quem dum hoſtis modò prævenerat, & vi repelleret, adeſt opportunè Hâuslerus cum peditatu, equitatuſque noſter ſub Veterano & Piccolomino à ſuperiore revocatus ſtrage, ac diſparente nebulâ hoſtilem ante ſe conſpiciunt aciem promptè diſpoſitam: fit atrox utrimque concurſus, & tanto ululatu, ac cœco furore in Chriſtianos irruunt Ottomanni, ut omnem tormentorum, bombardarum & ignis impetum præter morem pertinaciter ſuſtinentes ad ipſos militares ericios perrumperent, tenuitque prælium duabus continuò horis, donec Caſtellus Comes multiplici tubarum tympanorumque ſonitu cum dimachis ſuis ſilvâ erumpens panicum hoſti inferret terrorem, ſuſpicandi ingentem in ſaltu latere armatorum numerum: cedit igitur loco, & ſuccedunt Chriſtiani, quibus eodem referebat momento transfuga, natione Bavarus, Budæ antehac captus, aliam poſt ſaltum planiciem duplici ab hoſte militari ſepimento vallari: iſtuc Guido Startenbergus cum centuriis aliqnot per interlucatum ſaltum expeditus, primum ſeu externum ſepimentum ab hoſte penè ex terrore derelictum occupat, quo deſtructo Piccolominus cum equeſtribus aliquot legionibus & parte peditatûs dextrorſum, ſiniſtrorſum Palffius cum Haiducis per ſilvam vario tympanorum tubarumque clangore à tergo hoſtem inter aquas loco inacceſſo conſiſtentem, & firmius ſe vallantem jam aggreſſuri, ille fugam ad caſtra & ſaltum capit, ob interjectas paludes & foveas aquis repletas inaſſequibilis; haud multò tamen poſt tribuni Sand & Seravius illum quidem aſſecuti; ſed Badenſis juſſu non adoriri, toto niſi præſente equitatu auſi, perſpiciebant ab hoſtili interea 30. millium exercitu omnia tumultuariè impedimenta, & rem tormentariam in abitum parari; adveniente verò equitatu idem Sandus hoſtem inſecutus, ad viarum anguſtias ita illum compeſcuit, ut relictis tormentis, impedimentis, & totis caſtris turpi ſibi fugâ Cracolowiciū verſus conſuluerit. Capta tormenta 105. tria mortaria, bellicuſq; apparatus & commeatus non exiguus; quibus Chriſtianus exercitus viarum difficultatibus

Cædit.

In fugā agit.

Caſtris exuit.

ed by Google

1689. bus & victualium inopiâ exhauſtus, per dies aliquot liberaliter refectus, primâ Septembris Ambroſianum in caſtris hoſtilibus hymnum ritu decantarunt militari. Tum Badenſis Turcicorum curſorem Legatorum, propter exercitas hucuſque Seraskieri hoſtilitates Semendriæ detentum, proficiſci Byzantium permittit, ut ſuorum fortunam & ſtragem commilitonum latius veriuſque denuntiaret, rediensque uberiores Chriſtianorum victorias Legatis Viennam referret.

Famâ interim ad caſtra delatum, Seraskierum ex præcipitanti Niſſam uſque fuga ibidem conſiſtere, illucque ſupremum Vezirium Sophiâ cum XX. millibus contendiſſe, obicem Chriſtianis objecturi, aut pugnæ aleam tentaturi. Nec mora, motis decimâ Septembris caſtris, iiſque ſufficienti annonâ proviſis, vigeſimâ tertiâ menſis Niſſam Cæſareanus ſexdecim millium exercitus perveniens, cernit hoſtem ab urbe Niſſa ad montis uſque verticem caſtra 60. millium extendiſſe, aggeribus, loricis, ſudibus, altâ foveâ, & rapidâ Niſſavâ flumine probè munitâ, & oppugnatu difficilia. Die tamen alterâ 24. Badenſis cum ſiniſtra, Dux Crojus cum ala dextra montem ex altero conſcendentes latere, & plena hoſtium caſtra penitius perluſtrantes, non in fronte, ſed à tergo poſſe, atque ex transfugarum exploratorumque relatione debere impeti, ad quintam meridianam generosè illa invadunt; Turcæ autem celeritate prævenientes, plurimo equitatu Cæſareanum ſiniſtræ alæ peditatum in monte aggrediuntur: quos Guido Starrenbergus ſuccenturiatis ſubitò aliis agminibus, & tormentorum ictibus fortiter, uſq; dum tota ſuccurreret ala ſiniſtra, ſuſtinendo, de monte in planiciem eos præcipitat; ubi reſumptis Turcæ ordinibus & viribus inſano rurſus impetu, & conſueto clamore in ejuſdem alæ latus irruentes diſſepuiſſent, niſi Piccolominus, & Dux Holſatiæ ſuis cum legionibus tam generoſâ impetum excepiſſent fortitudine, ut in effuſam tunc eos facilè fugam conjeciſſent, niſi cedentes & fugientes ſuos Turcæ ipſi fuſtibus & jaculationibus ſiſtere, & pedem referre coegiſſent. Peditatus interea hoſtilis alteram montis partem verſus dextram Chriſtianorum alam adhuc acriter defendebat, & rejectus ſupra equitatus vires recolligebat; ſed dum ſiniſtra noſtra ala Niſſavæ tandem flumini appropinquaret, & huic ſe reliquæ corporis legiones propiùs conjungerent, dextrâ Crojus alâ penitùs eo quoque loco duodecim Janizatorum millia grandi eorum boatu & cæde depellit, tormentorumque ejaculationibus in vallem dejicit. Neque hic defatigatus Ottomannorum eſt furor, ſed quovis conatu ac molimine ſiniſtræ latus alæ quoties tentabat perrumpere, toties inſigni ſemper repulſus eſt cæde; ultima denique tentaturus, deſperato planè impetu in Haidones, latus ſuum petentes, irruens, luxare conabatur, & perrumpere; at mox aliis legionibus, ipſoque cum ala ſua Crojo opportunè ſuccurrentibus, totus in fugam converſus eſt Turcarum exercitus; & plures quidem noctis beneficio ferrum plumbumque Chriſtianorum elapſi, præcipitis tamen Niſſavæ aquis miſerè ſubmerſi ſunt. Interfectorum decem univerſim millia cenſentur, plurimique Baſſæ, & primæ conditionis tribuni ex præſtantiſſimis magni pretii equis, ephipiis, veſtibus, & pecuniis inventis præſumebantur. In captis ſpoliatiſque caſtris præter XXX. juſtæ

Item ad Niſſam profligat internecive.

Victoria ſpoliis opima.

magnitudinis tormenta, non exiguus apparatus bellicus, commeatus, papiliones & ſigna (grande etiam Seraskieri labarum) tria equorum millia, ingens quoque Camelorum & jumentorum numerus eſt repertus: elegans & præſtans Seraskieri papilio ceſſit Badenſi, tribunis & militibus ceteri: caſtrorum verò operæ & ſepimenta gallico plane artificio notabantur conſtructa, nunquam Turcis antehac uſurpata, nec viſa. Empta verò hæc præclara victoria, opimaque Spolia 300. Chriſtianorum quà vulneratorum, quà cæſorum ſanguine, quorum præcipuus deplorabatur Comes Vehlenſis, primo ſtatim aggreſſu in monte cæſus. 1689.

Profligato in campis hoſte, Niſſæ præſidium neglectis omnibus urbem granario, mercibus, ſpoliiſque opulentam reliquit victoribus, qui illam olim Serviæ metropolim commodo utique loco, 8. Belgrado milliaribus ſitam, & propter interfluentem Niſſavam lapideo inſtratam ponte, frequentemque accolarum concurſum firmiori haud indignam munitione exiſtimarunt, juſſitque Badenſis profugos metu municipes, religione paſſim Chriſtianos, ad ſua tutè reverti, omnem illis præſtans ſecuritatem & libertatem. Turcæ verò, relictis Pyrotho, Præcopiâ, Leſcovâ, Muſſâ, Baſſâpalanckâ & Zwornico tam præcipiti ſunt fugâ ſublati, ut Piccolominus cum expeditis Germanis, Ungaris & Raſcianis illos inſecutus, nullibi offenderit, niſi quòd Seraskierus publicæ fidei literas pro reverſo Conſtantinopoli curſore à Badenſi petierit, & obtinuerit. Viennæ autem Legati turcici ſuorum clade ac fugâ turbati, magno afficiebantur dolore, quem callidè tamen Sulficar Effendus diſſimulans, unum maximè deplorabat: interrogatus, quod illud? an Belgradum, Budave amiſſa? non ait; ſed animus & magnanimitas noſtros deſeruit: quâ aſſertâ, reſiſtendo erimus Chriſtianis ſufficientes. Hoc eorum erigebat animos, quòd Moſci panico Tartarorum adventu deterriti, ſolutâ præmaturè Perneci (quòd urbi jam proximi ſpe eam devoraverant) obſidione, cruentâ inſuper à Tartaris viginti millium cæde fuerint mulctati, captis Moſcorum 15000. & tormentis 70. Stragis hujus cauſa dicebatur Gallizous, Archiſtrategus, auro corruptus alieno, inobedientiæ, proditionis, & læſæ majeſtatis reus & convictus, ideoque mortis condemnatus; quæ poſtmodum in pœnam confiſcationis omnium bonorum ſuorum, & exilii fuit commutata: ſoror quoque amborum Ezarum Joannis & Petri Alexowiciorum Sophia ejuſdem in juniorem Petrum proditionis conſcia, & rea convicta, monaſterio in perpetuum fuit incluſa. Nec felicior Polonorum fuit hujus anni expeditio, qui tentato fruſtra Camineco, inſigni inſuper ſuorum cæde rejecti, & graviſſimis poſtmodum Tartarorum excurſionibus fuêre vexati. Fruſtra quoque à Venetis tentatæ fuerunt Neapolis di Malvaſia, ſeu Epidaurus, & Narenta, ſubſtitutoque in Archithalaſſum Molino, Dux Maurocenus Venetias glorioſe plenus victoriis revertitur. Hæc, inquam, maximè ſolabantur Ottomannos; ſed duplex iſta per Badenſem inflicta clades ita illos exulcerabat, tantùmque Byzantinis incutiebat terrorem, ut magno à Sultano tumultu Kaimakani, & ſupremi Vezirii Turckimanni Muſtaphæ depoſitionem (horum enim negligentiæ omnis imputabatur ſtragum culpa) extorſerint. In hujus locum ſuffectus Cuperlus, Baſſa

Niſſam Badenſis occupat.

Turcæ Zwornicum Præcopiam & plura alia deſerunt.

Magnanimitas Turcas deſeruit.

Ingens Moſcorũ à Tartaris ſtrages.

Gallicino proditore.

Poloni Camineco, Veneti Epidauro & Narenta fruſtrati.

Mauroceno Venetias redeunte ſucceſſit Molino.

1689.

Vezirius Muſtapha depoſitus ſucceſſit Cuperlus.

Muſtapha Vez. quot baſſas necaris.

Baſſâ Chienſis; in Kamiakanum verò hujus cognatus, nomine etiam Cuperlus, in Setaskierum ſubrogatus Arab Regebus Baſſa, ſuperiori anno Nigroponti præfectus & aſſertor, priore Ibrahimo, per Vezirium Muſtapham ignaviæ reatu ſtrangulato. Qui Muſtapha Vezirius prævidens non aliam ſibi, infauſtis præſertim expeditionibus, quàm prædeceſſoribus ferici imminere laquei fortunam, illam ut averteret aut differret, omnes officii dignitatisve ſuæ æmulatores, aut quovis modo aptos, unius & dimidii ſpatio anni quinque eorum millia tyrannicè ſuffocavit: unus reſtabat Cuperlus Soldano percharus (Solimannum enim in thronum exaltaverat) cujus etiam caput dum novercante hac fortunâ Soldani nomine per Campigum quendam poſtularet, nullius hic ſibi conſcius criminis, reſpondit, ſe ipſum mox ſuum Soldano caput Adrianopoli oblaturum; Capigo autem citum Soldani obtrudente imperium, Cuperlus ſex tandem dierum inducias ad explorandam Soldani mentem ægrè impetrat: expeditus ſubitò curſor hoc quartâ die retulit reſponſum: Fidelis Cuperle, his lectis quamprimum huc propera, tu ſupremus Vezirius meum moderaberis imperium, & tuos vindicabis inimicos. Literis morem gerens Cuperlus, honorificè Adrianopoli à Solimanno exceptus, hoſtem ſuum Muſtapham non vitâ, ſed fortunis privatum in exilium Megaram in Achaia deportatum relegavit, non multo poſt ibidem defunctum.

Muſtapha in exilio moritur.

Badenſis Widinũ & Novigradum occupat.

Badenſis interea relictis aliquot Niſſæ, & in virino tractu ſub Piccolomini cura legionibus Widinum petit, ubi hoſte caſtris eliminato Widinum urbem 14. Octobris armatâ intercipit manu, ultroneâ arcem 19. deditione, unde præſidium Nicopolim fuit conductum, repertaque ſunt ibidem tormenta XXVI. in ſuperiori autem velitatione cæſa 2000. Turcarum, & 400. Chriſtianorum. Inde contendit Fetislaviam ſeu Novigradum, à Tôckelio recens captum, ſed turſus derelictum, illudque propter opportunam cis & ultra Danubium tractûs, & Walachiæ communicationem firmius communire, & pontem ibidem Danubio jubet inſternere. Antequam ille perficeretur, actum eſt cum Walachiæ legatis, poſtulataque ab illis ſunt 1. Septem menſium pro 15. millibus hyberna: 2. Pro militari ſtipendio 800. florenorum millia. 3. Mille quingenti equi, quorum pretium ex priori ſtipendiorum ſumma detrahendum. 4. Tradendi denique bini in horum fidem obſides Walachiæ primores. Legati ad hyberna difficiles detinebantur idcirco in caſtris; quibus tamen Walachi commeatum & annonam interim ſubminiſtrabant. At ubi Badenſis perfectum jam pontem 10. Novembris tranſiens, infra pontem Trajanum ad oppidum Czernicum proximior Walachiæ caſtra figit, legati poſtulatis ſubſcripsère, quadraginta licet Tartarorum millia Nicopolim & Widinum uſque excurrentes haud levem Walachis incuſſerint metum. Tum Badenſis proditorias mortis evaſus inſidias (quas conſpirantiũ unus opportuno adhuc tempore redetexerat) proditoribus, ſeu latronibus capite minutis, dimiſſiſque ad hyberna ſtipendiariis, & cunctis ad defenſionem, regioniſque ſecuritatem diſpoſitis Viennam, inde Auguſtam Vindelicorum ad Imperatricis Eleonoræ coronationem 19. Januarii ſequentis anni, & ad novi Regis Romanorum electionem (quam Gallus doloſis blanditiis, armis & promiſſis ſuo procabatur Delphino) properat; ubi imperii Rom. Principum & Electorum votis Joſephus Ungariæ Rex in Regem Romanorum 24. Januarii 1690. eſt electus, & ab Moguntino Archiepiſcopo Franciſco Anſelmo ab Ingelheim 26. Januarii ſolemniter coronatur.

Cum Walachiæ legatis contrahit.

Proditionem evaſus Viennam properat ad Electionẽ Joſeph & coronationem Eleonoræ.

1689.

Ingelheim Joſeph coronavit Auguſta Vind.

Aliæ Turcarũ propoſitiones refutatæ rejiciuntur.

Victorioſus autem hic ubique Badenſis progreſſus Ottomannicum univerſim concutiebat Imperium; Cæſaris igitur Confœderatorumque poſtulata à Legatis ſuis ad Soldanum & divanum transmiſſa, ſtudioſeque examinata & examurcata, quamvis ſibi maximè probroſa, urgente autem jam fato concedenda decrevêre, & per Muſtapham Agam Legatis Viennam curſim ſubmisêre: ut ſcilicet omni quo poſſent ſtudio pacem iteratis Ottomannorum ſuſpiriis expetitam procurarent, quòd Gallorum falſis hucuſque pollicitationibus, conſiliis & policiſmis, bellum ſuadentibus ſæpius illuſi fuerint & decepti: Urgerent deinde reſtitutionem Belgradi, utriuſque limites imperii per Savum dividentis, cujus loco Caniſcha, vel Giula, vel Temeswarium, vel etiam Varadinum offeratur: Camineccum aut deſtruatur, aut Polonis reſtituatur: Veneti quoq; capta jure belli retineant, ſubtacito Nigroponte. Novis his Legati inſtructionibus edocti, novam pacis deſiderabant conferentiam, cui præmittebant ſcriptum Commiſſariis, Cæſareâ abſente Auguſtæ Vindelicorum aulâ, Comiti Quintino Jôrgeto, Baroni Droſchio, & Veneto Girolamo Veniero communicatum, proponentes non eo anguſtiarum Ottomannici redactas eſſe vires Imperii, ut pacem peterent; ſed armis adhuc poſſent eam extorquere, ſi nimirum Ottomannicam penitius conſiderarent potentiam, Chriſtianos fortunâ potiùs quàm potentiâ tantis hactenus gloriari victoriis; ſopitâ autem jam Aſiæ rebellione; contractis etiam maximis aulicis ſumptibus, impoſitâque de centum quincunce, ingentem per Turciam nunc colligi æris ſummam, belli nervum, ut placatâ tandem divini numinis irâ, Ottomannica jam etiam porta, ære & milite potentiſſima meliorem ſperet, promittatque ſibi fortunam martemque propitium: ut Belgradum denique cedatur, Savuſque regnorum limites determinet, urbem offerunt huic æquivalentem. Cavillari hæc Commiſſarii, quàm nauci Ottomannorum facerent potentiam, ſcripto repoſuêre: Ottomannicam modò potentiam multitudine prævalere, non fortitudine, perſpicuè inde patere, quòd trecentorum ſpatio annorum debellatam raptamque Ungariam nunc totam, exceptis pauculis oppidis fame propediem ſubdendis, turpiter unius ſpatio luſtri amiſerint, Viennamque trecentis ultra millibus armatorum oppugnantes, à puſillo Chriſtianorum exercitu, magno eorum dedecore rejecti, latrociniis & incendiis nonniſi infames; ad quæ non trecenta millia, ſed centum ſufficiebant latrones & incendiarii; Chriſtiani verò multò pauciores divinâ ſuffulti virtute tot præliis & urbium expugnationibus ſint ſuperiores & celebres. Neque Aſiatici finem eſſe tumultûs; ſed tyrannicâ Soldani oppreſſione indies augeri, adeſſeque æris penuriam ex quatuor millium in Seraglio pellicum & aulicorum abrogatione noviſque impoſitis triburis patenter manifeſtari. Anne verò juſtum ſibi Deum perſuadebunt reconciliatum, qui perfidos pacis

tur-

1689. turbatores, iniqoiſſitios tot regnorum penviociatumque invaſores & raptores, ſuæque Chriſtianitatis perſeqnitur inimicos? generoſis forti brachio adeſt militibus, non raptoribus & latronibus; proinde Cæſar Neopolim potius in Auſtria, Viennenſes imo hortos & viridaria, quàm cedet Belgradum. Quæ certè Ottomannorum prupoſitiones, & Cæſaris reſpoſiones non pacem aut armiſtirium; ſed vigoroſam belli declarabant continuationem.

Bellum continuatur.

Dum hæc fierent, Piccolominus Niſſæ præfectus in ditionem Coſſavam excurtens, ingentem colligit annonæ copiam, captâque Priſtinâ, Mitrowico & Panzâ, ut propius mare accederet Adriacum, haud longe diſſitum, & inſignem Albaniæ partem, Climentinoſque Cæſari ſubjiceret (quod hi maximè per legatos deſiderare videbantur) petit Uſcopiam, occupatoque 25. Octobris anguſti & periculoſi acceſsûs Kazaneco à Turcis derelicto, trecentos Uſcnpienſes Turcas illud repetentes, captis quatuor eorum vexillis profligat, & in fugam convertit; ab indigenis autem magno exceptus gaudio procedit Uſcnpiam, Pragæ metropoli Bohemiæ magnitudine parem, & à Turcis pridie adventûs ſui deſertam; quâ occupatâ, emiſſiſque qui hoſtem inſequerentur, paucos cepêre Turcas & Judæos ex urbe fugitivos, ac ſupra his mille vehicula ruſtica, Græcorum maxime ſpoliis onuſta, plurimoſque Chriſtianos, potiſſimum græcos in libertatem aſſeruerunt. Nullus hic bellicus repertus eſt apparatus; ſed copioſa mercatorum bona, frumenta & farina. Urbs ante occupationem populoſa admodùm dicebatur, alebatque 60. civium millia, & 400. Judæorum familias, præter plurimos aliunde transfugas ad quadraginta millia aſcendentes. Vaſtam hanc urbem ædificiis & viridariis in toto turcico imperio celeberrimam, ſed muris & foveis, omnique deſtitutam munimine Piccolominus, elatâ prius annonâ, aliiſque pretioſis & neceſſariis in prædam cedit militibus, & poſtquam militarem ex vicina regione collectam extorſiſſet, diverſis in locis ſubjicit flammis.

Piccolominus capta Priſtinâ, Mitrovvico, Panza & vaſtisſima Uſcopia hanc diripit & incendit.

Kazanecum Turcæ deſerunt.

Uſcopia 40000. incolæ in Albania.

His actis generalem vigiliarum præfectum Ducem Holſatiæ cum ſua & Hanoverana legionibus ad montana Otiſati hyberna, tribunum Straſſerum cum peditatu ad fines Boſniæ ablegans, ipſe ægrâ quamvis valetudine cum duabus reliquis legionibus Priſſeranum Albaniæ metropolim profectus, inceptos cum eis tractatus expediturus, & in fidem Cæſaris recepturus. Urbem VI. Novembris ſubeuntem Archiepiſcopus, Climentinorum patriarcha, ingensque obvia hominum turba cum Crucis vexillo & ſingulari jubilo excipiunt, accedenteſque germanas legiones quinque Albanorum millia in armis ſuis ſalutant ejaculationibus: die alterâ & tertiâ pactis utrimque conditionibus ſubſcriptis, ut qui arma vellent induere, Cæſareis intermiſcerentur legionibus; agri verò cultores & mercatores arma exuentes domi occuparentur, atque ita in fidem & tutelam Cæſaris ſunt recepti. Piccolomini vero morbus ita quotidie invaleſcebat, ut nono Novembris die fatis, ingenti omnium dolore conceſſerit, in metropolitana honorificè ibidem ſepultus, qui paulò tamen ante literis harum imperium regionum Holſatiæ Duci detulerat.

Piccolominus à Clementinorum patriarcha exceptus, eos in Cæſaris tutelam recipit.

Ejus obitus.

Chriſtianus Holſatiæ Dux obtento Stipo Turcas conterit.

Hic Chriſtianus Holſatiæ Dux dum certâ intellexiſſet famâ cives ex urbe Stippo antea profugos ad ſuos remeaſſe lares, expeditis eò ſine mora copiis 10. Novemb. quadraginta procubitores fortiter prupugnantes in urbem repellit, unde Uſcopienſis Baſſa cum ſex Turcarum millibus tumultuariè egreſſus dum ſuos in aciem cogeret, à Chriſtianis ſubito impetitus, & in confuſionem actus, mox cæſus & fugatus, duo armatorum millia quà capta, quà interfecta cum urbe amiſit: eâque expilata & incensâ ad priora Dux rediens, hoſtilem trecentorum equitum turmam offendit, quam licèt fugentem inſecutus plures interemit, reliquos fuga abſtulit. Turcæ autem Albanenſium defectione admodùm offenſi, ultricem meditabantur excurſionem, cujus certiores facti Priſſerani, collectis ſubitò indigenis & popularibus, ſuæ memores datæ fidei ſub Germanis tribunis & ducibus generoſe hoſtem haud procul Tetova præveniunt & repellunt, cæſis eorum ultra 600. captiſque ſignis aliquot & tympanis, pecoribus, aliiſque prædis haud contemnendis, utque ſecuriores impoſterum ab hoſtium degerent invaſionibus, aditus omnes, acceſſuſque probè munierunt: imprimis autem Kazanecum, Priſtinam inter & Scopiam; retro Priſtinam verſus Boſniam Metrovicum & Panzam, Orizarum & Novo-Berdum, ipſam denique urbem Priſſeranam validis obfirmarunt præſidiis, annonæ vivendiq; copiâ affatim locupletari: Turcæ enim haſce non ſolùm regiones ſuis conſervarant uſibus incolumes, ſed frumentorum etiam plurimum invexerant, quæ poſtmodum tumultuariâ deſerentes fugâ, ſplendidam ſibi famem apparârunt. Frendentes igitur variis has partes excurſionibus, & barbaris vexant populationibus, decemq; armatorum millibus Scopiam verſus omnia ferro & flammis devaſtant, atque ſex hominum millia in miſeram abducunt ſervitutem.

Priſſerani Turcas repellunt & profligant.

Albani ſuam contra Turcas eam vaſtantes communiunt.

Eodem fermè tempore Tartarorum aliquot millia Tetovam & Cumanovam ignibus ſubjiciunt, ferebatque rumor Tartarorum Chamum contractis haud procul Scopiâ copiis turcicis 20000. ſuperatoque Danubio fatalem in Cæſareanos meditari invaſionem; quare Dux Holſatiæ Boſniæ limites viſitare, aditus, viaſque concedibus oppreſſulare, & cuncta in generoſam parando defenſionem tribunum Straſſerum, qui Niſſæ vices Strategi Com. Veterani abſentis agebat, in auxilium vocat; qui Priſtinam advolans, illam circa regionem à Tartaris per avia deviaque perruptis ferro flammiſque vaſtari videns, captis eorum aliquot in fugam conjicit, & Holſatiæ Ducem accedit; hic ex ægra valitudine lecto affixus, copiarum ſuarum imperium Straſſero tribuens mandat haud procul Priſtinâ pedem figere, hoſtium invigilare conſiliis, & piccolomineam expectare legionem, ante cujus adventum hoſtem laceſſere, aggredive omnino prohibet. Straſſerus prædictæ legionis tarditate impatiens, & variato per exploratores hoſtium numero deceptus dum præceps nimiùm calendis Januarii 1690. movet in hoſtem, ejuſdem multitudine (30000. referebantur) circumdatus, in ſummas cogitur anguſtias, in quibus ad eo pertinaci cum hoſte conflixêre fortitudine, donec exhauſto pulvere, deficientibuſque corporis viſibus ad internecionem miſerè ſint deleti, pauciſſimis fugâ elapſis. Periête, legiones Holſatica, Hanoverana, & Styrumica numero 2241. cum tribunis & officialibus ferè omnibus, Straſſero, Gronsfeldio, Collonitſchio, & Ca-

1690. Straſſerus à Tartaris internecive cæditur & cadit.

1690.

Carolo Duce Hanoverano, ob familiæ excellentiam Solimanno Soldano Byzantium transmiſſo; maluerunque omnes generoſam ſubite mortem, quàm ſervitutem morte turpiorem; neque inultam, quàm ſervitutem morte turpiorem; neque inultam opperière mortem, ſed caſu ſuo hoſtium etiam quinque oppreſsêre millia. Alterâ poſt infauſtam hanc ſtragem die adeſt loco ſibi deſignato Piccolominea legio, eaſdem Tartarorum offendens inſidias, quæ nullam quoque elabendi viam perſpiciens, hoſtium fortiter furorem ad noctem uſque excipit, cujus beneficio elapſa Priſtinam militari vacuam defenſione contendit, inde Niſſam, quo etiam Dux Holſatiæ cum reliquis ſubitò contractis aufugerat copiis. Strategus Com. Veteranus infelicis hujus certior factus ſtragis Niſſam quoque advolat, hoſtilem omni conatu impetum averſurus, omnem latè regionem igne & ferro crudeliter vaſtantem, & Kazanecum deditione occupantem, unde germanicum 150. armatorum præſidium (mactatis dirè indigenis) cum Starrenbergo centurione Niſſam liberè fuit dimiſſum, cui Hanoveranus dimachatum centurio Wildenhan cum 200. aliis Straſſerianæ cædi feliciter ſubtractis in via ſeſe conjunxerat.

Tartari Kazanecum capiunt regionem vaſtantes.

His actis Tartarorum Chamus Moſcorum metu domum revocatus, cum 12000. Walachiam tranſiens hybernantibus ibidem quoque Cæſareanis inſidiabatur; ſed Hâuslerus maturè eoſdem in Tranſilvaniam ad tutiora mndò reduxerat: reliquæ verò Tartarorum copiæ menſibus adhuc aliquot Albaniam, Coſſavam & Bulgariam pervagantes, cuncta, præter Priſtinam, Priſſeranum & Peckiam barbarè ſunt depopulati. Majus igitur à Cæſare Veteranus ſollicitabat ſubſidium è proxima ſubmittendum Tranſilvania; quia tamen Hâuslerus nullos dimittere, ſed plures etiam ob Tartarorum metum poſtulare copias dicebatur, Veteranus confirmato ſibi à Cæſare harum partium regimine, & imperio, ſupremum Raſcianorum capitaneum Antonium, Niſſæ tum temporis ob graſſantem barbarorum multitudinem cum ſuis conſiſtentem, mittit Coſſavam, ut diſperſos trepidatione Alboenſes ſuâ haud parum cunctis acceptâ animaret præſentiâ, & in devotam Cæſaris reduceret fidem, confirmaretque. Vix pedem Antonius intulerat, & potior Albanenſium pars Raſcianos accedens, hoſtiles haud ægrè propulſant invaſiones plutiumque indies acceſſu creſcentes, annonâ, ceteriſque neceſſariis proviſi ultra Sophiam excurrunt, divite quandoque prædâ ditari; eorumque 3000. & Germani ducenti Baniam tumultuariè invadentes, Baſſam cum 4000. Turcarum ejiciunt, ter mille io auro ducatos eidem pridie à Vezirio ſubmiſſos, 500. equos, prædamque capiunt haud ignobilem. Nec feriabantur Turcæ Pirothum & Moravæ tractum uſque excurrentes, necando, inflammando, evertendo cuncta depopulabantur. Tôckelius quoque haud procul Nicopoli magnas Turcarum & Tartarorum colligebat vires, & in Danubio militarem ſub thalaſſo Mezzomortu claſſem ad invadendum, ut credebatur, Widinum, Tranſilvaniæ & Walachiæ conterminum; ſed hoſtili huic machinationi impiger iovigilans Veteranus, Widini ſine intermiſſiooe urget fortificationem, ſuccurrentibuſque Tranſilvaoia copiis ad Fetislaviam caſtra deſignat, & Erdôdum Croatiæ Banum Savu approximare jubet, ne Sclavoniæ hoſtis & Croatiæ vim inferat.

Tartari Albaniã, Coſſavã & Bulgariam depopulantur.

Antonius Raſc. caput, & cũ Albanis Baniam occupat.

Turca Moravæ tractum, & Tôckelius circa Nicopolim omnia devaſtant.

Porta interim Ottomannica omni laborat conatu, ut clandeſtinas turbatorum factiones ſupprimat, novaſque caveat, cunctis Græciæ, Armeniæ, Macedoniæ, Bulgariæ, aliiſque Imperii inhibens præfectis, ne ultra conſuetum à Chriſtianis exigant tributum, factionum non ratò incentivum: indefeſſo deinde ſtudio ſupremus Vezirius Cuperlus rejectâ pace & benignioris ſpe fortunæ in proximam urgebat expeditionem terrâ marique militaria, ſuperfluos aulæ inhibendo ſumptus, & nervum ubique bellicum corradendo, conſuetum cunuchis minuit ſtipendium, quorum præfectus Kislar-Aga Vezirium veneno per coquum ſublaturus deprehenſus carceri cum ceteris ſontibus mancipatus, & coquus lege turcica altiſſima è turri præcipitatur: deinde quia magnus aureæ & argenteæ erat monetæ defectus, ſignabatur aliquot millium centenariorum euprea: tum ſpongias, fallaces inquam quæſtores quondam caſtrenſes, comprimendo ingentem pecuniæ extorquet ſummam; atque ita gnaviter campeſtrem ſimul & maritimam quidem promovebat armaturam, ſed exiguus erat delectus militum; cujus tamen defectum à Tartaris ſperabat ſupplendum, eorundemque propterea Chamo grates Soldaous pro nupera Chriſtianorum edita ſtrage referebat, quam in majus Muſelmannorum allectamentum per univerſum turcicum propalavit Imperium. 1690.

Turca non pacẽ ſed bellũ moliuntur, factioneſq; ſupprimunt.

Monetã cupream defectu argenti cudunt.

Inter hos armorum apparatus pacis videbatur Viennæ ſilere negotium; turcici enim Legati non jam pacem petere, ſed inſolenter extorquere, ne quidquam reſtituere, ſed Tranſilvaniam ſibi impudenter cedi exigebant, ceteroſque amplius convenire Legatos arroganter detrectando ſimulabant. A Cæſare igitur diſceſſis præter eorum opinionem pacis tractatibus abire juſſi, ſuæ mox pœnitentes temeritatis, terroreque perculſi, 24. tamen Januarii Viennâ debebant inviti diſcedere. Cæſar autem Auguſta Vindelicorum ex coronatione Romani Regis, filii ſui Joſephi redux nihil ad vigoroſam hujus añi expeditionem intermittebat, quin bellicas conſultationes frequentando, auctorando militem, nervum congregando bellicum, commeatum, auxilia, & reliquum apparatum maturando aſſiduè urgeret. Nec mutuæ interea ceſſabant excurſiones, velitationibus non ratò nunc his, nunc illis ſanguinolentæ; graviores verò hoſtis intentabat Tranſilvaniæ Walachiam liberè pervagans; cujus princeps à Turcis vi intruſus occultos Tartaris in Tranſilvaniam aditus, & opportunum Germanos opprimendi tempus & locum, aliaque plura non ſine ingenti Chriſtianorum damno communicabat: de quibus non Hâuslerus ſolùm, ſed defuncti etiam Principis primogenitus paternâ privatus ſucceſſione magnas apud Cæſarem deponebant querelas, rogabantque auxilium. Moldaviæ etiam Hoſpidarus, ſeu Princeps Cæſaris adverſus Tartaros implorabat clientelam & copias; utque firmior crudelibus Tartarorum invaſionibus obex deinceps poneretur, ſuadebat Hâuslerus Nicopolis occupationem, compeſcendis excurſionibus opportunam.

Cæſar Auguſtâ Viennam rediens, legatos turcicos Viennâ abigit.

Expeditionem promovet

Tranſylvani & Walachi à Cæſare petunt ſubſidiũ.

Dira interim Temeswarienſes & Varadinenſes arctè circumſepti fame deficientes, frequentes quidem annonæ causâ, ſed irritas tentant occaſiones excurrendi; annonæ tamen ſupportationem, imo liberationem per Tranſilvaniam à Tôckelio & Seraskiero properè invadendam recu-

Temeswaris Varadini & Caniſiæ fames.

1691. recuperandamque ſperantes, ultroneam omnino deditionem recuſant: Canisienſes verò à ſuis remotiores in hoſtico jam diſtantes, omni commeatûs & ſubſidii ſpe deſtitutos, interceptiſque omnibus eorum literis & nuntiis Generalis Comes Buthianus ſcripto ad deditionem invitat; ſed pervicatiores exploſionibus & eruptionibus quo magis furioſi, eò plures capiuntur, quibus tamen in urbem remiſſis extremæ neceſſitatis ſuæ literas & tabellarium Czampum Huſſainum ad ſupremum Vezirium, & Boſniæ præfectum caliginoſioris beneficio noctis ablegant; ſed deprehenſus, & miſerabiles urbis anguſtias copioſius quàm literæ referebant, faſſus, capite eſt diminutus; quod in aliorum terrorem Stephanus Czickius vice-præfectus Jaurinenſis in prælongo haſtili propè urbis portam hac turcicâ ſubſcriptione expoſuit: *Ecce Canienſes, tabellarius veſter Czampus Huſſainus nullum ab Ottomannica Porta ſubſidium impetrans, Portam æternitatis eſt ingreſſus, auxilium à luna petiturus.* Territi ſpectaculo præſidiarii quod omni aditu literas miſeriarum ſuarum bajulas tranſmittendi, & annonam, ſubſidiumque recipiendi intercluſo inevitabili diræ mortis periculo eſſent expoſiti, tumultuantibus præfectus urbis portas occluſit, nec eo ilic herbas & radices colligere, ſed captivos paulo poſt Chriſtianos ex annonæ defectu liberè abire, & deſperato ſuos furore, aſt exiguo in obſeſſores damno excurrere permiſit: ubi verò audiit Chriſtianos ultra Moravam progreſſos, nullamque modò, aut exiguam ſubſidii ſpem eſſe reliquam, hujus rei certitudinem indagare per nuntios ſibi petit concedi, antequam tam nobile Imperii Ottomannici propugnaculum & clavem extraderet; quo denegato, eiſdem quibus Agrienſes, Albaregalenſes, & Zigethenſes conditionibus offert deditionem, quibus invicem in urbe pactis, & à Cæſare ratis ac ſubſcriptis, 13. Aprilis Janizarorum Aga urbis claves holoſerico ſacco extractas ſub porta tradit Buthiano; hic poſtquam cum Czickio, aliisque tribunis urbem & valla perluſtraſſet, præfectum, primariuſque tribunos turcicos lauto ſub papilione in Raſciana urbe excipit convivio, & paucis pòſt diebus Legradum 600. eorum dimiſit Dravo Turcicam repetentes. Ingens ibidem repertus eſt bellicus apparatus, & præter 11. ferrea ultra 50. ærea variæ magnitudinis tormenta, Romanorum Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II. Rodulphi II. & Caroli Archiducis nominibus inſignita. Urbs non magnitudine, ſed robore præſtans, Styriæ confinis inter Dravum, Muhram, Salum & Rabam fluvios altis & longis inſita paludibus, ab Urſula Caniſia proprietaria Thomæ Nadasdi Palatini vidua cognominata in Maximilianum per commutationem tranſcripta, Anno 1572. 74. & 85. fruſtra à Turcis tentata, Anno 1600. ab Ibrahimo Baſſa immaturâ Paradeiſi præfecti deditione capta, aliquoties poſtmodùm fruſtra à Chriſtianis tentata, nonageſimo primùm hoc anno recuperata, magno Cæſaris & finitimorum gaudio.

Caniſia offert deditionem Buthiano.

Ejus deſcriptio.

Caroli Lotharingiæ Ducis mors & laus.

Quod inſperata, & toti Romano Imperio acerbiſſima Caroli V. Ducis Lotharingiæ mors, eheu! funeſtavit. Heros 50. annorum tot victoriarum, urbiumque victor, Oenoponte Viennam ad generale bellicum abiturus conſilium, Welſii, ſuperiore in Auſtria, levi primum ſed ſubitò ingraveſcente catharro, non ſine veneni ſuſpicione, deceſſit 18. Aprilis hujus anni 1690. Pridie obitûs quinque Principes ex Maria Eleonora Auſtriaca genitos ultimis propriæ manûs literis Cæſari commendans. Princeps Prudentiâ, fortitudine animi, militarique arte, in præliis præcipuè nulli ſecundus, in quibusvis periculis animo imperterritus, conſilio promptus, labore primus, miles ſimul & imperator feliciſſimus, longiori vitâ, & gloriâ æviternâ digniſſimus. Quatriduo ante, hoc eſt, 14. Aprilis Albæ Juliæ, Weiſſenburg inter comitia obiit etiam Michael Abaffius Tranſilvaniæ Princeps, ex antiquiſſima & nobiliſſima Abaffa familia, Ottomannicæ plerumque Portæ non ingratus; ideoque non annuum modò minuit tributum, ſed ſucceſſorem etiam primogenitum ejus filium deſignavit, & ducalia contulit inſignia. Ne quid autem diſcordiarum inter Ordines & Primates in provinciæ orietur detrimentum, Hâuslerus Cæſaris egregiè inter Patres egit partes, & jus fortiter contra Tôckelium defendit, qui Gallici interceſſione Legati collato ſibi à Soldano principatu, omni eundem ſtudio & arte occupare contendebat. Cui perfidi conſilio & auxilio favebant Walachi; & quidem primarius eorum miniſter Branckowejus Hâuslerum manibus Tôckelii traditurus deprehenſus, vinculis Viennam innodatus tranſmittitur, quo Ordines etiam Tranſylvanici ſuam aliàs liberam novi Ducis electionem Cæſaris diſpoſitioni offerebant, qui jure recens pactorum Michaelis filium ſibi paulò ante obitum commendatum inſtituit ſucceſſorem, Tranſylvaniamque & annexas ditiones feudi loco contulit. Tôckelius jus ſuum à Soldano ſibi collatum diſperſis ubique ſchedis & mandatis manifeſtans, moxque Seraskieri ope Ducatûs poſſeſſionem capturus, Widinum ad ripam Danubii opportunum in Tranſylvaniam aditum obſidione cingit, & militaribus per Mezzomortum navibus 10. Julii invadit: urbis præfectus traducto in arcem præſidio, poſtulatoque à Trautmansdorffio (qui Fetislaviæ cum 10000. ad Novigradum deſtruendum caſtra metatus) ſubſidio ſtrenuè ad 26. Julii ſe defendebat, uſque dum Trautmansdorffius adductis ad ripam Danubii tormentis in fugam hoſtem propellit: duplicato igitur Widini præſidio, firmatâque milite & tormentis Carolinâ, horâ infra Orſavam, inſulâ, Jagodinam, ubi totus congregabatur exercitus, regreditur.

Abaffi mors.

Tôckelius ducatum deſiderat.

Hâuslero patrocinante Cæſar ſubſtituit filium.

Tôckelius Widinum cingens à Trautmansdorffio repellitur.

Interea dum hæc fierent, Chriſtiani in Sclavoniam & Boſniam excurrentes non exigua hoſtibus intulere damna: Poſſegæ præfectus 15. Februarii noctu ſpeculatore ſubornante ſub porta Teenum illapſus urbem expilat, captoſque eximit Chriſtianos: inde Boſniæ metropolim Bagnialucam à Verbacio fluv. quadripartitam tumultuariè, duas ejusdem partes diripit, incendit. & inſigni ditatus prædâ Trinum quoque occupat, expilatum incinerat, & ultra quater mille Chriſtianis liberatis, Turciſque centenis aliquot captis, glorioſus Poſſegam revertitur. Novi ſimiliter præfectus dum plura oppida, arces & villas flammis, & diræ Boſniam exponeret fami, Kihaja Baſſa Novi, ſeu Novum, adoriri velle divulgabatur; ſed viſâ Croatiæ Bani ac Vice-Bani vigilantiâ decedit: niſi quòd emiſſitiæ

Cæſarei Teenum, Bagnialucam, & Trinum capiunt.

Ahhnanf. Hiſtor.

1691.

illius turmæ centum quinqoaginta Dubbicenſes excurſores inopinatè oppreſſos mactaverint, & plures abduxerint captivos: fratres econtra Philippns & Michaël Vidakowitii ad arcem uſque Kruppam excurrentes, cæſo ibidem Agâ & aliis plures retulere equos & captivos.

Turca Czernikum.

Centurio Schenkendorffius Pyroti præfectus circa Julium Czernicko oppido oppreſſo, cum 3. pecorum millibus vix reverſus, à ſupremo Veziero 80. millium exercitu cinctus, poſt quatriduanam defenſionem ultroneam fecit deditionem, liberè Niſſam traductus.

Precopiũ deſtructum.

Precopium mox Vezirius oppreſſurus, in aëra vibratum invenit, Antonio Raſcianorum centurione per invia montium Cruſſawicium cum ſuis fugiente. Hic tumultuarius hoſtis adventus Viennam ſubitò delatus, in campum vocat Ludovicum Badenſem, in nupero bellico conſilio deſignatum exercitûs Ungarici Archiſtrategum cujus hucuſque vices gerebat Comes Veteranus, cuncta ubique, quantum licebat, in defenſionem diſponens, ter mille Germanos pedites, & 500. equites cum ſufficienti commeatu, apparatuq; bellico imponit Niſſæ, cui in locum Comitis Jòrgeti ægrotantis præficit Guidobaldum Starrenbergum, & comitem Marſiglum machinatorem; ipſe verò Jagodinam abit ad exercitum viribus undequaque auctum; Badenſis antem invitus quodammodo, & imminenti diffidens expeditioni tardior diu Viennæ commoratus, tandem Jagodinam ſexto idus Auguſti venerat in caſtra, ſufficiente milite, ut prævideerat, haud ſatis inſtructa; ibidem audit Niſſam 13. Auguſti à Vezirio 30. peditum, & 10. equitum millibus cingi obſidione; Widinum à Seraskiero decem millibus impugnari, & à Tôckelio ſexdecim invadi millibus Tranſilvaniam poſſidendam. Convocato properè conſilio cùm utrobique ſuccurri non poſſet, relictis oppidis Niſsâ & Widino, toti potius Provinciæ ac Ducatui Tranſilvaniæ ſuccurrendum decreverunt. Duabus jam urbis Niſſæ deditionem literis poſtulaverat Vezirius, cui dum Starrenbergus reponeret: nullum in urbe adeſſe hominem, qui turcicas legeret intelligeretve literas, urbemque excurſionibus & tormentis fortiter ac generoſe defenderet; ille continuis econtra tormentorum ictibus acriter eam & aſſultibus arietans, acclivem interioris foſſæ murum (Contraſcarpe) tandem occupat. Starrenbergus deficientibus morbo tribunis, & quòd nulla ſpes ſubſidii ſupereſſet (Badenſis enim cum exercitu in Tranſilvaniam magnis à Tôckelio viribus ſubdolè invaſam properabat) honeſtis urbem 8. Septemb. tradit, ſecurè & militariter diſcedendi conditionibus; ſed perfidi Tartari non tantùm potiſſima præſidiariorum impedimenta diripuêre, ſed alio etiam in loco ad internecionem omnes mactaſſent, niſi mutatâ Starrenbergus mente Semendriam abeundo periculum declinaſſet.

Badenſis Jagodinã venit. Niſſam Vezirius, Widinum Seraskierus cingunt, Tôckelius Tranſylvaniam invadit.

Niſſa Turcis deditur.

Tôckelius Hauslerum & March. d'Oria cadit & captivat.

Niſsâ necdum captâ Tôckelius interea juſto 24. millium exercitu ex Ungaris rebellibus, Walachis, Tuſcis, Tartaris & Gallis confluxo Coronopolim verſus in Tranſilvaniam tentans irruere, ab Hâusleto viribus licet impare (quatuor ſolùm germanicis legionibus equeſtribus non integris valebat, & 5. Tranſilvanorum millibus) ibidem impeditus, alibi Peretzerum acceſſum perrumpit, fruſtra Germanis ſtrenuè licet obnitentibus: & quia ruſtici per ſecretas montium vias & diverticula plures Tôckelianas turmas introduxerant. Hâuslerus hoſtium multitudine circumdatus opprimitur: pugnant leonum inſtar Germani, & initio etiam Tranſilvani; ſed cæſis Telekio Tranſilvanorum, & Pallizano Walachorum (hic recens Cæſaris ſecutus partes) Archiſtrategis, fugâ ſibi conſulentes, reliquos vix 2500. Germanos deſtituerunt. Cecidêre Germanorum 1200. captus Marchio d'Oria, reliqui fugâ elapſi Hermanopolim; Comes Magni verò à ruſticis Germanos ubique obſervantibus interemptus, aquis fuit immerſus: & Hâuslerus trajecto equo à Tartaris in fuga Coronopolim interceptus, cum Marchione d'Oria Tôckelio donati in triumphum fuêre abducti. Pallizani caput Walachiæ Ducis haſtâ tranſfixum ante ſuum expoſuit papilionem; Telekii autem cadaver uxori, caput Soldano tranſmiſſum Adrianopolim victoriæ teſtem, cum multis ſignis & tympanis. Tôckelius ſubinde panem & vinum Hâuslero ſubmittens ajebat, meliora ſubmiſſurum, niſi ſuis à Cæſare orbatus eſſet fortunis; curam ſe tamen illius habiturum, permiſitq; ut ſuæ per curſorem uxori captivitatis ſignificaret conditionem. Poſt hæc glorioſâ uſurus victoriâ, Coronopolim, ſed machinarum defectu fruſtra tentat; præfectus autem urbis poſtmodum civibus diffidens dum omne in arcem contrahit præſidium, Tôckelius urbi milite deſtitutæ neutralitatem, uſq; dum totus ei ſubjiceretur Ducatus, permittit; ad quod omnem circumquaque provinciam minis ſollicitabat & blanditiis. Abaffius ècontra & Tranſilvaniæ Ordines hac quidem ſtrage territi, indictis Claudiopoli comitiis, Cæſari patriæ periculum denunciantes, ſubſidium efflagitant, ſuamque confirmantes fidem ſtrenuam patriæ ſagum inducturi promittunt defenſionem. 1691.

Pallizanus Walachiæ D. & Telekius necati.

Tôckelius Coronopolim ſubjicit.

Abaffius Cæſaris petit ſubſidium.

Varadinum abeunte Corbello Schlickius arctius includit.

Porro Major-Varadinenſes fame ad extrema per tribunum Corbellum redacti jam deditionem meditabantur; ſed tumultuaria Tôckelii in Tranſilvaniam irruptio reddit pervicaciores; imo Corbellum inde cum ſuis ad Badenſem revocatum exercitum à tergo aggreſſi, ſed generosè repulſi, temeritatis ſuæ dedêre pœnas, & arctius à Schlickio (qui Corbello cum aliis ſucceſſerat copiis) ſunt incluſi. Badenſis interim viribus longè Turcis inferior (15. Germanorum millibus præter Raſcianos & Ungaros ejus valebat exercitus) non tantum de Niſſæ, quàm Tranſilvaniæ, ut dixi, ſollicitus periculo, cum potioribus copiis & ſtrategis Veterano, Seravio & Heiſtero 4. Septembris haud procul Semendriâ Danubium trajiciens, reliquas Aſpermontio committit legiones, ut conſervaret Semendriam, Cæſareanis, ut ſperabat refugium, ſi forte Tranſylvanorum perfidiâ expellerentur. Aſpermontius igitur protribunum Weingartlerum cum 400. peditibus Semendriæ fortiter defendendæ immittit, ipſe cum legionibus aliquot ſubit Belgradum omni ferè bellico apparatu & munitione deſtitutum, & ad loci defenſionem tum temporis viduatum; potiſſimus enim inde apparatus ad conſervandam Niſſam deportatus in hoſtium poſtea cum 108. machinis muralibus venit poteſtatem, qui captâ, ut dixi, Niſsâ Semendriam aggreſſi, iteratis inſultibus ad ultroneam Weingartlerum coëgerunt deditionem: dumque de conditionibus paciſceretur, Turcæ in altera urbis parte aquam collo tenus tranantes, & turrim aquariam tranſcendentes tumultuariè urbem occupant, & omnes præſidiarios, Germanos 500. totidem-

Semendria Turcis dedita.

1691.

demque nationales occidunt. Ramm- & Colum-bacenſes præſidiarii deſtructis noctu oppidis Orſavam fugerunt; quemadmodum Ralitſchenſes & Widini poſt trid-aut quatriduanam defenſionem ſe ultra neceſſitatem tradentes Orſavam quoque conceſſeruot: quam Seraskicrus fruſtra adortus Temeſwatium, Giulam & Varadinum longinquâ proponit liberare obſidione.

Badenſis in Tranſylvaniâ veniens Tôckelium expellit.

Badenſis Karanſebæ 8. Septembris Capra-Crojan-Herbevillanâ legionibus confirmatus, magnis in Tranſylvaniam paſſibus veniens, Portam ferream, arctum ejuſdem acceſſum lignis concædibus & milite opportuno adhuc tempore communit, quo eundem Petrozzius Tôckelianis præoccupare copiis ſerius adventabat. Badenſis autem ut Walachiæ Ducem, Tôckelio adhærentem divelleret, ſupremum Raſcianorum Capitaneum Antonium manu & conſilio ſtrenuum cum legionibus aliquot Raſcianorum, & Orſavienſibus præſidiariis Walachiam jubet infeſtare, dum Tôckelius militares ubiq; ab Hermanopoli uſque Coronopolim exactiones miois terroreque extorqueret, & comitia 18. Septembris Albæ Juliæ Ordinibus indiceret. Abaſſius èontra Claudiopolim Status coovocat: quibus, neglecto Tôckelio, de patriæ ſalute ſerio conſulentibus, certum Cæſaris adeſſe ſubſidium perſuadens, in ejuſdem fide confirmat; jamque 28. Septembris Mullenbachium & Szawaroſchum prætetiens Badenſis Hermanopolim promovet exercitum, relictoque in præſidiis peditatu & impedimentis, cum equitatu inſequitur Tôckelium nullibi conſiſtentem, & dilabentibus ab eo Turcis, Tartaris & Walachis trepidè io Walachiam auffugientem.

Eam undique oppeſſulans proditores punit.

Tum ut reditum oppeſſularet, omoes è Walachia in Tranſilvaniam acceſſus obſtruit, ſilvamque ab indigenis per tria milliaria concædibus munire imperat, atque ita ad Claudiopolitana profectus comitia, dyoaſtarum Tôckelio adhærentium bona fiſco voluit adjudicari, & Medwiſchenſes, Schosburgenſeſque annonam & neceſſaria eidem ſubminiſtrantes carcerum pœnis ſubjici: Ordinum denique conſenſu præter admiſſum jam peditatum ſeptem germanicorum equitum legiones in provinciæ præſidium & defenſionem ſunt diſtributæ.

quàm hic proſperè, tam in Servia infeliciter res Chriſtiano-Cæſarea agebatur: nam Aſpermontius Belgrado metuens, illud pro temporis brevitate communire, bellico inſtruere apparatu, & robnrare milite, quibus Stattenbergius cum Nuſſenſi accedebat præſidio; hic autem ad Savi tractum Hoffkirchio valetudinario in præfecturam ſucceſſurus abibat. His vix peractis eo coovolant 20. Tartarorum millia circumquaque cuncta cæde & igne peſſundantes, & 1. Octobris ſupremus ipſe Vezirius cum 40. millium peditatu urbem circumvallat. Aſpermontius incenſo ſuburbio imperat Archinto tribuno præſidiarios in urbem & arcem coontrahere, legioneſque Salmenſem, Averſpergenſem, Welsbergenſem, Herberſteinianam, Jôrgericam, Archinthicam & Aſpermontanam à Semlina ad alteram uſque muri aquarii portam, inde Palficam ad Danubium diſponere, ad Archinticam denique ante urbem domum centum deſtinare præſidiarios.

Turcæ Belgradum cingunt.

Turcæ autem urbi appropinquantes prædictam domum 2. Octobris adorti, omnes mactaſſent defenſores, niſi Welsbergius, Palffius & Archintus generosâ iis fortitudine ſuccurrentes, & in urbem reducentes ultra mille hoſtium proſtraviſſent. Penetravit interim urbem 8. Octob. Dux Crojus, à Cæſare urbis deſignatus præfectus, qui ejuſdem luſtratæ ſtatum, munitionem & præſidiariorum numerum Cæſari literis ſignificaturus terribilem audit fragorem, quo plurimorum ædificiorum, granariorum, murorum caſtrenſium & arcis ruinâ, paratos ad excubias 1100. milites in aggeribus, vallis & foveis defenſores, & in navibus adeo nautas horribiliter opprimit, & ingentem hominum edit ſtragem; paulò poſt pulveris nitrati 3000. centenariorum fornices prædictâ concuſſione divulſi concepto pyrobolorum igne, quod urbis reliquum erat, everterunt.

Et igne ſubvertunt.

Subſidente paulatim pulvere & fumo, dum Turcæ per murorum ruinas urbem turmatim involant, læſos & ambuſtos interficiunt; reliqua inſuper armamentaria igne evibrara plurimos opprimunt Ottomannos, in urbem ulterius progredi metuentes.

Crojo, Archinto, Aſpermontio Petrovvardinum fugientibus, & Eſſecum.

Vix Crojus, Archintus, Aſpermontius & alii pauci navibus Petrowardinum & Titulium ſunt elapſi, fortiſſimæ & veteranæ octo legiones aut contritæ, aut combuſtæ, aut mactatæ, aut oneratis nimium navibus cum tribuno Herberſteinio, & vigiliarum præfecto Keſſelſtadio, electoris Trevirenſis oepote, ſubmerſæ: tribuni vero Welsbergus, Gorizius, Sommerfeldus, protribunus Pacius, vigiliarum præfectus Pezzius, & omnes centuriones & ſuccenturiones &c. interempti ſunt: tota etiam civitas ita deſolata & funditus eſt everſa, ot propugnacula, curules ultra 100. machinæ, vallaque omnia nulli fuerint uſui aut defeoſioni, eaque paſſim everſio ab hoſtili ferebatur pyrobolo cauſata; ſed non ſine veriſimili ſoſpicione occultos nefandâ & proditoriâ nequitia ignes injeciſſe Gallos, qui Philippopoli in Germania ad Cæſareanos ſtudio, vel conniventibus tribunis transfugæ, eodem incendii die ex urbe deſertores ad Turcas tranſierant, ingenti & irreparabili Chriſtianitatis, & imprimis Ungariæ (cujus traditâ barbaris clave liber jam datur acceſſus) damno & periculo; maximéque etiam tot veteranorum Cæſar militum deplorabat ruinam & ſtragem, elapſis ſolummodò ſexcentis.

Non ſine ſuſpicione gallorum ſtudio incenſum.

Ulterius avertendo periculum Crojus extracta tumultuariè Walcowario, Petrowardino, Illoco, Sabacio, aliſque Turcarum periculo expoſitis oppidis præſidia 1500. Eſſecko imponit, exigui quidem munimenti, ſed non exigui momenti tranſitum Dravi omni conſervaturus conamine.

Eſſecum Huſainus Baſſa cingit, defendit Crojus.

Huſainus autem Baſſa (alii Muſtapham Boſniæ præfectum fuiſſe ajunt) cum 15. Turcarum millibus illud occupare juſſus, 30. Octobris neglectâ circumvallationis lineâ, cæco & furioſo invadit impetu, nullo aggere, ſolis ſudibus munitum; ſed præſidiariorum virtute rejectus, 3. Novembris machinis bellicis acriter flagellat, & ex foſſis caſtrenſibus ſine intermiſſione grandinat, noo ſine Croji, hoſtiles operas explorantis periculo, quem Turcæ obſervantes pileum, fictumque capillitium globo ſtrinxerunt; biduo autem poſt præſidiarii mille equites & trecenti pedites excurrentes caſtreoſibus eos non ſolùm ejecerunt foſſis & everteruot, ſed quinq; etiam vexilla variaq; arma, cæſis eorum 300. renulerunt. Eo hoſtis actus furore, cum vix 15. paſſibus vallaribus abeſſet ſudibus, decretorium videbatur im-

1690. impetum parare; ad quem fortiter excipiendum retundendumque ſe ſtrenuè Guid. Starrenbergus accingebat. Sub hæc tres capti Turcæ interrogati, cur tam cœco Huſſainus furore & impetu urgeret obſidionem? reſponderunt, famam paſſim in eorum caſtris circumferri, magnum Chriſtianis ſub Buthiano advolare ſuccurſum.

Huſſainus ſtratagemate Croji deceptus aufugit.

Hic Crojus utendum Stratagemate illuni nocte jubet 400. equites laxatis & tardis paſſibus à Dravi litore Eſſecum per pontem progredi ſub variato tubarum tympanorumque, ſonitu multiplici, quibus alii tympaniſtæ obviam occurrentes fiſtulis & tympanis ingentem peditum & dimacharum numerum cùm præſentaſſa, tùm adventantem fingebant. Quo hoſtis perſuaſus & deceptus ſequenti nocte convaſatis tacitè levibus impedimentis ad caſtra relicto Eſſeco reverſus, magnâ in Boſniam celeritate fugit. Die altero inſcius horum Crojus, ubi hoſtium fugam intellexit, inſequi jubet; ſed præcipitanter elapſus in caſtris ſuis quatuor bellica tormenta, 2. mortaria, & ingentem bellicum reliquit apparatum à præſidiariis in munimentum ſingulari gaudio traductum: genu enim tenus aquis paludibuſque inhærentes, multo labore & difficultate vix oppidū conſervaſſent, niſi Crojus certâ ad veſperum ſtipe, per diem verò carnis librâ & vini amphorâ ſingulos recreaſſet, animaſſetq; in pugnam pedites in mortis pericula paratiſſimos. Atque ita deſtructis hoſtium foſſis caſtrenſibus, aggeribus aliiſq; operis complanatis, Crojus Guid. Starrenbergum loco præficiens Viennam diſcedit, ei de loci conſervatione gratulantem; quem tamen Cæſaris imperio ob infirmitatem, & amittendæ militiæ periculum in aërem evibrare debuiſſet: Baſſa autem fugiens laqueum incurrit.

Huſſainus laqueo perit.

Turcæ tentato fruſtra Eſſecko haud procul Temeſvario XX. millia Rebellium, Turcarum & Tartarorum credebantur Karanſebem & Lugos aggreſſuri, haud ſatis munitas, quare præſidiarii eis ſponte deſertis in Tranſilvaniam profugiunt, & Turcæ Lippam invadunt, poſtque 9. dierum obſidionem ex annonæ defectu per ultroneam occupant deditionem, dimiſſis liberè militari more 1400. præſidiariis: inde Debrecinum procedentes militare circumquaque ultra Tibiſcum tributum, & literis fanl S. Jobi traditionem exigebant; quâ generosè denegatâ, aggredi nequaquam auſi, Zolnockenſem potius pontem impetere videbantur, cuncta cis Tibiſcum ferro & flammâ everſuri. Cui dum Badenſis oppoſuiſſet General. Nigrellum, IV. legionibus confirmatum, Claudiopolim in Tranſilvaniam iter mutaverunt; quam etiam Tôckelius Turcarum auxilio auctus prope Coronopolim perrupturus, ſiſtitur à Generali Veterano ibidem invigilante, inſequenteque mox Badenſi Turcas, illi ſublatis prope Claudiopolim caſtris per montium avia Temeswarium uſque fugantur; & Tôckelius undique cinctus, in Walachiam adhuc patulam reverti & fugere cogitur, certaminis alcam non auſurus. Anno jam penè evoluto miles uterque ad deſiderata ſuſpirabat hyberna, quæ ſuis Vezirius deſignavit Bulgariam, Albaniam, & Boſniam, Belgradoque reſtaurando impoſuit VIII. præſidiariorum millia, qui iteratis paſſim excurſionibus Chriſtianos adeo infeſtabant, ut deſertâ Gradiſcâ, & incineratâ Poſſegâ Velickam aufugerint, coactique Orſavam, & infrà oppidum Carolinam inſulam, pactâ incolumitate ultro-

Turca Lippam capiunt.

Turca & Tôckelius Tranſylvania ejiciuntur.

Poſſegâ, Orſavâ, & Carolinam inſulam occupant

neè tradere; ſed captâ Turcæ cum 28. tormentis inſulâ & urbe, præfectum & 800. præſidiarios cum liberis & uxoribus Belgradum perfidè traductos vinculis & crudeli ſervituti mancipa- 1690.
runt.

Proſper hic turcicæ expeditionis exitus ad majora Muſelmannos excitabat proximè tentanda; nam licet Veneti poſt 17. menſium obſidionem 20. Auguſti Neapolim di Malvaſia, ſeu Epidaurum, Caninam & Valonam Turcis hoc eodem anno per Cornarū eripuiſſent, claſſemq; turcicam fatiſcentibus tribus militaribus, & unâ prætoriâ navibus in turpem egiſſent fugam, his alto præteritis ſilentio, obtentas in Ungaria victorias magnâ ubique per imperium divulgabant jactantiâ, ut majori Ottomanos promptitudine ad proximam expeditionem, & neceſſarios belli ſumptus rejecto pacis ſtudio allicerent. Id quod maximè promovebat, urgebatq; gallicus ad Portam Ottomannicam legatus Chaſteauneufus, ne Sultanus Angliæ Regis Wilhelmi legatum Adrianopolim pacis promovendæ causâ ablegandum, negata liberi commeatûs tesserâ admitteret, neve Regem, ſed Auriacum, ſeu Orangiæ ſolum principem agnoſceret, admitteretque: verùm ſtudia ejus expectationi ſuæ non reſponderunt.

Venetorū victoria.

Chaſteauneuſus Gall. legatus pacem impedit.

Badenſis interea deſignatis militi hybernis, cunctiſq; neceſſariis ad vigoroſam defenſionem conſervationemq; Tranſilvaniæ diſpoſitis, Viennam ad militare contendit conſilium; ubi benevolè à Cæſare exceptus & laudatus eſt, quòd Tranſilvaniæ Ducatum præſentiſſimis expoſitum periculis, tam paternè prudenterq; tam exiguo copiarum numero eripuerit; nihilo tamen minus ſequentis ille expeditionis Ungaricæ dux eſſe recuſabat, ob inſolentem Ungarorum & Tranſilvanorum aliquorum perfidiam; verum quia hoſtium erat terror, celebris ubique Regni aſſertor, totiuſq; Regni ac provinciarum illarum habebat notitiam, Cæſaris inſtantiâ Archiſtrategi ſe magiſtratu non potuit abdicare; ſed ad feliciorem omni ſtudio & ſollicitudine cuncta conferebantur expeditionem: qualem ſibi etiam Veneti ex proſpera Butrinti in Epiro per architalaſſum Dominicum Mocenigum occupatione pollicebantur. Nihilominus ſperabant Turcæ, nec deſides in hybernis otiabantur; ſed ubique Chriſtianos infeſtabant; non ſemper tamen feliciter: Præfectus Temeswarinus advocatis ad ſe Walachis & Tartaris viam in Tranſilvaniam præparaturus, Maroſchium fl. pertranſire moliebatur; Bolandus autem conſilii conſcius dum advenientes cædit Walachos, eorumque impedit conjunctionem, tentat Temeswarinus Caranſebem, jam antè à Bolando 300. Raſcianis, & majoris ſpe ſuccursûs confirmatam. Adeſt hic etiam opportuno tempore Bolandus, & diſpoſitis altiori loco campeſtribus aliquot tormentis copioſiorem in valliculo militem fingens, hoſtem feliciter, cæſis, vulneratiſque pluribus ab urbe repellit. Eâdem Raſciani fortunâ emiſſariam Turcarum turmam haud procul Illoco proſtravêre, captis præter 40. gregarios tribus Agis & 2. ſigniferis, cum 3. ſignis equeſtribus, quorum unum in fortitudinis, & fidei ſuæ teſtimonium, mille præterea gentis ſuæ viros in militare Cæſari offerunt ſervitium, neceſſarius modò eis commeatus ſuppeditaretur. Majora ſpondebant Ordines Tranſilvanici, qui provinciæ regimen ſub Cæſaris protectione deferentes Abaffii filio

Badenſis recuſat eſſe archiſtrategus.

Mocenigo Butrintum capit.

Bolandus à Caranſebe Turcas abigit.

Raſciani prope Illocum Turcas proſternunt.

Tranſylvani ſub Cæſaris tutela Abaffio aulam inſtruūt.

1690. filio mioorenni, cum ejuſdem Cæſaris approbatione eidem addiderunt aulæ præfectum Georgium Pampſium, Georgium Bethlemum, ſupremum Archiſtrategum, Cancellarium Nicolaum Bethlemum, Srephanum Aporem theſauratium, conſiliarios denique Julavium & Reteſteſchium, ſpondebantque annuè bello durante ducenta florennrum millia, totidemque in frumentis perſolvere.

Solimannus triũphaliter Conſtantinopolim ingreditur.

Dum hæc fierent, Solimannus III. magnus Soldanus relictâ Adrianopoli, Orientis Imperii ſedem Conſtantinopolim proſperâ; prioris anni expeditione elatus, ſolemni pompâ glorioſus ingreditur; vexilla enim in Tranſilvania Serviaque capta triumphali currui, in quo auro & gemmis fulgebat Solimannus, præferebantur, quem in aurea, ſed ferreis deauratis cratibus obſtructa rheda præcedebat Mahomet IV. cum duobus filiis aureâ captivitate vinculatus, ponè autem ſequebantur ſupremus Vezirius Kuperglus, & VII. alii Baſſæ, Divani conſiliarii, cum innumeris præfectis, Satrapis & aulicis, feſtivo, & pretioſo omnes ſplendore arroganter fulgentes, totaque effuſo gaudio civitas ignibus, clamoreque Solimanno Imperii Ottomannici aſſertori applaudebat. Hunc arrogannæ applauſum gallicus ſecundabat legatus Chaſtcauneuſus, qui feſtivo ſimili triumpho Regis ſui Ludovici XIV. contra Germanos, Hiſpanos, Anglos, Sabaudos, & Batavos confœderatos obtentas celebravit victorias, facibus, ignibus & epulis faſtuoſas.

His vixdum peractis Vexirius recuperatâ, ſeu potius ab ipſis deſtructa Venetis Valonâ, in Ungariam ad maturandam hujus 1691. anni
1691. expeditionem cuncta adornabat. Haud ſegnior Cæſar Eſſeckum, primum haud dubiè offenſionis lapidem impetendum, probè communire, & copias ibidem ſuas jubet congregari, cujus

Irricum caſis Turcis opprimitur.

præfectus cum mille Raſcianis Walchovarii collectis Irricum, & finitima tumultuariè loca opprimens, cæſis cum Baſſa plurimis, ſupra 78. ſpoliorum currus, generoſiſſimoſque equos, & Baſſæ fratrem captos abducit: obviam cum 200. equitibus Cattanam Muſtapham Baſſam convertit in fugam, & emiſſitiam Turcarum turmam profligat, baud paucis eorum captis, & moltis Chriſtianis libertati reſtitutis. Raſcianorum præterea Capitaneus Antonius audiens Caraſtabati præfectum cum parte præſidii aliò excurriſſe, noctu revertentem. Se ſimulans præfectum, admiſſus, levi manu locum occupat 1691.

Antonius Raſc. capitaneus Caraſtabanum occupat.

altiſſimis inſiſtentem montibus, muro, munitionibuſque roboratum. Atque ita Cæſareanis prævalentibus, & Eſſeckum confluentibus, maturata admodùm Turcarum priùs expeditio periculosâ & fatali retardabatur factionum diſcordiâ: nam Mahometis IV. fautores ejuſdem filium è carcere ad thronum, dejecto Solimanno evecturi, evulgabant in plebem, honeſtas à Chriſtianis oblatas pacis conditiones à Solimanno, Vezirio, Tefferdaro, & Tôckelio rejectas,

Factiones & tumultus Turcarũ.

ambabus omnino manibus in boc periculoſiſſimo vacillantis Ottomannici Imperii ſtatu amplectendas: pacem inclamabat plebs Conſtantinopolitana: Solimanni depoſitionem, & Mahometis filii ad thronum elevationem, Vezirii denique, Tôckelii, aliorumque pacem averſantium ſupplicium exigebat miles Aſiaticus longinquis pertæſus, enervatuſque itineribu- & exactiooibus; urgebant Spahi & Janizari reſtantia, cuproque meliora ſollicitaotes adeo tumultuoſe ſtipendia, ut Solimannus ſeditioni ſe ſubtrahens Conſtantinopoli, ægrâ licet valetudine diſceſſerit Adrianopolim, legato comitatus gallico, qui ſpecioſis etiam pacem diſſuadens rationibus belli promovebat continuationem; jamque plures cum copiis ſuis Baſſæ Belgradum petebant, multi etiam jam tranſierant Dravum; ſed Adrianopolim ſubitò revocati, Petrowardinum, Illocum, & totam fermè Sclavuniam deſeruerunt, factionum tumultibus implicati, quæ Cæſareani, & recuperatam ab Huſaris inſulam Orſavam mox occuparunt. Tandem tamen Vezirius factionis, ſeditioniſque vix flammas ſuâ extinxerat pru-

Solimanni Soltani mors ſucceſſit frater Achmet II.

dentia, cùm mors Solimanni ſpiritum 21. Junii Adrianopoli extinxit hydropi, aono ætatis 50. regiminis tertio: ſucceſſit ejuſdem frater Achmet, Vezirii maximè ſtudio, ac Divani, exercituſque favore, contradicentibus non paucis, Muſtapham Mahometis IV. exauctorati filium, omnibus bellicis politiciſque exercitiis exercitum poſtulantibus, & Achmetem à nooo ætatis anno carceri incluſum, ac regiminis omnino incapacem rejicientibus, quorum primarios Vezirius ad inſulas Rhodum, Lemnos, ac Cyprum relegans, reliquos continuit terrore, & Conſtantinopoli Achmetem II. Imperatorem proclamavit.

RERUM HUNGARICARUM
LIBER XLIX.

Ludovicus R. Galliæ Wilhelmum Regem Angliæ non agnoſcens pacem impedit.

INterea temporis Rex Angliæ Wilhelmus (quem, ut dixi, Ludovicus Rex Galliæ regem nolebat agnoſcere, eo quòd ſuum in Galliam profugum ſocerum Jacobum II. Angliæ Regem, cujus filiam Mariam Wilhelmus duxerat, regno Anno 1689. expulerat, quòd Jacobus Mariâ legitimâ filia ſuâ, & regni hærede præteritâ & excluſâ, alium illegitimum hæredem & ſucceſſorem, uti ex more patriæ regio ſemper puerperio præſentes regni epiſcopi conſtanter aſſerebant, vellet ſupponere) pacem Cæſareo-Turcicam non tam deſiderabat quàm ſtudioſius promovebat, ut retractis ex Ungaria, confœderatiſque unitis Cæſaris viribus, Galli Germaniam, Belgiumque perfidè invadentes efficacius poſſent repelli.

Quam Turca ſuſpirantes Huſſejum Angliæ legatum admittunt.

Miſſus itaque Viennam eques Wilhelmus Huſſejus, expeditis cum Cæſare negotiis ſolemniſſimè tanquam Regis Angliæ legatus, & pacis caduceator Adrianopoli à ſupremo Vezirio quamprimum ad alloquium ſummâ admiſſus benevolentiâ, & ab Ottomannica ubique plebe, ac imprimis Byzantina poſtmodùm eſt veneratus.

Badenſis cum exercitu Vezirium inſequitur.

Nihilo tameo minus Cæſareus ad finem Junii exercitus tranſito juxta Budam Danubio, Tolnæ biduo quieſcens, ad Mohacianos per-

Iſthuanf. Hiſtor.

1691. venit campos, olim Lodovici Regis, & Nobilitatis Ungaricæ, rerens verò 1687. Turcarum ſtragibus celebres: inde Badenſis habito prius armiluſtrio Dardam attingens, Effeeki fortificationem, legiooeſque ibidem confluxas perluſtrat: tum conjunctis ſibi copiis Brandeburgicis Walcowarii exercitum diſponit io aciem, alæ dexteræ ſupremum militum præfectum Beckium, & propræfectum Starrenbergum, ſiniſtræ præficit Barfuſium & Brandium ambos Brandeburgicos, atque ita tranſmeato Walpone fl. Petrowardinum, inde Belgradum verſus ſine remora petit, ubi haud procul Semlino ſupremus Vezirius ad Savum cum centum millium exercitu confidens flumen dicebatur tranſiturus, quem ardenti nimiùm deſiderio Chriſtianus expectabat, ſed fruſtra, quia Vezirius triginta circiter Tartarorum millia (quorum ſupremus Chamus ſub hujus anni initium ex vulnere manûs in nupera velitatione accepto obierat) adhuc expectabat, qui per Walachiam & Moldaviam invaſuri erant Tranſylvaniam; ſed propter barbaram, etiam in amicos & ſocios, crudelitatem, tum etiam oblatâ ab Hoſpadaribus, ſeu Ducibus pecuniâ, tum acceſſibus à Veterano probè communitis, impediebantur; dum interim Caunitius Jacovarium deditione capit; ſed fruſtra tentatâ Poſſegâ per advolans Turcarum ſubſidium repellitur.

Jam quarto Idus Auguſti in mutuum uterque venerat exercitus conſpectum, atque ita Chriſtianus hoſtili appropinquaverat, ut Turcæ in aciem prodituri, aut Chriſtiani eorum invaſuri caſtra crederentur: verùm eodem 13. Auguſti die germanus referebat transfuga Turcarum ſtativa abſque multo ſanguine perrumpi non poſſe: id quod exploratores confirmabant, Turcarum caſtra ab arce Zingas lineâ rectâ Semlinom uſque altis latisque foveis & receſſibus, munitionibuſque æquali diſtantia circumvallata, & campeſtribus 150. tormentis validè communita. Conſilio igitur bellico invaſio diſſuaſa; & quia nec pabulario Turcis, oer commeatus interdici poterat, Badenſis conſultò annonæ proximioris causâ reditu Salankamentum petit: Vezirius autem ubi Chriſtianum opitione minorem conſpicit exercitum veluti fugientem, extrema ejus agmina per expeditos ſex mille equites continuò jubet laceſſere, toto mox exercitu inſecutus, magnâ celeritate præveniens editiorem proximum Salankemento locum à Badenſi jam exquiſitum præoccupat: ubi accidit, ut Boucquojana levis armaturæ legio, cum aliquot militum ſupplementis, & 200. annonariis curribus, ſexcentiſque boum jugis ab hoſtium multitudine circumdata penitus, paucis vix elapſis, fuerit deleta: & quod pejus erat, Vezirius caſtris opportuniori loco per duas ab Danubio horas probe loricatis, & foveâ per centenas paſſuum diſtantias aggeribus per gallicum machinatorem incredibili celeritate communitis, commeatum annonamque Petrowardino Chriſtianis tranſportandam interdixerat. Hæc neceſſitas generoſam Badenſis, Chriſtianique exercitus acuit fortitudinem irruendi in hoſtem, quantumvis fortiter vallatum: nam decimâ nonâ Auguſti horâ circiter pomeridiana Chriſtianus Dux Holſatiæ cum ſua & Neoburgica legionibus primum tentat in hoſtem impetum, editiorem ambos inter exercitus locum occupaturus, cui ſuccenturiati Guid. Starrenbergus & Soucheſius dexteræ alæ præfecti cum 20. agminibus (Battailion) tam generoſa hoſtium caſtra aggreſſi ſunt fortitudine, ut ipſas penetrârint foveas, acerrimè ab ingenti Janizarorum multitudine defenſas: his ſuccedens hoſtilis equitatus & tormenta vigorosè reſiſtebant equeſtribus Holſaticæ, Neoburgicæ, Styrumicæ & St. Croyx legionibus, & quia ſiniſtra Chriſtianorum ala propter ambages, & ſylveſtrium graminum copiam cum hoſte necdum poterat confligere, totus Turcarum equitatus dexteræ Chriſtianorum alæ terribiliter incumbit, legioneſque Seraviam, Caprarianam & Beckianam cum reliquis furiosè repellit, turbat, perrumpit, profligat. Adeſt opportunè deſperatis fermè Badenſis, qui reductis, ſubitoque in ordinem reſtauratis Seraviâ & Capraria na legionibus furentem adeo hoſtem inauditâ fortitudine ira retundit, ut quieſcere paululum hoſtis videretur quaſi enervatus aut victus; ſed reſumptis mox animis & viribus latus Chriſtianorum incurrens, magnam Beekianæ & Taunianæ legionum partem cædit, donec ſuccenturiatæ Hohenzollerana & Doriana legiones ſuccurrerent, ordines cunctaque reſtituentes, hoſtemque repellentes; qui reſtauratis ſubitò viribus & ordinibus ultimam tentans fortunam eandem ferociter dexteram alam toto rurſus equitatu aggreditur; ſed generoſâ virtute, & tormentis media ex acie huc traductis non exiguâ rejicitur ſtrage. Badenſis interim hinc ad ſiniſtram properat alam, cum hoſte nunc etiam acriter, fortiterque velitantem, ejuſque ductu Dunwaldus, Styrumius, Fridericus Caſtellus, & Hoſtkirchius hoſtem à latere, & à tergo feliciter incurrunt; Hungari autem & Raſciani equites 5000. pleno impetu hoſtis ſtativa penetrantes cuncta cæcè proſternunt, legioneſque Hoſtkirchiana, Baſompiertiana & Rabautina turbatos confuſione Spahos & Janizaros inſilientes internecione mactant, reliquus equitatus turcicus per mediam Chriſtianorum aciem fugam corripiens, ex utroque latere veluti virgatus inſigni fuit ſtrage exceptus; fit miſera ubique cædes & fuga, relictis totis caſtris, impedimentis omnibus, & ærario caſtreoſi, inventæque grandes ſunt arcæ quinquaginta quatuor cupro ſignato, aliæ viginti veſtibus repletæ, multa præterea centena pannorum volumina, 158. tormenta bellica, & ſpolia opulentiſſima in poteſtatem Chriſtianorum digniſſimè admirabili ſua & poſteris ſemper laudanda fortitudinis conſtantia meritorum venerunt, quorum tum cæſa, tum vulnerata univerſim fuêre 6000. adnumeratis ægrotis & illis, quos pirata Mezzo in navibus annonariis Salankementi oppreſſis proſtravit abduxitque, & Boucquojana devoravit ſtrages (quorum tamen plures poſt prælium elapſi ad ſuos redierunt) ſanguine & glorioſa morte hanc tam nobilem Chriſtianitati pepererunt victoriam, Chriſtianus Dux Holſatiæ, Comites Caunitzius, Bouquojus, Joſeph Ignatius de Pôttingen, Richardus Starrenbergus, Zrinius, Moulionus, Joannes de Werth, Pennaitingerus, Leopoldus Fingermannus, Gronierus, Chriſtophorus Fridericus Hilerk de Lorch Mayr &c. Octo Equitum Magiſtri, quindecim centuriones, octodecim ſuccenturiones, undecim vexilliferi: vulnerati Comites Guidobaldus Starrenbergus, Corbellus, Zacco Bavarus, Carolus Thom. Lotharingus Vaudemontii filius, Hent. Star- 1691.

Vezirius Salankementi Badenſem invadit.

Boucquojanā legionem internecivè delet.

Acre fit prælium.

Vezirius internecivè victus, caſtris exutus.

Præcipuorum defunctorū numerus Chriſtianorum.

Et vulneratorū

1691. Starrenbergus, Baro de Elmps, Marchio Bagejus, March. Masleus, Com. Herberſteinius Embdanus, Mattzinus, Baro de Winckelhoſen, Barn Kettelerus, Chauviſcus, Pottenawus, Fiſcherus, Henr. Walprat, Baro Lohenus 16. equitum magiſtri, 53. centuriones, 64. ſuccenturiones, 39. ſigni-& vexilliferi: Souchefius & Dux Ateſchottanus ex vulnere poſtmodum mortui ſunt, heroes omnes cedro digniſtimi. Magnam etiam ad victnriam hanc contulere partem Brandeburgici (à Cæſare & Badenſi ſingularibus propterea literis & encomiis apud Principem ſuum & Electorem laudati) quorum præter Baronem de Bilau & protribunum Kalckſteinium interempti ſunt 3. equitum magiſtri & centuriones, 7. ſuccenturiones, & 513. gregarii: Vulnerati verò protribonus Sidow, Blanckenſoe, Kuchat, 10. centuriones, 14. ſuccenturiones, 10. ſigni-& vexilliferi, ac 510. gregarii. Turcarum vero dicebantur cæſa 16000. (ſecundum alios 25000.) cum ſupremo Vezirio Muſtapha, Kiuperlo, Seraskiero, Janizarorum Agæ, & cunctis ferme aliis belliducibus cæſis aut captis, qui omnes cum Ottomannis ſuis tam ab hominum memoria deſperatâ & inauditâ pro-& oppugnaverunt Chriſtianos pertinaciâ, ut his demum pulvis & plumbum defecerit.

Brandenburgicorum laus & fortitudo

Quod cum Kiuperlo Vezirio occiſi.

Fugitivi dejectis ubique Savi pontibus, metuque obſidionis Belgradum partim ingreſſi, plurima verò pars ad eandem conſidebant urbem; Chriſtianum verò deſatigatum admodùm exercitum reducit Badenſis Petrowardinum lautè reficiendum, victoriæque angelum Cæſari Viennam dimittit Principem Vaudemontium quo 31. Auguſti etiam advenit Comes de Thierheim cum 4. imperatoriis vexillis, ſeu caudis equinis, & aliis 18. Ottomannicis vexillis, qui incredibili ibidem gaudio ac jubilo exceptus, invictiſſimo Ludovico Badenſi, Turcarum terrori, fidei Chriſtianæ defenſori, & Romanæ aſſertori Reipublicæ feſtivè audiit acclamatum, eundemque ſuum tunc Cæſar renuntians Vicarium, ac ſupremum exercitûs ſui legatum, cum immenſi pretii annulo ſibi devincit: Turcici verò legati hucuſque Pottendorffii tanquam captivi detenti tanto perculſi ſunt terrore, ut Effendus terræ alliſus, & aliquamdiu elinguis, reſumpto tandem ſpiritu rejectas hactenus arrogantiſſimè pacis propoſitiones promptius videretur admittere, quas & Kaimakanus, id eſt, urbis Byzantinæ gubernator amplectendas ratus, Huſſejum legatum Anglicum 27. Julii ſolemniſſimè excepit, & Sultano Vezirioque abſentibus ante prædictam Ottomannicam ſtragem tantâ magnificentiâ regioque honore & apparatu ad publicum admiſit alloquium: eandem quoque ſuſpirabant plurimi Vezirio defuncto (qui in prælio cum ſuis inter Chriſtianos commiſtus erupturus, lethaliter læſus obiit Belgradi) unico imperii Ottomannici aſſertore & columnâ, quâ ſublatâ totum rurſus vacillabat, tremebatque Porta Ottomannica, quæ ſicut ſub patris ſui Veziriatu multâ floruit felicitate; ita quoque dum hic ad eandem elevatus eſt, dignitatem proſtratam anno ſuperiori erexit; hoc nunc proſtrato, jacet illa, & omnino conteri potuiſſet, ſi confœderati Poloni ac Veneti majori ſuppreſſiſſent vi ac potentiâ, utrobiq; tum elangueſcente: imo verò Tartari Chriſtianorum caſtra turmatim laceſſentes, Cornarum protribunum ac inſignem machinatorem capiunt, equos & mulos è vicinis abigunt paſcuis; quorum quidam cum præda capti aſſerebant 30. Turcarum millia ab electo novo Seraskiero Chalil-Baſſa haud procul Belgrado colligi, ejusque à Sultano confirmationem Conſtantinopoli expectari. Ex quo Badenſis illos majora tentaturos prævidens, ultimâ auguſti die (quâ glorioſiſſimus heros Dunwaldus hoſtium ſemper victor ex morbo Effecki mortis cecidit victima) ex conſenſu convocati conſilii prolegatum Principem Crojum cum V. legionibus equeſtribus, IV. pedeſtribus, Hungaris & Raſcianis ad conſervandam Sclavoniam, ex Bosniæ finibus impetendam dimittit; ipſe Badenſis delatis ad campeſtre Veresmartoni Noſocomium ægrotis & vulneratis, tranſitoque Petrowardini (quod contra tumultuariam hoſtium invaſionem juſſerat communiri) Danubio, XI. Septembris Zentum, atque inde Semlinum magnâ itineris difficultate cum exercitu pervenit: à quo in via Veteranus cum ſuis digreſſus Lippam, & in ea 300. præſidiarios, 3. Baſſas, 2. Agas & Chiauſium à Vezirio huc relegatos, deinde 24. bellicas machinas, 2. mortaria, & ingentem bellicum apparatum intercepit, validoque præſidio, aggeribus, ac militari roboravit ſepimento.

Badenſis Cæſaris vicarius laudatur

Legati turcici hac victoria territi.

Huſſejus pacis caduceator ſolemniter excipitur.

Vezirii Kiuperli laus.

1691. *Cornarus machinator bellicus capitur. Chalil-Baſſa Vezirius eligitur. Dunwaldi obitus.*

Veteranus Lippam capit.

Dum interim cum reliquo Badenſis exercitu Zolnockum advenerat, & Crojus capto Brodio Gradiſcam cogitaret, ut conjunctis cum Venetis armis Dalmatiam invaderet, indormiſcente veluti Leone Veneto, molimen erat fruſtraneum; Badenſis verò 10. Octobris majus attingens Varadinum arctiori cingit obſidione, adductiſque per Carolum Lotharingum muralibus tormentis ſuburbia Belligues & Oloſſum haud graviter ſunt occupata, & præſidiarii inde ad congeſtitium recens aggerem tumultuariè ſe recipientes multas incendunt domos, iiſque non obſervantibus 300. Raſciani ibidem captivi feliciter eorum ſicas elapſi ad Chriſtiana redeunt caſtra: quo & Donatus Hâuslerus ſub militari fide à Tôckelio dimiſſus advenit, & feſtivis tormentorum exploſionibus eſt in caſtris exceptus. Et quamvis arcis præſidiarii continuis pertinaciſſime exploſionibus ſe defenderent; 27. Octobris tamen Chriſtiani foveæ pedi appropinquantes 18. mortariis, & inextinguibilibus recens à religioſo P. Gabriele Franciſcano inventis ignibus (atque ideo non minori, quàm primus pulveris nitrati inventor Bertholdus Schwartzius laude dignus) adeo ſunt coanguſtati, ut ædificia ſimul & homines horrendo fragore, & lamentabili ejulatu in aëra vibrari perierint: quale præterea incendium ultima Octobris arci illatum, aggeresque bini latis ruinis commodum permittebant acceſſum; parcens autem Badenſis militi, literis deditionem arcis poſtulat; quibus rejectis, iteratiſque excurſionibus cunctas eludebat præfectus minas & molimina. Viſâ hac præſidiariorum contumaciâ, ingruentibuſque anni declinantis tempeſtatibus ſovea evacuari aquis ob copioſos ſæpius imbres vix poſſet; miles præterea laboris pertæſus eſſet & exhauſtus, Badenſis erecto 600. ab arce paſſibus aggeri mille pedites, & 400. Cæſareanos equites; ſuburbio autem Oloſſo 1500. Ungaros imponendo, omnem urbis acceſſum & exitum arctiſſimè intercludit, reliquum exercitum ad hyberna Debrecinum

Badenſis Varadinum obſeſſionem urget. Pulveris inventores.

Varadinum Badenſis arctius includit.

 (ubi

1691. (ubi prætoria erant ſtativa) & vicina circum loca dimittit, paucas intra horas, ſi neceſſe, recolligendum. Tôckelio interea temporis ultra Mariſium pervaganti dum ſedulo invigilans Veteranus regredi eum coëgiſſet Vipalanckam, ipſe etiam in Tranſilvania nanciſcitur hyberna; Crojus verò Gradiſcam 4000. præſidiariis munitam contendit, quem cum mille equitibus advenientem lèvi potuiſſent repellere negotio; ſed totius metu exercitûs falsò deluſi, quatuor urbis angulis flammas injicientes, trajecto Savo (quo ſubſidentibus præ multitudine navibus 400. perierunt) auffugiunt: tum Backaracio denique deditione capto, totam Cæſaris ſubjicit poteſtati Sclavoniam, in qua omnibus ad conſervationem provinciæ diſpoſitis, Eſſeckum reverſus hyberna quoque ſuo aſſignavit militi.

Crojus captâ Gradiſcâ totam Sclavoniam ſubjicit.

Fauſta hæc Cæſaris hoc anno expeditio Turcarum animos multum ad pacem inclinabat, & urgebat plebem, eandemque literis Neo-electus Vezirius, multis adhuc invidiæ expoſitus periculis, à Badenſi ad Varadinum ſollicitabat: ſed inopina Wilhelmi Huſſei, legati Anglici, non ſine veneni ſuſpicione ſublati mors illam admodùm retardabat, & quam Soldanus & Vezirius omnibus clandeſtinè votis deſiderabant, eam tamen exterius diſſimulando auctorabant ubique militem, utque nervum ab invita extorquerent plebe, per ſuos perſuadebant flamines iniquiſſimam, & Mahometiſmi legibus omnino prohibitam à Chriſtianis, ablata repetendo, præſcriptam; ſed honeſtam armis acquiſita retinendo & conſervando eſſe extorquendam. Ad quod ingens etiam ſtudium & induſtriam gallicus inſumebat legatus. Verùm dies poſterior erit diſcipulus prioris.

Huſſei legati mors ſuſpendit.

Varadino tam arctè occluſo elapſus transfuga Janizarus aſſerebat in proximo urbis ignivomo impetu 6. Baſſas, 2. Agas, 12. bellicos machinatores, & 600. præſidiarios abſumptos, vulneratos Janizarorum Agam, tres alios primarios, & trecentos gregarios, vix ſupereſſe 1400. defenſioni idoneos: armamentarium murorum ruderibus, & domorum ruinis ita obſtructum, ut nullus ad bellicum apparatum detur acceſſus: domos annonatias penè omnes, arcemque igne depaſtas, exiguumque ambuſtæ ſiliginis ſupereſſe commeatum paucis diebus ſuſtentando præſidio in ſubterraneis locis latitanti ſufficientem; neutiquam tamen intra bimeſtre deditionem meditari, quòd mulier in urbem transfuga præfecto perſuaſerit, Cæſareanos metuere ingentem Turcarum ſuccurſum brevi adfuturum; ingenti igitur furore in ſuburbium Oloſſum ſpe recuperationis inopinatè excurrunt, turbantque Ungaros; qui reſumptis mox animis & ordinibus, eoſdem fortiter repellunt. Interceptæ tum etiam Seraskieri literæ, præſidiariorum fidem & animi conſtantiam proximi ſpe ſubſidii confirmantes impulêre Chriſtianos, ut plures ad ſe Eſſecko in auxilium Chriſtianos, Raſcianos & Huſaros confeſtim convocarent. Eodem tempore Turcarum quidam inter Raſcianos incognitus evulgatum audierat, literis Tôckelium, Petrozziumque ſignificaſſe Badenſi, ſuis facilè perſuaſionibus Seraskierum & Tartarorum Chamum ab Varadini obſidione ſolvenda hucuſque impediviſſe; proindeque Cæſaris ſibi gratiam non defuturam ſperare: hoc idem ipſe Turca evulgatum ſpe honorarii Seraskiero referens effecit, ut bellici conſenſu conſilii ambo (& Tôckelius quidem captivitatis metu ſe defendendo graviter vulneratus) Belgradum direptis eorum impedimentis ſunt deducti, ubi colluſionis cum Badenſi ſuſpicionem augebat Heusleri demiſſio, quæ quòd Ottomannicæ Portæ conſenſu facta, & cæteras vaferrimâ ſuâ Tôckelius eloquentiâ ſuſpiciones diluiſſet, honori plenè reſtitutus, ad hyberna juxta Paſſarowicium antè denegata, cum Petrozzio remittitur; qui Marchionem quoque Doriam in captivitate Vipalancæ mortuum & pollinctum reddit familiæ ſepeliendum: Cæſar etiam poſt reſtitutum Hâuslerum Ragotziam Tôckelii uxorem Viennæ huc uſque apud religioſas Urſulanas honeſtè detentam eidem transmittit.

Ignibus Varadinum fœdatur.

1691. Tôckelius colluſionis arguitur.

Hâuslerus captus dimittitur & Tôckelia.

Annus Milleſimus, ſexcenteſimus, nonageſimus ſecundus 1692. videbatur jam tum initio Jani templum latius Viennæ aperuiſſe, ubi 1692.
plures Regum Principumque delegati tum ad Chriſtianæ religionis, tum ad Imperii Romani incrementum complures offerebant auxiliares Cæſari copias: Guilielmus Rex Angliæ tres legiones hybernicas ſuis Hamburgum ſumptibus, inde à Cæſare in hæreditarias transferendas provincias: Episcopus Monaſterienſis 4000. Rex Daniæ, Duces Hanoveranus, & Saxo-Gotha certum etiam per tranſactionem numerum maturè ſiſtendum ſanctè pollicebantur, quibus majora ſine dubio Cæſar ſperabat molimina. Nec tamen adhuc induratus præfecti Varadinenſis, & Janizarorum Agæ animus ad deditionem poterat emolliri; & quamvis omnes montium aditus nivibus, & tranſitus à fano S. Jobi, & Debrezino 6. legionibus germanicis probè arctèque eſſent occluſi; Baſſa tamen quidam cum octo aliis ſociis urbem penetrans, ſtipendiaque militi perſolvens, indubitatâ ſpe ſubſidii mox adfuturi eorum ita animos confirmavit in conſtantia, ut deſperatis omninò excurſionibus plurimum obſeſſores, non abſque ſuo tamen damno laceſſerent: hujus conſcius Averſpergus, obſidionis hujus moderator, contractis aliquot germanicis ungaricisque legionibus Giulam tentaturus prædationem ſub pœna capitis interdicit, ſi fortè captâ urbe arcem quoque poſſet ſimul occupare: interceptâ ſubitò urbe cum binis ſuburbiis, interſectiſque præſidiariis & civibus ſomno oppreſſis, Hungari & Raſciani prædis inhiantes, opportunum Turcis tempus ante arcem carraginem inſtruendi concedunt, quâ ſe ſtrenuè defendunt, & arcent Chriſtianos; quare urbe flammis in Varadinenſium conſpectu & terrore ſubjectâ, & Bego loci præfecto nudo vix elapſo, uxorem ejus & ſocrum captivas cum ſignis aliquot & timpanis abducit, omnemque pabulationem ignibus conſumens, deſideratis è ſuis 50. hoſtibus vero præter cives mulieresque quingentis, Varadinenſem proſequitur obſeſſionem; quam Baſſa nuper ingreſſus urbis neceſſitates Seraskiero delaturus inter varias perrepere excurſiones prohibetur: & cùm Aversbergus audiſſet Huſaros auro ſollicitatos in proxima excurſione fugam ad Turcas defectu ſtipendii meditari, in fide ſoluto ſtipendio confirmati, excurrentes ad internecionem ferè afflixerunt, in veſania nihilominùs ſua adhuc pertinaces. Cæſar autem Hâuſlero hujus obſidionis moderatore conſtituto, plures eo copias amandans illius occupationem ante hujus anni expeditionem urgebat, reſciſſoque pacis negotio legatos Turcicos

Cæſari plures principes promittunt ſubſidia.

Baſſa Varadinum penetrans ſubſidiũ promittit.

Averſpergus Giulâ urbe captâ fruſtratur arce.

Hâuslerus Varadinum acrius impugnat.

1691.

Bellum utrimq; ſedulo paratur.

cos remitti, & cuncta in maturam jubebat expeditionem parari, navalem præſertim in Danubio armaturam, quam Marchio de Fleury ad 40. grandiores, & 130. naves minores indefeſsè promovebat: literis demum Cæſar Joannem Poloniæ Regem impellebat ad armorum æmulationem prioribus annis glorioſiorem.

Cornarus captivitate elabitur. *Vezirii avaritia.*

Ottomanni quoque in Divano, inſtantibus Gallo & Tôckelio, tum Adrianopoli præſente, bellum paci præferebant, Mufftio, ſupremo eorum flamine idem confirmante. Novis igitur exactionibus bellicus extorquetur nervus, præparatur Belgradi arx in Sultani adventum, ipſa civitas ad Cornari machinatoris cæſarei, aliquamdiu ibidem captivitate detenti, nunc feliciter elapſi, delineationem, reſtitutis aggeribus ad omnem impetum ſuſcipiendum roboratur, & grandia à Vezirio procudebantur belli, avaritiæ & crudelitatis molimina: huic enim quiſquis vel leviter in aula videbatur ſuſpectus, laqueo ſuſpendebatur, bonorumque confiſcatorum pars fiſco, potior autem cedebat Vezirio: ſic vitâ, bonisque privavit Kaimakanum, Agam Janizarorum, Teſterdarum, & plures alios Baſſas; nec ullus in Serailio erat Miniſter aut Baſſa, qui à Vezirii avaritia & crudelitate vitæ, fortunarumque ſuarum eſſet ſecurus: quarum apud Soldanum inſimulatus à Mufftio, & hunc, quia ob grandem ejus apud populum auctoritatem ſtrangulari metuebat, ab officio dejecit, aliumque, ut putabat ſibi fortunæque ſuæ favorabiliorem ſuccenturiavit; hic verò neo-electus Mufftius major tyrannidis & avaritiæ ejus oſor, quàm prior, de eisdem graviter coram Soldano illum accuſavit; reus convictus cum filio, & Kihaja ad Dardanellas proſcriptus ad perpetuos damnatur carceres, omnibus nudatus fortunis: de his ducenta quinquaginta Imperialium in argento millia, in auro 300. paratorum ducatorum millia, & majus gemmarum pretium publico illatum ærario, militum ceſſit ſtipendiis, admodum deſideratis. Officio ac dignitati ſucceſſit Aly-Baſſa Diarbekierenſis in Meſopotamia præfectus, cujus caput ſex ante diebus depoſitus Vezirius per capegum quendam eo miſſum Sultani nomine petierat, ſed Arabs magnâ capegum celeritate præveniens pro mortis nuntio detulit angelum pacis & ſupremæ dignitatis: quâ vix ſuſceptâ præter grandia difficultatum onera, exhauſtum ærarium, enervatum ære & viribus imperium, factionibus tumultibuſque ſciſſum, optimis Divanum conſiliariis aut captivitate, aut morte crudeliter mulctatis ſpoliatum, majus adhuc à Cæſareanis captum Varadinum.

Deponitur ab Mufftio. *Succeſſit Baſſa Meſopotamiæ.*

Hâuslerus Varadinum deditione occupat.

Præfectus namque Abdulatiſ commeatûs apparatûsque in urbe defectum ſentiens, omnique promiſſi ſpe ſubſidii deſtitutus, honeſtam Janizarorum Agæ Oſmanno proponebat deditionem; ſed hic cunctis pertinacior potiùs vitam quàm urbem deſerturum jurabat, & provectæ ætatis Ottomannus publicè in urbis vallo reſolutè Chriſtianis jam urbi proximis jactabat, eam nunquam Cæſari tradendam. Hâuslerus igitur adductis aliunde tormentis muralibus ingentibus urbem anguſtiat ignibus, mœnibuſque latiùs patefactis decretoriam præparat 5. Junii impreſſionem: cui reſiſtendo Turcæ impares, ultroneam offerunt traditionem, pactâque incolumitate duo armatorum millia præter mulieres & liberos relicto in urbe commeatu, bellicoque apparatu Banzovam quidem abducenda; ſed ob violatam Peſcabarenſibus fidem Tockajum traducta, & ad reſtitutionem Peſcabarenſium retenta. Reconciliatis mox per Renckovicium (qui Epiſcopatûs ſimul capiebat poſſeſſionem) eccleſiis, militari ſolemnitate gratiæ Deo ſunt actæ, quòd tam fauſtis auſpiciis anni hujus felicitaverit expeditionem, ad quam Hâuslerus urbis à Cæſare deſignatus præfectus, impoſito cum ſufficienti præſidio ſui loco Comite Corbello vice-præfecto, & machinatore bellico Kaiſerfeldio, in urbis reſtaurationem ſine intermiſſione intento, ſe indefeſsè præparat.

1691.

Qui urbis præfectus conſtituitur.

Peſcabaram & Orſavâ Turcæ recipiunt

Turcæ interim Belgradi validè licet munito metuentes, ægrè ferebant Peſcabaram cum Orſava nuper inſula à Chriſtianis captam militari ſepimento per Chiliarcham Antonium firmari, & occludi ſibi tranſitum Danubii, ubi eundem Romani olim ob fluminis anguſtiam petræ incisam catenis conſtrinxerant; reperito igitur per medium Majom furore præfectum Baronem Aranum ad deditionem pactâ incolumitate (quam perfidè, ut jam dixi, infregerunt) coëgerunt; intercepto autem Varadino (cujus liberationem Seraskierus, & proximus Walachiæ Princeps cum ſumma Ottomannicæ Portæ offenſione neglexerant) exercitum XX. millium Vezirius in Belgradi defenſionem præmittit Aſiaticis mox copiis ſecuturis. Unicè verò ſuſpirabat pacem, quam legatus quidem gallicus multis ſui Regis prætextatis in Germania contra Rom. Cæſarem victoriis, & ampullaris diſſuadebat ſponſionibus; ſed his meritò diffidens Vezirius alterum Regis Angliæ caduceatorem Harbordum equitem Viennâ indies expectat Belgradi, arbitratuque hujus & Batavorum interpoſitione Polonorum ſimul & Venetorum ſimultates componi, & ad pacis deſcendi poſſe conditiones. Nec Cæſar declinabat pacem; ſed cum reparatione damni & ablatorum: quibus extorquendis auxiliares & adventitiæ copiæ Viennâ ad deſtinatum navigio mittuntur locum, cujus deſignationem Hâuslerus cum ſuis Varadini præſtolatur, hoſtium interim machinationibus Tranſilvaniæ irruptionem molientibus invigilans: quanquam & Veterani quoque curâ & vigilantiâ ejusdem aditus optimè fuerant oppeſſulati: hâc igitur intentatâ Belgradenſes Titulium adorti rejiciuntur, majoribus aucti copiis reverſi, ut Raſciani metuebant præſidiarii, noctu fugientes, locum iis cedunt viribus impares. At Petſchium ſuperioris Ungariæ oppidum adorti, nece 200. ſuorum reprimuntur. Tunc Cæſareus etiam exercitus Eſſeckum confluit, & ad finem Julii Dux Crojus, Badenſis etiam paulò poſt adeptam Jaurinenſis præfecturæ poſſeſſionem accedens, habito Valkovarii armiluſtrio, exercitum aliquot invenit millibus quàm priori anno infirmiorem, & defectu ſanæ annonæ plures valetudinarios, & militari ineptos expeditioni; atque ideo effluxo ferè optimo belligerandi tempore vix ardui quidquam fore tentandum.

Harbordum Angliæ legatum pro pace deſiderant.

Titulium Turcæ occupant

Eodem videbatur fato turcicus tardari exercitus: nam convocatum Belgradi bellicum conſilium perſuaſit Vezirio ob militum inopiam non offenſivè, ſed defenſivè Belgradum maximè conſervandum, emanentibus præſertim Tartaris, qui numero 22000. viæ jam accincti, invaleſcente inter illos diſcordiâ, domum revolârunt: quæ res non exiguum in Vezirio belli tædium, maximum verò pacis augebat deſiderium, literis Harbordo, ut approperaret, ſignificatum.

1692. caium. Neque hic moratus ſanitati Vienoæ reſtitutus Belgradum feſtinat, ubi ſummâ à Vezirio benevolentiâ & honore exceptus, eò rem brevi perduxit, ut pacificatio mox certò ſecutura nemo non ſperaret, ſed ſubitaneâ morte, uti prædeceſſor, decedens, variam paſſim præbuit ſuſpicandi materiam: plures gallico ſublatum veneno affirmabant, quòd hi bellum in Regis ſui favorem & commodum præ pace omnibus ſollicitarent nervis. Certum eſt mortuo Har-

Harbordi mors retardat pacem.

bordo omnem pacis in Vezirio cogitationem fuiſſe demortuam, fruſtratis præſertim & rejectis à Caneæ obſidione Venetis: Polonis autem feliciter in Tartaros moventibus, ſupremus Chamus privatam Polonis pacificationem, ex-

Polonis felicibus offertur Caminoci & Ukraniæ perpetua reſtitutio

cluſis confœderatis Cæſare & Venetis, cum perpetua Camineci & Ukraniæ offert ceſſione: quam Regni Senatores licet ampleċti viderentur; Rex tamen rejecit omnino, hujuſque propoſitionis tartaricæ Confœderatos fecit certiores, qui inito Viennæ cum Hemskerckio Batavorum ad Portam Ottomannicam interuuntio conſilio, eundem ut Belgradum iter in pacis negotio maturaret, permoverunt; ubi ab Aly-

Hemskerckiũ pacis caduceatorem Turcæ honorificè excipiunt.

Baſſa, & Maurocordato primùm perhumaniter exceptus, altero pòſt die inſigni ſolemnitate, non ſine ingenti populi geſtientis gaudio extra urbem ad Vezirii papilionem deductus, omoi humanitatis & honoris genere eſt complexus, & poſt alloquium eodem ritu, non ſine ſpe optimi ſucceſsûs ad hoſpitium eſt dimiſſus: nam utrteque in caſtris quieſcens exercitus hyberna meditari videbatur; Aſiaticus ſiquidem miles ad importuoam inſtantiam ad ſua remiſſus, alium in vicinas Belgrado provincias Vezirius diſtribuit, amoto Boſnienſis præfecturæ Baſſâ, quòd Croatarum exitialem in Boſniam, vici-

Raſcianorum ſpolia ingentia Turcis erepta.

niamque excurſionem non repreſſerit; unde & contigit, quòd Raſciani in Serviam ad Moravæ Tractum excurrentes, inſignem caſtrenſis ærarii partem ultra 300. imperialium leoninorum millia, cæſis defenſoribus dolore ingente Vezirii, ſummè egentis, interceperint.

Cæſareus verò exercitus Petrowardini, loco admodùm opportuno & inacceſſibili caſtra fixerat, ante ſe altam latámque habens foveam, à dextris montes, in ſiniſtris & tergo Danubium, quem Marchio de Fleury navali claſſe, tormentis affatim, & 3500. militibus inſtructâ ad hoſtium terrorem occupabat. Hic Cæſaris imperio, & urgente Badenſi per Keiſerſteinium machinatorem maximo Petrowardinum firmabatur robore, tum ut Danubio dominari, tum ut Sclavoniam ab hoſtium etiam poſſet defendere incurſionibus; caſtrenſis èconcra infirmabatur exercitus, quo & afflictus Badenſis Viennam à Cæſare valetudinis curandæ causâ vocatur, commiſſo Principi Crojo imperio & copiis militaribus ad hyberna dimiſſis: Bavaricæ & Monaſterienſes domum rediêre, Danicæ & Hanoveranæ cum Cæſareanis in Ungaria; Veterani autem exercitus in Tranſilvania priora repetivit hyberna. Interea tertius à Guilielmo Rege Bri-

Tertius Angl. Legatus Paget ſolemnius à Turcis excipitur

tanniæ ad Portam Ottomannicam deſignatus eſt internuntius Eques Paget, antehac extraordinarius ejuſdem Regis ad Aulam Cæſaream Legatus, qui maturato itinere ſimili, imo ſolemniori cæteris magnificentiâ & benevolentiâ Belgradi & Adrianopoli à Vezirio complexus, indefeſsâ ſollicitudine & ſtudio pacis promovit negotium.

Cæterum vix annus exierat, & magnus vitâ exiit Adrianopoli tyrannus Mahomet IV. quoo- 1693.

Mors Mahometis IV.

dam Turcarum Imperator, vitiis illaqoeatus hucoſque, & carceris vinculis, oon ſerico ſtrangulatus laqueo, Turcis conſueto; ſed ut ſentiret ſe mori, diu mortuus eſt, & ſenſim hic vivere deſineret, ut pœnis noo moreretur in inferno, ergaſtulo tyrannorum ſempiterno: Muſtapha filius ejus regimini aptior parum abfuit, ut qui captivitatis, fieret & ſocius mortis; ſed diverſum à patre genium principale cunctis admirandum vitam ei conſervavit, ademit tamen aliquamdiu libertatem. Mortui eodem anni 1693. 1693.

Mors Erdôdi Croatiæ Bani, & March. Fleury.

ioitio Comes Erdôdus Croatiæ Banus, & Marchio de Fleury, danubialis claſſis Architalaſſus, ambo Vieonæ deplorati, quòd ille eximius Chriſtianitatis defenſor, & vigilaos hoſtium explorator; hic verò, quòd periculoſa Danubii vada & brevia, gurgites, voragines, & profunditatem ubique magno exercitûs Chriſtiani emolumento haberet explorata. Nihil tamen hic interim ad futuram expeditionem omittebatur conſilii, ad eámque Cæſar Confœderatos Polonos ac Veneros urgentibus excitabat argumentis; ſed promptam, generoſámque Regis voluntatem comitiorum retardabar diſcordia Palatinorum: Veneti autem Mocenigi Archita-

Mocenigo depoſito Maurocenus reſtituitur.

laſſi expeditionibus non æquè contenti, proſperiorem ſperantes, Dogum ſeu Ducem ſuum Franciſcum Maurocenum rogant, offeruntque claſſis & exercitûs in hoſtem ducendi imperium: recusârunt quidem tertiò ejus ætatis gravitas, & debilitas virium, vicit tandem amor patriæ, cui id, quod ſupereſſet vitæ, geoerosè conſecrans, velut alter Atlas imperium tanto Reipublicæ gaudio admittit, ut nemo non ad belli ſumptus & ad ducalem tanti Herois comitatum contribuendum eſſetparatiſſimus, expediebanturque omnia quàm citiſſimè.

Badenſi Cæſar Comitatum Gunsbergenſem donat.

Leopoldus etiam Cæſar, ut geoeroſos Martis heroes ad majora aoimaret, in grati animi ſignificatiooem, inque perpetuum familiæ Badenſis monumentum tot graviſſimis ſimul & feliciſſimis glorioſum expeditionibus & victoriis Ludovico Badenſi Comitatum Gunsbergenſem eum oppido & arce Ulmam inter & Auguſtam Vindelicorum ſitum liberali largitus eſt donatione, cui Carolus II. Hiſpaniæ quoque Rex au-

Hâuslerus fit Commiſſarius general. Caraffa Legatus Rom.

reum vellus in generoſæ fortitudiois argumentum per Eugenium Sabaudum ſubmiſit. Donatus Hâuslerus autem propter eximiam ſuam prudentiam generalis belli commiſſarius eſt deſignatus, loco Comitis Caraffæ, nominati ad aulam pontificiam Legati, unde Princeps Lichtenſteinius Vienoam eſt revocatus. Soldanus

Achmet Theſaurarium, Vezirium &c. ſtrangulat.

econtra Achmet Teſterdaro ſuo, ſeu ſupremo Theſaurario, ob crudeles nimium exactiones, & ſtipendia militibus, in ſeditionis propterea tumultum effuſis, dilata, ſericum donavit laqueum, & quia in hujus tyrannidem ſupremus Vezirius, à Soldano juſſus, noo animadverterat, ſed defendetat, & hunc quoque cum Janizarorum & aliis quæſtoribus laqueo tolli jubet; habuit ille quidem deprecatorem vitæ Kaimakam, ſubdolum officii & dignitatis ejus æmulatorem, ad perpetuos tamen damnatus carceres, ſigillum & Veziriatum tranſtulit in dictum Kaimakam Muſtapham; in hujus autem (urbis ſcilicet gubernatoris) officium ſucceſſit Candion

Candion Oſman fit Vezirius.

Oſmanus. Ambiverat quoque tunc temporis certâ ſpe plenus Tôckelius Walachiæ Hoſpidari ſeu Ducis, non ſine veneni ſuſpicione necati principatum; verùm & hic honeſtè repulſus &

junior

1693. junior defuncti filius à Walachis electus, & à Soldano eſt confirmatus; atque ita pari paſſun viciſſuudine pleraque apud Ottomaonicam Portam immutata ſunt officia & dignirates; apud quam varii alterius nationis, ni fallor, gallicæ, ſe inſinuârunt pyrotechnites, balliſtatii, & machinatores bellici, qui firmiores caſtra roborandi operas, faciliorem que urbes brevius occupandi artem & methodum offerentes, Ottomannorum animos ita rapiebant, ut invisâ rurſus pace horrenda paſſim Martis cuderent fulmina, & ad expoſitum Adrianopoli Mahometis vexillum Muſelmannicæ undequaque copiæ confluerent, Belgradum ad maturandam expeditionem deſtinandæ.

Jam Temeſwarium annonâ inſtruendum ſubmittebant Turcæ ruſticos, ſed impediebant, repellebántque Hayducci: bis mille Belgradenſes Eſſeckum exploraturi, ob præſidiariorum vigilantiam abſtinentes, totam latè vicinitatem igne & ferro crudeliter devaſtant, & innumeros abducunt captivos, quorum partem, 800. mox expediti ab Ogilvio Eſſecki præfecto equites ad oppidum Brazenicum oſtendentes, incenſo mox oppido 200. delent barbaros, capiunt 300. redimuntque plures Chriſtianos, & prædam non contemnendam: & quia iidem Belgradenſes iteratò Petrowardinum & Titulium excurrentes damna inferebant, magnis illud incrementis ad quemvis impetum ſuſtinendum præſidiarii communiunt.

Crojus Jenoum capit, Giulam coarctat.

Hauslerus interea, cui decumbens Dux Crojus commendaverat exercitum, germanicis aliquot, & ungaricis legionibus Giulam & Jenoum includit: & Jenoum quidem in Tranſilvaniæ finibus optimis roboratum aggeribus & 38. tormentis bellicis dum decretoriam molitur impreſſionem, deditione capit, & paulò poſt arcem Philogorvaram; quod licet Turcæ ægrè ferrent, præteteáque in Syriæ unica Aleppo urbe peſtis 30000. hominum devorâſſet, & in Arabia ingens Rebellium 40000. exercitus captâ Baſſorâ tum ferro, tum aquâ 14000. Turcarum ad Euphratem internecinni dediſſet; & in navi intercepta, ſeu Caravana, ut vocant, 150000. numeratæ pecuniæ, præter varias merces in prædam ceſſiſſent; Gallorum tamen promiſſis (quod eorum Rex intima hoc anno Imperii Romani viſcera certò ſe penetraturus) effaſcinati, pacis caduceatorem Pagetum iteratò pacificationis media proponentem audire recuſantes, militarem Chriſtianorum claſſem, magno audentibus propoſito præmio, incendere moliuntur: quo fruſtrati Seraskieri conſilio omnia ad Savi Tractum oppida & munitiones Brodium uſque occupare, demoliri, & totam latè regionem, antequam in campum prodirent Chriſtiani, depopulari intendunt, tum ut his Belgradum invaſuris, quod metuebant, tollerent ſubſiſtentiam; tum ut ſibi liberum in Sclavoniam & Brodium intercipiendi aditum aperirent. Primum eorum impetum ſuſtinet Babinagredum, in Danubii inſula opportunè à Kyba Brodii præfecto aliquo indutum robore: magno autem illos Kyba ſilentio tumultuariè aggreſſus turbatos repellit, fugientes ad naves onere ſuppreſſas Danubius ingurgitat, cæſis pluribus, captisque 10. militaribus ſignis Kyba Grazininam in Boſnia excurſionibus hactenus moleſtam impetu rapit, & glorioſus ſpoliis captivisque dives Brodium revertitur.

Turcæ pacem Gallorũ ſuaſione rejicientes omnia devaſtant.

Kyba eos repellens, Grazininã capit.

Interrupto hoc Turcarum conſilio, illisque quieſcentibus Cæſareus movet exercitus Petrowardinum, ubi convocato bellico conſilio decreta eſt Belgradi impreſſio, ſat copioſo muniti præſidio; quo militari aſtu evacuando, Carolus Dux Crojus (qui tunc præerat exercitui Badenſi in Germania contra Gallos præſecturam agente) literis ad Veteranum in Tranſilvania datis Temeſwarii fingit obſidionem ipſius ſimul curâ promovendam: illis ſtudio interceptis Turcæ magnam præſidii Belgradenſis partem, machináſque bellicas eò dimittunt, dum interim Crojus parato Savum ponte trajicit obnitentibus fruſtra Turcis, & tertiâ menſis Auguſti factâ à Danubio ad Savum circumvallationis lineâ die alterâ totus urbem obſidet exercitus, validioribus quàm ante aggeribus, operibuſque, omnigeno commeatu, apparatu bellico, ac 8000. præſidio firmatam, quo & plures Galli Germanis ſtudio commixti paſſim transfugebant. Defendunt ſe urbis præſidiarii fortiter, & continenter excurrunt, non rarò tamen fuſtibus coacti; illicò autem præfectus urbis obſidionem, ſtatumque denuntiat Vezirio, qui, ut Veteranus ſignificabat, XX. Turcarum & XXX. Tartarorum millibus Coronopoli proximus Tranſilvaniam invaſurus Belgradi periculum audiens, Widinum contendit, ibidem majoribus Sophiâ copiis augendus, ſuperato Danubio ad urbis liberationem properaturus. Crojus igitur 26. Auguſti Comitem Heidetsheimium cum 6. equitum legionibus primò, poſtea Herbevillum ultra Danubium Donavecium inter & Brizam loco ſatis opportuno jubet hoſtibus invigilare, & Danubii tranſitum intercludere: hoc aut extremum ſibi exitium omnibus præſidiarii viribus avertebant, & tam hic, quàm aliis in locis ſtrenuè machinis urbem defendebant, ut Marchionem Monrojum Crojo aſtantem globo proſternerent, & omnium paulò pòſt dolore machinatorem Keiſerſteinium, ac Comitem Archinum. Cæſareani ècontra tormentorum globis, pyrobolis, ſphæris incendiariis eò acriùs urbem arietabant, quò propiùs Vezirium ſuperato Widini Danubio appropinquare cognoſcebant; ideóque Marſiglius excitato ad Danubium aggere, Herbevillus in via Benzovam verſus (quam recens noſtri interceperant) hoſtilem obſervabant acceſſum. Tum urbem vineis propiùs accedentes, generalem decernunt impreſſionem, anteſignanis & ducibus Guid. Starrenbergo, & Seibelsdorffio 8. Septembris irritò tentatam, & ſtrage Seibelsdorffii, Blanckenſee, Hornii & 600. gregariorum, totidemque vulneratorum; ex defectu pilarum, pulveris, malleolorum, aliorumque neceſſariorum, quibus noſtri ex pertinaci deſperataque Turcarum defenſione exhauſti erant, fruſtratam. Irritus hic impetus urgentibus de cauſis abitum ſuaſit, quòd hoſtis 80000. eſſet proximus; quòd Danubius ad prohibendas urbi ſuppetias, ex claſſis, ſeu navium inopia occludi non poſſet, hoſtili claſſe multum prævalente; & quod hoſtium denique vires à Tranſilvaniæ irruptione (quod hac Belgradi obſidione maximè intendebat) eſſent abſtractæ. XVIII. igitur Septembris convaſatis impedimentis inde Chriſtianus exercitus ſine ulla hoſtium à tergo invaſione diſcedens, Semlini pernoctat, inde Salankemenum, & campum cruentâ ante biennium Kiuperli Vezirii, & Turcarum ſtrage celebrem tranſiens Carlowitzii conſidet, ubi feſtivo tormentorum applauſu Janizarorum Agam, & die

1693.

Crojus Belgradum cingere molitur.

Belgradenſes ſe ſtrenuè defendũt.

Archinus, Keiſerſteinius &c. necantur

Belgradi impetus fruſtraneus.

Belgradi obſidio ſolvitur.

1694. die alterâ Vezirium cum Tartarorum Chamo Belgradi exceptos intelligit; paſſum verò à prædonibus Tartaris impedimentorum jumentorumque in hoc itinere detrimentum Cæſareus reſarcit equitatus, prædam omnem recuperando.

Batthianus Banus Croatiæ Bruntzenum occupat.

Dum Vezirius omnes undique ad liberandum Belgradum convocâſſet copias, interea Banus Croatiæ Batthianus Bruntzenum Meydan iteratis importunum excurſionibus ſpontaneam denegans deditionem vi capit, urbemque flammis conſecrat; tum nullo adverſante hoſte totam latè regionem emiſſo devaſtat equitatu; pane autem deficiente dives prædâ reverſus, ſigna aliquot Cæſari felicis inſignia excurſionis tranſmittit. Vezirius quoque convocato Belgradi divano emiſſitias aliquot turmas ultra Savum amandat, Moravicium & Eſſeckum uſque cuncta depopulaturas; ſed hoc fruſtratus conatu Giulæ & Temeſwario commeatum illaturus, & ad Tibiſci Tractum ferro & igne obvia everſurus, vigilantiâ Croji cum exercitu Futati in ſuperioris Ungariæ & Petrovvardini defenſionem conſidentis prohibetur: ad ſecuriorem etiam Tibiſci tractûs cautelam Crojus tribunum Bolaodum Agrippinatem cum 2. Huſarorum millibus, & quinque equeſtribus legionibus Segedinum ablegat, & audito poſtmodùm emiſſitias 4000. Turcarum turmas eſſe adauctas, tres alias eò legiones demittit, & General. Comitem Hoffkirchium, earum omnium copiarum præfectum: qui haud procul Giula hoſtem ſubitò & improviſò invadens ultra mille eorum feliciter proſtravit, capto commeatu Giulæ inferendo, & ultra 2500. equis & camelis, impedimentis & ſignis equeſtribus Cæſari Viennæ oblatis: alia 12. Tartarorum millia Debrecinum prævolantia aſſequi non potuit, qui incineratis circumquaque XVI. pagis plurima pecora, opimam prædam, & bis mille captos Chriſtianos ultra Mariſium abduxerunt: & hic fuit ultimus victoriarum terminus Hoffkirchii haud procul Debreceno ſubitâ morte extincti, ſimulque finita utrimque hujus anni eſt expeditio, quæ tam ex parte Polonorum quàm Venetorum Mauroceni præſentiâ licet ſumma ſpondente, minus tamen vigoroſa fuit & glorioſa, imò ex ejuſdem obitu doloroſa, qui ex Corinthiaco Iſthmo redux febri obrutus tertianâ Neapoli di Romania 6. inter & 7. diem Januarii 1694. calculi doloribus glorioſam in Reipublicæ ſervitio animam efflavit, quartus è Maurocena familia Venetorum Dux omnium fortiſſimus & feliciſſimus immortalitati meritò per orbem inſcriptus, ſucceſſorem habuit Sylveſtrum Valierum 24. Februarii 1694. electum, filium Bertuci Valieri, Venetorum etiam Ducis 1683. defuncti.

Hoffkirchius & Bolandus Turcas opprimunt.

Tartari omnia circa Debrecinum depopulantur.

Hoffkirchius obitus.

Et Mauroceni.

1694. Succeſſit Valierus

Minus proſper Chriſtianorum præcedenti anno utrobique ſucceſſus in magnos Turcas animos, Chateauneufi Legati imprimis gallici perſuaſionibus infatuatos, priſtinam Ottomannicæ Portæ fortunam ſperantes redituram, ferventiori bellum conamine præparant, & ſuperato emiſſitia turma Savo totam latè regionem depopulatur, pagumque Jurek, captis primariis mercatoribus, expilat; Cæſareani verò Giulam congelatis opportunè paludibus oppreſſuri, aëris mollitie glaciem reſolvente impediuntur; cui uberiorem 900. Turcæ annonam ſubminiſtraturi, à Darozzio ad Cæſarem transfugo cæduntur: nam dum Tôckelius ad generale bellicum convocatur Conſtantinopoli, conſilium (ubi eliminato priore Vezirio novus ſucceſſerat Aly-Baſſa Tripolenſis) Darozzius variæ ac periculoſæ Tôckelii fortunæ diffidens, inceſſis Vipalankâ, Rhamo & Columbacio in Tranſilvaniam fugiens (cui cum poteſtate tunc præerat Veteranus Generalis) cum 600. Huſaris Cæſaris partes amplectitur. Dum interim 3300. Turcæ comminatâ dudum per Tôckelium excurſione Tranſilvaniam expilatis 12. pagis ferociter divexant, movente ſe Veterano ſubitâ ſe fugâ proripiunt: Titulium armatis navibus tertio impetu tumultuariè tentantes generosè repelluntur; majoribus verò mox aucti copiis impreſſionem repetunt, quam cùm præſidiarii Raſcianorum aliquot confirmati centuriis, fortiter ſuſtinent, & Starrenbergus cum legionibus aliquot in auxilium vocatus adproperat, ſubitò dilabuntur quemadmodum Huſari Cæſareani Crupinam fruſtra tentato impetu, fovearum altitudine, & præſidiariorum fortitudine decepti rejiciuntur.

1694. Vezirius Baſſa Tripolenſis.

Darozzius Tôckelio relicto adhæret Cæſari.

Fortunâ ſic utrimque novercante proſperiorem hoc anno ſuum cuique fervens bellici apparatûs ſtudium pollicebatur, ſub quo novus tamen Vezirius Tartarorum Chami interventu particularem à Poloniæ Legato pacem ſollicitabat; quam hic ſine cæterarum conſenſu partium fruſtra ajebat perſuadendam, eamque reſpuebant Veneti proſperâ per Antonium Zeno inſulæ Chii, & per Delfinum Citluchi, Gabellæ, & Kuppæ interceptione, aditum ſibi in Ducatum Sabam, vel Arcegovinam præparantes; unde meticuloſus ejuſdem Baſſa auditâ Citluchi jacturâ turpiter fugiebat: quâ quidem territi Turcæ, non deſpondebant tamen quædam recuperare loca; ideoque pacis caduceatorem Batavorum Legatum Hemskerckum honeſtè Adrianopoli dimittunt Belgradum, ſplendidè a Seraskiero Giaffero Baſſa ibidem exceptum; ſed diutius Vezirii juſſu impatienter detentum, quòd hic pacis negotium non omninò propter exortas interim in aula Ottomannica æmulationum invidiarumque turbas, periculis non paucis gravidas, rejiciendum exiſtimabat: idem namque Vezirius Mufti, ſupremi flaminis partes adverſus Sultanam, auctoritate potentem, ſecutus, à Veziriatu dejicitur, cujus mox amplexus ſententiam ejuſdem poſtea favore officio reſtituitur; ſed Mufftius octogenarius exulare juſſus eſt. Sultano prætereà Achmeto deſperatè ex hydrope decumbente haud exigua de ſucceſſore eligendo timebatur diſcordia, quam unanimis demum & Achmetis, & conſiliariorum extinxit conſenſus in Muſtapham, depoſiti Mahometis IV. filium, regimini præ cæteris aptiſſimum: Arabica denique ſeditio, belligerantiumque Thuniranorum invicem & Algirorum tumultus Ottomannicam ſollicitabant Portam, pacem quidem bello præferentem; amiſſa tamen recuperare unicè ambientem, ideoque Camineco & Giula ſufficienter annonâ inſtructis Cithluchum Seraskierus exercitu cingit, Venetis autem fortiter propugnantibus, amiſſiſque ſuorum 2000. noctis beneficio turpiter coactus eſt recedere.

Zeno Chium, Delfinus Citluchū Gabellā, Kuppam capiunt.

Muſtapha Mahometis filius eligitur Soldanus

Supremus interea Vezirius conjunctis ſibi Tartarorum copiis exercitum Belgrado diſcedens contra Cæſarem ducebat, incertum an in Tranſilvaniam, aut in ſuperiori Ungaria Titulium, Petrovvardinumve invaſurus; indefeſſa utrobique, & Titulii imprimis, paratur defenſio; quo Vezirius præmiſſo Salankemum inter & Carlovvicium aliquot millium agmine,

navi-

1694. navibusque ſimul militaribus tendere videbatur; ſolertem verò Häusleri vigilantiam (qui Cæſareano interim præerat exercitui) intelligens, mutato conſilio, tranſmiſſoque Savo Petrowardinum petere, & interceptus referebat Aga, & Polonus confirmabat transfuga. Tum præſidiarii numero aucti congeſtitiis urbem aggeribus, militarique ſepimento munire, vallare ſudibus, duplici nautico Danubium ponte inſternere & collectis undequaque copiis Chriſtiana ad Petrovvardinum caſtra firmiſſimo, varioque munitionum genere, & ſubterraneis cuniculis communire, exercitumque confirmare, omnium famâ transfugarum à Vezirio deſperatè ex rigido Sultani mandato ubicunque irruendum. Caprara etiam ſupremus exercitûs legatus 5. Septembris caſtra ingreſſus, eorum, urbisque ſitum, & loca circumquaque cum Häuslero perluſtrare, omniaque in vigoroſam parare defenſionem cunctus deſudabat miles Chriſtianus. Sed pridie quàm hoſtis advenerat, ingens aëris tempeſtas Chriſtianorum papiliones evertit, navalem infringit pontem, & quinque ejus ſubmergit, aliaque collidit navigia, ſummo ſub noctem ſtudio reparata. Et ecce IX. Septembris adeſt ingenti cum exercitu 110. navium claſſe, & ultra 500. tormentis hoſtis, urbem, caſtraque ſimul quaſi invaſurus, qui in coarctata & 800. vix paſſibus diſſita Chriſtianorum caſtra fulminat, malleolis, pyroboliſque impetit, ac pontem largi ſpe præmii per Arabum quendam incendendum, diſſolvendumve invadit, ſed Chriſtianorum utrobique vigilantia & tormentis ex fluminis & inſulæ margine fortiter repulſus, accedentibus opportunè 900. equitibus, & ſex Brandeburgicis cohortibus, quas ſubſecutus mox Bolandus cum tribus equitum legionibus, & quatuor Ungarorum millibus: eodemque tempore præſidiarii Titulenſes 25. annonarias Turcarum naves intercipiunt, & lautam ad eorum caſtra remittunt famem: Oſerovvizam ècontra inſulam Turcæ occupantes, repellenteſque Cobilà Raſcianos Tartari annonarios viciſſim Chriſtianorum currus & pabulatores, magnumque jumentorum, equorum, hominumque numerum, & partem impedimentorum capiunt, quos Baſſompierus perſecutus cæſo Galgæ Tartarorum filio, & 1500. gregariis, equos 100. in caſtra reduxit. Dum cœlum interea pluvioſum caſtrenſes hoſtiû foveas genutenus replevisset, & indefeſſam Chriſtianorum fortitudinem ſuorum etiam 15. millium jacturâ enervare nequicquam poſſet Vezirius, abitum meditatur, urgente imprimis ſtipendiorum, & annonæ penuriâ; cumque Tartari deſertis modò ob Sultani ſui Galgæ cum Vezirio diſcordiam caſtris Tibiſcum peterent, Janizari militare ulterius tumultuosè recuſabant. Contractis igitur tormentis & impedimentis, fugæ ſimilis hoſtis elabitur, quem per anguſta viarum, ſilvarumque perſequi haud ſatis erat tutum; Haidones verò Titulenſes XX. rurſus navigia cum annona, apparatu bellico, & ſignis ſeptem militaribus, tribusque tormentis interceperunt.

Turca caſtra Chriſtianorum Petrovvardini invadit.

Baſſompierus Tartaros cadit.

Turca Chriſtianorum caſtra deſerunt

Vezirius ne omnino fruſtranea hujus anni cederet expeditio, tranſmiſſo Belgradi Savum peditatu, per delectum equitatum annonam quovis jubet modo inferri Giulæ & Temeſvvario, à Cæſareanis eminùs adhuc probè occluſis; ſed & Giulæ, & Cammeci irrita ceſſit eorum tentatio & recuperatio: unde Adrianopoli orta eſt ſeditio & tumultus Achmetem regimini ineptum dejiciendi, ſed maturè auctorum morte eſt præfocata. Utriuſque demum partis exercitus ſubiit hybetna, & Caprara quidem, ubi Häusletum præfeciſſet militiæ, donatum à Cæſare Varadinenſem ibidem adiit generalatum, magnanimæ virtutis ſuæ præmium; Vezirius autem Hemskerckium legatum à menſe Majo Belgradi detentum honorificè dimiſit Viennam: unde haud obſcurè non pacis aut armiſtitii, ſed belli patebat præſumptio, quod omni ſemper conamine gallicus paci præferebat legatus Chateauneuf, turcicis in Divano conſiliis ut plurimùm præſens, quo copiis è Germania (à Gallis adhuc occupata) in Ungariam retractis Cæſari prævaleret ibidem Rex ſuus Ludovicus. Cæterùm Turcarum hoc anno exercitus vix 50. cum Tartaris numeravit millia; ſed dimidium conſumpta: pacem igitur maturiori fortiorique expeditione ab illis extorquendam perſuadebat Hemskerckius, fame imprimis jam ad medium Decembris 21. coactâ Giulâ, ingenio naturâque validiſſima; atque ita transdanubialis Tractus, excepto Temeſvvatio, totus in Leopoldi Cæſaris reductus eſt poteſtatem: hoc enim illato feliciter commeatu hucuſque Turcæ conſervârunt; Giulæ autem præfectus filium ſuum cum Janizarorum Aga, & 60. gregariis Temeſvvarium mittens, auxilium petiturus, jamque ſuperato Mariſio in Segedinenſium manus Haidonum incidunt: capti præter præfecti filium fugâ elapſum cum inſigni auri unionumque prǽda omnes, atque ita ſubſidii deſtitutus fiduciâ præfectus cogente fame ultroneè tradit: deditionis tabulas capitaneus Liebenbergus Cæſari ſubſignandas Viennam deferens, aureâ donatus catenâ, reverſus ad Generalem vigiliarum magiſtrum Joannem Joſeph Baronem Houchioum præfectum Segedinenſem & hujus moderatorem obſidionis, Turcarum exitum, relictis omnibus tormentis, & bellico apparatu, tacitis etiam tympanis, involutisq; vexillis (præterquam uno Janizarorum) ſecurè Temeſvvarium propediem maturavit. 1695.

Giula ex fame deditur.

Anni nonageſimi quinti ſupra milleſimum ſexcenteſimum dies ſextus Februarii, hydrope & catarrho ſuffocavit Achmetem II. Turcarum Soldanum, ſeu Imperatorem, habuitque immo optavit ſucceſſorem ex fratre Mahometo IV. nepotem, Muſtapham II. 33. annorum, & magnæ apud ipſos ſpei principem. Die ejusdem menſis 18. obiit Presburgi quoque Archiepiſcopus Strigonienſis Georgius Szeczenus Ungariæ Primas, ætatis anno 103. qui emeritæ, affectæque militiæ Noſocomium quadringentis florenorum millibus, præter alias pias cauſas fundavit, legavitque Cæſari Mammerstorffium, vino & frugibus feraciſſimum. Aſſiduus interea utrimque futuræ fervet expeditionis apparatus, eo Turcis ferventior, quòd Muſtapha ipſe cum novo Vezirio (priore ob clandeſtinas Janizatorum in ſe fotas factiones ſtrangulato) in campum eductutus exercitum, fœcundiorem ex recuperata, ſeu potiùs à Venetis incautius deſertâ Chii inſulâ, ſperaret belli aleam. Belgradum igitur cum exercitu, & Valida matre ſua, fœmina ædepol ſagace, concedit, Petrovvardinum aggreſſurus: ubi verò intellexit firmius urbem communiri, & in ejus tutelam & defenſionem Chriſtianorum ibidem exercitum deſudare & adeſſe, paratum in omnem hoſtis adventum, transmiſſo Danubio in 1695.

Mortuo Achmete ſuccedens Muſtapha confirmatur Szeczeni Arch. Strigon. defuncti liberalitas.

Chium Veneti deſerunt.

1696.

Muſtapha Lippam opprimit,

Tranſilvaniam irrupturus, Temeſwarii conſedit; inde Lippam 15. millibus ſubitâ vi, armatáque manu opprimens, cæſis 550. præſidiariis, ſuorum autem 2000. amiſſis vulcano conſecrat, poſtquam machinas bellicas, viginti mille farinæ centenarios, & avenæ modios 70000. eduxiſſet:

Et Titulium.

aliâ exercitûs parte 17. Septembris Titulium eâdem vi occupat, captisque 1600. præſidiariis fortificationem in aërem vibrat; atque ita ſine offenſione Tranſilvaniam inſiliens, ut, viſcera ejus penetraret, uſus celeritate caſtra Friderici Comitis Veterani (cui hanc conſervandi commendata erat provincia) juxta Lugos 58. millium exercitu 20. Septembris circumcingit, & perrumpit;

Tranſilvaniam inſiliens Veteranum circumcingit, cadit & perimit.

pugnabat Veterani miles (6500. cenſebantur, omnes generoſi & exercitati) cum duce ſuo fortiter ac deſperatè; ſed multitudini cedens, octingenti pedites dum intra carraginem hoſtilem diutius ſuſtinent furorem, magna equitatûs pars cum Truchſeſio Caranſebes elabitur: dux ipſe Veteranus duplici licet vulnere globi & enſis in capite ictus ſuos iteratò in hoſtem educens, globo tandem ſecundum pectus perforatur, quem 500. equites vivum adhuc pugnæ ſubtracturi, deficientibus tamen ejus viribus equo delapſus inter circumſtantem hoſtium multitudinem moritur, ſociis, ejus juſſu, quantum licebat, hoſtem perrumpentibus. Tyrannus laudans in hoſte fortitudinem, delatum ſibi herois caput cum cadavere jubet ſepeliri. Eandem mortis urnam ſubière Princeps Lichtenſteinius, generalis vigiliarum præfectus de Pace, Marchio de Mirmillis, Schenckendorffius, Comites Arenetus & Cuſanus, pluresque tribuni ac protribuni cum 2500. gregariis, & tormentis, impedimentisque omnibus. Cruentè ſanè & carè hanc Turcæ licitati ſunt victoriam 12000. cæde; neque libitum fuit eam ultra proſequi, quòd Fridericus Auguſtus Saxonum Elector & Caprara juſto cum exercitu appropinquarent, qui hoſtilis conſilii & periculi Veteranum quidem præmonuerant, ſed variarum, fluminum paludumque obſtaculis remorati, hoſtium celeritatem aſſequi, cædemque avertere non poterant:

Auguſtus Saxon. Elector Veteranum præmoneas ſuccurrere nequivit

præmittebat tamen Elector turmas aliquot Devam & Jenum, ut trepidantes exercitu mox adfuturo confirmarent, & colligens cædis reliquias, quas Truchſeſius deſertâ exutâque præter pauca tormenta conclavata, apparatu Caranſebe, tantæ hoſtium multitudini impari, ad Ferream, ut vocant, Portam tranſtulerat, ulteriorem hoſti ingreſſum ſuis 4000. impediturus.

Muſtapha Caranſebem capit.

Muſtapha proximum Electoris adventum audiens, Chiaflerum Baſſam cum relictis Belgradi copiis ad ſe vocat, & everſis poſtmodùm Caranſebis munitionibus Danubium & Belgradum cum exercitu repetit ulteriorem copioſiori ſuorum ſanguine cruentatam faſtidiens prælii fortunam. Hujus Elector rei ſecurus, diſpoſitis militi hybernis, dimiſſisque Tranſilvaniæ legatis, qui de patriæ ſuæ periculo & ſecuritate conſulturi advenerant, ipſe Viennam Cæſari expeditionis ſuæ ſeriem relaturus, decedit. Starrenbergus interea Petrowardini in omnem officiendi hoſtibus occaſionem intentus, Sabacium in Savi inſula, ubi hic maritatur Danubio, & Cabinovam oppidum occupat, Muſtapha verò per Valachiam reverſus Conſtantinopolim triumphali pompâ cum matre ſingulari urbis lætitiâ excipitur, ubi proſpero, ut ſibi videbatur, elatus eventu, illico ferventiorem mandat maturæ expeditionis apparatum, ut medio Aprilis anni 1696. peditatum præmitteret Adrianopolim, ipſe mox ſubſecutus Aſiaticum luſtraturus militem, Feriolo nuper ad Tôckeliū, nunc ad Sultanum legato gallico ad caſtra comitatus. 1696.

Nec ſegnior Saxonum Elector, collecto exercitu, militarique habito ad oppidum Aradſca conſilio, ipſe cum Heidersheimio Temeſwariū oculis perluſtrat, præſidiariis intra & extra urbem frequenti, ſed irrita exploſione & velitatione arcentibus, referebatque inter captivos ſignifer octo millibus urbem præſidiariis munitam. Belgradum igitur properat Sultanus Tartarici adhuc dubius militis, ob interceptum à Moſco Aſophum, olim Tanas, Alexandri Magni, & Cæſaris aris & mercaturis celebre.

Moſcus Aſophum capit.

Deinde Danubium, Savumque pontibus inſternit, ut quo ſe verteret, anceps hæreret Elector; ubi autem reſcit hoſtem tranſire Danubium, exercitum applicat Temeſwario, Starrenbergo Titulii recuperari curam commendans, qui paulò pòſt Electori ſignificabat tres Chriſtianæ claſſis naves ab hoſte, non abſque ipſorum tamen 1500. nece ſubmerſas,

Titulium Starrenbergus recuperat.

relicto propediem Temeſwaro Muſtaphæ haud procul Olaſcho prælii aleam experiturus occurrit, reductis gravioribus in Arath inſulam tormentis. Turcæ quamprimum Chriſtianorum in acie exercitum cernunt 21. Auguſti appropinquantem, irruunt; ſed ita repulſi, ut cedente eorum equitatu, peditatum Chriſtiani jā aggreſſuri, noctis caligine impediebantur: die alterà viſum eſt opportuno eos & communito inter paludes caſtrorum loco ſine atroci certamine, multoque ſanguine dejici non poſſe; retroceſſis igitur 3000. paſſibus tormentis utrimq; acriter per diem eſt actum, uſque dum è caſtris in planiciem eliciti Turcæ inſtructâ unius lineæ acie progrediuntur:

Prælium prope Olaſchum.

dexteram cujus alam denſū nemus, ſiniſtram triplex defenſat carrago, ferreis connexa catenis, antè paludes, retrò claudebat fluvius Bege. Hos circa 5tam veſpertinam Chriſtiani fortitudine incredibili aggreſſi modò pellebant, modò pellebantur, donec pertinaciter utrimque certantes nox diremit, quæ in alteram Chriſtianos diem in armis paratos tenuit; Turcis verò congeſtitiâ carraginem ſuam loricâ & ſepimento ita muniendi tribuit facultatem, ut ſine copioſi ſanguinis impendio ejici modò non poſſet, quamvis heſternâ die fermè eſſet occupata, niſi Sultanus ipſe fugientes ferro repellens, demiſſo equo pedes eam defendiſſet, deliteſcente igitur intra valla Sultano Elector ex annonæ defectu ad oppidum Chambors, ſpectante, & nequicquam impediente hoſte quierè pernoctans, 29. Auguſti Titulium verſus ad Starrenbergii copias divertit, relictis Sultano aliquot ſpontaneè tormentis, tum quòd corrupta, tum quòd jumentorum inopiâ promoveri non poterant; devoravit tamen hæc pugna 3000. velut alii volunt 4000. Chriſtianorum, quos inter Polandus & Spiegel Generales ex vulnere mortui: Hâuslerus Heidersheimius, & Vaudemontius ſauciati; Turcarum verò ultra 8000. cecidiſſe referebat biduo poſt pugnam captus Maniſſæ Baſſa, dicebaturque certam plenamq; victoriam Chriſtianorum fuiſſe diſcordiâ interruptam.

Polandus & Spiegel mortui.

Victoria Chriſtianorum diſcordiâ corrupta

Refectus Temeſvvarii per aliquot dies Turcarum exercitus Danubium verſus, Banzovam inter & Borzam conſidens (unde Caprara exercitui ab Electore Viennam abeunte præfectus, Tranſilvaniæ metuens, Truchſeſiū cum 4. legionibus Jenoū in ſubſidium Comiti Rabut. ſubmittit)

1697. tit) plurimis Belgrado obſidionalibus inſtrumentis inſtructus, 30. circiter millibus Moravitzum Sclavoniæ oppidum, trajecto Petcilyno loci præfecto, deditione capit, diripit, & flammis ſubjicit. Tum Muſtapha cum Janizarorum Aga rediit Adrianopolim, quem diſtributo in hyberna milite ſubſecutus eſt Vezirius. Tôckelium verò & Chiaſterum Baſſam Tranſilvaniæ, & ſuperioris Ungariæ invaſionem cum 12000. minitantes Rabutinus majori auctus ſupplemento, Temeſwarium redire coëgit. Interea Batthianus Croatiæ Banus infeſta prædonum caſtella Uranogræcium, Neo-Tudorovium, & Velkladiſcham haud procul Carlſtadio ſita deditione occupat, multis ibidem Chriſtianis captivis in libertatem aſſertis; plures enim ex præſidiariis Mahometani abjurato Mahometo baptizati, ſufficientibus ad honeſtam familiæ ſuſtentationem ejusdem loci prædiis ſunt donati. Amplum quoque Cæſaris clementiâ prædium hoc conſecutus eſt anno Baſſa quondam Novigradenſis, poſtmodùm Vicepræfectus Budenſis, in urbis occupatione captus, dum aſſumpto Chriſtianiſmo in domeſtico Imperatoris ſacello per Epiſcopum Viennenſem cum uxore eſt baptizatus, aſſiſtentibus patrinis Imperatore & Imperatrice, ac Rege Joſepho, aureâ mille imperialium catenâ inſuper muneratus. In ſuperioris Ungariæ oppido, Pôtz dicto, prodigioſè hoc tempore lacrimari viſa eſt icon Deiparæ, ſinu Chriſtum geſtantis, quæ ad pii cultûs augmentũ anno ſequenti Viennam venerabiliter eſt delata.

Batthianus Banus Uranogræcium, Neo-dorovium & Velkladiſcã capit.

Baſſa Novigradenſis cum aliis baptizatur.

Icon B. Virginis lacrymatur.

1697. Martis annum 1697. initiavit Wihatzii per Com. Averſbergum obſidio, quamvis minus proſpera, quam fruſtravit & annonæ in caſtris penuria, & Chriſtianorum paucitas, & Boſnienſis Baſſæ magno copiarum comitatu adventus, & præcipuè ſcelerata ſuperioris Ungariæ per Franciſcum Tockajum ſeditio in cineribus ſupprimenda: publicis ille tabulis ſeu literis indigenas ſub vitæ, bonorumque interminatione ad arma provocans, tumultuariè oppida Tockajum, Callum & Putacum tranſcendit, cæſoque germanico præſidio diripit; mox popularium multitudine auctus Onathum, & latè circum viciniam ſibi obnitentem igne devaſtaturus, à protribuno Begues penitùs cæditur, captiſque ſeptem vexillis pluribus noctis tenebræ vitam conſervârunt; quorum alias adhuc cohortes Paulus Diacus 400. ferro ſtratis, & 18. potitus ſignis oppreſſit; reliqui magnu fugientes tremore Tockajum mali plurimum ſibi ominabantur. Generalis enim Nigrellus accerſitis Caſſoviam Vaudemontio & Diaco tumultuariò inde Tockajum petens cingit, & armatâ capit manu, factioſosque ferro omnes trucidat: Putacum domuit Vaudemontius; plures palam metuentes ſceleris veniam exorârunt, reliqui ſecuritatis incerti ſuperato Tibiſco dum petunt Tôckelium, à Georgio Andreaſſio circumcinguntur: poſt longam generoſamque defenſionem cùm nullus elabendi pateret exitus, ſtipulatâ criminis gratiâ, ſi Tockajum cæteroſque anteſignanos traderent: quos omnes Andreaſſius Caſſoviam ad condignam ſceleris expiationem traduxit, atque ita factio in ſemine ſuffocata videbatur: quanquam aliquot adhuc ejusdem ſcintillas hinc inde occultè vagari funeſtum tunc arcis Jaurinenſis, & annonariæ domus Zolnocki incendium videbatur indicare, non ſine magna Reipublicæ turbatione & detrimento.

Tockaja ſeditio.

Cæſar opprimitur ab Andreaſſio.

Iſthuanf. Hiſtor.

1697. Conſtantinopolitanam verò factionem Muſtapha felici Wihacii liberatione, fictâ contra Venetos (ſuo cum diſpendio) navali victoriâ, ac nova Franciſci Tockaji ſeditione, jam oppreſſa, ſpecioſis demulcebat ampullis, & ſecundiorem belli pollicebatur eventus; qua necunque compoſita Belgradi cum exercitu, Dravum inter & Danubium caſtra metatus, navalem claſſem ad Semlinum & Salankemenum diſpoſuit. Eugenius Dux Sabaudiæ ſupremus tunc Cæſaris Legatus luſtratum Verismarti exercitum traducit Futackum, inde Cobilam, ſitu & pabulatione opportuniorem: ubi viſis Petrowardini & Tituli munitionibus, Averſbergum cum 4. legionibus equeſtribus, 8. peditum cohortibus, & 12. campeſtribus tormentis ad muniendam Salamencum inter & Titulium inſulam delegat: Turcæ enim intercepta Caranſebe (unde paulò pòſt ejecti) & trajecto Tibiſco Titulium ſpectare videbantur; quo Eugenius motis noctu caſtris properaturus, ingentem Turcarum multitudinem jam Titulium appuliſſe à Generali Nehm, ſuis cum cohortibus ibidem invigilante intelligit, qui hoſtium numero cedens quadringentorum cùm vulneratorum, tum interſectorum ſtragem velitando eſt paſſus. Raſciani quidem præſidiarii cum aliquot equitibus primos ſuſtinendo impetus, ſalutem tandem pedibus noctu quæſierunt; Turcæ autem eductis tormentis locum flammis ſubjiciunt, & bipartito exercitu cis & trans Danubium navali accedente claſſe Petrovvaradinum petere videbantur, haud exiguo præſidio, ſub ſupremo vigiliarum præfecto Goulone & binis machinatoribus Dumonte ac Etrichio probè inſtructum. Eugenius ſuppeditata caſtrenſi in diem undecimum annona, omnium conſilio dum ad loci defenſionem propediem adproperat, cunctorum relatu exploratorum intelligit, hoſtem ad oppidum Zentam deflectere, Segedinumque veroſimiliter invaſurum. Idem captus firmiter aſſerebat Baſſa, explorandi etiam cauſa emiſſus, Muſtapham quidem Tôckelii, aliorumque perſuaſione facilem Segedini invaſionem intendiſſe; inſequente autem illum Eugenio Zentæ, loco triplice aggere & ſepimento circumvallato adhucdum ſubſiſtere, & inſtrato novæ, commodæque inventionis ponte Tibiſcum cum exercitu jam tranſire, inque ſuperiorem Ungariam Tranſilvaniamque irrupturum. Hac veroſimili inſtigatus relatione Eugenius cum equitatu, & re tormentaria Zentam prævolat, jamque 25000. exercitatiſſimorum Janizarorum & Arnautarum Tibiſcum tranſiectant, manente in altera fluminis ripa Muſtapha cum reliqua exercitus parte; Arnautæ verò audientes Eugenium cum Chriſtiano approximare exercitu, fugam per pontem cum Janizaris meditantes, à Vezirio vi, & aliquorum nece repulſi, ipſum tumultuantes Vezirium proſternunt, ab ipſis ſubinde Spahis ex altera parte armata manu tranſire prohibiti.

Conſtantinopolitana ſeditio.

Eugenius Sab. fit archiſtrategus

Turcæ Titulũ occupantes Zentam deflectunt.

Quo Eugenius contendit

Adeſt interea Eugenius, hoſtẽ confuſè adhuc Tibiſcum tranſeuntem cernens, accedente mox peditatu in ordinem inſtructo binis, aut ternis, ante ingruentem noctem horis tumultuariè magnoque animo aggreditur, & directis ex utraq; ala in hoſtilem pontem tormentis, totis irruit in illum viribus: peditatus imprimis alæ ſiniſtræ tranſcenſo expeditè hoſtili aggere, ruptiſque ordinibus perrumpit, & aditum hoſti ad

Hoſtem aggreditur & cadit.

1698. pontem intercludit, quem ponè ad ipſos adeò aggeres ſubſecutus equitatus grandeio, támque inauditam edidêre ſtragem, ut deſcenſis equis per ſtrata in foveis & ubique cadavera viam ſibi ſternere fuerit neceſſe; uruverſus enim hoſtilis peditatus, exceptis Sultani prætorianis in ore gladii, vel Tibiſci aqnis perüt, plurimis fruſtra Baſſis vitam prece ac pretio deprecantibus: nox incumbens paucos perſequentium gladiis ſubduxit, quanquam non pauci ad aliquot paſſuum millia pugnæ prædæque ardore abrepti fuerint: neque à paucis fuit exiſtimatum, ſubſtitiſſe defixum inter aſtra ſolem, repetito veteris ævi miraculo, ne Leopoldi victoriam, glóriámque Eugenii properatâ nocte interciperet. Nocte ingraveſcente convocatus ad ſigna miles, die alterâ grandiorem opinione miratur hoſtium cladem, & dimidiâ ultra Tibiſcum horâ ſpectat hoſtilia miræ capacitatis caſtra, quæ transfugarum relatu heſternâ hoſtis die metu terroreque conſternatus Muſtapha cum equitatu deſerens, relictis omnibus fugit Temeſvvarium: emiſſi propediem aliquot ex ſingulis legionibus milites, incredibilem ſpoliorum, tormentorum, annonæ, papilionum, camelorum, jumentorum, apparatûsque bellici (qui adhibitâ licet diligentiâ, cujusdam tamen militis incuriâ igne poſtmodum fuit conſumptus) multitudinem collegerunt. Hungaricus mox etiam levis armaturæ eques ad 5. paſſuum millia hoſtium fugam proſecutus (quâ gente vix alia in hanc rem expeditior, ſive induſtriam, ſive etiam ſpectes celeritatem) opulenta quoque ſpolia, armorum per vias copiam, plurima occiſorum aut morientium cadavera & bellica tormenta, quæ in tanta fugæ præcipitantia promoveri non poterant, oſtendit: quare Glöckelsbergus tribunus cum 600. equitibus in eandem hoſtium inſecutionem eſt expeditus. Cæſa credebantur Turcarum 22000. cum ſupremo Vezirio & Janizarorum Aga, quinisque Beglerbegis, plurimis Baſſis & centurionibus: capta & ſubmerſa 15000. Tibiſcus enim cadaverum congerie inſulatus transvehi non poterat: ſpolio ceſsêre præter 3000. flumini immerſa adhuc novem plauſtrorum millia, ſexcies mille ſarcinari cameli, 7000. equi, 100. murales, & 60. campeſtres machinæ, vexilla 500. prætoriana verò ſeu caudata ſeptem, omnes quoque papiliones, quos inter imperatorius Muſtaphæ, pretio ultra 40. millium florenorum, ejusdemque rheda octojugis, improbâ pellicum merce ſarcinata; militaris quoque cancellaria, & ærarium tribus millionibus dives; ſigillum denique imperatorium Sultani, quod ex more gentis ſupremus ſemper & ſolus Vezirius è collo gerit, ejusdemque magni valoris acinacem Eugenius ipſe Cæſari detulit, labara verò cum victoriæ nuntio per Dietrichſteinium eò præmiſit. Chriſtiani exercitûs jactura intra 430. occiſorum, vulneratorum autem 1593. numerum ſubſtitit, horum præcipui Häoslerus, & Saxonum mareſchallus Comes Reuſſenus, poſt dies aliquot ex vulnere mortuus, ut proinde glorioſa hæc & illuſtris victoria ad tertium Idus Septemb. parta, ſingularem Cœlitum favorem complecti, & turcici regni videatur deliquium. Hoc indubitatum & notatu dignum, Chriſtianum exercitum ad certamen cum Turcis properantem aliquot prævolâſſe aquilas felicis ab Eugenio pugnæ ominatrices interpretatas.

Muſtapha relictis caſtris fugit Temeſvvarium.

Cæſorũ numerus cum Vezirio.

Spolia opima.

Aquilæ victoriã prænuntiantes.

Vix ſubſtitit ex fuga Temeſwarii Muſtapha imminentem in proximo metuens victorem, Benzovam, inde propediem Belgradum terroris adhuc alis provolat, ubi militari convocato conſilio horrendæ & irreparabilis ſtragis cauſam audit ſtolidam Vezirii & Janizarorum Agæ in re militari fuiſſe imperitiam, quorum perſuaſione transvecto in alteram Tibiſci partem equitatu, peditatum omni prodigè nudaverint ſubſidio. Defatigatus itinere & prælio miles Chriſtianus, dum lautiſſimis ſuis recreatur ſpoliis & manubiis, opportunè quoque à ſuperveniente quæſtore caſtrenſi Com. Scallenbergo merito donatur ſtipendio: Vaudemontius & Gronsfeldius autem cæteris ſtrenuiores equitatûs Generalatu nobilitantur, aliis alii ob heroicam fortitudinem militaribus condecorantur præfecturis. 1698.

Stragis turcica cauſa Vezirius

Vaudemontius & Gronſfeldius facti generales.

Eugenius poſt hæc panico hoſtem terrore perculſum ac confuſum Temeſvvarium uſque inſectari decreverat, oppidumque invadere; ſed aëris tunc pluvioſi tempeſtatibus detinetur, vel eâ etiam imprimis cauſâ, quòd valido urbem 12000. præſidio, copioſoque apparatu & commeatu ad vim omnem arcendã Muſtapha communierit. Superato igitur ob cadaverum fœtorem Tibiſco caſtra ad Caniſcham minoré transfert, inde General. Rabutinum cum 4. legionibus in Tranſilvaniam, de Pace, & Glöckelsbergum in Ungariam ſuperiorem, & partem equitatûs Varadinum verſus demittit, cum reliquo exercitu Sentovæ diebus aliquot conſidens, peditatum cæſareum deſtinat Mohacium, equitatum, & Saxonicum militem Peſthum verſus, Budam Brandeburgicos, rem tormentariam in Bohemiam ablegat, ipſe cum delecto IV. mille equitatu & 2500. peditatu, tormentisque aliquot in Boſniam ſereniore cœlo irrumpit, & terrorem latè circumferendo Dobajum & Maglojum haud ignobiles adeundæ provinciæ arces, Schebze, Brandakum, Serraglium & Teſchenũ occupat, ac omnes præterquam primam & ultimam arces flammis deſtruit; atque ita ingenti ſpoliorum copiâ ditatus glorioſè militi aſſignat hybernacula: quæ & ſuis Rabutinus everſis prius Vipalancka & Banzovâ indulſit.

Eugenius varus locis in Boſnia occupatis militem ad hyberna dimiſit.

Muſtapha interim Belgrado Adrianopolim contendit peſte infectam, quâ & Conſtantinopolis contaminata igneum in aëre globum, minus ſibi fore propitium dirè exhorruit: ſubſecuta verò aliquot adhuc Muſtaphæ impedimenta & pellices, Chriſtianorum manibus ægrè ad Zentam erepta, Raſciani & Huſari in Servia interceperunt, & mortis libitinæ immolarunt. Cæſaris fœderati, Veneti dubia ſemper cum Muſelmannis naumachia haud magno Reipublicæ emolumento hujus etiam anni expeditionem abſolverunt. Polonos verò Joannis III. Regis ſui anno præterito defuncti mors, & ſucceſſoris electio in fatalem & irreparabilem præcipitavit ruinam, potentibus utrimq; pro corona candidatis, Electore Saxoniæ Friderico Auguſto, & Contio, gallico regii ſanguinis principe: primus Badenæ Auſtriæ fidem Romano-Catholicam profeſſus, regnum etiam potioribus, ſuffragiis adeptus eſt, & mox Cracoviæ coronatus: Contius cum claſſe gallica Danniſco repulſus; Suecorum denique ope & ſtudio Fridericus poſt annos aliquot Regno ejectus, electus eſt Stanislaus, nec hic à Republica, Moſcorum opera, acceptus, ſicque civili, exitialique implicata bello fœderata Polonia Turcis metuenda non fuerit: at Ryſvvicenſis inter Cæſarem & Gallum pacis fama, ſumptuoſiſſimo convivio & tripudio Conſtantinopoli à Batavorum legato Coliero feſtiviſſimè celebrata, graviſſimè animum percuſſit Muſta-

Globus igneus in aere.

Joannis Regis Poloniæ mors.

Frid. Auguſtus Saxon. Elect. fit Catholic.

Et Rex Poloniæ.

Pax Ryſvvicenſis Cæſareo-Gallica.

1698. Muſtaphæ, jam tum ſentientis omnes Cæſaris vires, Gallo utcunque enervato, ſibi mox enervando & ſupprimendo fore impendendas, dum Ryſwicenſis ſe pacis tabulis, uti Galli fore perſuaſerant, audiret non comprehenſum. Pacis igitur negotium pronis quidem animis affectabat Porta Ottomannica; ſed illam à Britannis & Batavis legatis caduceatoribus palam petere, Muſelmannica vetabat arrogantia, & cum tanto Regni diſpendio, Alcorani leges haud permittebant: Imperii tamen ne urgens nimiùm pateret neceſſitas & anguſtia, Valida Muſtaphæ mater gazas & cimelia ſua, ſinguli aulæ, imperiique miniſtri pro ſua quiſque officii & ſtatûs dignitate ad militum, nervi, apparatûſque bellici ſupplementum, decretum ſuppeditare debebant pecuniæ ſubſidium: novi quoque in defunctorum dignitatem ſuſficiebantur Janizarorum Aga, & ſupremus Vezirius, qui Kaimakanus fuerat, cunctaque ſedulò ad anni 1698. expeditionem adornabantur, novi candato labaro provocabantur tyrones; magnum præterea Muſtapha Adrianopolim convocat conſilium, cui & Tôckelius intererat, & gallicus legatus, in promovenda pace convenientes, dum Perſarum etiam Rex novum per fecialem bellum denuntiaret, & Moſcus deleto non ita pridem haud procul Aſopo Turcarum ad internecionem exercitu, validiora pararet arma, quæ, niſi & fataliora fortè prænuntiaret cometes, magno viſus Adrianopoli horrore: hinc prædictos Muſtapha legatos caſtra ſpe pacis cudendæ ſequi, vel Chiauſium ea de re Viennam mittere deſiderabat. Hoc Britannus legatus ob Turcarum arrogantiam non expedire, ſed impedire potius prævidens, ſuum Viennam deſtinat ſecretarium, Muſtaphæ mentem, cuncta, excepto Belgrado, cedendi Cæſari propoſiturum.

Quâ Turca territi, pacem affectant.

Perſa & Moſcus Turcis bellum indicunt.

Cometes viſus Adrianopoli.

Interea tamen temporis initio Februarii Turcæ Belgradenſes VI. millibus ultra Maryſium excurrentes, Cæſareanorum tunc quidem vigilantiâ repulſi, aliàs autem Segedinum verſus Chonodam arcem, & ultra Maryſium obvios circumquaque pagos opprimentes, cæſis ſeniculis juniores cum jumentis Segedinenſibus in captivitatem abſtraxerunt. Pari viciſſim fortunâ tum Segedinenſes, tum Solnii, & Caranſebis præſidiarii haud exiguum pecudum gregem Temeſwarienſibus, necatis Turcarum plurimis abduxêre; Turcæ verò reſtauratis interea Banzovâ, Orſavâ, & Vipalanckâ ad invadendum commodius Titulium, dum Guid. Starenbergi & Nehemi vigilantiâ prohiberentur, Temeſwarium ſuâ propediem opinione à Chriſtianis certò invadendum, abundanti & commeatu, & apparatu bellico, & militari præſidio inſtruunt, luſtratoque Belgradi exercitu Danubium tranſituri videbantur; quod ut percepit Eugenius, collectâ ad Tibiſci Tractum ingenti commeatûs copiâ, Petrowaradini caſtra metatur, hoſtis adventum expectaturus, vel illum inveſtigaturus.

Turcæ verſus Segedinum excurrentes omnia devaſtant.

Adeſt interea temporis Viennæ Britannici Legati ſecretarius Schreierus, oblatam à Muſtapha pacis conditionem Cæſari proponens, quam Leopoldus Ezaario Moſcorum Duci Petro Alexowicio, ſuo contra Turcas confœderato, nunc Viennæ præſenti, & familiariter intimèque converſanti aperit, & hic viciſſim illi inſignem Tartarorum ſtragem, qua Moſci 40000. equorum, cæſis fugatiſque cuſtodibus feliciter è paſcuis abduxerunt. Hic Ezaarius Petrus luſtratâ Hollandiâ & Germaniâ ampliſſimis ubique honoribus apud Anglos, Batavos, Brandeburgicum, Saxonem & Romanorum Imperatorem exceptus eſt, & ſingulari Cæſaris gaviſus eſt amicitiâ, nunquam, ut ajebat, in mente obliterandâ; jamque Romano accinctus ad Pontificem itineri, periculoſâ Strelitzorum, ut vocant, factione per Poloniam (ubi eximio abs Rege Friderico Auguſto cultus honore, eique perpetuò fœderatus omni conatus ſtudio à Sueco poſtmodum throno ejectum eundem reponere) in Moſcoviam revocatur, quæ ſub initium tamen ſuppreſſa, graviſſimis poſtea pœnis in anteſignanos animadvertit.

Petrus Ezarius ſalutans Cæſarem luſtrat Germaniam, Hollandiam.

Et Poloniam ob factionē redit in Moſcoviam. 1698.

Haud abſimilis Hermannopolis duarum levis armaturæ legionum Herbevillicæ, & Saxo-Gothicæ in cinere gliſcentis factio opportunè eſt ſuppreſſa, qua clandeſtini conſpiratores 20. die Auguſti ſub medium noctis omnibus tribunis & ſubtribunis, centurionibus & ſigniferis è medio ſublatis caſtra expilare, tum quinque aliis ad Devam & Dobram reſidentibus legionibus in partem ſollicitatis, Generalem Rabutinum & Leiningum trucidare, atque ita traditâ in manus hoſtium Tranſilvaniâ Ottomannicam ſequi militiam convenerant. Rem ab incautis militibus inter ſe conferentibus mulier marito prandium ad equorum paſcua deferens, ſollicitè ſolerterque expiſcata, redeuntem ad hoſpitia maritum multis inter amplexus lacrimis, ſub interminatione Dei, proditoribus nunquam propitii, & fatalis ut plurimùm exitûs rationibus compellavit, & compulit adeò conſcientiam ejus, ut ſine mora proditionis modum aperiret centurioni, & Comiti Leiningo, qui complices palo, glande, & fune; anteſignanum verò exquiſitiſſimis mactavit tormentis; hic autem candentibus membratim excarnificatus forcipibus primum neutiquam incentorem voluit prodere: In barbaros cadebat ſuſpicio, qui, quòd nec vi & armis, nec inſidiis & dolo quicquam efficerent, altero pacem nuntio Viennæ urgebant.

Factio Hermanopolis ſuppreſſa

Convenientibus itaque Confœderatis in pacis tractandæ locum Carlovvitzium in Sirmio, medium inter Petrovvardinum & Salankemum, Cæſar illuc Wolfgangum Comitem Ottingenum, & Leopoldum Comitem Schlickium, cum adjuncto Comite Marſiglio, linguæ, & rerum turcicarum admodùm gnaro delegavit: Veneti Ruzzinum, Polonus & Moſchus ſuos eò deſtinârunt Legatos: Muſtapha verò Soldanus Mehemetem Reys-Efendum, ſeu magnum Cancellarium, & Alexandrum Maurocordatum, Græcum, nobili genere Scarlatum amandavit, armiſtitiumque imprimis in Sirmio inter Petrovvardinum, Danubii Savique Tractum eſt proclamatum in Legatorum ſecuritatem, & maximo deinceps honore & obſervantiâ Belgradi à Turcis ſunt culti Wilhelmus Pagetus Britannicus, & Jacobus Colyerus Batavicus legati pacis mediatores. Prima Idibus Novembris habita conferentia graves ſubinde partium exortæ ſunt differentiæ; Ottomanni ultra Tibiſcum & Maroſchium nullam Cæſari munitionem extrui, ſibi eoſdem munire limites volebant permitti: Polonorum Moldaviam, Walachiam & Caminecum exigentium prætenſionem felix Tartarorum de Polonis victoriæ ſucceſſus fruſtravit. Inſignis è contra Moſcorum de Tartaris ad oppidum Or obtenta victoria, ejuſdemque urbis occupatio

Pax Carlovvicii componitur.

Moſci Tartaros cadunt.

1699. non generalem (quod rerum & temporis impediebat anguſtia & difficultas) ſed biennalem & favorabilem ſatis pacem, ſeu potius armiſtitium per Procopium Regdanowicium, Moſcorum Carlowicii Legatum extorſit. Durior Turcarum erga Venetos erat pertinacia, repetendo, & demoliendo plura ab his intercepta hoc bello oppida, Lepantum ſcilicet, Preveſam, Caſtelnovum, aliaque plura; quam demùm proſpera ad Metellinum Delfini cum Mezzomorto temperavit naumachia, 30. Septembris habita, & fugiente Mezzomorto triumphata; bimeſtrem igitur Venetus urgebat pacis dilationem, legatis aliis id juſtè recuſantibus. Tandem 26. Januarii anni 1699. pax Cæſarem inter & fœderatos Polonos Venetosque in annos XXV. cum Ottomannis ſancitur his tabulis: Ut jure perpetuo Tranſilvania cum Hungaria reliqua (Temeſvvarienſi ad Maroſchium & Tibiſcum uſque ditione exceptâ) Cæſari ſint aſſerta: ad Polonos Ucrania & Podolia cum Camineco redeant: Veneti Naupactum cum ſinu Sardonico reddant, Romeliam & Preveſam demoliantur, Moream, S. Mauram & Leucadem inſulam, io Dalmatia caſtella Cbnin, Sing, Citluch, & Gabellam hoc bello parta poſſideant. Inſtrumentorum, ſeu tabularum ſubſcriptionem ac permutationem ſubſecuta eſt limitum diviſio, ſine ſpinis, tricisque non tranſacta: tum à Cæſare juxta pacis articulos ad Turcarum Sultanum ſolemnis per Wolfgangum Comitem Ottingenum expedita eſt legatio, & munerum unius millionis donatio, nec non mutua Muſtaphæ ad Cæſarem per Ibrahimum Baſſam ſupremum ad mare nigrum contra Moſchos militiæ præfectum cuo pari muoerum oblatione: domus verò conferentiæ, ſeu tractatæ pacis Carlovvicii Patribus Franciſcanis à Cæſare donata, in templum Deo pacis auctori dedicata eſt, multosque & pactæ pacis celebritas, & loci amœnitas, & habitandi commoditas attraxit accolas.

Venetorum victoria.

1699. Pacis Cæſareo-Polono-Veneta conditiones.

Solemnis utrimque legatio per Com. Ottingenum & Ibrahimum Baſſam.

Domus pacis Franciſcanis data.

Talis fuit ſæculi decimi ſexti felix, fauſtusque Chriſtianis exitus & finis, quo Ungaria cum Tranſilvania Ottomannica hactenus ultra ſæculum oppreſſa ſervituris barbarie, Chriſtianæ nunc tandem libertati reddita, ſenidenos intra annos tota Leopoldo Magno & Pio multo ſanguine fuit glorioſè aſſerta; ſed ipſo mox Auſtriaco Principum Regumque ſanguine fuiſſet inundata; divina niſi clementia, quæ Auſtriacam hacteous domum mirabiliter exaltavit, propagavit, & conſervavit, atrociſſimam omninò necem cunctis inauditam gentibus avertiſſet. Turbulenta ut plurimam Ragotziana, ut paſſim patuit, familia graviſſimas Auſtriacæ Domui injecit ſollicitudines, & Vatiniano quodam exarſit odio. Modernus imprimis Franciſcus Ragotzius Leopoldo Cæſari offenſus, ſive quòd Imperii Romani Principis titulum ex connubio Priocipiſſæ Haſſo-Rheinfeldenſis, ſibi ut videbatur debitum, denegaverit: ſive alio Hungaris inveterato in germanam gentem, ſuæ, ut ajunt, libertatis hoſtem, odio; ſive ob religionis diſſidium in totius Auſtriacæ Domûs necem unà cum Beretſchenio, Sitmajo, & aliis 82. Regni magnatibus impiè ſimul & crudeliſſimè conjuravit in vernalibus Laxenburgi recreationibus, circumfuſo decem millium exercitu ad internecionem omnium inferendam. Neve res Cæſari foret ſuſpecta, jactabant militem communibus Regni opibus in Regis ſervitiuto auctorari. Suiſmet autem viribus tem perficiendam diffidens Ragotzius, conjuratorum conſilio & conſenſu Longuevalum Badenæ legionis ibidem hybernantis centurionem, cujus fidem & operam ex cootracta conſuetudine probaverat, cum literis & inſtructione ad Ludovicum XIV. Regem Galliæ in partes ſuas hoc nunquam tam opportuno belli tempore ſollicitandum præmiſit; qui & conjurationis conſilium probavit, eâdemque à Regni Primatibus & Comitatibus quamprimùm ſubſcriptâ, 2. librarum milliones, & pro auctorando milite centum millia Imperialium numeraturum ſe propediem literis appromiſit. Has verò mutuas confœderationis literas & acta Longuevalus Cæſari fidelior aperuit, ejusdemque licentiâ utrique detulit parti; ultimas tandem Regis Ludovici literas rei jam expeditæ ad Ragotzium delaturus, Viennam declinans Cæſari tradit, cujus quamprimum imperio Comes Solarius Ragotzium, Adamum Vayum, & Sirmajum ſuis in arcibus captos 29. Maji 1701. Neopoli tradit cuſtodiæ: ubi paulò pòſt perduellionis, & læſæ majeſtatis rei literis & confeſſione propriis convicti, Sirmajus pœnâ capitis, Ragotzius carceris perpetui, ut ajunt, Rotenburgi in Comitatu Tirolenſi; ubi & Setinius demens & elinguis nuper obierat, ſunt damnati; dilatum verò Ragotzii ſupplicium ob inſtans uxoris puerperium, magnum poſtmodum excitavit rebellionis incendium: nonâ enim Novembris Ragotzius à Godefrido Lehman centurione (cujus cuſtodiæ traditus fuerat) ſpe & promiſſo 20000. florenorum horâ noctis octavâ ſub veſte dimachi avenam deportantis cuſtodiâ dimiſſus & elapſus, paratis à fratre Chriſtophoro Lehman equis effugit; quem ſimulatè Godefridus equo inſecuturus, à ſuo vigiliarum præfecto ſuſpectus arreſto eſt mancipatus, paulò pòſt ſceleris coovictus, capite eſt dimiourus, & quadripartitus; Ragotzii vivi traditoribus decem millium florenorum; percuſſoribus verò ſex millium conſtitutum eſt præmium. Publicata demum in illum 30. Aprilis 1703. capitis ſententia, ejusdemque bona fiſco ſunt adjudicata. *Pinguior*, inquit Seneca, *mactari victima non poteſt, quàm homo ſceleratus.* Longuevalus autem io præmium fidelitatis ſuæ liberaliter à Cæſare legionis præfecturâ, Baronatûs dignitate, & egregio in Croatia dominio fuit mactatus. 1699.

Ragotzii & Regis Galliæ in Cæſarem conjuratio prodita.

Solarius Com. Ragotzium captivat.

Ragotzius per Lehman è captivitate elabitur.

RERUM

RERUM HUNGARICARUM
LIBER L.

1701. Ragotzius carcere elapſus Ungariam invadit.

Franciſcus Ragotzius fugâ è carcere ita feliciter elapſus 1703. gallicis & Bavaricis conſiliis, auro & milite ſufficienter confirmatus, haud exiguo ex Germanis, Polonis, Ungaris & imprimis Bavaricis conflato exercitu, gliſcentem adhuc Tôckelianam ſub cineribus excitans factionem, Ungariam Presburgum uſque irrumpit, divulgatis per totum Regnum literis ad arma ſollicitat & cogit indigenas, inſcriptis prætorio ſuo labaro his verbis: *Pro Deo, Patria, & Libertate.* Cujus avidiſſimi Ungari, mirum quàm ingentem brevi temporis ſpatio 30. fermè millium exercitum, ſub prolegato ſuo Bereceno ad tractum Tibiſci collegerit, & quot minoris roboris oppida cæſis Germanis præſidiariis oppreſſerit: Tribunus quidem Comes Karolus ſuo illum equitatu diſſipat, conjunctus poſtmodùm tribus Montecuculi legionibus, Ragotzium haud procul Mongathio tam inopinatè opprimit, ut vix interulâ ſuâ tectus evaſerit; ſed collectis ille mox copiis tumultuariè Zeckelheidam invadit, expilat, & Germanos crudeliſſimè trucidat præſidiarios: deinde occupat Somlojum, Silojum, Caluhuſtum, & civitates montanas Cremnicium, Schemnicium, Lôveocium, Kupffenum, Kovarium, munitiſſimum Tranſylvaniæ aditum ob aquæ defectum capit deditione: quod ubi reſciit Tranſylvaniæ præfectus Rabutinus, magnis eò pervolans paſſibus, tumultuariè Rebelles aggreſſus, diſpergit, & cæſis 300. in fugam Nagibaniam agit. Vigeſima prima Octobris trium Rebellium millia præſtantiſſimæ ad Tibiſcum fortitudinis Zolnockum armatâ capiunt manu, trucidatis cum præfecto Walters omnibus præſidiariis: alii ſub ductu Pauli Otoſi & Ibrani, quondam Cæſareæ militiæ tribunorum; ſed quia in promotione neglecti ad Rebelles profugerant, ultra Tibiſcum obſident Zathmarium. Vigeſimâ ejuſdem menſis quintâ duce-ti eorum Barcanum è regione Strigonii tranſcendunt & diripiunt, crebris licet petiti Strigonienſium tormentis. Septembris initio Sebenium in comitatu Cepuſienſi, ad limites Poloniæ ſuæ faciunt poteſtatis: Berecenus paulò poſt arcem Poſavam ſubjugat, & 12. curules ibidem machinas intercipit; èontra tribunus Kyba ſexcentis equitibus tria rebellium millia prope Halas adortus, cæſis 300. reliquos in paludes propellit; illi autem Lippam opprimunt, generalem à Cæſare publicatam amneſtiam, & remiſſionem ſeceſſionis rejicientes, à Schlickio licet rurſus quingentorum ſtrage mulctati, & occupato Lovenzo montanis civitatibus privari: ad Weiſſenburgum quoque tribunus Cæſareus Thocbe 250. equitibus in ſexcentos irruens Rebelles, internecione omnes præter 30. trucidat.

Ceditur.

Cum Rebellibus varias urbes capit.

Berecenus plura occupat.

Caditur.

Nihilo tamen minus plurium acceſſione dynaſtarum, Comitis præſertim Karoli (cujus adeo bona & poſſeſſiones ſunt depopulati, ut Cæſareo fruſtratus ſubſidio ad eorum cum non exiguo equitatu profugere caſtra ſit coactus) conſtituati Leutſchaviam cingunt; & Ragotzius tam arctè Schlickium prope Altſolum circumcingit, ut vix, ſed non ſine vulgari ſtrage perruperit. Denique Presburgum uſque pervagantibus, ungarica inde corona ſecuritatis ergo Viennam eſt translata, & in validam cuncta ſunt roborata defenſionem: immo factâ in Moraviam excurſione Scalitzium occupant, & Straſnitzii poſtulant deditionem; ſed cùm Olmucenſis circuli Capitaneus vigoroſè non minùs ſtrenuè ſe opponeret, relictis omnibus fugæ ſimiles evadunt, plura aliàs tentaturi, Galliæ regis auro opitulati: Qui Rex Proteſtantes omnino omnes læſæ majeſtatis reos declarabat, qui Languedociæ Sevennenſibus, ſeu tractûs Commenii incolis, ceterùm morigeris, & nihil aliud quàm quietem conſcientiæ & religionis ſuæ libertatem inter montium latibula, ut olim Helveti, exigentibus conſilia & ſubſidia præſtiterint: quanto impius & crudelius ipſe Rex Ludovicus læſæ Cæſareæ Majeſtatis reus, qui non modò cum Ragotzio in Cæſaris, & totius Auſtriacæ familiæ, tam mirabiliter hucuſque à Deo conſervatæ necem, & omnimodam planè extirpationem conſpiravit, & ejuſdem ſubditos ungaros, & imprimis heterodoxos, tanto fidelitatis juramento ſuo Regi obſtrictos, cum ingenti univerſæ Chriſtianitatis detrimento, & copioſiſſima innocentis profuſione ſanguinis in factiones, tumultus, & crudeliſſimas ſeditiones, totiuſque irreparabile regni excidium, turpiſſimâ & inani ſuâ univerſalis monarchiæ ambitione turgidus concitavit, & omnibus adhucdum promovet viribus: ut Cæſarem tot tantiſque bellis implicitum diſtraheret. Ut verò Cæſar pro graviſſimis hiſce bellorum ſumptibus nervum colligeret ſufficientem, confiſcata nuper in Ungaria bona tribus vendita ſunt millionibus; & Teutonicorum equitum ordo ad Tibiſci tractum, ſeu campos Cumanos duos Hungariæ Comitatus quingentis florenorum millibus certis quibuſdam conditionibus ſibi acquiſivit.

Ludovicus Regis Galliæ temeritas.

Cæſar confiſcata Ungariæ bona vendit.

Ragotzianæ in Ungaria factionis incendium non regnum tantùm univerſum, ſed alias etiam adjacentes provincias, Gallorum maximè ſuggeſtione depopulatur: gallicus enim ad Ragotzium & Rebelles emiſſarius Honore Bonnet, vel Baulin cum ſocio Joanne Georgio Bolcke Viennæ à Martino Scleppach deprehenſus, à militari judicio examinatus, ultroneè confeſſus, & ex creditivis Mareſchalli Marſini propriâ ejus manu ſub 17. Januarii 1704. Auguſtæ Vindelicorum ſubſcriptis, inque clavo ejus caligari inventis literis eſt convictus, quarum hic erat tenor, & inſtructio; Ut Ragotzio & Berezeno, „ ceteriſque Rebellibus pleniſſimum Gallo- „ Bavarici exercitûs ſtatum, feliceſque ejuſdem „ priori anno in Suevia & Germania progreſſus, „ & urbium occupationes notificaret, incitaret- „ que ad conſtantem rebellionis continuatio- „

Gallus Ragotzianam conjurationem promovet.

"nem, nulla particulari uſque ad pacem uni-"verſalem amneſtiâ finiendam; ſed omni cona-"tu poſſibili Domum Auſtriacam ad extremas "redigerent unanimes anguſtias. Ad hoc co-"pioſum appatatum & nervum bellicum, om-"niaque Regis Galliæ nomine & fide offerret "neceſſaria, eaque tranſportandi modum vel "per ſe, Baulin, vel per alium Ragotzius Mar-"ſino ſignificaret &c. Hæc, inquam, Baunet confeſſus, convictus & condemnatus, patibulo ſuſpenſus periit, ſociuſque ejus Bolcke ad perpetuos Jaurini condemnatus eſt labores.

Cæſar rebellibus multa promittit.

Cæſar ut interneeinos hos Rebellium motus componeret per legatos Batavum Hamel, Brunings ex Bevenrode, Britannicum Stepney, & Archiepiſcopum Colocenſem generalem eis amneſtiam, legum & religionis libertatem, bonorum, & officiorum ſecundum Boſnienſem 1681. & Oedenburgenſem 1687. Receſſus reſtitutionem, & in futuris regni comitiis minuendum ſatis tributum, militares collectas tollendas, & vina extra regnum alio transferenda, & libetè vendenda conceſſum iri. Quare armiſtitium ad finem uſque Septembris declaratum, & in Octobrem prolongatum. Ad congreſſum Chemnitii 13. Octobris ex parte Cæſaris convenêrunt Baro de Seilet, Comites Coharri, & Lambergus: ex altera Ragotzii parte Comes Karolus, Radajus & Janockus, mediarote legato Batavico. Ubi hi ante omnia Ragotzio Tranſylvaniæ Ducatum, ſe autem & confœderatos regni Ordines conſtitui, haberique prætendebant: & quia gallicus miniſter Alleurs Tholono per Siciliam, Albaniæ Dytrachium & Belgradum in ſuperiorem perrepſerat Ungariam, & multo Rebelles auro, conſiliis & literis ad ulteriorem conjurationis continuationem, & Auſtriacæ Domûs excidium & interitum lactaverat, imo inſtigaverat, ideo hæc auſu exigebant temerario: Regnum Ungariæ ſit electivum; Tranſilvania cum dependentiis, per modum tamen feudi tradatur Ragotzio, & Berezenus eſto Palatinus; Germani omnibus tam civilibus quàm militaribus exuntur officiis & dignitatibus, ſolis Ungaris & indigenis conferendis; omnes Proteſtantibus Eccleſiæ, & religionis reddatur libertas, Patribus Soc. Jeſu penitùs eliminatis; privilegium denique Andreæ Regis de anno 1122. reſtituatur, & maneat in vigore priſtino. Hæc quia ingenuis auribus animiſque erant abſurda, unde totius regni inevitabilis everſio hactenus ſecuta, & foret ſubſecutura, omninò ſunt repudiata, & congreſſos 6. Novembris diſſipatus, uti militare Viennæ conſilium dilucidè præviderat, huoc Gordium Ragotzianæ factionis nodum ſtricto nonniſi Auguſti gladio diſſolvendum.

Armiſtitium.

Rebelliũ poſtulata temeraria.

Viennam uſque omnia depopulantur.

Ante publicatum verò armiſtitium Rebelles Quinqueecclesias 31. Januarii occupant, & Czakaturnum, Caniſcham uſque excurrentes; Karolus quoque ad Viennæ uſque portas ferro & igne depopulatus, Cæſaris ad Novum ædificium ut vocant, theriotrophium, ſeu vivatium deſtruens, præter feras plurimas, etiam duos leopardos à Sultano Turcico Cæſari donatos, eique chariſſimos, ut eorum veſtiretur exuviis, interfecit: hi leopardi venationibus mirum aſſueti, ſerario, ſeu moderatori ſuo à tergo aſſidentes equo, quamprimum feram obſervaſſent, perniciſſimè deſilientes eam capiebant, & captam offerebant, magnâ Cæſaris recreatione, ideoque majore indignatione. Ingens autem tunc erat ſuburbanorum ad urbem confugientium conſternatio, ideoque tumultuario Viennæ opere & ſtudio Romanorum Rex Joſephus foſſilem lineam quatuor milliaribus longam à danubio ad S. Marcum circum omnia ſuburbia, per montem Viennenſem uſque Lichtendalium rurſus ad danubium 12. pedibus altam, unâque & dimidiâ ulnâ latam, munitionibus hinc inde terreis, ſudibus vallaribus ſeptam ab urbano præſidio ac civibus ſub cura Gronsfeldii perfici juſſit. Non tamen ſemper impunè & ſine ſanguine graſſabantur Rebelles, in quos Caniſchenſe præſidium mactat ducentos, & Croatiâ trecentorum cæde expellunt. Palffius illos Czakaturno exuit, deſideratis eorum mille, eunctoque præſidio capto. Cumque Karolus iteratâ Viennam uſque excurſione pagos Zwolffesſtingen, Marnisweith, & Heimburgum flammis ſubjeciſſet, ingentemque terrorem intra & extra urbem circumferret, Heiſterus illum ex depopulatione cum præda reducem haud procul Perſcho cædit ſtrage ſexcentorum, quatuor bellicis potitus tormentis: alterâ pòſt die Arabonem inter & Danubium, haud procul S. Nicolai fano conſiſtentem iteratò irruit, & internecione exdit, peremptis eorum ſeptingentis, totidemque leitâ fl. aut lacu Neuſidel ſubmerſis, captis 19. tormentis, & vexillis pluribus.

Mira leopardorum venatio.

Vienna foſſili linea munitur.

Heiſterus Karolum internecivè cædit.

Hæc Karoli ſtrages, & publicata rurſus amneſtia plurimos Rebellium ad Cæſaris revocavit ſubmiſſionem, quam plures etiam inferiores Hungariæ admittebant comitatus & provinciæ; at tribunus quoque Niskius cum ſua eam amplexus phalange, duorum millia Cæſari tranſcribit, reliquos domum dimittit. Heiſterus deinde cum exercitu Papam urbem contendit ultroneè ſe ſubmittentem: tum Albam Regalem properat, irruenſque ibidem Danielem Eſterhaſium, haud exiguo cinctum milite in fugam præcipitat & paludes, occupataque ultroneâ ſubmiſſione urbe, ruſticos Rebellibus militantes ſuis orbatos equis ad lares ſuos remittit, præſidium verò militare Cæſareis conjungit caſtris. Alia interea hoſtilis phalanx Vetowenzam opprimit, & alia item ſub Laurentio Perckejo in Moraviam inſiliens, poſtquam aliquot flammis conſumpſiſſet vicos per Brezoverum acceſſum repetit Hungariam. Nec Generalis Trampius ex inſula Schut Rebelles potuit expellere; ſed irrito conamine, nec ſine jactura, debuit diſcedere: uti & Heiſterus Vyvatino à Rebellibus ad extrema redacto fruſtra tentavit ſuccurrere. Ritſchavius Gradiſcæ præfectus collecto in Moravia vernaculo milite 4. Aprilis Marchiam prætetiens, Rebelles Trenſchinum eminùs includentes diſſipat, urbemque libat. Quinâ ejuſdem Marchiam repetens Scaliczum deditione occupat. Heiſterus interea ſuperato Danubio prope Serethum Karolum & Berezenum offendit magnâ ultra Wagum fl. fugientes præcipitatione, mandatque Ritſchavio ad ſe venire, vireſque conjungere; audiens paucis pòſt diebus Forgatſchium Cæſaris deſeruiſſe perfidè caſtra, & tranſito infra Budam Danubio inferiorem cum Rebellibus irrumpere Hungariam, non expectato Ritſchavio per Danubium regreſſus eò quoque traducit exercitum; Ritſchavius verò in ſuo ad Heiſterum itinere à duodecim Rebellium millibus propè Weiſenbergum circumdatur; pugnatur utrimque fortiter, ſed viribus imparibus, amiſſis ſuorum

Capit Papam. Albam regal.

Rebelles Moraviam invadunt.

Ritſchavium cædunt.

1704. ſuorum mille, totidem felici fugâ evaſerunt, ipſe quoque Ritſchavius tribus confectus vulneribus in arcem Jablunckam eſt elapſus; alii verò illum cum uxore, aliis tribunis, impedimentis & duobus tormentis captum referunt.

Heiſterus Eſterhaſium & Forgatſchiū opprimit.

His oon obſtantibus Heiſterus Comorrâ verſus Albam Regalem 23. hujus 1704. anni Aprili Oerzum cootendit, & ibidem Antonium Eſterhaſium cum tribus millibus conſidentem irruit, cæſiſque trecentis, & captis duodecim plauſtris ſat beoè oouſtis, reliquos vertit in fugam. Poſt hæc Forgatſchius inſulam Schut, & Altenburgum hungaricum, ut vocant, emious tenebat cinctum octodecim armatorum millibus, caſtraque vallo munita à dextera lævaque monticulis defenſa erant, quem Heiſterus 13. Julii plenâ acie, oppreſſis rejectiſque procubitoribus aggreſſus (quem hoſtis quidem circumcingere rentabat) ſed mox tormentorum tribunus Baro de Weiler deductis ex prima in poſteriorem linexm tormentis hoſtis impetum ſiſtit; ille tamen furiosè in dexteram Croatarum involans alam, dum in circulatione aliquam lateris daret aperturam, Heiſterus ſubitò Schlickianam dimacharum legionem in idem immittit latus, & ſuccenturians aliis ſtationem aciemque perrumpit, confundit, & in fugam propulſat, cæſis præter equites 100 paucos tribus peditum millibus, obtinetque ſex bellica tormenta & vexilla 28. per Weilerum Cæſari Viennam victoriæ teſtimonia delata: pugnæ ſupervenit cum 3000. Karolus, ſpectans ſocios fugæ modò intentos, volucre aliò avolat velocior: ſtragem hanc ſuam compeoſavit Forgatſchius Caſſoviæ occupatiooe, 15. Septembris deditione interceptæ.

Rabutinus rebelles Tranſylvaniâ ejicit.

In Tranſylvania General. Comes Rabutinus provinciæ Cancellarium Comitem Bethlenium capite minuit, quod Ragotzium Tranſylvaniæ Ducem á populo proclamari induxerit. Tum Torozkajum rebellium anteſignanum haud procul Cibinio fundit, deletiſque octingentis viginti capit vexilla; deinde fatigatis pulſiſque prope Muhleobach in Maroſchium fl. mille Arnautis, Claudiopolim liberat obſidione, ubi duodecim Rebellium millia, illum circumcingere tentantia, cæde 3000. ſingulari militum ſuorum fortitudioe trucidat, quam Rabutinus remuneraturus, propter æs deficiens eſcario ſuo argento in nummos cuſo dilatum militi perſolvit ſtipendium. Econtra Ragotzius Vyvarinum proditione Tolpatſchiorum, ut vocant, occupat: ſed Peſtum applicatis modò ſcalis, & tranſcenſo 23. Decembris aliquot locis muro fruſtra tentat; quia duo centuriones vigilias urbis noctu viſitaotes, hoſtemque adverteotes, excitato tumultuariè milite cum feliciter ejiciunt.

Ragotzius Vyvarinum capit.

Inde Ragotzius Tirnaviam verſus (quia Leopoldopolim ab aliquo jam tempore eminus cinxerat) cum Berezeno, Otskajo, duobus Eſterhaſiis & Bongors cum trigiota millium exercitu contendit, inſecuturus ibidem Heiſterum, magno illum irruit furoris impetu, ejuſque peditatum ex tyronibus tecens ſuppletum primo terrore confundit & diſſipat; Heiſterus autem ſuum io hoſtem ducens equitatum, (in quo potiſſima ejus erat vis & fortitudo) hoſtilem peditatum ab equitatu opportunè ſeparat, quo perculſus Ragotzius periculo, cum viginti octo vexillationibus Neitram aufugit, peditatuſque tria millia ſunt cæſa, quos inter Galli plurimi; captus autem mi-

Ab Heiſtero fuſus.

niſter gallicus Carolus Vervillus, peditatus tum temporis campiductor (addunt alii bavaricum miniſtrum cæſum) Viennam eſt conductus, militariſque judicis ſententia mortis condemnatus; quæ certis de cauſis eſt ſuſpenſa. Ex Cæſareanis 381. deſideтari, & 273. vulnerati, obtenta duodecim hoſtium bellica tormenta, ſeptem mortaria, & ſigna quinquaginta; impedimenta eorum alii dicunt Freiſtadelii in tuto, relicta alii capta eſſe. Hac ſtrage ultra tria Rebellium millia metu perterrita, depoſitis armis domum redierunt: & fuit poſthac ſolum generoſi victorioſique Heiſteri nomen ubique in Hungaria terribile. 1705.

Anoo 1705. Comes Herbevillus Leopoldopolim dum annuo inſtruxiſſet commeatu, inde Tirnaviam verſus in Schut inſulam rediturus Ragotzium & Berezenum cum 45000. prope Bibersberg offendit in acie diſpoſitos, ac 28. tormentis in ſe fulminantes: Herbevillus numero licet multò inferior (8000.) magnâ tamen vi primo ejuſdem Tolpatſchios, ut vocant, irruit, fortiter quidem obnitentes, ſed ſuccenturiatus Palffius eorum penetrans latus diſſipat & perrumpit. His ſuccurſurus Ragotzius dexteræ ſuæ alæ equitatum in Cæſareanorum latera immittit, & duas oovitias phalanges plane disjungit, & confundit, inque demum recollectos, & ſubſidio auctos toto rurſus equitatu ſuo inſilit: quem Cæſareaous non tantùm miles generoſe fortiterque ſuſtinet, & rejicit; ſed in turpem etiam fugam conjicit, timore potius quàm potentiâ, quâ totus ſimul hoſtilis conſternatus exercitus univerſim fugam arripit, relicto ingenti bellico apparatu, magnæ expeditioni ſufficiente, parte impedimentorum, & undecim tormentis bellicis, quorum ſeptem equorum defectu conclavata & deſtructa, reliqua quatuor, & duo mortaria cum aliquot ſignis & tympanis in ulteriorem ſuperioris Hungariæ expeditiooem Herbevillus conduxit: hoſtium verò ob maturiorem in mootania fugam, & incidentem noctem cæſi ſunt taotùm quadringenti, Cæſareanorum tam cæſorum quàm vulneratorum ducenti. Nihilo tamen mious quamvis Rebellium peditatus tuoc utcunque fuerit contritus; quia tamen equitate numeroſiore, & velocitate prævalebant, vires facile reſtauraverunt, & ſuos ad militiam vernaculos, etiam nolentes coëgerunt, publica licet illis oblata rurſus eſſet amneſtia, quam præter Neutram, & paucos alios comitatus alii omnes reſpuentes, Berezenus Com. Budianum cum 24. equitum centuriis, & millenis aliquot ruſticis ad excurſionem ultra Marchiam fl. expedit; quem ſine mora Heiſterus inſecutus, feliciter rejicit.

Herbevillus cadit Ragotzium.

Sed ne exitioſiſſimæ factionis & conjurationis incendium ſuffocaretur, Ludovicus XIV. Rex Galliæ miniſtrum ſuum des Alleurs cum 24. belli ducibus, machinatoribus, & ingenti auri copia per Dalmatiam ſubmiſit Albam Græcam, ſeu Belgradum, qui ibidem à Baſſa aliquamdiu detentus, ſed ab Ottomannica demùm Porta dimiſſus, Ragotziuo & conſpiratores ad ulterioris factionis in Cæſarem continuationem, armorumque promotionem incitavit: unde generalis facta eſt per regnum ad arma evocatio, excrevitqoe in immenſum ejus exercitus: jamque Zathmarium, Eperieſum, & Erlaviam commeatûs defectu Ragotzio ſe ſubmiſerant, fiebantque utrimque cruentæ

Gallus Rebelles fovet & promovet

1705. entæ ſatis promiſcuâ belli aleâ velitationes: Nieſcheideli nepos Karoli cum 250. ſtipendiariis internecivè à Cæſareanis opprimitur; Palſſius Croatiæ Banus cum ſeptingentis equitibus haud procul Papa tria Rebellium millia tumultuariè adortus, diſpergit, cæſis quadringentis, captis trecentis equis: Eſterhaſius econtra occupans Modern, Poſing, & ſano S. Georgii, eorum præſidiarios 2500. ultra Marchiam fl. liberè hac demittit conditione, ne unquam contra Hungaros belligerarent; quorum major tamen pars aut ad rebelles transfuga, aut aliò eſt dilapſa, reliqui in Italiam ad Eugenium deducti. Interponebant illi quidem pacis propoſitiones, quam indigenæ irreparabilibus expoſiti latrociniis & deprædationibus afflictim deſiderabant, turbarum verò auctores & conjuratores temporis intendebant prolongationem, & neceſſarium Cæſaris contra ſe bellicum impedire videbantur nervum & apparatum, qui dum inveniendis belligerandi mediis ſolicitè eſt intentus, à Cardinale Nigronio ſeptuaginta ſcutatorum millibus, ad compellendas Rebellium inſolentias adhibendis liberaliter donatur.

Card. Nigroni liberalitas in Cæſarem

Ragotzius excurrit in Styriam Moraviam. &c.

Ceterum Ragotzius marte conceptibus deſideriiſque ſuis ex voto non reſpondente, varias prædatorum emittit turmas in Styriam, Moraviam, & ad Viennenſes uſque portas, terribili excurrentes furore, triginta & plures circumquaque pagos, arces & oppida ferro flammiſque crudeliſſimè ſubjicientes, plus ſanguinis quàm æris ab innocuis planè popularibus, & indigenis amicis extorquentes. An non meritò Ragotzium, ejuſque conſortes comparavero ſtellioni, quòd id animal pluvioſo & tempeſtuoſo aëre vivat & vigeat, ſereno autem cœlo emoriatur? aut camelo eos aſſimilavero, ut qui non bibat, niſi prius pede fluvio moto aquam turbidam faciat? unde proverbium: Aqua turbida lucrum piſcatoris: turbulentus verò Ragotzius damnum, & exitium patriæ, familiarumque ſuarum pernicioſiſſimum. Doctus hic Ludovicus Rex, quomodo exiguo prædonum & latronum manipulo Cæſaream ad Viennæ uſque portas aulam poſſit turbare & vexare, civileque bellum ſuo extractu Cumenio multo geſtum ſanguine in Hungariam invectum, quantum ſibi emolumenti, illi verò aliiſque ſit irreparabilis detrimenti. O verè fatuus, & ad genimina exurens ignis civile bellum! execrabilis & perfidæ plerumque ambitionis fomite excitatum, vix totis humani ſanguinis (plerumque innocui) fluminibus extinguendum! quas, & quales impiiſſimæ Rebellium conjuratio piiſſimi Cæſaris & Hungarorum Regis Leopoldi vitæ ſtruxit inſidias? cui communem invidebant aërem, ſed dum anno 1668. celeberrimus ille Chymicus Franciſcus Joſephus Borrhus veſpere inter candelarum lumina Regem alloqueretur, ſentiens olenſque Borrhus veneni odorem, rogat Cæſarem exire cubiculo, ſibique conſulere, inveſtigatuſque reperit candelas cereas intoxicatas venenatum mortiferumque odorem, ſpargere, & cubiculum inficere; quare mox Regi ſalubre præparat antidotum, & vitæ præſervativum, candelarum auctor reperiri non poterat; ſuſpicio in perfidos cadebat Ungaros, Cæſareæ tunc vitæ inſidiatores; Borrhi autem vitæ, multorum quamvis ſcelerum noxiæ, Cæſar pro ſuæ conſervatione vitæ apud Pontificem Clementem IX. honeſtam Romæ in caſtro S. Angeli detentionem, & vitæ conſervationem, impetravit: ubi anno 1672. ſolemni execratione ſtolida ſua ejuravit Quietiſmi deliria. Hic Leopoldus I. Imperator, & Rex Hungarorum obiit Viennæ quintâ Maji tertio poſt horam pomeridianam quadrante ætatis anno ſexageſimo quarto, menſibus decem, hebdomadibus tribus & diebus quinque, Imperii Romani 47. Hungarici 50. mortuus hydrope pectoris & viribus conſummatus, plenus meritis, magnus & glorioſus triumphis. Nullus in eo pietatem, religionem, & ceteras optimi principis virtutes deſideravit, ſed fortiores animos ad juſtitiæ præſertim vindicativæ jura aſſerenda, ſine cujus timore plures ad conſcientiæ faciendum ſatis vix ſe patiuntur induci, ut hæc vidit Hungaria. Continuis ferè bellis, inſidiis, & conjurationibus impetitus tranquillam ſemper animi ſui tranquillitatem nunquam turbari paſſus eſt *Leopoldus*, ſed *Pello duos* Turcam & Gallum, Deo plus quàm armis confiſus, cujus ope ex omnibus feliciter emerſit: præſertim dum Viennam ſuam abs Turcis & conjuratis Hungaris anno 1683. vidit obſeſſam. In thronum illi hungaricum filius Joſephus ſucceſſit patre adhuc vivente. 1705.

Leopoldi Reg. Ungariæ periculum.

Ejus mors & virtutes.

Dum Conſtantinopolim ſex millium domorum vaſtavit incendium, & ducenta ibidem hoc anno millia peſte conſumptorum hominum dicuntur numerata, Tôckelius quoque nequiſſimus hocuſque Ungariæ turbator & proditor, Nicomediæ, in loco olim Conſtantini Magni baptiſmo celebri, nunc deſerto deſolatoque proſcriptus & profugus, animam 13. Septembris exhalavit, ſepultus ibidem in Armenianorum fano, ſcripſitque ex parte bonorum, & ex toto ſcelerum hæredem Ragotzium (alii ſcribunt Ragotzii filium) & teſtamenti executores gallicum Byzantii legatum, & Ragotzium ſeniorem: hujus eò profligata proceſſit temeritas, ut & ipſe Tranſylvaniæ ambiret Ducatum, ejuſdemque jam modò præparabatur homagii præſtatio: quem ut ſolidius confirmaret, omnemque Cæſaris vim elideret, & aditum planè occluderet, magno exercitûs ſui roboratus augmento, caſtra prope Scibo, haud procul Alba Julia loricis, foveis, concædibus, vallis & internis receſſibus circumvallavit: ſupremus autem militum præfectus Herbevillus magnis eò paſſibus contendens, illa Cæſareo-Danico exercitu duobus in locis 12. Novembris aggreſſus, cornu dexterum ſub campiductore Harboo cum Cæſareanis, & ſiniſtrum ſub ſupremo vigillarum præfecto Comite Virmuntio cum Danicis circa horam tertiam in Ragotzium & Forgatſchium ſtrenuè immittit, qui continuo quidem igne illos quidem animoſe excipiunt; ſed generoſæ Cæſareanorum fortitudini cedentibus, ſuccedunt hi magno impetu, & injectis in foveas virgultis loricas non modò & valla, ſed interiores etiam receſſus generosè tranſcendentes occupant, & internecivè mactant univerſos. Superatis omninò hoſtium caſtris equites fugientem ſine diſcrimine delent peditatum; Raſciani vero expeditiores hoſtiles aſſecuti legiones Eſterhaſianam, Janos-Nagiſchanam & Forgatſchianam germano planè milite florentes taliter proſternunt, ut evaſerint pauci, ipſe adeo Forgatſchius in tertio vix elapſus eſt equo Samoswarium. Capti etiam aliquot centeni Galli, officiales, baliſtarii, ac plurimi Germani, vitam, & Cæſaream militiam deprecantes: intercepta quoque ſunt impedimenta, commeatus

Tôckelii mors.

Ragotzius Cæſus ab Herbevillo.

&

1705. & apparatus plurimus, 28. tormenta bellica, aliquot mortaria, & 60. vexilla. Quidam demum Raſcianus gallicum legatum Marchionem de Bellegarde ante triduum Byzantio per Walachiam Rogotziana caſtra ingreſſum adduxit captivum loris vinctum, pretioſis veſtibus, auro, omnibuſque ſuis ſpoliatum, in capite vulneratum & nudipedem, qui ſponte & demiſsè omnia Ragotzii & Forgatſchii arcana expeditionis conſilia aperuit, ſociumque ſuum des Alleurs aut captum, aut occiſum referebat. Cæſa præterea ſunt ad minimum ſex hoſtium millia, Cæſareanorum autem tam læſorum quàm cæſorum 400. Victores eodem veſpere ſua repetentes caſtra 15. Novembris Claudiopolim abierunt, urbis claves, fidem & ſubmiſſionem per Baronem Petrum Sceredum offerentem: ubi auditâ Ragotzii ſtrage mox inſtallationis theatrum, arcuſque triumphales

Tranſylvaniam ambivit.

Ragotzio Ducatûs Tranſylvanienſis Principi feſtivè excipiendo extructi dejiciebantur: provinciæ namque Ordines Albam Juliam modò citati erant, variis victualibus & commeatu abundantem, quæ victorioſo poſtmodùm militi, itineribus & laboribus exhauſto factæ ſunt deliciæ. Hiſce Berezenus & Budianus minimè territi

Sopronium irritò, tentat.

facti, ipſa nativitatis Dominicæ nocte Sopronium, octo Viennâ milliaribus diſtans, pyrobolis, igneiſque ſphæris irruenses 184. ſuburbiorum domos incinerant; civium verò, & 600. præſidiariorum vigilantia & generoſitas illos feliciter ab urbe repellit. Kalendis quoque Januariis anni ſequentis furioſius redeuntes reliquum fere domorum ignibus deſtruunt, & 6. Januarii tribus in locis urbem furibundè impetunt; ſed pari, imo deſperatâ ſub præfecto Weiershelmio præſidiariorum, civium & mulierum defenſione, cæde 760. iterato rejiciuntur, præciſâ illi dexterâ, & glande trajecto, qui deditionis ſignum expoſuerat.

Rebelles Hungariam miſere devaſtant.

Hungariam tot incendiis & buſtis, tot latrociniis, deprædationibus exulceratam fugit pene oculus perluſtrare; Rebelles namque exutâ omni humanitate per regnum veluti vertagi, ſeu canes venatici vagantes ſub falſo libertatis prætextu ſuam met crudeliter patriam peſſundant, ſe prædis & iniquiſſimis exactionibus locupletant, cives autem & indigenas ad incitas ad extremam adigunt paupertatem: & quia rarò fauſtos impiæ rebellionis exitus vidiſſe ſe norant, tyrannos vocant in ſubſidium, juratos Chriſtianæ reipublicæ hoſtes, qui pacti tamen fœderis fuêre obſervantiores, quàm ut tam ſceleratæ aures ſollicitationi: imo Allabecus Baſſa inſignem panum copiam in ſolo turcico pro Rebellibus conductam perfido denegavit Karolo, ſed Cæſareanis Arrathi obſidione à Karolo cinctis clam ſubmiſit. Hos ſæpius Rebelles Starrenbergus, Rabutinus, & Palffius Croatiæ Banus ubique perſecuti, cæſo plerumque peditatu, infugam agunt equitatum vix curſu aſſequibilem, quòd ceteris gentibus ſit expeditior; plures tamen eorum ſtipendiis ærosa attraxit pecunia, quam Ragotzius ſub inſigni,

Ragotii nequitia.

imagine, & nomine Regis Galliæ Ludovici XIV. excuderat, probâ & argenteâ gallicâ monetâ ſubmiſsâ aut contributionibus collectâ ſibi retentâ: quam fraudem, & iniquiſſimam deceptionem, læſæ majeſtatis ream indigenæ advertentes, omnem Ragotzio fidem, & ſtipendiariis victum denegant, cum ſumma regni confuſione & pernicie; grandi verò Ragotzii, Berezeni, Bertodi, aliorumque conſortium emolumento, qui ingentem auri argentique maſſam 1707.
inde in Poloniam transmiſerunt, nequiſſimè extortam, ideoque minus fore proſperam & ſalutarem. Et quia non ſolum vulgi, ſed & magnatam quotidie in Ragotzium creſcebat diffidentia, hic eorum plures, & eccleſiaſticos & epiſcopum quendam comprehenſos Hungarii imprudenter tradidit cuſtodiæ.

Rebelles ſæpe funduntur.

Ceterum factioſum vulgus prædationibus & latrociniis continuo intentum Freyſtadium prope Granum ſeptem vexillationibus tumultuarie oppreſſurum, à tribuno Bruckenthalio non exigua cæde repellitur: Similiter Fogarotium Hermanopolim inter & Coronopolim Tranſylvaniæ ſitum octo armatorum millibus aggreſſuri, præter plures vulneratos trecentis trucidatis rejiciuntur. Rabunnus igitur magnis in Tranſylvaniam paſſibus properabat, rebellium copias inde expulſurus, iteratis retardanir hoſtium velitationibus, ſemper tamen ſuperior & victor: ideoque Karolus quatuordecim millibus, & Antonius Eſterhaſius tribus germanis legionibus conjunctum illum fruſtra avertere moliebantur; ſed Claudiopolim feliciter perveniens, magnis illos animis paulo poſt aggreſſus, Tranſylvaniâ expellit, & per montana hinc inde diſpergit. Magnum tum quidem ſibi aſtuturum brevi quinquaginta millium ſubſidium, & argen-

Fruſtra flagitant ſubſidia à Moſco

teæ monetæ millionem Rebelles ſtolidè jactitabant, re ipſa autem nihil ſubſecutum: Berezenus etiam rebellium in Poloniam legatus, nihil Warſaviæ ſubſidii à Moſcorum Czaaro potuit obtinere, ſed cum riſu rejectus eſt, quòd Polonis vellet perſuadere, ab Hungariæ magnatibus & ordinibus interregnum eſſe declaratum, proinde omni collaborarent ſtudio, ut

à Polonis

bina Hungariæ & Poloniæ regna ſub uno capite & rege conjungerentur.

à Sueco.

Mulro acerbius ferebant Rebelles, nec à Suecorum rege, Auguſtanæ religionis ſuæ protectore cum tanto ſuo exercitu ſibi proximo, neque à Sileſiis ejuſdem religionis & ſectæ conſortibus & ſociis ſuppetias, ut omnino ſperabant, ſibi ullas adferri, eo quòd Rex tam enorme perfidæ factionis, impiæ proditionis, & læſæ majeſtatis crimen nullo dignum ſubſidio, ſed pœnâ capitali non indignum exiſtimaret, qui & ipſe Imperii Romani Princeps & membrum in ejuſdem caput, Cæſarem, in hoc perduellionis bello ferrum ſtringere nunquam cogitavit. Sed neque Sueciæ Rex, neque Sileſii Hungaros Auguſtanæ ſuæ religionis ſocios & profeſſores agnoſcunt, differentes longè alios ab Auguſtana confeſſione articulos habent Hungari, ideoque non defendenda, ſed toto potius regno vi pactorum eſſet eliminanda: nam ſecundum pacta Anni 1606. Vienenſia permiſſum eſt Hungaris ſolum exercitium Auguſtanæ confeſſionis, & Helveto-Calvinianæ religionis; ſed neque Auguſtani, neque Helvetæ Calviniani ſuæ religionis ſocios Hungaros agnoſcunt, verum impiam & factioſam fovent ſectam, omnium hactenus turbarum originem, & totius Hungariæ ruinam, ſanguineis lacrimis deplorandam.

Execrabilis Hungarorum ſecta & perfidia.

Hæc præterea Auguſtana & Helveto-Calviniana, & noo alia, confeſſio his eſt permiſſa conditionibus, ut nullum Romano-Catholicæ religioni inferrent præjudicium; ut deinde Romaoo-Catholico Clero templa & collegia libera & inviolata permaneant, eiſque tempore belli ablata reſtituantur,

ſed

1707. ſectæ hæc non modo non inviolata, nec reſtituta fuêre; ſed peſſimis Gabrielis Bethlenii, Georgii Ragotzii, & Tôckelii conjurationibus plura per hujus ſectæ paſtores & incentores deprædata; templa & monaſteria & collegia ſacrilegè ſpoliata & direpta; clerus tam eccleſiaſticus quam regularis crudeliſſima tyrannide vexatus, dilaniatus, & barbaro fuit affectus martyrio: nam tempore, & factione Georgii Ragotzii præter turbarum actores (quorum præcipui tunc pœna capitis ſunt mulctati) comprehenſi,& rebellionis convicti ſunt ducenti triginta ſex impiæ & perfidæ illius ſectæ miniſtri, læſæ majeſtatis rei, ideoque pœnâ capitis ſe digniſſimos, omnium & ſingulorum ſuorum nominum ſubſcriptione & ſubſignatione liberè ſunt confeſſi ſub dato Presburgi 13. Martii anno 1674. Rex itaque Sueciæ nullam Hungaris ſuccurrendi, nec apud Cæſarem intercedendi cauſam habuit.

Et quia Cæſar plura per pacis internuntium archiepiſcopum Coloſienſem fruſtra tentaſſet remedia, ferro & igne hanc opprimere factionem decrevit, Starrenbergiuſque omni quo potuit modo& ratione illam eſt perſecutus. Raſcianorum tribunus Tôekelium juxta Debrezinum ſea Rebellium velitationes adortus, cæſis 200. peditibus captis 63. capit, duo jumentorum, & tria ovium millia, ducentos equos & ingentem auri, argenti & gemmarum prædam intercipit. Econtra prope Soproonium cæcus ille Bathianus duobus peditum, & Bezeredus duobus equitum millibus Generalem Neudaſtum cum duabus legionibus, vinearum tutoribus tumultuarie circumdant; hic autem licet incluſus octo repetitis eorum ferociter impetus generuſe non tantùm excipit, ſed fortiter repellit, & in turpem tandem fugam eos conjicit, cæſis eorum quingentis, & pluribus eorum caſtra deſerentibus. Quales velitationes iterato plures cum rebellibus occurrerunt, ſed omnino ſupprimi non potuerunt.

Colonitſchii mors & laus. Succedit Auguſtus Saxo in archiep. Strigonienſ.

Viennæ hujus anni initio obiit diuturno conſumptus morbo Leopoldus Cardinalis Colonitſchius, Archiepiſcopus Strigonienſis, & Primas Hungariæ, verè Eccleſiæ Catholicæ in vacillante, præſertim turbataque Hungaria columna firmiſſima; atque uti in vita ſua ſic poſt mortem largiſſimus pauperum benefactor: Viennæ namque militum hoſpitale fundavit, & Presburgi pauperum Xenodochium bonorum ſuorum fecit hæredes. Illi per coadjutoriam ſucceſſit Auguſtus Chriſtianus Card. Saxo-Ceizienſis, qui ejuſdem Archiepiſcopatûs inveſtituram 16. Octobris ſuſcepit, ... lebanturque potiſſimi Hungariæ Ordines ad pacem & ſubmiſſionem inclinare, cernentes hoc inſolenti & perfido bello nullum regno & reipublicæ emolumentum, ſed extremum adſerri exitium & ruinam, libertatemque tanto humano ſanguine quæſitam non adepturos; ſed omnino ob toties iteratam perfidiam & crudelitatem meritò Dei judicio amiſſuros, timebantque juſtam Dei vindictam, ut quòd legitimi regis effugerent poteſtatem, atque infringerent, barbararum omnino gentium perpetuæ eos ſervituti ſubjiceret: hinc juſtum illis incutiebat terrorem, quod perduelli illi Comiti Peckro recenter medio Octobri contigerat, qui frumentum molitrinæ molendum commiſerat; ſed loco conſuetæ lateritii coloris farinam ter quaterve refundit: cunctis ſtupeſcentibus commolitur aliud vicini ejuſdem generis 1707.

Miraculo panis pacem deſiderant.

frumentum, & conſuetam optimamque refundit farinam; infunditur rurſus comitis frumentum, & lateritiam ſanguineamque iterum refundit farinam: quod prodigium per totam divulgatum Hungariam ad ipſum etiam Cæſarem iræ divinæ metum terroremque injecit, ut non modo vulgus, ſed magnates plurimi pacem unicè deſiderarent; quam ſoli turbarum incentores, prædis inſatiabiles prædones, & regni proditores pertinaciter rejiciebant, immo Oskajus nobiles quoſdam pacem proponentes & perſuadentes globo trajecit: & hic idem Oskajus, Sarodius, Bogras, & Turoczius fatalem in Auſtriam moliebantur irruptionem & prædationem; quam tamen mature præveniens Comes Fridericus Lôwenburgus diſſipavit, & in fugam egit, captis eorum tribus primoribus, qui omnia hoſtium aperuerunt conſilia: uti & periculoſa Spilbergi in inſula Danubii detecta eſt proditio, capite minutis delatoribus.

Ragotziani rebellionem & vaſtitatem continuant.

Ceterùm omnium pertinacior Ragotzius Tranſilvaniæ ducatum ambitiosè deperiens, ejusdemque jam princeps à ſuis proclamatus (quaſi verò ipſorum eſſet de aliena ſtatuere provincia, ipſique reſiduum aliquod eſſet jus, quòd è ſuis olim majoribus ad tumultuarium Tranſylvaniæ regimen aliqui eſſent evecti) regni comitia indicit Oporhi in diſtrictu Agrienſi, animorum, litiumve diſcordiis & homicidiis funeſtata; ſed Cæſaris & Regis mandato quamprimum ſunt reſciſſa, irritavitque Patrum Societatis Jeſu proſcriptionem à Ragotzio per univerſum Hungariæ regnum executioni mandatam; ſed à Patribus nervoſiſſime refutatam. Hujus Ragotzii uxor propter ſuſpectas literarum correſpondentias Pilſoni in Bohemia detenta, exceſſit, erupit, evaſit in Saxoniam, cuſtodis ſui adjutorio & comitatu. Nec intermittebant Oskajus, Karolus, aliique Rebellium antesignani Varadinum, Devam, Leopoldopolim &c. eminus cingere, oppida inflammare, & furibundi tanquam leones ſuos crudeliter populares deprædari & trucidare: quanquam Karolum haud procul Kerzemet ad agros Cumanos Raſciani inſigniter fuderint; Beckerus à Varadino illos rejecerit, & Starrenbergii Leopoldopolim neceſſario commeatu & apparatu proviſuri præſentiam triginta eorum millia non expectare, minus auſi fuerint ſuſtinere. 22. denique Octobris Comes Adamus Collonitſchius mandato Cæſaris Presburgi à Cameræ Vice-Præſide Com. Ottone Chriſtoph. Volckara coronæ Hungaricæ cuſtos & conſervator conſuetâ ſolemnitate eſt conſtitutus: quæ corona anno milleſimo S. Stephano Regi à Silveſtro II. Pontifice donata nunc Presburgi, antehac in validiſſima arce Viſegradenſi Budam inter & Strigonium ſummâ conſervabatur veneratione, atque inde ad Regis coronationem in triumphali veluti curru, ſplendidiſſimo Nobilium comitatu, prætoriano utrimque ſtipata milite ſolemniſſimâ pompâ defertur.

Cæſareus interea miles anno ad finem vergente ad hyberna divertere, plurimique Hungarorum magnatum regni & patriæ ſuæ irreparabilem deplorantes ruinam, concordiam & pacem ſuſpirabant: & verò ſpes etiam affulgebat, ſed neſcio quâ dæmonis invidiâ perduellium animi inflammati in Cæſareanorum ducum abſentia foſſiles prope Eiſenſtadium

li-

1707. *Styriam crudeliſſime involant.* lineas initio Novembris ejectis furioſe ſtationarii oppida Petſchedium, Eiſco-& Neoſtadium diripiunt: Styriam involantes omnia ferro & flammis crudelius quam unquam hactenus devaſtant, trucidant, pluribus prægnantibus fœminis manus & pedes obtruncant, nec humano fœtui parcentes ad ſaxa immaniter allidunt, 18. Novembris ſuperatis circa Mattersdorffium lineis Berezedus cum duobus armatorum millibus Eſterhaſii Comitis bona, ejuſdemque fluvius Leithæ & Wulckæ adjacentes vicos Pezinum, Kronstorffium, Zikolium, Stunckelbrunum, & plures alios expilat, incendit, & omne crudelitatis genus in ſubditos exercet, ſacra templa & vaſa diripit, effuſiſque in terram ſanctiſſimis Hoſtiis pedibus ſacrilegè & impiiſſime inſultat; atque ita totam perduelles paſſim pervagantes Hungariam, prædonum & latronum efficiunt ſpeluncam, immenſamque prædam & theſaurum extorquent, de quo quia gregarius pauca, aut vix quidquam participat miles centuriones, magna ſubinde inter ipſos orta eſt diſcordia, invidia & ſimultas, nec non indies inter præcipuos factionis anteſignanos major invaluit diffidentia; quâ territus Ragotzius Karolo, Antonio Eſterhaſio & Oſckajo manus injicit, Berezedo fuga ſibi conſulente: ut autem maturam malo adhiberet medelam, conjuratoſque in perfidia confirmaret, comitia ad 5. Decembris Caſſoviæ Ragotzius indicit, refragantes vi compellit, Simonem Forgatſchium ob conſtantem in Cæſarem fidem illi admodùm offenſus, in Validiſſima ſua Sepuſienſi arce comprehenſum, & Mungatſchium cautè deductum arctis mancipat vinculis & catenis, graviter poſtmodum caſtigandum. Recrudeſcente igitur per hyemale etiam tempus malo, evocati ſunt ad bellicum Viennæ conſilium duces & tribuni congregati, ut hoſtium cohiberent furorem, qui collectis undequaque copiis Palfium Croatiæ Banum copiis multo inferiorem opprimere moliebantur; hic cautè tamen iteratis aliquot velitationibus evaſit feliciter periculum, cæſis eorum 40. captis 17. unum ex ſuis deſiderans, & quatuor ſunt vulnerati. Et quia ad decretoriam pugnam vix conjurati pedem firmabant, excurſionibus & velitationibus ſolùm eſt actum utrinque, quibus varii etiam ex primoribus ſunt intercepti; præcipuè autem indolebat Ragotzius captum ſibi fideliſſimum omnium ſic dictum Gergel-Janos, virum ſeptuaginta annorum perditiſſimum, & perfidiâ inveteratum, qui intimorum conſcius conſiliorum non Tôckelianæ tantùm, ſed & hujus Ragotzianæ conjurationis fuit fabricator vaferrimus, quam vatinianus ſemper Auſtriacæ Domûs & Germanorum hoſtis jam per quadriennium, antequam detegeretur, machinatus nullo non momento vitæ tam deſperata contra illam concepit conſilia, ideoque perduellibus ſermone aderat charus, & opere promptus, ut gubernator & director paſſim, imo Vice-Rex Ragotzii regis (ſaltem mentalis) diceretur & veneraretur; ideòque cautè Viennam delatus, multa haud dubie clandeſtina conjurationis ſponte, vel coactè prodidit myſteria, ſupprimendæ factioni conducentia: ad quod Cæſar & Rex nihil laboris, curæ & ſollicitudinis intermiſerunt; ſed 22. Novembris aulæ hungaricæ ſeu regni cancellarium Comitem Illi-

Captus Rebellis primarius.

Cæſar tentat fruſtra cum illis concordiam.

eshaſium, Comitem Ordôdum, & Secretarium 1708.
Samogum in Hungariam cum inſtructione & poteſtate concordiam tentandi, tractandi, & ad fidem obedientiamque omni meliori modo perduelles reducendi, indultâ omnibus & ſingulis, uno excepto Ragotzio, amneſtia ablegarunt ad Cardinalem Auguſtum Saxoniæ Ducem, Tirnaviæ in negotio concordiæ indefeſsè cum Rebellibus deſudantem: ejus quidem ſpes aliqua in principio affulgebat; ſed perfida rurſus Hungarorum confundebat & evertebat inconſtantia, quæ à primi ſanctiſſimi Regis ſui Stephani temporibus per tot ſecula ad clementiſſimum ſimul & piiſſimum Regem Leopoldum I. hucuſque Hungarorum animis manet inveterata, & per impiam in Deum, quidni & in Regem ſuum perfidam hæreſim in hunc uſque diem eſt propagata. Ceterùm maxime Hungari metuebant peſtem in vicina ſibi Polonia graſſantem, & Sileſiæ modo finibus appropinquantem, quapropter omnes inde in Hungariam aditus ſunt interclusi, & mercimoniorum negotiatio ſuſpenſa.

Peſtis Poloniā invadit.

Anno ſequenti 1708. vocatis irrito fructu per Ragotzium principem Hungaris, ut ſe Caſſoviam ad comitia conferrent, Cæſar aliquod hebdomadarum armiſtitium illis offert, ut de concilianda animorum concordia & pace ſecum agerent; quæ enim belli decora, ſeu potius dedecora, profuiſſe nemini, nocuiſſe quampluribus, nullo reſpectu aut recordatione præſidentis mundo Numinis? ſed fruſtranea itidem indulgentia; quippe Ragotzius ære alieno demeritus, ſeceſſionem & bellum, etiam per invitos urgere perrexit, eo quòd nihil arbitratus æqui & boni propter ſe eſſe ſancitum, nullo ſe juri eſſe ſubditum; ſed in Vagina leges omnes cum ferro geſtare; & quidquid conſcelerato animo collibuerit, id ſolùm eſſe jus & æquum; id domum videtur nunc eſſe verè & germanè militare, ait *Lud. Vives ad Henr. VIII. Angl. Regem.* Rejectis igitur quas Cæſar offerebat pacis conditionibus, protracti etiam armiſtitii opportunitate neglectâ, ut in pacem conſentirent, hoſtiliter denuo conſurgunt, & inſano quaſi furore acti ſuammet crudeliter devaſtantes patriam, à Cæſareis ubiq; copiis iterato quidem atteruntur contumaciores tamen inde effecti, Neoſolium, Agriam, Tôckajum, aliaque loca occupant. Curando fieri quædam majora videmus

Ragotzius armiſtitiū rejiciens Hungariam expilat.

Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit. *Ovid. 3. pont. 1.* Nec tamen Cæſarea deſperabat benignitas, ſed nova Poſonii pridie Calendas Martii indicit comitia literis invitatoriis, quibus ſpem faciebat, ſe benignam eorum querelis aurem præbiturum: *eſt enim non modo liberale paululum nonnunquam de jure ſuo diſcedere; ſed interdum etiam fructuoſum.* Cicero ait 2. offic. Aſt Ragotzius contrario edicto in publicum evulgato, omnibus ſub pœna capitis, bonorumque omnium vetat confiſcatione Poſonium ſe conferre, vias militibus obſidet, ne liber cuiquam tranſitus pateret: quin & aliquos ſibi ſuſpectos carceribus, alios vitâ mulctat, ut reliquis metum injiceret. Quare comitia ad VI. idus martias novis Cæſaris edictis ſunt dilata, & cruentæ interim vaſtationes continuatæ. Pridie autem nonas Auguſti 1708. Generalis Heiſter Ragotzii prope Trenchinum ſuperioris Hungariæ exercitum propè ad internecionem profligat, ſex Hungarorum millibus in acie trucidatis, aliiſque fugatis & diſperſis, Vexillis

1708. autem 40. cum omni bellico apparatu captis. Tanta territi jacturâ aliquot Hungarorum proceres in Cæſaris iterū fidem redeuntes jurarunt.

Clementiſſimus & patientiſſimus adhuc Cæſar graviſſimis licet Hiſpano-Gallico implicatus bello Rebellibus per binos annos inſanie & crudeliter pervagantibus, iiſdem tandem conciliandis favorabiles aliquot in comitiis Poſonienſibus Anno 1710. proponit articulos, quorum acceptatione pax Regni tot tantisque revolutionibus rapiniſque concuſſi & enervati coaleſceret. At nedum iis obedire rebelles contumaciter detrectant, quin erga Oskajum, & alios gentis primores, qui Ragotzii caſtra deſerere, & Cæſari reconciliari meditabantur, crudeliter amputatis eorum capitibus deſæviunt: quo audito Heiſterus Cæſarei ibidem tunc exercitûs præfectus idem ſupplicium omnibus rebellium ducibus, quos jure belli fecerat captivos, irrogat in vindictam. Attamen Ragotzius, & Karolus Comes 25. Januarii cum Rebellium agmine in Moraviam irrumpere, ab eaque prædas abigere meditantes, à præfecto inibi Cæſareo Sickingiæ Comite rejiciuntur, duobus ſuorum millibus aut occiſis aut captivis, diſperſis fugatiſque ceteris, qui invaſionem moliebantur. Cæſar audiens, quod inter Hungaros ſibi invicem repugnantes multi Sueci è Polonia cum Palatino Kiovienſi ejecti militarent, apud Secretarium Regis Sueci nomine Viennæ Reſidentem deſuper queſtus, eos revocari imperat. Tentatâ interim inutili Neoſolienſis in Hungaria lariori eminùs obſidione, illam tandem Heiſterus conſtringit acrius, perque omnes impugnandi artes adeo promoveri, ut brevi duodecim dierum ſpatio præſidiarii ad incitas redacti die 24. Octobris ſe dederint: Agriâ præterea & Tockajo, aliiſque locis Cæſarei Rebelles Hungaros menſe Novembri ejiciunt. Continuatis deinde adhuc inter Debrecenſes tractatus Rebellium Hungarorum turbis. Cæſarei captis Eperiis ipſam Caſſoviam etiam obſidione cingunt, & Hungarorum copias ubique inſectantes aut ſine diſcrimine cædunt, aut in fugam conjiciunt; unde multis ad Cæſaris gratiam & clementiam confugientibus, hic Budam commiſſarium da eorum obſequia acceptanda ablegat. 1711.

Moraviam irruens cæditur.

Neoſolium, Agriam Tockajum &c. Cæſarei capiunt.

Anno autem 1711. quo Gallicus Delphinus Ludovici XIV. regis Galliæ filius variolarum morbo deceſſit, eo quoque anno triduo poſt, 17. Aprilis 1711. die eadem variolarum ægritudine, ſed cum integro ſenſuum uſu diem ſuum extremum clauſit Viennæ Joſephus I. Romanorum Imperator & Rex Hungariæ, annorum 33. Octavâ Aprilis primùm veſpere malè habebat, ideoque die alterâ venatione animi languorem excitaturus, pejor & imbecillior reverſus, & in lectum dejectus, decimo Aprilis exuberantium variolarum dolorem ſentit, indictis itaque per urbis Eccleſias pro illo precibus, dum ſpes aliqua meliorationis appareret, Eugenius literis Sinzendorfii Hagâ Comitis in Belgium peremptoriè vocatus, abitûs diſceſſum à Cæſare præſens vellet petère, negavit ipſi acceſſum ob ejuſdem morbi periculum, cui etiam adhuc princeps erat expoſitus; hic tamen inſtanter etiam cum vitæ periculo petens, quam ſæpius pro Cæſare expoſuiſſet, obtinere non potuit, ne reſpublica tanto privaretur Generali, hoc maximè tempore neceſſario. Decimo ſexto igitur Eugenio Cæſaris veniâ abeunte, die alterâ adhibitis fruſtra medicinis morbus forti obſtructione, & nimio capitis dolore invaleſcens, veſpere circa undecimam noctis vitam in ardentibus pietatis, contritionis, aliarumque virtutum affectibus, ſummo totius Europæ dolore finivit, ſuccedente in Hungariam & in omnia regna hæreditaria & provincias Carolo Hiſpaniarum Rege, quarum gubernatricem matrem ſuam viduam Eleonoram Magdalenam in extremis uſque ad Caroli ex Hiſpania adventum conſtituerat, quæ etiam mortem Cæſaris omnibus Europæ Potentiis notificavit, ſimulque novem annis continuatas Hongarorum & Tranſylvanorum cruentas admodùm turbas & ſeditiones, adjumento maximè Croatiæ Bani Palſhi feliciſſimè 29. Aprilis Debrezeni compoſuit. Fuit Rex Joſeph etſi ferventioris ingenii, unius tamen cum Patre Leopoldo pietatis & benificentiæ laude commendatus, quâ ærarium diſtrahi, dignitates & officia ignotis pariter & notis conferri patiebatur.

Rex Joſeph & Delphinus Gall. moriuntur.

Eleonora Imper. Gubernatrix regnorū hæredit.

RERUM HUNGARICARUM

LIBER LI.

Caſſovia & tota Hungaria ſe ſubmittit.

Obſeſſa hactenus Caſſovia Heiſtero ſe demum ſubmiſsè dedit, ſuâque ſpontaneâ deditione Malecontentos & rebelles Hungaros ad eandem trahit ſubmiſſionem. Hi novennali, ut ſupra dixi, bello fatigari & expilati ad priſtinam Domûs Auſtriacæ fidem & obedientiam in Comitiis tandem Debrecenſibus ope imprimis Palſhi Croatiæ Bani ſe duci patiuntur, ſignis centum quadraginta novem Cæſareo præfecto conſignatis, qui illa confecti jam belli trophæum Viennam depertanda curavit. Præteritorum omnium amneſtia à Cæſarea aula & Regina eſt conceſſa, vi cujus Unguarium & paucæ arces Hungaris parentes Cæſareo ſe milite poſſideri patiuntur, uno excepto Mungatzio, Ragotzii aſylo, quod novâ obſidione ad ceterarum exemplum cogi debuit. Ragotzius perfidæ ſeceſſionis anteſignanus contemptâ Cæſaris amneſtiâ cum raptis furtivè prædis, & gallico auro in Poloniam ſe recepit, omnibus aliis ducibus & dynaſtis Cæſari reconciliatis; cui etiam & ſucceſſoribus regibus, hæreditariis jure belli dominis fidem jurarunt. Cæſaris quâ Hungariæ Regis jam dies aliquot præmortui nomine hæc omnia agebantur, & tamen auditâ ejus morte rata & firma conſtituunt, maxime

1714. ximo regni emolumento, & Reginæ Eleonoræ laude.

Quæ citiſſimis in Hiſpaniam curſoribus mortem filii ſui Joſephi Hungariæ Regis fratri Carolo Auſtriaco Hiſpaniæ Regi ſignificans, in Germaniam peremptoriè in hæreditariarum provinciarum & regnorum ſucceſſionem revocat, qui etiam ſine mora relictâ in Catalonia uxore gubernatrice 27. Septembris ſolvens Barcenona cum claſſe Archithalaſſi Anglici Bings, ſeptimâ Octobris Liguriæ litus attigit, inde Genuam, & altera die 12. Octobris rheda vectoriâ Tortonam, Mediolanum & Mutinam demum venit, ubi 17. veſpere junior Comes de Windesgrätz Francofurto advolans ſecundâ Septembris die annuntiat delatam ipſi unanimis Electorum votis fuiſſe Imperii Rom. coronam; moxque Mediolani, ubi ſe tum detinebat, Comes Palatinus Carolus Gubernator Tyrolenſis, & Joſephus princeps Sultzbacenſis quos Electores ad illum ablegaverant, 30. Octobris electionis diploma eidem obtulerunt, urſeruntque feſtinum ejus in Germaniam adventum, ab Electoribus admodùm deſideratum: quare 10. Novembris per Mantuanum & Venetum Statum 20. ejuſdem venit Oenipontem, ubi recepto fidei Sacramento, quod ei Tyrolenſes 24. Novembris ſolemni dixerunt pompâ, 4. Decembris profectus Auguſtam Vindelicorum & Francofurtum ad Mœnum, ubi 19. Decembris adveniens, 22. ejuſdem conſuetis ceremoniis, & feſtiviſſimo applauſu in Imperii Romani Imperatorem ab Electore Moguntino eſt coronatus. Inde accepto 12. Januarii Anno ſequenti ab urbe Francofurtenſi fidei juramento, digreditur Electorum & Principum Choragio extra urbem ad aliquot milliaria ſtipatus, pervenitque Viennam 8. Februarii: Decimâ octavâ autem Junii 1712. cum Auguſta ſua Poſonium aſcendit, ubi comitiis jamdiu habitis adfuturus, ut Regni Hungarici coronam conſueto majeſtatis ſplendore acceptutus. Quâ ſolemniſſimè Anno 1713. per actâ tota pacifice quieſcebat, ſeque legitimo Regi ſubmittebat Hungaria, & rebellionibus, direptionibus, graviſſimis latrociniis, nefandis continuò bellis hactenus tumultuoſa, & ad incitas redacta, Batavorum nunc mediationis ſtudio compoſita, atque crudelibus Rebellium inſidiis & Gallorum inſtigationibus libera & ſecura facta eſt. Quâ freti,

Palffius fit Hungariæ Palatinus.

Anno ſequenti 1714. duodecima Octobris ambæ Cæſareæ majeſtates Viennâ Presburgum in Hungaria ad novam Palatini electionem, in locum defuncti principis Eſterhaſii profectæ, Principem Eugenium Sabaudum ſubſtituere deſiderabant: ſed Hungari moris & indigenatûs ſui aſſertores tenaciſſimi, Comitem Nicolaum Palffium, aurei velleris equitem ſtrenuiſſimum in Palatinum, ſupremum totius regni in politicis dignitatem unanimiter eligunt; prætereaque in curiæ judicem Comitem Stephanum Cohatri, quos Cæſar & Rex confirmando, 18. ejuſdem Octobris Imperatricem Eliſabetham Hungariæ Reginam voluit coronati, quam omnium comitatuum conſenſu Archiepiſcopus Strigonienſis & Regni Primas Chriſtianus Auguſtus Cardinalis Saxo-Zeitz, in templo S. Martini ſolemniſſimè, regio plane ſplendore, ſcapulas oleo catechumenorum inungendo perfecit, & ſplendidiſſimo epulo conſummata. In hac Imperatricis coronatione Carolus Cæſar liberali in Hungaros uſus benignitate, reſtantes annorum 1713. & 1714. annuas contributiones remiſit: liberam negotiationem extra Regnum per Auſtriam, Bohemiam, aliaſque provincias permiſit: imo liberam novi Regis electionem, ſi fortè ſine hærede maſculo è vivis diſcederet, generoſa conceſſit beneficentiâ. Quâ Hungari optimè contenti, ſe tunc Cæſaris Joſephi Archiduciſſæ non immemores fore appromiſerunt. Archiepiſcopo denique Strigonienſi Hungariæ Primati Chriſtiano Auguſto Cardinali, ejuſdemque ſucceſſoribus S. Rom. Imperii principatum munificè indulſit. Comitia quoque ibidem pacifice concluſa & terminata ſunt, niſi quòd heterodoxi Evangelici religionis ſuæ exercitium & libertatem nimis coarctatam proteſtarentur, & juxta formam & modum Annorum 1681. & 1687. à Jeſuitis ſub Leopoldo I. introductum, in quolibet regni comitatu duo tantùm conventiculorum lora & externa illis permitterentur. Detecta interim occulta Rebellium conſpiratio, & 36. belli officiales ante hac Ragotzio militantes ſine tumultûs ſtrepitu capti, Caſſoviamque deducti, vinculis ſunt innodati. 1714.

Cobarri judex curiæ.

Eliſabeth Imperat. coronatur Regina Hungariæ.

Caroli in Hungaros liberalitas.

Proteſtantium ibidem conventicula.

Rebellium conſpiratio detecta.

Divulgabatur ſequentis Anni 1715. initio immenſus Turcarum bellicus apparatus in Venetam, ut dicebatur, rempublicam effundendus, quam nunc ſufficientibus orbatam viribus exiſtimabant, nec per Cæſarem diuturno hucuſque Rebellium, gallicoque bello exhauſtum, & novo rurſus Hiſpanico & Sabaudico implicandum ſubſidio ſublevandam: neve autem hoc bellico turbaretur apparatu, Sultanus Ibrahimum legatum miſit Viennam, qui 13. Maji feſtive ibidem exceptus pacis Carlowicenſis continuationem Eugenio bellici conſilii præſidi exponenti, Cæſaris inter Sultanum & Venetos, ne ejuſdem pacis fœdera, tempore necdum necdum evoluto violarentur, offert mediationem; ſecus vi fœderis ſe Venetorum fore ſocium, & violatæ pacis vindicem. Ibrahimus hujus ſe rei provinciam aſſerens non habere, eam tamen per curſorem Sultano propoſuit: interim rerum tum Septentrionalium Suecum inter (qui in Turcia refugus latebat, & Turcas ad bellum incitaſſe credebatur) & confœderatos, tum Hungarorum ſtatum funditus expiſcatus) ut interceptæ probabant literæ, & verior fortè illius adventûs fuerit cauſa (cautius deinceps obſervatus & cuſtoditus. Tandem conſuetis donatus muneribus eſt dimiſſus Byzantium. Cæſar autem pacis rupturam ex ingenti Turcarum bellico apparatu prævidens finitimas Hungariæ urbes & arces communiri, granaria frugibus & commeatu compleri, legiones plures ad regni fines deſtinari jubet; præſertim quòd Generalis Herberſteinius ex interceptis literis triginta Turcarum millia tranſito Tibiſco Baſſæ Temeswarienſis ad Savum fl. conjungenda copiis in Boſnam

Turca Venetos aggredi moliuntur.

Cæſar ſe mediatorem inter eos offert.

1715.

Cæſar Ungariã bellico apparatu & milite, inſtruit.

eſſent tranſitura : quare contracto quamprimùm milite & popularibus Herberſteinius hanc Turcarum conjunctionem impedire feſtinat : ipſe adeo Eugenius menſe Auguſto perluſtratis Jaurino, Comorra, aliiſque finitimis fortalitiis Caniſiam antehac valide munitam, ſed proximis annis Cardinalis Collonicii conſilio deſtructam jubet reparari, & Styriæ in inferiori Hungaria propugnaculum valide fortificari. Tanta vero tunc temporis erat Caroli armipotentia, qualem anteceſſorum ferè nullus unquam habuit ; numerabat enim in Imperio Rom. regnis & provinciis hæreditariis, in Italia, Neapoli & Belgio centum quinquaginta armatorum millia, quæ per prudentem ſui miniſterii œconomiam ex inſtituto nuper generali Banco, ut vocant, alebantur, & ritè ſtipendiabantur.

Repetit à Turcis ablata Venetis.

Byzantii igitur nomine Cæſaris Reſidens Fleiſchmannus categoricum exigit reſponſum, an Sultanus Moream, cæteraque hoc anno Venetis perfidè ablata loca velit reſtituere ? Cæſar aliàs pacis Carlowizenſis fidejuſſor ſatisfactionem eſſet exacturus. Ad quæ ferocior turcicus miniſter : cur hoc pacis tempore Romanus veſter Cæſar Hungaricas urbes, & fortalitia tanto robore, tanto bellico apparatu, tanto commeatu tanto milite, & in dies copioſiori inſtruit, niſi portam Ottomannicam certò inde bello invaſurus ? ſciat autem nos potentiâ non ſolùm pares, ſed & jam quàm unquam aliàs formidabiliores ; optimè adhuc viam Viennam verſus ſcire Ottomannos. Cui Fleiſchmannus replicat, ignorare ſe Cæſaris ſui intentionem muniendi Hungariam ; ſcire autem optimè, quam turpis cruentiſſimuſque inde fuerit Turcarum abſeſſus Viennâ, & reditus in Turciam ; hocque reſponſum futuræ veſtræ expeditionis ſcopum & interpretem fideliter ſe Viennam relaturum promittit.

Contrahit fœdus cum Venetis ferme omnibus à Turca ſpoliatis.

His Cæſari ſignificatis, omnia in maturam & validam terra marique parantur expeditionem, & contracto ſequenti anno cum Venetis off- & defenſivo fœdere hoſtem ſimul aggrediuntur, Veneti ad bellum hactenus imparati omnia fermè hoc Anno 1715. infeliciter amiſerunt, quæ præcedentibus tot annis tanto labore & impenſis, ac tantâ per Europam gloria acquiſiverant, totam nempe Peloponneſum 45. dierum ſpatio, abductis Smirnam in miſeram captivitatem 40. animarum millibus.

Ant. Erdödus fit epiſcopus Agrienſis.

Hoc circiter tempore in Hungaria Comes Gabriel Ant. Erdödus Epiſcopus Agrienſis, ejuſdem Epiſcopatûs, & ſubjectorum comitatuum ſumpſit poſſeſſionem, cujus metropolitanæ Eccleſiæ pretioſiſſimum Cæſar ſacrum donavit ornatum.

Claudiopoli Steinvillus epiſcopalem eccleſiam arianam facit catholicã, & Albã Juliam vocat Carolopolim.

In Tranſylvania Generalis Comes Steinvillus Claudiopoli epiſcopalem Eccleſiam ultra ſeculum Arianam tradidit (ejectis ægrè Arianis) catholicis, ritu Romano - Catholico conſecrandam : qui idem Comes Albæ Juliæ muros ibidem biennali jam labore reſtaurans, noviſque vallis & propugnaculis muniens, mutato nomine Carolopolim à Carolo Cæſare & Hungarorum Rege ejus reſtauratore nominari impoſterum voluit : quam Dux Ragotzius olim ornavit univerſitate : Abaſſius ducali reſidentiâ, & antiquis temporibus epiſcopatu prædita, Archiepiſcopi Coloczenſis fuit ſuffraganeus. Ibidem Segedini in Ungaria inter ſimiles munitionem effoſſiones ſub terra repertæ ſunt tres inſignis magnitudinis campanæ, argenteæ potius quàm æneæ.

1716.

Domûs Auſtriacæ periculum ex defectu principis ſucceſſoris. Statua B. Virg. lacrimæ.

Annus Septingenteſimus decimus ſextus plurimum Cæſarem, Hungarumque Regem, & totam Viennenſem aulam inter ſpem & metum ſollicitavit, nimirum partus Imperatricis, & hungarica contra Ottomannicam Portam expeditio, utrobique fauſtam felicemque unicè deſiderantes : pro illo ferventes per univerſas hæreditarias Auſtriacæ Domûs provincias & regna preces inſtitutæ natales, Romanumque Imperium cum hæreditariis provinciis optabant, ſperabantque Auſtriacum Principem, Imperii, regnorumque ſucceſſorem, cujus in Auſtriaca linea defectu hæreditaria illa regna futura eſſent belli theatrum cruentiſſimum, & ut ſapientiſſimus Cancellarius Comes Wratislaus ajebat, ſpolia gentium fierent ; meliora tamen ſperabant & promittebant ſanguineæ B. Mariæ Virg. in inſula Schut lacrimæ, quas in Franciſcanorum Monaſterio S. Antonii Statua B. Virginis, ut & alia in templo Mormoracenſi prope Huſt, atque adeo etiam in templo S. Stephani Viennæ miraculoſa illa Statua Biiz ſimiles in multorum conſpectu lacrimas profudit, quales etiam hic Anno 1696. ex utriſque oculis emiſit, omneſque tunc Hungariæ ruinam & excidium inde ominari videbantur ; Mariani autem cultores inſignem illam Anno 1697. ab Eugenio prope Zentam hiſce B. Virginis lacrimis impetratam propitios victoriam interpretabantur : ſic & nunc felicem Auſtriaci Principis partum, & contra Turcas victoriam per ſupplicantes tot iconum lacrimas ſperabant : tales hodiedum adhuc ſupplicationes pro ſucceſſore maſculo per univerſas hæreditarias Cæſaris provincias offerebantur.

Babo Habſpurg. 32. filios & 8. filias generavit.

Ego quidem Auſtriacæ huic Domui à Rodolpho Habſpurgenſi ortæ & propagatæ, atque ad 28. annos Imperii Romani ſceptrum gerenti feliciſſimam opto & voveo Comitis quondam Babonis ejuſdem Habſpurgenſis familiæ fœcunditatem, qui triginta duos filios legitimos, & filias octo ex duabus uxoribus ſuſcepit ; quos omnes ad S. Henricum II. Imperatorem in comitiis Ratisbonenſibus deduxit. Sunt qui addunt Imperatorem rei inſcium indignatum fuiſſe ſuper amplo ejus comitatu, & quidem contra pragmaticam ſuper ſtatu uniuſcujusque formando, tunc emanatam, donec ejus quod erat, certior factus, non niſi laudare potuit, ut referunt *Annal. Salisburg. Epiſc.* 30.

Italia Corſica metuit Turcarũ invaſionem.

Alteram ſpei metuſque ſollicitudinem auxit bellum Turcicum tam in Hungaria quàm Italia, Venetorumque extraordinarii Legati Moroſinus & Grinoanus inſtanter admodùm à Cæſare precantur ſubſidium ; idem pontifice adurgente, ob præſentiſſimum inſulæ Corſicæ à Turcis invadendæ periculum, quæ totius Italiæ clavis ſi capta foret, plurimis & graviſſimis illa exſcenſionibus & vaſtationibus foret expoſita ; præſertim cùm jam ſæpius incomparabili Domûs Lauretanæ theſauro inhiantes exſcenſionem tentarint ; ſed quia Cardinalis Imperialis novo illam roboravit propugnacu-

lo,

1716.

Veneti ſubſidia petunt & obtinent à Pontifice.

lo, theſaurus demum juſſu Pontificis ibidem remanſit, Romam aliàs transfendus: hortatus tamen Cardinales Pontifex, ut pro ſuis quiſque viribus ad hoc imminens utrumque bellum adeo periculoſum contribueret.; Cardinalis igitur Albanus tria Scutatorum millia promptè obtulit, Accialus & Mareſcottus ſinguli 2000. Paraccianus, Olivierius, Caracciolus, Scottus & alii 500. ſinguli Scutatos. Ab aliis præterea Chriſtianis Principibus Pontifex ſollicitabat ſubſidium, cui haud gravatè Hiſpanus in defenſionem Statûs Eccleſiaſtici decem naves onbitares, & mille obtingentos pedites appromiſit: naves Pontifex admiſit, militem verò propter Cæſaris cum Hiſpanis ſimultatem ob Hiſpaniæ non tantùm, ſed etiam Florentiæ & Parmæ ducatuum ſucceſſione recuſavit, ne Cæſari offenſionis & diffidentiæ anſam præberet: qui Cæſar quamvis initio offenſivum cum Venetis fœdus noller, aut ſaltem differret contrahere, ſed omni ſtudio & arte hoc Veneto Turcicum bellum conaretur ſupprimere: quia vero Turcarum Sultanus Moreæ victoriis inſolens, nec omni modo tentatatam Caroli Cæſaris, nec Regis Angliæ mediationem volebat admittete, & Cæſareum Reſidentem Fleiſchman intetpellatorem contemptim rejiciebat, Cæſar ad conterminata Turciæ in Hungaria mox centum viginti quinque armatorum millia, 70. nempe millia ſub Eugenio Sabaudo, 30000. ſub Starrenbergo. & 25000. duce Heiſtero ablegat. Proinde datus eſt omnibus liber ſine ullo vectigali commeatuum ad caſtra tranſitus, & Apoſtolicus Nuntius Spinola Viennæ publico ad Eccleſiarum valvas mandato centeſimum redituum Eccleſiaſticorum nummum exigit. Tandem etiam adnitente Comite Schulenbergo off- & defenſivum fœdus Cæſareo-Venetum in domo Ducis Eugenii eſt concluſum & ratificatum, ut dum Cæſar in Hungaria Ottomannos fortius invaderet, Veneti Italicæ quietis fidejuſſores (Italiæ enim principes quidam Hiſpano faventes turbas moliri videbantur) aliquot in ære ſubſidiarios Cæſari milliones numerarent, quo peracto omnia in vigetam ſedulo & tempeſtive diſponuntur expeditionem, ingenti Venetæ reipublicæ gaudio & emolumento. Id tamen fœdus eſſet pactum ſalis *Numerorum.* 18. ỳ. 19. Id eſt pactum firmum & ſtabile.

Cæſar mittit exercitus ſuos in

Fœdus Cæſareo-Venetū.

Cæſari naſcitur filius.

Dum hæc ferventiſſime Viennæ peraguntur, naſcitur 13. Aprilis Carolo Cæſari & Regi Hungariæ ex Eliſabetha Chriſtina primogenitus Leopoldus Joſephus, Joannes Archidux Auſtriæ, & Aſturiæ, qui 14. Aprilis in præſentia 23. Epiſcoporum & Prælatorum, & viginti aurei velleris equitum à Nuntio tunc Apoſtolico, nunc Cardinale Spinola ſacris Jordanis aquis (quæ in vaſe aſſervatæ nunquam corrumpuntur) *Radzivil. in hodœpor. Jeroſol.* Et in Bethabara, ubi aqua Jordanis uno refluxu revolvitur, nunc leproſi mundantur, ut ait *Gregorius Turonenſ. lib. de glor. mart. cap.* 17.) baptizatus, & à Carolo Cæſare aurei velleris eques conſuetis ſolemniſſimè ceremoniis, aſſiſtentibus ceteris aurei velleris equitibus eſt inauguratus. Sed lætitiam trux libitina mutavit in triſtitiam. *Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.*

Illhuanſ. Hiſtor.

1716.

Petit ab Imperio Rom. ſubſidiū.

Rebus cum Ottomannica Porta ſic conſtitutis Cæſar rem Imperii Romani ſtatibus aperiendam, ſubſidiumque tempeſtivè petendum decernit, quòd hæreditaria Cæſaris regna & provinciæ Hiſpanicæ ſucceſſionis bello exhauſta huic fœdifrago potentiſſimoque Chriſtianitatis hoſti vix poſſint reſiſtere, & immenſum belli pondus ſola ſuſtinere; ideoque non ad commune omnium ſtatuum collegium Ratiſponenſe commiſſionis mittit decretum, ſed ad ſingulos etiam particulariter Status & Principes Comitem Kaunitzium pro exigendo ſive nervi bellici, ſive militis, præſertim pedeſtris ſubſidio ablegat: ipſemet Cæſar luſtratis 7. Maji 1716. aliquot legionibus, viſiſque admirabili arte per Hamburgenſem Naupegum Flocken Gerſon conſtructis & laudatis Danubianæ claſſis navibus, ejuſdem Vice-admiralem Anderſon ab Eugenio commendatum ſingularis ſpe gratiæ admittit & confirmat: ipſemet enim Regni bellique negotia indefeſſo ſemper ſtudio, labore, & prudentiſſimo conſilio inveſtigabat & dirigebat, omneſque auctoratas legiones ad maturandam in Hungariam expeditionem ad caſtra & exercitum, cui interim uſque Eugenii Principis adventum Generalis Comes Palffius campi Mareſchallus præſidebat, ſine mora dimittebat: jamque in Majo omnes undequaque legiones ex ſuis quæque campimentis ſeu ſtationibus ad generalem exercitum confluebant Futacum: ſex legiones ſub Generalibus Lancken & Regal ex campimento Welſch, tres ſub Hochbergo ex ſtatione Inoch, duæ ex Pettowardino ſub tribuno Salſar, quatuor ſub Comite Bonneval ex ſtatione Futaer, ſub General. Montecuculo quindecim ex campimento Beth, ex Segedino ſub General. Veterano legiones undecim cum re tormentaria ex Bohemia, ſeptem Eſſecko, quatuor ſub General. Viardo ex Czougrad, octo denique legiones ex Tranſylvania illuc tumultuarie movebant, ſtricto cum mandato, ne ullam Turcis primi præberent offenſionis anſam: dicebatur namque turcicus Aga Viennam adventurus, cui Reſidens Byzantii Fleiſchmannus prædixerat, certum Turcis bellum Venetum continuaturis, ex parte Romani Cæſaris, Venetorum ſocii & confœderati, militarem ſuccurſum, & terribile imminere bellum, adeoque ultima per curſorem Byzantium miſſum Ottomannicæ Portæ expectabatur reſolutio; ſed antequam ipſe reverteretur, jam publicam ipſi fœdifragi inferebant hoſtilitatem. Quamvis jam pridem 2. Aprilis ipſe Eugenius belli præſes dehortatorias ad ſupremum Vezirium literas ſeripſerat, Turco-Venetum bellum ſibi admodum ſuſpectum eſſe, regniſque & provinciis Cæſaris hæreditariis ob vicinitatem periculoſum, & Carlowicenſis denique pacis tractatibus contrarium (qualem Turcæ cum Venetis non Carlowicii, ſed Byzantii privatam contraxiſſe aſſerebant ſe non obligantem) proinde Cæſarem tum ad præſentiſſimum abs ſe avertendum periculum, tum ad defendendos ſingulari ſtrictoque ſibi fœdere 1684. Romæ perpetuo connexos Venetos, ad arma coactum; & niſi Ottomannica Porta ablatas nu-

Cæſar militarem & navalem in Turcas maturat expeditionem.

Cæſareus exercitus confluit. Futacum

Turcarū hoſtilitas.

1716. per provincias & Moream Venitis reſtituat, armis & juſtâ' aliàs violentiâ fore extorquenda. Nihil ad hæc reſponſi ad Ottomannis datum eſt; ſed quia fortunâ jam ſibi favente oppreſſis & devictis primum Venetis Hungariam facilius invadendam recuperandamve moliebantur, Anſelmo Franc. Fleiſchmanno indicarunt, & omnes Venetorum ſocios & adjutores hoſtes declararunt, ſimulque in divano ſuo turcico, inſtigànte maximè ſupremi Vezirii arrogante conſilio bellum in Romanum Cæſarem decreverunt & indixerunt, omniaque in tempeſtivam maturarunt expeditionem, dum miles turcicus & Janizari otii impatientes, & ingenti multitudine freti, bellum, bellum inclamarent; Muffti etiam juxta Alcorani ſui leges Chriſtianos, & ſuæ ſectæ adverſarios ferro flammâque perſequendos, & amiſſa recuperanda iteratò cunctis inculcarent: Sultanus ingentem bellicum collegiſſet nervum, telonia, vectigalia & merces augendo, Walachiæ, ut dixi Hoſpidarem ſeu principem, quinquaginta ſex dynaſtas ſeu Beys, & plures Baſſas perimendo, eorum bona fiſco addicendo; Græcorum etiam per omnia ſua regna monaſteriorum redigendo, &c. imo publico manifeſto, ſeu circularibus ad omnes regnorum ſuorum gubernatores & Baſſas' literis Romani Cæſaris rupturam fœderis falsò imponens, eidem bellum indicit.

Sultanus Cæſari bellum indicit.

Turcarũ proceſſio & deprecatio.

Sultanus deinde ut Hungarica ſibi feliciter ſuccederet expeditio ſeveriſſimum bis per hebdomadam omnibus & ſingulis Ottomannici ſui imperii ſubditis ad ſeramluſque veſperam injungit jejunium, & longiſſimam aliquot millium hominum inſtituit proceſſionem, quorum 6000. in ſaccis nudipedes procedebant. 3000. flamines carnes ſuas cultris ſcindentes, & pectora percutientes, Mahumetis gementes implorabant auxilium; ſex mille deinde virgis & flagellis ſeſe cædebant, & 30. flamines Mahumetis ſepulchrum circumferentes, 300. circumdabant cuſtodes, ſicas gerentes, omnes trucidabant, qui hoc ſepulchrum incuriosius intuerentur: hos ſequebantur 50. turcici principes detecto capite, Chriſtiano ſanguine inuncto; agmen denique claudebant ſex mille Janizari, armorum loco ſcuta ſuper terram trahentes cum quodam Vezirio, qui aſino inſidens cacullum Chriſtiano tinctum ſanguine geſtabat, & cum Janizaris Dei miſericordiam, & prophetæ Mahumetis ſui auxilium lacrimabili voce Hala, hala bacha inclamabant. In moſquis vero ſuis & fanis ita ſtant ſemper immobiles, quaſi in illo ſolo defixi, aut ibidem ſuccreviſſe videantur; nulla ibidem tuſſis, nullus ſcreatus, nulla vox, nullus circumacti capitis aut reſpicientis fit motus; nam Turcæ ſi vel digito ſcalpant caput, periiſſe ſibi precationis fructum arbitrantur, ut refert *Busbequius epiſt. 3.*

His itaque deprecationibus ſuis Turcæ confidentes, magno Belgradum numero confluunt, expeditionem temerariè inchoaturi; Generalis autem Baro Lôffelholtz mandato Cæſaris 25. die Maji opportunum ad Savum fl. tranſitum Metrowitzam ejectis Turcis, illud contra pacta proteſtantibus, occupat, quibus Lôffelholtzius repoſuit, Metruwitzam cum adjacentibus inſulis juxta limitum dimenſionem & conventionem Cæſari adjudicatam, per conniventiam Turcis pro meliori commercii commoditate hactenus permiſſam, permittendam quoque deinceps, dummodo pax utrimque conſervetur. Similiter Baro de Lancken cum aliquot mille peditibus munimentum, & Savi inſulam Ratzka ſonantibus tympanis & fiſtulis non ſine Turcarum terrore capit. Interea circa ultimum Junii Eugenius Viennâ cum multis belliducibus, & tribunis, tormentis & omnigeno bellico apparatu & impedimentis ſecundo Danubio venit Budam, inde 4. Julii tendit ad exercitum, quem mox illuc ſecuti Jaurino Heiſterus, & Comorrâ Dux Brunſchwico-Beverenſis. Antequam verò Eugenius Viennâ diſcederet (unde ſine ſufficiente nervo bellico nolebat abire) Cæſar illum Belgii conſtituit gubernatorem, ampliſſimam ſane dignitatem! quam primò Regum Hiſpaniæ exemplo Auſtriacæ cuidam Duciſſæ conferre intendebat; ſed majora illam nunc Eugenii exigebant merita, & eximia tam bellica quàm politica & œcumenica prudentia; in cujus tamen abſentia Marchio de Prie, intimus Cæſaris Conſiliarius, uti Plenipotentiarius illud interim moderaturus. 1716.

Löffelholtz capit Metrowitzam.

Lancken Ratzkam.

Eugenius vadit in Hungariam.

Fit Belgii gubernator.

Diis jam propitiatis, declarataque in Cæſarem Romanum hoſtilitate, ſupremus Turcarum Vezirius cum 2. Aprilis miſſo Conſtantinopolim Cæſareo curſore, & revocato Viennam Reſidente Fleiſchmanno venit Belgradum, ibidemque hos contra jus gentium arreſto attinet, caventibus tamen Anglico & Batavo legatis (qui pacis mediatores ſæpius, ſed fruſtra intercesſerant) ulteriori injuriâ non affecti, ſed cum quadragintâ Spahorum ſeu equitum millibus, 80. Janiſcharorum millibus, 30. Tartarorum, totidemque Arnautarum millibus, & aliis decem omnis generis millibus Belgradi collectis, aliquot legiones in Croatiam verſus Caſtonovizam expedit, quæ multos pagos, & circumquaque oppida tumultuarie diripiunt, ſeptem incendunt, & plurimam pecorum hominumque multitudinem redigunt in ſervitutem; & quia metuebant Belgradi obſidionem, validiſſimum illi diu noctuque robur adjiciunt. Tum reparato perfectoque ponte die 27. Julii cum exercitu (in quo etiam Rebelles Ungari Berezenus, Forgatſchius, & Eſterhaſius abſque ſuo tamen milite degebant) Savum fl. tranſiens, caſtra Semlinum inter & Wanokitzum figit, inde 1. Auguſti Salankemenum, ubi Anno 1691. à Badenſi Principe Turcæ internecivè cæſi, caſtra promovet, quæ 2. Auguſti Carlowitzium transfert, valliſque & cartagine firmiter communita roborat: tum Petrowardinum collatis ſcalis tumultuariè quatuor millibus aggreſſurus, oppidum primò Illocum invadit, opprimit, diripit, pluresque cædit, & alios in ſervitutem abducit. Eugenius verò Futaci ultra Danubium necdum completo exercitu hoſtiles motus percipiens, copias aliquot adhuc Woltzowarii ad Danubium conſiſtentes in cornutam Petrowardini munitionem immittit, & tormenta caſtrenſia cum equeſtribus aliquot legionibus verſus urbem Raſcianam tam cis, quàm ultra Danubium profutura jubet diſponi: utque penitius

Vezirius cum exercitu tendit Belgradum.

Caſtonovizam diripit.

Et Illocum.

1716.

Palffium exploratorē aggreaitur.

nitius Turcatum motus, vires, & conſilia recognoſceret, Palſſium Croatiæ Banum, & General. campi Mareſchallum ſpontè ſe ipſum oſtentem cum mille quingentis delectis equitibus & quadriogentis Hungaris exploratorem 2. Auguſti verſus Carlovvicium emittit, ut eminentiorem ibidem locum occuparet: qui dum prope capellam S. Mariæ de pace (ubi ultima pacis fœdera fuerant contracta) pervenit, ingentem hoſtium ſpectans multitudinem, ſine mora duas adhuc equeſtres ab Eugenio petit & accipit legiones, Baireutenſem dumacham, & Contrecourtenſem loricatam, quas ad dictam capellam è dumetis & ſilvis quadraginta Spahorum millia erumpentia tanto licet furoris impetu Palſſium ſuâ quaſi multitudine oppreſſuri primi invadunt; ſed tam generosâ eos Palſſius quatuor horarum conflictu excepit fortitudine, ut duobus licet transfoſſis equis (cui tertium General. Hauben equum turcicum, trajecto à ſe primario Baſsâ ſubminiſtravit & ſuppoſuit) & 400. ſuorum tum cæſis tum vulneratis quinque hoſtium vexilla generoſus in caſtra retulerit, amiſſo Comite Breuner, general. campi propræfecto, qui trajecto ſuo equo proſtratus ab Ottomannis eſt captus.

Breunerus captus.

Expiſcatis taliter hoſtium viribus & conſiliis, Eugenius 3. Auguſti exercitum tranſito tumultuariè Danubio, in antiqua antehac prope Petrovvardinum caſtra & ſepimenta traducit, quæ anno 1694. General. Caprara à Turcis quoque ibidem tunc circumdatus, extruxerat, majori ex parte tunc deſtructa & complanata, indefeſſo diu noctuque labore reparata, foveis egeſtis, congeſtitiis utrobique aggeribus, & operis militaribus ſunt reſtaurata. Eodem etiam die ſupremus rei tormentariæ præfectus Princeps Alexander Würtenbergenſis Segedino probè interea fortificato ſuis cum copiis venit in caſtra, ad quæ Vezirius 3. Auguſti toto cum exercitu veſperi appropinquabat, dimidiâ ſolummodò horâ ab eis diſtans, papilionem ſuum in eminentiori ſtatuit loco; caſtra verò ſua circumquaque cingit carragine, & propè Chriſtiana caſtra ducit paralelam; nocte quoque lunari apertis vallis caſtrenſibus, erectisque aggeribus Chriſtiana impetunt caſtra tormentis & pyrobolis, ſimulque militares vincas adeo promovent, ut vix quinquaginta diſtarent paſſibus.

Caſtra Chriſtiana Turca impetunt

Inter hæc Vezirius binas ad Chriſtiana caſtra literas à Reſidente Fleiſchmanno, & curſore Luccea, nuper Byzantium expedito, ut fingebat, datas; hæ curſoris continebant reſponſum, alteræ generali rei tormentariæ præfecto Baroni de Loffelholtz, Petrovvardini præfecto inſcriptæ, inſanâ planè arrogantiâ extremam minabantur internecionem, niſi ante omnem tormenti exploſionem hujus Petrovvarditi faceret deditionem. Hanim traditori Eugenius non hodie, ſed craſtinâ die pleno cum exercitu reſolutionem ſe daturum promittit. Poterat enim verò imprudens arrogansque Vezirius primo ſtatim furoris impetu ingentem Chriſtiano exercitui intuliſſe cladem, qui tanto Janizarorum robori & multitudini multùm adhuc impar, & triplo tunc minor, necdum tutus, ut per corycæos ſuos probè noverat, confluxerat; ideoque diſruptis per navalem molam pontibus omnem etiam commeatûs aditum intercludere, ſicque fame perimere moliebatur; imo dejecto à ſe Savi ponte, omnem Vezirius fugiendi viam ſuis præcluſit, ut eò pugnarent generoſius & deſperatius. Res certè Chriſtiana tunc temporis erat periculo plena. Compoſito demum Chriſtiano exercitu Eugenius eo uſque ſuâ hoſtem detinebat prudentiâ, donec omnia arte militari tam tribunis quàm militibus, etiam ſcripto conſignata, ſapientiſſimè diſpoſuiſſet, aciemque quando, qualiter, & ubi hoſtis aggrediendus, formâſſet, tunc bellico convocato conſilio proponit, an non potius expediret in patentem prodire campum, quàm tanta hoſtium multitudine incluſum tormentis & pyrobolis turpiter impeti, quin tanta hoſtium multitudo ſe ipſam in confuſionem facilè adducens, magnam ſpem tribuit victoriæ, cùm pluribus ſæpè bellis major ſuccubuerit exercitus, & minor pervicerit:

Petrovvardini deditionem exigunt.

1716.

Chriſtianos circumcingunt.

Fidite, nam juſti comes eſt victoria belli.

Omnium igitur conſilio pariter & conſenſu, craſtinus dies quinta Auguſti decreta eſt certaminis, tanta omnium belliducum, tribunorum, & militum lætitia, deſiderio & fervore, ut dici aut deſcribi vix poſſet; quod prævium communiter felicis ſignum eſt victoriæ, præſertim ſi pars altera videatur timida & conſternata.

Dum interim Ottomanni diurno nocturnoque indeſeſsè labore ad Cæſareanorum ſepimenta & caſtra propiùs adrepunt, prædicta die Princeps Alexander Würtenbergenſis dextram decem agminum alam in hoſtem adeo generosè fortiterque educens, poſt cruentam utrimque velitationem in fugam compellit, & ut Eugenius præceperat, in eminentiori colliculo decem eorum bellica intercipit tormenta, in hoſtem converſa, illum omnino diſſipat, confundit & conterit. Nec impigrè commilitonum ſuorum exemplo ala quoque ſiniſtra Janizaros cædit, & agit in fugam; qui tamen Baſſarum adhortatione, & violentia compulſi animum & vires recolligentes deſperato in Chriſtianos furore irruunt, illosque ad externa ſua non ſolum, ſed interna etiam ſepimenta & caſtra uſque repellunt, pontes etiam occupare, & regreſſum impedire molientes, maximaque ordines confuſione perrumpentes, non ſine ſpe victoriæ diſſipant & obruunt. Adeſt opportunè Eugenius, qui ſine mora dexteræ alæ equitatum ſubmittens, ſiniſtræ alæ peditatum timidè diſſipatum & contritum rurſùm erigit, congregat, fortiter animat, adeoque verbo & exemplo impellit, ut reſumptis hoſtem animis & viribus non ſuis modò caſtris rurſum ejecerint, ſed carraginem eorum adorti in tantam adegerunt confuſionem & fugam, ut relictis caſtris, omnibus impedimentis, centum quadraginta novem tormentis bellicis, viginti tribus mortariis, centum quinquaginta novem vexillis, quinque caudis equinis, incredibili bellico apparatu & commeatu, toti Chriſtiano exercitui per hanc expeditionem ſufficiente, & innumerabili boum & bubulorum numero, ſupra triginta Janizarorum potiſſimùm millia in acie ſint cæſa (equitatu ſeu Spahis citius pavore aufugientibus) præter eos, qui in fuga, ſilvis & Savo flumine ſunt interempti. Vezirius amiſſæ victoriæ præmium metuens laqueum, deſperatè inter medios hoſtes pugnans, ſecundum tempora ictus globo cadit; Janizarorum Aga, Seraskierus, Mahomet, & Achmet Baſſa Smirnenſis, cum aliis novem Baſſis ſunt trucidati; captivorum fuêre pauci, quia omnes mandato Cæſaris internecivè ſunt cæſi. Cæſareanorum verò cæſi ſunt 2108. læſi bis mille treceni & unus: captum Breuneri corpus catenis illigatum, &

Eugenius cadit Turcas ad Petrovvardinum.

Fugat, relictis impedimentis & tormentis.

Quot cæſi

1717. crudeliter mactatum, adhuc calidum in Vezirii tentorio, & circum illud cæterorum legionis Palſficæ capita palis infixa inveniebantur. Armenus etiam miles Generali Steinvillo præbuit induſium, in quo lex turcica aureis expreſſa literis, cum duabus in utraque parte dimidiatis lunis, & propè circulis, in quo duplex transverſim triangulus ſignabatur, totum ſanguine madidum, & globis perfoſſum; dicebatur à ſolo vel Vezirio, vel ſolo Janizarorum Aga in campo geſtatum, & nulli alii permiſſum; quali etiam in liberatæ Viennæ obſidione anno 1683. inventum civilis Lipſiæ bibliotheca pro ſingulari conſervat curioſitate.

Brennerus interfectus. Vezirii caſi induſium.

Turcarū caſtra diripiuntur.

Devictis ſic & fugatis glorioſè Ottomannis, totus Chriſtianus exercitus eorum caſtra ingreſſus diripit, & merita ſuæ fortitudinis ſpolia colligit, emiſſusque cum mille trecentis equitibus in hoſtium fugam generalis vigiliarum præfectus Comes ab Eck, ingenti terrore percitos, plurimos Savo abſorptos, reliquos Belgradum tantâ copiâ advolare reperit, ut nec omnes urbs capere poſſet, nec admittere vellet ejusdem præfectus Omir Ayech, quem in ſupremum quidem conclamârunt Vezirium; ſed accisis Janizarorum viribus nihil ultra tentare auſuri. Eodem quoque certaminis & victoriæ die, ſupremus popularis in Tranſilvania militiæ Capitaneus Dettinus, ad fines Wallachiæ Turcas profligavit: uti Comes Rabatte ad Parmam uſque excurrens, omnes internecivè Turcas proſtravit, equorum ſpoliis admodùm ditatus: Petraſchius Perbienti ad Savum quatuordecim vexillationes Baſchlagi Baſſæ contrivit, obtentis duobus vexillis & tympanis, ac tribus pecorum millibus, liberatisque bis mille Chriſtianis, qui Eugenium in Vezirii papilione prandentem miro affecerunt gaudio, & armipotenti Deo pro glorioſiſſima hac victoria Ambroſianum hymnum *Te Deum laudamus* intonavit.

Alius in locis Turcæ caſi,

Videtis Mahumetis mancipia? petiſtis victoriam, & non accepiſtis, eò quòd malè contra pacta, doloſè & perfidè petiſtis. Memineritis credo Amurathis veſtri, qui cum Uladiſlao Rege Ungariæ decem annorum pacem & inducias inierat, quas uterque, hic coram S. Euchariſtia, & Amurates coram Alcorano juramento firmaverat; ſed Uladislaus temerario Juliani Cardinalis, aliorumque conſilio & inſtinctu, anno 1444. rupto fœdere inopinatè Amuratem bello ad Varnam aggreditur. Amurates oppreſſus primò & fugatus, promptis è ſinu pacis juratæ tabulis in cœlum exclamavit: Chriſte, ſi Deus es, ad te ſpectat, te & me defendere & vindicare, qui per nomen tuum jurati ſunt. Mox etiam Uladiſlao interempto victoriam Amurates obtinuit. *Bonfinius & Raynaldus hiſt. eccleſiaſt. ad ann.* 1444. Et vos ruptis perfidè pacis Carlovvicenſis hoc in loco pactis victoriam ſperare potuiſtis? etiam hoſti fides promiſſa ſervanda eſt. *Can. Noli. 23. q.* 1. unde Germanus ait:

Uladislaus Rex perfidus cæſus.

Was Sultan hat am Fried zu Carlowitz
gebrochen/
Das hat Eugenius zu Carlowitz gerochen.

Hujus temerariæ violationis inſtigatores creduntur etiam fuiſſe Rebelles, in caſtris turcicis Hungari, Berezenus, Lorgatſch, Eſterhaſius &c. qui plenam & integram Regni Hungarici habentes notitiam pravis Vezirium conſiliis ad invadendum Petrovvardinum, fortiſſimum Ungariæ antemurale inſtigârunt, quo occupato ulteriorem facilè in regnum progreſſum non diffidebant: ad hoc enim tam immenſum bellicum apparatum & commeatum contulerant, jamque Eugenio undique circumdato, & ſacco veluti incluſo, impugnatoque, dum nullus videbatur elabendi locus, victoriam jam in manibus habere videbantur; ſed nemo pugnat acriùs, quàm qui invitus ad pugnam pertrahitur. *Salluſt. in conjurat. Catil.* Eugenius autem divino fretus auxilio, & militari experientiâ, noxia eorum diſſipavit conſilia, & tam exiguo ſuo exercitu Turcarum ducentorum millium exercitum vidit, vicit, triumphavit. 1717.

Rebelles Ungari in caſtris turcicis.

Feliciſſimâ hac victoria dici vix poteſt, quantum gaviſa & admirata ſit Europa univerſa; imprimis autem Italia, Venetiæ, Romæ in extremo periculo hoſtis potentiſſimi minas, per has ſparſim provincias evulgatas, eorumque crudelitatem exhorreſcentes, victorioſè nunc ſuppreſſas, & feliciter contritas. Clemens Pontifex quamprimum ad aures ſuas hæc glorioſa, ſimulque mirabilis victoria in mirabili B. Mariæ ad Nives die facta pervenit, cum toto Cardinalium Collegio ad ejusdem Virginis Eccleſiam Majorem ideo ædificatam proceſſit, armipotenti Deo, & Chriſtianorum auxiliatrici gratias acturus, ſimulque felices ulterius armorum Cæſareanorum contra Ottomannos progreſſus deprecaturus, tantoque gaudio Pontifex eſt affectus, ut cum Cardinalis Scrottenbachius multis Prælatis, & Romana Nobilitate inter continuos immenſi populi congratulantis applauſus comitatus tranſmiſſa à Cæſare quatuor vexilla, & prætoria ſigna equina publicè prælata 31. Auguſti offerens, Clementi lacrymas elicuerit, qui in habito 2. Septembris conſiſtorio, prævio encomio glorioſiſſimo Chriſtianitatis Aſſertori, Duci Franciſco Eugenio gladium benedictum, & pileum, per nobilem Raſponum, cum particula S. Crucis Chriſti auro incluſa, & aliis benedictis argenteis medaliis, cæteris belli heroibus communicandis in ſignum gratitudinis, fortitudinis, & æviternæ gloriæ tranſmiſit, eaque in redinı Temeſwario Viennam in itinere Jaurini die ſextâ Novembris, cum totius urbis, & militum applauſu accepit: cujus honoris quodammodo participem eſſe voluit campi Mareſchallum Comitem Sibertum Heiſterum Jaurini præfectum, omnium belliducum ſeniorem, qui hoſtium terror, ætate licet grandævus, Petrovvardinenſi tamen prælio, & Temeſvvarienſi obſidioni & dux & miles præſens hunc meruit honorem, & ab Eugenio magnæ exiſtimationis affectum; qui gratulatoriis Pontificis literis mutuas gratiarum reſcripſit actiones. Sic nempe glorioſiſſimis fidei Catholicæ aſſertoribus & defenſoribus primùm ab Urbano I. anno 1378. deinde à ſubſequentibus aliis Pontificibus ad noſtra uſque tempora à Paulo V. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Duci Veneto Mauroceno factitatum fuit. Die 13. eandem gratiarum actionem Cardinalis Scrottenbachius ſolemniſſimè in nationali germanica Eccleſia dell' Anima continuavit, quam poſt meridiem Clemens ipſe ſuâ honoravit præſentiâ: decimâ quintâ autem Septembris tam in Quirinali, quàm aliis paſſim Eccleſiis pro defunctis tum Petrovvardini, tum Corcyræ militibus, has victorias ſuo ſanguine ementibus inſtitutæ ſunt plurium ſacrificiorum exequiæ. Imo apud Patres Carmelo-Diſcalceatos in templo B. Virginis de Victoria, ubi celebris imago B. Virginis ad Pragenſem in monte albo victoriam

Hujus victoriæ gaudium in Italia, Roma, Clementis PP.

Eugenius donatur a Clemente pileo & gladio benedictis.

Exequiæ pro defunctis militibus

aſſer-

1717. aſſervatur & colitur, triduanæ Euchariſtiæ preces, cum plenariis indulgentiis, & magno populi concurſu ſunt celebratæ.

Eugenius cum exercitu tendit Temeſvvarin.

Eugenius admirabili hac victoriâ ad majus Chriſtianitatis & Cæſaris incrementum ulteriùs utendum ratus, Palffium cum parte peditatûs, & Alexandrum Wurtenbergenſem cum parte equitatûs ad obſidendum Temeſwatium, clavem Walachiæ, Moldaviæ, Tranſilvaniæ, aliarumque provinciarum ad dexteram Danubii adjacentium, & ad mare uſque nigrum tutiſſimum acceſſum demittit; quòd exercitus præſertim ejus quadraginta duobus agminibus tam peditum, quàm equitum ex provinciis hæreditariis, Belgio, Tranſilvania, Hungaria & Neapoli eſſet adauctus. Belgrado igitur relicto, quod obſidionis metu copioſo bellico apparatu, commeatu, & præſidio Eugenius noverat abundanter communitum, toto cum exercitu decimâ quartâ Auguſti Petrovvardino tendit Temeſvvarium, ſufficiente apparato bellico præſidioque deſtitutum, cujus etiam præfectus, & ejuſdem filius cum pleroque urbis præſidio in nupero prælio fuerunt interfecti, ideoque tumultuariè quantum potuerunt Turcæ ante Cæſareanorum acceſſum eidem providerunt: quorum decem millia Palffii in via copias infeſtantia, cæſis eorum aliquot ſunt rejecta, Eugenium mox ſubſecutus eſt Heiſterus cum peditatu, & re tormentaria, ita ut totus exercitus vigeſimâ ſextâ Auguſti urbem obſidione cinxerit, quam Eugenius pridie cum Palffio, & duabus legionibus Sabauda & Wurtenbergenſi recognoverat.

Temeſvvarii deſcriptio.

Temeſvvarium urbs & arx celeberrima à fluvio Temeſſo, qui ex alpibus ad Severinum urbem, haud procul ab Iſtro ſeu Danubio ſitis profluit, urbemque & arcem præterlabitur, nominata eſt, quam veteres Pannoniæ Reges contra Bulgarorum, nondum Chriſtianâ religione imbutorum, qui à Pannoniæ finibus ſolo Iſtro dirimuntur, ac Cumanorum ſeu Cunorum, quos Polоucios, nos nunc Tartaros vocamus, crebriores incurſus avertendos ædificaverant, ac poſtea invaleſcentibus Turcarum armis, & ex illis ultra Iſtrum regionibus, & utraque Valachia fines Hungariæ vaſtantibus, continuo militari præſidio muniverant. Habet duo contigua oppida, quorum alterum ab oriente Inſula, ſeu Palancka vocatur; alterum verò ſeptentrionale à fluvio Temeſvvarium dici ſolet. Quæ quidem oppida ſimul cum arce foſſa præalta aquis cinguntur; & majus oppidum tres habet portas, quarum duas propugnacula craſſiora è terra, materiaque juſſu quondam Caſtaldi ab Hiſpanis conſtructa muniunt, & inter urbem arcemque turris aquaria, egregiæ munitionis habetur. A meridie verò Uliciæ planicies & campi patentes circumjacent, ut deſcribit *Iſtuanffius lib. 18. Hiſt. Hung. in princip.* ubi anno 1552. Turcis deditum; ſed pactis crudeliter perfidèque violatis occupatum, & hucuſque detentum, nunc Eugenius magnanimiter, ſumma urbis conſternatione invadit, & imprimis præfecti Baſſæ topiarium prope ſuburbium excultiſſimum occupat, unde mox Turcæ ſuburbium cum omni præſenti pabulo flammis conſumpſerunt.

Oppugnatio.

Omnibus interim ad impugnandum acriter diſpoſitis, inter primam & ſecundam menſis Septembris noctu caſtrenſia valla adverſus turrim Arrathenſem prope ſuburbium ſeu palanckam, fovea aquaria admodùm lata & profunda (ſolent communiter Hungari vaſtis & craſſis eas quercubus humo interjectâ ſolidi roboris communire) cincta, aperiuntur, & tormentorum ſuggeſtus eriguntur, quam ſex Janizarorum ſeu peditum, & duo Spahorum ſeu equitum millia pertinaciter defendebant: & quamvis nonâ Septembris hæc palancka tam à dextris quàm ſiniſtris ab octava veſpertina per totam omnino noctem uſque ad alteram diem fuerit inflammata; alacres tamen præſidiarii, ſuam ut oſtenderent vigilantiam & fortitudinem, accenſis facibus, oſtenſiſque gladiis ſuis excurſionem minabantur, & exequebantur, ſed tempeſtivè ſunt repulſi; die verò alterâ cùm noſtri ad foſſas caſtrenſes duos erexiſſent tormentarios ſuggeſtus, & acceſſibus ſuis obſidionalibus vix ſex paſſibus abeſſent palanckâ ſeu Inſula, ut vocat Iſtuanffius, inſano Turcæ furore rurſum excurrentes, noſtros cæde quinquaginta loco pellunt: mox tamen à legione dimacha Schonbornica rejecti ſunt in palanckam.

Varia Chriſtiani loca occupant

Inter hæc variæ alibi intercesſere velitationes, nonâ Septembris Huſarorum Capitaneus Theodorus Czuniz paucis cum Hungaris & Petrovvardini præſidiariis ad oppidum Huniſcha Turcarum pabulatores ſub Aga quodam nebulæ beneficio irruens cædit, ducentorum equorum & camelorum prædâ ditatus; quem dum alius Baſſa in reditu multis cum copiis aggreditur, ipſe cæſis quindecim, abductis ſecum captivis aliquot, dimiſſiſque equis fortiter, generoſéque ſe defendendo, Baſſam, aliosque quinquaginta trucidat, & cum aliquot captivis, & decem equis victor revertitur Petrovvardinum. Ignavia & timiditas animi è violentis caſibus non eripiunt, nec quidquam de periculo turbatio detrahit; conſtantiæ fortitudo illud aut vincit, aut certè famoſum efficit; ut verè dicit *Saavedra ſymbol. polit. 33.* In Carlſtadienſi Generalatu tribunus Baro à Teuffenbach collectis tumultuariè his mille vernaculis & limitaneis, in Dalmatiæ hoſticum excurrens, per Capitaneum Boazum oppidum Oſtrochatz, & per ſubtribunum Hallerſtein oppidum Perkovizam invadit, expilat, incendit, perculſis terrore Turcis non prodeuntibus 400. armenta, & 500. pecudum gregem feliciter abducit, poſtquam obvias campi fruges, fœnum & pabulum flammis conſumpſiſſet. Baro Max. Petraſchius in ſuperiori Savi tractu tribunus varias emittens turmas, una verſus Banjaluckam ultra montes ad cæduas ſilvas penetrat, quo Turcæ ex oppidis campi Livicenſis omnes compulerant velut Chriſtianos, indeque omnes in fugam agunt Ottomannos. Altera turma oppidum Leſchram invadit, diripit, incendit, & aliquot mancipia Chriſtiana in libertatem vendicat. Petraſchius ipſe in ſuperiori hoc Savi tractu Derbentum, validam Boſniæ clavem, & frequentium turcicarum excurſionum latibulum, bis mille peditibus, & ducentis equitibus communitum invaſurus, dum tria Turcarum millia tribus ſolùm horis Derbento abeſſe audiſſet, feſtinatione uſus, anguſtum aditum Ukrin, dimidiâ Derbento horâ diſſitum, Derbentenſes Turcas præveniens occupat; quo hi fruſtrati & terrore perculſi, ſimul cum ſociis præſidiariis deſerto oppido aufugiunt: quod quadrangulare munimentum non infimi erat roboris, & foveâ altâ craſſis ſtipata quercubus, locoque ſudium ſimilibus communitum quercubus Petraſchius totum everti, & totum funditùs exſcindi juſſit, nitrato

Petraſchii excurſio.

Derbentum occupat.

pulvere

1716.

Varia Chriſtiani loca invadūt. *In Sclavonia,* *Croatia, Walachia.*

pulvere, & juſtæ quantitatis commeatu hinc aliò deportato. In inferiori Savi tractu præfectus in Razka tribunus ab Kâyſersburg non exigui roboris munitiones Parczkam, & limitaneum fovea & vallatibus ſudibus probè roboratum aditum Bellinam intercipit. Baro à Lôffelholtz Sclavoniæ præſectus per centurionem Vins Caſchnizam, Sabacium, & Kupinibium, aliáque Sirmii loca Savum inter & Danubium occupat. In Croatia ſimiliter Comites Draskowicius & Erdôdus, in Walachia Baro de Tinga varia capiunt loca: hunc Teſmanam uſque penetrantem omnes cum lætitia incolæ exceperunt, Cæſaris Rom. protectionem exorantes, & octodecim vexillationes popularis ſuæ militiæ offerentes: ſed advenieote Bucherestum Hoſpodaro Nicolao Mauro Cordato, cum Baſſa & 1200. Turcis, mentem mutare ſunt coacti.

Turca tentant Temeſvvario ſuccurrere.

Temeſwarii decimâ nonâ Septembris, dum ipſa jam urbs muralibus indeſinenter quateretur tormentis & pyrobolis, Janizarorum Aga tranſmiſſo Viſnizæ Danubio cum triginta circiter millium Turco-Tartarorum exercitu Palffii caſtra, vigiori ideo campeſtribus præmunita tormentis vigeſimâ tertiâ Septembris irruens, inſano furore quingentis auro emptis urbem fame laborantem tentavit irrumpere; ſed quadringentorum cæde fortiter rejicitur, & ultra Temeſum in fugam agitur. Strenuè interim omnia ad decretoriam in palanckam præparantur impreſſionem, in diem Caroli Cæſaris dilatam: quâ die poſtquam Eugenius pridie

Temeſvvaru palancka occupatur.

militanter, ſapienter que ſuum cunctis ordinem & aſſultum deſignâſſet, exploſis circa horam octavam matutinam omnibus in palanckam tormentis & pyrobolis, Alexander Dux Wurtenbergenſis anteſignanus heroicâ ſanè generoſitate foveas ſex pontium ſubſidio, alii pubetenus per aquas valla tranſcendunt, aggerum & murorum ruinas irruentes, quas Alexandri maximè pyrobolarii difficulter poterant ſuperare; ideo Macte germane miles, illis acclamabat, ſequere me, oſtendamus hic Germanorum fortitudinem æviternùm prædicabilem; ſequimini fratres, hic vincendum aut moriendum: Deus juſtæ cauſæ noſter erit adjutor. Nec mora, hac voce animati, & principe præcedente perrumpunt ſtrenuè, & Turcas deſperatè per integram horam in vallis utrobique certantes ad ſua depellunt ſepimenta; inde ſuccedente alio atque alio milite Chriſtiano turmatim ad urbem confugiunt, & à noſtris ad portas uſque perſequuntur, qui deinde quinquaginta vix ab urbe paſſibus ſtationem figunt, & terræ ſe infodiunt, Eugenio inter globorum & ſphærarum nimbum inſpectante & moderante: imò tertiò ex civitate Turcæ erumpentes, multos noſtrorum proſtraverunt, & domos incenderunt, adeo ut Chriſtianorum tam cæſorum quam læſorum in ſolo hoc inſultu fuerint mille nongenti quadraginta duo, Turcarum verò ſupra duo millia, inter quos primogenitus Baſſæ præfecti filius vulneratus, Chirurgum ab Eugenio petit, & impetrat, ſenos reciprocè generoſos equos dono eidem remittens. Hunc inſultum jam pridem ante octiduum Eugenius inſtituiſſet, niſi fovearum aquæ per lanas & ſaccos immiſſos altum intumuiſſent.

Urbis deditio.

Captâ jam hac Inſulâ ſeu palanckâ, quæ magnitudine Viconæ medietatem attingit, igne tam à Turcis quàm Chriſtianis devaſtatâ, mox admotis tormentis muralibus urbem ipſam continuò flagellant, Baſsâ præfecto ob pyrobolorum & ſphærarum multitudinem in crypta latitante, & per interceptas literas ſuccurſum inſtanter ob imminens urbis periculum, & Spahorum Janizarorumque diſcordias admodùm periculoſas flagitante, quem etiam unâ & dimidiâ Temeſwario horâ duo Turcarum, & alter Tartarorum exercitus ſedulò & vigilanter, ubi commodè perrumpere poſſent, præparabant. 1716. Sed decima tertia die menſis Octobris urbem Eugenius 61 muralibus tormentis, viginti quatuor colubrinis, & centum duodecim varii generis ſpætarum mortariis adeo attrivit & arietavit, ut circa meridiem urbis præfectus Baſſa Mehemet Aga Azebani Eduel albo vexillo expoſito ultroneam obtulerit deditionem, his pactam conditionibus: ut ſonantibus tubis & tympanis, volantibusque vexillis more militari cum ſuo præſidio præfectus, & volentibus incolis Belgradum ſecurè & liberè deducerentur, relictis ibidem omnibus tormentis bellicis centum triginta ſex, bellico apparatu & commeatu. Judæi quidem Eugenio centum floreoorum germanicorum millia offerebant, ſi illis ſua ſexaginta clauſis vehiculis & curribus liberè, & ſine viſitatione permitteretur educere, quod haud quaquam permiſſum, quia omnia ab exeuntibus pretioſa vili coëmerant pretio. Hanc Temeſvvarii deditionem Eugenius per ſuum adjutantem Comitem de Wurmbrand Viennam Cæſari deferri curavit, qui ſumma gratiarum actione armipotenti Deo in Eccleſia S. Stephani 18. Octobris hymnum Ambroſianum *Te Deum laudamus* ſolemniſſimè decantavit, cum omnium urbis campanarum compulſu, & civium jubilo Cæſarem felicitantium, quòd Inſula ſeu Palancka die Cæſaris natali, urbs verò Temeſvvarium in ejus ceſſerint eo die poteſtatem, quo anno MDCCXI. Genuæ in Imperatorem Romanorum electus, eidem corona ab Electoribus per Ducem Palatinum Carolum tunc Tyrolis gubernatorem, nunc Electorem primo eſt delata, & inde Francofurtum abiens ibidem eſt coronatus.

Temeſvvaru robur.

Cætetùm plures maturam urbis validiſſimæ deditionem, & militatem Ducis Eugenii prudentiam mirantur & deprædicant, dum necdum ſufficiens & plena murorum patefacta eſſet ruina; duæ aut tres adhuc aquariæ ſatis latæ & altæ foveæ tranſcundæ & ſuperandæ; retro muros interni defenſionis receſſus, & uſque ad arcem communicationis linea eſſet integrè adhuc deducta: quæ arx tribus circum paludibus & ſtagnantibus aquis circumdata, & retro illam valida in mediis paludibus ſita eſſet palancka, acerrimæ & longinquæ defenſionis munimenta: imo duobus adhuc Spahorum, & quatuor Janizarorum millibus eſſet communita, & nullibi niſi uno tantùm latere acceſſibilis, paludibus, & Beghæ fl. aquis latè circumquaque eſſet præcincta, quam, ut dixi, mutua præſidiariorum cauſavit ſimultas, & ab hominum memoria inaudita terræ ſiccitas. Metuebat autem urbis præfectus pœnam talionis, eò quod anno MDLII. Turcæ violatis fidei, & promiſſæ ſecuritatis pactis omne cum præfecto Stephano Leſontio præſidium, exceptis paucis internecivè mactaverint; ſed Eugenius in verbis fidelis, non ſanguine ſed gloria contentus, quòd urbem, & 650. oppidorum Bannatum annis 164. graviſſima Ottomannica ſervitute oppreſſum Hungariæ, ac imprimis Tranſilvaniæ propugnaculum,

Bannatus hic quantus.

& Wa-

1716.

Sultani votum.

& Walachiæ acceſſum Carolo Cæſari, & Hungariæ Regi glorioſiſſimè recuperaverit, crudeliſſimumque Sultani votum everterit, quo obtentâ contra Chriſtianos feliciter victoriâ, omnia Chriſtiana in Ottomannico imperio mancipia uno die victimas devoverat.

Varia Chriſtiani oppida intercipiunt.

Mercius Panſovam, Vipalanckam, non Orſovam.

Demum generalis equitum præfectus Comes Mercius, ut hujus Bannatûs repagulum, ſeu antemurale ulteriùs extenderet, & militum hibernacula magis dilataret, Panſovam 9. Novembris, & decimâ ſextâ Vipalanckam deditione occupat; Orſovam autem haud exigui roboris oppidum, ſeu palanckam, montibus ferè inacceſſis, foveis aquariis, aggeribus, quercubus & ſepimentis probè munitam, & Danubii 250. paſſibus ſolùm ibidem lati aditum intercludens, quam ex adverſo flumine etiam Orſova nova defendit, fruſtraneè, ob curulium tormentorum defectum, & adverſas aëris tempeſtates tentans, inque aliud dilatans commodius tempus, militem ad hyberna demittit.

Alia Steinvillus in Moldavia & Walachia.

Tranſilvaniæ præfectus Comes Steinvillus cum ſuis legionibus Temeſvvatio reverſus, aliquot in Moldaviam turmas emittens, Kaſan, Bagdan, Finſtrix, Tragoniam, Suſanitzam, Koman, & Architx: in Walachia oppidum Niemſi, monaſterium Sirai & Krimeni aditum intercipit: & L. Huſari ad urbem uſque Bucheteſt excurrentes, ducentos obvios Tartaros impertertitè aggreſſi in fugam conjiciunt; illi viciſſim in cujusdam Nobilis aula à mille Tartaris, aulæ incendium meditantibus invaſi, furioſâ perrumpunt eos audaciâ, ſeptem tantummodò è ſuis amiſſis; Tartarorum verò cæſi centum octuaginta quinque.

Alia Petraſchius Doboim, &c.

Similiter ſupramemoratus Petraſchius mille peditum & ducentorum quinquaginta equitum agmine ſuperiorem Savi tractum rurſus invadit, & validas arces Dobes, Minlom, Hodſchack, & Cohoſno occupat, diripit & evertit: deinde robuſtæ arcis Doboi poſtulat deditionem, quæ ſita ad fluvium Boſnam in Servia orientem, & propè Arky Savo influentem, toto iſti imperat tractui, hanc Turcæ ſub conditione liberi & ſecuri diſceſsûs offerentes diſcedunt, relictis pluribus æneis tormentis, ſexdecim nitrati pulveris centenariis, ducentis molis truſatilibus, & decem modiorum frumenti millibus, quæ omnia, quia comportare non poterant, cum arce munimentis igne ſunt conſumpta & deſtructa. Turcæ hac ſpontaneâ Doboi deditione ita ſunt conſternati, & furore perciti, ut ejuſdem præfectum Baſſam, quinque Agas, & duos Bolog-Baſſas trucidaverint, & ob præſtantiam loci arcem tumultuariè reſtauraverint.

Dettinus Bucheteſtum cũ Principe.

Supremus inſuper Raſcianorum Capitaneus Stephanus Dettinus vernaculo ſuo milite ipſam Walachiæ vaſtam populoſamque civitatem Bucheteſt, Hoſpadaris ſeu Principis Walachiæ reſidentiam, cæſis quingentis Turcis & Tartaris feliciter occupat, ipſumque Principem Nicolaum Mauro-Cordatum, hominem ferum & tyrannum, celebris olim Mauro-Cordati filium, cum tota ſua familia, uxore, gynecæo, quatuor filiis, & ultra L. miniſtris captos Coronopolim primò, dein Hermanopolim Tranſilvaniæ, relictis ibidem ob equorum inopiam XVII. tormentis bellicis, alioque apparatu, oblato, ſed rejecto lytro conduxit. Quâ felice audacique expeditione Dettinus ſingularem Cæſaris meruit gratiam, legionis præfecturam, & catenam auream cum Cæſaris imagine 5000. fl. pretioſam. Illud imprimis etiam notabile, Ducatus illius Bojaros, ſive Nobiles, ſine reſiſtentia Principem ſuum Nicolaum inde abduci permiſiſſe, ideoque Sultani iram metuentes, plures Bojari cum familiis ſuis in Tranſilvaniam cum Cæſareo milite diverterunt, quia plures eorum ſuſpectos Nicolaus occiderat.

Cantacuzeni uxor Byzantio fugit Romam.

Prædeceſſoris verò ſui Stephani Cantacuzeni Principis, Byzantii ſtrangulati (ut ſupra meminimus) uxor à Britanno nauta clam inde pretio 7000. ſoldinorum in auro transvecta, 23. Septembris Meſſanam & Neapolim, inde Romam profecta, paternè à Pontifice excepta, Viennam abüt ad Cæſarem: quo etiam Eugenius impoſito urbi & Bannatui præfecto Generale vigiliarum magiſtro Comite de Wallis, & cunctis Temeſvvarii prudenter diſpoſitis, triumphalibus coronatus palmis & lauris rediens, ſingulari Cæſaris benevolentiâ & gratulatione exceptus, ferales in aula à Libitina luctûs cupreſſos in pridie (4. Novembris) defuncti Principis Auſtriaci mortem expoſitas invenit, dolenter ab ambabus Majeſtatibus deploratam; patienter tamen & magnanimiter cum Jobo *cap. 1. 21.* dicentibus: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Mors Auſtriaci Principis.

Turcarũ terror.

Tandem anno inclinante miles bona laboris ſui ſuſpirabat hybernalia, quæ Eugenius in vicina circum Temeſwarium oppida ſenſim occupanda diſtribuere meditatus; quia Turcarum exercitus viginti Tartarorum millibus auctus impendere dicebatur, qui tamen ob nimiam illis incuſſam conſternationem & terrorem vix quidquam auſi tentare: quin & Cæſareus Reſidens Fleiſchmannus à Turcis adhuc Belgradi detentus clam literis adeo trepidum eorum ſignificavit pavorem, ut præter cæſum in prælio Vezirium ſex alios Baſſas, belli expeditionem in Rom. Cæſarem urgentes, coactus fuerit Sultanus ſtrangulari.

Fleiſchmannus Viennã remiſſus.

Fleiſchmannus autem difficulter, jure tamen gentium, mediatoribus Angliæ & Bataviæ legatis Belgrado ad Cæſarem remiſſus, magnifico ſplendore nono die Decembris Viennam ingreſſus, benignam Cæſaris impetravit audientiam, ſimul & aulico-militaris conſiliarius renuntiatus, qui ſine omni dubitatione referebat, Sultanum nec habuiſſe, nec adhuc habere pacis aut armiſtitii cogitationes; nec Angliæ & Hollandiæ legatorum mediationem voluiſſe admittere. Quare ad maturiorem anni ſequentis expeditionem quadraginta ſtipendiariorum millia iterum auctorabantur, ſoli tantùm Germani, non Itali, Galli, Hiſpani, Sueci, Alſatæ &c.

Quanti hujus anni expeditio ſteterit.

viginti enim millia hujus anni expeditio tum cæde, tum morbis ex aquæ ſitim caloris exceſſivam relevantis defectu miſerè conſumpſit, & novem in nervi bellici impenſis abligurivit milliones, ideoque triennales ad hoc turcicum bellum à Pontifice permiſſæ indictæque per Italiam, Germaniam &c. decimæ Eccleſiaſticæ continuabantur, & nulli præterquam Cardinales & Equites Melitenſes inde excuſabantur.

Claſſis Danubialis.

Navalis præterea claſſis Danubialis auctore Eugenio eſt extructa, flumini magis accommodata, & huic quàm præcedentibus expeditionibus utilior & neceſſaria. Ædificabantur nempe naves ad modum Danicarum propè Inſulam Rugiam uſitatæ, atque Prame dictæ, quarum longitudo 133. pedes, latitudo 28. profunditas 20. pedes, quælibet plenè onerata ſeptem in aquis ſubſidebat pedes, in cujus inferiori conſtrato, ſeu tabulato quodlibet latus 12. utrimque 24. bellicis muniebatur tormentis,

1717. tis: in ſuperiori autem conſtrato quodlibet latus undecim, utrimque 22. tormentis, quorum quodlibet octolibrem globum ejaculabant. Eorum jam modò novem evocatus Hamburgo celebris naupegus Fockgerſen ſedulâ diligentiâ & arte confecerat, & Epiſcopus Viennenſis 14. Octobris navem prætoriam S. Mariam nominatam magnâ publicè ſolemnitate (uti & alias prius, ſcil. S. Carolus Borromæus, S. Franciſcus, S. Joſeph, S. Eliſabeth, S. Stephanus, S. Leopoldus, S. Eugenius, S. Joannes Capiſtranus, S. Thereſia indigitatas) adſtante Clero & Nobilitate, inter ſonantes tubas, aliaque muſica inſtrumenta benedixit. Quælibet ejuſmodi navis ſuam admirabilis velocitatis, adverſo etiam flumine, habebat dromadem, ſeu celocem, præter innumeras onerarias, frumentarias, & ad pontes ſublicios conficiendos aptiſſimas, ipſis adeo Turcis terrificas. Hac Danubiali quaſi maritimâ quadam claſſe Cæſar tantùm delectabatur, ut ſæpius eam mirificè recreatus conſcendens, Vice-Admiralem Anderſon, pontium præfectum Joan. Paulum Gezar, cæterosque ejusdem Officiales ſingulari proſecutus ſit favore. 1717. Nec mirum eſſe debet, quòd Danubius militares ejuſmodi naves poſſit ſub- & transportare, quia ad certam ſeptem pedum tantummodò immerſionem artificiosè ſunt ſecundum ſolidiorem aquæ danubialis naturam ædificatæ: quia poſt Nilum Africæ omnium fluminum eſt maximus & profundiſſimus, ſimulque velociſſimus; cujus præcipuus ortus in Sueviæ oppido Donau-Eſchingeo (unde nomen ſortitur) ſub arce Fürſtenbergica, inferius circum quercubus, ſuperius verò 16. pedum muro circumcingitur, qui inde paulatim creſcens, Ulmæ Ilardo & Blau fl. maritatus primum fit navigabilis, & poſtea Sueviam, Bavariam, Auſtriam, Ungariam, Serviam, Bulgariam, Walachiam & Moldaviam percurreos ſexaginta fluminibus, plurimùm navigabilibus, tandem in pontum Euxinum, ſeu mare nigrum ſeptem oſtiis copioſiſſimè devolvitur.

Danubii deſcriptio.

RERUM HUNGARICARUM

LIBER LII.

INchoato jam anno 1717. utraque pars belligerans omni ſe ſtudio & ardore ad ſequentem præparabat expeditionem, eoque Romanus Cæſar ferventius, quòd Eugenius in campum nollet prodire, niſi omnia quoad nervum bellicum, commeatum &c. abſolutè eſſent prius expedita, ideoque omnes Auſtriacæ provinciæ, & Neapolis Mediolanum & Belgium ſimul in ære undecim milliones contribuebant: Imperii præterea Status in Germania, & decimæ pro hoc turcico bello eccleſiaſticæ non exiguam addebant ſummam, & Genuenſis Reſpublica pro illata nuper Cæſareo Capitaneo injuria loco mulctæ quadringenta imperialium millia perſolvere, ac ſeptem militares naves ad Toſcanos Herruriæ fines pro Cæſare conſervandos & defendendos mittere debebant; adeoque omnis gens Judaica per omnes Cæſaris hæreditarias provincias quingenta florenorum millia numerare cogebatur; deinde famoſus ille Judæus Oppenheimer omnia granaria Budæ, Neoſolii, Eſſecki, Petrowardini, Temeſwarii, Segedini, aliisque limitaneis locis indefeſſo ſtudio & labore frumentis complebat, ne ullibi deeſſet annona: parabanturque artificiosè molæ truſatiles ſeu manuariæ, pondere ſolùm ducentenariæ, quarum una 24. horarum ſpatio tantum farinæ conficiebat, quantum pro 1200. panis portionibus pinſendis ſufficiebat. His annonariis domibus Turcæ admodùm per frequentes ſuos incendiarios ſub vario ementito habitu & conſtituto commiſſario emiſſos inſidiabantur, & Dendæ unam in cineres redegerant; ſed Eſſeci, Segedini & alibi deprehenſi meritas dedêre pœnas. Univerſale inſuper Viennæ bellicum tribunorum & belliducum convocatur conſilium, quorſum hoc anno Bellonæ expeditio foret ſuſcipienda, & quia obtento jam Petrovvardino & Temeſvvario patefactus jam eſſet in Walachiam & Moldaviam aditus, Belgradum ultimum Hungariæ repagulum, regno, & Chriſtianæ Reipublicæ neceſſarium omnes intendebant, quod priori anno Mercius occupatis circumquaque acceſſibus quodammodo incluſerat, nunc ex quondam Ludovici Badenſis conſilio decretoria Turcas pugna prius provocandos, cujus fruſtratu Belgradum eminus ad Savi oſtium militaribus cingendum navibus, & aliâ claſſis parte infra urbem, totiusque exercitûs caſtra prope Niſſam figendo urbem taliter includerent, & contributiones, quantum fieri poſſet, extenderentur, & Mercius interim Orſovam, poſt Belgradum primarium & validius oppidum terrâ & aquâ, vi & igne oppugnaret: Eugenius tamen formali urbem obſidione cingendam ex exploratoris relatione exiſtimabat, ut poſtmodum videbimus.

Genuenſis Reſp. mulcta.

Nec minus deſides erant Ottomanni, cruentam prioris anni ſtragem inſano vindicaturi furore: & quamvis plures eos armiſtitium petituros crederent, & legatus Britannicus Worlejus Montagne juſſu Regis ſui mediatorem ſe offerret, Sultanus eum repudians Baravico legato Colgero reſpondit, non pacem, ſed bellum & arma in vindictam, & ablatorum reſtitutionem ſe meditari. Multi etiam in divano turcico pacem cum Muftio ſuadebant, major tamen pars prævalens bellum perſuaſit, electusque in ſecundo Decembris divano in ſupremum Vezirium Numa Baſſa Kiuperlus, cujus generoſa anteceſſorum ſtirps bello famoſa, ipſeque non avarus & crudelis, ſed militari ſcientiâ apprimè præditus, quamprimum limitaneis urbibus, ac imprimis Belgrado quadraginta millium præſidium ſub Seraskiero, Janizarorum Aga, & aliquot Baſſis imponit, fortificationes die noctéque reficit, commeatu apparatuque bellico copioſiſſimè communit, Raſcianorum ſuburbium novis aggeribus firmat & ſepimentis, urbis portum navibus militaribus, danubianas inſulas tormentis & munimentis roborat, Danubii ripam à Belgrado Orſovam uſque militum ſtationibus, hancque copioſiore bellico apparatu, com-

Turcarū ad bellū præparatio.

1717. commeatu & præſidio fortificat, ex univerſo turcico imperio ingentem militum multitudinem convocat, & quinque ſeniores Baſſas, hujus belli tædioſos, ſtrangulari jubet, eorumque theſauros opulentos in nervum bellicum adhibendos fiſco addicit. Sed nulla eſt intolerabilior contumelia, quàm quæ pro benefactis & meritis laboribus rependitur.

Fervente itaque utrobique etiam brumæ tempore marte, obſervant ſe invicem partes vigilantiſſimè: in Bannatu Temeſvvarienſi Baro de Neuberg Vipalanckæ præfectus annonariis invigilabat navibus, Belgradum & aditam in monte arcem Ram tendentibus, omnemque illis intercludebat aditum; interceptis enim decem navibus duas fundo immergens turcicam diſſipat ſtationem, 90. equis & centum pecoribus ditatus. Belgradi præfectus vindictam meditatus aliquot naves vino onuſtas Danubio Panſovam demittit vili pretio præſidiariis ibidem vendendo, quo inebriati, & defenſioni minus apti oppidum ſperabat ſe facilè obtenturum; ſed Germani vino aſſueti Turcas nocte adventantes multo generoſius excipiunt, fortiterque repellunt; ideoque Mercius Vipalanckæ & Panſovæ præſidia octingentis auxit militibus.

Turca Panſovã tentant.

Hoc ſtratagemate ad Danubium fallente, alia Belgrado copioſior ad Savum emiſſa turma capitaneum Monaſterlum opprimit, qui licet ſe cum ſuis fortitudine incredibili defenderit, & quatuordecim ſuâ mano Turcas proſtraverit, multitudini tamen impar, & multis demum vulneribus ſaucius occubuit; accedentes interim plures Cæſareani Turcas in fugam conjiciunt.

Opprimunt Monaſterlum.

Et quia Orſovæ adhuc occupatio liberum Turcis præbebat tranſitum, aliquot millenis verſus Petrowardinum, & infra Carlowicium in Aprili excurrentes, regionem iſtam adeo diligenter recognoſcunt, ut vigilantiſſimus Lôffelholtzius tria ſuorum præſidiariorum agmina, & dimacharum legionem in ſubſidii augmentum ſubmiſerit illoco, non tantùm ad hujus loci conſervationem, & motus Turcarum obſervandos, ſed etiam pontis navalis Danubio inſtrati defenſionem; tam rerum vigilantia cuſtos; initio tamen Maji Capellam Pacis Carlowicii (pax ubi ultimò ad certum tempus, ſed necdum completum inita & ſubſcripta) flammis ſubjecerunt, quas tamen ex parte Petrovvardinenſes præſidiarii extinxerunt, eoſque depulerunt.

Lôffelholtzii vigilantia.

Mercius præterea 18. Aprilis Baronem Petraſchum Petrovvardino cum claſſe annonaria ad complendum Panſovæ granarium pro inſtante Belgradi obſidione per Danubium ad oſtium Tibiſci, inde per paludes Panſovam præmittit, quem Eſſecko præfectus Schvvendeman cum militaribus navibus ſequebatur: vix Petraſchius Tibiſci oſtium attigerat, ecce tibi turcica claſſis & multitudine, & magnitudine ingens illum irruit, naves decem & novem Cæſareas partim occupat, partim aquis immergit; in unam incidens pyrobolus orcam nitrati pulveris incendit, & ſuccenturionem balliſtariumque in aërem vibrat, Petraſcho in aliam ſubitò exſcandente, ſed à Turcis capto, qui quia Raſchiana & Turcicâ loquebatur linguâ, tanquam Raſcianus Capitaneus honeſtè eſt habitus. Quo infauſto caſu audito centurio cum aliis navibus, & duodecim mille farinæ centenariis, tredecimque mille avenæ modiis Petrovvardinum, unde digreſſus fuerat, reverſus eſt; accedente verò Eſſecko cum quatuor militaribus & aliis navibus Schvvendemanno, & aliis à Mercio ad oſtium Tibiſci ſubmiſſis navibus Turcas ibidem obſervantibus, annonam feliciter Panſovam transportârunt.

Turcica claſſis Cæſareã affligit capto Petraſcho.

Hæc multiplicata Cæſarea claſſis talem Ottomannis incuſſit terrorem, ut reductis ſuis è Savo navibus, paulò pòſt copioſiore rurſus claſſe, & quater mille claſſiariis, equitibuſque ad litus ter mille quingentis Cæſareos invaſerint, ſed tormentis bellicis adeo ſunt repulſi; ut demerſis undecim eorum navibus Belgradum properè effugerint. Inde ferociores decimâ tertiâ Maji validiore rurſus claſſe, & gravioribus tormentis alteram Cæſaream claſſem annonariam præcedente multo copioſiorem aggredi molientes, quamprimum id in caſtris Futaci Alexander Wörtenburgenſis inaudierat, ſine mora ipſe cum XVIII. dimacharum agminibus, & XIV. phalangibus, & totidem pyrobolariorum vexillationibus eo progreſſus, in itinere audit Turcas timoris alis Belgradum ad ejus adventum revolâſſe, & annonariam claſſem tibiſco uſque Bezkeret ad granarium feliciter detuliſſe.

Cæſarea turcicam

Sub hac Hungarica expeditione plura Veneti loca & provincias recuperarunt, & Imperatrix 13. Maji Carolo Regi peperit Archiduciſſam Mariam Thereſiam, magnâ ſolemnitate ab Epiſcopo Viennenſi Comite Kollonitſchio, aſſiſtentibus multis Prælatis infulatis eſt baptizata;

Archiduciſſa Maria Thereſia naſcitur.

ubi tertiâ Januarii quinque Walachorum Deputati cum Epiſcopo Græco de Bito, Principis ſui Mauri Cordati, Sultanique Turcici jugo ac tyrannide admodum oppreſſi faſtidientes, Romanam Cæſaris & Hungariæ Regis tutelam & protectionem precabantur: ſimulque privilegiorum ac religionis confirmationem, aliumque ſibi Hoſpodarum, ſeu Principem Georgium Cantacuzenum, Terroani Cantacuzeni filium ſuppliciter rogabant, ut unitis cum Cæſare armis eo fortius contra capitalem hoſtem Turcam ſe defendere & pugnare poſſent: deinde ut ſecundum antiquas & Chriſtianas patriæ leges & conſuetudines, rejectis impiis turcicis, commodius & pacatius gens illa gubernari queat, & ut deinum multæ patrio ſolo extorres familiæ reducantur, vicinæque harum exemplo Cæſaris potius amplexarentur protectionem, id quod Cantacuzena ſtirps ſemper ambiviſſe, & meruiſſe teſtati ſunt prædeceſſores ultra L. annos Domui Auſtriacæ addicti, in Tranſilvania tunc commorantes, ſollicitatique antehac eam ob rem Dux Lotharingiæ, Marchio Badenſis, Imperatrix Eleonora, & ipſe Cæſar Joſephus benignè annuentes appromiſerunt.

Walachi Cæſaris protectionem petunt.

Quod prædicti Walachiæ Status pro Georgio Cantacozeno Terroani filio, hoc idem Viennæ præſens vidua Principis Stephani Cantacuzeni turcicâ barbarie nuper decollati filio ſuo expetebat, verùm aula Cæſarea magis inclinare videbatur Walachiam uti Tranſilvaniam per gubernatorem regere, qui pro rerum ac provinciæ ſtatu ad- vel removeri poſſet. Alii Walachiæ ſubjugationem ob montium, ſylvarum & paludum multitudinem, & frequentes Turcarum ex Choain excurſiones, aliaq; incommoda & pericula diſſuadebant: ſuadebant alii Walachiã Tranſilvaniæ & Bannatûs Temeſvvarienſis fore antemurale, quorũ alias futurum

Suadetur & diſſuadetur.

1717. excidium & ruinam ex continuis Tartarorum & Turcarum irruptionibus & vaſtationibus. Bonâ tandem ſpe & expectatione felicis nunc inſtantis expeditionis in Belgradum erecti & confirmati Walachi, Epiſcopus præſtante Cruce, aliique aureis catenis munerati abierunt.

Juſſus interea Steinvillus varias ex Tranſilvania in Walachiam turmas emittere, prædictusque Dettinus relicta nuper ex equorum inopia in Buchereſt ſeptem tormenta bellica ænea, duo equina ſigna cum non exiguo bellico apparatu inde Coronopolim feliciter deduxit.

Variæ utrimque excurſiones.

Alia emiſſitia turma ultra Danubium Nicopolim uſque progreſſa, tres vaſtas turcicas naves aggreſſa decem minora capit tormenta, navibus Vulcano datis: mox occurrentes octuaginta currus annonarios diripiunt. Sic & Capitaneus Ernau Moldaviam irrumpens, quatuor turcicas centurias invadit, diſſipat, & mactatis trecentis ipſam Hoſpadari reſidentiam Jaſſe, ejusdemque domum occupat, multosque Chriſtianos captivos liberat, Hoſpadarum in montenſe monaſterium proximum effugientem ipſe inſecutus, dum mille quingentos Turcas & Tartaros in via obvios agit fugam, Hoſpodarus interim in monaſterio per æra martia ex locis vicinis ſex Turcarum millia tumultuariè convocans, Capitaneum irruunt, quo in principio cadente, cæteri ad paludes & devia continuò pugnantes & diſſipati, variè errantes domum plures ad ſuos redierunt. Hoſpodarus hanc invaſionem ulturus, aliquoties in Tranſilvaniam cum graviſſimis comminationibus invaſit; ſed cruentis ſemper rejectus eſt capitibus.

Eugenius caſtra petit.

Jam demum omnibus tam quoad commeatum quàm bellicum apparatum & claſſem navalem expeditis (ne ullus in exercitu horum inveniretur defectus) Eugenio decimâ quintâ Maji in Hungariam abituro Cæſar ipſum principem & exercitum ſuum alii ipſo ſuperiori belli Archiſtratego unicè commendabat: Eugenio admiranti quis ſe ſuperior ille eſſet Archiſtrategus, aureum tradidit Crucifixum prętioſiſſimum, cujus poteſtate & auxilio hoſtem ſperaret devincendum, magni enim eſt Deo commilitone pugnare: libentiſſimè illum Eugenius admittens, ſine cujus conſilio & auxilio ſe nihil actutum appromittit, ſuum viciſſim Cæſari offert teſtamentum ultimum, quo ex aſſe hæredem ſcripſit Emanuelem Principem Sabaudum, ſi fortè mortis telum ſubiturus: unde quidam malè, ſed vanè ominabantur: imo plurimi magni nominis viri ac principes voluntarii ultra L. inſigni ejus militari ſcientia addiſcenda illecti, illum vigeſima ſecunda Maji caſtra Futaci ingreſſum ſunt ſubſecuti Numerabat autem hoc anno 1717. Cæſar univerſim in Imperio Romano, regnis & provinciis hæreditariis, Italia, Belgio tam campeſtres quàm præſidiarios milites

Miles Cæſareus, quantus.

162514. quis prædeceſſorum tot numeravit ſtipendiarios? & ut peritos ſemper machinatores bellicos, pyrotechnites, balliſtarios & libratores haberet expeditos, eorum Bruxel-

Cæſar academiã geometricam inſtituit.

lis inſtituit academiam geometricam & geodæticam, Marchione de Prie imprimis accurante, quorum excellentioribus ad æmulandum datus in præmium nummus 125. imperialium, Cæſaris imagine inſignitus & inſcriptus: Carolus VI. Romanorum Imperator, 1717.
Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ: TVrCa eXterMInato, Cæſare Donante: in altero latere ſigna victoriæ videntur cum hac inſcriptione: Cæſaris auſpiciis florebunt Palladis arma, & infra: ACaDeMIa brVXeLLæ, quales nummos anno 1716. poſt ſtrictum per Generalem Wrangel examen obtinuerant Joannes Simon, & Paulus de Bugel: & hoc anno Italicus quidam machinator immediatè ante obſidionem Belgradum clam Turcis auſus ingredi, accuratam ejusdem ichnographiam, totamque roboris & munitionum delineationem cum præſentiſſimo vitæ periculo, non abſque tamen inſigni præmio obtulit Eugenio.

Walachia dividitur in cis- & Tranſalpinam.

In Tranſilvania captus nuper Nicolaus Mauro Cordatus juſſu Cæſaris honeſtè quidem habitus, ſed cautè cuſtoditus, anſam dedit ſæpius in Walachiam & Moldaviam excurrendi (qui unus olim erat Ducatus, diviſus nunc in Walachiam majorem, ſeu Ciſalpinam, & dicitur Moldavia: & in minorem, ſeu Tranſalpinam, quæ Walachia dicitur) & latius ſubjugandi. Prædictus Dettinus urbeculam rurſus ad Danubium Thurn, alii Tumeraſch ſcribunt è regione Nicopolis, levi manu opprimens, cæſis C. Turcis, captisque urbis primatus domum frumentariam aliquot millium modiorum incendit, adeoque potior Walachiæ pars Cæſari eſt ſubjecta, cujus alter à Soldano ſubſtitutus Hoſpodar ſeu Princeps Joannes Mauro-Cordatus, prioris Nicolai frater cum Tranſilvaniæ præfecto Steinvillo contraxit, ut Belgrado necdum à Cæſare occupato, pro ſecuritate & quiete territorii 83333. florenos contribueret; cum Turcæ econtra Walachiæ districtum cis fluvium Alt, à Cæſare modò poſſeſſum, neutiquam invaderent; hi tamen inhumano crudelitatis furore arcem Kraſovâ aggreſſi, ſed rejecti ejusmodi Walachos in turcicam abduxerunt ſervitutem, quorum quidem aliquos Dettinus eripuit; Tartarorum tamen ope multa non ſolum Wallachorum Moldavorumque millia ſervitutis vinculis mancipârunt, ſed ferro, flammis & latrociniis in vindictam Cæſaris, & abſtractivum aliorum terrorem immaniter devaſtarunt.

Joannes Mauro Cordatus tranſigit cum Steinvillo

Tunc legiones Cæſareæ ex Tranſilvania Futacum ad caſtra generalia & inchoandam expeditionem abeunt: quocirca Mercius Temeſwarii præfectus prima caſtra ad oppidum Dente & fluvium Tameſim, Panſovam inter & Temeſwarium in magni emolumenti angulo metatus eſt, eaque validis aggeribus & ſepimentis communit: ingens præterea ibidem erigit granarium & annonariam domum, quæ fortuito tamen flammis conſumpta, prope Verſetz, Temeſwario ſex, Orſavâ undecim, Panſovâ ſeptem: Vipalancka quinque germanis milliaribus eſt translata. Ea autem caſtra indefeſſo robore labore, non ſolùm ad Tranſilvaniæ & Temeſvvarii contra Tartarorum ex Walachia excurſionum vaſtationes defenſionem; ſed etiam ut ſuis hoſtem motibus falleret: idcirco complanatis viis varios Tibiſco, Beghæ & Tameſi pontes insternit, naves militares, & alias infra Donavvizum uſque Panſovam dimittit, pontem communicationis Viloraverum paludibus propter viarum ambages inſtratum perficit: quâ prudente diſpoſitione, & tam militari, quàm politico Bannatûs Temeſvvarienſis regimine apud

Mercii caſtra.

1717. *Ejus laus.* apud omnes, ac imprimis aulam Cæſaream meruit laudem & commendationem, quod præter militaria ſtipendia militi exactè ſoluta, duos fiſco milliones, abſque ullo provinciæ, ſeu Bannatûs gravamine intulerit. Tum 2. Jun. juſſu Eugenii motis Verſetæ caſtris, decimâ ejuſdem tranſit cum exercitu pontem Viloraverenſem, per totum veris tempus elaboratum, & prope Titulium, quod exigui quidem roboris, ſed magni ob ſituationem momenti arx eſt in monte ad oſtium Tibiſci ſita, aditum in Tranſilvaniam, & inferioris ſuperiorisque Hungariæ præbens communicationem, quatuor & medio germanicis milliaribus Belgrado diſtat, inde ad alia caſtra Sigethi, non ad Dravum, ſed ad paludes inter Begham & Tameſim conſiſtentia tendit, ubi ſecundo Danubio militares etiam naves S. Leopoldus, S. Eliſabeth, S. Joſeph cum aliis infra Donawitzum oppidum appulerant, imo Panſovam uſque modò tranſierant; nihilominus tamen ad conſervationem navium S. Franciſci, S. Stephani & aliarum, generalis vigiliarum præfectus Diesbach cum agmine militum ad oſtium fluvii Donawitzæ congeſtitium aggerem erexit, quem fluvium, Danubii brachium XL. tantùm orgiis latum, & paludes pertranſeuntem, Danubium tandem infra Belgradum influentem Mercius effecit hoc vere navigabilem, eo quod Turcæ ſupra Danubii tranſitum milite, & in Inſulis occluſerant ſepimentis. Totus demum Cæſareus exercitus conjunctus decimâ tertiâ Junii Tameſim tranſiens Oppavæ conſiſtit, ubi pontones modò magno numero, & Mercii milite defenſi morabantur: die verò altera una & dimidia hora ſupra Panſovam omnia ad Danubii tranſitum propè oppidum Winteſch præparabantur; nam quia Cæſareus exercitus priori anno Savi beneficio Serviam invaſerat, Turcæ nunc Savi litora copioſo ubique milite, loricis & aggeribus adeo firmiter obſepſerant, ut difficillimus & periculoſus daretur tranſitus, ideoque Danubium minus obſeptum tranſire fuit neceſſe.

Cæſareus exercitus feliciter tranſit Danubiū

Primo igitur per pontones tranſitu decima quarta Junii ſummo mane Mercius ſub uno tribuno, & vigiliarum ſubpræfecto ſeptem pyrobolariorum vexillationes, tum ſub generali vigiliarum præfecto, uno protribuno, & vigiliarum vice-præfecto decem pyrobolariorum centurias; demum ſub uno vigiliarum propræfecto ſeptem pyrobolariorum cohortes, & ſex campeſtria tormenta transfretabat, qui, ubi alteram Danubii ripam penè attigerant, volantibus vexillis, ſonantibus tubis & tympanis in litus ſine ullo impedimento exſcenderunt feliciter, invigilantibus interim ad litora cum bellicis tormentis Panſovam uſque quatuor dimacharum legionibus. Hoc inſperato Danubii tranſitu Ottomanni tanto perculſi ſunt terrore, ut ad montes Belgrado adjacentes turmatim fugiendo convolarint, utque noſtri ſecurius continuarent transfretationem, omnes Belgradum tendentes vias cervis & ericiis militaribus probè occluſerunt. Secundam deinde trajectionem eodem modo & velocitate Comes Heiſter, Princeps Alexander Würtenbergenſis, & Comes Regal continuarunt, & tertiam denique ipſe Eugenius (qui præſens priores admirabili prudentia direxerat) Bavari Principes, & cæteri volones principes cum ſeptem centuriis cataphractorum equitum, & aliquot vexillationibus ſcloporum equeſtrium, ducentisque Huſaris traducebant, ita ut hora ſeptima totus fermè peditatus fuerit admiranda remigando felicitate transvectus, & die altera trium inſularum beneficio pons navalis octuaginta quatuor navium ad oſtium Tameſis Danubio eſt inſtratus, quo res tormentaria, impedimenta, & reliquus peditatus & equitatus demum tranſivit. 1717.

Fuit hæc exercitûs omnium judicio valde notabilis transvectio; Chriſtianæ namque naves Belgradum ſine præſentiſſimo periculo tranſire non poterant, adeoque per alium canalem infra Belgradum erant deducendæ; tranſitus deinde factus in conſpectu aliquot mille hoſtium, ſine ullius viri interitu, quem Turcæ tam terrâ quàm aquâ & claſſe in Belgradenſi portu invigilante haud difficulter poterant impedire: atque ita Chriſtianus exercitus & claſſis mutum circumcirca Belgradum tam ſupra quàm infra cum tota ſua claſſe, & tot millenis præſidiariis arctè incluſit, & omnem cum Semendria communicationem Turcis oppeſſulavit. Nam decimâ nonâ Julii ala dextera ad Danubium, ſiniſtra ad Savum ſub Generale Haubeo urbem circumvallant, caſtraque uno & dimidio ab urbe milliari prope oppidum Viſnizam metantur. Tum Turcæ quinquaginta navibus in dexteram ad Danubium, & ſiniſtram ad Savum alas irruentes, equitatum & impedimenta ad litus conſiſtentia continuis impetunt ejaculationibus; ſed directis eò noſtris tormentis illico ſe receperunt. Conati quidem Turcæ ignivomis ſuis navibus Cæſareum Danubii centum viginti ſeptem navium pontem, militaresque naves diſſipare & ſubvertere; imprimis verò duas Semlini in anchoris hærentes naves S. Franciſcum, & S. Stephanum pleno furore irruentes, non ſine notabili cæde, & militarium ſuarum navium detrimento ſunt repulſi: iteratis quoque præſidiarii exploſionibus prætoria Eugenii, & Portugalliæ Principis Emanuelis tentoria petebant, quod is tamen non alio tranſtulit, nec caſtrenſia ſtatim aperuit valla, quòd turcicum audiret approperare ingentis multitudinis exercitum, cui reſiſtendo, ſimulque urbem oppugnando, ne temerè ſuas accideret vires, ſollicitam ubique adhibebat curam & vigilantiam: nec minus caſtra omnigeno militari munimine circum- & contravallationis lineis, aggeribus, ſepimentis &c. indeſinenter adeo roborabat, ut decimâ Julii interceptæ ex urbe ad ſupremum Vezirium literæ decretoriam Turcis diſſuaderent cum Chriſtianis pugnam, quòd tota Chriſtianitas in Portæ Ottomannicæ interitum conſpiràſſe videretur, Chriſtianorumque caſtra quaſi robuſtiſſimum eſſent fortalitium & munimentum, formali acerrimâque impugnatione devincendum. Dum interim in urbe haud exigua indies creſceret annonæ caritas, ſingulisque diebus ultra ſeptuaginta portionum millia diſtribuerentur, & quadringenti equi fractâ dorſi ſpinâ ob pabuli penuriam fuerint urbe expulſi.

Belgradi circumvallatio.

Caſtrorū Chriſtianorum robur.

Magna in urbe annonæ caritas.

1717.

Cruenta præſidiariorum excurſio.

Jam Eugenius Haubeni ad Savum caſtra, ſive ſtationem luſtrans, aggerem tumultuariè ad Raſcianorum tabernam erigi jubet, tum contra hoſtilem ſepimentis munitam inſulam, tum contra militarium navium impetum ſiſtendum. Hanc trabem in oculis Turcæ ferre nolentes ſibi maximè noxiam, multis navibus furioſè iuvadunt, Cæſareos milites à tergo irruentes confundunt, & in fugam vertunt, ſimulque ex urbe ſphæris inceodiariis cunctos proſtraviſſent, niſi Baro de Miglio Haſſo - Darmſtadienſis protribunus trecentis ſuis equitibus, ignibus licet undique impetitus, magnanimâ generoſitate depuliſſet; quo in certamine Cæſareanorum tum cæſi, tum læſi ſunt octingenti. Cecidêre imprimis Generalis Marſiglus, protribunus Viſcoote de Torres, Fuggerus, Rodulphus Heiſterus (cujus cadaver ſioe capite & manibus Turcæ Belgradum comportârunt) & plures alii generoſi milites; Turcarum autem quingenti cum Baſſa Romilienſi ſunt trucidati. Octo deinde ignivomas naves pyrobolis, globis, aliisque incendiariis materiis onuſtas in deſtructionem pontis danubialis immittunt, quæ omnes à Chriſtianis feliciter interceptæ, prætetquam duæ, quæ ſioe ullo damno pontem pertranſiêrunt.

Urbs aquaria arietatur.

Nullis hactenus urbs flagellata tormentis, vigeſimâ ſecundâ autem Julii erectis tormentorum ſuggeſtibus, apertisque vallis trans Savum urbs aquaria viginti ſex tormentis muralibus, quindecim mortariis, & pyrobolis diu noctuque continuo quaſſata, incenſa, & magnâ parte adeo eſt deſtructa, ut defenſionis locus vix ſupereſſet: eratque hac in parte citra hoſtis opinionem impreſſio fortior & acrior, quàm rus verſus & continentem, ubi omnia circumcirca cuniculis erant ſubfoſſa. Robur interim exercitûs io caſtris quieſcens varios emittit ſpeculatores, hoſtis adventum exploraturos, interceptusque opportuoè turcicus Aga, plurima de moderno militari turcico ſtatu, & ingentis multitudinis exercitu appropinquante referebat, in Hungariam nimirum contra Cæſarem 371000. (cum lixis credo & calonibus) educi: Antonium Eſterhaſium, deinde Berezenum, juniorem Fotgatſchium, Czotlejum, Michaëlem Zachum, & Adamum Vagum, plures exauctoratas Polonorum, aliorumque Rebellium vexillationes Turcarum copiis coojunxiſſe, Tranſilvaniam invaſuras, atque ideo tardius eorum Adrianopoli & Niſsâ adventare exercitum, ut acciſis interea ad Belgradum Cæſarei exercitûs viribus, illum denium arctius Vezirius intercluderet; emiſſo interim alio in Tranſilvaniam & Temeſwarienſem Bannatum exercitu, qui, quocuque vellet, poſſet ſine obſtaculo, maximo Cæſaris detrimento perrumpere: uti & Coſtanizæ in Croatiam, aliasque hæreditarias Cæſaris provincias (id quod Viennenſis meritò metuebat aula) irruere, omnemque commeatum & apparatum bellicum intercipere. Sed ſufficiebat Sultano hac ſuâ Belgradum expeditione liberare.

Rebelles & Turcæ irruere volunt Tranſilvaniam &c.

Vezirius tendit Belgradum.

Quare Vezirius Niſsâ, ſuperatâ prope Baſſaroviam Moravâ fluv. Palanckam, inde die vigeſimâ ſeptimâ Semendriam, tribus à caſtris Cæſareis milliaribus venit, & triginta Turcarum millia Orſoviæ Danubium tranſmiſſa verſus Mediam arcem ablegat, quam etiam poſt ternum furioſiſſimum trium millium ſuorum cæde impetum deditione capiunt, præſidiariosque ſeptingentos quinquaginta ſecurè & humaniter Temeſwarium conducunt; ſicque liberum ſibi in prædictum Bannatum aperuerunt aditum, ut Generalis Viardus legiones Mnntecuculi & Sultzbacenſein Karanſeba coactus fuerit traducere Temeſwarium. Hæc Eugenius veroſimilia audiens, circumvallatioois lineas curulibus tormentis communit, militi pulverem, glandes, & quatuordecim dierum annonam diſtribuit, cunctaque in firmam diſponit defenſionem. Tandem primâ Auguſti Vezirius cum ſuo adeſt numeroſo exercitu, & ſemihora à ſepimentis Cæſareis ſua metatus caſtra, Cæſareum exercitum, præterquam ad Savum & Danubium circumcingit, & continuis tormentorum ictibus, pyrobolis, & ſphæris incendiariis, ſimul etiam ex urbe & arce adeo caſtra infeſtat, ut vix ullibi ſecuritas, plurimi etiam primarii perirent, Principesque Bavari & alii volones in alteram Savi partem tranſire debuerint: dyſenteria quoque invaleſceus multos afficiebat; ipſe adeo Eugenius quinquaginta duorum vir annorum ob diurnas nocturnaſque curas & labores malè licet diſpoſitus, urbis tamen modò agonizantis impugnationem urgebat acriorem; quintâ namque Auguſti in ipſa feliciter ſed viriliter occupata urbis palancka triginta mortariis & viginti quatuor tormentis muralibus eam adeo arietârunt, ut præſidiarii extremam ſuam radiis nitratis neceſſitatem iteratò ſignificarent Vezirio, qui ex captivi Janizarorum Agæ relatione Cæſareum nolebat aggredi caſtrorum ſepimentum, niſi patefactus priùs latè ruinis & lacunis.

1717. *Mediam capit.*

Chriſtianus exercitus arctè inclusus.

Jamque obſidionalibus ſuis acceſſibus ipſum attigerant Turcæ Chriſtianorum ſepimentum, ſcalas, aliaque inſtrumenta bellica jam applicaturi, quia Seraskierus, & Tartarorum Chamus duodecimâ Auguſti die cum triginta millibus, totidemque millia occupatâ Mediâ arce Turcarum caſtra acceſſerant, ita ut Chriſtianus exercitus inter ignem & aquam, inter continua hoſtilis exercitûs, arcis & urbis fulmina (ubi decimâ quartâ menſis Auguſti Chriſtianus pyrobolus pulverariam in urbe accenderat domum & turrim, murosque deſtruendo tria Turcarum millia oppreſſerat) inter duo rapidiſſima flumina, inter fremeotes hoſtium circumcirca acies copioſiſſimas incluſus, nullibi tutus, hoſtilem omni horâ expectabat impetum; obſidionales enim Turcæ acceſſus ſuos ad vallata Chriſtianorum, ut dixi, ſepimenta modò promoverant, aliaque neceſſaria impreſſionis inſtruoienta in promptis aderant, nullum in caſtris ſecurè manendi aut elabendi effugium ſupererat, idque tredecim omnino diebus inter iteratas diu noctuque Turcarum ejaculationes ita continuârat, ut univerſus Chriſtianus exercitus planè deperditus & peſſundatus videretur, & Vezirius Chriſtianorum latebras tremorem interpretatus, hanc victoriæ palmam manibus ſuis eripi non poſſe exiſtimabat; ſed nihil tam firmum & validum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido, ait *Curtius lib.* 7.

Euge-

1717.

Eugenius modum prælii inſtituit.

Eugenius haud ignarus non multitudine ſed fortitudine rem agi, minoribus ſæpe copiis majores contrivit exercitus, Germanorum præſertim viribus & conſtantiâ ſuffultus, animo fortis & magnanimus id clam omnibus moliebatur, quod univerſam in admirationem traxit Europam: nam decima quinta Auguſti die B. Mariæ aſſumptæ, ſeu Mariano paſchate, jubet militem certamini accingi, atque per noctem, ne hoſtis adverteret, aciem diſponit, unicuique Generali ac tribuno ſuam tam in campo, quàm ad urbem aſſignat in ſcriptis ſtationem, quid, ubi, & quomodo hoſtem aggredi, quo loco depellere debeat &c. His omnibus admirabili ordine, ſtudio, vigilantiâ, & prudentiâ diſpoſitis, circa medium noctis dexteræ alæ equitatûs legiones ſex, Sabauda, Vehlen, Jôger, Gronsfeld, Palffia & Falckenſteina in prima linea; in ſecunda Bavara dimacha, Mercia, Croja, Hautois, Zôllerana: ſiniſtræ alæ equitatûs legiones Caraffa, Darmſtadienſis, Hannoverana, Rahutina, Althana, Würtenburgenſis in prima linea; in altera Eman. Sabauda, Contrecourt, Lobkowitz, Viard, Martignia & Batte poditatus pariter ad modum equitatûs diſpoſitus, attributiſque ſingulis compeſtribus tormentis, caſtrorum ſepimenta egreſſus quadraginta circiter univerſim millium exercitus, omnes ab Eugenio graviter ſuæ erga Cæſarem & Chriſtianitatem admonebantur fidei, adhortabantur ad generoſam conſtantiam & fortitudinem hactenus ſemper victricem, quam hucuſque tota ſuſpexit & laudavit Europa: à quo conflictu totius non ſolùm Ungariæ, & hæreditariarum Cæſaris provinciarum; ſed totius Chriſtianitatis ſalus dependeret. Itaque miles caſtrorum quaſi captivitate exemptus, & lætus victoriæ veluti certus, numero licet longe impar, animo autem ſuperior exultans pugnam unicè deſiderabat, reliquo in urbis obſidione relicto exercitu.

Ad germanam fortitudinem & conſtantiam adhortatur.

Turcæ prope Belgradum cæduntur.

Summo igitur mane horâ quartâ circiter Palffius cum equitatu dexteræ alæ tacitis tubis & tympanis denſam inter nebulam hoſtem improvisò talia non opinantem in ipſis ſuis ſepimentis tumultuariè aggreditur, quem ſubſecutus eſt ad deſignatum locum peditatus, ſed à Janiſcharis tumultuarie in ſuis foſſis caſtrenſibus collectis magnâ & conſuetâ vociferatione aggreſſus & circumſeptus, mox à ſuccurrente opportunè Starrenbergo rejiciuntur, & foſſis ſuis ejiciuntur. Siniſtræ autem alæ ductore Alexander Würtenburgenſis & Comes Harrachius à deſignato illis eminentiore loco, & tormentorum ſuggeſtu, propter nebulæ denſitatem aberrantes, non tormenta, locum tamen pertinaciter obtinuerunt, donec circa ſeptimam nebulâ diſperſâ, ſuccurrenteque principe Beverenſi tormenta illa capta, eiſque magnâ vi & numero accurrentes Janizari ſunt repulſi, & totus paſſim Turcarum exercitus ex ſepimentis ſuis & vineis in fugam eſt conjectus; in qua rurſum recollectus ſe opponens Chriſtianorum vim erat excepturus, ſed generoſæ eorum fortitudini cedentes pavore imprimis adurgente (qui ſæpius potentiſſimum telum eſt vincentium) Niſſam & Semendriam relictis caſtris, firmâ carragine cinctis, militari cancellariâ, impedimentis, CXXXI. bellicis tormentis, XXXV. mortariis, LIX. Vexillis, IX. ſignis prætorianis, ſeu caudis equinis, magno bellico apparatu, & ingenti camelorum, aliorumque pecorum multitudine confugerunt. Turcarum in acie & fuga cæſa ſunt novem millia, Chriſtianorum quinque millia docenti quinquaginta unus: læſi etiam plurimi, Eugenius ipſe leviter in brachio, ubique inter globorum nimbos & dux, & miles, & hortator vigilantiſſimus. Tutus eſt autem quem Deus propugnat. Ulterior autem Turcarum prohibita eſt perſecutio, propter nemorum denſitatem & latentes inſidias, quódque hoſtilis adhuc exercitus Chriſtiano quadruplo major, victus quidem vincere adhuc poterat.

Fugiunt relictis omnibus.

Belgradi deditio.

Belgradenſes tempore conflictûs ab omni abſtinentes excurſione (contra quam Eugenius cuncta prudentiſſimè in caſtris diſpoſuerat) nihil de certamine, nihil de ſtrage, nihil de fuga, nullas tormentorum exploſiones propter palpabilem nebulæ denſitatem, & venti vehementiam ſonum & auditum aliò difflantis, audierant; intellecta verò turpiſſimâ ſuorum fugâ & ſtrage XVII. Auguſti urbis deditionem offerentes, conditiones Eugenio tranſmittunt, quas hic repudians, orbem vehementius totâ die flagellari juberi die autem 18. Auguſti expoſitis albis vexillis in has condeſcenderunt conditiones: ut præſidium ſalvum ac liberum ſonantibus tubis & tympanis, volantibuſque vexillis more militari, relictis ibidem omnibus tormentis, mortariis & bellico apparatu, & navali claſſe in turcicum deducatur territorium, extradantur captivi, mancipia, transfugæ & rebelles ungati; ac denique intra XXII. Auguſti urbs turcico evacuetur præſidio, & Chriſtiano committatur militi: uti etiam juxta contractum Temeswarienſem omnia ſunt peracta, urbeque viceſima ſecunda Auguſti XXX. armatorum millia excedunt Niſſam conducta: in hoſtilibus verò caſtris, & in ſupremi Vezirii papilione inter tubarum tympanorumque, & jovialis tormentorum applauſus cantato *Te Deum laudamus* gratiæ benigniſſimo Deo actæ ſunt pro tam felici & admirabili prælii ſucceſſu victoria, ſimulque urbe fortiſſima abſque ullo formali impetu obtenta, affabrè pandit Chronosticon: EVgenIVs CæDIt tVrCaM. * & BeLLIgraDVM VI CapItVr * DeCIMa oCtaVa aVgVStI. De hac duplici excellentiſſima victoria gratulabatur univerſa Europa; Germania, Auſtria, Gallia, Britannia, Batavia & Italia; Clemens Pontifex in actuali illato audiens conſiſtorio, ſupplex in genua cadit, & in auguſto octodecim comitatus Cardinalibus in Vaticano humillimas Deo reddit gratiarum actiones: Carolus vero Cæſar in S. Stephani metropolitana ad miraculoſam Divæ Virginis Statuam inter victorioſas pyramides collocatam *Te Deum laudamus* ſummo cum jubilo intonavit.

Gaudiũ Europæ & Pontificis.

Turcæ deſerunt Sabaciã.

Contremuit econtra Turcia hac victoria: nam terrore perculſi validiſſimæ arcis Sabaciæ in Savi inſula præſidiarii, relictis ibidem XII. bellicis tormentis, & duabus navibus Swornickum aufugiunt, quam à Turcis olim extructam commodum in Sclavoniam aditum Petraſchius tumultuariè occupat: idem ille terror Turcarum agmina in Bannatu Temeswarienſi conſiſtentia, & cum Walachis Tranſylvaniam devaſtantibus mox conjungenda,

inde

1717. *Semendriam, Widinum &c.* inde ſubitò deſertis Semendriâ, Ram, Widdino, & aliis ad tractum danubii oppidis expellit. Interim Simon Eſterhaſius cum ſexcentis equitibus fugientes inſecutus (quorum plurimos Serviæ & Boſniæ ruſtici trucidarunt, imo invicem in direptione propriæ annonæ, & Impedimentorum in fuga diſcordes, ſeipſos multis cædibus contriverunt) LXX. adhuc tormenta, & centum quadraginta tria bellici apparatus & commeatûs plauſtra cæſis cuſtodibus intercipit; & alter eorum inſecutor vigiliarum præfectus Splenius illis tranſitum Danubii, ſed ſerius, impediturus, dum Orſovam petit, & adjacentem inſulam Potatzer, Turcæ utrumque deſerentes, & pleraque incendentes ultra danubium fugam capiunt, inſignemque in inſula Splenio tormentorum, apparatûs bellici, commeatûs & pecorum prædam relinquunt, qui & Orſavam, & eâdem terroris præcipitantiâ deſertam Mediam, ſeu Meadiam non exigui roboris oppida, multo alias ſanguine devincenda, ſine ullius hominis cæde cum L. curulibus tormentis feliciter occupat. *Orſavā & Mediam.*

Rebelles Tranſylvaniam diripiunt Interea temporis aliquot Tartarorum millia, imo & Chriſtianorum, Ungarorum, Polonorum & Moldavorum univerſi viginti millia decimâ Auguſti per concæduam prope aditum Radaver ſylvam viritim penetrando, anteſignanis Ungarorum Rebellibus Antonio Eſterhaſio, Adamo Wog, Michaele Czhiko, & Juniore Berexeno Tranſylvaniam incendiis, latrociniis, rapinis, contributionibus & captivitate fermè Claudiopolim uſque tyrannicè divexant: imo ſuperiorem invadentes Ungariam pro condonatione incendii ab urbibus Sragparia ſeadecim millia à Zathmaria quadraginta florenorum millia exigunt, & truculentiſſimè affligunt. Eugenius tyrannidem audiens quamprimum General. Mercium & Viardum ad eos compeſcendos ſubmittit: Steiovillus, St. Amour & Caroli collectis ſubitò copiis omnes Tranſylvaniæ aditus oppreſſulant: illi Belgradenſem ſtragem intelligentes vias priores relecturi, diviſis copiis nunc in hanc, nunc in alteram ſe vertentes partem, omnes aditus & tranſitus obſtructos cernentes, per Poloniam dilabi meditabantur; ſed ab hac etiam rejecti, *Repelluntur.* paſſim à ruſticis & perſequentibus militibus ſunt trucidati, multa captivorum millia liberata; captus autem & Huſtum ductus Andreas Droſchga, qui nomine Anton. Eſterhaſii ad novam ubique rebellionem ſuos ſollicitabat populares, debitâ ſibi mercede mactandus: Eſterhaſius ipſe per montes, & avia, & devia cum paucis vix elapſus. Supremus autem Veairius fugitivus cum XX. circiter armatorum millibus prope Niſſam conſtitit, & Sultanus Sopiæ adhuc cum novo militum augmento hæſit obſtupefactus.

Bellicus Belgradi apparatus. Tumultuariè igitur murorum ruinæ & intervalla Belgradi, accitis Viennâ & aliunde operariis ſunt reſtaurata, & copioſus ibidem bellicus apparatus diviſus inde ad alias urbes, quaorum exigebatur, translatus eſt: in urbe namque reperta ſunt LXXV. ænea, & XXV. ferrea tormenta bellica, & quadraginta novem ænea mortaria: in navali claſſe & danubii inſulis CL. ænea, & CLXXXIV. ferrea tormenta, univerſim CCCCXXXIV. tormenta bellica; inſignis profectò præda! quorum quædam Semlinum tranſportata, quod Eugenii diſpoſitione novo cornuto opere, & ad urbem aquariam debiliorem novo aggere & propugnaculo, circumducto Danubii brachio uſque in Savum eſt roboratum. 1717. *Semlinū fortificatum.* Cæſar deinde Belgradi pro adjacentibus Comitatibus provinciale dicaſterium, & appellationis forum inſtituit; ita ut urbs opportuniſſimo ſita loco, & mercaturæ ob confluentia ibidem flumina commoda celebre futurum ſit emporium: nam & plures Itali Cæſaris decreto Neapoli in Ungariam remiſſi, Budæ, Peſthi & Belgradi &c. erigebant domicilia, agris Turcarum & bonis immobilibus fruituri. *Belgradum mercatura emporium.* Exercitus demum Cæſareus binis glorioſus victoriis in hyberna diſtributus eſt, & Eugenius magnus hoſtium domitor XIX. Octobris Viennam rediens, intimo cordis gaudio & congratulatione clementiſſime à Carolo Cæſare eſt exceptus, & gladio centum millium florenorum eſt muneratus: atque ſic feliciſſimè hujus anni expeditio fuit finita. JesV ChrIſto generaLIssIMo Coronante, CaroLo Cæſare regnante, & EVgenIo prInCIpe Cooperante.

Veneti Preveſā Voinizzam &c. capiunt. Dum hæc fierent, Venetorum Archiſtrategi Schulenbergus & Piſanus Preveſam in Epiro urbem eâ capiunt conditione, ut Voinizzam ſimul extradant; ſub hujus Preveſæ tractatûs armiſtitio 600. præſidium deſertâ urbe in caſtrenſes Venetorum foſſas armatâ manu tumultuariè excurrens internecive cæditur aut capitur; deinde Voinizzam expugnant; quæ duæ urbes ad ſinum maris totam poſſunt Epirum continere; capta denique Larcâ, & in Dalmatia Iſmucho Arcegovinæ provinciæ metropoli hujus anni clauſerunt expeditionem, ſequenti anno ſperantes feliciorem, Hiſpania namque mira claſſem bellicam adornabat ſedulitate, omnium ſpe & expectatione, imprimis Pontificis, Venetorum claſſi contra Turcas conjungendam, in eundemque finem *Philippus V. Sardiniam occupat.* Pontifex Eccleſiaſticas Regi permiſit in tota Hiſpaniæ & Indiarum monarchia decimas, ſed ſub fuco Turcarum eorum impugnatorem Carolum Cæſarem, ejuſque Sardiniæ regnum invadit, orbe obſtupeſcente, & publico numiſmate Saulis Chriſtianos perſequentis declarante Actor. 9. ℣. 5.

sIhe saVL DV VerfoLgeſt MICh.

in altero latere:

Hôre Nachwelt! da der Kâyſer über Chriſti Feind ſiegt,

Wird er ſelbſt von anderen Chriſten zu der Türcken Schütz bekriegt.

Quare Pontifex graviſſimis ad Philippum V. literis 25. Auguſti datis falſo collectas contra Turcas decimas prohibet, & extraditas ſeu ſolutas vetat ab illo retineri

1718. Anno ſequenti milleſimo ſeptingenteſimo decimo octavo Carolus Cæſar ad maturam hujus anni in Hungariam contra Turcas expeditionem iteratis conſiliis & conferentiis adornatam, vel ad majus provinciarum augmentum armis extorquendum, vel ad firmam pacem Chriſtianitati proficuam ſtabiliendam adurgens, legiones ad armiluſtrium, & fixa Semlini caſtra jubet properare, bellicum apparatum, ſufficientem commeatum cum magna piſtorum & operariorum copia, omniaque ex-

1718. expeditioni neceſſaria tempeſtivè illuc deſtinare, ne quid moræ expeditionem hoc anno ſpe feliciorem, ad ipſa uſque Turciæ viſcera auctiorem & terribiliorem retardaret; Turcæ namque Cæſareæ Rom. impares potentiæ, & terrore exanimes Boſniam jam tum Chriſtianis fore cedendam prævidentes, jubebant eam evacuare, aut ignibus accendere, imo totam Boſniam monroſam devaſtando Chriſtianis deſertam & inutilem relinquere. Dux itaque Eugenius 8. Junii Belgradum veniens viſâ & probata urbis ampliatione & fortificatione à præfecto Odwits aſſiduâ curâ ingenioſè perfectâ, inde mox Semlinum ad caſtra contendens, expeditionis maturavit initium, quam plures ſubſecuti Principes ſummâ adhibant generoſitate.

Turcæ Boſniam evacuant

Turcæ autem pacem unicè ſuſpirantes, ad locum congreſsûs Paſſarowitium, in Servia à Rom. Cæſare deſignatum, eorum modò legatus Achmet Han advenerat; quo etiam legati Cæſarei Comes Hugo Damianus de Virmond, Michaël de Talman, & Venetorum Ruzzinus paulò pòſt accedentes, mediatoribus Britanno Roberto Sutton, & Batavo Comite Jacobo Colyer ſtudioſe adnitentibus, ſuas illico conferentias ſub amplo Cæſareano papilione inchoarunt. Examinatis autem primùm fidei literis ſeu plenipotentiis, turcicæ à ſolo ſupremo Vezirio, non à Sultano ipſo (ut moris apud illos eſt) ſubſcriptæ, nec ullam Venetorum huic paci includendorum (quod Eugenius omnibus ad Vezirium literis ſeriò præmonuerat) mentionem facientes ſunt rejectæ: emendatas Sultanus Imperator latino charactere has formales remiſit; *Articulus in hac mea perfecta plenipotentia contentis, & ſpecificatis conſenſus meus integer imperialis conceſſus eſt; juxta ejus tenorem procedatur.* Atque ita admiſſæ & conferentiæ ſedulò ſunt continuatæ. Eugenius diſpoſitis interim caſtris & in omnem nutum parato exercitu ipſum adiens Paſſarowitium, mediâ horâ à conferentiæ loco diſſitum, à primario Cæſaris legato Comite Virmondo ſeorſim expiſcatus eſt, utrum futura ſpes pacis eſſet juxta clauſulam: *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*: & an Veneta Reſpublica hiſce pactis cum rationabili ejuſdem ſatisfactione includenda, extradendique Rebellium Hungarorum anteſignani? (qui illud ſubodorati fugâ ſibi tempeſtivè conſuluerunt) quibus à Virmundo probabiliter affirmatis, Turcaſque ad pacem unicè inclinare audiens Eugenius, eouſque expeditionem continuit. At quia Cæſarei arcem initio nimium extendebant, pacis tractatus diſrumpi planè dicebantur, volueruntque Turcæ non XXV. ſed XV tantùm annos pacem concludere, mediantibus tandem Britanno-Batavis victorioſam Cæſaris per Eugenium potentiam, per totam nunc Turciam terribilem, & Sultani econtra impotentiam nupero magis prælio debilitatam, factioniſque imminentiam demonſtrantibus, res feliciter eſt tractata, paciſque tractatus viginti articulis XXI. Julii 1718. utrimque præſentibus Principibus Bavaris, Sultzbacenſi, aliiſque ejuſdem ceremonias curioſè ſpectantibus ſubſcriptus & ſignatus, per Comitem Budianum in lingua turcica à Rom. Cæſare ratificandus Viennam eſt tranſmiſſus hujus tenoris.

Legatorum congreſſus Paſſarowitium.

Pax Cæſareo-Turcica Paſſarowitii.

In Walachia Tranſylvaniæ vicina, regni utriuſque terminus erit Alautha fluvius ad oſtium Danubii, verſuſque orientem Imperatori Sultano, occidentem verſus Rom. Cæſari cum Temeſwario &c. permaneant: & Bojari ſeu Nobiles Walachi ad Rom. Cæſarem transfugæ, in ſua recipiantur. Præterea decem horis ſupra, ubi Timock fl. maritatur Danubio, Iſpetlekhan cum ſuo ambitu Ottomannus; Reſſova autem uſque Parakin, Belgradum, Iſtolatz, Schahack, Bedkoa, & Belin cum ſuis dominiis Rom. Cæſar: Tokol ecomra & Raſna cum ſuis dominiis Sultanus poſſidebunt. A Drioa fl. uſque Unnam fl. omnia loca, oppida, arces & munimenta, à Rom. nunc milite occupata, Savique tractus cum utroque litore eiſdem Romanis permaneant: Jaſſenovitza, & Dobitza, aliæ munitiones & inſulæ cum ſuo territorio ab Unna fl. uti Savo conjungitur, uſque antiquam Boſniæ Noviam turcicam cedant Rom. Cæſari. Similiter à territorio novæ Noviæ uſque ad occidentale Unnæ litus omnia loca & dominia antehac pactis Carlowitziis Portæ Ottomannicæ ceſſa, Cæſari Rom. nunc reſtituantur. In Croatia non longè à Savi tractu diſſita loca poſſideant, ſed non fortificent poſſidentes. Et utriuſque partis commiſſarii intra bimeſtre ubique certos & fixos territorium limites deſignent, & ſtatuendo firment. Religioſis Ordinibus, cæteriſque Chriſtianis juxta priorum Sultanorum privilegia, indulta & edicta liberum Chriſtianæ religionis exercitium, Eccleſiæ & domicilia, peregrinationeſque Jeroſolymitanæ &c. permittantur & confirmentur. Captivi utrimque dimittantur, aut, uti & mancipia rationabili pretio aut lytro rediamantur. Mercatoribus & negotiatoribus liberum per utriuſque partis regna terrâ marique permittatur commercium, piratæque Dulcignotenſes, ſeu Olchinenſes, Algerienſes, & Tunetenſes arcte includantur & coërceantur. Ragotzius, Berezenus, Anton. Eſterhaſius, Forgatzius, Voy, Orſchkey, cæterique Rebelles Hungari in Turcia latentes (quos Turcæ extradere recuſabant) in ſuis contineantur latibulis, ne propiùs Cæſareos accedant limites. Eidem huic armiſtitii tractatui Rex Poloniæ & Reſpublica includantur, & XXIV. annis firmiter continuabitur. Acta hæc ſunt Paſſarowitii ſub papilione Cæſareo XXI. Julii 1718.

1718. *Ejuſdem articuli.*

Peractâ utrimque armiſtitii tractatûs ſubſcriptione, latinus cum turcico collatus, & Venetus in lingua italica eſt reviſus, tum Virmondus Comes ambos Principes Bavaros, Sultzbacenſem, Naſſavium, alioſque præſentes principes, ambos mediatores Anglo-Batavicum, Generales & tribunos militares lautiſſimo excepit convivio, frequentiſſimo tormentorum boatu inter turbas, tympana, & muſicos concentus jovialiter reſonante, & in vulgus bos totus aſſatus diſtributus, vinumque album & rubrum liberaliter effuſum eſt; quod etiam poſt abſolutum, & ſubſignatum commercii per omnes Cæſaris Sultanique provincias tractatum dapſiliter eſt repetitum, quem Cæſareus legatus Fleiſchman cum turcico Niſſangi Suiffulach Effendi non ſine inſigni Chriſtianorum emolumento propè Clodich ſub papilione concluſit.

Convivium poſt armiſtitium.

Et commercii tractatus

Magnum Rom. Cæſar Carolus hoc bello turcico territorium acquiſivit, majus florentiſſimo

1718. *Latum Cæſaris in Servia & Boſnia territorium.*

tiſſimo ſuo Germanorum exercitu hoc anno obtinuiſſet, & ipſa Turciæ viſcera penetraſſet, niſi hoc armiſtitium, & Hiſpanorum Monarchiæ ſuæ recuperandæ cupiditas victoriarum curſum interrupiſſet. Boſniæ quidem Baſſa acriter repugnabat turcicum ultra Savum territorium Chriſtianis cedendum, quod turcicus modò Plenipotentiarius conceſſerat, ideoque Eugenius in hoſticum caſtra jam jam promoturus, Baſſa debuit permittere, quod jam ceſſum fuerat Chriſtianis, & pactis inſertum permanſit.

Venetorum conditiones armiſtitii.

Ruzzinus Venetorum legatus ſingularem exigens cum Turcis tractatum, multas propooebat prætenſiones, à Turcis denegatas; ſed juxta præliminaria: *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*, retinebant Turcæ Moream, & reliqua ultimo bello capta, Venetorumque limites Preveſæ, Larcæ & Voinizæ aliquot milliaria, & in Dalmatia antiqua linea ultra unam tantummodò horam latius extendebantur, palamque turcicus profitebatur legatus, quòd Ottomannica Porta invictiſſimi Romani Cæſaris Caroli potentiæ libens cedat, quæ ſua etiam interpoſitiooe impedivit, ut tota modò Italia & Venetia Ottomannicæ non ſit ſubjecta potentiæ, eò quòd illa cruentiſſimo ad Petrowatdinum prælio fuit graviter accisa, proinde Venetia totaque Italia perpetuas Carolo Cæſari aſſertori ſuo agat gratias, in cujus ſolius conſideratione & reſpectu hæc armiſtitii pacta cuduntur, Venetique ſocii includuntur; non igitur neceſſe particulares cum Venetis inire conditiones: imo graviter conquerebatur, quòd Schulenbergus piraticam ad mare Adriaticum Olchinum tempore tractatus armiſtitii invaſerit; quo audito tamen illicò abſtinuit, hujuſque vi armiſtitii graviter Olchinenſibus, Algerienſibus, & Tonetenſibus à Sultano Turcico piraticam impoſterum exercere graviter eſt prohibitum (non ſine ingenti Chriſtianorũ gaudio, qui in continuo captivitatis & mancipatûs periculo verſabantur) ſed mercaturæ & negotiationi ſedulò nuoc incumbunt.

Carolus Venetorum & Italiæ aſſertor.

Piratica prohibita

Auſtriacorum propagatio & laus.

Dicant nunc, & exprobrando Auſtriacis Valeſii & Bourbonii objiciant, quòd domûs & familiæ Auſtriacæ potentiam conjugalis magis & latius amoris, quàm Martir auxerint armis, nequaquam verò armatâ glorioſè manu & gladio quicquam, ſicut ipſi acquiſierint, ſed acquiſita potius amiſerint. At quantum hæc ſcommata ſunt inſipida, tantum Chriſtianæ repugnant charitati, & juri naturali: Chriſtiaoum, & multò glorioſius eſt ſuam incruentè potentiam ſine ſanguioe, ſed ſua vis amoris nexibus, & ſancto ſanguinis connubio propagare, quàm violatis barbarè juramentis, iniquiſſimis armis & latrociniis innocentis ſanguinis eluvie ſuæ termioos potentiæ extendere, & aliena contra Dei, naturæque legem rapere; quod non humanum ſed barbarum eſt. 1718.

Rodulphi

Roduphus Cæſar primus Auſtriacæ Domûs & ſtirpis auctor, exiguæ primùm, & Cæſareæ majeſtatis inſufficientis potentiæ, ad ejuſdem augmentum Taciti Politicorum coryphæi uſus conſilio, & Moguntini tunc Archiepiſcopi Werneri Comitis Falckenſteinii adjumento (cujus etiam & Friderici Palatini potiſſimum ſuffragiis anoo 1273. Octob. 4. Francofurti electus eſt Imperator) potentium familiarum connubiis & ſuam auxit & firmavit armis potentiam: priocipes namq; filias ſuas poteotioribus Rom. Imperii oucibus & Principibus, Mechtildem Ludovico Bavariæ Palatino, Agnetem Duci Saxoniæ, & Hedwigem Ottoni Marchioni Brandeburgico maritavit.

Maximiliani.

Cæſar autem Maximilianus Auſtriacus acceptâ in conjugem Mariâ unicâ Caroli Ducis Burgundiæ filiâ, Burgundiæ, cæterarumque provinciarum ex aſſe hærede, factus eſt Belgii, Burgundiæ & XVII. provinciarum dominus, cujus poſtea natus ex Maria filius Philippus anno 1496. Johannæ Regis Ferdinandi & *Iſabellæ* Hiſpaniarum & Indiarum hæreditariæ Principi connubio junctus, monarchiæ Hiſpanicæ coronam jure ſucceſſionis ſibi glorioſiſſimè impoſuit, in ſecuturam Auſtriacam poſteritatem derivandam.

Caroli V. & Ferdinandi I.

Cujus filii Carolus V. & Ferdinandus I. Auſtriaci quanti viri majeſtate! quanti virtute & pietate! quanti heroes armis & potentiâ! Caroli ſceptrum adorabant Oriens & Occidens, armatam & victricem ejus manum metuebant Iodi, Africani, Turcæ, Galli, itali, Germani, Saxones; Sicambri admirabantur rerum geſtarum felicitatem, quam æmulabantur Valeſii, & Bourbonii, & neque tunc, neque nunc omni marte & arte ſunt aſſecuti.

Leopoldi I. Joſephi I. Caroli VI.

Quid dicam de Magno Leopoldo I. Joſepho I. & Carolo VI. ejus filiis (ut alios prætercam) quorum felicitati, regnis, & vitæ, heu quoties impiiſſimè inſidiata eſt Bourbonii ambitio! nec tamen ſua, nec Suecorum, nec Turcarum ſociorum ſuorum potentia & fraudulentia potuit eam ſupprimere, ſed multo glorioſior per Germaoiam, Italiam, Hungariam, Belgium, Tranſylvaniam, Dalmatiam, Boſniam, Serviam, Auſtriaca ubique armis & prudentiâ victrix emerſit familia, Gallorum Turcarumque hoſtium fortiſſima ſimul & glorioſiſſima triumphatrix.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus paginam , a columnam primam , b ſecundam deſignat.

ABaſſus ſit Dux Tranſilvania 547. b. *Kemenjanum ducatu exuit* 547. b. *Zeckelheidam & Claudiopolim capit* 551. a. *ſit Catholicus* 569. a. *cadit Pedipolum* 572. a. *& Tranſilvaniâ ejicit* ib. b. *à Cæſare & Turcis ſollicitatur* 600. b. *ad contributiones cogitur à Cæſare* 605. b. *ejus mors, cuius ope Heusleri ſuccedit filius, non Tockelius* 625 b. *Petit à Cæſare ſubſidium* 626. b. 629. b
Abdurachman Budæ præfectus aliam pro Buda offert urbem 602. a. *trajicitur* 609 b
Academiam geometricam Carolus VI. [illegible]*ſtituit* 662. a
Achmed fit Soldanus 629. b
Achmed Baſſa Sabacium obſidet 58. b
Achmed Eunuchus cum copioſo exercitu Petrinam obſidet 422. b. *equites ejus diſſipantur* 423. a *totus exercitus in fœdiſſimam fugam conjicitur* ibid.
Achomates Hadrianopoli præfectus Conſtantinopoli ſe movet 197. b. *cum Mehemete Europæorum equitum magiſtro ad Temeſvarium obſidendum contendit* 199 b. *muralibus tormentis urbem & arcem Temeſvarienſem verberat* 201. a. *ab oppugnatione propugnaculi repellitur* ibid. b. *eo occupato fidem violat* 202. a. *Achomatis crudelitas* 211 b. *extremam Agriæ oppugnationem tentat* 213 b. *propugnaculum ſummo impetu adoritur* ibid. *à præſidiariis repellitur* ibid. *Agrienſem obſidionem ſolvit* 214. b. *Babocium deſerit, & ad Aly Eunuchum ſe recipit* 224 b
Achomates Michaloglis occiditur 186 b
Acies in campis Mahocianis inſtruitur cum Solimano 79 b. *Ludovicus Ungariæ Rex in medio ſtatuitur.* ibid. *Signifero, Joanni Dragffio, calcaria detrahuntur, ne fugam cogitet* 80 a. *locus pugnæ* ibid. *acies caſtrorum direptorum fama & tormentorum terrore inclinatur* 81. a
Adamus Coniarſcius Epiſcopus Poſnanienſis cum Bequiſſio à Joanne Sigiſmundo Tranſilvaniæ principe ad Cæſ. Max. de pace Legati mittuntur 317. b
Adami de Novadomo & Emerici domos vulgus expilat 71. b
Agreſtes fuſi à Joanne Vaivoda 47 b
Agriæ ſitus 209. b. *obſidetur* ibid. 426. b
Agriæ arcis præfectura Bartholomæo Hornacinovitio committitur 179. a. *Tradita Salmenſi* 178. b
Agriæ arci, pulvere tormentario fortuito incenſo, magna clades infligitur 212 a
Agrienſium Legati à Ferdinando & aliis donati 215. b
Agrienſium lætitia & exultatio Achomatis abſceſſu, ibid. *eorundem litteræ ad Ferdinandum cum tribus auratis vexillis* ibid.
Agria rebus neceſſariis & præſidio militari à Cæſarianis munita 426. a
Agriæ præſidium 208. b. *proditores puniti* 211 b. *deditio ob famem* 610. b. *præfectus ejus Ruſtenus milites confirmat* ibid.
Agrienſes Præſidiarii exuſto oppido ſe in arcem recipiunt 426 b. *arcem, reluctantibus ducibus, Mehemeti dedere ſtatuunt* 428 a. *de deditionis conditionibus tranſigunt* ibid.
Agrienſes profecti, fide violatâ à Mehemete cuſtodia traduntur ibid.
Ala equitum Pannonicorum Maximiliano Regi Bohemiæ & Mariæ Reginæ ex Hiſpania venientibus obviam mittitur 157 b
Albanæ urbis ſitus 6 b & 165. a
Alba urbs munitur 6. a. *à Bathorio cingitur* 10 a
Alba urbis oppugnandæ caſtra promovet Imp. Maximilianus 6 a
Alba à Cæſ. Maximiliano occupatur 7. a. *miranđum in modum diripitur* ibid.
Alba à Rege Uladislao capitur 10. b
Albam patriam ſuam contra Turcas communiunt 623. b. *eam Tartari depopulantur* 624. a
Albanum ſuburbium à Turcis vi capitur 166. a
Alba Solimano dedita. Italis & Germanicis vita & libertas datur 166. b. *ejus fames* 611. b *deditio* ibid *Heiſterus eam capit* 644. b
Albani crudeliter à Turcis trucidantur 167. a
Alba clariſſima urbe amiſſa, Anno 1543. *pag.* 166. b
Albanum Templum Beatæ Mariæ Virginis exuritur 477. a
Alba regalis Oſmani, Caramaniæ Baſſæ tuenda committitur 290 a
Albenſis Epiſcopatus Paulo Abſtemio donatur 218. b
Albenſi Turca atrox facinus 300. a
Albertus Uladislai Ungariæ Regis Frater bellum contra Uladiſlaum inſtaurat 541. b *Caſſoviam obſidet* 5. a. 11. b. *Tocatenſem tractum infeſtat* 11. b. *pacem invicem tractant* 12. a b. 14. a. *cum Stephano Scepuſienſi fortiter pugnat, at profligatis ſuis, fuga ſibi conſulere cogitur* 14. a. b. *obſeſſus ſe ſubmittit* ibid. *Caſimiro patre demortuo in regno Poloniæ ſuccedit* 16. b
Albertus Rex Poloniæ obit 30 b
Albertus Cardinalis Moguntinus Ludovicum Ungariæ & Bohemiæ Regem ad comitia Regi Rom. creando Francofurtum ad Mœnum vocat 54. a
Albertus Laſcus, Joannis Heraclidis Deſpotæ vivo videntique funus celebrat 248. a
Albertus de Wiis Legatus Cæſareus muneribus Ferdinandi nomine, Solimano oblatis, arcem Tatam ſub induciis captam fruſtra repetit 236. a. *Conſtantinopoli moritur* 314 b
Albertus Quiralius Bulgariam ferro flammaque excindit 411 b
Aldana Caſtrorum Magiſter Lippæ præficitur 190. b. *deſertâ Lippâ decapitandus liberatur* 203 b
Alexandri Regis Poloniæ obitus 33 b
Alexander Farneſius dux Parmenſis obit 381 a
Alexander Moldaviâ à Deſpota ejectus, Solimani auxilio regnum recuperat 267 b

a

Alexan-

Alexander Moldaviæ princeps collectis exercitûs reliquiis, Turcas & Mircem Montanæ Valachiæ principem in ſubſidium vocat contra Deſpotam 249. a. *rebus deſperatis, ſuiſque deſertus Conſtantinopolim tendit* ibid. b. *obit relictis duobus filiis* 321. b

Alexander Pontifex Thomam Bacocium in numerum Cardinalium cooptat 30. a

Alexandre Vitellonis Italorum equitum ducis congreſſus cum Turcis 154. b. *eximia virtus & præmia in prælio Peſtano* 157. a

Alexius Turzo, Eliæ quondam Moldaviæ principis Filius, à Boieris Moldaviæ princeps eligitur 137. b. *cum Moldavis ad F..dinandum tranſire parat,* 138. b. *à Boieris intercipitur* ibid. b. *crudelitas ejus in Nobiles, quæ ei exitum peperit* ibid. *obit* 158. b

Alimentorum penuria Budæ 145. b

Alkatrum 54 b

Allobroges Sclopetarii in exercitu Cæſareo 293. a

Alphonſus Ferrariæ dux cum mille equitibus in caſtra Jaurinia ad Imperatorem Maximilianum venit 74. a

Altenburgum cedit Turcis 99 b

Aly Baſſa Præfectus Jaurinienſis caditur 442. b

Alybegus Bataoglus Selymbriæ ad pontum Polonicum præfectus in oppugnatione Strigonienſi cadit 163 a

Aly Beghi copia à Ducibus Caroli Principis profligantur 338. b. *Coppiam capitur cum aliis proceribus Turcicis* 343. b

Aly Boſnenſis Nicolaum Zerinium Comitem ad monomachiam provocans, congredi cum eo haud auſus 234 b. *Byzantium abit.* ibid.

Aly Budenſis quinquies mille naſos cadaveribus mutilatis ademptos, Conſtantinopolim miſit 196. b

Aly Budenſis Baſſa litteras ad Althanum de pace cum Rudolpho Imperatore ineunda mittit 493. a *Legatos ad tractationem mittit* ibid. b

Aly Budæ præfectus columba pedibus epiſtola alligata Turcis in arce Segedina ſuppetias pollicetur 195. b

Aly Chauſius cum literis Solimani ad Andream Bathorium agit de reſtitutione Iſabellæ in Tranſilvaniam 219. b

Alyc Dalmata Budenſis Præfectus conſtituitur 243. b. *Diploma induciarum ad Ferdinandum mittit* 244. a

Aly Eunuchus Veſprimium obſidet 198. a, *arcem Dregolum obſidione cingit* 203. b. *caſtellum Corvi capit* 204. b. *Buiacum Bathori arcem occupat* ibid. *Sagum, Collegii Monachorum Benedictorum caſtellum deripit* ibid. *Giarmatum, Balaſſianæ familiæ domicilium deſtruit* ibid. *cum duodecim millibus Hungarorum copiis occurrit* 205. a. *Solnocum obſidet* 207. a. *illud præſidiariorum fugâ occupat* ib. b. *ad Agriam obſidendum ſe accingit* 207 b. *literas ad præfectos Agrienſes mittit* 208. a. *cum exercitu ad Sigethi obſidionem tendit* 221 a. *Sigethana obſidione intermiſſa Babocianis ſubſidio accurrit* 223. b. *exercitum ſuum, deſideratis circiter decem millibus Sigethum reducit* 227. b

Aly Portugus civitatem veterem & arcem Sigethanam continuis tormentis verberat 296 a. *capit* 297. a. *Solimanus illi donativum offert,* ibid. b. *tormento ictus extinguitur* ibid. b

Aly Sigethanus Præfectus Camſam ex inſidiis intercipere molitur 326. a. b

Ambitio Jacobi Heraclidis Deſpotæ 246. a

Ambringen fit prorex Hungariæ 569. a. b

Americus Veſputius Florentinus quatuor navigationibus Americam patefacit 16. a

Amurathes Uſrephi Boznenſis Præfecti alumnus Venetiis cadit 130. b. *ejus origo* ibid.

Andreas Bathorius Comes Sacmarienſis, à Valentino Enningo & Franciſco Hedervario, præfecturâ Nanderalbæ excluditur 57 b

Andreas Bathorius vir rebus præclarè geſtis illuſtris obit 304 b

Andreas Bathorius Tranſilvaniæ adminiſtrator Legatos ad Valachum & Baſtam mittit 453. b. *diu oberrans à Siculis fœdè trucidatur* 454. a

Andreas Bothus ex Dalmatiæ & Illyrici præfectura Joanni Corvino ſuccedit 39. a. *obit* 38. b

Andreas Caraffa Comes Monterii à Beatricis patre Ferdinando Siciliæ, Neapoliſque Rege ad Uladiſlaum mittitur, ut Beatricis cauſam agat 14. b

Andreas Duditius Epiſcopus Quinqueeccleſiarum, juſſu Cæſaris Maximiliani, Catharinam ſororem Poloniæ Reginam domum reducit 314. a *amore puellæ in Gynæceo Reginæ inflammatus à vera religione deſciſcit* ibid.

Andreas Radotovitius arcem Bamalucam, cui præerat, unà cum oppido ſuccendit, & in tutum ſe cum ſuis proripit 94. a

Andreas Auria à Carolo Germani revocatur 117 a

Anna & Maria Reginæ ſimul educatæ 50. a. *ambarum nuptiæ* 57. a. *ex partu moritur* 33. b

Anna Imp. mors 525. b

Anna Aquitana ex Galliis regii ſanguinis Uladiſlao ducitur 31. a

Anna Cæſaris Maximiliani filia Philippo Regi Hiſpaniarum deſpondetur 319. a

Anna Reginæ, Ferdinandi conjux Viennæ Maximilianum in lucem edit 87. b. *partus doloribus extinguitur* 171. b

Anna Uladiſlai filia Carolo vel Ferdinando Philippi filiis, promittitur 50. a. *certa utrinque lege de regnorum ſucceſſione* ibid.

Anna Uladiſlai filia, & Maria Neptis Cæſaris Maximiliani ſimul educantur ibid.

Annuum proventu in Hungaria ſterilis 243. a

Annus 1625. *Jubilæus* 533. a

Antonius Bonfinius, Hiſtoriarum Scriptor eloquentiſſimus habet orationem funebrem de Caſimiro Rege Poloniæ 16. b

Antonius Epiſcopus Nitrienſis ab Uladiſlao ad P. P. Alexandrum VI. & Ferdinandum Regem Siciliæ legatur, ut apertè dicat, cur Uladiſlai Regis ſui animus à Beatricis conjugio abhorreat 15. a.

Antonius Longus prælio cum Jacobo Banffio, in Baccâ ad oppidum Apathium, capitur 47. a

Antonius Rinco, Franciſci Gallorum Regis ad Joannem Pannoniæ Regem legatur 85. b

Antonius Polinus, Franciſci Galliæ Regis legatus, Solimanum provocat ad bellum Cæſari Carolo & Ferdinando Hungariæ Regi inferendum 160. a.

Antonius Quendus Iſabellæ iuſſu occiditur 239 b

Antonius Raſcianorum Capitan. Baniam occupat 624 a. *Cataſtabarum capit* 629. a

Antonius Verantius, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis & Franciſcus Zaim, claſſis Danubianæ præfectus extraordinarii Ferdinandi ad Solimanum de pace Legati mittuntur 215. b. *Solimano abſente Ibrahimum & Ruſtanem viſunt, colúntque* 216. a. *in Aſiam ad Solimanum contendunt, à quo benignè auditi, domum redire jubentur* ibid. b

Ante-

Antonius Verantius Archiepiſcopus Poſonienſis è vita migrat 326.a
Apoſtata Viennam occupare moliuntur 584.a
Aquarium oppidum à Caſareanis fruſtra tentatur 386. a
Aquaria Turris Temeſvarii à Turcis oppugnatur 201.b. *capitur* ibid.
Aquila ſupra Caſareum exercitum volitat 442.a
Aquila indices victoria 593.a. 640.a
Arabum Mercius & Hemlerus occupant 599.b
Arbitris Caſares & Turcici pacis tractanda electi, rebus infectis utrinque diſcedunt 494.b
Archiepiſcopatus Strigonienſis Nicolao Olaho à Ferdinando Sopronii Comitiis confertur 218.b
Archiuto Belgradi cadit 635.b
Arianis ſolis patet aditus ad Sigiſmundum Tranſylv. 319.a
Armati in coronationibus Regum Hungaricorum octoginta millia numerantur 261.a.b
Armiluſtrium Caſareanorum 576.b. *Turcarum prope Viennam* 582.a
Armiſtitium cum Rebellibus 644.a
Arizzaga Czokaviam & Palottam capit 606 b.
Arſlanus literas Agrienſes comburunt 211.b
Arſlanes Budenſis Boliquitariam currus aggreſſus cum magna ſtrage rejicitur 214. a. *Palotam obſidet* 286. a. *obſidionem ſolvit* ibid. b. *obres ad Palotam & Veſprimium male geſtas à Solimano interfici jubetur* 290. b
Arſlanes Hatbuani præfectus oppidum egregiè tuetur 424.a. *fortiter prælians occumbit* 425.a
Arſlanes Poſegana provincia præfectus nondum commiſſâ pugnâ cum Zrinio Comite, turpi fuga ſe dat 257.b
Arces Siculis coercendis extructa 259.b
Arces plures, capta Filecoperterritis & diffugientibus Turcis, ditioni Cæſarea accedunt 380.b
Arx Ducis Sirmii à Bertholdo Dragfio Uladislai nomine acriter oppugnatur 23.a
Arx S. Martini ab Sinano obſeſſa, altero die deditionem facit 390 b
Arſenalis Vienna periculum 32.b
Ariſcotis Dux cadit 578 b
Aſoqum Moſcus capit 638 a.b
Aſpermontius fit Præfectus Eſſeckenſis 609.a
Avaritia Ferbatis Budenſis 356.a
Augerius Busbequius Orator 216.a *Inducias à Solimano impetratis Viennam redit cum nonnullis Hiſpanis Ducibus* 260.a
Auguſtus Saxon. Elect. Veteranum præmonens ſuccurrere nequit 638.a
Auguſtus Saxo fit Archiepiſcopus Strigonienſis 648.a
Aurana Prior incarceratus 26.b. *ſubmergitur* 27 a
Auſtriaca domus periculum ex ſucceſſionis defectu 642.b. *Principis Auſtriaci mors* 659. b *ejus ortus & propagatio* 668. a. *quam latum in Boſnia & Servia ejus ſit dominium* 668.a
Auſtria oppida & mancipia Hungaris à Cæſare Maximiliano adimuntur 3 a
Autores cadis Georgii Monachi variis calamitatibus perierunt 191.a.b
Auxilia Petro Petrovitio collocata contra Regem Ferdinandum 228 b
Auxilia à Ferdinando Hungaria Rege Stephano Doboni contra Tranſilvanos procorte ſubminiſtrata 230.a
Auxiliares Turcarum copia Craſnaborcam miſſa ibid. b.
Auxilia Joannis Sigiſmundi Valachis contra Deſpocam Moldaviæ principem miſſa 266 b
Auxilia ab Hungaris Imp. Maximiliano adverſùs Solimannum decreta 285.a
Avverſpergus fugam Turcarum Cæſari nuntiat 584.b. *aula eliminatur* 563.b

B.

B*Abacurto Centurioni Cæſareo Rudolpho Imp. feliciſſimam Jaurini oppugnationem nuncianti* 4000. *aurei donantur* 443 b
Babo Habsburg. 32. *filios & 8. filias generavit* 642.b
Babocia ab Hungaris diruta paulo poſt reſtauratur 224.b. *ab iiſdem deſerta in Turcarum poteſtatem venit* 303.b
Babocia arx à Georgio Comite Zrinio occupata 409 a. *inſtaurata ac munita* ibid. b. *difficulter poteſt aggredi* 384 a
Badenſis Tockelium Tranſilvaniâ expellit, eamque oppeſſulans punit proditores 627 a. *inſequitur Vezirium* 630 a. *qui Badenſem invadit* ib. a. *ſed Kiupertus victus & caſus* 631 a. *laudatur* 631. a. *urget Varadini obſeſſionem* 631 b. *ei confertur comitatus Gunsbergenſis* 634. b
Badenſis ſub obſidione Viennam ingreditur 584 a. *capit Simonternam, Capoſvvarum* 604 b. *occupat Quinqueecclesias, Choad, Socloſiam, Eſſeckum* 605.a. *recipit Caſtanovizam, Dubizam, Semendriam, Niſſam &c.* 614 a. *inſolens ejus in Boſnia victoria* 615. b. *hoſtem inquirit* 620.a. *circa Semendriam cadit, caſtris exuit, & ad Niſſam internecivè* ib. a. b. 621. *Niſſam occupat* ibid. b. *Widinum & Novigradum occupat* 622 a. *cum Walachis contrahit, & redit Viennam* 622.a. *proditionem evaſus Viennam properat ad Joſephi Electionem, & Eleonora Coronationem* 622. a. *capit Bagnalucam, Seraglium, Breskam* 616. b. *& Zvvernickam* 617. a. *abiens Viennam Piccolomino Boſniam commendat* 617. a.
Bajazetis Turcarum principis bellicus apparatus contra Chriſtianos 16.a
Bajazetis Turcarum principis Legati Budam veniunt, Uladislao munera offerunt 26. b. *triennales inducias obtinent* ibid. *dehortantur Uladislaum, ne rationem reddat geſti belli contra Laurentium* 27.a
Balaſſus Imber Cæſaris gratiam impetrat 571.b
Balsbegus Semandriæ præfectus Turcis Sarnonenſibus ſuccurrit 51.a. *& caſtra Vaivodæ oppugnat* ibid. b. *à Stephano Bathorio Palatino fugatur* 59. b. *Sirmium devaſtat* ibid. 60. a. *ei Belgradum committitur* 62.b
Balthaſar Battianus vitâ defungitur 358.b. *Caroli Archiducis Auſtriaè vivis exceſſus* ibid.
Balthaſar Balaſſius Viennæ obit 314.b
Balthaſar Banffius Thalloczanus Sacmarium nocte invadit & diripit 127 a
Banffius fit Palatinus 105. a. *obit* 119 a.
Banialuca cum multis aliis Turca capiunt 94.a
Baquitius felix cum hoſte conflictus 102. b
Barbara Regina Poloniæ, Joannis Tranſſilvaniæ Vaivodæ ſoror obit, Anno 1515. 52.a
Barbara Stephani Scepuſienſis Comitis filia Sigiſmundo Regi Poloniæ deſpondetur 38 a
Barbianus accepta ab Haidonibus clade, Varadinum ſe confert 499.b. *indéque Tocaium contendit* ibid. *Caſſoviá excluſus, ad Chriſtophorum Turzonem ſe confert* ibid. b. *Pragam abit* 501. a

Barcanum Souchee occupat & inſlammat 557.a. 586 b
Bargotzius ſit comes 571.b
Barnabas Belam Uladislai Legatus ad Pajazetem, Tranſſilvaniæ Vaivodam Conſtantinopoli redit ad Ludovicum 54.b. *dimiſſus à Selymo Tranſſilvaniæ Vaivoda cum octennalibus induciis* ibid.
Barskai proditores puniuntur 546.b
Bartfeldiam & Marcovvitzum capit Schultzius 593.a
Bartholomæus Beriſſans Auranæ Prior in carcerem conjicitur 26.b. *culeo inſutus ſubmergitur* 27.a
Baſcius & Balaſſu ſcelera 174.b. 175. *uterque proſcriptus, & à Salmenſi perſequuntur.* ibid. a.b. *fruſtra gratiam petit decapitatus* 177. 178.
Baſta Cæſarei exercitûs in Tranſilvania Dux urbem Biſtricsam à partibus Sigiſmundi ſtantem oppugnat Anno 1602. 481.a. *occupat, & fide labefactata fœdè ſpoliat* ibid.b. *Tranſſilvaniam in poteſtatem ſuam redigit, variéque expilat* 482.b. *Lippam & Lugaſſum recuperat* 493.a. *Patres è Societate Jeſu ejectos Claudiopoli reſtituit* ibid. *è Tranſilvania accitus, exercitui Cæſareo in Hungaria præficitur* 495.a. *Colonitium loco Turzonis in novam arcem introducit* ibid. *duos pontes ad Strigon. conſtruit ac munit* ibid.b. *cum copiis in Tranſilvaniam redit* 501.a. *Eperieſſum ad Cæſareanas partes reducit* 502.a. *Sendriouem recipit* 503 a. *Tocaium obſidione liberat* ibid. *Caſſoviam admotis caſtris fruſtra tentat* ibid. *indeque exercitum in hibernia deducit* ibid. b. *militum ſeditione compulſus Leociam verſus iter ſuſcipit* 504.a. *exercitûs tumultuantis ſeditione coactus Poſonium venit* 507.a. *apoplexia correptus è vita excedit* 521.b
Bathorius V. Stephanus. *Fit Tranſilvaniæ dux* 524.a. *conſpiratio in eum* 524.a.b. *caditur* ib.b. *Battiano & Frangepano necdum præſentibus pugna Mohacıana incepit* 78.b. *ejus ad Clementem VII. legatio* 84.a
Bathorio à ſuis interfecto ſubſtituitur Bethlemius 525.a
Battianus pro virili Haidonum Baſcaianorum excurſiones reprimit 509.b
Battianus banus Croatiæ Bruntzenum capit 636.a
Battianus, intellecto Frangepani interitu, omnes Illyrici optimates, excepto Epiſcopo Zagrab. & Banffio ad Ferdinandi partes traducit 92.a
Bavarica matrimonium Joannis Sigiſmundi Tranſſilvaniæ principis, ut Ariani, repudiat 319.a
Bavarus Elector Viennam cum aliis liberat obſidione 582.b. *accedit caſtra Budenſia* 591.a. *nubit Maria Auſt.* 594.a. v. Maximilianus. *petit Belgradum, & cingit* 613.a.b
Beatrix Ungariæ Regina ab Uladiſlao ſibi promiſſum matrimonium acriter ſollicitat 5.a. *inanibus promiſſis fruſtratur* 5.b *Uladiſlaum bello fraterno ſine impoſito interpellat, ut promiſſas nuptias quamprimum acceleret* 9.b. *ſui repudium deplorat* 14.b. *in Italiam abit* ibid. *ibíque obit* ibid. b. 35.b. *cur repudiata* 25.a *Urſinus promovet* ibid. *de ejus conjugio agitur* 28.a
Becha arx à Turcis occupata 185.a
Begi Turcici in arcis Divinia oppugnatione caſi 335.a
Beglerbegus Gratia Alexandrum Moldaviæ à Deſpota ejectum, regno, Solimani juſſu, reſtituere debet 250.a. *Hatvanenſibus à Cæſareanis obſeſſis opem ferre conatur* 387.a
Belgicæ cohortes in caſtris Strigonienſibus muro occupando inteneæ reprimuntur 403 b
Belgradi deſcriptio & obſeſſio 58.a.b
Belgradenſes acerrimè Turcarum impreſſiones repellunt 60.a. *duo Thracos urbem produnt* ibid.
Belgradum Turcis deditur caſis præſidiariis 62.b. *illud Uladislaus neceſſariis communit* 16 b. *illius proditores horribiliter puniuntur* 20.b. *illud Belibego committitur* 62.b
Belgradum Turcæ communiunt 606.b. *Bavarus cingit* 613.a.b. *ſuburbium inflammat, & Ockius Uldarenus negat deditionem* ib.b. *Urbis præſidium* ib.b. *armata manu capitur* 615.a. *mortuorum numerus* ibid. *præfectus Starrenbergius* ibid. *Turcæ illud evertunt, non ſinè ſuſpicione Gallorum ope* 627.a.b. *illud Croyus cingit, ſed fortiter defenſum relinquitur* 635.b. *iterum Eugenius circumcingit* 663.b. *Chriſtianorum ibidem caſtra & in urbe annonæ caritas* ibid. *cruenta excurſio* 664.a. *urbs aquaria arietatur* ib. *fuſis ibidem Turcis deditur* 665.b. *eſt mercaturæ emporium* 666.b. *ideo gaudium Europæ & Pontificis* 665.b. *bellicus ibidem apparatus* 666.b
Bellum Cyprium à Turcis geſtum 316.a
Bellum inteſtinum inter Stephanum Bathorium Tranſſilvaniæ Principem & Bequeſſium 327.a.b
Bellum Mohacienſe, Anno 1526. 72.73
Bellum Schmalcaldicum, Anno 1546. 171.b
Bellum adversùs Turcas in comitiis Ratiſponæ ac Spiræ, Anno 1542. *decretum* 152.b
Bellum Segedinum 154.b
Bellum adversùs Turcam redintegratur à Principe Maximiliano, Anno 1597. 434.a
Bellorum motus in Dalmatia 17.b
Bequeſſius à Joanne Sigiſmundo Tranſilvaniæ principe pro fœderum confirmatione ad Cæſarem Maximilianum Pragam mittitur 319.a. *morte principis audita cum literis Cæſaris in Tranſilvaniam properat* ib.b. *principatum affectat* 320 a. *repulſa dolore æſtuans Fogaraſſum abit* ib. *in arce Fogaraſſo à Stephano Bathorio Tranſilvano in gratiam recipitur* 334.a. *Ungarici nominis copiis, quibus Bathorius adversùs Moſchos bellum gereret, præficitur* ib. *Grodriæ obit* ibid.
Bercenus plura loca capit 643. *caditur* ib.
Berhamus Chauſius Turcæ legatus, vel explorator Budam advenit 56 b. *inducias à Ludovico ſubdole petit* bidem *quas ut amplectatur Ludovicus Sigiſmundus Poloniæ Rex auctor eſt* ibid. *ad arcem Tatam perductus cum univerſo comitatu clam interficitur* 58 a
Berislaus ſit Banus Illyrici, & Turcas reprimit 38.b
Bernardinus Aldana ob Lippæ deſertionem ſupplicio afficiendus, à Maria Ferdinandi conjuge liberatur 203 b
Bernovius equitum & Moclorum Aulæ Magiſter auctor ac concitator ſeditionis contra Deſpotam Moldaviæ principem 264.b. *Joannem Luſcinium Epiſcopum veneno tollit* ibid. *occumbit* 266.a
Berſencia à Zrinio occupatur 383.b
Bertholdus Dragffius Tranſilvaniæ præfectus 22.a
infe-

inferiorem arcem Syrmii Ducis capit, ſuperior illi deditur 24. a. Capoſvariam obſidet 24. b. deditione occupat 26. a

Beſprimii Deſcriptio 198. a. ejus præſidiarii contra fidem caſi 198 b

Beſprimium arx ſe Uladislao dedit 10 b

Beſquerecum oppidum munitiſſimum Mehemeti deditur 185. a

Bethlenius Tranſilvaniæ Dux dat Sultano offenſo Lippam &c. 525. a. rebelles Bohemos accedit 526. a. iis ſubſidia promittit ibid b. Caſſoviam capit, Sacerdotes & Catholicos perſequitur ibid. Ungariam occupans ſiſtitur Comorræ 527. a. Poſonium cingens fundit cæſareos 527. a. molitur Ferdinandum throno Ungarico dejicere ibid. cingit Viennam ib. b. quem cædes Ragotzii ab Humanao retraxit ib. capit Edenburgum ib. urget ſiudus Ungarico-Bohemicum, & eligitur in regem Hungariæ ib. pactis licet cum Ferdinando inducits ſubſidium mittit Bohemis 528. a. inauguratur Rex Hungariæ ib. b. ejus ortus ib. b. Ungariam, Tirnaviam, & Moraviam depopulatur 530. a. Cæſareo-Bethlenica pax ib. b. 532. a. vocatur ad comitia à Ferdinando ibid. ejus ibidem propoſitiones 530 b. à Friderico vocatur in Ungariam 531. b. Moraviam & Auſtriam depopulatur, Schwartzenburgum cingens caditur. ib. fit Moldaviæ & Walachiæ gubernator 533. a. Fidem catholicam oppreſſit 533. b. ejus deſponſatio ib. ejus mors & legata 536 b

Blaſius Magiarum equites Beatricis Reginæ 400. fundit 5. a. moritur ibid.

Blaſius Nemethius à Cæſarianis captus, juſſu Baſtæ occiditur 509. a

Blaſius Lippatus à Boſcai adminiſtris, ſummâ perfidiâ trucidatur 504 b.

Bodo prælium tentat 89. b. eo victo capitur 90. a. in carcere obit ibid.

Bogdanus demortuo patri Alexandro Moldaviæ principe, in regno ſuccedit 321. b. cum fratre Elia in Poloniam refugit 322. a. nave adverſis jactatus ad Moſchum ſe confert ibid. à Moſcho hæreſeos ſuſpectus culeo inſutus mergitur ibid.

Bohemiæ Rex Maximilianus in Hiſpaniam ſe confert 180 a

Bohemi ſummam adminiſtrationem Ludovico deferunt 54. a

Bohemorum tumultus & defectio à Rege ſuo Ferdinando 171. b. 526. a

Bohemi ad Fridericum Saxoniæ principem inclinantes 174. a. à Petri Baqmtis & Caroli Serotinis equitibus caduntur ibid.

Bohemorum cum Hungaris certamen 37. a. diſceptatio de Sileſia 373. b eorum motus 173 a. Ferdinando deditur Bohemia 529 b

Bolandus Turcas à Caranſebe abigit 628. b. Turcas opprimit 636 a

Bolandus & Spiegel mortui 638 b

Bolonduarium à Baſta exercitus Cæſarei in Tranſilvania duce occupatur 489 b

Bornemiſſa laus 24. b. cum Cardinale regem tuetur, & ſuadet affinitatem cum Maximiliano 48. a

Boſcaius Gabrielem Bethlenium literis rogat, ut Turcarum auxiliaribus copiis Tranſilvaniam obtinere poſſit 496. b. à Barbiano comite vocatus dicto minimè audiens eſt 498 a. nefariis ſuis conatibus religionem obtendit ibid. b. accitis Turcarum copiis Baſtæ Duci Cæſareo occurrere ſtatuit 502. b. cum eodem prælio dimicans vincitur ibidem. Serenicum comitia factioſis ſuis indicit 505 a. Religio obtentum eſt, ejuſque pallio ſcelera ſua obvelare conatitur ibidem. Decreta edit ibid b. Regni inſignia à Chauſio ei offeruntur ibidem Legatos cum inſolitis muneribus Conſtantinopolim mittit 506. b. ad Sigiſmundum Poloniæ Regem Legatum mittit 513 a. Budam profectus, Mehemetem Vezirem adit ibidem b. ejuſdem moderatio 514. a. Caſſoviæ extinguitur 520. a

Boſcaiani caſtra Cæſarea adorti pluribus occiſis pedem referunt 538 b

Boſcaians Haidones, Blaſio Nemethio duce, à Cæſarianis disjecti caduntur 501 b

Boſcaians Haidones, Baſta Caſſoviâ abſcedente, varias arces vi ac ſeditione invadunt 504 a. Trincinium, Zolium, ac Filecum occupant 506. b

Boſnæ præfectura Mehemeti collata 290. a

Boſniam Turcæ evacuant 667. a. quam latum Caroli VI. in ea dominium 668. a. Bouquoius Mansfeldium ad Piſam cadit 530. a. capto Poſonio, cincto Neoſolio interficitur 529. 530.

Bonquoianam legionem delent Turcæ 630. a

Brandeburgus Leopoldo opem contra conjuratos offere 565. a. Brandeburgicorum fortitudo & laus 630. b

Brunerus à Turcis captus 655. a. occiſus 656. a

Buchemius Ragotzium cadit 540. a. b. 541. a.

Buda à Roſvurmio obſidetur 484. a. b.

Buda proditio Rogendorffii incuria improſperè cedit 145. b. incendium 535. b. ſupplicia de proditoribus ſumpta 146 b

Budenſes Turcæ urbe erumpentes, Cæſarianis ad Budam Turcis magnam cladem inferunt 486. a. iteratâ eruptione vetundantur ibid. b.

Budæ comitia in campo Peſthano habentur, in quibus de Sileſia, Moravia & Luſatia 33. a. decretum ne extera Gentis Rex, defuncto Uladislao, eligatur ibidem. ut Johanni Scepuſienſi Comiti aditus ad Poloniæ regnum pateſiat ibid b.

Budam vacuam Solimanus occupat 85. b. ei deditur 89. cingitur fruſtra à Rogendorffio 106. a. b. 107. Nadaſdus & Mehemet ei ſuccurrunt 107. a. b. Budæ proditio improſpera 145. b

Budæ obſeſſio à Cæſare decreta 589. a. caſis ibidem Turcis obſidetur 590. a. b. excurſionibus Budenſes multos ſternunt ibid. urbs inferior capta à Carolo ibid. ſuccurſum profligat ibid. b. acriter ſe defendunt 591. a. Bavarus Budenſia caſtra accedit ibid. ſuccurſus Saraiskieri repellitur 591. b. excurſiones & ſuccurſus receptus ib. 592. a. obſidio ſolvitur: quibus de cauſis, & quot Chriſtiani perierint 592. a. obſeſſa ſecunda gazas alio transfert 601. a. impreſſio prima & ſecunda

irrita ib. a. b. *ignibus & inceudio vaſtat Gonzales* ib. *Carolus urget deditionem, cujus loco præfectus Abdaruchman aliam offert urbem* 602. a. *quanti ſit momenti* ib. *Vezirius cum ſucceſſu approperans conatur caſtra perrumpere* ibid. b. *caſus aufugit* ib. *pars ingreditur* 603 a. *Bavari turrim occupant* 602 b. *Scherffenbergus & Piccolominus accedunt caſtra* 603. a. *tertia impreſſione capitur & diripitur* ibid. a. b. *hac direptione multi ditantur* ib. b. *reſtauratur* 604. a. *præfectus ejus Beckius* ibid. *B. Virginis ope Buda obtenta* ibid. *Proditor ejus Fiuck punitur* 605. 606

Budianum furentem Cæſarei fundunt 550. a. *qui plura capit oppida* ibid. a. b

Bujacum Bathoris arcem Ali Eunuchus occupat 204 b

Bulgaria & Servia ultra 20. *milliaria ſe Cæſari ſubjiciunt* 616. b

Burgravius Marchio copias ſuas Hungaris adversùs Haſanem conjungit 367. b

Buſſam turrim Turcæ occupant 204 a

Buthianus Banus Crot. Uranogracium, Neoduravium & Wolkladiſcam capit 638. b

C.

CÆdes promiſcua Hatbuanenſium 425. a

Cædes aliquot illuſtrium militum in oppugnatione ſuburbii Albani 166. a

Cædes indigna Petri Huſarii Caranſebeſſi præfecti 392. b

Cæſaris Caroli claſſis adversùs Turcas, Duce Andrea Auria Coronam oppugnat & occupat 116 b. a *Patras Achiæ urbem capit* 117. a

Cæſaris Caroli V. exercitus contra Solimanum 113. b. *conſtabat nonaginta millibus peditum ac triginta equitum* 114. a. *in Italiam redit* 116. a. *Italicas cohortes fratri relinquit* ib. b. *in Hiſpaniam redit* ibid.

Cæſar Maximilianus in Hungariam irrumpit 56. *tria celebria oppida, Sepronium, Sabariam & Vaſuarum occupat* ibid.

Cæſar Maximilianus à Buda obſidione inhibetur ſeditione, quæ oritur ex præda diviſione 7. a

Cæſar Maximilianus pecuniaria rei inopiâ laborans fruſtra mutuam petit à Sigiſmundo Epiſcopo Quinquecclesienſi 7. b. *Exercitum ex Hungaria reducit* 8. a. *ſeditioſos variis ſuppliciis caſtigat* ibid.

Cæſar Maximilianus Joannem Cuſpinianum urbis Viennenſis præfectum mittit de fœdere adversùs Venetos 34. a. b. *de affinitate mutua jungenda* ibid. b.

Cæſar Maximilianus Cuſpinianum iterùm mittit ad Uladislaum de bello adversùs Venetos ſuſcipiendo 54. b

Cæſaris Maximiliani & duorum Regum, Uladislai & Sigiſmundi conventus Viennæ, Anno 1815. 49. b

Cæſaris Maximiliani & Sigiſmundi Poloniæ Regis Legati ad Ludovicum 52. b

Cæſar Maximilianus Ecchiana caſtra, capto Sigetho cum ſuis conjungi jubet 501. b

Cæſar Maximilianus exiſtimans Solimanum adversùs ſe cum exercitu venturum, de ſumma rerum conſilium exquirit 302 b

Cæſar Maximilianus obit, Anno 1519. 12. *Januarii Cæſar V. Leopoldus* 54 a

Cæſar Rudolphus comitia Caſſoviam indicit 521. a. *Legatos ad Nicolaum Boſcaium & Valentinum Homonianum ex comitiis mittit* ibid. *in confirmandis pacis cum Turcis initæ conditionibus lentior eſt* 522. a. *comitia Poſonium indicit* 521. b

Cæſar Porta excipit munia Orphei Gallonis in obſidione Caniſiana Architecti 476. a

Cæſariani caſtri ferrei circa urbem Albam à præſidiariis non levem accipiunt cladem 6. a b

Cæſariani cum Scanderbego Ulamanis Perſa filio confligunt 340. b. *Scanderbego trucidato victoriâ potiuntur* 341. a

Cæſariani cum exercitu Haſanis acerrimo prælio congrediuntur 370. a. *Turcas profligant* ibid. *XII. millia cadunt* ibid. b

Cæſariani urgente Hardeco comite Albam aggrediuntur 376. a. *cum Haſane prælium ineunt* 577. b. *rem ſtrenuè gerunt* ibid. *hoſtes vincunt ac fugant* ibid. b. *peditum VI. equitum IV. millia cadunt* 378. a

Cæſariani Haſanum & Beglerbegum aggrediuntur 387. a. *hoſtium tria millia interficiunt* ibid. *Petriniam arcem obſident* ibid. b

Cæſariani Petardum Albæ portis, irrito labore admovent 454 b. *machina petardi à Turcis intercipitur* ibid. 455. a. *felices eorum excurſiones* 546. b. *Tecnum, Bagnialucam & Trinnum capiunt* 625. b

Cæſareo-Turcica tranſactio. 539. b

Cæſariani pace infectâ ex Inſula Danubiana ad Rudolphum Imperatorem redeunt 456. b. *Turcas ad Viennam profligant* 583. a. b.

Cæſariani Duce Comite Suarcemburgio nonnulla Turcica caſtella occupant 458. a. *Capoſvarum fruſtra obſident* ibid. b

Cæſareus exercitus adversùs Turcas recenſetur 375. a

Cæſareus exercitus, Duce Matthia, Novigradum obſidione cingit 381. b. *Matthias Archidux in caſtra venit* 583. a

Calcaria vellexifero cur in prælio detrahantur 80. a

Candion fit Vezirius 634. b

Cauſianum Ladislaum Rex Illyrico præficit 19. b

Caniſæ ſitus 475. a

Caniſa ab Ibraimo purpurato obſidetur 469. a. *foſſa faſcibus & materia complentur* ibid. b

Caniſiani Turcis Mehemetis Kahaiæ caput, ex Albano prælio allatum, oſtentatur 476 b

Caniſienſium Turcarum crebræ eruptiones ibid. a

Caniſiani Cæſarianorum diſceſſu exterriti, de deditione cum Ibraimo paciſcuntur 473. a

Caniſana præfectura, Valentino Banffio demortuo Caſpari Alapiano commendatur 326. a

Caniſa fames 625. a. *offert deditionem Buthiano, ejus deſcriptio* ibid.

Caniſa fulmine tacta 545. a. *eam Serinus & Hohenlojus cingere moliuntur* 552. b

Caplirius comes Viennæ director 579. a

Capoſvarium fruſtra obſeſſum 458. b. *Dragffius capit* 25. b. *& Badenſis* 604. b. *Captum* 220. a

Caprara Vivarinum armatâ manu occupat 596. b. *Tockojum occupat* 598. a. *& Caſſoviam* ibid. b. *ſubjicit Tranſilvanos* 599 a

Captivorum clade Mohaciana, exiguus numerus 82. b

Captivorum numerus è clade Cliſſiana 420. a

Caput Zrinii comitis à Muſtapha Ecchio Salmenſi comiti mittitur 501. b. *Chactornian arce ſepelitur* 302. a

Caput Muratis Budenſis, ex Albano prælio allatum Caniſianis Turcis oſtentatur 476 b

Caraffa

Caraſſa occupato Ungvvario tentat Mougatchium, capit fanum S. Jobs 599. b. *& incenſis Varadini ſubnrbus multos liberat Chriſtianos* 600. a. *& Tockelia Moncaſtium cum ſignis ducalibus tradit* 611. a. *fit legatus Rom.* 634. b
Carals Regni Albenſis in oppugnatione urbis Aquaria occumbit 386. a
Carcer in arce Socloſia, octoginta paſſus profundus 161. a
Carlovicio Turca arces adimunt 94 b
Carolſtadium ad reprimendas Turcarum incurſiones excitatur 237. b
Carolus V. Imperator Ferdinando Fratri imperium cedit 236. a
Carolus V. Imperator abdicato imperio in Hiſpaniam abit 233. b
Carolus V. è Pannonia in Italiam redit 116. a. *inde in Hiſpaniam* ibid. b. *Italicas copias fratri relinquit, quarum maxima pars dilabitur* ibid.
Carolus V. ut Hungaris in extremum diſcrimen adductis opem ferat, rogatur 73. b
Caroli V. reſponſio ad orationem Johannis Peteoviit 173 b
Carolus V. Hiſpania Rex, Imperator eligitur 54. a
Carolus V. Imperator in Italiam appulit 104 a
Carolus VI. Auſt. Archidux fit Caſar, Francofurti coronatus 651. a. *Vadit ad comitia Poſonienſia* 651. a. *conjuratio contra eum ab Hungaris detecta* 651. b. *liberalitas ejus in Hungaros* ib. *Offert ſe mediatrem inter Venetos & Turcas, à quibus repetit ablata* 651. 652. *Ungariā communit* 652. a. *repetit à Turcis ablata Venetis* ibid. a. *contrahit fœdus cum Venetis* ibid. *mittit exercitum in Hungariam* 653 a b. *Naſcitur ei filius* ib. *petit ab Imperio Rom. ſubſidium* ib. *ejus exercitus conſiſtit Fusacum* ib. *Muſtapha ei bellum indicit* 654. a. *ejus protectionem Walachi petunt* 661. b. *ejus quantus miles* 662. a. *academiam geometricam inſtituit* ib. *latum Caroli in Boſnia & Servia dominium* 668. a. *fuit Venetorum & Italia aſſertor* ib. *Auſtriacorum ortus & propagatio* ibid.
Carolus IX. Rex Gallia obit 328 b. *Henricus Rex Polonia, deſerto regno in Galliam contendit* ib. b
Carolus Loth. Muranam arcem occupat 565. b *Caſarem convivio excipiens Vivarinum cingit* 577. a. *illud ſolvens tendit Jaurinum* ibid. b *vicinas Vienna urbes communit, à Vezirio perſecutus* 578. a. *Turcas & Tockelium fundit* 581. a. *ejus ad Vienneuſes litera* 581. b. *cadit Turcas ad Barcanum, quod occupat & Strigonium bellico apparatu refertum* 586. a. b. *Vicegradum occupat* 589. b. *ibidem Turca caſi* ib. 590. a. *& iterato caſis Vacia capta* ib. *Seraskierum profligat, caſtris exuit* 596. b. *urget Buda deditionem* 602. a. *ſub eo militare confluunt multi Principes* 606 b. *pontem Eſſeckenſem deſtruit* 607. a. *ſimulatâ fugâ Turcas elicit pugnam detrectantes* ib. a. b. *cadit Turcas Mohacii* ib. 608. *Tranſilvanos ſubjugat* ib. b *ob infirmitatem Belgrado revertitur Viennam* 614 b. *Caroli Loth. mors & laus* 625. a
Carolus Mausfeldius ſummus exercitus Caſ. Dux 401. b. *ejuſdem diſciplina militaris* 402. a. *Strigonium obſidione circumvallat, Anno* 1595 ibid. b. *murum incredibili auſu occupat, munitque* 404 b
Caroli Principis Duces nonnulla Turcis loca eripiunt 338. a
Caſimirus Rex Polonia moritur 16 b. *ejus funebris oratio à Bonfinio habita* ibid.
Caſpar Mogocius 14. *aureorum millibus ſe à Turcis redimit* 259. a
Caſparis Seredii urbis Caſſovia Praſecti commentum 126. b
Caſparus Stancovaccius Epiſcopus Zagrabienſis, Erdodio Illyricis praſecturâ abeunti ſuccedit 40
Caſſonus erierarchus, claſſis Turcica praſectus Peſthum vacuum occupat 148 b
Caſſoni Turcarum Ducis excurſio & depradatio Lincium verſus 114 a
Caſſonus quatuor copias Hiſpanorum fundit ibid. b *à ſuis trucidatur* ibid.
Caſſonus Temeſvarii praſectus Lippam occupat & inſtaurat 203. b. *Solmoſiam arcem capit* ibid. *Chanadinum occupat* ibid.
Caſſovia à Vaivodanis ex inſidiis intercipitur, & fœde diripitur 126. b
Caſſovia urbs incendio fortè ſuborto tota conflagrat 230. b
Caſſoviana Praſectura Stephano Derſſio à Ferdinando attribuitur 235. a
Caſſoviam Albertus obſidet 5. a
Caſſovienſes erumpentes hoſti tormenta eripiunt 8. b. *ejus deſcriptio, quam Caprara capit* 598 b
Caſſovia à Ferdinando Hungaria Rege Joanni Peteovii committitur 240 a
Caſſovia praſectus Petrus Macedonius fato defungitur 242 b
Caſſovia templum majus Agrienſibus Canonicis traditur 495. a
Caſſovia à Caſare Rudolpho ad Boſcaium deficit 500. b. *à Blaſio Lippaio occupatur & expilatur* ib. b. *Caſſovia proditores puniuntur* 605. b
Caſtaldus, Temeſvarium praſidiis firmat 197. a *cum Andrea Bathorio Tortam comitia indicit* ibid.
Caſtella à Turcis metu perculſis deſerta 238. b
Caſtella varia Turcis, Duce Svvartzenburgio Comite, erepta. 449. b
Caſtella Turcica Danubio adſita Caſariani occupant 486. a
Caſtellum Zoloſum à Franciſco Bebeco & Melchiore Balaſſio obſeſſum Emericus Telequeſſius liberat 237. b
Caſtellum in pago Halmio à Balaſſio extructum à Chriſtophoro Hagmaſſio Huſti praſecto capitur & exſcinditur 268. b
Caſtelluvius Hiſpanus in bello Temeſvarienſi glande trajectus perit 200. b
Caſtra Eraſmi Teuffelii in campis Pleſſonitis oppidi contra Achomatem 205 b
Caſtra regia in clade Mohaciana direpta 81. a
Caſtra Turcarum ad Viennam à Chriſtianis ſunt direpta 583. b. Vide *Vienna*
Caſtra Joannis Sigiſmundi ab exercitu Ferdinandi Imperatoris diripiuntur 254. a
Caſtrametatio Turcarum Vienna 580. a. V. *Vienna.*
Caſus miſerabilis Petri Orſii praſecti Peſtani 485 b
Catharina Polonia Regina Lincii fato concedit 316 b
Catholicos & Sacerdotes ejiciunt Bohemi & Ungari 516 b. *Catholicorum, & Acatholicorum diſceptatio & compoſitio* 542. a. *templa recuperant* 569. a. b
Cauſa, quibus ſubditorum animi à Deſpota Moldavia principe averſi ſunt 264 a
Cavaldam arcem Vaivoda obſidet 51. a
Cauſa fœderis inter Iſabellam Tranſilvania Reginam atque Ferdinandum Hungaria Regem 181. a
Ceceı obitus 184 b
Catacuzeni uxor Byzantio fugit omnam 659. b

Certamina Bogdani Moldaviæ principis cum Polonis 33. a
Certamen inter Bohemos & Hungaros fœdiſſimum 37. a.
Certamen Cæſarianorum cum Joannis Sigiſmundi copiis 255. b
Certamen exercitûs Rogendorffii & Mahumetis 147. b.
Certamen Emerici Telegueſſii cum Ruſtane Budenſi atrociſſimum 240. 241 a
Certamen acre inter Hungaros & copias Ferhatis Budenſis 357. a
Certamen ſingulare Caralicocii cum Valentino Bauſſio 284. a
Certamen atrox Tranſſiloanorum cum Walachis, in quo Tranſſiloani fuſi ac fugati 453. b
Certamen inſigne Joannis Tillii ducis Cataphractorum in exercitu Cæſareo, cum Turcis 470. 471. a.
Certamina Uladiſlai & Alberti fratrum de Regno Ungariæ 5. a. v. Prælium, Pugna.
Ceericius ab Ibrahimo dimittitur 103.
Cetricii indicio Ludovicus inventus 82. b. *Illud Gregorius capit & diripit* 44. a
Chaquium Epiſ. transfigit ibid.
Chanadinum oppidum Mehemeti deditur 185. b *occupat Badenſis* 605. a
Chaſmam arcem Ulamanes occupat 217 a
Chium à Zeno captum, deſertum Turcæ recipiunt 637. b
Chriſtianus apoſtata Solimano, ut cuniculis arcem Belgradenſem ſubruat, ſuadet 61. a
Chriſtianos Turcæ ſepulturâ non dignantur 584. b *eorum exercitus major viſus eſt Turcis, quàm erat* 583. b
Chriſtianorum victoria diſcordiâ corrupta 638. b *varia occupant* 657. 658
Chriſtiani Belgradi mancipia traducuntur 615. a
Chriſtianus Holſatiæ Dux obtento Stipo Turcas conterit 623. a. b
Chriſtophori Columbi Liguris navigatione novus orbis reperitur 15 b
Chriſtophorus Bathorius Dux Tranſſilvaniæ fato concedit 440 b. *Sigiſmundo filio relicto* ibid.
Chriſtophorus Frangepanus Segniæ, Vegliæ & Modruſiæ Comes ad partes Cæſaris Maximiliani deſciſcit 4 b
Chriſtophorus Comes Frangepanus arce Jaicia obſeſſis ſuppetias ferre jubetur 67. a. *Elogium ejus & res geſtæ* ibid. *Jaiciæ commeatum infert* 72. b
Chriſtophorus comes Frangepanus Sclavoniæ Defenſor deſignatur 69 b
Chriſtophorus comes Frangepanus, & Nicolaus comes à Salmis Duces exercitus contra Solimanum 73. b
Chriſtophorus comes Frangepanus copiis ex Dalmatia & Illyrico adversùs Solimannum coactis præficitur 75 a
Chriſtophori comitis Frangepani res geſtæ, in Illyrico 90 b
Chriſtophorus comes Frangepanus arcis Varadinenſis obſidioni intentus glande plumbea lætaliter ictus Duces & militum præfectos hortatur, ut Joannis Than partibus conſtanter adhæreant 91. b. *conſtanti animo mortem obit* 92. a. *Modruſiæ tumulatur* ibid. *ejus copiæ dilabuntur* ibid.
Chriſtophorus comes Frangepanus Joanni Pannoniæ Regi Auſtriam & Styriam vaſtandam ſuadet 85. b
Chriſtophorus Brandenſtainius turmarum ductor in exercitu Cæſaris cadit 406. a
Chriſtophorus Hagmaſſius ad Georgium Nemethinum Boſcaianum deficit 509. a
Chriſtophorus Lambergius Jaurinum, arce incenſa, turpiter deſerit 99. a
Chriſtophorus Orſagus abſque herede diſcedit 314 b.
Chriſtophorus Sedlitius in prima excurſione a Turcis captus ab Ibrahimo dimittitur 103 a
Chriſtophorus Tieffenbach Sabaciam expugnat 379. a. *arcem Filecum oppugnat* ibid. a. *oppidum capit* ibid. b. *arcem deditione occupat* 380 a. *auxiliares Turcarum copias fugat* ib. b
Chriſtophorus Tieffenbachius arcem Hasbuaniam obſidet 386. b. *motis caſtris Caſſoviam ſe recipit.* 390 a
Chriſtophorus Tieffenbach, qui multos annos Caſſoviam & ſuperiorem Pannoniam fortiter adminiſtravit, mortem obit 434 b
Chriſtophorus Turzo Boſcai partibus ſe jungit 507. b
Cibinium urbis à Cæſare Rudolpho ad Boſcaium deficit 500 b
Ciganorum miniſterium in caſtris Georgii 46 a
Cingam in Turcarum caſtris 279. a
Civitates Hungariæ ſuperioris ad Imperatoris Rudolphi fidem obſequiumque redeunt 521. a
Clades Mohacienſis 80. 81. 82 & ſeqq.
Clades miſerabilis incendii Sacmarienſis 255. b
Clades exercitûs Joannis Sigiſmundi Tranſſiloaniæ Vaivoda 254 b
Clades Ruſtanis Budenſis in pratis inter Janocum & Saiouem flumen, ubi ex quinque Turcarum millibus, vix quadringenti evaſerunt 241. a
Clandeſtina conſilia conjuratorum Hungariæ procerum nuntiantur 312. a. *Scena univerſi ſceleris aperitur* ibid.
Claſſis Sfortiæ Pallavicini in ſupplementum copiarum Tranſſiloanicarum adversùs Turcas
Claſſis Cæſarea ignavia 386. b
Claſſis Cæſarea turpiter fugit 394 b
Claſſis Danubiana ad Ferdinandum tranſit 88. b. *Cæſarea à Turcis capta* 110 b
Claſſis danubialis Caroli VI. 659. b
Claſſis Turcica opprimit Chriſtianam & Petraſchum 661. a. *Chriſtiana Turcicam* ibid. b
Claudiopolim Abaſſius capit 551. a. *Steinvillius Carolopolim vocat, & eccleſiam epiſcopalianam mutat in catholicam* 642. a
Clementinorum Patriarcha Picolominium excipit 623. a
Clemens PP. ut Hungaris in extremum diſcrimen adductis opem ferat, rogatur 73. b
Cliſſia arx Turcis deditur 130. a b
Cliſſia à Chriſtianis recuperata 418. a
Cliſſianis, ut arcem Turcis reddant, Georgius Paradyſius Turcarum captivis ſuadet 420 b
Cociani metu perculſi inſaniem paſſim fugam capeſſunt 133. a. *à Turcis undique cinguntur & funduntur* ibid. b.
Cociani expeditio infelix 130 b. ſeq. v. Joannes.
Cociano Scepuſium deditur 92 b. *Trincinium obſidet* ibid. *ejus ſitus* ibid. *arx injectis ignibus conflagrat* 93. a. *arcem & oppidum occupat* ibid b
Coharri judex fit curia 651. b
Collegium Græcorum Monachorum expilare conantur Balaſſius & Zaius 365. a b
Collonitſchius curat Viennæ vulneratos 579 a. *ejus mors & virtutes* 648. a

Colum-

Columba Viennenſibus pacem veluti & liberationem nũtiat 583 a
Columbus novum orbem detexit 15. b
Comes Suarcemburgius Papam obſidione cingit 462. b. *glande trajectus occumbit* ibid.
Comiti Suarcemburgio ad feliciſſimam Jaurini oppugnationem donativum 10000. *aureorum à Rudolpho Cæſare datur* 443. b
Comes Zrinius bellum adversùs Turcas ſuſcipiendum ſuadet 270. b. *Petrus Zrinius capite plectitur* vide *Serinius.*
Comes Zrinianus ad mortem heroico & forti animo oppetendam ſe adornat 299. a. *Fatali incenſæ arcis neceſſitate coactus milites extremum alloquitur* ibid. b. *porta aperta & tormento cum ſexcentorum hoſtium ſtrage diſploſo fortiſſimè in Turcas irruit* ibidem. *duobus ictibus trajectus conſtanter occumbit* 300. a. *caput ejus pertica infixum Turcis ſpectaculo fuit* ibid. *Berſenciam, Segnſdium occupat* 383. b
Comites ab Arco Coronam adversùs Valachos defendunt 197 a
Cometa Viennæ terribilis 525 b. 547. b
Comitatum Maximiliani ad coronationem Hungaricam 261. a. b
Comitia in campis Peſthanis ob Verbecii molitiones habita 69. b. *Tirnaviæ indicta* 174 b
Comitia à Regina Maria, vidua Ludovici Poſonium indicta 86. a. 157. b
Cometes Adrianopoli viſus 641. a
Comitia Ratiſponenſia 109. b
Comitia Vormatiæ & Ratiſponæ 144. a
Comitia à Carolo V. Wormatiam indicta 170. b
Comitia Ferdinandus Tirnaviam, Ragotzius Caſſoviam indicunt 540. b. *in Ratiſponenſibus eliguntur duces expeditionis in Turcas* 553. a
Comitia Ratiſpona ac Spiræ de bello adversùs Turcas ſuſcipiendo habita, Anno 1542. 152. a
Comitia Poſonienſia 197 b
Comitia Poſonienſia ad Calendas Junias Anno 1557. 235. a. *Budam indicta* 14. b. 20 a. 33. a
Comitia Imperii Auguſtam indicta, Anno 1559. 236. a
Comitia Edenburgi 533 b
Comitia Poſonienſia contentione turbida 262. b
Comitia Spiram à Cæſare Maximiliano indicta 316. b
Comitia Poſonienſia à Rudolpho Cæſare indicta, Anno 1578. 337. b. *re infectâ diſſoluta* ibid.
Comitia Hungarica 341. a
Comitia Auguſtana 285. a
Comitia Hungarica turbulenta ibid.
Commeatus Sigetho invectus 227. b
Communio ſub utraque ſpecie Tranſilvaniæ conceſſa 278. b
Commercii tractatus cum Turcis 667. b
Competitores regni Polonici, Stephano Rege demortuo 348. b
Concilium militare de Turcis perſequendis à Cæſare Carolo Viennæ habitum 116. a
Concilium Tridentinum terminatum 269. a
Conditiones initæ pacis inter Joannem Corvinum & Regem Uladislaum 4. a
Conditiones initæ pacis inter Regem Uladislaum & Albertum fratrem ejus 9 a
Conditiones Tranſactionis inter Uladislaum & Albertum 12. b
Conditionibus tranſactæ pacis inter Uladislaum & Albertum nonnulli factioſi aſſentiri renuunt ibid.
Conditiones, quibus certa ſtabiliſque pax inter Uladislaum Ungariæ Regem & Albertum fratrem ejus, firmatur ibid.
Conditiones initæ pacis inter Solimanum & Ferdinandum Ungariæ Regem 121. b
Conditiones pacis Wacienſes 128. b
Conditiones pacis à Cæſare Ferdinando Joanni Sigiſmundo Tranſilvaniæ principi oblatæ 268. a
Conditiones pacis inter Cæſarem Maximilianum & Joannem Sigiſmundum Tranſilvanum 278. b
Conditiones graviores à Tranſilvano Cæſari Maximiliano propoſitæ 281. a
Conditiones tranſactionis inter Cæſarem Rudolphum & Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem 434 a. Vid. *Pax.*
Conditio miseranda Tranſilvaniæ 481. b
Congreſſus Nicolai Zrinii cum Turcis ad Rinnæ tranſitum 223. b
Conflictus Hungarorum cum Aly Budenſi 196. a
Conjux Balaſſii Sacmarienſis præfecti capto Sacmariano, cum filia nubili & Stephano filio, in Tranſilvaniam abducitur 272. b
Conjuratis adversùs Cæſarem Maximilianum excepto Dobone & Balaſſio, venia datur 313. b
Conjuratio Ungarorum in Leopoldum 562. 563. &c. *ad hanc Turcæ ſollicitantur* ib. *proditur* ib. b. *violenta ejus indicia* 564 a. *Sporckius eos perſequitur* 565. b. *Ferentius ejus ſecretarius capitur* ib. *conjurationis literas Turca Cæſari offerunt* ib. *ultronea conjuratorum confeſſio* 566. 567. *eorum condemnatio* ib. a. *ejus auctor Nadaſdus* 568. b. *extirpatio* ib. *conjurationis mater hæreſis* ib. *conjurati Germanos moliuntur opprimere* ib. vide *Rebelles. contra Carolum detecta* 651. b
Conſilia pacis inter Joannem Sigiſmundum & Cæſarem Maximilianum turbantur 281. a
Conſiliarii Joannis Sigiſmundi Arianâ peſte infecti 268. b. *Stephano Bathorio ex Solimano inſidias ſtruunt* ibid.
Conſilia nefaria Boſcaii Cypriano Concinio Varadini legato deteguntur à Boſcaii miniſtris 479. a
Conſpirationes quorundam Hungariæ procerum adversùs Cæſarem Maximilianum 312. a. *adversùs Ludovicum Reg.* 71. a
Conſtantinopolitana ſeditio 639. a
Conſultatio Maximiliani Imp. de ſumma belli adversùs Turcas 312. a
Contarem Venet. Ducis obitus, ſucceſſit Juſtinianus 588. a
Contensiones inter Ludovicum Petrum & Mauritium Furſtum 129. b. *Petrus capitur* ibid.
Contentiones Petri Petrovitii & Georgii Monachi 181. a
Controverſia de finibus, injuriis, damnis & rapinis inter Ferdinandum Hungariæ Regem & Joannem Tranſilvaniæ Vaivodam, deciſa 118. b
Controverſia de pagis dedititiis en tabulis Halulis, inter Cæſarem & Selymum 311. b
Conventus Tranſilvanorum, Bohemorum ac Moravorum poſt pugnam Mohacianam 85. a
Conventus Chriſtianorum & Turcarum in Inſula Danubiana 456. a
Convivium poſt pactum armiſtitium 667. b
Copia Ferdinandi Hetruriæ ducis in Cæſaris exercitu contra Mahometem 402. a
Copia armatorum in caſtris Lippenſibus 187. b
Copia Georgii comitis Helffenſtainii adversùs Turcas 197 a
Copia adversùs Achomatem Anno 1552 *collecta* 203. a. *decem millium numerum explebant* ibid.

Copia auxiliares Agrienſibus ſubmiſſa 208.b
Copia auxiliares à Perenio Filecenſibus miſſa 218.a
Copia exigua Hungaris ab Imperio mittuntur, ſpe induciarum, quas Solimanus polliceri videbatur 235.b
Copias Joannis Balaſſi Haſanes Fileceinſis aggreditur & cadit 257.a
Copia Cæſariana Hadadum ad caſtra Joannis Sigiſmundi pergunt 253.a
Copia Joannis Sigiſmundi Tranſilvaniæ Principis à Cæſarianis caduntur ibid. b
Copia Cæſarea Joanni Balaſſio adversùs Turcas ſubſidio miſſa 334.b
Copia lectiſſimorum militum Lazari Suendii 293.b
Copia Cæſariana in Tranſilvania Hungarorum ſubſidiis augetur 276. a. arcem Tocaienſem iterato ſucceſſu oppugnans ibidem b. oppugnatione redintegrata propugnaculum capiunt ibid. b
Copia Ferhatis Budenſis exercitum Hungarorum longè ſuperans 356.b
Copia Joannis Heraclidis contra Alexandrum Moldaviæ principem à Sarmatis profligantur 247.a
Copia Belgica contracta à Carolo Mansfeldio exercitûs Cæſares contra Turcam ſummo duce 402.b
Copia Italica Pontificis in exercitu Cæſaris contra Mahometem ibid.
Copia auxiliares Pontificis in Dalmatiam appellunt 474. earundem Tribuni ac Duces ibid.
Cernarm Sing occupat 600. a. recipit Montenigros, Medinum, Clinum &c. 616. a. captus à Turcis, eorum fit machinator 631. b. elabitur 633.a
Corogis B. Gerardo necem inferunt 82. b. memorabilem ultionis divinæ in eorum poſteros exemplum ibid.
Corona Ungarica cur ſacra dicatur 4. a
Coronæ cuſtodes electi 20. b. quantum veneretur, & coronationis modus 535. a
Coronem Mendocio à Carolo V. commiſſam Turca obſident, Anno 1533. pag. 117. b. quam obſidione liberat Auria ibid.
Coronem Veneti capiunt 599.b
Coronenſes præſidiariis caſo Præfecto, Macisao, Coronem turpiter deſerunt 122. a.b
Corothna arx ab Hungarico exercitu expugnatur 226.b
Corpus Imperatoris Ferdinandi Viennâ Pragam deducitur 283.a
Corpus Solimani à Mehemete Byzantium deducitur 303.b
Corſica Turcarum metuit invaſionem 652.b
Corvinus Illyrici præfecturâ ſe abdicat 18.a
Corvinus Zagrabiam recipit 17. a. arcem Sombor Steph. Palat. ei eripit & Epiſcop. Zagrabienſ. aliis oppidis imminet 21. a. b. V. Joannes Corvinus 30. b. moritur 32. a
Coſaci ad caſtra Cæſarea tranſfugiunt 496.a
Coſtamcia adversùs Malchum defenditur 221.a
Coſtaniciam arcem Aly Dux Turcarum ex inſidiis adortus capit 234. a. præfecto ejus cum centurionibus aliquot, ad nuptias Zaberdum profecto ib.
Croyus Dux decepto Haſano Eſſeckum defendit 628. a. captâ Gradiſcâ totam ſubjicit Sclavoniam 632. a. Jenoum capit, Giulam coarctat 634. a. Belgradum cingens mox diſcedit 635.b
Crudelitas Haidonum latrocinantium 219.b
Crupa arx in Illyrico præſidiis munita 221.a
Crupa arx, præſidiariis fortiter ſe tuentibus, adeoq; ad unum caſis, Turcis ceſſit 279.b
Cruſitius & Turrianus caduntur 130. a. b.
Crux à Walachiæ principe in caſtris Turcicis veneratur 585. b. Supponitur Lunæ in turri S. Stephani 585.a
Cumaus ſeu Cuni 200.a
Cuniculos Viennæ agunt Turcæ 100. 101. 580. b. ſeq.
Cunus Vaivoda Dux Sacmarium obſidet, & capit 127. a. lethali vulnere ictus obiit ibid.
Cuperlius Vizirius ſuccedit Muſtaphæ 621. b. Vide Muſtapha Vezirius
Curanum oppidum infirmis & vetuſtis manibus cinctum, certis conditionibus ab Achomate redimitur 203.a
Currus pecuniâ ac panno, in militum Cæſarianorum ſtipendia, onuſti à Filecienſibus diripiuntur 503.a
Cuſpinianus medicus legatus Maximil. ad Uladiſlaum 34. a. b. 48 b.
Cuvarum fruſtra tentatur à Joanne Sigiſmundo Tranſilvano 283. a. Cæſarianis negligentius excubias obeuntibus à Tranſilvanis, omnibus, excepto Petro Solionio altero præfecto, cæſis expugnatur 310.b
Cyprianus Concinim Varadini Legatus nefaria conſilia Boſcaii, à miniſtris ejus ſibi detecta religiosè renunciari curat 497 b
Czoborus Suranum occupat 593. a. & Barnovvizam 626.a

D.

Dacia vetus 136.b
Dalmatiæ novi motus 17.b
Daniel Francolus Tergeſtinus Petriniæ præfectus 422. b
Danubiana claſſis ad Ferdinandi partes tranſit 88. b
Danubius à Turcis binis inſtruitur pontibus 580. a. & a Walachis cuſtoditur ibid. Danubii deſcriptio 660.a
Darozzius relicto Töckelio adhæret Cæſari 536.b
Daunius comes fortiter Viennam defendit 580.b
Debrecinum Seraſoldus erroneè occupat 571.a
Decemviri Tranſilvaniæ gubernandæ delecti 489.b
Decurſiones Equeſtres in comitiis Poſonienſibus 262.b
Dedeſdam arcem Haſanes Temeſvarienſis obſidet 307.a
Debertatio Hungariæ procerum, à bello Turcico 270 b
Delfinus Cilucbum, Gabellam, Kuppam capit 636.b
Deliberationes in comitiis Budenſibus de Beatricis conjugio 28. a. de tributo imponendo ibid.
Deliberatio Ducum Hungarici exercitûs de bello adversùs Turcas prorogando 225.b
Deliberatio Imp. Maximiliani in caſtris Ovarianis de bello gerendo adversùs Solimanum 293.b
Deliberatio Lazari Suendii de bello adversùs Tranſilvanos gerendo 275.b
Demetrius Laxitius Equitum præfectus cum Tartaro ſingulari certamine congreſſus victor evadit 8.b
Demetrius Viſnovecius Deſpotam Moldaviæ Principem in arce Sachava obſidet 265.b. Moldaviæ princeps eligitur 266.a
Demetrium Viſnovecium à Stephano Tomsâ victum, Byzantium mittit, ubi unco in coſtas adacto crudelem mortem oppetit 266.b

Demetrius Bulgarus à Mirce Walacho trucidatur 267.b
Demetrii Thracis præclarè factum 220.b
Deughelghu excurſio in Meraviam 508.a
Deo ſoli Viennenſis adſcribenda eſt victoria 585.a
Derencenius & Botho Illyrico præficiuntur 18.a. *caduntur à Turcis* 19.a. *Vide* Emericus.
Derviſius Turcarum Monachus ad Hungaros transfugiens Solimannum obiiſſe nuntiat 302.a
Deſvium arcem Joannes Sigiſmundus deditione occupat 285.b
Detrimentum in Illyrico à Turcis illatum 279.a
Dettinus Buchereſtum cum principe capit 659.a
Dio Dominica Vienna à Turcarum obſidione liberata 583 b
Diſceptatio inter Hungaros & Bohemos de Sileſia 37.b.
Diſceptationes Tranſilvanorum procerum de principe eligendo 319 b
Diſceſſus exercitûs Cæſarei Cauſa miſerabilis 480.a.
Diſſenſiones inter Georgium & Caſtaldium de deditione arcis Lippenſis 189.b. *de copiis in biberna diſtribuendis* 190 b
Diſſenteria Viennæ graſſatur 581.b
Diſſidia in Illyrico inter Simonem Epiſcopum Zagrabienſem & Joannem comitem Zetinium 151.b. *juſſu Ferdinandi compoſita* ibid.b
Ditio Saroſpatacii ab Emerico Telequeſſio vaſtata 238.a
Dobocii præclarum facinus 83.b
Dobonis ſolertia in Agria 208.b. *fit Tranſilvaniæ præfectus* 218.b
Dobsonem oppidum Epiſcopi Zagrabienſis Ulamanes cum copiis ſuis diripit & incendit 217.a
Doleſa mandata Georgii Bebeci ad Lazarum Suendium 306.a
Dominicus Stephani Bodonis frater à Walachis capitur, & Byzantium mittitur 232.a
Dona Joanni Sigiſmundo à Solimano oblata 288 b.
Doria Erlaviam agonizantem includit 608 b
Dorothea Caniſiana, Emerici Perenii Palatini vidua ſtrage Mohaciana cæſorum cadavera ſepulturæ mandari jubet 83.a
Dos Iſabellæ Caſſoviæ perſolvitur 194.b. *Iſabella Regina Caſſoviâ in Sileſiam iter intendit.* ibid.
Draco Filecum proditurus capitur 524 b
Dragffius militiæ præfectus Villacum capit 23.a *Capoſvivarinum cingit* 24.b. *Caditur* 25 a *illud capit* ibid.b
Draſcovitius Illyrici Præfectus cum Herbeſtainio Sclavonicorum limitum præfecto Veruciam vanis conatibus obſidet 436.a
Draſcovvitius fit Banus Croatiæ 541.b. *Defuncto ſucceſſit Palffius* 542.a. *cadit Turcas* 619 b
Dubiciam Turcæ capiunt 136.a. *inflammat Erdodus* 597.a
Duces, qui ſtrage Mohaciana perierunt 81.b
Duces Ferdinandi Regis contra Tranſilvanos conjuratos arcem Nagidam capiunt 130 b. *Granſnabercam Bebecorum arcem obſident* ibid.
Ducibus Exercitus contra Tranſilvanos conjuratos ob fugam ignominiæ nota à Ferdinando inuritur 231.a
Duces in prælio cum Mehemete commiſſo occiſi 432.a.
Duces Cæſarei exercitus Comitem Suarcemburgium hortantur, ut hoſtilem Ibraimi vaſtationem coërceat 458 a
Dunvvaldus, Setavius & Heiſterus Turcas cadunt 581.b. *capit Dunvvaldus Walpo, Eſſecum, Poſſegam, Czernit, & totam ferè Sclavoniam* 609.a. *& Gradiſcam* ib.

E

Ecchius Salmenſis Comes Turcarum caſtra ad Albanum lacum cum ſelecta manu invaſurus litteris Cæſaris Maximiliani ex cauſis revocatur 302.a
Ecchius Comes Salmenſis Tatam expugnat 286.b
Eckenburgius cæterique exercitus Cæſarei duces Turcis caſtra in inſula opponenda cenſent 372.b.
Electio Maximiliani in Regem Romanorum 260.a.
Electores Saxo & Bavarus cum aliis Viennam obſidione liberant 582.b
Eleonora Ferdinando deſponſata coronatur 530. 531.
Eleonora Leopoldi uxor coronatur Reg. Ungar. 575.b. *ut Imperatrix* 622.a. *ſit defunctis Leopoldo & Joſepho Gubernatrix Regnorum & pacatrix* 650 b
Elephas indicus 197.b
Elezes Jacuudius, qui dolabra pugnavit, glande trajectus interiit 198 a.
Elias Alexandri Moldaviæ principis filius Conſtantinopoli perit 322.a
Elias Dorman rebellium Moldavorum Dux Deſpotam Suchavæ in arce obſidet 265.a
Elias Moldavus cum Valachis & Turcis Tranſilvaniam longe latéque vaſtat 199 a
Eliſabetha Cæſaris Maximiliani filia Carolo nono Galliæ Regi deſpondetur 319 a
Eliſabet Uladislai Mater obiit 32.a
Eliſabeth imperat. coronatur Regina Hungariæ 651.b.
Emerici Cibaci, *Temeſvarii* Comitis *familia* 84 b
Emericus Cibacus *inſtaurata pugna Joannem Nigrum ſuperat* 88.b
Emericus Cibacus *Tranſilvaniæ Præfectus à Joanne Docio inſidioſè circumventus, cum* 200. *equitibus ad Grunum ſe confert, cujus juſſu nefarie in tentorio trucidatur* 123.a.b. *ejus encomium* ibid.b
Ejus necem Tranſilvani vindicant 124.a
Emericus Derencenius & Joannes Botho in locum Corvini *Illyrici præfecturâ potiuntur* 18 a. Comitem *Frangepanum Bernardum tumultuantem ad officium reducere ſtatuunt* ibid.b
Emericus Derencenius Bernardum Frangepanum comitem ad deditionis conditiones compellit ibid.
Emericus Derencenius cum Jacuppe Bego fortiter prælians capitur, filio ac fratre interfectis 19.b. *in qua pugna quinque millia ex noſtris periêre* ibid.
Emericus Derencenius & Bernardi comitis Frangepani hoſtes parta præda redeuntes fuſi fugatíque ſunt à Turcis, Anno 1493. pag. 19.a
Emericus Perenius in locum Palatini Petri Gerebi ſublectus eſt 32.b
Emericus Perenius Palatinus pactionibus à Cæſare Maximiliano & Rege Uladislao Viennæ initis repugnat 50 a. *reprehenditur ideo ab Uladislao* ibid. *revocare abnuit* ibid. *largitione tentatus, capitur* ibid.b
Emerici Perenii Palat. obitus & elogium ambitioſum ibid.b
Emericus Telequeſſius copiarum Ferdinandi Dux Covaſonem arcem capit & diripit 237.a. *Caſtellum Zoloſum expugnat* ibid.

Lelezium fugientibus propugnatoribus capit ibid. b. *eodem impetu capit Olſua munitionem* 238.a. *cui Zeteniam, Barconem & Coveſdiam arces adjicit* ibid.
Emericus Telequeſſius de ſententia ducum Suomm, Ruſtanis Budenſis depopulationi obviam ire ſtatuit 240 a. *Georgio Bebeco, ut cum copiis adſit, nuntiat* ibid. b
Emericus Telequeſſius vir immortali memoria dignus obit 242. b
Encomium Semendris Taſenſis præfecti de Maximiliano Archiduce Auſtriæ 435. b
Eperieſſi urbis obſeſſus ad arbitrium victeris inter Albertum & Uladislaum deditionem fecit 14 a
Eperieſſia à Cæſare Rudolpho ad Boſcaium deficit 500 a
Eperiſſum vano conatu à Boſcaianis tentatur 504. b *Schultzius illud capit* 597. b
Epiſcopi, qui clade Mohaciana periêre 82 a
Epiſcopatus à milite occupantur 123. b
Epiſtola acerba Lazaro Suendio à Joanne Sigismundo Tranſilvano miſſa 308. b. *V.* Literæ.
Epulum Cæſareum & regium in Hungarica inaugurations Rudolphi 325 b
Eques humana ſpecie auguſtior Turcis viſus, illorum impetum in Guncium miraculosè retundit 112. b.
Equitum Ductores in oppugnatione Giula à Turcis caſi 291. b
Equitum in pugna Mohaciana fuga 81. a
Equites è Sileſia Suendio ſubmiſſi 283. a
Equites voluntarii in caſtris Cæſareis contra Solimanum 293. a
Equi Turcici inſignis ferocia 359. b
Equeſtre Solimani conſilium 284. b
Eraſmus Praunus Comoroni præfectus ſclopeti ictu ſaucius Viennæ moritur 397. a
Eraſmi Teuffelii infauſta expeditio adverſus Turcas Anno 1552. 204. 205.
Eraſmus Teuffelius ſummus copiarum contra Achomatem dux in prælio cum Achomate capitur 206. b. *cum aliquot captivis & ſignis* 40. *Byzantium mittitur* ibid. *culeo inſutus ſubmergitur* ibid.
Erdodium Georgius Bathorus certis conditionibus Suendio dedit 277 b
Erdodius Illyrici præfectus Haſanis injuriis irritatus Monoslonem oppidum capit 364 b. *caſtra ſua Haſani opponit* 366. a. *ab Haſane in fugam conjicitur* ibid.
Erdodius capit Caſtanovizam, Dubizam &c. 608. b. *Ejus mors* 634. b. *Gab. Erdodus fit Epiſcocopus Agrienſ.* 642. a
Erdodius Dubizam inflammat 597. a. *& plus capit* ibid. b
Erlaviam Doria includit agonizantem 608. b *capitur* ibid.
Erneſtus Archidux Auſtriæ Alexandro Farneſ. demortuo duci Parmenſi ſuccedit 381. a. *ejusdem è vita exceſſus* ibid.
Eruptiones Petrinienſium in caſtra Cæſarea 388 a
Eruptiones Sigethanorum in Turcas 225. b
Eruptio Turcarum ſuperiore urbe Budenſi proſperè coercetur 451. a
Eruptiones in Turcas à præſidiariis Sigethanis 296 b.
Eruptio Viennenſium in Turcas 580. b. *Vide* Vienna.
Eſſecum munitum 76. a
Eſſeckenſis pons à Serino inflammatur 551. a. b. *& à Leslejo* 597. a. *à Carolo* 607. a. *ab Huſaino cingitur, à Crojo defenditur* 627. b
Eſterhaſii felix in Turcas expeditio 532. a. *ſuadet bellum in Bethlenium* ib. *urgens Ferdinandi ſucceſſorem ſit Palatinus* 534 a. *eorum quatuor à Turcis caſi* 542. b. *Turcas profligat.* 573. b
Eugenius Sabaudus captam Budam ingreditur 603. b. *Fit Cæſaris archiſtrategus* 639. a. *Ejus victoria ad Zentum* 639. 640 *varia in Boſnia occupat loca* 640 b. *Fit Belgii gubernator* 654. b. *vadit in Hungariam* ibid. *cædit Petrovvaradinus Turcas capit caſtris* 655 b. *donatur à Clemente gladio & pileo benedicto* 656. b. *cingit Temeſvvarium* 657. a. *caſtra petit Hungarica* 662. a. *feliciter cum exercitu tranſit Danubium* 663. a. *modum prælii inſtituit* 665. a. *militem ad germanam fortitudinem hortatur* ib. *cædit Turcas ad Belgradum* ibid.
Eunuchus Sigethanam obſidionem reperit 225. a
Excoriandorum cadaverum conſuetudo originaria à Germanis 227 a. b
Excurſiones Tartarorum in Bereghianos & Ugocianos à Joanne Sigiſmundo cohibentur 303. a
Excurſiones Turcarum è caſtris Sigethanis cohibita 302. a. *Varia utrimque* 662. a
Excurſio Ulamanis in Illyricum à Nicolao Zrinio, Illyrici prorege, & Luca Siculo copiarum Stirienſium præpoſito, coërcetur 216 b
Excuſatio Joannis Sigiſmundi apud Pertianum Chauſium, cur Legatos ad Cæſarem Maximilianum miſerit 318 a
Exequiæ Ferdinandi Imp. Viennæ celebrata 283. a
Exequiæ pro militibus in prælio Petrovvaradino defunctis 156. b
Exercitus Alexandri Moldaviæ principis contra Joannem Heraclidem Deſpotam 248. a
Exercitus Cæſareus adverſus Haſanem, cœli injuria exagitatus, rebus infectis in hybernia dimittitur 368. a
Exercitus Cæſarem Petriniam obſidet 372 a
Exercitus Chriſtianus ſubſidio venit Viennæ obſeſſa 582. b. *quomodo Turcam ab Viennenſi obſidione repulerit* 583. b. *quomodo ille diſpoſitus* ibid.
Exercitus Turcarum ad Viennam deſcribitur 581. a. *& funditur* 583. b ſeq. *Chriſtianus major viſus eſt Turcis quam in ſe erat* 583. b
Exercitus Ferdinandi Regis Craſnahorca Roſnonem verſus recedens, hoſtium ſuperventu, disjicitur & conciditur 230. b
Exercitus Imperii contra Turcam, Anno 1542. pag. 152. b *ad oppugnandum Strigonium caſtra movet* 153. b. *ejus Præfectus* 152. b
Exercitus à Maximiliano Cæſare duce Lazaro Suendio, in Tranſſilvaniam miſſus 275. a
Exercitus Muſtaphæ Boſnenſis Illyricum depopulaturus à Petro Erdodio cum exigua manu opprimitur, cæditur, & fugatur 280. a. *magna præda parta* ibid. b
Eximia virtus Ruberi in levioribus præliis cum Turcis 283 b
Expeditio Cociana infelix 130. 131. *ejus duces, Eſſeci oppugnationem decernunt* 131. a. b. *Velitationes cum Turcis* 132. a
Expeditio anni 1716. *quanti ſteterit* 659 b
Ezarius, Petrus Moſchorum Dux Leopoldum ſalutans Germaniam & Hollandiam luſtrat 641. a. *& Poloniam ob ſeditionem redit in Moſcoviam* ibid.

F.

Factiones duæ in comitiis Varſovienſibus de Rege Poloniæ eligendo, quarum una Stephanum Bathorium Tranſilvaniæ principem, altera Cæſarem Maximilianum elegit 329. 330. b

Fames

Fames invaleſcit in Tranſilvania 481. b. *ubique fames, præſertim Vivarini* 594. 595 604. a *Temeſvvaris, Varadini & Caniſiæ fames* 624. 625.

Faſces virgultorum à Cæſarianis in latrinas Caniſianas conjiciuntur 475. a

Faſtus Aly Eunuchi Vezirelis 221 a

Fatalis prælii cum Solimano committendi ardor 78. a b

Favorita à Turcis occupatur 580 b

Felſius vide *Leonardus.*

Ferdinandus II. fit Rex Hungariæ & Bohemiæ 524 b. *Ungaris, Bohemis, Sileſiis ab eo deficiunt* 526 a. *precibus hoſtem avertit* 526 a. *fit Cæſar* ibid. b. *redit Francofurto Viennam feliciter* 527. a. *ejus deſponſatio cum Eleonora, vocat ad comitia Bethlenium* 530 b *et Muſtapha omnes rebellium litteras offert* 531. a. *fidem Catholicam erexit ope Paſmanni* 533. b *de ejus Succeſſore diſceptatur* 534. a. *quem urget Eſterhaſius* ibid. *ejus electio & coronatio* ib. b. *Ferdinandus III. fit Rex Ungariæ* 535. a. *cum Eleonora coronatur Rex Bohemiæ* 536. b. *Wallenſteinio percuſſo, exercitui præficitur* 537. b. *capit Ratiſponam & plures urbes; cadit ad Nordlingam Suecos* ibid. *petitur à Patre ſucceſſor* 538. a. *coronatur cum Maria uxore* 538 a *Ferdinandi II. obitus* ibid. b. *ſuæ religionis aſſertor* ibid. *Ferdinandus III. comitia Poſonii indicit* 539 a. *Lutheranismum exſtructuris, cogitur permittere* ibid. a. b. *fit Rex Ungariæ* 542 a. *Ferdinandi IV mors* 543. a. *Ferdinandi III mors* 544 b. *pacem Monaſterienſem confecit* ibid.

Ferdinandi Imperatoris obitus Anno 1564. *vixit annos* 61. p. 269. b. *ejus encomium* ibid. b. *Beneficia in Ungaros eximia* ibid. *Pietatis in Deum ſtudium* ibid.

Ferdinando Imperatori XIII ſigna militaria Turcis adempta, mittuntur 242. b

Ferdinandus Imperator Ioanni Heraclidi, Deſpotæ occultè auxilia contra Alexandrum Moldavum miſit 247. b

Ferdinandus Imperator octo peditum Germanorum ſigna in ſupplementum Legionum contra Tranſilvanos conſcribit 254. b

Ferdinandus Imp. Maximilianum filium ſucceſſorem ſibi in Hungaria declarat 250. 251. *oratio ejus ad frequentem Pannoniæ procerum ſenatum* ibid.

Ferdinandi Regis Neapolitani mors 15. b

Ferdinando Regi aliquot Illyrici arces tuendæ ab Hungaris dantur 63. b

Ferdinandus Rex Romanorum creatur, Anno 1531. 108. b

Ferdinandus Auſtriæ Princeps, ut Hungaris in extremum diſcrimen adductis opem ferat rogatur 75. b

Ferdinandus ab Ungaris Proceribus inſtigatur, ut Pannonici regni jura, Joanne Vaivoda viſâ jam defuncto, illato bello recuperet 141. a

Ferdinandus in Hungariam cum exercitu venit 87. a. *cum Palatinus in finibus, qui Auſtriam ab Hungaria dirimunt, inter oppidum Copesinum & Laitam flumen, magna Procerum manu occurrit* ibid.

Ferdinandus Hungariæ Rex Jaurinum, Comaronium, Tatam & Strigonium occupat ibid b

Ferdinandus potitur Buda, fugato Vaivoda ibid. b *Albæ coronatur* ib. *Vaivodam inſequi jubet* 88. a

Ferdinandi Regis Hungariæ Duces Tocaium capiunt 90. a. *Agriam, Hatuanum, cæteraque oppida & arces ſubigunt* ibid.

Ferdinandi Regis exercitus Turcis oppoſitus 138 a 130. a

Ferdinandus Hungariæ Rex & Joannes Tranſilvaniæ Vaivoda clanculum copias adversùs Solimanum conſcribunt 137. b

Ferdinandi auxiliares copiæ adversùs Solimanum ibid. b

Ferdinandus Rex militum copias ad Pannoniæ jura & ſceptra, Joanne fato functo, recuperanda conſcribit 142. a. *quibus Leonardus Felſius præficitur* ibid.

Ferdinandus bellum Turcicum, Duce Wilhelmo Rogendorffio, inſtaurat, Anno 1541. 144 b.

Ferdinandi Hungariæ Regis copiæ adversùs Turcas 152. b

Ferdinandus Bohemiæ & Hungariæ Rex poſt finem belli Saxonici Pannoniæ ordinibus Comitia Tirnaviam indicit 174. b. *in quibus ruſticis aliò migrandi libertas conceditur* ibid.

Ferdinandi Hungariæ Regis mandata de Georgio Monacho 189 b

Ferdinandi litera ad Hungarici regni conſiliarios de morte Georgii 191. b. *bellici ejuſdem apparatus adverſus Turcas* 194 a

Ferdinandus Auſtriæ princeps Poſonienſibus comitiis Anno 1527. *Rex Hungariæ declaratur* 86. 87. *in Hungariam vocatur* ibid.

Ferdinandus Princeps ad patrem Ferdinandum Regem Hungariæ Viennam redit 228. a

Ferdinandus Auſtriæ & Styriæ princeps obſidionem Caniſianam ſuſcepit 475. a. *oppugnationem inſtituit* 476. *graviſſimis cœli tempeſtatibus exagitatus obſidionem ſolvit* 479 b

Ferdinandus Nogarola comes Sacmario præficitur 344. a

Franciſcus Bodo in nova Auſtriæ civitatis carcerem conditus, ibi fato defungitur 89 b

Ferdinandus comes Hardeccus, ob Jaurini deditionem capitis ſupplicio afficitur 402. a. b

Ferdinandus Wilhelmi Bavariæ Ducis frater 400. *cataphractos equites in caſtra Jaurina ad Imperatorem Maximilianum duxit* 294. a

Ferhates Michael Begogli Sirmium ferro flammaque depopulatur 65. a. b

Ferhates Boſnenſis Præfectus planiciem inter Ivanicium & Zagrabiam ferro flammâque depopulatur 235. a

Ferhates Boſnenſis Hungariam incurſitat 335 b. *Caſtella aliquot diffugientibus præſidiariis, obtinet* 336 b. *Zrinium expugnat* ibid.

Ferhates Budenſis à ſuis trucidatur 560 b

Ferream portam Turca occupans 546. b

Fidem Catholicam Bethlenius oppreſſit, Ferdinandus erexit ope Paſmanni 533 b

Filecſium 217. a. b

Filecum munitiſſimam arcem Æthiope quodam captivo proditore Turca occupant ibid. a

Filecenſes Præſidiarii, metu auxiliarium copiarum, quæ Hamſa advenerant, arcem vacuam relinquunt & excedunt 218. a.

Fileci proditio 524. b

Finck proditor Budæ punitur 605. 606

Felocium oppidum à Michaele Tranſalpino Vaivoda funditus diruitur 434. a. *ab eodem Arſova capta inflammatur* ibid. *Seliſtria diripitur* ibid.

Fleuri mors 634. b

Fleiſchmannus Viennam remiſſus 659. b

Fœdus Cæſareo-Polonicum Wallenſteinius perficit 577. b *Cæſareo-Polono-Venetum Romæ juratum ab Innocentio XI. confirmatum liberalitate* 588. b. *ſollicitat Cæſar cum Moſchoviis fœdus* 589. a

Fœdus à Joanne Rincone, Regis Gallorum Franciſci Legato inter Vaivodam & Franciſcum ſancitum 86. a
Fœdus à Perſis cum Murate initum 360 b
Fœdus ſolenne cum Sigiſmundi Tranſilvaniæ Principis Legatis Pragæ pactum 401. a
Fœderis tabula ad Cæſarem miſſa 45. a
Forgatii Palatini mors 530. a
Forgatſchius Novarius caditur 549. a
Forgatii Lups Buchanis Coppanii cædis auctores à Ferdinando ad Comitia Poſonienſia citantur 197. b. *in gratiam recipiuntur* ibid.
Fortitudo militis ad ſingulare certamen provocati 18. a
Fortuna adverſa Ferdinandi partium in Tranſilvania 228. a
Fortuna adverſa Bartholomæi Croatii Levæ præfecti 301. b
Fortuna Haſanis Boſnenſis 363. a
Foſſa arcis Sigethanæ aquis derivatis à Turcis exſiccatur 296. a
Franciſcus Aldobrandinus Caniſæ, irritâ operâ, oppugnationem inſtituit, Anno 1601. pag. 475. a. *è vita excedit* ibid.
Foanciſcus Balaſſius commeatum Turcis intercipit 387. b
Franciſcs Battianus Illyrici præfecti ad Clementem VII. legatio 14. *Januarii* 1527. pag. 84. *urget ſuppetias regi Ludovico ferendas* 75. a
Franciſcus Battianus, vir rebus præclarè geſtis illuſtris obit 304. b
Franciſcus Bebecus Filecenſibus ſuppetias fert 218. a
Franciſcus Bebecus ad Solimannum profectus privatis de cauſis, ſingulari benevolentiâ ab eo excipitur & liberaliter dimittitur 237. a
Franciſcus Bebecus à Solimano Tranſilvaniæ Gubernator creatur 239. a. *immiſſis à Melchiore Balaſſio percuſſoribus, Iſabellæ juſſu, Albæ occiditur* 239 b
Franciſcus Capolvaius ad Balationis exitum à Tartaris depopulantibus occiſus eſt 167. b
Franciſcus Croatus Challiam Michalogli adimit 186. b
Franciſcus Croatus & Balaſſius Turcas Lippa dimiſſos aggrediuntur 190 a
Franciſcus Colocienſis Archiepiſcopus à Joanne Vaivoda ad Carolum V. Legatus de pace mittitur 120. b
Franciſcus Dando veteranus centurio excurſione ex arce Sigethana in Turcas facta, ſtrenuè pugnans occumbit 296. a. b
Franciſcus Dobo effracto carcere, ex arce Samoſiana, evadit 244. b. *ad Ferdinandum Cæſarem attractus, & barba capilloque promiſſo ſupplex accedit, cujus eximia in eum liberalitas eſt* 244. b. *fratrem Dominicum à Turcis redimit* ibid.
Franciſcus Forgacius Epiſcopus Varadienſis ad Joannis Sigiſmundi partes tranſit 314. b *ejuſdémque ſuaſu etiam Ladiſlaus Giulaffius transfugit* ibid.
Franciſcus Forgacius Nitriam ſuorum defectione Boſcaiano relinquere cogitur 506. 507
Franciſcus Frangepanus capite plectitur 568. a
Franciſcus Gallorum Rex à Caroli Cæſaris copiis capitur, Anno 1524. 71 b
Franciſcus Gallorum Rex imploratur ab Hungaris contra Turcas 73. b
Franciſcs Gallorum Regis inſtigationi expeditio Solimani in Hungariam tribuitur 109. b
Franciſcus Gallorum Rex per Legatos ſuos in comitiis Ratiſponenſibus, Anno 1542. *dehortatur principes à bello Turcico* 152. a
Franciſcus Gallorum Rex vitâ defungitur 179. a
Franciſcus Magocius ab Imperatore Rudolpho ad Boſcaium deficit 502. b
Franciſcus Nadaſdius capite minuitur 567. a
Franciſcus Niarius Turcas Strigonienſes cædit & fugat 170. b
Franciſcus Perenius Epiſcopus Varadienſis viginti ſex millia Martyrum Hungarorum, ex vaticinatione, in faſtos referri jubet 79. a
Franciſcus Perenius ob rebellionem in arce Saroſiana detentus, à Cæſare Ferdinando in gratiam recipitur, & reſtitutis omnibus bonis, liber dimittitur 267. b
Franciſcus Perenius cum uxore & liberis in poteſtatem Emerici Tillequeſſi venit 237. a
Franciſcus Quendius Iſabellæ juſſu interficitur 239. b
Franciſcus Revaius in comitiis Novi Zolii & Poſonii Anno 1542. *habitis Propalatinus Hungariæ creatur* 157. b
Franciſcus Salamanca Strigonienſis præfectus ad Turcas deditionis ergo egreſſus, ab iiſdem detinetur 164. a. *Collega ſuo, Martino Laſcano, diploma Turcica fidei mittit* ibid.
Franciſcs Slunii comitis Frangepani obitus 315. b
Franciſcus Tabius caſtellum Talpaſſum capit 229. a. *de Nicolao Toldio adoleſcente ob defectionem à Ferdinando crudele ſupplicium ſumendum curat* ibid.
Franciſcus Tabius ſelectâ militum manu Petru Pen ...io rebellium Tranſilvanorum duci occurrit 228. b
Franciſcus Tabius arci Caniſa à Cæſare Maximiliano præficitur, ut Sigethanas eruptiones prohibeat 304. a
Franciſcus Zaius Veteranus, alæ equitum præfectus, Agriæ præficitur 178. b
Franciſcus Zaius Caſſoviæ præfectus 242. b
Franciſcus Zaius Joannis Sigiſmundi conatibus præveniens, Cuaſonem arcem occupat 252. b
Franciſcus Zaius pacis belliqúe artibus clarus obit 314. b
Frangipanorum fratrum diſcordia 18. a. *compeſcuntur* ibid. b. Vide *Chriſtophorus*.
Frangipanus capite plectitur 568. a
Frangipanus cum ſorore in Cæſarem conſpirat 563. a. *captivatur* 565. a. *decollatio* 568. a vide Conjuratio, Serinius, Rebelles.
Fridericus Holſtainus Dux in prælio cum Tartaris occumbit 515. b
Friderici Imperatoris Auguſti mors 17. b
Fridericus Palatinus Rhens in exercitu Caroli *V. contra Solimanum, auxilia Germaniæ ductabat* 113. b
Fridericus Regum Ungariæ & Poloniæ frater moritur 32. a
Friderici Electoris Palatini rebellio in Cæſarem 526. a. *perſecutus à Cæſare* 529. a. *caditur ad Montem Album* ibidem *proſcribitur* ibid. b.
Fridericus Saxoniæ Dux in bello Schmalcaldico à Joſepho Lucano Hungaro captus, Anno 1547. p. 172 b
Friderico depoſito ſubſtituitur Elector Maximilianus Bavarus 531. a. *vocat Bethlenium in Ungariam* 531. b
Fuga Franciſci Nemethii 253. b. *Turcarum, & Veziris ad Viennam* 583. b

Gabriel

G.

Gabriel Bebecus ad Ferdinandi obſequium, relicta Iſabella, ſe recipit 238.b
Gabriel, Perenii Filius, arcem Agriam Nicalao comiti Salmenſi, & Stephano Bathorio tradit 178 b
Gabriel Perenius ad Ferdinandi obſequium, relicta Iſabella ſe recipit 238.b
Gabriel Perenius nullo relicto barede fato defungitur 314 b
Gallicus morbus vulgatur 16.a
Gallicanus Moſcus Tartaros conterit 620.a. ejus proditione Moſci a Tartaris caſi 621.b
Gallus Ludov. XIV. mittit Leopoldo ſubſidium contra Turcas 555.b
Gallica copia retuſant pugnare 559. a. Gallus ſucceſſionem Imperii Rom. petit 560 b. pro filio 574.b. rebelles inſtigat ibid. ejus cum Caſare inducia 589. a. Rheni tractum invadit 594 a. Gallici Principes in Ungaria in pericula 595 b. armiſtitium Caſareo-Turcicum impediunt 618.a. facto cum illis fœdere ibid. b arma, aurum, militem Turcis miniſtrant 618. 619 Germaniam invadunt 617 a. Legatus Galli pacem Turcicam impedit 628 b. Ludovicum Rex non agnoſcit Angliæ Regem 629.b
Galli Papenſes praſidiarii concitata ſeditione, ad Turcas deficiunt 461.a.b
Geitzius Tranſilvaniam ambit 525.a
Genuenſis reſpublica mulcta 660 a
Georgius Bebecus Huſſaimi apoſtata fraude cum magna Hungarorum clade a Turcis capitur 258.a
Georgius Bebecus fraude Haſanis capitur 305.a. Byzantium mittitur ibid. Joannis Sigiſmundi deprecatione libertati reſtituitur ibid. ſubdolè à Caſare Maximiliano in gratiam recipi flagitat 30 . b. Turcarum praſidium in arcem Saduariam introducere mittitur 306. a. ſerò Mulieris in arce obſeſſa auxilia adducit 307.a
Georgius Bebecus vita defungitur, ejuſdémque bona fiſco cadunt 314.b
Georgius Blaſcovitius Narifis in Dalmatia regulus in pralia cum Jacuppe Begacadit 19 b
Georgius Comes Zlunius fulmine ictus obit 217.a
Georgius Comes Zrinianus cum aliis Ducibus Illyricavaria caſtella ſubigit 383. 384. a. Berſenicam, Segniſdium ibid. Babociam aggredi viarum difficultatibus inhibetur ibid. exercitum reducit 384.a
Georgius Comes Zrinianus Camſa praficitur 327 a
Georgius Comes Zrinius extremum diem claudit 487.b
Georgius Debrecenius proſcriptus 355.b
Georgius Draſcovitius, Epiſcopus Jaurienſis & Cancellarius Ungaricus in Cardinalium collegium cooptatur 344.a. paulò pòſt obit ibid.
Georgius Frangepanus, Colocianus Archiepiſcopus obit 64 b. ſucceſſit Tomoranus ibid.
Georgius Hoſſmotius Caſaris Maximiliani ad Selymum Legatus abſque ullo reſponſo ad Caſarem dimittitur 304 a
Georgii Huſſi itinerarium 115.b
Georgius Lencovitius Cliſſianis laborantibus opem ferre contendens, primo victor, & mox ob milites pradationi incumbentes, victus diſcedit 419 b
Georgius Literatus Agria praſectus à Velibego captus & Byzantium miſſus laqueo ſtrangulatur 215.b
Georgii Litterati artifitioſum inventum bellicum 212.b.ſeq.
Georgii Monachi origo & vita 126.a. ejus cauſa cur Ferdinando fœderatus 181 a
Georgius Monachus ingratus Iſabella Tutor exercitum contra Reginam conflat 182 a. Sebeſſum & Megieſſum occupat ibid. Turcicas & Valachicas copias profligat ibid. b. cum Regina in gratiam redit 182.b. in oppido Di . go Ferdinandi Legatos convenit ibid. Emedum ad comitia ſe confert ibid. Ferdinandi copias accerſit 183.a. Albam capit ibid. colloquitur cum Iſabella Regina ut Tranſilvania cedat ibid. b
Georgii Monachi clandeſtina conſilia cum Alberperego 180.a. promiſſa et data ibid. b
Georgius Monachus in Cardinalium collegium per Ferdinandum cooptatus eſt 187 b
Georgius Monachus à Marco Antonio è medio ſublatus eſt 191. a. auctores cadis punitt ibid. eam Ferdinandus excuſat ibid. b
Georgius Monachus 20 dierum inducias cum Ulamane, arcis Lippienſis prafecto paciſcitur 189.b commeatu eundem ſublevat ibid. repugnantibus cateris Ducibus dimittit 190.a. cum mille & trecentis Turcis alius ibid.
Georgius Nemethius unus ex Haidonum Boſcatanorum ductoribus regiones Tranſdanubianas incendiis & rapinis fert, agitque 509 a. Sabariam & Kermendiam capit ibid. Turcis auxilio accitis Auſtria fines, & Styriam graviſſima excurſione facta, affligit ibid. b. abducit & Turcis in miſerandam ſervitutem ingentem hominum copiam divendit ibid. à Bartiano repellitur ibid. iterum vires ad populandum Styriam convertit: nec Auſtriam intactam relinquit 310. a. cum Caſarianis manum conſerre haud quaquam auſus diffugit 511.a. Caſarianos primò victores denuo aggreſſus, fundit & fugat 515.a
Georgii Archiep. Strigon. liberalitas in Bello Turcico 594.a
Georgius Dux Wurtenb. trajicitur 598.a
Georgius Ravaſdius à Siculis fruſtatim dilaceratur 457.b
Georgius Sacmarius Cancellarius Strigonienſe ſacerdotium obtinet 57.a
Georgii Sacmarii Strigonienſis Archiepiſcopi mors & legatum 64 b
Georgio Sacmario fatis erepto, Strigonienſem dignitatem adipiſcitur Ladiſlaus Salcaum ibid.
Georgius Salotnocius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis moritur 515.a
Georgius Secius ab Imperatore Rudolpho ad Boſcaium deficit 502. b
Georgius Siculus cruce ſignatorum praſectus arma in Nobilitatem convertit 42 a. Buda & Peſthi Suburbia depradatur ibid.b diviſis copiis omnia vaſtat 42.b. Nicolaum Tornalium, Nobilem equeſtris ordinis interimit ibid.
Georgius Siculus Nanderalba equitum prafectus, exercitus voluntariorum militum contra Turcam praficitur 41.b. ejus ſingulare certamen cum Turcis ibid. Thomas Card. eum cruce inſignit ibid.
Georgius Siculus cruce ſignatorum prafectus Chanadinum oppidum capit & diripit 44.a.b. Joannem Chaquium Epiſcopum Chanadienſem palo in inguina adacto occidit ibid. b. crudeliſſimè graſſatur in multos nobiles 44.b. ſingulari & barbaro exemplo in Stephanum Telegdinum ibid.
Georgius urbem Temeſvarum obſidet 45.a

Georgius Siculus & frater ejus in prælio ad portam ferream cum Joanne Vaivoda, vivi capiuntur 46 a. *reliqui diſſipantur, & in fluvio Temeſi pereunt* ibid.
Georgii Siculi cæteri ſignatorum præfecti crudeliſſimum ſupplicium 46. b
Georgii Siculi apud Joannem Tranſilvaniæ Vaivodam pro fratre Gregorio interceſſio 46. a
Georgius Thurius præfectus ſe munit adverſus Arslanem Budenſem 286. a
Georgius Thurius ob res bene geſtas in equitum numerum à Cæſare cooptatur 301. b
Georgius Thurius vir bellica laude clariſſimus Turcicâ fraude interceptus perimitur, Anno 1571. p. 315. b. *fortiter cadit* ibid.
Georgii Varadienſis Epiſcopi origo & vita 126. a
Georgius Varcocius Albæ Præfectus in ſuburbii oppugnatione cadit 166. b
Georgii Zondii Dregeli Præfecti generoſa & heroica animi conſtantia 203. b
Georgius Turzo cum 400. *equitibus fortunæ aleam periclitaturus, à Mehemete præfecto Strigonienſi multis cæſis & captis, in fugam conjicitur* 359. a
Gerardus Felduitius à Carolo V. & principibus Imperii pro induciis ad Solimanum miſſus, Anno 1545. p. 170 b. *peracta Legatione Ratiſponam pervenit, difficilibus conditionibus* 171. a. *Conſtantinopolim remittitur* ibid. *inducias ad quinquennium impetrat* ibid.
Germani Ungaris odioſi eos occidunt 562. a. b. *eorum fidelitas* 562. a. b. *eos conjurati rebelles moliuntur opprimere* 568. b
Germaniam Gallus invadit 617. a
Germani Budam ingreſſi repelluntur & caduntur 146 b
Germani Budam oppugnando aggreſſi repelluntur 106 b
Germanorum Cunctatio in aggrediendis Turcis 153. b
Germani de urbe Alba dedenda cum Rege Uladislao paciſcuntur 10 b
Germani equites in exercitu Sigiſmundi Tranſilvaniæ principis comparato adverſus Sinanem 413. a
Germani, incolumitate promiſsâ arcem Erdodinus Turcis dedunt 282. b. *ſed fide læsâ à Turcis trucidantur* ibid.
Germanorum legio in certamine cum Achomate fugit 206. b
Germanorum militum rapina in ditione Ovariana 397. b
Germaniæ Principes, ut Hungaris in extremum diſcrimen adductis opem ferant, rogantur 73. b
Geſtesa arx, à Vincentio Gregorotio Turcis erepta iiſdem reſtituitur 358 a
Giafer filius Ulamanis excurſione in Illyricum cadit 216. b
Giarmatum Balaſſianæ familiæ domicilium ab Aly Eunucho diripitur, & ſubjectis ignibus concrematur 204. b
Girgionis ſitus 415 b
Girgonis arx expugnata à Tranſilvanis ibid.
Giulam Averſpergius capit ſine arce 632. b. *ex fame deditur Cæſari* 637. b.
Glaciei craſſities in oppugnatione arcis Tocaienſis Cæſareanis uſui 276 b
Globus igneus in arce viſus 640. b
Gonzalez Viwarinum ignibus tentat 594 b. *Budam incendio vaſtat* 601 a b
Goſdanſcum Zrinianorum oppidum à Turcis intercipitur 337. a
Gotfridus Prainerius exercitum Cæſareum Petrinâ reducendum evincit 372. b
Gothardus Sitquſius arcis Papæ & Sombonis Præfectus agreſtes rebelles circa Albam & Veſprimium tumultuantes fugat 47. b
Gradiſca arx à Petro Erdodio & Georgio Comite Zlunio direpta & concremata 217. a. *Hoffkirchius eam capit* 612. b. *eâ captâ Croyus totam ſubjicit Sclavoniam* 632. a
Gratium Leopoldo jurat 545. a
Grammonvillus conſpirationis in Cæſarem conſcius 563. b
Gregorius XIII. P. P. obit, Anno 1585. p. 344. a
Gregorius Carachondius Niger, Solnoci mœnia, ubi exercitum ſuum admoverit, caſura vaticinatur 322. a. *prætorem Debrecenenſem ſuſpendi jubet* ibid. *à promiſcua plebe Debrecenianæ capitur, illique cervix præciditur* ibid. b
Gregorius Legatus Nobilium, frater Georgii minor natu, dehortatur ab armis contra Nobilitatem 42. a
Grittum & Laſcus Vaivodæ favent 95. a
Grittus venit in Walachiam 122. b. *Megieſum irrumpit à Tranſilvanis preſſus* 124. b. *captus cum Doctis interimitur cum filiis* 125. a. b. *exitus* 129. a. *Strigonium cingit & deſerit* 110. 111. *vide* Ludovicus Grittus.
Gronsfeldius fit generalis 640. a

H.

H*Adadum arx à Tranſilvanis Cæſarianis deditur* 254. a
Hæreticorum Ungarorum querela 539. b. *hæreſis rebellionis eſt mater* 568. b. *vide* Rebelles
Hamaſius Boſcaianus à Sopronii obſidione magno cum damno repellitur 509. b
Haidones ab Aly Budenſi cæſi 196. b
Haidones ſpoliis direptis Segedini locupletati 195. b
Haidones ad Turcas tranſeuntes trucidantur 198 b
Haidonum latrocinantium crudelitas à Marco Scanſitio Sigeti præfecto vindicatur 219 b
Haidones claſſe Turcicâ, præſidiariiſque ejus profligatis, opimâ potiuntur prædâ 455. a
Haidones juſſu Herbeſtainii magnam pecorum vim miſeris in regione Sigethana agricolis eripiunt 467. b
Haidones Tolnam ac Calociam deprædantur 486. a
Haidones juramentum fidei Cæſaris Rudolphi debitæ renovant 498. b. *tumultuantes Dampetram deſerunt* 499. a. *Peczis copias magno impetu aggreſſi cadunt* ibid. a. b
Haidones cum Tartaris Racoſpurgam ex inſidiis fruſtrà adoriuntur 515 b
Haidonum effuſa licentia in comitiis Caſſovienſibus coërcetur 521. a
Halapſitius cum fratribus Cæſari adhæret 11. b
Hamza Turcus ab Hungaris capitur 198. a. *Sacris interdictus abſolvitur* 218. b
Hannibal Taſſius, arcis Tatæ præfectus ob deditionem arcis à Philippo Tornello Comaromenſis præfecto capite mulctatur 165. a
Harberdum pacis caduceatorem Anglicanum deſiderant Turcæ 633. b. *cujus mors pacem retardat* 634. a

Harde-

Hardeti Comitis tormentorum præfecti jactantia 390. b. *de Jaurini deditione cum Sinano tranſigit* 395. a. *ob hoc custodiæ traditus* ibid. *& capite plectitur* 402. a. b

Haſanes Baſſa captâ Albâ caſtra Cæſarea ſuos aggredi jubet 478. a. *pugna aliquoties inſtaurata fortiter repellitur* ibid. *Murate Budenſi & Mehumete Kihaia, aliiſque primariis Turcis cæſis caſtra Budam verſus movet* ibid. b

Haſanes Boſnenſis ingentem militum numerum ex omnibus præſidiis contrahit, Anno 1593. p. 368. a. b. *XXV. millia in caſtris ejus* ibid. b. *Siſciam denuò obſidet* ibid. *ponte in flumen dejectus perit* 570. a

Haſanes Budenſis Hathuanenſibus à Cæſareanis obſeſſis opem ferre conatur 387. a

Haſanes Coppani præfectus clade Seſuarienſi capitur 354. a

Haſanes Ferhati interfecto, in præfectura Budenſi ſuccedit 360. b

Haſanes Filecienſis præfectus Comitem Zrinium per Apoſtatam in inſidias præcipitare conatur 259. a. *Tranſilvano adversùs Imp. Maximilianum ſuppetias fert* 281. b. *Pancoram arcem capit* ibid.

Haſanes Filecienſis & Tranſſylvanus caſtra Suendiana ad Sacmarium conjunctis oppugnant copiis ibid. *irrito conatu* ibid. *inde Erdodium obſident* ibid. b. *acri irruptione tentata propulſantur* 282. a. *oppugnationem repetunt*, ibid. b. *magnâ ſtrage à tormentis edita pedem referunt* ibid.

Haſanes Parvus Caniſæ præeſt 475 b

Haſanes Purpuratus Albam obſidione circumvallat, Anno 1602. p. 483. a. *deditione capit* 484. a. *Inſulanum, alióſque præfectos in carceres compingit* ibid. *partâ hac victoriâ Belgradum redit* ibid. *in campos Peſthanos, ut Budenſibus ſuccurrat, revertit* 485. a. *Cæſareanos prælio conſerto fugat* ibid. *mox Peſthum acriter oppugnat* ibid. *duobus millibus Budæ præſidio immiſſis Belgradum repetit* ibid. b

Haſanes Sigethi præfectus Hungaros nuptiales ex improviſo adortus, partim trucidavit, partim in captivitatem abduxit 342. b. *Decanociam & Sardinociam pagos Hungaricos vaſtat* 545. a

Haſanes Sigethanus irrumpit in Hungariæ fines, Anno 1591. p. 565. a. *compluribus cæſis terga dat* ibid. b. *Comariam arcem improviſo impetu capit* ibid. *Siſciam arcem obſidet irritâ operâ* 364. a. *Muratem Imperatorem per Legatum ad bellum Hungaris inferendum incitat* 365. a. *Bihigium oppidum Anno* 1592. *obſidet* ibid. *Caſtellum Petrinium extruere laborat* ibid. b. *Erdodii copias magno aggreditur impetu, at multis cæſis in fugam conjicit* 566 a. *Siſciæ obſidionem repetit* ibid. b. *ejuſdem fraus* ibid. *vicina omnia loca ferro flammáque populatur* 367. a

Haſanes Sigethi præfectus Baboſiam irrito conatu oppugnat 395. a

Haſanes Strigonium obſidet 495. b. *acrius oppugnat* 496 a. *repulſus cedit* ibid. *obſidionem ſolvit* ibid.

Hathuanum à Maximiliano Archiduce Auſtriæ obſidetur 15. *Auguſti, Anno* 1596. *oppugnatur* 424. a. *capitur* ibid. b. *id incenſum Danesii fratres deſerunt* 169. a

Hathuanum cum ſumma ignominiæ nota præſidiarii deſerunt 495 b

Hazattia Solimani uxoris obitus 243 b

Hegieſdiam arcem, auſpiciis Hamſa, Martoloſii fraude capiunt 245. a

Heiſterus Karolum rebellem cædit 644. b. *capit Albam regal. & Papam* ib. *opprimit Eſterhaſium & Forgatſchium* 645. a

Hemskerskium pacis caduceatorem Turcæ excipiunt honorificè 634. a

Henricus Duvallius Comes Dampetri copias factioſorum Tranſilvanorum cædit & fugat 489. b

Henricus Galliæ Rex filiam ſuam Joanni Sigiſmundo Iſabellæ filio in matrimonium offert 238. b

Henricus Leichtenſteinius, Legatus ad Selymum de novennali fœdere, mortem obit 543. b

Herbatus Aurſpergerus contracto inſigni exercitu, cum Turcis congredi haud audet 279. b

Herbatus Aurſpergerus Ferhati Boſnenſi regiones inter Colapim & Dobram depopulaturo, cum copiis obviam it 335. b. *eidem fortiter pugnanti caput præciditur* 336. a. *filius ejus cum aliis Proceribus capitur* ibid.

Herberſteinius Wunizam Dalmatiæ capit 597. a

Hermanopolis factio 641. a. b

Heremias Mogila Moldaviæ, Stephano Reſnano principe crudeliter interfecto præficitur 416. a

Heuslerus commeatum Vivarini intercipit 595. a. *Tokelium opprimit* 611. b. *à Tockelio cæditur & capitur* 626. a. *liberatur* 632. b. *arctiùs Varadinum impugnat* 632. 633. *capit deditione, & fit præfectus* 633 b. *fit Commiſſarius generalis* 654. *Turcas annonâ ſpoliat* 605. b

Hieronymus Jaderenſis ex vulneribus in Budenſi oppugnatione acceptis interiit 145. a

Hieronymus Laſcus Solimani auxilia contra Ferdinandum imploranda ſuadet 94. b

Hieronymus Laſcus Joannis Vaivodæ Legatus à Solimano in Divano auditur 95. a

Hieronymus Laſcus legatione apud Solimanum feliciter confectâ ad Vaivodam redit 96 a. *à quo arce Duvanocâ, & oppido Keſmarka donatur* ibid.

Hieronymus Laſcus à Joanne Vaivoda ad Ferdinandum Legatus mittitur, Anno 1535. p. 118. a. *ſed annuæ induciæ tantùm conceduntur* ibid.

Hieronymus Laſcus bello Pannonici regni jura, Vaivodâ jam vitâ functo recuperanda, diſſuadet 141. b. *mittitur ea de re ad Solimanum* ibid. b

Hieronymus Laſcus Ferdinandi Legatus in carcerem à Solimano detruditur 144. a

Hieronymus Laſcus non abſque ſuſpicione veneni obiit 151. a

Hieronymo Walachiæ duci ſuccedit 524. a

Hippopotamorum cauda elegantiſſima 4. b

Hiſpani duces Viennæ defendendæ præfecti 99 b

Hiſpani impreſſionem faciunt in urbem Lippam, 188. b

Hiſpani cleri in bello gerendo tenacitas 599 a

Hiſtoria Hungarica Michaëlis Bruti ad Rudolphum Imp. defertur 444. a

Hoberdanſcus vide Joannes.

Hoffkirchius Comes Comorronio præfectus 577. b *Turcas opprimit* 656. a. *Ejus mors* ibid.

Homonnani à Cæſare Rudolpho ad Boſcaium deſciunt 502. b

Homonnani & alii opes Boſcaianas malè partas diripiunt 520. b

Honorius Laſſola Sileſius Chriſtophoro Tieffenbachio demortuo Caſſovienſi præfecto ſuccedit 454 b

Humanitas Stephani Bathorii in Michaëlem Ribiſym 274 b

Huua fluminis deſcriptio 11.a
Hungari ſe Imperatori Maximiliano dedunt 3. a
Hungariæ leges à Stephano Verbecin Prætore in III.lib. digeruntur 38.b
Hungarici Legati ad Bohemos de actu in concilio Peſtano 53.b
Hungariæ diſſidia & ruina undè orta ibid.
Hungarorum adverſa fortuna in regno Boſnenſi, Anno 1520. 55.a
Hungari in oppugnatione arcis Beligradenſis ſtrenuè ſe tuentur 61.a. *ei deditionem diſſuadent* 62.a
Hungariæ ſtatus miſerabilis 71.b
Hungaricæ Nobilitatis ſegnities in cogendis militibus contra Solimanum 70.a.b
Hungariæ expeditio à Solimano 73.a
Hungari Palatino Solimanum Dravi tranſitu prohibendo obtemperare detrectant 77.a
Hungari in velitationibus cum Turcis ſuperiores 79.b
Hungarorum legatio in Comitiis Ratiſpona & Spiræ habitis, Anno 1542. 151.a
Hungarorum equitum XV. millia in bello Peſtano, Anno 1542. 153.a
Hungari equites 1150. item Thraces & alii, Duce Franciſco Niario, à Ferdinando Carolo V. ſubſidio mittuntur adversùs Proteſtantes Evangelicos 171.b
Hungaros ex ſpoliis Schmalcaldici belli ditatos ajunt 173.a
Hungarorum ſplendor ac pompa in coronationibus ſuorum Regum 261.a
Hungarica corona cur ſacra dicatur 4. a. *Eorum quidam à Turcis ad noſtros fugiunt* 103.a. *Hungari, Bohemi, & Sileſii à Ferdinando deficiunt* 526.a. *Bohemorum exemplo ejiciunt Catholicos* 526.b
Hungari in prælio Pragenſi primi fugiunt 529 b. *cum Scibſio ad Ferdinandum redeunt* 529 b. *Hungariam Turca invadunt* 537.a. *Felices in Turcas eorum excurſiones* 544. a.b. *Germanos alere nolunt* 547. a. *pacem cum Turcis deteſtantur* 560. a *eorum querela contra Germanos, eóſque occidunt* 561.a.b. *factiones eorum* ibid. *Conjurationis in Cæſ. auctores* ibid. b. *vide* Nadaſdus, Frangepanus, Serinus, Conjuratio. *Hungarorum proteſtatio in cauſa conjurationis* 566.b. *ſe undarunt omni privilegio* ibid. *Prorex Ungariæ loco Palatini fit Ambringen, amneſtiam generalem publicans* 569.a.b. *vide* Rebelles. *Joſeph coronatur Rex Ungariæ* 610.a. *datâ omnium amneſtiâ, excluditur Tockelius* ibid. b. *Lex Andreæ abrogata, & regnum fit hereditarium* ibid. a.b. *Neoſolium, Tockaium &c. capiuntur* 650.a. *Caſſovia & tota Hungaria ſe ſubmittit* 650.b *eam Carolus communit* 652.a
Hungari ex arce Suchava eruptionem faciunt in rebelles Moldavos, eóſque cadunt 265 b
Hungarorum factioſa conſilia de deditione arcis Suchava 267.a
Hungarorum poſtulata à Maximiliano Rege coronando 261.b
Hungari Germanos præfecturis amoveri debere, & Palatinum creari contendunt 325.b. *à Cæſare Maximiliano poſtulant, ne Eperieſſi jus dicatur* 226.a
Hungari prædatum excurrentes à Budenſibus Turcis fœdè profligantur. 347.a
Hungari, tumultuariâ collectâ manu Seſnari Sigethani præfecto, depopulatori occurrunt 353.a. *Turcas in fugam conjiciunt, & paſſim trucidant* ibid. b. *cadunt duo millia, iisdem capiunt* 354.b. *prædam hoſtilem dividunt* ibid.
Hungari, prælio ad Sixonem cum Turcis commiſſo, inſigni victoriâ potiuntur. Anno 1588. 356.a
Hungari cum Georgio Lencovitio è Cliſſia diſcedentes, à Turcis caduntur 420.a
Hungari arcem Petrinſam felici ſucceſſu capiunt 409.a. *Raſtoviciam recuperant* 410 b. *Govam occupant* ibid. *In Cæſ. Leopoldum rebellant. vid* Leopoldum.
Hungari ſub Archiduce Matthia Budæ oppugnationem adorti repelluntur 450.b. *certamine redintegrato urbem inferiorem capiunt* ibid. *continuis pluviis & caliis tempeſtatibus vexati obſidionem omittere coguntur* 451 b
Hungari, præſidiarii Jaurinani, à Comite Ottingenſi dimiſſi, ad caſtra Redeiana tranſeunt 511.b. *in novam Jaurini arcem impreſſione factâ repelluntur* 512.a. *iiſdem nova arx deditur* 513.a. *Iis Auſtriæ oppida adimuntur* 3.a. *Hungari & Poloni fœdus contra hoſtes* 28.b. *octennales inducias à Turcis obtinent* 32.a
Huſſejus pacis caduceator ſolemniter à Turcis excipitur 631.a. *Mors* 632.a
Huſti itinerarium 115.b
Hutinia arx Alberto Laſco à Deſpota Moldaviæ principe eripitur 263.b

I.

JAcobus Banffius Legatus Joannis Tranſilvaniæ Vaivodæ copias diſſipat ac delet 47.a. *qui Turcas cadit* 38.b
Iacobus Barbianus Comes Belgiojoſa Ferdinandi Gonzagæ in præfectura Caſſoviana ſuccedit 483.a
Iacupes Begus Turca nomine excurſiones in Carnos facit 18.b
Iacobus Heraclides Deſpota in Alexandri Moldaviæ principis familiaritatem irrepens, conſilia de eodem tollendo iniviſſe deprehenditur 246.b. *quas ob inſidias fugâ ſe recipere Braſſonem cogitur* ibid. *opes præſidium Alberti Laſci contra Alexandrum implorat* ibid.
Iacobus Malvetius Nobilis Bononienſis Conſtantinopoli apud Solimanum Ferdinandi Regis Hungariæ cauſam agit 171.b
Iacobi Medichini claſſis Danubianæ præfecti eximia virtus, & præmia in prælio Peſtano 157.a
Iacobus Medichinus claſſis Danubianæ præfectus, in bello adversùs Solimanum primò Budam aggrediendam ſuadet 153.a. *omiſſo Peſtho obſidendam aſſerit* ibid. b. *repugnante Marchione & octo viris* 154.a
Iacobus Siculus Racoſpurgi, Petoviæ ac Stiriæ præfectus ad partes Cæſaris Maximiliani deſciſcit 4 b
Iacobus Siculus à Corvino profligatur 11.a. *Zagrabia ab eodem recipitur* ibid.
Iaiciæ liberata providetur 69. a. *Turca obſident* 93 b
Iaurinum proditurus Mullerus ſeipſum necat 595. a
Ibraimus Budenſis peſte extinguitur 258.a
Ibraimus Dragomanus Turcicus Legatus inaugurationi Maximiliani Francofurtenſi intereſt 260. a. *ad Ferdinandum Imperatorem admittitur*, ibid. *Diploma octennalium induciarum eidem offert* ibid. b

Ibraimi

Ibraimi artibus Franciſci inſtigatio non ſucceſſit 109. b
Ibraimus ad Mercurtanum ducem exercitûs Cæſarei litteras de pace componenda mittit 470. b. *ejuſdem equitatus in Cæſarianos irruens repellitur* ibid. b. *impetus in caſtra coërcetur* 471. a. *Ianiceri magnâ editâ cæde profligantur* ibid. *ipſe Budæ peſte extinguitur* 474 b
Ibraimus à Selymo ad Sigiſmundum Poloniæ Regem mittitur, ut nepoti Ioanni Sigiſmundo in officio permanendi, neque cum Germanis clandeſtina conſilia conferendi auctor eſſet 318. a
Ibraimus Purpuratus cum copiis in Hungariam proficiſcitur 454. b *litteras de pace ad duces Cæſareos mittit* 456. a. *Caſtra ſua Cæſareanis admovet* ibid. b. *orationem habet in Divano,* ibid. *unà cum Tartaris Hungariæ fines longè latéque populatur* 457. a. b. *XIII. millia hominum abducit* ibid. *dimiſſis copiis Belgradum revertit* 458. a
Iactatio Aly Eunuchi Veziretis 221. a
Iactatio Franciſci Nemethi 253. b
Iaicia ſolutâ obſidione Turcicâ rerum neceſſariarum copiâ munitur 69. a
Iaiciam Turcæ obſident 30. a. *capiunt cum multis aliis* 93. 94
Ianiceri veterem Agriæ portam oppugnantes repelluntur 214. a
Ianizarorum ſeditio Byzantii 610. b
Ianizari quingenti duce Annivane arci Strigonienſi præſidio veniunt 386 b
Ianoſius mœrore amiſſi Fileci afflictus diem ſuum obit 218. a
Iaſenocium & Sobocium, arces in ripa Savi, à præſidiariis famâ captæ Dubicæ perterritis deſeruntur 136. a. *Iaſenocium Nadaſdius recuperat* ibid.
Iaſſium Poloni obtinent & deſerunt 603. b
Iaurinum Aly Baſſa ſtrenue tuetur 437. a
Iaurinenſis præfectura Honorio Cunſpergo confertur 180. b
Iaurinum contra Turcas munitur 578. a. *ejus præfectus Marchio Badenſis* ibid.
Iaurinum repentino igne ambuſtum eſt cum magnâ clade hominum 302. b
Iaurinum eximio ſtratagemate à Comite Suarcenburgio recuperatur 441. b. *portâ urbis Petardo disjectâ milites in forum irrumpunt, præcipuaque loca invadunt* 446. b
Ibraimus Vezirius Kara ſucceſſor novam parat expeditionem 587 b. *Novigradum & Vicegradum incendit* ibid. b. *depoſitus ſtrangulatus et Solimanus ſucceſſit* 599 a
Iegienus ſemoto Haſano fit Seraskierus 612. b. *crudelitas* 618 b. *cum* 37. *necatus* 618 b
Iendnem arcem à præſidiariis relictam Pertaſſus Baſſa occupat 192. b
Ignis è terra erumpit 345. a
Illeshaſio mortuo ſuccedit Turſo 224. a
Illocum capit Caprara 611. a
Illyrici Bani mors 38. b. *ei ſucceſſit Berislaus* 38. b
Illyricum & Boſnam Turcæ depopulantur 93. b
Imperatoris, Uladiſlai & Sigiſmundi Viennæ conventus, & Mariæ deſponſatio 41. b
Imperator Ferdinandus Francofurto Oenipontem proficiſcitur 260. 261. *ad Calend. Julias Viennam appulit, Anno* 1563. 261. a
Imperatori Maximiliano fœderis & connubii tabula ab Uladiſlao Auguſtam mittuntur 49. a
Imperator Maximilianus Viennam advenit ibid.
Impreſſio Turcarum in oppidum Sigethum 222. a
Impreſſiones Cæſarianorum in urbem Aquariam à Turcis repelluntur 386. a
Inauguratio Maximiliani in Regem Ungariæ 259. b
Incendium miſerabile in propugnaculo Heneiano 298. a. *Poſonii* 49. a
Incendium Iaurinum Hungarorum caſtra flammâ corripit 302 b
Induciæ cum Valentino & Mailato 140. b. *cum Bethlenio & Turcis* 536 a
Induciæ cum Turcis prorogatæ 37. b
Induciæ octennales inter Ferdinandum Cæſarem & Solimanum 444. a
Induciarum Turcicarum exemplum 260. b
Infantium turmam Kollonitſchius in Turcarum caſtris inventam enutrit 584. b
Ingelheim Elector coronatis Joſeph & Eleonoram 622. a
Innocentii XI. liberalitas in fœdus Cæſareo-Polono-Venetum 588. b. 594. a. *Feſtum Stephani inſtituit* 604 a
Inopia aquæ & vini in arce Viſſegradenſi 168 b
Inopia pulveris in arce Agriæ 212. a
Inopia pecuniaria Ioannis Heraclidis Deſpotæ 250. a
Inſidiæ Muſæ Kihaiæ à Sigethanis oppreſſæ 227 b
Inſignia Regia Maximiliano ab Ungaris prolata 262. a
Inſula Sollocoſta ad perduelles Boſcaianos tranſit 508. b
Inſultatio Budenſium mulierculaarum in captos Chriſtianos 348. a
Interitus Franciſci Bebeci 238. b
Ioachimus Marchio Brandeburgenſis Imperialis exercitûs adversùs Turcas Generalis Dux 152. b. *Peſthanam obſidionem deſerit* 156. b
Ioannis Regis Poloniæ mors, ſucceſſit Fridericus Auguſtus Saxo factus Catholicus 640. b
Ioannem Archiepiſcopum Lundenſem, & Cornelium Scepperum Carolus quintus ad fratrem Ferdinandum de pace cum Vaivoda ineunda Legatos mittit 121. a. *qui cum Vaivodæ Legatis Poſonii tractans irrita opera* ibid.
Ioannes Balaſſius conjuratorum Ungariæ procerum adversùs Cæſarem Maximilianum præcipuus 312 a. *de reliteris interceptis, Viennæ Cæſarem adit, ſeque prolixè excuſat* ibid b. *feciſſe contra leges à Senatu in comitiis Poſonienſibus judicatur* 313. a b. *Cæſaris arbitrio committitur* ibidem. *cuſtodiæ mancipatur* ibid. *excuſatiuncula ejus* ibid. *è carcere elabitur* 320 b. *cum Turcis amicitiam init* ibid, b
Ioannes Balaſſius Zolii veteris & Montanarum urbium præfectus in prælio cum Haſane Filecienſe à ſuis deſertus, accepto vulnere ſe in tutum recipit 257. a
Ioannes Balaſſius inſigni dolo fallit Turcas 334 a
Ioannes Banffius Lindanus, Vaivoda Palatinus moritur 119 a
Ioannis Baptiſtæ Caſtaldi obitus 269. a
Ioannes Bocatius à Boſcaio in Germaniam miſſus, à Brunſvicenſi Duce capitur 514. 515.
Ioannes Bornemiſſa, & Thomas Cardinalis Uladiſlai regiam authoritatem contra vulgus tuentur 48. a
Ioannis Bornemiſſæ commendatio 24 b

Ioannes Bornemiſſa, & Thomas Cardinalis Uladislao auctores ſunt, ut affinitatem cum Imp. Maximiliano jungat 48.a.b
Ioannes Botus Illyrici præfectus in obſidione arcis Brinia periit 18.b
Ioannes Cocianus Eſſecum verſus caſtra promovet 131.b. *velitationes ejus cum Turcis* 132.a *caſtellum Hermanum eidem deditur* 133.a. *inopiâ commeatûs caſtra rurſus movet & diſcedit* ibid.
Ioannis Cociani expeditio adverſus Solimanum infelici eventu ſuſcepta, Anno 1537. p. 130.b *Exercitûs Duces* 131. a. *in exercitu equitum octo millia, pedites* 16000. *cenſentur* ibid. *annona penuria in eodem* ibid. 133.a
Ioannes Cocianus, & Ludovicus Pecrius è clade Eſſecienſi elapſi, domum revertuntur 135.a *à Ferdinando ob deſertum exercitum in cuſtodiam conjiciuntur* ibid. *Cocianus è cuſtodia elabitur* ibid. *ad Turcas defectionem molitur,* ibidem b. *juſſu Ferdinandi à duobus militibus occiditur* ibid. b
Ioannes Comes Zerinus in Vinadola arcis obſidione globo trajectus occubuit 151.b
Ioanni Carlovicio, ac Franciſco Battiano viris domi militiaque claris Illyrici præfectura demandatur 64.b
Ioanni Carlovicio in Croatia quadam arces à Turcis adimuntur 94.b
Ioannes Scepuſ. nuptias filiæ Uladislai affectat 37.a
Ioannes Corvinus Turcas prælio adoritur 30.b *arcem Iaiciam à Turcarum obſidione ſolvit* ib. *cum Uladislao pacem init.* 4.a
Ioannes Corvinus rebus humanis eximitur 32.a. *vidua ejus nubit Georgio Marchioni Brandeburgenſi* ibid.
Ioannes Cuſpinianus Anno 1514. *ab Imperatore Maximiliano ad Uladislaum Budam venit, ipſúmque ad mutua fœdera propinquitatis vinculo confirmanda hortatur* 34.a.b
Ioannes Cruſitius in obſidione Secenii captus, à Solimano poſtliminio Cæſ. Maximiliano dono mittitur 280.b
Ioannes Draſcovitius Criſii equitum præfectus, Erdodio Illyrici præfecturâ abeunti ſuccedit 417.b
Ioannes Eſſechius Quinqueeccleſienſis Epiſcopus, & Stephanus Verbecius Epiſtolarum Magiſter, à Tutoribus Tranſilvaniæ ad Solimanum Legati mittuntur 140.b. *Conſtantinopoli redeunt* 146.b
Ioannes Eſſechius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis obit ibid.
Ioannes Epiſcopus Quinqueeccleſienſis coronam Hungaricam Ioanni Perenio eripit 105.a
Ioannes Eſſequius Tatæ arcis præfectus ob negligentem arcis cuſtodiam capitali ſupplicio punitur 236.b
Ioannes Frangepanus Comes in prælio cum Iacuppe Bego cadit 19.b
Ioannes Gerſacherus à Gabriele Perenio in ædibus Bathorianis, quæ in oppido Varrone habebantur, obſeſſus, ab Emerico Teleqneſſio, fugatis hoſtibus, periculo eripitur 233.a. & *Viennam reverſus in Equitum ordinem cooptatur* ibid. b
Ioannes Gicius Tutor Sigiſmundi Tranſilvani obit 358.b
Ioannes Halapſitius Quisborvatus unà cum fratribus Stephano ac Georgio Cæſari Maximiliano conſtanter adhæret 11.b
Ioannes Halapſitius Quisborvatus Cæſaris Maximiliani & Sigiſmundi Regis deprecatione in gratiam Uladislai redit 24.b
Ioannes Heraclides & Albertus Laſcus profligatis contra Alexandrum Moldavum copiis, ad Franciſcum Zaium in ſuperiori Pannonia præfectum confugiunt 247.a
Ioannes Heraclides Deſpota Alexandrum Moldaviæ Principem vicit 248.a.b. *pugnámque in foro Iazygum depingi curavit* ibid. b. *Suchavam contendens ab Epiſcopis & populo lætiſſimo cum applauſu excipitur* ibid. *à Solimano in Moldavienſi principatu confirmatur,* 250.a. *Alberto Laſco decem millia aureorum donat,* ibid. b. *Petrum Ruſſellum eximiis muneribus donat* ibid. b. *à ſuis in arce Suchava obſeſſus Ferdinandi Imp. opem implorat* 263.b. *conjugem è Polonia, Martini Sboronii filiam ſibi deſignat* 264.b
Ioannes Hoberdanſcus à Ferdinando ad Solimanum Legatus mittitur 95.b. *ejus varia fortuna* ibid. *libertas in exponenda ſua legatione* ibid. *quâ Solimanus offenſus illum ſuis finibus excedere jubet* 96.a
Ioannes Hoberdanſcus à Ferdinando ad Spirenſia comitia celerrimè mittitur ibid. *minas & molitiones Solimani exponit* ibid.
Ioannes Iovius regii tribunalis apud Sigiſmundum Tranſilvaniæ Vaivodam præfectus, criminis læſæ Majeſtatis in Rudolphum Imp. inſimulatus in carcerem detruditur 490.a
Ioannes Lugaſſius Muncacii præfectus ad victoris Suendii arbitrium deditionem facit 308.a
Ioachimo Marchioni Brandeburgenſi præfectura exercitûs Imperialis adversùs Turcam demandatur 152.b. *adjunctis octo conſiliariis* ibid.
Ioannes Marcus Inſulanus urbis & præſidii Albani præfectus, in oppugnatione à Turcis vulneratur 483.b. *Albâ captâ à Haſane Purpurato in carcerem compingitur* 484.a
Ioannes Malvetius Ferdinandi nomine apud Solimanum conqueritur de rapinis Turcarum, 179.a
Ioannes Maria Malvetius Ferdinandi Legatus à Solimano in carcerem conjicitur 185.a
Ioannes Maria Malvetius Orator obit 216.a
Ioannes Maſſa Signifer Italus de deditione Strigonienſe cum Turcis tractat 164.a
Ioannis Nigri Deſpota facinora 88.a. *rapinæ & direptiones* ibid. *ad Ferdinandum deficit,* ibid. *Vaivodæ copias, duce Perenio, profligat,* ibid. b. *in pugna cum Emerico Cibaco vulneratus, à Valentino Turco interficitur* ibid.
Ioannis Peteonis oratio ad Carolum Cæſarem, in qua Pannoniis Cæſaris opem adversùs Turcas implorat 173.a
Ioannes Peteo & Georgius Bebecus Serencium arcem obſident 242.b. *copiis ſuis ſemiſomnibus ex improviſo à Nemethio oppreſſi fugâ ſibi conſulunt* 243.a
Ioannes Preſtenſcius tormentorum in exercitu Cæſareo præfectus, Petardo arci Tatæ admoto eam occupat 434.b
Ioannes Rex Poloniæ Viennam obſidione Turcarum liberavit, & eorum caſtra cepit 583. 584
Ioannes Ruberus Sacmari præfectus obit 344.a
Ioannes Scepuſienſis Comes, Tranſilvaniæ præfectus nuptias filiæ Uladislai affectat 37.b
Ioannis Scepuſienſis Comitis ambitio 38.a. *Regnum Hungariæ affectat* 33.a

Ioanns

Ioanni Scepuſienſi Comiti bellum adversùs rebelles demandatur 45.b. *cadit eos* ibid.
Ioanni Scepuſienſis Comitis lam à vulgo 47. 48.
Ioannes Sigiſmundus Byzantii apud Solimannum de Balaſſis & Bathorii defectione conqueritur 246.a
Ioannes Sigiſmundus profligato exercitu ſuo fugam in Poloniam cogitat 234.b. *Ibraimi Budenſis auxilia contra Ferdinandum Imperatorem invocat & obtinet* ibid.b
Ioannes Sigiſmundus Georgio Sulocco ob defectionem ad Imperatorem Ferdinandum Hadadum arcum eripit 252.b
Ioannes Sigiſmundus Stephanum Barborsum de pace ad Ferdinandum Imperatorem Legatum re infecta revocat 268.a
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvania Vaivoda bellum Maximiliano Cæſari indicit 272. 273
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvanus ad Caſſoviam expugnandam animum adjiciens, cœli injuriis cœpto abſiſtere compellitur 274 b
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvaniæ Princeps Tocaium obſidet 294.a
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvaniæ Princeps Tocai obſidione ſolutâ decedit 303.a
Ioannes Sigiſmundus ad arcem Civarum ſigna convertit 309.a. *obſidet* 310.a
Ioannes Sigiſmundus capto Civaro ad Rivulum Dominarum caſtra promovet 310.b. *acerrimam ejuſdem oppugnationem inſtituit* 312.a. *bis repellitur* ibid. *copiis ſemper auctis cum ingenti ſuorum clade arce potitur* ibid. *omnibus in arce occiſis* ibid. *Idem inteſtinorum doloribus correptus domum defertur* ibid.
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps, pacis & amicitiæ fœdus cum Cæſare Maximiliano renovare ſtatuit 317.a
Ioannes Sigiſmundus & Proceres Tranſilvani ſervandis fœderis cum Cæſare Maximiliano conditionibus juramentum præſtant 318 b
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps poſtridie Iduum Martiarum mortem obit XXXII. ætatis anno, Anno 1571. p. 319.b. *ejus mores & vita* ibid. *teſtamentum* ibid.
Ioannes Sigiſmundus Tranſilvanus comparatis copiis Ienonem arcem vi occupat
Ioannes Sigiſmundus Solimanum Belgradi viſit cum ſplendido comitatu 289.a
Ioannes Somoſcius Poloniæ Cancellarius nomine novi Regis Sigiſmundi Cracoviam occupat 349 b
Ioannes Tillius Baſta Legatus incurſantes Tartaros profligat 515.a.b
Ioannes Trantſonius tribus Imperatoribus togâ & pace charus fato concedit 358.b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Georgium apud portam ferream aggreditur 47 a b. *acies utrinque inſtruitur, & acriter pugnatur.* ibid. *rebelles agreſtes in fugam conjiciuntur* ibid. b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda crudelia ſupplicia de captis ſumit 46. b. 47. b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Sarnonem arcem obſidet 51.a
Ioannis Tranſilvaniæ Vaivodæ exercitus arcem Sarnonem oppugnaturus cæditur, & in fugam conjicitur 52.a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda ſuſpectus habetur de clandeſtinis cum Turcis conſiliis ibid. *Eucharistiam toto biennio videre haud potuit* ibid.
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda munus Hungariæ Gubernatoris affectat 52.b. *Palatinatum ambit* 53.a. *cogit copias pro Ludovico* 75.a. *cur pugna Mohaciana non interfuerit* 75.a. *nuntius ejus ad regem* ibid. b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda ſuſpectus de occultis cum Solymano conſiliis 83 a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda in Poloniam profugit ad Ioannem Tarnovium Cancellarium Cracovienſem 90.a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda regno Hungariæ inhiat 84.a. *Petrum Perenium ſibi conciliat, à quo regiam Coronam accepit* ibid. b. *Emericum Cibacum Temeſvarii Comitis titulo ornat* ibid. *Nobiles omnes ad ſe pertrahit* ibid.
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Hungariæ Rex proclamatur Tocaii 85.a. *conventus ei coronando Albam indicitur* ibid. *Regium corpus Ludovici inquiri mandat* ibid. a
Ioannis Tranſilvaniæ Vaivodæ inauguratio regia Anno 1526. 85.b
Ioannis Tranſilvaniæ Vaivodæ electio regia irrita pronuntiatur Poſonii in comitiis 86 b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda acceptâ Tocaianâ clade ſuos hortatur, ut copiis reparatis Franciſco Bodoni ſe jungant 89 b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Iaicia jacturam Ferdinando objicit apud Imperii Principes 94 b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda cum Hieronymo Laſco, Siradienſi Palatino, conſilia confert de recuperando regno Hungarico 94.a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Ludovicum Grittum muneribus ſibi devincit 95.a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda à Solimano in clientelam recipitur, & ejus beneficiarius appellatur, ibid. b. *auxiliares copiæ ei promittuntur* ibid.
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda contractâ aliquâ militum manu in Hungariam iter ſuſcepit 96.b. *ſuas copias quidam Tranſilvaniæ Optimates Vaivodæ conjungunt* ibid. *versus Caſſoviam Ferdinandi copias profligat* 97.a. *hac victoria lætus rectà Lippam ſe confert* ibid. *ibi à compluribus Optimatibus benignè excipitur* ibid.
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Solimano in campis Mohacianis occurrit ſupplex & venerabundus unà cum Hieronymo Laſco 98 a. *à quo benevolè excipitur* ibid. *comitia indicit* 105.a *ubi pauci comparentes, Banffium Palatinum creat* 105.a
Ioannis Tranſilvaniæ Vaivodæ ſævitia in captivos 138 b
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam Iſabellam ducit ibid. b. *nuptiæ & inauguratio Albæ celebrantur* 139.a
Ioannes Tranſilvaniæ Vaivoda Emerico Balaſſio defectionem ad Ferdinandum molienti ignoſcit 139. a.b. *arcem Fogaras Mailati aggreditur* 140 a
Ioannis Vaivodæ copiæ Valentinum Turcum Sigethi obſident 106 a
Ioannes Vaivoda Nadaſdium cum ſuis à Sigethana obſidione revocat ibid.b
Ioannes Vaivoda Strigonium obſidione premit 110.a
Ioannes Vaivoda cuſtodiæ traditur 111 a. *Franciſco filio obſide dato, ſe redimit* ibid. b. *qui ad Mahometeam ſuperſtitionem adactus, nunquam ampliùs à patre viſus eſt* ibid.
Ioannis Vaivodæ copiæ cum Felſianis velitaribus prœliis quotidie depugnant 128.a. *recepti cæduntur,* ibid. *fugiunt, & flumine Tibiſco pereunt* ibid. *Pax cum Ferdinando* 128.a.b

Ioan-

Ioannes Vaivoda in Tranſilvania copias cogit adverſus Solimanum 75. a. *ad Ludovicum in caſtra Georgium Bacium ſcribam mittit, qui ediſſerit cur Vaivoda pugna non interiſſe potuerit* ibid.

Ioannes Vaivoda in gravem morbum incidit 140. a *moritur* 21. *Julii* 1540. *Anno ætatis* 53. ibid. *ejus mores, ambitio & teſtamentum.* ibid. *corpus Albæ ſepultum* ibid.

Ioſeph Archidux naſcitur 574. a. *fit Rex Hungariæ* 610. a. *coronatur Imperator* 622. a. *moritur* 650 a

Ioſeph Somium Temeſvarii præfectus oppidum Nemethnivarium obſidet 23. a

Irruptio Balſſii in caſtra Sinanis 414. a. *quâ tria millia Turcarum cæſa* ibid.

Iſabella Ioannis Vaivodæ conjux filiolum maſculum enixa eſt Anno 1540. 140. a.

Iſabella Regina cum filio infante Budâ excedit 150. a

Iſabella Tranſilvaniæ Regina contentionibus Petrovitii & Georgii exacerbata in Poloniam ſecedere ſtatuit 181. b. *retinetur à Tutoribus* ibid. *excluditur à Monacho Cibinio* ibid. *Comitia Claudiopoli indicit* ibid. *querela ejus de Monacho* ibid. *Solimanis præſidio freta bellum infert Monacho* 182 a. *Legatos ad Solimanum ablegat* ibid. *Chanadium ductu Varcocii obſidione liberat* ibid. *Thraces fundit* ibid. *Petrovitii ditionem vaſtat* ibid.

Iſabella Tranſilvaniæ Regina flens ſe pactis Georgii aſſentiri reſpondit 183. b. *Coronam & regni Ungariæ inſignia Ferdinandi Legatis tradit* 184. a. *arces ſuas Caſtaldo dari jubet* ibid. *Tranſilvaniâ excedit* ibid. b. *Caſſoviam venit, ibique nonnihil moratur* ibid. *Eidem dos perſoluta* 194. b. *tendit in Sileſiam* 194 b

Iſabella vidua Regis Ioannis cum filio in Tranſilvaniam revocata 230 a

Iſabella Regina in Tranſilvaniam pervenit 231. b *Andreæ Bathorio mandat, ut Huſtum arcem oppugnet* ibid.

Iſabella Reginæ copiæ ab Emerico Telequeſſio diſſipata 237. a

Iſabella Melchiori Balaſſio ſupremum ſuarum copiarum imperium confert 239 b

Iſabella fœdera cum Ferdinando Imperatore iiſdem conditionibus, quibus Caſtaldus & Monachus contraxerant, ſanciri conſtituit 243. b. *extremum ſuum diem claudit* ibid.

Iſacus præſidii Strigonienſis præfectus in oppugnatione urbis Aquariæ extinguitur 386. a

Iſtuanus cadit Ragotzium 537. a

Italia aſſertor fuit Carolus VI. 668. a

Italus è Strigonio ad Turcas transfugit, & tormenta in Inſulam transferenda, indéque turrim Aquariam verberandam monet, & Turca Strigonio maturè potiri vellent 163. a. b

Iudæi ad Cæſarem Rudolphum Legatis cuſtodiæ traduntur 474. b

Iudicium militare de auctoribus fidei Turcis datæ, violandæ 360. a

Iulius Papa moritur 39. b

Iusjurandum Maximiliani Hungariæ Regis 262. b

Iuſtinianus fit Dux Venetorum 588. a. *moritur* 616.

K.

K*Ara Muſtapha temeraria Viennæ obſeſſio* 579. 580. *appropera nte ſuccurſu recenſet exercitum* 582. a. *transfert exercitum ad montem Caſium* ibid. b. *deſpicit Chriſtianorum gregem* 583. a. *ejus in caſtris delitiæ* 584. a. *vita ejus in obſidione Viennæ* ibid. *ejus molimen & lamentatio* 585. b. *plures ſtrangulat Baſſas, & plures occupaturus urbes rejicitur* 586. a. *Strangulatur* 587. a. *fuit vilis conditionis* ibid. b. *Succeſſor Ibraimus novam parat expeditionem* ibid.

Kaiſerſteinius Belgradi cadit 635. b

Kemenjanus Tranſilvaniæ præficitur 546. a. *cum Abaſſio ducatu exuit* 547. b

Kielmanſeggii jaculandi peritia in obſidione Viennenſi 579. b. *Leopoldopoli præfectus* 578. b

Kiurpertius Vezirius victus & cæſus, ejus laus 631. a. b

Kollonitchius infantum turmam inventam enutrit 584. b.

Koltſchiſckius urbis Viennenſis nuntius quomodo feliciter Turcarum caſtra tranſierit 581. b. *ejus famulus aliquoties caſtra tranſiit Turcarum* ibid.

Konigsmarckius Modonam & Neapolim di Romania capit 603. b. *moritur* 616. a

Kunizii ad Portam Ottomannicam Reſidentis ex Turcarum caſtris Viennam ſummo periculo fuga 584. a

Kyba Turcas repellens Grazninam capit 633. b

L.

L*Accum à Baſſa Cæſareo Duce in Tranſilvania occupatur* 489. b

Ladiſlaus Moreus à Ferdinando proſcribitur 118 b. *in Palota arce obſidetur*, ibid. *ex arce funibus dimiſſus, ad arcem Raboçiam elabitur* 119. a

Ladiſlaus Moraus à Bali Epirota, Buda profecto in Nova-arce obſidetur 159. a. *arce oppugnatâ capitur*, ibid. b. *Conſtantinopolim adductus in carcerem conjicitur, in quo unà cum filiis Mahumetanam ſuperſtitionem amplectitur* 160. a

Ladiſlai Querecenii fratres Ferbatem Boſnenſem planitiem inter Ivanitiam & Zagrabiam depopulatum inſequuntur, cædunt ac fugant, prædâ omni ademptâ 235. a

Ladiſlaus Querecenius præfecturâ Sigethanâ ob hoſtium metum ſe abdicat 220 b

Ladiſlaus Sternbergus Bohemiæ Cancellarius à Ludovico ad comitia Francofurtum ad Mœnum mittitur 54. a

Lambergus Iovarinum capit 99. a

Landgravius captus incarceratur 172. b

Langus mittitur legatus ad Imperatorem 49. a

Lapides pergrandes de cœlo cadunt 243. a

Laſco ſuadet Vaivodæ Turcæ ſubſidium & legationem 94. 95. *in Divano auditus* ibidem. *donatur oppidis à Vaivoda* 96. a. *ejus ſcelerata molitiones* 122. b. *vide* Hieronymus.

Laurentius Niarius Solnoci præfectus in fuga à Turcis captus, non multò pòſt elabitur 207. b

Laurentius Presbyter ex clade Georgiana fugâ evaſit 47. a

Laurentius Presbyter & Antonius Longus belli conſilia contra Ioannem Vaivodam Tranſilvaniæ iterum inſtaurant ibid.

Laurentius Presbyter in pugna cum Iacobo Banffio ad oppidum Apathium vulneratus fuga ſe dat ibid.

Lau-

Laurentius Sacerdos è Ceglegdio oppido Georgium Siculum cruceſignatorum præfectum hortatur, ut inſolentiam Nobilitatis compeſcat 42. a

Laurentius Sirmii Dux, & Blaſius Magiarus Uladislai inaugurationi non interſunt 4. a

Laurentius Dux Sirmii à Rege Uladislao deficit 21. b

Laurentius Sirmii Dux contra Uladislaum Palatini opem implorat 23. b

Laurentii Sirmii Ducis mater Dragffium ingenti vi pecuniæ ab obſidione arcis, & funeſto bello adverſus filium amovere nequit 24. a

Laurentius Sirmii Dux ad Regem Uladislaum pluribus deprecationibus uſus accedit 26. a

Laurentium Sirmii Dux in comitiis Budenſibus certis pactis conditionibus in gratiam recipitur 26. b 27. a

Laurentii Sirmii Ducis cauſa ad comitia Budenſia rejicitur 27. b

Laurentii Sirmii Ducis obitus 66. b. *ejus bona variè diſtribuuntur* ibid. *vide* Sirmii Dux.

Laxitius Tartarum ſingulari certamine vincit 9. a

Lazarus Suendius copiarum Maximiliani in Tranſilvania Dux aſperrimâ hyeme Eperieſſum contendit 275. b

Lazarus Suendius Rivulum Dominarum recipit 284. b. *Jenonem recuperat* ibid. *Senderonem Bebeci arcem occupat* ibid. b

Lazarus Suendius Caſſoviæ præfectus ſuſtinendi potiùs quàm inferendi belli conſilium Cæſari Maximiliano infeliciter ſuggerit 305. a. *coactis copiis Bebecianas arces oppugnat*, ibid. *Sendronem arcem capit*, ibid. b. *Saduariam acri obſidione premit*, ibid. *periculoſo majoris pilæ ictu ex arce perſtringitur* 306. b

Lazarus Suendius concilium de Muncatio obſidendo convocat ibid. b

Lazarus Suendius Turcicis & Tranſilvanis ſubſidiis territus, Huſti oppugnandi conſilium omittit 308. b. *exercituque reducto Caſſoviam redit* ibid. *Bartholomæum Stephitium ad Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ principem de pace legat* ibid.

Lazarus Suendius Caſſoviæ præfectus, abdicatâ præfecturâ, relicto ſui loco Joanne Rubero, Poſonium ad Cæſarem Maximilianum venit 312. a

Lazarus Suendius rebus tam in Germania & Hiſpania, quàm Pannonia bello præclarè geſtis clariſſimus, diem obit 344 a

Legati Borisii Moſcoviæ Ducis ad Cæſarem Rudolphum, eximia illi munera offerunt 455 b

Legati Cæſaris Rudolphi ad Sigiſmundum Poloniæ Regem de amicitia novo fœdere confirmanda, Anno 1595. p. 308. a. *re infectâ redeunt* ibid. b

Legati Cæſaris Rudolphi ad Sigiſmundum Tranſilvaniæ principem, quibus Sigiſmundus provinciam traderet, Anno 1598. p. 439 b. *eorundem dehortatione provinciâ decedit* 440 a

Legati Imperatoris Rudolphi ad Boſcaium rebus infectis redeunt 505 a

Legati Ferdinandi à Turcis duriùs tractati 219 b

Legati à Cæſare Ferdinando & Hungaris ad concilium Tridentinum miſſi 251 b

Legationes Henrici Galliæ Regis & Iſabellæ 238 b

Legati Hungarici ad Comitia Imperii auxilia contra Turcas ſollicitant 235 a

Legati Joannis Sigiſmundi ad Ferdinandum Imperatorem de pacis fœderibus 244. a. *re infectâ in Tranſilvaniam redeunt* ibid.

Legati Michaelis Vaivodæ Tranſalpini ad Rudolphum Imperatorem 444. a

Legati Palatini ad Uladislaum, pro Laurentio Sirmii Duce, cum ſumma Regis Uladislai indignatione dimittuntur 23 b

Legati Radulonis Tranſalpini cum muneribus ad Imperatorem Rudolphum 487 b

Legatus Sigiſmundi Tranſilvani principis ad Mehemetem de fœdere miſſus, re infecta redit 447 b

Legatus Regis Perſarum Hodabendis ad Imperatorem Rudolphum venit 495. a

Legatorum Tranſilvaniæ cum Michaele Tranſalpina Vaivoda pacta conventa 444. b

Legatorum in Ungaria locus permutationis 561. b *Turcicorum terror ex Badenſi victoria* 631. a *tertius Anglorum Paget ſolemnius à Turcis excipitur* 634

Legati Tranſilvani è comitiis Claudiopolitanis ad Imperatorem Rudolphum cum ignominia Pragâ excedere jubentur 465 a

Legatis Tranſilvanis Imp. Rudolpho totius provinciæ nomine fidem deferentibus factioſi domi relicti Moyſem Siculum ſibi principem eligunt 487. 488.

Legati ad Solymanum cum munere honorario miſſi à Cæſare Maximiliano 275 b

Lencovitius Croaticarum & Carniicarum copiarum in exercitu Cæſareo dux caſtella Raſtovitiam, & Goram occupat 388 b

Lente expeditum in rebus neceſſariis ſuſtinenda Naudoralbenſi obſidioni 58 a

Leo X Pontifex eligitur 39 b

Leonardus Ccceius Caſſoviæ obit. 184 b

Leonardus Comes Nagoratus ac Joſephus Lambergus Legati ad Solymannum miſſi à Ferdinando 109. a. *ut Solymani caſtra ſequantur, eis mandatum.* ibid.

Leonardus Felſius in ſuperiorem Hungariam cum exercitu mittitur à Ferdinando 127. b. *Saroſiam Perenii arcem vi expugnat* ibid.

Leonardus Felſius Caſſoviam aggredi ſtatuit, at pace à Cæſarianis & Vaivodanis Legatis facta, revocatur 128 a

Leonardus Felſius Viſegradi turrim aquariam oppugnat, & capit 142. b. *Vaciam & Poſthum occupat* ibid. *Budam obſidet* ibid. *Buda cum hoſtibus collocuturus, Banffium caſtris excedere jubet* 143. a. *Budenſem obſidionem ſolvit.* ibid. *Viſegradum deditione capit* ibidem *Albam regiam, Perenii ſtudio, in fidem recipit* ibid.

Leonardus Harrachius diem ſuum obit. 358 b

Leopardorum mira venatio 644 b

Leopoldopolis urbs contra Turcas munitur. 578 a. *Kielmanſeggius eam defendit* ibid.

Leopoldopolitana Inſula ad Viennam 578 a. *eâ Carolus Dux excedit* ibid.

Leopoldus Cæſar rebellionem Hungaricam ſopire ſtudet 577. a. *ad arma in Turcas ſe præparat* ibid. *vadit ad armilnſtrium* ibid. *Viennam liberatam ingreditur* 585 a. *Regi Polono & Bavaro pro ſuppetiis gratias agit* ibid. vide *Vienna.*

Leopoldus Rex, & ejus mater coronatur 543 a. *Imperator electus* 544. a. *comitia Poſonii indicit* 545. a. *ei Græcium jurat* ibid. *Tranſilvaniæ defenſor ſubſidium ſubmittit* 546 b. *in defenſionem ſe parat Viennæ ſuburbia diruens* 547. b. *fugit Lincium* 549. b. *Gallus ei contra Turcas mittit ſubſidium* 555. b. *Margaretam Hiſpanam ſibi deſponſat.* 562. a. *inſidiæ ejus* ibid. *conjurationis in eum auctores* 562. 565 *eum Nadaſdus intoxicare voluit* ibid. *infirmus ex morbo* 563. b. *ei Saxo & Brandeburgus opem contra conjuratos offerunt* 56 a

mors

mori uxeris ejus Margaretha 569. a. nubit Claudia ibid. quæ clementior eo rebelles ferociores 571. a. extinguens Palatinatum conſtituit proregem 569. a. b. nubit Eleonora defunctá Claudiâ. 571. b. oblatum Moſci fœdus rejicit, cur? 574 b. Tockelius eidem diffidit ibid. auro à rebellibus veneratur, quia templa reſtituit 575. a. fruſtra quærit cum Turcis armiſtitium 576 a. Uxor Eleonora coronatur 575 b. Viennam motu Turcarum munit. 576 b. implorat Principum ſubſidia, & armiluſtrium inſtituit ibid b. fugit Viennâ Lintzium 578. b. diſponit Viennæ regimen & Starrembergum Præfectum 579 a. vide Vienna. Et Averſpergus liberationem nuntiat Viennæ, ad quam reverſus 584. 585. Ei partem ſpoliorum R. Poloniæ defert ibid. a. Viſitat caſtra Bavarica & Imperialia ibid. & Regem Poloniæ ibid. b. Starrenbergum annulo & aureo vellere ornat 585. b. plures recipit rebelles, rejicit Tockelium 586. a. ejus cum Gallo induciæ 587. a. ejus filia Maria nubit Bavarus Maximil. 594 a. B. Virginis templum extruxit, cujus ope Budam obtinuit 604. a. excipitur in Comitiis Presburgenſ. pro electione Joſephi 609. 610. a. Legatos Turcicos Viennâ abigens expeditionem promovit 624. confiſcata Hungariæ bona vendit 643. b. Ejus periculum, mors & virtutes 646. a. b.

Leslæus pacem vicennalem cum Turca confirmat 561. a. Turcas cædit 580 b. his Turcis cæſis Verovizam &c. capit 591. a. etiam Michalovvicium, Walpum, Eſſeckum 597. a

Levenzam Turcæ capiunt 550. b. recuperat Souchesius pugna 555. b. Turcæ obſident ibid. pugna ibid. alia & victoria 556. 557.

Levia prælia inter Achometem & Eraſmum Teuffelium in campis Bleſſenitiis 205. b

Levocia à Caſ. Rudolpho ad Boſcaium deficit 500 b

Lex Andreæ Regis Hungariæ abrogatur 610. a

Liberatio Viennæ abs Turcarum obſidione 583. b ſeq vide Vienna.

Licentia militaris, Duce Carolo Manſfeldio defuncto, in exercitu Caſ. erumpit 406. b

Lignorum acervus in arce Sigetha foſſam à Turcis congeſtus, ſuccenditur 223. a

Lippa à Joanne Petcone turpiter deſerta, Mehemetis juri ceſſit 186. b. à Caraffa capta 612. a

Lippa oppidum dejectis Turcis à Georgio Monacho occupatur 189. a. arx ab eodem oppugnatur. ibid.

Lippa præſidiis firmatur à Caſtaldo 197 a

Lippa à Bernardino Aldana ejus Præfecto deſeritur 203. a. decapitandus liberatur ibid. b. Caſſonus occupat & inſtaurat 203. b. Muſtapha capit 637. b

Litera Caroli Ducis ad Viennenſes 581. b

Literæ Clementis PP. ad Equcupergium 371. a ad Erdodium ibid.

Literæ Legatorum Caſ. Rudolphi ad Maximilianum Archiducem Auſtriæ interceptæ 446. b

Literæ Maximiliani Caſ. ad Sigiſmundum Poloniæ Regem de Tranſilvani injuriis 275 a

Literæ mutuæ [illegible]ſcais & Bethlenii in Bethlenii veſte repertæ nefaria eorundem conſilia produnt 497 a

Literæ Solymani ad Caſ. Maximilianum de induciis ſervandis 272. a

Lites Illiricorum decidendi jus ſingulare 18. a

Lobkovvitius pro Serinio apud Cæſarem interceſſor 565. a. Aulâ proſcribitur 570. b

Locuſtarum multitudo in Hungaria, Anno 1542. 157. b

Löffelholtz capit Metrovvitzam, Lancken, Ratzkam 654. b. ejus vigilantia 661. a

Loſſoncius Caidaze occiſo Naglacum arcem invadit 187 b

Loſſoncii ad commilitones oratio 159. b. decapitatur 202 b

Loſſonicius Temeſvarii Præfectus arcem & urbem certis conditionibus Achomati dedit 202. a.

Lucanus Hugo Saxonem vulnerat 172. b

Ludovici filii Uladiſlai coronatio Hungarica 36 b

Ludovici coronatio Bohemica ibid. Ei ſumma rerum defertur 54. a

Ludovicus Uladiſlao patri ſuccedit, anno ætatis decimo 52. b

Ludovici præclara indoles à Georg. Marchione Brandenburg. depravatur 53. b

Ludovicus Hungariæ Rex Stephanum Verbecium Regni prætorem ad Leonem X. Legatum mittit, ut Hungariæ periclitanti adſit 56. a

Ludovicus ægri animi Budæ à Georg. Marchione ad ludicra avocatur, 63. a. repugnante Joanne Bornemiſſa ac Maria conjuge. ibid.

Ludovici Regis Legati ad comitia Wormatienſ. [illegible]no 1522. ob auxilia adverſus Turcas imp[illegible]anda. 63. b

Ludovicus cum Maria conjuge in Bohemiam proficiſcitur 64. a. Bohemis juramentum renovat, ibid. Maria Regina Bohemiæ coronatur, ibid. Bohemiam Carolo Duci Munſterbergenſi gubernandam committit, ibid. Iglavienſibus ut Lutherana doctrina ſe abdicent, imperat ibid. Joannem Speratum, qui Iglavienſibus mutandæ religionis occaſionem præbuiſſet, carceri mancipat ibid.

Ludovicus Hatvvanum ad comitia ſe confert 72. a ſeditioſis per Ladiſlaum Strigonienſem Epiſcopum acriter obſiſtit 72. a. 72. b. Factioſorum magna pars dilabitur. ibid. b

Ludovicus ob Solymani incurſiones comitia indicit, 73. a. Exercitum & res bello neceſſarias comparat ibid. Bohemorum & Moravorum, item Sileſiorum & Luſatiorum auxilia ſollicitat ibid. a. decernitur, ut donaria Eccleſiarum, in neceſſaria belli ſubſidia convertantur 73. b

Ludovicus Stephano Bathorio, ut Solimanum Dravi tranſitu arceat, injungit 74. a

Ludovicus Rex Buda ſe movere cogitur ibid. b

Ludovicus Joannem Tranſilvaniæ Vaivodam mandatis urget, ut ſtatim, promotis caſtris ad ipſum contra Solimanum properet 75. a mittit & in Illyricum ibid. b. ad Ferdinandum & Bohemos, ut auxilia, omni morâ abjectâ, ſubmittant. ibid.

Ludovicus ignaviam exercitus ſui contra Solimanum libere carpit 76. b. Batham verſus caſtra promovet ibid.

Ludovicus prælii aleam cum Solimano tentandam negat 77. b. antequam univerſæ copiæ jungantur 77. b. ſed alii temerè de ſumma rerum decertandum, ſuadent & evincunt ibid.

Ludovici copiæ adverſus Solimanum auctæ 78. b. 26000. hominum in iiſdem 79. a

Ludovicus Mohacium venit, & de ſumma rerum contra Solimanum, deliberat 78. a

Ludovici caſtra cum Tomoræi caſtris conjunguntur 79 a

Ludovicus acie contra Solimanum inſtructa, caſtra obequitat, & luſtrat. 79. 80

Ludovici corporis cuſtodiæ in prælio cum Solimano tres ordinum ductores attribuuntur 79. b in prælio cum Solimano alio avocantur à Tomoræo 80. b

Ludo-

Digitized by Google

Ludovicus Rex galeâ in prælio cum Solimano impoſitâ, expalluit 80.b

Ludovici Regis exercitus fugit 81.b. *Rex ipſe fugâ ſibi conſulturus in Caraſſi paludibus perit* 82.a

Ludovici Regis corpus Mariæ conjugis ſtudio Caraſſi paludibus erutum, & Albæ ſepultum 85.a.b

Ludovicus Grittus & Hieronymus Laſcus Ibraimo purpuratorum Principi Vaivodæ cauſam contra Ferdinandum enixè commendant 95.a

Ludovicus Grittus cum T.. rcis arcem ad urbem Strigonium acriter oppugnat, 110.a *claſſem commeatum devehentem vincit* ibid. b. *obſidione deſiſtit* 111.b

Ludovicus Grittus à Joanne Vaivoda Pannoniæ Gubernator deſignatur, compluribus è procerum num. ro repugnantibus 120. a. *odium & ultio ejus in proceres* ibid. *Simonem vectigalibus regiis ac fodinis ſalis Præfectum, ob ſentu peculatus, furcæ affigi mandat* ibid. *Paulum & Blaſi..m fratres Artandis extremo ſupplicio afficit* ibidem b.

Ludovicus Grittus cum filio Peremi obſide Conſtantinopolim abit ibid. b. *Vaivodam ad pacem cum Ferdinando ineundam hortatur* ibid.

Ludovicus Grittus Conſtantinopoli in Valachiam venit 122.b. *ejus copiæ* ibid. *ſcelerata molitiones* 122. 123. *ei obviam prodit Hieronymus Laſcus* 122. b. *literis ad ſe vocat Emericum Cibacum Tranſilvaniæ Præfectum* 123.a

Ludovicus Grittus Megreſum urbem dolo ac vi irrumpit 124. b. *arctâ obſidione à Tranſilvanis premitur* ibid. *captâ arce Turciſque interfectis elabi conatur, ſed à Valachis intercipitur* 125. a. *& de illo ac Ioanne Docio publicè ſupplicium ſumitur* ib. a. *filii ejus à Moldavo e medio ſublati ſunt* ibid.b

Ludovici Gritti & Ibrahimi exitus funeſti 129.-

Ludovici Heliani Regis Gallorum Legati oratio in laudem Ludovici Regis 36.b

Ludovicus XIV. vide Gallus *Ejus temeritas* 643.b *Ragotzianam conjurationem promovet* ib. *Delfinus ejus obiit* 650.b

Ludovici Lodronii comitis generoſa animi conſtantia in Cociano prælio 134.a

Ludovicus Lodronii comes compluribus vulneribus in prælio Cociano conciſus in poteſtatem hoſtium venit ibid. b. *eidem caput præciditur, & cum aliis ad Solimannum mittitur* 135.a

Lupus Pecrius in obſidione Secenis à Deſpota captus & Solimano miſſus, poſtliminio Maximiliano Imp. dono mittitur 280.b

Ludovicus Pecrius equeſtrium copiarum Ferdinandi Dux ex inſidiis oppreſſus, capitur à Mauritio Furſto, Quiſmartoniæ arcis Præfecto 129.a

Ludovicus Sforcia Turcarum Principem Bajazetem ad bellum Venetis inferendum ſollicitat 29.b

Ludovicus Vilaquius Epiſcopus à Boſcaianis occiditur 509.a

Lugaſſum oppidum certis conditionibus a.. ..hema.. te redemptum eſt 203.a

Luna è turri S. Stephani deponitur, & crux ſupponitur Viennæ 585.a

Luna illuſtris nubecula obſcuratur 442.a

Lupus Battianus, Muſtaphas Seliſtriæ Bulgaricæ ad Danubium præfectus, truncatis brachiis & pedibus crudeliter perit 202.b

Lupus Thraciæ Deſpotes oppidum S. Demetrii ditioni Uladislai ſubjugat 24 b

Lupus Thraciæ Deſpotes Rahociam arcem aggreditur 25. *obſides* ibid.b. *& occupat* 26.a

Lutherus oritur 63. b. *damnatus a Ludovico Rege* ibid.

Lutheraniſmum Ferdinandus III. extincturus cogitur permittere 539. a.b. vid.. hæreſis.

M.

Magiarius Beatricis equites fundit, & obit 5.a

Mahometes Aly Baſſæ filius clade Seſuarienſi capitur 354.a

Ma.. met IV. ſuccedit Ibrahimo 542. 634. a. *audita clade ad Viennam furens vult omnes Chriſtianos occidere, quod impe.. Muftius* 587. a. *vita periclitatur* 605. a. *incarcerato ſuccedit Soliman III.* 609. b

Mahmutus Albæ præfectus Comaronium ad infeſta caſtra Cæſarea contendit 300. 301. *capitur & ad Georgium Thurium mittitur* ibid.

Mailatus ex inſidiis captus 151.a

Malaſpina Epiſcopus Caſertanus à Clemente PP. in Tranſilvaniam ad Andream Bathor.um de fœdere cum Rudolpho Imp. feriendo mittitur 452.b

Malcocius Temeſvarienſis præfectus Ibraimo Budenſi adverſus Imp. Ferdinandi copias ſe conjungit 255.a

Mansfeldius ad Pilſam caditur 526 a. *ejus & Vinarienſis mors* ibid. b

Marcus ab Aviano in pugna Mohaciana milites excitavit 608.a

Marcus Mislenovicius in Dalmatiæ & Illyrici præfectura Joanni Corvino ſuccedit 32 a b. *obit* 38 b

Marcus Stauſitius Sigethi præfectus mortem obit 252 a

Marcus Stauſitius Croatus Sigethi præfectus 220. 221.

Margaritam Hiſpanam Leopoldus ſibi deſponſat 562. a. *mori* 569.

Maria Virg. Styriæ patrona, cui comitia Ratiſponenſ. devota 552. a. *ejus ope Buda obſeſſa, cui Cæſar templum extruxit* 604 a. *ejus Icon lacrimatur* 639. a. b. 642. b

Maria Thereſia Archiduciſſa moritur 661.b

Maria Chriſtierna. Caroli Archiducis filia Sigiſmundo Tranſilvaniæ principi deſponſa 401.a

Maria Ludovici Regis vidua Anno 1530. *in Belgium proficiſcitur* 108 b

Maria Maximiliani conjunx Regina Hungariæ coronata 262.b

Maria neptis Cæſaris Maximiliani, ex Philippo Filio, Ludovico Uladislai filio deſponſatur 49.b

Maria Regina Ludovici vidua Budâ Poſonium fugit 85. a. *in Belgium proficiſcitur* 108.b.

Maria Rudolphi Imperatoris mater in Hiſpania obiit 487.b

Marob..m caſis omnibus expugnatum 83.

Martinus Ezobonus ad Uladislao ad Paiazetem Turcarum principem miſſus, redit 16.a

Martinus Liſcanus & Franciſcus Salamanca Strigonienſes præfecti 162 a. *ſuburbanis Strigonienſibus deſertis in arcem ſe recipiunt* 163.a. *Turcarum aſſultus reprimunt* ibid. *oppugnationem depellunt* ibid. b. *tria millia Turcarum interficiunt* ibid.

Martinus Liſcanus & Franciſcus Salamanca, proditionis ob deditionem Strigonienſ. ſuſpecti, cuſtodiæ traduntur 164 b. *veniam impetrant* 165.a

Martinus Pectoius Epiſcopus Iaurienſis ab Haidonibus Boſcaianis ſpoliatus, paulò pòſt vita excedit 508.a

Martyrum 26000. *Hungarorum fuêre in clade Mogaciana* 79 a

Matthæus Langus, Epiſc. Gurcenſis, & S. Angeli Cardinalis ab Imp. Maximiliano ad Uladislaum Sigiſmundum mittitur, Cæſaris moram excuſans 49.a

Mattheus Sexudius in exteriore arce Sigethana gravuer vulneratus perimitur 298.b

Mathias fit Rex Ungaria 524.a ejus deſponſatio, Coronatio: fit Imperator ibid.b.

Mathias Ungaria Rex obit 1.a

Mathias Baquitius Crupenſis Præfectus ſubſidia Herbati Aurſpergeri implorat contra Muſtapham Boſnenſem 279.a

Mathias Boſo rapinarum & ſcelerum multorum in comitiis Tirnavienſibus accuſatur 174.b. latrocinia ejus 175.a. publicis ſuffragiis proſcribitur ibid.

Mathias Boſo per Martinum fratrem Ferdinandi, gratiam petit irritis precibus 177.b. Muravo, arte ejus prodito fuga elabitur 178.a. ab Opilione capitur, & ad Salmenſem perductus capite minuitur ibid.b

Mathias Somogius in Auſtriam ferro, flammaque graſſatur 508. relictis rebellibus ad obſequium Imp. Rudolphi revertitur 511.a

Mathias Archidux Auſtria Budam obſidet 449 b

Mathia Archiducis Auſtria in Belgium profectio 337.b

Mathia Archiduci Auſtria belli Pannonici præfectura mandatur Anno 1594. p. 383. a. ejuſdem deliberatio de ſumma belli ibid.

Mathias Archidux Laurinium ſe confert 384.a. copias undique contrahit ibid. a. b. Strigonium obſidione premit ibid. b. tormentis verberat 385.a. irrito conatu oppugnat ibid.

Mathias Archidux copias in ſubſidium obſeſſorum Comaronenſium comparat 396. b. caſtra Comaronium verſus promovet 397. a. obſidione Turcicâ ſolutâ, copias domum dimittit, ipſo Viennam redit 397.b

Mathia Imp. mors 524.b

Mathias Archidux Auſtria, Carolo Mansfeldio in caſtris Strigonienſibus defuncto, obſidionem ſtrenuè proſequitur 406. 407. in caſtra venit 407.a. oppugnationem feliciter tentat ibid.b. mænibus ſuperatis oppidum occupat ib. Strigonium deditione occupat, die Septemb ſecunda Anno 1595. p. 408.b. præſidio ibidem relicto, Viſſegradum oppugnare juſſit ibid. deditione potitur ibid. b. dimiſſis copiis Viennam redit 409.a

Mathias Archidux Auſtriæ à fratre Imp. Rudolpho coronam Ungaricam cum reliquis inſignis accipit 523.a. Rex Ungariæ ibid. Bohemiæ coronatur ibid. in Imperio Romano, Rudolpho fratre vita functo, Francofurti ad Mænum ritè ſuccedit ibid.

Mauram Veneti capiunt 590 b

Maurocenus Turcas à Chielapha repellens caſo Seraſkiero Neorinum & Modonam intercipit 600. a. b. caſo Seraſkiero Modonam & Neapolim di Romània obtinet 603.b. Maurocena familia primatus 604. a. ei Venetias redeunti ſucceſſit Molinus 621. b. fit Venetorum Dux 616.a. Mocenigo defuncto ſuccedit Maurocenus 634 b

Maurocerdatus & Sulficar Turca pacem petunt 615.b

Maximilianus Imp. Viennam occupat 2. b. arcem obſidet ibid. b. in oppugnanda arce vulnus accipit 3.a. obit 54.a

Maximilianus Ferdinandi Filius in Regem Bohemiæ eligitur 179.b. abit in Hiſpaniam 180.a

Maximilianus Bohemiæ Rex conventus Hungarico Poſonium indicto præficitur 236.a

Maximiliano Regi XIII. ſigna militaria Turcis adempta, mittuntur 241.a

Maximilianus Poloniæ Rex cum Maria conjuge Carolo Imperatori, Hiſpaniam petenti, ultimum valedicunt 233.b

Maximilianus Rom. Rex Poſonium ad Hungaricam coronationem cum inſigni comitatu contendit 261.a. à Nicolao Olabo Archiepiſcopo Strigonienſi oratione excipitur ibid.b

Maximilianus Imperator cum Hungaricis proceribus de bello Turcico deliberat 270.a.b

Maximilianus Cæſar ad Selimum Legatos de pace mittit 311.b. octennales inducias publicat 311.b. comitia Poſonium indicit 312.a. Antonium Verantium, Nicolao Olabo demortuo, Archiepiſcopum Strigonienſem conſtituit 311.b. Chriſtophorum Tieffenbachium Saemario præficit ibid. comitia differt 312.a

Maximiliani Cæſaris ſingularis comitas in Ioannem Balaſſium conjurationis ſuſpectum ibid.b

Maximilianus Cæſar ad corationem Rudolphi filii Poſonium contendit. Anno 1572. p. 325.a

Maximilianus Cæſar in comitiis Poſonienſibus Dobonem & Balaſſium ob conjurationem cuſtodiæ tradi petit 313.a

Maximilianus Cæſar à fœderatis ſollicitatur, ut arma denuo Turcis inferat 316.a.b. Rudolphum & Erneſtum filios ex Hiſpania revocat ibid.b

Maximilianus Cæſar regno accepto, ſe Polonis juramento adſtringit 331. a. ejuſdem literæ ad Polonicos cum magnis muneribus dimittit 332.a Bequeſſium cum exercitu in Tranſilvaniam reducere ſtatuit, exercitui præficit Antonium Siculum 342.a.b

Maximilianus Imperator in comitiis Ratiſponenſibus tractat de Poloniæ regno adeundo & occupando 337.a. diem extremum Ratiſpona obit, Anno 1577. ibid.

Maximilianus Cæſ. copias adverſus Haſanem comparat 367.a

Maximilianus Archidux Auſtria Poloniæ Rex eligitur 348. 349. cum copiis ſuis in Poloniam movet ibid. Cleopardiam oppugnat 349.a. pugna ejuſdem cum Polonis 350. a. fuga ſe cum copiis in oppidum Bicinium recipit ibid. a. b. certis conditionibus ſeſe Joanni Samoſcio Polonico Cancellario dedidit ibid. b. ob liberationem ejus Legati in Poloniam miſſi ibid. b. tranſactis conditionibus libertati reſtituitur 351.a

Maximilianus Archidux in caſtra Petrinienſia venit 388 b

Maximilianus Archidux Auſtria Solnocum irritâ obſidione urget 417.a. Ungariam invadens multa occupat 5.b

Maximilianus Archidux Auſtria copias in exercitu Cæſareo adverſus Mehemetem recenſet 428 b. exercitum ad oppidum Creſteſum promovet ib.b. prælio cum Turcis commiſſo XLIII. tormenta iiſdem adimit 429.a. exercitum ad pugnam 430.a. hortatur milites, ut fortiter rem gerant ibid. Mehemetem ultra paludem repellit cum magna clade ibid. exercitum ejus dejicit & fugat 431.a. caſtra diripit ibid. Viennam indeque Pragam ſe confert 433.a

Maximilianus copias undique cogit & in Ovariana caſtra arceſſit 434. b. Papam obſidione adoritur 435. a. binâ irruptione, oppido potitur ibid. b. arcem deditione occupat ibid. Jaurini oppugnationem aggreditur 436. b. relictâ obſidione, caſtra in Comaronienſem Inſulam transfert 437. a. Mehemetem caſtra ejus oppugnaturum cum magna clade repellit 438. a. levioribus præliis cum Mehemete concertat ibid.b. dimiſſis copiis Viennam redit ibid.

Maxi-

Maximilianus Bavarus ſubſtituitur Elector depoſito Friderico 531. a. *vide* Bavarus *Carolo infirmo* Maximilianus *inſtituitur Archiſtrategus* 612. a
Maximilianus Archidux Auſtriæ in Tranſilvaniam acerſitus 444. a. *iterum ut iter acceleret, vocatur* 445. b
Maximilianus Archidux Auſtriæ Romam voti ſolvendi cauſa proficiſcitur 490. a
Megalandri noſtri Lutheri ortus 63. b *doctrina* ib.
Mehemetes III. Turcarum princeps obit 495. a. *Achmed filius illi ſuccedit* ibid.
Mehemetes Baſſa Solimani obitum celat 298. b
Mehemet Belgradi Præfectus Budenſibus ſuppetias fert 107. b
Mehemet Chauſius capita pacis, quam Jadrenſis cum Ibraimo & Gritto tractaverat, Ferdinando Viennæ exhibet Anno 1534. 121. a
Mehemetis Chauſii Legatio, accitis compluribus Proceribus Bohemis & Ungaris, auditur ibid.
Mehemetis Chauſii querela apud Imperatorem Ferdinandum de Auxiliis Deſpotæ præbitis 292. a. *de Bathorii & Balaſſii defectione* ibid.
Mehemetes Iahiogli Naudoralba præfectus varia loca in Poſega obtinet 129. b. *premit Cliſſiam* 130. a
Mehemetes Iahiogli, Oſoram, Simontorniam & Dobrogeſtum, arces haud procul oppido Tolnenſi ſitas, occupat 169 a
Mehemet Kihaia Babociam, præſidiariorum ignavia deditam, occupat 468 b
Mehemetes Satergis Belgradum advenit 436 b
Mehemetes Satergis Chanadium, Aradum & Naglacum occupat 447. *Varadinum obſidet* 448 a. *oppugnationem aggreſſus deturbatur* 448. *irruptionem repetens reprimitur* 449. a. *continuis cali tempeſtatibus captis deſiſtere cogitur* 451. b
Mehemetes Turcarum princeps cum immenſis copiis in Hungariam venit 425. a. *Giapherem Eunuchum Solnocum præmittit* ibid. *Agriam obſidet* 27. *Septemb. Anno* 1596. 426. a. *oppugnat* ibid. & ſeq. *deditione capit* 428 a. *capta Agria vicinas arces, diffugientibus præſidiariis occupat* ibid. *caſtra ſua exercitus Cæſareo ad oppidum Creſteſum objicit* 429. b. *dum paludem tranſire conatur, repellitur* ibid. *exercitum ſuum ad prælium parat* 450. a. *hortatur ſuos ut fortiter rem gerant* ibid. *ultra paludem repellitur cum magna ſtrage & tormentorum ademptione* ibid. b. *ipſe effuſo curſu fugit* 430. 431. *Byzantium revertit* 432. b
Mehemet cum Turcis vaſtando & depopulando omnia, graviſſimam cladem infert Hungaris 108 a. *decem millia hominum in ſervitutem abducit* ibid. b. *quibus viſis Vaivoda lachrymaſſe fertur* ibid.
Mehemetes Viſirius Serigonium obſidione cingit 511. b. *munitionem S. Thomæ expugnat* 512. a. *Aquarium vi capit* ibid. *Boſcaium Regem nuncupat* 514. a. *Auguſtalia inſignia illi confert* ibid.
Mehemetes arce minore Sigethana incenſa, invadenda arcis ſignum dari jubet 299 a
Mehemet à Temeſvarii obſidione diſcedit 187. b
Mehemetes ad Socloſium ab Hungaris inopinato impetu oppreſſus, caditur 290. a
Mehemetes Murati patre demortuo in regno Turcico ſuccedit 401. a
Mehemetes ſe expeditioni Pannonicæ accingit, ut Reginam Iſabellam cum filio in Tranſilvaniam reducat 185. a. *exercitus Duces præcipui* ibid. *Temeſvarium obſidet* 186. a
Melchioris Balaſſii rapina & ſcelera in comitiis Tirnavienſibus accuſantur 175. a. *crimina ejuſdem* ibid. *publicis ſuffragiis proſcribitur* ibid.
Melchior Balaſſius acie adverſus Telequeſſium inſtructa, incertam Martis aleam ſubterfugit 242. a. *ad Ferdinandi Hungariæ Regis partes tranſit* ibid.
Melchior Balaſſius ad Ferdinandum Imperatorem deficit 245. b. *Sacmarium, Taſnadium & Nogibania eidem donantur* ibid.
Melchior Balaſſius Viennæ fato extinguitur Anno 1567. 314 b
Melchior Ratquius ad Georgium Nemethium Boſcaianum deficit 509. a
Melchior Roboles, Mariæ Maximiliani conjugis Collactaneus, Ioannem Petconem, Comaronii Præfectum, Poſonii in comitiis, ob privatas ſimultates fuſte percutit, atque equo pernici aufugit 265. a
Melite inſula à Turcis fruſtra obſidetur 284. a
Mercius Saravvaſum, Eſcheid, Zolnockum. Hevvetſchium, Hetvvanum &c. ſubjugat 598. b. *cum Heuslero Arathum occupat* 599. b. *Panſovam & Vipalanckam occupat* 659. a
Mercii caſtra præclara ejuſque laus 662 b
Metus Viennenſium 578. b
Michael Archius Walpovii præfectus ſe dedit Solimano 161. a. *Idem & aliquot centuriones à Turcis perfidè trucidantur* ibid.
Michael Borius Bacabanienſis præſidii Legatus & Ibraimus equitum ductor Palancanus duello concertare ſtatuunt 359. a.
Michael Catains Callonem Boſcaio dedit 501. a. *ejus Cancellarius conſtituitur* ibid. *in Scepuſiana arce Barbianum irrito conatu oppugnat* ibid.
Michael Catains Boſcai Cancellarius fruſtillatim ab Haidonibus diſcerpitur 520. a. b
Michaelis Dabozii eximia virtus ac præclarum facinus 84. a
Michael Ferreus Soeloſiam arcem, cui præerat, turpiter Solimano dedit 161. a
Michaelis Marothii infelix caſus 463. a
Michael Rederus Jaurino & caſtris Cæſareis in obſidione Paponſi regendis, dux deligitur 462. b. *paucis abhinc diebus morbo correptus obit* ibid.
Michael Sarcoſius ab Haſane Filecienſe præfecto poſt varios cruciatus clam occiditur 258 b
Michael Secenius Veſprimio Præfectus 287. b
Michael Serienus Hathuanienſem præfecturam recuſat 425. a
Michael Vaivoda Tranſalpinus cum Alberto Quiraldo Tranſilvanarum copiarum Præfecto, Achomatum Eunuchum fundit, fugatque 411 b. *acerrimo cum Turcis prælio congreſſus Sinanum vicit & in fugam conjecit* 412. a
Michael Tranſalpina Vaivoda Tranſilvaniam invadit 453. a. *ejuſdem doli ac fraudes* ibid. *Tranſilvania decedere abnuit* 454. a
Michael Tranſalpinæ Vaivoda Baſta juſſu e medio tollitur 467. a. *literæ excuſatoriæ de cade ad Imp. Rudolphum* ibid.
Michael Valachiæ Princeps Moldaviam invadit 459. a. *Sigiſmundo Tranſilvaniæ & Hieremiæ Moldaviæ Vaivoda copias fundit, fugatque* ibid. *conſerto cum Samoiſcio & Polonis prælio victus è Moldavia profugit* ibid. b
Michael Valachiæ Princeps Tergoviſtam fuga ſe recipit 464. a. *indeque Pragam ad Cæſ. Rudolphum contendit* ibid. *à Cæſare in Tranſilvaniam remittitur* 465. a. *Ferdinandi Gonzagæ ſtudio cum Baſta in gratiam redit* ibid
Michaelbegoglus Sirmium vaſtat 65 a. b

Militibus Sigethanis duplex ſtipendium perſolvitur. 227.b
Milites Caſariani ſub Baſta duce, ob ſtipendiorum tarditatem tumultuantur 503.b
Milites ſepulchrorum effoſſores caſtigati 278.a
Miles annorum 109. *adhuc militat* 577.a
Miraculum inſigne 112.b. 509.b
Motenigo defuncto ſucceſſit iterum Maurocenus 634 b
Modonam Konigsmarckius capit 603.b
Mohacziana clades, quâ X. millia equitum, & XII peditum interiêre 72. b. 80. 81. *qui in ea perierint* 82. 83. *in Mohaciana pugna cadit Turcas Carolus* 606. 607. *ejus ſpolia* 608. a. *eâ vindicavit mortem Ludovici Regis* 608. a
Moldavia Principes pontem Danubio inſternunt in obſidione Viennenſi 580 a
Moldavici motus Anno 1561. *auctore Iacobo Heraclide Deſpota excitati* 246. a
Moldavi pulſo Alexandro principe, certatim ſe Ioanni Heraclidi Deſpota fidei, obſequioque addicunt 249. b. *cui quatuor è Boiern præclarè navant operam* ibid.
Moldavorum agreſtium complura millia exactionis aurei nummi levationem à Deſpota Principe petunt 264. a. b. *Auctores tributi ad ſupplicium ſibi tradi volunt* ibid.
Moldavia Princeps Deſpotes peditum factione in arce Suchava proditus, capite multatur 267. a
Moldavia Princeps Deſpota à ſuis in arce Suchava obſidetur 263. a. b
Moldavica copiæ in exercitu Sigiſmundi Tranſilvania Principis, comparato adverſùs Sinanem 413. a
Molinus ſucceſſit Mauroceno Venetias redeunti 621 b
Molitiones Ioannis Sigiſmundi Tranſilvania Principis 252. a
Monachus vide Georgius.
Monaſterium Scotenſe Vienna à Turcis incenſum 580 a
Moncadus Romam opprimit 84. a
Mons aſtu. m Tockeli uxor Caraffa tradit cum litteris &c. ejus deſcriptio & robur 621. a
Mons S. Thoma Strigonienſis à Caſarianis vi capitur 385. b
Montem Græcum Vaivodæ cingunt, Turrianus defendit, & arcem Zagrabienſem cingit 97. a. b
Montecuculus defuncto Gonzagâ præficitur exercitui 546 a *fit exercitus Imperator* 559. b. *ei arx Pottendorff donatur* 567.b
Montenigros, Medunum & Clinum recipit Cornarus 616. a
Moraviam Turca invadunt 571. b. *Morava tractum vaſtant* 624. a
Morbus Solimani 304. a. *ætas ejuſdem* ibid.
Morlatenſes Dalmatiam invadunt 587.b
Moſcorum & Polonorum expeditio nulla 609.b
Moſci à Tartaris caſi proditore Galitzino 621.b. *Aſopum capit* 638.a.b
Moſcorum contra Tartaros victoria 64.b
Moyſes Siculus, juſſu Samoiſcii Michaëlem Tranſalpinum Moldaviâ pulſum, inſequitur 459. b. *Tranſilvaniam occupare contendit.* 460. a
Moyſes Siculus à factioſis Tranſilvanis princeps electus, à Turcis inſignia imperii nefariò accipit, 488. a. *Caranſebeſſum occupat* ibid. *Albam Iuliam in poteſtatem redigit* ibid. *Claudiopolim deditione ſubigit, cum aliis nonnullis oppidis* ibid. *Cibinio capto, Braſſonem oppugnare aggreditur* ibid. *in prælio cum Radulone Valacho cadit* ib.b
Moyſes Siculus Turcas in ſocietatem belli adverſùs Baſtam Ducem Caſareì exercitus in Tranſilvania, vocat 481. a. *induciis inter Baſtam & Sigiſmundum pactis rebellionem renovat* 482. a. *Baſta illi occurrens, copias ejus cum magna ſtrage proſternit* ibid. b
Mulieres potiùs comburi quàm viros ſuos deſerere maluerunt 612. a
Mullerus Iaurinum proditurus ſe ipſum necat 595. a
Multitudo confluentium Hungarorum in caſtra Caſarea 392. b
Multitudo Turcarum, Duce Carolo Mansfeldio in obſidione Strigonienſi occiſorum 406. a. b
Muncatii ſitus 308. a. *expugnatio difficilis* ibid.
Munera eximia Marto Stanſitio Præfecto Sigethano à Rege Ferdinando miſſa 227.b
Munitio S. Gerardi, inferiore urbe Budenſi capta à Turcis derelinquitur 451. a
Muphtis ſummus ſuperſtitionis Mahumetana antiſtitis ſententia de bello gerendo 361. b. *qui à Sinane veneno è medio tollitur* 362. b
Murana arx conſpirationis in Caſarem cancellaria 563. a. b
Murani arcis ſitus 177. a. *capitur* 178. a. 540 b
Murates purpuratus Budenſis ex improviſo à Caſarianis opprimitur cæditurque 491. a
Murates Selymo patri, ſublatis quinque fratribus, in regno ſuccedit 328. a *octennales cum Caſ. Maximiliano inducias ratas habet* ibid.
Murates Turcarum Imp. clade Siſciana audita, à Sinano & ſorore inſtigatus, bellum Caſari Maximiliano infert 371. 372.
Murates Imp. Turcarum fato fungitur 401. a
Muſtapha Boſnenſis Crupam arcem obſidet 270. a. *Illyricum populatur* 281. a
Muſtapha Imp. incarceratur 532. a
Muſtapha Vezirius depoſitus, ſucceſſit Cupertus 622 a. *quot Baſſas necaverit* 622. a. *moritur in exilio* ibid.
Muſtapha Mahometis filius fit Soldanus 636. b. *Lippam & Tekliam opprimit* 637. b. *Tranſilvaniam invadens Veteranum cadit, necat* 637. 638. *capit Caranſebum* 638. a. *Cæſus ab Eugenio fugit Temeſvvarium* 640. a. *indicit Carolo bellum* 654 a
Muſtaphas Boſna præfectus Budæ præficitur 289.b
Muſa Kihaia à Sigethanis capitur 227.b
Muſtapha Nicopolitanus præfectus in bello Temeſvarienſi occumbit 200 b
Muſtapha Vezirius movet in Hungariam 576.b *noſtros perſequitur* 578. a. *Viennam obſidet* 579. a. &c. *omni triduo per vias obſid. lecticâ argenteâ in obſidione Viennenſi defertur.* vide Vienna. *Ejus fuga in obſidione & prælio Viennenſi* 583. b

N.

N*Adaſdius Comes capite minuitur* 567.b
Nadaſdius laude bellica res clariſſimus extremam diem obit Anno 1604. 493. a
Nadaſdius ſubmergendus elabitur 98 b
Nadaſdus & Budianus in Turcicum excurrunt 544. a. *captivitate Serini magis efferatur* 565. a. *capitur* 566 a. *enatriculatur* 567. a. *commendat filiis obedientiam* ibid. *ejus ſententia & ſupplicium* ibid. b. *filiorum Nadaſdi & Serini nomina mutantur* ibid.
Nandoralba aut Belgradi deſcriptio 58. a. *obſeſſi initia* ibid.
Naſi 5000. *Bizantium miſſi* 196.b

Naſuffus

Naſuffius Sigethi præfectus de Haidonum injuria apud Ibrahimum querela 467 468. *ut Cauſam oppugnandam ſuſcipiat exhortatur* ibid.
Naves aliquot Turcis ablatæ 661.b
Neapolim di Romania Veneti capiunt 603.b
Nemethium & Sacmarium, clari nominis oppida, interfluente Samoſio diſcinguntur 255.a
Neogradi deſcriptio 382.a. *obſidetur* ib.a. *deditur* 383.a. *illud derelictum Turcæ occupant* 168.b
Neoſtadienſis arx ſe Imp. Maximiliano dedit 3.a
Niarius Strigonienſes Turcas cædit 170.b
Nicolaus Palffius Comarino præficitur 344.a. *Albanos Turcas cædit* 345 b
Nicolaus Bathorius, prætorio præfectus diem ſuum obit 344.b
Nicolaus Boſcaius & Homonnianus ſe Cæſaris Rudolphi imperata facturos promittunt 521.b
Nicolaus Comes Salmenſis à Ioanne Vaivoda ad Cæſ. Carolum V. de reſtituenda Coronæ mittitur 122.a
Nicolaus Salmenſis ad Iſabellam reginam Viduam Ioannis ablegatur cum tabellis initi fœderis cum Ioanne 141.b. *Regina negotium tanti momenti ad Sigiſmundum patrem referendum cenſet* 142.a. *cum Herberſteinio ad Solimanum legatus nil effi[illegible]* 150.b
Nicolaus Comes Salmenſis juſſu Ferdinandi copias ducit adversùs Matthiam Baſonem, & Melchiorem Balaſſium proſcriptos 175 b. *Sitnam Baſonis arcem obſidet* ibid. *deditione ea potitur* ibid. *Levam oppugnat* 176 a. *in poteſtatem ſuam redigit* ibid. b. *eidem deditur arx Chabragum* ibid. *ad Muranam obſidendam caſtra promovet* 177. a. *proditione eam occupat* 178.a *obit* 180. b
Nicolaus Comes Turrianus Zagrabienſem arcem obſidet 97.a.b. *à Rege Ferdinando, omiſſa obſidione ad Viennæ defenſionem avocatur* 98.a.b
Nicolaus Comes Turrianus & Petrus Cruſitus Claſſiæ Præfectus profligantur ab Amurathe Uſrephi Boznenſis Præfecti alumno 130.&c.
Nicolai Comitis Zrinii ac Georgii Beſtenſiani copiæ à Turcis conciſæ 169.b
Nicolaus Comes Zerinius Illyrici præfecturam adeptus eſt 157. b. *Petrum Keglevitium in arce Chactornia obſidet* 158.a
Nicolaus Comes Zrinius cum Hungaris Tartaros depopulatores fugat 167.a. *tria millia cadit* ib.b
Nicolaus Comes Zrinianus Illyriciana præfectura ſe abdicat 234.a
Nicolaus Comes Zrinianus Sigethi præfectus 252.a
Nicolaus Comes Zrinianus Sigethi præfectus cladem Balaſſianam Turcis reddit 257.b
Nicolaus Derſffius ab Imperatore Rudolpho ad Boſcaium deſiſtit 502.a.b. *ad Cæſ. revertitur* 511.b
Nicolaus Iſthuanffius propalatinus 341.a
Nicolaum Juriſitium Ibrahimus variis artibus tentat, ut oppidum Guncium dedat 113.a
Nicolaus Olahus Regis Ferdinandi Cancellarius Epiſcopus Zagrabienſis conſtituitur 169. a. *poſtmodum Strigonienſis* 218 b
Nicolaus Palffius Strigonii & novæ arcis præfectus fatis conceſſit 459.a
Nicolaus Perlinus Urbinates ob Jaurini deditionem capitis ſupplicio afficitur 402.a.b
Nigronus Card. liberalitas 646.a
Nigroponti urbs à Venetis obſeſſio 616.a
Niſſam Badenſis occupat, cæditque Turcas 621.a.b
Nitram Turcæ capiunt 550.b
Nobilitatis ſegnities in mittendo milite 74.b
Nobilitas Hungarica ruſticis interdicit, ne cum cruce ſignatis militatum abeant 42.a
Nobiles, qui ſtrage Mohatiana occubuerunt 80.81.
Nobiliores qui clade Cociana à Turcis capti ſunt 135.a
Nobiles clade Balaſſiana capti & occiſi 257.a
Negradum à Turcis captum 168 b
Novam artem Samoſianam Tranſilvanis tradit juſſu Ferdinandi Stephanus Dobo 231.b
Novarinum Turcæ cingunt 549.b. *ejus deſcriptio* ibid.
Novus Palatinus Ungaricus Lutheranæ religionis placide & piè obdormit 52 b
Novigradum Turcæ capiunt 550 b. *quod Tockolius incendit* 616.b. *Baſſa cum aliis baptizatur* 639.a
Novum Calendarium in Hungaria receptum 355.b
Numerus Chriſtianorum, qui in prælio cum Mehemeto Turcarum Principe commiſſo, occubuerunt 431.432.
Numerus cæſorum & captivorum Turcarum in prælio cum Ferhate Budenſi 357.b
Numerus Turcarum, Duce Carolo Mansfeldio in obſidione Strigonienſi captorum 406.a.b
Numerus Turcarum, qui in tribus præliis cum Cæſarianis Maximiliano Duce occubuerunt 432.a
Nuptiæ Sigiſmundi Bathoris Tranſilvaniæ Principis cum Maria Caroli Archiducis Auſtriaci filia 410.b

O.

OBitus Nicolai Comitis Salmenſis 180.b
Oberenpruccius, nobilis in Cæſ. exercitu, ſub comite Suartenburgio, Tribunus occumbit 458.b
Obſides conventus Chriſtianorum & Turcarum in Inſula Danubiana 456.b
Occupationes Ferdinandi Imper. tabificâ febre affecti 269.a.b
Oekerus Ungaros offendit 573.a
Odium Mehemetis in Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem 289.a
Oppidum Sigethum pilis igneis à Turcis ſucconſum totum conflagrat 221.b
Opitius Flaciana ſecta Viennâ expellitur 337 b
Optimates Moldaviæ Bogedanum Principem apud Selymum accuſant 321.b. *Ivoniam quendam illo abdicato eligunt* ib. *mergitur* 322.a
Oratio Bartholomæi Peezii Cæſarei Legati ad Arbitros Turcicos tractandæ pacis delectos 494.a
Oratio Funebris in exequias Ferdinandi Imperatoris 283.a
Oratio Sigiſmundi Seldii Rom. Imperii Vicecancellarii ad proceres Hungariæ de coratione Maximiliani 261.b
Orbis novus à Columbo detectus 15.b
Ordo caſtrorum in obſidione Budenſi 450.a
Ordo copiarum in exercitu Cæſareo ſub Archiduce Matthia ibid.
Origo Haſanis Boſnenſis 363.a
Orosfalva oppidi prærogativa 168.b
Orphei Gallonis in obſidione Caniſiana Architecti ſegnities 475.b. *ejuſdémque obitus* ibid.b
Oſman Aga cum reliquiis Turcarum victus ac interfectus 114.b
Oſman & Siauſius tumultuantur 609.a
Oſtervviciam arcem Turcæ invadunt 55.b
Oſvvaldus Epiſcopus Zagrabienſis Ioannis Corvini oppidis imminet 21.a.b
Ovarium à præſidiariis deſeritur 99.b

P.

PActa conventa inter Georgium & Iſabellam utrimque juramento confirmantur 183.b
Pacta conventa inter Cæſarem Rudolphum & Boſcaium concluſa 517. a. *Tabula hujus conventionis* 518.a
Pajazeti Turcarum Principi Selymus filius imperium eripit 39.a
Palatini Hungarici dignitas 53. a. *extinguitur* 569. a. *ejus loco conſtituitur prorex* ibid.
Palatinus Poſonii res novas molitur, nec niſi Ferdinando Hungariæ declarato introductoque quieſcere vult. 85.b
Phatema matris Arslani virile robur 424.b
Palocia arx ab Emerico Telequeſſio capitur & ſolo æquatur 233.a
Palffius fit banus Croatiæ 542. a. *ejus mors* 543.a. *fit Anno* 1714. *palatinus* 651. a. *eum Turcæ aggrediuntur* 655.a
Palota arx capitur 119. a. *à Joanne Vaivoda Raphaeli & Joanni Podmaniciis fratribus dono datur* ibid.
Paluſtria loca propiùs arcem Sigethanam cratibus vimineis Turcæ ſternunt 296.b
Panicus terror, qui Cæſarianis victoriam de Mehemete eripuit 431. b. *ſimilis fuit in Vienna obſidione* 578 b
Panis miraculo plures pacem deſiderant 648.b
Pannonicis ruſticis in comitiis Tirnavienſibus aliò migrandi libertas conceditur 174.b
Panſovam Turcæ tenant 661.a
Papenſes præſidiarii à Turcis conciſi 193 a
Papa tuenda Andreæ Hoffkirchio committitur 436.a
Papa à Suarcemburgo obſidetur 462.a
Paradiſius Caniſæ præfectus à Georgio Zrinio comite auxilia adversùs Ibrahimum ſibi ſubmitti rogat 469.b
Parcanum Caſtellum juſſu Caroli Mansfeldii ſummi exercitûs Cæſ. Ducis à Palffio expugnatur & evertitur 404.b
Paſmanius Card. fidem erexit 533. b. *ejus mors & virtutes* 539.a
Paſſarovicenſis pax, & conditiones 667.a.b
Patocia Bebeci uxor Sachiariam arcem certis conditionibus Lazaro Suendio dedit. 307.a
Paulus III. electus Pontifex 122.b
Pauli III. auxiliares copiæ adversùs Turcas 153.a
Paulus Archiepiſcopus Strigonienſis obit 179.a
Paulus Baquitius è Thracia nobili ſtirpe ortus, cum quinque fratribus à Turcis ad Hungaros deſciſcit 65. a
Paulus baquitius Thrax pontibus Danubii tuendis à Ferdinando conducitur 100.a
Pauli Baquitii felix tum Solimano conflictus 102.a
Paulus Baquitius dux bello clarus in prælio Cociano cadit 133.b
Paulus Chaquius Tranſilvanorum conjuratus ad Ferdinandum redit 229. a
Paulus Kiniſius Temeſvarii præfectus Bohemicas Nigrorum cohortes caſtris exuit ac profligat 17.a
Paulus Kiniſius militum manu versùs Samandriam excurrit, & Aly Regi Samandriæ præfecti duo caſtella cum magna præda occupat 20. a. *idem manditu ſupplicium, qui Belgradum Turcis prodere ſtatuerant, necat* 20 b
Pauli Kiniſii & Bertholdi Dragffii excurſiones in Bulgariam 23. a. *unde ingens præda parta* ib.
Pauli Kiniſii viri, ob rei bellicæ peritiam æterna memoria digniſſimi, mors & eloquium. ibid.
Paulus Kiniſius Regionem inter Savum, Danubiúmque pacat 11.a
Paulus Niarius ab Imper. Rudolpho ad Boſcaium deficit 502.b
Paulus Ratcaius Papæ præfectus Veligianem Perſam Albæ præfectum cædit & fugat 181.a
Paulus Ratcaius obit glande fortuita ictus 223.a
Paulus Tomoraus caſtra hoſtium in Peſthanis ſuburbiis expugnat 43. b. *rebelles agreſtes cædit ac fugat* ibid.
Paulus Tomoraus Georgio Frangepano demortuo Colocienſi Archiepiſcopo ſucceſſit 64. b. *ejuſdem origo & varia fortuna* 65.a
Paulus Tomoraus Archiepiſc. Colocienſis collectis temerè copiis Michael Beglogium reprimit ib. b. *Exercitum ejus fundit & fugat*, ibid. *Dux Ferhates occiditur* 66. a. *magna præda diſtribuitur, & Manubiæ Ludovico Regi offeruntur.* ibid.
Paulus Tomoraus & Georgius frater Vaivoda, Duces exercitûs contra Solimanum conſtituuntur 76.b
Paulus Tomoraus Solimani conatus inhibere conatur 76.a
Pauli Tomorai milites caſtra cum regiis conjungi abnuunt 77.a
Paulus Tomoraus pugnæ cum Solimano cupidus 78. a. *hoſtium copias elevat* ibid.
Paulus Vardanus Archiepiſcopus Strigonienſis ſe Solimano dedit 99.a
Pax inter Joannem Tranſilvaniæ Vaivodam & Ferdinandum Hungariæ Regem 128.b
Pax Cæſareo-Bethlenica 530. b. *Cæſareo-Turcica* 533. a. *pacem Monaſterienſem Ferdinandus III. confecit* 544. a. *pacem Turcæ urgent* 960. a. *conditiones* ibid. *eam Hungari deteſtantur; ſed cauſa pacis* ibid. b. *Vicennalem cum Turca confirmat Leslejus* 561. a. *Cæſareo-Turcica ratificatio* 542. b. *pacem Turcæ petunt* 594. a. 605. a. *per legatos Sulfficas & Maurocordatum* 617. b. *pacis conditiones proponuntur* ibid. & 618. *Turcarum conditiones rejiciuntur* ibid. a. *Turcæ pacem ſuſpirant* 629. b. *Ryſvvicenſis, quâ Turcæ territi, pacem affectant* 640 b. *Pax Carlovvicenſis componitur* 641. b. *pacis Cæſareo-Polono-Veneto-Turcicæ conditiones* 642. a. *ſolemnis per legatos confirmatio* ibid. *domus pacis Franciſcanis donata* ibid. *Paſſarovicenſis ab utriſque legatis componitur* 667. a. b. *conditiones ejus* ibid. *poſt pactam pacem Virmundus convivium inſtituit, & commercii fit tractatus* 667.a
Pedipulus Abaffium ejecturus caditur 572.a
Peditum LX. millia in exercitu Cæſareo 293.b
Peditum tria millia à Coſmo Florentiæ Duce in ſupplementum Cæſarearum copiarum contra Solimanum miſſa. ibid.
Peditum XII. millia in clade Mohaciana cæſa 81.b
Pellizarius Dux Walachiæ & Flekius necati 626. b.
Penuria cibariorum in inferiore arce Sigethana 299. a
Perenis Palat. ab Uladislao reprehenſio & mors 50. a. b. *vide* Petrus
Perfidia Franciſci Nemethii 232.b
Pertaffus Baſſa Giulam arcem obſidet 288. a. *obſidionem ſtrenuè urget* 290. b. *oppugnationem ſummis viribus tentans repellitur* 291. a. *amiſſis duobus millibus* ibid.
Petrus Chauſius Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ principem hortatur, ne quid adversùs Imperatorem ſuum Selymum rerum novarum moliatur 318.a

Peſthenſa

Peſthenia therma ſaluberrima 457.b
Peſthi oppidi ſitus 154.b
Peſthum ab exercitu imperiali tormentis verberatur 155.b. *deſeritur* 156.b. *infelici impreſſione tentatur* ibid.
Peſthum à Cæſarianis acerrimo impetu capitur, 484 b. *ingens præda ibi inventa.* ibid.
Peſthum, delectu habito, præſidio Cæſareo munitur, 487.a
Peſthum cum ſumma ignominia nota Jagenreuter deſerit 495.b
Peſtis in Auſtria ac Pannonia. 487.a
Peſtis Budæ 27.b. *in Hungaria* 37. *Polonia* 649.b
Petardi, bellici inſtrumenti, deſcriptio 403.a
Petraſchim Dobom occupat 659.a
Petrinia exuſta à Cæſarianis funditus exciditur 389.a. *à noſtris feliciter capitur* 499 b
Petrovvaradini victoria Eugenii quantum gaudium Clementi PP. & toti Italiæ attulerit 656.b
Peterozzius ſubmittit ſe Cæſari 598.a
Petrus Archiepiſcopus Colocienſis querelas Beatricis Reginæ de connubio in comitiis Budenſibus incaſſum revocat 14. b
Petrus Baquitius Franciſco Niario ægrotante, in imperio copiarum, quas Ferdinandus Carolo V. contra Evangelicos proteſtantes miſerat, ſuccedit 172.a
Petrus Baquitius à Carolo V. Ferdinando eximiè commendatus 174.a
Petrus Berislaus Epiſcopus Veſprimienſis Andreæ Botho & Marco Mulenovicio Banis Illyricis ſufficitur 38.b
Petrus Berislaus Illyrici præfectus Turcarum deprædationes reprimit ibid. a. *cum* 2000. *ſtrage* ibid.
Petrus Berislaus Epiſcopus Veſprimenſis, & Illyrici totius Præfectus in itinere ad amnem Corenicianu a Turcis interficitur 56.a
Petrus Corogius Nobilis, ferreo ſtomacho 82. b. *ejus familia B. Gerardum peremit, ideo punita* 82.b
Petrus Erdodius Illyrici præfectus 234.a
Petrus Erdodius vir rebus præclarè geſtis illuſtris obit 304 b
Petrus Fart aſſitius Zrinii legatus obit 294 b
Petrus Gerebus Matthiæ Regis conſobrinus & Germanici exercitûs præfectus, Stephano Zapoliano Hungariæ Palatino ſufficitur 29.a
Petrus Gerebus Palatinus obit 32.b
Petrus Keglevitius pro regia dignitate, qua in Illyrico fungebatur, motus eſt; in comitiis Novi Zolii & Poſonii habitis 157.b. *cauſa cur hæc dignitas ei adempta* ibid.
Petrus Keglevitius Turcarum opem contra Nicolaum Zerinium imploraturus; proditione Peſegani à Zerinio intercipitur 158.b. *& ad Regem Ferdinandum mittitur* ibid. *à quo paulò pòſt, bonis reſtitutis dimittitur* ibid.
Petrus Keglevitius in prælio ad Rechem pagum Caniſiæ propinquum à Turcis interficitur 304.a
Petrus Moldaviæ princeps in Cicionem arcem ſe ſubducit, metu Solymani 137.a. *Scelera eidem imputata* ibid.
Petrus Moldaviæ princeps Joannis Vaivodæ arbitrio ſe ſubmittit 138.a. *à Solimano in Galatam relegatur* ibid.
Petrus Moldaviæ princeps à Solimano in Galatam relegatus, cognita Alexii defectione, in principatum reſtituitur 138 b
Petrus Perenus corona Regiæ cuſtos in comitiis Poſonienſibus ad Ferdinandum tranſit 86.a
Petrus Perenius, dum in peculiarem Solimani beneficiarium recipi contendit, nefariè à Turcis proditus capitur 111.a. *ſuis quà cæſis, quà ſpoliatis* ibid.
Petro Perenio à Ferdinando mandatur, ut coronam regiam, quam antè Joanni Tranſilvaniæ Vaivoda tradiderat, Albam perferat 87 b *ſuccedit Gerebo Palat.* 32. b. *Et corona Hungariæ adimitur* 105.a
Petrus Perenus Cancellarii munere oblato, ad Ferdinandi partes à Caſparo Seredio traducitur 139.a
Petrus Perenius, inſimulatus affectati Hungarici regni ſuſpicionis, juſſu Joachimi Marchionis comprehenditur, & Viennam adducitur 157.a
Petrus Peteo à Michaele Ferreo, Joannis Paxi Legato præfectura Veſprimienſi excluditur 198 a
Petrus Poquius arcis Baimociæ Gubernator ſupremo afficitur ſupplicio 27. a. *in fruſta diſſecatur* ibid.
Petrus Petrovitius rebellium Tranſilvanorum dux pugna Franciſco Tahio detrectata, in Sarmatiara ſe ſubducit 228.b
Petrus Zrinius capite plectitur 568.a
Philippus Emanuel dux Mercurianus ab Imp. Rudolpho accitus, exercitui adversùs Turcam præficitur 463.b. *cum principe Mathia in caſtra venit* 479. a. *cum copiis Caniſam versùs promovet* ibid. *multitudo armatorum in caſtris* ibid. b. *commeatus inopia compulſus, caſtris motis diſcedit* 472. a. *turbatio in progrediendo* ibid. b. *copiis dilapſis Viennam abit,* 473. a. *felici eventu Albæ Regiæ obſidionem ſuſcipit* 477. *urbem, Turcis loco pulſis vi occupat* ib. b *Marcum Inſulanum urbi tuendæ & muniendæ præficit* ibid. b. *diem ſuum obit* 480 b
Philippus V. Rex Hiſpaniæ in favorem Turcarum Sardiniam invadit, ideo decimas à Papa conceſſas reddere debuit 666. b
Philippus Torniello Comaronienſis præfectus quatuor Italicos Præfectos Albæ à Solymano obſeſſæ ſubſidio mittit 165.a.b
Picolominus captis Priſtina, Mierovvico, Panſa & Uſcopia 40000. *incolarum, hanc incendit* 623. *à Clementinorum Patriarcha exceptus, paulò pòſt moritur* ibid.
Pilarum ferrearum XII. millia in obſidione Agrienſi collecta 214. b
Piratica Turcarum eſt prohibita 668 a
Piſces in thermis Budenſibus 142.b
Podmanici Fratres, Joannes & Raphael, ob rapinas proſcribuntur 158.a. *iis arx Rabocia data* 119.a
Poloni ſeu Tartari 200.a
Poloni à Valachis ſingulari perfidiâ trucidantur 266.b. *Turcas egregiè cædunt* 583.b
Poloni præterito Cæſ. Maximiliano, Henricum Audium ducem, Regem eligunt 330.a.b
Poloni & Ungari fœdus contra hoſtes 28. b. *Polonos inter & Bohemos certamen* 37. a. *diſceptatio de Sileſia* 37.b. *Moſchos cædunt* 48.b. *Moldaviâ expulſi* 599.b. *Walachiam moliuntur* 600. b
Poloni comitia de Rege creando indicunt 329.a
Poloniæ Regis Joannis cum Cæſare Leopoldo colloquium 585.b. *ſuccurrit Viennæ, & Turcas abigit* 583. *&c.* vide Vienna, Leopoldus. *Turcas perſecutus, ſuo & filii ſui mortis periculo caditur* 586.a. *Jaſſum obtinent & deſerunt* 603.b. *Camineco fruſtrati* 621.b. *iis Camineci & Ukraniæ perpetua reſtitutio offertur irritò* 634. a. v. Pax.
Polonica copia in Moldaviam reducuntur 461.a

Pontes Danubio à Turcis inſternuntur 580. a
Pontificia & Ferdinandi Regis copiæ adversùs Solimanum ſerius coacta 167. b
Poqnis ſupplicium 27. a
Poſegam incurrunt Turcæ 31. a
Poſonium conveniunt Arbitri componendæ pacis inter Uladiſlaum & Albertum 12. a
Poſonii in comitiis Thomas Nadaſdius Palatinus creatur 219. a
Poſonium ad coronationem Maximiliani filii, Imp. Ferdinandus claſſi devehitur 261. b
Poſonienſia comitia Anno 1587. 355. a
Poſonii conflagratio 49. a
Poſonium à Töckelianis Carolus Lotharing. Dux recuperat 581. b
Poſonii comitia habentur 439. a
Poſonienſia comitia à principe Matthia celebrata 495. b
Poſtulationes Turcarum iniquiſſimæ à Cæſarianis rejiciuntur 494 b
Pragenſes ob defectionem à Ferdinando Rege malè mulctati 174. a. b
Praga Cæſari deditur 529. b
Praineri Cæſarei Legati inanes apud purpuratos querela de Ferhatis Boſnenſis incurſitationibus 336. a. b
Præda Jaurinis oppugnatione parta inter duces & milites Cæſareos æquis partibus dividitur 443 b *quantam in liberatione Viennenſi Chriſtiani à Turcis adepti* 584 a
Præfectus Giulæ Querecenius arcem Pertaffi Baſſæ dedere ſtatuit 291. 292. *deditionis conditiones* ibid. b. *contra pacta à Turcis compedibus vinctus* ibid. b. *juſſu Selymi laqueo injecto ſtrangulatur* 292. b
Prælium atrox Eunuchi cum exercitu Zerinii 224 a. *in quo Turcæ vincuntur & in fugam conjiciuntur* ibid. *pugnam redintegrantes iterum profligantur & palude ſubmerſi, reſugiunt* ibid. b. *Cæſareo-Turcicum* 547. a. *ad S. Gotthardum* 557. 558. *Viennæ* 583 b. *ad Barcanum* 586 b. *prope Olaſchum* 638. b. *Eugenii ad Zentum* 639. 640 *ſpolia & cadis cauſa Veziriis* ib. *prælium Petrovvardini* 655.
Prælium Chriſtiani exercitus cum Turcis Viennam obſidentibus 583. b
Prælium Ferdinandi & Vaivodæ partium juxta Tocatum 89. a. *in quo Vaivodani fuſi & fugati* 89. a
Prælia leviora Exercitus Cæſarei & Joannis Sigismundi Tranſilvaniæ principis 283. b
Prælium cum Solimano acerrimum 80. b. *in quo primum agmen equitum Solimani in fugam actum Janiceros turbat* 81. a. *vide* Certamen, Pugna.
Prælium ad Montem album 529. a
Prælium Cæſaris cum Proteſtantibus 172. b
Præſidiarii Sabacium contra Solimanum defendentes mortem fortiter oppetunt 59 a
Præſidiarii in arce Dedeſcla, Ladiſlao Canaſſio defuncto, paſſim dilabuntur 309. a
Præſidiarii Albani cum Haſane purpurato, neſcio præfecto Joanne Marco Inſulano, de deditione tractant 483. b
Præſidiarii Balaſſiani relicta arce Plauenſtanio in arcem Diviniam refugiunt 335. a
Præſidiarii Belgradenſes contra fidem datam à Turcis trucidantur 61. b
Præſidiarii Beſprimonſes contra fidem qua caduntur, qua ſervituti mancipantur 198. b
Præſidiarii Caſſovienſes eruptione facta, hoſti tormenta eripiunt 8. b
Præſidiarii Huſti morbis inſolitis & variis incommodis fracti Iſabellæ ducibus ſe dedunt 232. a
Præſidiarii Jaurinenſes Germani, comite Ottingenſi præfecto caſo attoniti, cum Turcis de deditione arcis paciſcuntur 512 b
Præſidiarii Peſtani ad caſtra Turcica excurrentes, fugientibus Ungaris profligati, Peſtum ſe recipiunt 485. b
Præſidiarii Sigethani Turcas in aggeribus invadunt, fundunt ac fugant 222. a
Præſidiariorum Sigethanorum numerus 295. b
Præſidiarii Tocaienſes ſe Lazaro Suendio exercitus Cæſariani duci dedunt 277. a
Præſidiarii Viennenſes tumultuantur 103. 104. *quos Palatinus, triplici promiſſo ſtipendio ægrè placat* 104 b
Præſidium Deſpotæ Moldaviæ principis contra rebelles ex variis gentibus 265. b
Præſidium Jaurino à Cæſarianis imponitur 394. a 578. a. *Comoronio impoſitum* ibid. *Viennæ impoſitum* 579. b
Præſidium ſolectum à Maximiliano Archiduce Auſtriæ Varadino impoſitum 448. a
Prætoriani Deſpotæ, equites Hungari & Thraces, à rebellibus Moldavis perfidè obtruncantur 265. a
Preveſam Veneti obtinent, fruſtati Sing. 593. b
Primores in prælio cum Mehemete commiſſo, interfecti 265. a
Priſſerani Turcas repellentes Albaniam ſuam communiunt 623. b
Priulus Dux Venetorum Cæſ. Maximilianum certiorem facit de Solimani obitu 303. b
Prodigalitas Alberti Laſci 246. b
Proceres Vaivodanæ factionis in Illyrico 90. b
Procopium deſtructum 626. a
Propugnaculum Heneianum, præſidiariis aliquandiu repugnantibus capitur 298. a
Propugnaculum Jaurinianum pulvere ſulphureo ſubverſum 395. a
Propugnaculum Sigethanum à Turcis tormentis verberatur 221. b. *Quot Viennæ propugnacula* 580. a. *bina eorum cuniculis everſa*, 582. a
Proventus frugum malignus, ac ſterilitas in Hungaria 315. a
Pruccum oppidum ſe Imp. Maximiliano dedit 3. a
Pugna Albana, in qua Murates Budenſis, & Mehemet Kihaia, multaque millia Turcarum & Tartarorum occubuere 478. b
Pugna atrox inter Demetrium Viſnovecium & Valachos 266. b
Pugna Hungarorum cum Tartaris 393. b. *qua optimates Hungari occumbunt* 394.
Pugna Joannis Heraclidis cum Alexandro Moldaviæ principe 248. a. b
Pugna inter Joannis Bornemiſſæ & Franciſci Battiani famulos 71. b. *vide* Certamen, Prælium.
Pugna Turcarum de præda 298. b
Pulvis ſulphureus incenſus magnum Cauſianis damnum infert 469. b
Pulvis tormentarius in caſtris Eraſmi Teuffelii ſuccenditur 206. a. *Agriæ etiam* 212. a. *inventores* 631 b
Purpurati Ferdinandi Legatos ab aditu Solimani excludunt 219. a
Pyrobolis Vienna infeſtatur & mirus pyroboli caſus 581. a

Quere-

Q.

Querela Ferbatis Budenſe de Hungarorum injuria 360.a
Querela procerum Hungariæ de Antonii Siculi injuriis & rapinis 263.a
Querecenis Giulæ præfecti ignavia & pavor 291.b
Quæſitores proventuum regni Ungarici 355.a
Quintiſius tractum Savi & Danubii pacat 11.a. Bohemicas nigrorum cohortes fundit 17.a. horribiliter proditores Belgradi punit 20.b
Quinqueecclesia, clariſſima urbe, amiſſa, Anno 1543. 167.a. Serinius recuperat 551.b. & iterato Scherffenbergius 604.b.605.

R.

Rabata plures urbes recipit 589.a
Radulo Valachiæ Princeps ad Uladislaum venit 35.b. Aldiodum oppidum ei donatur ib.
Radulo Transalpinæ Vaivoda caſtra Moyſis Siculi noctu adoritur 488. b. Turcas ac Tartaros præcipiti fuga ſe dantes aſpicit ibid. Tranſilvanorum quatuor millia cadit 489.a. centum & quinquaginta vexilla capta Rudolpho Imp. offere ibid.
Ragotzius Bethlenio ſucceſſit 536.b. Ungariam invadit 537.a. ſollicitatur à Sueco ut Lutheraniſmum propaget ibid. cæditur ab Iſtuano ib. Iſtuanum fundit 538.a. à Gallo & Sueco ſollicitatus ad Cæſarem invadendum 540.a. Ungaricam libertatem & religionem reſtauraturus, eam invadens à Buchemio cæſus, à Turcis derelinquitur ibid. a. b. Ragotzius pace vix pactâ Suecis Moraviam invadentibus ſuccurrit 541.a ambo Viennam & Poſonium excurrunt, & Tirnam capiunt ibid. Ragotzio principatus Oppelenſis & Ratisborienſis permittuntur 541.b. Ragotzio defuncto ſucceſſit filius Georgius 542 a cæditur internecivè 543. b. à Turcis depoſitus ſubſtituitur Redejus 544. a. cum Turca fundunt 545 a. mors ejus ibid. contra Leopoldum militem colligit 564. a. captivat Starrenbergum 564. b. Mongatſchium invaſurus à matre rejicitur ibid. deteſtata conjuratione per matrem reconciliatur 565 b. Tockelius viduam procatur 574 b. Ragotzius & Ludovici XIV. in Leopoldum conjuratio proditur 642. b. cum Solarius captivat, & Lehman liberat ibid. b. elapſus Hungariam invadit 643. a. cæditur, & plures urbes cum Berceno occupat ib. Vyvarinum capit 645. a. ab Heiſtero & Herbevillo fuſus ibid. b. excurrit in Styriam & Moraviam 646. a. cæſus ab Herbevillo ib. b. ambit Tranſilvaniam, & irrito tentat Sopronium 647. a. ejus nequitia ibid. b. armiſtitium rejiciens Hungariam expilat & Moraviam, ſed funditur 649.650
Raguſam Uladiſlaus in clientelam recipit 20.a
Rahocia arx capta 119.a
Raſciani cædunt Turcas, & cæſi opprimunt Liſſinam 619.a. iterum cæſi ibid. b. Turcas cædunt 628 b. opima eorum ſpolia capta 634 a
Ratiſpona comitia habentur 439 b
Rebelles Abaffium & Turcas invocantes rejiciuntur 568 b. perſequuntur, confœderati Tranſilvanis ibid. 569. b. eos prorex perſequitur 569 b. ſiunt contumaciores quo Cæſar benignior ibid foventur à Gallo & Turcis ibid. vaſtant Ungariam 570. a. cæſi fugiunt in Tranſilvaniam & Turciam ibid. teſtitui volunt libertatem ibid. eorum primarium Straſoldus perſequitur ibid. b. plures ad Cæſarem redeunt ibid. obfirmati Ungariam populantur 571. a. cum Abaffio Zathmarium repetunt ibid. Germanos necant ibid. Gallus & Turca iis ſubſidia præſtant 572.a. eos Cæſareani graviter, & hos illi puniunt ibid. ſub Weſſelino volunt Regem ex Frangepanis eligere ibid. urgent Palatinum ibid. b. eorum Dux fit Tockelius ibid. iis Cæſar promittit amneſtiam 473.a. tentata irrito cum iis concordia ibid. b. pacta pace Neomagenſi Cæſar in rebelles ferventior 574. a. invadentes Auſt. Styriam, Moraviam repelluntur ibid. b. iis Cæſar omnia permittit, & rejicit Tockelius 575. a. eos Gallus inſtigat 574. a. 645. b. auro Cæſarem venerantur templa reſtituentem ibid. b. plures Cæſar recipit, rejicit Töckelium 586. a. Amneſtia publicata plures ad Cæſarem redeunt, quos Tockelius perimit 588 b. Temeraria rebellium in armiſtitio poſtulata 644 a. Viennam usque omnia depopulantur ib. Moraviam invadunt, & cæduntur ab Heiſtero 644 b. 645. conterunt Ritſchavium 645. a. eos Rabutinus Tranſilvaniâ ejicit ibid. Hungariam miſerè devaſtant: cæduntur 647. a. b. fruſtrà à Moſco, Sueco & Polonis ſubſidia petunt ibid.. execrabilis eorum ſecta ibid. 648. a. Ragotzianam conjurationem continuantes Styriam involant 648. 649. Gergel-Janes rebellium primarius captus 649. a. in caſtris Turcicis Petrovvaradini cæſi 656. b. Rebelles & Turca Tranſilvaniam invadere moliuntur 664. a. Tranſilvaniam vaſtantes repelluntur 666. a.
Rebellionis Hungaricæ cauſam fruſtra Leopoldus ſopire ſtudet 576. a. ejus auctores capite plectuntur 567. &c. Töckelius Hungariæ archirebellis ibid. Ex rebellione bellum Hungaricum oritur 570. a
Rebellio vide Conjuratio.
Rebellium agreſtium copia diverſis in locis profligantur 44.a
Rebellium Moldavorum Stratagema 264.b
Rebelliones Moldavi capite plectuntur 267.b
Redejus Boſcaianus Novam arcem iterata oppugnatione vexat 511 b
Redejus Ragotzio ſubſtituitur 544. a. b
Regis electio quomodo fiat 538.a
Rege defuncto, cautum, ne alienigena eligeretur 33.a
Regis Gall. litera ad Hungaros 85.b
Reſponſio Murati Turcici Legati ad orationem Bartholomæi Petzii Cæſarei de pace Legati 494.b
Reſponſio Thomæ Nadaſdii Hungarici Palatini ad orationem Cæſ. Ferdinandi de Maximiliano Filio ſibi in Pannonia ſuccedente. a51.a
Rhodus obſidetur à Solimano Anno 1522. 63.b
Rodienſem expeditionem molitur Solimanus 63.a
Ridiculum barbari Stratagema 204.b
Ritus coronationis Maximiliani in Regem Hungariæ 262.a
Rivulus Dominarum deditionem offerens à Cæſarianis Ducibus recipitur 278.a
Rixa inter Georgium Sacmarium, Archiepiſcopum Strigonienſem, & Chriſtophorum comitem Frangepanum 71.a
Roma à Moncado opprimitur 84
Roſvvurmius Budam obſidens cœli injuriis obſidione decedere compellitur 278.a
Roſvvurmius caſtra Cæſarea ad urbem Budam cum Turcicis caſtris confert 491. b. cum Turcis acerrimo conflictu certamine 492. a. hoſtes vincit, & in fugam conjicit ibid. VII. millibus cæſis & ſubmerſis

merſis ibid. *Hathuanum obſidet & occupat, Anno* 1603. ibid. b. *Peſtho præſidiis firmato, Viennam redit* ibid. b
Roſvvurmius Pragæ extremo ſupplicio afficitur, 315. b
Ruberi eximia virtus 285. b
Rudolphus Greiſius Germanorum militum in caſtris Hathuanenſibus Tribunus cadit 424. a *milites ejus ob fugam ignominiâ notantur* ibid. a
Rudolphus Ratiſponenſ. comitiis eligitur Rex Rom. 336. b
Rudolphus Imp. Stephano Regi Poloniæ Nagibaniam Sacmarii loco tradit 339. b
Rudolphus Imp. Reſuani Principis Moldaviæ cæde crudeliſſima offenditur 416. b
Rudolphus Imp. undique copias adverſus Turcam comparat 423. b. *Legatos ad Sigiſmundum Poloniæ Regem de confirmando fœdere mittit* ib.
Rudolphus Imp. Budam aut Albam conjunctis copiis aggrediendam ſuadet 500. a. *remittitur Aldobrandinus* ibid.
Rudolphus Salicem tormentorum præfectus colubrinaſcius in oppugnatione Saduarienſi vulneratus concidit 306 b
Ruſtenus Agrienſes confirmat 610. b. *necatur à Seraskiero cum duobus baſſis* 613. a
Ruſtici ſeditioſi in Illyrico, in Nobilium fortunas graſſantur 323 b. *Carnos & vicinos ut ſecum vires conjungant, hortantur* ibid. *Franciſci Tahis villas devaſtant* 324. a. *Matthæo Gubecio Duce Stubiciam occupant* ibid. *à Matthæo Queglevitio Nobilitatis Duce, funduntur, & fugantur* ibid. a. b.
Ruſticis nobilitas interdicit militiam cruce ſignatam 42. a

S.

SAbacii ſitus & varia fortuna 58. b. *obſidetur* ibid. *capitur* 59. a
Sabariam milites Thomæ Jaurienſis Epiſcopi capiunt 10. b
Sacci lintei terra pleni Cæſarianis in Caniſianas lacunas conjiciuntur 475. &c.
Sacmarium & Nemethium, clari nominis oppida, interfluente Samoſio, diſcinguntur 255. a
Sacmarium à Solimano Tranſilvaniæ duce deſertum, Maximiliani copiarum dux Lazarus Suendius occupat 277. b. *novam arcem in Inſula conſtruere incipit* ibid.
Saduaria arx à Georgii Bebeci muliere defenditur 306. a
Saduaria arx acerrimè per quatriduum à Lazaro Suendio concutitur ibid. b
Sævitia Alexandri Moldaviæ Principis in Nobiles 267. b
Sagum collegii Monachorum Benedictinorum caſtellum ab Aly Eunucho direptum 204. a
Salgo arx Turcis deditur ibid.
Samandriæ præfectus Balibegus incurſionem in Sirmium redintegrat 59. 60. *omnia ferro & flamma vaſtat* 60. a
Samandriæ præfecto Balibego Belgradum à Solimano committitur 62. 63.
Sardiniam Philippus V. Hiſp. Rex invadit 666. b
Sarnouam Vaivoda obſidet 51. a
Saſuares caſtra Ecchiana adortus, multis amiſſis, Albam redit 301. b
Saſuares Selnoci præfectus ab Hungaris ad arcem Onodiam profligatur 342. a
Saſuaris Sigethani præfecti depopulatio 352. a. *fuga* ib. b. *mors quam ſibi veneno conſciſcit* 354. b
Saxo Elector Leopoldo opem contra conjuratos offert 565. a
Saxones & Siculi Tranſilvani ad Ferdinandum deſiſtere ſtatuunt 127. a
Saxones à Geyſa Rege in Tranſilvaniam ducti 136. b
Saxoniæ Elector cum aliis Viennam obſidione liberat A. 35. *inde in patriam redit* 382. b
Scanderbaſſæ Trapezuntii, Boſnæ præfecti in forum Julii excurſiones 29. b. *ejuſdem horribilis interitus, ex phtiriaſi* ibid.
Scherffenbergius Comes fortiter Viennam defendit 579. &c. *Quinqueeccleſias capit* 604 b. *Belgradi cadit* 614. b
Schultzius cum parte equitatus Viennam venit 578 a
Schultzius Tökelium internecivè cadit 592. b. *capit Bartfeldiam* 593. a. *moritur* 604. a
Sclavoniam Croyus capta Gradiſcâ ſubjicit 632. a
Sclopetorum diſploſio in regium cubiculum Uladiſlai 48. a
Scottenſe monaſterium Viennæ conflagrat 580. a
Sebaſtianus Totus Apoſtata ignibus exuſtus 227. b
Sebeſſum infirmum oppidum certis conditionibus ab Achomate redimitur 203. a
Secenia arx turpi præfecti & præſidiariorum fuga Turcis ceſſit. ibid. b
Secenum Joannes Balaſſius Zolii veteris & Montanarum urbium præfectus obſidet 256. b. *accito finitimis præſidiis* ibid.
Segedinum capitur, diripitur 195. a. b. 604
Selymus Tranſilvaniæ Vaivoda Alkairum oppugnat 54. b. *moritur* 1518. ibid.
Selymum Solimani filium, citatis itineribus, paterno corpori, ad Valconarum obviam prodit 303. b
Selymus Imp. Turcarum è vivis migrat 328. a
Selymus bello Cyprio intentus proclivior ad pacem cum Cæſ. Maximiliano ineundam exiſtimatur 311. b
Semenderes Tatæ præfectus, oppido capto, ſe cum arce Maximiliano Archiduci dedit 435. b. *encomium ejus de Maximiliano Archiduce* ibid.
Semendria Turcis dedita 626. b. *recuperata* 666 a
Somlenum fortificatum 666. b
Semplinienſe Munimentum à Ferdinandi Regis exercitu expugnatur 233. b
Senatus trimeſtris apud Hungaros 355. a. *Palatinus Ungaricus* ibid.
Sententia Joannis Sigiſmundi Tranſilvani & Tartarum de bello adversùs Cæſarem Maximilianum gerendo 309. a
Sepulturâ Turcæ non dignantur Chriſtianos 534 b
Seredii commentum 126. b
Serenicum Cæſarianis deditur 277. b
Serenus Comes (Joannes) Viennam generosè defendit 582. *ſeq* per tot.
Serinius (Nic.) extruit Serinvvar 547. a. *ſentaus illud Turca* 549. a. *Nicol. Serinii ſpolium* ibid. b. *cadit Turcas* 550 b. *ejus cum Hohenlojo in pontem Eſſeck. expeditio* 551. a. *capit Quinqueeccleſias* ibid. *ejus laus* 552. a. 354. b *Turcarum inſidias elapſus* ibid. *Mahomet Serinvvar deſtruere* ibid. *meditatur Caniſam cingere* 552. b. 533. a. *Serinvvarinus Turca capiunt* 554. b. *ejus filius ſuſpectus fuit innocens* 574. b. *Per. Serinius Turcas cadit* 562. b *in Cæſarem conſpirat* 563. a. *Serinius & Tettenbachius urbes doloſè occupant* 564. a. *à filio dehortatur à conjuratione* ibid. b. *cum Frangepano capitur* 565. a. *litera excuſatoria conjurationis* 566. a. *vide* Conjuratio. *ejus & Frangepani condemnatio & colloquium* 568. a. *eorum decollatio* ibid. *ejus filius fugiens Cæſari inſidiatur, capitur, incarceratur* 578. b
Serviæ dominium latum habuit Carolus VI. 668. *Belgradum ejus metropolis captum* 665. b
Sethſius caſo Bethlenio Ungaros ad Ferdinandum reducit 529. b

Sforcia Pallavicinus cum 'egione ſua fortiſſimè contra Achematem dimi.avit 206. b. *faucius in Turcarum poteſtatem venit* ibid.
Sforcia Pallavicinus Exercitm Ferdinandi contra Aly Eunuchum præfectus 225. a
Sfortia (Lud.) Turcas adversùs Venetos incitavit 29. a
Siculorum motus in Tranſilvania 33. b
Siculorum patres familias ſinguli Ludovico, filio maſculo Regi nato offerunt bovem 34. a
Siculi caduntur ac domantur ibid.
Siculorum conatus adversùs Ferdinandum Hungariæ Regem 229 a
Siculi Joanni Sigiſmundo rebellantes à Ladislao Radaco comprimuntur 259. a
Siculi ob continuas rebelliones libertate ſpoliantur ibid. b
Siculorum copia in exercitu Sigiſmundi Tranſilvaniæ principis adversùs Sinanem comparato 412. b
Siculi tumultuantes à Sigiſmundo Tranſilvaniæ principe coerciti 418. a
Sigethi deſcriptio 221. b. *deditio* 627. a. *ſuburbia ejus Tungen incendit* 605. b
Sigethanam veterem Turca ſummo impetu expugnant 297. a
Sigethi obſidio 1. *Auguſti, Anno* 1566. *capta* 294. a. b
Sigethana nova à Zrinio comite incenditur 295. b *vetus ab eodem ſtrenuè defenditur* ibid.
Sigethana arx minor ignibus injectis incenditur 298. b
Sigiſmundus Bathorius Tranſilvaniæ princeps à Turcis a fide deſciſcere laborat, repugnantibus nonnullis è procerum ordine 399. a. *Tordenſia comitia adire recuſat* ibid. b. *proceres complures cuſtodiæ mancipat* 400. a. *de quibus capitale ſupplicium ſumit* ibid. b. *ejuſdem Legati ad Caſ. Rudolphum de ſtabilienda pace* ibid. b
Sigiſmundo Bathorio Saroſia & Saduaria arces à Caſ. Rudolpho donantur 461. b
Sigiſmundus Bathorius in comitiis Claudiopolitanis denuo Tranſilvaniæ princeps renunciatur 454. b. *exercitum adversùs Imp. Rudolphum comparat, Moſe Siculo Duce* 465. b. *prælio acerrimo conflicto copiæ ejus partim proſternuntur, partim in fugam conjiciuntur* 466. a. *decem millia fuerunt caduntur* ibid. b
Sigiſmundus Forgatius à Mathia principe ad Boſcaium legatur 514. b
*Sigiſmundus Herbeſtainius Illyrici præfectus Coſtanicz** obſidet* 421. a. *oppidum diripit* 422. a. *metu Achematis caſtra obſidione ſoluta reducit* ibid. b
Sigiſmundi Poloniæ Regis ad Uladiſlaum fratrem legatio de victis profligatiſque Moſchis 48. b. *præfecturam Luſatiæ & Sileſiæ obtinet* 28. b
Sigiſmundi Regis in Hungariam adventus, Anno 1515. p. 49. a. *Poſonii à fratre Uladiſlao excipitur* ibid.
Sigismundus Poloniæ Rex annos natus 18. *fato defungitur* 179. a
Sigiſmundi Poloniæ Regis abſque hærede obitus, Anno 1572. 321. a
Sigiſmundus Racocius à Caſ. Rudolpho ad Boſcaium deficit 502. b
Sigiſmundus Racocius, neglecto Valentino Homonnaio, Tranſilvaniæ princeps invitus renunciatur 520. b
Sigiſmundus Sueciæ Regis filius, Poloniæ Rex electus, Cracoviam advenit 349. b. *eidem ſuppetiæ à Tranſilvanis mittuntur* ibid.
Sigiſmundus Terda à Georgio Bebeco captus, juſſu Lazari Suendii liber dimittitur 306. a
Sigiſmundus Trautmansdorffius, militum in Illyrico præfectus, regionem Poſeganam vaſtat 495. a
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps, Moldaviæ & Valachiæ principibus perſuadet, ut jugum Turcicum excutiant 410. b. *Baboczam & Varſocium Turcis eripit* 411. a. *Tocuardiam, Fadſatum, Lippam aliaque loca ditioni ſuæ adjicit* ib. *exercitum adversùs Sinanem comparat* 412. b *copias recenſet* 413. a. *Aquila prope tentorium ejus conſidet* ibid. b. *Tergoviſtam obſidet* 414. a *Siculorum virtute expugnat* ibid. b. *Sinanem Bucoreſto fugientem inſequitur* ibid. b. *quinque millia Turcarum cædit* 415. a. *multos Chriſtianos è ſervitute eripit, arcem Girgionis expugnat* 415. b. *rebus præclarè geſtis domum repetit* ibid.
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps cædem Joannis Reſuani Moldaviæ principis armis vindicaturus, à Clemente pontifice inhibetur 416 b. *Anno* 1596. *ad Imp. Rudolphum venit* 417. b
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps Temeſvario fruſtra oppugnato, Turcas ac Tartaros profligat 422. a. b
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps ſe Maximiliano Duci exercitui Cæſareo adversùs Mehemetem conjungit 428. b
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps ad Rudolphum Imp. aurei velleris & provinciæ illi tradendæ cauſa contendit 433. b. *conſilia ejus Caſ. improbat* ibid.
Sigiſmundus Tranſilvaniæ Princeps Temeſvarium fruſtra obſidet 439. a. *ejuſdem oratio valedictoria ad provinciales Tranſilvanos* 440. 441. b *Idem in Sileſiam contendit* 443. b. *ex Sileſia in Tranſilvaniam revertitur* 446. a. *principatum, Duce Boſcaio ſibi iterum vindicat* ibid. *ſe Legatis Caſ. Rudolphi excuſat* 447. b
Sigiſmundus Tranſilvaniæ princeps Legatos ad Rudolphum Imp. de fœdere renovando mittit 452. a. *paulò poſt mutata ſententia Andreæ Bathorio Cardinali provinciam cedit* ibid. *certis conditionibus* ibid. *Conjugem à ſe ad matrem dimittit* ibid. *ad Samoſcium in Poloniam ſe recipit* ibid. b
Sigiſmundus induciis inter ſe & Baſſam pactis, Nicolaum Bogathium ad Imp. Rudolphum de pace mittit 481. 482. *Claudiopoli provinciam Baſſæ tradit* ibid. b. *Pragam ad Cæſarem contendit* 483. a. *in arce Lobcovitia ſedem conſtanter figit* ibid.
Signifero in pugna Mohatiana calcaria detracta 80. a
Signum Alys Eunuchi in Agriæ oppugnatione interceptum 214. a
Simon Erdodius Epiſcopus Zagrabienſis, Joannes Banſius à Ledua, Joannes Tahius Auranæ Prior, ac Petrus Marcius Poſegæ Valconariique comites aliique Vaivodæ bellum adverſus Ferdinandum in Illyrico redintegrant 97. a. *Montem Græcum obſident* ibid. *oppidum in colle Zagrabiæ Hiſpani ſtrenuè tuentur* ibid. *ideòque Vaivodani obſidionem ſolvunt* ibid. b
Simonis Epiſcopi Zagrabienſis obitus 169. a
Simultates inter Albertum Laſcum & Moldaviæ Principem Deſpotam 263. b
Simultates veteres inter Baſſam & Michaelem Tranſalpinum recrudeſcunt 466. b
Simultates inter Frangepanos comites Bernhardum & Joannem 18. a
Simultates inter Lazarum Suendium & Andream Bathorium 278. b

Simultates inter Stephanum Dobonem & Franciſcum Quendum Tranſilvamaprafectos 228.a
Sinanes Murati bellum in Europam transferendum ſuadet 361. a. *Haſanem Boſuenſem ad bellum Hungaris inferendum extimulae* 362.b
Sinanus Belgradum venit 372. a. *filium ſuum Beglerbegum Petriuienſibus ſubſidio pramittit* ib b *Veſprimium obſidet & occupat* 274 a. *inde Paloeam prafidiariorum ignavia deditam invadit* ibid. b. *exercitum Budam reducie* ibid. b
Sinanis adventus in Hungariam cum numeroſis copiis 389. a. *Jaurinum obſidere decernit* 390 a. *Tatam ſibi deditam occupat* ibid. b
Sinanus Munitionem Tobanam tormentis concutit 391. b. *cuniculis actu muros ſubruit* 392. a. *Danubium ponte conſternit* 393 b. *Jaurinum arctiſſimè premit* 394. b. *deditione occupat* 395 a. *urbis prafecturam Aly purpurato mandat* ibid. b. *inde Comoronium obſidet* 396. a. *tormenta manibus concutiendis admovet* ibid. *ab agendis cuniculis repellitur* ibid. b. *ab obſidione diſcedit* 397. a. *triumphans Conſtantinopolim redit* 398. a. *ejuſdem jactatio* ibid. *faſtus erga Legatum Sigiſmundi Tranſilvania principis* 399. a. *susquiſſima poſtulationes* ibid.
Sinanus magno coacto exercitu Conſtantinopoli ſe movet 411. a. *ejus odium in Michalem Vaivodam Tranſalpinum* ibid. *Bucareſtam & Tergoviſtam Michaeli Vaivoda adimit* ibid. b. *profugus Byzantii extinguitur* 415 b
Sing Cornarm occupat 600 b
Siraskierus vide Turca.
Sirmii ducis defectio ad Caſarem 21. b. *ab Uladiſlao oppugnatur* 23. a. *Palatinum implorans à Rege exuitur* ibid. b. *omnibus ab Uladislao exuitur* 24. b. *in gratiam recipitur* 24. b
Sirmium depopulatur Michalbegiogus 654. b. *vide* Laurentius.
Siſciam arcem Turci profugi deſerunt 389.a
Socloſiam Solimanus capit 161 a
Socordia & crapula Haidonum 195. b
Solertia Stephani Dobonis prafecti Agrienſis in rebus obſidioni neceſſariis 208 b
Solimano quando & quomodo corona Hungarica tradita 104. b. *Selimo ſuccedit* 55. a
Solimanus ad Naudoralbam urbem obſidendam ſe accingit, Anno 1521. 57 a
Solimanus praſidiariis caſis Sabacium occupat 59. a. b. *Savum ponte ſternit* ibid. b
Solimani expeditio in Hungariam 73. a. *Conſtantinopolim reverſus Rhodi expeditionem molitur* 63. a
Solimanus trajecto Savo Varadinum Petri obſidet 74. b. *idque omnibus caſis, vi expugnat* ibid.
Solimanus ab Hungaris ad certamen provocatus, milites ſuos uſque ad meridiem in caſtris continuit 80 b
Solimanus Marothum, Archiepiſcpi Strigonienſis municipium ſumma vi expugnat, trucidatis omnibus, qui eò confugerant 85. b
Solimanus vacuam Budam occupat 88. b. *Conſtantinopolim redit* ibid.
Solimanus Vaivoda Budam reſtituit, adjuncto ei Gritto cum Turcarum praſidio 99. a
Solimanus 26. Sept. An 1529. *Viennam advenit* 100. a. *caſtra ejus quadripartita* ibid. *majora tormenta ſibi deſunt, Ibrahimi, ut fertur, verſutia* ibid. b
Solimanus prima impreſſione repulſus, ſuis mandat, ut omnibus viribus oppugnationem Vienna denuo aggrediantur 102 b
Solimano Buda deditur 98. a. *arx à Germanis eidem traditur* ibid. b. *qua dedita omnes perfidè trucidantur* ibid.
Solimanus ſoluta Viennenſi obſidione, feſtium abſcedit 103. a. *quem noſtri inſequuntur, & plurimos ex ejus copiis cadunt* ibid. b. *ſuorum viginti millia deſideravit* ibid b
Solimanus Joanni Vaivoda coronam ac regia inſignia Buda confert 104. a. *Verba ejus ad Joannem Regem* ibid. b. *jubet, ut Vardanum Archiepiſcopum Strigonienſem, & Petrum Perenium in gratiam recipiat* ibid. b. *Et quomodo corona Hungarica tradita* 104. b
Soliman Vezirius dignitate & vitâ privatur, ſuccedit Siauſus 609. a. b
Solimani in campos Mohacianos adventus 111. a
Soliman Guncium obſidione cingit 111. b. *quam prater omnem ſpem defendit Nicol. Juriſſitius* ibid.
Soliman Ferdinandi legatos cum literis faſtûs & arrogantia plenis dimittit 112. a
Soliman Guncii obſidionem magna ignominia ſolvit 119 b. *caſtra movet verſus Styria montana, de conſilio Ibrahimi* ibid.
Solimanus pradatorum ſuorum clade territus Muram fluvium trajicit 115. a. *fluvium Dravum nando tranſmittit* ibid. *Raſinam arcem ferro & flamma delet* ibid.
Solimani copia bipartito diviſa mediâ hieme Adrianopolim perveniunt ibid.
Solimanus Petro Moldavia principi bellum infert 136. b
Solimani odium in Moldavum quibus ex cauſis ortum 137. a
Solimanus Stephanum Petri fratrem Moldavia praficit 137. b
Solimani indignatio in Joannem Tranſilvania Vaivodam ob exercitum cum Ferdinando collectum, ibid. *ſupplex Vaivoda excuſatio* ibid.
Solimanus rebus in Moldavia confectis Conſtantinopolim redit 158. a
Solimanus Legatis Iſabella regina pollicetur auxiliares adversùs Regem Ferdinandum copias 143. b
Solimanus Mahumetem Baſſam in Hungariam mittit 146. b
Soliman III. ſuccedit Mahometi IV. incarcerato 609. b. *coronatur ſeu gladio cingitur* 611. a. *proditio in Solimanum incapatem ſed opprimitur* 612. b. *ob ſeditionem fugit Adrianopolim* 614. b. *illi depoſitionem minantur, niſi ineat pacem* 618. b. *eo mortuo ſucceſſit Achmed II.* 629 b
Solimanus cum ingentibus copiis in Pannoniam movet 148. a
Solimanus Budam venit 149. a. *Mahemetem Begler-Begum Europaum creat* ib. *Ulamanem Perſam in Boſuenſi prafectura confirmat* ibid. *captivi in ejus conſpectu puniuntur* ibid. *ſuo, & filiorum Selymi & Pajazetis nomine, Iſabella Regina & filiolo munera offerri curat* ibid. *& ut puer cum proceribus quibuſdam in caſtra Turcica veniat, petit* ibid. *infantem regium blandè tractavit, optimates qui eum proſequuti ſunt, convivio excepit* ibid. b. *puerum cum proceribus, excepto Valentino Turco, Buda ſingulari aſtu occupata, ad matrem Iſabellam remiſit* 149. b. *de Pannonia regno conſultavit* ibid. *Budam ſibi aſſerit* 150. a. *Reginam Iſabellam cum infante filio in Tranſilvaniam amandat* ibid. *infanti regio filio, ubi adoleverit, Budam ſe reſtituturum jurat* ibid. a

Solimanus cum exercitu Samandriam pervenit, Anno 1543. 160. a. b
Solimanus urbem Quinqueeccleſiam premit 161. a. *à profugis ejuſdem profectu deſertam occupat*, ibid. b. *inde Strigonium contendit* 162. a. *Strigonium advenit* ibid. b
Solimanus arce Tata capta, Albam obſidet 165. a
Solimanus Mahometem Jahioglum Budæ præficit 167. b. *Balim Epirotam Albæ* ibid. *Huſſainum Strigonio* ibid. *Conſtantinopolim redit* ibid.
Solimanus Maximiliano reſcribit, ut Joanni Sigiſm. adempta reſtituat 284. a. *bellum Tranſilvanicum omittat* ibid. *irritatus ob munus ordinarium non allatum, nec Tocaium redditum, bellum Caſ. Maximiliano indicit* 285 a. b
Solimanus Temeſvarienſis Chanadinum obſidet 444. b. *irrito conatu abſcedit* ibid. *non mediocrem cladem ab Andrea Barciano Caranſebeſſii & Lugaſſi præfecto accipit* 445. a. *Legati Tartarorum in Tranſilvaniam veniunt* ibid. b
Solimanus Soldanus triumphaliter Conſtantinopolim ingreditur 629. a. *defuncto ſucceſſit Achmet frater* ibid. b
Solimanus Budenſis ab Haydonibus capitur 456 b *Murates purpuratus ei ſuccedit* ibid.
Solimanus à Tranſilvano & Arslane Budenſi aſſiduis nuntiis ad bellum Imp. Maximiliano inferendum, inſtigatur 285. 286.
Soliman cum Joanne Sigiſmundo Tranſilvano colloquium 289. a
Solimanus Mehemetis cæde irritatus omiſſa Agriæ obſidione, Sigethum versùs caſtra promovet 290. b
Soliman copiarum in Hungariam multitudo 294. b
Solimanus alvi profluvio extinguitur 298. b
Solis Ariani ad Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem graviſſimis doloribus excruciatum patet aditus 319. a
Solnoci egregia munitio extruitur 179. a
Solnoci ſitus 207. a
Sombor arcem Stephanus Palat. Corvino eripit 212. b
Somnia Georgii Carachondii ex oppido Naghania oriundi 322. a. *ad quem ob ſimulatam vitæ auſterioris profeſſionem magna hominum etiam armatorum multitudo confluit* ibid. b. *quorum ſexcenti caſtellum Turcicum S. Nicolai aggreſſi miſerandum in modum caduntur* ibid.
Sopronium Ragotzius irritè tentat 647 a
Souchesius fortiter Viennam defendit 479. b. per totum.
Souches capit Nitram & Levenzam, pugna ibidem 555. a. b. 556. 557. *Barcanum occupat & inflammat* 557. a. *cum filio aulam deſerit* 570. b
Speratus hæreſis auctor damnatur 55. b
Spiræ fœdus & pax inter Joannem Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem & Caſ. Maximilianum concluditur certis conditionibus 317. b
Sporckius conjuratos perſequitur 565. b
Srebernicum oppidum à Turcis capitur 55. a
Stanislaus Turzo Boſcai partibus ſe jungit 507. b
Starrenbergus Titulium recuperat 638. b
Starrenbergius obſeſſa Vienna præfectus 578. b. *lapide vulneratur* 580. a. *à Cæſare annulo & aureo vellere ornatur* 585. b
S. Stephani turris Viennæ multum à Turcis læſa Luna depoſitâ impoſita ei crux eſt 589. *ejus feſtum Innocentius XI. inſtituit* 604. a
Steinvillius plura occupat in Moldavia & Walachia 659. a. *cum Joanne Maurocordato Walacho tranſigit* 662. b
Stephanus Bardius ob res præclarè geſtas Eques creatur à Ludovico 66. a. *inſolens ejus oratio* ibidem. *Thomam Boſmacum in duello occidit* ibidem. b. *capitis ſupplicio eadem luit* ibidem.
Stephanus Bartus ſpe arcis Dedeſtæ tuendæ abjecta, pulverem ſulphureum ita diſponit, ut Turcæ irrupturi arcem igne concepto, in ſublime raperentur, & necarentur 309. b
Stephanus Bathorius juſſu Regis Uladiſlai Albam obſidendam ſuſcipit 10. a
Stephanus Bathorius ac Gerebus Matthias viri militia præſtantiſſimi è vivis excedunt 17 b
Stephanus Bathorius copias auxiliares contra Georgium Siculum, à Joanne comite Scepuſienſi petit 45. a
Stephani Bathorii & Joannis Tranſilvaniæ Vaivodæ pollicitationes mutuæ 46. b
Stephanus Bathorius Palatinus declaratur 53 b
Stephanus Bathorius Palatinus in integrum reſtituitur 72. b
Stephani Bathorii Palatini oratio ad milites cum Solymano pugnaturos 80. a
Stephanus Bathorius Palatinus moritur 128 a
Stephanum Bathorium Tranſilvanorum copiis arcem Vardam obſidentem turpi fuga ſibi conſulere compellit Emericus Teleqneſſius 238. a
Stephanus Bathorius Somlianus à Joanne Sigiſmundo Tranſilvaniæ Vaivoda ad Imp. Ferdinandum de pace mittitur 286. a
Stephanus Bathorius Varadinenſis præfectus Sacmarium aſtu militari occupat 272. b. *Rivulum Dominarum oppidum cum arce deditione capit* ibid. *Hadadum arcem vi expugnat* 273. a. *inde ad oppidum Echedum caſtra promovet* ibid. b. *ad Vardam oppugnandam contendit* ibid. b. *certis conditionibus occupat* 274. a. *Hinc Covazonem arcem captam ſolo æquat* ibid. *Athriam Bidu arcem ſingulari celeritate occupat* ibid.
Stephanus Bathorius Somlianus Tranſilvaniæ princeps eligitur, Anno 1571. *Electio ejus à Caſ. Maximiliano & Selymo confirmatur* 320. b
Stephanus Bathorius Tranſilvaniæ princeps Becqueſſium in arce Fogaraſſi obſidet 327. b. *arcem deditione capit* 328. a
Stephanus Bathorius comitiis ad Megeſſum indictis, regno accepto ſe Polonis juramento aſtringit 330 b
Stephanus Bathorius Cæſarianorum irruptione audita, celeriter copias comparat 332. b. *ſubmiſſis quadringentis equitibus à Mehemete Lippæ præfecto, rectà contra Beqneſſium pergit*, ibid. *acri pugna utrimque commiſſa Bequeſſium cum copiis Cæſareis tandem vicit* ibid. b. *in captos Tranſilvanos ſummam ſeveritatem exercuit* ibid. b. *hoc prælio feliciter geſto ſucceſſu in Poloniam vocatur* ibid. 334. a. *venit cum IV. millibus equitum* 334. a. *Kalendis Maji coronatur, Anno* 1576. *Annam Jagellonicam Sigiſmundi I. filiam ducit* ibid.
Stephanus Bathorius Somlianus, cum Franciſco Craſinecio à Joanne Sigiſmundo Tranſilvano & Sigiſmundo Poloniæ Rege ad Cæſarem Maximilianum de pace firmanda mittuntur 281. a
Stephanus Bathorius Boſcaio ſe jungit 506. a *paulò pòſt obit, nulla relicta ſobole* ibid.
Stephani Boſcaii rebellio 496. b. *ejus origo alt ns repetita* ibid.

Ste-

Stephanus Brodericus, Epiſcopus Vaticenſis à Ludovico ad Clem. PP. mittitur 71. 72. Franciſcum Gallorum Regem in arce Piſleone cuſtoditum inviſit & ſui Regis nomine conſolatur 71.b

Stephanus Chaquius à Baſta, duce Cæſariarum copiarum in Tranſylvania, ad Samoiſcium & Sigiſmundum Bathorium legatur de motibus Tranſilvanicis 461.a

Stephanus Chaquius Tranſilvaniæ principatum affectat 464. a. *ex comitiis Claudiopoli habitis Legatos de re ad Cæſ. Rudolphum mittit* ibid.b

Stephanus Chaquius diem ſuum obit 506.a

Stephanus Criſpus Sirmienſis Epiſcopus, ac Ioannes Sullemburgus Bohemicus Cancellarius ab Uladislao Hungariæ Rege ad Imp. Maximil. Legati rebus infectis redeunt 3. b. *Legatorum horum Oratio Cæſ. Maxim. dura reſponſio* ibid.

Stephanus Dobo & Stephanus Neſqueius præfecti Agrienſes ad litteras Achomatis nec verbum reſpondent 208.a

Stephanus Dobo & Neſqueius Agriæ præfectura ſe abdicant 215.a

Stephanus Dobo cum Franciſco Quendio à Ferdinando Tranſilvaniæ præfectus conſtituitur ibid.

Stephanus Dobo præfectura Tranſilvaniæ ornatur 218.b

Stephanus Dobo à Gabriele Perenio fide violatâ capitur 231. b. *in arce-Nova Samoſiana cum conjuge & liberis cuſtodiæ mancipatur* 232.a

Stephanus Dobo conſpiratorum Hungariæ Procerum adverſus Cæſ. Maximil. præcipuus 312.a *ſcena univerſi ſceleris patefacta, calumnias ab inimicis ſibi afflictas apud Cæſ. oſtendit* ibid. b. *contra leges feciſſe à ſenatu in comitiis Poſonienſibus judicatur* ibid. *Cæſaris arbitrio committitur* 313.b *cuſtodiæ mancipatur*, ibid. *excuſatiuncula ejus* ibid. *Ordinum deprecatione dimittitur* 320. a. *è vita excedit.* ibid.

Stephanus Blieshazius Aulæ apud Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem Magiſter criminis læſæ majeſtatis in Rudolphum Imp. inſimulatus, fuga in Poloniam ſe recipit. 490.a

Stephanus Illieshazius à Boſcaio è Polonia revocatur, Sacmarium diu obſeſſum deditione capit, 506.b *cui & Huſtum accedit.* ibid.

Stephanus Illieshazius à Boſcaio Viennam miſſus pacis tractandæ initium facit 516. a. *Bozinium ac S.Georgii arcem ſibi reſtitui petit*, ibid. b *Caſſoviam reverſus Boſcaium ad pacem amplectendam hortatur*, ibid. *cum collegis ſuis iterum Viennam venit*, 516. 517. *S. Georgii arx & Bozinium eidem redduntur*, 518. b *rebus confectis domum redit*, ibid. *demortuo Boſcaio in ſuperiore Vngariæ partes Principis agit* 522.b *Magnates & Proceres Vngaricos ab obedientia, quâ Rudolpho Imperatori devincti erant, abſolvit, & in fidem Principis Mathiæ, futuri Regis Vngariæ obſtrinxit*, ibid. *Palatinatum à Principe Mathia accipit* 523. *Iuramentum de eo præſtat* ibid.

Stephanus Ioſica Sigiſmundi Tranſilvani Principis Cancellarius capite mulctatur 447.b

Stephanus Mailatus, & Emericus Balaſſius Tranſilvaniæ Adminiſtratores ad Ferdinandum moliuntur defectionem 139b. *quorum conatibus Ioannes Vaivoda obviam it* ibid. *Diodum & Almaſſiam Balaſſii arces occupat* ibid.b.

Stephanus Mailatus Achomatis Nicopolitani præfecti, & Petri Moldaviæ Principis fraude capitur 151 a. *in eundem cum Valentino carcerem compingitur* ibid.b.

Stephanus Moldaviæ Princeps vitâ defungitur 32.b. *ejus res præclarè geſtæ* ibid. *Bogdan filius ei ſuccedit* 33.a

Stephanus Moldaviæ Princeps ob immanem in ſuos ſævitiam trucidatur 138.a

Stephanus Palatinus arcem Sombor Ioanni Corvino eripit 21.a.b

Stephanus Palatinus Vladislaum & Albertum inviſit, & ſplendidis muneribus ornat ibid.b

Stephanus Poloniæ Rex Sacmarium repetit 339.b

Stephani Regis Pol. obitus, Anno 1568. p. 348.a.b

Stephanus Radetius Epiſcopus Agrienſis Antonio Verancio demortuo Archiepiſcopo Poſonienſi ſubſtituitur 326.a

Stephanus Reſuanus Moldaviæ Princeps à Ioanne Samoiſcio Regis Poloniæ Cancellario vincitur 416.a *fortiter pugnans capitur* ibid. *crudeli ſupplicio necatur* ibid.a

Stephani Scepuſienſis atrox & cruentum cum Alberto prælium 13. b. *ejus à vulgo laus* 47. a. b. *ejus filia Sigiſmundo regi deſponſata ducitur in Poloniam* 38. a. *ejus ambitio* 38. b

Stephanum Telegdinum Georgius barbarè peremit 44.b

Stephanus Tomſa rebellium Moldavorum dux arcem Nemetbium occupat 265. a. *à conjuratis Moldaviæ Princeps electus, arcem Suchavam acriore obſidione premit* 265.b

Stephanus Verbecius, prætor regni Vngarici, & Michaël Zobius, publici judicii aſſeſſor cum vulgo à partibus Ioannis Scepuſienſis Comitis ſtant 48.a

Stephanus Verbecius molitiones Vaivodanæ factionis refricat 69. a. *benignitatis obſequiis placari haud poteſt* ibid.

Stephani Verbecii oratio in comitiis Poſthano campo habitis, virulenta ac ſeditioſa ibid. & 70. a. *conſpiratio ejuſdem cum Nobilitate adverſus Ludovicum* 71. a

Stephanus Verbecius, & Michaël Zobius omnia turbulentis conſiliis Hatvvani turbant 72. a. *Ludovicum Regem cum Proceribus ad comitia Hatvvani vocant* ibid. *proſcribuntur* ibid.b

Stephano Verbecio proſcripto prætura adimitur, & Ludovico Nicolao Tirocio confertur ibid.

Stephani Verbecii oratio in laudem Ioannis Tranſilvaniæ Vaivodæ 84.b. *Leges Hungaricas digerit* 38.b

Stephanus Verbecius auctor excidii Hungariæ moritur 152.a

Stephanus Zapolianus Comes Scepuſienſis Palatinus urbi Viennenſi præeſt 1.b

Stephanus Zapolianus Comes Scepuſienſis Palatinus reverſus Viennenſes rebelles acrioribus verbis perſtrictos abs ſe dimittit ibid. *acri præſidio relicto Budam abit* 2.a

Stephanus Zapolianus Hungariæ Palatinus moritur 29.a. *relictis tribus liberis* ibid.

Stharenbergius Viennæ præfectus eam propugnat 578. b. *vulneratur* 580. a. *Diſſenteriâ laborat* A. 21. a. *Regem Poloniæ convivio excipit* 584.b *Cæſarem poſt obſidionem Viennenſem excipit* ib. v. Vien. *Annulo & aureo vellere ornatur* 585.b

Straſſerus Strigonium defendit 594.b *à Tartaris internecivè cæſus, cadit* 623.b

Strigonium impugnant Turcæ, defendit Straſſerus 595. 596.

Strigonium & Viſſegradum, in quo regia corona, egregiè defenditur 83. b. *Strigonii ſitus* 110. a

Strigonium, clariſſimam urbem, Solimanus occupavit, Anno 1543. 167.a

Strigonium Solimano deditur 164.a *X. Auguſti.* 1543. ibid. b

Strigonii claves Solimano oblatæ 221. b. *Liſcanus defendit, Grittus oppugnat* 110. a. *Carolus Loth. occupat* 586.b

Strigonii obſidio à Cæſarianis ſolvitur 390. a. *caſtra in ulteriorem ripam transferuntur* ibid. *ab Cæſarianis Strigonium obſidetur* 384 b

Digitized by Google

Strotzins Poſouinm confirmat 550 b. *cadit* 554.b
Subdola & verſuta techna Georgii Boſtaii de Caſare Maximiliano Pannoniâ ejiciendo 312.a
Subſidium duplex in comitus Ratiſponenſibus Anno 1557. *Hungaris contra Turcas promittitur* 235.a
Subſidia Romana in Auguſtano conventu Cæſari Maximiliano promittuntur 285.a
Suburbium Budenſe à Cæſarianis occupatur 450.a.b
Succeſſio Maximiliani in Imperio & regnis patris Ferdinandi 270 a
Sueci Moraviam invadunt, & Tirnam capiunt 541.a. *Poloniam cum Ragotzio occupantes ejiciuntur* 543 b
Sulfitar & Maurocordatus pacem petunt 615.b
Summa præſidiariorum Agrienſium 208.b
Summa omnium copiarum Cæſarearum in caſtris Ovarianis 293.b
Sumonium Turca occupat 59 b
Supplitium de Stephano Cytharœdo Agriæ proditore 211.b
Supplitium immane Matthæi Gubecii Ducis rebellium in Illyrico ruſticorum 324.b
Suſpitio de Solimani morte 300 b
Szetzeni Archi-Epiſ. Strigon. liberalitas 637.b

T.

Tagonus Budenſis præfectus rapinis Haidonum motus Capoſuarium arcem Verſſicorum obſidet 220.a. *à Petro Sedlo deſertam occupat* ib. *Carothnam diffugientibus præſidiariis ſibi ſubjicit* ibid. *Baboczam dedentibus ſe præſidiariis invaſit* ibid.
Talionis pœna 557.a
Tampiernus Edenburgum recipit 527 b. *Poſonium invadens proſternitur* 528. b. *fuit Auſtriacis fidelis* 529 a
Tarconem Melchioris Balaſſii arcem Ferdinandi Regis Duces capiunt 230 b
Tartari ex Alberti caſtris villas Caſſoviæ viciniores depopulantur 8. a. *eorum bellicus apparatus* ibid.
Tartarorum ac Turcarum irruptiones in Ruſſiam 28 b
Tartarorum vaſtationes in Hungaria 149 a. 28 b. *Solimanum Nicolaum Comitem Salmenſem, ac Sigiſmundum Herbeſtanium, Legatos Ferdinandi cum ſuperbo reſponſo dimittit* 150. b. *Buda commendata Solimano Baſſæ, Conſtantinopolim redit* ibid.
Tartarorum depopulationes in Hungaria 448 b. 457.b. 167. a. *impedimenta noſtra invadunt* 478.
Tartarorum excurſiones in Saroſpataco & Muncacio 294.a
Tartari Berghianos & Ugotianos depopulantur 303.a
Tartari, Principe præeunte, Danubium tranſnatant 391.b
Tartarorum copia ad Sinanum in caſtra Jauriana veniunt 391.a
Tartari à Moſchis profligati 412.b
Tartari Auſtriam uſque omnia depopulantur & involant Cæſarea impedimenta 578 a.b. v. Turcæ. *Moſcos internecivè cædunt Gallitino proditore* 621.b. *Straſſernm internecivè cædunt* 623.b. *capiunt Kazenenm* 624.a. *Albaniam, Coſſaviam & Bulgariam depopulantur* ibid. *omnia circa Debricinum devaſtant* 636.a. *tos Baſſompierus cadit* 637. a. *tos Moſci cadunt* 641.b
Tartari vicina Caniſa loca excurſionibus depopulantur 469. b. *pugna eorundem cum Cæſarianis* 471.a.b
Taſſius ob Strigonii deditionem decapitatur 165.a
Tata occupatur ab Athomate 165.a
Tata arx ab Hamſa Turco ex inſidiis intercepta 236.a.b
Tattenbach captivatur 564. b. *decollatur* 568.b
Tavernicorum officium 53.b
Telequeſſius vide Emericus.
Temeritas Franciſci Nemethi 253.a
Temeſuaru deſcriptio 200.a. *& ab Eugenio obſidio* 657.a. *oppugnatio* ibid. *deditio & robur* 658. a. b. *ejus bannatus quantus* ibid.
Temeſuarienſes copia præſidiaria 200.a
Temeſuarienſes auxiliares copiæ profligatæ & cæſa 201.a
Temeſuarium ab Athomate curandum datum Caſſono 203. a. *deditur* 202.a
Temeſuaru præfectus Malcocius fato defunctus, à militibus ſuis cilicio indutus humatur 258 a
Templum S. Gothardi Viennæ igne ſubjecto conſumitur 510.a
Templum Veſprimienſe, Stephani primi Hungarici Regis opus, conflagrat 287.a
Templum Scotenſe Viennæ à Turcis accenſum 580.
Teutorium Ferdinandi Principis in obſidione Caniſiana ictus pila majoris penetrat 476.a.b
Terræ motus, Anno 1590. 361.a
Terræ motus in Auſtria ac Pannonia 487 a
Terræ motus in Pannonia 345.a. *Viennæ* ibid.
Terræ motus in Pannonia & Auſtria 456 a
Terror Viennenſium 578.b
Teſſenium & Socotia arces ab Hungaris deſerta à Turcis invaduntur 55.a.b
Teuffelius vide Eraſmus.
Thermæ Peſthanæ ſalubres 457.b
Theſauri Franciſci Quendii 239.b
Thomas Bacocius Agrienſis Epiſcopus, ac Stephanus Comes Scepuſienſis coronæ Ungariæ cuſtodes 20 a. *fit Cardinalis* 30.a
Thomas Bacocius Cardinalis Strigonienſis moritur 56 b. *tenuis ejus origo & fortunarum acceſſiones* ibid.
Thomas Cardinalis Strigonienſis ad erigendum Regem Uladislaum è mœrore mortuæ Beatricis orationem habet 36. a. *Romam legatus ſubſidium contra Turcas petit* 39.a.b
Thomas Card. Strigonienſis euntibus ad bellum Turcicum univerſorum criminum veniam impetrat 40 a. *Diploma hujus indulgentiæ* 41. a. *Stephanus Telegdinus ærarii præfectus diſſuadet exercitum voluntariorum militum contra Turcam eſſe cogendum* 40 b
Thomas Cardinalis exercitum voluntariorum militum contra Turcam cruce inſignit 41.b. 40000. *cruce ſignatorum intra menſem concurrunt* ib.
Thomas Erdodius collectis copiis Siſtienſibus ſuppetias fert 369.a
Thomas Erdodius arcem Petrinam obſidere conſtituit 371. a. *renitente Eckenpergo* ibid.
Thomas Laſcus, & Steph. Verbecius Ludovicum Grittum Hungariæ Gubernatorem à Vaivoda conſtitui contendunt 119. a. b. *id Vaivoda coacto ſenatu proponit* ib. b. *& Thomas Nadaſdius diſſuadet* ib.
Thomas Laſcus veluti Cibaciana cædis conſcius à Joanne Vaivoda in carcerem conjectus, Joannis Tarnovii ac Matthæi Tarloni interceſſione liberatur, & in Poloniam diſcedit 125 b
Thomas Liſcanus arcis Strigonienſis præfectus 110 b
Thomas Nadaſdius & Saracenus Budæ ſubſidio veniunt 107.a

Thomas Nadaſdius urbis & arcis Budenſis præfe-ctus ſubmergendus, elabitur è Turcarum manibus feliciter 98. b. *à Vaivoda veniam obtinet* ibid.

Thomas Nadaſdius à factione Vaivodana deſciſcit, 120. a. b *Fit Palatinus* 218 b

Thomas Nadaſdius Franciſco Battiano in præfectura Illyrici, jubente ita Ferdinando, ſucceſſit 136 a. *Iaſenocium recuperat* 136. a

Thomas Nadaſdius in comitiis Novi Zolii & Poſonii habitis, Bani in Illyrico dignitate ſe abdicat 157. b

Thoma Nadaſdio lis intentata ob illatam Stephano Iſthuanffio iniquam necem 158. b

Thomas Nadaſdius Pannoniæ Palatinus Babociam obſidet, ut Sigethum obſidione liberet 223. a. *exercitûs ſui Duces* ibid.

Thoma Nadaſdii Palatini oratio diſſuaſoria à prorogatione belli contra Turcas 226. a

Thomas Nadaſdius Hungariæ Palatinus obit 251. b

Thomas Nadaſdius aſtu militari Coppanium interceptum diripit Anno 1587. p. 343. a. *præfectum ejuſdem capit* 346. b

Thomas Nadaſdius Gallos perfidos Papenſes præſidiarios arctâ obſidione premit 462 b

Thomas Nadaſdius ad Georgium Nemethium Boſcaianum deficit 509. a

Thomas à Vio Cajetanus à Leone miſſus Budam ad Ludovicum venit 56. a. *diſcedit* ibid. b

Thraces Belgradum Turcis produnt 60. a. *& in arcem refugiunt* ibid. b

Thraces de deditione arcis Belgradienſis cum hoſtibus conſilia miſcent 61. b. *deditionem Hungari omnibus modis diſſuadent* 61. b

Thraces ad Mehemetem deficiunt 185. b

Thraces urbem Strigonienſem Cæſarianis dedunt 385. b

Thracum in promiſſis levitas 421. a

Tinnium Turcæ diripiunt 55. b

Tirnavia ſe Redeio Boſcaiano dedit 507. b

Tiſulium Starenbergius capit 638. b. *Illud occupantes, deſlectunt Zeninum* 639. *quo Eugenium cendit* 639. b

Tocaium ſe Leonardo Felſio dedit 128. a

Tocaii confinia à Derſſio depopulantur 238 a

Tocaium obſidione cingitur à Lazaro Suendio Cæſarianarum copiarum duce 276. a. *capitur ab eodem* 277. a. *ſeditio eſt ibidem* 639. a. *opprimitur ab Andreaſſio* 639. a

Tocaium à Cæſarianis Iacobo Rammingerio tuendum datur 277. b

Tocaium Ioanni Sigiſmundo Tranſilvano reſtitui petit Solimannus ab Imperatore Maximiliano 280. b. *illud & plura capit Caprara* 598. a

Tocaium à Mathia Calvaſio defenſum 294. a

Tocaium à Georgio Rubero præfecto omnia extrema perpeſſo Boſcaio deditur 508. b

Tockelius Archi-rebellis Hungariæ non interfuit obſidioni Viennenſi, ſed bis à Carolo Duce Lotharingiæ caditur 581. a

Tockelius libertatis aſſertor arcem Hus & vitam amittit 566. b. *fit rebellium dux* 572. b. *Amneſtiam rejicit, & plura ſibi loca ſubjicit* 573. a. b. *vaſtat Moraviam & Auſtriam* ibidem. *cæditur à Wurmio* 573. b. *Cæſari diffidit, & poſtulat Tranſilvaniam* 575. a. *cum Turcis plura ſibi ſubjicit* ibid. b. *eum Turca Regem Ungariæ inſtituunt* 576. a. *occidit redeuntes ad Cæſarem* 583. b. *eum duces Cæſarei iterato cædunt* 589. a. *captis multis locis Ungaros necat* 592. b. *à Schultzio caditur* ibid. *populatur Zipſenſem comitatum* 593. a. *ejus theſaurus intercipitur* 598. a. *ipſe captus ducitur Adrianopolim* ibid. *reſtituitur* 599. a. *Ungaros ad rebellionem incitat* 599. b. *Tockelia Moncaſtinum cum ſignis ducalibus tradit Caraffæ* 611. a. *Gallus eum inſtigat* 619. a. *varia circum Orſavam depopulatur & per incendiarios in Auſtria &c.* ibid. a. b. *cædit Ungaros* 616. b. *Tranſilvaniæ ducatum deſiderat* 625. b. *Widinum, ſed à Trautmansdorffio depellitur* ibid. *Heuslerum cædit & capit* 626. a. *Coronopolim ſubjicit* 626. b. *cum Badenſis Tranſilvaniâ expellit* 627. a. *arguitur colluſionis* 631. a. *Tockelia cum Heuslero commutatur* ibid. b. *ejus mors* 646. b

Tolnam diverſæ Regis Ludovici copiæ contra Solimanum confluunt 76. a

Tormenta Turcica clavis infixis obſtructa 210. b

Tormentorum paucitas in arce exteriore Sigethana 299 a

Tornalium Gregorius perimit 42. b

Tractatio Salmenſis & Bathorii cum Georgio Monacho 180. a

Tractatio de pace inter Cæſarianos & Turcas 519 a. *conditiones pacis hujus* ibid. b

Transfugæ à Turcis inveſtigati, in curribus lardo impoſito deliteſcunt 220. b

Tranſilvaniæ præfectura Stephano Mailato & Emerico Balaſſio à Ioanne Vaivoda demandatur 125. b

Tranſilvani Emerici Cibaci necem vindicandam decernunt 124. a. *ſumenda vindictæ triumviri Duces eliguntur* ibid. *copiæ contrahuntur ad* 40000. *excepto Valachico exercitu* ibid. *Gritum Megiſſi obſident* 124. b

Tranſilvanos ſubjugat Carolus, cui ſe ſubmittunt 608. b. *petunt à Cæſare ſubſidium* 624. b. *eam rebelles depopulantes repelluntur* 666. a

Tranſilvani à Ferdinando deficiunt 225. a

Tranſilvani Solimani opem implorant adverſùs Regem Ferdinandum ibid. b

Tranſilvani factioſi ad Dobonis obſequium redeunt 229. b

Tranſilvani Proceres à Ferdinando Hungariæ Rege deſciſcunt 230. a. *Iſabellam Reginam cum filio revocant* ibid. *Stephanum Dobonem in arce Nova obſident* ibid.

Tranſilvanicum bellum Emerico Telequeſſio à Ferdinando demandatur 232. b

Tranſilvani Hungaros ad deditionem arcis Suchavæ promiſſis incitant 267. a

Tranſilvani acerrimâ factâ irruptione in arcem Dedreſdam, à Cæſarianis magnâ cæde editâ, loco pulſi retrò concedunt 310. a

Tranſilvaniæ Proceres Ioannem Sigiſmundum hortantur, ne abſque Selymi conſenſu fœdus cum Cæſare Maximiliano renovent 317. a

Tranſilvani multi cum pluribus Siculis ad Beqneſſium Ducem exercitûs Cæſarei adverſùs Bathorium Principem deficiunt 332. b

Tranſilvanicum bellum diſſolvitur 284. b

Tranſilvani Agriæ à Turcis obſeſſæ auxilia offerunt 426. a

Tranſilvani proceres Rudolpho Imperatori ſacramentum de obedientia ſolenni more præſtant 441. a

Tranſilvani, auctore Stephano Chaquio, Michaëli Valachiæ Principi bellum inferunt 463. b. *copias ſuas Baſtæ jungunt* ibid. *certamine fortiter inito Valachos fugientes paſſim occidunt* 464. a

Tranſilvaniæ Proceribus intentantur actiones 490. a

Tran-

Tranſilvania defenſor Leopoldus ei ſubſidium ſubmittit 546. b. *eam Turca moliuntur ſubjugare* 548. a. *ſubjugat Caprara* 599. a. *Cæſari ſe ſubmittit* 621. b. *Badenſis eâ expellit Tocklium, & punitis proditoribus eam oppeſſulat* 627. a. *petentes à Cæſare ſubſidium aulam Abaſſio inſtruunt* 628.
Tunetum à Sinane Baſſa expugnatum 328. b
Tingen Sigethi ſuburbia incendit 605. b. *præfectus Savi tractûs* 616. b
Turcarum incurſiones Illyrici præfectus Emericus Drencenius felici pugnâ reprimit 11. a
Turca Sabaciam adorti repelluntur 14. b
Turcarum incurſiones in Poſegam & Valcouem 31. a. *reprimuntur ab Hungaris* ibid. *diverſis in locis* ibid. b
Turca Guncio repreſſi receptui canunt 113. a
Turca maximam cladem accipiunt, Duce Ioanne Tranſilvaniæ Vaivodâ 50. b
Turca Iaiciam arcem infelici ſucceſſu tentant 55. b *Tininium oppidum diripiunt, & exurunt* 55. b. *item Pethium caſtrum* 56. a
Turca Sumonium oppidum in Sirmienſi regione occupant 59. b
Turca in Illyrico Oſterviciam arcem invadunt 64 b
Turca Iaiciam arcem obſident 30. a. 67. a
Turca arcem Iaiciam obſidentes cæduntur, & in fugam conjiciuntur 68. a. b
Turcarum incurſiones & populationes circa Strigonium & ſilvas Verteſias 83. b
Turca in Illyrico & Boſnia ingens detrimentum inferunt 93. b. *Iaiciam obſident* 93. b. *capiunt* ibid. *cum multis aliis* 94. a. *Carlovicio arces adimunt* 94 b
Turcarum expeditio Viennam verſùs A. 7. 577 b. & 99. a. *eam obſident* 579. a. *eorum caſtrametatio* 580. a
Turca Viennam obſidentes duos cuniculos agunt, unum ad Carinthiacam portam, alterum contra Divæ claræ templum 100. 101. *vide* Vienna.
Turca ſupremam capienda Vienna fortunam tentant 102. a. *magno numero & conatu, ſed irrito* ibid.
Turcarum prædatorum XV. millia interempta 115. a
Turca Cocianum cum exercitu Eſſeco diſcedentem aggrediuntur 133. a
Turca Dubiciam arcem capiunt 136. a
Turcarum Budam adventus 147. a
Turcarum eruptio è Peſtho 154. b. *ab Alexandro Vitellione, Italorum equitum Duce repulſa* ibid.
Turcarum præſidia Peſthi 154. a
Turcarum certamen cum Imperiali exercitu Budâ abſcedente 154. b. *in quo Turca fuſi & cæſi ſunt* 156. b
Turcarum ad bellum præparatio 660. b. *opprimunt Monaſterium* 661. a. *Mediam capiunt* 664 b. *Chriſtianum exercitum arctè includunt* ibid.
Turca inſignis Vitellium virtutis ergò in prælio venerantur 156. b
Turca Viſſegradum obſident Anno 1544. pag. 168. a
Turca Strigonienſes oppidum Levam capiunt & diripiunt 170. a
Turca Chriſtianorum caſtra Petrovaradini invadunt & deſerunt 637. a. *pace Ryſovicenſi territi pacem quoque affectant* 640 b. *Perſa & Moſci iis bellum indicunt* 641. a. *versùs Segedinum omnia vaſtant* ibid. *eorum in Cæſarem hoſtilitas* 653. b. *indicit Cæſari bellum* 654. a. *eorum proceſſio & deprecatio* ibid. *Vezirius tendit Belgradum, diripit Caſtanovizam & Illocum* 654. b. *Chriſtiana caſtra invadunt* 655. a. *Petrovaradini deditionem exigunt* 655. b. *Chriſtianos circumcingunt, ſed cæduntur ab Eugenio* ibid. *eorum caſtra diripiuntur* 656. a. *in aliis etiam locis Turcæ cæſi* 656. a. *plura in Sclavonia, Croatia & Valachia amittunt loca* 658. a. *Temeſvvario ſuccurrentes, ſed debent dedere* 658. a. b. *Turcarum terror* 659. b. *Vezirius tendit Belgradum ab Eugenio cinctum* 664. a. *cæduntur ab Eugenio* 665. *deditio Belgradi* ib. b. *deſerunt Sabaciam* 665. b. *etiam Semendriam, Widinum, Orſavam, Mediam &c.* 665. 666. *Boſniam evacuant, pacem petentes* 667. a.
Turca Niſſam & Widinum capiunt 626. a. *Belgradum igne evertunt, non ſinè Gallorum ſtudio* 627. a. b. *Eſſeckum cingunt* 627. b. *Huſainus Eſſeckum cingens deceptus à Croyo, aufugit in laqueum* 628. a. *Lippam capiunt. Tranſilvania ejiciuntur* 628. a. *Poſegam, Orſavam &c. occupant* ibid. b. *cæduntur à Raſſianis* 628. b. *vide* Soliman. *Achmed fit Soldanus* 629. b. *Factiones & tumultus eorum* 629. a. b. *delent Bouquoyanam legionem* 630. a. *cæſi à Badenſi* ibid. b. *Kiupulus & quot cum eo cæſi* 630. 631. *Chalil baſſa fit Vezirius* 631 b. *Varadinum cingitur* 632. a. *Vezirius ob avaritiam depoſitus, ſuccedit Meſopotamiæ baſſa* 633. a. *Piſcabaram & Orſavam recipiunt* 633. b. *deſiderant pacis caduceatorem Harbordum, cujus mors retardat pacem* ibid. b. *Gallorum ſuaſione pacem rejicientes, omnia vaſtant* 635. a. *repulſi à Kyba amittunt Grazianam* ibid. *novus Vezirius baſſa fit Tripolenſis* 636. a. *Muſtapha Mahometis filius eligitur Soldanus* 636. a
Turca rebellibus ſubſidium præſtant 172. a. *Cæſaris querela de eorum excurſionibus* ibid. b. *Varadienſes cæſi* ibid. *Tranſilvanos Moldavos & Walachos ad expeditionem ſollicitant* 574. b. *Tockelium Ungariæ regem inſtituunt, & bellum præparant* 576. a. *Vicegrado & Vacia captis & ad Budam cæduntur* 590. a. *vide* Buda. *variè cæduntur* 606. b. *pacem petunt* ibid. *Petrovvardini caſtra communiunt, quos Carolus eliciens ab iis carpitur* 607. *in pugna Mohaciana cæduntur* 607. 608. *pacem petunt* ibid. 615 b. *plura eis Veneti Athenas &c. auferunt* 609. b. *cæduntur, & cingitur Belgradum* 614. a. b. *Turcica Belgradi mancipia Chriſtianis donantur* 615. a. *armiſtitium rejiciunt* 618. a. *Zvvornickum opprimunt* ibid. 619. b. *Soldano depoſitionem minantur niſì pacem ineat* ibid. *Turcicis legatis permittitur curſor Adrianopolim* 619. b. *profligati à Draſtovvicio* 619. b. *Zvvernickum, Pracopium &c. deſerunt* 621. b. *eos deſerit magnanimitas* ibid. *Legati Sulfitar & Maurocordatus Viennæ pacem petunt* 617. b. *conditiones* 617 618. *Turcarum rejiciuntur* 622. b. *bellum continuatur* 623. a. *multa loca amittunt* ibid. *non pacem ſed bellum moliuntur* 624. b. *monetam cupream defectu argenti cudunt* ibid. *eorum legatos Cæſar Vienna abigit* 624. b. *Czernickum capiunt* 626. a
Turca victis Perſis Rovanum capiunt, mox amittunt 538. b. *Redeium & Bartzium Tranſilvaniæ intrudunt ejecto Ragotzio* 544. a. b. *qui Turcas fundit* ibid. *felices Hungarorum in*

Turcas excurſiones ibid. Ragotzium funduut 545. a. ſub pacis ſpe arma parant 547 b. ut Tranſilvaniam ſubjugarent 548. a. eorum fallacia à Remingen detecta 548 a. eorum exercitus, & iniqua pacis conditiones ibid. a. b. decernunt Vivarini obſidionem ibid. certum eorum bellum Gocſinus Cæſari indicat ibid. cadunt Forgatſchium 549. a. cingunt Novarinum, vaſtant Moraviam uſq; Olmutium ibid. b. eorum crudelitas ibid. Serinevarium capiunt 554. b. Nitriâ & Levenzâ exuuntur à Souches victi 555. a. 556. 557. talionis pœnam ſuſtinent 557. a. eorum feritas 557. b. pugnant ad S Gothardum 557. 558. Turca victi, quot cæſi, & ſpolia 559. a. b. Vezirius omnibus odioſus 560. a. pacem urget ibid. vide Pax. ad conſpirationem in Leopold. ſollicitantur 563. b. Moraviam invadunt 571. b. vide Conjuratio.

Turcarum obſidionales via tuta, & artificioſè facta 584 a. Chriſtianorum ſuccurſum volentes impedire, rejiciuntur ab urbe Vienna, relictis omnibus impedimentis ibid. eorum fuga 587. b. Chriſtianos non ſepeliunt 584. b. eorum ſtulta Viennam obſidendi conſilia 579. b. acriter Viennam invadunt 580. b. Revellino tandem multoties concuſſo Vienna potiuntur 581. b. quot eorum in Viennenſi obſidione obiêrint 582 a. b. vide Vienna. eorum exercitus ad Viennam luſtratur & deſcribitur ibid. eorum metus in caſtris Viennenſibus ibid. transferunt caſtra & copias ad montem Viennenſem ibid.

Turca Hiſpanos impreſſionem in ruinas urbis Lippenſis facientes repellunt 188 b

Turca fide nefariè violatâ Loſſoncium cum claſſe Temeſuario exeuntem invadunt 202 b Loſſoncium capiunt ibid. exprobratâ primùm inſidiâ eidem caput amputatur ibid.

Turca cingunt urbem Agriam cum centum viginti quinque millium exercitu 209. b. turrim templi tormentis verberant 210. b. arcis mœnia concutiunt ibidem. globos igneos jaculantur ibid.

Turcarum irruptio in præſidiarios Agrienſes cum magna ſtrage ſubmovetur 211. a

Turca in ſecunda Agriæ oppugnatione foſſas terrâ & ligno implent 212 b. ad veteris portæ propugnaculum impetu facto, magno accepto detrimento pedem referunt 213. a

Turca ad terrenam Agriæ munitionem impetum facientes fugantur ibid. a b. à Boliguiana turri rejiciuntur ibid. b

Turcica mutationes Anno 1554. 219. a

Turca oppidum Sigethum capiunt 222. a

Turca Agriam arcem Sigethanam circumfluentem aliò derivant, & oppugnationem ſtrenuè inſtituunt ibid. b

Turca Baboiam deſerunt 223. b

Turcica verſutiæ 225 a

Turcarum & Valachorum auxilia à conjuratis Tranſilvanis dilabuntur 229. b

Turca Roſalcani Cuvorum munitionem aggreſſi, à Franciſco Gemeſio & Gatajo reprimuntur 255. b

Turca Nemethium oppidum ſuccendentes, Sacmarium eodem igne, ingenti ſpirante Auſtro, corripiunt ibid.

Turca Sacmarium oppidum irrumpentes à Dominico Dobone expelluntur 256. a

Turca & Tranſilvani à Sacmarii obſidione diſcedunt 258. a

Turcarum incurſio in Illyrico à quo repreſſa 278. b. irruptio in Ruſſiam 28 b

Turca impetu magno in propugnaculi Sigethani ruinas facto, cum inſigni ſtrage repulſi cedunt 297. b

Turca à Nadaſdiani propugnaculi oppugnatione bis repulſi recedunt 298. b

Turcarum in obſidione Sigethana occiſorum multitudo 300. b

Turca pulveris ſulphurei turri in arce Sigethana incluſi conflagratione complures pereunt ibid.

Turca multos Ungaros ad Rechem pagum Cauſiæ propinquum in inſidias pellectos cadunt 304. a

Turca Putnocum caſtellum ſibi ſubjiciunt 309. b. Agriæ, Tocaii & Caſſoviæ regiones ferro flammaque depopulantur 310. a

Turca urbem Caniſanam vino ſomnoque ſepultam adoriuntur 326. a. b. capiunt & trucidant obvios quoſque ibid. b. ingentem variarum rerum prædam abducunt 327. a

Turca Filecienſes prædatum egreſſi caduntur 328. a

Turca, Aly Bege Duce, Plauenſtanium Balaſſii arcem obſident 334. b. à præſidiariis deſertam occupant 335. a. Divinam arcem præſidiariis effugientibus & trucidatis occupant ibid. Soſnoſcenem arcem à præſidiariis deſertam capiunt ibid. b

Turca loca à Caroli Principis ducibus ſibi adempta paulò pòſt recipiunt 338. a. b

Turcarum excurſiones, Anno 1579. 339. b

Turcarum excurſiones uſque ad Carnos 343. b. reprimuntur à Comite Turriano & Erdodio ib.

Turca ab Ungaris contra fidem datam occiſi 379 b

Turca Siſciam arcem occupant 373 b

Turca arcem Neogradum Cæſarianis, Mathiâ duce, dedunt 383. b

Turca Petriniam deſerentes profugiunt 389. a

Turca Sinani juſſu Perlianos aggeres invadunt 391 b à Cæſarianis repelluntur ibid. b

Turca caſtra Cæſarea ad Jaurinum invadunt & diripiunt 394 b

Turca commeatum Strigonio Cæſarianis fruſtrà repugnantibus important 403. a. obſeſſis opem ferre conantur 404. b. caſtra eorundem 405 a. munitionem in monte Carolino fruſtrà adoriuntur ibid. b. promotis caſtris acieque inſtructâ prælio cum Mansfeldianis concurrunt 405 b. victi & fugati cedunt 406. a

Turca capto Viſſegrado Vaciam deſerunt, Budámque refugiunt 408. b

Turca ex oppido Cliſſia profugiunt 420 b. obſidione iterum premunt & recipiunt ibid.

Turca pedites Cæſareos ſpoliis onuſtos in fugam conjiciunt 431. b

Turca Tatâ egreſſi à Vallonibus & Italis caduntur 436 b. invadunt Ungariam 537. a

Turcarum iniquiſſimæ poſtulationes in Inſula Danubiana conventu 456. b

Turca Budenſibus opitulaturi à Cæſarianis ſummoventur & caduntur 486. a

Turca cum Haidonibus, inſtigante Bectaſo Budenſi, Moraviam ferro flammâque vaſtant 508. a

Turca Hungariam vaſtantes profligantur 525. b. ſingulare eorum vexillum 532. a. Varadinum obſident 545. b. eorum ubique terror, capiunt Levenzam, Nitram, Novigradum 550. a. b. faſtuoſum eorum armiluſtrium, & tentoria 576. b. Soldanus & Vezirius tendunt Belgradum ibid. Belgrado Eſſecum 577. b. Vezirius Carolum perſequitur 578. a. Vezirii Kara Muſta-

Muſtapha temeraria obſeſſio Viennæ 580. a. *caduntur à Cæſareanis ducibus* 581. b. *Revelinum occupant* ib. *numerus Viennam obſidentium & defunctorum* 582. a. b. vide Kara Muſtapha. *Pugna ad montem Caſium & Turcarum fuga, ac ſpolia* 583. b. *capta eorum caſtra* 584. a. *Turcæ Chriſtianos non ſepeliunt* ib. b. *quot Turcæ in obſidione Viennæ perierint* ibid. *victi ad Barcanum* 586. b. *Vicegrado & Vaciâ captis Turcæ caſi* 588. 589. *Vaciam recuperant* 593. a. *Budam acriter defendunt* 594. a. *pacem petunt* ibidem. *tentant Strigonium & Vicegradum* 593. b. *Seraskierus ad Strigonium à Carolo victus, caſtris exutus* 596. b. *Turcarum turbatio* 599. a. *caduntur, & Buda obſidetur ſecundo* ibid. & 600. a. vide Buda. *amittunt caſo Seraskiero Modonam & Neapolim di Romania* 603. b. *profligantur & amittunt Sigedinum, amittunt Quinqueeccleſias, Soclofiam* 603. a. *Mahomet vitâ periclitatur, Mufftius degradatur* 605. a. *petunt pacem* ibid.

Turrianus Montem Græcum defendit, & arcem Zagrabienſem cingit 97. a. b. *Viennam defendit* 98. a. *cum Cruſertio cæditur* 130. a. vide Nicolaus.

Turris ſancti Stephani Viennæ à Turcis multùm læſa 585. a. *et lunâ depoſitâ crux impoſita* ibid.

Turzo fit Palatinus 524. a. 531. a

V.

VAcia arx à Chriſtianis recuperata 589. a.

Vacia arx ab Hungaris deſerta Turcis cedit 437. b. *eam Turcæ recuperant* 593. a.

Vaivoda vide Joannes.

Valentinus Turcus ad Vaivodæ partes tranſit 128. b

Valentinus Balaſſius in oppugnatione urbis Aquariæ cadit 386. a.

Valentinus Ennengius Turcis inducias facit cum Stephano Mailato 140 b

Valentinus Homonnianus ad Boſcaii partes tranſit 500 a

Valentinus Magnus, & Petrus Turcus Caſſoviam cum DCCC equitibus Turcicis profligârunt; ſed dum Segedinum tendunt, ignari Hungarorum cladis, à Turcicâ cum claſſe ſua opprimuntur 197. a

Valentinus Turcus & Franciſcus Hedervarius à Ludovico proſcribuntur 63. a

Valentinus Turcus in carcere poſt decennium extinguitur 131. a. *à Turca retentus* 130. a

Valida Mahometis IV. Mater moritur 576. a

Valonem incurrunt Turcæ 31. a

Varadinenſium excurſiones 361. b. *Cæſareani Varadinum cingunt* 619. b. *Illud Schlickius arctius includit* 626. b. *Badenſis adhuc arctius* 631. *ignibus fœdatur* 632. a. *Heuslerus arctiùs impugnat* ibid. b. *deditur Heuslero, qui præfectus conſtituitur* 633. a. b

Varadinum arcem Simon Forgatius juſſu Ferdinandi conjuratorum Tranſilvanorum Ducibus tradit & ſeſe iiſdem dedit 231. b

Varadinum Boſcaio traditur 318. a. *Turcæ illud cingunt* 543. b

Varadinum quando conditum & libertate donatum 91. b. *ejus ſitus* ibid. *irritò à Mahomete Saterqi oppugnatur* 448. a. *Turcæ obſident* 545. b

Varadinenſes cives Comiti Frangepano ſe dedunt 91. b

Varadinenſis Epiſcopatus Georgio Heremitarum Ordinis Monacho à Joanne Vaivoda confertur 126. a

Varadinenſes rejectis Sigiſmundi Tranſilvani promiſſis fidem Rudolpho Imp. datam ſervant 448. a

Vardam à Melchiore Balaſſio copiarum Iſabellæ Duce obſeſſam Emericus Telequeſſius liberat 241. a

Vardanus Solimanno ſe ſubdit 99. a

Varia hominum judicia de Georgii Monachi morte 191. b

Vaſonium arcem ſuam Paulus Zrinilius recipit 10 b

Vaudemontius fit generalis 640. a

Velica arx in Illyrico ab agreſſibus Turcis prodita eſt 169. a

Veliganes loco & dignitate motus, veneno ſibi mortem conſciſcit 241. b

Veliganes Perſa, Albæ præfectus, magnâ Turcarum manu collectâ regionem inter Jaurinum & Papam depopulatur 181. a. *cæditur à noſtris* ibid.

Venetorum Legati Marcus Dandulus, & Paulus Capellus Budam veniunt, & Uladislaum ac Albertum Hungariæ & Poloniæ Reges ad bellum Turcis inferendum hortantur 20. a. b

Veneti à Bajazete funduntur ac fugantur 29. a

Veneti adversùs Bajazetem aliorum Principum opem implorant 29. b. *fœdus cum Uladislao Ungariæ Rege adversùs Turcas percutiunt* 29. b. *Sfortia adversùs eos Turcas incitat* ibid. b. *contra eos fœdus Maximiliani & Uladislai* 34. a

Veneti pacem à Bajazete rediment 31. b. *Hungari octennales inducias à Bajazete obtinent* 32. a

Veneti Turcis maximam cladem inferunt 136. a. *oppida multa capiunt* ibid.

Veneti de fœdere Cæſareo-Polono-Veneto contra Turcas deliberant 587. 588. *fuit Romæ juratum* ibid.

Venetorum duci Contareno ſucceſſit Juſtinianus ibid. *Mauram capiunt* 590. b. *& Preveſam fruſtrati arce Sing* 593. b

Veneti læſtantur dignitatis ibid. *capiunt Coronam* 599 b. *victo Seraskiero Modonam, & Neapolim di Romania intercipiunt* 603. b. *Patraſſum, Athenas, Lepantum &c. occupant* 609. b. *fruſtrati Epidauro & Narona* 621. b. *Mauroceno Venetias redeunti ſucceſſit Molinus* ibid. *Irritò Nigropontum obſident* 616. a.

Venetorum victoria, Butrintum Mocenigo capit 628. b. *defuncto Mauroceno ſucceſſit Valierus* 636. a. *eorum victoria* 641. b. *eos Turcæ aggrediuntur* 631. b. *cum iis Carolus contrahit fœdus contra Turcas* 632. 633. a. *obtinent à Papa ſubſidia* 643. a. *Preveſam, Vonizam &c. capiunt* 666. b.

Venetorum & Italiæ Aſſertor Carolus VI. 668. a.

Verancius Archiepiſcopus Poſonienſis Rudolpho Ungariæ Regi gratulatur 325. a. *cui paucis Joannes Ulricus Zaſius Romani Imperii Vice-Cancellarius reſpondet* ibid. b. *Ambo legati ad Turcas* 213. b

Verbecius leges Hungaricas digerit 38. a. v. Steph.

Verucia arx ſe Ulamani dedit 217. a

Veſprimium vide Beſprimium

Veſtes auro intertexta Joanni Sigiſmundo Tranſilvaniæ Vaivodæ à Solimano oblata 288. b

Veteranus caſus à Muſtapha occumbit 638. a

Veteranus Stratko arcem capit 593. a. *Karanſebem, Sicklovvarium & Novigradum* 616. a *Lippam capit* 631. b

Vexil-

Vexillum Arslani ademptum 214. a. ſingulare Turcarum 532. a.
Veziri Muſtapha fuga 583. b. vide Kara Muſtapha.
Via obſidionales Turcarum tuta & artificioſa 484. a. vide Vienna.
Visegrado capto Carolus Turcas profligat 590. a
Victoria ad Echinadas de Turcis parta, Anno 1571. p. 316. a. cum jactura XXX. millium Turcarum ibid.
Victoria Petrovvardina Eugenii quantum Clementi & toti Italiæ gaudium attulerit 656. b
Viennenſis urbis deſcriptio obſidionalis Anno 1529. 99. b
Viennenſes cives defectionem ad Cæſarem Maximilianum moliuntur 1. b
Viennenſes cives concitato tumultu domos Hungarorum diripiunt 2. a. ſe & ſua Cæſaris Maximiliani poteſtati ſubmittunt ibid.
Viennæ præſidium contra Solimanum impoſitum, 16000. peditum & equitum 2000. 579. b
Viennæ defendendæ Duces præfecti 99. b 579. a. Apoſtata urbem incendere voluit 101. a
Viennæ ſuburbia, ne Solimani inſidiis oportuna eſſent, exuruntur 579. b. Eam Turtæ recognoſcunt ibid. eâ Cæſar metu Turcarum excedit 578. b. metus & fuga ex ea ibid. munitur 576. b. ad eam Carolus Dux cum exercitu appropinquat 579. a. à Turcis obſidetur 579. b. ejus propugnatores ibid. a. acriter à Turcis oppugnatur 580. b. in ejus obſidione nunquam caro bubula, panis & vinum defecit; ſed quotidie ex diſpoſitione Schvvartzenburgi panis & vinum militi dabatur 579. b. ei cuniculis appropinquat hoſtis 580. b. quot Viennæ propugnacula 580. a. ejus Revelina potiuntur Turcæ multo ſanguine & labore conſuſo 581. b. propugnaculum ejus Löbelianum cuniculo evertitur 582. a. Palatini propugnaculi murus cuniculo dejicitur ibid. hoſtis ægrè ab urbe rejicitur ibid. Turcæ Viennâ fugientes plures ſunt caſi 303. b. in obſidione 20000. cæſa ibid. præſidiarii Viennenſes tumultuantes ibid. in ejus obſidione quot Turcæ mortui 582. b. quot ejus incolæ & milites tunc mortui 584. b
Viennæ ſuburbia diruuntur 547. b. ingens Viennenſium fuga cum Cæſare 578. 579. à Turcis cingitur ibidem a. Carolus eam attingit ibidem. incenduntur ſuburbia ibidem. Starrenbergus eſt præfectus 578. &c. Collonitſchius curat Vulneratos 579. a. commeatu & apparatu munitur 579. b. temeraria ejus obſeſſio, & diſpoſitio 580. a. Scottenſe ibidem monaſterium incineratur ibid. cuniculis utrimque agitur 580. 581. ſubſidia accurrunt 580. b. Revelinum Turcæ occupant, & murum ſandem rejiciuntur 581. 582. vide Turcæ, Fames, Morbi. ſuccurſum exigunt 581. b. Carolo illuc literæ deſtinatæ ibid. Palatinum & Lobelianum propugnacula deſtructa 582. b. ſuccurſus imperialis advenit ibid. & Polonus 583. a. Chriſtiani per montem Calum deſcendunt 583. a. Viennenſium inde gaudium ibid. b. Chriſtiani ibidem exercitus diſpoſitio ibid. obſidionem ejus duo Apoſtatæ direxerunt 584. a. quot Chriſtiani & Turcæ in ea perierint ibid. b. Poloniæ Rex cum Electoribus urbem viſitat ibidem. liberationem ejus Averſpergus nuntiat Cæſari qui Linzio Viennam redit ibid. 585. a
Viennam metu Turcarum Leopoldus munit 576. b
Viennenſium eruptio ibid. felis ſeu cattus ibidem fuit in deliciis 581. b. dyſenteria in urbe multum graſſata ibid.
Viennenſes obſeſſi ſubſidium poſtulant 582. a. & ſeq. hoſtem ab urbe repellunt 582. a. acerrima urbis aggreſſio à Turcis 582. a. ei ſubſidio venit Chriſtianus exercitus ibid. die Dominicâ à Turcarum obſidione liberata eſt 583. b. ejus liberatio quomodo adornata ibid. b. pugna Chriſtianorum cum Turcis ib. b. columba Viennæ liberationem prænuntiat 583. a
Viennenſium excurſiones in hoſtium caſtra 101. a
Viennenſes ad Maximilianum deficiunt 1. b. 2. a
Vilageſuarum arcem Ioannes Sigiſmundus deditione occupat 281. b
Villacum oppidum Ducis Sirmii à Bertholdo Dragffio Uladislai nomine obſidetur 25. a. deditione civium capitur ibid.
Villacum Turcis deditur 76. a
Vinea Turcarum in obſidione tuta & artificioſa 584. a
Virtus in hoſte etiam laudanda 204. a
Virtus eximia Thomæ Vuezmandii in tuenda arce Cuvare 310. a. ejuſdem miſerabilis caſus ibid. b
Virtus eximia Caroli Mansfeldi ſummi exercitus Cæſarei Ducis in prælio 406. b. unde morbo correptus fato concedit ibid.
Viſſegradi ſitus 168. a
Viſſegradenſe palatium 142. a
Viſſegrado præfectus Petrus Amadæus, vir militaris 168. a
Viſſegradum fortiter defenſum 83. b. ejus turris aquaria capta 142. b. Turcæ tentant 595. b
Viſſegradenſes præſidiarii ſibi tantùm non erecti ſe dedunt 168. b. à Turcis fide violatâ nefariè trucidantur 168. b.
Vitellii & Medichini virtus 156. b. 157. a
Vivarinum Carolus Dux Lotharing. obſidet 577. a. obſidionem ejus ſolvit 577. b
Vivarinum fame preſſum 593. 594. 595. ignibus à Gonzalez tentatus: ejus excurſiones ibid. commeatum ejus Heuslerus intercipit 595. a. illud Carolus obſidet ibid. b. Capraræ armatâ manu occupat 596. b
Vivarinum moliuntur Turcæ obſidere 548. b. cingitur 549. b. impreſſiones in illud 550. a. deditio ibid. Vivarienſes cadantur 572. b. Carolus Loth. illud cingit 577. a. ſtatim ſolvit ibid. b.
Vladislaus Caſimiri Regis Poloniæ filius Mathiæ ſuccedit 1. a. ejus legati ad Caſ. miſſi, re infectâ redeunt 3. b. eorum oratio, & Cæſaris ad eam reſponſio ibid.
Vladislaus Caſimiri Regis Poloniæ filius Albæ inauguratur 4. a
Vladislaus Hungariæ Rex ad Caſſoviam, Alberti fratris obſidione eximendam, contendit inſtructo exercitu 5. b
Vladislaus Hungariæ Rex caſtra fratris Alberti confert, ſeque ad prælium accingit 8. b
Vladislaus Rex Hungariæ dyſenteriâ corripitur 11. a. à Ioanne Manardo ſanitati reſtituitur ibid.
Vladislaus ad Cæſarem Maximilianum Legatos mittit de pace cum fratre ſtabilienda 12. a
Vladislaus comitia Budam indicit 20. a

Vladiſlaus Belgradum rebus obſidioni toleranda neceſſarus communiri jubet 56. b
Vladiſlaus factâ cum Maximiliano & Alberto pace animum ad condendas reformandáſque leges convertit 57. b
Vladiſlaus clade Dereceniâ auditâ Ladiſlaum Caniſiaum Illyrico profecit 19. b
Vladiſlaus Raguſam civitatem maritimam in fidem clientelámque ſuam recipit 20. a
Vladiſlaus Anno 1493. comitia Budam convocat 20. a
Vladiſlao graviſſimo querela in comitiis Budenſibus à Proceribus objiciuntur 20. b. *quas refucat* 21. a
Vladiſlaus Alberto concedit, ut arces Achilleam & Moncaſtrum invadat 21. b
Vladiſlai & Alberti Regum conventus Levocia ibid. b
Vladiſlaus Tranſilvaniam nonnihil motam pacat 22. a. *Temeſuarium & Varadinum arces pervadit* ibid.
Vladiſlai querimonia adversùs Laurentium Sirmii Ducem & factioſos 22. b
Vladiſlaus Anno 1494. adversùs Sirmii Ducem bellum decernit 22. b. *copia contrahuntur* ibid.
Vladiſlaus Legatis Palatini duriori reſponſo dimiſſis, Draghio acriorem oppugnationem arcis Laurentii Sirmii Ducis inſtituendam jubet 23. a
Vladiſlaus matrem Laurentii Sirmii Ducis ſingulari benignitate excipit 24. a
Vladiſlaus Joannis Halapſitsi Cuisbortaii contumaciam domat, eumque omnibus arcibus quatriduo exuit 24 b
Vladiſlaus potitur omnibus arcibus & ditione Laurentii Sirmii Ducis 24. b. *ejus legati à Cæſaro rejiciuntur* 3. b
Vladiſlaus judicia in facinoroſos exerceri jubet 27. a
Vladiſlai reſponſio ad orationem ſupplicem Laurentii Sirmii Ducis 26. b
Vladiſlaus peſte Budæ ſæviente Vertesſiam ſecedit 27. b. *Poſonii conventum Moravorum ac Bohemorum agit* ibid.
Vladiſlai & Alberti Poloniæ & Hungariæ Regum fœdera adversùs communes hoſtes, quibus cautum eſt, ut Moldavia in Hungarorum fide maneat 28. b. & ſeqq.
Vladiſlaus regnum Poloniæ, mortuo Alberto, fratri Alexandro cedit 30. b. *ducit Annam Aquitanam* 31. a
Vladiſlao Ludovicus filius naſcitur 33. b
Vladiſlai ſegnities in ſeditionibus Budenſibus coërcendis 33. b. *cum Corvino pacem init* 41. a. *Leges fert & emendat* 17. b
Vladiſlao affinitatem Cæſaris Maximiliani nonnulli Proceres diſſuadent 34. b. *veſtem lugubrem ob Beatricis mortem deponit* 35. 36. a
Vladiſlaus fœdus cum Cæſare Maximiliano ſancit 35. a
Vladiſlaus inducias cum Turcis prorogat 37. b
Vladiſlaus epidemicâ lue in Hungaria graſſante territus in Moraviam 29nâ Januarii, Anno 1511. indè in Sileſiam contendit 37. b
Vladiſlaus Thomam Cardinalem Strigonienſem Romam mittit, ut Chriſtianos Principes ad bellum Turcicum ope Pontificii concitet 39. a. b
Vladiſlaus Rex cum Cardinale & Senatoribus conſultat de bello adversùs rebelles ſuſcipiendo 43. a
Vladiſlai & Sigiſmundi Legati Cæſarem Maximilianum Viennæ excipiunt 49. a. b
Vladiſlaus Hungariæ ac Bohemiæ Rex obit 6. Martii Anno 1516. p. 52. a. ſegnities ejus & neglectus rei militaris ibid.
Vladiſlaus Anno 1444. perfidus eſt caſus 656. a
Vlamanus Perſa, Boſnæ præfecti expeditio in Illyricum 159. a. *Athinam Batsiani arcem occupat, item Sopronciam & Beloſtinam* ibid.
Vlamanes Boſnæ, & Malchi Hercegoviæ præfecti; Velicam arcem in Illyrico obſident 169. a. *montem Claudium capiunt* 169. a
Vlamanes Lippo præfectus ſuburbia Lippenſia incendi jubet 188. a
Vlamanes de deditione arcis Lippenſis cum Georgio & Caſtaldo agit 189. b
Vlamanis excurſio in Illyricum 216 b. &c.
Vngariæ Epiſcopatus à profanis & militaribus hominibus occupantur 125. b. vide Hungaria.
Vrſus Vrſinius Pontificis Legatus Regem Uladiſlaum ad bellum Turcicum, & Beatricem ducendam fruſtrà hortatur 15. a. *obit* 15. b
Vſcopiam 40000 incolorum Piccolominus capit & incendit 623. a
Vſreffi tentorium ex ſpoliis Ludovico donatur 69. a
Vſreffi Boſnæ & Amuratis Cliſſiæ præfecti, excurſiones in Croatiam 140. b. *Zerinum fruſtrà obſident* ibid.
Vſreph, Mehemetes, & Amurates Turcarum Duces Reginæ Iſabellæ ſuppetias ferunt adversùs Ferdinandum, Anno 1541. p. 144. a. Vaciam capiunt ibid. *Peſtinum inani conatu obſident* ibid.
Vulgus promiſcuum Adami de Novà-domo, Bohemici Cancellarii ſupellectilem diripit 71. b. *Emerici Fortunati, ærarii præfecti domum expilat* ibidem.

W.

W*Aivodanorum, Frangepani, Broderici & Verbecii litteræ ad Caroli Legatos ad Ferdinandum, ne re infectâ ad Cæſarem redeant* 122. a
Walachi electo Branckovvaio Cæſari ſe ſubjiciunt 617. b. *petunt à Cæſare ſubſidium* 624. b
Walachi Cæſaris protectionem petunt 665. b.
Walachia dividitur in cis- & transalpinam 662. b
Walachiæ Princeps crucem in obſidione Viennenſi veneratur 585. b
Waldeckius fit Princeps Imperii Rom. 595. b
Wallenſtenius tadit Mansfeldium Moraviam vaſtantem 535. 536. *quem ultra perſecutus, Weitzam capit* ibid. a. *ejus acta contra Cæſarem* 537. a. *percutitur* ibid. b. *fœdus Cæſareo-Polonicum perficit* 577. b
Weſſelium Muranam arcem capit 540. b. *fit palatinus* 543. a
Wilhelmus Oetingenſis Comes Jaurinio profectus Hungaros præſidiarios dimittit 551. b. *occumbit* ibid.
Wilhelmi Rogendorffii prima expeditio Budenſis, Anno 1530. p. 906. a. fruſtrà Budam obſedit ibid. b

Wilhelmus Rogendorffius obſidionem Budenſem ſolvit 107.b
Wilhelmus Rogendorffius copiarum Ferdinandi Dux promiſſis Iſabe & *Regina animum tentat* 144. b. *oppugnationem urbis Budæ inſtituit cum murorum magna ruina* 145. a. *quam urbis propugnatores ſedulò reparant, unde irritus irrumpentium conatus fuit*, ibid. & *Bohemi cum Perenio repelluntur* ibid. b
Wilhelmus Rogendorffius Peſthana cladis vulnere ac mœrore confectus fato defungitur 148. b
Wilhelmi Rogendorffii copia Peſthum trajiciunt ibid. a. *à Turcis* & *Budenſibus profligantur* & *funduntur* ibid. b
Wilhelmus Rogendorffius obſirmato animo Budenſi obſidioni incumbendum cenſet 147. a
Wittenberga capitur 173. a
Wurmio ſuccedit Laslejus 572. b. *cadit Tœkelium* 573. b

Z.

Z*Agrabiam Corvinus recipit* 11. a. *Epiſcopus Corvino imminet* 21. b
Zapolianus Viennæ præfectus cives ad Maximilian. deficientes increpat 1. b
Zeckelheidam Turcæ fruſtrà tentantes S. Job capiunt 546. a. *Abaſſius illam capit* 551. b
Zeno Chium capit 636. b
Zenis Eugenius Turcas aggreditur, cadit, caſtris exuit 639. 640.
Zlunius fulmine ictus periit 217. a
Zoluocum Mercius ſubjugat 598. b
Zrinii Comitis ad præfectos & *milites Sigethanos oratio* 312. a. *eximia virtus in propugnaculi Nadaſdiani defenſione* 294. b. *Ulamanem coercet* 216. b.
Vide Georgius, Nicolaus.
Zrinius Comes (Petrus) capite minuitur 568. a
Zvvornickum opprimunt Turcæ 618. *deſerunt cum pluribus aliis* 621. b

F I N I S.

715

5-174

717

5-174

Digitized by Google

005661538